

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

REGALE SACERDOTIUM
ET GENTEM SANCTAM
ET POPULUM IN ACQUISITIONEM
ET REGNUM SACERDOTALE
ET GENTEM SANCTAM
Vos autem Regale Sacerdotium
Vos Gens Peculiaris
Vos Populus Peculiaris

8. 12. H. 27

Digitized by Google

Bibliotheca Societ. Coll. Rom. Soc. Jesu.

DISPVTATIONES THEOLOGICAE, QVIBVS VNIVERSA THEOLOGIA SCHOLASTICA CLARE, BREVITER, ET ACCVRATE EXPLICATVR.

AVCTORE R. P. IOANNE MARTINON SOCIETATIS Iesu, in Collegio Burdigalensi Sacra Theologia Professore.

TOMVS QVINTVS SEV POTIVS, TOMI QVARTI PARS ALTERA,

DE POENITENTIA ET RELIQVIS SACRAMENTIS, DEQVE CENSVRIS ECCLESIATICIS

ROM. SOC. IESV. BIBL. SEC. COLL.

BVRDIGALÆ,
Apud GVILLELMVM MILLANGIVM Regis & Academiæ Typographum.
Anno M. D C. XLVI. Cum Priuilegio REGIS, & Approbatione Doctorum.

Digitized by Google

Digitized by Google

AVGVSTISSIMO, INTEGERRIMOQVE

SENATVI BVRDEGALENSI,

COLLEGIVM BVRDEGALENSE

SOCIETATIS IESV, FOELICITATEM.

FFICIO, non ambitu, se tibi sistit Theologia nostra, SENATVS AVGVSTISSIME, actura nempe de communibus tuis erga nos beneficiis gratias: & voluisset, si liceret, pro iis, quæ à te ipsa nominatim accepit, rependere gratiam. Noluit verò Galliarum Cancellario, cui se proximè deuouerat, supremo Senatu dignitate minorem eligere, maiorem in eo ordine non potuit. Quid enim purpuram tuam affectet, vel erubescat regina scientiarum? Grata esse vult, sed ambitiosa videri fugit. Admitte Tu quo nomine magis placuerit, gratam, aut supplicem, qui nec ream à Te repelleres: clientem etiam, si volueris, quam veritatis magistram agnoscis. Multa tecum habet illa communia: habes Tu illam Tibi magna similitudine, nec minori fortè necessitudine coniunctam. Ius imprimis vtrique commune est, communis vtrique iustitia: eo discrimine, vt in his explicandis Iurisprudentia tota, Theologia verò dumtaxat pars, etsi non exigua, occupetur. Quòd si vos res humani generis diiudicatis; disceptat, & consulitur de humanis etiam, ac diuinis Theologia. Et verò Pœnitentiæ sacramentum, cuius in hoc volumine vsus, & iura primùm explicantur, iudicij, & tribunalis instar Christus instituit: & quidem, cuiusmodi vestrum est, supremi. Reliqua Pœnitentiæ, & Matrimonio in hoc eodem opere interiecta sacramenta, quia Christiani estis, iidemque orthodoxi, tractatione, aut institutione percipitis, & vel ad Ecclesiæ dignitatem,

Digitized by Google

quam maximè integram esse vultis; vel ad salutem vestram, quâ nihil vobis est charius, omnia spectant. Ex Matrimonio quidquid est in eo merè ciuile, aut ius, aut consuetudo iam deduxit in forum. Censuras denique ecclesiasticas, multorum hac tempestate scopulos, a nemine, ac ne à priuatis quidem tutum est ignorari, scire interest omnium; eorumque maximè, ad quos ob abusum aliquando prouocatur. Iam vniuersim Theologia tota, eaque maximè quam Scholasticam vocant, litigatrix est, verique & aequi subtilissima indagatrix: & vel inde illi magna cum Foro affinitas: sicut ex eo quòd aliquos è Clero Iudices admittit, magna Fori cum illa necessitudo. Paratum insuper praesidium, nedum patrocinium, sibi praesentit esse ab eo Senatu, qui non ita pridem sciolis quibusdam, sanae perinde Theologiae obtrectatoribus, atque ignaris; ac perniciosa, quod peius erat, dogmata pro theologicis, sua pro diuinis passim, nec sine graui offensione obtrudentibus, imperato silentio vocem eripuit, erepturus, si potuisset, errorem. Voluit denique Collegium Burdegalense; Senatus Illustrissime, infinitis tuis beneficiis vno munere gratiam referre, si minùs nouam promereri. Etenim quiqui scriptores respectant lucem, si quos sibi patronos quaerunt, non alios fere volunt, quàm homines potentes, quorum auctoritate tuti; aut literatos, quorum iudicio in vulgus securi esse possint: aut certè de se bene meritos, vt eis referant, quam ab aliis ineunt gratiam. His equidem nominibus nemo sibi potuit istud opus pari iure, nemo maiori nostra omnium voluntate vendicare.

Atque vt ab auctoritate tua incipiam, quâ tecti toties sumus, quâque hactenus tuti: summam oportet illam esse, quae suprema sit. Ac si quis definire velit quanta sit, intelligat non alia definiri potestate posse, in iure saltem dicundo, quàm Principis, cuius cùm dignitatem, & personam sustineas; locum etiam tenes. Auctoritati par semper fuit, nempe summa eruditio: iuris autem ciuilis cognitio, quae scientia est iudicis, & mens Principis, in nullo Iudicum coetu maior. Nam si templa sunt, & augustalia quaedam sapientiae supremi omnes Senatus: vt qui ex omni, quae in pluribus prouinciis sparsa conspicimus, ingeniorum flore coalescunt: vester, inter alios, habitus semper est eruditissimus: seu cum omnibus literis rationē habuit, seu rationem omnium. Hoc quia in prouerbium abiit, nihil notius, nihil etiam verius: Ita patronos Parisienses totâ Galliâ celebrari, vt praecipuè inter alios commendari soliti sint Senatores Burdigalenses.

Digitized by Google

Dominari ſcilicet illos in roſtris : iſtos pro tribunalibus. Cauſas alios agere acerrimè : alios ſapientiſsimè iudicare. Iſtud ſi abſque teſte, imò ſi abſque grauiſsimis teſtibus diceretur, dici fortaſſe non poſſet abſque inuidia: fidem ſaltem apud paucos inueniret. Ad intricatiſsimas de iure quæſtiones explicatiſsimè, ac ſapientiſsimè reſpondiſſe Senatum Burdigalenſem ex tempore, de quibus tempus ad deliberandum conſultiſsimus Senatus poſtulaſſet. Quod ſequitur extra inuidiam eſt, ſupra admirationem. Dixit non paucos ante annos idem Senatus ius ſeruis ad Aquitanici maris oram appulſis, libertatemque, quòd in Gallia iam eſſent, ex iure regni repetentibus : ſed ita dixit, vt ſua cuique lingua dixerit, totidem fere quot in Europa, & longè extra Europam ſunt, loquentibus linguis. Laudari profectò à nobis tantum Senatum totidem oporteret, ſi nos totidem didiciſſemus. Agamus hic iterum teſtibus. Nam etſi in iudicio non agimus, agitur tamen de Iudicibus, qui de ſe nihil credi, minùs ipſi credere velint, quod idoneis teſtibus confirmari non poſsit. Dabimus, quoniam ita lubet, pro pluribus duos : vtrumque vt dignitate maximum, ita omni exceptione maiorem. Quæ duo commendare poſſunt Senatum, ea ſunt, fides erga Principem, & ſumma æquitas cum ſumma eruditione coniuncta. Illam apud Henricum Magnum frequentiſsima aula magnificè extulit Iacobus Matignonius Aquitaniæ Prorex, & Galliæ Mareſchallus. Alteram, quo ſolebat ore oracula edere, Pomponius Bellieurius Franciæ Cancellarius: adiecitque, Regem, ſi ex principe quaque plurimorum Galliæ Senatuum Decuria conflare vellet vnam, non omnibus rebus ornatiorem, quàm eſſet primaria Senatus Burdegalenſis decuria, inde conflandam. Egit teſte, & quidem tanto tanta res. Laudari enim apud Principem ab illuſtriſsimo prouinciæ Prorege Senatus veſtri fidem, multum fuit : at ab eo Prorege laudari, qui Principi eſſet ipſe fideliſsimus, & fuiſſet, hac demum laus ab omni adulatione tam procul erat, quàm prope ad veritatem accedebat illa doctrinæ veſtræ, integritatiſque commendatio, illius voce pronunciata, qui neque tam ſolertis ingenii Principi imponere auſus eſſet, neque in tam celebri omnium Prouinciarum conuentu potuiſſet.

Chopinus, Autumn, & alii.

Anno 1571.

Enumeramus, non exaggeramus, Patres ampliſsimi; nec enumeramus etiam ſingula, ſed aliqua tantùm ex iis, quæ commendare poſſunt veſtram non vulgarem, quamquam & prouerbiis ipſis tritam, eruditionem. Proditur illa, non aliorum modò ſcriptis, ac teſtimonijs, ſed

libris prodit quoque se ac monumentis à vobis editis, tantò illustriùs, quantò adulationi minùs patent, quæ oculis, quam quæ auribus accipiuntur. Ordinem fere sequemur temporum, rarò dignitatis. Guillelmus ergo Benedictus, magni nominis iurisconsultus, famâ pariter & scriptis eousque inclaruit, vt non modò illustres inter scriptores, sed ipsi quoque nobilem dederit singulari eruditione quæsita commendatio in Senatu vestro locum? Hic enim Scholæ puluerem nitore purpuræ detersit: ac de quo diu responderat, ius diu dixit. Nihil illo doctrinâ aut famâ inferior erat, qui dignitate superior fuit Nicolaus Boyerius, vnus ex Curiæ vestræ Præsidibus, edendis in lucem libris tam fœcundus, quàm sterilis à liberis. Nec ille penitùs est in iure peregrinus, ac fori rudis, cui non sunt familiares, atq; adeo manibus trita ipsius, quas vocant, Decisiones. Atq; hic ille Boyerius est qui suam moriens legauit Senatui Burdigalensi bibliothecam, viuens ipse, dum viueret, ac multæ eruditionis, multorumque librorum bibliotheca. At inter ea quæ multa edidit monumenta tantus auctor, nullum perennius futurum est, nullum quod plurium oculis legatur, aut certè videatur, quàm Andreanum vrbis Xenodochium, illius, maximam partem opus, & quidem optimum, vt supremum. Laudatus est pluribus homo omnibus rebus ornatissimus à viro sanè laudatissimo, eodemque longè clarissimo, Ioanne Alesmio Senatus vestri Decano, in eius, quam latinè scripsit, libroque Decisionum præfixit, vitâ; editurus & ipse suas Boyeranis suppares, nisi importuna, si minus octogenario immatura mors hoc nobis cum auctore opus eripuisset, quem quidem illa vt catalogo scriptorum expunxerit, nunquam tamen albo expunget hominum eruditorum; sicut nec alios eiusdem nominis, & familiæ permultos, qui tot in hoc Senatu sederunt, vt totum, ac bene numerosum confecturi Senatum, ornaturi videantur amplissimum. Ecce alterum inter Præsides scriptorem, inter scriptores Præsidem Christophorum Roffignacum, qui totum, vno de re Beneficiaria libro relicto, sibi forum fecit beneficiarium. Stephanus verò Boëtianus, eruditione, & vitæ probitate alter planè Boëtius, Senator ille quidem non Romanus, sed Burdegalensis, nec de vna tantùm, sed de tribus simul linguis Græca, Romana, & Gallica benè meritus, scriptis in vnamquamque pluribus relictis: atque ne ea scribendi laude Boëtianum nostrum Boëtio illo minorem quis existimet, metra quoque non inelegantia condidit; quæ in manibus, & in ore hominum sunt; quæ

Chronic. Burdigal. ad ann. Christi 1509.

Idem ad ann. 1538. & Supplem. folio 51.

Idem ad ann. 1557.

Idem ad ann. 1563. & Supplem. prope finé.

Digitized by Google

que Michaël Montagnius ſcriptor tota Gallia notiſsimus digna cenſuit, quæ in libros ſuos, velut gemmam in annulum inſereret, vt iis daret, ac viciſsim acciperet immortalitatem. Scripſit quoque noſtratis hiſtoriæ ſupplementum ad Æmylium Arnoldus Ferronus: & ita ſcripſit, vt ſcripſiſſe primùm videatur hiſtoriam, non hiſtoriæ ſupplementum. Edidit etiam de iure conſuetudinario Burdigalenſi volumen alterum: adeo vt ad interiorem notitiam hiſtoriæ, ſummam fori experientiam adiunxerit: quibus ſanè ſe probauit ita foris fuiſſe ciuem, vt domi non fuerit peregrinus. Andream Tiraquellum, ex Senatu Burdegalenſi in Pariſienſem cooptatum vultis, an adoptatum? quia veſter fuit, & in vtraque curia Senator, poſtliminii iure repetamus, vt in veſtram ſimul, & literatorum familiam referamus: Reipſa numeroſiſsimam ipſe, cùm librorum, tum liberorum, tantamque poſteritati reliquit, vt de ipſo feratur, ſingulis eum annis ſingulos libros, & liberos reipublicæ dediſſe. Inſcripſit Senatui veſtro è ſuis librum vnum, vicem pro collata ſibi recens ab eo Senatoria dignitate repenſurus: ipſum enim in locum demortui ex hoc ampliſsimo ordine Senatoris, publico (vt illius vtamur verbis) ſenatusconſulto ſubrogaueratis, longè etiam, & citra ditionis veſtræ fines conſtitutum: hoc maiori equidem laude digni, quòd id hominis probitati ac doctrinæ, non neceſsitudini dederatis. Dedit quoque in lucem libros omnino tres Florimundus Ramondus, elegantis, & virilis omnes ſtyli: illumque ipſum, quo Ioannæ, cui cognomen Pſeudopapiſſæ, fabulam exſufflat: De Antichriſto alterum: Tertium de ortu, incrementis, & inclinatione hæreſum huius temporis: Totidem fidei catholicæ aſſerendæ, totidem auctoritatis Eccleſiæ ſtabiliendæ propugnacula, totidem ſimul gloriæ apud poſteros ſuæ monumenta. Quem virum cur non inſeramus veſtrorum numero ſcriptorum, cuius opera ſcriptor dignitate, & doctrina eminentiſsimus Cæſar Cardinalis Baronius digna iudicauit, quæ ſuis Annalibus inſeri poſſent? Cumulauit ſaltem illum tot laudibus, vt noſtra iam ſuperflua ſint, tamque illuſtribus, caput Eccleſiæ catholicæ Summus ipſe Pontifex, vt omnium illi deinceps ſordeſcant, cùm vel vno eum Breui æternitati conſecrarit. Tres alios emiſit Petrus ab Anchora: De inconſtantia vnum: De magia, & Magis alterum: ac denique eum, quem librum inſcripſit Principum: nullum dignitate auctoris indignum: Primum quidem ad hominum mores, alterum ad fori vſum ma-

Hoc & iiſdem verbis de illo refert Spõdanus in Annal. ad an. Chriſti 1558.

Lib. in l. 8. *vnquam* C. de reuoc. donat.

Baronius tom. 10 ad an. Chriſti 853. vbi magnopere eum laudat.

Clemens VIII Breui ad illum dato 7. Maii ann. 1599.

Digitized by Google

ximè accommodatum, nec Theologis inutilem: alium vel ipsa argumenti dignitate illustrem. Posthumum reliquit opus Andreas Nesmundus, Praeses tunc primus, solemnes sub Martinalia praefationes, curiosas, vt illud tempus tulit, & eruditas: neque, quod praematuris, & posthumis sæpe fœtibus accidit, inelaboratas. Noluit, quæ modestia summi viri fuit; noluit, quod multi adeo expetunt, posteritati suæ interesse: at eò verius de se aliis iudicium, quò liberius reliquit. Numerati sunt isti omnes, quos nunc enumerauimus, inter Praesides, aut Senatores Burdigalenses, aliique plures scriptorum suorum laude insignes: sed carptim, & quasi ex itinere, de multis excipimus hìc tantùm aliquos, ne indicem potiùs conficere voluminum, quàm delectum auctorum habere videamur.

Non minorem verò conciliarunt Senatui vestro doctrinæ famam, aliqui hominum opinione, quàm suis alii monumentis clariores. Inter eos tenuisse videntur principatum, vt principem in Senatu vestro locum, Guillelmus primùm Daffisius, eruditionis nomen: quem tot alii vel in Senatu Tolosano praecesserunt, vel in isto secuti sunt Praesides, vt familiam Praesidum confeciisse videantur. Tum Marcus Antonius Gourguæus, quantus memoria nostra vir! Ac de Guillelmo quidem Daffisio fama vulgauit Ius eum omne, quantum est, ita tenuisse, vt si funditus periisset, penitùs restituere potuisset. Gourguæus verò sic nihil omnium ignorauit, vt Theologiam ipsam adolescens iuri dicundo destinatus apprimè didicisset, ingenii à puero, memoriæ ad senectutem vsque prodigium. Annumeremus duobus his Senatus vestri principibus, eiusdem Decanum, ætate illis interiectum, Ioannem Gaufretellum, priscæ, vt plerique meministis, seueritatis iudicem, Iurisconsultum certè sui temporis eruditissimum. Renouauit ille, vel vos potiùs in illo Boëtiani, vestri quoque Senatoris, exemplum: quando etiam ipsum è Iuris exedra in Senatus vestri tribunalia transtulistis, habituri demùm collegam, quem habueratis plurimi magistrum. De quo quid omittamus dicere, quod facere eius causâ non prætermisit Guillelmus Vairius nostratis eloquentiæ princeps, idemque Gallicorum sigillorum custos: cùm eius domum, ipsum honoris causâ salutandi ingressus, beatum se multis audientibus prædicauit, quòd eum præsens tandem aspiceret, quem ex aliorum ore absens tantopere eò vsque suspexisset. Viuent isti, aliique complures, quos etsi præ breuitate nominare non licuerit, non sunt tamen

tamen ſine nomine futuri : viuent, inquam, in aliorum monumentis, vt ſcriptis ipſi ſuis viuere noluerint. Deſtinaueramus hîc locum ſuperſtitibus : nec enim hodiéque deſunt omnis ætatis, qui in omni genere literarum in eadem curia excellant, futuri, niſi iam ſint, quidquid fuere maiores ſui. Sed vix citra inuidiam laudari poſſunt niſi mortui : & iſtos eò ſincerior, quò verior laus manet, dum ad maiorem ſeneſcendo gloriam efflorescunt.

Iam verò beneficiis tuis fouere, auctoritate tua tueri homines literatos, quid hoc aliud eſt, obſecro, quàm ornare in aliis, quas ipſe per Te literas ornas ? Vtrumque de Te conteſtamur, & pro vtroque debemus, ſi referre liceret, gratiam. Admiſiſti enim venientes : & qua tua erga nos voluntatis conſtantia fuit, auctoritate tua ſemper huc vſque texiſti. Agitata præcipuè fuerunt apud huius curiæ Senatorem Societatis noſtræ in hanc vrbem inducendæ conſilia. Supplemẽtum Chronic. Burdegal. fol. 49. *Is erat Ioannes ab Angelo, homo auitæ religionis tuendæ ſtudioſiſſimus, idemque doctiſſimus : qui quâ maximè valebat eloquentiâ, quâ erat apud hoſpitem ſuum gratia, Franciſco nimirum Borgiæ, antea Gandiæ Duci, Societati per id tempus Generali Præpoſito, nunc inter cœlites adſcripto, ex Hiſpania vnacum Cardinali Alexandrino reduci, & apud ſe hoſpitii cauſa agenti, facilè perſuaſit, vt nos Burdegalam commigraremus, & commigrauimus. Nos ille igitur primùm excepit hoſpitio : Franciſcus Baulonus, Senator item Burdigalenſis, paulò poſt domicilio. Iſte (vt omnes in his vitæ anguſtiis eam in poſteros explicare cupiunt) quia nullam ipſe ſuſceperat, bona, & curas ſuas in alienas proles impendit, Collegio Societatis extructo, ac ſibi ſubrogato : de nobis neſcias, an de ciuibus ſuis meliùs, de literis certè non malè meritus.* Chronic. Burdeg. ad an. Chriſti 1573. *Habuimus quidem aliquantò poſt Theologiæ Scholam, ſed adhuc ex cenſus inopia non ſatis ſtabilem ; quæ ſi deinceps firmiùs ſtetit, Armando debemus Gourgæo, qui eam certis reditibus non modò conſtituit, ſed etiam ampliauit. Ille ſiquidem abs ſe abdicato cum clericatu ſacerdotio, alendis Theologiæ magiſtris ſacerdotium addixit, ſe Senatui. Explicabat ergo iam Collegium omnes ſcholas, omnem ſuam induſtriam magiſtri. Quid magiſtrorum ſoboles Tyrocinium? Vagum erat, & in conducto habitabat : cùm ſtatas ei ſedes, ac domum ex eadem familia, atque ex hoc ipſo Senatu Marcus Anton. Gourgæus Præſes dedit, ſe denique, ſi per nos licuiſſet, daturus. Deſiderabatur*

adhuc Professorum domicilium, quo Societas nostra se in omnium vtilitatem latiùs, liberiúsque explicaret. At ne diutius desideraretur, præsto affuit, nec interpellatus, Iacobus Comtæus Inquisitionum Præses, Gourguæorum familiæ affinitate, nobisque cùm pluribus aliis officiis, tum hoc maximè beneficio coniunctus. Adfuit, inquam, vir longò pietatis, & fori vsu nemini, splendore, ac vetustate generis in Aquitania paucis inferior, qui tertiam hanc domum, maioribus Societatis muneribus destinatam, duabus aliis adiungeret: quippe ne alium Societas haberet in vrbe Aquitaniæ Metropoli, quàm Senatum, vel aliquem è Senatu Aquitaniæ fundatorem, aut fere beneficum. Remuneratus est Deus, quia nobis non licebat, tam prolixam de nobis, & ciuium suorum salute bene merendi munificentissimi Præsidis voluntatem, cùm in plerisque aliis, tum præcipuè in filio, Præside eiusdem Senatus illustrissimo, quem pater optimus honoribus auxit, ille patriis virtutibus, & suis acceptos à patre honores amplificauit. Faceremus Caroli Saltani nostrarum perinde, ac Regiarum causarum in hoc Senatu actoris studiosissimi, & verò eloquentissimi memoriæ iniuriam: maiorem Societati nostræ infamiam conscisceremus, si de eius erga nos studio dicere omitteremus, cui, præter ea, quæ de suis ipse contulit, magnam partem debemus eorum, quæ ab aliis dono accepimus. Inter alia verò, initium ipse Theologiæ nostræ dedit, collatis in id, quas non paruo redemerat, Decumis: vt hoc etiam nomine de nobis, & religione, quam omni studio tuebatur, bene mereretur. Vir magna insuper apud Principem gratia, & quod pluris faciendum est, existimatione. Tot nimirum ab eo magni momenti muneribus adhibitus, omnibusque par. De nobis autem ne tunc quidem cùm viuere cessauit, bene mereri desiit. Legauit siquidem inter alia nobis vltimum, non tamen inter vltima dona futurum, suum, inquam, nobis corpus legauit, Gourguæusque postea cor: ne ab iis abesset vterque mortuus, à quibus viuus vix separari potuisset. Habuerat etiam in Senatu vestro, etsi non retinuit, Ioannes Seurinus locum: habeat, & hîc, si per vos licet, ac retineat eum, quem nos ei assignamus inter huius Collegii beneficos ordinem. Absit enim vt eius erga nos beneficiorum memoriam, cum ipsius, quod in nostra pariter ædе conditum est, corpore sepeliamus. Atque hi quidem nos officiis, aut beneficiis suis, aterna sibi necessitudine, ne dicam neces-

ſitate deuinxerunt: arctiſſimè tamen ſibi vnus nos Andreas Neſmundus obſtrinxit, quando totam, quæ tunc Burdigalæ agebat Societatem non minoris apud Henricum magnum præſtitit, quàm capite: & illo capite, quod Rex tantus iam tum deſtinabat Senatus veſtri caput. O pignus noſtris omnium capitibus, ac vitis æſtimandum! Quamquam, & Principi, & tibi par à nobis, Præſes illuſtriſſime, ſecuritas.

At hæc, inquiet aliquis, quæ numerando percenſuiſtis ſunt aliquorum è Senatu: Age verò, quæ demum ſunt Senatus in vos beneficia? Illa ipſa, ſi neſcis, quæ iam facta probauit, aut non improbauit facienda. Quid enim? cùm tuebatur aliorum, nonne ipſe per ſe conferebat? Niſi fortè minus eſſe putas retinere, quæ iam acceperis; quàm nouis augeri. Quaſi verò ea etiam eripi non poſſint, niſi ſint, per quos hæc ipſa tueare. Equidem non minus iis ſæpe debemus, per quos nobis frui licet datis, quàm iis ipſis, qui dederunt. Sumus deinde nos, quotquot in hac ciuitate verſamur, Senatus ipſius beneficium. Toties enim SENATVS BENEFICENTISSIME, nos ipſos nobis reddidiſti, aut dediſti potiùs: quoties ex iniquorum manibus vindicaſti, in tuas iure optimo aſſeruiſti. Cumulaſti ſanè nos, nedum ornaſti beneficiis: & eorum nos gratiam referre poſſimus, qui numerum inire non poſſumus? Cumulaſti (iterum repetimus) nos, & cumulaſti beneficiis, quando paucis menſibus interiectis, anno ſaltem nondum euoluto, quinque omnino decretis noſtras non tam fortè opellulas, quàm quæ omnibus bonis potior eſt, famã vindicaſti. Vltus es calũniam: & calumniatorem, ſi licuiſſet vlciſci voluiſſes. Tulit auctoris ſui pœnas famoſus ille liber, Theologia moralis inſcriptus, nobiſq; falsò adſcriptus: laceratus eſt ac perire iuſſus, & fama noſtra reſtituta. Quid plura? Edixiſti ne noſtra amplius eſſe doctrina ferretur, quæ reipſa noſtra non erat. Quo, aliiſque tuis decretis, Senatus integerrime, probare voluiſti omnibus æquitatem tuam, nobis gratiam, & probaſti. Quæ enim huic tuo decreto Curia in Gallia non ſubſcripſit, quando nulla refragata eſt, mandari omnes typis paſſa ſunt, plurimæ laudauerunt? Legit, & quod legit, probaſſe viſa eſt, quæ ſola inſtar eſt Senatus, & multò pluſquam Senatus, rerum iam potens Regina: nec enim id de nobis facilè credere poterat, quod à nobis tantæ fidei, quantæ auctoritatis Senatus remouebat. Tuam verò gratiam, & beneuolentiam, quo nobis ipſe probare poſſes, quantas inimicitias ſuſcepiſti, non modò nunc, ſed aliàs? Quamquam iure ſemper iniuriam

repellebas: aut oppressam potentiâ innocentiam subleuabas, quam ream faciebant, qui defendere debuissent. Quæ si omnia causæ nostræ æquitati dedisti: dubitare non possumus, quin istud dare volueris honori, nisi mauis gratiæ datum: nos humanitati huc vsque tuæ tribuimus, & tribuemus. Iusserat Ludouicus Iustus in deducenda Diuorum Ignatii, & Xauerii apotheosis, quam ipse procurauerat, pompâ, apparere omnes regni Curias. Paruisti, apparuisti: & quidem in summis anni caloribus frequens: &, quod nulla alia, in purpura. Sed quòd in tanto numero, cùm ea de re itum est in consilium, vix repertus vnus sit qui reclamarit, hoc verò extraordinarium est, ac singulare. Quid mirum, si literis extraordinariis de tam singulari beneficio gratiæ actæ sint Senatui à Mutio Vitelleſco Præposito Generali totius Societatis, cùm non posset ipsa per se agere vniuersa? Pace tua Nesmunde dictum sit: nihil gloriæ, quam meritus es, nihil gratiæ, quam tibi debemus, derogabimus, si vtriusque in partem Senatum vocauerimus, qui venit, nolimus velimus, in partem eius beneficii, à quo necesse est vtramque proficisci. Quod egisti pro nobis apud Regem intrepidè, quod strenuè, studioséque; hoc ex illo beneficio tuum est: quod omnino egisti, Senatus. Ab eo enim in mandatis habebas, vt suo nomine de nobis apud Principem ageres: hoc est, vt reditum nobis in vrbem, priusquam ipse redires, conficeres. Huic ex omnibus tuis erga nos beneficiis nullum, SENATVS BENEFICENTISSIME, par esse confitemur, per quod cætera reuixerunt, & aucta sunt, vt sine illo nulla erant. Quanta postremò vel in nos, vel in studia literarum propensio tua sit, quid magis euincit, quàm quod agonibus nostris philosophicis interes, & singulis quidem annis, & pluries: tam verò semper frequens, vt Senatum apud nos habiturus venire videaris, non auditurus in Lycæo de Philosophia? Quid quòd ita nostræ capis, vt tuæ simul ipse des eruditionis specimen? Cùm non modò nobis ex ipsò tuo consessu Munerarios nunc hos, nunc illos sufficis: verùm etiam ex eodem quoque submittis fere semper athletas. Atque hoc si quis infra maiestatem tuam esse ducat, videat ne id potius sit supra suam facultatem. Nescit, nescit quamquam tractata, maiestas vlla vilescere, nisi si quæ vilia tractat. Cui verò, nisi idem stultus, ignarusque sit, videri vile possit vllum cum Sapientia commercium? Et cunctabitur in posterum ad te adire Theologia, cùm tanta Tibi

Digitized by Google

ſit cum Philoſophia neceſsitudo ? Imò tot iam ea habet voluntatis tuæ obſides, quot ex liberis tuis diſciplinæ ſuæ alumnos, quo neſcimus exemplo ; fructu ſaltem non pœnitendo. Ad eam enim, atque apud nos, ex ipſis multos allegas, nec eos ſolùm, qui ſe iam Clero addixerunt : quid enim mirum, ſi hanc illi ſcientiam profiteanturi? Diſcant oportet, quam docturi ſunt, quamque ſine diſpendio, nedum ſine aliqua infamiæ nota ignorare non poſſunt. Quin & eos etiam ipſos ad illam allegas, quos foro, & purpuræ deſtinaſti. Initiari videlicet vis diuinæ ſcientiæ myſteriis, priuſquam vllis iuris ciuilis præceptionibus imbuantur. Quoquo conſilio id facias, liceat Bonum factum exclamare : liceat Foro, Theologiæque gratulari. O forum non ciuile tantùm, ſed poſthac ſanè ſacrum futurum ! in quo ſi non plures Clerici, Theologi tamen multi ius dicturi ſunt, multi de iure reſponſuri.

Sed patientiâ tuâ abutimur, qui ſæpe gratiâ vſi ſumus. Itaque quò primùm, quo Tibi potiſsimùm nomine ; SENATVS AVGVSTISSIME, hoc qualecunque munus offeramus, omnino neſcimus : cùm etſi tot iam id nos Tibi debere faſsi ſumus, pluribus etiam debeamus. Illud per Te inſtituta, & aucta cenſu, tuaque ornata, & iam illuſtrior prole Theologia ; idem Tibi tanquam ſuo Mæcenati Philoſophia ; hoc ipſum ſicut parenti, & Munerario reliqua Schola, ſi offerre velint, ac ſingula, quod omnes debent, reddere : Tu cuiuſcunque libuerit nomine acceperis, ſemper velut Tibi debitum, aut redditum, nunquam vt datum accipies. Debemus verò nos, quia de nobis, ac de literis bene meritus es. Ac de nobis quidem : quia (vt paucis quæ pluribus iam dicta ſunt, complectamur) auctoritate tua tegis, gratia foues, opibus alis. Sit hoc demique Theologicum opus noſtra erga te omnium voluntatis pignus, qui tot habemus tua : Sit obſeruantiæ potiùs monumentum ; anathema non audemus dicere, ne religio tua recuſet, quod dignitati tuæ deberetur.

Quòd ſi eorum, quæ huc vſque commemorauimus, & nunquam prædicare ceſſabimus, beneficiorum pleraque vetera ſint : noua certè ſunt multa, & recentia : imò nullum adhuc ex veteribus, aut vetuſtate, aut obliuione conſenuit ; dum perenni ſibi cuncta fluxu, vt perpetuo aquæ in fluminibus curſu ſuccedunt, ſeque viciſsim excipiunt. Nouum præterea, nec poſtremum futurum iſtud eſt, tuum erga nos beneficium, quòd huic operi impertiris amplitudine tua claritatem ;

Digitized by Google

polliceris auctoritate ſecuritatem : concilias ſingulari quadam beneuolentia gratiam : ſperare etiam iubes , quam neſcimus an per ſe obtinere poſſet , nominis tui immortalitate perpetuitatem : quam ſi tuo beneficio conſequetur , non dubium eſt , quin eandem per ipſum tua erga nos beneficia conſequantur ; quæ in eius fronte poſteri legent; nos eorum animo memoriam alituri ſumus , æternúmque futuri , tot vinculis Tibi *nos arctiſſimè deuincientibus*

Illuſtriſſimæ amplitudinis tuæ

Serui in Chriſto , & Clientes addictiſſimi ,
Religioſi Collegii Burdigalenſis
Societatis IESV.

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO.

N tibi, Lector optimè, etsi paulò tardiùs quàm putabam, ac tu fortassis expectabas, Disputationum de Sacramentis alteram partem: in qua de Pœnitentia, Extrema-vnctione, Ordine, & Matrimonio quæstiones Theologicas cùm speculatiuas, tum practicas, & morales, atque etiam controuersas cum hæreticis, & subortis haud ita nuper Dogmatistis, perspicuè, accuratéque, quantum licuit, explicare conatus sum. Adiiciendum putaui tractatum de Censuris, quòd earum intellexi frequentiorem hodie multis in locis vsum esse cœpisse: adeóque maiorem eas discendi, explicandique necessitatem incumbere. De quibus etsi à plerisque multa eruditè iam scripta sunt: operæ tamen pretium, ac rem lectori gratam, atque in vulgus vtilem me facturum existimaui, si quæ ab illis fusiùs, ac totis interdum voluminibus differuntur, contracta in pauca faciliori via, & ratione traderem. Adieci denique ad calcem huius operis breue responsum ad aliqua, quæ mihi paucos ante menses Doctor quidam Parisiensis non ignobilis, sed quem hîc nominare nil attinet, per communem amicum proponi, obiicique curauerat: vt ex eo intelligatur, quàm cautè, consultóque vsus sim illis Scripturæ locis, & SS. Patrum testimoniis, quæ à me minùs appositè, & consideratè adducta esse illi visa sunt. Atque etiam vt inde facilè coniici possit quod iudicium de similibus statuendum sit, si quæ deinceps eius generis mihi obiici, ac postmodum in vulgus spargi acciderit: hoc præsertim tempore, quo videmus tam facilè carpi, tamque seuerè à nonnullis haberi insignes etiam, & accuratos quosque Societatis nostræ scriptores.

TRACTATVS QVARTVS,

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

CVR Pœnitentia quarto loco inter Sacramenta numeretur, & exponatur, rationem affert D. Thomas q. 65. art. 2. confirmatam ex parte à Florentino in decreto Eugenij §. Horum quinque prima. Nimirum, inquit, ſicut vnum naturâ prius eſt, multitudine; & quæ ſunt per ſe, iis quæ ſunt per accidens; hæc enim illa neceſſariò præſupponunt: Sic Sacramenta quæ ordinantur ad perfectionem vnius, priora ſunt iis, quæ ordinantur ad perfectionem communitatis, ſeu multitudinis: Itemque illa quæ per ſe ſpectant ad perfectionem vitæ ſpiritalis, præcedunt ea quæ ad illam referuntur per accidens, putà ad medendum aut remouendum accidens nociuum ſuperueniens. Atqui Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, & Extrema vnctio ordinantur ad perfectionem vniuſcuiuſque hominis in ſeipſo: Ordo verò & Matrimonium, ad totius Eccleſiæ regimen ac multiplicationem, vt ſcilicet publici Sacrorum Miniſtri, & Præfecti inſtituantur, ac fideles propagentur. Ergo hæc duo aliis quinque naturæ ordine poſteriora ſunt. Deinde inter alia quinque, tria priora per ſe attinent ad per-

fectionem ſpiritalis vitæ: Baptiſmus ad generationem, Confirmatio ad augmentum, Euchariſtia ad nutritionem: alia verò duo, Pœnitentia & Extrema vnctionis, pertinent ad medendum, & remouendum nociuum ſuperueniens. Ergo Pœnitentia, & Extrema vnctio, Baptiſmo, Confirmatione, & Euchariſtia poſteriores ſunt. Prior eſt tamen Pœnitentia Extremâ vnctione. Nam hæc conſummat ſanationem, Pœnitentia verò inchoat. Hac igitur de cauſa poſt Baptiſmum, Confirmationem, & Euchariſtiam, Pœnitentia quarto loco numeranda & exponenda eſt.

Eius autem expoſitionem quindecim diſputationibus complectemur. Quarum prima erit, ſitne aliquod in Eccleſia Pœnitentiæ Sacramentum verè, & propriè dictum? Secunda, quæ ſit natura huius ſacramenti, ſeu quanam ſit eius materia, & forma? Tertia, de neceſsitate, & vſu eiuſdem Sacramenti. Quarta de illius effectibus: & 1. quoad remiſsionem peccatorum mortalium. Quinta, de remiſsione peccatorum venialium. Sexta, de reditu peccatorum per pœnitentiam remiſſorum. Septima, de virtutum recuperatione, & reuiuiſcentia meritorum per pœnitentiam. Octaua, de partibus materialibus ſacramenti Pœnitentiæ, & 1. de contritione, deque virtute pœnitentiæ. Nona, de neceſsitate confeſsionis ſacramentalis. Decima, de qualitate, & integritate eiuſdem confeſsionis. Vndecima, de ſatisfactione. Duodecima, de abſolutione, ſeu forma ſacramenti Pœnitentiæ. Decimatertia, de Miniſtro eiuſdem ſacramenti. Decima-quarta, de ſigillo confeſsionis. Decima-quinta, de ritu pœnitentiæ publicæ. De iiſdem diſputant Scholaſtici cum Magiſtro in 4. diſt. 14. & ſeqq. D. Thomas, eiuſque interpretes 3. p. à quæſtione 84. & deinceps. E Patribus verò tractant præcipuè de Pœnitentia Tertull. & Ambroſ. in libris, quos de hoc argumento ſcripſerunt, Cyprianus in ſermone de Lapſis, Chryſoſtomus duobus libris de Compunctione cordis, & duodecim ſermonibus de Pœnitentia, & apud Auguſtinum tom. 4. Auctor libri De vera & falſa pœnitentia.

DISPVTATIO QVADRAGESIMA PRIMA.

An ſit aliquod Pœnitentiæ Sacramentum?

Sectio I. *Status quæſtionis, & variæ notiones nominis Pœnitentiæ.*
Sectio II. *Pœnitentiam eſſe Sacramentum, probatur ex Scriptura.*
Sectio III. *Idem probatur ex Patribus, & conſenſu Eccleſiæ.*
Sectio IV. *Idem rationibus confirmatur.*
Sectio V. *Soluuntur hæreticorum argumenta in contrarium.*

DE argumento propoſito breuiter agit S. Thom. quæſt. 84. art. 1. & 7. In quorum priore affirmat pœnitentiam, quæ agitur in Eccleſia, eſſe ſacramentum: quia ſicut Gregor. ait, & refertur in Decreto cauſa 1. quæſt. 1. cap. *Multi ſecularium*, Sacramentum eſt in aliqua celebratione, cùm res geſta ita fit, vt aliquid ſignificatiuè accipiamus, quod ſanctè accipiendum eſt: Manifeſtum eſt autem in Pœnitentia rem geſtam ita fieri, vt ſanctè aliquid ſignificetur tam ex parte peccatoris pœnitentis, quàm ex parte Sacerdotis abſoluentis. Nam peccator pœnitens, per ea, quæ facit, & dicit, oſtendit cor ſuum à peccato receſſiſſe. Similiter etiam Sacerdos per ea, quæ agit, & dicit circa pœnitentem, ſignificat opus Dei remittentis peccata. Vnde manifeſtum eſt pœnitentiam, quæ in Eccleſia agitur, eſſe ſacramentum. In poſteriore aſſerit ſacramentum hoc fuiſſe conuenienter in noua lege inſtitutum: quia ex virtute nominis Ieſu Chriſti patientis, & reſurgentis habet efficaciam in remiſſionem peccatorum, iuxta illud Luc. vlt. v. 46. *Oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam in remiſſionem peccatorum in omnes gentes.* Moduſque ille ſpecialis abſoluendi à peccatis fuit à Chriſto determinatus, cùm dixit Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Huc vſque D. Thomas: cuius doctrina ſequentibus ſectionibus exponenda & confirmanda eſt: eóque accuratiùs, quò veritas catholica ab hæreticis huius temporis acriùs impugnatur.

SECTIO I.

Status quæstionis, & variæ notiones nominis Pœnitentiæ.

1. Error hæreticorum.

REmouẽdus imprimis est error hæreticorum huius temporis, pœnitentiæ nomine abutentium, cùm eam nihil aliud esse volunt, quàm simplicem resipiscentiam, doloris de peccatis & pœnæ omnis expertem, vt scribit Lutherus tom. 1. in Sermone quodam de Pœnitentia, & in epistola ad generalem Ordinis Augustinianorum à quo apostatauerat, & in articulis à Leone X. condemnatis, quorum vnus erat: *De cætero non facere, summa pœnitentia. Optima pœnitentia nouæ vitæ.*

2. Eius fundamenta.

Fundamentum huius erroris duplex est. Vnum grammaticale, consistens in ethymologia nominum. Aiunt enim pœnitentiam latinè sic dici, & pœnitere, quasi *pone tenere*, id est, postponere, posthabere: Græcè verò μετάνοια, id est, resipiscẽtiam, seu mentis mutationem: Hebraicè *Teschuba*, id est, reuersionem: à radice *Schub*, id est, reuerti. Posthabere autem peccata præterita, vel resipiscere, seu mentem mutare, vel reuerti, non significat ex vi vocum dolere, vel affligi, & pœnam voluntariè subire, aut pati pro peccatis. Alterum fundamentum est morale: nimirum prauus affectus voluntatis, quo aspera fugiunt in religione, & mollia quæque sectantur. Præcipuè verò pœnas & satisfactiones pro peccatis commissis auersantur, vt in fide sua iustificante, & culpam omnem ac pœnam funditus abolente, aut potiùs regente, conquiescant: contenti credere firmiter Dei promissiones ad se pertinere in particulari, sibique propter Christum remissa esse peccata, quod sufficere putant, ad plenam iustificationem à culpa & à pœna.

Eidem errori viam fecerat Erasmus, & deinde patrocinati sunt Geneuenses, Bibliorum corruptores, cùm pro sua deprauandi libidine, Græca verba textus sacri μετανοῶ, μετάνοια, μεταμέλομαι, & μεταμέλεια, vertunt *resipiscere*, & *resipiscentia*: pro eo quod habetur in Vulgata, *Pœnitere*, & *Pœnitentia*.

3. Refellitur ex Scriptura.

Sed peccant manifestè contra Scripturam, contra Sanctos Patres, & contra optimos quosque latinitatis authores. Nam in primis Scriptura longè aliam nobis pœnitentiam describit & commendat, quàm mollem illam resipiscẽtiam Lutheranam: Iob vltimo v. 6. *Idcircò me reprehendo, & agò pœnitentiam in fauilla & cinere.* Ioel 2. vers. 12. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu: & scindite corda vestra*, &c. Matth. 11. v. 21. *Si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent*: Græcè μετενόησαν. Imò Genes. 6. v. 6. vbi Deo pœnitentia tribuitur, non tribuitur sine dolore: quasi ab eo separari non possit saluâ vocis proprietate: *Pœnituit eum quòd hominem fecisset, & tactus dolore cordis intrinsecus*, &c.

4. Et ex Sanctis Patribus.

Secundò, Sancti Patres, conformiter Scripturæ, pœnitentiam per dolorem, & alios actus illi dolori cõsentaneos definiunt: Gregorius homil. 34. in Euang. *Pœnitentiam agere*, inquit, *est perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare.* Origenes homil. 2. in Leuit. post med. *Est adhuc & septima, licet dura & laboriosa, per pœnitentiam remissio peccatorum. Cùm lauat peccator in lachrymis stratum suum, & fiunt ei lachrymæ suæ panes die ac nocte.* Origen.

Tertull. lib. de Pœnit. cap. 9. quem librum scripsit cùm esset Catholicus, de Pœnitentia à fidelibus sui temporis, id est, secundo sæculo vsurpata; sic scribit: *De ipso quoque habitu atque victu mandat sacco & cineri incubare, animum mœroribus deiicere, illa quæ peccauit tristi tractatione mutare*, &c. *Ingemiscere, lachrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum.* Tertull.

Cyprianus in serm. de Lapsis, prope finẽ, *Quam magna deliquimus, tam graniter defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non defuit. Pœnitentia crimine minor non sit*, &c. *Orare oportet impensius, & rogare, diem luctu transire, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lachrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adhærere cineri, in cilicio & sordibus volutari.* Cyprian.

Similia habent Pacianus in Paranesi ad pœnit. Ambrosius ad virginem lapsam, Hieronymus in illud Thren. 3. v. 29. *Ponet in pulvere os suum*: & in cap. 3. Ionæ, vers. 5. vbi sic ait, *Ieiunium, & saccus arma sunt Pœnitentiæ*: Augustin. epist. 108. ad Seleucianam, prope finem, *Est etiam pœnitentia bonorum & humilium fidelium pene quotidiana, in qua pectora tundimus, dicentes, Dimitte nobis debita nostra.* Et paulò pòst, *Propter hæc, ieunia, & eleemosynæ, & orationes inuigilant.* Et apud eundem August. author libri de vera & falsa Pœnit. cap. 19. *Pœnitentia*, inquit, *est quædam dolentis vindicta, semper puniens quod dolet commisisse.* Pacian. Ambros. Hieron. August.

5. Et ex auctoribus latinitatis.

Tertiò, ipsimet Latinitatis authores Lutheranorum errori aduersantur: quippe qui pœnitentiam per dolorem & pœnam describunt, vt Ouidius libro primo de Ponto Eleg. 1.

Pœnitet, & factis torqueor ipse meis.
Cùmque sit exilium, magis est mihi culpa dolori:
Estque pati pœnam, quàm meruisse minus.

Et Ausonius in Epigram. de occasione, vbi ex eo metanœæ, seu pœnitentiæ nomen impositum esse significat, illam ita loquentem inducens:

Sum Deæ quæ facti, non factique exigo pœnas:

id est, eorum quæ perperam commissa, vel omissa fuerunt.

Nempe vt pœniteat: sic metanœa vocor.

6. His conuicti recentiores quidam hæretici fatentur pœnitentiam propriè dictam sine dolore non esse: vt videre est apud Petrum Molineum, in Clypeo fidei, part. 2. sect. 3. iuxta primam editionem. Sed hoc dato Nouatores deserunt primum & præcipuum

fundamentum suæ sententiæ, sumptum ex ethymologia nominis, quæ præcisè sumpta non significat dolorem, vt ipsi affirmant. Deinde non loquuntur cohærenter, cùm dolorem quidem de peccatis pœnitentiæ tribuunt, sed pœnas pro iisdem peccatis rejiciunt. Nam eædem authoritates Scripturæ, Patrum, & authorum linguæ Latinæ, quæ ipsos cogunt vt fateantur dolorem de peccatis pertinere ad pœnitentiam, æquè conuincunt pœnas & afflictiones voluntarias pro peccatis commissis ad eandem pertinere, vt patet ex locis relatis. Quod autem supponunt pœnam omnem cum culpa semper remitti, & hanc remissionem fieri sola fide iustificante, id est, solo actu credendi, quòd peccata sibi remissa sint propter merita Christi, alibi refutandum est.

7. Refutatur illius fundamentum

Interea ad primum fundamentum aduersariorum Respondeo deriuationem illam vocis *pœnitere*, à *pone tenere*, vitiosam esse: multóque meliùs ab Isidoro in exhortatione ad pœnitentiam, & ab Authore libri de vera & falsa pœnitentia suprà citato, deriuari à *pœnam tenere*. Verbum autem hebraicum, *Sçub*, à quo *T sçuba*, & Græcum *μετανοία*, ex quo *μετάνοια*, duas habent significationes diuersas, reuertendi scilicet, aut resipiscendi; & pœnitendi. Nam authores thesauri vtriusque linguæ has ambas significationes illis vocibus tribuunt. Quare vocum illarum ethymologia non fauet aduersariis. Adde quòd ineptum esset metiri velle nominum significationem ex sola ethymologia, contra omnium Doctorum vsum & sensum: cùm certum sit & euidens nomina deriuata interdum imponi ad aliud significandum, quàm ipsa radix & origo præcisè postularet: & quidem nonnunquam ad aliquid planè contrarium: vt *lucus*, ita dictus quia minimè lucet.

8. Prima acceptio vocis pœnitentiæ pro quouis dolore facti.

Hoc igitur hæreticorum errore reiecto, Dico sex esse pœnitentiæ acceptiones apud bonos authores, præsertim verò sacros & Ecclesiasticos. Primò enim sumitur pro quauis displicentia & dolore prioris facti. Per factum autem latè sumptum intellige dictum, factum, concupitum, vel omissum, siue bonum, siue malum, aut non bonum. Quo sensu D. Thomas qu. 85. art. 1. sic ait. *Pœnitere est de aliquo priùs à se facto dolere.* Et Gellius lib. 17. Noctium Attic. cap. 1. *Pœnitere*, inquit, *tum dicere solemus, cùm quæ ipsi fecimus, aut quæ de nostra voluntate, nostroque consilio facta sunt, ea nobis post incipiunt displicere.* In hac autem significatione tam ampla, pœnitentiæ nomen indifferens est ad actum bonum & ad actum malum significandum: potest enim dolere quis quòd malè egerit, aut quòd bene non egerit: vel ex opposito, quòd bene egerit, aut quòd malè non egerit. Semper tamen id, de quo facto vel omisso dolemus, debet nobis sub ratione aliqua mali apparere. Nam bonum quà bonum non est obiectum odii, & doloris, & fugæ voluntatis: sicut malum quà malum non est obiectum amoris, gaudii, & prosecutionis.

S. Thom.

9. Secunda pro conuenienti dolore de peccatis.

Secundò, Sumitur strictiùs & frequentiùs à Theologis, & sanctis Patribus, pro actu bono, quo de peccatis commissis dolemus liberè, conformiterque cum recta ratione. Quo sensu Magister in 4. dist. 14. *Pœnitentia*, inquit, *est virtus quâ mala commissa cum emendationis proposito plangimus & odimus.* Hæc autem virtus, seu dolor honestus de peccatis commissis, duplex esse potest: vnus naturalis: alter supernaturalis, in fide fundatus, & ad remissionem à Deo obtinendam idoneus: de quo vel solùm vel præcipuè loquuntur Concilia & sancti Patres: quippe qui solus conducit ad salutem. De eodemque, intelligendæ sunt illæ Scripturæ adhortationes & præcepta. *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum*, Matth. 3. *Pœnitemini, & credite Euangelio*, Marci 1. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum.* Actor. 2. Rursus vterque dolor, tam naturalis quàm supernaturalis, virtus multiplex est, iuxta multiplicem rationem formalem, secundum quam de peccatis dolemus. Nam si dolemus de peccato inquantum Deo displicet, est actus charitatis. Si vt bono nostro supernaturali aduersatur, est actus spei. Si in quantum est inhonestum & turpe, generaliter loquendo, est actus cuiusdam virtutis honestatis, quæ versatur prosecutiuè circa honestum quà tale, genericè sumptum, & abstrahendo à specialibus rationibus honestatis; auersaturque inhonestum oppositum: Si prout est offensa Dei, ipsi iniuriosa, est actus iustitiæ cuiusdam erga Deum. Si denique secundum alias considerationes specialis turpitudinis, pertinet ad virtutes illas, quarum officium est honestatem oppositam amplecti. Eiusdem enim virtutis est fugere malum, & prosequi bonum ipsi contrarium. Atque ita pertinet ad temperantiam, v. g. dolere de peccato intemperantiæ formaliter vt tali: ad fortitudinem, de ignauia & temeritate: ad castitatem, de luxuria: & sic de cæteris.

Magister.

10. Possumus dolere de aliquo propter diuersa motiua.

Dixi *; formaliter vt tali*, ita scilicet vt hoc sit formale motiuum. Quia eadem peccata secundum alias considerationes possunt ad alias virtutes pertinere. Nam de peccato intemperantiæ dolere potest charitas, inquantum Deo displicet: & spes inquantum aduersatur bono nostro supernaturali: & iustitia, prout iniuria Dei est: & honestas, prout est inhonestum. Ita vt consideratio intemperantiæ materialiter se habeat ad talem actum, qui pro motiuo formali habet considerationem pertinentem ad virtutem charitatis, vel spei, aut alterius virtutis. Sicut ex opposito consideratio pertinens ad charitatem potest se habere materialiter, dolendo de peccato displicente Deo, non quia Deo displicet, sed quia est contra temperantiam, aut aliam virtutem. Non quidem excludendo positiuè rationem formalem obiectiuam charitatis, aut illam al-

teri vitiosè postponendo: sed tantùm negatiuè, & simpliciter illam non habendo pro obiecto formali. Potest insuper idem actus tendere simul in peccatum secundum plures considerationes, & oppositiones cum variis virtutibus: ac circa quamlibet illarum singillatim secundum se, & per se. Ita vt sit affectus contra peccatum, & quia Deo displicet, & quia nocet peccatori, & quia Dei offensa est, & quia inhonestum &c. Quo posteriori modo dolor ille habet multiplicem bonitatem formalem, secundum varias illas considerationes, quarum vnaquæque per se spectatur. Priori autem modo formalem habet bonitatem, secundum eam considerationem tolùm, quæ formale motiuum est, & propter quam peccatum detestatur.

Etiam vno & eodem actu.

11. Hi autem omnes dolendi actus honesti sunt, & boni moraliter: quia peccatum secundum omnes illas considerationes dolore dignum est: pertinentque ad virtutes supra dictas; quia eiusdem virtutis est prosequi bonum, & auersari malum illi contrarium. Sicut est eiusdem potentiæ motiuæ, & progressiuæ, recedere à termino à quo, & tendere ad terminum ad quem: vel prosequi vtilia, & fugere noxia. Et quemadmodum quælibet potentia appetitiua fertur in bonum sibi proportionatum, & fugit malum oppositum: sic quælibet virtus quæ potentiam appetitiuam perficit, tendit in aliquod bonum honestum, & odit, ac fugit oppositum. Atque ita eiusdem est charitatis, velle bonum Dei quatenus tale, & odisse malum illi contrarium, vt rectè affirmat D. Thomas quæst. 85. art. 2. ad 1. & clarius 1. 2. quæst. 113. art. 5. ad 1. Et ad iustitiam generalem, perfectè sumptam & adæquatè, duo pertinent, declinare à malo, & facere bonum oppositum, Doctore eodem Diuo Thoma 2. 2ª. quæst. 79. art. 1. Similiterque ad iustitiam particularem, & ad vnamquamque virtutem adæquatè sumptam, pertinet malum aliquod auersari, & contrarium bonum prosequi: atque ita hominem pro suo gradu perfectè afficere in ordine ad finem sibi peculiarem, per recessum à malo, & accessum ad bonum. Est autem discrimen inter virtutes acquisitas, & infusas: quòd istæ per eundem simplicem habitum valent, & sufficiunt ad vtrumque: illæ verò multiplicantur realiter & physicè secundum habitus, iuxta realem & specificam diuersitatem actuum, à quibus producuntur. Ita vt virtus vna totalis constet ex multis partialibus habitibus: sicut multi habitus partiales physicæ vel metaphysicæ vnam totalem physicam, aut metaphysicam constituunt, propter moralem quandam eorum inter se connexionem, vel coordinationem.

Eiusdem virtutis est amare bonũ, & odisse malum oppositum.

D. Thom.

12. Porro licet omnes prædicti actus dolendi de peccatis commissis, & habitus qui ad illos tendunt, secundum eam partem aut considerationem quâ ad illos producendos

Tertiò sumitur pro dolore peccati vt est offensa & iniuria Dei

D. Thom.

valent, pœnitentiæ nomine possint nuncupari: specialiter tamen pœnitentiæ virtus à Theologis appellatur illa, quæ dolet de peccato tanquam offensa iniuriosa Deo, cum emendationis proposito; quæ virtus quædam est specialis, & species iustitiæ secundum quid, vt docet S. Thomas quæst. 85. art. 1. 2. & 3. vbi rectè virtutem esse probat, quia talis dolor rectæ rationi conformis est; cùm peccata, vt sunt offensæ Deo iniuriosæ, sint dolore & emendatione dignissima. Esse autem virtutem specialem ostendit, quia specialem operandi modum habet, diuersum ab operationibus aliarum virtutum, quæ non versantur circa peccatum, vt est offensa iniuriosa Deo, & emendabile per iustam aliquam compensationem Deo factam. Esse demum iustitiæ speciem probat, quia versatur circa iustum & iniustum vt sic. Peccatum enim, quatenus Deum iniuriosè offendit, est iniustum. Emẽdatio verò peccati, tanquam offensæ Dei, iusta est, & Deo debita, fitque per quandam compensationem, & commutationem: quâ nimirum pro iure Dei læso, retribuitur Deo aliquid à læsore. Non est tamen, inquit, pœnitentiæ virtus iustitia simpliciter, sed dumtaxat secundum quid; cùm sit inter creaturam & Deum. Nam ex doctrina Philosophi lib. 5. Ethicorum cap. 6. iustitia, quæ æqualitas quædam est, non est simpliciter, nisi inter æquales. Inter alios verò, quorum vnus sub potestate alterius est, vt inter seruum & dominum, filium & patrem, vxorem & virum, creaturam & Deum, est iustitia tantùm secundum quid.

Aristot.

13. Atque hæc tertia fit pœnitentiæ acceptio pro dolore illo habituali, vel actuali, pertinente ad speciem iustitiæ, quæ inter hominem & Deum est. Qui dolor idcirco à Theologis specialiter dicitur pœnitentia, præ aliis, etiam præ contritione concepta ex motiuo charitatis: quia magis propriè pertinet ad istud sacramentum, quod est iudicium quoddam fori interni, in quo peccata velut Dei iniuriæ remittuntur, aut retinentur à Sacerdotibus, pro potestate iudiciali ipsis à Christo concessa Ioan. 20. v. 23. per hæc verba, *Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Quartò, pro pœna ob peccatum imposita, vel suscepta.

Quartò præterea sumitur interdum pro pœna propter peccatum imposita, vel voluntariè suscepta in vindictam peccati. Quo pacto accipitur in titulo Decreti, de Pœnitentiis & remissionibus, hoc est de pœnis ob peccata impositis, & earum relaxationibus. Eodemque sensu author libri *De vera & falsa pœnitentia*, apud Augustinum cap. 19. ait, Pœnitentiam esse quandam dolentis vindictam, quæ semper punit, quod dolet commisisse. Ibidemque docet cum Isidoro in exhortatione ad pœnitentiam, ab huiusmodi pœna pœnitentiæ nomen deriuatum fuisse, ita vt pœnitere dicatur, quasi pœnam tenere.

14. Quartò, pro tota conuerſione peccatoris ad Deũ.

Quintò, non eſt improbabile, quod eruditi recentiores quidã obſeruarunt, ſumi aliquando pœnitentiam in Scriptura pro tota conuerſione peccatoris ad Deum, id eſt, pro omnibus actibus, per ſe ad illam pertinentibus: qui actus ſunt deteſtatio malæ vitæ prioris, & dolor de peccatis antea commiſſis: propoſitum vitæ melioris, & emendatio in meliùs; ac caſtigatio voluntaria peccatoris punientis in ſe ipſo, quæ malè contra ius Dei admiſit; vel compenſantis bonis operibus malefacta commiſſa, cùm ad Deum placandum, tum ad peccatum vlciſcendum, & ad ius Dei læſum aliquo modo reparandum: tum denique ad vitam mutandam in meliùs, efficiendumque vt vbi abundauit delictum, ſuperabundet virtus & gratia. Quorum omnium actuum mentio fit in Scriptura Ioëlis 2. v. 12. & ſequent. Iob. vltimo, v. 6. Matth. 11. v. 21. Danielis 4. v. 24. & Ezech. 18. v. 21. vbi ſic dicitur, *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta, & fecerit iudicium & iuſtitiam, vita viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius quas operatus eſt, non recordabor.* Quibus verbis licet Propheta videatur potiùs hæc duo diſtinguere, impium agere pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, & deinceps cuſtodire omnia præcepta: quorum primum eſt neceſſarium ad vitam ſpiritualem recuperandam; ſecundum verò, non niſi in propoſito incluſo in ipſo actu contritionis: non eſt tamen improbabile Prophetam vnum alteri addere veluti pertinens ad ipſius perfectionem, & complementum, complectique duas partes perfectæ pœnitentiæ, ſeu perfectæ conuerſionis ad Deum: quarum vna conſiſtit in deteſtatione vitæ prioris: altera in emendatione per propoſitum & inſtitutionem vitæ melioris. Quo ſenſu Gregorius hom. 34. in Euangel. dicit, pœnitentiæ eſſe perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare, committendo ſcilicet, vel omittendo aliquid propter quod iterum plangendum ſit. Et author Hypognoſt. apud Auguſt. lib. 3. cap. 9. *Pœnitentia eſt res optima & perfecta, quæ defectos reuocat ad perfectum*: id eſt, quæ à vitiis ad virtutem, à defectibus vitæ prioris ad perfectionem vitæ Chriſtianæ, & à peccandi conſuetudine ad exercitium bonorum operum traducit. Inter opera verò illa vitæ melioris continentur non ſolùm ea, quibus iuxta Dei voluntatem conamur ius diuinum à nobis læſum reparare, eiuſque vindictam præuenire, & mala ab ipſo impendentia auertere: iuxta exemplum Niniuitarum Ionæ 3. v. 7. & ſequent. & Dauidis 2. Reg. 12. v. 16. & Danielis, cap. 4. v. 24. vbi Propheta Nabuchodonozorem, cui iram Dei & vindictam denunciauerat, hortatur vt eam auertat, & peccata ſua redimat eleemoſynis, & miſericordiis pauperum: verùm etiam illa quibus vitam priorem emendare conamur & mutare in melius, per exercitia virtutum contrariarum vitiis præcedentibus.

15. Probatur ex Script.

Hoc ſenſu pleno, atque perfecto, probabile eſt accipi pœnitentiam Matth. 3. v. 2. & cap. 4. v. 17. vbi Ioan. Baptiſta, & Chriſtus prædicationem ſuam inchoant his verbis: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum*: & Act. 2. v. 38. vbi Petrus Apoſtol. ad Iudæos; *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum.* Neque enim illi hortabantur ad vnam tantùm aut alteram partem pœnitentiæ, putà ad ſolum dolorem de peccatis commiſſis, ſed ad perfectam conuerſionem, non modò priuatiue, verùm etiam contrariè oppoſitam vitæ priori. Hoc eſt, non modò ad abſtinendum à peccatis commiſſis: ſed etiam ad incumbendum bonis operibus, & ad inſtituendam vitam priori contrariam. Quod magis expreſſit Chriſtus ipſe Apocal. 2. v. 5. iubens ita ſcribi Angelo, id eſt, Epiſcopo Epheſi, *Memor eſto vnde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac.* Semper tamen in conceptu pœnitentiæ attenditur aliquis ordo ad vitam priorem: vel tanquam ad obiectum doloris, ſatisfactionis, & ſimilium actuum: vel tanquam ad terminum à quo conuerſionis ad vitam meliorem, & emendationis peccatorum præteritorum per exercitium virtutum oppoſitarum. Simpliciter enim propoſitum bene viuendi, aut exercitium bonorum operum, & perpeſſio laborum, & dolorum, cuiuſmodi erat in Chriſto & B. Virgine, non eſt actus pœnitentiæ, de defectu illius reſpectus ad vitam antea malè actam, & ad peccata propria priùs commiſſa.

16. Occurritur obiectioni.

Nec obeſt quòd Matth. 3. v. 8. opera vitæ melioris vocantur fructus pœnitentiæ, quaſi ab illa adæquatè ſumpta diſtinguantur, ſicut fructus diſtinguuntur ab arbore. Nam vt rectè exponit Maldonatus ibidem, fructus pœnitentiæ dignos appellat omnia externa ſigna, ex quibus vera animi pœnitentia cognoſci poteſt; quales ſunt lachrymæ, præteritorum peccatorum deteſtatio, bona opera præcedentibus contraria. Quæ omnia ſunt veluti actus externus doloris interni, & cum illo vnum integrum actum pœnitentiæ conſummatæ & perfectæ conſtituunt.

17. Sexta acceptio pœnitentiæ.

Sextò denique ſumitur pro cerimonia quadam vſitata in Eccleſia, & certo quodam ritu externo dolendi, aut ſatisfaciendi pro peccatis. Qui ritus olim multiplex fuit. Vnus erat pœnitentia publica, & ſolemnis: quæ ſemel tantùm vnicuique permittebatur in vita: vt teſtantur Origen. homil. 15. in caput 25. Leuit. Ambroſ. lib. 2. de Pœnit. cap. 10. & Auguſt. epiſt. 54. ad Macedonium præſidem. Alia erat publica non ſolemnis, in quâ peccatum quidem publicabatur, & pro eo publicè coram Eccleſia peragebatur ſatisfactio: non tamen cum illa ſolemnitate, quæ in priori: nec ſine facultate iterandi, ſi opus eſſet. Tertia demùm, &

teri vitiosè postponendo: sed tantùm negatiuè, & simpliciter illam non habendo pro obiecto formali. Potest insuper idem actus tendere simul in peccatum secundum plures considerationes, & oppositiones cum variis virtutibus: ac circa quamlibet illarum singillatim secundum se, & per se. Ita vt sit affectus contra peccatum, & quia Deo displicet, & quia nocet peccatori, & quia Dei offensa est, & quia inhonestum &c. Quo posteriori modo dolor ille habet multiplicem bonitatem formalem, secundum varias illas considerationes, quarum vnaquæque per se spectatur. Priori autem modo formalem habet bonitatem, secundum eam considerationem solùm, quæ formale motiuum est, & propter quam peccatum detestatur.

Etiam vno & eodem actu.

11. Hi autem omnes dolendi actus honesti sunt, & boni moraliter: quia peccatum secundum omnes illas considerationes dolore dignum est: pertinentque ad virtutes supra dictas; quia eiusdem virtutis est prosequi bonum, & auersari malum illi contrarium. Sicut est eiusdem potentiæ motiuæ, & progressiuæ, recedere à termino à quo, & tendere ad terminum ad quem: vel prosequi vtilia, & fugere noxia. Et quemadmodum quælibet potentia appetitiua fertur in bonum sibi proportionatum, & fugit malum oppositum: sic quælibet virtus quæ potentiam appetitiuam perficit, tendit in aliquod bonum honestum, & odit, ac fugit oppositum. Atque ita eiusdem est charitatis, velle bonum Dei quatenus tale, & odisse malum illi contrarium, vt rectè affirmat D. Thomas quæst. 85. art. 2. ad 1. & clarius 1. 2. quæst. 113. art. 5. ad 1. Et ad iustitiam generalem, perfectè sumptam & adæquatè, duo pertinent, declinare à malo, & facere bonum oppositum, Doctore eodem Diuo Thoma 2. 2ª. quæst. 79. art. 1. Similiterque ad iustitiam particularem, & ad vnamquamque virtutem adæquatè sumptam, pertinet malum aliquod auersari, & contrarium bonum prosequi: atque ita hominem pro suo gradu perfectè afficere in ordine ad finem sibi peculiarem, per recessum à malo, & accessum ad bonum. Est autem discrimen inter virtutes acquisitas, & infusas: quòd istæ per eundem simplicem habitum valent, & sufficiunt ad vtrumque: illæ verò multiplicantur realiter & physicè secundum habitus, iuxta realem & specificam diuersitatem actuum, à quibus producuntur. Ita vt virtus vna totalis constet ex multis partialibus habitibus: sicut multi habitus partiales physicæ vel metaphysicæ vnam totalem physicam, aut metaphysicam constituunt, propter moralem quandam eorum inter se connexionem, vel coordinationem.

Eiusdem virtutis est amare bonũ, & odisse malum oppositum.

D. Thom.

12. Porro licet omnes prædicti actus dolendi de peccatis commissis, & habitus qui ad illos tendunt, secundum eam partem aut considerationem quâ ad illos producendos valent, pœnitentiæ nomine possint nuncupari: specialiter tamen pœnitentiæ virtus à Theologis appellatur illa, quæ dolet de peccato tanquam offensâ iniuriosa Deo, cum emendationis proposito; quæ virtus quædam est specialis, & species iustitiæ secundum quid, vt docet S. Thomas quæst. 85. art. 1. 2. & 3. vbi rectè virtutem esse probat, quia talis dolor rectæ rationi conformis est; cùm peccata, vt sunt offensæ Deo iniuriosæ, sint dolore & emendatione dignissima. Esse autem virtutem specialem ostendit, quia specialem operandi modum habet, diuersum ab operationibus aliarum virtutum, quæ non versantur circa peccatum, vt est offensa iniuriosa Deo, & emendabile per iustam aliquam compensationem Deo factam. Esse demum iustitiæ speciem probat, quia versatur circa iustum & iniustum vt sic. Peccatum enim, quatenus Deum iniuriosè offendit, est iniustum. Emẽdatio verò peccati, tanquam offensæ Dei, iusta est, & Deo debita, fitque per quandam compensationem, & commutationem: quâ nimirum pro iure Dei læso, retribuitur Deo aliquid à læsore. Non est tamen, inquit, pœnitentiæ virtus iustitia simpliciter, sed dumtaxat secundum quid; cùm sit inter creaturam & Deum. Nam ex doctrina Philosophi lib. 5. Ethicorum cap. 6. iustitia, quæ æqualitas quædam est, non est simpliciter, nisi inter æquales. Inter alios verò, quorum vnus sub potestate alterius est, vt inter seruum & dominum, filium & patrem, vxorem & virum, creaturam & Deum, est iustitia tantùm secundum quid.

dolore peccati vt est offensa & iniuria Dei

D. Thom.

Aristot.

13. Atque hæc tertia fit pœnitentiæ acceptio pro dolore illo habituali, vel actuali, pertinente ad speciem iustitiæ, quæ inter hominem & Deum est. Qui dolor idcirco à Theologis specialiter dicitur pœnitentia, præ aliis, etiam præ contritione concepta ex motiuo charitatis: quia magis proprie pertinet ad istud sacramentum, quod est iudicium quoddam fori interni, in quo peccata velut Dei iniuriæ remittuntur, aut retinentur à Sacerdotibus, pro potestate iudiciali ipsis à Christo concessa Ioan. 20. v. 23. per hæc verba, *Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Tertiò sumitur pro

Quartò, pro pœna ob peccatum imposita, vel suscepta.

Quartò præterea sumitur interdum pro pœna propter peccatum imposita, vel voluntariè suscepta in vindictam peccati. Quo pacto accipitur in titulo Decreti, de Pœnitentiis & remissionibus, hoc est de pœnis ob peccata impositis, & earum relaxationibus. Eodemque sensu author libri *De vera & falsa pœnitentia*, apud Augustinum cap. 19. ait, Pœnitentiam esse quandam dolentis vindictam, quæ semper punit, quod dolet commisisse. Ibidemque docet cum Isidoro in exhortatione ad pœnitentiam, ab huiusmodi pœna pœnitentiæ nomen deriuatum fuisse, ita vt pœnitere dicatur, quasi pœnam tenere.

Digitized by Google

14. Quintò, pro tota conuerſione peccatoris ad Deũ.

Quintò, non eſt improbabile, quod eruditi recentiores quidã obſeruarunt, ſumi aliquando pœnitentiam in Scriptura pro tota conuerſione peccatoris ad Deum, id eſt, pro omnibus actibus, per ſe ad illam pertinentibus: qui actus ſunt deteſtatio malæ vitæ prioris, & dolor de peccatis antea commiſſis: propoſitum vitæ melioris, & emendatio in meliùs; ac caſtigatio voluntaria peccatoris punientis in ſe ipſo, quæ malè contra ius Dei admiſit; vel compenſantis bonis operibus malefacta commiſſa, cùm ad Deum placandum, tum ad peccatum vlciſcendum, & ad ius Dei læſum aliquo modo reparandum: tum denique ad vitam mutandam in meliùs, efficiendumque vt vbi abundauit delictum, ſuperabundet virtus & gratia. Quorum omnium actuum mentio fit in Scriptura Ioëlis 2. v. 12. & ſequent. Iob. vltimo, v. 6. Matth. 11. v. 21. Danielis 4. v. 24. & Ezech. 18. v. 21. vbi ſic dicitur, *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta, & fecerit iudicium & iuſtitiam, vita viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius quas operatus eſt, non recordabor.* Quibus verbis licet Propheta videatur potiùs hæc duo diſtinguere, impium agere pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, & deinceps cuſtodire omnia præcepta: quorum primum eſt neceſſarium ad vitam ſpiritualem recuperandam; ſecundum verò, non niſi in propoſito incluſo in ipſo actu contritionis: non eſt tamen improbabile Prophetam vnum alteri addere veluti pertinens ad ipſius perfectionem, & complementum, complectique duas partes perfectæ pœnitentiæ, ſeu perfectæ conuerſionis ad Deum: quarum vna conſiſtit in deteſtatione vitæ prioris; altera in emendatione per propoſitum & inſtitutionem vitæ melioris. Quo ſenſu Gregorius hom. 34. in Euangel. dicit, pœnitentiæ eſſe perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare, committendo ſcilicet, vel omittendo aliquid propter quod iterum plangendum ſit. Et author Hypognoſt. apud Auguſt. lib. 3. cap. 9. *Pœnitentia eſt res optima & perfecta, quæ defectos reuocat ad perfectum*: id eſt, quæ à vitiis ad virtutem, à defectibus vitæ prioris ad perfectionem vitæ Chriſtianæ, & à peccandi conſuetudine ad exercitium bonorum operum traducit. Inter opera verò illa vitæ melioris continentur non ſolùm ea, quibus iuxta Dei voluntatem conamur ius diuinum à nobis læſum reparare, eiuſque vindictam præuenire, & mala ab ipſo impendentia auertere; iuxta exemplum Niniuitarum Ionæ 3. v. 7. & ſequent. & Dauidis 2. Reg. 12. v. 16. & Danielis, cap. 4. v. 24. vbi Propheta Nabuchodonozorem, cui iram Dei & vindictam denunciauerat, hortatur vt eam auertat, & peccata ſua redimat eleemoſynis, & miſericordiis pauperum: verùm etiam illa quibus vitam priorem emendare conamur & mutare in melius, per exercitiũ virtutum contrariarum vitiis præcedentibus.

15. Probatur ex Script.

Hoc ſenſu pleno, atque perfecto, probabile eſt accipi pœnitentiam Matth. 3. v. 2. & cap. 4. v. 17. vbi Ioan. Baptiſta, & Chriſtus prædicationem ſuam inchoant his verbis: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum*: & Act. 2. v. 38. vbi Petrus Apoſtol. ad Iudæos; *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum.* Neque enim illi hortabantur ad vnam tantùm aut alteram partem pœnitentiæ, putà ad ſolum dolorem de peccatis commiſſis, ſed ad perfectam conuerſionem, non modò priuatiue, verùm etiam contrariè oppoſitam vitæ priori. Hoc eſt, non modò ad abſtinendum à peccatis commiſſis: ſed etiam ad incumbendum bonis operibus, & ad inſtituendam vitam priori contrariam. Quod magis expreſſit Chriſtus ipſe Apocal. 2. v. 5. iubens ita ſcribi Angelo, id eſt, Epiſcopo Epheſi, *Memor eſto vnde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac.* Semper tamen in conceptu pœnitentiæ attenditur aliquis ordo ad vitam priorem: vel tanquam ad obiectum doloris, ſatisfactionis, & ſimilium actuum: vel tanquam ad terminum à quo conuerſionis ad vitam meliorem, & emendationis peccatorum præteritorum per exercitium virtutum oppoſitarum. Simpliciter enim propoſitum bene viuendi, aut exercitium bonorum operum, & perpeſſio laborum, & dolorum, cuiuſmodi erat in Chriſto & B. Virgine, non eſt actus pœnitentiæ, de ſectu illius reſpectus ad vitam antea malè actam, & ad peccata propria priùs commiſſa.

16. Occurritur obiectioni.

Nec obeſt quòd Matth. 3. v. 8. opera vitæ melioris vocantur fructus pœnitentiæ, quaſi ab illa adæquatè ſumpta diſtinguantur, ſicut fructus diſtinguuntur ab arbore. Nam vt rectè exponit Maldonatus ibidem, fructus pœnitentiæ dignos appellat omnia externa ſigna, ex quibus vera animi pœnitentia cognoſci poteſt; quales ſunt lachrymæ, præteritorum peccatorum deteſtatio, bona opera præcedentibus contraria. Quæ omnia ſunt veluti actus externus doloris interni, & cum illo vnum integrum actum pœnitentiæ conſummatæ & perfectæ conſtituunt.

17. Sexta acceptio pœnitentiæ.

Sextò denique ſumitur pro cerimonia quadam vſitata in Eccleſia, & certo quodam ritu externo dolendi, aut ſatisfaciendi pro peccatis. Qui ritus olim multiplex fuit. Vnus erat pœnitentia publica, & ſolemnis: quæ ſemel tantùm vnicuique permittebatur in vita: vt teſtantur Origen. homil. 15. in caput 25. Leuit. Ambroſ. lib. 2. de Pœnit. cap. 10. & Auguſt. epiſt. 54. ad Macedonium præſidem. Alia erat publica non ſolemnis, in quâ peccatum quidem publicabatur, & pro eo publicè coram Eccleſia peragebatur ſatisfactio; non tamen cum illa ſolemnitate, quæ in priori: nec ſine facultate iterandi, ſi opus eſſet. Tertia demùm, &

priuata est, in qua peccatum soli detegitur sacerdoti cum dolore, & animo ad satisfaciendum parato, & vicissim à sacerdote priuatim datur absolutio, imponiturque satisfactio peragenda. De quibus plura videri possunt apud Pammelium ad lib. Tertulliani de Pœnit. Annot. 1. Bellarm. lib. 1. de Pœnit. cap. 21. & 22. Gratian. dist. 50. præcipuè cap. 64. & nos inferius plura dicemus disp. 54.

18. Hæ pœnitentiæ notiones non parum lucis afferent disputationibus sequentibus. Et in præsenti valent ad quæstionis statum aperiendum. Agimus enim in præsenti, non de qualibet pœnitentia: quasi verò, vt nobis imponunt hæretici, contendamus pœnitentiam quomodocunque sumptam esse Sacramentum: sed tantùm prout significat sacram illam, & Ecclesiasticam ceremoniam, in qua pœnitens sacerdoti peccata exponit cum dolore, & præparatione ad satisfaciendum: & vicissim à sacerdote absoluitur vi potestatis Apostolis datæ, & sacerdotibus eorum successoribus per hæc verba, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* Ioan. 20. v. 23. Sensus ergo quæstionis est, vtrum pœnitentia, qualis agitur in Ecclesia, constans scilicet contritione, confessione, & satisfactione pœnitentis, & absolutione sacerdotis, sit sacramentum nouæ legis verè, ac propriè dictum, quale Baptismum, & Eucharistiam esse fatentur hæretici.

SECTIO II.

Pœnitentiam esse sacramentum probatur ex Scriptura.

19. Conclusio affirmatiua est de fide.

COnclusio affirmatiua est de fide, definita à Trident. sess. 7. can. 1. de Sacram. in genere, & passim tota sess. 14. Florentino in decreto §. *Quartum sacramentum est pœnitentia*, & Constantiensi in Bulla dānationis articulorum VVicleffi. Prima probatio conclusionis hęc est: Quidquid est signum sensibile, permanenter & constanter à Christo institutum, ad significandam & efficiendam gratiam infallibiliter ex opere operato, est sacramentum nouæ legis verè ac propriè dictum. Sed pœnitentia suprà dicta est huiusmodi: ergo &c. Maior est ipsa definitio sacramenti, supponiturque ex tract. de sacram. in genere. Minor autem probatur primùm ex verbis institutionis Ioan. 20. *Accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Nam sicut ex verbis institutionis Baptismi Matth. vltimo, *Euntes docete omnes gentes, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*: & Marc. vlt. *Qui crediderit & Baptizatus fuerit saluus erit*: rectè intellexit Ecclesia cerimoniam quandam externam, & sensibilem, permanenter à Christo institutā fuisse in signum & causam iustificationis infallibiliter ex opere operato: sic ex verbis suprà relatis ex Ioan. 20. rectè ab Ecclesia intellectum est pœnitentiam, qualem suprà descripsimus, à Christo Domino institutam fuisse, & illi nihil eorum deesse quæ ad rationem sacramenti nouæ legis propriè dicti necessaria sunt.

20. Christus dedit Sacerdotibus potestatem remittendi peccata.

Etenim Christus verbis illis dedit Apostolis, eorumque successoribus, potestatem remittendi peccata, & iustificandi. Deditque sine limitatione temporis: cùm absolutè dixerit, *Quorum remiseritis peccata &c.* Idque tam certò & infallibiliter, vt in cœlis remissum, aut retentum habeatur, quidquid ab ipsis remissum aut retentum in terra fuerit: iuxta illud Christi potestatem eandem promittentis Matth. 18. *Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo.*

21. Debet illa exerceri modo sensibili.

Cùm autem hæc remittendi potestas sit hominibus data, vt inter homines, in Ecclesia visibili humano modo exerceatur; necessarium est remissionis sententiam externo aliquo signo manifestari. Nam aliter hominibus humano modo significari nequit. Esseque rationi dissentaneum ita fieri, vt reus eam cognoscere nequeat, sed ignarus maneat, vel suspensus & anxius quid actum sit. Nam ita cogeretur, vel semper quærere, vel semper negligere remedium, quod ignoraret sibi fuisse applicatum.

22. Et cum cognitione causæ, cùm sit iudicialis.

Rursus, quia potestas illa remittendi, & retinendi peccata, data fuit Apostolis, eorumque successoribus, ad ferendam super eis sententiam iudiciali quadam authoritate, vt colligitur ex Christi verbis eandem potestatem promittentis Matth. 18. v. 18. vbi postquam asseruit peccata, quæ aliter corrigi non possunt, esse Ecclesię (id est Pastoribus & Prælatis) tanquam iudici, adhibitis vno aut duobus testibus, denunciandā, subiicit: *Amen dico vobis*, Pastoribus scilicet & Prælatis Ecclesiæ, id est, Apostolis eorumque successoribus, *quæcumque alligaueritis super terram*, tanquam iudices criminum & peccatorum, *erunt ligata & in cœlo*; *& quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Quod etiam significant verba quibus Christus potestatem illam concessit Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Alludunt enim manifestè ad illa, *Quæcunque alligaueritis &c. & quæcunque solueritis.* Qui loquendi modus significat aliam esse hanc potestatem, alioque modo exercendam, quàm sit potestas Baptizandi, conferendique alia sacramenta, de quorum nullo Christus ita locutus est: ne de baptismo quidem, de quo dixit dumtaxat Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* & Matth. vlt. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit*, Marc. 16. Nec quicquam addidit quo

Digitized by Google

ſignificaret Baptizandi poteſtatem iudiciali modo exerceri debere. Cùm inquam, hæc poteſtas iudicialis ſit, & iudiciali modo exercenda, ſecus atque in baptiſmo aliiſque Sacramentis; ſequitur cauſæ cognitionem neceſſariam eſſe antequam feratur de peccatis ſententia rationabiliter, & prout æquum iudicem decet. Et quia peccata ſunt occulta, exceptis paucis manifeſtis; paucis, inquam, reſpectu aliorum in prauo & inſcrutabili cordis receſſu latentium; neque poſſunt in notitiam venire, niſi ab ipſis peccatoribus detegantur: neceſſarium eſt ab ipſis detegi propria confeſſione, ſinceraque ſui ipſorum acculatione.

23. Nec niſi circa pœnitentes & dolentes de peccatis.

Neque verò putandum eſt cuilibet, etiã per iocum aut iactantiam peccata ſua exponenti, abſolutionis beneficium impendi poſſe ſecundum Chriſti inſtitutionem; ſed tantùm deteſtanti & dolenti, vt peccatorum actualium remiſſioni conueniens eſt, & ab Apoſtolis de baptiſmo (licet alioqui maioris efficaciæ) intellectum: iuxta illud Petri Actor. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum.* Nec ſufficit humanitùs interior deteſtatio, quæ eſt penitùs ignota & occulta; ſed ſigno aliquo externo prodi debet, & innoteſcere iudici, qui ſecundum æquitatem debet peccata remittere bene diſpoſitis, vel retinere indiſpoſitis. Requiritur ergo iuxta Chriſti inſtitutionem cõtritio vel attritio ſenſibilis, ſeu dolor de peccatis externo aliquo ſigno manifeſtatus.

24. Et cum impoſitione alicuius ſatisfactionis

Ad hæc, poteſtas ſupradicta non eſt tantùm ad ſoluendum & remittendum; ſed etiam ad ligandum & retinendum. Neque ad merè ſimpliciterque indulgendum pœnitentibus; ſed ad ferendum de illis iudicium, & ſtatuendum vt rationi conſentaneum eſt, & iuxta formam iudicii diuini, id eſt, conformiter ad eum modum, quo Deus ſe gerit cum peccatoribus. Sic enim debet ius diuinum diſpenſari à iudicibus, quos ipſe delegauit, & ſuo loco, ac ſuo nomine ſententiam ferre voluit. Deus autem in remiſſione peccatorum illorum, quæ poſt Baptiſmi regenerationem, & fidem ipſi datam, cum maiore Spiritus ſancti contumelia, & peccantis ingratitudine committuntur, ſolet iuſtitiam cum miſericordia exercere: & ita culpam remittere, vt aliquid pœnæ retineat: tum ad aliquam ſatisfactionem iuris ſui læſi: tum etiam ad homines cautiores reddendos, ne ſpe impunitatis ad peccandum facilè relabantur.

25. Non ſemper cum culpa remittitur tota pœna.

Falluntur enim Nouatores, & contra Scripturam loquuntur, quando dicunt, nunquam remitti peccata ſine totali remiſſione pœnæ. Nam Scriptura manifeſtè docet non omnem pœnam ſemper cum culpa remitti: vt de primo parente, Sap. 10. v. 2. de Dauide, 2. Reg. 12. v. 13. de Maria Sorore Moſis, Exodi 32. v. 34. de Moyſe ipſo, Deuteron. 32. v. 49. & ſequentibus; de Aarone, Num. 20. v. 24. & 25. de Iſraëlitis murmurantibus, Num. 14. v. 20. 32. & ſequent. Docet etiam pœnas peccatis debitas redimi poſſe, ac vindicari bonis operibus ſatisfactoriis, Tob. 4. v. 11. & 12. Daniel. 4. v. 24. Ionæ 3. v. 5. & 10. Luc. 3. v. 8 & 11. & 2. Corinth. 7. v. 10. & 11. Neque abnuit Caluinus lib. 3. Inſtit. cap. 3. §. 16. & c. 4. §. 38. hunc fuiſſe ſenſum communem & vium veteris Eccleſiæ; ſed hac in parte laptos eſſe ait Patres antiquos, aut nimis aſperè & durè locutos, ac planè eorum prudentiam hac in parte deſiderari: vt imprudenter & impudenter ſcribit in illo §. 38. & lib. 4. Inſt. cap. 12. §. 8. Caluin.

Et quamuis in Baptiſmo fiat plena remiſſio culpæ & pœnæ, nullaque iis qui baptizantur ſit iniungenda ſatisfactio: diuinæ tamen iuſtitiæ ratio exigere videtur, vt aliter à Deo in gratiam recipiantur qui ante Baptiſmum; aliter verò, qui ſemel à peccati & Dæmonis ſeruitute liberati, & accepto Spiritus ſancti dono, ſcientes Dei templum violare, & Spiritum ſanctum contriſtare non formidauerint: & diuinam clementiam decet, ne ita nobis abſque vlla ſatisfactione peccata dimittantur, vt occaſione accepta, peccata leuiora putantes, velut iniurii & contumeliоſi Spiritui ſancto, in grauiora labamur, theſaurizantes nobis iram in die iræ: vt ait Trident. ſeſſ. 14. cap. 8. Sed quidquid de ſatisfactione ſentiendum ſit, de qua plura dicemus alibi: negare non poſſunt hæretici, ex relatis Chriſti verbis Ioan. 20. rectè deduci ritum quendam ſacrum, & ſenſibilem, in ſignum remiſſionis peccatorum inſtitutum fuiſſe. Idque diſcurſus iam factus euincit. 26. Trident.

Demùm effectus remiſſionis certus, & infallibilis, non eſt à merito aut virtute ſacerdotis; ſed ex Chriſti inſtitutione verbis illis expreſſa, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Neque requirit actum perfectæ contritionis, aut aliam talem diſpoſitionem per ſe ſolam ſufficientem ad delendum peccatum: vt neque in Baptiſmo requiritur. Etenim Dei benignitatem & clementiam in lege noua minùs deceret, vt præter Sacramentalem confeſſionem, requireret veluti neceſſariam, contritionem perfectam, quæ ſola in lege veteri reconciliare ſolebat. Neque verè & propriè Apoſtoli eorumque ſucceſſores peccata remitterent, ſi tantùm annunciarent peccata eſſe remiſſa à Deo: vel, vt comminiſcuntur hæretici huius temporis, tantùm proponerent Euangelii promiſſiones, vt peccatores eas apprehendant per fidem, & per hanc fidem iuſtificentur. Quod commentum reiiciemus ſect. 5. Quare ex verbis ſupra relatis aptè colligitur & pœnitentiam qualem ſuprà deſcripſimus, conſtantem ſcilicet actibus pœnitentis deteſtantis & confitentis ſenſibiliter peccata ſua, & ſacerdotis ſenſibiliter abſoluentis, à Chriſto Domino inſtitutam fuiſſe: & tali pœnitentiæ nihil eorum deeſſe, quæ ad Sacramentum nouæ legis propriè dictum neceſſaria ſunt. Nec enim deeſt ſenſibilitas; cùm confeſſio & abſolutio ſenſibiliter 27. Effectus remiſſionis eſt ex opere operato.

Digitized by Google

fiant: nec inſtitutio permanens; cùm Chriſtus poteſtatem remittendi peccata ſine limitatione conceſſerit: nec ſignificatio & efficacia gratiæ infallibiliter ex opere operato; cùm Chriſti promiſſio, *Quorum remiſeritis* &c. ſit infallibilis: Et hæc remiſſio, quæ ſine infuſione gratiæ non fit, vi inſtitutionis & poteſtatis à Chriſto datæ, non minùs per formam abſolutionis ſignificetur practicè, quàm prima regeneratio & interior ablutio ſignificetur per formam Baptiſmi.

28. Vſus ſacramenti pœnitentiæ probatur ex Scripta

De eiuſdem Sacramenti vſu rectè intelligi poteſt id quod dicitur Actor. 19. v. 18. *Multique credentium veniebant confitentes & annunciantes actus ſuos. Multi autem ex his, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus: & computatis pretiis illorum, inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium.* Vbi de peccatorum confeſſione ſermonem eſſe agnoſcunt ipſi Caluinus & Beza in hunc locum Actor. Et Syriacus textus confirmat, qui ſic habet; *Plurimique ex iis qui credidérant, veniebant & renunciabant offenſas ſuas, confitebanturque id quod fecerant.* Id etiam confirmat curioſorum librorum deſignatio, & combuſtio publica, quam credibile eſt ſatisfactionis loco à Paulo præſcriptam fuiſſe. Item quod dicitur 1. Ioan. 1. v. 9. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Vbi cùm ait, *fidelis eſt & iuſtus, vt remittat*; ſignificat remiſſionem iſtam eſſe alicubi promiſſam, nimirum Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.*

SECTIO III.

Idem probatur ex Patribus, & conſenſu Eccleſiæ.

29. Patres diſertè vocãt pœnitentiã ſacramentum.

SEcunda probatio ſumitur ex teſtimoniis Sanctorum Patrum, & veterum ſcriptorum Eccleſiaſticorum. Quorum teſtimoniorum duo genera ſunt. Prius eorum eſt, in quibus pœnitentia diſertè & expreſsè ſacramentum vocatur. Poſterius, eorum in quibus tametſi ſacramentum expreſsè non dicitur, deſcribitur tamen qualis à nobis ſuprà deſcripta fuit, eique virtus & efficacia iuſtificandi tribuitur: & in eo cum Baptiſmo & Euchariſtia comparatur; quòd nimirum ritus ille pœnitendi, ſicut & baptizandi, ſit à Chriſto inſtitutus in cauſam remiſſionis peccatorum.

30. Nyſſen.

Prioris generis eſt illud Gregorii Nyſſeni in lib. de vita Moſis, longè ante finem, *Moyſes per lapidem inundare aquis eremum fecit: quæ res quantùm qualeque ſit pœnitentiæ ſacramentum docet.* Item illud Victoris Carthennenſis Epiſcopi qui vixit anno 460. lib. de Pœnitentia cap. 20. *Denique*, inquit, *Dominum audi in Euangelio, quibus iaculis feriat peccatorem, vt intelligas, quanti faciat Pœnitentiæ ſacramentum.* Item illud Auguſtini lib. 5. de Baptiſmo cap. 20. *Si ad hoc valet quod dictum eſt in Euang. vt per peccatorẽ ſacramenta non celebrentur: quomodo exaudit homicida deprecantem, vel ſuper aquam Baptiſmi, vel ſuper oleũ, vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum, quibus manus imponitur?* nimirum per reconciliationem. Nam ſacram pœnitentium reconciliationem ab Auguſtino manus impoſitionem vocari, patet ex eodem lib. cap. 23. *Manus* inquit, *ab hæreſi reuenti propterea imponitur, ne extra omnem culpam fuiſſe videatur*, & in expoſitione Pſal. 146. verſum illum interpretans, *Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum*: Quæ ſunt, inquit, *iſta alligamenta? Temporalia ſacramenta*: & in exemplum ſacramentorum adducit Euchariſtiam, & manus impoſitionem, quâ per præpoſitum peccatores reconciliantur. Caluinus quoque lib. 4. Inſtit. cap. 19. §. 14. fatetur manus impoſitionem fuiſſe ſignum reconciliationis in veteri Eccleſia. Idem Auguſtin. epiſt. 180. *An non cogitamus, cùm ad iſtorum periculorum peruenitur extrema*, id eſt, cùm omnes de vita periclitantur, hoſtibus vrbem ſubitò inuadẽtibus, *quantum in Eccleſiam fieri ſoleat concurſus, aliis Baptiſmum flagitantibus, aliis reconciliationem*, id eſt, ſacerdotalem abſolutionem, *aliis etiam pœnitentiæ ipſius actionem*, id eſt, iniungi ſibi pœnitentiam & ſatisfactionem obeundam, *omnibus conſolationem, & Sacramentorum confectionem, & erogationem.* His & ſimilibus adde decretum Lucii Papæ III. quod habetur in cap. *Ad abolendam*, extra, *de hæreticis*: & Conciliorum œcumenicor. definitiones locis initio ſectionis 2. citatis: nec non conſenſum Theologorum omnium, cum D. Thoma 3. p. q. 84. vel cum Magiſtro in 4. diſt. 14. quorum aliqui ante annos ferè 400. floruerunt, omnes autem expreſsè docent, vt indubitatum & vt dogma fidei, pœnitentiam, qualem ſupra deſcripſimus, eſſe verè ac propriè legis nouæ ſacramentum: nimirum ex maiorum traditione: Neque enim vllo argumento conſtat pœnitentiam tum primùm ab ipſis ſacramentorum in numero haberi cœpiſſe, vt falsò ait Caluinus; ſed ex locis Patrum citatis, & ex pluribus infra referendis, conſtat oppoſitum: nempe à tempore Apoſtolorum huc vſque, pro ſacramento ſemper fuiſſe habitam. Quod ſignum eſt ex Apoſtolica traditione hanc fidem promanaſſe. Vt enim ait D. Auguſtinus lib. 4. de Baptiſmo, contra Donatiſtas, cap. 24. *Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec à Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, ab Apoſtolica authoritate traditum eſſe rectiſſimè creditur.*

Auguſt. Caluin. Auguſt. Lucius. D. Thom. Magiſt. Auguſt.

Poſterioris generis ſunt innumera teſtimonia, quæ quia longum eſſet recenſere, ſufficiet è ſingulis quinque prioribus ſæculis duo tantùm vel tria illuſtriora proferre, quæ ad conuincendam hæreticorum proteruiam ſatis eſſe poſſint.

31. Partes tribuunt pœnitentiæ efficaciam iuſtificãdi, vt Baptiſmo. Dionyſ.

Sæculo igitur primo, Dionyſius Apoſtoli diſcipulus, & Galliarum Apoſtolus, Sa-

crameti pœnitentiæ vſum, efficaciam, & neceſſitatem non obſcurè tradit, cùm in epiſt. 8. ad Demophilum, ſic illum reprehendit: *Tu verò, vt tuæ litteræ indicant, proclivem ſacerdotem impium, vt ais, & peccatorem, neſcio quo pacto contra diſciplinæ ordinem adſtans calce abieciſti. Adhuc, cùm ille quidem, quod oportuit, fateretur ſe ad peccatorum remedium quærendum veniſſe: tu non exhorruiſti: ſed & bonum ſacerdotem auſus es lacerare conuitiis, miſerabilem eum dicens, quòd pœnitentem & impium iuſtificaſſet.* Clemens verò Roman. Petri Apoſtoli diſcipulus, & in Pontificatu Romano ſucceſſor epiſt. 1. longè poſt initium, ſic habet: *Si forte alicuius cor, vel lumor, vel infidelitas, vel aliquod malum ex his quæ ſuperius memoranimus, latenter irrepſerit, non erubeſcat, qui animæ ſuæ curam gerit, confiteri hæc huic qui præeſt: vt ab ipſo per verbum Dei* (id eſt, per verbum abſolutionis à Deo & Domino noſtro Ieſu Chriſto inſtitutæ, & traditæ Ioan. 20. *curetur: quo poſſit integra fide, & operibus bonis, pœnas æterni ignis effugere, & ad perpetuæ vitæ præmia peruenire.*

Clemens

32. Sæculo ſecundo, eiuſdem meminerũt Irenæus lib. 1. cap. 9. vbi de muliere quadam à Mago quodam & nefario Diacono corrupta, ait poſtquam magno cum labore conuerſa fuiſſet, omne tempus in exomologeſi conſummaſſe plangentem & lamentantem, ob hanc, quam paſſa erat, ab hoc mago corruptelam. Et Tertull. lib. de Pœnit. à cap. 7. ad 12. vbi inter alia, cap. 7. ſic ait. *Hæc venena prouidens Deus*, id eſt, peccata poſt Baptiſmum committenda, *intinctionis*, id eſt, Baptiſmi, *ſerâ obſtructâ* quia non poteſt iterari, neque valet ad illa peccata delenda: *aliquid adhuc permiſit patere. Collocauit in veſtibulo pœnitentiam ſecundam, quæ pulſantibus patefaciat.* Quòd autem ibi loquatur de pœnitentia ſacramentali, & non de ſola virtute pœnitentiæ, patet primò, quia illam cum Baptiſmo comparat, vt remedium nouæ legis proprium, & ſimilis efficaciæ cum Baptiſmo contra peccata poſt ipſum commiſſa. Secundò, quia virtus pœnitentiæ ad Baptiſmum adultorum, qui tunc erat frequentiſſimus, requiritur, Actor. 2. v. 38. & primam ianuam patefacit. At pœnitentia, de qua loquitur Tertullian. aperit tantùm ſecundam. Tertiò, quia loquitur de pœnitentia facta cum confeſſione (publica, an priuata, nihil intereſt) & cum abſolutione ſacerdotis, vt patet ex verbis ſequentibus, cap. 12. *Igitur cùm ſcias aduerſus gehennam, poſt primæ illæ intinctionis Dominicæ monimenta*, id eſt, poſt Baptiſmum, *eſſe adhuc in exomologeſi ſecundæ ſubſidia, cur ſalutem tuam deſeris? cur ceſſas aggredi quod ſcias mederi tibi?* cap. verò 9. teſtatur pœnitentes ſui temporis non tantùm lachrymari & ingemiſcere ſolitos: ſed *& Presbyteris adolui, & charis Dei adgeniculari.* Et cap. 10. *Grande planè emolumentum verecundiæ, excuſatio delicti pollicetur, videlicet, ſi quid humanæ notitiæ ſub luxerimus, proinde & Deum celabimus? Adeone exiſtimatio hominum, & Dei conſcientia comparantur? An melius eſt damnatum latere, quàm palam abſolui?* Videndus Pammel. annot. 43. & ſequentibus in eundem lib.

Irenæus.

Tertull.

Pammel.

Sæculo tertio, Origenes homil. 2. in Leuit. poſt med. ſic ait: *Eſt adhuc & ſeptima, licet dura & laboriosa, per pœnitentiam remiſſio peccatorum. Cum lauat peccator in lachrymis ſtratum ſuum, & fiunt ei lachrymæ ſuæ panes die ac nocte: & cum non erubeſcit ſacerdoti Domini indicare peccatum ſuum, & quærere medicinam.* Et homil. 2. in Pſal. 37. confitentem comparat homini incluſam eſcam indigeſtam, aut phlegma vomitu expurganti, aut vulnus tumens apertione ſananti. Cyprianus verò in ſerm. de Lapſis hortatur ſingulos vt de peccatis confiteantur, *Dum*, inquit, *adhuc qui delinquit in ſæculo eſt: dum admitti confeſſio eius poteſt: dum ſatisfactio & remiſſio facta per ſacerdotes, apud Dominum grata eſt.* Ibidemque inuehitur in eos qui ad ſacram Synaxim accedebant *ante exomologeſin factam criminis, ante purgatam conſcientiam manu ſacerdotis.* Et è contrario alios laudat, qui priùs vel hoc ipſum, quòd malè facere cogitauerunt, *apud ſacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitentur, exomologeſin conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam paruis licet & vulneribus exquirunt, ſcientes ſcriptum eſſe, Deus non deridetur.*

33. Origen.

Cyprianus

Sæculo quarto Baſilius in Regulis breuioribus, interrogat. 288. *Neceſſariò*; inquit, *peccata iis aperiri debent, quibus tradita eſt diſpenſatio myſteriorum Dei.* Et Lactantius lib. 4. Inſtit. cap. 17. confeſſionem ſacramentalem, circumciſionis Iudaicæ ſacramento eleganter ſic comparat: *Quoniam*, inquit, *pars illa corporis, quæ circumciditur, habet quandam ſimilitudinem cordis, & eſt pudenda: ob hanc cauſam Deus nudari eam iuſſit, vt hoc argumento nos admoneret, ne inuolutum pectus haberemus, id eſt, ne quod pudendum facinus intra conſcientiæ ſecreta velimus. Hæc eſt circumciſio cordis &c. Pœnitentiam nobis in illa circumciſione propoſuit: vt ſi cor nudauerimus, id eſt, ſi peccata noſtra confeſſi ſatis Deo fecerimus, veniam conſequamur.* Hæc ille ibi. Et cap. 30. damnãs hæreticos Nouatianos, ſacerdotalis confeſſionis hoſtes infenſos, ait veræ Eccleſiæ notam eſſe confeſſionem & pœnitentiam, quâ peccata & vulnera ſalubriter curantur. Contra eoſdem Ambroſius diſputans lib. 1. de Pœnit. cap. 2. initio, hypocriticam eorum religionem confutat, qua ſoli Deo reſeruare ſe dicebant peccatorum remiſſionem, eamque ſine iniuria diuina ſacerdotibus tribui non poſſe. Verba illius ſunt, quibus non magis Nouatianos, quàm Caluiniſtas perſtringere videtur: *Sed aiunt ſe Domino deferre reuerentiam, cui ſoli remittendorum criminum poteſtatem reſeruent. Imò nulli maiorem iniuriam faciunt, quàm qui eius volunt mandata reſcindere,*

34. Basil. Lactant.

Ambroſ.

munus refundere. Nam cùm ipſe in Euangelio ſuo dixerit Dominus Ieſus, Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt: Quis eſt qui magis honorat, vtrum qui mandatis obedit, an qui reſiſtit? Eccleſia in vtroque ſeruat obedientiam, vt peccatum & alliget & relaxet. Hæreſis in altero immitis, in altero inobediens, vult ligare quod non reſoluat: non vult ſoluere, quod ligauit. Et poſt multa, addit cap. 7. *Cur baptizatis, ſi per hominem dimitti peccata non licet? In Baptiſmo vtique remiſſio peccatorum omnium eſt. Quid intereſt vtrum per pœnitentiam, an per lauacrum hoc ius ſibi datum ſacerdotes vendicent? Idem in vtroque myſterio eſt.* vel vt alii legunt, *idem in vtroque miniſterium eſt.* Quatenus ſcilicet tam baptizantis, quàm abſoluentis miniſterio, peccata à Deo, tanquam à cauſa principali remittuntur: vt declarat cùm ſubdit: *Sed dices, quia in lauacro operatur myſteriorum gratia. Quia in Pœnitentia? Nonne Dei nomen operatur,* &c. Similia habet Hieronymus epiſt. 54. ad Marcellam, vbi de Montaniſtis hæreticis ſic loquitur: *Rigidi autem ſunt, non quòd & ipſi maiora non peccent: ſed hoc inter nos & illos intereſt, quòd illi erubeſcunt confiteri peccata, quaſi iuſti: Nos dum pœnitentiam agimus, facilius veniam promeremur.* Eiuſdemque neceſſitatem ſimul & efficaciam commendat epiſt. 65. ad Pammachium, & Oceanum, cap. 2. ante medium dicens, *ſecundam eſſe poſt naufragium tabulam, culpam ſimpliciter confiteri.* Et in caput 10. Eccleſiaſtis, circa illa verba, *Si momorderit ſerpens non eſt amplius hæbenti linguam:* vbi habet tritum illud, *Si erubeſcat, ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina, non curat.*

Hieron.

35. Chryſoſt.

Denique ſæculo quinto Chryſoſtomus initio homiliæ 30. in Geneſim, hortatur populum ad diligentem & puram confeſſionem peccatorum faciendam in fine Quadrageſimæ, quo tempore concionem illam ſe habere ſignificat: & hom. 20. *Qui hæc fecit, inquit, ſi voluerit, vt decet, vti conſcientiæ adiumento, & ad confeſſionem facinorum feſtinare, & medico oſtendere vlcus quod curet, & non exprobret, atque ab illo remedia accipere, & ſolici loqui, nulle alio conſcio, & omnia dicere cum diligentia, facilè peccata ſua emendabit. Confeſſio enim peccatorum, abolitio etiam eſt delictorum.* Et lib. 3. de Sacerdotio cap. 5. *Pater omne iudicium dedit filio. Cæterum video ipſum omne iudicium à Deo filio ſacerdotibus traditum eſſe.* Et paulò poſt, *Quæ faciunt, Deus rata habet ſupernè, & ſeruorum ſententiam Deus confirmat, cum dixerit, Quæcunque remiſeritis* &c. & initio capitis 6. hæc addit, *Corporis lepram purgare, vel vt verius dicam, ne purgare quidem, ſed purgatam oſtendere Iudæorum ſacerdotibus licebat:* alludens ad legem quâ leproſi iubebantur ſe ſiſtere coram ſacerdotibus, vt lepram à lepra diſcernerent, & de eius mundatione iudicarent: *At verò noſtris ſacerdotibus, non corporis lepram, ſed animæ ſordes, non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt:* oſtenias ſibi videlicet, ſicut lepra diſcernenda oſtendi iubebatur.

Auguſtinus verò in Pſalm. 66. longè poſt medium, *Triſtis eſto*, inquit, *antequam confitearis: confeſſus exulta: iam ſanaberis.* Quódque loquatur de confeſſione non ſoli Deo facta, ſed etiam ſacerdoti, oſtendunt verba quæ immediatè ſequuntur: *Non confitentis conſcientia ſaniem collegerat, apoſtema tumuerat, cruciabat te, requieſcere non ſinebat: Adhibet medicus fomenta verborum, & aliquando ſecat: adhibet medicinale ferrum* &c. Et tom. 10. hom. 49. ex 50. cap. 3. ante medium: *Si præter uxores veſtras cum aliqua concubuiſtis, agite pœnitentiam, qualis agitur in Eccleſia, vt oret pro vobis Eccleſia. Nemo ſibi dicat, occultè ago, apud Deum ago: nouit Deus qui mihi ignoſcit, quia in corde ago. Ergo ſine cauſa dictum eſt, Quæ ſolueritis in terra ſoluta erunt in cœlo? Ergo ſine cauſa ſunt claues datæ Eccleſiæ Dei? Fruſtramus Euangelium Dei; fruſtramus verba Chriſti. Promittimus quod illa negant* &c. Et homil. 50. cap. 3. & 4. confirmat quod hic ait, peccata vniuerſaliter ſubiicienda eſſe clauibus, id eſt, iudicio & poteſtati ſacerdotum: eorumque efficaciam talem eſſe iuxta Chriſti promiſſionem Matth. 16. & 18. vt quidquid ſoluerint in terra, ſit ſolutum in cœlo. *Implicatus ergo quis tam mortiferis vinculis peccatorum, detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipſas claues Eccleſiæ, quibus ſoluatur in terra, vt ſit ſolutus, in cœlo: & audet ſibi poſt hanc vitam, quia tantùm Chriſtianus dicitur, ſalutem aliquam policeri?* & poſt pauca; *Veniat ad Antiſtites per quos illi in Eccleſia claues miniſtrantur: & tanquam bonus iam incipiens eſſe filius maternorum membrorum ordine cuſtodito, à præpoſitis ſacramentorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum.* Nec refert quod Auguſtinus videtur ibi loqui de pœnitentia publica. Nam illa quoque ad ſacramentalem abſolutionem ordinabatur. Amplius vero confeſſionis ſacerdotalis neceſſitatem cõfirmat Author libri 2. de Viſitatione infirmorum apud eundem Auguſtinum tomo 9. cap. 9. illius libri, his verbis: *Sunt quidam qui ſufficere ſibi ad ſalutem autumant ſi ſoli Deo, cui nihil occultum eſt, quem nullius lateat conſcientia, ſua confiteantur crimina. Nolunt enim, aut erubeſcunt, ſine dedignantur oſtendere ſe ſacerdotibus, quos tamen inter lepram & lepram diſcernere per legiſlatorem conſtituit Dominus. Sed nolo vt ipſa decipiaris opinione, quatenus confundaris confiteri coram Domini Vicario, tabeſcent præ rubore, vel cruciatus præ indignatione. Nam ipſius humiliter ſubeundum eſt iudicium quem Dominus ſibi non dedignatur vicarium.*

36. Auguſt.

Eodem ſæculo S. Leo Magnus Epiſt. 91. ad Theodorum Foroiulienſem Epiſcopum, non multò poſt initium, ſic habet

37. Leo.

Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subuenit humanis, vt non solùm per baptismi gratiam, sed etiam per poenitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ: vt qui regenerationis donum violassent, proprio se iudicio condemnantes, ad remissionem criminum peruenirent. Sic diuinæ bonitatis præsidiis ordinatis, vt indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum homo Christus Iesus hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, vt & confitentibus actionem poenitentiæ darent: & eadem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum, id est, corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, *per ianuam reconciliationis admitterent.* Hæc omnia satis superque ostendunt id quod probandum suscepimus: agnouisse Patres ritum poenitendi constantem humili confessione poenitentis, & absolutione sacerdotis, fuisse à Christo institutum; habereque vim iustificandi, sicut baptismum.

SECTIO IV.

Idem rationibus confirmatur.

38. Primaratio. Tertul. Pacian. Hieron. Leo.

His Scripturæ & Patrum authoritatibus accedit denique ratio congrua, insinuata à Trident. sess. 14. cap. 1. Tertulliano lib. de Poenit. capite 7. Pacian. epistola tertia ad Sempron. Hieronym. epistola 65. ad Pammach. & Oceanum, & Leone Magno epistol. 91. ad Theodorum. Cùm enim magna sit in hominibus, etiam baptizatis, ad peccandum procliuitas: & ad peccati remissionem, vi perfectæ contritionis procurandam, sit difficultas, & duritiei magna: neque minus sit periculi in peccatis post baptismum commissis, quàm in iis quæ Baptismum præcedunt: conueniens fuit clementiæ diuinæ, Christique meritis infinitis, vt sicut peccatis baptismum præcedentibus per baptismi Sacramentum prouidit, cuius vi, sine dispositione aliunde sufficienti ad iustificationem, liberamur ab illis: sic & peccatis post baptismum commissis prouideret, quæ ordinariè multò plura & maiora sunt, & æternæ damnationi magis obnoxia. Ac nisi Deus ita prouidisset: expediret baptismum vsque ad finem vitæ differri. Quod tamen est contra praxim Apostolorum, qui ad baptismum ipso initio conuersionis accipiendum hortabantur, tuncquè re ipsa conferebant: vt videre est Actorum secundo, versu trigesimo octauo, & capite decimo, versu quadragesimo octauo, aliisque locis. Quod autem respondent Caluinistæ aliqui hoc argumento pressi, peccata post baptismum commissa deleri per ipsius memoriam, id est, per ipsum moraliter existentem in recordatione, refutabitur sect. seq. Dicere verò nequeunt Christũ peccatis illis prouidisse per sacramẽtum Eucharistiæ. Nam Eucharistia supponit ea esse remissa. Est enim per se instituta non ad dandam, sed ad alendã vitam spiritalẽ. Similiter Ordo, & si quod aliud sacramentum admittunt Nouatores, supponit per se gratiam, & remissionem peccatorum mortalium in recipiente. Quare Christus non prouidit de facili remedio peccatis post baptismum commissis, si Sacramentum poenitentiæ non instituit.

39. Secunda ratio.

Secundò, decuit etiam paternam Dei curam & prouidentiam salutis nostræ, vt sicut in vita naturali & corporea perficitur homo primùm quidem in ordine ad se quintupliciter: natiuitate, incremento, alimento, curatione à morbis, & corroboratione, seu consummatione perfectæ sanitatis: deinde dupliciter in ordine ad communitatem, quæ & à Superioribus gubernanda, & coniugali propagatione conseruanda est: ita septupliciter naturam gratiæ subsidio iuuaret, & ad finem supernaturalem proueheret: institutis totidem Sacramentis, quæ septuplici necessitati naturali, proportione quadam respondeant. Baptismus quidem, natiuitati: Cõfirmatio incremento: Eucharistia alimento: Poenitentia curationi: Extrema vnctio corroborationi, & consummationi perfectæ sanitatis: Ordo regimini communitatis: & Matrimonium, coniugali multiplicationi. Quæ ratio traditur à Florent. in decr. §. *Horũ quinque prima*, & à D. Thõ. q. 65. art. 1. & 2.

40. Tertia ratio.

Tertiò denique, vt ad hominem argumentemur, contra Nouatores: cùm iuxta Caluini doctrinam lib. 4. Instit. cap. 14. num. 10. Sacramentum nihil aliud sit, quàm èxternum Symbolum, quo beneuolentiæ erga nos suæ promissiones conscientiis nostris Deus obsignat, ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem; & nos vicissim pietatem erga eum nostram, tam coram eo & Angelis, quàm apud homines testamur: negare non possunt Caluinistæ, quin secundum hanc definitionem, quam aliis reiectis Caluinus simplicem & propriam esse affirmat, poenitentia, æquè ac baptismus, Sacramentis annumeranda sit. Nam poenitentiam esse externum symbolum patet ex dictis suprà, & fatetur ipse Caluin. lib. 3. Instit. cap. 4. n. 12. & 14. alibique sæpius, quoties eam appellat nomine confessionis, & absolutionis à Pastoribus datæ, aut denunciatæ. Inesse verò illi promissionem beneuolentiæ diuinæ, quæ signo illo externo nobis obsignetur, patet ex illis Christi verbis, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: neque id diffitetur Caluin. vbi suprà, & lib. 4. cap. 1. num. 22. Institutã verò fuisse ad sustinendam fidei nostrę imbecillitatem, & vicissim ad testandam nostram in Deum pietatem, liquet manifestè ex comparatione illius cum Baptismo. Quemadmodum enim ille, qui baptizatur, audiens Christi ministrũ dicentẽ eius nomine, *Ego te baptizo, &c.* hoc symbolo externo diuinę promissionis & beneuolẽtię fidẽ suam cõfirmat, & spem erigit: suamque vicissim erga Deum pietatem, coram eo, & Angelis, hominibusque profitetur, cùm ipsius familię aggregari se velle ostendit, & inter Dei filios,

Comparatio Baptismi & Pœnit.

Christique membra connumerari. Sic pœnitens, cùm audit Christi ministrum eius nomine dicentem, *Absolvo te à peccatis*, non minùs illo signo externo diuinæ promissionis, & reconciliationis cum peccatoribus corroboratur in fide, & erigitur in spē veniæ obtinendæ: Suamque vicissim erga Deum pietatem coram eo, Angelis, hominibusque testificatur, quando veræ pœnitentiæ signa & opera exhibens, absolutionem petit à Christi ministro, ostenditque cupere se ex animo cū Deo reconciliari, & eius mandatis deinceps adhærere. Perperam verò respondent Caluinistarum aliqui, pœnitentiam sacramentum quidē esse, sed idem cum Baptismo. Nam Sacramenti vtriusque ritus diuersus est, & potestas diuersa, vt ostendemus sect. sequenti: & baptismus iterari non potest, cùm tamen pœnitentia iterabilis sit. Ac demum SS. Patres apertè hæc duo sacramenta distinguunt, vt Tertul. Hieron. Ambros. locis relatis sect. 3. num. 34. aliique plurimi, quos citat Bellarm. lib. 1. de Pœnit. cap. 10.

41. Peccata post baptismum non sunt irremissibilia.

Neq; verò Deus baptizatorū peccatis, mortalibus licet, & grauioribus, sic irascitur, vt nullus pateat locus reconciliationi: quemadmodum falsò à Montanistis, & Nouatianis creditū fuisse testatur D. Hieron. lib. 2. cōtra Vigilantium cap. 2. Alioqui differendus esset baptismus vsque ad finē vitæ, neq; priùs nisi temerè susciperetur in tanta incertitudine perseuerandi sine lethali peccato. Deinde frustra Petrus actor. 8. Simonē Magum, iam baptizatum, ad pœnitentiā hortatus esset de graui scelere post baptismum admisso. Frustra Paulus 1. Corinth. 5. & 2. Cor. 7. & 12. alibique passim Corinthiū Fornicarium, & alios Christianos, ad pœnitentiā & salutem quærendā impulisset. Frustra Christus Matth. 6. præcipiēs omnibus, etiam baptizatis & Christianis, vt sic orent, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, remissionis effectum promisisset, si modò nos aliis dimiserimus.

42. Explicatur locus Apost. Hebr. 6.

Neque is erat sensus duorū Pauli testimoniorum, quibus Montanistæ & Nouatiani abutebātur. Primum habetur Hebræor. 6. v. 4. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonū Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes.* Secundum habetur cap. 10. eiusd. epist. v. 26. vbi sic ait: *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio iudicii, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios.*

43. Chrysost. Theodor. Oecum.

Quorum Pauli verborum sensus est, impossibile esse semel illuminatos, id est, baptizatos, rursus renouari ad pœnitentiam, id est, iterū baptizari, vt exponunt Chrysost. Theodoret. Oecum. & Theoph. in eundē locū, vel ad cap. 5. epistolæ 1. ad Corinth. D. Thom. q. 84. art. 10. ad 1. & apud August. tom. 4. Auctor libri de vera & falsa pœnit. cap. 3. post med. vbi diserte asserit renouari ad pœnitentiam hoc loco idem esse, quod iterum baptizari: & addit paulò post: *Sicut enim semel Christus crucifixus est: sic baptismus iterandus non est. Vna enim morte sua omnes redemit, vt amplius iam eum mori non oporteat. Quod videns Ecclesia, intellexit non iterandum baptismum.* Huic expositioni fauet, quod Paulus dicit, velle ita renouari ad pœnitentiā idem esse, ac velle quodāmodo Christū rursus in semetipso crucifigere. Quia scilicet quicunque baptizantur in Christo Iesu, in morte ipsius baptizantur & consepeliuntur cum illo per baptismū in mortem, complantati similitudini mortis eius, vt ait idem Apost. Rom. 6. v. 3. & seq. Fauet etiam quòd initio capitis illius 6. ad Heb. loquitur de pœnitentia ante baptismū: quòdque ait, non esse sibi scribēdum de doctrina baptismatum. Significans Iudæos in eo esse errore, vt existimarent baptismata in lege noua, sicut in veteri, posse iterari. Nec obest huic interpretationi pœnitentiæ vox, renouationi à Paulo coniuncta, cùm ait, impossibile esse eos *renouari ad pœnitentiam*. Nā in baptismo adultorū, qui actu peccauerunt, pœnitentia quædam est: virtus scilicet aliqua pœnitentiæ, quatenus debent dolere de peccatis commissis, vt baptismi Sacramentū recipiant: iuxta illud Actor. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum.*

44. Exponitur alter. locus ex Hebr. 6.

Eodemque sensu voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis non relinquitur hostia pro peccatis, hoc est, alia Christi mors, quæ per baptismum repræsentetur iterum, & applicetur ad integrā remissionem culpæ totius & pœnæ. Sed relinquitur terribilis quædam expectatio iudicii &c. siue agamus pœnitētiā de peccatis illis post baptismum commissis, siue non. Nam etiam in eiusmodi pœnitentia exerceretur iudicium: neque remittitur tota pœna, vt in baptismo: sed ordinariè pars illius supereſt, soluenda pœnis tēporalibus huius vitæ, vel ignis purgatorii æmulatione, quæ aduersarios consumptura dicitur, id est, valde afflictura. Neque enim siue damnati, siue alii, qui ob peccata punientur, consumentur omnino, sed affligentur grauiter iuxta cuiusque meritum.

45. Potest etiam Paulus vtrobique intelligi nō de quibusuis peccatoribus, sed de maximis & ingratissimis: e. g. de Apostatis, post multa Dei dona eximia à fide desciscētibus: quos impossibile est, id est, valde difficile, & vix vnquam contingēs, renouari ad pœnitentiā, id est, dolere de peccatis sicut oportet, ab illisque resurgere; & cum Deo reconciliari: vt post Anselmū, Lyran. Hugonem, Dionys. Chartus. & Titelman. exponunt Vasq. & Cornel. ad locū Pauli cit. Videtur etiā Paulus loqui in secundo loco de Iudeis vacillantibus in fide, volētibusque legem Mosis & Christi coniungere; asserereque id genus hominibus nullam iam restare hostiā pro peccato. Quia neq; deficientibus à Christo ad Moisen iam prodest: Neque etiā illa, quæ offerebatur

Digitized by Google

in lege veteri, quippe quæ iam abolita eſt per legem Chriſti: vt rectè ait Aegid. Coninc diſp. 2. de Pœnit. dub. 1. num. 12.

SECTIO V.

Soluuntur Hæreticorum argumenta in contrariũ.

46. CONtra doctrinam præcedentem tria præcipuè opponuntur à Nouatoribus, poſt Kemnicium in exam. Trid. ſeſſ. 14. cap. 1. & can. 1. quæ fuſiùs exponit & refutat Bellar. lib. 1. de Pœnit. cap. 11. Primum eſt, quòd ad omne Sacramentum requiratur verbum, & elementum aliquod à miniſtro adhibitũ, iuxta illud Auguſt. tract. 80. in Ioan. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Secundò, quòd pœnitentia non fuerit ſacramentum ante aduentum Chriſti: neque etiã nunc iis, qui nondum ſunt baptizati, ex doctrina Trid. ſeſſ. & cap. cit. Non eſt autem alia pœnitentia vſurpanda poſt Baptiſmum, quàm ante, vel quàm fuerit olim ante Chriſti aduentum: iuxta illud Pauli Actor. 26. v. 20. *Annunciabam vt pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum, digna operâ pœnitentiæ facientes.* Et paulò poſt; *Auxilio adiutus Dei vſque in hanc diem ſto teſtificans minori atque maiori, nihil extra dicens, quàm ea, quæ Prophetæ locuti ſunt futura eſſe, & Moiſes.* Ex quibus verbis ſic argumentantur: Pœnitentia, quam Paulus annunciabat, non erat ſacramentum: quia non erat alia, quàm quæ à Moiſe, & Prophetis annunciata fuit. Ergo pœnitentia, quæ nunc eſt nobis vſurpanda, non eſt ſacramẽtum. Quia non alia nobis eſt vſurpanda, quàm quæ à Paulo annunciata & commendata fuit. Tertiò, quia nuſquam eſt in Scriptura pœnitentię Sacramentum. Nam ſicubi eſſet, maximè Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata* &c. At longè alius eſt ſenſus horum Chriſti verborum; nempe iſte: *Quorum remiſeritis peccata*, id eſt, quibus annunciatione Euangelij proponetis gratiæ promiſſionem, vt illam fide apprehendant, atque adeò quibus remittetis eatenus peccata; *remittentur eis. Et quorũ retinueritis retenta ſunt*: id eſt, quos propoſitâ irâ Dei, & ſeueritate legis, ob illorum impœnitentiam terrebitis, oſtendetiſque eos manere irretitos peccatis, & obnoxios iræ Dei: iis peccata non remittentur. Hanc autem ſuam expoſitionem confirmant primò, quia Chriſtus ante illa verba, *Quorum remiſeritis peccata*, dixerat: *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos.* Chriſtus autem non fuerat miſſus ad peccata remittẽda per ſacramentum pœnitentiæ; ſed per annunciationẽ Euangelii pacis, & anni placabilis, vt Iſaias prædixerat cap. 61. v. 2. Ergo nec Apoſtoli miſſi aliter fuerunt ad remittenda peccata. Secundò, quia idem eſt ſenſus horum Chriſti verborum *quorum remiſeritis peccata* Ioan. 20. & iſtorum Luc. 24. *Oportebat Chriſtũ pati, & reſurgere à mortuis, vt prædicaretur in nomine eius pœnitentia, & remiſſio peccatorum in omnes gentes.* Tertiò, quia non aliter olim, in lege veteri, Dei miniſtri & Prophetæ peccata remittebant: vt Nathan Dauidi 2. Reg. 2. Alia quæ opponũt, vel leuiora ſunt, vel alter. loci.

Auguſt.

47. Ad primum Reſpondeo D. Auguſt. ibi non loqui de ſacramento quolibet, ſed de baptiſmo tantùm, vt ex textu manifeſtum eſt. Sic enim habet: *Quare non ait, Mundi eſtis propter baptiſmum, quo loti eſtis; ſed ait, propter verbum quod locutus ſum vobis: niſi quia & in aquâ verbum mundat? Detrahe verbum, & quid eſt aqua, niſi aqua? Accedit verbum ad elementum & fit ſacramentum etiam ipſum, tanquã viſibile verbum.* Reſpondeo ſecundò, ſi dictũ illud Auguſt. extendatur per ſimilitudinem quandam ad alia nouæ legis ſacramenta; non debere ſumi elementum ſtrictè & propriè: alioqui nequidem Euchariſtia eſſet ſacramentum: Nam panis & vinũ, quæ ſunt ipſius materia, non ſunt elementum ſtrictè & propriè: ſed debere ſumi pro aliqua re vel operatione ſenſibili, in qua inchoatur ſacramentũ, quod accedentibus verbis à miniſtro ritè prolatis perficitur eſſentialiter. Cuiuſmodi eſt in hoc ſacramẽto confeſſio facta cum ſignificatione doloris animi, & propoſito ſatisfaciendi.

Soluntur primum argum. eorum.

48. Ad ſecundũ: Nego non aliã pœnitentiã eſſe nobis vſurpandã poſt baptiſmum, quàm ante vel quàm olim in lege veteri. Paulus autem ſi Iudæis iam annunciauerat quæcũque à Chriſto inſtituta & mandata fuerant, illudque ipſius præceptum iam impleuerat, *Docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis*, Matth. 28. ſanè aliam pœnitentiam annunciauerat, quàm quæ olim in vſu fuerat: vt de baptiſmo fatentur aduerſarii. Non tamen aliam, quàm quæ à Moiſe & Prophetis prænunciata fuerat & prædicta, implicitè ſaltẽ & in genere, quatenus de futuro legiſlatore & Teſtamẽti noui inſtitutore prædixerant. Vt taceam figuris variis ſacramentũ pœnitentiæ adumbratum fuiſſe; vt Gen. 3. & 4. v. 9. Leuit. 23. v. 2. Nũ. 5. v. 6. & 2. Reg. 12. v. 13. Hæc ſi ſectariis nõ ſufficiant, velintque nihil à Paulo annũciatũ fuiſſe quod expreſsè à Moiſe & Prophetis prędictum non fuiſſet: animaduertant ſe eodem argumento impugnare baptiſmum, aliaque plurima fidei Chriſtianæ myſteria. Vbi enim in lege veteri expreſsè fuit prænunciatũ fore vt homines abluerentur ſacramentaliter in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti? Animaduertant quoque nuſquam fuiſſe expreſsè prænunciatũ pœnitentiæ genus quod ipſi vſurpant, ſiue cùm publicè pro concione iubẽt ſuos propalare peccata à ſe admiſſa: ſiue cùm priuatim ad miniſtros accedunt, vt illorum miniſterio annunciandi Euang. remiſſionem peccatorũ obtineant: iuxta Caluini inſtitutionem lib. 3. cap. 4. nu. 12. & 14.

Diluitur ſecundum.

49. Ad tertium, Reſpondeo ſi de nomine ſermo ſit, vel de formali expreſſione omniũ ad Sacramentũ neceſſariorum: ne id quidem de baptiſmo expreſſum eſſe. Vbi enim in Scripturis expreſſũ eſt baptiſmũ eſſe Sacramẽtũ, aut quòd cõſtare debeat ablutione cum vocali prolatione horum verborũ, Ego te baptiſo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſã-

Tertium argum. refellitur.

Digitized by Google

cti: Licet enim dixerit Christus Apostolis vt baptizarent in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: Id tamen sola intentione in mente retentâ, & verbis non expressâ, facere poterant. Neque vspiam alibi expressè dictum est, debere voce fieri: sed ad summum per consequentiam deducitur ex Act. 19. v. 2. & 3. vt alibi ostendimus. Et iam vel ipsorum sectariorum consensu fallum est, nihil esse fide diuina credendum, nisi expressè cõtineatur in Scriptura. Quomodo autem Sacramentum Pœnitentiæ, non minùs quàm Baptismi, ex ea deducatur, supra ostensũ fuit. Sensus autẽ, quem ipsi affingunt Christi verbis Ioan. 20. ab ipsorum proprietate longè alienus est. Nam manifestè aliud est, simpliciter & propriè peccata remittere, vel retinere; & aliud annunciare Euangeliũ, & proponere gratiæ promissionẽ, vt per fidem apprehendatur. Vbi ergo illa puritas verbi Dei quã tantopere iactant, & nihil minùs colunt?

Ad primam confirmationem, dico missionem Christi à Patre & missionem Apostolorum à Christo, non esse in omnibus similes aut æquales: sed in genere tantùm: Quòd sicut Christus legitimè fuit à Patre missus; sic & Apostoli à Christo, non autem cum eadem omnino potestate, aut eodem omni modo. Alioqui cur non potuissent Apostoli Sacramenta alia instituere, & alia omnia facere quæ Christus fecit? Simili autem argumento probarent hæretici ne ad baptizandum quidem missos fuisse Apostolos: eoquè efficacius, quia de Christo expressum est Ioan. 4. quòd ipse neminem baptizaret: non est autẽ expressum quòd Sacramentum Pœnitentiæ nemini administrauerit. Cuius administratio & institutio Isaiæ verbis & anni placabilis annunciationi non magis repugnat, quàm institutio & administratio baptismi, ac Eucharistiæ, & aliorum mediorum salutis. Neque Isaias cùm vnum dicit, excludit alterum non repugnans, sed optimè cohærens.

50. Inepta hæreticorum interpretatio potestatis remittendi peccata.

Ad secundam confirmationem, Nego eundem esse sensum vtriusque loci, vt ex vtriusque collatione satis liquet. Ad tertiam, nego in primis par esse, aut in omnibus simile ministrorum legis veteris, & nouæ officium. Nego deinde vsquam in lege veteri peccata per Prophetas aut alios Dei ministros fuisse remissa. Neque id de Nathan dicitur loco Regum citato: sed tantùm quòd Dauidi peccatum suum agnoscenti sic denunciauerit spiritu prophetico: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris, &c.* Nusquam autem in tota lege veteri ostendent hæretici dictum fuisse, *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* sed Apostolis, & eorum successoribus hoc priuilegium fuerat reseruatum; quod tamen mirum est, quàm sua illa expositione vanum & ridiculum reddant. Nam si nihil aliud Apostolis fuit concessum, quàm vt Euangelium annunciarent, & promissionem gratiæ in eo contentam, quam audientes per fidem apprehenderent: primò quilibet de plebe Christiana, imò etiam de Turcis & infidelibus, atque etiam de Dæmonibus, si velit, id faciat. Possunt enim illi Euangelicas promissiones proponere & annunciare, sicut annunciabant Christum esse filium Dei Matth. 8. v. 29. Marc. 5. v. 7. Luc. 4. v. 41. Possunt quoque homines fide apprehendere id quod illi annunciant, quòdq; verè in Euãg. habetur & cognoscitur esse dignum assensu fidei. Quod certè negare non possunt aduersarii, cùm sciant duos è præcipuis suæ reformationis auctoribus, Lutherum in lib. de Missa priuata, & Zuinglium in lib. de Subsidio Eucharistiæ, scribere se à spiritu, albo an atro dicit se nescire Zuinglius, & à Diabolo, vt ingenuè fatetur Lutherus, quædam fuisse edoctos circa veritatem Eucharisticam, & Missæ Sacrificium. Secundò quis dicat præconem absoluere reos, quãdo tantùm Regis promissionem annunciat, quâ Rex illis pœnitentibus indulgentiã promittit? Quis etiam dicat præconem retinere tũc in vinculis eos, qui audita tali denunciatione, vel pœnarum comminatione nisi resipiscant, non confugiunt pœnitendo ad Regis indulgentiam? Tertiò, Apostoli iam longè antea potestatem Euangelii annunciandi acceperant & exercuerant, vt patet ex Luc. 9. v. 1. & sequent. Ergo aliquid aliud accipiunt à Christo Ioan 20. Maximè verò cùm in illa potestate conferenda Christus sit vsus noua speciali, & extraordinaria cerimonia, insufflans in Apostolos, & dicens, *Accipite spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata &c.* Imò potestas annunciandi promissiones diuinas ad peccatorum reconciliationẽ pertinentes, non est speciale legis Euangelicæ, aut sacerdotum eius priuilegium: cùm sacerdotes & Prophetæ antiquæ legis eam habuerint. Et tamen Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio cap. 6. aliique Patres affirmant potestatem datam Ioan. 20. fuisse singulari priuilegio concessam Apostolis eorumque successoribus: ac per illam sacerdotes Euangelicos longè antecellere Mosaicis. Quartò, falsum est remissa esse peccata, quibuscũque illi Euangelium, & gratiæ promissionem annunciant, vt eam per fidem apprehendant. Multi enim quibus annunciatur, non credunt. *Qui autem non crediderit, condemnabitur.* Matthæi decimo sexto. Quòd si addunt peccata illis non esse remissa, nisi credant, & gratiæ promissionem ac iustitiam Christi per fidem apprehendant, quâ iustitiâ sibi imputatâ tegantur ipsorum peccata, sic enim de iustificatione philosophantur: Dico non omnes, quibus annunciant Euangelium sic apprehendere: & illis ipsis qui apprehendunt, non posse ministros certò, & infallibiliter annunciare peccata illis esse remissa, nisi nouerint gratiæ promissionem & iustitiam Christi ab illis apprehendi. Vnde autem id norunt? An ex diuina reuelatione? Vbinam illa est? An ex ipsorum credentium manifestatione? Priùs ergo id ipsimet norunt, quàm ministri hoc illis denuncient: & ipsi non à Pastoribus hoc dis-

cunt, ſed Paſtores ab ipſis. Prius ergo, vt rectè ait Aegid. Con. diſp. 4. num. 20. debent interrogare fraterculos, credantne certiſſimè peccata eſſe remiſſa, ſiue (quod idem apud illos eſt) apprehendantne per fidem iuſtitiam Chriſti quâ teguntur ipſorum peccata? vt illis affirmantibus, denuncient & dicant: ego igitur denuncio ea vobis eſſe remiſſa. Proinde ac ſi cœcus quiſpiam Petrum interrogaret, videſne diem eſſe? illoque affirmante, adderet: Ergo certiſſimè ſcias diem eſſe. Quod quàm ineptum ſit, nemo non videt.

Neque minùs ineptum eſt quod aiunt, remiſſionem peccatorum promiſſam Ioan. 20. intelligendam eſſe de remiſſione per baptiſmum. Faciunt enim vt Chriſtus præpoſterè, quod abſit, promiſerit Matth. 16. & 18. id quod iam antea conceſſerat: cùm ex Ioan. 3. & 4. conſtet Apoſtolos longè antea baptizaſſe, viuo adhuc Ioanne Baptiſta, cuius mors narratur Matth. 14. & conſtituunt Apoſtolos iudices eorum, quæ extra Eccleſiam facta ſunt à non baptizatis, de quibus ipſimet affirmant iudicare ſe non poſſe. *Quid enim mihi de iis qui foris ſunt, iudicare?* inquit Paulus 1. Corinth. 5. Et poteſtatem clauium priuilegio ſingulari, & cum magna ſpecialique cerimonia Ioan. 20. v. 22. Apoſtolis conceſſam, extendunt ad omnes, viros æquè ac fœminas, ad quos pertinet poteſtas baptizandi validè, atque interdum etiam licitè. Nam quod laici poſſint etiam licitè baptizare in caſu neceſſitatis, conſtat ex vſu & ſenſu antiquæ Eccleſiæ apud Tertull. lib. de Baptiſmo, cap. 17. & Hieron. in Dialogo aduerſus Luciferian. Adde quòd poteſtas Ioan. 20. conceſſa debet extendi ad peccata poſt baptiſmum commiſſa, ita vt poſſint vi illius remitti aut retineri. Atqui non poſſunt per baptiſmum remitti vel retineri peccata, quæ poſt ipſum committuntur. Ergo verba Chriſti Ioan. 20. debent neceſſariò intelligi de quadam alia poteſtate. Maior admittitur ab aduerſariis: & confirmatur, quia verba Chriſti generalia ſunt, & non debent gratis limitari ad ſola peccata baptiſmum præcedentia. Imò non poſſunt verè ad ea pertinere: cùm de illis Eccleſia iudicare non poſſit, vt ait Apoſt. verbis ſupra relatis: & poteſtas ibi data iudicialis ſit, vt ſuperiùs oſtendimus. Minor autem probatur, quia planè abſurdum eſt, quod reſpondent hæretici hoc argumento preſſi, peccata, quæ poſt baptiſmum committuntur deleri per memoriam illius. Quod etiam docet Caluin. lib. 4. Inſtitut. cap. 15. num. 3. & 4. vbi dicit, non eſſe exiſtimandum, Baptiſma in præteritum dumtaxat tempus conferri, vt nouis lapſibus in quos à Baptiſmate recidimus, cuærenda ſint alia noua expiationis remedia, in aliis neſcio quibus ſacramentis quaſi ipſius vis obſoleta eſſet &c. Sic autem cogitandum eſſe, quocunque Baptizemur tempore, nos ſemel in omnem itam ablui & purgari. Itaque quoties lapſi fuerimus, repetendam eſſe Baptiſmi memoriã, & hac armandum animum, vt de peccatorũ remiſſione ſemper certus ſecuruſq; ſit.

§ 2. Poteſtas remittendi peccata per pœnitentiã differt à poteſtate remittendi per Baptiſ.

Tertull. Hieron.

Nam contra: Primò, poteſtas data Ioan. 20. eſt ad retinendum, æquè ac ad remittendum. Quomodo autem poſſunt Apoſtoli eorũque ſucceſſores retinere peccata hoc ſenſu, id eſt, impedire ne baptizati recordentur ſui baptiſmi? Secundò, vt memoria baptiſmi habeat vim remittendi peccata poſt ipſum commiſſa, oportet Chriſtum hoc inſtituiſſe. At nuſquam eſt in Euangelio talis promiſſio: neque eſſe expedit: quia eſſet promiſſio omnis licentiæ & impunitatis, bonis moribus aduerſa. Quaſi verò Chriſtus venerit non ad deſtruendum, ſed ad fouendum & amplificandum regnum peccati. Tertiò, Paulus ad Hebr. 6. v. 4. 5. & 6. docet impoſſibile eſſe ſemel illuminatos poſſe rurſus ad pœnitentiam renouari, id eſt, iuxta ſenſum plurimorum Patrum apud Cornel. ibid. & Bellarm. lib. 1. de Pœnit. cap. 13. impoſſibile eſſe ſemel baptizatos poſſe per baptiſmum reſurgere à peccatis poſt ipſum commiſſis. Quod fallum eſſet ſi baptiſmi memoria vim haberet remittendi peccata poſt eum commiſſa. Neque reſpondeant hæretici ſenſum Apoſtoli eſſe, quòd non poſſimus per baptiſmum iterum ſuſceptum reſurgere ab huiuſmodi peccatis: ſecùs autẽ per ipſius memoriam. Nam hæc interpretatio eſt manifeſtè contra intentionem Apoſtoli, qui ſic loquitur, vt nos à talibus peccatis abſterreat, tanquam remiſſu difficilioribus. At hoc non eſſet ſi poſſent deleri per memoriã baptiſmi. Quia hic delendi modus facilior eſſet & ſimplicior, quàm primus: facilius enim eſt recordari baptiſmi, quàm baptiſmum actu ſuſcipere. Quartò denique, SS. Patres vtramque poteſtatem, & duo illa Sacramenta Baptiſmi & Pœnitentiæ clariſſimè diſtinguunt. Vt Tertull. Ambroſ. & Hieron. locis ſect. 3. relatis, & alii plures apud Bellarm. lib. 1. de Pœnit. cap. 10. Quòd autem Baptiſmus, qui nequit iterari, aut eius recordatio, ſufficiat ad tollenda peccata poſt ipſum commiſſa, vt hæretici dicunt; non modò nuſquam à Chriſto promiſſum eſt, ſed neque ab Apoſtolis verbo aut exemplo traditum circa Simonem magum, vel Corinthium fornicarium, & circa ſimiles, neque ab vllo ſanctorum Patrum aſſertum.

§ 3. Baptiſmus non delet peccata poſt illum commiſſa.

Cornel. Bellarm.

Nam quod obiiciunt ex Auguſt. lib. 1. de nuptiis cap. 23. alium ſenſum habet: videlicet, quòd Baptiſmus valeat aliquatenus ad omnia peccata remittenda, quatenus tollit omnia ipſum antecedentia, & aptos nos reddit ad cętera tollenda per ſacramentum Pœnitentiæ, vel alia media quorum capaces nos facit. Propter quod addit ibid. *Quid enim prodeſſet vel ante Baptiſmum poenitentia, niſi Baptiſmus ſequeretur: vel poſtea, niſi præcederet?* Idem vero Auguſt. epiſt. 23. ad Bonifacium, & lib. 2. de adulterinis coniugiis cap. 16. aliiſque locis, & alii Patres ſect.

§ 4. Auguſt.

3. citati manifestè requirunt longè diuersum remedium à memoria Baptismi, pro peccatis quæ post ipsum commissa sunt: nimirum confessionem illorum & remissionem per sacerdotem obtentam. Cur autem Baptismus Sacramentum pœnitentiæ interdum vocetur, vt à Fulgent. lib. de fide ad Petrum cap. 30. ratio est, quia actus aliquis virtutis pœnitentiæ necessarius est ad legitimam illius susceptionem, respectu adultorum qui mortaliter peccarunt, antequam baptizentur, vt colligitur ex Act. 2. v. 38.

DISPVTATIO QVADRAGESIMA SECVNDA.

De Natura Sacramenti Pœnitentiæ.

Sectio I. *Quæ sit huius Sacramenti materia & forma?*
Sectio II. *Refutantur duæ opiniones contrariæ.*
Sectio III. *Aliæ sententiæ nobis oppositæ refelluntur.*
Sectio IV. *Vtrum impositio manuum requiratur ad hoc Sacramentum.*

DE natura Sacramenti Pœnitentiæ disputat. S. Thom. q. 84. a. 2. 3. & 4. Docetque primò, materiam remotam huius sacramenti esse peccata Pœnitentis, dolentis, confitentis, & satisfacientis. Secundò, conuenientem formam huius Sacramenti hanc esse, *Ego te absoluo*, quia Sacramentum hoc perficitur per ea quæ sunt ex parte sacerdotis, quæ idcirco se habent per modum formæ. Verba autem illa proferuntur à sacerdote: optiméque significant effectum huius Sacramenti, qui est solutio à vinculis peccatorum. Tertiò, impositionem manuum non requiri necessariò in hoc Sacramento: quia impositio manuum in Sacramentis Ecclesiæ fit ad designandum aliquem copiosum gratiæ effectum, quo illi, quibus manus imponuntur quodammodo per quamdam similitudinem continuantur ministris, in quibus copia gratiæ esse debet. Et ideo manus impositio fit in sacramento Confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus sancti: & in sacramento Ordinis, in quo confertur quædam excellentia potestatis in diuinis mysterijs. Sacramentum autem Pœnitentiæ non ordinatur ad consequendam aliquam excellentiam gratiæ, sed ad remotionem peccatorum: & ideo ad hoc Sacramentum non requiritur manuum impositio: sicut etiam nec ad Baptismum, in quo tamen fit plenior remissio peccatorum. Hucusque D. Thomas.

Digitized by Google

SECTIO I.

Quæ sit huius sacramenti materia, & forma?

1. DVplex est huius sacramenti materia: remota scilicet, & proxima. Remota sunt peccata commissa à personis baptizatis: vel in baptismo ipso, ponendo obicem eius effectui; vel etiam post baptismum. Proxima, sunt actus pœnitentis: nimirum dolor de peccato, & eiusdem confessio, & pro eo satisfactio: quæ tamen omnia non eodem modo materialiter concurrunt. Forma verò in his aut æquiualentibus verbis consistit, *Ego te absoluo à peccatis &c.*

Forma huius sacramenti, Absoluo te, &c.

Declaratur, & probatur conclusio. Primò, quòd forma sit absolutio sacerdotalis, verbis prædictis expressa, definitum est à Florentino in decreto §. *Forma huius Sacramenti sunt verba absolutionis, quæ sacerdos profert, cùm dicit, Ego te absoluo à peccatis &c.* & à Tridentino sess. 14. cap. 3. his verbis: *Docet præterea sancta Synodus sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipsius vis sita est, in illius ministri verbis positam esse, Ego te absoluo, &c. Quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adiunguntur: ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessaria*, nimirum vt illa priora, *Ego te absoluo, &c.*

Trident.

2. Secundò, Patet huiusmodi verba respicere peccata, tanquam obiectum & materiam circa quam. Absoluunt enim à peccatis, in quæ tendunt vt remouenda & destruenda: sicut medicina versatur circa morbos, aut iudicium forense circa litem dirimendam. Sed non tendunt in peccata, neque illa remouent, nisi priùs per confessionem propriâ ipsius pœnitentis prodita sint, & detestata. Vnde peccata non cadunt sub hanc formam, nisi vt priùs affecta moraliter actibus pœnitentis, dolentis, & confitentis de peccatis: ac proinde remotè tantùm, & mediantibus illius actibus, concurrunt cum forma. Ipsi verò pœnitentis actus, & concurrunt materialiter, vt docent Concilia supra cit. quæ aiunt illos esse quasi materiam sacramenti Pœnitentiæ: & concurrunt non per aliud, sed per seipsos immediatè, constituuntque proximè cum absolutione totum hoc sacramentum per modum cuiusdam iudicii, quod inchoatur in accusatione pœnitentis legitima, quæ est veluti materia; perficiturque per sententiam absolutionis sacerdotalis, quæ est veluti forma. Quare peccata sunt materia tantùm remota, proxima verò sunt actus pœnitentis.

Peccata sùt materia illius remota.

Actus pœnitétis sunt materia proxima.

3. Tertiò, Dixi peccata actualia, vel in ipso instanti quo perficitur baptismus, vel post ipsum commissa: quia nec propter originale peccatum, nec propter actualia ante baptismum commissa institutum fuit hoc sacramentum: vt ostendit vsus Ecclesiæ, quæ talium peccatorum confessionem non admittit: & confirmat Trident. sess. 14. cap. 2. & can. 1. aliisque pluribus locis eiusdé sess. vbi docet hoc sacramentum fuisse institutum *pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis*: non autem pro originali delendo, vel pro actualibus ante baptismum commissis, quæ capite cit. negat ad hoc iudicium pertinere. Peccatum tamen obicis materialis, aut formalis, in ipso instanti baptismi commissum, pertinere ad sacramentum Pœnitentiæ, patet ex dictis disp. 25. sect. 2. Cùm autem inter peccata post baptismum cõmissa quædam sint venialia, quædam mortalia: & inter hæc quædam sint huic sacramento nondum subiecta, alia verò semel aut sæpiùs illi suppositæ: item alia dubia, & alia sint certa: id inter illa discriminis est, quòd mortalia nondum confessa sunt materia necessaria, id est, necessariò subiicienda sacramento Pœnitentiæ, vt disput. sequenti confirmabitur. At venialia, licet nondum confessa, aut mortalia semel confessa & directè absoluta, sunt quidem materia sufficiens: vt de venialibus affirmat Trident. sess. 14. cap. & can. 5. & de vtrisque ostendit frequens piorum & doctorum hominum vsus ab Ecclesia non reprehensus. Non tamen sunt materia necessaria: vt de mortalibus semel confessis docet Benedictus XI in Extrauag. 1. de Priuilegiis: & de venialibus definit Trid. cap. proximè citato. Peccatum verò mortale dubiũ, si verè est in re, est sufficiens materia, non tamen necessaria, si purè dubium sit, vel satis vtrinque probabile, vt alibi fusiùs explicabitur. Sin autem nullum in re peccatum est, tametsi nobis esse videatur: non est materia sacramenti Pœnitentiæ, quippe quod nisi circa peccata exerceri non potest. Vnde colligitur à fortiori, quòd si quis pœnam ex peccatis præteritis & deletis residuam proponeret, non intendendo proponere peccata, ne implicitè quidem, sed separando pœnam à culpa: ille materiam sufficientem non proponeret, neque absolui posset.

Cuiusmodi peccata ad hoc sacramentũ pertineant

Benedict.

4. Dixi præterea, peccata & actus pœnitentis supra dictos non concurrere materialiter eodem modo. Primò enim præter discrimen iam explicatum, quòd peccata concurrant tantùm remotè, actus verò immediatè & proximè: Aliud inter peccata & actus discrimen est, quòd peccata sunt materia circa quam, obiectiua & extrinseca: quia tam actus pœnitentis, quàm sacerdotis absoluentis, versantur tantùm circa peccata, vt circa obiectum & materiam extrinsecam, quæ non componit sacramentum cum forma, sed potiùs per illam remouetur, & destruitur. At verò actus pœnitentis sunt veluti materia physica, ex qua simul cum eius forma sacramentum intrinsecè componitur. Nam cùm hoc sacramentum sit institutum per

Peccata & actus pœnitentis diuersimode se habent ad hoc sacramentũ.

Digitized by Google

modũ actus iudicialis, vt colligitur ex Ioan. 20. v. 22. iuncto Matth. 18. v. 18. & clarius ex Trid. sess. 14. cap. 2. & 5. Sicut enim in foro ciuili & externo iudicio, vnus quidam est actus iudicialis constans ex Rei accusatione & defensione, & ex Iudicis sententia; in quo actu sententia habet quandam rationem formæ perficientis & complentis negotium in accusatione & defensione inchoatum: ita sacramentum Pœnitentiæ est aggregatum quoddam ex actibus pœnitentis Reum & testem contra seipsum agentis, id est, seipsum sincerè accusantis; & per dolorem aptum ad reconciliationem seipsum quodammodo defendentis apud Deum: & ex sententia Sacerdotis absoluentis. In quo actus pœnitentis habent rationem partis imperfectioris & præsuppositæ, adeóque materiæ; actus verò Sacerdotis absoluentis habet rationem perficientis & complentis, adeóque formæ. Et hæc ratio ostendit quidem hoc iudicium sine huiusmodi actibus stare non posse: non tamen sufficit ad ostendendum esse partes intrinsecas sacramenti, nisi addatur institutio Christi. Nam etiam sine cognitione iudicis stare non potest hoc iudicium sacramentale: quippe quæ non minùs est necessaria, quàm accusatio & defensio Rei. Et tamen iudicis cognitio non dicitur esse pars intrinseca Sacramenti pœnitentiæ: non magis quàm intentio Sacerdotis absoluentis, aut Pœnitentis absoluendi, sine qua etiam Sacramentum hoc stare nequit. Summa igitur ratio est institutio Christi per traditionem cognita, & à Conciliis declarata; speciatimque à Florent. in decreto Eugenii, §. *Quartum Sacramentum*, & à Trident. sess. 14. cap. 3. & canon. 4. vbi dicitur actus pœnitentis non tantùm esse materiam, sed etiam esse partes Sacramenti pœnitentiæ, & ad eius integritatem requiri ex diuina institutione. Quod de materia intrinseca intelligendum est. Nam extrinseca neque pars est, neque pertinet ad essentiam, aut integritatem rei.

5. Cur actus dicuntur esse quasi materia?

Nec obest quod vtrumque Concilium dicit tres actus pœnitentis supradictos esse *quasi materiam*; & non simpliciter, *esse materiam*. Hoc enim ait, non quòd verè materia non sint, eo modo, quo in Sacramentis reperitur materia: Sed quia vel materia huius Sacramenti, sicut & aliorum, non est propriè talis, sed analogicè, per quandam proportionem & similitudinem cum materia compositorum physicorum. Vel potius (nam hæc ratio communis est formæ huius Sacramenti, quam tamen eadem Concilia vocant simpliciter *formam*, & non *quasi formam*) communis item est aquæ, respectu Baptismi: & Chrismati, respectu Confirmationis; & pani ac vino, respectu Eucharistiæ; quæ tamen absolutè à Florent. *materia* appellantur, & non *quasi materia*) vel, inquam, potiùs quia nomen materiæ propriè substantiam aliquam significat: & in aliis sacramentis, materia, saltem remota, assignata ab iisdem Conciliis, est aliqua substantia. At actus pœnitentis non sunt substantia, ideóque non dicuntur materia simpliciter, sed quasi materia. Nomen verò formæ propriè sumptum, tam substantialibus, quàm accidentalibus commune est. Ideóque Concilia citata non dicunt absolutionem esse quasi formam. Vel denique quia prædicti actus ex parte contritionis, quæ est insensibilis minùs habent rationem materiæ sensibilis, minusque proportionis ad componendum sacramentum sensibile, cum sensibili forma; quàm aliæ materiæ à Conciliis supradictis commemoratæ, quæ sunt omni ex parte sensibiles. Vnde oritur aliud discrimen inter contritionem, & confessionem, ac satisfactionem: quia confessio, & satisfactio, quæ per se sunt sensibiles (solet enim satisfactio sensibilis imponi, licet purè interna & spiritualis imponi possit in hoc foro interno & diuino, vt alibi dicemus) constituunt per se & immediatè sacramentum Pœnitentiæ in esse signi sensibilis, quâ sensibile est. Secùs autem contritio, seu dolor internus præcisè sumptus, quia sensibilis non est: licet alioqui concurrat immediatè & proximè ad esse sacramenti simpliciter spectatum, quod non debet esse sensibile ex omni parte. Similique modo corpus & sanguis Christi, prout sub speciebus Eucharistiæ indiuisibiliter posita, & consensus internus in Matrimonio, concurrunt quidem ad esse sacramenti, non tamen quà sensibile est, per se proximè & immediatè.

6. Satisfactio non est pars essentialis secus contritio & confessio,

Vlteriùs, inter contritionem & confessionem vna ex parte, & satisfactionem ex alia, est discrimen: quia contritio & confessio non modò sunt intrinsecæ, sed & essentiales. Satisfactio verò est quidem pars intrinseca, sed non essentialis. Nam sacramentum Pœnitentiæ, sine dolore & confessione peccatorum, tanquam intrinsecè inexistentibus, & componentibus cum absolutione, nec potest esse, nec concipi: cùm ex diuina institutione sit actus quidam iudicialis ordinatus ad reconciliationem peccatorum cum Deo: consistens partim in legitima ipsiusmet rei confessione, & accusatione, ordinata & apta ad reconciliationem, qualis non est, si non sit voluntaria & dolori coniuncta: partim in sacerdotis absolutione. Nec dubium est, quin sacramentum Pœnitentiæ sine dolore & confessione prorsus irritum sit. Secus autem sine satisfactione. Nam sine illa sacramentum constare perfectum essentialiter, effectumque primarium infusionis gratiæ, & remissionis peccatorum habere, docet vsus Ecclesiæ, secundum quem absoluuntur pœnitentes, & passim admittuntur ad communionem, ante impletam satisfactionem iniunctam. Ergo censentur ante illam esse iustificati vi sacramenti pœnitentiæ essentialiter perfecti, & effectum remissionis peccatorum adepti, posita confessione dolorosa, & absolutione Sacerdotali. Ex eodemque vsu constat ne iniunctionem quidem, aut ac-

Digitized by Google

ceptationem satisfactionis à sacerdotibus iniunctæ, essentialem esse. Nam sacramentum pœnitentiæ essentialiter constare, & valere censetur, sine satisfactione imposita, vel acceptata, propter obliuionem, aut negligentiam & culpam sacerdotis: neque beneficium absolutionis ei negandum est, cui propter morbum aut mortem præsentem satisfactio iniungi nequit. Ac licet quis per actus contritionis, aut alia bona opera sufficienter satisfeciſſet pro mortali peccato: non propterea liber esset à confessione sacramentali: tametsi liber esset à satisfactione, quandoquidem supponimus abundè iam satisfactum fuisse. Quare satisfactio nec essentialis est, nec planè necessaria.

7. Cur satisfactio est pars integralis?

Est tamen pars materialis integralis: quia sacramentum Pœnitentiæ est iudicium aliqua ex parte vindicatiuum: non essentialiter quidem, sed integraliter: in quo peccata non purè relaxantur, cum remissione totius pœnæ, sed cum aliqua vindicatione & satisfactione, vt docet Trident. sess. 14. cap. 8. vbi ait iustitiæ diuinæ rationem hoc exigere: & debere sacerdotes, quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares & conuenientes satisfactiones iniungere. Et cap. 3. sess. eiusdem, inter partes materiales satisfactionem enumerat: aitque eatenus esse materiam, quatenus ad sacramenti integritatem, plenamque & perfectam peccatorum remissionem requiritur ex diuina institutione: nimirum ad remissionem integram, quoad culpam, & quoad pœnam, si tota nondum remissa, vel persoluta sit. Concurrit autem materialiter satisfactio cum aliis partibus, quatenus cum illis componit vnum perfectum signum integræ remissionis peccati quoad culpam & pœnam. Eiusque iniunctio est verè actus potestatis clauium, & pars sententiæ iudicialis, quanquam non essentialis, nec absolutè aut semper necessaria: sed quasi appendix, aut pars integralis formæ in absolutione essentialiter positæ. Similiterque impletio satisfactionis est executio illius sententiæ, & illius virtute fit: connectiturque cum absolutione sacramentali, quippe quæ datur cum directo ordine, & speciali obligatione ad illam implendam, & exhibendam pro peccatis remissis. Eademque executio satisfactionis connectitur per modum partis materialis, atque informatur quodammodo ab absolutione, quatenus cum illa componit vnum perfectum signum integræ remissionis peccati quoad culpam & pœnam: ab illaque connexione, & informatione morali, peculiarem vim habet & efficaciam satisfaciendi ex opere operato.

8. Qua ratione sit pars sacramenti?

Denique cùm actus pœnitentis duplicem habeant respectum: vnum ad peccata, & alterum ad absolutionem: non sunt materia sacramenti Pœnitentiæ sub priori respectu solùm & præcisè: sed quatenus vt signum imperfectius remissionis peccatorum, referuntur ad formam, velut ad alterum signum partiale expressiùs atque perfectiùs, & aliquatenus per illud complentur, in vi agendi & significandi: seu potiùs cum illa constituunt vnum signum integrum & totale, cuius totius indiuisibiliter est vis significandi & efficiendi. Sub priori autem consideratione sunt potiùs forma quædam extrinseca peccatorum, in quæ tendunt, vt in obiectū, & materiam circa quam. Vnde peccata non sunt tantummodo obiectum & materia circa quam respectu absolutionis: sed etiam respectu actuum pœnitentis, ac totius sacramenti Pœnitentiæ. Actuum quidem pœnitentis per se proximè: remotè autem, formæ absolutionis.

SECTIO II.

Refutantur duæ opiniones contrariæ.

9. Præteritio peccati est ne de essentia sacramenti.

CONtra id quod diximus peccata esse materiam tantùm extrinsecam sacramenti Pœnitentiæ, opinantur aliqui Recentiores, qui volūt præteritionem peccati aliquo modo intrare saltem in obliquo ad constituendum sacramentum Pœnitentiæ. Ratio eorum est, quia quando assignatur pro materia confessio & dolor de peccatis, intelligitur de peccatis veris. Nam peccata ficta non sunt simpliciter peccata. Dolor autem de peccatis veris includit in obliquo ipsa peccata, à quorum præteritione vera denominatur dolor de peccatis veris. Consequens ergo est, quòd ipsa peccata præterita includantur in materia. Hæc illi. Quibus respondeo minorem propositionem non esse veram. Nam dolor de peccatis veris non magis includit peccata verè præterita: quàm visio solis includat solem, quem euidenter impossibile est includi nostra visione, à qua tam longè distat, & quâ immensè maior est. Nomina quidem, quibus significantur huiusmodi actus vitales, supponunt in recto pro ipso actu, & significant in obliquo obiectum actus: totumque nominis illius significatum duo comprehendit, actum scilicet & obiectum. At non propterea actus componitur ex obiecto, neque obiectum ex actu, neque ex vtroque vnum tertium. Sed actus habet tantùm habitudinem transcendentalem ad obiectum, vt ad aliquid extrinsecum; & obiectum denominatur ab actu, vtâ forma extrinsecè denominante visum, cognitum, volitum, nolitum. Potestque actus versari circa aliquid non modò non existens, sed etiam impossibile, ex quo intrinsecè componi ipsum actum, realem & actu existentem, repugnat euidenter.

10. Scotus.

Secundò, Contra id quod diximus, tres actus pœnitentis esse partes materiales huius sacramenti, opinatur Scotus in 4. dist. 14. q. 4. & dist. 16. q. 1. contendens, totam Sacramenti essentiam in absolutione consi-

Digitized by Google

ſtere. Primò, quia tota ſignificatio & efficacia eſt in abſolutione: ergo tota ratio ſacramenti eſt in illa. Secundò, quia niſi tota eſſentia ſacramenti poſita ſit in abſolutione, ſequitur pœnitentem fore miniſtrum huius ſacramenti, quia partialiter concurreret ad eius effectionem. Quod tamen falſum eſt. Totus enim effectus huius ſacramenti eſt à poteſtate clauium, quam pœnitens non habet.

Durand. Durandus verò in 4. diſt. 16. q. 1. fatetur quidem confeſſionem eſſe partem materialem & intrinſecam: Sed negat contritionem eſſe partem materialem; quia non eſt ſenſibilis. Negat etiam ſatisfactionem eſſe partem intrinſecam; quia ſine illa eſt effectus huius Sacramenti, non ſolùm quando per impotentiam aut obliuionem prorſus omittitur: ſed etiam quando poſt abſolutionem differtur, vt communiter fit.

11. Tota ſignificatio & efficacia ſacramenti non eſt in abſolutione.

Sed ad primum Scoti argumentum negandum eſt totam ſignificationem & efficaciam eſſe in abſolutione. Conferunt enim aliquid pœnitentis actus, etſi minùs præcipuè, vt clarè docet Trid. ſeſſ. 14. cap. 3. init. affirmans vim Sacramenti pœnitentiæ præcipuè ſitam eſſe in ipſius forma, id eſt, in illius miniſtri verbis, *Ego te abſoluo*, &c. Cùm enim dicit, *præcipuè*, non autem, *omnino & totaliter*: non obſcurè ſignificat vim huius Sacramenti conſiſtere etiam ex parte, quamuis minùs præcipuè, in actibus pœnitentis, quos paulò poſt vocat partes Sacramenti pœnitentiæ, affirmatque ad eius integritatem pertinere, ad plenamque & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiri. Quibus verbis Concilium damnat Scoti ſententiam negantis actus pœnitentis eſſe partes: & perſpicuè docet, non ſolùm formam abſolutionis, ſed totum aggregatum ex actibus pœnitentis, & abſolutione Sacerdotis, inſtitutum fuiſſe in ſignum efficax remiſſionis peccatorum: ſicut in Baptiſmo, & in cæteris Sacramentis, totum aggregatum ex eorum materia & forma fuit inſtitutum in ſignum efficax gratiæ ſanctificantis.

12. Pœnitens non eſt Miniſter Sacramenti.

Ad Secundum, Nego ſequi pœnitentem eſſe miniſtrum Sacramenti huius ſimpliciter & propriè. Non enim quiſquis concurrit partialiter quomodocunque, eſt miniſter ſimpliciter & propriè: alioquin ille qui panem conficit aut oleum, vel aquam ſuppeditat, eſſet miniſter Sacramentorum Euchariſtiæ, & Confirmationis, vel Baptiſmi. Sed miniſter eſt propriè ille, qui partes eleuat & aſſumit per poteſtatem ſibi datam, ad ſignificandam & efficiendam gratiam. Vt in præſenti facit Sacerdos, qui per clauium poteſtatem, & iuriſdictionem ſibi conceſſam, aſſumit actus pœnitentis, & eleuat ad dignitatem ſacramentalem: qua ratione actus pœnitentis fiunt quodammodo actus ipſius miniſtri, qui illos exigit à pœnitente ad finem abſolutionis, & illis tanquam inſtrumento vtitur ad ſignificandam & efficiendã remiſſionem peccati. Quod exemplo perapoſito exponit AEgid. hoc loco. Sicut enim, inquit, actio Regis Ioas 4. Reg. 13. Elizæi iuſſu terram percutientis, prout erat præciſè Regis actio, ſignificabat ſolùm in eo voluntatem obſequendi Prophetæ. Prout verò à Propheta vlteriùs ex deſtinatione Dei aſſumebatur ad ſignificandam victoriam contra Syrios, ſic erat quodammodo actio & inſtrumentum ipſius Prophetæ: ſimili modo actus pœnitentis, prout ab eo præciſè procedunt, nondum habent rationem Sacramenti, neque ſunt pars illius, ſed tantùm prout à Sacerdote per poteſtatem clauium ad hoc eleuantur, & fiunt quodammodo ipſius actus. Vnde fit, vt ſolus Sacerdos ſit verus & totalis miniſter huius Sacramenti. Simile quid videre eſt in actibus tangendi materiam eius qui ordinatur: qui tangendi actus dicuntur communiter eſſe materia proxima, ſed non conſtituunt ſacramentum Ordinis, niſi prout aſſumuntur & eleuantur ab ordinante, qui ſolus eſt verus miniſter Sacramenti ordinis.

13. Huic ſolutioni opponunt aliqui Recentiores, verba Sacerdotis ſecundum ſe ſola, & abſque aliis requiſitis, non habere poteſtatem remittendi peccata: ſed ſolùm vt conſiderantur eſſe verba Chriſti, dicta per ſuum miniſtrum loquentem ex poteſtate à Chriſto accepta. Atqui verba illa non ſunt talia, niſi prout dicta poſt confeſſionem dolorоſam, & prout ab illa denominantur. Ergo non poſſunt eleuare confeſſionem & dolorem, niſi prout denominantur ab ipſa confeſſione & dolore: & per conſequens, prout includunt confeſſionem & dolorem: quod eſt apertè falſum. Tunc enim eleuatio illa proueniret partialiter ab ipſis actibus pœnitentis: quod repugnat. Nihil enim poteſt ſeipſum eleuare ad aliquid operandum.

Reſpondeo, Licet Sacerdos non poſſit efficaciter & ſacramentaliter proferre verba abſolutionis, vt miniſter Chriſti, niſi præmiſſâ confeſſione & dolore pœnitentis, & circa peccata ab ipſo deteſtata & confeſſa: non ſequitur abſolutionem includere ipſam confeſſionem & contritionem præuiam: aut eſſe illarum effectum formalem: ſed tantùm circa illas verſari, & illas neceſſariò præſupponere. Sicut eadem confeſſio & contritio ſupponunt quidem neceſſariò peccata verè commiſſa, & circa illa verſantur, vt circa obiectum & materiam circa quam: at non propterea illa includunt. Eſt enim euidenter falſum homicidium, verbi gratia, aut fornicationem includi in actu doloris interni, & purè mentalis, quo quis de illis conteritur: eſtq; impoſſibile id quod non eſt actu, includi in eo quod eſt actu: id eſt, ens componi intrinſecè ex non ente: & actum honeſtum conſtitui intrinſecè ex actu vitioſo. Eſt quoque euidenter falſum & impoſſibile abſolutionem, quæ nihil eſt aliud, quàm verba illa, *Ego te abſoluo*, &c. actu prolata à Sacerdote, includere contritionem, quæ eſt

Soluitur inſtantia.

actus internus voluntatis pœnitentis: aut confeſſionem, quæ eſt etiam actus vitalis pœnitentis, & declaratio peccatorum ſuorũ ab ipſo facta per voces aut per alia ſigna. Quare eleuatio actuum pœnitentis non prouenit partialiter ab ipſis actibus pœnitentis, veluti inclusis in ipſa abſolutione ſacerdotis per quam eleuantur: ſed prouenit ſolùm ab actu ſacerdotis, & à forma ſupponente materiam, quam eleuet. Confirmatur quia, ſi abſolutio includeret contritionem & confeſſionem pœnitentis: ergò ſola abſolutio eſſet totum ſacramentum pœnitentiæ eſſentialiter conſideratum. At hoc eſt falſum, & contra eoſdem Recentiores.

14. Idem probant altera ratione.

Adde, quòd alibi notauimus, non eſſe miniſtrum Sacramenti, niſi illum, qui eſt dux operis per poteſtatem à Chriſto acceptam; cuiuſmodi non eſt pœnitens in Sacramento pœnitentiæ: ſed Sacerdos, qui eſt iudex in hoc interno foro, & ad quem, veluti miniſtrum Chriſti, & iudicem ab eo delegatum, pertinet abſoluere, & veniam ac gratiam dare, propriè loquendo: non autem ad ipſum pœnitentem, licet veniam poſtulet, & ſua contritione & confeſſione mouerat Deum ad veniam & gratiam ſibi concedendam. Sicut inter homines non dicitur dare ſibi veniam, aut eleemoſynam, ille qui ſuis precibus alium mouet, vt ſibi det: ſed ille ſolùm qui eam habet quodammodo in ſuo dominio, tanquam dux operis, & dominus rei, quæ datur, aut à domino deputatus, vt ſuo nomine det. Addo præterea miniſtrum ſacramenti non eſſe, neque dici illud efficere, illum qui facit tantùm materiam: ſed illum qui facit eius formam. Sicut non dicitur feciſſe ſtatuam ille qui fecit lutum; ſed ille qui lutum ita configurauit.

Ad tertium Durandi argumentum Reſpondeo, non omnem partem ſacramenti debere eſſe per ſe proximè ſenſibilem: remotè autem contritionem ſatis eſſe ſenſibilem per actum externum pœnitentis humiliter ſe accuſantis. Sicut corpus & ſanguis Chriſti in Euchariſtia ſentiuntur per ſpecies panis & vini conſecratas: & in matrimonio, conſenſus internus fit ſenſibilis per verba, vel alia ſigna externa quibus manifeſtatur.

15. Ad quartum Reſpondeo, probare tantùm ſatisfactionem non eſſe eſſentialem, & abſolutè neceſſariam. Neque verum eſt quod Durandus ibidem addit, omnes partes materiales, & integrales neceſſariò præſupponi formæ, & eſſentiæ rei. Nam neque ablutio neceſſariò præit formæ Baptiſmi: neque vnctio chriſmatis, formæ Confirmationis. Ac ne quidem in naturalibus id verum eſt de partibus integralibus. Nam homo priùs eſſentialiter perfectus eſt, exiſtens in ſtatu infantis, quàm accedant partes integrales, quibus ad ſtatum virilem deducitur.

Iniunctio ſatisfactionis ſitne pars formæ

Inſtabis, Quia, ſi ſatisfactio eſt materia partialis ſacramenti Pœnitentiæ, abſolutio non erit tota forma, ſed iniunctio ſatisfactionis facta à ſacerdote, verbis aut alio ſigno; erit pars totius formæ: quia eſt pars totius ſententiæ iudicialis prolatæ à ſacerdote vt iudice, vi cuius ſatisfactio eleuatur ad ſtatũ ſacramentalem, quem non habet ex ſe ſola. Eadem enim opera pia, facta à pœnitente, ſed non iniuncta à ſacerdote virtute clauium, non eſſent ſatisfactio ſacramentalis, neque pars materialis huius ſacramenti: neque enim eleuarentur ad ſtatum ſacramentalem, & ad virturem remittendi pœnam ex opere operato. Conſequens autem eſt falſum, quia repugnat Florentino & Trident. affirmantibus formam huius ſacramenti eſſe verba illa ſacerdotis, *Abſoluo te*, &c. Aſſignant enim formam adæquatam, æquè ac materiam. Et alioqui eorum doctrina ex parte formæ eſſet manca & diminuta.

16. Opinio quorundã Recentiorum.

Reſpondent aliqui Recentiores, iniunctionem ſatisfactionis pertinere potiùs ad materiam, & intelligi nomine ſatisfactionis. Quia eo nomine non intelligitur opus pœnale ſecundum ſe; ſed opus impoſitum à confeſſario, & prout ſic impoſitum dicitur pars materialis Sacramenti. Si inſtes, Verba, vel ſigna quibus imponitur à Sacerdote ſatisfactio, determinare opus ſatisfactorium ad hoc, vt ſit opus ſacramentale: verba verò abſolutionis nihil de ſatisfactione ſignificare, ſed de culpis. Ergo priora ſunt potiùs forma reſpectu ſatisfactionis. Reſpondent, verba, vel ſigna quibus imponitur ſatisfactio, eam determinare in ratione obligatoriæ, & eſſe formam executionis illius vt obligatoriæ: verba autem abſolutionis determinare illam in ratione ſigni efficacis ex opere operato. Quia dum Sacerdos vtens poteſtate ſibi tradita dicit ſe abſoluere à peccatis pœnitentem, quantum poteſt: eo ipſo oſtendit ſe illum liberare non ſolùm à reatu culpæ, ſed etiam à reatu pœnæ quantum poteſt mediis operibus ſatisfactoriis impoſitis. Et quoniam Sacramentum, vt ſacramentum eſt, magis denotat efficaciam & ſignificationem gratiæ, quàm obligationis, hinc eſt quòd magis dicitur forma ſatisfactionis illa, quâ determinatur in ratione cauſantis & ſignificantis expiationem; quàm illa, quâ determinatur in ratione obligatoriæ.

17. Refutatur.

Sed contra: Primò, licet opus impoſitum non ſit ſacramentale ſecundum ſe ſolum, ſed vt iniũctum à Sacerdote virtute clauium, velut à Chriſti miniſtro: aliud tamen eſt opus iniunctum, vt iniũctum paſſiuè ſeu denominatiuè: & aliud iniunctio actiua, de qua loquimur. Hæc enim eſt ipſum præceptum, & ſententia iudicialis, ſiue actus ipſius iudicis obligans ad ſatisfaciendum: illud autem eſt opus pœnitentis, vt debitum vi præcepti & ſententiæ iudicialis. Quare licet nomine ſatisfactionis, quæ eſt pars materialis huius ſacramenti, intelligatur opus vt iniunctum paſſiuè à Sacerdote: non intelligitur quòd ipſa quoque iniunctio actiua ſit pars materialis. Secundò, negari non poteſt, quin iniunctio ſatisfactionis ſit pars

sententiæ iudicialis liberantis reum à peccatis non purè gratuitò, sed cum tali onere satisfaciendi parti læsæ. Atqui sententia iudicialis est forma actus forensis, inchoati in accusatione & in defensione rei, & completi per sententiam iudicis pronunciantis post discussionem causæ. Tertiò, verba, vel signa, quibus imponitur satisfactio virtute clauium, non eam solùm determinant in ratione obligatoriæ: sed etiam in ratione signi efficacis ex opere operato. Nam illam iniungũt vt sacramentalem: ergo vt signum efficax ex opere operato. Neque sacerdos habet aliter potestatem obligandi pœnitentem ad illius executionem, quàm imponendo illam vt sacramentalem virtute clauium.

18. Vera responsio.

Aliter ergo dicendum est, formam quidem essentialem Sacramenti huius esse verba illa Sacerdotis, *Absoluo te*, &c. deque illa solùm loqui Concilia suprà citata: sicut tamen satisfactio iuncta virtute clauium, est pars materialis integralis Sacramenti; ita sententiam, per quam iniungitur satisfactio, esse partem integralem formæ consistentis essentialiter in absolutione. De qua non fuit necessarium Concilia loqui expressè: cùm ex iis quæ dixerant de partibus materialibus, numerando inter illas satisfactionem, satis intelligeretur, absolutionem Sacerdotis non debere esse purè gratuitam & liberalem remissionem ab omni culpa & pœna: sed imposita salutari & conuenienti satisfactione. Quod clariùs expressit Trident. sess. 14. cap. 8. dicendo, claues sacerdotũ non ad soluendum dumtaxat, sed & ad ligandum concessas fuisse, imponendo satisfactiones quæ sint non tantùm ad nouæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum: sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.

SECTIO III.

Aliæ tres sententiæ contrariæ refelluntur.

19. Altera Paludani opinio, satisfactionem esse partem essentialem

TErtiò, contra id quod diximus, satisfactionem esse partem integralem, sed non essentialem, sentit Paludan. in 4. dist. 16. q. 1. in fine, vbi contendit, satisfactionem esse partem essentialem. Pro cuius opinione opponi potest sacramentum Pœnitentiæ essentialiter esse iudicium, quod non sit mera remissio & indulgentia, sed ex parte vindicatio & vltio, quæ sine poena non est, neque esse potest: vt Trident. indicat sess. 14. cap. 8. vbi commemorata necessitate satisfactionis, ita concludit: *Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares & conuenientes satisfactiones iniungere.* Secundò, cùm tres actus poenitentis ex institutione diuina sint necessarii, iuxta Trident. sess. 14. cap. 3. debet vnusquisque, volens sacramentum suscre, non solùm conteri & confiteri: sed etiam submittere se sacerdoti ad subeundam satisfactionem. Quis enim accedat ad sacramentum, nisi animo ad Dei institutionem accommodato? Quare saltem illa submissio essentialis est. Tertiò, in antiquâ Ecclesia non dabatur absolutio nisi post impletam pœnitentiam iniunctam: vt testatur S. Leo epist. 91. Cyprian. epist. 11. & 12. Tertull. lib. de Pœnitentia, aliique veteres. Quam pœnitentiam aiunt Sancti Patres purgare pœnitentes, vt loquitur S. Leo epist. cit. cap. 2. æterna supplicia expungere, vt ait Tertul. cap. 9. de Pœnitentia: peccata purgare, & animas à morte liberare, vt loquitur Cyprian. in serm. de Lapsis, quibus verbis significant satisfactionem concurrere ad ipsam remissionem culpæ, ac pœnæ æternæ: & non solùm ad solutionem pœnæ temporalis, vt nos suprà asseruimus. Leo. Tertull. Cyprian.

Ad primùm Respondeo, Sacramentum Pœnitentiæ essentialiter ac primariò esse iudicium reconciliatorium peccatoris cum Deo: & secundariò, atque integraliter tantùm, vindicatiuum. Nec plus docet Trident. cap. 3. & 8. citatis. Nam quòd debeant sacerdotes satisfactionem iniungere, non plus arguit, quàm necessitatem præcepti, quæ ab essentiali & simplici necessitate sacramenti longè diuersa est. 20. Soluuntur eius argumenta.

Ad secundum Respondeo, tres actus poenitentis requiri ex institutione Dei, partim ad essentiam, partim ad integritatem: & vt quis validè accedat, satis esse, si conferat ea quæ sunt essentialia, aut simpliciter necessaria; quamuis ad licitè accedendum plura requirantur. Illa verò submissio ad satisfactionem subeundam longè diuersa est à satisfactione ipsa secundum se & formaliter sumptâ. Sed neque illam esse essentialem formaliter sumptam satis patet ex vsu Ecclesiæ, secundum quem ratum censetur Sacramentum, licet pœnitens de satisfaciendo non cogitet, ac proinde se formaliter & expressè non submittat Sacerdotis arbitrio ad satisfaciendum. Ex eodem vsu constat, neque iniunctionem satisfactionis à Sacerdote, neque acceptationem à pœnitẽte, essentialem esse. Nam absoluuntur moribundi, licet illis, propter impotẽtiam, nulla satisfactio iniungatur. Neque iterantur confessiones in quibus per obliuionem iniuncta non fuit. Et qui aliunde satisfeciſſet ante confessionem: non propterea liber esset à confessione peccati mortalis de quo nondum esset cõfessus: tametsi liber esset à satisfactione, si constaret iam abundè satisfeciſſe per actus charitatis, & alia pia opera.

Olim etiam primis Ecclesiæ temporibus dabatur absolutio morituris sine impleta pœnitentia, vt constat ex epist. 51. Cypriani ad Antonian. quamuis alioqui non daretur, saltẽ publicè pœnitẽtibus, nisiin fine impleret poenitentiæ, vt fert communior sententia, & affirmare videtur S. Leo cit. in obiectione vltima, 21. Cyprian. Leo. Basilius. Gregor.

Digitized by Google

vltima, & Theodorus Balſamon in quinque gradibus poenitentiæ relatis ex epiſt. Gregorii Thaumat. Quod verò Patres in eodem vltimo argumento citati aiunt, intelligendum eſt de ſatisfactione impleta ante abſolutionem, ſicut olim fiebat in publica ſaltem pœnitentia, & ſe habente non ſolùm per modum ſatisfactionis, ſed etiam per modum diſpoſitionis, vel partis ipſius attritionis, atque ita concurrente ad remiſſionem culpæ, & æternæ pœnæ. Non autem vt præciſè habet rationem ſatisfactionis diſtinctæ ab aliis partibus ſacramenti, quemadmodum habet, quando abſolutionem ſubſequitur. Quo ſenſu nos, de illa locuti ſumus. Atque ex his manet ſufficienter ſolutum tertium & vltimũ argumentũ pro ſentẽtia Paludani propoſitũ.

22. Propoſitũ ſatisfaciendi includitur in cõtritione.

Sicut tamen in contritione eſſentiali huic ſacramento includitur propoſitum, ſaltem virtuale parendi grauibus Dei mandatis, & non peccandi mortaliter de cætero; ſic & propoſitum ſatisfaciendi, ſi eius grauis incumbit obligatio. Atque ita ſatisfactio in voto, ſeu propoſito virtuali, eſſentialis eſſe poteſt, quatenus eſt quodammodo pars contritionis eſſentialis, id eſt, doloris eſſentialiter neceſſarii, & propoſiti parendi grauibus Dei mandatis, ac non peccandi mortaliter de cętero. Sed hoc commune eſt ſatisfactioni cum cæteris omnibus grauiter neceſſariis: cum hac tamen differentia inter propoſitum ſatisfaciendi, & alia 1 quòd propoſitum ſatisfaciendi, eſt rei cuiuſdam pertinentis per ſe ad ſacramenti integritatem, ad quam ſpecialiter obligat, velut ad complementum ſibi neceſſarium, prout eſt iudicium aliquatenus vindicatiuum iuris diuini læſi, non autem purè reconciliatoriũ ſacramentũ, vt Baptiſmus.

23. Soto.

Quartò, contra id quod diximus, hoc ſacramẽtum conſtare eſſentialiter contritione, confeſſione, & abſolutione, opinatur Sotus in 4. diſt. 14. q. 1. a. 1. vbi negat abſolutionem eſſe partem eſſentialem ſacramenti Pœnitentiæ, cuius totam eſſentiam poſitam eſſe vult in actu poenitentis, connotando quod ſubiiciatur abſolutioni. Sicut, inquit, Baptiſmus ſupponit pro actu ablutionis, connotando quòd fiat ſub tali forma verborũ. Ratio eius eſt, quia hoc ſacramentum eſt poenitentia: poenitentia autem eſſentialiter eſt actus poenitentis. Item quia ſacramentũ pœnitentiæ eſt quoddam artefactum. At nomina rerum artificialium non ſupponunt pro aliquo compoſito ex materia & forma, vt homo: ſed ſupponunt pro materia, connotando formam, vel habitudinem ad illam.

Abſolutio eſt pars eſſentialis.

At hæc opinio repugnat Trid. ſeſſ. 14. cap. 3. affirmanti, præcipuam vim, ſignificandi ſcilicet, & efficiendi gratiam, poſitam eſſe in verbis ſacerdotis. Cùm enim ſacramentũ nouæ legis ſit eſſentialiter ſignum efficax gratiæ; quomodo non erit pars eius eſſentialis, id quod præcipuè ſignificat & efficit gratiã? Confirmatur ex SS. Patribus citatis ſect. 3. diſp. præcedentis, qui poteſtatem & efficaciam remittendi peccata præcipuè tribuunt abſolutioni ſacerdotis.

Rationes verò Soti magni momenti non ſunt. Ad primam, Dico ſacramentum hoc eſſe poenitentiam, ſumendo poenitentiam pro toto aggregato à Chriſto inſtituto, ad dandam gratiam, & remiſſionem peccatorũ poſt baptiſmum commiſſorum. Hoc autem aggregatum non conſiſtit eſſentialiter in ſolis actibus poenitẽtis. Ad ſecundam Reſpõdeo negando minorẽ. Nam ſicut eſſentia rerum artificialium non conſiſtit in ſola materia cum habitudine ad formam, ſed in cõpoſito, aut quaſi compoſito ex vtraque: ſic nomina ipſarum propria, licet interdum ſumãtur ab altera parte, totum tamen ſignificant, ac pro eo ſupponunt. Atque ita cathedra, v. g. non eſt ſola materia lignea cum habitudine ad figuram: ſed eſt lignũ ita cõfiguratum, ratione cuius cõfigurationis differt à ſcamno quamuis eádem materiã conſtet. Sic ergo Baptiſmi & Poenitentiæ ſacramenta, ſupponunt nón pro ſolo actu abluendi, aut poenitendi, cum habitudine ad formã: ſed pro ipſorum materiis & formis; in quibus, ac præciuè in formis, vis & eſſentia ipſorum ſita eſt. Et licet hæc nomina Baptiſmi & Pœnitentiæ ſint à materiis deſumpta: aliud tamen eſt id, vnde nomẽ ſumitur; & aliud, id quod tali nomine ſignificatur. Vnde collige Sacramentum pœnitentiæ definiri ſic poſſe: Sacramentum conſtans actibus pœnitentis, & abſolutione Sacerdotis, ad ſignificandam & efficiẽdam gratiam remiſſiuam peccatorum à baptizatis commiſſorum: id eſt, vel eo inſtanti, quo completur Baptiſmus eſſentialiter, vel poſtquam baptizati ſunt.

24.

25. Bellarmini

Quintò denique, Card. Bellarm. lib. 2. de Sacram. in gen. cap. 11. §. *Tertiò notandum*, cenſet totam virtutem huius Sacramenti cõſiſtere in abſolutione. Et generatim ait virtutem Sacramentalem aliquando eſſe in elemento, id eſt materia: aliquando in verbo, id eſt, in forma: aliquando in vtroque. Nam inquit, actio Sacramentalis propriè eſt actio miniſtri dantis ſacramentum, non actio ſuſcipientis: Suſceptio enim eſt opus noſtrum: Sacramentum autem non eſt opus noſtrum, ſed Dei. Itaque actio miniſtri eſt illa, quâ Deus vtitur tanquam inſtrumento ad iuſtificandum. Quando ergo miniſter vtitur rebus & verbis, vt in Baptiſmo, Confirmatione, & Extrema vnctione: tunc etiam Deus vtitur rebus & verbis: & proinde virtus Dei eſt in vtriſque, & oportet illa duo ſimul cõcurrere, alioqui nihil fieret. At cùm miniſter non vtitur, niſi verbis, materia autem Sacramenti ſe tenet ex parte ſuſcipientis, aut certè non adhibetur à miniſtro ad agendum: tunc virtus non eſt, niſi in verbis. Ita fit in Sacramento abſolutionis, & Matrimonii, & in conſecratione Euchariſtiæ. Hæc ibi Bellarm. qui lib. 1. de Pœnit. c. 16. prope finem, eandem doctrinam confirmans addit: Quemadmodum homo corpore & ſpiritu conſtat, & tamen ſolo ſpiritu intelligit: ſic etiam facilè fieri poſſe, vt Sacramentum aliquod duabus par-

tibus constans, per alteram tãtùm operetur. Fatetur tamen probabilem esse oppositam sententiam: licet ea paulò difficiliùs defendi posse videatur.

26. Tota virtus sacramenti non est in absolutione.

Ego verò contendo oppositam sententiam non solùm probabilem, sed planè certam esse ex Trid. sect. 14. cap. 5. Cùm enim ibi ait, sacramenti huius vim præcipuè positam esse in forma, id est, in illius ministri verbis, *Ego te absolvo &c.* apertè significat non in illa sola positam esse, sed & in aliis eius partibus, licet minùs præcipuè. Neque alia est ratio cur actus pœnitentis dicantur esse partes intrinsecæ sacramenti pœnitentiæ, nisi, quia sunt pars signi efficacis, id est, mouentis Deum per se immediatè ita vt eo ritè posito, & eo ipso quòd ritè ponitur, det effectum sacramentalem propter merita Christi. Si autem sunt pars signi efficacis: significant partialiter, id est, concurrunt ad significandum & efficiendum effectum sacramentalem. Confirmatur, quia nulla potest reddi ratio cur attritio adulti, qui peccauit ante Baptismum, & intentio recipientis, aut conferentis Sacramentum pœnitentiæ, vel quoduis aliud Sacramentum, non sit pars Sacramenti; nisi quia licet ex institutione diuina requiratur, & Deus ab ea quodammodo moueatur (habet enim rationem illius in ratum habendo sacramentũ, vel in conferendo effectum sacramentalem) tamen non sunt pars signi, à quo Deus immediatè mouetur, & excitatur, vt à signo cui se alligauit, id est, quod Christus Patri obtulit, & instituit vt propter illud immediatè merita sua applicarentur efficaciter ad obtinendam remissionem peccatorum, eo ipso quòd tale signum ritè & debitè vsurpatur. Præcipuè tamen voluit Christus haberi rationem absolutionis. Ideoque vis moralis, id est, motiua, siue excitatiua, in absolutione est præcipuè posita. Sicut in Pontificiis diplomatibus habetur præcipuè ratio plumbi & sigilli impressi.

27. Ad primum argumentum Bellarmini Respondeo, actionem recipientis fieri quodammodo actionem ministri, quando ab illo assumitur, & eleuatur ad sacramentum constituendum, vt diximus num. 12. Ad secundũ dico, quando compositum agit tãtùm altera sui parte, sicut homo intelligit solùm per animam: totum non dicitur agere, nisi denominatiuè, id est, secundum nomen & modum loquendi, sumptum ab vna eius parte, & extensum ad totum. Sed quando aliquid conuenit toti, non secundum nomen tantùm, sed reipsa tanquam totalis eius essentia, per quam in tali esse constituitur omni ex parte: debet id omnibus eius partibus essentialibus conuenire reipsa, & non tantùm nomine tenus seu denominatiuè. Atqui esse signum efficax gratiæ est ratio conueniens sacramentis nouæ Legis, tanquam totalis essentia: ergo debet conuenire omnibus eorũ partibus essentialibus reipsa, & non solo nomine, seu denominatiuè ab vna eius parte.

SECTIO IV.

Vtrum impositio manuum requiratur ad hoc Sacramentum?

28. Impositio manuum non est de necessitate huius sacramenti.

QVæstio esse potest, an requiratur necessitate Sacramenti, vel necessitate præcepti? Prior necessitas est eorum sine quibus Sacramentũ esse non potest: posterior, eorum sine quibus legitimè & licitè celebrari non potest. De priori, negat D. Thom. art. 4. q. 84. & Opusc. 22. cap. 4. Ratio ab institutione Christi petenda est, quæ partim ex Scriptura Ioan. 20. v. 22. & Matth. 18. v. 18. partim ex Conciliis, Florent. præsertim, & Trid. sæpius cit. innotuit. Nullibi autem in declaratione actuum necessariorum mentio fit impositionis manuũ. Quæ licet olim in vsu fuerit, & nunc etiam sit; numquam tamen habita fuit pro simpliciter necessaria? imò nec semper & vbique adhibita ab omnibus. Idem dico de cerimonia, quâ Sacerdos benedicit & bene precatur pœnitenti ante vel post confessionem, aut absolutionem: vt de priori asserit D. Thom. art. 4. q. 84. ad 3. de posteriori, Trid. sess. 14. cap. 3. cùm ait preces illas ex Ecclesiæ more laudabiliter quidem adiũgi, ad ipsius tamen sacramenti administrationem non esse necessarias. 5. Thom.

29. Neque etiã est de necessitate præcepti.

De necessitate verò præcepti negant etiã communiter Theologi, cum D. Thom. Paludan. Soto, & aliis quos citat & sequitur Suarez disput. 18. sect. 6. num. 5. qui affirmãt manuum impositionem positam esse in arbitrio Sacerdotis. Idemque docet S. Tho. de signo crucis, seu benedictione pœnitẽtis, art. suprà citato. De precibus quoque idem insinuat Trid. vbi supra, cùm ait tantùm *laudabiliter adiungi*, non autem, necessariò. Quorum omnium ratiò est, quia nullum tale præceptum extat latum à Christo, vel ab Ecclesia. Nam qui ex Concilio Nicæn. can. 9. præceptum aliquid deducere conantur, manifestè falluntur, & refutantur à D. Tho. opusc. cit. Quod autem dicitur in Concil. Carthag. 3. Can. 80. Omni tempore ieiunii manus pœnitentibus à Sacerdotibus imponantur: intelligendum est de cerimonia imponẽdi manus pub. pœnit. existẽtibus in tertio gradu pœnitentiæ, quæ tunc erat in vsu, & in præcepto. Tenebantur enim illi singulis diebus ieiunii accedere ad Ecclesiam, ibique lachrymabundi prosterni coram Episcopo & Clero, qui manum illis imponeret (sine absolutione tamen sacramẽtali, quæ vlteriùs differebatur) illisq; benediceret, ac pro eis oraret: vt fusiùs dicemus inferiùs disp. 55. sect. 1.

30. Quod verò ait Carthag. 4. can. 78. vt pœnitentes qui in mortis periculo admissi fuerunt ad cõmunionẽ Euchar. non se existiment absolutos sine manuũ impositione, si superuixerint: Tantùm sibi vult, publicos pœnitentes, qui nondũ impletâ pœnitẽtiâ publ. priuatim absoluebantur à Sacerdote in periculo mor-

tis, si superuixerint, redire debere ad statum pœnitentium, & pœnitentiam implere: in cuius tertio gradu, qui vocabatur *ὑποπτωσις*, manus pœnitentibus imponebantur ab Episcopo & Clero. Idemque est sensus can. 9. vel vt alii numerant, 13. Concilii Nicæni 1.

Quod item dicitur cap. *Nunquid*, de Consecrat. dist. 5. *Omnia chrismata sacerdotalis ministerii, crucis figurâ perfici*: veterem quidem vsum signi crucis ostendit, sed non necessitatem. Quod demum ait S. Leo epist. 91. peccatorem non nisi supplicationibus Sacerdotum indulgentiam obtinere posse: sic intelligendum est, vt supplicationes Sacerdotum vocet ipsam absolutionem, quæ tacita quædam supplicatio est, & inuocatio Dei, cuius virtute fit peccatorum remissio. Vel per illam cerimoniam supplicandi intelligat Sacramentum pœnitentiæ, vt suprà diximus de manus impositione. Frequens enim est, vt ab aliquo accidenti notissimo totum denominetur.

31. Præcedenti doctrinæ communiter assentiuntur veteres ac recentes Theologi, & nominatim Suar. disp. 18. sect. 6. vbi dicit nullum esse præceptum, saltem graue, adhibendi quicquam aliud præter ea, quæ ad Sacramenti essentiam vel integritatem necessaria sunt. Sed nihilominus habenda est in praxi ratio consuetudinis cuiusque loci, & non prębendi occasionem scandali, aut causandi irreuerentiam Sacramenti, quod meritò quidem, quia priuatim exercendum est, & valde necessarium, & frequentissimè in vsu ponendum erat, non fuit onerandum cerimoniis non necessariis. Quænam autem requirantur ad essentiam, vel ad integritatem, tam ex parte ministri, quàm ex parte pœnitentis, partim diximus præcedentibus sect. partim infra exponemus in disput. de Ministro, vbi ostendemus necessarium esse non tantùm, vt absoluat, sed vt priùs cognoscat & iudicet de pœnitentis actibus: iuxtáque ipsius facultatem, conuenientem satisfactionem iniungat.

Suarez.

S. Thom. D. Thom. q. 84. art. 4. in c. rationem cur ex Sacramenti necessitate non requiratur manuum impositio, hanc esse dicit: Quia manuum impositio fit ad significandam copiosiorem gratiæ collationem, quâ illi, quibus imponuntur manus, quodammodo per similitudinem continuantur ministris, in quibus gratiæ copia esse debet. Similemque rationem affert art. 1. ad 1. cur in hoc Sacramento præter actus pœnitentis non adhibeatur à ministro aliqua materia exterior: sicut aqua in Baptismo adhibetur, & chrisma in Confirmatione.

32. Sed hæ rationes congruæ tantùm sunt. Nam absolutè manuum impositio fieri posset in signum potestatis absoluendi, vel ad significandum fieri quippiam secretum & sanctum. Potuisset quoque ex parte ministri requiri aliqua externa materia. Cur autem hæc aut illa requirantur, aut non requirantur ex necessitate Sacramenti, ratio solida, & à priori, est institutio Christi: ex qua, velut ex radice, oriuntur multiplices Sacramentorum differētiæ circa materias illorum, & formas, & vsus, & subiecta, & ministros, & effectus. Institutio autem partim ex Sacris literis, partim ex doctrina Conciliorum, & definitione, atque vsu Ecclesiæ innotescit. Nam ex Scriptura sola nullum omnino expressè quoad omnia notum est.

33. Sitne contritio res & sacramentum. Idem S. Doctor quæst. 84. art. 1. ad 3. distinguens in pœnitentia tria illa, quæ in omnibus Sacramentis distingui solent: Sacramentum tantùm, rem tantùm, & rem & sacramentum: id est, id quod tantùm significat, id quod tantùm significatur, & id quod partim significat, partim significatur: ait Sacramentum tantùm, esse actus externos pœnitentis & Sacerdotis: rem tantùm, esse gratiam remissiuam peccati: rem & Sacramentum, esse actum interiorem dolendi de peccatis. *Quorum*, inquit, *primum totum simul sumptum est causa secundi: primum autem & secundi sunt quodammodo causa tertii*: non simpliciter quidem secundum totius substantiam, sic enim potiùs tertium est causa secundi: sed vt formati per gratiam Sacramētalem. Hoc est, vt clariùs dicam; cùm in quolibet Sacramento hęc tria sic distinguātur, vt Sacramentum tantùm dicatur id, quod significat & non significatur: res tantùm, id quod significatur, & non significat: res & Sacramentum, id quod partim significat, & partim significatur: Actus externi pœnitentis & Sacerdotis sunt Sacramentum tantùm, quia significant gratiam remissiuam peccati, & non significantur per aliud. Gratia verò remissiua peccati est res tantùm, quia significatur per actus supradictos, ipsa verò non significat aliud. Contritio denique est res & Sacramentum, quia partim significat gratiam remissiuam peccati, partim ipsa significatur ab actibus externis pœnitentis, qui dum humiliter se accusat, & submittit absolutioni & satisfactioni, significat se de peccato dolere. Item actus externi pœnitentis, & Sacerdotis sunt causa gratiæ remissiuæ peccati: & hæc omnia simul sunt causa contritionis, non nudè sumptæ & secundum se (sic enim potiùs contritio est causa gratiæ) sed vt informatæ gratiâ, per ipsam & per alias partes Sacramenti productâ. Ita vt contritio dupliciter sit consideranda. Primò, vt informis, & secundum se: qua ratione est prior gratiâ, & causa ipsius tanquam pars Sacramenti. Secundò, vt formata gratiâ Sacramentali: quâ ratione posterior est, & effectus ipsius. Hæc autem informatio moralis solùm est: ad quâ non est necesse vt contritio sit præsens physicè quando infunditur gratia. Sufficit enim præsentia moralis.

34. Altera sententia. Plura hac de re Suares disput. decima octaua, sect. quinta, sed in re leui, & ferè arbitraria, magisque ad modum loquendi pertinente, quàm ad rem ipsam explicandam, non est diutiùs immorandum. Videri etiam potest Delugo disput. 2. de Sacram. in gen. Delugo

sect. 8. vbi mauult rem & sacramentum esse conscientiæ pacem & serenitatem, quæ cum vehementi spiritus consolatione consequi solet, vt ait Trid. sess. 14. cap. 3. Sicut in extrema vnctione res & Sacramentum est sanitas corporis, si animæ expedierit: vel vt alii malunt, hilaritas mentis, & confortatio ad sustinentiam dolorum, & luctam tentationum. Quamuis hæc non semper causentur ab his Sacramentis, propter aliquod impedimentum naturale, vel morale. Sicut neque semper causatur gratia; nempe quoties est obex peccati, vel carentia dispositionis necessariæ. Quæ opinio probabilis est, sed aliena à mente D. Thom. loco supra citato, vbi apertè docet rem & sacramentum esse dolorem internum de peccatis. Qui autem dicunt hunc dolorem nudè sumptum esse rem & Sacramentum, quia partim significat gratiam reconciliationis, partim significatur per externam confessionem humiliter & conuenienter factam: recedunt pariter à doctrina D. Thomæ, aientis primum & secundum esse quodammodo causam tertii: id est, Sacramentum tantùm & rem tantùm, esse causam eius, quod est res & Sacramentum. Nam confessio, & absolutio, & gratia remissiua peccati non sunt causa doloris interni: sed potiùs confessio solet ab illo procedere, absolutio verò illum necessariò præsupponit: gratia denique remissiua peccati, ab illo & ab aliis sacramenti partibus essentialibus producitur.

DISPVTATIO QVADRAGESIMA TERTIA.

De necessitate & vsu Sacramenti Pœnitentiæ.

Sectio I. *An Sacramentum Pœnitentiæ sit necessarium ad salutem?*

Sectio II. *Occurritur Hæreticorum obiectionibus contra necessitatem Sacramenti Pœnitentiæ.*

Sectio III. *An & quomodo Sacramentum Pœnitentiæ iterari possit?*

DE necessitate & vsu Sacramenti Pœnitent. disputat S. Thom. quæst. 84. art. 5. 6. 8. 9. & 10. Docetque primò, Sacramentum pœnitentiæ esse ad salutem necessarium ex suppositione: non omnibus, sed illis, qui post Baptismum peccarunt mortaliter. Sicut medicina corporalis necessaria est, postquam homo in morbum periculosum inciderit. Eaque de causa dici metaphoricè secundam tabulam post naufragium: quia sicut primum remedium mare transeuntibus est, vt conseruentur in naui integra: secundum autem remedium est post nauem fractam, vt quis tabulæ adhæreat: ita etiam primum remedium in mari huius vitæ est quòd homo integritatem seruet. Secundum autem remedium est, vt si per peccatum eam perdiderit, per pœnitentiam redeat. Docet secundò, pœnitentiam exteriorem, quâ quis exteriora signa doloris ostendit, & verbo tenus peccata sua confitetur Sacerdoti absoluenti, & iuxta eius arbitrium satisfacit, non debere durare vsque ad finem vitæ, sed vsque ad determinatum tempus, iuxta mensuram peccati. Pœnitentiam verò interiorem, quâ quis dolet de peccato commisso, debere durare vsque ad finem vitæ: quia semper debet homini displicere quòd peccauit. Si enim placeret peccasse, iam ex hoc ipso peccatũ incurreret,

Digitized by Google

& fructum veniæ perderet. Displicentia verò dolorem causat in eo qui est susceptiuus doloris, qualis est homo in hac vita. Hoc tamen, inquit, non ita intelligendum est, quasi actu debeat homo continuò pœnitere: quod est impossibile; quia necesse est actum pœnitentiæ, siue interiorem, siue exteriorem, interpolari ad minus somno, & aliis, quæ ad necessitatem corporis pertinent: sed habitu duntaxat: quantum ad hoc scilicet, quòd homo nunquam aliquid contrarium pœnitentiæ faciat, per quod habitualis dispositio pœnitentis tollatur. Docet tertiò, sacramentum Pœnitentiæ posse iterari sæpius. Quia charitas, & gratia sanctificans propter arbitrii libertatem potest amitti; & propter diuinam misericordiam, superantem omnium peccatorum grauitatem, & multitudinem, potest recuperari. Misericordia enim Dei peccantibus, per pœnitentiam veniam præbet absque vllo termino. Vnde dicitur 2. Paralip. vlt. *Immensa & inuestigabilis misericordia promissionis tuæ super malitiam hominum.* Huc vsque D. Thomas: cuius doctrina sequentibus sectionibus fusiùs explicabitur.

SECTIO I.

An sacramentum Pœnitentiæ sit necessarium ad salutem?

1. Conclusio affirmatiua.

Svppono primo sermonem esse in præsenti de necessitate medii, non autem præcepti, de quo dicemus alibi: ita vt sensus sit, non vtrum pœnitentiæ sacramentum sit in præcepto diuino vel Ecclesiastico, adeóque sine peccato omitti non possit: sed vtrum sit medium necessarium ad salutem, adeo vt sine illo salus obtineri nequeat.

Suppono secundò sermonem esse de lege ordinaria, & de statu legis Euangelicæ à Christo latæ & promulgatæ. Quibus suppositis, Respondeo Sacramentum pœnitentiæ in re vel in voto necessarium esse, non quidem omnibus, sed baptizatis, qui post Baptismum lethaliter peccarunt, aut in ipso instanti Baptismi essentialiter perfecti.

Prima pars liquet ex eo, quòd infantes, & si qui alii moriantur post Baptismum debitè susceptum, nullo adhuc lethali peccato commisso, illi sine dubio salutem consequuntur; neque ad hoc egent voto, vel vsu sacramenti pœnitentiæ, cuius infantes non sunt capaces.

2. Probatur ex Script. tura, & ex Trident.

Secunda verò pars probatur, quoniam ad salutem necessaria est remissio peccati mortalis commissi post Baptismum, vel in instanti Baptismi essentialiter perfecti. At hæc remissio non fit sine sacramento Pœnitentiæ in re vel in voto; id est, vel reipsa suscepto, vel aliquo vice ipsius operante quodammodo, cum speciali obligatione ad ipsum suo tempore recipiendum, velut medium per se primò necessarium ad talem remissionem. Maior patet ex Scriptura, quæ passim docet sine remissione peccatorum mortalium, neque gratiam Dei, neque vitam æternam haberi posse: *Nihil enim coinquinatum intrabit in regnum cælorum*, Apoc. 21. &, *Iniqui regnum Dei non possidebunt. Neque fornicarii, neque idolis seruientes*, &c. 1. Corinth. 6. v. 9. & 10. Minor autem colligitur ex Trident. sess. 14. cap. 4. vbi docet, etsi contritionem aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa ineluditur, non esse adscribendam. Nimirum sicut postquam à Christo constitutum & promulgatum fuit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, Ioan. 3. Baptismus vel in re vel in voto necessarius est, iuxta doctrinam eiusdem Cõcilii sess. 6. cap. 4. Sic vbi decretum & promulgatum fuit, *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt:* Sacramentum pœnitentiæ necessarium est adultis baptizatis mortaliter peccantibus, quorum peccata mortalia remissioni & retentioni Sacerdotũ, per illa verba, ita subiecta fuerunt, vt licet aliquando per contritionem deleantur extra vsum Sacramenti pœnitentiæ: non deleantur citra votum & obligationem illius subeundi tempore necessario, tanquam medii per se quodammodo vnici ad talem remissionem instituti: ita vt sine ipso, vel aliquo velut ipsius vicario, & cum peculiari obligatione ad ipsum, non possit obtineri. Et sicut quando iustificatur aliquis non baptizatus, per contritionem charitate perfectam, iustificatur in voto Baptismi, ad quem actu suscipiendum obligatus manet: sic, &c. Est enim, *Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post baptismum ad salutem necessarium, vt nondum regeneratis ipse Baptismus* quemadmodum ait Trid. sess. 14. c. 2. in fine.

3. Confirmatur.

Hanc ratiocinationem confirmat idem Concilium sess. 14. cap. 5. vbi sacramentalis confessionis necessitatem colligit ex illis Christi verbis Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata*, &c. iuxta communem sensum Ecclesiæ, cuius indicia mox proferam. Sic enim semper intellexit Ecclesia, non quomodocunque dedisse Christum Apostolis, & Sacerdotibus eorum successoribus potestatem remittendi, retinendique peccata: sed vniuersos fideles subiecisse eidem potestati: ita vt tenerentur peccata sua mortalia non ante Baptismum commissa, ad Sacerdotum iudicium deferre. Vt sensus sit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt*, id est, quorum non remiseritis, non remittentur omnino: aut si remittentur per contritionem charitate perfectã; id tamen non fiet sine obligatione sistendi se iudicio vestro, & obtinendi per vos remissionem, ac veluti verificandi remissionem priùs à me factam: sicut in foris sæcularibus verificantur gratiæ & literæ à Regibus concessæ. Et meritò quidem sic institutum fuit. Tum quia contritio charitate perfecta, rara, ignota, difficilisque est: tum quia decuit vt non quisque ad libitum pro peccatis propriis satisfactionem sibi imponeret, aut arbitratu suo de illis cẽseret: sed Christi vicariis id committendum fuit, qui lepram à lepra discernant; & quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro criminum qualitate & pœnitentium facultate salutares & conuenientes satisfactiones iniungant, vt ait Trid. sess. 14. cap. 8. post medium.

4. Dixi in conclusione Pœnitentiæ Sacramentum necessarium esse necessitate medii iis, qui post Baptismum lethaliter peccauerunt, non autem iis, qui tantùm venialiter. Nam licet vtiliter de venialibus confiteamur, veréque ab illis sacramentaliter absoluamur: ad hoc tamen non obligamur, sed citra culpam in confessione omitti, aliisque multis remediis expiari possunt, vt ait Trident. sess. 14. cap. 5. Neque inconueniens est in illa Christi propositione, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt*, nomen *Peccata* in priori membro latiùs sumi, extendique ad venialia, quàm in posteriori, vbi complectitur sola mortalia. Fauor enim remissionis ampliãdus est, neque illo priuari debuerunt, qui leuiter peccarunt: tametsi odiosa retentione comprehendendi non fuerunt, quæ iure optimo restricta fuit ad peccata mortalia, homines iræ filios, & damnationis æternæ reos, Deique inimicos constituentia.

5. Dixi præterea Sacramentum Pœnitentiæ necessarium esse necessitate medii in re, vel in voto: quia per contritionem charitate perfectam potest sine illo in re susceptо obtineri iustificatio à peccatis mortalibus post Baptismum commissis; sed non sine illius voto, vt definit Trident. sess. 14. cap. 4. Per votum autem huius Sacramenti, quo mediante iustificamur extra ipsius vsum, non debet necessariò intelligi formale, & expressum propositum illius suo tempore recipiendi: sed sufficit implicitum, & virtuale, quale in actu contritionis includitur, vt docet Trident. cap. 4. cit. cùm ait contritionem charitate perfectam iustificare quidem à peccatis mortalibus, *priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse ascribendam.* Idemque affirmant expressè D. Bonauent. in 4. dist. 17. art. 2. quæst. 4. Ricard. a. 1. qu. 1. ad 4. Maior dist. 14. quæst. 2. Sotus ibid. quæst. 1. a. 5. Nauar. in Sum. cap. 1. num. 24. Suar. disp. 17. sect. 3. num. 9. & alii communiter. Neque ad requirendum propositum explicitum vllum est solidum & sufficiens fundamentum.

6. Iustificamur autem in voto sacramenti, quatenus contritio tale propositum virtualiter saltem includens, subit quodammodo vicem Sacramenti Pœnitentiæ, eiusque loco suo tempore obeundi acceptatur ad finem iustificationis, sicut chirographum in emptione acceptatur pro pretio, cum onere tamen, & obligatione soluendi suo tempore. Nam Sacramentum Pœnitentiæ est medium per se quodammodo vnicum ad remissionem peccati mortalis post Baptismum commissi. Ita vt nunquam nisi per ipsum remittatur, aut per eius vicarium. Ac si quid aliud sit causa remissionis; sit quatenus eius vicem, & locum subit cum obligatione suscipiendi suo tempore sacramenti pro illis ipsis peccatis tunc remissis. Idemque dico de Baptismo respectu peccati Originalis, & mortalis actualis ante Baptismum commissi. In quo Baptismus, & Pœnitentia differunt à Confirmatione, Eucharistia, & aliis vel Sacramentis, vel præceptis non eo modo necessariis, vt fusiùs exposuimus disput. 20. sect. 4.

7. Idem probatur ex SS. Patribus.

Eiusdem testes necessitatis sunt antiqui illi Patres, quos disput. 41. sect. 3. retulimus. Eò enim spectat illud Dionysii, *Cùm ille quidem quod oportuit*, &c. & illud Clementis, *Quò possit integrâ fide & operibus bonis pœnas æterni ignis effugere*: & illud Tertull. *Cur salutem tuam deseris?* & *An melius est damnatũ latere, quàm pœnã absoluit?* & illud Basil. *Necessariò peccata illis aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei.* Et illud August. *Nemo sibi dicat occultè ago*, &c. *Ergo sine causa dictum est, quæ solueritis in terrâ*, &c. Et illud Leonis Magni, *Sic diuinæ bonitatis præsidiis ordinatis, vt indulgentia Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri.*

8. Hilar.

Adde Hilarium Can. 18. in Matth. vbi sic ait: *Immobile seueritatis Apostolicæ iudicium præmisit, vt quos in terris ligauerint, id est, peccatorum nodis innexos reliquerint; & quos soluerint, confessione videlicet veniæ receperint in salutem: Hi Apostolicæ conditione sententiæ in cœlis quoque aut soluti sint, aut ligati.* Nota illam expositionem verbi

ligauerint, id est, inquit, peccatorum nodis innexos reliquerint: quâ confirmat illud quod paulò ante diximus, retinere peccata Ioannis 20. significare, non remittere: sicut ea ligare Matthæi 16. & 18. significat, non soluere: & non debere solùm intelligi de retentione positiua per modum iudicii, & sententiæ de ligando aut retinendo latæ: sed etiam de simplici negatiua, quæ eo ipso est, quòd peccata nondum sacerdotali absolutione remissa fuerint. Adde

Origen. præterea Origenem hom. 2. in Psal. 37. vbi eleganti comparatione rem explicat. Sicut, inquit, illiqui habent intrinsecus escam indigestam, aut humoris, vel phlegmatis stomacho grauiter & molestè imminetia, si euomuerint, releuantur: ita, qui peccauerunt, si occultant, & retinent intra se peccatum, intrinsecus vrgentur, & propemodum suffocatur à phlegmate, vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum, & confitetur, simul euomit & delictum, atque omnem morbi digerit causam. Quòd autem de sacerdotali confessione loquatur, ostendit, cùm subiicit: Tantùmodo circumspice diligentius cui debeas confiteri: nempe sacerdoti, iuxta illud eiusdem homilia 2. in Leuit. Cùm non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum, &c. Ex quibus patet, quàm falsò scripserit Caluinus in Antidoto Tridentini sessione sexta capite decimo quinto, Vbique gentium diutiùs mille annis liberam fuisse obseruationem confessionis sacerdotalis: donec, inquit, Innocentius III. cum paucis cornutis bestiis (sic per modestiam reformatam appellat mille ducentos Patres sanctitate, & doctrina conspicuos, qui celeberrimo Lateranensi Concilio œcumenico sub Innocentio III. interfuerunt) laqueum hunc populo Christiano induit, quem Tridentini Patres adstringunt.

SECTIO II.

Occurritur Hæreticorum obiectionibus contra necessitatem Sacramenti Pœnitentiæ.

9. Necessitas confessionis nõ fuit primò impesita ab Innocentio III.

QVæ autem idem Caluinus, aliique Sectarii obiiciunt, facilè diluentur, si notes primò, Innocentium III. Canone *Omnis vtriusque sexus*, non tum primùm confessionis necessitatem induxisse (nam Sancti Patres pro ea suprà citati, annis plusquam sexcentis præcesserunt Concilium Lateranense ab Innocentio celebratum anno 1215.) sed tepidam quorundam, & peruersam consuetudinem, in plures annos confessionem & communionem differentium correxisse: & grauioribus verbis ac pœnis sanxisse, ne à quoquam vltra annum differretur. Testatur tamen Gregorius Nyssenus in epistola ad Latoium Epis-

Nyssen. copum Mitylenes, quæ habetur tomo tertio Bibliothecæ Patrum, etiam suo tempore debuisse fideles in Paschate confiteri. Idemque in vsu fuisse docet Chrysostomus initio homiliæ 30. in Genesim his verbis: *Quia in magnam hanc hebdomadam peruenimus Dei gratia: nunc maximè & ieiunii cursus intendendus, & magis continuandæ sunt preces, faciendaque diligens & pura peccatorum confessio.* Vnde patet, legem annuæ confessionis ab Innocentio potiùs renouatam, quàm primùm latam fuisse.

Chrysost.

10. Nectarius sustulit publicam confessionem.

Nota secundò, quoad factum Nectarii Patriarchæ Constantinopolit. quod commemorat Socrates libro 5. Historiarum cap. 19. Sozomen. lib. 7. cap. 16. & Nicephorus lib. 12. cap. 28. imponere Caluinum, cùm ait, confessionem priuatam ab ipso sublatam fuisse. Neque enim illam, sed publicam tantùm sustulit, & Pœnitentiarium publicum illi præfectum. Idque, vt iidem auctores narrant, occasione scandali à peccato publicato nobilis cuiusdam fœminæ orti. In quo licet à quibusdam Episcopis Nectarius primùm fuerit reprehensus, teste Socrate vbi suprà: plures tamen in Oriente, & tandem omnes sunt illum imitati: perstante tamen priuatæ confessionis sacerdotalis vsu, quem Sozom. eod. loco fatetur esse iure diuino necessarium ad salutem, quemque in Græcia durare testantur Cabazilas in explicatione Liturgiæ capite 29. & Hieremias Patriarcha Constantinopolit. in censura Lutheri.

11. Error Gratiani circa necessitatem confessionis.

Tertiò, Si tempore Gratiani compilatoris Decreti, aliqui dubitarunt, an confessio criminum occultorum necessaria esset, vt ipse refert *de Pœnit.* dist. 1. ante canonem nonagesimum: Ecclesiæ tamen sensus communis hic fuit, vt ex eodem patet can. 90. vbi ex Theodoro Episc. Cantuariensi hæc verba refert: *Quidam Deo solummodò confiteri debere peccata dicunt, vt Græci. Quidam verò sacerdotibus confitenda, esse percensent, vt tota ferè sancta Ecclesia.* Ibidemque post, Canon. 87. parte tertia, & Canone 88. & 89. pluribus, & grauioribus testimoniis docet, quæcunque peccata mortalia Sacramentali confessioni necessariò subiici debere: & pro publicis publicè, pro occultis occultè satisfaciendum esse. Adde, Gratianum hac in re, vt in aliis multis, hallucinatum esse, quòd plures religiosos, & sapientes viros esse putauerit, qui confessionem sacerdoti non esse necessariò faciendam arbitrati sint: ac multò etiam magis, quòd existimauerit talium virorum sententias aliquas contra necessitatem confessionis se adduxisse. Cùm enim canones 90. posuerit: nullus omnino ex illis est, qui sententiam aliquam vllius Patris contineat, ex qua probari possit non esse confessionem necessariò faciendam sacerdoti suo tempore, vt canones ipsos expendenti patebit. Nam 5. primi ex Ambrosio, Augustin. & Chrysost. desumpti, tantùm docent contingere posse, vt peccator iustificetur ante confessionem actualem,

si nimirum perfectè conteratur. Reliqui à sexto ad vigesimum nonum, non pertinent ad rem. Canone 30. citat Authorem operis imperfecti homilia 26. in Matthæum dicentem, mercedem deberi voluntati, non operi: vnde concludit Gratianus, quia confessio fit operis, contritio autem cordis: consequens esse, vt per solam contritionem sine confessione possit quis iustificari. Quæ consequentia & mala est, & extra rem, & ex falso deducta: Nam author operis imperfecti non dicit mercedem deberi voluntati, & non operi: sed deberi quandoque voluntati sine opere, si operis facultas desit: vt manifestè asserit sub finem eiusdem homiliæ. Canones autem 31. & 32. ex Prospero sumpti, clarè docent necessitatem confessionis. Cæteri vsque ad 90. & vltimum, vel sunt impertinentes ad quæstionem propositam, vel eandem necessitatem adstruunt, vt de singulis rectè ostendit Valentia in lib. de Necessitate confessionis cap. 3. §. *Tertiò obiiciunt Gratianum.* Canone autem illo 90. refert dictũ Theodori Cantuar. suprà commemoratum, qui si locutus est de græcis Patribus antiquis, planè deceptus est: Nam nemo hactenus ostendit vllum eorum tam turpiter erasse, & contrarium suprà vidimus ex Dionys. Orig. Basil. Chrysost. & aliis. Si autem loquitur de nouis Schismaticis; eorũ nulla est habenda ratio: in hoc enim, vt in aliis multis, errare potuerunt. Quamquam eos hucúsque confessionis Sacerdotalis vsum retinuisse patet ex suprà citatis Hieremia & Cabasila, & ex Petro Arcudio lib. 4. de Sacramentis, cap. 2.

8. Nota quartò, Contra sacramentalis confessionis necessitatem non pugnare, quòd SS. Patres interdum hortentur ad confitendum soli Deo, & non homini, quando peccatum commissum est, & pudor prohibet mox confiteri, nec adhuc instat confessionis necessitas, quæ certis tantùm temporibus obligat, quemadmodũ & aliæ præcepta positiua. Aut quando dicunt post secretam confessionem Deo factam, ipsiusque vicario, non esse opus propalare peccata secreta, publicamque de ipsis poenitentiam agere: vel non esse confitendum conseruo, aut homini qui exprobret, aut coram testibus, vel in theatro, & similia, quæ in confessionem sacramentalem non cadunt: quippe quæ non fit conseruo, sed Deo, & Christi vicario, superiori Angelis hac in parte, vt expendit Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio. Nec homini qui exprobret, sed qui condoleat: nec coram testibus & in theatro, sed priuatim & sub sigillo inuiolabili secreti. Aut si quando demum iniunt Petrum, vel Magdalenam, vel Publicanum, vel Latronem, & similes, ante institutum poenitentiæ sacramentum, sine ipsius vsu, peccatorum remissionem fuisse consecutos. Quod sanè non est mirum. Nam neque vsus, neque necessitas Sacramenti, ante ipsius institutionem esse potuit. Tale est illud

Quo sensu Patres hortentur soli Deo confiteri

Ambrosii in caput Luc. 22. *Lachrymæ lauant delictum, quod voce pudor est confiteri. Lachrymas Petri lego, satisfactionem non lego,* &c. Ambrosius

Item illud Chrysost. hom. 2. in Psal. 50. quæ homilia habetur in fine tomi 3. nouæ edit. *Peccata tua dicito, vt deleas illa. Si confunderis alicui dicere, dicito ea quotidie in anima tua. Non dico vt confitearis conseruo tuo, vt exprobret. Dicito Deo, qui nouit ea.* Chrysostomus

9. Obscuriora tamen sunt hæc eius loca, quæ sequuntur: hom. 31. in epist. ad Hebr. *Obedire,* inquit, *te volo Prophetæ dicenti, Reuela Domino viam tuam. Ante Deum ergo confitere peccata tua, non linguâ, sed conscientiæ tuæ memoriâ.* Et hom. 4. de Lazaro post med. *Caue homini dixeris, ne tibi exprobret,* &c. *Sed ei qui Dominus est, qui tui curam gerit. Neq; enim ignorat, etiamsi non dixeris.* Et hom. 8. de Poenit. sub finem, vbi illud 1. Cor. 11. *Probet autem seipsum homo,* &c. sic explicat: *Non in commune theatrum accusationem producit. Non delictorum testes statuit. Intus in conscientia, stante nemine, præter eum qui cuncta videt Deum, iudicium peccatorum statuens, & vitam omnem recogitans, in mentis iudicium peccata deducito. Reforma quod deliquisti, atque sic purâ conscientia sacram attinge mensam.*

10. Ad quæ Respondeo primò, neque dubitasse Chrysostomum de necessitate confessionis priuatæ, neque intendisse illam excludere simpliciter, neque negare potuisse, sine aperta contradictione; cum de illa, præter locum supra citatum, scripserit hunc in modum lib. 2. de Sacerdotio: *Multa quidem arte opus est, vt qui laborant Christiani, vltro sibi persuadeant Sacerdotum curationi se submittere oportere.* Et homil. 33. in Ioan. *In peccatis,* inquit, *quæ commisimus confitendis, neminem vereamur: Deum dumtaxat vt decet, formidemus, qui & nunc opera nostra videt, & tunc quos in præsenti non poenitet, damnabit.* Vbi nota necessitatem verbis illis, *Quos in præsenti non pœnitet, damnabit.* Nota præterea verbum, *vereamur.* Neque enim verecundamur confiteri Deo omnia scienti: sed hominibus. De illis ergo loquitur, non de Deo solo, seclusa sacerdote ipsius vicario. Vide etiam quæ ad idem confirmandum ex eodem retulimus disput. 41. sect. 3. num. 35.

Explicatur S. Chrysostomus.

11. Respondeo secundò, Chrysostomum locis citatis non improbare secretam confessionem, sed illam peccatorum publicationem, quæ olim priuatæ confessioni succedere solebat, quamque Nectarius ipsius prædecessor sustulerat: cuius loco vult Chrysostomus vt contenti simus apud Deum recogitare peccata nostra. Iuxta illud Gratiani de Pœnitentia, dist. 1. §. *His authoritatibus,* post canonem 87. *Non est necesse, vt quæ semel sacerdoti confessi fuerimus, denuò confiteamur: sed linguâ cordis, non carnis, apud iudicem verum ea iugiter confiteri debemus.* Et illud S. Leonis Magni epist. 80. ad Episc. Campaniæ, *Illam,* inquit, *contra Apostolicam regulam præsumptionem,* &c. *cõstituo submoueri,*

Gratianus

ne ide ſingulorum peccatorum genere, libellis ſcripta profeſſio publicè recitetur: cum reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis Sacerdotibus indicari confeſſione ſecreta. Quamuis enim plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ propter timorem Dei apud homines erubeſcere non veretur tamen, quia non omnium ſunt huiuſmodi peccata, vt qui pœnitentiam poſcunt, non timeant publicare; remoueatur tam improbabilis conſuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur, &c. Sufficit enim illa confeſſio, quæ primùm Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit.

16. Reſpondet tertiò Suarez, D. Chryſoſtomum loqui prædictis locis de confeſſione Sacramentali & ſecreta: non tamen negare abſolutam neceſſitatem confeſſionis pro eo tempore, quo præceptum eius obligare poteſt: ſed ſolùm intendere confeſſionem non eſſe neceſſariam ſemper in reipſa ad iuſtificationem & remiſſionem peccati; ſed per ſolam interiorem conuerſionem poſſe quamprimum obtineri. Huius autem rei ſignum eſſe, quòd in multis ex dictis locis tractat Chryſoſt. de quotidiano examine conſcientiæ, & hortatur fideles vt ſtatim exeant de ſtatu peccati, ad quod ait non eſſe neceſſarium quamprimum confiteri. Sed hæc reſponſio Suaris accomodari nequit poſtremo loco ex Chryſoſt. ſuprà relato: niſi velit Suarez Chryſoſtomum erraſſe, & in errorem induxiſſe auditores contra illam Trident. definitionem ſeſſ. 13. cap. 7. vbi de probatione à Paulo requiſita ad menſam Euchariſticam, loquitur hunc in modum: *Quare communicare volenti renocandum eſt in memoriam eius præceptum, Probet autem ſeipſum homo. Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat.* Huc vſque Trident. Penultimo quoque Diui Chryſoſtomi loco non aptè quadrat reſponſio Suaris, propter illud, *Cane homini dixeris, ne tibi exprobret.* Nam confeſſio Sacerdotalis nec ſimpliciter cauenda eſt, nec à Patribus dici ſolet fieri homini qui exprobret, ſed Deo potius & ipſius Vicario, quem Chryſ. etiam Angelis præfert. Imò Deo ſeu Domino ſimpliciter confiteri, apud SS. Patres ſæpiſſime idem eſt, ac confiteri Sacerdoti ipſius Vicario. Vt apud Tertull. lib. de Pœnit. cap. 9. & 10. & Auguſt. in Pſal. 66. Qua de re videantur Aegid. Conink diſput. 5. de Pœnitentia, dub. 1. num. 11. & Valent. cap. cit. obiect. 2.

SECTIO III.

Vtrum Sacramentum Pœnitentiæ iterari poſſit

17. QVæſtio propoſita duplicem ſenſum habere poteſt. Primum, an poſſit iterari circa noua peccata? Secundum, an circa eadem peccata iterum in confeſſione propoſita?

Sacramentum Pœnitentiæ poteſt iterari circa noua peccata.

Priori ſenſu Sacramentum Pœnitentiæ iterari poſſe ſatis liquet ex vſu Eccleſiæ: & confirmatur à Concilio Lateran. can. 21. *Omnis vtriuſque ſexus*, vbi fideles omnes iubentur ſemel ſaltem confiteri ſingulis annis: & à Concil. Trident. ſeſſ. 14. can. 1. vbi anathematizatur qui dixerit poenitentiam non eſſe verè & propriè Sacramentum, pro fidelibus quoties poſt Baptiſmum in peccata labuntur ipſi Deo reconciliandis à Chriſto Domino noſtro inſtitutum. Et verò Chriſtus vniuerſaliter & abſolutè dixit, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, Ioan. 20. nec miſericordiæ ſuæ terminum vllum hac in vita præſcripſit quoad peccati remiſſionem. Neque minùs paratus eſt ad remittendum hominibus, quàm homines ſibi inuicem remittere voluerit: cùm doceat nos petere vt dimittantur nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: & Luc. 6. velit nos eſſe miſericordes, *ſicut & pater noſter miſericors eſt.* Petro autem quærenti quoties fratri peccanti, & veniam petenti dimitteret? Vſque ſeptie? Reſpondit Matth. 18. *Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties*, id eſt, ſine fine: numerus enim ille definitus ponitur pro indefinito, vt exponit Hieronym. ibid. Hilar. can. 18. in Matth. & Chryſoſt. homil. 62. in eundem, aliique communiter: ex eodemque loco argumentatur D. Thom. ad probandum id quod intendimus, quæſt. 84. art. 10. §. *Sed contra.*

Adde quòd in veteri Teſtamento poterant relapſi per poenitentiam reſtitui, eóſque Deus ad reconciliationem hortatur ſine vllis limitibus vel quoad tempus intra terminos huius vitæ, vel quoad multitudinem, & grauitatem peccatorum, aut peccandi viciſſitudinem. Iſaiæ 1. verſu 16. & ſeqq. Hierem. 3. v. 12. Ezech. 18. v. 21. 23. & 30. Ioel 2. verſ. 12. aliiſque locis. Non ſumus autem deterioris conditionis in lege gratiæ. Et remiſſio mortalium poſt baptiſmum non fit ſine ſacramento Pœnitentiæ, aut eius voto, vt ſuprà diximus cum Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. Cúmque, vt addit idem Concilium can. 1. eiuſdem ſeſſ. hoc ſacramentum fuerit inſtitutum pro fidelibus Deo reconciliandis, quoties poſt baptiſmum in peccata labuntur: ſequitur toties iterari poſſe, quoties fideles poſt baptiſmum lapſi voluerint Deo reconciliari. Neque tantùm poſſunt, verùm etiam debent ſæpiùs accedere ad ſacramentum Pœnitentiæ, ſi ſæpiùs lethaliter peccent. Tenentur enim ex neceſſitate ſalutis omnia peccata lethalia Sacerdoti ſubjicere in hoc ſacramento. Quippe ſine quo in re, vel in voto, iuſtificari nequeunt à peccato mortali poſt Baptiſmum commiſſo. Non tamen ita vt teneantur adire quoties aut quamprimum lethaliter peccauerint: ſed ſi iterum peccent lethaliter poſt ſuſcep-

18. Ambroſ.

tum sacramentum pœnitentiæ, tenetur illud iterum adire suo tempore, idque vt minimum semel in anno, iuxta statutum Lateranense, Canone suprà citato.

18. Illud autem Ambrosii lib. 2. de Pœnit. cap. 10. *Reperiuntur, qui sæpius agendam pœnitentiam petant, &c.* de pœnitentia publica & solemni, quæ semel tantùm concedebatur, intelligendum est, vt explicatur à D. Thoma quæst. 84. art. 10. ad 2. Locus quoque à Nouatianis obiectus ex Hebræorum 6. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, renouari rursus ad pœnitentiam*, alibi fuit à nobis explicatus de Baptismo, quo etiam sensu exponitur à D. Thom. art. cit. in solutione primi argumenti.

Ambros.

S. Thom.

19. Posteriori quoque sensu Sacramentum pœnitentiæ iterari posse circa eadem numero peccata iterum detestata, & in confessione proposita, docet vsus piorum & doctorum fidelium ab Ecclesia non reprehensus, sed tacitè saltem approbatus: imò etiam expresse à Benedicto XI. in Extrau. 1. de Priuilegiis, vbi docet talem confessionem esse Sacramentalem, etsi non necessariam, quia non est necesse de peccatis semel confessis & absolutis iterum confiteri: idemque docent D. Thomas in 4. distinct. 18. quæst. 1. art. 3. quæst. 2. ad 4. Durandus, Sotus, Palud. Henricus, Caietanus, Medina, & alii communi consensu. Ratio à priori ab institutione Christi petenda est. Christus enim potestatem sacramentalem remittendi concedens, non illam limitauit ad vnum actum remissionis circa eadem peccata, vt declarauit vsus Ecclesiæ, & Pontifex supra citatus. Addit Suar. disp. 18. sect. 1. assert. 2. hanc rationem congruam: quoniam, inquit, consentaneum fuit fini huius Sacramenti vt ita fuerit institutum: tum propter vtilitatem, & maiorem securitatem animarum: tum etiam quia virtus pœnitentiæ iterum atque iterum potest exercere suos actus circa eadem peccata: Ergo congruum fuit, vt idem posset hoc sacramentum, ad iuuandam quodammodo illam virtutem institutum. Præterea peccata actualia, grauia præsertim, sunt multiplici odio digna, & nunquam possunt nobis nimium displicere. Quare de illis meritò sæpius dolere possumus. Possunt etiam meritò sæpius accusari, & pœnis atque satisfactionibus vindicari: maximè cùm ad perfectam absolutionem ex parte actuum pœnitentis possit aliquid deesse, præcipuè verò satisfactio, quæ pro præsenti facultate imponitur, sæpissimeque non est proportionata criminum grauitati, & relinquit multùm pœnæ in Purgatorio exoluendæ, à qua pœnitens, sæpius sese accusando & satisfaciendo, liberari potest. Conueniens ergo fuit vt ad maiorem securitatem, & satisfactionis perfectionem, iterari posset Sacramentum pœnitentiæ, etiam circa eadem peccata. Patet quoque in foris sæcularibus eandem litem sæpius diiudicari posse, & ab eodem crimine sæpius Reum absolui; sicut & sæpius de eodem accusari atque damnari. Neque quicquam frequentius est appellatione ab vno tribunali ad aliud, post prioris sententiam. Et quamuis id non habeat locum nisi in inferiori tribunali respectu superioris: valet tamen ad ostendendum eandem causam posse iterum in iudicio forensi examinari, & definiri iuridicè. In praxi tamen facilè & leui de causa non est ferenda absolutio super sola eadem peccata: multóque minùs propter inanes scrupulos. Quia decentiæ & dignitatis Sacramenti ratio est habenda, vitandumque periculum contemptus, qui inde oriri posset. Scrupuli verò inanes nec fouendi, nec tolerādi sunt.

Poteſt etiã iterari circa eadem peccata.

Benedict.

S. Thom.

Suarez.

Objicitur primò, formas Sacramentorum non posse iterari circa eandem materiam. Ergo neque absolutio circa eadem peccata iterari potest. Respondeo, formas sacramentorum non posse iterari circa eandem materiam proximam: eandem inquam, omni ex parte: posse tamen circa eandem remotam, vt declarat vsus Ecclesiæ. Nam similiter aqua, quæ est materia remota Baptismi, potest eadem numero seruire pluribus baptizandis, non tamen sine diuersa cuiusque ablutione aut immersione. Peccata verò sunt materia tantùm remota sacramenti pœnitentiæ: quare circa illa iterari potest forma absolutionis: licet non sine noua saltem confessione, quæ est materia proxima. Dixi, super eandem materiam proximam omni ex parte: propterea quòd in quibusdam sacramentis forma cadere sæpius potest super materiam proximam eandem ex parte, vt dicemus disp. 44. sect. 11. 20. Obiectio diluitur.

Obiicitur secundò, formam absolutionis non posse verè proferri circa eadem numero peccata. Nam si priùs fuerunt remissa, vt supponimus: ergo pœnitens non est amplius illis obstrictus, & ligatus. Ergo non potest ab illis absolui, cùm ligatus non sit. Ergo non potest verè dici, Absoluo te à peccatis.

Respondeo primò, Obiectionem æquè pugnare contra confessionem peccati mortalis priùs remissi per contritionem: quod tamen esse confitendum, nec sine voto sacramenti fuisse remissum docet Tridentinũ, sessione 14. capite 4. & sessione 6. capite 14. Et in Concilio Constantiensi, sessione 8. damnatur hic error VVicleffi numero septimus, *Si homo fuerit debitè contritus, omnis exterior confessio est sibi superflua, & inutilis.* Quem eundem errorem damnauit quoque Martinus V. in Bulla confirmationis eiusdem Concilii. Addo etiam, pugnare idem argumentum Aduersariorum contra distinctam confessionem de peccatis mortalibus, quæ fuerunt in priori confessione omissa per obliuionem, aut propter impotentiam physicam, vel moralem: quæ nihilominus fuerunt per sacramentum Pœnitentiæ remissa indirectè, vt de peccatis oblitis affirmat Tridentinum sessione 14. capite 5. Et tamen certum est eiusmodi pec- 21. Solutio alterius obiectionis.

Constant.

Digitized by Google

cata esse postea necessariò confitenda distinctè, quoad fieri potest, vt docet vsus fidelium, & vnanimis Doctorum consensus, colligiturque ex Tridentino, sessione & capite citatis: vbi ex Christi verbis Ioannis 20. *Quorum remiseritis &c.* infert, Christum instituisse, vt confessio de mortalibus fiat singillatim, & distinctè quoad speciem, & humerum, & circunstantias speciem mutantes: esseque iure diuino necessarium, vt ad Sacerdotes, tanquam iudices Christi vicarios, omnia mortalia crimina post Baptismum commissa deferantur: qui causâ cognitâ iudicium hoc exerceant, & pro criminum grauitate conuenientes satisfactiones imponant.

22. Respondeo secundò, duplicem esse absolutionem, seu remissionem peccati. Vnam simplicem & primam, quæ sit extinctio peccati existentis moraliter, & nondum remissi ante illam: aliam secundum quid, quæ non sit simplex & prima peccati extinctio, qualis ante illam immediatè peccatum extiterit: sed tantùm noua peccati, licet priùs extincti & remissi, condonatio, ac veluti prioris remissionis confirmatio: quod Theologi vocant remitti nouo titulo. Dico igitur pœnitentem proponentem eadem peccata priùs remissa, non posse absolui priori modo: sed posse tamen posteriori per nouam condonationem, & veluti confirmationem præcedentis remissionis. Potest enim idem peccatum sæpius condonari, vt in humanis experientia notum est. Sufficit autem formam absolutionis alterutro sensu verificari, iuxtà conditionem subiecti, cui applicatur.

23. Quomodo potest absolutio circa eadem peccata vtiliter aut validè repeti?

Dices, huiusmodi condonationem iteratam, seu nouo titulo, esse inutilem: & si nihil aliud facit secunda absolutio, quàm nouo titulo confirmare liberationem à peccato, non plus fuisse conueniens institui à Christo repetitionem Sacramenti pœnitentiæ, quàm Sacramenti Baptismi, in quo similiter poterant gratia regenerationis, & character nouo titulo confirmari: & peccata in eo deleta, nouo titulo deleri. Item, absolutio est actus iurisdictionis. Ergo in absoluēte debet esse ius circa id à quo absoluit. Atqui non est ius circa peccata iam abolita: quia non est ius ad nihil: quod autem iam non est, nihil est. Quemadmodum nemo ius habet ad domum combustam, vel ad fruges consumptas. Imò qui rem licet adhuc extantem semel absolutè donauit; non potest eam iterum donare: quia non habet ius circa illam, neque potest iam de illa disponere.

Ad primum Respondeo, sicut non est inutile, sed pium & religiosum, & magnæ consolationis, vota sæpius renouare, non tantùm memoriæ causâ, & venerationis beneficii vocationis, vt fit in quibusdam Religionibus: verùm etiam ex intentione se de nouo ac totidem titulis obligandi Deo, primamque sui donationem confirmandi: sic, &c. Vt è contrario valde malum & pernicio-

sum est multis de causis totalibus, tanquam multis titulis, excommunicari, aut priuari vitâ æternâ, quæ vltima pœna incurritur quoad reatum per singula peccata mortalia.

Ad secundum, Dico non asseri à nobis secundam absolutionem nihil aliud facere. Præstat enim plures alios effectus, vt mox patebit, propter quos fuit conueniens dari potestatem iterandi Sacramentum pœnitentiæ, potiùs quàm Baptismum: atque etiam, quia Baptismus est institutus per modum generationis & natiuitatis spiritalis. At semel tantùm generamur & nascimur corporaliter. Ergo Sacramentum illi generationi respondens non debuit iterari, vt seruetur proportio inter generationem spiritalem & corporalem. Pœnitentia verò est instituta in modum medicinæ, quæ quoties morbi recurrunt, applicanda est: atque etiam contra morbi præteriti reliquias, & effectus applicari potest. 24.

Ad tertium Respondeo, ad sententiam iuridicam confirmatiuam præcedentis exercitii iuris, sufficere, quòd iudex habuerit ius circa rem de qua fertur iudicium, cum præsenti iurisdictione circa personam petentem vt priùs iudicium pro sua potestate & authoritate iudiciali ratum habeat, & magis atque magis confirmet. Qui verò rem semel donauit absolutè, non potest ampliùs de illa aliter disponere: potest tamen sæpius donationem suam confirmare, ac velle ratam & firmam esse: & quidem eo affectu, qui sufficeret ad donandum simpliciter, si antea non dedisset. Sic qui vota religiosa sæpiùs renouant, possunt, nisi quid aliud obstet, eo animo renouare, vt confirment donationem suiipsorum factam Religioni.

25. Altera instantia.

Instabis, quia sacramentum Pœnitentiæ semel applicatum habet totum effectum, quem habere potest circa idem peccatum. Cùm enim semel remittit peccatum remittit integrè & perfectè, nec quicquam superest, quod per aliud sacramentum Pœnitentiæ effici possit circa idem peccatum, ergo non potest circa illud iterari. Confirmatur à simili. Nam ea de causa sacramenta quædam circa eandem personam nequeunt iterari: quia semel applicata, efficiunt circa illam quicquid possunt.

Sacramēta Pœnit. potest magis operari circa eadem peccata, sæpius illis applicata?

Respondeo, cur sacramenta vel absolutè, vel hoc aut illo modo iterari non possint, rationem summam esse, institutionem Christi, vsu Ecclesiæ, vel Conciliorum definitione & Maiorum doctrina explicatam. Ex eademque petendum esse, cur quædam sacramenta semel dumtaxat applicata subiecto, sortiantur omnem effectum, aut illi rursus applicari non possint; cuiusmodi ea sunt quæ characterem imprimunt, Baptismus scilicet, Confirmatio, & Ordo: alia verò quædam possint quidem absolutè iterari: non tamen nisi pro diuersa conditione suscipientis: vt Extrema vnctio in diuersa

infirmitate, vel in diuerſo mortis periculo: Matrimonium, defuncto altero coniugum: & Pœnitentia, iterum ſaltem contrito & confeſſo. Neque verum eſt vnam abſolutionem operari quidquid poteſt ſacramentum Pœnitentiæ in tali ſubiecto circa idem peccatum. Poteſt enim ſi iteretur, illud iterum remittere: non primò & ſimpliciter, ita vt priùs remiſſum non fuerit; ſed per iteratam condonationem, & quaſi confirmationem remiſſionis priùs factæ. Poteſt item aliquid poenæ temporalis adimere ex priori confeſſione reſtantis. Poteſt inſuper gratiam nouam infundere, quæ licet expreſſè non ſignificetur verbis illis, *Ego te abſoluo*: conferatur tamen reipſa, & ſignificatur implicitè, ſicut per alias ſacramentorum formas: magiſque ac magis Deo reconciliat peccatorem: id eſt, reſtituit amicitiæ, aut familiaritati, quam peccatum abſtulerat: & plus auxilii confert ad peccata vitanda.

26. Peccatum poteſt magis & magis remitti.

Verum quoque non eſt peccatum ſemel ita remitti, vt ampliùs & magis remitti non poſſit ex parte cauſæ. Licet enim totaliter ex parte obiecti, & omnino remiſſum ſit quoad culpam, nec quicquam illius ſuperſit: poteſt tamen magis remitti ex parte cauſæ per plures condonationes, quarum quælibet ex ſe ſola valeret ad ſimplicem peccati remiſſionem & extinctionem, ſi aliæ deeſſẽt. Et ſi per impoſſibile peccatum eſſet reuocandum, & remiſſio retractanda: tantò maiori retractatione opus eſſet, quo plures fuiſſent condonationes totales. Nam ſi vna tantùm reuocaretur, maneret alia; & ad remiſſionem ſimplicem, & extinctionem peccati per ſe ſola ſufficeret: quare adhuc remiſſum & extinctum maneret. Sic ex oppoſito poteſt pluribus titulis ligari quiſpiam, & excommunicari, iuxta doctrinam D. Thom. q. 22. ſuppl. a. 6. & in 4. diſt. 18. qu. 2. art. 3. §. *Ad tertiam quæſtionem*. Vbi ait excommunicationem poſſe multiplicari ſecundum cauſam: ita vt quamuis excommunicatio totalis ſit priuatio quædam totius formæ, ideóque videatur non poſſe recipere magis & minus ſecundum ſe: recipiat, tamen magis & minus ſecundum cauſam; atque ita poſſit aliquis eſſe magis aut minùs excommunicatus ratione cauſæ, quæ quantò maior aut multiplex eſt, maiori & multiplici remiſſione opus eſt, vt tollatur excommunicatio. Verba D. Thomæ loco cit. hæc ſunt: *Priuatio quamuis non recipiat magis & minus ſecundum ſe, recipit tamen magis & minus ſecundum cauſam ſuam: & ſecundum hoc excommunicatio poteſt iterari: & magis eſt elongatus à ſuffragiis Eccleſiæ* (id eſt, priuatus bonis communibus Eccleſiæ) *qui pluries eſt excommunicatus, quàm qui ſemel tantùm.*

Aliter huic difficultati reſpondet Aegid. Coninc diſp. 4. de Pœnitentia dub. 6. num. 52. & ſeqq. Quot ſcilicet modis peccatum ligat pœnitentem, tot illum modis dici poſſe à peccato abſolui. Ligat autem peccatum, & per reatum culpæ, & per reatum pœnæ, ſiue æternæ, ſiue temporalis: & quatenus eum indignum reddit omni gratia & gloria, impeditque, quantum eſt ex ſe, ne beneficia diuina conſequatur: atque etiam quatenus obligat eum ad confitendum. Formam verò abſolutionis ſignificare omnem ſolutionem vinculorum peccati, ſiue ſecundum culpam, ſiue ſecundum poenam, ſiue ſecundum indignitatem, ſiue ſecundum obligationem confitendi, & aliam quamcũque rationem, ſecundum quam peccatum ligat. Significare, inquam, indeterminatè, & verificari, ſecundum modum quo poenitens eſt ligatus, & ſecundum diſpoſitionem quam habet, vt vno aut pluribus, & hoc aut illo modo abſoluatur. Sed hæc reſponſio non placet. Nam ex ea ſequeretur formam abſolutionis aliquando validam fore ſub his verbis, Abſoluo te ab obligatione confitendi: Abſoluo te à reſiduo poenæ temporalis: Reddo te minùs indignum Dei beneficiis: Reconcilio te magis ipſius amicitiæ. Et quia accuſatio non requiritur niſi propter abſolutionem: ſequeretur ſufficere, poenitentẽ proponere in confeſſione id à quo abſoluendus eſt. Quare ſufficeret dicere, Sum reus poenæ temporalis: Sum minùs dignus Dei beneficiis: Volo magis reconciliari cum Deo: quæ omnia ſunt falſa & abſurda.

27. Coninc.

DISPVTATIO QVADRAGESIMA QVARTA.

De effectibus sacramenti Pœnitentiæ: & primò quoad remissionem peccatorum mortalium.

Sectio I.	*An per Pœnitentiam omnia peccata remitti possint?*
Sectio II.	*An, & quomodo peccatum mortale potest remitti sine Sacramento Pœnitentiæ?*
Sectio III.	*An contritio sine dilectione sufficiat ad iustificationem: & vice versa, an sufficiat dilectio sine contritione?*
Sectio IV.	*An contritio iustificet semper à peccato eodem instanti?*
Sectio V.	*An de potentia absoluta peccatum habituale remitti possit sine pœnitentia?*
Sectio VI.	*Soluuntur obiectiones opinionum contrariarum.*
Sectio VII.	*Aliæ duæ sententiæ refutantur.*
Sectio VIII.	*Vtrum per pœnitentiam possit vnum mortale remitti sine alio?*
Sectio IX.	*Vtrum remissa culpa per pœnitentiam, remittatur reatus pœnæ?*
Sectio X.	*Soluuntur aliquot quæstiones circa doctrinam propositam.*
Sectio XI.	*An de potentia absoluta possit Deus remittere culpam retentâ pœnâ æternâ.*
Sectio XII.	*An remissio peccati sit effectus primarius sacramenti Pœnitentiæ.*

QVÆ de virtute Pœnitentiæ disputat S. Thom. qu. 85. partim sect. 1. disp. 41. exposita fuerunt, partim commodiùs explicabuntur alibi, cùm sermo erit de primo actu pœnitentis, seu prima parte materiali sacramenti Pœnit. Iam de effectibus, de quibus D. Thom. q. 86. & tribus sequent. vbi tamen de Pœnitentia latiùs disputat, quàm prout sacramentum est. Nos verò de sacramentali primò & præcipuè loquimur in præsenti tractatu, in quo non de virtutibus, sed de sacramentis per se disputatur. Ita tamen vt non omittamus dicere quæ sit efficacia virtutis Pœnitentiæ quoad eosdem effectus. Quod autem attinet ad effectum remissionis peccatorum mortalium doctrina D. Thom. q. 86. est. 1. Omne peccatum hac in vita per veram pœnitentiam deleri posse. Quia nullum est, de quo pœnitens cum gratiæ Dei auxilio dolere nequeat: quodque non possit per Dei misericordiam, virtutemque passionis Christi intuitu huius doloris salutaris remitti. 2. Nullum peccatum actuale posse in hac vita remitti sine virtute pœnitentiæ. Quia fieri non potest, vt Deus remittat offensam alicui absque immutatione voluntatis eius. Offensa autem peccati

Digitized by Google

mortalis procedit ex eo, quòd voluntas hominis est auersa à Deo per conuersionem ad aliquod bonum commutabile: vnde requiritur ad remissionem diuinæ offensæ, quòd voluntas hominis sic immutetur, vt conuertatur ad Deum cum detestatione conuersionis prædictæ, & proposito emendæ, quod pertinet ad rationem pœnitentiæ secundum quod est virtus. 3. Vnum peccatum mortale non remitti per pœnitentiam sine alio. Quia non potest remitti sine gratia, quæ est incompatibilis cum quolibet peccato mortali: neque etiam potest deleri, sine vera pœnitentia, ad quam pertinet deserere peccatum, in quantum est contra Deum: quod quidem est commune omnibus peccatis mortalibus. Vbi autem est eadem ratio, est idem effectus. Vnde non potest esse verè pœnitens, quem de vno peccato pœnitet, non de alio. Et denique id repugnat perfectioni misericordiæ Dei, cuius perfecta sunt opera: vnde cuius miseretur, totaliter miseretur. 4. Remissa culpa mortali, simul quidem tolli reatum pœnæ æternæ: quia tollitur auersio animæ à Deo, cui respondet reatus pœnæ æternæ: posse tamen manere reatum alicuius pœnæ temporalis, per quam inordinatio conuersionis ad creaturam reducatur ad ordinem iustitiæ. 5. Nihil etiam prohibere, quin remissa culpa mortali, remaneant in anima dispositiones aliquæ ex præcedentibus actibus causatæ: quæ dicuntur peccati reliquiæ: quia sublato eo, quod est ex parte auersionis, remanere potest id quod est ex parte conuersionis inordinatæ: cùm hanc contingat esse sine illa, vt patet in peccatis venialibus. Remanent tamen debilitatæ, & diminutæ: ita vt homini non dominentur: magisque per modum dispositionum, quàm per modum habituum: sicut etiam remanet fomes post Baptismum. 6. Remissionem culpæ esse magis præcipuè effectum sacramenti, quàm virtutis pœnitentiæ. Quia pœnitentia est virtus, secundum quod est principium quorundam actuum humanorum. Actus autem humani, qui sunt ex parte peccatoris, materialiter se habent in sacramento Pœnitentiæ. Omne autem sacramentum producit effectum suum, partialiter quidem virtute materiæ: sed principaliùs virtute formæ. Quare remissio culpæ est effectus pœnitentiæ, principaliùs quidem ex virtute Clauium, quas habent ministri, ex quorum parte accipitur id, quod est formale in hoc sacramento: secundariò autem ex vi actuum pœnitentis, pertinentium ad virtutem pœnitentiæ, tamen prout hi actus ordinantur aliquatenus ad Claues Ecclesiæ, & cum forma componunt vnum Sacramentum. Huc vsque D. Thomas.

SECTIO I.

An per Pœnitentiam omnia peccata remitti possint?

1. NOta primò, dupliciter intelligi posse, quòd aliqua peccata non possint remitti per pœnitentiam. Primò, quia non possunt subiici pœnitentiæ, defectu auxilii ad pœnitendum necessarii, aut alterius rei. Secundò, quia licet illi subiiciantur, non est in illa virtus sufficiens ad delenda eiusmodi peccata.

Nota 2. quæstionem esse posse vel de sacramento Pœnitentiæ dumtaxat: vel etiam latiùs de virtute pœnitentiæ sumpta pro cõtritione, quæ extra sacramenta vim habet iu-

stificandi, vt dicemus sectione sequenti.

2. Pœnitentiæ virtus vim sufficientē habet contra omnia peccata.

His prænotatis, Dico primò, tam in virtute, quàm in sacramento Pœnitentiæ, esse efficaciam sufficientem ad delenda quæcunque peccata illi ritè subiecta: ita vt nullum sit peccatum quod remitti non possit, si vera de illo habeatur pœnitentia. Hæc conclusio est certa apud omnes Catholicos: & de virtute quidem poenitentiæ probatur his Scripturæ testimoniis, quæ generaliter quibuscunque poenitentibus remissionem peccatorum promittunt. *Si impius egerit pœnitentiam*, &c. *omnium iniquitatum eius non recordabor.* Ezech. 18. *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius: & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* Isa. 55. Nec obest quod priore loco additur, *Si mandata mea custodierit*: id enim, pro tunc, de custodia in proposito intelligendum est. Quod propositum habet poenitens, virtualiter saltem & implicitè, hoc ipso quòd de peccatis conteritur. Item Ezech. 33. *Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat.* & 2. Petri 3. *Deus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Quibus, & similibus Scripturæ locis constat Deum habere voluntatem remittendi peccata quibuscunque verè & sufficienter poenitentibus: peccata, inquam, omnia, sine limitatione grauitatis, aut multitudinis.

3. Idem dicēdum de sacramento Pœnit.

De sacramento verò Pœnitentiæ probatur primò ex verbis institutionis, Ioan. 20. vbi pariter absolutè, ac sine vlla limitatione asseritur, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* & Matth. 18. v. 18. Christus eandem potestatem promittens, dixerat generaliter, *Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis.* Probatur secundò ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. *Firmiter, de summa Trinit.* sub finem. & Trid. sess. 14. can. 1. vbi sine exceptione asseritur fideles, post Baptismum in peccatum prolapsos, per veram pœnitentiam posse semper recuperari: & hoc sacramentum institutum fuisse pro ipsis Deo reconciliandis, quoties in peccatum post Baptismum inciderint. Tertiò probatur ex generali perpetuaque Ecclesiæ consuetudine admittendi ad pœnitentiam quoscunque pœnitentes, de quocunque statu & genere, & multitudine peccatorum. Quam consuetudinem antiquissimam esse constat ex Innocentio I. epist. 3. ad Exuperium cap. 2. Euseb. lib. 6. historiæ cap. 34. Syricio Papa epist. 1. ad Himerium Tarraconensem Episcop. cap. 5. & aliis antiquis scriptoribus. Probatur quartò, quia non minus est virtutis in sacramento Pœnitētiæ ad delenda peccata mortalia ipsi subiecta, quàm fuerit olim, & nunc etiam sit in perfecta virtute pœnitētiæ, seu contritione propriè dicta, quæ sine illius voto non valet ad delenda mortalia post Baptismum commissa, iuxta Trident. sess. 14. cap. 4. Atqui perfecta virtus pœnitentiæ vim habet ad delendum quodcunque peccatum sibi subiectum, vt paulò ante ostēdimus. Quintò denique, ratio congrua à D. Thoma q. 86. art. 1. sumitur ex virtute Passionis Christi, quæ ad delenda totius mundi peccata sufficit, 1. Ioan. 2. v. 2. & in poenitentiæ virtute, atque sacramento applicatur abundè ad tollenda peccata omnia ipsi ritè subiecta, vt ostendunt Scripturæ testimonia superiùs allata, quæ ad hæc aut illa peccata sine ratione restringenda non sunt: cur enim Dei promissiones fauorabiles & amplissimè concessas coarctemus?

Innocent. Eusebius. Syricius.

S Thom.

4. Error contrarius Mōtan. & Nouatian.

Errarunt ergo Montanistæ, Nouatiani, & alii qui poenitetiæ vim esse negarunt ad tollenda mortalia, vel omnia post Baptismum commissa, vel eadem sæpius iterata, vel aliqua saltē grauissima, vt Apostasiam v. g. vel negationem fidei in tormentis, vt refetum Theodoret. in Epitome diuinorum decretorum cap. penult. Hieronym. lib. 2. contra Iouinian. & Epiphan. hæresi 59.

Theodoret Hieron. Epiphan. DeLugo.

Possitne dari peccatum irremissibile ex natura sua?

Notandum tamen est id, quod rectè aduertit eruditissimus Cardinalis Delugo disp. 8. sect. 1. n. 4. conclusionem propositam intelligendam esse de facto, & de ordine rerū qui est: in quo Deus habet decretum remittendi peccata quælibet verè pœnitentibus. Quia si loquamur de alia hypothesi possibili, non repugnat dari aliquod peccatum, cui ex natura sua, & ex principiis suis intrinsecis repugnet remitti per poenitentiam. Huiusmodi esset peccatum illius, cui Deus reuelaret nolle se illi quātumuis poenitenti remittere peccata vlla: quique nollet credere tali reuelationi propositæ cum sufficienti credibilitate, & obligatione ad credendum. Quo supposito sic argumentor: Peccatum illud quod ex natura sua & ex principiis suis intrinsecis supponit aliquid, quo supposito est irremissibile, est ex natura sua, & ex principiis suis intrinsecis irremissibile. At eiusmodi est peccatum infidelitatis de quo loquimur: ergo, &c. Maior est euidens: Minor probatur: quia tale peccatum nolendi culpabiliter credere, supponit reuelationem diuinam de peccatis quibuslibet sibi quantumuis poenitenti non remittendis. Supposita autem huiusmodi reuelatione, peccata illius hominis sunt irremissibilia per poenitentiam: quia implicat Dei reuelationem esse falsam: neque potest Deus facere contrarium suæ reuelationis & sui decreti absoluti, & efficacis, in sensu cōposito. Id est, non potest coniungere tale decretum cum non executione illius, & talē reuelationem cum euentu oppositō. Quare nō potest habere tale decretum (quod supponimus habere, & reuelare) de non remittendis peccatis per poenitentiam, & nihilominus simul ea remittere per poenitentiam. Itaque peccatum illud infidelitatis supponit aliquid ex suis principiis intrinsecis, quo supposito est irremissibile per poenitētiam. Prima tamen & summa ratio huius irremissibilitatis oritur ex infallibilitate reuelationis diuinæ, & immutabilitate decreti diuini absoluti, & efficacis. Vnde si quis falleretur putans esse talem reuelationem, quæ non

Digitized by Google

est: & nollet parere obligationi credendi malè præsumptæ: non propterea eius peccatum esset irremissibile per pœnitentiam. Quia Deus reipsa voluntatem habet illud remittendi posità pœnitentiâ.

5. Quodlibet peccatum potest subjici virtuti pœnitentiæ per se loquendo.

Dico secundò, Nullum esse peccatum, quod quantùm est de se, non possit subiici virtuti pœnitentiæ, id est, non sit materia illius idonea, & apta vt per illam remittatur. At sacramento Pœnitentiæ non possunt subiici peccata ante baptismum cõmissa: sed tantùm ea, quæ post baptismum, vel in ipso instãti quo perficitur baptismus, cõmittuntur. Prima pars probatur, quia vt aliquod peccatum possit quantum est de se, subiici perfectissimæ poenitentiæ, quæ est contritio, capax remittendi omne peccatum ei subiectum, sufficit vt sit Dei offensa contra amicitiam, & commissa ab ipso poenitente. At nullum est peccatum actuale, seu personale (de quo peccato loquimur hîc, non autem de originali, de quo licet non possit haberi contritio & actus poenitentiæ: potest tamen deleri per actus charitatis, siue amoris Dei super omnia, siue odii & detestationis de peccato illo concepti ex motiuo charitatis erga Deum) nullum, inquam, peccatum est, quod non sit offensa contra amicitiam, & Deo displicens. Ergo nullum est peccatum, quod quantùm est de se, non possit subiici virtuti poenitentiæ.

6. Secunda pars de sacramento Poenitentiæ probatur, quia sacramentum hoc, quod secundum institutionem Christi est exercendum in modum iudicii à Pastoribus Ecclesiæ, tanquam iudicibus à Christo delegatis, fuit institutum pro personis & causis subiectis Ecclesiæ iurisdictioni. At personæ nondum baptizatæ non subsunt Ecclesiæ iurisdictioni, iuxta illud Pauli 1. Corinthiorum 5. *Quid mihi de iis qui foris sunt iudicare?* Quem locum in eundem sensum allegat Trident. sess. 14. cap. 2. Peccata quoque ante Baptismum commissa non pertinent ad Ecclesiæ iurisdictionem: quia sunt iis similia, quæ cõmittuntur à non subiectis alicui regno vel prouinciæ, extra ipsius territorium: de quibus non potest iudex illius regni aut prouinciæ iudicare: sed de illis tantùm quæ committuntur à subditis, aut etiam ab alienis in ingressu territorii, aut intra illud. Hoc enim ipso quòd peccant in territorio: incurrunt forum illius, & quoad hoc peccatum subsunt illius iurisdictioni. Quare non pertinet ad sacramentum Pœnitentiæ, nisi vel ea peccata quæ committuntur à iam baptizatis & subditis Ecclesiæ, vel ipso instanti Baptismi, velut in ingressu territorii. Cætera verò priùs commissa pertinent ad Baptismum.

7. Per accidens non possunt aliqua peccata subjici virtuti pœnit.

Dixi, *quantum est de se*, id est, quantum est ex ipsa natura & conditione peccati, quæ continetur in obiecto adæquato vel virtutis, vel sacramenti pœnitentiæ, adeóque est de se apta materia vt illi subiiciatur. Fieri tamen potest vt aliunde peccatum aliquod non possit ei subiici, vel defectu auxilii necessarii ad pœnitentiam salutarem, quod vtrum aliquibus negetur, dicemus in fine sectionis: vel defectu temporis quo possit subjici pœnitentiæ; vt contingit in peccatis impœnitentiæ finalis, id est, quæ in ipso vitæ fine committuntur, vel vsque ad instans mortis actu perseuerant. Nam peccatũ quod actu committitur, dum actu est, non potest subjici sacramento pœnitentiæ, quod supponit peccatum iam præteritum, & dolorem de illo conceptum, talem, vt peccandi volantatem excludat: quemadmodum docet Tridentinum sess. 14. cap. 4. post med. Atqui peccatum impœnitentiæ finalis committitur in extremo vitæ, ideoque finale dicitur: siue sit libera pœnitentiæ priuatio, siue peccatũ aliud existens actu in extremo vitæ, in quo semper est ratio impœnitentiæ finalis: ergo peccatum impœnitentiæ finalis non potest tunc temporis subjici sacramento aut virtuti pœnitentiæ. At neque etiam postquam præteritum est, quia non præterit ante finem huius vitæ, post quam nullus sacramẽto pœnitentiæ locus est, iuxta diuinam ordinationem, neque salutari virtuti poenitentiæ de peccatis mortalibus, in illis qui in statu peccati mortalis ex hac vita decesserunt. Confirmatur ex Cypriano in fine libri ad Demet. cuius hæc verba sunt. *Quando istinc excessum fuerit, iam non erit locus pœnitentiæ. Hîc vita aut amittitur, aut tenetur: nec quisquam aut peccatis retardatur, aut annis.* Cyprian.

8. Peccata in Spiritum S. quomodo irremissibilia

Contra doctrinam præcedentem, præter argumenta ex Hebr. 6. & 10. à Nouatianis opposita, & alibi explicata, obiicitur primò quod ait Christus Matth. 12. Marci 3. & Luc. 12. Peccatum in Spiritum sanctum nunquã remitti, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Vnde colligitur esse aliquod peccatum tam graue, vt per poenitentiam remitti non possit. Respondet primò S. Thomas qu. 86. art. 1. ad 3. post D. Augustinum ser. 11. de Verbis Domini, Christum ibi loqui de finali impoenitentia; id est, de peccato mortali vsque ad instans mortis durante, vel commisso in illo instanti. Verùm hoc omnibus mortalibus eò vsque durantibus commune est: & nihil noui aut mirabile est dicere, non posse remitti peccatum existens in fine vitæ: id est, existẽs quandiu durat tempus remissionis. Christus autem vult omnino speciale quidpiam dicere de peccato, de quo ibi loquitur, propter quod magis timeri debeat. Sic enim ait Matth. 12. v. 31. *Quicunque dixerit verbum contumeliosum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* S. Thom. S. Aug.

9. Secundò & meliùs respondet D. Thomas sermonem ibi esse de aliquo genere peccati, quod varii variè explicant. Probabilius est quod ait Aegid. disp. 2. de Poenit. dub. 1. nu. 8. quodque satis perspicuè ex Marci verbis colligitur c. 3. v. 22. & sequentibus, Christũ loqui de peccato eorũ, qui aguicam fidei veritatem malitiosè oppugnant; & miracula, quibus ea cõfirmatur, arti magicæ tribuunt,

despiciuntque omnia quæ ad ipsorum salutem Deus facit. Quod peccatum specialiter dicitur committi in Spiritum sanctum: quia agnitio veritatis, & confirmatio eiusdem per miracula, tribuitur per appropriationẽ Spiritui sancto: vt videre est Matth. 12. v. 28. Ioan. 16. v. 13. & 1. Cor. 12. v. 7. & 8. Dicitur autem à Christo, *non remitti*: id est, difficillimè rarissimèque remitti: quia id genus peccatores diuinæ bonitati eos ad se trahenti omnem viam præcludunt, habentque impedimentum conuersionis grauissimum; despicere scilicet malitiosè, & impugnare quæ Deus facit ad ipsorum salutem. Vulgò autẽ dicitur nunquam fieri id, quod nonnisi difficillimè rarissimèque fit. Vnde Scriptura vulgarem modum loquendi imitata, ait tale peccatum nunquam remitti. Similique sensu de Cananæis dicitur Sap. 12. *Nequam est natio eorum, & naturalis malitia illorum, & non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum.* De quibus tamen ibidem vers. 20. subditur, quòd Deus cum magna attentione eos punierit, *dans tempus & locum, per quæ possent mutari à malitia.*

10. Sensus autem verborum illorum Matth. hic est, vt rectè exponit Maldonatus in eum locum: Qui humana deceptus specie, aut offensus infirmitate, de Christo vt homine infra illius dignitatem sentit, ac loquitur: poterit facilè veniam consequi, quia excusationem aliquam habet. Qui verò manifesta Spiritus sancti opera dæmoni tribuit: non nisi valde difficilè veniam consequetur: quia nullam excusationem habet: atque etiam quia, vt supra diximus, viam suæ conuersioni malitiosè obstruit, tribuens dæmoni ea quæ fiunt à Spiritu sancto ad ipsius conuersionem.

Peccatum ad mortem quodnam sit?

Secundò objicitur illud Ioan. 5. *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico, vt roget quis.* Quia scilicet non potest remitti. Respondeo cum D. August. lib. 1. Retract. cap. 19. & Beda in locum cit. ibi sermonem esse de peccato impœnitentiæ finalis, quod specialiter vocatur peccatum ad mortem, quia simpliciter adiunctam habet mortem eternã, quam infallibiliter infert immediatè sequentem sine vllo remedio. De aliis verò mortalibus ibidem dicitur: Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem: petat, & dabitur ei vita: quam vitam scilicet per peccatum amisit, sed non irreuocabiliter. Vnde peccatum hoc, licet alioqui mortale, non vocatur simpliciter & specialiter peccatum ad mortem.

11. Potest etiam ibi sermo esse de peccato eodem de quo supra, in quo scilicet peccator se malitiosè obfirmat, & viam præcludit Spiritui sancto. De quo peccato Ioannes dicat, *Non pro illo dico vt roget quis*: id est, non polliceor fore vt eius remissionem obtineat: quippe valde difficilem, licet non omninò impossibilem. Vel etiam, vt exponit Cornelius à Lapide, sermo ibi est de peccatis quibusdam grauissimis, à quibus hominos rarissimè difficillimèque conuertuntur. Quæ vocantur peccata ad mortem, quia solent habere adiunctam mortem æternam. Sicut morbi quidam vocantur lethales, quia solet eos sequi mors, raróque & difficilè ab illis homines curantur: & pro huiusmodi peccatis Ioannes non audet consulere, vt cum fiducia obtinendi veniam, & conuersionem oremus, sicut pro aliis: quia magno egent deprecatore: quamuis non prohibeat etiam pro illis orare.

12. Obiicitur tertiò, quòd Esaũ non inuenerit pœnitentiæ locum, licet cum lachrymis quæsiuisset eam, Hebræorum 12. & Antiochus pœnitens misericordiam consecutus non fuerit, secundi Machabæorum nono. Et Deus quosdam indurare, excœcare, dimittere, ac deserere dicatur Exodi septimo, Psalmo octauo: Ecclesiastis septimo, versu 14. Romanorum 9. & Ioannis 12.

Cur Esaũ & Antiochus non exaudiri?

Ad primum & secundum respondet Diuus Thomas quæstione 86. art. 1. ad 1. Esaũ, & Antiochum non verè pœnituisse. Sed prioris loci sensus potiùs est, non potuisse Esaũ lachrymis suis efficere, vt patrem suum Isaac pœniteret benedictionis datæ Iacob, cuius retractationem consternatus & rugiens postulabat Genes. 27.

13. Ad tertium Respondeo primò, probare tantùm, quòd aliquibus peccata non remittantur defectu auxilii diuini ad pœnitentiam salutarem concipiendam necessarii. Quod tametsi verum esset, non obesset doctrinæ à nobis traditæ. At neque illud satis probat. Nam Deus dicitur indurare, & excœcare permissiuè tantùm, vt explicatur Matthæi decimo tertio, & Actorum vigesimo octauo, vbi quod Isaiæ sexto, & Ioannis 10. & alibi Deo tribuitur, nempe Iudæos excœcasse, & induràsse; tribuitur ipsis Iudæis, cùm dicitur, *Oculos suos clauserunt, oculos suos compressérunt.* Vbi nota eundem locum Isaiæ ab omnibus suprà dictis citari: sed cum præfata diuersitate, quæ confirmat explicationem nostram. Sicut autem vulgari sermone solet pater dici peruertere filium, quando permittit eum peruerti, potens impedire si vellet: sic Deus dicitur excœcare, & indurare eos, quos sinit excœcari, & indurari, potens id impedire fortioribus, & efficacioribus auxiliis. Maior tamen est ratio vt id de patre dicatur: quia potest, & tenetur impedire: vnde est causa moralis peruersionis filii, eiusque peccato participat. At Deus non tenetur peccandi occasiones auertere, aut maioribus auxiliis iuuare.

Quomodo Deus dicitur indurare?

14. Similiterque dicitur Deus deserere & dimittere peccatores, vel permissiuè tantùm, sicut indurat, & excœcat: nimirum permittẽdo labi, & negando auxilia maiora, & efficacia ad emolliendum cor, ac minoribus tantùm & infrequentioribus præueniendo, quamuis sufficientibus. Vel secundò, deserere, & dimittere ad tempus, & secundum quid, non autem omnino & simpliciter, totalique

Quomodo dicitur deserere peccatores?

desertione. Licet enim possit Deus, si velit, propter peccata grauiora, vel numerosiora, deserere omnino peccatorem, sicut & morte repentina punire, vel amentiâ perpetuâ, quæ mors quædam ciuilis est. Imò, & propter quoduis peccatum mortale posset iustè occidere, & damnare: præsertim cùm lex posita sit, & promulgata, vt qui legem Dei grauiter violant, rei sint mortis æternæ: statui tamen viatoris magis conueniens est, vt possit ad terminum accedere, quamdiu est in via.

Non deserit nisi ad tempus.

Quare probabilius est, neminem adultum peccato superstitem, & ratione vtentem, totaliter & omnino à Deo deseri: ita vt non aliquando tempore necessario præueniatur sufficienter, & vocetur ad salutarem pœnitentiam de peccato concipiendam, remotè saltem & mediatè: siue conscientiæ stimulis, siue aliquo alio instinctu excitatus ad aliquid, ex quo, si cooperetur, sequi possit tandem contritio, vel attritio cum sacramento. Id enim magis Scripturæ consentaneum est: quæ licet alicubi desertionis mentionem faciat: nusquam tamen totalis & absolutæ: sed è contrario docet peccatores, licet grauissimos, quibus tamen si vllis, maximè Deus tantopere irasci debuerat, ad pœnitentiam excitatos fuisse. Vt obduratissimos, & obstinatissimos Iebusæos, & Cananæos, Sapientiæ 12. & Iudæos illos, odii Dei gratuiti, & blasphemiæ pessimæ, & Christi denique mortis reos Actorum secundo, versu 38. Quibus adde illud Ezechielis 18. Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus: & non vt conuertatur à viis suis, & viuat? Et illud 2. Petri 3. versu 9. Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti. Et illud Pauli Romanorum 2. Ignoras quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ. Quæ Pauli verba dicuntur generatim de peccatoribus obduratis, & obstinatè impœnitentibus: significantque illos omnes expectari à Deo, & vocari ad pœnitentiam. Vnde consequens est, vt eos interdum ad pœnitendum iuuet. Nam alioqui quidnam esset Deum, velle vt conuertantur, & viuant, & expectare vt agant pœnitentiam, quam agere non possunt sine ipsius auxilio?

15.

Ne maximos quidé peccatores

Hinc collige primò, Deum non habere decretum vniuersale deserendi perpetuò sine auxilio sufficienti eum omnem, qui ad certum quendam cumulum, vel ad certam aliquam grauitatem peccatorum peruenerit, vt fusiùs differit S. Augustin. cap. 103. Enchirid. Secundò, neque etiam habere decretum particulare deserendi aliquos in perpetuum post certam quandam grauitatem, aut multitudinem peccatorum, licet diu post, rationis cõpotes viuant: ita vt nunquam amplius eos iuuet ad pœnitentiam, quidquid ipsi faciant vt statum peccati deserant. Tertiò, Deum non negare auxilium, ad pœnitentiam toto tempore vitæ, quando ordinarius prouidentiæ cursus propter occursum obiectorum, vel aliam causam illud postulat. At neque etiam communiter immutat ordinarium prouidentiæ cursum, vt post peccatum suppetat spatium, & occasio pœnitendi: sed non rarò permittit homines mori in ipso actu peccati, vel incidere in amentiam perpetuam, aut lethargum, aliósue morbos rationis vsum tollentes, aut minuentes. Permittit etiam naturales distractiones. Neque semper & singulis momentis vrget ad pœnitendum peccatores suo peccato superstites, & rationis vsum habentes: sed identidem illos mouet, vel immediatè ad conuersionem salutarem, vel ad aliquid aliud, ex quo sequatur conuersio, si modò velint ipsi cooperari, & instinctum diuinum sequi. Propter quod ait D. Augustin. lib. 2. de Peccatorum meritis cap. 17. Quòd homo non recipiat gratiam adiuuantem, ab ipso prouenire, non à Deo, cum Deus sit paratus illam dare. Interdum tamen punit morte miraculosa peccatores in flagranti delicto. Quibus an eo instanti det auxilium sufficiens ad pœnitendum, & salutarem pœnitẽdi cogitationem, non constat. Probabilius tamen puto, si tunc pœnitere velint, non deesse illis Dei auxilium. Patitur etiam nonnullos interfici in statu ebrietatis voluntariæ & culpabilis, aut alterius peccati. *Quisquis verò delinquit & viuit*, post delictum, vita rationali, id est, cum rationis vsu; *ideircò hunc diuina dispensatio in æquitate tolerat, vt ab iniquitate compescat*: inquit Gregor. 17. Moral. cap. 4. Atque hoc longè probabilius est, quam quod ait Isidorus lib. 2. de Summo bono, cap. 15. nonnullos ita despici à Deo, vt non possint mala plangere, etiamsi velint. Aut quod ait Eusebius lib. 8. Demonstrat. cap. 2. Deum aliquos omnino deserere, postquam illos vsque ad certum terminum peccatorum expectauit. Ita scilicet vt omnino priuentur auxiliis ad agendam pœnitentiam necessariis, quamuis diu viuant, & quidquid in ipsis est faciant ad resurgendum à peccato.

Augustin.

Gregor.

Isidor.

Euseb.

SECTIO II.

An, & quomodo sine sacramento Pœnitentiæ peccatum mortale remitti possit

16.

Doctrina S. Thomæ.

DOctrina D. Thomæ quæst. 86. art. 2. est, peccatum actuale mortale sine pœnitentiæ sacramento remitti quidem posse, sicut à Christo remissum fuit Adulteræ Ioan. 8. & Peccatrici Luc. 7. Non tamen sine virtute pœnitentiæ: quia, inquit, offensa peccati mortalis ex eo procedit, quod voluntas hominis est auersa à Deo per conuersionem ad aliquod bonum commutabile,

Vnde requiritur ad remiſſionem diuinæ offenſæ, vt voluntas hominis immutetur, & ad Deum conuertatur cum deteſtatione conuerſionis prædictæ, & propoſito emendæ, quod ad rationem pœnitentiæ pertinet.

Eſt autem D. Thomas intelligendus de pœnitentia virtuali, vel formali: & de potentia ordinaria, non de abſoluta: vt exponunt Suarez in comment. & diſp. ſequenti, & Aegid. Coninc diſp. 2. n. 84. poſt Ledeſmam, & alios Thomiſtas, quorum confuſè meminit Dominicus Sotus in 4. diſt. 15. quæſt. 1. art. 2. §. *Sed quid*. Generaliùs autem loquendo, dicemus primò hac ſect. & duabus ſequentibus quid ſentiendum ſit de potentia ordinaria. Deinde, quid de abſoluta.

Suarez. Coninc. Sotus.

17. Peccata mort. poſt baptiſmum non remittuntur ſine ſacramento Pœnit. in re, vel in voto.

Dico igitur primò, peccata mortalia poſt baptiſmum commiſſa, non poſſe remitti ſecundum legem ordinariam ſine ſacramento pœnitentiæ in re, vel in voto: poſſe tamen remitti ſine reali ipſius ſuſceptione, per contritionem charitate perfectam, aut alium actum eiuſdem ordinis & perfectionis, vel aliter æquiualentem.

Prima pars patet ex dictis ſuperiùs diſp. 43. ſect. 1. vbi oſtendimus pœnitentiæ ſacramentum eſſe medium neceſſarium in re, vel in voto, ad delenda peccata mortalia poſt baptiſmum commiſſa: ſicut baptiſmus eſt medium neceſſarium in re, vel in voto ad delendum originale, & actualia ante baptiſmum contracta.

18. Contritio perfecta tollit peccatum.

Secunda verò pars ſic declaratur. Primò, quòd peccatum mortale tolli poſſit per contritionem charitate perfectam, id eſt, habentem naturam, & perfectionem charitatis, tendentem ſcilicet in peccatum ex motiuo charitatis, quatenus Deo ſummè bono, & propter ſe ſummè amabili diſplicet, definit Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. vbi dicit contritionem charitate perfectam, citra huius ſacramenti ſuſceptionem (licet non ſine eius voto) peccatorem reconciliare Deo: in eóque differre ab attritione, concepta ex turpitudine peccati, vel ex metu pœnarum, & Gehennæ; quæ licet peccatorem ad Dei gratiam in ſacramento pœnitentiæ impetrandam diſponat: eum tamen per ſe ac ſine ſacramento, ad iuſtificationem perducere non poteſt: vt nimirum facit contritio, de qua intelligendę ſunt hæ Scripturæ promiſſiones, quibus doctrina Tridentini confirmatur: *Si impius egerit pœnitentiam &c. vita viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor*, Ezech. 18. v. 21. & 22. *Cum ingemueris, tunc ſaluus eris.* Iſa. 30. v. 15. iuxta verſionem LXX. *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius: & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum*, Iſa. 55. v. 7. Et quidem cùm contritio charitate perfecta habuerit in lege veteri virtutem iuſtificandi, ſiue ex natura ſua, ſiue potiùs ex diuina inſtitutione cum fundamento congruitatis in re: non amiſit illam vim in lege gratiæ, in qua non ſemper futura erat copia Sacramenti pœnitentię actu recipiendi, in omni caſu neceſſitatis.

19. Itemque dilectio Dei ex charitate.

Vlteriùs tolli ſecundò poteſt per amorem Dei ſuper omnia propter ſe, & per alios actus æquiualentes charitatis ſupernaturalis: qui vt ſunt eiuſd. ordinis cum contritione, ſic parè habent proportionem, vt ſufficienter diſponant ad gratiam, & charitatem habitualem: ac proinde ad iuſtificationem, quæ charitate habituali formaliter ac ſummè perficitur, ex Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. & 2. Corinth. 13. v. vltimo. Si enim virtus ſufficienter diſponendi ad iuſtificationem conuenit contritioni ex ipſa ſola natura rei: par eſt ratio vt conueniat dilectioni efficaci prouenienti ab eadem virtute charitatis, & non minoris perfectionis, quàm ſit contritio. Sin autem prouenit ex Dei inſtitutione cum fundamento in re: fundamentum illud eſt perfectio actus contritionis, quæ perfectio non eſt minor in actu amoris ſupernaturalis Dei ſuper omnia propter ſeipſum, id eſt, ex motiuo omnium excellentiſſimo. Quando enim aliquis actus requiritur tantùm vt diſpoſitio moralis, & æſtimabilis; ſufficit actus illi æquiualens, & paris æſtimationis. Confirmatur, quia Scriptura non minùs dilectioni tribuit iuſtificationem, quàm contritioni: Ioan. 14. *Qui diligit me, diligetur à patre meo &c.* Et 1. Ioan. 4. *Omnis, qui diligit, ex Deo natus eſt.* Et Prouerb. 8. *Ego diligentes me diligo*, & cap. 10. v. 12. *Vniuerſa delicta operit charitas.*

20. Neque dicas ſimile quid de fide dici pluribus Scrip. locis, vt Ioan. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum &c. Vt omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam*: & Ioan. 5. v. 24. *Qui verbum meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam.* & 1. Ioan. 5. v. 13. *Hæc ſcribo vobis, vt ſciatis quia vitam habetis æternam, qui credit in nomine Filii Dei.* Et Rom. 10. v. 9. *Si confiteatis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo crediderit, quòd Deus eum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris.* & Sapient. 15. v. 3. *Noſſe te, conſummata iuſtitia eſt; & ſcire iuſtitiam, & virtutem tuam, radix eſt immortalitatis.* Et tamen actus fidei non ſufficit ad iuſtificandum: Ergo ex aliis locis ſimilibus ſupra citatis pro dilectione, non bene colligitur illam ſufficere ad obtinendam iuſtificationem.

Secus autem fides & aliæ virtutes ſine charitate.

Reſpondeo enim illa Scripturæ loca pro fidei actu citata, eſſe limitanda per alia, quibus aſſeritur fidem eſſe poſſe ſine charitate, ac ſine illa nihil prodeſſe, poſſeque compati cum actuali peccato mortali. Cuiuſmodi loca ſunt: *Si habuero omnẽ fidem &c.* 1. Corinth. 13. v. 2. & 3. *Ex principibus multi crediderunt in eum: ſed propter Phariſæos non confitebantur, vt à Synagoga non eiicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum, magis quàm gloriam Dei*, Ioan. 12. v. 43. At de charitate nihil tale aſſeritur. Quæ inſuper eſt, vt ſupra dixi, eiuſdem ordinis, & perfectionis cum præſtantiſſimo habitu in iuſtificatione infuſo:

eiusque actus continent æquiualenter, aut in gradu nobiliori, perfectionem cuiuscunque alterius actus, quo possumus ad Deum conuerti, nullumque in specie nobiliorem possumus Deo præstare. Non ita est de actu fidei nudè sumptæ, vel de actibus aliarum virtutum charitate inferiorum: quorum aliqui licet ad Deum nos conuertant, repugnentque absolutè, & efficaciter omni peccato; cuiusmodi est voluntas absoluta & efficax obediendi Deo in omnibus; aut detestatio omnium peccatorum ex timore pœnarum, vel desiderio vitæ æternæ: non tamen affectu eiusdem perfectionis cum affectu charitatis, sed longè inferioris. Non est, inquam, par ratio fidei nudè sumptæ: quod addo, quia sæpe Scriptura loquitur de illa vt formata charitate, siue vt operante per charitatem: iuxta illud Pauli ad Galat. 5. v. 6. *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.* Ita sumitur Act. 15. v. 9. *Fide purificans corda eorum*: Et aliis locis supra citatis, in quibus non est sermo de fide nuda, & sterili, sed plena charitate, & affectu, vel effectu coniuncta operibus fidei conuenientibus. Alioqui enim de fide nuda & sterili dicitur Iacobi 2. v. vltimò *Fides sine operibus mortua est.* Et 1. Ioan. 2. v. 4. *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est*, & Titi 1. v. 16. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Et 1. Timoth. 5. v. 8. *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Et Matth. 7. v. 21. *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum.*

22. Tertiò, probabile est tolli etiam posse per attritionem cum aliis sacramentis bona fide susceptis. Est enim verisimile Deum, qui benignus, & misericors est, & præstabilis super malitia, benignè, & misericorditer excipere eos, qui ad Christi merita, & sacramenta ab ipso instituta, piè, & bona fide confugiunt: & ex virtute, ac priuilegio sacramenti id dare, quod per solam attritionem obtinere non possent.

Attritio sola non tollit peccatũ mortale.

Quartò enim, certum esse existimo nullam attritionem, id est, dolorem de peccato non ex motiuo charitatis, sed alio inferiori conceptum, vim habere sufficientem, vt per se sine aliquo sacramento re ipsa suscepto, atque illi coniuncto, iustificare possit à peccatis mortalibus. Id enim docet Trident. sess. 14. cap. 4. de attritione concepta ex motiuo spei, quatenus peccatum est causa gehennæ & pœnarum: deque illa quæ concipitur ex motiuo turpitudinis ipsius peccati. De cæteris verò par aut maior est ratio. Nam si dolor ex motiuo spei conceptus non sufficit: quantò minùs alii, cùm virtutes morales censeantur esse Theologicis inferiores? Et quidem omnes huiusmodi dolores longè absunt à perfectione charitatis. Quamtumuis enim sint supernaturales, & perfecti in suo genere, perfectéque auertant à culpa, & nonnulli detestentur peccatum vniuersaliter aliquo modo super omnia, putà, vt iniuriam Dei, id est, summam in suo genere, & super aliam omnem iniuriam, & quiduis aliud quod peccatum non sit: semper tamen plurimùm absunt à perfectione charitatis, quæ tendit in peccatum, non vt iniuriosum Deo tantùm, vel vt oppositũ bono nostro supernaturali, vel vt turpe moraliter, siue inhonestum: sed secundum altiorẽ rationẽ, prout Deo summè bono, & amabili malũ est. Quod longè augustius est, quàm peccatũ detestari, vt iniustum, vel vt malum nobis, & similia. Propter quod Trident. cap. cit. non alteri actui tribuit vim iustificandi extra sacramẽtum, quàm contritioni charitate perfectæ, id est, habenti perfectionem actualis charitatis, seu dilectionis. Nomine enim charitatis non intelligit habitualem: quia alioqui sensus Concilij esset, contritionem Deo reconciliare, quando est coniuncta cum reconciliatione: qui sensus esset ineptus, & non distingueret perfectionem, & virtutem intrinsecam contritionis, ab attritione, quam tamen Tridentinum loco prædicto explicare intendit.

23. Confirmatur, quia quodlibet peccatum mortale expellit charitatem, virtutum præstantissimam, & cuius perfectio continet eminenter perfectiones omnium aliarum. Ergo par est, vt extra sacramentum non restituatur, nisi per actum charitatis. Sicut fides, expulsa peccato infidelitatis, non restituitur nisi per actum fidei: & spes, per actum aliquem spei, vel per actum charitatis, in quo excellenter continetur. Denique cùm remissio peccati mortalis sit summa quædam res: non immeritò Deus extra susceptionem sacramentorum, eam dispositionem ad illam exigit, quæ sit in suo genere perfectissima, quam exhibere possumus. Quales sunt actus qui charitatis supernaturalis perfectionem habent. Ideóque illis solis citra sacramentorum vsum datur iustificatio: quamquam non sine ordine, & obligatione speciali ad sacramentum institutum in remedium talium peccatorum per se quodammodo necessarium: vt de contritione definit Trident. cap. cit. & de aliis quibusuis actibus par est ratio: quippe qui nihilo magis tollunt necessitatem sacramenti pœnitentiæ, suscipiendi suo tempore pro illis ipsis peccatis, quorum remissionem vice illius obtinent.

SECTIO III.

An, & quomodo contritio sine dilectione sufficiat ad remissionem peccatorum: & vice versa, dilectio sine contritione?

24. SVpereſt quærere primò, an contritio sola sine actu dilectionis formalis, atque etiam sola dilectio formalis, sine formali contritione sufficiat ad iustificationem?

Respondeo affirmatiuè cum Suare disp.

4. sect. 2. assert. 2. Aegidio Coninc disp. 2 dub. 6. & pluribus aliis. Quia nulla est ratio limitandi promissiones generales & absolutas, à Deo factas: de contritione quidem Ezechielis 18. v. 21. Isaiæ 55. v. 7. Ierem. 18. v. 8. & alibi. De dilectione verò Ioan. 14. v. 23. & Prouerb. 8. v. 17. & cap. 10. v. 12. vbi sermo est de dilectione actuali, vt liquet ex 1. Petri 4. v. 8. referentis eadem verba, *Vniuersa delicta operit charitas.* Deinde illi actus per se singuli auertunt excellenter voluntatem à peccato, vt ad Deum conuertant: & alter alterum continet virtualiter, & æquiualenter: eiusdemque est ordinis, & dignitatis cum charitate habituali, præcipua forma iustificationis: idcóque iure censetur sufficienter & proximè ad illam disponere.

25. Contrarium sentiunt primò nonnulli asserentes contritionem non sufficere ad iustificationem sine actu formali dilectionis. Primò quia, *Qui non diligit manet in morte*, Ioan. 3. Secundò, quia Trid. sess. 6. cap. 6. in modo præparationis ad iustificationem, ponit cum fide, timore, & spe veniæ, amorem Dei, & peccati detestationem, ac propositum inchoandi nouam vitam, seruandique mandata. Neque dicas amorem in contritione includi. Nam cùm amor sit actus perfectissimus, non potest contineri virtualiter æquiualenter in contritione, quæ est minùs perfecta.

Soluuntur argument. contra sufficientiam contritionis solius.

Ad primũ Respondeo, verũ sensum loci citati ex D. Ioan. hunc esse, quòd sicut proximi dilectio est signũ vitæ spiritalis acceptæ: sic negatio dilectionis est signum mortis, seu vitæ spiritalis nondum acceptæ. Negatio, inquam, non quæcunque, sed culpabilis, & contra debitum liberè admissa. Verba enim Ioannis immediatè præcedentia sunt, *Nos scimus quia translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit manet in morte.*

26 Vasquez. Suarez. Sotus.

Ad secundum Respondeo cum Vasque, & Suare ad art. 5. q. 85. & Dominic. Soto in 4. dist. 15. q. 1. art. 2. Sermonem ibi esse de modo præparationis perfecto, & ordinariè seruando: præter quem potest Deus peccatorem, intellectu per fidem, & sufficientem cognitionem instructo, mouere subitò ad contritionem charitate perfectam: quæ sufficienter disponit ad gratiam: quippe quæ est actus proportionatus charitati, supremæ formæ sanctitatis habitualis; & dilectionem aliquo modo continet æquiualenter, quatenus est summa quædam detestatio peccati, tanquam Deo summè bono contrarii, & repugnantis ipsius amicitiæ. Etenim odium vnius contrarii, quia contrarium est, est virtualiter æquiualenter amor alterius contrarii; & vice versa.

27. Canus. Maior. P. Sotus. D. Sot.

Secundò, Melchior Canus in Relect. de pœnit. parte 3. Maior in 4. dist. 14. quæst. 1. concl. 4. & 5. Petrus Sot. lib. de Instit. sacerd. lect. 4. & ex parte Dominic. Sot. in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 2. & lib. 2. de Natura, & gratia cap. 16. putant formalem dilectionem charitatis non sufficere ad iustificationem sine actu formali contritionis. Ad quod probandum adducunt imprimis verba illa Christi Luc. 13. *Si pœnitentiam non habueritis, omnes similiter peribitis.*

Diluitur prima obiectio contra sufficientiam dilectionis.

Respondeo similiter de Baptismo dictum fuisse Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et tamen baptismum in voto sufficere quandoque ad iustificationem patet ex Act. 10. & Trid. sess. 6. cap. 4. Ergo non inde colligi potest pœnitentiam virtualem, & in voto non sufficere aliquando ad iustificationem: qualis in actu supremę dilectionis includitur. Qui enim Deum perfectè diligit, vt summè bonum, summéque amabilem propter seipsum, virtualiter, & æquiualenter detestatur peccatum vt Deo displicens, & aduersum.

28. Altera obiectio.

Obiiciunt secundò inter Lutheri errores damnatos à Leone X. hunc esse: Quòd sufficiat ad salutem resipiscentia, & noua vita. Idem autem asserunt, qui dicunt per actum dilectionis sine formali pœnitentia posse aliquem peruenire ad iustificationem: ergo &c.

Respondeo, Lutherum negasse penitùs necessitatem formalis pœnitentiæ, tam in sacramento, quàm extra; & tam præcepti necessitatem, quàm medii. A quo errore longè absunt, qui docent, tametsi sine formali & actuali pœnitentia iustificatio interdum cõtingat: non tamen sine illius voto, in sacramento pro illis ipsis peccatis exercendæ, vt medii per se necessarii: atque etiam extra sacramentum dicunt formalem pœnitentiam esse medium per se necessarium ad remissionem peccatorum: & vltra medii necessitatem, agnoscunt etiam necessitatem præcepti, cùm diuini, tum Ecclesiastici, de quo præcepto dicemus alibi.

29. Tertia obiectio.

Obiiciunt tertiò hæc Tridentini verba sess. 14. cap. 1. *Fuit pœnitentia vniuersis hominibus, quise mortali aliquo peccato inquinassent, quouis tempore ad gratiam, & iustitiam assequendam necessaria: illis etiam, qui baptismi sacramento ablui petiissent.* Et cap. 4. *Fuit quouis tempore ad impetrandam veniam peccatoribus contritionis motus necessarius.* Loquitur autem Concilium de contritione formali, liquet tum ex eius definitione, quam ibi tradit: tum etiam quia loquitur de contritione ad pœnitentiæ sacramentum necessaria: quæ formalem esse debere nemo dubitat. Idem Concilium sess. 6. cap. 6. & 14. in vtraque iustificatione prima, & secunda, requirit pœnitentiam tanquam legitimam dispositionem. Eandemque generaliter exigit D. Thom. quæst. 85. art. 5. & 6. & quæst. 88. art. 2. quæstione verò 87. art. 1. hanc ponit differentiam inter mortalia, & venialia: quòd ad mortalium remissionem requiratur pœnitentia magis perfecta: vt scilicet homo actualiter peccatum mortale detestetur, quãtum in ipso est; adhibeatque diligentiam ad rememorandum singula mortalia, vt singula

S. Thom.

eiusque actus continent æquiualenter, aut in gradu nobiliori, perfectionem cuiuscunque alterius actus, quo possumus ad Deum conuerti, nullumque in specie nobiliorem possumus Deo præstare. Non ita est de actu fidei nudè sumptæ, vel de actibus aliarum virtutum charitate inferiorum: quorum aliqui licet ad Deum nos conuertant, repugnentque absolutè, & efficaciter omni peccato; cuiusmodi est voluntas absoluta & efficax obediendi Deo in omnibus; aut detestatio omnium peccatorum ex timore pœnarum, vel desiderio vitæ æternæ: non tamen affectu eiusdem perfectionis cum affectu charitatis, sed longè inferioris. Non est, inquam, par ratio fidei nudè sumptæ: quod addo, quia sæpe Scriptura loquitur de illa vt formata charitate, siue vt operante per charitatem: iuxta illud Pauli ad Galat. 5. v. 6. *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.* Ita sumitur Act. 15. v. 9. *Fide purificans corda eorum*: Et aliis locis supra citatis, in quibus non est sermo de fide nuda, & sterili, sed plena charitate, & affectu, vel effectu coniuncta operibus fidei conuenientibus. Alioqui enim de fide nuda & sterili dicitur Iacobi 2. v. vltimò *Fides sine operibus mortua est.* Et 1. Ioan. 2. v. 4. *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est*, & Titi 1. v. 16. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Et 1. Timoth. 5. v. 8. *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Et Matth. 7. v. 21. *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum.*

22. Tertiò, probabile est tolli etiam posse per attritionem cum aliis sacramentis bona fide susceptis. Est enim verisimile Deum, qui benignus, & misericors est, & præstabilis super malitia, benignè, & misericorditer excipere eos, qui ad Christi merita, & sacramenta ab ipso instituta, piè, & bona fide confugiunt: & ex virtute, ac priuilegio sacramenti id dare, quod per solam attritionem obtinere non possent.

Attritio sola non tollit peccatũ mortale.

Quartò enim, certum esse existimo nullam attritionem, id est, dolorem de peccato non ex motiuo charitatis, sed alio inferiori conceptum, vim habere sufficientem, vt per se sine aliquo sacramento re ipsa suscepto, atque illi coniuncto, iustificare possit à peccatis mortalibus. Id enim docet Trident. sess. 14. cap. 4. de attritione concepta ex motiuo spei, quatenus peccatum est causa gehennæ & pœnarum: deque illa quæ concipitur ex motiuo turpitudinis ipsius peccati. De cæteris verò par aut maior est ratio. Nam si dolor ex motiuo spei conceptus non sufficit: quantò minùs alii, cùm virtutes morales censeantur esse Theologicis inferiores? Et quidem omnes huiusmodi dolores longè absunt à perfectione charitatis. Quamtumuis enim sint supernaturales, & perfecti in suo genere, perfectéque auertant à culpa, & nonnulli detestentur peccatum vniuersaliter aliquo modo super omnia, putà, vt iniuriam Dei, id est, summam in suo genere, & super aliam omnem iniuriam, & quiduis aliud quod peccatum non sit: semper tamen plurimùm absunt à perfectione charitatis, quæ tendit in peccatum, non vt iniuriosum Deo tantùm, vel vt oppositũ bono nostro supernaturali, vel vt turpe moraliter, siue inhonestum: sed secundum altiorẽ rationẽ, prout Deo summè bono, & amabili malũ est. Quod longè augustius est, quàm peccatũ detestari, vt iniustum, vel vt malum nobis, & similia. Propter quod Trident. cap. cit. non alteri actui tribuit vim iustificandi extra sacramẽtum, quàm contritioni charitate perfectæ, id est, habenti perfectionem actualis charitatis, seu dilectionis. Nomine enim charitatis non intelligit habitualem: quia alioqui sensus Concilij esset, contritionem Deo reconciliare, quando est coniuncta cum reconciliatione: qui sensus esset ineptus, & non distingueret perfectionem, & virtutem intrinsecam contritionis, ab attritione, quam tamen Tridentinum loco prædicto explicare intendit.

23. Confirmatur, quia quodlibet peccatum mortale expellit charitatem, virtutum præstantissimam, & cuius perfectio continet eminenter perfectiones omnium aliarum. Ergo par est, vt extra sacramentum non restituatur, nisi per actum charitatis. Sicut fides, expulsa peccato infidelitatis, non restituitur nisi per actum fidei: & spes, per actum aliquem spei, vel per actum charitatis, in quo excellenter continetur. Denique cùm remissio peccati mortalis sit summa quædam res: non immeritò Deus extra susceptionem sacramentorum, eam dispositionem ad illam exigit, quæ sit in suo genere perfectissima, quam exhibere possumus. Quales sunt actus qui charitatis supernaturalis perfectionem habent. Ideóque illis solis citra sacramentorum vsum datur iustificatio: quamquam non sine ordine, & obligatione speciali ad sacramentum institutum in remedium talium peccatorum per se quodammodo necessarium: vt de contritione definit Trident. cap. cit. & de aliis quibusuis actibus par est ratio: quippe qui nihilo magis tollunt necessitatem sacramenti pœnitentiæ, suscipiendi suo tempore pro illis ipsis peccatis, quorum remissionem vice illius obtinent.

SECTIO III.

An, & quomodo contritio sine dilectione sufficiat ad remissionem peccatorum: & vice versa, dilectio sine contritione?

24. SVperest quærere primò, an contritio sola sine actu dilectionis formalis, atque etiam sola dilectio formalis, sine formali contritione sufficiat ad iustificationem?

Respondeo affirmatiuè cum Suare disp.

4. sect. 2. assert. 2. Aegidio Coninc disp. 2 dub. 6. & pluribus alijs. Quia nulla est ratio limitandi promissiones generales & absolutas, à Deo factas: de contritione quidem Ezechielis 18. v. 21. Isaiæ 55. v. 7. Ierem. 28. v. 8. & alibi. De dilectione verò Ioan. 14. v. 23. & Prouerb. 8. v. 17. & cap. 10. v. 12. vbi sermo est de dilectione actuali, vt liquet ex 1. Petri 4. v. 8. referentis eadem verba, *Vniuersa delicta operit charitas.* Deinde illi actus per se singuli augent excellenter voluntatem à peccato, vt ad Deum conuertant: & alter alterum continet virtualiter, & æquiualenter: eiusdemque est ordinis, & dignitatis cum charitate habituali, præcipua forma iustificationis: idcóque iure censetur sufficienter & proximè ad illam disponere.

25. Contrarium sentiunt primò nonnulli asserentes contritionem non sufficere ad iustificationem sine actu formali dilectionis. Primò quia, *Qui non diligit manet in morte*, Ioan. 3. Secundò, quia Trid. sess. 6. cap. 6. in modo præparationis ad iustificationem, ponit cum fide, timore, & spe veniæ, amorem Dei, & peccati detestationem, ac propositum inchoandi nouam vitam, seruandique mandata. Neque dicas amorem in contritione includi. Nam cùm amor sit actus perfectissimus, non potest contineri virtualiter æquiualenter in contritione, quæ est minùs perfecta.

Solluntur argument. contra sufficientiam contritionis solus.

Ad primũ Respondeo, verũ sensum loci citati ex D. Ioan. hunc esse, quòd sicut proximi dilectio est signũ vitæ spiritalis acceptæ: sic negatio dilectionis est signum mortis, seu vitæ spiritalis nondum acceptæ. Negatio, inquam, non quæcunque, sed culpabilis, & contra debitum liberè admissa. Verba enim Ioannis immediatè præcedentia sunt, *Nos scimus quia translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit manet in morte.*

26 Vasquez. Suarez. Sotus.

Ad secundum Respondeo cum Vasque, & Suare ad art. 5. q. 85. & Dominic. Soto in 4. dist. 15. q. 1. art. 2. Sermonem ibi esse de modo præparationis perfecto, & ordinariè seruando: præter quem potest Deus peccatorem, intellectu per fidem, & sufficientem cognitionem instructo, mouere subitò ad contritionem charitate perfectam: quæ sufficienter disponit ad gratiam: quippe quæ est actus proportionatus charitati, suprema formæ sanctitatis habitualis; & dilectionem aliquo modo continet æquiualenter, quatenus est summa quædam detestatio peccati, tanquam Deo summè bono contrarii, & repugnantis ipsius amicitiæ. Etenim odium vnius contrarii, quia contrarium est, est virtualiter æquiualenter amor alterius contrarii; & vice versa.

27. Canus. Maior. P. Sotus. D. Sot.

Secundò, Melchior Canus in Relect. de pœnit. parte 3. Maior in 4. dist. 14. quæst. 1. concl. 4. & 5. Petrus Sot. lib. de Instit. sacerd. lect. 4. & ex parte Dominic. Sot. in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 2. & lib. 2. de Natura, & gratia cap. 16. putant formalem dilectionem charitatis non sufficere ad iustificationem sine actu formali contritionis. Ad quod probandum adducunt imprimis verba illa Christi Luc. 13. *Si pœnitentiam non habueritis, omnes similiter peribitis.*

Diluitur prima obiectio contra sufficientiam dilectionis.

Respondeo similiter de Baptismo dictum fuisse Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et tamen baptismum in voto sufficere quandoque ad iustificationem patet ex Act. 10. & Trid. sess. 6. cap. 4. Ergo non inde colligi potest pœnitentiam virtualem, & in voto non sufficere aliquando ad iustificationem: qualis in actu supremę dilectionis includitur. Qui enim Deum perfectè diligit, vt summè bonum, summeque amabilem propter seipsum, virtualiter, & æquiualenter detestatur peccatum vt Deo displicens, & aduersum.

28. Altera obiectio.

Obiiciunt secundò inter Lutheri errores damnatos à Leone X. hunc esse: Quòd sufficiat ad salutem resipiscentia, & noua vita. Idem autem asserunt, qui dicunt per actum dilectionis sine formali pœnitentia posse aliquem peruenire ad iustificationem ergo &c.

Respondeo, Lutherum negasse penitùs necessitatem formalis pœnitentiæ, tam in sacramento, quàm extra; & tam præcepti necessitatem, quàm medii. A quo errore longè absunt, qui docent, tametsi sine formali & actuali pœnitentia iustificatio interdum cõtingat: non tamen sine illius voto, in sacramento pro illis ipsis peccatis exercendæ, vt medii per se necessarii: atque etiam extra sacramentum dicunt formalem pœnitentiam esse medium per se necessarium ad remissionem peccatorum: & vltra medii necessitatem, agnoscunt etiam necessitatem præcepti, cùm diuini, tum Ecclesiastici, de quo præcepto dicemus alibi.

29. Tertia obiectio.

Obiiciunt tertiò hæc Tridentini verba sess. 14. cap. 1. *Fuit pœnitentia vniuersis hominibus, quotquot mortali aliquo peccato inquinassent, quouis tempore ad gratiam, & iustitiam assequendam necessaria: illis etiam, qui baptismi sacramento ablui petiissent.* Et cap. 4. *Fuit quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum is contritionis motus necessarius.* Loqui autem Concilium de contritione formali, liquet tum ex eius definitione, quam ibi tradit: tum etiam quia loquitur de contritione ad pœnitentiæ sacramentum necessaria: quæ formalem esse debere nemo dubitat. Idem Concilium sess. 6. cap. 6. & 14. in vtraque iustificatione prima, & secunda, requirit pœnitentiam tanquam legitimam dispositionem. Eandemque generaliter exigit D. Thom. quæst. 85. art. 5. & 6. & quæst. 88. art. 2. quæstione verò 87. art. 1. hanc ponit differentiam inter mortalia, & venialia: quòd ad mortalium remissionem requiratur pœnitentia magis perfecta: vt scilicet homo actualiter peccatum mortale detestetur, quatum in ipso est; adhibeatque diligentiam ad rememorandum singula mortalia, vt singula

S. Thom.

detestetur. Quod non requiritur ad remissionem venialium, ad quam sufficit quædam displicentia virtualis: putà, cùm aliquis ita fertur secundum affectum in Deum, & res diuinas, vt quidquid sibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret; displiceret ei, & doleret se commisisse, quamuis actu de illo non cogitet. Quod tamen non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem.

30. Explicatur Trident.

Respondeo, Tridentinum, cùm ait pœnitentiam & contritionem semper fuisse necessariam, loqui de necessitate per se secundum legem & viam communem: sed non excludere pœnitentiam virtualem, & media altiora: neque negare quòd pœnitentia in altiori affectu comprehensa æquiualenter, sufficiat ad iustificationem, si Deus pro sua libertate incipiat mouere peccatorem ad actũ perfectæ dilectionis, sine expressa & formali contritione, quæ est medium ordinarium remissionis peccati. Locus autem postremus D. Thomæ intelligendus est de remissione mortalium per sacramentum pœnitentiæ consequenda. Ad quod necessarium est cogitare de singulis, illaque singillatim recensere in confessione, & ad omnia contritionem quodammodo extendere. Quod de venialibus necessarium non est. Neque enim necessariò singillatim recenseri, & sacerdoti exponi debent. Quamuis autem in sacramento pœnitentiæ necessarius sit ex institutione diuina actus formalis contritionis latè sumptæ pro perfecta, vel imperfecta: non sequitur pariter necessarium esse ad iustificationem extra sacramentum habendam. Nam ad illud similiter ex institutione diuina requiritur confessio, quæ extra sacramentum non est necessaria: & sacramenta omnia sunt cerimoniæ quædam sacræ, in quibus aliquid specialiter, & determinatè requiritur ex institutione Christi.

31. Sufficitne dilectio in omni casu?

Quæritur secundò, an doctrina proposita de actu dilectionis generaliter intelligenda sit? Multi enim ex authoribus, pro nobis suprà confusè citatis, ad certos casus eam restringunt. Alii ad Martyrium. Alii ad obliuionem habitualem, aut actualem inaduertentiam inculpabilem peccati detestandi. Alij ad tempus, quo præceptum contritionis non obligat, aut eius obligatio inculpabiliter ignoratur. Ita vt nullus existens in peccato mortali iustificetur vnquam per actum solum dilectionis, nisi vel tunc martyrium subeat: vel sit oblitus omnino peccati mortalis à se commissi: vel inculpabiliter ignoret statum suum, aut non cogitet de peccati detestatione: aut pro illo instanti non obligetur conteri, aut non aduertat se obligari.

32. Respondetur affirmatiuè.

Respondeo, doctrinam propositam vniuersaliter intelligendam esse in eum sensum, vt nunquam is, qui est in peccato mortali perfectum actum charitatis supernaturalis exerceat, quin consequatur remissionem peccati. Ratio est, quia non est cur limitemus promissiones Dei generales, & absolutas, ad hunc, aut illum casum, modò actus dilectionis haberi possit in aliis casibus. Positâ verò communi sententia, vt verâ, de qua diximus disp. 23. sect. 8. n. 106. quòd nimirum formalis pœnitentia sit ex præcepto necessaria, secundum legem ordinariam, adulto volenti iustificari à peccato mortali, cuius sibi conscius est: non potest ille ordo peruerti à peccatore scienter, & liberè sine peccato. Neque illum Deus ad eum peruertendum iuuabit, eleuando ipsum ad actum supernaturalem amoris Dei super omnia, omisso actu contritionis, ad quem tenetur conari. Quanquam non est improbabile, quod post Medinam tract. 1. de Pœnitent. quæst. 12. art. 2. docet Cardin. Delugo disp. 5. n. 95. posse peccatorem eleuari diuinitus ad actum dilectionis exercendum, non tantùm si martyrium subeat, aut peccatorum oblitus sit, aut non aduertat ad eorum detestationem, sed etiam licet actu de illa cogitet, si tunc non vrget necessitas exercendi formalem actum contritionis, & præceptum procurandi tunc iustificationem per pœnitentiam formalem. Nam si formalis pœnitentia non est pro illo instanti necessaria ex præcepto; nulla est ratio cur sine illa nequeat actus formalis dilectionis exerceri, qui aliunde non habet de se necessariam connexionem cum formali pœnitentia hic & nunc exercita. Atqui non constat quòd sit ita necessaria ex præcepto, vt debeat adhiberi quotiescunque quæritur peccatorum remissio. Medin. Delugo.

33. Suarez.

Neque enim satis id probat ratio, quæ communiter affertur, & proponitur à Suare disp. 9. sect. 1. n. 11. videlicet, pœnitentiam formalem esse medium per se necessarium ad effectum iustificationis: ideóque quando potest commodè adhiberi, non dabitur effectus sine tali medio. Potest autem commodè adhiberi, quando homo cogitat actu de suis peccatis: ergo &c. Non valet, inquam, hæc ratio. Quia licet formalis actus pœnitentiæ sit medium per se necessarium ad iustificationem: non tamen est vnicum. Quemadmodum sacramentum pœnitentiæ est etiam medium per se necessarium ad iustificationem à peccatis post baptismum commissis, sed non est vnicum. Sicut ergo, vt fatetur Suares cum communi sententia, potest quis iustificari per aliud medium, putà, per actum contritionis, etiam tunc quando cogitat de peccatis, & de sacramento pœnitentiæ: neque tenetur confiteri sacramentaliter, quotiescunq; vult obtinere iustificationem: sed sufficit si confiteatur, quando præceptum confitendi vrget, cuius etiam præcepti implendi votum continetur in contritione: ita potest quis iustificari per formalem dilectionem, licet cogitet actu de peccatis, & de eorum detestatione sibi possibili: sufficitque habere voluntatem adhibendi illam suo tempore, quando præceptum vrgebit: quæ voluntas implicitè clauditur in

ipſo actu amoris Dei ſuper omnia.

Poteſt eleuari peccator ad contritionem ſimul & dilectionem.

Adde, poſſe peccatorem aliter eleuari ad actum formalis dilectionis, etiam eo inſtanti, quo obligatur ad contritionem, aduertitque ſe obligari. Quia poteſt tunc eleuari ad vtrumque actum, contritionis ſcilicet, & dilectionis: cùm neque phyſicè repugnent neque moraliter: imò valdè cognati ſint; & voluntas non ſit incapax vtriuſque ſimul exercendi: quippe quæ plures ſimul actus ſupernaturales exercere poteſt, vt quando per actum charitatis imperat actum miſericordiæ, vel fortitudinis, & illum ſimul exercet ex illo imperio. Poteſt etiam eleuari ad vnum actum, qui ſit dilectio, & contritio ſimul, quique duobus ſeparatis æquiualeat. Sicut enim multa obiecta ſpecie diuerſa poſſunt ſimul videri, cùm vno, tum pluribus actibus: ſic & per vnum, & per plures actus intellectus & voluntatis poſſunt attingi; maximè verò cùm hæ potentiæ nobiliores ſint, & capaciores, quàm ſenſus externi.

34. Quid ſi velit diligere, & non cõtemi, quãdo debet.

Sitamen nollet peccator conteri, & præceptum contritionis pro illo ipſo inſtanti grauiter obligaret, neque ſine graui peccato vlteriùs differri poſſet, tunc peccator non eleuaretur à Deo ad actum perfectum dilectionis ſupernaturalis. Alioqui ſimul peccaret mortaliter, & Deum perfectè amaret, affectu abſoluto, & efficaci, incompatibili cum voluntate peccandi mortaliter, quàm penitùs excludit. Amaret quidem, vt ſupponimus: Peccaret autem, quia non pareret ſcienter & liberè præcepto contritionis grauiter obliganti. Et quamuis tunc eleuaretur: non tamen propterea tunc iuſtificaretur, ſtante lege, qua Deus ſtatuit gratiam & peccatum mortale nunquam futura ſimul in eodem ſubiecto. Nam alioqui ſimul eſſent peccatum, & gratia. Peccatum quidem, nam actu committitur. Gratia verò, quia tunc iuſtificaretur: cùm ſupponamus peccare mortaliter eodem inſtanti, quo Deum diligit; & eodem inſtanti, quo diligit, iuſtificari.

SECTIO IV.

An contritio iuſtificet ſemper à peccatõ eodem inſtanti?

35. Concluſio affirmat.

QVæritur tertiò, an contritio perfecta ſemper habeat coniunctam remiſſionem peccati mortalis, etiam ante receptionem actualem ſacramenti? Reſpondeo affirmatiuè cum communi ſententia Theologorum, duobus tantùm aut tribus temerè contradicentibus, contra ſatis apertam declarationem ſummorum Pontificum in Bullis infra citandis.

Probatur ex Script. de contritione.

Probatur primò ex Scriptura, quæ in eo comparat contritionem perfectam cum peccato mortali; quòd ſicut peccatum mortale priuat gratia eodem inſtanti, quo committitur: ita contritio, eodem inſtanti, quo exercetur, liberat à peccato mortali, Ezechiel. 33. v. 12. *Iuſtitia iuſti non liberabit eum in quacunque die peccauerit. Et impietas impii non nocebit ei in quacunque die conuerſus fuerit ab impietate ſua. Et iuſtus non poterit viuere in iuſtitia ſua in quacunque die peccauerit.* Neque reſponderi poteſt id tantùm habuiſſe locum in lege veteri ante inſtitutionem ſacramenti pœnitentiæ. Nam contritio in lege noua non amiſit virtutem diſponendi ad iuſtificationem, quam habuit in lege veteri, fundatam in naturali ipſius perfectione. Neque Deus in lege noua eſt minùs pronus ad miſerendum, quàm fuerit in lege antiqua. Item 2. Reg. 12. Dauid ſtatim poſt actum contritionis expreſſum illis verbis, *Peccaui Domino*: audiuit à Nathan Propheta, *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* Quò alludens idem regius Propheta Pſal. 31. ſic ait: *Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Pro hac*, id eſt, phraſi Hebraica, propter hoc, *orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno.* Vt nimirum ſimiliter veniam peccatorum ſtatim obtineat, & reſurgat per contritionem, ſi labatur. Eódem pertinet illud Iſaiæ 30. *Cum ingemueris, tunc ſaluus eris.* Quem locum expendemus paulò poſt.

36. Idem probatur de dilectione.

De actu quoque dilectionis idem Scriptura docet 1. Ioan. 4. v. 7. *Omnis qui diligit, ex Deo natus eſt*: Adeóque non eſt ampliùs in ſtatu peccati mortalis. Nam vt ait idem Ioãnes cap. 3. eiuſdem epiſtolæ v. 9. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet; & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt*: id eſt, non poteſt ſimul peccare mortaliter, & eſſe ex Deo natus; quia gratia Dei in ipſo manet, quę non poteſt compati peccatum mortale. Vel, non poteſt peccare, in quantum eſt ex Deo natus, id eſt, in quantum eſt filius Dei adoptiuus, per gratiam incompatibilem cum peccato mortali. Similiter Prouerb. 8. v. 10. affirmat Deus vniuerſaliter ſe in præſenti, & non tantùm in futurum, diligere eos, à quibus diligitur: *Ego diligentes me diligo.*

37. Chryſoſt. Pacian. Hieron. Leo Cœleſt. Auguſt.

Probatur ſecundò ex Patribus. Sic enim docent Cypr. lib. contra Demetr. Chryſoſt. orat. de S. Philogon. S. Pacianus epiſt. 3 ad Sympronianum, Hieronymus epiſt. 46. Auguſtin. Leo, Cæleſtinus, & Iulius Papa, locis infra citandis. Verba Leonis epiſt. 91. ad Theodor. hæc ſunt: *Miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire: apud quem nullas patitur veniæ moras vera conuerſio dicente ſpiritu Dei per Prophetam, cùm ingemueris, tunc ſaluus eris.* Cœleſtinus verò Papa in epiſt. ad Epiſcopos Galliæ cap. 2. *Vera conuerſio mente potiùs quàm tempore metienda eſt, dicente Propheta: Si conuerſus fueris, ſaluus eris.* Auguſtinus, vel alius apud ipſum tom. 4. lib. de vera & falſa pœnit. cap. 17. *Credo quidem illi qui dixit, quacunque hora peccator ingemuerit, & conuerſus fuerit, vita viuet. Dixit conuerſum, non tantùm verſum, vita viuere,*

&c. *Vertitur à peccato qui iã vult dimittere peccatum: conuertitur, qui iam totus, & omnino vertitur: qui non tantùm pœnas non timet: sed ad bonum Deum contendere festinat.* Et Iulius Papa I. in decreto 2. quod habetur tomo 1. Conciliorum, & refertur causa 26. de pœnit. q. 6. cap. *Si Presbyter*, dicit *pœnitentiam non esse negandam morientibus*, & nimirum vsque ad illud tempus pœnitentiam differentibus, *quia Dominus dicit, quacunque die conuersus fuerit peccator, vita viuet, & non morietur. Vera enim confessio in vltimo tempore esse potest. Quia Dominus non solùm temporis, sed etiam cordis inspector est: sicut latro vnius momenti pœnitentia meruit esse in paradiso, in hora vltima confessionis.* Nota verba illa, *Quacunque die conuersus fuerit peccator, vita viuet.* Vbi non est sermo de conuersione tantùm, quæ fit in sacramento pœnitentiæ: vt patet tum exemplo Sancti Latronis, quod mox subiungitur, tum etiam quia verba illa Prophetæ à Iulio primo relata, dicta sunt de conuersione, quæ erat in lege veteri ante institutum sacramentum pœnitentiæ. Nota præterea Patres citatos id colligere vel ex Ezechielis decimo octauo & trigesimo tertio, vt Pacianum, Augustinum & Iulium primum, vel ex Isaiæ trigesimo, vt Leonem, & Cœlestinum, qui in eum sensum interpretantur illa eius verba. *Cum ingemueris, tunc saluus eris*: Sic enim ipsi legunt iuxta versionem LXX. Indeque inferunt iustificari peccatorem statim atque perfectè conteritur. Nec immeritò, quia vt rectè ait Cornelius à Lapide ad caput trigesimum Isaiæ, versu decimo quinto, post Suarem disputatione quarta sect. quinta numero quarto. Veritas conditionalis postulat vt posito antecedente, infallibiliter ponatur consequens. Nimirum vt posita conuersione ponatur salus, id est, iustificatio. Conuertitur autem peccator cùm primùm exercet actum perfectæ contritionis. Adde, quòd eodem capite, versu decimo nono additur, Plorans nequaquam plorabis. Miserans miserebitur tui: ad vocem clamoris tui, statim vt audierit, respondebit tibi. Nota, *statim vt audierit.* Ex quibus Isaiæ locis, iuncta Patrum interpretatione, desumpta esse videtur vulgaris illa sententia: In quacunque hora ingemuerit peccator saluus erit: vel ex verbis Ezechielis trigesimo tertio, versu duodecimo. *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua.*

Iulius.

38. Probatur tertiò ex Tridentino sess. decima quarta, capitulo quarto, vbi diuidit contritionem latè sumptam in eam, quæ est charitate perfecta, id est, quæ procedit ex motiuo charitatis, quæ strictè & magis propriè contritio dici solet: & in eam, quæ imperfecta est, diciturque attritio, procedens ex motiuo turpitudinis peccati, aut metu gehennæ. Et hoc inter illas discrimen ponit: quòd quando contritio est charitate perfecta, hominem Deo reconciliat, priusquam sacramentum pœnitentiæ actu suscipiatur: tametsi non sine voto sacramenti in ipsa contritione inclusio. Contritio verò imperfecta, siue attritio, non potest per se, & sine sacramento, perducere peccatorem ad iustificationem: Sed tamen ad gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit. Quæ verba Concilii generalia sunt, & sententiam aduersariorum videntur satis apertè damnare. Apertissimè verò damnatur in Bullis Pii V. Gregorii XIII. & Vrbani VIII. contra Michaelem Baium authorem huius erroris, & contra Iansenium Baii sectatorem: in quibus omnibus damnatur hæc Baii propositio num. 57. *Per contritionem etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi sacramentum coniunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione sacramentorum.* Et ista numero 29. *Charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quàm in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.* Quarum propositionum prior damnata fuit, quia contradicit Tridentini verbis relatis ex cap. 4. sess. 14. Vbi de actu contritionis, non de habitu manifestè sermo est: vt patet ex ipso textu: atque etiam de charitate actuali, non de habituali: alioqui sensus esset, contritionem Deo reconciliare, quando Deo reconciliat. Nam charitas, & gratia habitualis vel idem sunt, vel sunt coniunctæ indiuisibiliter, & nunquam existunt cum peccato mortali. Quare vanum est effugium recentioris cuiusdam Baii discipuli, qui adhuc pertinaciter eius errori adhærens, vt censuram effugiat, respondet Baium loquutum esse de charitate habituali, & sub eo sensu damnari à præfatis Pontificibus: se verò loqui de charitate actuali. Adde quòd charitas actualis, seu dilectio efficax & absoluta Dei super omnia (de qua nunc disputamus) nunquam est sine habituali: iuxta illud Prouerb. 8. Ego diligentes me diligo. Et 1. Ioan. 4. Omnis qui diligit, ex Deo natus est. In quem locum D. Augustinus tract. 7. in 1. Epist. Ioannis sic ait: Habere nomen Christi & malus potest, id est, Christianus vocari, & malus esse potest. Habere autem charitatem & malus esse non potest. Addo præterea, quòd etiamsi prædicti Pontifices post Trident. sess. 14. cap. 4. damnassent tantùm propositiones Baii, velut affirmantes charitatem habitualem coniungi posse cum peccato mortali: fundamentum tamen Scripturæ & Patrum, propter quod eas damnassent, æquè valet contra coniunctionem charitatis actualis cum peccato mortali: vt partim liquet ex testimoniis suprà relatis, partim ex aliis pluribus, quæ refert, & expendit Cardin. Delugo disp. 5. sect. 8. n. 103. & sequent. Quare vtrumque est æquè reiiciendum.

Probatur 3. ex Trident.

Augustin.

39. Probatur quartò ex duplici vsu Ecclesiæ, quę primo permittit & docet peccatores sibi conscios

Probatur 4. ex vsu Ec-

conscios peccati mortalis posse accedere ad sacramenta etiam illa, quæ viuorum appellantur, quia supponunt statum gratiæ in recipiente, dummodo præmittant actum contritionis: exceptâ Eucharistia, de qua tamen id etiam permittit in casu necessitatis sess. 13. cap. 7. Ergo Ecclesia supponit eos per actum contritionis iustificari sine sacramento pœnitentiæ. Secundò, conceduntur interdum à summo Pontifice indulgentiæ contritis vel confessis: illæque indulgentiæ recipiuntur à tota Ecclesia. Ergo & summus Pontifex, & Ecclesia, censent contritionem sufficere, vt peccata quoad culpam remittantur: cùm pro certo habeant indulgentias supponere culpâ esse remissam, & valere tantùm ad liberandum à pœna temporali ex peccatis remissis superstite.

40. Obiicitur præcipuè, quòd Christus Lucæ septimo, postquam asseruit Magdalenam dilexisse multùm, ait: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ergo præcessit tempore dilectio remissionem. Ergo non semper eodem instanti, quo est contritio, vel dilectio, est peccatorum remissio. Respondeo primò, verbum, *remittuntur*, ibi sumi non in rigore mathematico, pro solo instanti, in quo prolatum est: sed moraliter pro tempore illo, in quo paulò ante fuit simul cum dilectione remissio. Quod confirmatur, quia iterum paulò post addit Christus, *Remittuntur tibi peccata.* Sic etiam vulgò dicimus aliquem absolui à crimine, id est, loquimur de absolutione vt præsente, toto eo tempore, quo eius causa peragitur. Secundò, dici potest Christum verbis illis confirmasse remissionem antea factam in instanti dilectionis, & contritionis, & verba illa bis postea prolata, *remittuntur ei*, aut, *tibi peccata*, habuisse eundem sensum, quem habet forma absolutionis prolata super eadem peccata, bis, aut sæpius confessa, & absoluta.

Soluitur obiectio.

41. Obiicitur secundò illud D. Augustini tract. decimo tertio in Ioannem, *Quantumcunque Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat. Non illi dimittitur, nisi cùm venerit ad baptismum. Quomodo non carnuit populus Israel populo Aegyptiorum, nisi cùm veniisset ad mare rubrum? sic pressuris peccatorum nemo caret, nisi cùm ad fontem Baptismi peruenerit.* Par autem est ratio, vt peccata post baptismum commissa non remittantur, antequam perueniatur ad sacramentum pœnitentiæ.

Auguſt.

Altera obiectio diluitur.

Respondeo, D. Augustinum intelligi posse primò de eo, quod communiter fit: quia nimirum pauci Catechumeni habent ante baptismum actum perfectum contritionis: ideóque communiter, & fere omnes, manent in peccatis donec baptizentur. Vel secundò intelligi posse de perfecta remissione peccatorum quoad culpam, & quoad pœnam integram, quam non habent ante baptismum: tametsi conterantur. Quamuis enim per contritionem liberentur à reatu culpæ: manet tamen communiter aliquis reatus pœnæ. Vel tertiò, quòd non liberentur omnino à peccatis, quatenus quodammodo adhuc illa portant in obligatione adhibendi baptismum tanquam medium per se necessarium. Sicut portat debitum solutionis, ille, qui tantùm dedit chirographum pro domo empta, Vel quarto, loquitur de catechumenis, qui ex præsumptione & arrogantia, concepta ex vita iam meliori & aliquibus bonis operibus, differebant baptismum culpabiliter, vt ex verbis D. Augustini ostendit Bellarminus lib. 2. de Pœnitent. capite decimo quarto, vbi alias plures obiectiones minoris momenti solutas vide si lubet, vel apud Aegid. Conin. quæstione sexagesima octaua de Sacramentis, articulo secundo, dubio, tertio: & Delugo loco suprà citato numero centesimo vigesimo, vbi fusè & eruditè contrarium errorem refutat.

Bellarm. Conine. De Lugo.

SECTIO V.

An de potentia absoluta peccatum habituale remitti possit sine vlla pœnitentia?

42. Respondeo remitti posse sine vlla pœnitentia tam formali, quàm virtuali: atque etiam sine infusione gratiæ habitualis, & absque omni mutatione physica peccatoris. Ita Suares disputatione nona sect. secunda, tertia & quarta, Aegidius Conine disput. secunda, dub. duodecimo, Ioan. Medina cod. de Pœnit. tract. 1. quæst. 2. & 12. Cumel. prima secundæ quæst. 113. articulo secundo, disput. secunda, licet oppositum probabilius iudicet: Bonauent. in 4. distin. 17. art. 1. quæst. 1. Scot. dist. 14. quæstione 1. §. *Ex his.* Gabr. ibidem quæst. 1. art. 2. concl. 1. Ocam quæst. 8. & magna ex parte Bellarm. lib. 2. de Iustificat. cap. 16. Ratio est, quia peccatum habitualiter remanens, est tantùm quid morale, id est, remanet tantùm morali quodam modo. Et siue spectetur secundum considerationem offensæ contra diuinam amicitiam, siue prout iniuria contra ius Dei admissa, siue secundum aliam considerationem, secundum quam verè & propriè sit peccatum culpabile remissione indigens: nihil omnino habet, quod sine pœnitentia, vel sine gratia infusa, vel sine omni mutatione physica, tolli non possit absolutè loquendo, vt patebit ex solutione argumentorum contrariæ sententiæ.

Conclusio affirmat.

Suares. Conine. Medina. Cumel. Bonauent. Scot. Gabr. Ocam. Bellarm.

43. Et quidem quod attinet speciatim ad rationem offensæ vel iniuriæ, experientiâ clarum est posse homines remittere offensas, & iniurias sibi factas sine vllo actu, vel mutatione physica offensoris: Nulla verò est

Offensa Dei potest remitti sine mutatione physica.

ratio, cur Deus idem non possit: cùm non minus habeat potestatis in offensas, & iniurias sibi factas, quàm homines in suas. Ac licet Dei voluntas sit efficacior hominum voluntate, possitque peccatorem mutare physicè, si velit: non est tamen necesse, vt omnem suam efficacitatem exerceat: neque offensæ remissio, vel iniuriæ, physicam vllam mutationem essentialiter exigit, aut ita vt aliter absolutè fieri non possit.

44. Et peccatū habituale.

Confirmatur, quia, vt suo loco ostendimus, non est verum, peccatum habituale consistere formaliter in priuatione gratiæ, aut in priuatione rectitudinis oppositæ actui malo, ideóque sine forma positiua, huic priuationi oppositæ, tolli non posse. Potiùs enim in eo consistit, quòd peccatum actuale, postquam physicè desiit, retineatur in Dei memoria in ordine ad rationabilem auersionem, & odium abominationis erga peccatorem, si termo sit de peccato mortali; vel in ordine ad teporem quendam amicitiæ, si termo sit de veniali. Potest autem Deus sine vlla physica mutatione peccatoris nolle amplius retinere peccatum in ordine ad illum effectum. Et quamuis sit conueniens, vt id non faciat sine aliqua dispositione peccatoris adulti: oppositum tamen nihil habet indecentiæ Deo repugnantis. Et illa dispositio, quæ solet requiri, est tantùm moralis, id est, ex morali conuenientia, non autem ex physica, vel absoluta necessitate. Non physicâ: quia physica dispositio debet esse præsens physicè, quando forma introducitur. Atqui attritio v. g. potest non esse quando infunditur sacramento gratia: Non etiam absolutâ necessitate, ita vt aliter fieri nequeat: quia in oppositio nulla est vmbra implicantiæ contradictionis, vt ostendemus sectione sequenti.

45. Dixi, peccatum habituale remitti posse sine vlla pœnitentia &c., id est, peccatum habituale tantùm remanens, postquam commissum est. De illo enim loquimur, non de actuali, id est, actu & physicè præsente, quod non potest committi simul, & remitti: alioquin esset simul, & non esset, quod implicat. Esset, quia committeretur: & non esset, quia remitteretur. Nam peccatum eo instanti, quo remittitur, verè non est: & eo instanti quo committitur, verè est: cùm commissio terminetur ad esse, & remissio ad non esse: & eodem instanti quo sunt actiones, seu productiuæ, seu corruptiuæ, sint earumdem termini, sine quibus actu sibi correspondentibus nec esse possunt, nec concipi.

46. Sed non sine morali mutatione.

Dixi præterea, remitti posse sine vlla mutatione physica, non autem, sine morali. Quia non potest tolli saltem sine morali aliqua mutatione, secundum quam peccator aliter se habeat moraliter, seu æstimatiuè, in ordine ad aliquem effectum, aut vsum moralem, & de peccatore fiat non peccator: id est, non amplius peccati ipsius ita ratio habeatur in ordine ad odium & abominationem, ac si nunc illud committeret. Sed desinat ita considerari, & æstimari, atq; ita moraliter se aliter habeat, & non sit amplius subiectus iustæ Dei abominationi, aut auersioni, propter quam subiectionem denominabatur peccator. Posse tamen sine physica mutatione, partim ostensum est, partim liquebit amplius ex solutione contrariorum argumentorum, & sequentibus considerationibus.

Quid sit peccatum.

Notandum enim primò, peccatum culpabile generatim esse actum, aut quasi actum malum, scienter, & liberè admissum. Dixi, *actum, aut quasi actum*: quia peccatum aliud est commissionis, aliud omissionis, quod non est propriè actus, sed quasi actus, quatenus est priuatio libera, & exercitium quoddam voluntatis liberè omittentis.

47. Dividitur in actuale & habituale.

Notandum secundò, peccatum siue commissionis, siue omissionis, postquam actu perpetratum est, & physicè præteriit, manere tamen moraliter, hoc est secundum moralem quandam æstimationem: vt manent alia permulta postquam semel effecta sunt: quatenus in memoria retinentur in ordine ad aliquos vsus aut effectus morales, respectu quorum ita se habent, siue ita considerantur, ac si nunc existerent. Vt vota, iuramenta promissoria, contractus, siue pacta, electio Magistratuum, & constitutio circa ius illis datum, acquisitio dominiorum, receptio sacramentorum, opera meritoria, offensæ, & iniuriæ humanæ, aliaque similia. Votum enim, aut iuramentum promissorium tandiu manet habitualiter, quandiu ita se habet secundum moralem, & prudentem æstimationem, vt perinde obliget, ac si tunc physicè emitteretur. Idemque est cum proportione de aliis exemplis allatis. Peccatum igitur sub hac consideratione, quatenus scilicet moraliter remanet in ordine ad odium abominationis diuinæ, ita vt perinde reddat hominem dignum odio iusto, & rationabili Dei abominatione, dicitur habituale. Sub alia verò, quatenus actu admittitur, dicitur actuale. Quanquam alio sensu verumque dicitur actuale, prout opponitur originali, quod non per propriam, sed per Adami voluntatem contractum est. At hîc loquimur de peccato habituali & actuali in priori sensu. Quòd autem ipsamet peccata quæ fuerunt in actu, remaneant moraliter, sintque illa ipsa, quæ fuerunt actu commissa, & non alia ex illis sequuta, inde patet, quia illa sunt, quæ per confessionem accusantur, remittuntur, puniuntur, & pro quibus satisfactio à Deo præscripta exhibetur. Hinc etiam est, quòd qui peccauit, peccator tamdiu denominatur, donec ei remittitur peccatum; id est, quamdiu retinetur moraliter: non autem solùm ex eo quòd peccauit: alioqui etiam iustificatus peccator diceretur, quia per iustificationem non fit, vt non peccauerit. Mundans enim non facit innocen-

tem: & quod semel factum est, infectum esse nequit.

48. Multa in peccato cõsiderãda.

Notandum tertiò, in peccato multa considerari posse, siue in illis consistat ratio peccati culpabilis, siue non. Nam præter rationem genericam mali, & actus mali, & actus culpabilis, quas in peccato distinguit S. Thomas prima secundæ quæstione 21. articulo primo & secundo, aitque primam harum rationum patere latiùs, quàm secundam; & secundam latiùs patere, quàm tertiam: quia omnis actus culpabilis est actus malus: & omnis actus malus est aliquod malum: Non tamen vice versa omne malum est actus malus: nam præter actus, id est, actiones, & operationes malas, multa sunt alia mala, & disconuenientia, quæ non sunt actus. Neque etiam omnis actus malus est culpabilis: quia non omnis actus malus fit scienter & liberè, sine quo non potest imputari ad culpam. Præter, inquam, has rationes communes omnibus peccatis, considerari potest, quòd peccatum sit offensa Dei contra ipsius amicitiam, vel præceptum admissa: quòd inducat priuationem gratiæ, vel reatum alterius pœnæ: quòd gignat malum habitum in voluntate, aut aliam malam dispositionem physicam in eo, qui peccauit: quòd non fuerit actu oppositio retractatum: quòd homines offenderit: quòd alicui censuræ Ecclesiasticæ subiecerit. Præcipua verò consideratio Theologica est peccati, vt est offensa Dei, doctore D. Thoma

S. Thom.

prima secundæ quæst. septuagesima prima art. sexto, quæ moraliter remanet, quamdiu Deus eam retinet in ordine ad iustam, & rationabilem auersionem, id est, non cedit iuri, quod habet auersandi rationabiliter peccatum ante commissum. Ex peccato enim actuali oritur in Deo duplex ius. Vnum abominandi peccatorem propter peccatum ab eo commissum. Alterum puniendi quantùm meretur offensa sibi facta.

49. Peccatum est offensa Dei dupliciter.

Est autem peccatum Dei offensa duplici consideratione. Primò, contra amicitiam diuinam exigentem vt nihil fiat, quod Deo displiceat. Secundò, contra iustitiam, quatenus peccando, fit contra Dei voluntatem, pro suo iure præcipientem, aut prohibentem oppositum. Quæ duæ offensæ considerationes licet respectu Dei semper coniunctæ sint reipsa: quatenus Deus non offenditur reipsa, nisi transgressione præceptorum, quibus pro iure suo aliquid fieri, aut non fieri iussit: possent tamen separari, iuxta sententiam eorum qui dicunt Deum posse non præcipere, aut prohibere, etiam illa quæ sunt iuris naturalis: de qua sententia diximus tomo secundo disput. decima quinta de Legib. sect. tertia. Eà verò suppositâ, posset Deus præueniendo, & cedendo vsui iuris sui, facere vt quod fit contra ipsius amicitiam, non fieret contra iustitiam, sicut respectu hominum multa sunt, quæ illis displicent, fiuntque contra conditiones amicitiæ, quæ tamen contra ius illorum non fiunt, quia non habent ius exigendi oppositum, vel eo non vtuntur.

Siue autem peccatum habitualiter remanens spectetur vt offensa contra amicitiam, siue vt offensa contra iustitiam: non eget vt tollatur mutatione physica. Sed sicut homines per condonationem, & mutationem solùm moralem offensoris, possunt remittere offensas sibi factas, ita & Deus. Idemque dico de quauis alia consideratione, quæ sit propriè ratio peccati culpabilis. Nam secundum illam quoque habitualiter tantùm, & moraliter remanet.

50. Diuina remissio non tollit omnes peccati cõsiderationes.

Non est autem necesse tolli peccatum per diuinam remissionem ordinariam secundum omnes alias considerationes supra enumeratas. Imò de facto non censetur remitti prout est offensa, & iniuria humana. Nam licet fur, vel homicida verbi gratia, sit cum Deo reconciliatus: censetur tamen remanere eius offensa & iniuria apud homines, prout ad eos pertinet, & ab illis vel dimittitur, vel retinetur, & punitur. Gratia verò per peccatum ablata, licet in eius remissione restituatur: posset tamen peccatum sine illa remitti: neque per illam solam formaliter remittitur. Cùm enim gratia non sit proportionata magnitudini offensæ in Deum admissæ, & grauitati quæ ea consideratione est infinita, & digna pœnâ infinitâ, ideóque non potest tolli formaliter per gratiam: intelligenda est accedere condonatio Dei immediata, & remissio propter infinitum Christi meritum applicatum, sine qua, gratia non est sufficiens ad remittendum peccatum mortale. Manent etiam mali habitus per peccata contracti, aliæque id genus malæ dispositiones, quales in iustificatis experimur. Verùm illæ peccata non sunt, sed peccati effectus, sicut priuatio gratiæ, & aliæ pœnæ temporales, vel æternæ.

51. Retractatio peccati non tollit formaliter peccatum.

Quòd autem peccatum retractatum non fuerit per actum contrarium, non est malum, nisi quando retractatio fuit necessaria, & fuit omissa contra præceptum retractandi, quod non pro semper obligat. Et si est malum, non est illud ipsum peccatum, quod fuit commissum, & nondum retractatum; sed est nouum ab illo distinctum. Neque remissio consistit in retractatione. Nam licet ille, qui peccauit, peccatum millies retractauerit, imò licet de illo sit perfectè contritus: non tamen illi remittitur peccatum, nisi per iustificationem naturâ saltem posteriorem, iuxta doctrinam Tridentini sess. 6. cap. 7. initio, & D. Thomæ prima secundæ quæstione centesima nona, articulo septimo in corpore & ad primum: & quæstione centesima trigesima, articulo secundo vbi sanctus ille Doctor non asserit remissionem fieri per contritionem, sed per gratiam

natura poſteriorem. Et licet de facto Deus poſtulet in adultis retractationem aliquam formalem, aut virtualem, ante peccati remiſſionem: hæc tamen retractatio non eſt ipſa remiſſio, ſed diſpoſitio ad remiſſionem, & infuſionem gratiæ, iuxta Tridentinum loco proximè cit. & ſeſſ. decima quarta capite quarto. Poteſt autem Deus per potentiam abſolutam efficere ſine diſpoſitionibus id, cuius ſunt diſpoſitiones: multóque magis ſi ſunt tantùm morales, & non ex natura rei; cuiuſmodi eſt retractatio reſpectu remiſſionis, vt paulò ante oſtendimus.

52 Denique, ſi peccatum alio quodam modo manet moraliter per modum maculæ cuiuſdam, & notæ, vt manent multa inter homines ad infamiam, irregularitatem, & ſimilia, apud quos etiam quædam infames reddunt, vel irregulares, quæ peccata non ſunt, vt eſſe carnificem, eſſe ſpurium, vel bigamum: ſi inquam, manet alia conſideratione, vel illa conſideratio non eſt ratio formalis peccati, vel nihil eſt niſi morale quidpiam, quod per moralem mutationem ſufficienter tolli poteſt, vt de infamia, & irregularitate inter homines certum eſt.

53. Status peccati & eius remiſſio poteſt dupliciter ſpectari.

Nota quartò, aliud eſſe loqui de ſtatu peccati integro & totali, qualis nunc eſt, complectens vltra maculam habitualem peccati, priuationem gratiæ: & aliud, loqui de ſtatu peccati ſecundum ſe & præcisè, qualis eſt ſcilicet ex parte ipſius peccati formaliter & præcisè ſumpti. Item, aliud eſſe loqui de perfecta peccati remiſſione, & totali iuſtificatione, qualis nunc fit, reſtituendo peccatorem in gratiam priſtinam, & amicitiam cum Deo: & aliud, loqui de remiſſione imperfecta, vel de iuſtificatione inadæquatè ſumpta, qua parte eſt pura remiſſio peccati. Status enim peccati integer, qualis nunc eſt, omninò abiici non poteſt ſine gratiæ infuſione, qua tollatur eius priuatio, cuius priuationis cauſa fuit peccatum. Tametſi ſine gratiæ infuſione poſſet deſinere peccatum eſſe cauſa priuationis, ſi iam Deus non propter peccatum, ſed ob aliam cauſam, vel ex mera libertate primaret gratiâ, vt abſolutè poſſet. Totalis quoque iuſtificatio ſine phyſica mutatione eſſe non poteſt: cùm, vt ait Tridentinum ſeſſ. ſexta, capite ſeptimo, vnà cum peccati remiſſione complectatur infuſionem habituum ſupernaturalium: quam etiam exigit remiſſio perfecta, talis ſcilicet, vt ſit quædam redintegratio in ſtatum priſtinum. Nos autem hîc loquimur de peccato præcisè, deque eius remiſſione purè ſumpta, quam contendimus fieri poſſe, & ſine actu præuio peccatoris, & ſine gratiæ habitualis infuſione, & ſine vlla mutatione phyſica. Quia peccatum habitualiter remanens, eſt tantum quid morale, pendens à Dei voluntate, quâ tolli poteſt ſine maiori mutatione, quàm morali, hoc ipſo quòd Deus non amplius peccatum retinet in ordine ad rationabilem, id eſt, in titulo iuſto, & rationabili fundatam auerſionem, & odium abominationis: ac proinde peccator in ordine ad illam, non amplius ita ſe habet, ac ſi peccatum actu committeret: in quo conſiſtit moralis illa mutatio peccatoris exuentis quodammodo peccatum, quod eò vſque moraliter ipſum inficiebat, & maculabat coram Deo, eiuſque abominatione dignum ipſum reddebat.

SECTIO VI.

Soluuntur obiectiones opinionum contrariarum.

54. Capreol. Sotus. Caiet.

COntrarium ſentiunt Capreolus in quarto diſtinct. prima, quæſtione ſecunda articulo tertio. Sotus diſt. decima quinta, quæſtione prima, articulo ſecundo, §. *Sed quid*, Caiet. prima ſecundæ, quæſtione centeſima decima tertia, articulo tertio, Vaſques ibidem diſput. centeſima ſexta, Marat diſput. 9. de Pœnitent. ſectione quarta & quinta, & diſput. duodecima de Gratia, aliique non pauci. Quorum aliqui cenſent peccatum mortale de potentia abſoluta non poſſe remitti ſine pœnitentia: alii ſine gratia: alii ſine alterutro: alii denique ſine vtroque.

Poſſime tolli auerſio à Deo ſine conuerſione.

Qui putant ſine pœnitentia remitti non poſſe, argumentantur hunc in modum. Voluntas hominis per peccatum ſemel à Deo auerſa, neceſſariò tamdiu manet auerſa, donec, per actum contrarium ad Deum conuertatur: ſicut voluntas ſemel conuerſa ad Deum per actum virtutis, manet habitualiter conuerſa, donec per peccatum auertatur. Sicut igitur Deus non poteſt facere, vt hæc voluntas ſine vllo ſuo actu deſinat eſſe habitualiter conuerſa ad bonum: ita non poteſt facere, vt peccator ſine vllo ſuo actu deſinat eſſe conuerſus ad malum. Simile argumentum ſumi poteſt ex parte conuerſionis, quæ in peccato ineſt. Peccatum enim ſimul auertit à Deo, & conuertit ad creaturam, vt docet S. Thomas quæſtione 86. articulo 2. & 4. Voluntas autem ſemel conuerſa ad creaturam per peccatum, manet moraliter eodem modo conuerſa, quamdiu non mutatur. Non poteſt autem mutari niſi per aliquem actum proprium: ergo ſine illo non poteſt fieri ex conuerſa, auerſa. Ergo ſine illo non poteſt liberari à peccato, quod non tollitur, niſi tollatur conuerſio ad creaturam. Confirmatur, quia quamdiu manet aliquis in affectu malo, non poteſt liberari à peccato. At ille qui peccauit, & non retractauit, neque damnauit actum ſuum manet in eodem affectu:

S. Thom.

ergo non potest liberari à peccato. Si autem retractauit, & damnauit actum suum, habuit actum oppositum : ergo peccatum non potest remitti sine actu opposito. Confirmatur secundò, quia qui consensit in aliquem contractum, censetur in eo remanere, donec eum retractet actu efficaci contrario. Ergo qui semel consensit in peccatum, censetur in eodem actu voluntatis remanere, donec retractet efficaciter actu contrario.

55. Quomodo manet voluntas auersa per peccatum.

Respondeo, voluntatem per peccatum semel auersam à Deo, & conuersam ad creaturam, non manere auersam, vel conuersam, auersione, vel conuersione, quæ sit propriè peccatum, nisi quatenus peccatum ipsum habitualiter remanet, hoc est, moraliter, modo superiùs explicato: quod per moralem mutationem tolli potest ab eo, ad quem pertinet retinere, vel remittere. Similiterque moralis conuersio, si quæ ex actu bono remanet, non eget absolutè, vt tollatur, mutatione physica in eo, in quo manet: sed propter eius voluntatē, ad quem pertinet, & à quo pendet eius duratio moralis, potest aliter desinere, facta solū mutatione morali, non retinēdo ampliùs eius memoriam in ordine ad vsus morales. Quo pacto Deus statuere posset verbi gratia non habere ampliùs rationem meritorum alicuius eo instanti, quo Christus ita vellet. Neque verum est, illum qui peccauit, & non retractauit, manere in affectu culpabili eius peccati, si de illo non cogitet ampliùs: nisi tantùm habitualiter & moraliter, eo modo, quo peccatum semel admissum dicitur manere donec remittatur. Sed quamuis ille de peccato priùs à se commisso cogitaret, & circa ipsum malè afficeretur: hoc non obstaret, quin absolutè posset Deus remittere peccatum, ad quod malè afficitur: sicut homines remittunt, si velint, offensas etiam iniuriosis, & indignis, & iterum offendentibus, atque in affectu malo perseuerantibus. Multóque minùs obstat habitualis inclinatio, si quam peccando contraxit; quam de facto manere post iustificationem docet experientia. Verum quidem est voluntatem peccatoris per peccatum auersam, manere auersam negatiuè, id est, non conuersam, donec ad Deum conuertatur. Sed auersio negatiua non est peccatum, si nihil aliud sit. Alioqui nunquam esset negatio conuersionis actualis ad Deum sine peccato: quod est falsum: & naturaliter impossibile est semper de Deo cogitare, & ad illum conuerti actualiter sine intermissione. Manet item quòd sit auersa, vel conuersa de præterito: id est, verum semper manet, quòd voluntas se olim à Deo auerterit, & conuerterit ad creaturam. Sed hæc denominatio de præterito, non est peccatum, neque per vllam potentiam tolli potest. Quod enim semel factum est, infectum esse nequit.

56. Instabis, quia peccatū, quamdiu nō retractatur, semper manet moraliter in ratione voluntarii. Quod enim quis semel voluit, est illi voluntarium, donec ab eo retractetur. Atqui peccatum manet habitualiter, quamdiu manet in ratione voluntarii. Ergo peccatum manet habitualiter quamdiu non retractatur.

Quomodo peccatum non retractatum manet in ratione voluntarii.

Respondeo, peccatum quamdiu non retractatur, manere moraliter in ratione voluntarii habitualis alio sensu, quàm eo, de quo nunc disputamus. Quatenus scilicet voluntarium habitualiter dicitur illud omne, quod quis semel voluit, & contrario actu nondum retractauit, censeturque fore idem voliturus in præsenti, si eius volendi par occasio se offerret. Vt qui semel, verbi gratia, peierauit, & non retractauit, censetur fore peieraturus hic & nunc, si eadem occasio peierandi se offerat. Qua de causa testes semel periuri, reiiciuntur deinceps à ferendo testimonio. Sed non manet habitualiter alio sensu, de quo nunc disputamus, quique necessarius est, vt peccatum sit macula habitualis eius qui antea peccauit, reddendo eum nunc odibilem Deo, proinde ac si physicè peccaret in præsenti. Hoc enim non est, postquam Deus condonauit, id est, statuit non ampliùs habere rationem illius peccati, in ordine ad odium abominationis, cessitque iure, quod habebat ad tale odium rationabiliter exercendum.

57. Dices, quamuis Deus non retineat ius illud ad odium rationabile peccatoris: adhuc tamen ex periurio manet homo habitualiter maculatus, quatenus manet habitualiter auersus à regula rationis. Manet autem habitualiter auersus, quamdiu non retractat. Imò, si per impossibile non esset Deus, maneret homo post periurium, habitualiter maculatus, per auersionem habitualem à regula rationis naturalis, quamdiu non retractaret. Ac sicut Deus non potest dispensare in lege naturali, vt homo licitè peieret: ita non potest tollere habitualem periurii auersionem à lege naturæ, nisi periurus ipse per propriam retractationem se ad legem conuertat. Sic etiam Princeps non potest condonare offensam, prout est contra legem, aut ius superioris, in quo non potest dispensare.

58. Ad primum Respondeo, periurum in eo casu, transacto physicè periurio, non manere habitualiter maculatum apud Deum: esto, maneat apud homines retinentes ius ad rationabilem auersionem: in quo non consistit ratio peccati habitualis theologica, sed ratio maculæ cuiusdam humanæ: neque etiam manere auersum à regula rationis habitualiter, nisi in primo sensu è duobus paulò ante explicatis.

Ad secundum Dico, in eo casu maneret homo maculatus apud homines, quorum interesset tale peccatum, si retinerent

illud in ordine ad odium rationabile. Neque sufficeret quæcunque retractatio peccatoris ad tale ius in hominibus extinguendum. Et è contrario possent homines, illâ non expectatâ, non retinere ampliùs, negligendo deinceps, vel condonando tale peccatum, & nullam ampliùs illius rationem habendo, perinde ac si nunquam fuisset.

Ad tertium Respondeo, siue Deus possit dispensare in lege naturali, siue non possit: saltem posse cedere iuri, quod habet, odiendi rationabiliter eum, qui fecit aliquid contra legem naturalem. Qua cessione posita, non manet ampliùs peccatum præteritum, in ratione peccati habitualis theologicè & propriè sumpti, quod consistit in tali permanentia morali, seu retentione Dei in ordine ad odium rationabile: non autem in retentione Angelorum, aut hominum: quibus licet non retinentibus, aut condonantibus pro sua parte, manet tamen totum peccatum habituale propriè & theologicè sumptum, prout pertinet ad iustificationem, aut damnationem coram Deo, id est, in foro Dei. Et similiter tollitur totum, Deo condonante: siue homines remittant, & condonent, prout ad se pertinet, siue non. Plura de hac instantia videri possunt apud Cardin. Delugo disp. 7. sect. 8.

59. Secundò, qui peccatum mortale sine gratiæ infusione remitti posse negant, opponunt primò peccatum mortale esse priuationem gratiæ habitualis. Priuatio autem tolli non potest nisi per habitum oppositum. Respondeo, peccatum mortale non esse priuationem gratiæ formaliter, siue loquamur de peccato mortali actuali: nam sic potiùs est causa velut efficiens moraliter priuationis gratiæ, per modum mali meriti, in cuius pœnam Deus gratiâ priuat: siue etiam loquamur de habituali, quod non est aliud, quàm ipsummet actuale moraliter, & æquiualenter perseuerans in ordine ad odium peccatoris, vt suprà exposuimus. Sicut autem causa ab effectu, & meritum malum à pœna distinguitur: sic priuatio gratiæ non est ipsum peccatum, cuius est pœna, & cuius quidam effectus est. Vt patet ex Iacobi primo, versu decimo quinto, *Peccatum cùm consummatum fuerit, generat mortem*: spiritalem scilicet, quæ est priuatio gratiæ. Neque enim omne peccatum mortale generat mortem corporalem. Iacobus autem loquitur generatim de peccato mortali. Patet etiam ex Tridentino, sessione sexta, capite 11. vbi asserit, Deum sua gratia semel iustificatos, non deserere, nisi priùs ab eis deseratur. Quare naturâ prius est, ipsos Deum deserere per peccatum mortale, quàm priuari gratia. Et sessione quinta, Canone primo dicit, primum hominem, cùm fuisset transgressus, statim sanctitatem, & iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse. Duo ergo sunt, transgredi, & amittere gratiam; quorum vnum supponit aliud. Alioquin ineptè diceretur, cùm fuisset trãgressus amisit sanctitatẽ: vt si diceretur, cùm fuisset mortuus amisit vitã. Cõfirmatur, quia si peccatum habituale esset formaliter priuatio gratiæ, & non posset tolli, nisi per infusionem gratiæ: ergo in statu puræ naturæ tolli non posset, esset que Deus implacabilis. Plura hac de re diximus in Tractatu de peccatis.

Peccatum mortale nõ est priuatio gratiæ.

60. Opponunt secundò ex Trident. sess. 6. cap. 7. causam formalem nostræ iustificationis, esse gratiam habitualem. Atqui sine causa formali effectus haberi nequit. Ergo neque iustificatio sine infusione gratiæ habitualis. Peccati autem remissio idem est ac iustificatio. Ergo, &c. Respondeo primò ad maiorem propositionem, gratiam esse causam formalem nostræ iustificationis, quatenus quidquid est in iustificatione, est illius effectus, vel primarius, vel secundarius. Secundò, ad minorem dico peccati remissionem non esse idem, ac iustificationem. Nam Trident. initio cap. cit. expressè docet, iustificationem non esse solam peccatorum remissionem: sed & sanctificationem, & renouationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum: vnde homo ex iniusto fit iustus, & ex inimico, amicus, vt sit hæres secundum spem vitæ æternæ. Itaque remissio peccati est tantùm pars iustificationis, & effectus secundarius gratiæ, quatenus Deus intuitu gratiæ infusæ, vt formæ disconuenientis cum peccato mortali, definit illud retinere moraliter. Non est tamen essentialis connexio inter hunc effectum primarium, & secundarium gratiæ. Nam absolutè posset infundi gratia non condonato peccato mortali. Et è contrario, posset condonari peccatum non infusâ gratiâ.

Potest absolutè tolli sine illius infusione.

61. Opponunt tertiò, quòd nisi Deus gratiam infundat, non potest deponere odium, & indignationem, quâ prosequitur hominem propter peccatum. Ergo neque potest remittere peccatum, si gratiâ non infundit. Tamdiu enim manet peccatum habitualiter, quamdiu peccator est Deo odiosus. Probant antecedens: quia nisi Deus remoueat malum à peccato illatum, non potest dici deponere indignationem, cuius causa, & obiectum ex parte hominis, non est nisi hoc malum. Ac sicut Deus non potest non amare eum, in quo est gratia: sic non potest non odisse eum, à quo aufert malum priuationis gratiæ. Confirmatur, quia quamdiu Deus intelligitur repellere peccatorem à sua gratia, seu bona voluntate, tamdiu intelligitur esse offensus, & iratus: cùm esse offensum & iratum, non sit aliud, quàm repellere aliquem à sua gratia, seu bona voluntate. Ergo quousque ipsi restituat statum iustitiæ, intelligitur offensus & iratus.

Respondeo, primum antecedens non esse verum, Deum scilicet, non posse deponere odium ex peccato actuali conceptum, nisi

Potest Deus sine illa deponere

odium peccatoris.

reſtituat gratiam. Sufficit enimquòd condonet offenſam per ceſſionem vſus iuris ſui, neque ampliùs illam retineat in ordine ad odium abominationis. Poteſt autem condonare ſine infuſione gratiæ: ſicut homines condonant alii aliis ſine vllius qualitatis infuſione. Hominum enim remiſſio eſt vera remiſſio: & Deus illam cum ſua comparat, vultque nos aliis remittere, ſicut ipſe nobis remittit. Ad probationem antecedentis Reſpondeo, cauſam & obiectum indignationis diuinæ eſſe peccatum actuale nondum remiſſum, & manens habitualiter: quod obiectũ vt tollatur, ſufficit condonari peccatum. Neque verum eſt, abſolutè loquendo, non poſſe Deum non amare eum, in quo conſeruat gratiam: cùm poſſit eam conſeruare ſimul cum peccato mortali, quod abſoluta neceſſitate non tenetur remittere, infuſâ gratiâ: ſicut ex oppoſito poteſt gratiam non reſtituere, & nihilominus peccatum remittere: quippe cuius remiſſio non pendet eſſentialiter ab infuſione gratiæ. Certè in ſtatu naturali puro carerent homines gratia, neque tamen propterea Deus illos odiſſet, ſi non peccarent: & ſi peccarent, non foret illis prorſus irreconciliabilis.

Ad confirmationem nego, quamdiu Deus non reſtituit peccatori ſtatum iuſtitiæ, intelligi ipſum repellere à ſua gratia, ſeu bona voluntate. Etenim illud ipſum, quòd peccatum remittat, eſt bonæ voluntatis, & viam aperit ad beneficia vlteriora, quamuis illa eo ipſo non conferat. Ad hoc autem, vt Deus intelligatur remittere, & eatenus non repellere à ſua bona voluntate, ſatis eſt ſi condonet offenſam, quod ipſum magnum beneficium eſt, & pars vna iuſtificationis complectentis cum peccati remiſſione infuſionem habituum ſupernaturalium, vt ait Trident.

SECTIO VII.

Aliæ duæ ſententiæ refutantur.

62. Poſſime tolli peccatum ſine vllo actu & habitu?

ALii tertiò, qui negant peccatum remitti poſſe ſine actu, vel habitu, & ſine aliqua mutatione phyſica peccatoris, obiiciunt primò, non poſſe peccatorem tranſire à ſtatu peccati ad ſtatum munditiei, ſine alicuius perſonæ mutatione, Dei ſcilicet, aut peccatoris. Non Dei, quia immutabilis eſt: ergo peccatoris. Confirmatur, quia, vt verum ſit Deum non ampliùs odiſſe peccatorem, neceſſarium eſt fieri aliquam mutationem, in qua funderetur talis denominatio. Si enim omnia manent vt priùs: verum nunc eſt, quod priùs verum erat. Ex eo enim quòd res eſt, vel non eſt, propoſitio eſt vera, vel falſa. Non poteſt autem fieri mutatio in Deo, qui eſt immutabilis, & nullum habet actum voluntatis de nouo; & actus liberi, quos habet ab æterno, nihil aliud ſunt, quàm denominatio ab effectibus futuris, vel habitudo rationis ad illos, & ex illis deſumpta per comparationem diuinæ voluntatis cum illis.

63. Peccatum tolli poteſt ſine mutatione phyſica.

Reſpondeo, ſufficere moralem mutationem peccatoris: nullam verò mutationem phyſicam neceſſariam eſſe, neque in Deo, qui poteſt vnico actu ſimpliciſſimo, & æterno facere totum id, quod faciunt homines pluribus actibus, offenſas modò retinendo, & modò condonando: neque in ipſo peccatore, quia peccatum moraliter tantùm illum inficit, quando remanet tantùm habitualiter, & morali quodam modo ſuprà explicato: ideóque ſufficit deſitio, & mutatio moralis, quæ fit hoc ipſo, quòd Deus offenſam condonat, & non illam amplius retinet in ordine ad iuſtum, & rationabile odium abominationis erga peccatorem.

64. Ad confirmationem Reſpondeo, hanc denominationem fundari ſufficienter in denominatione actus diuinæ voluntatis ad hanc, aut illam differentiam temporis, pro qua tendit tali modo in obiectum. Quatenus, licet ille actus ſit æternus, odit tamen, aut amat obiectum, & ad effectus malos, aut bonos deſtinat, id eſt, ad pœnam, vel ad præmium, pro tali temporis differentia, vltra quam non ſe extendit denominatio ab illo ſumpta. Falſum verò eſt actus Dei liberos eſſe tantùm extrinſecas denominationes ab obiectis, ſiue ab effectibus futuris, vel habitudines rationis ex illis deſumptas. Sunt enim actus vitales immanentes, ac proinde intrinſeci: cùmque ſint cauſa effectuum ſuorum; debent illis præſupponi neceſſariò, & non ab illis peti, atque ab illis pendere, aut reſultare.

Actus Dei liberi ſunt illi intrinſeci.

Dices, ſaltem neceſſariam eſſe mutationem phyſicam, vt remiſſio peccatori manifeſtetur. Reſpondeo manifeſtationem illam non eſſe neceſſariam, & poſteriorem, vel priorem eſſe poſſe quàm remiſſionem peccati, cui eſt planè extrinſeca, & accidentalis.

65. Obiiciunt ſecundò: Deus non poteſt remittere peccatum, niſi deponat odium, & diligere incipiat hominem, quem priùs odio habebat. Hæc autem dilectio terminari debet ad obiectum verè bonum, & non tantùm apparenter. Ergo neceſſe eſt, vt qui erat malus, fiat bonus, quod ſine mutatione intelligi non poteſt. Confirmatur, quia non poteſt in Deo intelligi actus liber, quin habeat terminum aliquem realem extra: qualis nullus eſſet, ſi peccator nihil reciperet, neque vllum actum exerceret. Confirmatur ſecundò, quia ſi Deus ob violatam amicitiam abſtulit dona ſua, quibus amicum decorauerat, & amabilem fecerat; non poteſt intelligi remittere, niſi reſtituat ablata. Denique, ſi peccatum remitteretur abſque vlla mutatione phyſica peccatoris, remitteretur per ſolam non imputationem Dei. Nam ibi ſolùm interueniret extrinſeca Dei condonatio, quæ idem eſt, quod non imputatio. Hoc autem eſt abſurdum. Nam alioquin ideo

solùm peccatum esset in homine habitualiter, quia à Deo imputatur, & incideretur in errorem hæreticorum huius temporis, affirmantium, peccata remitti per meram non-imputationem.

Respondeo, ad puram peccati remissionē non esse opus dilectione alia præter bonam voluntatem condonantem peccatum, per quam peccator fit bonus aliquatenus, id est, non malus, & ex parte iustus, qua parte scilicet iustitia postulat carentiam peccati: etsi nondum aliam partem habet, quæ consistit in positiua perfectione habituum infusorum.

66. Non esse peccati est terminus condonationis.

Ad primam confirmationem Respondeo, actum Dei liberè condonantis habere pro termino abolitionem, & non esse peccati habitualis, quod definit ampliùs retineri moraliter: seu mutationem moralem peccatoris, in eo consistentem, quòd nunc sit aliter considerabilis, quàm esset antea; quando scilicet, stante vsu iuris diuini, erat obiectū proportionatum odio abominationis, & indignationis diuinæ. Quod iam non est, posita cessione iuris: neque nunc ampliùs habetur ratio peccati eius in ordine ad odium, perinde ac si re ipsa committeretur, physicéque ipsum inficeret. Non est autem necesse neque verum, omnem actum Dei liberum habere aliquem effectum ad extra: siue loquamur de effectu physico, siue etiam de morali. Cùm inter actus Dei liberos aliqui sint inefficaces, vt voluntas dandi gratiam peccatori si conuerteretur; & gloriam si moreretur in gratia: qui tamen perseuerat, & moritur in peccato. Aliqui etiam sint non-practici, vt voluntas quâ approbat opera nostra, quâ gratum habet hominem iustificatum, quà mundum à se conditum, vt valde bonum approbauit, Genes. 1. v. vltimo. Inter efficaces autem multi sunt, qui terminantur ad effectus morales: vt voluntas constituendi Dauidem in Regem 1. Reg. 16. & Petrum in caput Ecclesiæ Matth. 16. & Ioan. 21.

Ad secundam, Respondeo non esse verum, neque conforme doctrinæ fidei, Deum non posse intelligi remittere peccatum, nisi restituat ablata. Deus enim primo parenti peccatū remisit, vt dicitur Sapient. 10. v. 2. cui tamen plurima ablata non reddidit. Ac sicut Deus potest peccanti non auferre, quod dedit? ita potest, remittendo peccatum, non reddere quod abstulit.

67. Peccatum non remittitur per falsam nō-imputationem.

Ad tertiam, nego propterea peccatum remitti per meram & falsam non-imputationem: sed remittitur per condonationem & cessionem vsus iuris Dei, quo meritò posset illa retinere in ordine ad odium abominationis, & indignationis aduersus peccatorem. Est autem duplex non-imputatio. Vna, quâ non imputatur id, quod est. Altera, quâ non imputatur id, quod verè non est. Priorem adstruunt hæretici huius temporis, qui dicunt peccata non imputari fidelibus, ne tunc quidem, cùm ab illis actu & physicè committuntur: & esse quidem, sed tamen tegi diuina non-imputatione. Posterior verò longè abest ab hæresi, & à Scriptura prædicatur Psalmo 31. *Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum.* Tametsi hæc non-imputatio non est ipsa condonatio, sed naturâ posterior. Ideo enim verè non imputatur peccatum, quia non est. Impropriè tamen potest cum ipsa confundi. Hinc autem non sequitur ex oppositio peccatum habituale consistere in Dei imputatione: sed solùm, pendere aliquo modo ex Dei voluntate, & retentione, vel remissione sui iuris. Vt de offensis, & delictis humanis inter homines ipsos notum est. Notandum tamen, quòd sicut peccatum formaliter sumptum, non fit propriè à Deo: ita nec proprie conseruatur in esse morali: sed dumtaxat non destruitur, seu non remittitur. Semel autem commissum, tandiu moraliter permanet ex natura rei, sub ratione offensæ diuinæ, quandiu non destruitur: id est, peccator eò ipso, quòd Deum offendit mortaliter, est dignus auersione, & odio abominationis, donec Deus remittat. Et hæc negatio remissionis est quidem conditio necessaria, vt sit peccatum habituale, id est, vt peccatum antea commissum duret habitualiter: Non est tamen causa durationis eius, seu permanentiæ moralis: sed peccator est eius causa, eo ipso quòd actu peccat: dummodo Deus non impediat, cedendo iure suo, & nolendo peccatum retinere memoria, in ordine ad iustū, & rationabile odium peccatoris. Ideo enim Deus retinet memoria peccatum in ordine ad odium abominationis, & habet ius abominandi, quia peccator actu peccauit.

Obiiciunt tertiò: Si tollitur solummodo peccatum extrinseca Dei condonatione; nihil aliud fit, quàm quòd peccator non sit ampliùs ad pœnam destinatus. Atqui nisi peccator mutetur intrinsecè, manet dignus pœna, vt antea. Et si est dignus pœna, est in peccato: quia per hoc maximè in peccato est, quòd dignus est pœna. Ergo necessaria est aliqua interna mutatio, & renouatio peccatoris, per quam dignitas pœnæ remoueatur. Hoc autem fieri nequit, nisi per aliquem actum, vel habitum: ergo alteruter necessarius est. 68.

Quid faciat pura condonatio peccati.

Respondeo primò negando sequelam maioris propositionis. Fit enim aliquid aliud, nempe vt peccator non sit ampliùs subiectus odio abominationis diuinæ pro tempore sequente condonationem, neque sit illi proportionatus amplius tanquam obiectum ei conueniens: quia non est conueniens, neque possibile, odisse odio abominationis propter offensam, eum, cui offensa codonata est, per cessionem iuris ad illam retinendam in ordine ad talem effectum. Quemadmodum si peccatum non tantùm quoad culpam, sed etiam quoad omnem pœnam condonatum est: non est conueniens, neque possibile, Deum vt iudicem punire eum, cui pœnam remisit per cessionem iuris, quo po-

terat vti in ordine ad talem effectum. Cæterùm, non omnis condonatio peccati eſt talis, vt eâ factâ peccator non ſit ampliùs deſtinatus ad pœnam. Nam plerumque remiſſo peccato mortali quoad culpam, & pœnam æternam; remanet peccator deſtinatus ad pœnam temporalem: & de potentia abſoluta poſſet manere deſtinatus ad æternam, vt oſtendemus infrà. Ex quo apparet, aliud eſſe culpam peccati, & aliud deſtinationem ad pœnam: quandoquidem vnum poteſt tolli ſine alio.

69. Secundò, ad minorem Reſpondeo, vt peccator non ſit ampliùs dignus pœna, vt antea; ſufficere moralem mutationem, quatenus ſecundum rectam æſtimationem, poſita peccati condonatione quoad culpam, atque etiam ceſſione vſus iuris circa pœnam exigendam, non eſt ampliùs obiectum pœnæ proportionatum, adeóque nec illa dignum. Si enim eſſet dignum, eſſet proportionatum: quia vbicumque vnum eſt dignum alio, eſt inter illa proportio aliqua conuenientiæ, & dignitatis. Falſum eſt autem id quod additur in eadem minori propoſitione: quòd nimirum ſi eſt dignus pœna, eſt in peccato: ſitque maximè in peccato, eo ipſo, quòd dignus eſt pœna. Nam ille cui per contritionem, aut ſacramentum Pœnitentiæ remiſſum eſt peccatum, non eſt in peccato, licet adhuc ſit dignus pœna temporali, quæ ſupereſt ſoluenda vel in hac vita, vel in futura. Et ille cui, de potentia abſoluta, Deus culpam remitteret, nullâ pœnâ remiſsâ, non eſſet in peccato, quamuis eſſet dignus pœnâ eâdem, quâ antea. Et ex oppoſito, damnati, qui ſatispatiuntur pro peccatis venialibus, in quibus deceſſerunt, non ſunt ampliùs digni pœna pro iiſdem venialibus, poſtquam ſatispaſſi ſunt: & tamen ſunt in peccatis venialibus, quippe quæ manent habitualiter vt offenſæ contra amicitiâ diuinam, retentæ in ordine ad effectum diſplicendi. Quia peccata venialia ſecundum hanc conſiderationem non tolluntur, niſi per remiſſionem, aut ſatisfactionem æquiualentem; aut per pœnam, & ſatispaſſionem amicabilem, qualis non eſt damnatorum ſatispaſſio.

70. Peccatum & pœna quomodo ſunt connexa? Verum quidem eſt, peccatum actu commiſſum eſſe id, propter quod pœna dignus eſt, qui peccauit. Atque hoc ſenſu cauſali verè dicitur, peccatum eſſe id, quo maximè, imò & ſolùm, peccator eſt pœna dignus. Sed falſum eſt in ſenſu formali, peccatorem ſcilicet eſſe in peccato formaliter, eò ipſo, quòd eſt pœna dignus: & conſequenter tamdiu eſſe peccatorem, quamdiu eſt dignus pœna. Poteſt enim eſſe dignus pœna, non exiſtente, ſeu deſinente peccato, non modò phyſicè, ſed & moraliter, ſiue habitualiter. Et ex oppoſito poteſt manere peccatum habitualiter, non exiſtente ampliùs dignitate pœnæ, vt paulò antea oſtendimus. Neque enim ampliùs eſt dignus pœna, qui ſoluit, quantum in rigore ſoluere debuit, cuique non poteſt ampliùs pœna iuſtè infligi. Niſi intelligatur propoſitio ampliatiuè, vel abſtractè: quòd ſcilicet peccatum actu commiſſum ſit dignum aliqua pœna ſoluenda, vel ſoluta. Aut quod dignum erat, vt pro eo talis pœna ſolueretur, quæ iam ſoluta eſt. Verùm quoq; non eſt, peccatorem iam eſſe dignum pœnâ. Solutio enim perfecta extinxit illam dignitatem, & debitum. Tollitur enim debitum per plenam ſolutionem, æquè ac per remiſſionem.

Porrò authores huius obiectionis vel putât peccatum mortale tolli per actum peccatoris, aut per habitum ei infuſum, præcisè, ſine vlla Dei condonatione: vel vlteriùs requirunt Dei condonationem accedere. Si ſecundum: pugnant contra ſeipſos. Nam hoc poſito, erit opus fauore aliquo extrinſeco, per quem peccatum tollatur, & contra quem obiicitur, quidquid ipſi contra nos obiiciunt. Si primum, grauiter falluntur. Etenim peccatum mortale non poteſt tolli, niſi, vel per remiſſionem, ſeu condonationem, vel per plenam & perfectam ſatisfactionem. Quemadmodum debita, & offenſæ humanæ non tolluntur debitore ſuperſtite, niſi alteruto ex his modis. Et quidem peccata ſunt aliqua debita, vt ſæpe vocantur in Scriptura. Euidens autem eſt non tolli debitum, niſi condonatione, aut perfectâ ſolutione. At gratia, vel quiuis alius habitus infuſus peccatori, non eſt ſolutio perfecta. Tum quia peccatum mortale eſt offenſa infinita: gratia verò eſt quid finitum. Tum etiam quia ſolutio ſufficiens pro peccato mortali debet eſſe aliqua ſatisfactio. At gratia, vel habitus non eſt ſatisfactio, quia omnis ſatisfactio eſt aliqua operatio ſatisfacientis, id eſt, facientis quantum eſt ſatis ad ius læſum reparandum. Actus verò peccatoris, ſiue ille ſit attritio, ſiue contritio, aut quiuis alius, non eſt condigna ſatisfactio pro peccato mortali, quod quia eſt grauis offenſa, & contemptus diuinæ maieſtatis, meretur ſatisfactionẽ infinitam, & quidem in eo gradu, vt niſi per actionem perſonæ alicuius diuinæ, non poſſit condignè, & æqualiter ſatisfieri, vt oſtendimus diſput. 2. de Incarnatione ſect. 5. Quare ſiue ponatur habitus, ſiue actus peccatoris: id non ſufficit ad extinctionem peccati mortalis, ſed neceſſariò debet accedere condonatio diuina.

71. Scotus. Gabrielis. Quartò denique, Scotus, & Gabriel in 4. diſt. 14. quæſt. 1. & alii quidam exiſtimant peccatum tolli poſſe per meram condonationem pœnæ. Quia peccatum habitualiter remanens, nihil aliud eſſe putant, quàm reatum pœnæ: ita vt hominem eſſe habitualiter in peccato mortali, nihil aliud ſit, quàm propter actum malum præteritum, reum eſſe pœnæ, id eſt, eſſe dignum & proportionatum pœnæ, ad eamque diuinitùs deſtinari, & obligari, ob peccatum actu commiſſum.

Digitized by Google

Peccatum non tollitur per remissionem condonationem pœnæ.

Sed hæc sententia cum suo fundamento communiter reiicitur, & meritò. Nam reatus pœnæ & ordinatio ad pœnam, non est culpabilis, neque Deum offendit. At peccatum est offensa, & culpa essentialiter, ex qua sequitur reatus pœnæ, id est obligatio peccatoris, & ordinatio ad pœnam: sine qua tamen ordinatione, & sine reatus pœnæ consideratione, peccatum redderet odiosum, & abominabilem Deo eum, qui actu peccauit, & cui Deus non condonauit reatũ culpæ, id est, non remisit ius, quod habet abominandi eum rationabiliter propter peccatum actu commissum, & retentum moraliter in ordine ad illum effectum, ita vt eius habeatur ratio in ordine ad odium, & abominationem peccatoris, perinde ac si actu committeretur. Secundò, frequenter aliquid pœnæ remanet post remissionem peccati, & tamen nihil offensæ Dei remanet. Aliud ergo est offensa Dei, & aliud reatus pœnæ. Item, vt paulò ante diximus, & fusiùs alibi probabimus, in damnatis satispatientibus pro venialibus nõ remissis, non manet reatus pœnæ post integram satisfactionem: & tamẽ manet reatus cùlpæ, prout est offensa contra Dei amicitiam. Ergo reatus pœnæ non est reatus offensæ. Denique in iustificatione non remittitur tantùm pœna: sed etiam culpa, iuxta Trident. sess. 5. in Decreto de peccato originali, can. 5.

72. Peccator non manet tantùm reus pœnæ.

Dices, peccator, qui contra ius Dei aliquid admisit, & non soluit debitum, non potest absolutè illud soluere, quia iam præteriit tempus, quò soluere debebat. Ergo manet tantùm debitor satisfactionis, vel pœnæ: ergo illa tantùm remanet, & remittitur. Respondeo, præter reatum pœnæ, vel debitum satisfaciendi, esse culpæ reatum, & offensam, ac læsionem iuris diuini habitualiter manentem, quousque remittatur. Sicut autem Deus ante factum, cedẽdo iuri suo, efficeret, ne esset iniuria. Ita post factũ remittendo, facit vt nõ perseueret iniuria. Neq; verò peccator est solũ reus ratione eius, quod abstulit, aut retinuit: sed & ratione audaciæ extremæ, quâ ius diuinum læsit. Denique falsum est, quod obiiciunt aliqui, iniuriam tolli non posse, nisi per compensationem, quâ reddatur aliud aliàs indebitum, pro eo debito, quod præstitum non fuit. Potest enim tolli aliter per remissionem. Imò dum fit æqualis satisfactio, non est remissio propriè, sed solutio.

SECTIO VIII.

Vtrum per pœnitentiam possit vnum peccatum mortale remitti sine alio.

73. De potentia ordinaria non potest vnum mortale remitti sine alio.

REspondeo, non posse de potentia ordinaria, & secundum legem à Deo statutam remitti vnum mortale sine alio existente in eodem subiecto: posse tamen de potentia absoluta. Prima responsi pars est Diui Thomæ, quæstione 86. articulo tertio, & omnium Theologorum. Ratio illius est, quia siue remittatur peccatum mortale in sacramento pœnitentiæ, siue extra sacramentum, secundum præsens Dei decretum, non remittitur sine infusione gratiæ habitualis, quæ secundum idem decretum nullum mortale peccatum compatitur, facitque hæredem vitæ æternæ, cum quo iure non potest stare debitum pœnæ æternæ, conueniẽs singulis peccatis mortalibus. Neque enim potest Deus iure priuare vitâ æternâ eos quibus illam debet iure seu titulo hæreditatis, aut etiã titulo meriti. Eódem pertinet illud Apost. ad Rom. 8. *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu.* Quod in hunc sensum de baptizatis vsurpat Tridentinum sess. 5. can. 5. de peccato originali. Item illud Innocentii III. cap. *Maiores, de Baptismo*, vbi concludit, peccatum originale non posse remitti manente mortali, quia quodcunque peccatum mortale excludit hominem à regno cœlorum: nemini autẽ peccatum mortale remittitur, quin ad regnum cœlorum acceptetur. Item illud libri de vera & falsa pœnitentia apud Augustinum, cap. 9. *Quædam impietas est infidelitatis, ab illo, qui iustus, & iustitia est, dimidiam sperare veniam.* Quod de mortalibus intelligendum est. August.

74. Potest tamen de potentia absoluta.

Secunda pars responsi, quòd scilicet absolutè posset vnum mortale remitti sine alio, est Adriani titulo de Pœnitentia, quæstione quarta; Scoti in quarto, distinctione decima quarta, quæstione prima, Gabrielis ibidem, quæstione prima, articulo 1. Ioannis Medinæ Codice de Pœnitentia, tractatu primo, quæstione duodecima; Suaris disputatione decima, sect. 1. n. 3. Aegidii Con. disp. 2. dub. 11, & multorum aliorum è Recentioribus. Probatur autem, quia, siue peccatum mortale remitti velimus, de potentia absoluta, sine vllo pœnitentis actu, ac sine gratiæ infusione, siue cum illis (vtroque enim modo remitti posse probauimus) nihil est vnde implicet vnum mortale remitti sine alio. Nam si Deus purè condonat peccatori, sine vllo ipsius actu, aut mutatione physica: potest facilè vnum condonare, & alia retinere: vt inter homines potest quis vnam grauem offensam condonare, & retinere alias. Si verò supponamus, Deum remittere peccata mediante actu, vel habitu: tametsi conueniens est, vt ad gratiæ infusionem omne peccatum mortale deleatur, tanquam illi minùs conueniens, & repugnans moraliter ex natura rei, quia videlicet tam præstans qualitas supernaturalis; Deoque tantopere acceptum reddens subiectum, in quo est; non bene conuenit cum peccato mortali, quo nihil Deo magis inuisum est. Licet, inquam, sit aliqua repugnantia inter gratiã, & peccatũ mortale: non tamẽ absoluta, ita vt implicet contradictionẽ

simul esse. Actus verò pœnitentis quilibet non repugnat omni peccato mortali, ne moraliter quidem: potest enim concipi ex motiuo aliquo particulari, & non communi omnibus mortalibus. Et quamuis supponamus talem exerceri, vt repugnet moraliter cuiuis peccato mortali, sitque conueniens, vt à Deo tollantur omnia, quandoquidem ille actus æquè disponit ad omnia tollenda, & ad omnia parem vim habet: non tamen Deus absolutè necessitatur ex vi illius actus, vt omnia remittat, imò ne vnum quidem. Quantumuis enim sit perfectus pœnitentis actus, semper diuina acceptatione opus habet ad effectum remittendi peccatum mortale: neque formaliter illud remittit, sed per modum dispositionis congruæ. Posset autem Deus non acceptare: vel ad vnum acceptare, non ad alia: & ad hoc potiùs, quàm ad illud, pro sua libertate.

75. Sotus. Valent. Diuus Thomas autem, cuius authoritate Dominicus Sotus in 4. dist. 15. quæst. 1. a. 3. & Valent. quæst. 3. punct. 3. aliique non pauci adducuntur in sententiam contrariam, intelligendus est de potentia ordinaria, & secundum præsens Dei decretum, vt interpretantur Suares in commentario articuli 3. & Aegidius Con. disput. 2. dubio 11. Neque rationes, quibus vtitur, plus probant, quàm secundum legem ordinariam non posse vnum remitti sine alio. Quamuis enim peccatum mortale de lege ordinaria nunquâ remittatur sine infusione gratiæ habitualis: absolutè tamen sine illa remitti posset. Ac licet iuxta eandem legem repugnet simul esse gratiam, & peccatum mortale: absolutè tamen non repugnat, vt iam communiter docent Recentiores, teste Suare supra. Et quidem manifestum est non esse repugnantiam physicam. Quia totum physicum peccati esse potest cum gratia, etiam de lege ordinaria: si nimirum idem actus peccati fiat sine libertate, & inculpabiliter. Moralis verò non est tanta, vt non possit absolutè superari, vel sine indecentia repugnante diuinæ sapientiæ, & rectitudini diuinæ voluntatis, vt patebit ex sequentibus, respondendo tacitè argumentis Aduersariorum.

Suares. Coninc. Explicatur rationes D. Thomæ in contrarium.

76. Habere gratiam cum peccato mortali, non est esse perfectè iustum. Qui autem esset simul in gratia, & in peccato mortali, non esset iustus simpliciter, neque cœlo dignus, & hæres vitæ æternæ: sed simpliciter esset dignus supplicio. Nam simpliciter dignitas ad pœnam non petit priuationem gratiæ habitualis. Dignitas verò ad gloriam postulat perfectam iustitiam, iuxta hæc Tridentini verba initio capitis 7. sect. 6. *Hanc dispositionem iustificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum: Vnde homo ex iniusto fit iustus, & ex inimico, amicus, vt sit hæres secundum spem vitæ æternæ*: nimirum positis his duobus, remissione culpæ, & sanctificatione, ac renouatione interioris hominis. Neutri autem soli debetur hæreditas gloriæ: id est, neque gratiæ sine puritate à peccato mortali: neque puritati à peccato sine gratia.

77. Contritio non tollit peccatum sine Dei acceptatione libera. Præterea, licet nunquam extra sacramentum remittatur peccatum mortale, nisi per contritionem formalem, aut virtualem, detestantem peccatum prout contra Deum est: potest tamen absolutè sine illa remitti. Et potest illa præsente non remitti: quia non remittitur sine Dei acceptatione libera, & condonatione. Et gratis iustificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur, vt ait Trident. sess. 6. cap. 8. explicans illud Pauli ad Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, &c.*

78. Vlteriùs, licet dimidia mortalium remissio sit contra perfectionem misericordiæ diuinæ, qualis nunc erga peccatores exercetur: non est tamen contra perfectionem misericordiæ possibilis, aut sufficienter perfectæ, & imperfectione positiua carentis. Sicut enim misericordia, quâ Deus vnum veniale remittit sine alio, satis perfecta est, nihilque habet imperfectionis positiuæ, licet negatiuè minùs perfecta sit, id est, non tam perfecta, quàm si omnia remitteret: sic, &c.

Denique est quidem impietas infidelitatis sperare veniam dimidiam peccatorum mortalium: postquam à Deo reuelatum est, nolle se, nisi integrè, remittere. Sed hoc nihil facit contra potentiam absolutam, de qua loquimur. Potuit enim Deus aliter velle. Neque ita voluit necessariò, sed libere.

79. Quomodo Dei perfecta sunt opera. Illud autem quod obiicitur ex Deuteron. 32. *Dei perfecta sunt opera*, non est ita intelligendum, quasi omnia Dei opera debeant esse perfectissima. Quis enim dubitet in rebus naturalibus, & supernaturalibus, Deum multò perfectiora opera edere potuisse? Nec quasi in operibus diuinis nulla prorsus sit negatio perfectionis non debitæ: sed quòd non habeant vllam turpem, aut vituperabilem imperfectionem, vel vllum defectum contra debitum. Quod quidem non esset, licet Deus vnum mortale sine alio remitteret. Nihil enim deformitatis, aut mali in tali opere excogitari potest: quod potiùs esset opus magnæ misericordiæ, quatenus numerum peccatorum mortalium, & pœnam eis debitam minueret.

SECTIO IX.

Vtrum remissa culpa per pœnitentiam, remittatur reatus pœnæ?

80. Doctrina S. Thomæ. DOctrina D. Thomæ q. 86. a. 4. est, remissâ culpâ peccati mortalis, tolli simul cum illo pœnâ æternâ: posse tamen remanere reatû alicuius pœnæ temporalis. Ratio illius in corp. & ad 1. est, quia in peccato mortali

duo sunt: scilicet auersio ab incommutabili bono, & conuersio inordinata ad bonũ commutabile. Quorum illud in peccato mortali formale est: istud, materiale. Ex vtraque verò parte consequitur reatus pœnæ. Ex parte quidem auersionis, reatus pœnæ æternæ: vt qui contra bonum æternum peccauit, in æternum puniatur. Ex parte autem conuersionis pœna finita, & temporanea: quia conuersio ad bonum commutabile finita est, & ad bonum finitum. Quando igitur remittitur culpa per gratiam, tollitur quidem auersio à Deo: anima enim per gratiam Deo coniungitur: & consequenter tollitur reatus pœnæ æternæ: remanet tamen illud, quod est materiale, scilicet inordinata conuersio ad bonum creatum, pro qua debetur reatus pœnæ temporalis. Huc vsque D. Thomas: cuius doctrinæ prima pars intellecta de facto, & de potentia ordinaria, conceditur ab omnibus: & confirmatur à Trident. sess. 6. cap. 14. vbi disertis verbis exprimitur. Et cap. 7. vbi hæc eius ratio insinuatur: quia scilicet nunquam remittitur peccatum mortale, quin infundatur gratia, per quam homo renouetur interiùs, & ex iniusto fiat iustus, & ex inimico amicus, vt sit hæres secundum spem vitæ æternæ. Qui autem est huiusmodi, non est subiectus pœnæ æternæ. Nam ex opposito secundum præsentem iustitiam debetur illi vita æterna iure hæreditario.

Remissa culpa mortali remittitur ordinariè reatus pœnæ alicuius.

81. Ad idem confirmandum adduci solent hęc Scripturæ testimonia: *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu:* id est, neque peccatum mortale, quod est causa damnationis, neque ipsa damnatio, Roman. 8. v. 1. Et paulò post v. 30. *Quos iustificauit, illos & glorificauit*: Si nimirum in iustitia accepta decesserunt. *Si dixero impio, morte morieris: & egerit pœnitentiam à peccato suo, &c. vita viuet, & non morietur. Omnia peccata eius, quæ peccauit, non imputabuntur ei*: ad mortem scilicet, & damnationem æternam, Ezech. 33. v. 14. & 16. Denique non conuenit, vt quos Deus in amicitiam recepit, eosdem pœnis æternis addicat: idque naturæ ipsius gratiæ, & remissionis culpæ minùs est consentaneum. An verò de potentia absoluta possit aliter fieri, dicemus sect. 11.

82. Remanet fæpe aliqua pœna temporalis.

Secunda pars, quòd videlicet post culpæ remissionem manere possit reatus aliquis pœnæ temporalis, ac non semper remissâ culpâ per pœnitentiam, remittatur tota pœna, est de fide, expressa in Trident. sess. 6. cap. 14. & can. 30. & sess. 14. cap. 8. & can. 12. & 15. Ac si loquamur de pœnitentia latiùs sumpta, quàm pro sacramentali: clarum est ex Sacris literis, non semper pœnitentibus pœnam omnem cum culpa remissam fuisse. Nam Dauidi 2. Reg. 12. peccatum adulterii, & homicidii ita remissum fuit, vt tamen morte filii ex adulterio nati, aliisque pœnis grauissimis punitus fuerit: non tantùm vt caueret in futurum, vel ad terrorem aliorum, vel ad virtutis, & patientiæ exercitationem, vt respondent hæretici: sed, vt Scriptura citata loquitur, propter peccatum, & scandalum datum: *Verumtamen quoniam blasphemare fecisti, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur.* Inferre autem pœnam peccatori, ideo quia peccauit, est punire propriè peccatum, & infligere pœnas castigatorias, ac non tantùm medicinales. Neque aliter loquitur Scriptura denuncians pœnas peccatoribus adhuc iniustis aut reprobis, vt Pharaoni, & similibus, quàm Nathan Dauidi eas denunciet capite suprà cit. Et tamen Dauid tunc erat iustificatus. Nam statim postquam actum contritionis elicuit, & significauit illis verbis, *Peccaui Domino*: subiunxit Nathan, *Dominus transtulit peccatum tuum. Verumtamen quoniam blasphemare fecisti, &c.* Alia huius rei exempla habentur in Scriptura: vt mors Adami propter peccatum inobedientiæ, Genes. 3. v. 19. quam subiuit: licet ante mortem obtinuerit peccati remissionem, fueritque è delicto suo eductus, vt dicitur Sapient. 10. v. 2. Itemque Mosis, Aaronis, & filiorũ Israel punitio in deserto, plurimorsque occisio, & omnium ferè mors sine ingressu in terram promissionis, ob murmurationes, adorationem vituli, & alia eorum peccata, vt habetur Exodi trigesimo secundo, num. 14. v. 20. & 29. & Deuter. 32. Notandum verò est mortem non esse pœnam medicinalem ad præcauendum in futurum, respectu eorum, quos Deus morte afficit, ob peccatum commissum.

83. Tertull. Cyprian. Basil. Ambros. August. Chrysost.

Idem disertè docent Tertullian. in lib. de Pœnitent. cap. 9. Cyprian. in serm. de Lapsis, Basil. in Canonibus can. 73. Ambros. lib. ad Virginem lapsam cap. 8. & lib. 1. de Pœnit. cap. 12. Hieron. in cap. 1. Ioel circa versum 13. August. lib. 50. Homiliarum, hom. vltim. prope finem. Et lib. 1. de Adulterinis coniug. cap. vltimo, Chrysost. homil. 9. in cap. 6. epist. ad Hebr. & alii. Ratio denique huius rei præcipua est Dei ordinatio per fidem nobis cognita: qui sicut pœnam æternam vnà cum culpa mortali gratis semper remittit: ita posset, si vellet, semper omnem pœnam remittere. Aliter tamen re ipsa constituit. Neque ita semper fieri decuit, sed potiùs oppositum, præsertim verò in sacramento pœnitentiæ: tum propter maiorem ingratitudinem peccantis post Baptismum, & fidem Christo datam: tum ad frænandam peccati licentiam, quæ maior esset, si tam facilè omnis poena remitteretur, vt ait Trident. sess. 14. cap. 8.

84. Neque obiciant hæretici Christum abundè satisfeciisse: & nihil damnationis in iustificatis remanere, iuxta Paulum ad Rom. 8. & peccata poenitentis ab impietate sua se auertentis, non ei nocitura, Ezech. 33. & sublatâ causâ, quæ est culpa, tolli simul effectum, qui est poena: Christumque ipsum peccata remittentem Magdalenæ, Paralytico, Latroni, & aliis, nullam illis poenam imposuisse: & denique si poenitentia vim

habe

habet remittendi pœnam æternam, multò magis habet vim remittendi temporalem, quod facilius est.

85. Soluuntur argumenta hæreticorũ in contrarium.

Nam licet Christus abundè satisfecerit in actu primo: eius tamen satisfactio nobis non applicatur sine mensura, nec eodem semper modo: sed iuxta Dei ordinationem, & institutionem Christi. Nihil quoque damnationis est in iustificatis: id est, neque peccatum quod est causa damnationis, neque ipsa damnatio. Pœna verò temporalis ad salutem relicta, vt scilicet homines eius consideratione, cautiores fiant, atque in ipso peccatorum remedio, & causa iustificationis inclusa, per modum partis integralis, damnatio dici non debet. Quomodo enim damnatio dicatur id, quod est per se causa saluris, & euasionis ipsius damnationis? Impietas autem peccatoris pœnitentis non ei nocebit ad mortem æternam: neque impedier, quò minùs Deo reconcilietur, & admittatur ad vitam æternam. Non est tamen necesse, id fieri sine aliqua satisfactione in ipso medio reconciliationis inclusa. Neque propterea remissio est imperfecta positiuè, & aliquid turpis imperfectionis habens: licet negatiuè in ratione remissionis minùs perfecta sit, quàm si esset remissio totalis. Dixi, *in ratione remissionis*: nam aliunde perfectius est, & conuenientius iustitiæ, & prouidentiæ diuinæ non semper remittere purè & simpliciter pœnam omnem cum culpa. Causâ verò sublatâ, potest manere effectus, qui non pendet ab illa in conseruari: cuiusmodi est pœna respectu peccati. Quodque ait Tertullianus libro de Baptismo, capite quinto, *Exempto reatu, eximitur & pœna*: dictum est solùm de Baptismo, & de pœna æterna. Sic enim habet: *Nunc quotidie populos conseruant* (aquæ Baptismi) *deleta morte per ablutionem delictorum. Exempto scilicet reatu, eximitur & pœna.* Pertinuit quoque ad Christi excellentiam, & mansuetudinem declarandam, vt liberaliùs per seipsum peccata remitteret. Sed hanc specialem prærogatiuam noluit ad omnem remissionem extendere. Quamquam ex eo quòd Christus nullam pœnitentiam imposuerit iis, quibus peccata remittebat, non sequitur necessariò nullam pœnam temporalem vnquam remansisse. Denique contritio, aut sacramentum pœnitentiæ non habet vim remittendi pœnam æternam, nisi ex diuina institutione, quæ talis est, vt ordinariè non remittat sine commutatione in pœnam temporalem. Ordinariè, inquam: nam interdum contingere potest, vt quis adeo vehementem contritionem eliciat, vt secundum institutionem diuinam valeat ad pœnam omnem remittendam.

86. Difficultates circa rationem D. Thomæ.

Explicatâ hunc in modum, & confirmatâ conclusione Diui Thomæ, superest eius ratio examinanda, quæ aliquid habet difficultatis. Etenim id, cui debetur per se pœna, est peccatum. Ergo si conuersioni per se debetur pœna, conuersio per se est peccatum. Et si manet conuersio, manet peccatum. Secundò, si reatus pœnæ temporalis sequitur tantùm conuersionẽ. Ergo reatus pœnæ, qui manet post maiorem, & expressiorẽ auersionem, nõ est per se maioris pœnæ. Quod est falsũ. Nam qui vehementius, & expressiùs auertitur à Deo, quamuis cætera sint paria, ille post remissionẽ culpæ, & pœnæ æternę, manebit adhuc obnoxius maiori pœnę tẽporali propter illam auersionem. Alioqui peccata illa quæ sunt maiores Dei offensæ, non punirentur grauiùs vt tales. Tertiò, diuina iustitia debet potiùs in peccato punire id, quod grauiùs, & pœna digniùs est. Est autem grauior, & pœnâ dignior malitia auersionis, quàm malitia conuersionis. Imò conuersio ad bonum temporale non est per se mala, nec Dei offensa, nisi quatenus est contra Deum, & contra rationem. Nam conuerti ad bonum proprium, etiam temporale & commutabile, non est malum, modò non fit inordinatum, neque fit aliter prohibitum. Ergo tota malitia, quæ est in peccato, est ratione auersionis à Deo, & à recta ratione. Quartò, Concilia, & Sancti Patres docent, iustificatos satisfacere Deo pro offensa contra ipsum commissa: illudque esse munus peculiare virtutis pœnitentiæ docuit S. Thomas quæst. 85. art. 2. & 3: Ergo satisfaciunt pro peccato, quatenus est contra Deum, & auersio quædam ab illo. Ergo pro peccato secundum eam rationem debetur pœna temporalis, & satisfactio. Quintò sola cõuersio non esset digna tanta pœnâ, quanta est pœna Purgatorij soluenda pro peccatis, etiam venialibus illis, quæ sepositâ Dei offensâ leuiora sunt, quàm vt iure tã acerbè puniri possint. Denique inter peccata, multa sunt non aliundè mala, nisi quia prohibita. Vt cũ Deus ea prohibet, quæ alioqui licita essẽt. In quibus præter liberã auersionem à lege diuina, non est alia turpitudo, vel conuersio inhonesta ad bonum commutabile. Et tamen quando hæc remittuntur, non semper tollitur reatus pœnæ temporalis: ergo &c.

S. Thom.

87. Quomodo fit in omni peccato mortali auersio & conuersio.

Ad hæc primò dicendum est, esse quidem in omni peccato culpabili, seu mortali seu veniali, auersionem aliquam à Deo, & conuersionem ad bonũ commutabile: quatenus homo post posita Dei voluntate, adhæret suæ, & omittendo aut committendo aliquid, facit scienter & liberè contra Dei mandatũ: maiorem tamen auersionem, aut conuersionem nõ esse necessariam generatim loquendo. Nam v. g in pura omissione amandi Deũ tempore debito, non est alia conuersio, quàm illa virtualis, qua homo per liberam omissionem, Dei mandatum postponit priuationi liberæ actus amoris debiti. Et quando est alia conuersio, sæpe non est aliter mala, nisi quia contra Dei præceptum est. Exempli gratia, comedere pomum, non erat per se malum, sed malum, quia à Deo prohibitum.

88. Dicendum secundò, iustum quidem esse, vt qui à Deo se auertit, & conuertit ad creaturam, committendo, vel omittendo aliquid contra Dei mandatum, puniatur pro mensura delicti: & quia à Deo se auertit, priuetur eius visione beatifica, vel ad tempus vel in perpetuum, quæ pœna damni est: & quia ad creaturam se conuertit illicitè, torqueatur à creatura aliqua, quæ pœna sensus dicitur. Verumtamen neque pœna damni debetur auersioni, semota conuersione ad voluntatem propriam, per quam liberè fit. Neque pœna sensus debetur conuersioni, semotâ auersione à ratione, & lege diuina, contra quam illicitè, & iniustè committitur. Sed nec vlli speciali conuersioni, quæ præter illam generalem multiplex esse potest, ad honores, diuitias, voluptates, debetur pœna, & imponitur, nisi quatenus illa conuersio inordinata est, & contra rationem, & legem diuinam.

Pœna quomodo vtrique respondeat?

89. Dicendum est tertiò, pœnam temporalem ex peccato remisso superstitem, non deberi solùm ratione conuersionis, sed etiam ratione auersionis, & offensæ diuinæ. Quod præter rationes superiùs allatas confirmat Trident. sess. 14. cap. 8. sub finem: cùm ait habendum esse Sacerdoti præ oculis, vt satisfactio, quam imponit non sit tantùm ad nouæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum: sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem. Vnde sic argumentor: Vindicta propriè exigitur, & exhibetur alicui pro offensa, vt tali. Sed satisfactio exigitur à Sacerdote vice Dei, & Deo ipsi exhibetur, vt vindicta. Ergo exigitur, & exhibetur pro peccato, vt offensa. Atqui satisfactio est pœna primaria ex peccato remisso superstes, cuius defectum, vel imperfectionem supplent aliæ pœnæ, hac in vita, vel in futura inflictæ. Ergo pœna ex peccato remisso manens, debetur pro illo, vt offensa. Idipsum confirmat D. Thomas quæst. 13. supplementi, art. 1. ad 1. vbi ait satisfactionem non respondere peccato, *nisi secundum quod offensa Dei est: quod non habet ex parte conuersionis, sed solum ex parte auersionis.* Quibus verbis per conuersionem non intelligit generalem illam ad propriam voluntatem, de qua supra diximus: sed peculiarem ad honores, aut voluptates, vel ad alia bona temporalia, qualis in peccatis frequenter reperitur, quæque præcisa à ratione auersionis à recta ratione, vel à lege diuina, nec mala est, nec pœna digna.

Pœna temporalis nõ debetur solum ratione conuersionis.

S. Thom.

90. Dicendum quartò, quotiescunque peccatum mortale remittitur, remitti culpam, & secundum auersionem, & secundum conuersionem, prout ad Deum pertinet in modum offensæ, & iniuriæ: manere tamen frequenter pœnam aliquam: quatenus culpa sic remittitur, vt pœna æterna illi debita commutetur in temporalem ex ordinatione diuina, maiorem, vel minorem, iuxta peccati grauitatem, & pœnitentis dispositionem. Atque in sacramento quidem pœnitentiæ commutatur per se primò in satisfactionem sacramentalem. Quæ si sufficiens iniungitur, & exhibetur, iuxta mensuram à Deo constitutam: non supererit alia pœna. Sin minùs: eius defectus supplebitur satispassione per ignem purgatorii, aut per aliam pœnam, vel compensationem hac in vita. Idem ergo in sacramento pœnitentiæ fit, quod in iudicio ciuili, quando per indulgentiam remittitur alicui pœna grauior, v. c. mortis: non tamen purè, sed cum directa obligatione soluendi mulctam pecuniariam, aut alterius pœnæ morte leuioris: quam idcirco peculiariter, & determinatè subire tenetur ille, cui remissio facta est cum tali onere: neque liber est ad non ferendam, aut mutandam pro libito in aliam. In quem sensum intelligi Trident. quando sess. 14. cap. 8. docet culpam non semper ita remitti, vt vniuersa etiam pœna condonetur. Et can. 12. non totam pœnam simul cum culpa remitti semper à Deo. Et sess. 6. cap. 14. pœnam temporalem non totam dimitti semper in pœnitentia, sicut in Baptismo fit. Et can. 30. eiusdem sess. non cuilibet pœnitenti ita culpam remitti, & reatum pœnæ æternæ, vt nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exoluendæ, vel in hoc sæculo, vel in futuro. Quorum Concilii verborum sensus non est, vt ex vltimo loco patet, remanere eandem numero pœnam inferni secundum se, sed secundum temporalem, in quam mutatur, quæ à pœna inferni differt, quia in hac vita tota persolui potest, per se loquendo, & voluntaria est, & in medio remissionis (siue sacramentum illud sit, siue contritio) virtualiter saltem inclusa, quatenus pœnitens implicitum habet propositum, & virtuale præstandi, quidquid ad Deum placandum necessarium est: & demum quia non est solùm ad castigationem & vindictam; sed & ad emendationem, ac medelam ordinatur.

Quomodo remanet pœna temporalis post remissionẽ culpæ.

91. Quod autem ait Trident. sess. 14. can. 13. satisfacere nos Deo per Christi merita, pœnis à Deo inflictis, vel à Sacerdote iniunctis, pro peccatis quoad pœnam temporalem: intelligi potest primò intransitiuè: ita vt sensus sit, nos huiusmodi pœnas ferendo, vel huiusmodi satisfactiones exhibendo, soluere pœnam temporalem ex peccato restantem, quæ illa ipsa satisfactio est per se primò. Vel secundò transitiuè, sed in sensu confuso: sumendo nomen pœnæ confusè, pro pœna in vltionem peccati reseruata: quæ primariò consistit in satisfactione impositæ: secundariò autem in eius supplemento, hoc est, in alia pœna, quæ secundum Dei constitutionem soluenda erit, nisi satisfiat.

SECTIO X.

Soluuntur aliquot quæſtiones circa doctrinam propoſitam.

92. QVæres, An per ſacramentum Pœnitentiæ remittatur aliquid pœnæ temporalis ſimul cum remiſſione culpæ: ita vt propter ſacramentum minus pœnæ relinquatur, quantò eſt maior pœnitentis diſpoſitio? Reſpondeo, id eſſe conueniens: itemque, vt in quacunque iuſtificatione, tam in ſacramento, quàm extra, tantò minor temporalis pœna relinquatur, quantò eſt maior pœnitentis diſpoſitio.

93. Per ſacramentum Pœnit. remittitur aliquid pœnæ temporalis.

Ratio primæ partis eſt, quia licet ſufficere poſſet, quod ſacramentum Pœnitentiæ cum minori diſpoſitione peccatum remittat, & gratiam tribuat ſacramentalem, quæ aliquo modo præſtantior eſt, propter auxilia annexa, quàm ſimplex gratia, ſine ſacramento tributa: quia tamen ſacramenta nouæ legis ſingularia habent priuilegia, & in illis Chriſti merita abundantiori quodam modo communicantur; æquum eſt credere, ſacramentum pœnitentiæ, non ſolùm pœnam æternam commutare ſimpliciter, ſed in tantò minorem, quantò vberiùs applicat Chriſti merita, propter quæ fit remiſſio culpæ, & pœnæ relaxatio. Nec obeſt Tridentinum ſeſſione decima quarta, capite octauo, cùm ait, debere ſacerdotes pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares, & conuenientes ſatisfactiones iniungere. Non enim negat habendam eſſe rationem benignitatis diuinæ, & dignitatis, atque efficaciæ ſacramenti Pœnitentiæ.

93. Atque etiã per diſpoſitionem quo maior eſt.

Secunda verò pars probatur, quia Dei benignitatem decet, vt in quacunque iuſtificatione tantò minùs pœnæ relinquatur, quantò diſpoſitio ad iuſtitiam maior eſt. Et ſicut maiorem habet effectum quoad infuſionem gratiæ, habeat pariter quoad pœnæ relaxationem. Præterea, cùm in quacunque iuſtificatione nunquam diſpoſitio ſit minima ſimpliciter, & ſecundum intenſionem adeo parua, quin potuerit minor ſufficere: credibilius eſt in omni iuſtificatione haberi rationem illius exceſſus, ita vt pœna tantò minor relinquatur pro quantitate diſpoſitionis ſupra gradum minorem ſufficientem ad peccati remiſſionem, & commutationem pœnæ æternæ in aliquam temporalem.

94. Cur ſacramentum Pœnit non remittit totam pœnã ſaltem venialium.

Quæres ylteriùs, ſi Sacramentum pœnitentiæ primò ſuſceptum, aut primus actus contritionis perfectæ vim habuerunt remittendi poenam æternam: cur idem ſacramentum ſecundò ſuſceptum pro iiſdem peccatis, aut ſecundus actus contritionis non tollit omnem poenam temporalem, ex priori ſacramento vel contritionis actu relictam, quæ infinitè minor eſt, & faciliùs tolli poteſt? Item ſi diſpoſitio ſecundum aliquem gradum quantulumcumque vim ſufficientem habet remittendi poenam æternam: cur per ſecundum gradum exceſſus non remittit omnino temporalem, & quid eſt opus ſatisfactione alia? Augeri poteſt difficultas ex remiſſione venialium per ſacramentum facta, pro quibus ſolet imponi ſatisfactio: cùm tamen facilius ſit per ſacramentum totam eorum poenam remitti, quàm poenam æternam vel vnici peccati mortalis.

95. S. Thom. Soto. Durand. Suarez.

Reſpondeo cum Diuo Thoma in quarto, diſtinctione decima quarta, quæſtione ſecunda, articulo primo, quæſtiuncula ſecunda: Dominico Soto diſtinctione decima quinta, quæſtione prima, articulo quarto ad ſecundum: Durando diſtinctione decima ſeptima, quæſtione tertia ad primum: Suare diſputatione decima, ſectione tertia, numero vigeſimo ſecundo, differentiam eſſe inter modum, quo remittitur poena æterna ſecundum Dei ordinationem, & modum, quo remittitur temporalis. Nam temporalis remittitur ſecundum quandam iuſtitiæ æquitatem, ad quam nec quælibet contritio, nec quælibet ſacramenti ſuſceptio ſufficit: poſſet tamen eſſe talis, aut ita multiplicari, vt ſufficeret. Aeterna verò poena remittitur non ſeruata iuſtitiæ æquitate inter Deum, & peccatorem: neque per ſe vi contritionis, aut ſuſceptionis ſacramenti, tanquam condignæ ſatisfactionis: ſed conſequenter, culpâ propter contritionem, vel ſacramentum ſublatâ, miſericorditer tollitur poena æterna, quæ cum culpæ remiſſione, & gratiæ in uſione non bene conueniret. Ratio verò cur poena æterna, & poena temporalis ita remittuntur diuerſimodè, eſt diuina ordinatio æquiſſima. Nempe quia in hoc negotio Deus noluit habere ſolùm rationem actuum, vel mediorum, quibus remiſſio fit, ſpectando ſolam naturalem eorum ſubſtantiam: neque enim vi ſuâ naturali & phyſica poenam æternam remittunt, vel gratiam infundunt. Sed hoc negotium morale eſt: in quo Deus habere voluit rationem altioris cuiuſdam prouidentiæ, admiſcendo iuſtitiam miſericordiæ circa poenam temporalem debitam venialibus, aut etiam mortalibus iam remiſſis: ne ſpe impunitatis maior eſſet in hominibus peccandi licentia.

96. poteſt Deus abſolutè remittere pœnam retenta culpa.

Quæritur tertiò, an ſicut Deus remittit culpam retenta poena, ſaltem ex parte: ſic etiam poſſit remittere poenam retenta culpa? Reſpondeo affirmatiuè cum Delugo diſputatione ſeptima, numero ſeptuageſimo nono. Ratio eſt, quia reatus culpæ, & reatus poenæ diſtinguuntur moraliter, & ſeparabiles ſunt. Ex peccato enim actuali duplex ius aduenit Deo: cui reſpondet duplex reatus, ſiue debitum, & ſubiectio in peccatore. Vnum eſt ius odiendi peccatorem odio abominationis propter peccatum

88. Dicendum secundò, iustum quidem esse, vt qui à Deo se auertit, & conuertit ad creaturam, committendo, vel omittendo aliquid contra Dei mandatum, puniatur pro mensura delicti: & quia à Deo se auertit, priuetur eius visione beatifica, vel ad tempus vel in perpetuum, quæ poena damni est: & quia ad creaturam se conuertit illicitè, torqueatur à creatura aliqua, quæ poena sensus dicitur. Verumtamen neque poena damni debetur auersioni, semota conuersione ad voluntatem propriam, per quam liberè fit. Neque poena sensus debetur conuersioni, semotâ auersione à ratione, & lege diuina, contra quam illicitè, & iniustè committitur. Sed nec vlli speciali conuersioni, quæ præter illam generalem multiplex esse potest, ad honores, diuitias, voluptates, debetur poena, & imponitur, nisi quatenus illa conuersio inordinata est, & contra rationem, & legem diuinam.

Pœna quomodo vitiæ quæ respondet.

89. Dicendum est tertiò, poenam temporalem ex peccato remisso superstitem, non deberi solùm ratione conuersionis, sed etiam ratione auersionis, & offensæ diuinæ. Quod præter rationes superiùs allatas confirmat Trident. sess. 14. cap. 8. sub finem: cùm ait habendum esse Sacerdoti præ oculis, vt satisfactio, quam imponit non sit tantùm ad nouæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum: sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem. Vnde sic argumentor: Vindicta propriè exigitur, & exhibetur alicui pro offensa, vt tali. Sed satisfactio exigitur à Sacerdote vice Dei, & Deo ipsi exhibetur, vt vindicta. Ergo exigitur, & exhibetur pro peccato, vt offensa. Atqui satisfactio est poena primaria ex peccato remisso superstes, cuius defectum, vel imperfectionem supplent aliæ poenæ, hac in vita, vel in futura inflictæ. Ergo poena ex peccato remisso manens, debetur pro illo, vt offensa. Idipsum confirmat D. Thomas quæst. 13. supplementi, art. 1. ad 1. vbi ait satisfactionem non respondere peccato, *nisi secundum quod offensa Dei est: quod non habet ex parte conuersionis, sed solum ex parte auersionis.* Quibus verbis per conuersionem non intelligit generalem illam ad propriam voluntatem, de qua supra diximus: sed peculiarem ad honores, aut voluptates, vel ad alia bona temporalia, qualis in peccatis frequenter reperitur, quæque præcisa à ratione auersionis à recta ratione, vel à lege diuina, nec mala est, nec poena digna.

Pœna temporalis nõ debetur tolam ratione conuersionis.

S. Thom.

90. Dicendum quartò, quotiescunque peccatum mortale remittitur, remitti culpam, & secundum auersionem, & secundum conuersionem, prout ad Deum pertinet in modum offensæ, & iniuriæ: manere tamen frequenter poenam aliquam: quatenus culpa sic remittitur, vt poena æterna illi debita commutetur in temporalem ex ordinatione diuina, maiorem, vel minorem, iuxta peccati grauitatem, & poenitentis dispositionem. Atque in sacramento quidem pœnitentiæ commutatur per se primò in satisfactionem sacramentalem. Quæ si sufficiens iniungitur, & exhibetur, iuxta mensuram à Deo constitutam: non supererit alia poena. Sin minùs: eius defectus supplebitur satispassione per ignem purgatorii, aut per aliam poenam, vel compensationem hac in vita. Idem ergo in sacramento poenitentiæ fit, quod in iudicio ciuili, quando per indulgentiam remittitur alicui poena grauior, v. c. mortis: non tamen purè, sed cum directa obligatione soluendi mulctam pecuniariam, aut alterius poenæ morte leuioris: quam idcirco peculiariter, & determinatè subire tenetur ille, cui remissio facta est cum tali onere: neque liber est ad non ferendam, aut mutandam pro libito in aliam. In quem sensum intelligi Trident. quando sess. 14. cap. 8. docet culpam non semper ita remitti, vt vniuersa etiam poena condonetur. Et can. 12. non totam poenam simul cum culpa remitti semper à Deo. Et sess. 6. cap. 14. poenam temporalem non totam dimitti semper in poenitentia, sicut in Baptismo fit. Et can. 30. eiusdem sess. non cuilibet poenitenti ita culpam remitti, & reatum poenæ æternæ, vt nullus remaneat reatus poenæ temporalis exoluendæ, vel in hoc sæculo, vel in futuro. Quorum Concilii verborum sensus non est, vt ex vltimo loco patet, remanere eandem numero poenam inferni secundum se, sed secundum temporalem, in quam mutatur, quæ à poena inferni differt, quia in hac vita tota persolui potest, per se loquendo, & voluntaria est, & in medio remissionis (siue sacramentum illud sit, siue contritio) virtualiter saltem inclusa, quatenus poenitens implicitum habet propositum, & virtuale præstandi, quidquid ad Deum placandum necessarium est: & demum quia non est solùm ad castigationem & vindictam; sed & ad emendationem, ac medelam ordinatur.

Quomodo remanet pœna temporalis post remissionẽ culpæ.

91. Quod autem ait Trident. sess. 14. can. 13. satisfacere nos Deo per Christi merita, poenis à Deo inflictis, vel à Sacerdote iniunctis, pro peccatis quoad poenam temporalem: intelligi potest primò intransitiuè: ita vt sensus sit, nos huiusmodi poenas ferendo, vel huiusmodi satisfactiones exhibendo, soluere poenam temporalem ex peccato restantem, quæ illa ipsa satisfactio est per se primò. Vel secundò transitiuè, sed in sensu confuso: sumendo nomen poenæ confusè, pro poena in vltionem peccati reseruata: quæ primariò consistit in satisfactione imposita: secundariò autem in eius supplemento, hoc est, in alia poena, quæ secundum Dei constitutionem soluenda erit, nisi satisfiat.

SECTIO X.

Soluuntur aliquot quæstiones circa doctrinam propositam.

92. QVæres, An per sacramentum Pœnitentiæ remittatur aliquid pœnæ temporalis simul cum remissione culpæ: ita vt propter sacramentum minus pœnæ relinquatur, quantò est maior pœnitentis dispositio? Respondeo, id esse conueniens: itemque, vt in quacunque iustificatione, tam in sacramento, quàm extra, tantò minor temporalis pœna relinquatur, quantò est maior pœnitentis dispositio.

93. Per sacramentum Pœnit. remittitur aliquid pœnæ temporalis.

Ratio primæ partis est, quia licet sufficere posset, quòd sacramentum Pœnitentiæ cum minori dispositione peccatum remittat, & gratiam tribuat sacramentalem, quæ aliquo modo præstantior est, propter auxilia annexa, quàm simplex gratia, sine sacramento tributa: quia tamen sacramenta nouæ legis singularia habent priuilegia, & in illis Christi merita abundantiori quodam modo communicantur; æquum est credere, sacramentum pœnitentiæ, non solùm pœnam æternam commutare simpliciter, sed in tantò minorem, quantò vberiùs applicat Christi merita, propter quæ fit remissio culpæ, & pœnæ relaxatio. Nec obest Tridentinum sessione decima quarta, capite octauo, cùm ait, debere sacerdotes pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares, & conuenientes satisfactiones iniungere. Non enim negat habendam esse rationem benignitatis diuinæ, & dignitatis, atque efficaciæ sacramenti Pœnitentiæ.

93. Atque eriã per dispositionem quo maior est.

Secunda verò pars probatur, quia Dei benignitatem decet, vt in quacunque iustificatione tantò minùs pœnæ relinquatur, quantò dispositio ad iustitiam maior est. Et sicut maiorem habet effectum quoad infusionem gratiæ, habeat pariter quoad pœnæ relaxationem. Præterea, cùm in quacunque iustificatione nunquam dispositio sit minima simpliciter, & secundum intensionem adeo parua, quin potuerit minor sufficere: credibilius est in omni iustificatione haberi rationem illius excessus, ita vt pœna tantò minor relinquatur pro quantitate dispositionis supra gradum minorem sufficientem ad peccati remissionem, & commutationem pœnæ æternæ in aliquam temporalem.

94. Cur sacramentum Pœnit non remittit totam pœnã saltem venialium.

Quæres vlteriùs, si Sacramentum pœnitentiæ primò susceptum, aut primus actus contritionis perfectæ vim habuerunt remittendi poenam æternam: cur idem sacramentum secundò susceptum pro iisdem peccatis, aut secundus actus contritionis non tollit omnem poenam temporalem, ex priori sacramento vel contritionis actu relictam, quæ infinitè minor est, & faciliùs tolli potest? Item si dispositio secundum aliquem gradum quantulumcumque vim sufficientem habet remittendi poenam æternam: cur per secundum gradum excessus non remittit omnino temporalem, & quid est opus satisfactione alia? Augeri potest difficultas ex remissione venialium per sacramentum facta, pro quibus solet imponi satisfactio: cùm tamen facilius sit per sacramentum totam eorum poenam remitti, quàm poenam æternam vel vnici peccati mortalis.

95. S. Thom. Soto. Durand. Suarez.

Respondeo cum Diuo Thoma in quarto, distinctione decima quarta, quæstione secunda, articulo primo, quæstiuncula secunda: Dominico Soto distinctione decima quinta, quæstione prima, articulo quarto ad secundum: Durando distinctione decima septima, quæstione tertia ad primum: Suare disputatione decima, sectione tertia, numero vigesimo secundo, differentiam esse inter modum, quo remittitur poena æterna secundum Dei ordinationem, & modum, quo remittitur temporalis. Nam temporalis remittitur secundum quandam iustitiæ æquitatem, ad quam nec quælibet contritio, nec quælibet sacramenti susceptio sufficit: posset tamen esse talis, aut ita multiplicari, vt sufficeret. Aeterna verò poena remittitur non seruata iustitiæ æquitate inter Deum, & peccatorem: neque per se vi contritionis, aut susceptionis sacramenti, tanquam condignæ satisfactionis: sed consequenter, culpâ propter contritionem, vel sacramentum sublatâ, misericorditer tollitur poena æterna, quæ cum culpæ remissione, & gratiæ infusione non bene conueniret. Ratio verò cur poena æterna, & poena temporalis ita remittuntur diuersimodè, est diuina ordinatio æquissima. Nempe quia in hoc negotio Deus noluit habere solùm rationem actuum, vel mediorum, quibus remissio fit, spectando solam naturalem eorum substantiam: neque enim vi suâ naturali & physica poenam æternam remittunt, vel gratiam infundunt. Sed hoc negotium morale est: in quo Deus habere voluit rationem altioris cuiusdam prouidentiæ, admiscendo iustitiam misericordiæ circa poenam temporalem debitam venialibus, aut etiam mortalibus iam remissis: ne spe impunitatis maior esset in hominibus peccandi licentia.

96. potest deus absolutè remittere pœnam retenta culpa.

Quæritur tertiò, an sicut Deus remittit culpam retenta poena, saltem ex parte: sic etiam possit remittere poenam retenta culpa? Respondeo affirmatiuè cum Delugo disputatione septima, numero septuagesimo nono. Ratio est, quia reatus culpæ, & reatus poenæ distinguuntur moraliter, & separabiles sunt. Ex peccato enim actuali duplex ius aduenit Deo: cui respondet duplex reatus, siue debitum, & subiectio in peccatore. Vnum est ius odiendi peccatorem odio abominationis propter peccatum

mortale; vel leuiter indignandi, & auerſandi propter peccatum veniale, donec peccator condignè ſatisfecerit (quod non poteſt pro mortali) aut Deus offenſam condonauerit. Alterum eſt, ius puniendi peccatorem, quantùm culpa meretur. Quod ius à priori diſtinguitur, poteſtque ab illo ſeparari reciproce. Nam inter homines quicunque habent ius abominandi, vel auerſandi peccatorem, propter peccatum, non propterea habent ius puniendi. Et Deus, ſi per impoſſibile non eſſet legiſlator, & Dominus Vniuerſi; non haberet ius puniendi, licet haberet ius auerſandi, & odiendi peccatorem. Et in damnatis, qui ſufficienter ſunt ſatis-paſſi pro venialibus hac in vita commiſſis, & non remiſſis, ceſſat ius puniendi ob peccata illa, extinguitur enim per ſatis-paſſionem: licet non ceſſet ius auerſandi. Et denique Deus non punit peccata à damnatis commiſſa in ſtatu damnationis, quia tempus bene, vel malè merendi ad ſpatium vitæ præſentis determinatum eſt: & tamen propter illa damnatos magis ac magis abominatur, retinetque ſemper illa in ordine ad odium auerſionis & abominationis. Cùm igitur illa duo iura ſint diuerſa, & ſeparabilia reciprocè: poteſt Deus retinere ius abominandi, quamuis cedat iure puniendi. Sicut è contrario poteſt cedere iure abominandi, & non retinere amplius peccatum mortale in ordine ad odium abominationis: quamuis retineat ius puniendi.

97. Objicies primò: Si Deus non remittit culpam, & retinet odium aduerſus peccatorem, vult illi malum. Non poteſt autem illi velle malum culpæ. Ergo vult illi malum pœnæ. Ergo non condonauit pœnam.

Soluitur prima obiectio in contrarium

Reſpondeo: Non omne odium eſt velle malum alicui: ſicut neque omnis amor eſt velle bonum. Eſt enim quidam amor complacentiæ in obiecto amato, abſque eo quòd velimus illi bonum: & odium quoddam diſplicentiæ, & abominationis, quo aliquid nobis diſplicet, & eſt horrori, atque auerſioni, abſque eo quòd velimus illi malum. Eſt, inquam, aliquod odium, quo ſimpliciter refugimus ab obiecto, abſque eo quòd velimus illi malum: ſicut eſt amor quo affectiuè vnimur, & coniungimur rei amatæ, abſque eo quòd velimus illi bonum.

98. Altera obiectio.

Objicies ſecundò: Quamdiu manet culpa, manet dignitas ad pœnam. Ergo non poteſt tolli reatus pœnæ retentâ culpâ. Reſpondeo diſtinguendo maiorem. Manet dignitas fundamentaliter, id eſt, manet id, quod eſt fundamentum puniendi, & propter quod peccator puniri meritò poteſt niſi condignè ſatisfaciat, aut Deus condonet pœnam cedendo iure puniendi: concedo. Manet dignitas per modum reatus, & debiti ſubeundi pœnam, ſi Deus eam condonauerit: nego. Pro quo nota, id, propter quod peccator eſt dignus pœna, eſſe peccatum eius actuale, prout actuale eſt: ideo enim homicida, verbi gratia, eſt dignus pœnâ, quia homicidium fecit: non autem prout habituale eſt, id eſt, prout perſeuerat moraliter, & retinetur à Deo in ordine ad odium abominationis: alioqui quò maior eſſet illa perſeuerantia, eſſet digna maiori pœnâ. Quiſquis autem actu peccat, conſtituit ſe dignum pœna, & reum, ac debitorem pœnæ, ſi Deus velit vti iure ſuo puniendi. Qui reatus manet moraliter donec extinguatur, vel per condonationem pœnæ, ſiue ceſſionem iuris puniendi: vel per condignam ſatisfactionem, aut ſatis-paſſionem. Tamdiu enim habent homines ſufficiens fundamentum prudenter iudicandi Deum agere rationaliter, ſi peccatorem velit punire ob peccatum commiſſum. Secus autem, ſi pœnam condonauerit. Igitur quando Deus cedit iure puniendi, non manet amplius reatus pœnæ: quamuis Deus non cedat iure abominandi peccatorem ob peccatum actuale commiſſum, adeóque remaneat reatus culpæ.

99. Quæritur quartò, an ſicut Deus remittit pœnam ex parte, commutando pœnam æternam in temporalem, aut vnam grauiorem, in aliam minorem: ita poſſit remittere, vel remittat reipſa culpam ex parte, mutando reatum culpæ grauiorem, in leuiorem: id eſt, cedendo ex parte iure ſuo ad odium, vel auerſionem: & minùs iam auerſando, aut abominando peccatorem; quàm antea, ob peccatum commiſſum?

Deus non remittit reatum culpæ mort. ex parte.

Reſpondeo primò, Deum re ipſa non ita remittere peccatum mortale. Ratio eſt, quia Deus non remittit peccatum mortale, niſi vel per aliquod ſacramentum, vel per contritionem charitate perfectam, formalem, aut virtualem & æquiualentem, extra ſacramentum. Atqui tam ſacramẽtum, quàm contritio habent vim abolendi penitùs reatum culpæ eorum peccatorum, quæ ipſis ſubjiciuntur. Nam de ſacramento pœnitentiæ Chriſtus abſolutè dixit, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, Ioan. vigeſimo. Baptiſmus verò non tantùm habet vim delendi peccata, quoad culpam integram, ſed etiam, quoad totum reatum pœnæ, æquè ac martyrium. De contritione verò dictum eſt Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam*, &c. *Omnium iniquitatum eius non recordabor*, &c. *Omnia peccata eius, quæ peccauit, non imputabuntur ei.* Quæ verba ſaltem de non-imputatione quoad culpam vera eſſe debent.

100. Reſpondeo ſecundò, idem dicendum eſſe de peccato veniali, quando per ſacramentum, aut per contritionem remittitur. Si enim ſacramentum, & contritio habent vim delendi totum reatum

Neque peccatum veniale.

culpæ peccatorum mortalium, quæ ipſis ſubjiciuntur: quantò magis vim habent delendi totum reatum culpæ venialium? Quando autem remittuntur iuſtis venialia per attritionem extra ſacramentum, per modum ſatisfactionis ex opere operantis; certum eſt remitti totum reatum culpæ venialis, ſi huiuſmodi ſatisfactio eſt condigna, & æqualis. Non enim eſt, cur ad eum finem non acceptetur à Deo. Satisfactio autem condigna, & acceptata extinguit totum reatum, æquè ac plena, & perfecta condonatio. Si autem non eſt æqualis culpæ veniali, pro qua exhibetur: non eſt improbabile acceptari ad diminutionem reatus culpæ, ita vt Deus eâ poſitâ minùs indignetur, quàm ante. Quamuis, quia non eſt æqualis, poteſt à Deo non acceptari. Habet enim ius retinendi offenſam præteritam, in ordine ad auerſionem eandem quàm ante, donec æqualis ſatisfactio exhibeatur. Sicut inter homines, qui alterum læſit, & inæqualem illi ſatisfactionem offert: non illum obligat, ad deponendam indignationem, donec æqualem offerat. Poteſt enim ſecundum prudens iudicium rationabiliter illam eò vſque retinere.

101. Poteſt tamen abſolutè fieri remittere.

Reſpondeo tertiò, loquendo de poſſibili, non apparere contradictionem in eo, quòd Deus condonet ex parte peccatum, tam mortale quàm veniale, cedendo iure ſuo ex parte in ordine ad odium, ſicut cedit ex parte in ordine ad pœnam. Sicut enim interdum homines vel ſponte ſua, vel data occaſione ab offenſoribus, ſenſim ac ſenſim minuunt indignationem conceptam ex offenſa ſibi facta: ſic Deus poteſt auerſionem, aut odium contra peccatorem minuere. Non quidem minùs æſtimando culpam, quæ fuit actu commiſſa: ſed remittendo ex parte ius, quod habet circa peccatorem, in ordine ad odium propter illam. Poteſt enim pro ſua libertate æquè partem iuris, atque ius totum remittere, tam circa odium, quàm circa punitionem peccatoris.

SECTIO XI.

An de potentia abſoluta poſſit Deus remittere culpam peccati mortalis, retentâ pœnâ æternâ?

102. Concluſio affirmatiua

REſpondeo affirmatiuè cum Suare diſputatione decima, ſectione ſecunda, numero octauo, iuncto numero quinto; Aegidio Conine diſputatione ſecunda, dubio decimo tertio: & Delugo diſputatione ſeptima, ſectione quinta, numero octuageſimo ſecundo, & nonageſimo primo. Probatur, quia, vt ſupra oſtendimus, & docet Tridentinum ſeſſione ſexta, capite decimo quarto, & ſeſſione decima quarta, capite octauo, remiſſâ culpâ in iuſtificatione, manet ſæpiſſimè reatus pœnæ temporalis. Ergo reatus culpæ, & reatus pœnæ differunt. Ac ſicut poſſunt ſeparari partialiter, vt de facto ſeparantur: ita & totaliter. Secundò, ſicut Deus poteſt reatum pœnæ remittere, retentâ culpâ, vt ſuprà oſtendimus: ſic non implicat, culpam dimittere retentâ pœnâ. Cúmque duo beneficia præſtet, vtrumque remittendo: non obligatur abſolutè propter vnum, ad aliud præſtandum. Et quamuis reatus poenæ fundetur in culpa: ſufficit tamen ad poenæ reatum culpam præextitiſſe, nec opus eſt adhuc moraliter exiſtere: nam de facto remiſsâ culpâ, manet frequenter reatus poenæ temporalis. Quidni ergo poſſet ſimiliter manere reatus æternæ? Tertiò, ſi Deus ſine peccato præuio poteſt, pro iure, ac dominio ſummo, priuare hominem viſione beatifica, quæ poena damni eſt: imó & ſuppliciis æternis addicere, quæ poena ſenſus eſt (tametſi neutrum eſſet propriè poena ei, qui non peccaſſet) quantò magis propter peccatum mortale, licet remiſſum quoad culpam, id eſt, non retentum in ordine ad odium abominationis, poſſet afficere vtraque poena: & ſine odio abominationis, ex ſolo affectu iuſtitiæ, punire peccatorem poena condigna: ſicut de facto poenis temporalibus iuſtificatorum peccata vlciſcitur?

103. Non foret illa poena eadem quæ nunc eſt.

Notandum tamen in eo caſu poſſibili, poenam æternam, quam talis pateretur, non fore, nec eſſe poſſe eandem omnino, cum ea, quæ nunc eſt. Nam in eo caſu Deus non odio abominationis proſequeretur talem damnatum, & addictum poenæ æternæ. Quandoquidem remiſſio culpæ mortalis in eo conſiſtit, quòd Deus ampliùs non eam retineat moraliter in ordine ad odium abominationis. Quare talis damnatus non poſſet verè apprehendere Deum, vt inimicum abominantem, id eſt, odientem perpetuo odio abominationis, & horroris propter peccatum commiſſum: quod faciunt nunc damnati: eaque eſt pars illorum poenæ non exigua, quòd ſemper verſentur in actuali cognitione talis odii Dei erga ſe.

104. Quomodo peccatum manet moraliter?

Ad maiorem reſponſi confirmationem, quatuor obſeruanda ſunt, quæ ſubtiliter diſtinguit, & eruditè exponit Cardinalis Delugo, diſputatione ſeptima, numero quadrageſimo octauo, & ſequentibus. Primum eſt, peccatum manere moraliter in ratione culpæ, ſeu maculæ habitualis coram Deo, nihil eſſe aliud, quàm retineri in memoria diuina in ordine ad odium abominationis, erga eum qui peccauit, loquendo de peccato mortali: & idem eſt de leui auerſione, & indignatione, loquendo de veniali: Deo ſeruante ſuum ius circa illam abominationem, vel auerſionem rationabilem. Generaliter enim loquendo, actum aliquem perſeuerare moraliter, idem

Digitized by Google

est, atque esse æquiualenter secundum prudentem æstimationem: siue perinde se habere in prudenti æstimatione hominum, ac si nunc præsens esset physicè. Atque ita votum, verbi gratia, vel contractus, vel lex olim lata à Principe, manet moraliter, quatenus nunc perinde obligat, ac si physicè nunc fieret. Fundamentum autem huius prudentis æstimationis est, quòd talis actus antea fuerit, putà, tale votum, & non fuerit solutum, aut relaxatum ab eo, qui potest: quòd contractus fuerit initus, & nondum sit rescissus: quòd lex fuerit lata, & non sit abrogata. Formalis autem permanentia est denominatio moralis actus ab illa prudenti æstimatione. Sic igitur peccatum habituale nihil aliud est, quàm peccatum actuale, id est, peccatum ipsum, quod fuit antea commissum, moraliter, & æquiualenter perseuerans in ordine ad reddendum hominem rationabiliter displicentem Deo: id est, perinde ac si nunc physicè committeretur. Cuius moralis permanentiæ fundamentum est, quòd homo antea peccauerit & non satisfecerit, neque Deus offensam condonauerit. In his enim duobus fundatur prudens iudicium, quòd Deus non minùs possit auersari peccatorem rationabiliter, quàm eo instanti, quo physicè peccauit.

105. Deus habet duplex ius aduersus peccatorem.

Secundum est, quod iam alibi notauimus, Deum habere ius duplex aduersus peccatorem, ratione peccati ab ipso commissi. Vnum est abominandi ipsum ob peccatum mortale; vel auersandi leuiter ob veniale. Alterum puniendi pœna conueniente. Hoc autem ius duplex nihil est aliud, quàm posse Deum secundum prudens iudicium rationabiliter indignari, vel punire peccatorem: & non agere irrationabiliter, vel iniustè, si illum oderit, aut auersetur, & puniat propter peccatum non condonatum, neque extinctum per condignam satisfactionem.

106. Condonatio vtrumque ius extinguit.

Tertium est, Deum vtrumque ius extinguere condonando. Tum quia posita condonatione, non potest prudenter iudicari, eum rationabiliter indignari, & punire, perinde ac si nunc voluntas peccandi existeret physicè. Tum etiam quia destructo fundamento iuris, non manet ius. Fundamentum autem istius iuris, vt dixi antea, est peccatum præteritum non condonatum, neque satisfactione sufficienti extinctum. Quod fundamentum destruitur per condonationem: non enim ampliùs peccatum est non-condonatum. Potest autem Deus condonando extinguere vnum ex his duobus iuribus sine alio. Tum quia vnum differt ab alio: si enim Deus non esset gubernator Vniuersi, non haberet ius puniendi; & tamen haberet ius odiendi rationabiliter propter peccatum: Sicut homines priuati, offensi ab aliquo, habent ius auersandi rationabiliter; at non puniendi: Tum etiam quia potest aliquis actus manere moraliter in ordine ad vnum effectum, & non manere in ordine ad alium. Vt si promisisti virgini matrimonium in ordine ad extorquendam copulam illicitam, posteaque doles de peccato, & confiteris sacramentaliter: non manet hic actus promittendi in ratione peccati, & offensæ diuinæ (fuit enim peccatum mortale ratione mali finis) sed per sacramentum Pœnitentiæ remittitur. Manet tamen in ordine ad obligandum ad matrimonium. Ratio est, quia, vt rectè ait author citatus num. 81. tota hæc moralis permanentia, est posse prudenter iudicari, te perinde nunc obligari ad effectum aliquè, ac si nunc actus ille existeret. Atqui posita Dei condonatione, & absolutione per sacramentum pœnitentiæ, non potest prudenter iudicari te Deo æquè displicere propter illum actum, ac si nunc faceres. Ergo non manet ille actus moraliter, in ordine ad hunc effectum. Manet tamen in ordine ad obligationem contrahendi matrimonium: quia non obstante absolutione sacramentali, homines prudenter iudicant te obligari ad implendum promissum perinde ac si nunc promitteres.

107. Cessio iuris diuini circa peccatum quid sit?

Quartum & vltimum est, cessionem iuris diuini circa peccatum nihil esse aliud, quàm Deum velle non ampliùs retinere peccatum in ordine ad iustum odium & indignationem, ac punitionem: ac proinde velle reddere sibi illicitam actionem odiendi, aut puniendi, ex defectu fundamenti, seu tituli. Ex. gr. condonare poenam est velle reddere sibi illicitam punitionem, perinde ac si culpa non præcessisset. Sicut condonare mutuum, est velle sibi reddere illicitam exactionem pecuniæ, perinde ac si mutuum non præcessisset: id est, nolle ampliùs vllam habere, nec posse habere rationem mutui, in ordine ad talem effectum. Itaque Deum condonare peccatum quoad culpam, & poenam totaliter, est nolle ampliùs posse habere illius rationem in ordine ad effectum odiendi & puniendi, perinde ac si non fuisset commissum. Condonare verò quoad culpam tantùm, vel quoad poenam tantùm, est nolle ampliùs posse habere illius rationem in ordine ad odium tantùm, vel in ordine ad punitionem tantùm. Cuius condonationis obiectum est, tum peccatum quod fuit, & moraliter aboletur, efficiendò per talem abolitionem, vt non ampliùs habeatur eius ratio, neque iure possit haberi; quod est efficere, vt non ampliùs permaneat moraliter. Tum etiam ius diuinum, ortum ex tali peccato, quod ius extinguitur per talem condonationem, seu cessionem iuris. Ius enim non manet, postquam efficaciter illi renunciatur. Quare obiectum huius condonationis non est ipsamet condonatio: in quo explicando multùm laborat auctor suprà citatus, disputatione septima, sectione nona; neque meo iudicio difficultatem planè exhaurit: sed est peccatum ipsum, & ius ad illud odio habendum, aut puniendum, in quod tendit condonatio, nolendo ampliùs retinere

ius ad odium abominationis, vel ad punitionem: sicut antea idem peccatum, idemque ius, erat obiectum actus per quem Deus volebat retinere ius ad odiendum aut puniendum peccatorem ob peccatum præteritum. Idem enim potest esse obiectum volitionis & nolitionis, qui sunt actus diuersi; & contrarii; æquè ac amor & odium, gaudium & tristitia, prosecutio & fuga. Prior actus erat, volo ius retinere ad peccatorem odio habendum ob peccatum commissum. Posterior est, nolo ius retinere ad peccatorem odio habendum propter idem peccatum. Vterque versatur circa ius ad odium peccatoris: vnus volendo retentionem, alter nolendo. Et condonatio, quæ ius illud destruit, simul destruit peccatum habituale, id est facit vt peccatum præteritum non maneat ampliùs moraliter, quia non potest ampliùs haberi eius ratio in ordine ad iustum odium. Quare vtrumque, ius scilicet Dei, & peccatum habituale vt destruendum, est obiectum condonationis.

108. Deus potest vni iuri cedere non cedendo alteri.

Ex his infero, Deum absolutè loquendo posse condonare culpam, id est, cedere iure quod habet ad odium vel auersionem peccatoris ob peccatum ab ipso commissum, retinendo ius, non modò ad partem pœnæ, vt facit ordinariè: sed etiam ad totam. Quia hæc iura sunt diuersa, & ab inuicem separabilia: neque vno sublato, tenetur Deus absoluta necessitate alterum tollere.

Dices, si non remittitur pœna manet moraliter culpa præterita, in ordine ad illum effectum. Ergo peccatum perseuerat habitualiter, & maculat hominem moraliter. Si enim permanentia peccati præteriti in ordine ad odium rationabile, maculat hominem coram Deo: quidni etiam permanentia in ordine ad punitionem: cùm sit permanentia eiusdem peccati? Item cùm actum manere moraliter nihil sit aliud, quàm manere secundum prudentem æstimationem in ordine ad aliquem effectum: quomodo tollitur peccatum, si adhuc manet secundum prudentem æstimationem in ordine ad punitionem iustam & rationabilem? sic enim peccator censetur habere nunc moraliter culpam præteritam; siue, perinde se habere, ac si physicè illam committeret.

109. Quomodo non maneat moraliter peccatum retenta pœna?

Ad primum respondeo cum Delugo disp. 7. num. 84. non quamuis permanentiam culpæ præteritæ sufficere ad maculam: sed permanentiam in ordine ad odium rationabile Dei. Dicitur enim peccatum maculare, quatenus hominem reddit Deo inuisum, & displicentem: sicut macula corporis est obiectum displicens visui. Itaque homo dicitur maculari per peccatum habituale, quamdiu illud moraliter, & æquiualenter perseuerat, in ordine ad hoc, vt peccator propter ipsum displiceat Deo. Non autem quatenus permanet solùm ad pœnam, aut alium effectum. Alioquin in iustificatione non tolleretur tota macula; sed reatus culpæ maneret ex parte, quando remanet pars pœnæ. Et in exemplo supra allato de matrimonio, maneret reatus culpæ post absolutionem sacramentalem: quia manet actus promissionis peccaminosus, in ordine ad obligationem contrahendi matrimonium promissum.

Ad secundum respondeo, actum posse manere moraliter diuersimodè, in ordine ad diuersos effectus: & posse tolli quoad vnum effectum, remanendo secundum alium, vt exemplis suprà ostendimus. Peccatum autem manere moraliter, in ratione maculæ habitualis, est manere prout deturpat coram Deo, & prout dat ius ad odium abominationis, vel ad auersionem contra peccatorem, quo pacto non manet, quando Deus huic iuri cessit, retento solo iure infligendi pœnam. Tunc enim manet solùm, quoad reatum pœnæ infligendæ non ex odio, & displicentia peccatoris, sed ex solo affectu iustitiæ vindicatiuæ. Atque ita peccator non censetur, prudenter habere maculam peccati, perinde ac si nunc illud committeret, sed tantùm esse obnoxius pœnæ, perinde ac si nunc peccaret, ex suppositione quòd nihil pœnæ illi remissum sit, vt fieri posse contendimus. 110. Actus potest manere moraliter vltra modum.

Contrarium sentiunt Scotus in 4. dist. 14 q. 4. Gabriel ibid. quæst. 1. art. 2. concluſ. 1. & aliqui Recentiores qui in eandem sententiam conantur trahere D. Thomam quæst. 86. art. 3. Omisso autem fundamento Scoti, & Gabrielis existimantium peccatum postquam physicè præteriit, non remanere, nisi quoad reatum pœnæ, adeóque non posse retentâ totâ pœnâ remitti; quod fundamentum suprà reiecimus, & fusiùs in tract. de Peccatis: Obiiciunt illi recentiores primò, non esse facilè admittendam quamcunque separabilitatem amoris diuini à voluntate benefaciendi: vel odii, à voluntate vlciscendi. Quia non est consentaneum Deũ continuare omnes effectus amoris, & velle eos effectus in æternum: & tamen ab amando destitisse. Aut contra, cessasse ab odio: & tamen iisdem subiicere malis. Nam si amor est aliquid aliud à voluntate benefaciendi: & odium, à voluntate vlciscendi: vtrumque tamen commensuratur effectibus. 111. Scotus. Gabriel.

Respondeo, non posse quidem separari omnem amorem à voluntate benefaciendi: quandoquidem ipsum velle benefacere, est quidam actus amoris, & beneuolentiæ: posse tamen amorem complacentiæ, oppositum odio abominationis, separari à voluntate benefaciendi, id est, bona alicui conferendi, vel ea conseruandi. Ita vt qui bona alicui confert, aut conseruat, non propterea sibi in ipso complaceat: & vice versa, qui in aliquo sibi complacet, non propterea beneficia illi conferat, aut conseruet. Quia hi affectus non sunt essentialiter inter se connexi: vnde possunt separari, maximè à Deo, qui suorum affectuum erga creaturas excellentissimè Dominus est, & summa libertate præditus: neque ab affectibus, aut passionibus vllis patitur violentiam, sed affectus omnes suauiſ- 112. Soluitur prima obiectio in contrarium.

simos habet. Similiterque odium abominationis potest separari à voluntate vlciscendi iustè peccata, inferendo malum, aut priuando aliquo bono, ad ius læsum reparandum. Neque enim est necesse, vt Deus auersetur, & abominetur eum erga quē iustitiā exercet. Alioquin abominaretur iustificatū, à quo pœnā temporalē sumit, vt iustitiam exerceat: quod est falsum, & contra Trident. sess. 5. can. 5. vbi definit per gratiam, quæ in Baptismate confertur, tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet: *Quia* inquit, *in renatis nihil odit Deus*: odio scilicet abominationis: quod de gratiā per alia sacramenta, & quodcunque aliud medium collatā æquè verum est. Gratia enim sanctificans non compatitur vllam veram, & propriam rationem peccati mortalis. Non est item necesse, vt qui abominatur aliquem, inferat ei malum, vel bono priuet in pœnam peccati. Nam v. g. Rex potest eum abominari, à quo grauiter offensus est: nec tamen auferre illi beneficia, quæ antea contulerat.

Deus non odit quemcunque punit.

113. Et quamuis amor complacentiæ inclinet amantem ad bene faciendum, & ad non inferendos, aut continuandos effectus vltionis: non tamen infert necessitatem, ne hominibus quidem, & multò minùs Deo. Similiterque odium abominationis non infert necessitatem ad puniendum. Deus enim abominatur peccata commissa in inferno à damnatis: nec tamen ea punit: alioquin eorum pœna creſceret in infinitum. Porrò remittere purè, & præcisè peccatum mortale, desinendo ab odio abominationis, & nolendo peccatum ad eum finem retinere, non est amare positiuè: sed tantùm est non odisse, & non abominari, nolleque habere rationem peccati ad eum finem.

114. Obiiciunt secundò, remissionem ex parte offensi habere eundem effectum, quem haberet rigida satisfactio ex parte offendentis. Nam reparatur iniuria vel satisfactione, vel satispassione æquali offendentis: vel cessione, & condonatione offensi. At impossibile est aliquem satisfeciſſe satisfactione æquali, quæ acceptatione non indigeat, & tamen ipsum remanere obnoxium pœnæ. Nam pœna est reparatio iniuriæ: & reparatio facta est per satisfactionem. Atqui non est minor efficacia in condonatione offensi, quàm in satisfactione offensoris.

Altera obiectio.

Respondeo, maiorem esse veram de remissione plena, & perfecta peccati, siue offensæ; non modò prout manere potest, & retineri in ordine ad odium abominationis, qui est propriè reatus habitualis culpæ mortalis: sed etiam quoad ius vlciscendi, & puniendi, quod ius nascitur ex peccato actuali. Secus autem de remissione non ita perfecta: cuiusmodi foret illa, de qua loquimur. Cuiusmodi etiam nunc illa est, in qua Deus remittit peccatum mortale, quoad reatum integrum culpæ, retento tamen reatu pœnæ temporalis.

115. Obiiciunt tertiò, proportionem esse debere inter modum, quo Deus remittit iniurias sibi factas; & eum, quo homines suas sibi mutuò remittunt: hæc enim semper comparat Scriptura. Atqui non aliter homines hominibus iniuriam remittunt, quàm deponendo odium, & ius vltionis.

Tertia obiectio.

Respondeo, minorem non esse veram vniuersaliter de iure vltionis. Possunt enim & validè & licitè remittere interdum, deponendo dumtaxat odium abominationis, retento vsu iuris sui læsi, cuius reparationem per ablationem boni, aut illationem mali possunt persequi in tribunalibus. Cætera, quæ obiiciunt, sunt minoris momenti, & falsò supponunt peccatum manens habitualiter nihil esse aliud, quàm destinationem ad pœnam iuxta Scoti opinionem: vel nihil esse aliud, quàm priuationem gratiæ, & amicitiæ diuinæ.

SECTIO XII.

An remissio peccati sit effectus primarius Sacramenti Pœnitentiæ?

116. HAc de re duæ sunt sententiæ oppositæ. Prima est, remissionem peccati esse primarium effectum Sacramenti Pœnitentiæ ordine executionis, in genere causæ materialis: licet infusio gratiæ sit prior ordine intentionis, in genere causæ finalis. Ita videtur docere S. Thomas 1. 2. quæst. 113. art. 8. ad 1. vbi ait, ex parte eius, qui iustificatur, esse prius naturæ ordine purgari à culpa, quàm acquirere gratiam iustificantem. Addiquè posse dici, quòd terminus à quo iustificationis sit peccatum, & terminus ad quem sit iustitia: ita vt per remissionem, is qui iustificatur, recedat à termino à quo: & per infusionem adipiscatur terminum ad quem. Dixerat autem paulò ante, ex parte mobilis naturaliter recessum à termino à quo præcedere accessum ad terminum ad quem. Vnde sequitur, remissionem peccati præcedere infusionem, iuxta doctrinam D. Thomæ. Fauet etiam Trident. sess. 6. cap. 4. vbi iustificationem definit translationem ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ (id est à peccato) in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam, scilicet Christum saluatorem. Et cap. 7. docet iustificationem non esse solùm peccati remissionem, sed & sanctificationem, & renouationem interioris hominis, *per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum: vnde homo ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus.* Et paulò post: *In ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem.* In quibus verbis notandum est, remissionem peccatorum, non modò distingui ab infusione gratiæ, sed etiam priore loco poni, & ex vtraque componi iustificatio-

Prima sententia affirmans.

S. Thom.

Probatur ex Trident.

Digitized by Google

nem. Notandum præterea Concilium nunquam retuliſſe remiſſionem peccati ad gratiæ infuſionem, vt ad cauſam formalem, aut dixiſſe per illam fieri: ſed vbique conſtanter ab illa diſtinxiſſe, & priorem illi locum in iuſtificatione dediſſe. Addi poteſt nullam eſſe neceſſitatem, vt gratia prius infundatur, & per illam, vt per cauſam formalem remittatur peccatum. Imò per illam ſolam, ſine alio fauore, vel condonatione diuina remitti nequit. Quia gratia, quantacunque infundi ſoleat, finita eſt, & improportionata offenſæ mortali, quæ moraliter infinita eſt, ideóque non poteſt tolli, niſi vel per ſatisfactionem infinitam: gratia autem non eſt talis ſatisfactio: vel per Dei condonationem. Sicut debitum non poteſt tolli niſi vel per æqualem ſolutionem, vel per remiſſionem, ſeu condonationem creditoris.

Probatur 2. ratione.

117. Præluditur exaſio.

Neque dicas, licet gratia per ſe ſolam non ſit proportionata infinitæ Dei offenſæ: prout tamen datur per ſacramentum, quo Chriſti merita communicantur, ferre ſecum infinitam vim meritorum, & ſatisfactionum Chriſti: ideóque valere ad remiſſionem offenſæ diuinæ. Primùm enim, ſi non tribuitur remiſſio vi gratiæ, ſed vi adiuncti, remittitur peccatum potiùs vi adiuncti, quàm vi gratiæ. Deinde, ſi ſacramentum per Chriſti merita conſtituitur in eſſe cauſæ, etiam ad gratiam tribuendam: poteſt pariter per illa conſtitui in eſſe cauſæ ad tribuendam immediatè remiſſionem peccatorum, quæ non pendet eſſentialiter à gratia, neque connaturaliter eſt illi ſatis proportionata. Non eſt ergo neceſſarium vt ſacramentum priùs infundat gratiam, & per illam operetur remiſſionem peccati: ſed poteſt hanc immediatè efficere. Quòd autem ſic efficiat, conuenientius eſſe iure videtur. Primò, quia conuenientius eſt, vt priùs remittatur peccatum, & fiat id, quod minus eſt, remotiuſque à perfectione finis; quàm illud, quod eſt maius, & fini propinquius. Quamuis autem remiſſio peccati ſit maioris impenſæ, quàm collatio gratiæ: tamen collatio gratiæ eſt perfectior, & fini propinquior, quàm remiſſio. Quia peccati, vt offenſæ remiſſio non peteret connaturaliter gloriam, quàm petit collatio gratiæ. Secundò, conuenientius eſt, vt ſubiectum purgetur priùs, quàm ornetur: priùs aliquis non ſit inimicus, quàm ſit amicus poſitiuè: priùs Deus placetur offenſori, condonando offenſam, quàm ipſum dono gratiæ ſupernaturalis exornet. Et quamuis prima intentio iuſtificantis ſit dare formam poſitiuam gratiæ, & per illam tandem ad finem vltimum gloriæ, & ſupernaturalis beatitudinis euehere: conuenientius tamen eſſe videtur, vt executio incipiat à remotione formæ diſconuenientis, licet non ſimpliciter repugnantis, neque abſolutè incompatibilis.

118. Vera ſententia negatiua.

Contraria communis, & vera ſententia eſt, primarium effectum ſacramenti pœnitentiæ, etiam ordine executionis, eſſe gratiam ſanctificantem, ex qua, velut ex cauſa formali ſequitur remiſſio peccati mortalis: & generaliter in quacunque iuſtificatione à peccato, priùs naturâ gratiam infundi, quàm peccatum extinguatur: quippe cuius extinctio ſequitur ex præſentia gratiæ, tanquam ex cauſa formali. Ita Suarez diſp. 19. ſect. 2. n. 16. & fuſiùs lib. 7. de Grat. cap. 12. Vaſques 1. 2. diſp. 204. cap. 3. quem Mærat. & Luiſius Turrian. ſequuntur, Valent. quæſt. 5. de Gratia punct. 5 Aegid. Con. diſp. 21. de Actibus ſupernaturalibus dub. 8. Caiet. 1. 2. ad art. 6. quæſt. 113. Cumel ad art. 1. eiuſdem quæſt. diſp. 2. §. *Tertiò colligo*, Sotus in 4. diſt. 15. quæſt. 1. art. 2. aliique plurimi. Idemque docet aperte S. Thomas art. 8. quæſt. iam cita æ, in corp. vbi ſic habet: *Ex his duobus*, ſcilicet infuſione gratiæ, & remiſſione peccati, *primum ordine naturæ eſt gratiæ infuſio: poſterius verò remiſſio peccati.* Suarez. Vaſquez. Valent. Con nc. Cumel. Sotus. S. Thom.

119. D. Thomas eſt in illa ſententia.

Nec obeſt quòd idem Sanctus Doctor eodem articulo in ſolutione primi argumenti, duplicem ordinem diſtinguit. Vnum ex parte agentis: alterum ex parte ſubiecti recipientis. Et ex parte quidem agentis, id eſt, ex parte Dei iuſtificantis, priorem eſſe dicit gratiæ infuſionem, quàm culpæ remiſſionem: ex parte verò hominis iuſtificati, priorem eſſe ordine naturæ liberationem à culpa, quàm conſequutionem gratiæ iuſtificantis. Sicut inquit ex parte Solis priùs eſt illuminare, quàm tenebras remouere: ex parte autem aëris illuminati, priùs eſt purgari tenebris, quàm conſequi lumen, ordine naturæ: licet vtrumque ſit ſimul tempore. Hoc, inquam, non obeſt: quia maior habenda eſt ratio reſolutionis quæſtionis propoſitæ, quam ex profeſſo tradit in corpore articuli: quàm eius, quod addit in ſolutione primi, occaſione illius argumenti contra ſuam ſententiam propoſiti. Eſtque manifeſtum, quòd ſi infuſio gratiæ eſt naturâ prior ex parte agentis; eſt quoque prior ex parte recipientis. Quia quod priùs natura fit ab agente in aliquo ſubiecto, & dependenter à ſubiecto: priùs naturâ quoque recipitur ab illo ſubiecto. Quare ſi gratia priùs naturâ infunditur animæ, quàm peccatum illi remittatur: priùs natura recipit anima gratiam, quàm conſequatur peccati remiſſionem. Et priùs natura gratia fit in anima, quàm fiat illi peccati remiſſio. Neque alius eſt ordo agentis, & patientis. Quia cùm agens non agat, neque intelligi poſſit agere infuſionem gratiæ, ſine ſubiecto recipiente; neque ſubiectum recipere ſine principio agente: ſi priùs eſt natura ex parte agentis Deum infundere gratiam, quàm peccatum remittere; priùs eſt quoque ex parte recipientis, habere gratiam, quàm remiſſionem peccati. Euidenter quoque implicat ſolem naturâ priùs illuminare aërem, quàm expellere tenebras: aut è conuerſo, aërem priùs naturâ purgari tenebris, quàm illuminari. Etenim ordo eſt neceſſariò inter plura; & implicat eſſe naturæ, vel rationis, ordinem, vbi non eſt niſi

vnum re, & ratione. Atqui solem illuminare aërem luce carentem, & pellere ab eo tenebras, est vnum, & idem re, & ratione. Sicut & aërem purgari tenebris, & illuminari, vnum, & idem est. Est enim idem re, & ratione adesse formam, & eam non abesse: seu poni formam, & tolli eius absentiam.

120. Duplex modus explicandi quomodo remissio peccati sit effectus formalis gratiæ.

Dupliciter autem intelligi potest remissionem peccati mortalis esse effectum formalem gratiæ. Primò, ita vt sit effectus formalis primarius: adeo vt ipsa præsentia gratiæ in anima, sit remissio peccati. Nam effectus formalis primarius cuiuscunque formæ nihil est aliud, quàm ipsa formę præsentia, & communicatio facta subiecto. Secundò, ita vt sit effectus tantùm secundarius, id est, aliquid resultans ex præsentia formæ in subiecto. Prior sensus intenditur à Vasque, Turriano, & Mæratio, qui etiam putant actum contritionis, vel amoris Dei super omnia, iustificare formaliter se ipso. Fundamentum præcipuum illorum est: Primò, quia peccatum mortale non est propriè iniuria Deo facta: nullum enim Deo damnum infert: sed est tantùm deordinatio à Deo, ipsi displicęs. Quæ deordinatio tollitur sufficienter per reordinationem, vel actualem, id est, per actum contritionis, aut dilectionis: vel habitualem, id est, per habitum gratiæ sanctificantis. Secundò, quia Scriptura, & sancti Patres comparant gratiam, & peccatum cum luce, & tenebris, vita & morte. Vt Ephes. 1. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Et Roman. 5. *Sicut regnauit peccatum in mortem &c.* Tertiò, quia alioqui iustificatio perficeretur per fauorem Dei extrinsecum, id est, per extrinsecam Dei condonationem remittentis peccatum; si neque gratia, neque actus contritionis, aut dilectionis, vim sufficientem habet ad delendum peccatum, sine Dei condonatione: quod accedit ad hæresim Caluinistarum, & Lutheranorum.

121. Non est effectus formalis primarius.

Sed hæc sententia non est vera, vt fusiùs ostendimus in tract. de Gratia, & iustificatione. Nam de potentia absoluta potest esse gratia in anima cum peccato mortali, vt ibi probauimus. Ergo aliud est remissio peccati, quàm præsentia gratiæ in anima. Item peccatum mortale, cùm sit debitum infinitum, non potest tolli, nisi vel per condonationem, vel per satisfactionem infinitam, & æquiualentem; cuiusmodi non est gratia, vel contritio, aut dilectio puræ creaturæ. Et Scripturæ, Concilia, Sanctique Patres affirmant remissionem peccati, posito actu contritionis, esse nouum beneficium gratiæ. Quod non esset, si contritio ipsa esset per se formaliter remissio peccati. Sicut non est nouum beneficium pelli tenebras, posita luce: aut esse calidum, posito calore in subiecto. Cúmque omne peccatum mortale sit contra ius Dei prohibentis; est eatenus aliqua Dei iniuria: siue Deo inferat damnum in bonis externis, vt in quibusdam peccatis contingit, quibus Dei honor, & bona existimatio apud alios læditur: siue non. Scriptura verò, & Sancti Patres comparantes gratiam luci, & vitę; peccatum autem tenebris, & morti; sunt moraliter, & non in rigore metaphysico intelligendi. Lutherani denique, & Caluinistæ peccant in duobus circa peccati remissionem. Primò, quòd dicant peccata solùm tegi, & dissimulari, & non imputari, quamuis reipsa maneãt. Secundò, nihil aliud fieri in iustificatione, id est, nullum habitum supernaturalem infundi. A quibus erroribus longè absunt qui docent peccata verè remitti: & illam remissionem fieri per gratiæ infusionem: quamuis non illâ solâ formaliter, & primariò, sed resultantiâ, & sequelâ aliquo modo necessariâ, vel physicè, & naturaliter, sicut calor expellit physicè frigus, vt vult Suares suprà: vel potiùs moraliter, non merè arbitrariè, eo modò, quo aqua v. g. delet peccata in Baptismo ex merè arbitraria institutione diuina: sed ex morali exigentia naturæ ipsius gratiæ: quia peccatum mortale non bene conuenit cum qualitate tam excellenti, tamque Deo grata: quæ cùm alliciat naturâ sua Deum ad amorem subiecti, in quo est: allicit quoque, & mouet eundem ad peccatum mortale remittendum, id est, non ampliùs retinendum in ordine ad odium abominationis erga peccatorem: quemadmodum etiam mouet Deum ad adoptandum eum, in quo est, dandumque illi ius hæreditatis æternæ, qui est alius effectus secundarius gratiæ, & ad gloriam suo tempore conferendam. Neque enim gratia solâ suâ præsentiâ hæc formaliter præstat, vel ea physicè causat. Nam gratia non est formaliter gloria; neque potest causare physicè gloriâ, quæ est excellentior gratiâ. Imò neque ad illam perfectè disponit physicè: alioqui iusti essent in statu violento, quamdiu gloria carerent. Et Suarez ipse affirmat iustos non esse Dei hęredes, nisi addatur gratiæ diuinæ ordinatio.

122. Probatur esse effectum secundarium ex Trident.

Supereſt ergo posterior sensus, quo remissio peccati dicatur esse effectus formalis secundarius gratiæ, modo iam explicato. Quo sensu intellecta sententia proposita probatur primò efficaciter ex Trident. sess. 5. can. 5. vbi ait, *Per gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti, & tolli totum id, quod verum, & proprium peccati rationem habet.* In quibus verbis nota primò particulam, *per*, non posse hoc loco significare aliam causalitatem, quàm formalem. Et, si vera esset sententia aduersariorum, peccatum scilicet priùs remitti, vt infundatur gratia: dicendum erat peccatum remitti propter gratiam, non autem remitti per gratiam. Nota 2. gratiæ nomen hîc sumi à Concilio eodem sensu, quo illud sumit paulò post sess. 6. cap. 7. init. cùm ait iustificationem non esse solam peccatorum remissionem, sed & sanctificationem, & renouationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum: & quo etiam illud sumit sess. 7. can. 6. *de sacramentis in ge-*

Digitized by Google

nere, vbi definit ſacramenta nouæ legis continere gratiam quam ſignificant, illamque conferre non ponentibus obicem. Alioqui enim doctrina Trident. eſſet valde æquiuoca. Ergo intelligit peccatum originale remitti per gratiam illam, quæ ſuſcipitur à iuſtificato, illique infunditur & inhæret, vt Trident. ait eodem cap. paulò poſt. Gratia autem illa non eſt remiſſio ipſa peccati. Tum quia Trident. initio capitis citati illam diſtinguit à remiſſione: tum etiam quia remiſſio eſt actus vitalis Dei miſericorditer condonantis, quo ſcilicet Deus vult non ampliùs retinere ius odio habendi peccatorem: qui actus non recipitur à iuſtificato, neque ipſi infunditur aut inhæret. Atqui gratia & iuſtitia, de qua loquitur Tridentinum, infunditur iuſtificatis, atque ipſis inhæret. Neque reſponderi poteſt duplicem eſſe remiſſionem: vnam videlicet actiuam, quæ ſit in Deo, vt actus eius immanens, & alteram paſſiuam, quæ ſit in iuſtificato, ex eo præciſè, quòd Deus illi peccatum remittit. Nam illa remiſſio paſſiua vel eſt merum figmentum, vel nihil eſt aliud, quàm non-eſſe peccati & terminus actiuæ remiſſionis, ſeu condonationis diuinæ: qui terminus non eſt effectus ſui ipſius, neque eſt illa gratia de qua loquitur Trident. & per quam dicit tolli peccatum. Nota tertiò, licet Cõcilium loquatur ibi de peccato originali: parem tamen eſſe rationem de mortali actuali, cum quo gratia non minorem habet oppoſitionem formalem. Quare ſicut in naturalibus formę, quæ habent oppoſitionem formalem, & vim ſe inuicem expellendi, exercent illam cauſalitatem: eſtque prius natura induci formam vnam ab agente, quàm vi illius expelli ac deſinere oppoſitam incompatibilem: ſic gratia exercet formalem ſuam oppoſitionem circa peccatum mortale quodlibet, tam actuale, quàm originale, ita vt illud deſinat, quia gratia introducitur.

123. Confirmatur ex eodem.

Secundò, idem Concilium eodem cap. 7. dicit vnicam cauſam formalem iuſtificationis eſſe iuſtitiam Dei, *non quâ ipſe iuſtus eſt, ſed quâ nos iuſtos facit: quâ videlicet à Deo donati, renouamur ſpiritu mentis noſtræ, &c. Iuſtitiam in nobis recipientes, vnuſquiſque ſecundum ſuam menſuram*: quod fit, inquit paulò poſt, dùm paſſionis Chriſti merito, *per Spiritũ ſanctum, charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui iuſtificantur, atque ipſis inhæret*. Quibus verbis Concilium nomine iuſtitię intelligit idem, quod paulò antea nomine gratiæ cùm dixit iuſtificationem non eſſe ſolam peccatorum remiſſionem, ſed & renouationem interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum. Nam ait formam illam vnicam iuſtificationis eſſe iuſtitiam Dei, quâ à Deo donati renouamur ſpiritu mentis noſtræ. Atqui antea renouationem illam tribuerat gratiæ vt diſtinctæ à remiſſione peccatorum. Quare dici non poteſt appoſitè ad mentem Concilii, formam iuſtificationis, de qua ibi loquitur, eſſe quidem vnicam, ſed non ſimplicem, ac potiùs compoſitam ex remiſſione peccati, & infuſione habituum. Adde quòd Concilium paulò poſt aſſerit iuſtitiam illam, quæ eſt vnica cauſa formalis iuſtificationis, in nobis recipi, nobiſque inhærere. At remiſſio peccati non in nobis recipitur, neque nobis inhæret: ſed eſt actus vitalis Dei peccata condonantis, vt paulò ante diximus. Ergo Concilium per illam iuſtitiam non intelligit remiſſionem peccati, ſed habitum gratiæ ſanctificantis, quam ait eſſe vnicam cauſam formalem iuſtificationis: non quòd ſit formaliter totum id quod includit perfecta & integra iuſtificatio: ſed quia eſt forma, ex qua moraliter reſultant cætera, velut effectus ſecundarii: nimirum remiſſio peccatorum, & alia dona ſupernaturalis, quæ gratiam ſeu charitatem habitualem conſequuntur: excepta fide & ſpe quæ potiùs charitati ſeu gratiæ ſanctificanti præſupponuntur tanquam eius fundamenta; inchoantque vnionem habitualem animæ cum Chriſto, quæ per charitatem perficitur, vt ait Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. Propter quæ omnia meritò catechiſmus Romanus in tractatu de Baptiſmo ſic ait: *Eſt autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum pœnâ anathematis propoſitâ decreuit, non ſolùm per quam peccatorum fit remiſſio: ſed diuina qualitas in anima inhærens, ac velut ſplendor quidam & lux, quæ animarum noſtrarum maculas omnes delet.*

124. Idem probatur ratione.

Quartò, Deus nunquam remittit peccatum mortale niſi infundendo gratiam. Ergo neque dat ſacramentis vim remittendi peccatum mortale, niſi dando ſimul vim infundendi gratiam. Cùm autem gratia ex ſe habeat oppoſitionem quamdam formalem cum peccato mortali: conuenientius eſt, & conformius modo agendi cauſarum naturaliũ, vt ſuâ præſentiâ in ſubiecto formaliter expellat peccatum: vtque agens naturâ priùs formam illam introducat, quàm oppoſitam vi illius, & propter formalem eius incompatibilitatem expellat. Quòd autem gratia habeat ex ſe oppoſitionem aliquam cum peccato mortali, patet, quia, vt rectè ait Suarez cap. ſupra citato, num. 11. gratia eſt ſumma quędam participatio naturæ diuinæ, vt ſignificat Petrus Apoſtolus epiſt. 2. cap. 1. & ex eodem colligit S. Thomas 1. 2. quæſt. 110. art. 3. in corp. quæ iure veluti connaturali facit amicum & filium Dei adoptiuum, & hæredem vitæ æternæ. At peccatum mortale facit inimicum Dei, & reum damnationis æternæ. Gratia conuertit ad Deum habitualiter, rectèque diſponit & ordinat hominem ad finem ſupernaturalem, partim ſeipſa formaliter & immediatè, partim mediatè per virtutes & dona, quæ velut effectus ſecundarii illi debentur. At peccatum mortale auertit à Deo, & peruertit ordinem creaturæ ad finem ſupernaturalem. Gratia ex ratione ſua ſanctificat: peccatum verò mortale eſt ſumma immunditia, maximéque oppoſita ſanctificationi.

Digitized by Google

125. Soluuntur argumenta contraria.

Ad argumenta contrariæ sententiæ sic respondendum est. Ad primum patet ex suprà dictis, quæ sit vera sententia D. Thomæ. Ad secundum dico coniecturas illas, ex modo loquendi Tridentini desumptas, parum habere momenti, longéque postponendas esse definitioni ab ipso traditæ sess. 5. can. 5. suprà relatæ & expensæ: & cap. 7. sess. 6. Nam quod ait sess. 6. cap. 4. iustificationem esse translationem à statu peccati ad statum gratiæ: non probat peccatum naturâ priùs remitti, quàm infundatur gratia. Sicut dicere calefactionem aquæ esse translationem à statu frigidi ad calidum, quod verissimum est; non est dicere frigus naturâ priùs expelli, quàm calor introducatur, quod est falsum: Agens enim non pellit frigus, nisi inducendo calorem cum illo incompatibilem: priúsque naturâ est calorē induci ab agente fortiori, quàm frigus ob caloris incōpatibilitatē desinere: Ideóque causa prima, & materia desinunt conseruare frigus, quia sese accommodant agenti prævalenti; & cum eo concurrunt: non possunt autem naturaliter, simul conseruarē contrarium in eodem subiecto.

126. Ad alia duo loca Tridentini Respondeo, mentem illius solùm esse definire contra hæreticos, quòd iustificatio non sit mera peccati remissio, aut non-imputatio, sed & renouatio per gratiam sanctificantem. Meritò autem distinguit hæc duo: quia remissio peccati non est ipsa gratia, sed est formalis eius effectus secundarius; sicut ius ad gloriam, & adoptio, & inhabitatio Spiritus sancti moraliter & specialiter vniti ad regendum. Quòd verò Tridentinum priori loco nominet peccati remissionem, nihil probat efficaciter. Nam similiter dicere poterat, iustificationem non esse solam adoptionem, sed & internam renouationem per susceptionem gratiæ: licet adoptio, & ius ad hæreditatem vitæ æternæ, sit posterius renouatione gratiæ, & ex ea sequatur, vt Tridentinum asserit initio eiusdem cap. 7. Falsum verò est quod additur in eodem argumento, Tridentinum nusquam asserere remissionem peccati fieri per gratiam. Nam hoc disertè asserit sess. 5. can. 5. vt nos suprà ostendimus num. 122.

127. Ad postremum argumentum, sumptum ex ratione, Respondeo potuisse quidem Deū aliter instituere conuenienter, propter congruentias in eo argumento allatas: veruntamen ille alius ordo non est necessarius; & habemus ex Trident. atque ex sensu communi Theologorum, Deum non sic instituisse. Non est, inquam, ille alius ordo necessarius; quia non est necesse Deum inchoare ab imperfectioribus, aut ab iis quæ sunt à fine remotiora. Potest enim priùs facere, si velit, id quod perfectius est, & fini propinquius: dummodo non pendeat essentialiter ab imperfectiori, aut remotiori. Sic Angelos priùs creauit, quàm homines: & secundum plurimorum opinionem voluit priùs homines quam Christum decretum dumtaxat post prævisionem peccati: re ipsaque plurimos ante Christum produxit: & tamen Christus perfectior est, magisque facit ad Dei gloriam, qui est finis omnium eius operum. Et hactenus de remissione peccatorum mortalium. Cætera enim quæ à nonnullis hoc loco adduntur de ordine inter contritionem & infusionem gratiæ ad quam disponit, vtrum ab illa producatur, necne: & an iustificet formaliter, fuerunt exposita in tract. de Gratia & Iustificatione.

DISPVTATIO QVADRAGESIMA SEXTA.

De remissione peccatorum venialium.

Sectio I. *An, & quomodo remittantur venialia per sacramentum Pœnitentiæ, & per alia sacramenta?*

Sectio II. *An sacramentalia vim habeant remittendi venialia ex opere operato?*

Sectio III. *De remissione venialium ex opere operantis, & vtrum post hanc vitam remittantur?*

Sectio IV. *Quando, & quomodo remittuntur iustis post hanc vitam peccata venialia?*

Sectio V. *An peccatum veniale remitti possit sine gratiæ infusione: vel sine aliquo beneficio gratiæ?*

Digitized by Google

DE remissione peccatorum venialium disputat S. Thom. q. 87. & art. 1. docet ad illam requiri pœnitentiam aliquam, minorem tamen, quàm ad remissionem mortalium. Secundò, vt peccatum veniale tollatur, non requiri quòd infundatur aliqua habitualis gratia, quippe cui non contrariatur peccatum veniale: sed sufficere aliquem motum gratiæ, vel charitatis ad eius remissionem. Quia tamen in habentibus vsum liberi arbitrii, in quibus solis possunt esse venialia peccata, non contingit esse infusionem gratiæ sine actuali motu liberi arbitrii in Deum, & in peccatũ: ideo quandocunque de nouo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur. Tertiò, peccatum veniale remitti per sacramentalia, inquantum exercentur, aut recipiuntur cum aliquo motu detestationis peccatorum, aut reuerentiæ in Deum. Quia ad remissionem peccati venialis non requiritur nouæ gratiæ infusio: sed sufficit aliquis actus procedens ex gratia, quo aliquis detestetur peccatum veniale; vel explicitè, vel saltem implicitè. Quartò peccatum veniale non posse remitti sine mortali ei coniuncto. Quia remissio culpæ cuiuscunque non fit nisi per virtutem gratiæ. Ille autem, qui est cum peccato mortali, caret gratia Dei: vnde nullum veniale ei remittitur. Huc vsque D. Thomas.

SECTIO I.

An, & quomodo remittantur venialia per Sacramentum pœnitentiæ, & per alia Sacramenta?

1. Sacramen. Pœnit. remittit venialia ex opere operato.

DIco primò Sacramentum pœnitentiæ habere vim remittendi peccata venialia ex opere operato, si per actus pœnitentis ipsi subiiciantur. Patet ex Trident. sess. 14. cap 5. & vsu piorum fidelium approbato ibidem à Concilio, & à D. Cypriano in sermone de Lapsis, vbi eos laudat qui per confessionem sacerdotalem, salutarem medelam paruis licet vulneribus exquirunt. Nec sanè vlla est ratio excipiendi peccata venialia ab illis Christi verbis, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, Ioan. 20. licet fuerit ratio ea non subiiciendi oneroſæ & odioſæ retentioni. Neque rationi consentaneum est existimare, posse quidem sacramentum pœnitentiæ delere peccata mortalia post baptismum commissa: sed non posse delere venialia, quæ sunt minoris momenti, & facilius remitti possunt. Ad hunc autem effectum non est necessaria dispositio per se sufficiens ex opere operantis. Nam sicut peccatum mortale remittitur per sacramentum pœnitentiæ sine tali dispositione, iuxta Trident. sess. 14. cap. 4. & can. 5. Sic & venialia, pari vel maiori ratione. Omnino tamen necessarium est, vt per actus pœnitentis attingantur aliquo modo. Nam alioqui actus pœnitentis non constituerent sacramentum circa ipsa, neque illa subiicerent absolutioni vt materiam remotam. Item necesse est vt actus, quibus attinguntur, habeant aliquam oppositionem cum illis: ita nimirùm vt contritio, vel attritio, sit dolor absolutus & efficax de illis in genere vel in specie consideratis, cum proposito saltem virtuali non peccandi de cætero. Ratio est, quia, vt docet S. Thom. q. 87. art. 1. in corp. & colligitur ex Trident. sess. 14. cap. 4. peccatum actuale (sumendo actuale prout contra-distinguitur ab originali) non remittitur sine aliquo actu peccatoris, qui sit odium absolutum & detestatio peccati commissi, quique peccati voluntatem excludat. Quod odium & detestatio debet in sacramento pœnitentiæ esse formale, & cum dolore: quia debet esse formalis contritio vel attritio, vt alibi ostendimus. Sufficit tamen etiam in sacramento propositum virtuale non peccandi de cætero. S. Thom.

2. Quomodo potest concipi propositum efficax vitandi omnia venialia.

Contra quod propositum obiicies cum D. Thom. art. cit. argum. 1. non posse hominem ducere vitam præsentem sine peccatis venialibus. Ergo non potest rectè concipere propositum efficax, & absolutum abstinendi à venialibus. Antecedens est certum, tum experientiâ, tum ex definitione Trident. sess. sexta can. decimo tertio, *Si quis*, inquit, *dixerit hominem semel iustificatum posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali priuilegio (quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia) anathema sit.* Vbi nota

priuilegium illud non fore speciale, si iustis omnibus commune esset. Imò nec facilè & temerè ad alios, præter B. Virginem, extendendum esse: quia non temerè restringendę sunt vniuersales istæ propositiones Scripturæ, *In multis offendimus omnes*, Iacobi tertio. *Non est homo qui non peccet*, tertij Regum octauo. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*, 1. Ioan. 1.

3. Responsio D. Thomæ.

Respondet S. Thomas art. cit. in solutione primi argumenti, posse hominem vitare singula peccata venialia, sed non omnia: & ad pœnitentiam peccatorum venialium requiri quòd homo proponat abstinere à singulis, non tamen ab omnibus: quia hoc infirmitas huius vitæ non patitur. Quæ responsio eget declaratione, vt tollat omnem difficultatem. Quia pœnitentem velle hic & nunc vitare in posterum singula venialia, id est, & hoc, & illud, & quoduis aliud; est non tantùm velle abstinere à singulis distributiuè, sed & ab omnibus collectiuè. Nam collectio nihil est aliud, quàm hoc, & illud, & quoduis aliud. Atqui pœnitens debet ita se habere; quia debet abstrahere suam voluntatem ab omnibus venialibus, & proponere formaliter, aut virtualiter, non ampliùs peccare venialiter. Est enim pœnitentia dolor de præterito, cum proposito non peccandi de cætero.

4. Vera solutio difficultatis.

Respondeo primò, propositum abstinendi in posterum à venialibus posse esse duplex. Vnum generale, abstinendi ab omnibus: quale est propositum nunquam ampliùs displicendi Deo. Alterum particulare, abstinendi ab aliqua specie peccatorum venialium, putà, à mendacio, vel à leuibus detractionibus, aut furtis exiguis. Hoc secundum propositum, potest haberi absolutum & efficax, saltem circa aliquas species peccatorum venialium, à quibus facilius est abstinere, & moraliter possibile, non tantùm à singulis distributiuè, sed & ab omnibus collectiuè. Et hoc propositum sufficit, vt talia peccata deleantur per sacramentum pœnitentiæ. Sicut enim sufficit confessio de quibusdam venialibus, & attritio de iisdem ex motiuo illis proprio & speciali: ita & propositum speciale de illis cauendis in futurum. Quod propositum efficax & absolutum circa talia peccata potest rectè concipi: quia est de obiecto moraliter possibili. Imò actualis complacentia poenitentis in aliquo veniali, non impedit quin alia, de quibus dolet sufficienter, remittantur vi sacramenti. Putà, quando aliquis cum motu vanæ gloriæ, aut retento scienter affectu ad aliquid leuiter malum; confitetur & dolet de aliis venialibus.

5. Differentia propositi circa mortalia, & venialia.

In quo est differentia inter peccata venialia, & mortalia. Nam attritio de mortalibus debet esse necessariò de omnibus quorum peccator reus est: & propositum non peccandi de cætero debet ad illa omnia extendi, & abstrahere voluntatem efficaciter ab omnibus illis peccatis. Nam vnum mortale non potest remitti sine alio: & non remittitur vllum mortale sine actu voluntatis ipsi repugnante incompatibiliter, vt suprà dictum est. At verò propositum generale de vitandis omnibus venialibus dupliciter spectari potest. Nimirum vel respectu singulorum seorsim: & sic potest esse de illis absolutum & efficax: quia est de obiecto moraliter possibili: cùm singula seorsim sumpta possint moraliter vitari, licet non contingat, neque contingere possit moraliter, vt vitentur collectiuè longo tempore. Vel respectu totius collectionis, siue omnium simul sumptorum, & omnino vitandorum: & hoc propositum dicunt aliqui non debere esse, neque communiter de lege ordinaria esse posse conuenienter, & secundùm rectam rationem absolutum & efficax: quia non est de obiecto moraliter possibili: cùm sine specialissimo priuilegio non possint omnia vitari. Sufficere autem quòd sit conditionatum & efficax secundum quid, nempe vitandi collectionem illam quantum moraliter fieri poterit, & nihil omittendi quod moraliter possibile sit ad nunquam vel leuiter Deo displicendum. Ac denique sufficere, velle vitare totam collectionem, si possibile, sit ex vero & sincero affectu virtutis poenitentiæ, vel charitatis, cui omnia venialia displicent.

6.

Sed contra hoc responsum insto, quia talis affectus non excludit voluntatem peccandi venialiter, circa collectionem venialium, sed potest esse simul cum affectu actuali peccandi venialiter. Ergo non sufficit ad delenda omnia venialia, & ad omnia subiicienda Sacramento Pœnitentiæ. Consequentia probatur, quia contritio, vel attritio, sufficiens per se, vel cum sacramento, ad delenda peccata seu mortalia, seu venialia, debet esse talis, vt peccandi voluntatem excludat, vt docet Trident. sessione decima quarta, capite quarto: neque est credibile Deum remittere peccatum sine efficaci eius retractatione incompatibili cũ eius affectu. Antecedens verò probatur, quia qui vult tantùm vitare venialia quantum potest moraliter: potest simul habere voluntatẽ nõ vitandi quãdo non poterit moraliter. Neque enim isti affectus sunt incompatibiles: Nolo peccare venialiter quotiescunq; potero moraliter vitare peccata venialia: &, Volo peccare venialiter quotiescunque non potero moraliter ea vitare.

7. Maior explicatio resolutionis quæst.

Aliter ergo respondendum est: licet sit impossibile moraliter, & nunquã contingẽs sine specialissima gratia paucissimis concessa, vitare omnia venialia collectiuè, id est, nunquã peccare venialiter: posse tamen nos habere detestationem omniũ absolutam, & efficacẽ quantũ est de se, atq; incõpatibilẽ: cum omni affectu peccandi venialiter, quãdiu durat. Ac

similiter habere pro nũc voluntatẽ de se efficacẽ nunquã peccandi venialiter: quãuis pro nostra fragilitate simus postea mutaturi illud propositum, & venialiter peccaturi: quæ fragilitas nobis absolutè displicet. Quemadmodũ illi quibus moraliter certũ est propter frequentẽ consuetudinẽ, & experientiã, fore vt peccent mortaliter, quibusue ob fragilitatem, & habitum peccandi inueteratũ, valdeq; intensũ, est moraliter impossibile vitare omnia peccata mortalia collectiuè: possũt nihilominùs de illis confiteri sacramentaliter, & habere pro tunc propositum absolutum, & efficax de se, nunquam peccandi mortaliter, excludens per se voluntatem peccandi, quale propositum requiritur sine dubio ad confessionem de mortalibus.

8. Dicò secundò minorẽ attritionẽ sufficere ad delẽda peccata venialia in sacramẽto pœnit. quàm cùm delentur extra sacramentũ ex opere operantis. Probatur, quia quando venialia sunt coniuncta mortalibus, sufficit attritio de illis vt deleantur in sacramẽto, vt supra diximus, & probatur à fortiori, quia sufficit talis attritio de mortalibus. At extra sacramẽtum venialia coniuncta mortalibus non possunt de lege ordinaria deleri sine contritione perfecta, vel actu supernaturali amoris Dei super omnia. Quia non possunt tolli sine mortalibus: adeóq; nec sine dispositione sufficienti ad remittenda mortalia, quæ non est alia extra sacramenta, quàm contritio charitate perfecta, vel amor Dei super omnia contritioni æquivalẽs, vt diximus disp. 40. sect. 2.

Minor dolor sufficit in sacramẽto quàm extra ad delẽda venialia.

Deinde loquẽdo etiam de solis venialibus, id est, non iunctis cum mortali, qualia sunt in iustis: probabile est sufficere minorem attritionem in sacramẽto, quàm extra. Nam in sacramẽto sufficit quælibet attritio, quantũuis remissa, ad delẽda venialia, quorũ est absoluta & efficax detestatio: ita vt si fit omniũ detestatio, deleantur omnia vi sacramenti. Id enim efficaciæ & veritati verborũ formæ tribuẽdum est, *Ego te absoluo à peccatis tuis*: ab iis scilicet omnibus, de quibus es sufficienter cõfessus & attritus. Ac si sacramentũ habet vim delendi ex opere operato omnia mortalia cũ sufficienti attritione, quod certissimũ est: sine ratione negaretur illi par virtus circa venialia cum simili dispositione. At verò extra sacramentum, quæuis attritio, quamuis vniuersalis & omnibus opposita, non sufficit ad delenda omnia venialia. Alioquin vel attritio iustorum non haberet vim sufficientẽ ad remittenda vlla venialia extra sacramentũ, sed illis opus esset cõtritione perfecta, vel amore Dei super omnia, quod ostendemus infrà non esse adeò probabile: vel peccata venialia iustorũ nunquã possent remitti primò per sacramentum pœnitẽtiæ, sed quoties ab illis ei subiiciuntur, supponerentur esse remissa ante absolutionẽ, vi attritionis præcedentis: quod est contra communẽ sensum fideliũ, qui cùm de solis venialibus confitentur, putant se primam remissionẽ illorũ obtinere frequenter per sacerdotis absolutionem.

9. Ratio verò assertionis est, quia in remissione venialium ex opere operantis, Deus habet rationem quamdam æqualitatis iustitiæ, seruando proportionem inter dignitatẽ operis, & quantitatẽ effectus illi respondentis. Quemadmodum etiam facit in meritis de condigno, & in abolitione reatus pœnæ temporalis, tam in sacramẽto, quàm extra. Quare cũ effectus remissionis venialium habeat latitudinẽ, & sit partibilis, æquè ac liberatio à pœna temporali, vel gratia & gloria respondens meritis: & proportiò cuiusdã æqualitatis inter illum effectum & attritionem seruari debeat: si attritio hominis iusti non est tantæ æstimationis, vt sit proportionata remissioni mille venialium, exempli gratia, sed centum dumtaxat: remittentur centum, & ille actus erit decies exercendus vt illius vi remittantur mille venialia ex opere operantis. Consentit Aegidius Coninc disput. 2. de Pœnit. num. 124. & 125.

Ratio assertionis.

Obiicies 1. Quæuis contritio peccatoris sufficit pro omnibus mortalibus ex opere operantis. Ergo quæuis attritio vniuersalis hominis iusti debet sufficere pro omnibus venialibus. Respondeo negando paritatem. Nam mortalia quoad culpam, & quoad pœnam æternam illis debitam, remittuntur à Deo ex pura misericordia erga peccatorem, non seruata æqualitate iustitiæ inter huiusmodi effectum & actus pœnitentis, quæ impossibilis est: cùm peccator nihil facere possit condignũ & æquale. At verò culpa venialis remittitur seruata quadam iustitiæ æqualitate & proportione inter attritionem & remissionem, vt suprà dictum est.

10. Quælibet attritio hominis iusti de omnibus venialibus, non omnia tollit.

Instabis, quia implicat seruari æqualitatem iustitiæ inter attritionem, & remissionem. Si enim seruatur talis æqualitas, nõ fit remissio, sed mera solutio. Nihil enim remittitur, quãdo exigitur ad æqualitatẽ quicquid debetur. Resp. non seruari perfectam æqualitatẽ: sed, vt dixi, aliquã, id est, imperfectã, & proportionẽ quamdã non obstante remissioni: quatenus Deus non exigit quidquid posset exigere ad perfectam æqualitatẽ. Deinde quãuis exigeret perfectam æqualitatẽ: esset adhuc, aliqua remissio iuris diuini, quatenus posset Deus, si vellet, exigere eosdem actus, quibus iustus satisfacit, aut obtinet remissionem venialium, titulo reuerentiæ, obedientiæ, seruitutis, & aliis titulis solis & sufficientibus: & nihilominus retinere offensam, & exigere pœnas ab offensore.

Quõmodo seruetur proportio in remissione venialiũ.

11. Vrgebis, quia attritio hominis iusti est meritoria de condigno vitæ æternæ; meretur enim augmentũ gratiæ & gloriæ. Ergo est illi proportionata: ergo multò magis remissioni omnium venialiũ, quæ minùs est quàm gratia, & gloria æterna. Respõdet vnusè recentioribus disp. 5. de Incarn. sect. 1. n. 17. differẽtiã esse quia in ordine ad merendum præmium, actus bonus consideratur secundũ totam suam vim & quasi operans sine aliquo contrario: atque ideo exerit totas suas vires ad mouendam liberalitatem præmiantis. At verò in ordine ad satisfaciendũ, siue ad placandum, consideratur vt operãs in præsentia robustissimi cõtra-

Digitized by Google

rii, nempe culpę præteritæ, quæ magnã habet vim ad inferendam indignationem vel supplicium: quare non est mirum si in præsentia huius contrarii temperetur actiuitas boni operis in ordine ad satisfaciendũ. Quia nimirum vilesceret offensa apud homines, si Deus facilè placaretur. Quod inconueniens non sequitur ex remuneratione.

12. Hæc solutio non mihi videtur satisfacere: quia iustus, qui est reus culpæ venialis, & meretur in illo statu; æquè operatur in præsentia contrarii, atque cùm satisfacit. Si enim culpa præterita magnam habet vim ad inferendã indignationẽ vel supplicium, & idcirco contrariatur, temperatque actiuitatem operis satisfactorii, vt ait auctor citatus; debet pariter temperare actiuitatem operis meritorii augmenti gratiæ & gloriæ, cum qua indignatio & supplicium non bene conueniunt; neque minus impediunt quantum est de se ad merẽdam maiorem gratiã & gloriã, id est, maiorẽ Dei amicitiã & fruitionem per amorẽ, quàm ad Deum placandum. Deinde, sicut per accidens, ex hominum improbitate, vilescit offẽsa venialis, ex eo quòd Deus facilè placetur: ita & ex eo quòd non obstãte offensa veniali, facile est mereri augmentũ gratiæ & gloriæ nẽpe non maiori opere, quàm quo Deus placaretur. Tertiò, æqualitas inter culpam & satisfactionem non est sumenda ex illo inconuenienti, sed ex quantitate culpæ & satisfactionis, vt ostendimus disput. 2. de Incarnat. sect. 4. Quare aduersarius non probat deesse proportionem æqualitatis inter attritionem, & omnia peccata venialia, de qua quæst. est.

13. Attritio iusti non est meritoria de condigno.

Aliter ergo respondeo, negando antecedẽs intellectum, vt debet, de attritione sola. Nam vt diximus in tract. de Gratia disput. vlt. nullus actus est meritorius apud Deum gratiæ & gloriæ, qui nõ sit actus charitatis elicitus aut imperatus. Quare attritio hominis iusti sola, & sine influxu charitatis imperantis ac cooperantis, non est meritoria augmenti gratiæ & gloriæ. Posito autem concursu actus charitatis, fateor eam valere, ad extinguẽda omnia illa venialia, quibus opponitur efficaciter & absolutè: Sicut contritio sola sufficit delendis omnibus venialibus, si eis absolutè & efficaciter opponitur: vt cùm aliquis ex motiuo amoris Dei super omnia, dolet & detestatur absolutè quòd Deo vel leuiter displicuerit quacumque de causa: talis enim actus tam excellens, est satis proportionatus.

Obiicies 2. Attritio hominis iusti tendens vniuersaliter in omnia venialia ex aliquo motiuo generali, non magis vni opponitur, quàm alteri: quippe quę omnia detestatur absolutè & efficaciter ex eodem motiuo. Ergo vel omnia delet vel nullum: quia nulla est ratio cur vnum potiùs, quàm alia.

14. Attritio vniuersalis de venialibus tollit vnum potius quàm aliud.

Respondeo, attritionem illam non delere venialia naturali & physica oppositione, quæ vt bene probat obiectio, æqualis est circa omnia venialia: sed moraliter tãtùm mouere Deum ad remissionem, qui cùm habeat rationem iustitiæ, & cuiusdam æqualitatis in tali remissione partibili; tantum remittit, quantum est proportionatum dignitati & valori morali attritionis. Nec obest quòd attritio æqualiter se habeat ad omnia venialia, neq; postulet remissionẽ huius venialis potiùs, quàm alterius. Deus enim, cuius est dare beneficiũ remissionis intuitu attritionis, eligit quæ remittat secundum proportionem attritionis. Sicut in remissione pœnę temporalis residuæ ex venialibus aut mortalibus remissis, eligit quam partẽ pœnæ relaxet intuitu contritionis, vel attritionis. Quamuis illi actus æqualiter se habeant ad hanc & illam partem pœnæ: & pœna secundum hanc & illam partem æqualiter totum peccatũ respiciat: quia propter illud totũ debetur. Sic etiam eligit quẽ gradum gratiæ vel gloriæ conferat propter meritum, quod de se æqualiter & perinde se habet ad hunc aut illum gradum, maximè in eorum sententia, qui gradus intensionis qualitatum distinguunt purè numericè.

15. Venialia non sunt materiane cessaria sacramenti Pœnit.

Dico tertiò, peccata venialia non esse necessariò subiicienda sacramẽto pœnitentiæ, sed multis aliis remediis expiari posse. Patet ex Trident. sess. 14. cap. 5. vbi id expresse iisdẽque terminis definit. Et confirmabitur ex dicendis deinceps de aliis sacramentis, deque sacramentalibus, & actibus variis, quibus remitti possunt secundũ legem ordinariam, de qua nũc loquimur. De potentia verò absoluta, verissima sunt de remissione venialiũ, quæcũque diximus de mortalibus disput. superiori: posse nimirũ remitti, absolutè loquendo, per meram Dei condonationem, sine vllo sacramento, & sine vllo actu, vel habitu, aut mutatione physica peccatoris. Posse item remitti reatum culpæ, totã pœnã remanente: & vice versa remitti pœnam totam retẽtã culpã. Nã de peccatis venialibus par aut maior est ratio.

16. Cætera sacramenta habent vim remittendi peccata venialia.

Dico quartò, cætera sacramẽta habere quoque vim remittẽdi venialia ex opere operato. Probatur, quia de baptismo Trident. sess. 5. can. 5. tollere ait in eo, quẽ regenerat, quidquid veram habet & propriam peccati rationem. Atqui venialia habent verã & propriam peccati rationẽ. De Eucharist. idẽ Concilium sess. 13. cap. 2. affirmat esse antidotũ, quo liberemur à culpis quotidian. id est, à venialibus; & à mortalibus præseruemur. De Extrema vnctione idẽ Concil. sess. 14. can. 2. ex quatuor vltimis ante decretũ de reformatione, ait peccata remittere: idque ipsius formę significat, *Dimittat tibi Deus quidquid peccasti per visum &c.* quæ verba præcipuè de peccatis venialibus intelligẽda esse dicemus suo loco. Et generatim de sacramentis omnibus probabilius est quod docet S. Thom. quæst. 87. art. 3. remittere peccata venialia ex opere operato, eaque maximè quæ speciali cuiusque fini magis opponuntur: vt matrimonium, ea quæ repugnant specialiter castitati & statui coniugali: Ordinem, quæ religioni & statui clericali: Confirmationẽ, quæ fidei: Eucharistiam, quæ charitati & vnioni cum Deo & cum proximo. Idemque docent Dominicus Sotus, & aliiquos sequuntur & citant Suarez disp. 12. sect. 1. & Vasquez ad quæst. 87. art. 3. dub. 2. & 3.

S. Thom.

Suarez. Vasquez.

Digitized by Google

17. Non tamen sine aliquo pio motu contra illa.

Quod autem asserit D. Thom. in corpore eiusdem art. sacramenta tollere venialia, in quantum in eis infunditur gratia, quia per gratiæ infusionem tolluntur venialia: non est intelligendum de infusione gratiæ pura, sine aliquo pio motu recipientis sacramentum opposito peccatis venialibus, & sine aliqua pœnitentia formali vel virtuali: iuxta ipsius doctrinam art. 1. eiusdem quæst. vbi generatim ad venialium remissionem requirit saltè virtualem quamdam displicentiam. Putà, inquit, cùm aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum, & res diuinas; vt quidquid sibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, & doleret se commisisse, etiamsi de illo non cogitet actu. In eumdemque sensum intellige solutionem secundi argumenti de martyrio. Quod autem ait art. 2 in c. in habentibus vsum liberi arbitrii, in quibus solis possunt esse venialia peccata, non contingere infusionem gratiæ sine actuali motu liberi arbitrii in Deum & in peccatum: ideóque quandocumque de nouo gratia infunditur, remitti venialia: intelligendum est moraliter & communiter: quòd scilicet moraliter & communiter adulti, qui siue per sacramenta, siue aliter infusionem gratiæ obtinent, non solent limitare ad sola peccata mortalia dispositionem, quam ad gratiam afferunt: sed virtualiter, aut formaliter ad venialia quoque illam extendant: licet interdum aliter faciant: imò interdum in sacramentorum receptione venialibus actu inhæreat.

Sola infusio gratiæ non repugnat venialibus.

Sola verò infusio gratiæ non tollit venialia, neq; illis repugnat incompatibiliter. Nã peccatũ veniale non cõtrariatur gratiæ habituali, vel charitati, ita vt illã tollat vel minuat: nihil enim gratiæ habitualis perditur per peccata venialia quantumcunque multiplicata: licet eius feruor actualis & operatio retardetur. Gratiã quoque habituali totã perseuerãte, possunt iusti reincidere in peccata venialia similia vel paria illis, quæ in eius infusione fuerũt ipsis remissa. Quod non fieret, si repugnaret illis incompatibiliter ex natura rei, vel ex Dei ordinatione. Aut enim gratia excluderet talia peccata, aut peccata excluderent gratiam: simili modo quo se excludunt inuicem gratia & peccatum mortale.

18. Satisfit obiectioni.

Obiicies: si ad delenda venialia per sacramenta requiritur actus pœnitentiæ formalis, aut virtualis, qui sit illis oppositus: ergo si adultus baptizetur, vt fieri potest, sine attritione formali; aut virtuali de venialibus, non remittuntur ei peccata venialia virtute baptismi neque quoad culpã, neque quoad pœnam: poteritque prudenter dubitari de pluribus ad venialia valde propensis, num sint illis remissa: & conueniens satisfactio poterit pro illis imponi, quod in Ecclesia inauditum est. Item par erit ratio vt martyrium quoque nõ remittat venialia, si martyr careat tali attritione de venialibus omnibus. Adeóque poterit prudenter orari pro aliquibus martyribus, vt Deus illis remittat pœnas peccatorũ venialium, cum quibus decesserunt. Quod est contra sensum & praxim Ecclesiæ, & contra illud S. Augustini, *Iniuriam facit martyri qui orat pro martyre.*

Respondeo, eam vim esse baptismi (qui est integra & perfecta regeneratio, atque abolitio peccatorum, quantum est de se) similiterque martyrii, quod baptismo æquiualet; vt remittat omnia peccata tam mortalia, quàm venialia, ante ipsum commissa, quoad reatum culpæ, & totius pœnæ, nisi sit obex: & si cum obice susceptus fuit, sortiatur illum effectum remoto obice. Quare si quis baptismum suscepit, aut martyrium passus est, cum obice negatiuo circa venialia, defectu attritionis de illis: cùm primum postea ponetur attritio, tollentur omnia venialia quoad culpam, & quoad pœnam integram. Itaq; non est imponẽda satisfactio baptizatis cum tali obice: sed tantùm illi hortandi sunt, vt quamprimùm atterantur. Non est quoque orandum pro Martyre post eius mortem, vt à pœnis liberetur: quia eodem instanti quo primùm anima est separata à corpore, liberatur ab omni pœna vi attritionis, aut contritionis de venialibus, quæ ante mortẽ non expiauit. Tunc enim nouit suum statum, & Deo frui cupit vehementissimè. Et hæc contritio, vel attritio, præcedente martyrio, est dispositio sufficiens, vt tota pœna illis debita remittatur vi martyrii, velut obice iam remoto per attritionem.

19. Si verò quis baptismum reciperet, non modò cum obice illo negatiuo defectu attritionis circa venialia; sed etiam, quod peius est, cum obice positiuo, id est, cum affectu complacentiæ circa illa, aut committendo aliud peccatum veniale, eo instanti quo baptismus perficitur essentialiter, & debet operari: non pertineret hoc peccatum ad baptismum, iuxta ea quæ diximus de mortali tunc commisso disput. 25. sect. 2. Sed per sacramentum Poenitentiæ, aut per aliud medium expiandum esset: & pro illo imponi potest satisfactio, ac debet, si subiiciatur sacramento poenitentiæ, vt fit pro aliis post baptismum commissis. De martyre verò non est præsumendum, ipsum cum aliquo affectu malo consummare martyrium, quod in ipsa tantùm morte consummatur. Maximè, cùm iuxta sententiam veram, & D. Thomæ, martyr non fit, nisi ex affectu charitatis erga Deum moriatur. Qui affectus non potest esse non eximius in eo, qui res omnes temporales, & vitam ipsam ipsius causâ sponte abiicit. *Maiorem enim dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ioan. 15. versu 13.

SECTIO II.

Vtrum Sacramentalia vim habeant remittendi venialia ex opere operato.

20. Quænam dicantur sacramentalia.

RESpondeo negatiuè. Quod vt explicem, Nota primò, Sacramentalium nomine intelligi hoc loco, non sacramenta ipsa, neque eorum partes, vel vsus, aut cerimonias institutas ab Ecclesia ad ornatum, & ritum solemnem sacramentorum;

rii, nempe culpę præteritæ, quæ magnã habet vim ad inferendam indignationem vel supplicium: quare non est mirum si in præsentia huius contrarii temperetur actiuitas boni operis in ordine ad satisfaciendũ. Quia nimirum vilesceret offensa apud homines, si Deus facilè placaretur. Quod inconueniens non sequitur ex remuneratione.

12. Hæc solutio non mihi videtur satisfacere: quia iustus, qui est reus culpæ venialis, & meretur in illo statu; æquè operatur in præsentia contrarii, atque cùm satisfacit. Si enim culpa præterita magnam habet vim ad inferendã indignationẽ vel supplicium, & idcirco contrariatur, temperatque actiuitatem operis satisfactorii, vt ait auctor citatus; debet pariter temperare actiuitatem operis meritorii augmenti gratiæ & gloriæ, cum qua indignatio & supplicium non bene conueniunt; neque minus impediunt quantum est de se ad merẽdam maiorem gratiã & gloriã, id est, maiorẽ Dei amicitiã & fruitionem per amorẽ, quàm ad Deum placandum. Deinde, sicut per accidens, ex hominum improbitate, vilescit offẽsa venialis, ex eo quòd Deus facilè placetur: ita & ex eo quòd non obstãte offensa veniali, facile est mereri augmentũ gratiæ & gloriæ: nẽpe non maiori opere, quàm quo Deus placaretur. Tertiò, æqualitas inter culpam & satisfactionem non est sumenda ex illo inconuenienti, sed ex quantitate culpæ & satisfactionis, vt ostendimus disput. 2. de Incarnat. sect. 4. Quare aduersarius non probat deesse proportionem æqualitatis inter actritionem, & omnia peccata venialia, de qua quæst. est.

13. Attritio iusti non est meritoria de condigno.

Aliter ergo respondeo, negando antecedẽs intellectum, vt debet, de attritione sola. Nam vt diximus in tract. de Gratia disput. vlt. nullus actus est meritorius apud Deum gratiæ & gloriæ, qui nõ sit actus charitatis elicitus aut imperatus. Quare attritio hominis iusti sola, & sine influxu charitatis imperantis ac cooperantis, non est meritoria augmenti gratiæ & gloriæ. Posito autem consortio actus charitatis, fateor eam valere, ad extinguẽda omnia illa venialia, quibus opponitur efficaciter & absolutè: Sicut contritio sola sufficit delendis omnibus venialibus, si eis absolutè & efficaciter opponitur: vt cùm aliquis ex motiuo amoris Dei super omnia, dolet & detestatur absolutè quòd Deo vel leuiter displicuerit quacumque de causa: talis enim actus tam excellens, est satis proportionatus.

Obiicies 2. Attritio hominis iusti tendens vniuersaliter in omnia venialia ex aliquo motiuo generali, non magis vni opponitur, quàm alteri: quippe quę omnia detestatur absolutè & efficaciter ex eodem motiuo. Ergo vel omnia delet vel nullum: quia nulla est ratio cur vnum potiùs, quàm alia.

14. Attritio vniuersalis de venialibus tollit vnum potius quàm aliud tollit.

Respondeo, attritionem illam non delere venialia naturali & physica oppositione, quæ vt bene probat obiectio, æqualis est circa omnia venialia: sed moraliter tãtùm mouere Deum ad remissionem, qui cùm habeat rationem iustitiæ, & cuiusdam æqualitatis in tali remissione partibili; tantum remittit, quantum est proportionatum dignitati & valori morali attritionis. Nec obest quòd attritio æqualiter se habeat ad omnia venialia, neq; postulat remissionẽ huius venialis potiùs, quàm alterius. Deus enim, cuius est dare beneficij remissionis intuitu attritionis, eligit quæ remittat secundum proportionem attritionis. Sicut in remissione pœnę temporalis residuæ ex venialibus aut mortalibus remissis, eligit quam partẽ pœnæ relaxet intuitu contritionis, vel attritionis. Quamuis illi actus æqualiter se habeant ad hanc & illam partem pœnæ: & pœna secundum hanc & illam partem æqualiter totum peccatũ respiciat: quia propter illud totũ debetur. Sic etiam eligit quẽ gradum gratiæ vel gloriæ conferat propter meritum, quod de se æqualiter & perinde se habet ad hunc aut illum gradum, maximè in eorum sententia, qui gradus intensionis qualitatum distinguunt purè numericè.

15. Venialia non sunt materiæ necessaria sacramenti Pœnit.

Dico tertiò, peccata venialia non esse necessariò subiicienda sacramẽto pœnitentiæ, sed multis aliis remediis expiari posse. Patet ex Trident. sess. 14. cap. 5. vbi id expressè iisdẽque terminis definit. Et confirmabitur ex dicendis deinceps de aliis sacramentis, deque sacramentalibus, & actibus variis, quibus remitti possunt secundũ legem ordinariam, de qua nũc loquimur. De potẽtia verò absoluta, verissima sunt de remissione venialiũ, quæcũque diximus de mortalibus disput. superiori: posse nimirũ remitti, absolutè loquendo, per meram Dei condonationem, sine vllo sacramento, & sine vllo actu, vel habitu, aut mutatione physica peccatoris. Posse item remitti reatum culpæ, totã pœnã remanente: & vice versa remitti pœnam totam retẽtã culpã. Nã de peccatis venialibus par aut maior est ratio.

16. Cætera sacramenta habent vim remittendi peccata venialia.

Dico quartò, cætera sacramẽta habere quoque vim remittẽdi venialia ex opere operato. Probatur, quia de baptismo Trident. sess. 5. can. 5. tollere ait in eo, quẽ regenerat, quidquid veram habet & propriam peccati rationem. Atqui venialia habent verã & propriam peccati rationẽ. De Eucharist. idẽ Concilium sess. 13. cap. 2. affirmat esse antidotũ, quo liberemur à culpis quotidian. id est, à venialibus; & à mortalibus præseruemur. De Extrema vnctione idẽ Concil. sess. 14. can. 2. ex quatuor vltimis ante decretũ de reformatione, ait peccata remittere: idque ipsius forma significat, *Dimittat tibi Deus quidquid peccasti per visum &c.* quæ verba præcipuè de peccatis venialibus intelligẽda esse dicemus suo loco. Et generatim de sacramentis omnibus probabilius est quod docet S. Thom. quæst. 87. art. 3. remittere peccata venialia ex opere operato, eaque maximè quæ speciali cuiusque fini magis opponuntur: vt matrimonium, ea quæ repugnant specialiter castitati & statui coniugali: Ordinem, quæ religioni & statui clericali: Confirmationẽ, quæ fidei: Eucharistiam, quæ charitati & vnioni cum Deo & cum proximo. Idemque docent Dominicus Sotus, & aliiquos sequuntur & citant Suarez disp. 12. sect. 1. & Vasquez ad quæst. 87. art. 3. dub. 2. & 3.

S. Thom.

Suarez. Vasquez.

Digitized by Google

17. Quod autem asserit D. Thom. in corpore eiusdem art. sacramenta tollere venialia, in quantum in eis infunditur gratia, quia per gratiæ infusionem tolluntur venialia: non est intelligendum de infusione gratiæ pura, sine aliquo pio motu recipientis sacramentum opposito peccatis venialibus, & sine aliqua pœnitentia formali vel virtuali: iuxta ipsius doctrinam art. 1. eiusdem quæst. vbi generatim ad venialium remissionem requirit saltè virtualem quamdam displicentiam. Putà, inquit, cùm aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum, & res diuinas; vt quidquid ei occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, & doleret se commisisse, etiamsi de illo non cogitet actu. In eumdemque sensum intellige solutionem secundi argumenti de martyrio. Quod autem ait art. 2 in c. in habentibus vsum liberi arbitrii, in quibus solis possunt esse venialia peccata, non contingere infusionem gratiæ sine actuali motu liberi arbitrii in Deum & in peccatum: ideóque quandocunque de nouo gratia infunditur, remitti venialia: intelligendum est moraliter & communiter: quòd scilicet moraliter & communiter adulti, qui siue per sacramenta, siue aliter infusionem gratiæ obtinent, non soleant limitare ad sola peccata mortalia dispositionem, quam ad gratiam afferunt: sed virtualiter, aut formaliter ad venialia quoque illam extendant: licet interdum aliter faciant: imò interdum in sacramentorum receptione venialibus actu inhæreat.

Non tamen sine aliquo pio motu contra illa.

Sola infusio gratiæ non repugnat venialibus.

Sola verò infusio gratiæ non tollit venialia, neq; illis repugnat incompatibiliter. Nã peccatũ veniale nõ cõtrariatur gratiæ habituali, vel charitati, ita vt illã tollat vel minuat: nihil enim gratiæ habitualis perditur per peccata venialia quantumcunque multiplicata: licet eius feruor actualis & operatio retardetur. Gratiã quoque habituali totã perseuerãte, possunt iusti reincidere in peccata venialia similia vel paria illis, quæ in eius infusione fuerũt ipsis remissa. Quod non fieret, si repugnaret illis incompatibiliter ex natura rei, vel ex Dei ordinatione. Aut enim gratia excluderet talia peccata, aut peccata excluderent gratiam: simili modo quo se excludunt inuicem gratia & peccatum mortale.

18. Obicies: si ad delenda venialia per sacramenta requiritur actus pœnitentiæ formalis, aut virtualis, qui sit illis oppositus: ergo si adultus baptizetur, vt fieri potest, sine attritione formali; aut virtuali de venialibus, non remittuntur ei peccata venialia virtute baptismi neque quoad culpã, neque quoad pœnam: poteritque prudenter dubitari de plurimis ad venialia valde propensis, num sint illis remissa; & conueniens satisfactio poterit pro illis imponi, quod in Ecclesia inauditum est. Item parcrit ratio vt martyrium quoque nõ remittat venialia, si martyr careat tali attritione de venialibus omnibus. Adcóque poterit prudenter orari pro aliquibus martyribus, vt Deus illis remittat pœnas peccatorũ venialium, cum quibus decesserunt. Quod est contra sensum & praxim Ecclesiæ, & contra illud S. Augustini, *Iniuriam facit martyri qui orat pro martyre.*

Si sit obiectio.

Respondeo, eam vim esse baptismi (qui est integra & perfecta regeneratio, atque abolitio peccatorum, quantum est de se) similiterque martyrii, quod baptismo æquiualet; vt remittat omnia peccata tam mortalia, quàm venialia, ante ipsum commissa, quoad reatum culpæ, & totius pœnæ, nisi sit obex: & si cum obice susceptus fuit, sortiatur illum effectum remoto obice. Quare si quis baptismum suscepit, aut martyrium passus est, cum obice negatiuo circa venialia, defectu attritionis de illis: cùm primum postea ponetur attritio, tollentur omnia venialia quoad culpam, & quoad pœnam integram. Itaq; non est imponẽda satisfactio baptizatis cum tali obice: sed tantùm illi hortandi sunt, vt quamprimùm atterantur. Non est quoque orandum pro Martyre post eius mortem, vt à pœnis liberetur: quia eodem instanti quo primùm anima est separata à corpore, liberatur ab omni pœna vi attritionis, aut contritionis de venialibus, quæ ante mortẽ non expiauit. Tunc enim nouit suum statum, & Deo frui cupit vehementissimè. Et hæc contritio, vel attritio, præcedente martyrio, est dispositio sufficiens, vt tota pœna illis debita remittatur vi martyrii, velut obice iam remoto per attritionem.

19. Si verò quis baptismum reciperet, non modò cum obice illo negatiuo defectu attritionis circa venialia; sed etiam, quod peius est, cum obice positiuo, id est, cum affectu complacentiæ circa illa, aut committendo aliud peccatum veniale, eo instanti quo baptismus perficitur essentialiter, & debet operari: non pertineret hoc peccatum ad baptismum, iuxta ea quæ diximus de mortali tunc commisso disput. 25. sect. 2. Sed per sacramentum Poenitentiæ, aut per aliud medium expiandum esset: & pro illo imponi potest satisfactio, ac debet, si subiiciatur sacramento poenitentiæ, vt fit pro aliis post baptismum commissis. De martyre verò non est præsumendum, ipsum cum aliquo affectu malo consummare martyrium, quod in ipsa tantùm morte consummatur. Maximè, cùm iuxta sententiam veram, & D. Thomæ, martyr non fit, nisi ex affectu charitatis erga Deum moriatur. Qui affectus non potest esse non eximius in eo, qui res omnes temporales, & vitam ipsam ipsius causâ sponte abiicit. *Maiorem enim dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ioan. 15. versu 13.

SECTIO II.

Vtrum Sacramentalia vim habeant remittendi venialia ex opere operato.

20. Respondeo negatiuè. Quod vt explicem, Nota primò, Sacramentalium nomine intelligi hoc loco, non sacramenta ipsa, neque eorum partes, vel vsus, aut cerimonias institutas ab Ecclesia ad ornatum, & ritum solemnem sacramentorum;

Quænam dicantur sacramentalia.

sed res aliquas, vel actiones sacras, quibus effectus remittendi venialia vulgò tribui solet. Comprehenduntur autem hoc versu.
Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedictus.

Orans, id est, oratio dominica, vel oratio in loco sacro Tinctus, id est, aqua benedicta. Edens, id est, panis benedictus. Addit Paludanus cõmunionem Eucharisticã, sed malè: est enim vsus Sacramenti Eucharistiæ. Confessus, id est, confessio generalis expressa his verbis, *Confiteor Deo omnipotenti, &c.* quò refertur tũsio pectoris. Dans, id est, Elemosyna. Benedictus, id est, Episcopi vel Abbatis cõsecrati benedictio. Quò refertur vnctio sacra extra Confirmationem, Ordinem sacrum, & Extremam vnctionẽ, quæ non sunt sacramẽtalia, vt diximus.

21. Nota 2. ex dictis dis. 18. sect. 3. vt sacramẽtalia dicantur habere vim remittendi venialia ex opere operato, necessarium esse vt eo ipso quò adhibentur, conferant vi sua infallibiliter talem effectũ quibuscunque non ponentibus obicem. Quam vim cùm sacramentalia non habeant ex natura sua, vt manifestũ est, deberent illã habere ex institutione Dei, cuius solius est per se primò de iure suo disponere, & retinere vel remittere offensas sibi factas. Remittere, inquam, vel per se solũ, vel per media quæ ad hunc finẽ instituerit. Quare vt sacramẽtalia dicantur prudenter habere vim remittendi venialia, debet proferri institutio diuina: quæ cùm aliunde constare nõ possit, quàm per Scripturam, aut traditionem diuinam non scriptam: debet proferri Scripturæ locus, aut traditio, quæ sit sufficiens argumentum talis institutionis: neque res tanta sine graui fundamento asserenda est.

22. Nota 3. conſentire quidẽ omnes quod huiusmodi sacramentalia vim aliquam habeant remittendi venialia: sed de modo controuersia est. Existimant non pauci ea remittere ex opere operato: vt Dominicus Sotus in 4. distinct. 15. q. 2. art. 3. Ledesma 1. parte 4. quæst. 28. art. 3. Canus lib. 12. de locis, cap. 13. ad 9. Gabriel in 4. dist. 3. 16. q. 5. art. 3. Paludanus ibidem q. 1. art. 2. & alii. Qui tamen differunt in modo explicandi. Aliqui enim volunt remittere quidem ex opere operato, sed mediatè tantùm, excitando scilicet ad aliquem actum sufficientem ex opere operantis, quo mediante deleant venialia. Alii volunt remittere immediatè, non tamen sine attritione aliqua imperfecta, licet non sufficiente ex opere operantis. Alii demũ, vt Sotus & Ledesma, docent non esse necessarium motum doloris aut attritionis, sed satis esse suscipere sacramentalia voluntariè, id est, cũ intentione libera ea recipiendi, & sine obice positiuo, id est, sine complacentia peccati. Addit verò Ledesma, voluntariam illam susceptionem sacramentaliũ ex intentione Ecclesiæ, continere in se virtualem quamdam displicentiam peccatorum, etiamsi de illis nõ cogitemus. Quia cũ velimus sumere id quod Ecclesia instituit in remissionem venialium: consequenter habemus voluntatem implicitam consequendi veniam eorum. Quòd si quis obiiciat, inde sequi sacramentalia illa esse sacramenta. Respondet negatiuè. Quia ad rationem sacramenti necessarium est vt gratiam infundat. Sacramentalia verò non infundunt gratiam, sed sine eius infusione remittunt venialia ex ipsa clauium Ecclesiæ potestate.

Non remittunt venialia ex opere operato. Sotus. Ledesma. Canus. Gabriel. Paludan.

Sed hi omnes Authores sine sufficiẽti fundamento ita sentiunt: neque talis institutionis à Christo facta, vllum proferunt solidum argumentum. Nam vt singula percurramus: Quod de oratione Dominica dicitur Matth. 6. *Dimitte nobis debita nostra &c. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra*: & quod generatim de oratione in loco sacro dicitur 3. Reg. 4. *Quicumque orauerit in domo hac, propitiaberis ei*: Hæc, inquam, omnia dicta sunt vniuersaliter de peccatis, tam mortalibus, quàm venialibus. Neque significant institutionem ab aduersariis intentam: sed vim tantùm aliquam, eamque non infallibilem, impetrandi remissionem, & media ad illam necessaria: quæ tamen de venialibus facilius, quàm de mortalibus impetratur: sed non semper & infallibiliter, vitalis orationis, siue per se, siue ob illam circunstantiam externam loci sacri, quæ nullam vim infallibilem addit interno affectui orantis. Tametsi propter circunstantiam loci sacri aliquid amplius virtutis habeat apud Deum: quemadmodum aqua benedicta plus prodest, quàm non benedicta, propter Ecclesiæ suffragia. Sed hoc non sufficit ad opus operatum nisi profit infallibiliter, vt antea notauimus. Neque aliud docet S. August. cap. 71. Enchir. quod refertur Cã. *De quotidianis*, De pœnitentia, dist. 3. vt rectè exponit Vasq; dubio 3. ad art. 3. q. 87. n. 19.

23. Probatur de oratione Dominica.

24. August. Vasquez.

De aqua verò lustrali quod dicitur can. *Aquam* de Consecr. dist. 3. Sanctificare, mundare, purificare: non est intelligendũ de sanctificatione vera & propria ex opere operato: alioquin aqua benedicta esset sacramentũ nouæ legis verè & propriè dictum, contra definitionẽ Trident. sess. 7. can. 1. *De sacramẽtis in genere*, & Florentini in decreto Eugenii, 5. *Nouæ legis septem sunt Sacramenta, Baptismus, Confirmatio &c.* Intelligendum ergo est vel quòd valeat aliquo modo, sed non infallibiliter, ad sanctificationẽ veram & propriè dictam, impetratiuè scilicet, propter Ecclesiæ preces, quæ in ipsius benedictione orat vt sit in sanctificationem. Vel sermo est de sanctitate & purificatione quadam morali, quę rebus etiã inanimatis, vt vasis, & templis & vestibus, conferri potest, qualemue in lege veteri conferebant legales ceremoniæ. Vel tertiò, quòd sanctificet, purificet, mũdet à peccatis venialibus; non tamen sine aliquo motu sufficienti ex opere operantis, ad quem excitandum valeat specialiter propter Ecclesiæ orationem & suffragium quod applicat: licet non infallibiliter, neque semper id eueniat: quia non semper Ecclesiæ preces obtinent id quod petunt, vt notat Vasques supra nu. 17. & experientiã notum est: petit enim sæpius Ecclesia conuersionem omnium peccato-

25. De aqua lustrali.

rum, & infidelium, qui tamen non conuertuntur. Eodem sensu intellige, quod ex authore libri de Vera & falsa pœnitentia, cap. 20. refert Suarez disp. 12. sect. 2. num. 9. legales cerimonias in lege veteri abstulisse peccata venialia.

Suarez.

25. De pane benedicto.

De pane verò benedicto Canon *Cùm omne crimen*, de Consecratione, dist. 2. quia à Soto obiicitur, ad rem non pertinet: cùm in eo solùm dicatur, omne crimen atque peccatum oblatis Deo sacrificiis deleri. Et totus ille canon est de sacrificanda, & ministranda Eucharistia. De pane autem benedicto nullum est ibi verbum. De cuius institutione in alium finem, vide Durant. lib. 2. de Ritibus Ecclesiæ, cap. vlt. & Suarem sect. cit. num. 8.

De confessione generali.

De confessione generali, & tunsione pectoris, & eleemosyna, quod obiicitur ex canone, *Tres sunt*, & can. *Medicina*, & can. *Medicamentum*, & can. *Quamobrem*, de Pœnitentia, dist. 1. & ex Concilio Toletano IV. cap. 9. non probat talem institutionem, & vim infallibilem remittendi venialia: sed ibi sermo tantùm est, de efficacia quam habent pia huiusmodi opera ex natura sua, siue ex opere operantis, circa peccata tam mortalia, quàm venialia.

26. De benedictione & vnctione.

De benedictione verò & vnctione, canon *Benedictio*, & canon *Maledicam*, & canon *Dictum*, 1. quæst. 1. proferuntur ab Aduersariis, sed duo primi de illis nihil habent. In tertio verò dicitur tantùm, benedictionem non priuari suo effectu, etiamsi sacerdos malus sit: quod intelligi potest de multiplici benedictione, quam in sacramentis exhibet sacerdotes consecrando, absoluendo, &c.

S. Thom.

Quod autem addit Dominicus Sotus, hunc esse communem fidelium sensum, & Ecclesiæ traditionem, non est verum. Nam Diuus Thomas art. 3. quæst. 87. & clariùs in 4. dist. 16. quæst. 2. art. 2. quæstiuncula 4. Alensis, Bonauentura, Richardus, Durandus, & alii antiqui permulti contrarium senserunt, & ex recentioribus Suares & Vasques locis supra citatis, Delugo disp. 39. sect. 4. aliique plurimi. Quod satis ostendit opinionem Soti non esse communem fidelium sensum, nec Ecclesiæ traditionem: nisi velit Diuo Thomæ, Bonauenturæ, Alensi, & aliis tam multis grauibusque Doctoribus gratis impingere ignorantiam traditionis Ecclesiæ, cuius nullum protulit argumentum. Adde non fuisse datam potestatem Ecclesiæ ad instituenda signa sensibilia, quæ ex opere operato tollant venialia: quamuis dari potuerit. Nam nullum huius concessionis argumentum est vel in Scriptura, vel in Conciliis, vel in vsu Ecclesiæ; sed potiùs oppositi, vt benè ostendunt Suarez supra, & Vasquez num. 7. dubii citati. Sine tali autem concessione non potuit Ecclesia eiusmodi signa instituere, vt diximus suprà n. 21.

27. Quam vim habeant

Quare probabilius videtur quod D. Thomas, aliique supra relati asserunt, sacramentalia supradicta, & si quæ similia (plura enim alii, & alii pauciora enumerant) non remittere peccata venialia ex opere operato; sed aliter, quatenus vel ex genere suo, vel ex modo quo fiunt, habent vim aliquam (non tamen satis efficacem & infallibilem) excitandi dolorem sufficientem ex opere operantis; vel cum tali dolore exercentur, vt confessio, tunsio pectoris, & oratio Dominica. Vel 2. propter vim specialem impetrandi remissionem illam, quæ vis commendatur in Scriptura, vel ratione cognoscitur: quo modo eleemosyna, & alia opera misericordiæ ad id plurimum valent. Vel 3. quia nonnulla applicant Ecclesiæ orationes & suffragia: vt aqua benedicta, & quædam vnctiones sacræ. Quamuis autem potuerit Ecclesia preces suas & suffragia applicare sine huiusmodi cerimoniis: prudenter tamen illis vtitur, ac Deum imitatur, qui ad multa certis est vsus cerimoniis, licet illis non indiguerit. Vt quando per Elizæum iussit Naaman Syrum lauari septies in Iordane, vt sanaretur: & Ioas regem sæpius terram percutere, vt Syrios vinceret: & quando cœcum luto & sputo vnxit, vt visum ei redderet. Idque naturæ & conditioni hominum consentaneum est, vt exterioribus cerimoniis secundum rationem vtantur.

SECTIO III.

De remissione venialium ex opere operantis; & vtrum post hanc vitam remittantur.

28. Venialia cum mortali obiuncta non remittuntur post mortem.

QVæstio esse potest de peccatis venialibus vel solis, vel cum mortali coniunctis. De venialibus cum mortali coniunctis dicendum est, neque post hanc vitam remitti posse: neque in hac vita remitti vnquam ex opere operantis, sine actu contritionis virtualis, vel formalis, charitate perfectæ. Ratio vtriusque partis est, quia secundum legem ordinariam, de qua loquimur in præsenti, peccata venialia cum mortali coniuncta non remittuntur sine illo, vt sect. 6. probabitur. Peccatum autem mortale non remittitur in hac vita ex opere operantis sine actu contritionis virtualis, aut formalis, charitate perfectæ, vt superiore disputatione sect. 2. ostensum fuit: ergo venialia cum mortali coniuncta non remittuntur ex opere operantis sine actu contritionis perfectæ.

Vnde vlteriùs sequitur huiusmodi venialia cum mortali coniuncta non posse remitti post hanc vitam. Tum quia post hanc vitam non est locus remissioni mortalium, iuxta illud 1. Ioan. 5. *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico vt oret quis.* Tum etiam quia mortui in peccato mortali, ideoque damnati, non sunt capaces contritionis charitate perfectæ.

29. De venialibus autem solis, qualia sunt in iustis dico secundò, ad ea remittenda ex opere

operantis, requiri aliquem actum pœnitētiæ saltem virtualis circa ipsa. Ita D. Thomas q. 87. art. 1. & in 4. dist. 16. q. 2. art. 2. Sotus dist. 15. & alii communiter. Ratio ex ordinatione diuina petenda est, quæ sicut peccata mortalia actualia non remittit sine aliqua dispositione ex parte nostra, nec sine formali, aut virtuali ipsorum detestatione: ita neque venialia. Idque diuinæ sapientiæ, & iustitiæ cōsentaneum est, vt quæ malè commisimus, retractemus, & detestemur aliquo pacto, vt ipsorum veniam consequamur. Debet autem hic actus esse supernaturalis: ac per se primò, ex institutione diuina, debet esse formalis dolor, & detestatio peccati, quamuis alii actus æquiualentes & virtualiter dolorem illum, ac detestationem continentes, sufficere possint: iuxta ea quæ diximus disput. præcedenti de peccato mortali, quæ venialibus cum proportione applicanda sunt. Conueniunt enim in modo quo remittuntur à Deo, non sine aliquo pio motu pœnitentis, sufficiente, & conuenienter oppositio peccatis antea commissis.

30. Saltem per contritionem.

Dico tertiò, ad ea remittenda optimam esse, ac sufficientissimam virtualem aut formalem de illis contritionem, per quam semper remittuntur omnia venialia, ad quæ saltem virtualiter se extendit. Ita D. Thomas quæst. 87. art. 1. & 3. & alii communiter. Patetque à fortiori ex dictis de peccato mortali. Si enim contritio perfecta de peccato mortali, seu formalis, seu virtualis, valet vt dispositio per se sufficiens ex opere operantis ad remittenda omnia mortalia: quantò magis contritio de venialibus valet ad remittenda omnia venialia?

31. De aliis actibus res minùs certa est.

Dē aliis verò actibus res minùs certa est. Multi enim, & graues Theologi negant vllum alium sufficere, vt Richardus, Alensis, Paludanus, Caietanus, & alii, quos refert, & sequitur Vasques ad quæst. 87. num. 18. & seqq. Et quidem peccatum veniale, licet Deo non displiceat grauiter, neque repugnet incompatibiliter ipsius amicitiæ vsque ad eius dissolutionem, sicut peccatum mortale: verè tamen peccatum est, & culpabile: alioquī nec remissione egeret propriè dicta, nec pœna dignum esset. Verè etiam illicitū est, & diuinæ voluntati repugnans, & charitati atque amicitiæ diuinæ exigenti vt nihil fiat, quod amico iure displicere possit. Cùm ergo peccatum veniale Deo displiceat, & charitati aduersetur aliquatenus: non sine probabilitate requiri videtur ad eius remissionem ex opere operantis actus qui tendat in illius detestationem secundum eius supremā considerationem, quā Deo displicet, & charitati aduersum est. Sicut ad remissionem mortalis ex opere operantis, non sufficit attritio ex metu pœnarum, vel turpitudine peccati concepta, sed contritio perfecta charitate necessaria est, ex Trident. sess. 14. cap. 4 Neque inde sequitur ad remissionem venialium requiri eundem actum, qui requiritur ad remissionem mortalium. Nam ad istorum remissionem necessaria est contritio vniuersalis quæ se extendat ad omnia mortalia, & propositum formale aut virtuale excludens omnem voluntatem peccandi mortaliter. At verò ad remissionem venialium, sufficit contritio specialis de illis, putà de quibusdam grauioribus, ex motiuo quòd grauiùs Deo displiceant: sufficit, inquam, illa contritio vt eiusmodi venialia grauiora remittantur. Item ad mortalium remissionem necessaria est contritio implicitè continens votum sacramenti, & illius obligationem: quam non continet contritio de venialibus, ex Trident. sessione 14. cap. 4 & 5. Item contritio de mortali continet propositum & obligationem maioris satisfactionis, quàm contritio de veniali. Quare non est idem actus circa vtrumque peccatum.

32. Probabiliùs est attritionem sufficere.

Confirmatur, quia remissio venialium est perfectio & consummatio beneuolētiæ diuinæ. Ergo ex parte nostra requirere debet conuersionem ad Deū non minorem, quàm remissio mortalium: adeoque supernaturalem & summam ex suo genere, id est charitate perfectam. Atque hac præcipuè ratione sententiā istam confirmare solebat R.P. Gabriel à Porta, magister quondam meus, & magni Suaris discipulus, excellentis ingenij & doctrinæ vir, atque in studiis Theologicis consummatus: cui multum me debere profiteor, istudque meæ erga illum obseruantiæ, & grati animi monumentum omnibus notum esse desidero.

33. His tamen argumentis in fauorē illius sententiæ adductis non obstantibus, probabilius videtur sufficere in iustis attritionem formalem, aut virtualem, absolutam & efficacem, & virtualiter saltem continentem propositum non committendi eadem venialia: vt docent AEgid. Con. disp. 2 dub. 14. Suares disp. 11 sect. 3. num. 11. Delugo disp. 9 sect. 2. num. 28. aliique plurimi. Probatur, quia peccata venialia sunt leues offensiones, ſæpeque sunt imperfectè voluntariæ: & aliūdè gratia, quæ in persona iusta supponitur, magnum dat valorem attritioni supradictæ, per quam etiam mutatur voluntas, & auertitur à priori defectu. Quare est verisimile, hoc satis esse ad consequendam eiusmodi remissionem. Accedit, quòd durum esse videtur ad remissionem venialium extra sacramēta, etiam in ipsis iustificatis, requiri actum contritionis perfectæ, non minùs quàm ad remissionem mortalium. Et Trident. latiùs remissionem illorum extendere videtur, cùm ait cap. 5. sess. 14. non sicut mortalia debere necessariò subiici sacramento Pœnitentiæ, sed multis aliis remediis expiari posse. Neque enim ita multa remedia sunt, si, vt mortalia, extra sacramentum, per solos actus contritionis remitti possunt.

Adde quòd, ex D. Thoma q. 87. art. 1. in corp. maior pœnitentia exigitur ad remissionem peccati mortalis, quàm ad remissionem venialis, eò quòd peccatum mortale

Digitized by Google

magis auertit à Deo. Nam peccatum mortale separat à Deo perfectè: veniale autem tantùm imperfectè, retardando affectum hominis, ne promptè feratur in Deum: & feruorem amicitiæ ex parte vtriusque minuendo, quatenus causa est, vt non sit tanta communicatio inter Deum & hominem. Et quamuis D. Thomas paulò post videatur limitare suam assertionem ad hoc solum, quòd pœnitens debet omnia, & singula peccata mortalia in memoriam reuocare, vt singula detestetur: secus autem venialia: quam limitationem Theologi communiter intelligunt de sacramento Pœnitentiæ, in quo cõfessio de mortalibus debet esse, quantùm fieri potest, distincta & expressa de singulis: & detestatio, id est, contritio, vel attritio, debet saltem per eam confessionem omnibus singillatim applicari. Ratio tamen S. Thomę plus probat: nempe, quòd in ipsamet detestatione mortalis, & venialis, debeat esse differentia, id est, in ipsa conuersione seu reuersione ad Deum per actum pœnitentiæ oppositum auersioni, siue separationi à Deo, factæ per peccatum: eò quòd maior separatio requirit maiorem conuersionem. Quæ ratio non minùs locum habet in remissione quæ fit ex opere operantis: quàm in ea quæ fit per sacramentum ex opere operato. Est enim vniuersalis; & æquè vera esse debuit in statu legis naturalis, aut Mosaicæ, ante institutionem confessionis sacramentalis. Erit autem vera, si dicamus, ad remissionem venialis, non coniuncti cum mortali, sufficere attritionem: & peccatum veniale, quãtum est de se, remitti posse per attritionem, nisi impediat coniunctio cum mortali: cùm tamen ad mortalis remissionem necessaria sit perfectior conuersio, per actum contritionis formalis, aut virtualis, si remittitur ex opere operantis. In sacramento verò sufficit quidẽ attritio de mortalibus, ob efficaciam sacramenti: est tamen adhuc differentia, inter attritionem de mortalibus, & de venialibus in sacramento: quòd illa necessariò debeat esse de omnibus mortalibus quorum reus est pœnitens, cum proposito vniuersali abstinendi ab omnibus etiam collectiuè. Secus autem attritio de venialibus, vt præcedenti sectione dictum fuit.

34. Soluuntur argumenta contraria.

Ad primum argumentum in contrarium Respondeo, oppositionem peccati venialis, seu potiùs disconuenientiam cum amicitia diuina, esse tantùm leuem & imperfectam, sæpeque minùs deliberatam: ideoque minorem conuersionem sufficere vt deleatur, quã sit contritio, quæ est conuersio ad Deum ex suo genere perfectissima.

Ad secundum Respondeo; debere esse differentiam excessus & perfectionis inter ipsas conuersiones secundum se, sicuti est in auersionibus à Deo per peccatum mortale & veniale. Quare non sufficit differentia quoad vomm sacramenti, vel quoad obligationem maioris satisfactionis ob peccatum mortale. Neque tantùm differens, & maior esse debet per extensionem ad plura: sed etiam circa vnumquodque singillatim: quia vnumquodque singillatim est maior auersio à Deo.

Ad tertium Nego consequentiam: minùs enim requiritur ad augendam amicitiam iam inchoatam & stabilitam cum iustis, vt filiis: quàm ad illam primò incundam cum peccatoribus, ita filiis, & mortaliter Deo exosis. Sicut inter homines minùs requiritur vt amici magis se diligant, quàm vt inimici reconcilientur, & odium mortale deponant.

35. Venialia non coniuncta mortalibus remittuntur post mortẽ

Dico quartò, peccata venialia non coniuncta mortalibus, post hanc vitam remitti posse. Ita Diuus Thomas quæst. 7. de Malo, art. 11. S. Bonauentura, Scotus, Richardus, Paludanus, Durandus, Maior, & alii Scholastici in 4. dist. 21. Suares, Valques, Aegidius & alii interpretes D. Thomæ ad quæst. 87. Idemque docet apertè S. Gregorius Magnus 4. Dialog. cap. 39. & ex Matthæi 12. colligit. Ex illis enim Christi verbis *Non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro*, infert aliqua peccata remitti in futuro sæculo, alioqui frustra adderetur, neque in futuro. *Non mortalia*, inquit, *sed venialia, quæ remittuntur in purgatorio.* Quod necessariò de culpa intelligi debet: nam quoad pœnam, non minùs peccata mortalia remittuntur, quàm venialia. Accedit ratio manifesta. Quia potest quispiam decedere cum Dei gratia in statu peccati venialis: vt si quis habens tantùm peccata venialia, moriatur repentè, vel dormiens, vel phreneticus: aut si mortem, vel morbum impatienter ferat, leui tamen impatientia. Neque tenetur dolere de peccato veniali ante mortem sub pœna peccati mortalis, ita vt peccet mortaliter, nisi doleat. Nam tam grauis obligationis nullum est argumentum. Et quamuis esset; ignorantia tamen, vel impossibilitas excusaret in repentina morte, vel phrenetica. Ille autem decedens in peccato veniali, non propterea damnabitur, neque priuabitur in æternum regno cœlesti, cuius est hæres per gratiam in qua decessit. Nec tamẽ gloriam adipiscetur, quamdiu erit in peccato veniali, quia nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum, & in illam Beatorũ ecclesiam non habentem maculam neque rugam. Necessarium ergo est, vt liberetur à veniali cum quo moritur. Et cùm non possit ab eo liberari, nisi per aliquam remissionem diuinam: necesse est remitti.

Gregor.

SECTIO IV.

Quando, & quomodo remittantur iustis post hanc vitam peccata venialia?

36. Conclusio.

Respondeo, remitti vel in primo non-esse vitæ; vel aliàs cùm primùm anima, statum suum aduertens, sufficienter cum Dei gratia præueniente, disponit se ad eius re-

missionem: ad quod mouetur cognitione euidenti & manifesta offensæ diuinæ, & experimento pœnarum Purgatorii: neque deest motio Dei animam illam excitãtis, vt ad labem venialem purgandam se disponat, per conuenientem eius detestationem, id est, per contritionem vel attritionem, qualis & quãta requiritur in hac vita, ad remissionem venialium ex opere operantis. Probatur responsum, eiusque explicatio refutatione contrariarum opinionum.

Potest aliquis decedere cum solis venialibus.

Ac primò falsum est quod nonnulli docuerunt apud S. Bonauent. in 4. distinct. 21. q. 2. fieri non posse vt quis decedat cum solis peccatis venialibus: quia quicumque vult ita mori, contemnit suam salutem, ac proinde mortaliter peccat. Falsum, inquam, euidenter illud est: quia potest aliquis decedere in ætate sufficienti ad peccandum venialiter, & non sufficienti ad peccandum mortaliter ob defectum satis perfectæ cognitionis & deliberationis, quæ maior requiritur ad peccatum mortale, quàm ad veniale: sensim autem crescit in paruulis, prout organa ratiocinationi seruientia sensim melius disponuntur. Deinde potest quis ignorare bona fide se habere venialia: aut existimare inculpabiliter se de illis sufficienter atteri aut conteri, quamuis non ita sit: potest etiam præueniri phrenesi, aut morte repentina, ita vt non habeat spatium cogitandi & dolendi sufficienter de venialibus: potest quoque sine contẽptu, imò ex studio salutis suæ, cogitare efficaciter & conari ad obtinendam remissionem mortalium, quæ maioris est momenti. Et quia vt minimùm sententia nostra, multorum authoritate & ratione nixa, probabilis est: qui eã practicè sequetur, morietur in venialibus non coniunctis mortali, quia non peccabit mortaliter sequendo probabilem opinionem. Adde quòd grauis omnino dicitur, cum contemnere suã salutem, qui non vtitur medio aliquo hic & nunc non necessario, quia postea adhiberi potest. Parique facilitate dici posset, eum contemnere salutem suam, & mortaliter peccare, qui non satisfacit pro pœna peccatorum hac in vita: ac proinde non esse Purgatorium, quod hæreticum est.

37. Non remittuntur per mortem solam.

Secundò, non est verum quod aliqui dicunt, peccata venialia iustorum remitti per mortem sine alia dispositione; vel ob merita totius vitæ, sine actu pœnitentiæ formalis, aut virtualis, illis repugnante: vel vt sensit Alensis *parte* 4. q. 57. *memb.* 8. *aliquantum à fine*, per gratiam finalem, vel augmentum gratiæ sanctificantis, quia, inquit, gratia illa satis corroborat animam exutam mortalitate contra peccata venialia, & contra fragilitatem.

Sed contra: 1. Scriptura & Concilia generatim asserunt, non remitti peccata actualia sine aliqua pœnitẽtia, & conuersione actuali ad Deum, peccatis opposita. Quæ assertio generalis non debet temerè restringi ad statum huius vitæ. Quare meritò S. Thom. quæst. 7. de Malo, art. 11. in corp. sic ait, *Venialia remittuntur post hanc vitam quantùm ad culpam, eo modo quo remittuntur in hac vita: scilicet per actum charitatis in Deum, repugnantem venialibus in hac vita commissis.* Et in responsione ad nonum argumentum: *Remittitur in purgatorio peccatum veniale, quantùm ad culpam, virtute gratiæ prout exit in actum charitatis detestantis veniale peccatum.* 2. Fieri potest, vt quis paulò post suam iustificationem per sacramentum Baptismi, moriatur in peccato veniali, nullo adhuc opere meritorio facto; ergo falsum est dicere generatim venialia iustorum deleri post mortem per merita præcedentia. Adde quòd, licet merita præcessissent; habẽt illa aliunde suum effectum & mercedem adæquatam in augmento gratiæ & gloriæ, vt dicam paulò post. 3. Gratia finalis, id est, quæ habetur in fine vitæ, aut eius augmentum, non repugnat incompatibiliter cum peccato veniali actuali, secundum legem & potentiam ordinariam: potest enim homo peccare venialiter, manente gratia simili, & æquè intensa. Ergo peccatum veniale non tollitur per illam gratiam, quæ non satis illi repugnat. 4. Falsum est gratiam finalem augeri ipsa morte iustorum, sine vllo merito, vel alia causa augmenti ex parte ipsorum: nimirum vel ex opere operato, per aliquod sacramentum illis applicatum: vel ex opere operantis, per aliquem actum quem tunc exerceant. Neque enim sufficiunt actus antea eliciti: quia actus præcedentes meritorii gratiæ, vel ad illam sufficienter disponentes, habuerunt antea suum effectum adæquatum, æquè ac sacramenta priùs suscepta: nempe gratiam sibi respondentem, cum iure ad gloriam suo tempore consequendam. Quare non habent ampliùs vim augendi gratiam. 5. Aliud est gratiam corroborare animam mortalitate exutam, contra peccata venialia in futurum: & aliud, delere peccata præterita, de quo nunc sermo est. Neque est verum quod ait Alensis, gratiam per se solam satis corroborare. Nam si Angelos, æquè remotos à mortalitate, ac animas separatas, non satis gratia corroborauit contra peccata mortalia: peccarunt enim mali Angeli, non obstante gratia, quâ erant ornati: quomodo gratia per se sola satis corroborat animas cõtra peccata venialia? Itaque quòd sint deinceps impeccabiles venialiter, aut mortaliter, est aliunde quàm à sola gratia: nimirum ex speciali Dei prouidentia, quâ præseruantur ab omni peccato, donec assequantur beatitudinem, per quam reddantur impeccabiles ab intrinseco.

38. Scotus. Maior. S. Thom.

Tertiò, non minùs à veritate aliena est opinio Scoti in 4. dist. 21. q. 1. in corpore, & Maioris ibidem (quibuscum senserat D. Thomas eadem dist. 21. quæst. 1. artic. 3. quæstiunc. 2. sed quæst. 7. de Malo, art. 11 apertè hanc sententiam retractauit verbis suprà relatis) existimantium peccata venialia remitti in Purgatorio condigna solutione

pœnæ, seu rigida satis-passione, per quam iniuria Deo facta reparatur, & cessat: Cuius opinionis fundamentum esse debet, vel quia peccatum veniale, postquam transiit physicè, non aliter manet habitualiter, quàm in effectu, id est, in obligatione ad pœnam: Quæ obligatio tollitur, hoc ipso quòd debita pœna persoluitur: vel quia solutâ tota pœnâ debitâ impossibile est reatum culpæ remanere. Addunt aliqui recentiores, si quid aliud præter reatum illum, siue obligationem ad pœnam, tollendum est in illo casu satis-passionis; id conuenienter fieri propter illarum animarum statum, potiùs quàm ob specialem quandam operationem liberam. Statum verò illum aiunt paulò post, in eo consistere, quòd animæ illæ Deo gratæ patienter ferant pœnas sibi à Deo inflictas. Propter hoc enim remittitur illis, si quid aliud remittendum est, vt docet S. Bonauentura in 4. dist 21. q. 2. art. 1. in solutione 4. argumenti.

35. Hæc opinio displicet, quia non est verum id, quod Scotus & eius sequaces supponunt, peccatum veniale, postquam commissum est, non manere habitualiter nisi in effectu illo suo, qui est obligatio ad pœnam pro eo ferendam. Suppono enim ex tractatu de Peccatis id, quod rectè docet Delugo disp. 5 de Incar. nu. 124. maculam peccati seu peccatum habituale esse peccatum præteritum moraliter perseuerans secundum se, in ordine ad hoc quòd Deus rationabiliter indignetur in hominem, sicut si actu peccaret. Quæ moralis permanentia in eo cõsistit, quòd peccatum antea commissum, nondum fuerit à Deo remissum, sed in eius memoria retineatur in ordine ad auersionem & odium peccatoris. Quod non solum verum est de peccato mortali: sed etiam de veniali cum proportione. Nam, vt rectè idẽ author ait num. 121. sicut peccatum mortale grauiter offendit Deum, & manet Deus rationabiliter auersus, & indignatus in hominem: ita cum proportione peccatum veniale continet leuem aliquam offensam Dei, & relinquit Deum rationabiliter, sed leuiter indignatum in hominem. Quæ leuis auersio tollitur, quando Deus sufficienter placatur, & non ampliùs retinet offensam præteritam in ordine ad indignationem, sed cedit iure quod habet rationabiliter indignandi: quod ius diuersum est à iure puniendi, potestque vnum sine altero definere, vt ostendimus disp. præced. sect. 11. Atque hoc ipsum, quòd scilicet culpa habitualis peccati venialis distinguatur ab obligatione ad pœnam, cõformiùs esse sanctis Patribus fatetur Scotus suprà, patetque ita sentire S. Gregoriũ Magnum, & S. Thomam verbis suprà relatis ex. q. 7. de Malo. Qui etiam 3. p. q. 87. art. 3. ad 3. apertè distinguit in venialibus reatum culpæ à reatu pœnæ, cùm ait satisfactionem, & motum charitatis tollere quidem peccatum veniale quoad culpam, licet non semper totum reatum pœnæ extinguat. Cumquè probabilius sit, damnatos quoque satisfacere pro venialibus, in quibus decesserunt: nunquam tamen eis remittuntur quoad reatum culpæ, prout est offensa contra amicitiam. Semper enim retinentur à Deo in ordine ad auersionem: quamuis ius ipsius læsum reparatum sit per condignam satisfactionem.

Neque per solam satisfactionẽ.

Delugo.

Confirmatur, quia sicut peccatum veniale, manens habitualiter in ordine ad talem auersionem, non tollitur in hac vita, nisi per conuersionem supernaturalem ad Deum, id est, per aliquem actum detestationis formalis, aut virtualis, sufficienter oppositum peccato actuali veniali: ita neque in vita altera. Nulla enim est ratio limitandi generales assertiones Scripturæ, & Conciliorum, quòd peccata non remittantur sine aliquo actu poenitentiæ. Temerè autem, & sine sufficienti ratione restringendæ non sunt. 40.

Porrò, leuia sunt quæ Aduersarii contra obiiciunt. Primum est, quòd nullus actus animarum separatarum valeat ad remissionẽ poenæ: alioqui enĩ animæ illæ quàm citissimè liberarentur ab omni poena per actus frequentes, & feruentes, quos vinculis & impedimento corporis expeditæ, sensuque pœnarum, & desiderio beatitudinis excitatæ, promptissimè exercent. Hoc autem est contra sensum Ecclesiæ, quæ credit, & supponit in officiis diuinis, multas animas diu detineri in Purgatorio. Atqui si non possunt per actus suos obtinere liberationem à poena: multò minùs possunt obtinere remissionem culpæ, quæ maius beneficium est. Deinde, inquiunt, in nostra sententia, culpæ veniales statim post obitum iustorum extinguuntur in animabus illis. Et tamen longo tempore post Ecclesia orat, vt à defunctis Deus culpas auferat: dicunturque animæ illæ per poenas purgari, & coinquinationem, quæ retardat à regno coelorum, deponere. Ergo signum est, tamdiu culpas residere, quamdiu restat aliqua poena. Ergo falsum est eas tolli statim post obitum iustorum. Soluntur argumenta contraria.

Ad primum Respondeo negando minorem: ratio est, quia beneficium remissionis culpæ est illis necessarium: debent enim, vt fruantur aliquando beatitudine, ad quam ius habent per gratiam sanctificantem, purgari à culpa venialium: & non possunt ab ea purgari nisi per remissionem, ad quam Deus prærequirit dispositionem aliquam per detestationem sufficientem peccati. At beneficium remissionis poenæ non est illis necessarium, cùm possint rigidè satisfacere, id est, soluere totam poenam debitam pro peccato veniali. Quare non est par ratio, vt illam obtineant per talem actum, per modum dispositionis: multóque minùs per modum meriti aut satisfactionis: quia post hanc vitam non est ampliùs locus merendi & satisfaciendi, vt suppono ex disput. de Merito. 41.

Ad secundum Respondeo, vel orationes illas referri ad tempus proximum ante mortem, & ad animas illas in eo statu consider- 42.

Digitized by Google

sine sanguinis effusione non fit remissio. Atqui sub particula illa, *ab omni peccato*, comprehenduntur peccata venialia, tùm quia syncategorema, *omne*, in rigore id postulat: tum etiam quia textus id planè requirit. Sequitur enim immediatè post locum Ioannis cit. versu 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Quod de venialibus saltem debet intelligi, quibus ipsimet Apostoli non carebãt. Et paulò post cap. seq. v. 1. *Sed & si quis peccaverit, aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum*: Quod de venialibus exponit Sanctus Augustinus tract. 1. in epist. Ioannis.

64. Oratio pro venialibus id probat.

Vlteriùs, quicquid iubemur petere à Deo frequenter & sollicitè, est beneficium gratiæ, id est, non debitum naturæ, vt passim supponunt & docent Patres Concilii Arausicani, & Mileuitani contra Pelagianos. Atqui iubemur frequenter & sollicitè petere à Deo remissionem venialium. Nam vt ait Tridentinum sessione 6. capite 11. *Iustorum pro peccatis suis venialibus illa vox est & humilis, & vera* (addo, & plusquam quotidiana) *Dimitte nobis debita nostra.* Legantur canones 6. 7. & 8. Concilii Mileuitani de eadem oratione, & de loco Ioannis supra expensò, vbi damnantur Pelagianorum effugia, & vitiosæ loci citati interpretationes.

Altera probatio.

Rursus, *Nemo potest de quantacunque miseria liberari: nisi præueniatur Dei misericordiâ*, inquit Concilium Arausicanum, Canone 14. Atqui liberari à peccato veniali, est liberari ab aliqua miseria; quia est liberari à vera Dei offensa, & ab aliquo malo culpæ, quod quantulumcunque sit, maius est, & detestabilius quocunque malo pœnæ: maioriſque apud Deum considerationis, quàm quidquid potest à nobis fieri viribus naturalibus. Ideoque non possumus pro illo viribus solis naturalibus satisfacere.

47. Cur actus purè naturales non sufficiunt?

Obiicies, peccatum veniale esse offensam leuem tantùm, & finitam. Quidni ergo possit pro ea satisfieri per actus naturales doloris, vel amoris Dei, & similes frequenter iteratos. Propter hoc argumentum vnus è Recentioribus disputatione 5. de Incarnatione, num. 132. & 133. censet hominem in pura natura posse per opera naturalia satisfacere condignè pro culpa veniali, physicè loquendo: quamuis non moraliter, id est, non sine magna difficultate. Cui si obiicias, Ergo etiam nunc in statu naturæ ad gratiam eleuatæ poterit condignè satisfieri pro venialibus per actus naturales: quoniam actus naturales, præsertim iustorum, non habent nunc minùs dignitatis & bonitatis, quàm haberent si fierent in statu puræ naturæ. Item, si tunc actus remissi, qui reipsa fierent, valerent tamen de congruo ad liberandos homines à venialibus: ergo actus naturales, qui nunc fiunt, præsertim à iustis; habent eamdem congruitatem, eumdemque valorem. Ergo nunc homo propriis naturæ viribus liberat se, saltem de congruo ab aliquo peccato. Respondet numero 134. negando vltimam consequentiam. Quia, inquit, licet actus naturales, quantum est de se, habeant nunc eandem congruitatem, quam haberent in pura natura; Deus tamen ad remittendum veniale, non attendit nunc ad actus naturales, sed solùm ad supernaturales. Quia decreuit non remittere vllam culpam venialem, nisi reconciliando sibi hominem per maiorem gratiam sanctificantem. Ideóque non vult acceptare, vt satisfactionem pro culpa veniali, eam quæ non potest mereri, saltem de congruo augmentum gratiæ.

48. Refutatur aliquorum responsio.

Sed contra: Primò, non est verum Deum id decreuisse: cùm sicut in secunda conclusione ostendimus, Deus interdum remittat venialia, non augendo gratiam sanctificantem. Quare ratio differentiæ ab aduersario allata, non est bona. Secundò, non est consentaneum definitionibus Conciliorum Arausic. & Mileuit. contra Pelagianos, dicere, quòd opera naturalia habeant congruitatem cum remissione peccatorum, quamuis de facto non acceptentur ad illam. Et communis doctrina Theologorum, sumpta ex illis Conciliis, & ex Diuo Augustino, est, opera naturalia non mereri de congruo beneficia supernaturalia, inter quæ numerandam esse remissionem peccatorum venialium, paulò ante probauimus. Tertiò: si opera naturalia habent parem condignitatem cum illis, quæ tunc fierent ex potentia physica, difficulter licet in actum reducendâ: debent à Deo acceptari, iuxta doctrinam eiusdem authoris numero centesimo vigesimo quarto, neque possunt prudenter non acceptari: imò, inquit, vt extinguant peccatum, non egent Dei acceptatione, sed per ipsam condignam satisfactionem, formalissimè destruitur habitualis macula ex veniali peccato relicta. Quia postquam offensor veniam petiit, & alia obsequia exhibuit, quæ sufficiunt condignè ad placandum offensum: iam tunc si ipse non placetur, non manet in æstimatione prudentum, rationabiliter, sed irrationabiliter offensus. Ergo per illa obsequia formaliter extinxit ius quod offensus habebat ad rationabilem auersionem ab ipso. Hæc ille. Quæ doctrina, quamuis respectu Dei vera non sit, vt ostendemus paulò post: valet tamen ad demonstrandum, non satis cohærenter, eâ suppositâ, negari, actus aliquos naturales posse nunc liberare homines à peccato veniali.

49. Vera solutio difficultatis.

Aliter ergo argumento in obiectione proposito respondendum est: rationem cur non possit satisfieri pro peccato veniali per actus naturales, quantumuis iteratos, esse, quia huiusmodi actus non habent proportionem neque cõdignitatis, neque congruitatis, ad ta-

beneficium: præsertim propter Dei offensi aiestatem, & vilitatem satisfacientis, eiusque operum naturalium: sicut neque habent ad vllum aliud gratiæ beneficium. Deique gratiæ tribuendum est, nõ modò quòd à peccato purgemur, sed etiam quòd purgari velimus: vt colligimus ex doctrina Conciliorũ, Mileuit. præcipuè & Araufic. definientium, non fieri sine infusione, id est, inspiratione, & operatione Spiritus sancti, quòd à peccatis purgari velimus: nihilque quod ad pietatem Christianam & vitam æternam cõferat, posse fieri vel obtineri sine beneficio gratiæ: iuxta illud Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Neminemque posse ab vlla miseria eõdem pertinente liberari, nisi misericordia Dei præueniatur. Legantur hac de re canon 5. Concilii Mileuit. & canones 4. 7. 9. & 14. Concilii Arausicani.

50. Posiunt iusti satisfacere condignè pro venialibus.

Quæres, an saltem per opera supernaturalia possit condignè satisfieri pro peccato veniali? Respondeo, hominem posse per actus supernaturales satisfacere condignè pro venialibus: semper tamen esse aliquod gratiæ beneficium in tali satisfactione. Prima pars responsi sumitur ex D. Thoma qu. 87. art. 3. ad 3. vbi docet peccata venialia tolli posse, quantum ad culpam, virtute alicuius satisfactionis, & virtute motus charitatis: licet nõ semper tollatur per hæc totus reatus pœnæ. Clariùs vero ita sentiunt Suarez disput. 4. de Incarn. sect. 11. dicto 1. Vasques ibidẽ disp. 3. Delugo ibidem disp. 5. nu. 128. & alii recentiores communiter. Ratio præcipua est, quia peccatum veniale, cùm sit leuis offensa Dei, & plerumque ex fragilitate, difficilèque euitabilis, non est tantæ cõsiderationis apud Deum, vt actus eximii & supernaturales hominis iusti, à statu gratiæ & adoptionis magnopere dignificati, non habeant satis proportionis & condignitatis cum eorum remissione, sicuti habent cum augmento gratiæ & gloriæ, vitæque æternæ consecutione. Dixi autem, *hominis iusti*: quia peccator, id est, existens in statu peccati mortalis, censetur communiter, & meritò, esse indignus tanto beneficio. Idemque iudico de homine in pura natura.

51. Tamen in tali satisfactione est aliquod beneficium gratiæ.

Secunda pars responsi, quòd nihilominus in tali satisfactione, & deletione culpę propter illam, sit aliquod beneficium gratiæ, sumitur ex D. Thoma eadem qu. 87. art. 4. in cor. vbi affirmat *remissionem culpæ cuiuscunque nunquam fieri nisi per virtutem gratiæ, quia vt Apostolus dicit Rom. 4. Ad gratiã Dei pertinet, quòd Deus alicui non imputet peccatum: quod glossa ibi exponit de veniali.* Hæc D. Thomas qui per remissionem intelligit generaliter quancunque peccati deletionem & veram non-imputationem. Ratio est, quia non modò talis peccati deletio supponit in radice beneficium gratiæ, quatenus supponit auxilium gratiæ necessarium ad exercendos actus supernaturales satisfactorios, & statum gratiæ sanctificantis, & adoptionis gratuitò collatæ, ex quo actus illi satisfactorii trahũt valorem moralẽ & condignitatem: sed etiam in eo ipso quòd Deus illos acceptat ad extinguendam culpam peccati venialis ipsorũ intuitu, est aliquod gratiæ beneficium, & aliqua remissio iuris diuini, quatenus Deus poterat, si vellet, vt supremus Dominus, actus illos exigere, & acceptare aliis titulis totalibus, & sufficientibus: illisque non obstantibus retinere auersionem, & reatum culpæ peccati venialis. Vt supremus, inquam, Dominus: non autem vt iudex & remunerator, & obstrictus promissis suis, tum de peccatis remittendis propter contritionem, aut actum æquiualentem: tum etiam de æterna gloria danda iustis in gratia decedentibus, siue ratione iuris hæreditarii, in gratia & adoptione fundati; siue etiam ratione meritorum quæ iuri hæreditario accesserunt, dãtque ius nouum ad augmentum gratiæ, & ad maioris gloriæ consecutionem. Quo posito tenetur, vel liberaliter condonare iustis venialia: vel aliquam ab illis satisfactionem, aut dispositionem ad condonandum, acceptare: ne alioqui eos perpetuò priuet gloriã debitã. Porrò debitum illud Dei ortum ex promissione ipsius, aut ratione gratiæ & meritorum præcedentium, propter quæ debet Deus iustis aliquando remittere venialia, non impedit quo minùs sit vera remissio & condonatio: sicut obligatio ex iustitia ad aliquid donandum, orta ex promissione gratuita vel onerosa, non impedit quo minùs sit postea vera donatio. Neque repugnat donationem deberi aliquo titulo ex iustitia. Possum enim v. g. me obligare ex iustitia Ioanni ad donandum aliquid Paulo: qua de re plura videri possunt apud Suarem sect. cit. vbi nobiscum sentit in hac secunda parte responsi.

52. Refellitur contraria sententia.

Contrarium verò sentiunt Vasques, & Delugo, locis suprà relatis, existimantes satisfactionem condignam, non egere acceptatione, sed se sola formaliter culpam habitualem extinguere. Quia eâ exhibitâ, non potest ampliùs offensus manere rationabiliter auersus ab offensore. Sed hoc non est verum respectu Dei, qui, loquendo absolutè, potest vt supremus Dominus quamcumque satisfactionem oblatam à creatura non acceptare ad illum finem, sed aliis titulis sufficientibus applicare. Imò neque semper & vniuersaliter verum est respectu hominum: qui prudenter & rationabiliter possunt interdum non acceptare satisfactiones condignas & æquiualentes, ab offensore sibi oblatas pro remissione pœnæ: sed illis non obstantibus pœnam debitam exigere. Qua de re plura diximus disputatione secunda de Incarnatione, sectione decima, numero centesimo octauo, & sequentibus.

Digitized by Google

SECTIO VI.

An veniale possit remitti ei, cui non est remissum mortale: vel unum veniale sine alio?

53. Veniale coniunctũ mortali nõ remittitur sine illo.

DIco primò, peccatum veniale cum mortali cõiunctum non posse remitti, de lege ordinaria, nisi mortale simul remittatur. Ita D. Thom. qu. 87. art. 4. in c. Sotus in 4. dist. 15. q. 2. art. 4. Valentia tom. 4. disp. 7. q. 4. punct. 3. Mærat. disp. 8. de Pœnit. sect. 2. Suar. disp. 11. sect. 2. n. 4. Aegid. Coninck disp. 2. dub. 15. & alii recentiores: contra Scotum, & Nominales asserentes peccata venialia damnatorum deleri penitùs per condignam satisfactionem, remanentibus licet mortalibus, quibuscum iuncta erant. Qui error, quatenus confundit reatum culpæ cum reatu pœnæ, sufficienter fuit refutatus sect. 4. De satisfactione verò damnatorũ pro venialibus dicemus alio loco. Interea ratio cõclusionis est, quia peccatum veniale coniunctũ cum mortali non remittitur, secundum legẽ à Deo positam, nisi vel per cõtritionem formalem aut virtualem: vel per attritionem, aut pium motum æquivalentem, cum aliquo sacramento. Sola enim attritio hominis lethali peccato infecti, non habet vim, ex sola natura sua, remittendi venialia: Et nusquam in Scriptura, vel in tota traditione diuina, habetur Dei promissio remittendi propter ipsam solam eiusmodi peccata. Sed è contrario Ecclesiastici 34. sic dicitur, *Dona iniquorum non probat altissimus: nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis.* Sunt autem *iniqui*, quandiu manent in statu peccati mortalis. Deniq; Scriptura vbique quãdo illis promittit remissionem peccatorum, requirit perfectam conuersionem ad Deum, quæ solùm fit per contritionem, aut dilectionem supernaturalem Dei super omnia: vel in eius defectu per vsum legitimum alicuius sacramenti à Christo instituti vt per ipsum faciliùs obtineatur remissio. Atqui quotiescunque conteritur peccator, vel atteritur cum tali sacramento, consequitur gratiam sanctificantem, & gratia sanctificans secundum legem à Deo positam non compatitur vllum peccatum mortale in eodem subiecto. Ergo remissio venialium quæ fit per talia media, non potest fieri secundũ legem à Deo positam, quin simul remittantur omnia mortalia, quibuscum iuncta sunt. Non potest autem remissio venialium iũctorum cum mortali fieri, nisi per illa media, de lege & potentia ordinaria. Ergo remissio venialium iunctorum cum mortali non potest fieri de lege ordinaria, nisi simul remittatur mortale.

54. Potest tamen absolutè sine illo remitti.

Dixi, *de lege ordinaria*: quia absolutè potest veniale remitti sine mortali. Nam si Deus potest absolutè remittere vnum mortale sine alio, vt alibi ostendimus: æquè aut magis potest remittere veniale sine mortali. Et quemadmodum homines possunt condonare leuiores offensas, retentis grauioribus: neque propterea diligere specialiter offensorem, aut illi beneficium aliquod positiuum conferre: sic Deus absolutè potest condonare venialia, retentis mortalibus: neque propterea offensorem diligere eo speciali affectu, quo prosequitur iustos, aut gratiam sanctificantem illi conferre. Conuenienter tamen aliter statuit. Quia remissio venialium est veluti quædam purgatio & perfectio amicitiæ, & reconciliationis, quæ valde congruenter supponit, aut simul coniunctam habet amicitiam, & depositionem odii grauioris.

55. Potest aliquis mori in peccato originali cum solis venialibus.

Objicies: si peccatum veniale coniunctum cum mortali non remittitur sine illo secundum legem ordinariam: ergo peccatum veniale coniunctum originali non remittitur sine illo: peccatum enim originale mortale est. Ergo si quis moriatur cum peccato originali, & aliquo veniali, nondum commisso vllo mortali; ille nunquam consequetur remissionem venialis: sicut nunquam consequetur remissionem originalis. Ergo torquebitur in æternum pœnâ sensus propter illud peccatum veniale, quod quamdiu erit, tamdiu pœnâ dignum erit: & quia in æternum erit, pœna æterna dignum erit. Consequens autem videtur incredibile: si enim ille pœna sensus puniendus est: ergo extra Limbum, in quo nulla est pœna sensus, constituendus erit, vel in Inferno, vel in Purgatorio. Non in Purgatorio: quia Concil. Florentinum in decreto, illas solum animas purgari ait, quæ in charitate decedunt: eodemque modo loquuntur S. Patres de Purgatorio. Non etiam in inferno damnatorum, qui paratus est diabolo & angelis eius, & sociis in modo peccandi, id est, in culpa mortali propria. Neque enim verisimile est hominem illum, qui tantùm venialiter peccauit, esse dæmonibus associandum, & obstinandum in malo, & ita cruciandum, vt Deum odio habeat. Talis enim pœna non est tam leui culpæ proportionata. Alium verò esse locum in quo patiatur præter infernum, & Purgatorium distinctum à limbo, inauditum hactenus est.

56. Ille in limbo punietur pro venialibus.

Ad hæc multa Suar. disp. 11. sect. 2. n. 14. & seqq. Quibus omissis, dico breuiter probabilius esse talem peccatorem in limbo puniri iuxta mẽsuram venialis culpæ à se commissæ. Neque enim necessarium est limbum esse omnis doloris aut pœnæ sensus expertẽ. Quin imò probabile est quotquot in limbo illo sunt, non impatienter quidem, sed tamẽ cum dolore aliquo naturali ferre illã iacturam beatitudinis æternæ à qua exciderũt, licet nõ sua culpa. Qua de re vide Bellar. tom. 3. controu. 2. lib. 6. cap. 6. & Valent. tom. 2. disput. 6. quæst. 17. punct. 4. An verò pœna de venialibus cum mortali coniunctis æterna fit futura, dicemus infra disputando de satisfactione: vbi ostendemus non fore æternam, sed temporalem, etiam in inferno.

57.

Dico secundò, vnum veniale posse remitti sine alio de lege ordinaria. Ita Theologi

Vnum ve-niale potest remitti sine alio.

communiter: & probatur, quia remissio vnius venialis, non habet necessariam connexionem cum remissione aliorum: neque ratione dispositionis, quæ potest esse de vno, & non de aliis: vt si quis conteratur vel atteratur de vno, & non de aliis: & quamuis sit de omnibus, potest non habere vim meritoriam sufficientem ad omnia: neque ratione Dei remittentis: quia potest vnum veniale condonare sine alio, & ius suum remittere circa vnum, non circa aliud: quod homines ipsi facilè possunt circa leues offensas sibi factas: Neque etiam ratione medii, quod vni potest applicari, non aliis: possumus enim atteri & confiteri sacramentaliter de vnis sine aliis. Neque ratione gratiæ, aut alterius formæ: nã alia talis forma nulla assignatur. Gratia verò non repugnat incompatibiliter peccatis venialibus, neque illa excludit, neque ab illis excluditur. Quantumuis enim sit intensa, nunquã destruitur aut minuitur propter peccata venialia à iustis commissa. Secus est de peccatis mortalibus, quorum remissio necessariam habet connexionem, saltem ratione formæ, nempe gratiæ habitualis in eorum remissione infusæ, quæ secundum Dei ordinationem in natura rei fundatam repugnat incompatibiliter cuicunque peccato mortali: ideóque excludit omnia.

58. Atque hac de re neque vlla est controuersia inter theologos: neq; difficultas, suppositã nostrã sententiã de modo quo remissio venialium à Deo fit; nimirum per ipsius condonationem. At verò in sententia Vasquis, quã tradit in explicatione art. 1. q. 87. & Mẹratii disp. 9. sect. 4. & 5. asserentium nullum peccatum remitti nisi per formam physicè incõpossibilẽ, per quam formaliter extinguatur, ne alioqui opus sit fauore Dei extrinseco, & non-imputatione, quâ remissio perficiatur: in hac, inquam, sententia grauis difficultas est, quomodo per attritionem cum sacramento possit vnum veniale remitti sine alio, imò possint remitti vlla venialia vi talis medii: quod tamen iidem authores admittunt fieri, cum communi omnium sententia.

Vasques. Mærat.

59. Ratio difficultatis est, quia neque attritio est forma physicè incõpossibilis cum peccato veniali habitualiter manente: maneret enim, quâuis esset eadem attritio sine sacramento: & iuxta citatos authores sola contritio est actus physicè incõpossibilis cum peccato veniali habituali. Neq; etiam gratia habitualis: quippe quæ tota esse potest cum tali peccato: neque enim peccatum veniale illam tollit aut minuit. Nec denique sacramẽtum: quia sacramentum quoad omnia physica esse potest manente peccato veniali: putà, si fit attritio de veniali aliquo peccato, & confessio eiusdem, & verba absolutionis proferantur à Sacerdote, sed sine intentione faciendi quod Christus instituit. In quo casu sunt omnia physica sacramenti, & tamen non est remissio peccati venialis.

Grauis difficultas in sententia Vasq. & Mærat.

60. Respondet Vasques dub. 2. ad art. 3. q. 87. n. 12. & fusiùs 1. 2. disp. 207. cap. 4. & Mæratius cum secutus disp. 9. de Pœnitent. sect. 4. gratiam habitualẽ, quæ à Deo infunditur in sacramento, habere physicam oppositionem ad ea venialia, quorum fit remissio: non ex se, sed ex diuina ordinatione, quia in hunc finem infunditur à Deo. Nam eo ipso quo sic datur (inquit auctor postremò citatus) habet formaliter vt sit gratia reconciliationis à peccatis illis venialibus, per quæ Deus ab homine fuerat offensus, & propter quæ erat adhuc aliquantulum illi infensus. Vnde eo ipso, quo concipitur Deus hanc homini illi gratiam ex prædicto intuitu velle infundere; censetur velle cum ipso reconciliari ab offensis illis venialibus. Gratia autem quæ formaliter est reconciliatio Dei cum creatura ab aliqua eius offensa, non potest non esse formaliter huic offensæ repugnans, eamq; delere formaliter.

Prima eorum resolutio impugnatur.

Sed contra: 1. Hæc diuina ordinatio est fauor Dei extrinsecus. Ergo hęc remissio completur & perficitur aliquo fauore extrinseco: quod tamen Vasques & Mærat. putant generatim esse absurdum, & propteṛ quod reperire conantur oppositionẽ physicam. 2. Impossibile est vt pura Dei ordinatio, rebus extrinseca, faciat oppositionem physicam, & formalem incompossibilitatem naturalem, inter ea quę non sunt ex natura sua opposita. Nam ordinatio Dei extrinseca rebus non mutat earum naturam. At oppositio physica, & formalis incompossibilitas, est illa quæ cõsistit in ipsa rerum natura, & in rebus ipsis physicè spectatis secundum suam naturalem entitatem. Quare illa Dei ordinatio non facit vt gratia sit formaliter & physicè gratia reconciliationis à peccatis illis venialibus. Et quamuis ex tali ordinatione rectè intelligatur Deum velle reconciliari, & condonare offensam venialem: secus tamẽ quòd gratia sit formaliter & physicè ipsa reconciliatio, & physicè repugnet offensæ veniali incompatibiliter: propter quod illam physicè expellat. 61.

Hanc difficultatem sensit Mæratius, & respondet disp. cit. sect. 5. initiò, facile esse intelligere quomodo gratia quæ secundum se spectata non repugnat actu peccato veniali, nulla in se reali mutatione susceptа fiat ei actu repugnans, ob aliquid prorsus extrinsecum aduẹniens. Hoc enim, inquit, in multis aliis certissimè accidit. Vt his duobus actibus intellectus vnius eiusdemque hominis, quorum vno credit vniuersim fide diuina quicquid à Deo reuelatum est; altero iudicat Christi corpus non esse realiter præsens in Eucharistia, inuincibiliter ignorans id à Deo esse reuelatum. Hac enim suppositа ignorantia inuincibili, quæ vtrique actui est prorsus extrinseca, alter alteri non repugnat actu, quandoquidem vterque simul actu existit. At si aduẹniat sufficiens propositio præsentiæ illius tanquam à Deo reuelatæ; tunc prior actus, nulla reali in se susceptа mutatione, ob sufficientem istam propositionem sibi prorsus extrinsecam, incipit actu repugnare posteriori actui, eumque formaliter 62.

Altera solutio.

Digitized by Google

destruit. Similiter, inquit, non est actu repugnantia, inter duos actus voluntatis quibus aliquis vult absolutè & efficaciter, nihil dicere, quod Deo displiceat; & simul vult dicere mendacium officiosum, putans non displicere Deo. Postea verò adueniente notitiâ vtrique actui extrinsecâ, quòd mendacium officiosum Deo displiceat, fiunt actu repugnantes, & incompatibiles.

63. Non satisfacit difficultati.

Sed hoc responsum, vt mihi quidem videtur, non satisfacit difficultati; & ingeniosè magis quàm appositè excogitatum est. Nam vt rectè illud ante me impugnans obseruauit R.P. Michael Camanius (quem honoris causâ nomino) Burdegalensis Academiæ Doctor meritissimus, mihique non minùs amicitiâ, quam Religione, & diuturna Theologiæ professione coniunctus: qui nonnullis in rebus obscurioribus opem & lucem mihi attulit: & de cuius eruditione, præclarisque animi dotibus plura dicerem, nisi adhuc in viuis esset, eiusque modestia, doctrinæ par, plura dicere prohiberet. Vt, inquam, subtiliter ab illo obseruatum fuit, magna inter exempla allata, & id de quo loquimur, differentia est. Propterea quòd diuina ordinatio non immutat subiectum, cui extrinseca prorsus est. At tertius ille actus immutat physicè subiectum, & respectu illius destruit obiectum vnius è duobus actibus præcedentibus; qui non sunt physicè incompossibiles solitariè sumpti, si sint confusi, & non distinctè penetrent vim & amplitudinem cuiusque obiecti harum duarum propositionum: sed alter illorum est physicè incompossibilis cum tertio, quia eius obiectum destruit. Quemadmodum verò sola cognitio diuina nullam facit oppositionem physicam inter actus eiusmodi, neque impedit quo minùs duo actus priores simul in eodem esse possint, quamuis Deus cognoscat eos non bene cohærere inter se: ita neque diuina ordinatio ponit physicam incompossibilitatem inter gratiam & peccata, vel omnia vel aliqua; si nihil aliud subiecto accedat, quo physicè mutetur, & cum quo fit incompossibilitas physica. Et cum illa potiùs, quàm cum nostris actibus internis nos physicè immutantibus comparatio facienda erat ad ostendendum quomodo diuina ordinatio nihil in nobis ponens physicè incompossibile cum peccato veniali habituali quàtum est de se, neq; ex parte gratiæ, neque ex parte attritionis, vel aliunde: faciat tamen vt oriatur intrinseca incompossibilitas physica.

DISPVTATIO QVADRAGESIMA SEXTA.

De reditu peccatorum per pœnitentiam remissorum.

Sectio I. *Vtrum peccata per pœnitentiam remissa redeant per subsequens peccatum?*

Sectio II. *Soluuntur obiectiones contra doctrinam propositam.*

Sectio III. *An peccata semel remissa redire possint de potentia absolutâ?*

Sectio IV. *De ingratitudine peccantis post remissionem peccatorum.*

Sectio V. *Aliæ duæ conclusiones de eadem ingratitudine.*

DE reditu peccatorum per pœnitentiam dimissorum disputat S. Thomas quæst. 88. & art. 1. docet, cùm opus Dei per opus hominis irritari non possit: & sacramentum absolutè peccata remittat: & dona Dei sint sine pœnitentia: maculam peccati remissi, & æternæ pœnæ reatum, non redire simpliciter, quatenus ex actibus peccatorum antea dimissorum proueniebant: sed tantùm secundum quid, quatenus homo per peccatum sequens redit ad primum statum, in quo erat auersus à Deo, gratiaque & charitate priuatus; & ipsa in peccato

Digitized by Google

sequenti continentur virtualiter, illudque quodammodo aggrauant. Magis enim contemnitur Dei bonitas, si post remissionem prioris peccati secundò peccatum iteretur. Art. 2. docet peccata redire specialiter modo supra dicto, id est, aggrauari eorum reatum, ratione ingratitudinis peccantis post beneficium remissionis, per odium fraternum, apostasiam à fide, contemptum confessionis, & dolorem de pœnitentia habita. Quia hæc peccata repugnant specialiter formæ beneficii remissionis, consideratæ partim ex parte benefactoris, cuius est dimittere offensas sibi factas: & partim ex parte pœnitentis, cuius est moueri in Deum per fidem, dolere de peccatis, & per confessionem subjicere se clauibus Ecclesiæ. 3. Non esse necessarium, vt propter ingratitudinem, semper per peccatum sequens redeat tantùm reatus, quantus fuit præcedentium peccatorum: sed proportionaliter solùm quantò peccata priùs dimissa fuerunt plura, & maiora, tantò redeat maior reatus per qualecunque sequens mortale peccatum. Non enim oportet quantitatem ingratitudinis esse æqualem absolutè quantitati beneficii suscepti, cuius quantitas attenditur secundum quantitatem peccatorum priùs dimissorum: sed proportionaliter dumtaxat tantò est grauior ingratitudo, quantò beneficium fuit maius. 4. Ingratitudinem peccantis esse aliquando speciale peccatum, sed non semper: sæpius enim est tantùm circunstantia generaliter consequens omne peccatum mortale, quod contra Deum committitur. Peccatum enim speciem recipit ex intentione peccantis. Quare si quis peccet in contemptum Dei, & suscepti beneficii: peccatum illud recipit speciem ingratitudinis, & est speciale illius peccatum. Secus autem si quis ex. gr. non retraharur ab homicidio, vel adulterio propter hoc, quòd pertinet ad Dei contemptum. Huc vsque D. Thomas.

SECTIO I.

Vtrum peccata per pœnitentiam remissa redeant per subsequens peccatum?

1. HAEc quæstio pertinet ad explicandum quàm sit perfecta remissio peccatorum per pœnitentiam facta. Neque à præsenti instituto, in quo de pœnitentiæ effectibus disputamus, alienum est explorare, num remissio seu mortalium, seu venialium, per pœnitentiam ita fiat, vt quæ semel remissa fuerunt, nunquam per relapsum redeant.

quæstionis exponitur. Notandum autem 1. sensum quæstionis esse, num ex peccatum, quod de nouo cõmittitur, fit illud ipsum quod fuerat remissum, quod eatenus redeat: sed an vi noui peccati recens cõmissi, & à prioribus commissis distincti, reducantur omnia priùs commissa & remissa: ita vt peccans post remissionem non modò reus sit noui peccati commissi, sed & omnium aliorũ, quæ priùs ipsi fuerant remissa.

2. Nota 2. peccata remissa duobus modis redire dici posse. Primò, simpliciter & propriè, ita vt redeant eadem numero, & secundum se: hoc enim est redire propriè: sicut redire propriè aliquem hominem, est ipsummet in individuo redire, & non in alio. Secundò, impropriè & secundum quid; ita vt redeant non in se, sed in alio simili, vel æquiualenti, vel aliquatenus participante ipsorum malitiam, aut in quo denique virtualiter aliquo modo contineantur.

Nota 3. sermonem esse posse de peccato, vel quoad culpam, vel quoad pœnam: item vel quoad modum essẽdi physicum, vel quoad modum essendi moralem & habitualem: item vel quoad legem seu potentiam ordinariam, vel quoad absolutã. Item in culpa spectari posse auersionem, & conuersionem: entitatem actus, & formalem malitiam, quæ in eo consistit, quòd actus malus procedat liberè à voluntate operante contra debitum. His præsuppositis:

3. Dico primò: secundum legem ordinariam peccata semel per pœnitentiam remissa non redeunt simpliciter & propriè, nec quoad esse physicum: nec quoad modum essendi moralem: neque secundum reatum culpæ: neq; secundum reatum pœnæ. Ita communiter Scholastici cum D. Thom. q. 88. art. 1. & 2. vel cum Magistro in 4. dist. 22. & quidem

Peccata remissa non redeunt simpliciter

prima pars, non redire scilicet peccata quoad esse physicum, manifesta est. Nam redire non possunt secundum esse physicum, nisi reproducantur. Nec possunt reproduci à Deo solo sine influxu, vel attentione vitali voluntatis, quæ sine dubio experiretur in se ipsa reproductionẽ illam, non minùs quàm experta sit primã productionem. Neq; enim possunt nõ aduerti & non sentiri quodãmodo experimẽtaliter peccata, dum actu & physicè cõmittuntur: cùm sint actus vitales, & liberi, adeóque sint à principio cognoscente. Cúmq; peccata quędam sint aliis cõtraria: vt auaritia prodigalitati: & interdum contingat vt qui peccauit in vno genere, idem post pœnitentiam peccet in alio extremè opposito: oporteret actus oppositos & repugnantes esse simul in voluntate secundum esse physicum, quos ne quidem de potentia absoluta simul esse posse probabilius aut planè certum est. Præterea cùm peccata remissa, siue opposita, siue tantùm disparata, sint interdum quamplurima, venialia, vel mortalia: non potest voluntas viribus naturalibus tot actus simul & semel reproducere: neque intellectus de tot obiectis & tam diuersis cogitare. Et quãuis posset: tamen cùm de nouo peccat, non applicat vim suam ad committenda peccata priora, sed aliud nouum ab eis distinctum, & interdum oppositum. Denique nunquã quod semel extitit & esse desiit, idem numero redit, iuxta vulgatum axioma philosophorum, intellectum de potentia & lege ordinaria, de qua nunc loquimur: de absoluta verò dicemus conclusione tertia.

4. Ne quidem quoad modum essendi moralẽ.

Secũda pars, quòd scilicet peccata non redeant secundũ modum essendi moralẽ: quasi scilicet propter peccatum subsequens Deus rescindat præcedentẽ condonationẽ, & peccata remissa rursus in memoria retineat in ordine ad odium abominationis, & auersionẽ peccatoris propter illa, ex quo etiam sequatur indignatio, & vltio, aut destinatio ad pœnas debitas peccatis præcedentibus: quemadmodum rescisso cõtractu donationis aut venditionis, res in integrum redeunt & in pristinum statum: Hæc, inquam, pars sic intellecta, est contra nonnullos ex antiquis Theologis, qui putarunt peccata dimissa redire propriè in sensu explicato: teste D. Thom. q. 88. art. 1. in corp. Bonauentura in 4. dist. 22. art. 1. q. 1. & Gratiano de Pœnitentia, dist. 4. Quorum aliqui, vt Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramentis, parte 14. cap. 9. generatim redire asserebant per quodcunque peccatum sequens. Alii verò, vt Præpositiuus quidã à Bonauentura citatus, non per quodlibet generatim, sed tantùm per hæc quatuor, odium fraternum, apostasiam à fide, contemptum confessionis, & retractationem pœnitentiæ priùs factæ. Vnde illud distichũ.

S. Thom. S. Bonauẽt. Gratian. Victor.

Fratres odit, Apostata fit, spernitque fateri,
Pœnituisse piget, pristina culpa redit.

5. Vera tamen, & communis sententia, negat redire peccata propriè & simpliciter, in sensu explicato, etiam quoad modum essendi moralem. Fundamentum præcipuum est, quia remissio peccatorum, prout nunc fit, est talis, vt peccata quoad esse morale aboleantur absolutè, id est, sine vlla conditione, vel suspensione, vel dependentia à peccato futuro: ita vt Deus non ampliùs eorum memoriam retineat in ordine ad auersionem vel ad odium abominationis. Quare peccatum sequens non potest esse causa vt redeant. Patet consequentia: quia si peccatum sequens reuocaret priora; id faceret propter decretum diuinum, quia scilicet Deus constituit, vt qui post remissionem peccaret, reus fieret omnium peccatorum præteritorum, & propter illa esset æquè Deo abominabilis, ac si nunquam fuissent illi remissa. Sed nullum tale decretum esse potest, si peccata non modò verè remittuntur; verùm etiam absolutè, id est, sine vlla conditione, vel suspensione, vel dependentia à peccato futuro. Quod autem verè remittantur, docet Tridentinum sess. 5. can. 5. & Scriptura Psal 50. *Lauabis me, & super niuem dealbabor*, & Isa. 1. v. 18. *Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur*, & Ephes. 5. v. 26. *Mundans lauacro aquæ in verbo vitæ*, &c. & Coloss. 1. v. 14. *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius remissionem peccatorum.* Et 1. Ioan. 1. v. 7. *Sanguis eius emundat nos ab omni peccato.* Remitti verò absolutè rectè colligitur ex illis Christi verbis Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: & Matth. 18. *Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* In quibus locis, & similibus nullã est significatio conditionis vel suspensionis, vel dependentiæ à peccato futuro. Quando autem remissio datur absolutè, id est, nulla apposita & expressa conditione: intelligitur, etiam in humanis, fieri perfectè, & independenter à conditione futuri, quam alioqui solent cautè homines apponere.

Probatur ratione.

6. Confirmatur ex D. Thomæ.

Ad idem confirmandum adducit D. Thomas q. 88. art. 1. §. *Sed contra*, illud D. Augustini in libro responsionum Prosperi, *Qui recedit à Christo, & alienatus à gratia finit hanc vitam, quid aliud, nisi in perditionem vadit? Sed non in id, quod dimissum est recidit, nec pro originali peccato damnabitur.* Itẽ illud Rom. 11. *Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.* Sed peccata præterita sunt dimissa per donũ Dei: Ergo per peccatum sequẽs non redeũt, quasi Deum de dono remissionis pœniteat. Addit in corp. eiusdem artic Opus Dei per opus hominis irritari non posse. Remissio autem peccatorum fuit opus diuinæ misericordiæ: ergo non potest irritari per subsequens peccatum hominis: iuxta illud Rom. 3. *Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit?* Ait denique erroneum esse, & derogare gratiæ Dei, existimare gratiam & sacramenta non esse causam sufficientẽ remissionis peccatorum absolutæ: sed tantùm cum conditione quadam in futurum pendente, nisi, vel, donec iterum peccauerit ille cui remissio fit.

Ex quibus argumentis primum facile est,

Digitized by Google

sequenti continentur virtualiter, illudque quodammodo aggrauant. Magis enim contemnitur Dei bonitas, si post remissionem prioris peccati secundò peccatum iteretur. Art. 2. docet peccata redire specialiter modo supra dicto, id est, aggrauari eorum reatum, ratione ingratitudinis peccantis post beneficium remissionis, per odium fraternum, apostasiam à fide, contemptum confessionis, & dolorem de pœnitentia habita. Quia hæc peccata repugnant specialiter formæ beneficii remissionis, consideratæ partim ex parte benefactoris, cuius est dimittere offensas sibi factas: & partim ex parte pœnitentis, cuius est moueri in Deum per fidem, dolere de peccatis, & per confessionem subjicere se clauibus Ecclesiæ. 3. Non esse necessarium, vt propter ingratitudinem, semper per peccatum sequens redeat tantùm reatus, quantus fuit præcedentium peccatorum: sed proportionaliter solùm quantò peccata priùs dimissa fuerunt plura, & maiora, tantò redeat maior reatus per qualecunque sequens mortale peccatum. Non enim oportet quantitatem ingratitudinis esse æqualem absolutè quantitati beneficii suscepti, cuius quantitas attenditur secundum quantitatem peccatorum priùs dimissorum: sed proportionaliter dumtaxat tantò est grauior ingratitudo, quantò beneficium fuit maius. 4. Ingratitudinem peccantis esse aliquando speciale peccatum, sed non semper: sæpius enim est tantùm circunstantia generaliter consequens omne peccatum mortale, quod contra Deum committitur. Peccatum enim speciem recipit ex intentione peccantis. Quare si quis peccet in contemptum Dei, & suscepti beneficii: peccatum illud recipit speciem ingratitudinis, & est speciale illius peccatum. Secus autem si quis ex. gr. non retraharur ab homicidio, vel adulterio propter hoc, quòd pertinet ad Dei contemptum. Huc vsque D. Thomas.

SECTIO I.

Vtrum peccata per pœnitentiam remissa redeant per subsequens peccatum?

1. HAEc quæstio pertinet ad explicandum quàm sit perfecta remissio peccatorum per pœnitentiam facta. Neque à præsenti instituto, in quo de pœnitentiæ effectibus disputamus, alienum est explorare, num remissio seu mortalium, seu venialium, per pœnitentiam ita fiat, vt quæ semel remissa fuerunt, nunquam per relapsum redeant.

quæstionis exponitur. Notandum autem 1. sensum quæstionis esse, num ex peccatum, quod de nouo cõmittitur, sit illud ipsum quod fuerat remissum, quod eatenus redeat: sed an vi noui peccati recens commissi, & à prioribus commissis distincti, reducantur omnia priùs commissa & remissa: ita vt peccans post remissionem non modò reus sit noui peccati commissi, sed & omnium aliorũ, quæ priùs ipsi fuerant remissa.

2. Nota 2. peccata remissa duobus modis redire dici posse. Primò, simpliciter & propriè, ita vt redeant eadem numero, & secundum se: hoc enim est redire propriè: sicut redire propriè aliquem hominem, est ipsummet in indiuiduo redire, & non in alio. Secundò, impropriè & secundum quid; ita vt redeant non in se, sed in alio simili, vel æquiualenti, vel aliquatenus participante ipsorum malitiam, aut in quo denique virtualiter aliquo modo contineantur.

Nota 3. sermonem esse posse de peccato, vel quoad culpam, vel quoad pœnam: item vel quoad modum essẽdi physicum, vel quoad modum essendi moralem & habitualem: item vel quoad legem seu potentiam ordinariam, vel quoad absolutã. Item in culpa spectari posse auersionem, & conuersionem: entitatem actus, & formalem malitiam, quæ in eo consistit, quòd actus malus procedat liberè à voluntate operante contra debitum. His præsuppositis:

3. Peccata remissa non redeunt simpliciter

Dico primò: secundum legem ordinariam peccata semel per pœnitentiam remissa non redeunt simpliciter & propriè, nec quoad esse physicum: nec quoad modum essendi moralem: neque secundum reatum culpæ: neq; secundum reatum pœnæ. Ita communiter Scholastici cum D. Thom. q. 88. art. 1. & 2. vel cum Magistro in 4. dist. 22. & quidem

prima pars, non redire ſcilicet peccata quoad eſſe phyſicum, manifeſta eſt. Nam redire non poſſunt ſecundum eſſe phyſicum, niſi reproducantur. Nec poſſunt reproduci à Deo ſolo ſine influxu, vel attẽtione vitali volũtatis, quæ ſine dubio experiretur in ſe ipſa reproductionẽ illam, non minùs quàm experta ſit primã productionem. Neq; enim poſſunt nõ aduerti & non ſentiri quodãmodo experimẽtaliter peccata, dum actu & phyſicè cõmittuntur: cùm ſint actus vitales, & liberi, adeóque ſint à principio cognoſcente. Cúmq; peccata quędam ſint aliis cõtraria: vt auaritia prodigalitati: & interdum contingat vt qui peccauit in vno genere, idem poſt pœnitentiam peccet in alio extremè oppoſito: oporteret actus oppoſitos & repugnantes eſſe ſimul in voluntate ſecundum eſſe phyſicum, quos ne quidem de potentia abſoluta ſimul eſſe poſſe probabilius aut planè certum eſt. Præterea cùm peccata remiſſa, ſiue oppoſita, ſiue tantùm diſparata, ſint interdum quamplurima, venialia, vel mortalia: non poteſt voluntas viribus naturalibus tot actus ſimul & ſemel reproducere: neque intellectus de tot obiectis & tam diuerſis cogitare. Et quãuis poſſet: tamen cùm de nouo peccat, non applicat vim ſuam ad committenda peccata priora, ſed aliud nouum ab eis diſtinctum, & interdum oppoſitum. Denique nunquã quod ſemel extitit & eſſe deſiit, idem numero redit, iuxta vulgatum axioma philoſophorum, intellectum de potentia & lege ordinaria, de qua nunc loquimur: de abſoluta verò dicemus concluſione tertia.

4. Ne quidem quoad modum eſſendi moralẽ.

Secũda pars, quòd ſcilicet peccata non redeant ſecundũ modum eſſendi moralẽ: quaſi ſcilicet propter peccatum ſubſequens Deus reſcindat præcedentẽ condonationẽ, & peccata remiſſa rurſus in memoria retineat in ordine ad odium abominationis, & auerſionẽ peccatoris propter illa, ex quo etiam ſequatur indignatio, & vltio, aut deſtinatio ad pœnas debitas peccatis præcedentibus: quemadmodum reſciſſo cõtractu donationis aut venditionis, res in integrum redeunt & in priſtinum ſtatum: Hæc, inquam, pars ſic intellecta, eſt contra nonnullos ex antiquis Theologis, qui putarunt peccata dimiſſa redire propriè in ſenſu explicato: teſte D. Thom. q. 88. art. 1. in corp. Bonauentura in 4. diſt. 22. art. 1. q. 1. & Gratiano de Pœnitentia, diſt. 4. Quorum aliqui, vt Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramentis, parte 14. cap. 9. generatim redire aſſerebant per quodcunque peccatum ſequens. Alii verò, vt Præpoſitiuus quidã à Bonauentura citatus, non per quodlibet generatim, ſed tantùm per hæc quatuor, odium fraternum, apoſtaſiam à fide, contemptum confeſſionis, & retractationem pœnitentiæ priùs factæ. Vnde illud diſtichũ.

S. Thom. S. Bonauẽt. Gratian. Victor.

Fratres odit, Apoſtata fit, ſpernitque fateri,
Pœnituiſſe piget, priſtina culpa redit.

5. Vera tamen, & communis ſententia, negat redire peccata propriè & ſimpliciter, in ſenſu explicato, etiam quoad modum eſſendi moralem. Fundamentum præcipuum eſt, quia remiſſio peccatorum, prout nunc fit, eſt talis, vt peccata quoad eſſe morale aboleantur abſolutè, id eſt, ſine vlla conditione, vel ſuſpenſione, vel dependentia à peccato futuro: ita vt Deus non ampliùs eorum memoriam retineat in ordine ad auerſionem vel ad odium abominationis. Quare peccatum ſequens non poteſt eſſe cauſa vt redeant. Patet conſequentia: quia ſi peccatum ſequens reuocaret priora; id faceret propter decretum diuinum, quia ſcilicet Deus conſtituit, vt qui poſt remiſſionem peccaret, reus fieret omnium peccatorum præteritorum, & propterilla eſſet æquè Deo abominabilis, ac ſi nunquam fuiſſent illi remiſſa. Sed nullum tale decretum eſſe poteſt, ſi peccata non modò verè remittuntur; verùm etiam abſolutè, id eſt, ſine vlla conditione, vel ſuſpenſione, vel dependentia à peccato futuro. Quod autem verè remittantur, docet Tridentinum ſeſſ. 5. can. 5. & Scriptura Pſal 50. *Lauabis me, & ſuper niuem dealbabor*, & Iſa. 1. v. 18. *Si fuerint peccata veſtra ſicut coccinum, quaſi nix dealbabuntur*, & Epheſ. 5. v. 26. *Mundans lauacro aquæ in verbo vitæ*, &c. & Coloſſ. 1. v. 14. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius remiſſionem peccatorum.* Et 1. Ioan. 1. v. 7. *Sanguis eius emundat nos ab omni peccato.* Remitti verò abſolutè rectè colligitur ex illis Chriſti verbis Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*: & Matth. 18. *Quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* In quibus locis, & ſimilibus nullã eſt ſignificatio conditionis vel ſuſpenſionis, vel dependentiæ à peccato futuro. Quando autem remiſſio datur abſolutè, id eſt, nulla appoſita & expreſſa conditione: intelligitur, etiam in humanis, fieri perfectè, & independenter à conditione futuri, quam alioqui ſolent cautè homines apponere.

Probatur ratione.

6. Confirmatur ex D. Thomæ.

Ad idem confirmandum adducit D. Thomas q. 88. art. 1. §. *Sed contra*, illud D. Auguſtini in libro reſponſionum Proſperi, *Qui recedit à Chriſto, & alienatus à gratia finit hanc vitam, quid aliud, niſi in perditionem vadit? Sed non in id, quod dimiſſum eſt recidit, nec pro originali peccato damnabitur.* Itẽ illud Rom. 11. *Sine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei.* Sed peccata præterita ſunt dimiſſa per donũ Dei: Ergo per peccatum ſequẽs non redeũt, quaſi Deum de dono remiſſionis pœniteat. Addit in corp. eiuſdem artic Opus Dei per opus hominis irritari non poſſe. Remiſſio autem peccatorum fuit opus diuinæ miſericordiæ: ergo non poteſt irritari per ſubſequens peccatum hominis: iuxta illud Rom. 3. *Numquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit?* Ait denique erroneum eſſe, & derogare gratiæ Dei, exiſtimare gratiam & ſacramenta non eſſe cauſam ſufficientẽ remiſſionis peccatorum abſolutæ: ſed tantùm cum conditione quadam in futurum pendente, niſi, vel, donec iterum peccauerit ille cui remiſſio fit.

Ex quibus argumentis primum facile eſt,

Digitized by Google

Alia verò tria difficultatem habent. Nam infuſio gratiæ, non minùs quàm remiſſio peccati, eſt donum Dei, & opus miſericordiæ diuinæ, & effectus ſacramentorum: & tamen non datur ſine pœnitentia, id eſt, ſine reuocatione propter ſubſequens peccatum mortale: & irritatur per opus hominis: neque confertur per ſacramenta in perpetuum, ſed ſub conditione, donec iterum homo lethaliter peccauerit: quod non derogat gratiæ; nec ſacramentorum efficacitati, vt manifeſtum eſt. Ergo ſimiliter remiſſio peccati reuocari poteſt, & irritari per ſubſequens peccatum, & pendere in conſeruatione ab iſta conditione, *Donec homo lethaliter peccauerit.*

Defenditur eius ratio.

Reſpondeo differentiam eſſe. Nam gratia non donatur in perpetuum abſolutè: neque expedit ita donari, vt propter peccata ſequentia & ingratitudinem hominis amitti non poſſit. Hoc enim eſſet magnam peccandi licentiã hominibus præbere. Neque inter homines donatio bonorum ita fit, vt propter ingratitudinẽ donatarius illis priuari nõ poſſit. At verò remiſſio peccatorum, & abolitio, abſolutè & in perpetuum fit: Deus enim nullam ei conditionem apponit: & criminum abolitiones, quibus nulla conditio apponitur, ſolent humano more ita intelligi: neque ex eo ſequitur peccandi licentia, cùm propter ſequentia peccata mortalia incurrant homines priuationem gratiæ, & æternam damnationem: cuius apprehenſio & comminatio ſufficere debet ad frænandum peccandi appetitum.

8. Peccata deſtruuntur abſolutè, & non ſub conditione.

Supponit ergo D. Thomas peccatum verè deſtrui & abſolutè, ac non tantùm remitti ſub conditione in futurum pendente, quæ totum effectum ſuſpenderet. Quo ſuppoſito, vt peccata redirent, neceſſarium eſſet Deum prioris remiſſionis pœnitere: & voluntatem ſuam mutare, retractando ac reſcindendo priorem condonationem factam abſolutè & independenter à peccato futuro. Sacramenta autem ex inſtitutione diuina vim habent ad talem effectum. Et dicere contrarium, eſt illis derogare, & promiſſiones Chriſti abſolutas ſine cauſa reſtringere.

Supponit, inquam, D. Thomas remiſſionem peccatorum, vt in præſenti fit, eſſe donum & opus Dei abſolutum & efficax: non pendens ab euentu futuro humanæ voluntatis, ſed à ſolo Dei decreto, quod pœnitentiæ & mutationis capax non eſt, neque irritari poteſt irritatione contraria abſolutæ & efficaci Dei voluntati. Quo ſenſu rectè à D. Thoma poſt Apoſtolum dictum eſt, Sine pœnitentia eſſe dona Dei: & fidem Dei, id eſt, veritatem diuinæ promiſſionis abſolutę & efficacis, propter hominum incredulitatem euacuari, id eſt, irritari, & fruſtrari non poſſe. Vnde ex illa parte reuocari non poſſunt peccata remiſſa, quaſi Deum propter peccatum ſequens pœnitere poſſit remiſſionis factæ, & eam velit reuocare, ac per eius reuocationem peccata reſtituere. Quanquã, vt rectè aduertit Suares diſput. 13. ſect. 1. n. 6. licet per impoſſibile decretum diuinum eſſet capax mutationis, & reipſa mutaretur, Deumque pœniteret remiſſionis factæ: id non ſufficeret ad reſtituenda peccata verè & abſolutè remiſſa. Quemadmodum enim inter homines, ſi creditor debitori abſolutè dimiſit debitum: quamuis eum ſubinde pœniteat remiſſionis factæ, eamque velit retractare: non tamen id poteſt efficaciter conſequi, nec illum iterum debitorem conſtituere: quia effectus ille non eſt talis, vt ſola eius voluntate fieri poſſit, aut per eius ſolam retractationem in integrum reſtitui: ſic in præſenti non ſufficeret ſola Dei retractatio ad reuocandum peccatũ abſolutè remiſſum. Suarez.

9. Non redeũt quoad reatum culpæ.

Tertia pars concluſionis, peccata ſcilicet non redire quoad reatum culpæ, & conuerſionem vel auerſionem peccati, & entitatem actus, vel exercitium liberum voluntatis, & formalem malitiam moralem, in eo conſiſtentem quòd peccator ſcienter & liberè cõtra debitum agat, vel omittat: patet ex dictis. Hæc enim omnia reipſa idem ſunt, quod peccatum culpabile ſecundum eſſe phyſicum & morale à quo ſeparatim exiſtere nequeũt. Quare cùm peccatum non redeat ſecundum eſſe phyſicum vel morale, hæc redire non poſſunt. Adde quòd peccatum ſecundum omnem culpæ rationem, quę pertinet ad Deũ & eſt materia remiſſionis diuinæ, deſtruitur abſolutè, vt antea dictum fuit. Quare non redit ſecundum vllam eiuſmodi rationem.

Non redeũt quoad reatum pœnæ.

Supereſt ergo reatus pœnæ, qui non eſt ratio peccati, ſed illius effectus: neque ſemper remittitur integrè, ſed ſæpiſſime in temporalem commutatur. Cùm autem remittitur non ſine commutatione, fit relaxatio maioris pœnæ, & commutatio illius in minorem, ſiue ſubſtitutio minoris pœnæ loco maioris. Quorum primum, nempe relaxatio, fit abſolutè, vt remiſſio culpæ; id eſt, ſine conditione, vel ſuſpenſione, vel dependentia à peccato futuro: ita vt non fiat, ſi non iterum peccauerit, vel donec iterum peccet. Secundum verò, nempe commutatio in temporalem, iuxta multorum opinionem, non fit in temporalem abſolutè, ſed ſub conditione vt perſoluatur in ſtatu gratiæ, & ab amico. Nã alioquin illa ipſa, in quam fit commutatio, licet minor priore, futura eſt æterna, propter defectum conditionis à Deo requiſitæ. Alij verò conditionem illam reiiciunt, & pœnam abſolutè temporalem futuram eſſe dicunt. Qua de re infrà, cùm de ſatisfactione ſermo erit.

10

Interea probo quod in vltima parte concluſionis dictum eſt, pœnam dimiſſam, formaliter ſpectatam, non redire ſimpliciter & propriè propter peccatum ſubſequens, ſiue loquamur de pœna damni, ſiue de pœna ſenſus. Nam etiam pœna abſolutè omnino, & independenter à peccato futuro remittitur, non minùs quàm culpa. Ergo non magis poteſt redire quàm culpa. Deinde hoc ipſum clarè pronunciat Gelaſius Papa citatus cap.

vlt. de pœnitentia, diſt. 4. cùm ſic ait: *Diuina clementia remiſſa peccata in vltionem vlterius venire non patitur.* Ad eundemque ſenſum Scholaſtici communiter, poſt Hieronymum & Cyprianum, accommodant illud Naum 1. *Deus non iudicabit bis in idipſum*: vel vt legunt Septuaginta, *Non vindicabit bis in idipſum in tribulatione*: Vel vt habet vulgata, *Non conſurget duplex tribulatio.* Tametſi ſenſus literalis alius eſt, de populo iterum non tradendo in manus Sennacherib, & Aſſyriorum.

11. Quod intellige de pœna formaliter.

Dixi, *pœnam eandem formaliter*: pœna enim ſiue damni, ſiue ſenſus, ſpectari poteſt tum formaliter, tum materialiter: & vtroque modo redire intelligi poteſt. Pœna materialiter ſpectata, eſt incommodum aliquod, ſiue poſitiuum illud ſit, ſiue priuatiuum. Formaliter verò ſumpta addit reſpectum ad culpam, propter quam illud infligitur. Rediret ergo pœna formaliter, ſi eadem pœna iam dimiſſa iterum imponeretur propter idemmet peccatum quod fuerat remiſſum. Redit autem materialiter tantùm, ſi eadem quidem pœna inferatur, non tamen propter idem peccatum, neque cum habitudine ad illud; ſed propter aliud ſimile, vel æquiualens.

Nego igitur pœnam formaliter eandem redire, quia abſolutè vnà cum culpa dimiſſa fuit. Poteſt tamē redire materialiter eadem, quatenùs propter peccatum ſequens priori ſimile vel æquale, poteſt affici peccator, præter priuationem viſionis beatificæ, eodem ignis tormento, vel alio, quo propter prius peccatum fuiſſet cruciatus. Sicut tamen peccata ſequentia ſæpè ſunt prioribus diſſimilia, & inæqualia: ita pœnas habent inæquales, & poſſunt habere diſſimiles.

12. Redeunt tamen ſecundum quid.

Dico ſecundò, licet peccata ſemel remiſſa non redeant ſimpliciter propter peccatum ſubſequens, redire tamen ſecundum quid. Primò quatenus redeunt in ſimili auerſione à Deo, vel conuerſione ad creaturam, vt ſæpè fit: vel in ſimili priuatione gratiæ, & reatu pœnæ æternæ, quæ duo omnibus peccatis mortalibus communia ſunt: in eumque ſenſum D. Thomas q. 88. art. 1. in corp. intelligit illud D. Iacobi cap. 2. *Quicunque totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus*: quia ſcilicet priuabitur omni gratia, & beatitudine, ac mercede operum, perinde ac ſi nullum mandatum ſeruaſſet. Frequenter autem, & vulgari loquendi modo, dicitur aliquid redire, quando ei ſuccedit aliquid ſimile: Sic enim dicimus redire febrim, redire pluuiam, redire hyemem, & ſimilia. Secundò quia, vt D. Thomas ibidem addit, ſequens actus peccati virtualiter continet reatum prioris peccati ſecundum quid: quatenus ex illius remiſſione præcedenti cōtrahit aliquid grauitatis. Etenim beneficium remiſſionis diuinæ obligat nos ad non peccandum iterum. Vnde cùm iterum peccamus, eò grauius peccamus, quòd facimus contra obligationem ortam ex tali beneficio: eaque de cauſa ſumus magis indigni venia. Nam ſi is, qui non pœnitendo contemnit diuinam bonitatem ad pœnitentiam expectantem, peccat, & ira diuina dignus eſt: iuxta illud Apoſtoli Rom. 2. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem ſecundum duritiem tuam & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ*: Tantò magis contemnitur Dei bonitas, ſi poſt prioris peccati remiſſionem peccatum iteretur: quantò maius eſt beneficium peccatum remittere, quàm peccatorem ſuſtinere. Sicut autem beneficium Dei remittentis peccata eò maius eſt, quò hæc fuerunt plura & grauiora: ita peccantis ingratitudo, & conſequenter eius peccatum tantò maiora ſunt.

S. Thom.

13. Præcipuè per peccata magis oppoſita beneficio remiſſionis.

Præterea, ſicut quædam peccata ſunt, quæ magis pugnant contra beneficium remiſſionis: ita maiorem ex ſe continent ingratitudinem, & magis aggrauantem. Qualia ſunt quatuor illa, de quibus D. Thomas q. 88. art. 2. in corp. in quibus, inquit, peccatur quodammodo contra formam beneficii remiſſionis, quia agitur oppoſitum eius, quod agebat remittens; aut eius, quod agebat pœnitens, in ordine ad remiſſionem. Actus enim remittentis erat condonatio debiti: cui actui opponitur nolle condonare debitum alteri: de quo peccato Chriſtus loquitur Matth. 18. & nos paulò inferiùs. Actus verò pœnitentis ad remiſſionem facientes erant credere, confiteri, pœnitere. Contra quos actus agit ille, qui à fide recedit per apoſtaſiam, qui ſpernit confeſſionem, qui dolet ſe pœnitentiam egiſſe. Idemque dicendum eſt de eo, qui gaudet de peccatis præteritis, vel eadem in ſpecie committere proponit: qui veniam deſperat, vel negligit: qui denique directè, & expreſsè, Deum remiſſorem, & benefactorem, eiuſque beneficium contemnit, vel contra ipſum, vt talem peccat directo, & ſpeciali modo.

14. Differentia inter vtrumque modum redeundi.

Eſt autem magna differentia inter hunc modum redeundi, quem aſſerimus: & alium ſimplicem, & proprium quem negauimus. Quia in ſimplici reditu plura eſſent peccata, præter illud ſequens. In iſto autem non eſt niſi peccatū illud, quod de nouo committitur, ſed aggrauatum ex peccatis prioribus, ſiue potiùs ex eorum remiſſione: id eſt, eò grauius, & maiori pœna dignius; quò plura & maiora peccata fuerunt remiſſa, & quò grauius eſt offendere Deum benefactorem, poſt acceptum tantum beneficium.

SECTIO II.

Soluuntur obiectiones contra doctrinam propoſitam.

15. Argumenta in contrar. ex Scripr.

CONtra id, quod diximus, peccata non redire ſimpliciter, neque ſecundum culpam, neque ſecundum pœnam, multa obiiciuntur. Primò, quòd Dominus ſeruo nequam omne debitum dimiſerit: ac deinde,

audità eius crudelitate in conseruum, illud reuocauerit: & Deus nobis idem facturus sit, nisi inuicem offensas remiserimus: iuxta illa Christi verba Matth. 18. *Serue nequam omne debitum dimisi tibi*, &c. *non exeat inde, donec reddat vniuersum debitum. Sic & pater meus coelestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Secundò, quòd Deus Ezech. 18. eodem modo dicat se non recordaturum ampliùs bonorum operum, quæ quis in peccatum cadens, antea egerat: sicut dicit se non recordaturum peccatorum, de quibus egit pœnitentiam. Atqui bona opera, per peccatum mortificata, redeunt per pœnitentiam: Ergo similiter peccata per gratiam occultata, & tecta, redeunt per peccatum subsequens. Tertiò, Deus ibidem ait: *Si auerterit se iustus à iustitia sua, omnes eius iustitiæ non recordabuntur.* Ergo pœnitentia præcedens obliteratur: & consequenter peccata redeunt: rescisså enim condonatione, redeunt res in priorem statum. Quartò, Scriptura docet Deum datâ occasione recordari peccatorum, ea scilicet puniendo, quæ iam remissa erant. Vt 3. Reg. 17. *Quid mihi & tibi vir Dei? Ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum*, Quintò denique, D. Augustinus lib. 1. de Baptismo contra Donatist. Beda in illud Luc 11. *Reuertar in domum meam, vnde exiui.* Rabanus, & alii ita expressè docere videntur verbis relatis à D. Thoma quæst. 88. art. 1. & 2. in argumẽtis, quæ sibimet obiicit.

Exponitur locus Matthæi 18. 16. Ad primum, Respondeo primò, quod dicitur citato capite Matthæi v. 27. Dominum serui patientiam rogantis misertum, dimisisse eum, & dimisisse ei debitum: intelligi posse secundum eius petitionem, v. 26. *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi*: quod nempe dimiserit tantùm quoad præsentem exactionem, & coactionem, à qua deinde non abstinuerit, irritatus immisericordiâ illius, & crudelitate in conseruum, vt dicitur v. 30. & sequentibus. Sic autem sensus parabolæ erit, Deum, quando differt punitionem, & exactionem pœnæ peccatis nostris debitæ, irritari nostrâ in alios immisericordiâ, & accendi ad exigendum, & puniendum seuerissimè.

17. Secundò, supposito quòd Dominus seruo debitum formaliter, & secundum se dimiserit, idque simpliciter, & absolutè (nam verba, quibus significatur dimississe, absoluta sunt, & à conditione libera) Respondeo cum *Suares. Vasquez.* Suare disp. 13. sect. 1. & Vasque art. 1. quæst. 88. post Chrysost. & alios antiquiores: in parabolis Euangelicis, intentionem Christi, non autem exactam similitudinem, spectari debere. Alioquin ex parabola villici iniquitatis, Lucæ 16. disceremus de furtiua pecunia eleemosynam facere. Intendit autem Christus ostendere, Deum seuerè acturum cum immisericordibus: Sicut Rex ille seuerè egit, cum seruo immisericorde. Tametsi non omnino eodem modo, si supponamus (quod verba Christi præ se ferunt) Regem illum idem numero debitum repetiisse. Quanquam aliter intelligi possunt. Quòd scilicet Rex seruum in carcerem coniecerit propter nouum peccatum, in quo debitum remissum rediit secundum quid, & per quandam æquiualentiam. Nam si priùs simpliciter, & absolutè debitum dimiserat, non potuit illud secundum se repetere. Etenim inter homines impossibile est, vt aliquis, licet Dominus & Rex, debita reducat, quæ simpliciter dimisit. Ideóque vel non sumpsit Christus in parabola id, quod inter homines fieri nequit: vel intendit id, quod supra diximus, ostendere videlicet Deum grauissimè offendi simili immisericordia, & seuerissimè peccatum illud puniturum: iuxta illud Iacobi 2. *Iudicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam*: id est, iudicium durissimum, & rigidissimum illi fiet. Quo documento plurimum egebant Iudæi vindictæ cupidissimi.

18. Ad secundum, Respondeo Ezechielem loco cit. videri quidem eodem modo loqui de peccatis, & de meritis: discrimen tamen ex materiæ diuersitate facilè posse colligi. Quia peccata verè abolentur, & absolutè per pœnitentiam: merita verò non abolentur, sed mortificantur tantùm, & impediuntur ne sortiantur effectum suum, vt sequenti disputatione videbimus. Neque Deus vsquam in Scriptura ait merita iusti post lapsum exinaniri, aboleri, proiici in profundum maris, & similia, quæ dicit de peccatis per pœnitentiam remissis. Adde quòd promissiones debent amplè, & fauorabiliter intelligi: neque debet promissor plus verbis præ se ferre, quàm reipsa velit dare. Alioqui enim facit iniuriam promissario, quem decipit. At contra, comminationes, vt pote odiosæ, debent potiùs restringi, & intelligi, quantum fieri potest, cum moderatione fauorabili. Atqui promissio est, quòd Deus dicat se non ampliùs recordaturum omnium iniquitatum pœnitentis. Comminatio verò est, quòd dicat se non recordaturum bonorum operum iusti in peccatum lapsi. Ergo debent rationabiliter diuersimodè intelligi: illa quidem ampliissimè, ista verò cum fauorabili restrictione. *Explicatur locus Ezech. 18.*

19. Ad tertium, Respondeo præcedentes iustitias non esse in recordatione Dei ad hunc effectum, vt propter illas tribuatur præmium, vel vt non inferatur pœna pro peccato sequenti. Sunt tamen in recordatione eatenus, vt qui iustitias illas fuit operatus, tantò minoris culpæ, & pœnæ reus sit. Sicque præcedens poenitentia est in recordatione, vt qui eam egit, sit tantò minùs reus. Vel, vt breuiùs ait D. Thomas quæst. 88. art. 1. ad 3. per sequens peccatum iustitiæ priores obliuioni traduntur, in quantum erant meritoriæ æternæ vitæ: non tamen inquantum erant impeditiuæ peccati.

20. Ad quartum, Dico ibi sermonem esse de peccatis non omnino remissis, quatenus restat adhuc saltem aliqua pœna pro illis sol- *Quomodo Deus*

cordatur peccatorum.

luenda: quę dum Deus differt punire, videtur eorum obliuiſci: ſed tandem peccatis recentibus, vel alia occaſione prouocatus, ea cum nouis peccatis grauiter punit.

Ad quintum, reſpondeo Patres citatos debere intelligi de reditu ſecundum quid, in ſimili, vel per æquiualentiam quamdam: quòd nimirum peccata dimiſſa nouum peccatum aggrauent, propter immiſericordiam, vel quid ſimile, vel quòd eâ de cauſa Deus non det auxilia efficacia, permittatque peccatorem relabi in peccata ſimilia, in quibus vetera vt in ſimilibus redeant: vel denique quia redit ſimilis poena priuationis gratiæ, & gloriæ, & damnationis æternæ. Et hactenus de reditu peccatorum ſecundum potentiam, & legem ordinariam: ſupereſt nunc dicere de potentia abſoluta.

SECTIO III.

An peccata ſemel remiſſa redire poſſint de potentia abſoluta?

21. Non poſſunt eo modo remiſſa, quo nunc,

RESpondeo ne ſic quidem fieri poſſe, vt peccata ſemel abſolutè remiſſa, ſicut modò remittuntur, id eſt, ſine dependentia à peccato futuro, propter illud propriè redeãt. Probatur; quia manifeſtè impoſſibile eſt vt propter illud reuocentur, niſi ab ipſo pendeant, ita vt diuina remiſſio illi quodammodo ſubordinetur. Nam ex ſola natura rei non eſt talis connexio inter peccatum nouũ, & vetera extincta: vt propter ipſum, citra prędictam Dei ordinationem reuocari poſſint. Ergo ſecluſa tali ſubordinatione impoſſibile eſt vt redeant propter peccatum ſubſequens.

Poteſt tamen aliter fieri.

Poſſet tamen, vt rectè aduertit Aegidius Coninc diſp. 2. n. 147. poſſet inquam, Deus alicui peccatum remittere cum ea conditione, vt ſi poſtea peccaret, tantam culpam contraheret, & tantùm poenæ reatum, quanta extitiſſent ex vtroque peccato, ſi priùs non fuiſſet remiſſum. Si enim homo ipſe per votum, aut aliter, poteſt ſe ſub dupla, vel tripla culpa obligare ad aliquid: quantò magis Deus omnium Dominus, qui poteſt rem de ſe leuem præcipere grauiter, & obligare ſub culpa mortali: vt eſum pomi Genes. 2. Deberet tamen Deus hanc obligationem ſignificare homini: alioquin ipſius ignorantia excuſaret à grauiori culpa. Sed in hoc caſu prior culpa, aut reatus non rediret ſecundum ſe & propriè: ſed tantùm ſecundum æquiualentiam.

22. Poteſt reproduci idẽ actus peccati.

Poſſet etiam Deus, quantum eſt ex parte potentiæ abſolutæ, voluntate humana determinante ſe ad peccatum committendum, idem ſpecie cum eo, quod fuit antea commiſſum, poſſet inquam, Deus concurrere ad idem numero, & illud ipſum reproducere. Sed hîc de tali modo redeundi non loquimur. Et in hoc caſu peccatum illud bis productum, eſſet duplex moraliter, & duobus æquiualeret quoad iniuriam, & demeritum: perindeque ſe haberet, ac ſi nouum, & diſtinctum eſſet.

Dices, id eſſe miraculoſum: & in actibus malis tale miraculum non eſſe conueniens, neque decere diuinam ſapientiam. Reſpondeo, non quidquid repugnat ex parte ſapientiæ, repugnare propterea ex parte potentiæ abſolutè, & ſecundum ſe ſpectatæ: ex parte cuius tam facile eſt reproduci actum peccaminoſum, quàm quemuis alium. Sed non eſt miraculoſum abſolutè, nec niſi ſuppoſita ordinatione diuina, quæ nunc eſt, vt idem numero reproducatur. Cùm cauſa ſecunda per ſe non magis aliud, quàm ipſum exigat: neque maiori concurſu egeat ad vnum, quàm ad aliud omnino ſimile, & æquale. Talis autem ordinatio non habet connexionem neceſſariã cum ſapientia, vel bonitate Dei, ſine cuius detrimento potuit eſſe oppoſita voluntas producendi modò idem, modò diuerſum, pro ſua libertate: ſicut pro illa, è multis indiuiduis æquè poſſibilibus, hoc eligit præ illo. Poſſet etiam ordinare, vt quoties voluntas ad eundem actum ſeſe determinare conaretur, ad eundem concurreret: vel in eo habere rationem loci eiuſdem numero, vel obiecti, vel alterius rei ad actionem aliquo modo pertinentis.

23. Poſſet culpa condonari ſub conditione.

Poſſet vlteriùs peccatum ipſum, quoad culpam, non condonare abſolutè peccatori: ſed ſub conditione, ſi non ampliùs peccauerit: ſuſpendendo effectum remiſſionis peccati vſque ad vltimam vitæ periodum, in qua conditio impleretur, & peccatum aboleretur, ſi ſine nouo peccato mortali decederet. Sed in hoc caſu, ſi ille nouum peccatum ante mortem committeret: non propterea rediret propriè peccatum vetus ſub conditione remiſſum. Neque enim diſceſſerat: ſed diſceſſioni, ſiue abolitioni expoſitum fuerat, & ab effectu punitionis ſuſpenſum. Non enim poteſt ille puniri, donec iterum peccet: ſi ſupponamus etiam quoad pœnam ſub conditione remitti. A qua ſuſpenſione liberatur, non iam ampliùs pendente conditione, ſed per nouum peccatum ſublatâ. Hunc autem modum remittendi eſſe Deo poſſibilem dubitari non debet: cùm inter homines ſit poſſibilis, & nullam importet imperfectionem Deo repugnantem.

Simultãq; culpa, & pœna.

Poſſet inſuper culpam abſolutè remittere; reatum verò pœnæ, ſub conditione tantùm euitationis peccati noui. Nam ſi poteſt remittere culpam abſolutè, retentâ totâ pœnâ, vt alibi oſtendimus: quantò magis remittere culpam abſolutè, pœnam verò ſub conditione non peccandi de cætero?

24. Poſſitne macula formalis ſuſpendi ad tempus?

Addit Aegidius Coninc diſp. 2. n. 149. probabile eſſe peccata commiſſa poſſe à Deo ita remitti, vt non inficiant ampliùs animam, ſed ſuſpendatur omnis eorum effectus, etiam formalis, qui eſt maculare animam, & reddere Deo odibilem: donec nouum aliquod peccatum committatur, quo, velut condi-

tione, posito, peccata priùs commissa rursus inficiant animam: ipseque peccator sit causa talis infectionis moralis, & habitualis: partim per peccata præterita, sub ea tantùm conditione remissa, vt si iterum peccet, inficiant moraliter: partim per nouum peccatum, quo posito, velut conditione sine qua non, cætera incipiant rursus maculare habitualiter. Simili quodam modo, quo peccatum Adæ incipit maculare animam, posita eius vnione cum corpore per naturalem generationem, velut conditione necessaria, sine qua non illam inficeret. Vnde si anima crearetur ante vnionem cum corpore: nondum inficeretur. Et si Deus statuisset, vt non contraheretur peccatum Originale, nisi per natiuitatem: anima infantis, quamdiu esset in vtero, non inficeretur Originali peccato. Quamuis enim diu ante, id est, ipso mundi initio peccauerit moraliter in Adamo: suspenditur tamen effectus formalis illius peccati, donec ponatur conditio, sine qua non maculat. Sicut enim peccatum actu commissum habet vim inficiendi peccatorem, donec remittatur: ita peccatum Adæ habet vim inficiendi singulos eius posteros, quibus nondum remissum fuit. Et sicut Deus in casu posito suspenderet vim peccati antea commissi moraliter in Adamo, & nondum remissi huic infanti, ne inficiat originaliter animam infantis, donec ponatur conditio natiuitatis; ita potest suspendere vim peccatorum actualium ante commissorum, ne inficiant, donec ponatur conditio noui peccati. Hæc ille.

25. Ad quæ dico primò, eodem argumento probatum iri fieri posse vt peccatum actuale non inficiat animam, quando actu committitur, sed suspendatur eius effectus formalis. Sicut si anima infantis hodie concepti, creata fuisset eodem instanti, quo anima Adami: non fuisset infecta illius peccato, quando ipse peccauit: sed eius vis fuisset suspensa, donec infans conciperetur, & anima eius corpori vniretur: quæ vnio est prior infectione peccati Originalis, tanquam conditio sine qua non. Et tamen est euidenter impossibile actu committi peccatum actuale, putà odium Dei: & non maculare animam. Et actum illum esse vnitum subiecto: neque tamen illi communicare effectum suum formalem, qui nihil est aliud, quàm ipsamet eius communicatio, & existentia in subiecto.

Obiectioni non possit.

26. Dico secundò, differentiam esse inter peccatum actuale & Originale. Nam actuale contrahitur à persona, eo instanti, quo ab illa committitur, & moraliter in ea perseuerat, donec remittatur: quamdiu autem est in subiecto physicè, aut moraliter, necessariò illi communicat suum effectum formalem primarium, qui est maculare, & reddere subiectum dignum odio Dei. At verò peccatum Originale non contrahitur à posteris Adæ, eodem instanti, quo commissum fuit ab Adamo: sed tantùm eo instanti, quo per naturalem generationem concipiuntur ex ipso. Cùmque dicuntur peccasse in Adamo: sensus est, quòd peccatum Adæ ad illos pertinebit, cùm primùm concipientur via naturali: ita vt propter illud sint tunc futuri Deo odibiles, & abominabiles, perinde ac si physicè peccassent, peccante Adamo: id est, per moralem participationem peccati ab Adamo commissi, tanquam capite omnium posterorum, continente moraliter omnium voluntates: propter quod tale peccatum rationabiliter omnibus imputatur, eo ipso quòd incipiunt esse posteri Adami, & illi vt capiti coniungi per viam naturalis generationis. Cùm igitur peccatum Originale non contrahatur, & participetur ab anima, antequam homo via naturali generationis descendat ex Adamo: non est mirum, si ante illam non inficeret animam priùs creatam. Quia tale peccatum ad illam vt talem non pertinet: & nisi corpori vnienda esset viâ naturali generationis, nunquam ad illam pertineret. Si autem reipsa illi vnienda est: futurum est quoque, vt peccatum ad illam pertineat: sed tamen nondum pertinet, neque pertinebit, quamdiu erit in statu præuio naturali generationi.

SECTIO IV.

De ingratitudine peccantis post remissionem peccatorum.

DIximus supra sect. 1. concl. 2. ingratitudinem esse causam cur peccata per pœnitentiam remissa redeant virtualiter, & secundum quid. Iam de illa quærendum superest primò, num in omni peccato post remissionem admisso insit ingratitudo? Secundò, quotuplex sit formalis ingratitudo, & an sit speciale peccatum? Tertiò, an per illam æquiualenter redeant peccata dimissa? Quartò, num aliunde, quàm ex peccatorum remissione oriatur? 27.

Ingratitudo formalis non inest in omni peccato.

Prima conclusio: in omni peccato post remissionem admisso inest quidem materialis ingratitudo, sed non formalis. Ratio est, quia vt aliquid sit materialis ingratitudo, sufficit vt reipsa fiat contra debitum gratitudinis. Vt autem sit formalis ingratitudo, debet vlteriùs fieri ex cognitione, & libertate. Quemadmodùm vt aliquid generatim sit peccatum culpabile materialiter, sufficit vt fiat reipsa contra debitum honestatis: sed vt sit formaliter culpa, debet fieri liberè, cum ea cognitione, quòd sit contra debitum honestatis. In omni autem peccato post remissionem admisso hoc quidem reperitur, quòd fiat aliquid contrarium benefactori, & debito gratitudinis: à quo inter alia propter beneficium remissionis ex gratitudine abstinendum esset. At non semper liberè. Plerique enim sæpissime, dum peccant, non cogitant de beneficio remissionis præteritæ: atque ita non agunt scienter, & liberè contra illam.

Dicunt

28. S. Thom. Diuus Thomas quæst. 88. art. 2. ad 2. videtur dicere, peccata venialia post remissionem commissa non continere labem ingratitudinis, neque esse causam vt redeant peccata dimissa. Sed ita est interpretandus, vt velit non continere eodem modo, quo mortalia; neque efficere vt redeãt eodem modo, sed alio proportionato. Neque enim venialia reuocant priuationem gratiæ, neque pœnam damni, & auersionẽ æternã à Deo, & alia, quæ ex peccato mortali generatim sequuntur, in quantũ ita est cõtra Deũ, vt ab ipso simpliciter auertat, & amicitiam dissoluat. Quæ interpretatio colligi potest ex ratione à D. Thoma ibidem subiecta: *Quonia*, inquit, *peccans venialiter non facit contra Deum* &c. Alioqui verò manifestũ est offensis etiã venialibus lædi benefactorẽ: & inter homines leuis offensio censetur grauior, & turpior, si fiat contra benefactorem.

29. Ingratitudo formalis est duplex. Secunda conclusio: Ingratitudo formalis, id est libera & culpabilis, duplex est. Vna est quasi tacita & obliqua, magisq; interpretatiua quàm expressa: nẽpe quãdo aliquid agitur sine iusta ratione, quod agens scit displicere benefactori, eumque offendere, & tamẽ non ideo abstinet: nõ quòd expresse velit illũ offendere, sed quia neq; satis nõuult, quemadmodũ oporteret nolle. Vt si aliquis intendens homicidiũ, aut furtum cõmittere; non ab eo retrahatur, tametsi videat ad id se obligari, inter alia, ratione beneficij remissionis præcedẽtis, quę quodãmodo contẽnitur, quando propter illã à peccato nõ abstinetur. Alia est directa, & expressa: cũ aliquis vult directè & expresse offendere benefactorẽ vt talẽ. Vt si quis expresse peccet, & directè ad contẽnendum Deũ benefactorẽ, vel acceptũ ab eo beneficiũ. Quæ ratio ingratitudinis priori lõge deterior est, & prorsus diabolica. Simili modo inobedientia formalis duplex est. Vna tacita & indirecta: cùm quis aduertẽs se agere contra præceptũ, non abstinet: licet expresse id non affectet. Alia expressa & directa est, cùm quis expresse & directè id ipsum vult, agere scilicet contra præceptum, cui tenetur obedire. Idemque dico de iniustitia, intemperantia, cæterisque vitiis.

30. Ingratitudo directa est speciale peccatum. Porro directam & expressam ingratitudinẽ esse peccatũ speciale nemo ambigit. De obliqua verò & tacita negant Scot. in 4. dist. 22. q. 1. §. *De tertio art.* Dom. Sot. dist. 16. q. 1. art. 4. Suares disp. 13. sect. 3. n. 3. Vasques dub. 1. ad art. 4. q. 88. Aegid. Coninc. disp. 2. n. 156. aliique multi, asserentes non cõmitti specialẽ ingratitudinẽ, nisi is qui peccat; expresse & directè intendat offendere benefactorẽ, vel contẽnere beneficium. Primò, quia S. Thom. Arist. D. Thom. sic docet q. cit. art. 4. in cor. & cõfirmat ex Aristot. 5. Ethic. c. 2. affirmante eũ, qui mœchatur vt furetur, magis esse furem, quam mœchum. Secundò, quia non obligatur homo speciali præcepto gratitudinis diuinæ ad vitandũ peccatũ, quatenus offensiuũ Dei est. Nam cùm sufficiat præceptũ iustitiæ erga Deũ: non est cur multiplicentur peccata propria, & specialia sine necessitate. Tertiò, quia licet in peccatis, quæ per se primò ordinãtur ad actum externũ, vt in intemperãtia, iniustitia, & similibus, sufficiat voluntarium indirectum ad dandam speciẽ peccati: quod voluntariũ, sicut generatim sufficit ad communem rationem mali moralis, seu peccati; ita specialim in tali materia sufficit ad talẽ speciẽ mali, eo quòd contraria virtus per se primò intendit, & requirit contrariam rectitudinem in tali materia: Nihilominus quando peccata sunt opposita virtutibus, quæ per se primò consummantur in actu interno, cuiusmodi sunt charitas, siue amicitia, gratitudo &c. non dant speciem actui, nisi specialiter intenta sint; vel nisi specialis aliqua obligatio ex tali virtute occurrat ad illa vitanda, vel ad oppositum actum efficiendũ. Quartò denique, si formalis ingratitudo, etiam tacita & indirecta, esset speciale peccatum, mutaret speciem peccati: & consequenter in confessione necessariò explicari deberet: nã omnes circunstantiæ mutantes speciem, necessariò explicandæ sunt, ex Trident. sess. 14. cap. 5. Hoc autem est contra communem vsum fidelium.

31. Atque etiã obliqua. Ricard. Abulens. Medina. Sed nihilominus probabilius sentiunt Ricardus in 4. dist. 22. art. 1. quæst. 4. Abulensis quæstione 141. in caput decimum octauum Matth. Medina cod. de Pœnitent. tract. 1. quæstione nona §. *Responsio*, asserentes omnem formalem, id est, liberam ingratitudinem, siue directam, & expressam, siue tacitam & obliquam, esse peccatum speciale ingratitudinis, id est, esse specialem malitiam & rationem ingratitudinis. Etenim quisquis est ingratus formaliter, id est, liberè: facit liberè contra speciale debitum, & præceptum gratitudinis. Vbicunque autem liberè fit contra debitum speciale ac proprium alicuius virtutis: ibi est malitia, & ratio peculiaris peccati illi virtuti opposita. Ergo &c. Minor est clara. Maior autem probatur: quia ex lege propria gratitudinis, vitandum est ne lædatur benefactor, qui suo beneficio peculariter nos obligat, vt ipsum amemus, neue illi malũ pro bono referamus. Quod confirmat D. Thom. 2. 2. quæst. 107. art. 2. vbi docet gratitudinem esse virtutem specialem, & contra illam peccari quinque modis per peccatum ingratitudinis. Primò, non retribuendo beneficium. Secundò, dissimulando, & quasi præ se ferendo se non accepisse beneficium. Tertiò, non recognoscendo, siue per obliuionem, siue alio modo. Quartò, retribuendo mala pro bonis. Quintò, beneficium vituperando, & illud quasi maleficium reputando. S. Thom.

32. Soluitur 1. argumẽtũ contrariæ sententiæ. Ad primum argumentum aduersariorum Respondeo, Diuum Thomam quando negat art. 4. citato ingratitudinem indirectam esse peccatum speciale; intelligere per *speciale*, primariam & præcipuam rationem peccati, & veluti prædominantem, & trahentem ad se rationes alias, quæ respectu illius se habent per modum adiunctorum, & circunstantiarum: Sed non negare

quin peccatum ex ea parte, quòd sit contra gratitudinem, contrahat aliam specialem, id est, peculiarem rationem malitiæ ingratitudinis, vt ex ipsius ratione manifestè colligitur. Etenim clarum est eum, qui mœchatur, vt furetur; licet magis præcipuè, ac primò intentionaliter sit fur potius, quàm mœchus: verè tamen furtum, & fornicationem committere, & vnumquodque illorum in sua propria specie.

33. Ad secundum. Ad secundum Respondeo, peccatum specialiter esse cõtra aliquod præceptum, eo nõmine, quòd sit contra debitum gratitudinis erga Deum. Nam & ratio naturalis dictat, & Deus præcipit, ne offendatur benefactor, etiam quia benefactor est. Adeo vt offensa tã apud Deũ, quàm apud homines, grauior censeatur & pœnâ dignior, eò quòd sit contra benefactorem admissa. Neque tantùm Deo parendũ est ex debito iustitiæ: sed præter illud alia multa sunt, propter quæ obligamur naturaliter ad vitandum id, quod Deo displicet: & singulariter beneficia Dei ad id obligant, inter quæ est remissio peccatorum: vt Christus indicauit Ioan. 5. cùm dixit languido in piscina sanato: *Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid cõtingat.*

34. Ad tertiũ. Ad tertium Respondeo, ex debito gratitudinis specialem nasci obligationem ad vitandũ quidquid ipsi aduersum est, & ad præstandũ quidquid propter ipsã debitũ est: inter quę est, ne quid iniquè contra benefactorẽ fiat, & vt vitetur quidquid illi iure displicere potest. Et generatim in omni virtute, quidquid primò intendat, sufficit ad specialem malitiam contra ipsius rectitudinem, si voluntariè aliquid fiat, vel omittatur, ipsius legibus, & præscriptis aduersum. Quare illa distinctio virtutum vana est, quantum attinet ad intentum aduersariorum.

35. Ad quartũ. Ad quartum Respondeo, non omnes circumstantias mutantes speciem necessariò exprimendas esse in confessione, nisi sint graues, & aliunde non satis intelligantur. Qualis non censetur circunstantia ingratitudinis indirectæ, & interpretatiuæ, communiter loquendo. Debitum enim gratitudinis minùs arctum est, quàm debitum iustitiæ, aut similium virtutum. Et quod est graue respectu iustitiæ, vel charitatis: non est propterea graue respectu gratitudinis. Vnde si cui debeam aliquot aureos ex debito iustitiæ: grauiter pecco, si non dem. Secus autem, si tantùm ex debito gratitudinis. Simile quid dicere tenentur aduersarii, quorum plerique nobiscum tenent circunstantias aggrauantes mortaliter, licet non mutent speciem, necessariò tamen explicari debere.

36. Soto. Dixi communiter circunstantiam ingratitudinis indirectæ tantùm, non censeri grauem: nam interdum esse posse non dubito cum Dominico Soto in 4. dist. 16. quæst. 1. art. 4. In quo casu non est necesse exprimere omnia peccata remissa, vel omnia beneficia diuinitùs accepta: sed tantùm dicere se peccasse post plurima, grauissimaque peccata sibi remissa, vel post maxima & frequentissima beneficia. Alioquin circumstantia ista neque mortalis censetur, neq; ignota prudenti confessario, quantũ opus est nosse.

Hîc vltimò obserua Aegidium Coninc, & alios, qui nobis aduersantur, vti interdum æquiuocatione, nec contra nos pugnare, cùm per malitiam specialem, intelligunt, non-generalem, & communem multis, aut omnibus peccatis. Quo sensu loqui videtur S. Thomas quæst. 88. art. 4. §. *Sed contra.* Eodemque sensu debet loqui Suares in præsenti, ne alioqui contradicat ijs, quæ habet disp. 10. de Charitate, sect. 2. dicto 2. & 3. vbi docet voluntarium indirectum sufficere ad contrahendam malitiam specialem scandali: cùm quis propter vtilitatem, aut voluptatem peccat, videns suum peccatum fore occasionem peccandi proximo: quod tamen non intendit directè, neque peccat eo animo: sed tantùm non abstinet à peccando, quamuis hoc præuideat. Aegidius quoque Coninc, qui hoc loco docet ingratitudinem indirectam non esse malitiam specialem, eò quòd in omnibus peccatis reperiatur: omnino idem docet quod intendimus, disp. 32. de Actibus supernaturalibus dub. 5. n. 39. vbi sic habet: Fieri potest, vt aliqua circunstãtia reperiatur in omnibus actibus malis: & hi tamen ab ea accipiant aliquam malitiam specialiter alicui virtuti repugnantem, quam non haberent, si illa circunstantia abesset. v. c. Omne omnino peccatum est à Deo prohibitum, ideoque eum offendit, atque adeo hoc est commune omnibus peccatis. Et tamen singula hinc contrahunt specialem malitiam obedientiæ Deo debitæ repugnantem, quam non haberent, si per impossibile Deus ea nunquam prohibuisset. Hæc ille.

37. Aequiuocatio aduersariorũ. S. Thom. Suarez.

SECTIO V.

Aliæ duæ conclusiones de eadem ingratitudine.

TErtia conclusio: ingratitudo peccantis post remissionem, non facit vt omnia peccata remissa æquiualenter redeant, generatim loquendo: ita vt semper peccatum sequens tantum malitiæ contineat, quantum omnia remissa. Probatur, quia absurdũ est existimare eũ, cui remissa sunt mille peccata mortalia grauissima, committendo aliquod leue peccatum mortale, fieri reum tantæ culpæ, quanta fuit in omnibus peccatis præcedentibus. Neque necessarium est, vt quantum fuit beneficium remissionis, tanta sit ingratitudo peccantis post remissionem: sed tantùm proportionaliter, quo maius fuit beneficium remissionis, eo est maior ingratitudo, & maior culpa ex parte ingratitudinis. Fieri tamen potest, vt aliquando peccati subsequentis malitia adæquetur grauitati omniũ præcedentiũ. Si v.g. post duo, vel tria

38. Peccata remissa non redeunt æquiualenter propter ingratitudinem.

Digitized by Google

mortalia remissa, committatur aliquod mortale grauissimũ, cuius malitia cõiuncta ingratitudini, æquialere poterit reatui præcedentium, vel etiam antecellere. Sed non semper, & generatim, ita fit: siue loquamur de grauitate, quam peccatũ habet ex propria specie: siue de ea, quam habet ex ingratitudine annexa. Et quamuis Deus, loquendo absolutè, adeo grauiter prohibere potuerit peccatum sequens remissionem, vt ex illo existeret tantus reatus culpæ & pœnæ, quantus ex omnibus remissis extitisset: tamen non constat ita prohibuisse: neq; eò spectat parabola Matth. 18. alibi explicata: & sine maiori fundamento tam graue onus, nostræque imbecillitati adeo disconueniens, non est suscipiendum.

39. Redeatne pœna dãni.

Dices, quòd attinet ad pœnam damni, quæ est priuatio gloriæ, non minùs priuari eũ qui post remissionẽ commisit vnicum peccatum mortale, quàm fuisset priuatus propter omnia mortalia remissa. Ergo saltẽ pœna dãni redit omnino æquialenter. Probatur antecedens, quia priuatio totalis formę non suscipit magis & minùs, vt docet S. Thõ. 1.2. q. 73. 2. 2. & q. 82. art. 4. in c. Et patet, quia totum esse priuationis est excludere, seu potiùs abesse formã oppositam. Quòd si totã omnino excludit, formaque abest tota quanta est; maxima & summa priuatio est, quanta esse potest. Ergo priuatio non potest suscipere magis & minùs, nisi per admixtionem alicuius gradus formæ sibi oppositæ. At in damnatis nulla est talis admixtio formæ oppositæ, sed in quolibet est totalis priuatio glorię, quia per quoduis peccatum mortale priuatur homo, & indignus redditur omni gratia, & gloria.

40. Quon odo crescat.

Respondeo, pœnam damni crescere, & multiplicari quodãmodo moraliter, quando pro pluribus peccatis mortalibus veluti causis totalibus imponitur, & propter vnumquodque illorum peccator gloria priuatur. Nam sicut iuxta doctrinam D. Thomæ quæst. 22. Supplem. 1. art. 6. ad 2. & in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 3. pœna excommunicationis crescit, & maior quodammodo fit, quando aliquis pluribus de causis totalibus excommunicatur, id est, multa peccata grauia committit, quorum vnumquodque pœnam maioris excommunicationis habet annexam: adeo vt ille verè dici possit esse magis excommunicatus: quãuis pœna excommunicationis sit totalis priuatio formæ oppositę, id est, participationis Sacramentorũ, & cõmunicationis bonorũ communium Ecclesiæ: Ita qui plura mortalia cõmisit, quorum vnicuique singillatim iniuncta est pœna dãni, seu priuationis æternæ glorię, potest dici magis & multipliciter priuatus: Nimirũ quia priuatio illa quodãmodo multiplicatur moraliter & æquialenter, quando respondet pluribus causis totalibus: tantóque magis peccator est à gloria remotus, & difficilius posset ad illã regredi, si daretur regressus à tali priuatione ad habitum. Vt omittã, quod aliqui addunt, pœnam damni adæquatè sumptam includere aliquid positiuum ex priuatione ortum: nempe vehementẽ apprehensionem illius status, & angorem, & tristitiã, & desperationem, & omnem aliam obstinationẽ inde profectam. Quæ licet ab aliquibus numerentur inter pœnas sensus: ab aliis tamen ad pœnam damni pertinere censẽtur: quia ex priuatione visionis diuinæ oriuntur, & ex perpetua desertione Dei, ac negatione auxiliorum omnium ad bene operandum. Videantur quæ diximus de eadem difficultate tom. 2. disp. 23. sect. 4. num. 28. & sequentibus, vbi aliorum sententias nostræ contrarias refutauimus, & præcipuis illarum argumentis respondimus.

Quarta conclusio. Remissio peccatorum non est sola & tota causa, cur ille qui peccat ingratus sit, & grauiùs peccet quia ingratus. Nam cætera quoque beneficia diuina obligant nos ad abstinendum ab offensa benefactoris: vt creatio, conseruatio, redemptio, vocatio ad fidem, vel ad pœnitentiam: & inter alia, beneficium innocentiæ, vel præseruationis à peccato. Vnde qui peccat ante remissionem; in ipso primo peccato, quod cõmittit, non vacat labe ingratitudinis: cùm propter alia beneficia: tum propter innocentiam, si eam aliquandiu Deo auxiliante seruauerit.

41. Remissio peccatorũ non est tota & sola causa ingratitudinis.

Quæri autem hìc solet vnde maior ingratitudo existat: ex beneficio innocentiæ, an ex beneficio remissionis præcisè sumpto? vel, quod eòdem redit, vtrum sit maius beneficium, innocentia, vel remissio peccatorum? Respondet D. Thomas quæst. 88. art. 3. quantitatem beneficii spectari posse dupliciter. Primò, absolutè & secundum se: quo modo maius beneficium est, quod in se maius donum est. Secundò, respectiuè in ordine ad personam dantem & accipientem: quo pacto maius est beneficium, quod conceditur minùs digno, vel magis indigno respectu dantis. Priori modo, innocentiam esse maius beneficium, quia in se est maius donum: Melius enim est præseruari à peccatis, quàm ea iam perpetrata remitti. Posteriori modo, remissionem esse maius beneficium, quia confertur minùs digno. Quòd si vlteriùs ab illo quæras, vter istorum excessuum præponderet, & vtrum illorum beneficiorum sit maius simpliciter, magisque obliget debito gratitudinis? Respondet vltimis verbis articuli cit. ex beneficio remissionis sequi maiorem ingratitudinem: quia scilicet magis obligat; & simpliciter est maius beneficium.

42. Sitne maius beneficium innocentia, quã remissio peccatorũ?

Quod tamen generaliter non est accipiendum. Multi enim sunt gradus innocentiæ, multique gradus remissionis peccatorum, etiam præcisè sumptæ, prout distinguitur ab infusione gratiæ. Secundum quos gradus variè comparatos, remissio interdum simpliciter excedit, interdum innocentia. Nam v. g. remissio maximorum, plurimorumque peccatorum per vocationem extraordinariam facta, sine dubio est maius beneficiũ breui & modicâ innocentiâ, seu præseruatione non diuturna, nec difficili, à pauculis pec-

43.

catis per gratias communes, & ordinarias. Contra verò, innocentia, & præseruatio perpetua ab omni peccato tum originali, tum actuali, extraordinariè concessa Beatissimæ Virgini, multò maius beneficium est, quàm remissio peccatorum Petro Apostolo facta, vel Magdalenæ. Similiterque longa præseruatio, per auxilia valde specialia, ab vno aliquo peccato, est maius beneficium, quàm vna eius remissio facta per vocationem communem, & ordinariam.

44. Non potest id vna regula generali definiri.

Generalem autem regulam huius excessus tradi posse non puto: sed in particulari res moraliter, pensatis omnibus circunstantiis, æstimanda est. In qua æstimatione habenda quoque est ratio impensæ, vel dispendii benefactoris, qui scilicet cum maiori difficultate, maioréque suo incommodo benefacit. Qua ex parte beneficium remissionis peccatorum, propter quod Christus mortuus est, & persona Diuina, vsque ad ignominiam crucis descendit, maius est beneficio innocentiæ Angelorum, pro quo Christus mortuus non est, sed illis aliter & faciliùs, minorique impensa gratiam perseuerandi meruit, per actus amoris, & similes, vt suo loco diximus. Eademque de causa gratiæ collatæ primis parentibus, ante peccatum, non fuerunt, cæteris paribus, tantum beneficium, ac gratiæ post ipsis, & posteris omnibus collatæ: quæ omnes dantur indignis ob peccatum originale: & non dantur nisi per beneficium redemptionis, quo liberamur ab illo peccato, & ab eius effectibus.

DISPVTATIO QVADRAGESIMA SEPTIMA.

De virtutum recuperatione, & reuiuiscentia meritorum per pœnitentiam.

Sectio I. *Vtrum per pœnitentiam virtutes amissæ recuperentur, & merita reuiuiscant?*

Sectio II. *Vtrum merita mortificata reuiuiscant per pœnitentiam ex iustitia, vel ex misericordia?*

Sectio III. *An virtutes per pœnitentiam integrè redeant, & merita perfectè reuiuiscant?*

Sectio IV. *An certum sit merita perfectè reuiuiscere per quamcunque pœnitentiam sufficientem ad iustificationem?*

DE virtutum recuperatione per pœnitentiam disputat S. Thomas quæst. 89. Et art. 1. docet omnes virtutes infusas restitui per pœnitentiam. Quia per illam remittuntur peccata. Remissio autem peccatorum non potest esse, nisi per infusionem gratiæ: & ex gratia consequuntur omnes virtutes gratuitæ: sicut ex essentia animæ fluunt omnes eius potentiæ. Secundò pœnitentem quandoque resurgere in maiori gratia, quàm priùs habuerat: quandoque in æquali, & quandoque in minori. Quia motus liberi arbitrii, qui est in iustificatione impii, est vltima dispositio ad gratiam. Vnde illo posito, statim infunditur gratia. Formæ autem, quæ possunt recipere magis, & minùs, intenduntur, & remittuntur secundum diuersam dispositionem subiecti. Quare si contingat intensionem motus pœnitentis proportionatam esse maiori gratiæ, quàm esset illa, à qua ceciderat per peccatum; resurget pœnitens in maiori

gratia. Si æqualem, aut minorem; resurget etiam in æquali, aut minori. Et eadem est ratio de virtutibus, quæ ex gratia consequuntur. 3. Hominem per pœnitentiam redire ad principalem dignitatem, quàm peccando amisit; videlicet vt sit filius Dei: sed non posse recuperare innocentiam, quam perdidit. Ecclesiasticam verò dignitatem peccator interdum recuperare prohibetur, vel quia non pœnitet, vel quia negligenter pœnitentiam facit, vel propter irregularitatem, quam incurrit, vel propter scandalum commissi criminis. 4. Opera in charitate facta mortificari per sequēs peccatum mortale. Quia sicut res viua per mortem perdit operationē vitæ, sic illa priuantur operatione perducendi ad vitam æternam. 5. Opera per peccatum mortificata reuiuiscere per pœnitentiam: quia per eam recuperant vim illam quā perdiderant: 6. Opera mortua non viuificari per pœnitentiam. Quia si sunt mortua effectiuè, id est, mortifera, & causa mortis animæ, vt sunt omnia mortalia: illa potius abolentur per pœnitentiam. Si autem sunt mortua priuatiuè, nimirum quia carent vita spirituali, quæ est ex charitate, per quam anima viuit, sicut corpus per animam; & non procedunt à principio vitæ: pœnitentia non facit, vt opera facta sine charitate processerint à tali principio. Huc vsque D. Thomas, cuius doctrina sequentibus sectionibus fusiùs exponetur.

SECTIO I.

Vtrum per pœnitentiam virtutes amissæ recuperentur, & merita reuiuiscant?

1. Virtutes amissæ recuperantur per pœnitentiam.

DIco primò, omnes virtutes supernaturales, tā morales, quàm Theologicas, per peccatū amissas, per pœnitentiā recuperari. Hæc concl. traditur à D. Thom. quæst. 89 art. 1. cuius ratio non tam ex connexione naturali gratiæ cū virtutibus: quàm ex diuina liberalitate sumi debet, qui iuxta parabolam patrisfamilias, resipiscenti filio iubet reddi stolam primam, & annulū, & calceamenta, Luc 15. id est, gratias & virtutes ante infusas, & per peccatum deperditas, vt interpretantur Hieronymus epist. 146. ad Damasum, Ambrosius lib. 7. in Lucam ad cap. 15. post medium, aliique Patres.

4 Hieron. Ambros.

2. Hoc intellige de supernaturalibus.

Dixi cum D. Thoma, *virtutes supernaturales*, siue, quod idem est, *per se infusas*: Nam virtutes acquisitæ, aut infusæ per accidens, neque amittuntur meritoriè per peccatum mortale, neq; per pœnitentiā restituūtur, aut per gratiam, cum qua non sunt de se cōnexæ: sed per actus sibi oppositos destruuntur physicè, per actus verò proportionatos recuperari possūt, iuxta conditionem habituum naturaliū, quales illi sunt. Præterea, cùm ait D. Thō. virtutes supernaturales restituri; intelligit in specie, & non in individuo. Neq; enim opus est easdem numero virtutes, & eandem numero gratiam recuperari: cùm id ad nostram iustificationem & perfectionem supernaturalem sit plane impertinens: nec modus ille productionis extraordinarius sine maiori fundamento sit asserendus.

3. Non recuperatur quælibet dignitas amissa.

Dico secundò, hominem per pœnitentiam recuperare dignitatem filij Dei, quia recuperat gratiā, quâ constituitur filius Dei: non tamen recuperare dignitatem in innocentia consistentem, quia innocentia recuperari nō potest: nec dignitatem Ecclesiasticam consistentem in facultate, vel in vsu rite administrandi res Ecclesiasticas, si illis fuit priuatus per censuras: quia nimirum eius restitutio non pendet solùm à pœnitentia, sed à Canonibus, & Decretis, seu cōstitutionibus Ecclesiasticis, & sententia iudicióque Prælatorum, à quibus huiusmodi censuræ latæ sunt; & à quibus pendet à quo, & quomodo relaxari possint.

4. S. Thom.

Hęc conclus. est tota D. Thom. quæst. 89. art. 3. vbi tamē quod ait de irregularitate cōtracta ex homicidio, non est intelligendū de homicidio in sui defensionē facto cum moderamine inculpatæ tutelæ. Nam ex illo non contrahitur irregularitas, iuxta Clementinā vnicam de homicidiis in 6. quæ incipit, *Si furiosus*. Deinde, quod ait eodem art. innocentiam recuperari non posse; intelligendum est quoad negationē peccati præteriti; vel quoad moralem quandā dignitatem, in eo fundatā, quòd homo nunquā peccauerit. Quā dignitatem rectè dicit non restitui per pœnitentiam; quia postquam peccatum est commissum, fieri nequit vt commissum non sit. Eodemque sensu negat Diuus Thomas in solutione primi argumenti, virginitatem per pœnitentiam restitui, loquendo de virginitate, prout includit negationem præteriti: quæ negatio inuoluit repugnantiam, suppositā

Quomodo non recuperetur innocentia & virginitas.

commissione peccati contra virginitatem admissi. Posset tamen hoc aliter intelligi: scilicet de virginitate quoad materialem carnis integritatem: quæ semel perdita, non restituitur per pœnitentiam, licet absolutè restitui posset, vt ait S. Doctor 1. p. quæst. 25. art. 4. ad 3. Aliter autem sumendo innocentiam, pro affectu habituali puritatis à peccato, & detestatione oppositi: ille, si est virtus supernaturalis vna vel multiplex, recuperatur simul cum gratia. Idemque dico de virginitate sumpta prout est virtus supernaturalis amans corporis integritatem, & detestans oppositum, prout rectæ rationi consentaneum est, siue differat à castitate ipsa supernaturali, siue non. Nam hæ virtutes esse possunt, & operari non tantùm actus detestationis, verùm etiam amoris sui obiecti, non obstante peccato contra ipsas admisso. Quapropter licet non recuperentur innocentia & virginitas priori sensu, quo virtutes non sunt: recuperantur tamen posteriori sensu, quo virtutes sunt. Atque ita verum manet, quod supra diximus cum D. Thoma, virtutes omnes supernaturales per peccatum amissas, restitui per pœnitentiam.

S. Thom.

5. Opera mortua nõ vinificantur per pœnitentiam. S. Thom.

Dico tertiò, opera mortua per pœnitentiam non viuificari: mortificata verò per peccatum mortale, reuiuiscere per pœnitentiam. Ita D. Thomas quæst. 89. art. 5. & 6. eiusque interpretes ibidem communi consensu.

Ad probationem supponendum est, quod idem docet art. 4. & 6. humana opera esse in multiplici differentia. Quædam enim sunt mortua, alia viua, & alia mortificata. Viua sunt bona opera facta in charitate, quæ in anima iusti est fons ille aquæ viuæ salientis in vitam æternam Ioan. 4. Mortificata verò dicuntur opera illa viua, quando per peccatum mortale superueniens impediuntur ne habeant effectum perducendi ad vitam æternam. Res enim viua, per mortem perdit operationem vitæ. Vnde per quandam similitudinem res dicuntur mortificari, quando impediuntur ab effectu suo, vel operatione. Effectus autem bonorum operum, quæ fiunt in charitate, est perducere ad vitam æternam: à quo quia impediuntur per peccatum mortale subsequens, ideo per illud mortificari dicuntur.

6. Opera mortua sũt duplicia.

Opera verò mortua duplicia sunt: effectiuè scilicet: & formaliter, seu priuatiuè. Priora sunt, quæ mortem animæ inferunt, meliúsque dicuntur mortifera. Et huiusmodi sunt peccata mortalia, de quibus dicitur Hebræor. 9. *Sanguis Christi mundabit conscientias nostras ab operibus mortuis.* Formaliter autem, seu priuatiuè mortua sunt, quæcunque carent vita spirituali, quæ est ex charitate & gratia. Quo pacto fides etiam, aliaque opera bona, quæ fiunt sine charitate, dicuntur mortua.

Huic diuisioni trimembri Diui Thomæ quartum membrũ addi potest, operum mortuorum viuificatium, quamuis viua non sint, id est, non procedant ab homine grato, & iusto. Cuiusmodi est contritio peccatoris, receptio sacramenti pœnitentiæ, vel baptismi ab eodem attrito, & similia. Quæ dici possunt viuificari per pœnitentiam: non eo sensu, quòd per pœnitentiam subsequentem fiat vt processerint ab homine grato & iusto: id enim est impossibile: sed quòd per pœnitentiam recuperent effectum gratiæ, quem ante habuerunt, quemque peccatum superueniens extinxerat.

7. Probatur opera mortua non viuificari.

Hoc supposito, prima pars conclusionis manifesta est, opera scilicet mortua per pœnitentiam non viuificari. Quia si loquamur de operibus mortuis effectiuè: illa potiùs abolentur per pœnit. iuxta illud Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitent.* &c. Si autem loquamur de mortuis formaliter & priuatiuè: illa quoque mortua formaliter in æternum manebunt: quia nunquam hoc habebunt, vt processerint à principio viuo, charitate scilicet, & gratia informato: cùm iam producta fuerint sine illo, & naturaliter iterum produci non possint, vel de facto non sint reproducenda. Quare nunquam habebunt vt sint viua, id est, facta in charitate, seu procedentia à principio vitali charitate formato. Quãuis si fuerunt viuificantia, possint dici alio sensu viuificari, quatenus iterum recuperant suum effectum, vt paulò antea notauimus.

8. Opera mortificata reuiuiscunt per pœnitentiam.

Secunda verò pars eiusdem conclusionis, quòd videlicet opera mortificata reuiuiscant per pœnitentiam, sic probatur à D. Thoma quæst. 89. art. 5. in corp. Opera viua mortificari, nihil aliud est, quàm ipsa, quæ per peccatum non extinguuntur, sed manent semper in Dei acceptatione, & vim habent perducendi ad vitam æternam, non tantùm prout physicè existunt, sed etiam postquam esse physicè desierunt, reddi inefficacia propter peccatum subsequens, & impediri, ne secundum præsentem statum perducere possint in vitam æternam propter impedimentum peccati. Quare ex opposito, reuiuiscere & viuificari, nihil est aliud, quàm ab hoc impedimento liberari, quo ablato, sunt efficacia, & expedita ad consequendum præmium vitæ æternæ. Tale autem impedimentum est peccatum, & per pœnitentiam tollitur: quare opera viua mortificata per peccatum, viuificantur, & reuiuiscunt per pœnitentiam.

9. Confirmatur ex Scripr.

Ad idem confirmandum adducit D. Thomas ibidem §. *sed contra*, illud Ioel. 2. *Reddam vobis annos, quos comedit locusta, & bruchus.* Vbi glossa: *Non patiar*, inquit, *perire vbertatem, quam perturbationibus animi perdidistis.* Periret autem sanè vbertas, si vberes fructus bonorum operum perirent. In eundem locum D. Hieronymus, *Annos*, inquit, *quos perturbationibus ante regnantibus perdideratis in vobis, quando opera vestra locusta, bruchus, rubigo, eruca que consumpserat, Deus vobis perire non est passus.* Et inferiùs: *si autem post pœnitentiam tantam vbertatem Deus*

Digitized by Google

verum omnium pollicetur: quid respondebit Novatus negans pœnitentiam, & reformari posse peccatores in pristinum statum?

10. In eundem sensum explicant sancti Patres Ambros. Hieron. Anselm. Chrysost. Theodoret. Theophylact. D. Thom. & Cornel. à Lapide cum aliis recentioribus interpretibus, illud Apostoli ad Galat. 3. v. 4. *Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa.* Quasi dicat Apostolus Galatis, post magna merita in peccatum & Iudaismum prolapsis: In vestra situm est potestate efficere, vt ea sitis passi frustra, id est, sine fructu, si maneatis in peccatis vestris: aut etiam cum fructu, si à peccatis resurgatis.

11. Idem denique confirmatur ex illis Pauli verbis Hebr. 6. *Non est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri boni*, &c. Vbi licet Caietan. Ribera, & alii quidam contendant non loqui Paulum Hebræis in peccatum prolapsis: melius tamen videtur oppositum, rectéque probatur à Suare in relect. de Reuiuiscentia meritorum disp. 1. sect. 1. & Vasque 1. 2. disp. 221. cap. 2. Fauetque Trident. sess. 6. cap. 16. vbi sic ait: *Hac igitur ratione iustificatis hominibus, siue acceptam gratiam perpetuò conseruauerint, siue amissam recuperauerint, proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino. Non enim est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri boni, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* Quibus verbis Trident. distinguit duo hominum genera. Vnum eorum, qui in accepta gratia perpetuò perseuerant: quos ad præmium laborum sperandum hortandos esse ait verbis illis Apostoli 1. Corinth. 15. *Abundate in omni opere bono*, &c. Alterum eorum, qui gratiam amissam recuperant: ad quos pertineat locus posterior Apostoli Hebr. 6. *Non est iniustus Deus*, &c. Alioqui Concilium partem illam assertionis suæ sine confirmatione relinqueret, frustraque diceret proponenda esse verba illa iis, qui amissam gratiam recuperauerint: vt intelligant Deum non obliuiscì bonorum operum quæ fecerunt ante lapsum.

Altera cõfirmatio.

Suarez. Vasquez.

12. Efficaciora verò sunt, quæ addit paulò post *Nihil iustificatis amplius deesse credendum est, quò minùs plenè, illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, diuinæ legi pro huius vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam promeruisse censeantur.* Vbi nota Concilium tantummodò requirere, vt in gratia iusti decedant, cùm ait: *si tamen in gratia decesserint*: non autem, si tamen post primam iustificationẽ continuò perseuerauerint, nec vnquã gratiam amiserint. Et can. 32. eiusdẽ sess. 6. definit, *Iustificatum bonis operibus verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consequutionem.* Vbi iterum notanda sunt illa verba *si tamen in gratia decesserit.* Ex quibus satis apertè conuincitur, merita bona per peccatum mortificata reuiuiscere per pœnitentiam. Etenim meritum reuiuiscere, nihil aliud est, quàm in tali statu constitui, vt si in illo moriatur homo, præmium illi debitum consequatur. At hoc per pœnitentiam fit, iuxta verba Tridentini modò relata. Quia positis omnibus conditionibus requisitis ad hoc vt meritum consequatur præmiũ sibi debitum, non potest illo priuari. Atqui per pœnitentiam constituitur præcedens meritum in tali statu, vt iam habeat omnes conditiones requisitas ad consequendum præmium sibi debitum: ergo &c. Probatur minor: quia conditiones illæ tres tantùm sunt, iuxta Tridentini doctrinam superiùs allatam, quibus positis, nihil ampliùs deesse iustis credendum est, vt meritorum præmium consequantur. Prima, quòd opus fuerit hominis iusti, viuique Christi Domini membri. Secunda, vt in Deo factum sit. Tertia, vt iustus in gratia decedat. Duæ primæ conditiones manifestè non desunt operibus mortificatis, quæ à iusto, viuoque Christi membro processerunt, & in Deo facta sunt. Tertia verò, vt in gratia decedat, per pœnitentiam finalem completur. Ergo posita finali pœnitentia, merita bona iam sunt viua & efficacia ad consequendum præmium sibi debitum. Plura Suares disp. 1. de Reuiuisc. merit. sect. 2. in fine, & Vasques vbi suprà: quorum ille concludit doctrinam hanc adeo certam esse, vt sine magna temeritate, & impietate aliqua negari non possit: Bañes verò 2. 2. quæst. 24. art. 6. dub. 6. affirmat contrarium esse errori proximum: & Nunus in 3. p. quæst. 89. art. 5. §. *Tota difficultas*, censet rem esse de fide: omnes denique in eo quasi dogmate conueniunt, vt testatur Cardinalis Delugo disp. 11. de Pœnit. sect. 1. num. 3.

Concilium Trident.

Obiicies primò ex eodem Concilio sess. 6. can. 26. debere iustos pro bonis operibus sperare æternam retributionem, *si bene agendo, & diuina mandata custodiendo vsque in finem perseuerauerint.* Quibus verbis Tridentinum significare videtur perseuerantiam requiri, vt conditionem necessariam ad sperandum præmium meritorum.

Respondeo, propositionem illam Concilii esse assertiuam, quòd iusti, si perseuerauerint, debeant sperare æternam retributionem. At non esse negatiuam hoc sensu, quòd si non perseuerauerint, non possint aliter sperare, & obtinere æternam retributionem. Quæ negatio neque apponitur à Concilio verbis relatis: neque est de illius mente, vt colligitur ex can. 32. suprà relato. Nam ex vtroque canone colligendum est, duplicem esse modum consequendi præmiũ meritorum. Vnum perseuerantiæ, de quo can. 26. alium, & generaliorem simplicis decessus in gratia, de quo can. 32. & cap. 16. Sicut duplex est modus consequendi salutem. Vnus perseuerantiæ, de quo Matth. 24. *Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Alius simplicis decessus in gratia finali, de quo Ezech. 18. *Si impius egerit*

Satisfit obiectioni.

Pœnitentiam, &c. *vita viuet*. Simili modo loquendi Concilium dicere poterat: Iustificatus per Baptismum intrabit in regnum cœlorum, si gratiam baptismalem vsque ad finem conseruauerit: vel si eam per peccatum mortale nunquam perdiderit. At non propterea diceret, neque ex eo inferri posset, Ergo si non vsque ad finem illam conseruauerit, nunquam peccando mortaliter, non intrabit in regnum cœlorum.

14. Conine. Vasquez Suarez. Aliter respondent Suarez & Vasquez locis suprà citatis, & Aegidius Coninc disp. 2. dub. 20. num. 168. duplicem esse perseuerantiam. Vnam perfectam & continuam, & nunquam per peccatum mortale interruptam. Alteram imperfectam, & ad salutem sufficientem, communem omnibus, qui finalem gratiam assequuntur. Et de ista loqui Concilium can. 26. non de priori, vt patet ex can. 32. & cap. 16.

Verùm hæc expositio non conuenit verbis Concilii, quod ait: *Si bene agendo, & mandata Dei custodiendo, vsque in finem vitæ perseuerauerint*. Non perseuerant autem vsque in finem vitæ bene agendo, & mandata Dei custodiendo, illi qui post baptismum, & pauca merita, deinceps tota vita peccant, & in fine conuertuntur ad pœnitentiam. Deinde de perseuerantia propriè dicta moram longam significat, neque potest quilibet decessus in gratia, proprie dici perseuerantia. Potest enim quis immediatè ante mortem, post totam fere vitam in peccato transactam, resurgere per pœnitentiam: Qui non perseuerauit propriè loquendo, & tamen præmium meritorum consequitur decedendo in gratia.

15. Obijcies secundò: Merita mala, seu peccata per pœnitentiam remissa non redeunt. Ergò merita bona per peccatũ mortificata, non reuiuiscunt per pœnitentiam. Non enim minus est virtutis in peccato contra merita bona, quàm sit in pœnitentia contra merita mala. Confirmatur, quia Ezech. 18. sicut dicitur, *Si impius egerit pœnitentiam* &c. *omnium iniquitatum eius non recordabor*, ita dicitur, *Si auerterit se iustus à iustitia sua* &c. *omnes iustitiæ eius, quas fecerat, nõ recordabũtur*. Quòd si quis dicat hoc intelligendum esse, nisi pœnitentiam agat: similiter debebit intelligi, nullam fore peccatorum recordationem, si pœnitens non iterum peccauerit.

Alter obiectio.

S Thom. Respondeo cum D. Thom. q. 89. art. 5. ad. 1. differentiam magnã esse inter bona & mala merita. Nam peccata per pœnitentiam abolentur & destruuntur: opera verò bona facta in charitate non abolentur, neque à Deo, in cuius acceptatione remanent: neque à peccato, cui non repugnant secundum esse morale, quod habent: sed impedimentum tantummodo accipiunt ex parte hominis operantis, quo remoto Deus impletur ex parte sua, id quod bona opera merebantur. Et quamuis homo per summam ingratitudinem, impietatemque retractaret, quantum in ipso esset, præcedentia merita, & doleret se bene egisse: tamen priora merita non ita extinguerentur ab illo, sicut peccata extinguuntur à Deo, cuius misericordia malitiam humanam excedit infinitè, quique ad miserendum pronior est, quàm ad vlciscendum; & peccata quidem simpliciter remittit: merita verò bona non extinguit: sed aliter se gerit erga merita bona, quæ ab ipso sunt: aliter erga mala, quæ contra ipsum sunt ex mala hominis voluntate. Quare licet ex verbis Ezechielis nudè sumptis, nec aliunde illustratis, non possit satis colligi, quòd peccata non redeant, aut quòd non minùs quàm merita reuiuiscant: ex materia tamen subiecta patet, non eandem esse de vtrisque rationem: nec eandem vim esse peccati contra merita, & pœnitentiæ contra peccata.

SECTIO II.

Verum merita mortificata reuiuiscant per pœnitentiam ex iustitia, vel ex misericordia?

16. Reuiuiscũt partim ex misericordia. RESpondeo cum Scoto in 4. dist. 22. q. 1. §. *De secundo articulo*; Gabriele ibid. quæst. 1. art 3. dub. 2. Suare in Opusc. seu relectione de reuiuiscentia meritorum, disp. 1. sect. 3. merita mortificata reuiuiscere partim ex misericordia, & partim ex iustitia. Primò enim misericordia est, quòd Deus hominem lapsum in peccatum mortale ad pœnitentiam excitet. Nam peccatum mortale reddit hominem dignum, vt in æternũ à Deo abiiciatur, & damnetur. Posset que iustè & condignè puniri tali pœna: & Deus illam non infligens, punit citra condignum. Secundò, misericordia etiam est, quòd Deus homini poenitenti conferat gratiam & remissionem peccatorum. Gratis enim & misericorditer à Deo iustificamur: quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur, vt ait Tridentinum sess. 6. cap. 8. Tertiò quoque, misericordia est, quòd Deus propter peccatum mortale non priuet in perpetuum iure per merita præcedentia acquisito, & non moraliter aboleat merita, non ampliùs ea retinendo in ordine ad remunerationem, sed negligendo: eo modo, quo post iustificationem non ampliùs retinet peccata mortalia in ordine ad odium abominationis, & ad poenam æternæ damnationis, sed illa moraliter abolet. Nam peccatum mortale posset condignè puniri hac poenâ: quandoquidem dignum est, vt peccator propter illud abiiciatur à Deo in perpetuum, & flammis æternis addicatur: sicut Angelis peccantibus accidit.

17. Partim etiam ex iustitia. Quartò, suppositio tamen, quòd Deus noluerit merita propter peccatum mortale abolere, sed potiùs ea retinere moraliter in ordine ad retributionem, dummodo qui meruit, resurgat à peccato, & in gratia decc-

dat: sicut Deum statuisse docent Scriptura, & Sancti Patres, & clariùs Tridentinum locis citatis sectione præcedenti; quódque præmium gratiæ, & gloriæ promiserit operibus meritoriis iustorum, sub ea tantùm conditione, non autem sub conditione perpetuæ, & nunquam interruptæ perseuerantiæ: Iustitiæ est, quòd merita reuiuiscant, & sortiantur effectum suum, positâ conditione à Deo requisita pro mercede reddenda eiusmodi bonis operibus. Propterquod Paulus meritò ait Hebr. 6. *Non enim est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri boni, & dilectionis, quam ostendistis in nomine eius.* Sicut enim posita promissione de mercede danda bonis iustorum operibus in gratia factis, iustitiæ est, quòd Deus illam retribuat: ita posito quòd promiserit eam reddere, non obstante peccato mortali, dummodo ille, qui peccauit, à peccato resurgat: iustitiæ est, quod illi à peccatō resurgenti merces operum præcedentium retribuatur. Confirmabitur ampliùs hæc sententia, refutando contrarias.

18. Vasques. Mærat. Moncæus.

Quarum prima est Vasq. 1. 2. disp. 221. cap. 4. Moncæi disp. 12. cap. 10. & Mæratii disp. 14. de Pœnit. sect. 4. affirmantium misericordiam quidem esse in eo quòd Deus peccatorem vocet, & iuuet ad pœnitẽtiam, & iustificationem: sed posita iustificatione, sequi ex natura rei reuiuiscentiam meritorum: & quidem tam necessariò, vt de potentia absoluta impediri à Deo non possit. Ratio Vasquis est, quia bona opera meritoria semel facta, fuerunt digna æterno præmio: & non possunt illo priuari, nisi in compensationem & pœnam delicti cõmissi. Ergo si is, qui peccauit, cõdignè satisfaciat pro delicto, aut condignè mutetur coram Deo quem offendit, ita vt ei delictum neque ad culpam, neque ad pœnam dignè possit imputari: certè restituet sibi omne bonũ, quod in pœnam delicti merebatur amittere, & expellet à se omnem pœnam. Inter pœnas autem quædam erat vt remunerationem meritorum amitteret: ergo illam sibi recuperabit. Sic inter homines, si quis Regẽ constituat sibi debitorem, aut pecuniæ pro aliquo contractu, aut remunerationis pro aliquo bono opere: posteaq; illũ grauiter offendat: merebitur amittere pecuniã, aut remunerationem sibi debitam, in pœnam delicti. Sed si pro offensa commissa, vt par est, satisfaciat: aut ita condignè mutetur apud eum, quem offendit, vt iam apud eum non maneat dignus pœnâ: sine dubio debita antiqua recuperabit, neque dignè illis priuari poterit. Meritòque apud Regem conqueri posset, si postquam condignè satisfecit, exigeretur ab ipso, in pœnam, vt amittat antiqua debita.

19. Meritum et condigno eget Dei ordinatione.

Respondeo, ad meritum de condigno apud Deum non sufficere dignitatem operis: sed requiri vlteriùs ordinationem diuinam, & promissionem mercedis: cuius promissionis defectu, opera bona & libera Beatorum non sunt meritoria de condigno, tametsi non minus habeant dignitatis, quàm ea, quæ fuerunt ab ipsis facta in hac vita mortali: Et opera Christi post mortem non fuerunt meritoria, quamuis non minùs esset infinitæ dignitatis & valoris, ac illa, quæ ante mortem exercuerat. Pendet autem à libera Dei voluntate, vt bonis operibus, de se dignis vitâ æternâ, illam promittat, & sub hac, aut illa conditione: qua promissione, vel conditione non existente, potest Deus iure negare gloriam, ob defectum promissionis, aut conditionis. Itaque si Deus gloriam promisisset bonis operibus iustorum eâ solum conditione vt in gratia accepta sine interruptione perseuerarent; deficiente illa conditione negaret meritò gloriam, propter defectum conditionis, sine qua non sunt gloriæ meritoria. Et quamuis peccator resurgeret à statu peccati, & condignè pro culpa & pro pœna satisfaceret (quod tamen illi est impossibile, vt supponno ex dictis disp. 2. de Incarnat. sect. 4. & 5.) adhuc tamen iure priuaretur æterno præmio pro illis operibus: quippe illis non debito, defectu conditionis à Deo requisitæ.

20.

In forma itaque, Nego secundam partem antecedentis: quòd nimirum in casu, de quo loquimur, opera, quæ fuerunt digna præmio vitæ æternæ, non possint eo priuari, nisi in compensationem, & pœnam delicti commissi. Et ad consequens Respondeo, iustum in eo casu non priuatum iri remuneratione præcedentium meritorum in pœnam delicti commissi: sed ob defectum conditionis à Deo requisitæ ad remunerationem consequendam.

Ad exemplum allatum de Rege, Nego paritatem: nisi supponamus contractum quoque, aut pactum Regis cum subdito, de debito pecuniæ reddendo, aut de remuneratione, fuisse factum cum conditione de non reddendo si subditus grauiter Regem offenderet. Nam in eo casu, quidquid postea subditus faceret, non haberet ius ad debitum, vel ad remunerationem: quia eâ tantùm conditione debebatur, vt Regem grauiter nunquam offenderet. Non tamen ita Regi liberum est, aut licitum, sic pacisci cum suis creditoribus, aut sibi obsequia præstantibus, quamuis sibi subditis; atque Deo liberum est promittere vitam æternam bonis operibus iustorum, sub conditione perpetuæ abstinentiæ à peccato mortali. Deus enim non potest obligari à creaturis, nisi prout, & quantum voluerit. Nec vlli, nisi pro sua libera voluntate, quicquam debet.

21. Possent merita non reuiuiscere.

Porrò in eo casu, quo Deus statuisset sub ea conditione, quâ diximus: non redirent, seu reuiuiscerent antiquæ merita, neque vt merita sunt, neque etiam vt digna sunt. Sed abolerentur per peccatum mortale superueniens. Quia non ampliùs manerent moraliter in acceptatione Dei in ordine ad præmium: sed negligerentur perinde, ac si non fuissent. Quemadmodum peccata mortalia

per iustificationem sic abolentur, vt postea non redeant, neque vt mala merita, neque vt digna supplicio æterno: sed à Deo negliguntur in ordine ad hunc effectum, perinde ac si numquam fuissent commissa. Recolendum autem est id quod alibi diximus, permanentiam moralem actuum præteritorum in eo cõsistere, quòd maneant in memoria, ita vt illorum habeatur ratio, perinde ac si physicè existerent, in ordine ad aliquos vsus humanos, secundum quos sunt maximè considerabiles: cuiusmodi est in merito, quà tali, ordinatio ad gloriam: & in peccato, ordinatio ad reddendum peccatorem dignum odio abominationis coram Deo.

22. Vasquez. Opponit Vasques. 1. 2. disp. 221. cap. 3. num. 23. Vel sublato impedimento peccati opera, & merita præterita, absque vllo alio fauore, & liberalitate Dei, possunt denominare & verè reddere hominem dignum vita æterna, eo modo, quo antea reddebãt: vel ex se non sufficiunt. Si primum: ergo nõ est opus Dei fauore vt redeant, & efficiant magis dignum. Si secundum: ergo accedente illa voluntate Dei, non possunt iusti, qui meruerunt, esse & denominari verè magis digni, sed solùm reputari. Nam denominatio iusti & digni, magis iusti & magis digni, non est ex voluntate Dei, aut aliquo alio extrinseco, per quod impossibile est hominem esse formaliter bonum, & dignũ aliquo præmio: sed est ex aliqua forma, vel actu intrinseco, qui est, aut fuit in voluntate eius, qui verè bonus, & dignus denominatur.

23. Non reuiuiscunt sine aliquo Dei fauore. Respondeo, opera bona & meritoria iustorum esse de se digna, id est, habere de se sufficientem proportionem, vt acceptentur ad vitam æternam, eaque illis promittatur, non modò si iustus vsque ad finem perseuerauerit: sed etiam si post lapsum resurrexerit, & tandem bene vitam finierit. Verumtamen sine Dei fauore & liberalitate, quâ voluit merita, etiam post lapsum, retinere moraliter, & illorum rationem habere in ordine ad præmium, modò iustus resurgat; merita illa non manerent moraliter post peccatum mortale: adeoque non efficerent magis dignum gloria.

Itaque in forma, ad antecedens Respondeo, merita præterita, sine Dei fauore, non posse post mortale peccatum denominare, & vere reddere hominem dignum vita æterna. Quia sine Dei fauore non remanent moraliter post peccatum mortale, id est, sine liberali Dei decreto, quo misericorditer statuit rationem illorum habere, etiam post peccatum mortale interrumpens seriem meritorum, & statum gratiæ.

24. Ad secundam partem minoris Respondeo, negando id quod subsumitur. Ad cuius probationem dico, non propterea hominem denominari formaliter magis dignum præmio, à voluntate Dei, aut aliquo alio sibi extrinseco: sed à suis actibus præteritis moraliter adhuc manentibus, & moraliter adhuc intrinsecis. Qui tamen sine Dei voluntate non manerent, adeóque nec magis dignum denominarent. Sicut enim vt quis sit iniustus, & dignus æterna damnatione propter peccatum mortale, non sufficit illud fuisse, sed debet adhuc moraliter remanere ad denominandum formaliter iniustum, & dignum æterno supplicio. Pendet autem à voluntate Dei potentis condonare, vt maneat, vel non maneat moraliter. Sic vt aliquis denominetur formaliter dignus vita æterna, propter aliquem actum meritorium, non sufficit actũ illum fuisse: sed debet adhuc moraliter manere. Pendet autem à voluntate Dei, vt moraliter maneat.

25 Opponit secundò ibidem num. 25. non bene cohærere id quod dicimus: reuiuiscentiam videlicet meritorum, posita promissione Dei, esse ex iustitia. Nam si ei, qui post merita peccauit, Deus posset dignè negare meritorum reuiuiscentiam; sequeretur peccatum, quod merita interrupit, condignum esse tali priuatione: ac proinde si Deus pro illis meritis aliquem gradum gloriæ promisit se redditurũ, pro nihilo illum promisisse: hoc est, nihil dignum illo præmio ab homine accepisse, pro quo promitteret: & ita fuisse meram donationem, non autem opus iustitiæ cõmutatiuæ, vt nos voluimus.

Peccatum meretur vt non reuiuiscant. Respondeo primò, quamuis peccatum mortale non esset dignum tali priuatione: posse aliunde meritum definere, ratione conditionis à Deo positæ, id est, ratione diuinæ ordinationis, quâ statuit non amplius habere rationem meritorum præteritorum, neque illa acceptare ad vitam æternam, si ille, qui meruit, labatur in peccatum mortale. Secundò dico, peccatum mortale esse dignum tali poena, quandoquidem dignum est æterna damnatione, adeóque priuatione omnis iuris ad gloriam. Tertiò, suppositò quòd Deus noluerit hac poena iustorum peccata mortalia punire, sed è contrario retinere moraliter eorũ merita: quando iam pro illis moraliter adhuc existentibus dat aliquem gradum gloriæ, non dat pro nihilo, sed dat pro aliquo opere bono, habente condignitatem, id est, sufficientem proportionem, vt acceptetur à Deo ad illud præmium, non solùm ante lapsum, sed etiam post, dummodo qui cecidit resurgat à peccato mortali. Et quamuis sit actus misericordiæ quòd Deus merita sic acceptauerit: opus tamen iustitiæ est, quòd post acceptationem & promissionem pro talibus operibus factã, mercedem pro illis retribuat impleta conditione resurrectionis à peccato, & decessus in gratia.

26 Opponunt tertiò Vasquez, & alii supra citati, meritum bonum consistere solùm in dignitate operis: tamque verè & propriè mereri iustos vitam æternam eo ipso præcisè, quòd bonis suis operibus digni sunt vitæ æternæ præmio: quàm peccatores verè & propriè mereantur æternam damnationem, eo ipso præcisè, quòd malis suis operibus digni

Digitized by Google

ſunt mortis æternæ ſupplicio. Quo fit, vt quemadmodum ad hoc peccatorum meritum impertinens eſt Dei comminatio, & decretum de hoc ſupplicio illis inferendo: ita ad meritum iuſtorum impertinens ſit Dei promiſſio, & voluntas de præmio illo eis rependendo. Vnde ſequitur, vt in rei veritate quærere an merita redeant, nihil ſit aliud, quàm quærere vtrum redeat bonorum operum dignitas ad vitæ æternæ præmium.

Meritum non conſiſtit in ſola dignitate operis.

Ad hanc difficultatem, de qua plura diximus in diſputatione de Merito, reſpondeo breuiter negando antecedens, loquendo de merito de condigno obligante Deum ad præmii retributionem, de quo merito nunc diſputamus. Etenim dignitas operis eſt quidem fundamentum huius meriti: ſed non ſufficit ad Deum obligandum, niſi accedat eius promiſſio. Cuius defectu, opera æqualia, vel maiora Beatorum, non ſunt tamen meritoria. Eſt autem differentia inter meritum bonum, & malum: quòd ad bonum, non ſolùm apud Deum, ſed etiam plerumque apud homines, requiritur promiſſio illius, qui mercedem eſt redditurus: ſine qua promiſſione ille, qui laborat in eius fauorem, non acquirit ſibi ius, neque illum obligat ad retributionem. At verò ad meritum malum ſufficit illum, qui offenditur, non ceſſiſſe iure, quod habet, ne ſine cauſa legitima offenderetur. Hoc enim ſufficit vt offeſor ſit reus pœnæ: & offenſus ius habeat exigendi poenam, aut ſatisfactionem condignam. Ideóque ad merendam de condigno poenam æternam per peccatum mortale, non eſt opus Dei comminatione: licet opus ſit promiſſione vitæ æternæ ad illam promerendam de condigno per bona opera.

27. Secunda ſententia nobis aliquatenus aduerſa eſt Cardinalis Delugo diſp. 11. ſect. 1. n. 13. affirmantis potuiſſe quidem Deum de potentia abſoluta priuare hominem lapſum in peccatum mortale, omni ſpe recuperandi priora merita, ita vt licet poſtea iuſtificaretur, non reuiuiſcerent: ſed tamen ex natura rei, & conformiter ad exigentiam gratiæ habitualis, eo ipſo, quòd homo redit in Dei amicitiam, debere reuiuiſcere merita priora, ſine vllo fauore Dei ſuperaddito, qui ſaltem non ſit cõnaturaliter debitus ipſi iuſtificationi. Ratio eius eſt, quia gratia habitualis ex ſe, & cõnaturaliter eſt ſemen gloriæ, & connaturaliter ſecum ius affert ad ſtatũ beatificum, cum quo ex natura rei non poteſt ſtare malum culpæ vel pœnæ. Cõſequens ergo eſt, quòd gratia per iuſtificationẽ accepta, afferat etiam ex natura rei reſtitutionẽ meritorũ, quæ ſi non reſtitueretur, daretur aliquod malũ perpetuũ pœnæ in beatitudine. Ex quo infert paulò poſt, num. 21. ſi Deus aliquem educeret ex inferno, & daret illi ſpatium, & auxilium efficax ad pœnitentiam; fore vt ex natura rei reuiuiſcerent antiqua eius merita, ſi fortè habuit aliqua.

Debeantne merita reuiuiſcere ex natura rei poſita iuſtificatione?

28. Verùm hæc ratio probat tantùm, non poſſe conuenienter naturæ gratiæ priuari hominem reuiuiſcentiâ meritorum in pœnam peccati: ſed non probat non poſſe aliter ob defectum conditionis à Deo poſitæ, cuius defectu non magis eſſent meritoria gloriæ, ſuppoſito lapſu: quàm Beatorum opera excellentiſſima ſint meritoria, defectu conditionis à Deo poſitæ de tempore merendi ad hanc vitam reſtricto. Reſpondetur negatiuè.

Secundò dico, non quamcumque pœnam, id eſt, priuationem perpetuam alicuius boni non neceſſarii, expertem omnis doloris & inquietudinis, repugnare gratiæ & beatitudini: quippe quæ non repugnat viſioni & amori Dei, ac quieti volũtatis Beati. Talis autem eſſet priuatio reuiuiſcentiæ meritorum, & gloriæ illis reſpondentis, ſi Deus ordinaſſet in pœnam, vt merita non reuiuiſcerent, ſed per peccatum mortale extinguerentur. Nam Beati ſine inquietudine vlla & anxietate acquieſcerent ſapienti & iuſtæ illi ordinationi Dei: & eo non obſtante Deum viderent, & amarent ſuauiſſimè pro totis viribus gratiæ, & gloriæ habitualis, ſibi collatis: ſicuti faciunt reipſa, quamuis careant augmento longè maioris gloriæ, quàm potuiſſent conſequi, ſi feruentiùs operati fuiſſent.

SECTIO III.

An virtutes per pœnitentiam integrè redeant, & merita perfectè reuiuiſcant?

29. SEnſus quæſtionis eſt, vtrum gratia, & virtutes infuſæ, integrè reſtituantur pœnitentiâ ſecundum totam intenſionem, quam ante peccatum habuerunt: & vtrum merita perfectè ſecundum omnem ſuum valorem reuiuiſcant?

Sententia negans.

Negant permulti: quorum aliqui docent, pœnitentem nunquam recipere intenſiorem gratiã, quàm ſit contritio, per quam reſurgit. Ita docere videtur D. Thomas q. 89. art. 2. in cor. vbi ait infundi gratiam pœnitẽti iuxta modum, & intẽſionem ſuæ diſpoſitionis: indéque fieri, vt poenitens quandoque reſurgat in gratia maiori, quã priùs habuerat: quandoque in æquali, quandoque in minori. Eandemque eſſe rationem de virtutibus, quæ ex gratia conſequuntur. Et art. 5. ad 3. dicit, *Pœnitentem qui reſurgit in minori charitate, conſequuturum quidem præmium eſſentiale ſecundum quantitatem charitatis in qua inuenitur* (& non maius, licet olim ante peccatum, maius meritus fuerit) *habiturum tamen gaudium maius de operibus factis in prima charitate* (vtpote maioribus vel pluribus) *quàm de operibus quæ in ſecunda fecit* (vtpote minoribus vel paucioribus) *quod pertinet ad præmium accidentale.* Idem S. Doctor in 3. diſt. 31. quæſt. 1. art. 4. quæſtiunc. 3. in cor. & ad 4. expreſſè dixerat, hominem per poenitentiam non plenariè reſtitui ad ſtatum charitatis, à quo peccando cecidit: & ideo nec plenariè recipere effectum priorum meritorum, niſi quantùm ad præmium accidentale, quod menſuratur

S. Thom.

actibus magis quàm habitu charitatis. Sic D. Thomam interpretantur, & sequuntur communiter Thomistæ, teste Domin. Soto in 4. dist. 16. quæst. 2. art. 2. in explicatione quartæ opinionis: licet ipse opinionem hanc & falsissimam esse dicat, & à D. Thoma alieniſſimam. Addit Ledesma. 1. p. 4. quæst. 30. art. 2. esse erroneam, & a præsidibus Ecclesiæ prohibendam.

Soto.

Ledesma.

Alii verò, vt idem Sotus ibidem, & Valentia quæst. 6. pũcto 1. præter gratiam nouam respondentem præsenti dispositioni pœnitentis, volunt è veteri gratia recuperari semper aliquid secundũ varias proportiones, quas ipsi variè sine fundamento excogitant.

Alii demum, quibus subscribo, docent per pœnitentiam quãcumque sufficientem ad iustificationem, præter eam gratiam, quæ speciatim illi respondet, statim restitui omnem deperditam, & omnes virtutes infusas, in ea intensione, in qua antea fuerunt: necnon omne ius ad gloriam, quod pœnitens antea siue per merita, siue per sacramenta, siue per dispositiones habuerat. Atque ita gratiam & virtutes integrè restitui secundum suam omnem perfectionem intrinsecam: merita verò perfectè reuiuiscere secundum omnem suum valorem. Ita Gabriel in 4. dist. 14. quæst. 3. art. 1. dub. 3. Medina cod. de Pœnit. tract. 1 quæst. 8. §. *Est igitur*, vbi testatur esse communiorem sententiam. Eandemque multis aliis citatis amplectitur Suarez in opusc. de Reuiuiscẽtia meritorum disp. 2. sect. 3. Vt autem distinctiùs procedamus:

Probabilius est integre redire virtutes.

Gabriel.

Medina.

Suarez.

31. Dico primò, merita per peccatũ mortificata, per pœnitentiam quamcunque sufficientem ad iustificationem, perfectè reuiuiscere secundum omnem suum valorem. Ita Suarez supra, Vasques 1. 2. disp. 221. cap. 6. Delugo disp. 11. de Pœnit. num. 43. & vt ipse testatur, omnes ferre authores nostræ Societatis, aliique plurimi recentiores.

Merita perfectè reuiuiscunt.

Vasquez.

Delugo.

Ad id probandum valẽt quæcunque sect. 1. pro reuiuiscentia meritorum adduximus. Si enim verũ est quod ait D. Thom. quæst. 89. art. 4. in cor. & 2. 5. in cor. & ad 1. merita per peccatũ mortificari, nihil aliud esse, quàm impediri ne habeant effectum: reuiuiscere autem nihil aliud esse, quàm illud impedimentum tolli, quo sublato sortiantur effectum: Certè quæuis pœnitentia sufficiens ad iustificationem, tollit impedimentũ, quia tollit omne peccatum mortale. Sublato autem impedimento, præcedentia omnia merita sortiũtur effectum, quia iam nihil obstat. Ergo restituitur quidquid erat per illa comparatum, siue gratiæ, siue gloriæ. Verba D. Thomæ art. 5. in c. hæc sunt: *Quòd isti, qui ea fecit*, opera scilicet meritoria, *nõ sint efficacia ad ducendum in vitam æternam, prouenit ex impedimento peccati superuenientis, per quod ipse redditus est indignus vitâ æternâ. Hoc autem impedimentum tollitur per pœnitentiam, in quantum per eam remittuntur peccata. Vnde, restat quòd opera prius mortificata, per pœnitentiam recuperent efficaciam perducendi in vitam æternam.* Huc vsque Sanctus Doctor.

Probatur ex D. Thoma,

Vbi nota discursũ illum D. Thomæ supponere peccatum superueniens esse vnicum, & totum impedimentum. Ergo eo sublato debet tota prior efficacia redire. Quid autem sit merita recuperare priorem efficaciam perducendi in vitam æternam, non appareret, nisi vitam æternam deberi, & tribui propter illa tanquam opera bona rediuiua. Si enim faciunt tantùm ad gloriam accidentalem: non perducunt ad vitam æternã, quæ non est gloria accidentalis, sed essentialis substantia Beatitudinis: Neque recuperant priorem efficaciam, quæ non erat tãtùm ad gloriam accidentalem, sed ad essentialem meritis iustorum promissam. Item, si valent tantùm ad gloriam accidentalem, id est, ad gaudium, quod habebunt Sãcti de illis perpetratis: non reuiuiscunt alio modo, quàm opera bona facta in statu peccati mortalis, & formaliter mortua; de quibus etiam Sancti gaudebunt, præsertim de illis, quibus se ad conuersionem disposuerunt, aut illam impetrarũt. Et tamen D. Thomas negat opera illa reuiuiscere. Denique reuiuiscere, est recuperare vitam. Per vitam autem intelligitur aliquid substantiale & essentiale, non autem merè accidentale.

32. Expenditur ratio D Thomæ.

Neque dicas, perducere quidem ad gloriã essentialem, sed non ad aliam, quàm ad eam, quæ debetur nouæ gratiæ, per pœnitentiam acquisitæ. Etenim merita præcedentia erant ad aliam gloriam, & quidem sæpissimè multò maiorem, quàm sit ea, quæ vi nouæ pœnitẽtiæ cõparatur. Quare nisi reddatur alia gratia, & ius præcedens, quod erat ad gloriam: non redeunt merita, neq; recuperant efficaciã quam habebant perducendi in vitam æternã, quod tamen teste D. Thoma falsum est. Et confirmatur, quia reuiuiscere præcedẽtia merita, est reuiuiscere vt merita & habere eandem vim, & efficaciam, quam peccatum abstulerat, vel impediuerat, iuxta verba D. Thomæ supra relata. Atqui præcedentia merita erant per se singula ad aliquod præmiũ diuersum & propriũ ipsis: ergo si merita reuiuiscunt, debent hoc ipsum recuperare.

33. Occurritur obiectioni.

Eandem vim habent alia argumenta superiori sectione allata. Sic enim verum erit reddi nobis annos, quos comedit locusta, Ioel. 2. & non perire vbertatem meritorum, iuxta glosſã ibidem: & per pœnitentiã peccatorem restitui in pristinũ statum, iuxta D. Hieron. in eundem locum. Et maioris erunt põderis hæc Pauli verba ad Galat. 3. *Tanta passi estis sine causa? Si tamen sine causa.* Et Hebr. 6. *Non est iniustus Deus* &c. Sic denique consistet definitio Tridentini sess. 6. cap. 16. & can. 33. requirẽtis tantùm ad effectum perducẽdi in vitam æternã, vt opera sint à iusto viuo Christi mẽbro, in Deo facta, cum decessu in gratia: non autem vt iustus cõtinuò perseueret in gratia: vel si ab ea excidit, vt resurgat sũmo vel toto conatu, vel certa quadam intẽtione à Soto, Valentia, eorumque sequacibus malè

34. Confirmatur ex Scriptura.

malè excogitata. Adde, quòd Deus poenitentem magnâ poenâ perpetuâ afficeret, si in poenam peccati commissi ipsum in æternum priuaret gratiâ & gloriâ præcedentibus meritis respondente. Et quamuis ita punire absolutè potuerit: aut etiam citra poenam, aliter id statuere, vt diximus sectione præcedenti: de facto tamen ita fecisse testimoniis citatis non est consentaneum.

35. Restituitur etiam perfecta gratia.

Dico secundò, probabilius esse, præter gratiam, & gloriam præcedentibus meritis respondentem, restitui quoque poenitenti gratiam, & consequenter ius ad gloriâ, quam per sacramẽta ex opere operato acquisierat, vel per contritionem, aut similem dispositionem ex opere operantis. Ita Suarez & alii, excepto Vasque, locis suprà citatis. Probatur autem primò iisdem rationibus, quibus superior conclusio. Etenim sacramenta quoque moraliter remanent. Cuius rei signum est, quòd si cum obice susceptа fuerint, eo remoto sortiuntur effectum. Sicut ergo sacramenta, quæ fuerunt recepta cum obice peccati mortalis, eo sublato per poenitentiam, sortiuntur effectum gratiæ; sic eundem recuperarant virtute poenitentiæ, quando gratia in sacramento accepta, fuit amissa per peccatum mortale. Et quidem ratio, quæ probat sacramenta cum obice susceptа debere reuiuiscere remoto obice: æquè probat debere gratiam recuperare remoto peccato mortali per poenitentiam. Ne videlicet alioqui sacramẽta iterabilia priuentur perpetuo suo effectu: & qui illa susceпit cum obice, priuetur subsidiis illi sacramento annexis. Exempli gratia, si is qui baptizatur, confirmatur, aut ordinatur cum obice, eo remoto non accipiat gratiam illius sacramenti, & ius ad auxilia statui suo conuenientia, fundatũ in gratia per sacramentum collata: priuaretur perpetuò subsidiis illi statui conueniẽtibus. At qui similiter si ille, qui fuit baptizatus, aut ordinatus sine obice, paulò post peccet mortaliter; priuabitur in æternũ subsidiis illi statui conuenientibus, nisi hæc sacramẽta reuiuiscant. Idemq; dico de illis, qui peccauerint paulò post contractum matrimonium, quod inter eosdẽ non potest iterari: aut post acceptam Extremam vnctionem, quæ non potest iterari in eadẽ infirmitate, & eodẽ mortis periculo. Esset autem potiùs iteranda, quoties ægrotus in peccatũ mortale post ipsam incideret, ne alioqui priuetur subsidiis contra agonem mortis.

36. Etiam illa quæ acquisita fuerat per sacramenta.

Vbertas quoq; gratiarum per sacramenta, & per alias dispositiones acquisita, iure computatur in annis, quos locusta, & rubigo comedit, Ioël 2. Cúmque non minùs iuris ad gratiam & gloriâ acquiramus per sacramenta, quàm per merita (neq; enim minor est titulus sacramenti, quàm meriti) probabilius est gratiam & gloriâ, vtrisque respondẽtem, poenitenti restitui. Confirmatur, quia licet gratia per sacramenta, vel per sufficientem dispositionẽ collata, non sit ex merito susciпientis: est nihilominus ex meritis Christi. Et quamuis detur gratis ex parte nostri, vt ait Apost. ad Rom. 3. & Trid. sess. 6. cap. 8. nõ tamen datur gratis respectu Christi, sed ex iustitia propter ipsius merita nobis in eum finem per sacramẽta, vel per dispositiones applicata, & quasi donata. Quæ veluti donatio non est ad tempus, sed est perpetua, quãtùm est ex parte voluntatis Christi & Dei: deque illa maximè verùm est illud Pauli ad Rom. 11. *Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.* Manet igitur hæc donatio in diuino cõspectu, vt obice remoto recuperet effectum. Cùm non minùs habeat efficaciæ, quàm merita nostra: neq; deceat excellentiam Christi, & meritorum eius, vt propter nostra merita firmius, & efficacius gratiam consequamur & gloriam, quàm per ipsius merita.

37. Idem dicẽdum de virtutibus supernat.

Idem autem quod diximus de gratia, censendum est de virtutibus supernaturalibus, quæ cum ipsa in iustificatione infunduntur. Nulla enim est ratio cur, cùm dicamus totam gratiam deperditam restitui: de virtutibus id negemus. Et argumenta superiùs allata hoc etiam conuincunt. Loquimur autem de gratia & virtutibus secundum perfectionem intrinsecam. Nam secundum extrinsecam, sæpe sunt imperfectiores, & minùs expeditæ ad operãdum, vel propter malas dispositiones peccando contractas, & adhuc superstites: vel propter infrequẽtiores, aut imbecilliores gratias præueniẽtes, & auxiliãtes, ad earum exercitiũ, & actum secundũ, & perfectionẽ illã extrinsecã, necessarias.

38. Gratia & virtutes statim restituuntur.

Dico 3. gratiam omnem, & virtutes per peccatum deperditas, iustificato statim restitui, quomodocunq; ad iustificationẽ peruеniat. Probatur, quia cùm peccatum sit vnicũ & totum impedimentum, ne causæ præcedentes sortiantur effectũ suum, vt suprà diximus cum D. Thoma quæst. 89. art. 5. in cor. remoto impedimento, statim illum sortiuntur. Quia iã nihil impedit & causæ illæ sunt efficaces ac necessariæ: & homo in præsẽti est capax illius effectus: & impedimentum peccati per iustificationem sublatum est. Vnde sicut cùm primùm obex sacramento positus tollitur, sacramentũ operatur statim: sic, &c. S. Thom.

39. Confirmatur.

Confirmatur ex iis quæ diximus in tract. de Charitate, iustos per bona opera acquirere statim augmẽtum gratiæ, neque illud differri in finem vitæ. Quia per illã fiunt digni maiori gloria, & ius ad illã accipiunt de præsenti: Quod ius fundatur in gratia ad illã destinata: Item per illa fiunt magis chari Deo. Amicus enim, quo magis per opera grata, & obsequia conatur amico placere; dignus est, qui ab eo magis ametur de præsẽti, & nõ tantùm in fine vitæ. Iraq; augetur per bona opera iustorum, amicitia inter Deum & hominẽ adeoque augetur gratia habitualis, per quã iustus fit formaliter Deo gratus, & amicus. Sicut ergo opera illa bona obtinuerũt augmẽtum gratiæ, quando fuerunt primò facta: ita debent statim illud recuperare, sublato obice, quo solo impediebantur ne haberent talem effectum.

Hinc collige, pœnitentem semper resurgere in maiori gratia, quàm fuit illa, ex qua per peccatum exciderat. Nam præter illam, aliam accipit suæ pœnitentiæ sacramentali, vel per se aliter dispositiuæ, respondentem, cum iure ad gloriam proportionatã. Gradus enim gloriæ respondent eadem proportione gradibus gratiæ: & quilibet gradus gratię dat ius ad gradum gloriæ sibi proportionatum.

40. Obiectio ex Trid.

Obicies 1. ex Trident. sess. 6. cap. 7. Iustificato gratiam infundi iuxta propriã dispositionem, & cooperationẽ: & generatim formas vel habitus, suscipiẽtes magis & minùs, intensiores, aut remissiores acquiri, pro diuersa dispositione subiecti, vt ait S. Thom. q. 89. art. 2. in c. At hæc vera non esset, si per minimã contritionem magna aquiritur gratia præcedentibus meritis debita. Ergo &c.

Respondeo, Tridentinũ & D. Thomã debere intelligi de gratia, vel de forma, quæ per se vi illius dispositionis acquiritur: non autem quæ per accidens tantùm acquiritur occasione illius dispositionis: per se verò vi meritorũ, & aliarum causarum præcedentiũ. Cùm autẽ aliquis post magna merita iustificatur: gratia, quæ in iustificatione illi datur, duas in partes distinguenda est. Vna est illa, quæ præsenti dispositioni respondet, & per se vi illius infunditur. Alia est, quæ restituitur pœnitenti propter merita reuiuiscentia, & alios titulos occasione pœnitentiæ renouatos. Et hæc præsenti dispositioni respondere non debet: sed dispositionibus, & titulis prioribus, quorum vi restituitur, peccati obice per pœnitentiam remoto.

41. Altera obiectio ex D. Augustin.

Obicies secundò illud libri de vera & falsa pœnitentia apud Augustin. cap. 20. *Licet pœnitentia posit acquirere gratiam: non tamen mox restituit dignitatem primam.* Similia multa referuntur à Gratiano parte prima decreti dist. 55. Respondeo, Patres loqui vel de dignitate (seu potestate, vt habet alia lectio) Ecclesiastica, de qua in illa distinctione sermo est: vel etiam de dignitate apud Deum, non quoad gradum substantialem sanctitatis & gratiæ; sed quoad accidentaria quædam: vt quoad immunitatem pœnæ, quæ non semper tollitur integrè: vel quoad priuationẽ deuotionis alicuius, & familiaritatis diuinæ, ac frequentiæ auxiliorũ specialiũ: vt rectè exponit Suarez in Opusc. de Reuiuisc. merit. disp. 2. sect. 3. nu. 60.

42. Tertia obiectio.

Obicies tertiò, sententiam nostram minuere timorem peccandi, ob spem recuperandi priora bona: & causare teporem in hominibus, quibus persuademus per poenitentiam, quamuis remissam, omnem gratiam pristinam recuperari posse. Respondeo primò, simili argumento probatum iri non esse tantam Dei benignitatem, aut poenitentiæ vim propter merita Christi, vt per remissam contritionem, vel attritionem cum sacramẽto, quantumcunque enormia peccata remittat: quod tamen concedunt Aduersarii. Respondeo secundò, sententiam contrariam minuere æstimationem misericordiæ diuinæ, & alacritatem poenitentiæ, quæ plurimùm excitatur spe recuperandi thesaurum bonorum spiritalium amissum per peccatum. Et quamuis aliqui ingenio rustici, & ignobiles, abutantur misericordiâ, indeque fiant segniores, vel ad peccandũ minùs timidi: alii tamẽ generosi & nobiles multò magis hinc mouẽtur, vt impensiùs Deum ament, & minùs illũ offendãt; ac si ceciderint, alacriùs resurgãt.

Objicies quartò, opinionem nostram pugnare contra experientiam. Nam præterquã quòd iustitia originalis non fuit Adamo restituta: experimur eos, qui ante lapsum magna facilitate exercebant opera virtutum, languere postquam à peccato surrexerunt, nec nisi difficilè eadem exercere. Quod signum est non habere charitatem, & alios habitus supernaturales, æquè intensos.

43. Quare non recuperatur iustitia originalis.

Ad primum de Adamo propositũ, Respondeo, iustitiam originalem illi datam fuisse ea conditione, vt si peccaret, sibi ac nobis irrecuperabiliter eam perderet: & gratiam illã cum adiunctis pertinuisse ad alium statum & ordinẽ diuinæ prouidentiæ, qui per Adæ peccatum fuerunt euersi sine vlla spe restitutionis. Vnde nec Adam iustitiam illam originalem recuperauit, nec eius posteri illam vnquã recuperant, sublato licet peccato, quod fuit causa amissionis. Ad secundũ respondeo primò, non paucos post lapsum feruentiores resurgere. Secũdò, qui post lapsum mox resurgunt, non magnam sentire communiter difficultatem. Tertiò, qui post lõgum lapsum tepidiores sunt, hoc habere à prauis dispositionibus, & contrariis inclinationibus peccãdo contractis, & à subtractione deuotionis, & specialium auxiliorũ, de qua suprà. Quartò, habitus supernaturales, nec quoad substantiam, nec quoad intensionem, cadere sub experientiam: cùm non facilitent operationem, neque ad illam sensibiliter inclinent, vt faciunt habitus naturales: sed tantùm simpliciter dẽt posse operari. Facilitas autem, & feruor quo sentimus, aliunde est, quàm ab eorũ intensione: nimirum vel à gratiis præuenientibus, vel ab habitibus acquisitis circa eadem obiecta, vel ex aliqua dispositione, quę occasione actuum generatur in parte sensitiua.

44. Non est eligibilius peccare & resurgere.

Objicies vltimò, eligibilius fore peccare, & resurgere, quàm vtroque actu carere: quia priori modo magis augetur gratia. Respõdeo non esse eligibilius absolutè, peccare & resurgere: sed tantùm hypotheticè, resurgere scilicet suppositio peccato. Quãuis autẽ augmentum gratię desiderari & procurari possit: non tamen potest absolutè desiderari, neque procurari, per medium inuoluens peccatum. Multò minùs verũ est quod obiciunt aliqui, peccatorẽ consequi lucrum per peccatũ, quia sanctior erit postea, quàm esset prius. Respõdeo enim, peccatorẽ nihil aliud per peccatũ acquirere per se loquendo, quàm detrimentũ maximũ. Primò, quia quamdiu fuit in peccato, fuit inimicus Dei, quod per se graue malum est. Secundò, quia tamdiu fuit extra tempus merendi, & in periculo damnationis,

Digitized by Google

Tertiò, quia cõtraxit debitũ grauissimæ pœnæ: præter malas dispositiones tum animi, tum corporis, & alia incõmoda, quæ ex peccato sequi solent. Per actus autem pœnitẽtię acquiritur quidem cõmodum & gratiæ augmẽtum: sed hoc per accidẽs est respectu peccati, quod perfectè gratiã non auget, sed adimit.

SECTIO IV.

An certum sit merita perfectè reuiuiscere per quamcunque pœnitentiam sufficientem ad iustificationem?

45. Certum est ex Trident. merita reuiuiscere perfectè.

REspõdeo, id de meritis tam certò colligi ex Trid. vt qui eius verba sincerè, diligẽterque expenderit, de eo cum sufficienti ratione dubitare non possit. Hoc vt minimùm affirmat AEgidius Coninc disp. 2. de Pœnit. n. 167. iuncto n. 169. Locus autem Trid. ex quo id certò colligi posse existimo, duplex est. Primus habetur sect. 6. cap. 16. & sic habet: *Cum enim ille ipse Christus Iesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat: quæ virtus bona eorũ opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua, nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possent: nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quò minùs plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, diuinæ legi pro huius vitæ statu, satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, verè promeruisse censeantur.* Huc vsque Trident. Quibus verbis tria tantùm requirit, vt iusti per sua merita consequantur vitam æternam. Nempe, vt facta sint ab homine iusto, & viuo Christi membro, cuius influxum recipiat. Secundò, vt sint opera in Deo facta. Tertiò, vt iusti in gratia decedant. Et quod valde notandum est, ait, *Nihil amplius deesse credendum est.* Ergo hæc tria sufficiunt: & illis tribus positis, debent per sua merita consequi vitam æternam, seu gloriam, quam per illa promeruerunt: & consequenter gratiam respondentem illi gloriæ. Ergo non requiritur vlteriùs feruor pœnitentiæ, & alia quæ Sotus, Valent. & alii contrarium sentientes imaginantur, & sine quibus putant merita non perfectè reuiuiscere. Confirmabitur ampliùs respondendo eorum euasionibus, & prauis Concilii explicationibus.

46. Confirmatur.

Secundus locus Concilii, qui facit ad prioris loci confirmationem, & maiorem explicationem mercedis quam iusti merentur, habetur can. 32. sess. 6. qui sic habet: *Si quis dixerit hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, vt non sint etiam iustificati ipsius merita: aut ipsum iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum, cuius viuum membrũ est, fiunt, non verè mereri augmentũ gratiæ vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamẽ in gratia decesserit, cõsequutionem, atq; etiam gloriæ augmentum, anathema sit.*

Respondent aliqui Recẽtiores, longè differre has duas propositiones: Conciliũ tantũ expressit conditionem decessus in gratia esse necessariam, ad hoc vt meritũ suum sortiatur effectum: & hæc prima propositio est vera quoad hunc locum Trident. Sed secũda propositio esset, Concil. definiuit, hanc tantùm conditionem esse necessariam; & hæc non est vera, neq; ex prima deducitur. Sicut nõ bene inferretur: Paulus ait tantùm in cap. 8 ad Rom. Fideles esse cohæredes Christi, si tamen cõpatiuntur, vt & conglorificentur. Ergo opus est vt fideles tantùm compatiantur.

47. Refellitur effugium.

Sed hoc effugiũ vanum est. Nam Concil. cap. 16. diserte ait *Nihil amplius deesse credẽdum est.* Ergo ait sufficere, & non esse opus aliquid aliud præter ea, quæ ibi requirit & exprimit. Canõ autẽ 32. est recapitulatio & confirmatio capitis 16. Quare particula, *si tamen &c.* ibi habet eundẽ sensũ exclusiuum, quod nimirũ positis tribus illis, quæ ibidem breuiùs repetit, quòd sint opera iustorũ, quòd fiant per Dei gratiã, id est, in Deo, & quòd iusti in gratia decedant, credendũ sit nil amplius deesse, ac proinde nihil aliud opus esse, vt per sua merita consequãtur augmentũ gratiæ, vitam æternam, eiusque cõsequutionem, & augmentum gloriæ.

Respondẽt 2. verba illa Tridẽt. *Nihil amplius deesse credendũ est*, dicta esse ad explicãdum nihil ampliùs requiri in homine merẽte, quando actu meretur. Hoc enim dicitur, inquiũt, contra hæreticos, qui non putant sufficere homini ad merẽdũ, quòd sit iustus, quòd sit viuũ Christi membrũ, quódque operetur in Deo, vt solẽt iusti operari: sed existimãt vt homo mereretur, fore necessariũ vt non sit Deo debitor, & vt eius opera æquarẽt Christi operũ puritatẽ. Verba enim illa, *nihil deesse amplius*, non cadunt in explicationẽ obiecti meriti: quasi dicat Concilium, obiectũ meriti esse vitam æternam cum hac tantùm cõditione, quòd qui meretur, in gratia moriatur. Sic enim Conciliũ dicere debuisset, *si tantum in gratia decesserit*: loco eius, quod dixit, *si tamen in gratia decesserit.*

48. Alterum effugium refutatur.

Verùm prior huius responsi pars est voluntaria, & aliena à mente Concil. Nullũ enim habet fundamentum in verbis Trident. quod toto eo cap. nullam facit mentionẽ huius erroris hæreticorũ: & probationes quas adducit ex Scriptura in confirmationẽ suæ definitionis, ac totus Tridẽt. discursus ei adiũctus non eò tendunt, vt ostendant, non esse opus eos, qui merentur, non esse Deo debitores, aut eorũ opera æquare puritatẽ Christi Domini operũ: sed tantùm probant Deũ promisisse mercedẽ bonis iustorũ operibus 1. Corinth. 15. & Hebr. 6. & gratiam iustificantẽ, seu iustitiam nobis inhærentẽ esse principiũ meritorũ, quia est fons aquæ salientis in vitam æternam, vt dicitur Ioannis 4. illamque nobis infũdi per Christi meritum: neq; esse in nobis, sed in Domino gloriandum, & confidendum: quia non ex nobis, sed ex Dei gratia meremur, cuius tanta est erga homines bonitas, vt eorũ esse velit merita, quæ

Digitized by Google

sunt ipsius dona, id est, bona opera per ipsius gratiam facta. Quo ergo fundamento limitant Aduersarii Concilij verba & intentionē ad hunc errorem, cuius nullam mentionē facit, & contra quem non disputat? Quaue ratione dicunt, Concilium vnum intendere, & aliud probare, quod omnino irrationabiliter fieret?

49. Verum quoque non est id, quod additur in secunda parte responsionis, verba illa Concilij, *Nihil amplius deesse credendum est*, non cadere in explicationē obiecti meriti, quasi dicat Concilium, obiectum meriti esse vitam æternam cum hac tantùm conditione, quòd qui meretur, in gratia moriatur. Nam Concilij dicens, *nihil amplius deesse credendū est*, manifestè dicit requiri tantū hanc conditionem cum aliis duabus ibidem expressis. Particula verò, *si tamen*, in can. 32. eundē habet sensum cum ista, *nihil amplius deesse credendum est*, vt antea probauimus. Quare hæc expositio non satisfacit Tridentino, sed potiùs aduersatur illius verbis supra relatis ex cap. 16. & consequenter canoni 32. idem affirmanti.

Tertia euasio. Respondēt tertiò, Tridentinum, si alicubi meminit tantùm necessitatis decedendi in gratia: alibi saltem ad certitudinē totius fructus meritorum, meminisse alterius cōditionis, vt iusti post merita non labātur. Ita enim can. 26. eiusdem sess. ait, Iustos debere pro suis bonis operibus sperare æternam retributionem, si bene agendo, & diuina mādata custodiendo, vsque in finem perseuerauerint. Et cap. 16. initio ait, Bene operantibus vsque in finem, & in Deo sperantibus, proponendam esse vitam æternam.

50. Refutatur. Sed hæc responsio non satisfacit. Nam Tridentinū locis citatis non meminit illius conditionis vt necessariæ, & sine qua non. Alioquin apertè cōtradiceret verbis supra relatis & expensis, *Nihil amplius deesse credendum est*, &c. Neque verba Cōcilii iisdem locis præ se ferunt vllam necessitatem illius conditionis. Est enim verum quod Concilium ait locis illis, iustos debere pro suis bonis operibus sperare retributionem, si perseuerent, & illis perseuerantibus vsque in finem, vitam æternam proponendam esse: quamuis hoc dictum Concilij sumatur sine exclusione, quòd scilicet nisi perseuerauerint, non consequētur retributionē, & vitam æternā: neq; hæc negatio bene deducitur ex priori affirmatione. Simili modo, quo si Concil. diceret, Baptizatū debere sperare vitam æternā, si perseueret in gratia baptismali, foreq; infallibiliter, vt illā assequatur: non propterea diceret, neq; ex eo bene inferretur: Ergo si nō perseueret in gratia baptismali, non debet sperare vitā æternā, neq; illam assequetur. Qui enim dicit vnum, non propterea negat aliud non repugnans, neque incōpatibile. At verò propositio illa Cōcilij, *Nihil amplius deesse credendū est*, negatiua est: & non potest verificari, si aliquid desit, id est, si aliquid aliud necessarium sit, puta, perseuerantia, seu vitatio noui peccati mortalis, vel vt Aduersarij dicunt, feruor magnus pœnitentiæ, aut quid aliud.

51. Valent. Respondent 4. cum Valentia q. 5. punct. 3 col. 5. ad summū inferri ex Trid. quòd merita in quouis decedēte in gratia, aliquem fructū vitæ æternæ operētur: sed quòd operētur omnē, quem ex se possunt, quæcunq; fuerit pœnitētia post lapsum, nō bene inferri ex Trid.

Reiicitur quarta responsio Aduersariorū. Verùm neq; hæc responsio satisfacit, & ex ipsismet Concilij verbis potest facilè refelli. Nam Tridēt. sess. 6. can. 32. diserte ait, iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritū, cuius viuum membrū est, fiunt, verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternā, & ipsius vitæ æternæ, si in gratia decesserit, consequutionem, atque etiam gloriæ augmentum. Et cap. 16. dicit, Nihil amplius deesse iustis, positis tribus illis sæpiùs dictis, quo minùs vitā æternā promeruisse censeantur suo tempore, si in gratia decesserint, consequendā. Ergo quantùm iustus bene operando, seu merendo promeritus est vitam æternā: tantùm eam consequitur decedēdo in gratia. Quia hoc posito nihil illi deest ad consequendum effectum meriti vitæ æternæ, quam antea meruerat. Effectus autē meriti erat vita æterna secundū substantiam suam, seu entitatem totam, quoad gradū intēsionis merito respondentē, in modum mercedis: ergo illā eandē obtinet per sua merita, decedēdo in gratia. Ac proinde non obtinet tantùm aliquem fructū vitæ æternæ, sed omnem eundē, quem antea; adeóque quidquid potest, & quidquid Trident. can. illo exprimit; nempe augmentū gratiæ, vitam æternā, & vitæ æternæ cōsequutionem, atq; augmētum gloriæ respondentis augmento gratiæ. Ergo quælibet pœnitentia sufficiens ad iustificationē, sufficit ad hoc vt merita operentur quantū possunt, dummodo pœnitēs decedat in gratia. Ex his ergo patet Aduersariorum euasiones nō satisfacere verbis Cōcilii, neq; ad prudēter dubitandum de quæstione proposita, deq; ipsius intentione, esse sufficiētes.

52. Expenditur locus Apostoli ad Hebr. 6. Iidem Recent. multùm operę impendūt vt ostendāt, Paulū ad Hebr. 6. verbis illis, *Non est iniustus Deus.* &c. non fauere nostræ sentētiæ. 1. Quia deberet Paulus ibi loqui lapsis iam reparatis, & iam habētibus ius per pœnitentiā: alioqui nō diceret, *non est iniustus Deus: sed, non erit iniustus.* At est cōtra cohærentiam textus, quòd Paulus loquatur talibus: quia immediatè antea dixerat impossibilē, id est, valde difficilem esse eorū reparationem, qui peccant post acceptā eximiam gratiā. Quomodo ergo diceret Paulus renouationē lapsorū quos descripsimus, esse pene impossibilē & tamē diceret Hebræos ita lapsos post resipiscentiā in quouis gradu, esse perfectissimè renouatos. 2. Dicunt Paulum eo loco tātùm dicere Hebræis, quos alloquitur, se sperare Deum eis daturū perseuerantiā intuitu meritorū præteritorū, & præsētium. Ita vt Paulus non loquatur lapsis, sed perseuerantibus, & bene operantibus. Quod confirmant ex aliis Pauli verbis eodem cap. 6. & cap. 10. & ex interpretatione Francisci Riberæ, & Corne-

lii à Lapide in eundem locum.

53. Sed ad primum respondeo, negando maiorem. Sufficit enim ad hunc loquendi modum, vt Paulus loquatur lapsis post merita, habetibus ius, vt si pœnitentiam agant, Deus illis mercedem reddat. Sicut post ius acquisitum sub conditione, verè & propriè diceret Dominus operario: Non sum iniustus vt desim meæ promissioni, & vt tibi non reddam mercedem, si laboraueris. Secundò, non satis efficaciter probant, quòd intelligere Pauli verba de Hebræis, qui iam post lapsum resipuerant, sit contra cohærentiam textus ob verba præcedentia. Neque enim verum est Paulum immediatè coniungere illa duo, quæ ipsi volunt: sed post explicatam difficultatem renouationis, subjicit v. 9. *Confidimus autem de vobis meliora, & viciniora saluti, tametsi ita loquimur.* Quæ verba hunc sensum facilè habere possūt, Tametsi dicamus renouationem esse valde difficilem: confidimus tamen vos eam esse assequutos, & per eam ad salutem peruenturos. Non enim est iniustus Deus, vt eam vobis non retribuat propter opera vestra bona præsentia & præterita, si perseueraueritis.

54. Confertur cum aliis verbis eiusdem Apost. Ad secundum respondeo, alia verba, quæ vel ex eodē cap. 6. vel ex cap. 10. referūtur, nihil probare cōtra hanc expositionem Suaris, Vasquis, Aegidii, Delugo, aliorumque plurium doctissimorum Theologorum. Nam quod afferunt ex Heb. 10. v. 34. *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationē. Patientia enim vobis necessaria est, vt reportetis promissionem. Adhuc enim modicū*, &c. ostendit quidem Paulum sollicitum esse, vt Hebræi à bonis operibus, quæ nūc faciunt, non desistant, & patienter agant, donec reportent promissionem. Sed non ostendit bona, quæ nunc operantur, non successisse lapsui præcedēti, & pœnitētiæ, ac renouationi post lapsum. Idemque dico de eo, quod proferūt ex cap. 6. v. 10. & 11. *Qui ministrastis sanctis, & ministratis. Cupimus autem vnumquemque vestrum eandem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei vsque in finem*, &c. Possunt enim hæc ita facilè intelligi: Qui ministrastis ante lapsum: & ministratis nunc etiam post resipiscentiam à lapsu. Cupimus autem vos in iisdem operibus bonis perseuerare vsque in finem. Quare Aduersarii non assequuntur id quod intendunt.

55. Illustratur ex Trident. Addo Tridentinum plus intelligere in verbis Pauli citatis, quàm velint Auersarii. Nam illis verbis, *Non est iniustus Deus*, &c. Tridentinum probat bona iustorū opera mereri de condigno vitam æternam, vt patet ex initio capitis 16. & Deum non esse iniustum, vt illam non retribuat. Ergo Paulus, iuxta mentē Tridentini, non dicit tantū se sperare Deum eis daturum perseuerantiam intuitu meritorum præcedentiū, vt volunt Aduersarii. Neque potest esse sensus Apostoli Deum fore iniustum, si non det illis perseuerantiam, intuitu meritorum præcedentium: quia non illam debet ex iustitia. Perseuerantia enim non cadit sub meritum de condigno: neque Deus reipsa illam dat omnibus iustis, qui bene ac meritoriè operati sunt: sed tantùm debet, & dat omnibus iustis auxilia sufficientia ad perseuerandum, quæ dicuntur efficacia respectu eorum, qui liberè consentiunt.

56. Sententiā Aduers. gratiam paulatim restitui. Deniq; iidem Recentiores, infirmatis quātum possunt probationibus ex Paulo, & Trid. & aliunde sumptis, concludunt probabilius esse, quòd non quæuis pœnitētia sufficiens ad iustificationem, restituat pœnitenti totam gratiam sanctificantem, & gloriam in eodē gradu, quo ante peccatum illam meruerat: sed prout pœnitentia est magis, vel minùs feruens, & comitata operibus in Deo factis, pluribus, vel excellentioribus: eò plus vltra proprium fructum, quem habet sibi correspondentem suo nomine, eò plus, inquam, restituit de fructu meritorum præcedentium: licet proportio huius restitutionis non possit à nobis determinatè designari. Hoc autē probabilius esse confirmant primò, authoritate Patrum. Sed nihil afferunt, quod facilè nequeat aliter explicari, præter aliqua verba Hieronymi in cap. 5. Amos. Cuius authoritas non facit probabilius, ac ne quidem probabile id, quod tam certò repugnat definitioni Trid. suprà expensæ. Idemque dico de authoritate D. Thomæ, quam secundo loco proferunt: deque nonnullis aliis Theologis contrarium sentientibus, qui magna ex parte scripserunt ante Concilium Trident. ante quod liberius fuit diuersa hac in re opinari. Quamquam D. Thom. q. 89. art. 5. in corp. manifestè Aduersariis nocet, vt sectione præcedenti ostendimus.

57. Proponuntur illius argumenta. Probant deinde hac duplici ratione. Prima sumitur ex Valentia qu. 6. punct. 1. col. 5. §. *Quarto probatur ratione*: vbi dicit ex oppositō sequi quòd si quis vixisset cum magnis meritis, & deinde per multos annos egisset sceleratissimè: nō esset ei difficilius totam gratiam recuperare, quàm vel minimam eius partem & quæcūque pœnitentia ei salutem impetraret, eundem æqualem faceret viris sanctissimis in gratia & gloria: & eodem loco poneret apud Deum, ac si nunquam peccasset. Quod, inquit Valentia, abhorret à communi sensu Sanctorum: meritóque absurdum videri debet, non iudicare id esse absurdum. Altera ratio est, quia quòd merita reuiuiscant, & sint rursus accepta ad vitam æternam, est beneficium quoddā, quod Deus præstat pœnitenti. Atqui omnia eiusmodi beneficia pendent ab hominum libera cooperatione, quæ vt maior est, ita plus de beneficio meretur: ergo, &c. Maiorem probant, quia merita per peccatum ita fuerūt extincta, & omne ius ad gloriam per ea comparatum ita periit peccatori: vt pro quouis peccato mortali, sine nouo demerito, possit excidere ab omni prętentione, & iure regressus: vt facit, si in eo statu moritur.

58. Diluitur primū a Ad primam rationē sumptam ex absurdo, respondeo eam nimis probare, & nocere aduersariis. Probaret enim Deum, qui nihil ab-

Digitized by Google

ſurdũ facere poteſt, non potuiſſe inſtituere vt merita reuiuiſcant eo modo, quo aſſerimus. At hoc neque ipſi Aduerſarii dicunt, neq; ſine manifeſta abſurditate dici poteſt. Cur enim Deus pro ſua ſumma bonitate & liberalitate ſtatuere nequeat reddere pœnitenti, quoties ſufficienter ad iuſtificationem ſe diſponit, gratiam totam, & gloriam, quam ante promeruerat? Cùm autem ſatis colligatur ex Trident. verbis ſuprà relatis, & expenſis, Deum non modò potuiſſe, ſed etiam voluiſſe pro ſua ſumma bonitate ita inſtituere: non eſt aliud reſpondendum Valentiæ, quã illud patrisfamilias ad operarium indignatum de ſua bonitate: *An non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Gratis verò additur hoc abhorrere à communi ſenſu Sanctorum: quod non ſimpliciter aſſerendum, ſed certis eorum teſtimoniis oſtendendum eſſet.

59. Ad ſecundam rationem Reſpondeo, reuiuiſcentiam meritorum non eſſe beneficium diſtinctum à beneficio, quo Deus inſtituit vt merita valerent ad ſuum effectum, dummodo iuſti vel iuſtitiam non amitterent, vel eam finaliter recuperarent: & à beneficio dato ad reſurgendum à peccato per poenitentiam, & ad finiendum in gratia. Primum autem ex his beneficiis fuit ex meró Dei beneplacito, independenter ab hominum cooperatione. Quo poſito, neceſſariò ſequitur reuiuiſcentia perfecta meritorum per quãcunque poenitentiam ſufficientem ad iuſtitiam recuperandam. Poenitentia autem nõ eſt tota, & ſola cauſa gratiæ, quæ tunc recuperatur: ſed ipſa remouet impedimentum meritorum, quod eſt peccatum, & eſt per ſe cauſa gradus gratiæ ſibi reſpondentis, quique illi daretur, quamuis nulla præceſſiſſent merita. Reliquum verò gratiæ, quæ dicitur recuperari, cauſatur à meritis præcedentibus quæ iam moraliter operantur ceſſante impedimento. Seruatur autẽ proportio inter cauſam & effectum, ita vt quò maior eſt gratia, quæ recuperatur, eò maiora fuerint, aut plura merita. Porro merita non pereunt funditus, neque planè extinguuntur, niſi per deceſſum in peccato mortali. Nam eò vſque manent moraliter in memoria diuina in ordine ad retributionem, ſi peccator ante mortem poenitentiam egerit, & in gratia deceſſerit, id eſt, ſi remoueatur impedimentum peccati iuxta doctrinam S. Thomæ quæſt. 89. art. 5. in corp.

Soluitur ſecundum.

DISPVTATIO QVADRAGESIMA OCTAVA.

De partibus materialibus Sacramenti Pœnitentiæ: & primò de Contritione.

Sectio I. *An primus actus pœnitentis debeat eſſe neceſſariò virtutis pœnitentiæ ſpecialiter ſumptæ?*

Sectio II. *Soluuntur aliquot difficultates circa prædicta de virtute pœnitentiæ.*

Sectio III. *An primus actus pœnitentis debeat eſſe contritio vel attritio, & quid illæ ſint?*

Sectio IV. *An contritio vel attritio debeat eſſe ſenſibilis & vniuerſalis?*

Sectio V. *Difficultas circa doctrinam præcedentem de vniuerſalitate contritionis.*

Sectio VI. *An propoſitum non peccandi de cætero debeat eſſe formale & expreſſum?*

Sectio VII. *De attritione ex metu pœnarum & gehennæ.*

Sectio VIII. *An contritio vel attritio debeat eſſe actus ſupernaturalis?*

Sectio IX. *An contritio vel attritio debeat neceſſariò eſſe alicuius magnæ intenſionis aut durationis?*

Sectio X. *An, & quomodo contritio vel attritio ſit deteſtatio peccati ſuper omnia?*

Digitized by Google

Sectio. XI. *An contritio vel attritio debeat neceſſariò præcedere abſolutionem aut confeſsionem; aut toties iterari, quoties illæ iterantur?*

Sectio. XII. *An contritio vel attritio ſufficiens ad ſacramentum, ſufficiat ad effectum: ita vt ſacramentum pœnitentiæ non poſsit eſſe validum & informe?*

AD hanc diſputationem pertinent tum ea quæ tradit S. Thomas tota quæſt. 85. de virtute Pœnitentiæ, cuius doctrinam referemus & exponemus ſect. 1. Tum etiam quæ habet de natura, obiecto, quantitate, duratione, & effectu contritionis, quinque primis quæſtionibus Supplementi. In quarum prima docet contritionem rectè definiri dolorem pro peccatis aſſumptum cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi: quia hæc definitio explicat naturam contritionis, tum vt eſt actus virtutis, tum eſt pars ſacramenti ordinem habens ad alias eiuſdem ſacramenti partes. Et quamuis contritio ſecundum vocis proprietatem non ſignificet actum virtutis, ſed potius quandam corporalem paſſionem, & veluti cordis comminutionem: hîc tamen ſumi pro virtute quadam & rectitudine voluntatis, ſeipſam annihilantis, & comminuentis quodammodo, ac deteſtantis peccatum à ſe commiſſum, conantiſque illud deſtruere. Quoniam autem omnis actus charitate non formatus, tranſit, & non manet adueniente charitate: fieri non poteſt vt attritio, quæ talem actum ſignificat, contritio fiat. In ſecunda, dicit contritionem eſſe dolorem de malo culpæ: non quidem peccati Originalis, quod noſtra voluntate non eſt contractum; ſed actualis, & proprij, atque præteriti, id eſt, propriâ voluntate à nobis iam commiſſi: quæ quia dura fuit, non facilè cedendo legi diuinæ, contra quam malè aliquid commiſit, aut omiſit: idcirco per contritionem comminuenda eſt. De Originali verò, aut de peccatis actualibus alienis, vel etiam de noſtris futuris, poſſumus quidem dolere; & adiunctâ prudentiâ præcauere futura: non tamen propriè de illis conteri & pœnitere. Debet autem contritio eſſe de omnibus & ſingulis mortalibus: licet vna pro omnibus ſufficiat. In tertia affirmat contritionem eſſe ſummum dolorem æſtimatiuè, ſed non intenſiuè: quia eſt dolor de peccatis, quæ tanquam vltimo fini contraria, ſuper omnia diſplicent: licet huius doloris & diſplicentiæ ſenſus non tantus eſſe ſoleat, quantum de rebus ſenſibilibus in parte ſenſitiua & rationali frequenter experimur. Cumque peccatum, prout eſt offenſa Dei, non poſſit ſupra modum diſplicere: & ex ea parte dolor contritionis nimius eſſe nequeat, ſicut nec amor charitatis erga Deum: quantum tamen ad dolorem, quem cauſat in parte ſenſitiua, exceſſus eſſe poteſt. Cùm denique inter peccata ſit inæqualitas, & Deus vno magis offendatur quàm alio: debet etiam contritio eſſe maior de vno, quàm de alio: ſicut etiam maior pœna debetur pro maiori culpa: quia vtraque debet eſſe proportionata offenſæ. In quarta, dicit tempus contritionis eſſe ſtatum totius vitæ præſentis. Quamdiu enim aliquis eſt in ſtatu viæ, deteſtari debet incommoda,

Digitized by Google

ſurdũ facere poteſt, non potuiſſe inſtituere vt merita reuiuiſcant eo modo, quo aſſerimus. At hoc neque ipſi Aduerſarii dicunt, neq; ſine manifeſta abſurditate dici poteſt. Cur enim Deus pro ſua ſumma bonitate & liberalitate ſtatuere nequeat reddere pœnitenti, quoties ſufficienter ad iuſtificationem ſe diſponit, gratiam totam, & gloriam, quam ante promeruerat? Cùm autem ſatis colligatur ex Trident. verbis ſuprà relatis, & expenſis, Deum non modò potuiſſe, ſed etiam voluiſſe pro ſua ſumma bonitate ita inſtituere: non eſt aliud reſpondendum Valentiæ, quã illud patrisfamilias ad operarium indignatum de ſua bonitate: *An non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Gratis verò additur hoc abhorrere à communi ſenſu Sanctorum: quod non ſimpliciter aſſerendum, ſed certis eorum teſtimoniis oſtendendum eſſet.

59. Soluitur ſecundum.

Ad ſecundam rationem Reſpondeo, reuiuiſcentiam meritorum non eſſe beneficium diſtinctum à beneficio, quo Deus inſtituit vt merita valerent ad ſuum effectum, dummodo iuſti vel iuſtitiam non amitterent, vel eam finaliter recuperarent: & à beneficio dato ad reſurgendum à peccato per pœnitentiam, & ad finiendum in gratia. Primum autem ex his beneficiis fuit ex merò Dei beneplacito, independenter ab hominum cooperatione. Quo poſito, neceſſariò ſequitur reuiuiſcentia perfecta meritorum per quãcunque pœnitentiam ſufficientem ad iuſtitiam recuperandam. Pœnitentia autem nõ eſt tota, & ſola cauſa gratiæ, quæ tunc recuperatur: ſed ipſa remouet impedimentum meritorum, quod eſt peccatum, & eſt per ſe cauſa gradus gratiæ ſibi reſpondentis, quique illi daretur, quamuis nulla præceſſiſſent merita. Reliquum verò gratiæ, quæ dicitur recuperari, cauſatur à meritis præcedentibus quæ iam moraliter operantur ceſſante impedimento. Seruatur autẽ proportio inter cauſam & effectum, ita vt quò maior eſt gratia, quæ recuperatur, eò maiora fuerint, aut plura merita. Porro merita non pereunt funditus, neque planè extinguuntur, niſi per deceſſum in peccato mortali. Nam eò vſque manent moraliter in memoria diuina in ordine ad retributionem, ſi peccator ante mortem pœnitentiam egerit, & in gratia deceſſerit, id eſt, ſi remoueatur impedimentum peccati iuxta doctrinam S. Thomæ quæſt. 89. art. 5. in corp.

DISPVTATIO QVADRAGESIMA OCTAVA.

De partibus materialibus Sacramenti Pœnitentiæ: & primò de Contritione.

Sectio I. *An primus actus pœnitentis debeat eſſe neceſſariò virtutis pœnitentiæ ſpecialiter ſumptæ?*

Sectio II. *Soluuntur aliquot difficultates circa prædicta de virtute pœnitentiæ.*

Sectio III. *An primus actus pœnitentis debeat eſſe contritio vel attritio, & quid illæ ſint?*

Sectio IV. *An contritio vel attritio debeat eſſe ſenſibilis & vniuerſalis?*

Sectio V. *Difficultas circa doctrinam præcedentem de vniuerſalitate contritionis.*

Sectio VI. *An propoſitum non peccandi de cætero debeat eſſe formale & expreſſum?*

Sectio VII. *De attritione ex metu pœnarum & gehennæ.*

Sectio VIII. *An contritio vel attritio debeat eſſe actus ſupernaturalis?*

Sectio IX. *An contritio vel attritio debeat neceſſariò eſſe alicuius magnæ intenſionis aut durationis?*

Sectio X. *An, & quomodo contritio vel attritio ſit deteſtatio peccati ſuper omnia?*

Digitized by Google

Sectio. XI. *An contritio vel attritio debeat necessariò præcedere absolutionem aut confessionem; aut toties iterari, quoties illæ iterantur?*

Sectio. XII. *An contritio vel attritio sufficiens ad sacramentum, sufficiat ad effectum: ita vt sacramentum pœnitentiæ non possit esse validum & informe?*

AD hanc disputationem pertinent tum ea quæ tradit S. Thomas tota quæst. 85. de virtute Pœnitentiæ, cuius doctrinam referemus & exponemus sect. 1. Tum etiam quæ habet de natura, obiecto, quantitate, durationc, & effectu contritionis, quinque primis quæstionibus Supplementi. In quarum prima docet contritionem rectè definiri dolorem pro peccatis assumptum cum proposito confitendi, & satisfaciendi: quia hæc definitio explicat naturam contritionis, tum vt est actus virtutis, tum est pars sacramenti ordinem habens ad alias eiusdem sacramenti partes. Et quamuis contritio secundum vocis proprietatem non significet actum virtutis, sed potius quandam corporalem passionem, & veluti cordis comminutionem: hîc tamen sumi pro virtute quadam & rectitudine voluntatis, seipsam annihilantis, & comminuentis quodammodo, ac detestantis peccatum à se commissum, conantisque illud destruere. Quoniam autem omnis actus charitate non formatus, transit, & non manet adueniente charitate: fieri non potest vt attritio, quæ talem actum significat, contritio fiat. In secunda, dicit contritionem esse dolorem de malo culpæ: non quidem peccati Originalis, quod nostra voluntate non est contractum; sed actualis, & proprij, atque præteriti, id est, propriâ voluntate à nobis iam commissi: quæ quia dura fuit, non facilè cedendo legi diuinæ, contra quam malè aliquid commisit, aut omisit: idcirco per contritionem comminuenda est. De Originali verò, aut de peccatis actualibus alienis, vel etiam de nostris futuris, possumus quidem dolere; & adiunctâ prudentiâ præcauere futura: non tamen propriè de illis conteri & pœnitere. Debet autem contritio esse de omnibus & singulis mortalibus: licet vna pro omnibus sufficiat. In tertia affirmat contritionem esse summum dolorem æstimatiuè, sed non intensiuè: quia est dolor de peccatis, quæ tanquam vltimo fini contraria, super omnia displicent: licet huius doloris & displicentiæ sensus non tantus esse soleat, quantum de rebus sensibilibus in parte sensitiua & rationali frequenter experimur. Cumque peccatum, prout est offensa Dei, non possit supra modum displicere: & ex ea parte dolor contritionis nimius esse nequeat, sicut nec amor charitatis erga Deum: quantum tamen ad dolorem, quem causat in parte sensitiua, excessus esse potest. Cùm denique inter peccata sit inæqualitas, & Deus vno magis offendatur quàm alio: debet etiam contritio esse maior de vno, quàm de alio: sicut etiam maior pœna debetur pro maiori culpa: quia vtraque debet esse proportionata offensæ. In quarta, dicit tempus contritionis esse statum totius vitæ præsentis. Quamdiu enim aliquis est in statu viæ, detestari debet incommoda,

Digitized by Google

quibus à peruentione ad terminum viç retardatur, aut impeditur. Non tamen debet continuò exerceri, nec ita vt impediat aliarum virtutum exercitium. Et passio doloris, quam voluntas assumit in parte sensitiua, debet moderatè durare; sicuti debet esse moderatè intensa. Post hanc vitam non est locus contritioni in patria, vel in inferno. Animæ verò quæ purgantur, habent quidem salutarem dolorem de peccatis, sed non meritorium: quia non ampliùs sunt in statu merendi. In quinta denique asserit contritionem esse causam remissionis peccati, dispositiuè prout est actus virtutis: efficienter verò & instrumentaliter, prout est pars sacramenti. Tantamque esse posse, vt ad plenam culpæ & pœnæ deletionem sufficiat. Et quantumcunque paruus sit dolor, dummodo ad rationem contritionis sufficiat, omnem culpam delere. Hucusque D. Thom. qui eandem doctrinam habet in 4. dist. 17.

SECTIO I.

An primus actus pœnitentis debeat esse necessariò virtutis pœnitentiæ specialiter sumptæ?

1. Sententia affirmans. S. Thom.

Affirmant nonnulli, qui vnicâ illam pœnitentiæ virtutem esse putant. Quibus fauere videtur S. Thomas quæst. 85. vbi disputans de sacramento Pœnitentiæ secundum quod est virtus (id est, de virtutis actu necessario in pœnitente ad sacramentum constituendum per modum primæ partis materialis, à quo totum sacramentum pœnitentiæ nomen accepit) non alterius virtutis pœnitentiæ meminit, quàm illius, quæ peccatum detestatur, vt est offensa iniuriosa Deo, cum proposito emendationis, id est, satisfactionis, iustæ, Deoque debitæ. Ac primò docet pœnitentiam, quæ consistit in voluntate, & est cum quadam electione secundum rectam rationem, esse virtutem: tum quia Christus nos ad illam hortatur, vt ad actum bonum, tum etiam quia conuenit illi definitio virtutis tradita ab Aristotele 2. Ethic. cap. 6 *Virtus est habitus* (vel actus) *electiuus secundum rectam rationem.* Pertinet enim ad rectam rationem vt aliquis de eo doleat, de quo dolendum est, & eo modo ac fine quo dolendum est. Quod obseruatur in pœnitentia, de qua nunc loquimur. Nam pœnitens assumit moderatum dolorem de peccatis præteritis, cum intentione ea remouendi.

Aristot.

2. Cui si opponas ex eodem Aristotele 4. Ethic cap. vltimo, verecundiam non esse virtutem, quia est passio habens corporalem immutationem: & quia est de turpi facto, quod non habet locum in homine virtuoso. At pœnitentia in vtroque est similis verecundiæ: ergo non est virtus. Respondet in solutione secundi, pœnitentiam non esse virtutem, vt est passio, sed vt est recta voluntatis electio. Respiceréque turpe factum, non tanquam præsens, vt verecundia facit: sed tanquam præteritum, de quo pœnitet; quod non est contra perfectionem virtutis.

Verecundia sitne virtus?

Contrà quod instari potest, verecundiam esse plerunque de præterito, æquè ac pœnitentiam; & esse in voluntate secundum rectam electionem voluntarii, & liberi pudoris de peccato. Qui pudor est honestus, & laudabilis: siue sit de peccato præterito, siue de præsenti. Ergo ratio differentiæ allata inter verecũdiam, & pœnitentiá non est bona.

3. Respondeo D. Thomam cum Aristotele loqui de verecundia, quæ non est efficax detestatio peccati, vt peccatum est: sed sensus & horror ignominiæ, quam iustè incurrit is, qui peccat; ignominiæ, inquam, illius apprehensæ vt mali naturaliter disconuenientis; sine altiori consideratione rationum superiorum, honesti, vel inhonesti. Quæ apprehensio & detestatio ignominiæ non est virtus, quia non fertur in obiectum ex motiuo honestatis, aut eius oppositi: & plerunque inefficax est, compatiturque peccatum præsens: multi enim peccant cum verecundia. In quo differt à pœnitentia, quæ non compatitur peccatum præsens, cùm sit absoluta, & efficax detestatio peccati de quo dolet, & quod etiam detestatur ex motiuo honesto, proprioque virtutis. Quòd si laudantur verecundi: ideò est quia minùs mali sunt, in eo quòd non penitus frontem absterserunt, quod est summæ impudentiç; sed habent adhuc aliquem sensum, & horrorem peccati.

4. Virtus pœnitentiæ qualis iuxta D. Thõ.

Secundò docet S. Thomas virtutem pœnitentiæ in eo consistere, quòd pœnitens assumat moderatum, id est, rationabilem, dolorem de peccatis præteritis, cum intentione remouendi ea. Quo actu non intendimus illud efficere & assequi, vt peccatum commissum non sit commissum; vel vt viribus propriis abstergamus illius maculam. Primum enim stultum esset: secundum autem præsumptuosum: & vtrumque impossibile; sed vt per Christi merita, mediaque ab ipso constituta, veniam consequamur, faciamusque cum Dei gratia id, quod à nobis exigit, vt peccatum emendemus: quod totum rationi valde consentaneum est.

Digitized by Google

5. Est virtus specialis.

Docet tertiò, pœnitentiam esse virtutem specialem. Quia species habituum distinguuntur secundum species actuum: ideóque vbi occurrit specialis actus laudabilis, ibi necesse est ponere specialem habitum virtutis. Manifestum est autem quòd in pœnitentia reperitur specialis ratio actus laudabilis: scilicet operari ad destructionem peccati præteriti inquantum est Dei offensa: quod non pertinet ad rationem alterius virtutis. Et quamuis habeat generalem materiam, inquantum respicit omnia peccata contra quamcunque virtutem commissa: respicit tamen sub speciali ratione, inquantum scilicet sunt offensæ emendabiles per actum hominis cooperantis Deo ad suam iustificationem: quæ ratio differt ab obiectis formalibus aliarum virtutum.

6. Est species iustitiæ commutat.

Quartò docet, pœnitentiam esse actum iustitiæ, quia est dolor de peccato commisso inquantum est offensa Dei (iniuriosa scilicet) cum emendationis proposito. Nam emendatio offensæ, iniustè contra alium commissæ, ad iustitiam pertinet: fitque non sola cessatione offensæ, sed vlteriùs exigitur compensatio quædam, & satisfactio ab eo, qui offendit. Licet autem D. Thomas non expressè declaret ad quam speciem iustitiæ pœnitentia pertineat: an scilicet ad commutatiuam, distributiuam, aut vindicatiuam: insinuat tamen esse speciem quandam iustitiæ commutatiuæ: cùm ait, hanc compensationem, & satisfactionem esse commutationem quandam. Quod intellige, non quasi pœnitentia non sit etiam vindicatiua: sed quia, vt diximus cum Aristot. in tract. de Iustitia, tom. 3. disput. 26. vindicatiua iustitia continetur sub commutatiua, tanquam species sub genere; ideirco S. Thomas totam virtutem pœnitentiæ nomine iustitiæ commutatiuæ latiùs sumpto, complexus est: vt docet etiam Caiet. quæst. 85. art. 3. §. *Vnde ad primum.* Si autem strictiùs sumatur commutatio, prout est rei alterius, quàm pœnæ, solutio: putà honoris læsi restitutio, vel exhibitio alicuius obsequii pro alio iniustè negato, vel redditio aut exhibitio vnius rei pro alia: sic pœnitentia non tantùm est iustitia commutatiua, quatenus mouet ad hæc & similia Deo reddenda in compensationem: verùm etiam vindicatiua, quatenus mouet peccatorem ad pœnam de se ipso voluntariè sumendam in vindictam peccati. Et quidem satisfactiones sacramentales debere esse etiã ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem, docet expressè Trident. sess. 14. cap. 8. post medium. Neque propterea multiplicandæ sunt virtutes pœnitentiæ supernaturales, vt malè putant aliqui recentiores: Cùm vnus supernaturalis habitus possit valere ad vtrumque, veluti iustum & Deo debitum.

7. Est tam ùm iustitia secundum

Quintò, addit S. Thomas iustitiam illam esse tantùm secundum quid: quia est inter creaturam, & Deum. Nam ex Aristotele 5. Ethic. cap. 6. iustitia, quæ æqualitas quædam est, non est simpliciter nisi inter æquales: inter alios verò, quorum vnus est sub potestate alterius, vt inter filium & patrem, creaturam & Deum, seruum & Dominum, est iustitia tantùm secundum quid. Et licet pœnitentia non propterea deficiat à perfectione iustitiæ, quoad rationem debiti rigorosi: cùm iniuria contra Deum commissa maior sit, & magis obliget ad compensationem & satisfactionem, quàm humana iniuria: deficit tamen à perfectione iustitiæ in facienda æqualitate. Nam propter excellentiam personæ offensæ, & viliratem offendentis, non potest reddere æquale simpliciter pro grauibus offensis: sed tantùm æquale secundum acceptationem superioris, Dei scilicet offensi. quid ex D. Thom.

8. Est in voluntate,

Sextò, ait subiectum huius virtutis, secundum habitum consideratæ, esse voluntatem; quia iustitia in voluntate est. Proprium autem eius actum esse propositum emendandi Deo peccatum, quod contra ipsum à pœnitente commissum fuit. Per emendationem autem intelligit aliquam satisfactionem pro offensa. Et hic actus est etiam in voluntate, vt in subiecto: licet passio, siue immutatio corporalis doloris in appetitu concupiscibili, & appetitio vindictæ de proprio peccato in appetitu irascibili soleat eum comitari.

9. Quomodo infundatur à Deo?

Septimò, docet habitum virtutis pœnitentiæ immediatè à Deo infundi sine nobis principaliter operantibus: non tamen sine nobis dispositiuè cooperantibus per aliquos actus, Quorum primum principium est, Dei operatio conuertentis cor, siue excitatio diuina: iuxta illud Threnorum vltimo, *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.* Secundum est motus fidei. Tertium, motus timoris seruilis, quo quis timore suppliciorum à peccatis retrahitur. Quartum, motus spei, quo quis sub spe veniæ consequendæ assumit propositum emendandi. Quintum, motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundum se ipsum, & non iam propter supplicia. Sextum, motus timoris filialis, quo propter reuerentiam Dei emendam illi voluntariè offerimus. Vnde patet, inquit, actũ pœnitentiæ à timore seruili procedere, sicut à primo motu affectus (id est, sicut à primo voluntatis affectu libero) ad hoc ordinato: à timore autem filiali, sicut ab immediato, & proximo principio.

10. Est media ter virtutes Theologicas, & morales,

Octauò, docet virtutem pœnitentiæ mediam esse quodammodo inter virtutes Theologicas, & alias virtutes morales. Istis priorem secundum quid, ordine temporis, quantùm ad eius actum, qui primus occurrit in iustificatione impii: illis autem posteriorem simpliciter, atque etiam omnibus si naturæ ordinem attendamus. Illud enim quod est per se, est naturâ prius eo quod est per accidens. Atqui aliæ virtutes videntur esse necessariæ per se ad bonum hominis: pœnitentia verò non nisi per accidens, ex suppositione peccati prius commissi. Vnde vlteriùs sequitur, Christo Domino, Beatæ Virgini, An-

gelis ſanctis, & aliis qui nunquam actu peccauerunt, virtutem pœnitentiæ non eſſe neceſſariam: imò nec vtilem eſſe poſſe ad actum proprium exercendum, cùm ſint illius incapaces. Neque enim de peccato à ſe commiſſo dolere poſſunt, & velle illud emendare, ſi nunquam peccauerunt. Huc vſque D. Thomas. Ex quibus, & aliis, quæ tota quæſtione 85. variis locis tradit, apparet non eſſe improbabile ipſum exiſtimaſſe vnicam eſſe pœnitentiæ virtutem, qualem ex eo deſcripſimus.

11. Pœnitentia eſt virtus.

Sed nihilominus dicendum eſt primò, dolorem quidem illum de proprio peccato cõmiſſo, inquantum eſt offenſa iniuriola Deo, cum propoſito emendationis per iuſtam quãdam compenſationem Deo debitam, eſſe virtutem, quia honeſtus eſt: & virtutem ſpecialem, quia ſpeciali modo tendit in ſuum obiectum: & virtutem iuſtitiæ, quia verſatur circa iuſtum, & iniuſtum vt tale: & iuſtitiæ ſpecialis, nempe illius, quæ eſt hominis ad Deum: quæ eſt longè diuerſa, & ſuperioris ordinis, quàm quæ eſt hominis ad hominem: ſicut ius Dei eſt longè diuerſum, & nobilius, quàm ius humanum: Alium tamen, & multiplicẽ eſſe dolorem de peccato commiſſo cum propoſito emendationis, ſecundum alias conſiderationes, qui æquè virtus eſt, & virtus ſpecialis in ſuo genere & ordine. Nam dolor de peccato commiſſo prout Deo ſummè bono & amabili diſplicet, cum propoſito emendationis, vt Deo gratæ, eſt virtus, quia honeſtus: & virtus ſpecialis, quia ille operandi modus ſpecialis eſt: & virtus ſpecialis in ordine charitatis, cuius eſt amare Deum propter ſe, & quidquid illi bonum & gratum eſt, vt tale: ac deteſtari oppoſitum. Idem dico de dolore peccati, vt oppoſiti bono noſtro ſupernaturali, quod pertinet ad ſpem: vel honeſtati genericè conſideratæ, quod pertinet ad virtutem quandam honeſtatis ſpectantis honeſtum & inhoneſtum ſub illa ratione communi & generica; ſicut conceptus entis, vt ſic, ſpectat ens in communi: vel denique prout aduerſi ſpecialibus rationibus honeſtatis, nimirum temperantiæ, vel fortitudinis, vel religionis &c. quod pertinet ad eaſdem virtutes.

12. Et quidem multiplex.

Ac licet primus ille dolor habitualis, vel actualis de peccato, vt offenſâ Deo iniuriosâ, pœnitentiæ virtus abſolutè vocetur à Theologis per quandam accommodationem & appropriationem, cuius magna nulla eſt ratio: alii tamen eo nomine comprehendi poſſunt, ſiue vim vocis attendamus, ſiue vſum Theologorum de pœnitentia generatim loquẽtium, quæ ab ipſomet D. Thom. quæſt. 85. art. 1. initio corp. definitur generaliter, dolor de aliquo priùs à ſe facto: *Pœnitere*, inquit, *eſt de aliquo priùs à ſe facto dolere*: & vt ſit virtus, non requiritur aliud, quàm vt ex electione ſecundum rectam rationem procedat, vt addit S. Thomas ibidem paulò poſt. Quare loquendo generatim, pœnitentiæ virtus multiplex eſt: licet illa, quæ eſt in genere iuſtitiæ peculiariter eo nomine appelletur, fortè quia ſpecialem habet conuenientiam cum medio illo iuſtificationis, quod velut per ſe vnicum pro pœnitentibus baptizatis Chriſtus inſtituit ad obtinendam remiſſionem peccatorum mortalium: videlicet cum ſacramento pœnitentiæ inſtituto in modum cuiuſdam Iudicii ſpiritalis, atque etiam vindicatiui, quod ad iuſtitiam pertinet.

13. Quàm latè pateat virtus ſpecialis pœnitentiæ.

Deinde conſiderandum eſt virtutem pœnitentiæ ſpecialiter ſic dictam, & definitam à D. Thoma, duobus modis ſpectari poſſe. Primò inadæquatè, ſecundum eam rationem præcisè, quâ eſt dolor, & deteſtatio peccati commiſſi, cum propoſito emendationis iuſtæ, ſecundum quam rationem pœnitentiæ nomen accepit. Secundò adæquatè, quoad integram & completam rationem illius virtutis, quæ non tantùm valet ad dolendum de peccato commiſſo, ſed ad alia multa: licet, prout ad illa valet, non vocetur pœnitentia, quæ propriè loquendo reſpicit factum præteritum, cuius eſt quædam retractatio. Et hoc poſteriori modo pœnitentiæ virtus multò latiùs patet quàm priori: ſiue obiectum attendamus, ſiue actum, ſiue etiam habitum. Nam priori modo pœnitẽtiæ obiectum adæquatum eſt peccatum commiſſum, vt iniuſtum & emendandum per compenſationem ex iuſtitia debitam. Actus verò illius non eſt alius, quàm dolor & deteſtatio, ſeu diſplicentia de peccato commiſſo, prout iniurioſo Deo, & voluntas emendandi, vel compenſandi, vel deſtruendi per iuſtam compenſationem, iniuriam Deo factam: quæ tria D. Thomas pro eodem accepiſſe videtur. Denique habitus non eſt alius, quàm ille, qui per tales actus acquiritur, ſi loquamur de acquiſito: ſin autem de infuſo, eſt habitus ſupernaturalis iuſtitiæ erga Deum, inadæquatè ſumptus, prout valet ad actus prædictos circa peccatum commiſſum exercendos. Poſteriori autem modo eius obiectum adæquatum eſt non tantùm peccatum commiſſum, aut emendatio peccati: ſed quidquid aliud reſpectu Dei iuſtum eſt, aut iniuſtum, formaliter vt tale. Quare in obiecto ſuo materiali complectitur & peccatum commiſſum, & non commiſſum: & alienum, & noſtrum: & originale, & actuale: & materiale peccati, & formalem ipſius malitiam: & quidquid aliud contra ius Dei eſt, & de quo tanquam ipſi iniurioſo dolere poſſumus, aut illud auerſari. Complectitur quoque non tantùm pœnam, & emendationem peccati: ſed etiam bonum opus quodcunque reſpectu Dei iuſtum ac debitum ſpeciali illo modo, qui eſt iuſtitiæ proprius. In quę omnia tendit, prout reſpectu Dei iuſta ſunt vel iniuſta, tanquam ſub propria ratione formali obiectiua. Atque etiam Deum ipſum comprehendit quodammodo: non tantùm quatenus ad ipſum eſt (omnis enim iuſtitia eſt ad alterum: & iuſtitia quę eſt hominis ad Deum, eſt ad Deum, tanquam ad alterum) ſed etiam per modum vindicis iniuriarum ſuarum: vel vt principii

neceſſarii, cuius ope ipſimet ſatisfacimus per opera cum ipſius gratiâ facta: vel ſub alia eius conſideratione, quæ ad iuſtitiæ finem poteſt conducere.

14. Eius actus & habitus.

Eius verò actus non eſt ſolùm deteſtatio peccati proprii iam commiſſi, aut voluntas illius emendandi, aut vindicandi Deo: ſed etiam odium, & dolor, & metus, aut fuga peccati; tam commiſſi, quàm non commiſſi; & tam proprii, quàm alieni; & cuiuſcumque alterius mali iniurioſi Deo, vt talis: Item amor, & gaudium, & deſiderium cuiuſcumque rei iuſtæ reſpectu Dei: & denique actus quilibet voluntatis honeſtus circa iuſtum, & iniuſtum ad Deum. Eius autem habitus eſt tota iuſtitia hominis ad Deum adæquatè ſumpta, verſans circa ius Dei, & oppoſitum eius vt tale. Circa ius quidem, per actus tendentiæ, & proſequutionis, amorem ſcilicet, gaudium, & deſiderium: circa oppoſitum verò, per actus fugæ & auerſionis, odium ſcilicet, timorem, & triſtitiam. Nam eiuſdem virtutis adæquatè ſumptæ officium eſt bonum aliquod proſequi, & malum oppoſitum fugere. Quia vnaquæque virtus adæquatè ſumpta perfectè hominem inſtruere debet, atq; perficere circa obiectũ ſuum, per acceſſũ ad bonũ, & receſſum à malo ipſi oppoſito. Sed inter virtutes naturales & ſupernaturales differẽtia eſt, quòd in iſtis vnus phyſicè habitus ad hæc omnia valet: in illis verò multiplicantur habitus iuxta ſpecificam diuerſitatem actuũ, à quibus producuntur. Nam quilibet actus producit habitum circa illam obiecti partem quam attingit: non autem circa aliam, quam non attingit. Vnde ex multis actibus ſpecificè & realiter diuerſis exurgunt multi habitus ſpecificè quoque & realiter diuerſi, ex quibus, veluti partibus, morali quadam vnione & coordinatione connexis, exiſtit vnus totalis habitus virtutis: vt iam de ſcientiis totalibus cõmuniter ſentiunt philoſophi.

15. Vnde oritur diſcrimen aliud. Nam in ſubiecto incapaci alicuius actus, non poteſt eſſe naturaliter habitus acquiſitus, qui ad illum inclinat, & per illum acquiritur. Exempli gratiâ, in Chriſto, & in aliis, qui nunquam actu peccauerunt, non poteſt eſſe habitus pœnitentiæ acquiſitus, ſtrictè & propriè ſumptus pro ea parte, quę verſatur circa proprium peccatum iam commiſſum. At verò habitus infuſus totus eſt etiam in illis, qui alicuius actus non ſunt capaces: non quidem vt in illis talem actum producat: ſed per ſe valens ad illum producendum, & idem ſpecie cum eo, qui in aliis illum producit. Exempli gratiâ, idem ſpecie habitus charitatis ſupernaturalis, qui in nobis exercet actum contritionis, in Chriſto eſt totus & integer, & quidem intenſiuè perfectior; quàm is in illo non poſſit exercere actum contritionis. Idemque dico de habitu iuſtitiæ ſupernaturalis, reſpectu actus pœnitendi, & dolendi de peccato vt iniuſto: & de aliis virtutibus, quarum quælibet valet ad dolendum de peccatis ſibi oppoſitis.

Tertiò denique, ad difficultatem initio propoſitam reſpondendum eſt, actum virtutis pœnitentiæ ſpecialiter ſumptæ pro parte quadam iuſtitiæ hominis ad Deum, habere quidem peculiarem proportionem cum ſacramento pœnitentiæ, & peculiariter aptum eſſe, vt per modum primi actus pœnitentis veniat in ipſius conſtitutionem: non eſſe tamen vnicum, aut neceſſarium; ſed alium ſufficere poſſe. Ratio primæ partis eſt, quia, vt ſupra indicauimus, ſacramentum pœnitentiæ inſtitutum fuit per modum ſacri cuiuſdam tribunalis, & iudicii, in quo iniuriæ Deo factæ, causâ cognitâ, & diſcuſſâ, remitterentur, aut retinerentur, vt æquum eſt, & aliquatenus vindicarentur impoſitis congruis ſatisfactionibus pro peccatorum qualitate, & pœnitentium facultate, vt ait Trident. ſeſſ. 14. cap. 2. & 8. Actus autem prædictus ad iuſtitiam pertinet: ideoque inter dolores, & deteſtationes peccati commiſſi, ille peculiariter huic ſacramento aptus eſt. Idque fortaſſe D. Thomas intendit totâ quæſt. 85. vbi non videtur loqui de quacunque pœnitentiæ virtute, ſed de aliqua ſpecialiter ſumpta & magis apta conſtituendo ſacramento pœnitentiæ, cuius ſolius occaſione diſputat eo loco de virtute pœnitentiæ.

16. Actus ſpecialis virtutis pœnit. non eſt determinatè neceſſarius ſacramẽto.

S. Thomas.

Quod autem ait articulo quinto eiuſdem quæſtionis, de ordine principiorum, quibus hic actus excitatur: debet intelligi de ordine non neceſſario, ſed conuenienti, vt Suarez in commentario, Vaſques dub. 1. ad eundem art. Sotus in 4. diſt. 14. quæſt. 2. art. 5. aliique interpretantur. Idemque dico de ordine virtutis pœnitentiæ inter alias virtutes, aſſignato à D. Thoma art. 6. eiuſdem quæſt. Quem illi ordinem tribuit D. Thomas, ratione actus, quo concurrit ad iuſtificationem impii, præcedentibus actibus virtutum Theologicarum. Iuxtà ea, quæ dixerat art. 5. in corp. Actum pœnitentię incipere à motione diuina; tum à fide, & ab actibus ſpei, & charitatis; quos vt principia quædam præſupponit: ipſe verò quia præſupponitur iuſtificationi & remiſſioni peccatorum, præit actibus virtutum moralium infuſarum, quæ per iuſtificationem acceptę, poſtea exercentur. Abſolutè tamen & generatim loquendo, neque talis ordo neceſſarius eſt, neque talis actus omnino requiritur ad obtinendam iuſtificationem, ſiue extra ſacramentum pœnitentiæ, ſiue in ipſo, vt in ſecunda parte reſponſi dictum fuit, & perſpicuè affirmatur à Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. vbi differens de primo actu pœnitentis, qui generatim contritio dicitur, prout abſtrahit à perfecta & imperfecta, primò quidem illam ſic definit: *Contritio, quæ primum locum inter actus pœnitentis habet, animi dolor, ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.* Deinde illam diuidit in contritionem charitate perfectam, quæ non modò in ſacramento, ſed etiam extra, cum ſolo eius voto, poteſt Deo peccatorem reconciliare: & in imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam

17. Ordo & principia quibus excitatur. Suar. Vaſq. Sotus.

vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur: *Et si voluntatem peccandi excludat, & cum spe veniæ coniuncta sit: non solùm non facit hominem hypocritam, & magis peccatorem: verùm etiam donum Dei est, & Spiritus sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat. Et quamuis sine sacramento pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat: tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.* Huc vsque Tridentinum. Ex quo colligetriplicem generatim dolorem huic sacramento constituendo, & iustificationi per ipsum consequendæ sufficere: contritionem scilicet charitate perfectam & propriè dictam, quæ sufficit etiam extra sacramentũ ad iustificationem: attritionem conceptam ex metu gehennæ, & pœnarum, sub quibus amissio fœlicitatis æternę, quæ est pœna damni, comprehenditur: & attritionem conceptam ex consideratione turpitudinis peccati, sub quâ genericè sumptâ turpitudo specialis iniuriæ diuinę tanquam vna de multis speciebus includitur.

18. Potest concipi sine actu charitatis.

Porro licet peccator ad hanc vltimam speciem attritionis necessariò mouendus esset diuinitus: posset moueri multipliciter, sine præcedente actu charitatis, & aliis quibusdam cõmemoratis à D. Thom. art. 5. inter sex illa principia pœnitentiæ. Posita enim in intellectu cognitione proprii peccati velut iniuriæ diuinæ; posset voluntas ad illam detestandam immediatè iuuari, & ad volendam eius emendationem vt iustam. Neque verò eundem ordinem in modo pœnitendi, & disponendi se ad iustificationem assignauit Trident. sess. 6. cap. 6. sed alium paulò diuersum, qui tametsi perfectus, necessarius tamen non est. Videri potest de illo Suarez lib. 8. de gratia cap. 18. & 19.

Suarez.

Obiicies, peccata in sacramento pœnitentię remitti prout iniurias Deo factas: Nã fundamentum, propter quod subiiciuntur gehennæ post hanc vitam, & propter quod oportet Deo satisfacere, est quia peccata contra ius Dei admittuntur, & sunt iniusta aduersùs illum. Ergo pœnitens debet de illis, vt de iniuriis Deo factis dolere, & confiteri, & satisfacere. Quare actus virtutis pœnitentiæ specialiter sumptæ pro specie iustitiæ, est determinatè necessarius sacramẽto pœnitentię.

19. Satisfit obiectioni.

Respondeo debere quidem pœnitentem dolere aliquo modo de peccatis vt iniuriis, nimirum saltem materialiter: & sacramento pœnitentiæ specialiter conuenire, vt doleat de illis formaliter tanquam Dei iniuriis: non tamen id esse necessarium, sed posse aliud formale motiuum adhiberi, vel charitatis, vel cõsiderationis alterius turpitudinis peccati, vel metus pœnarum, & gehennæ, vt Trident. suprà docuit.

Neque malum aut indecens est, iniurias diuinas detestari sub alia ratione formali, etiam inferiori; modò tamen citra vitiosam comparationem id fiat: cùm de attritione ex metu pœnarum & gehennæ conceptâ Tridentinum affirmet, donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum. Etenim vt actus detestandi peccatum sit bonus, satis est si conformiter cum recta ratione in obiectum tendat. Iniuria verò diuina conformiter rectæ rationi detestabilis est, non tantùm quatenus iniuria formaliter, sed etiam quatenus est causa pœnarum & gehennæ: quâ sanè consideratione odio dignissima est, multoſque magis mouet, quàm iniuria Dei, formaliter vt talis: licet hæc consideratio grauior sit, debeatque pluris æstimari, si fiat comparatio. Sed quemadmodum multa sine vitioso affectu magis amantur intensiuè, quæ non magis amantur appretiatiuè: sic absque affectu vitioso consideratio pœnarum & gehennæ potest magis mouere intensiuè, quia fortiùs, & penetrabiliùs afficit: licet consideratio iniuriæ diuinæ magis moueat appretiatiuè, quia pluris sit.

SECTIO II.

Soluuntur aliquot difficultates circa prædicta de virtute pœnitentiæ.

COntra ea, quæ diximus de virtute pœnitentiæ difficultas est primò, quomodo actus odii, seu detestationis, & doloris de peccato possit esse bonus & honestus ex obiecto? Ratio dubitandi est, quia vt actus voluntatis sit bonus ex obiecto, debet ipsum obiectum esse bonum bonitate obiectiua. Bonitas enim formalis actus consistit in conformitate actuum voluntatis cum bonitate obiectiua. Sicut veritas formalis iudicii consistit in conformitate actus intellectus cum veritate obiectiua.. Atqui obiectum talis odii, & doloris, non est bonum. Est enim peccatum & malum culpæ. Et quidem si esset bonum, non posset rectè & conuenienter odio haberi.

20. Quomodò actus pœnitentiæ est bonus.

Omissis multis, quę circa huiusmodi difficultatẽ prosequitur Cardinalis Delugo disp. 1. de Pœnit. sect. 2. quia pertinent ad tract. de Actib. humanis, Respondeo vt actus sit bonus, & honestus ex obiecto, id est, ex ordine ad obiectum; non esse necessarium vt obiectum ipsum sit bonum bonitate obiectiua, id est, sit conueniens obiectum amoris: sed sufficere vt actus tendat in illud conuenienter secundum rectam rationem: id est, eo modo, quo naturam rationalem specialiter decet in illud tendere. Non minùs autem decet naturam rationalẽ odisse malum, quia malum est: quàm amare bonum, quia bonum est. Et malum quà malum, etiam præcisè sumptum (si tamen potest præscindi à bono, de quo diximus in tract. cit.) non est minùs dignum odio, & detestatione: quàm bonum vt bonum præcisè sumptum sit dignum amore & prosequutione. Quare po-

21. Vera resp. Delugo.

test

teſt dari actus virtutis circa malum, quà tale. Similiterque in intellectu tam poteſt dari actus diſſenſus circa falſum præcisè, quà tale: quàm actus aſſenſus circa verum præcisè. Falſum enim, per ſe, & ratione ſuæ falſitatis, non minùs mouet obiectiuè ad diſſenſum: quàm verum per ſe moueat ad aſſenſum. Neque minùs eſt naturale intellectui reſpuere falſum per diſſentum: quàm amplecti verum, illique adhærere per aſſenſum.

22. Intellectus non poteſt adhærere falſitati cognitæ vt talis: neque voluntas malo.

Quare non placet quod ait author cit. ſectione illa ſecunda, numero decimo nono, differentiam eſſe inter intellectum & voluntatem: quia, inquit, voluntas fugit malum propter eius malitiam, & multò magis ipſam malitiam: Intellectus autem negat quidem per diſſenſum obiectum falſum propter eius falſitatem: non tamen negat eius falſitatem: ſed potiùs videtur ei conſentire: ideo enim negat obiectum, quia exiſtimat illud eſſe falſum. Fugit ergo & negat falſum, non falſitatem propriè. Nam potiùs debet eam approbare, vt propter illam reprobet obiectum falſum. Non placet, inquam; quia non magis eſt neceſſe intellectum approbare, id eſt, adhærere falſitati, vt eliciat diſſenſum circa falſum, quia falſum eſt; quàm ſit neceſſe voluntatem adhærere malitiæ, vt deteſtetur malum, quia malum. Et falſitas non eſt minùs digna diſſenſu, & reprobatione intellectus per ſeipſam, quàm falſum. Diſſentire autem falſitati, vel falſo, non eſt affirmare hoc eſſe falſum: aut aſſerere non ita eſſe, vt dicitur in propoſitione vocali, ſiue aſſentiri propoſitioni vocali neganti tale prædicatum eſſe idem cum tali ſubiecto, aut ei conuenire: ſed eſt refugere per intellectum, & auerſari obiectum falſum, quia falſum eſt: ſeu reſpuere falſitatem, id eſt, diſconuenientiam prædicati cum ſubiecto, cui male affirmatur conuenire. Quę auerſio eſt propoſitio mentalis negatiua, ſeu auerſatiua: eſſentialiter oppoſita affirmationi, & adhæſioni mentali: Sicut amor, in voluntate opponitur odio, & timor deſiderio, gaudium triſtitiæ, ſpes deſperationi.

23. Actus poteſt eſſe dupliciter cõditionatus.

Secunda difficultas eſt, vtrum deteſtatio peccati præteriti ſit actus abſolutus & efficax? Vt reſpondeam, ſuppono actum abſolutum opponi conditionato: & efficacem, ineffaci. Dupliciter autem poteſt actus dici conditionatus. Nimirum, vel ex parte ſubiecti, vel ex parte obiecti. Actus conditionatus ex parte ſubiecti, vel quoad eſſe, dicitur ille, qui non eſt reipſa, ſed eſſet ſi poneretur aliqua conditio requiſita à ſubiecto, ſine qua non vult actum ponere, & quâ poſitâ vellet. Vt, *ſi inimicus meus eſſet in graui neceſſitate, vellem illi ſuccurrere.* Actus verò conditionatus ex parte obiecti, dicitur ille, qui eſt reipſa, ſed verſatur circa obiectum affectum aliqua conditione. Vt, *Volo dare mercedem operario, ſi in vineam meam laborauerit.* Qui actus voluntatis eſt ſimilis ſcientiæ conditionatæ ex parte intellectus. Hæc enim ſcientia actu eſt, ſed verſatur circa obiectum affectum conditione. Actus ergo abſolutus voluntatis propriè loquendo eſt ille, qui neque ex parte ſubiecti, neque ex parte obiecti conditionatus eſt.

24. Deteſtatio peccati ſit actus conditionatus?

Hoc ſuppoſito, Reſpondeo, deteſtationem peccati præteriti eſſe actum conditionatum ex parte obiecti, prout verſatur circa peccatum præteritum, quà præteritum eſt, nolendo vt fuerit. Ratio eſt, quia non poſſumus velle abſolutè id, quod cognoſcimus eſſe impoſſibile. Cognoſcimus autem eſſe impoſſibile peccatum non fuiſſe ex ſuppoſitione quòd fuerit, id eſt, quòd præteritum ſit. Ergo non poſſumus velle abſolutè vt non fuerit: ſed tantùm ſub conditione, Vellem non peccaſſe, ſi id fieri poſſet: aut, ſi nunc eſſem conſtitutus in ea occaſione peccandi, in qua tunc fui, non peccarem. Eodemque reſpectu circa peccatum præteritum actus ille eſt inefficax. Quia non poteſt facere, vt peccatum non fuerit: & vt rectè ait Diuus Thom. quæſtione octuageſima quinta, art. primo, ad tertium, *Stultum eſſet conari ad hoc, vt peccatum commiſſum, non fuerit.*

25. Dixi, circa peccatum præteritum, quà præteritum eſt, nolendo vt fuerit: quia alio modo actus ille deteſtationis eſt efficax & abſolutus circa peccatum ſimpliciter conſideratũ, vt diſplicens: vel circa peccatum futurum, vt vitandum: aut etiam circa peccatum præſens aut præteritum, vt deſtruendum, quatenus in nobis eſt. Eſt enim abſoluta & vniuerſalis diſplicentia peccati mortalis, per quam peccatum nobis omnino, & efficaciter diſplicet: & peccandi voluntatem excludit, vt ait Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. includitque ſaltem virtualiter firmum propoſitum non peccandi de cætero: & vel habet, vel mouet efficaciter ad habendum id omne, quod ex parte noſtri neceſſarium eſt ad abolendam peccati maculã, & remouendum à nobis tantum malum, quod ex animo deteſtamur, & planè auerſamur. Poteſt autem nobis peccatum præteritũ diſplicere abſolutè & efficaciter, id eſt, poteſt nobis diſplicere actu abſoluto, & incompoſſibili cum affectu peccandi, quòd antea peccauerimus: licet non poſſimus velle abſolutè, & efficaciter, vt non fuerit peccatum, quod fuit.

26. Pœnitentiæ virtus eſt ſpecies iuſtitiæ ſimpliciter.

Tertia difficultas eſt circa id, quod diximus pœnitentiam ſpecialiter ſumptam eſſe ſpeciem quandam iuſtitiæ inter hominem & Deum. Nam contrarium ſentiunt aliqui recentiores, qui dicunt eſſe potiùs virtutem quandam pacis, ad hoc tendentem, vt Deum habeamus placatum, & non à nobis auerſum rationabiliter: vtque tollatur, vel non ponatur cauſa talis auerſionis: quæ cauſa eſt offenſa Dei, latiùs ſumpta, quàm iniuria. Quod confirmant præcipuè ex Diuo Thoma quæſtione 85. articulo 2. in corpore, vbi probat pœnitentiam eſſe ſpecialem virtutem, quia tendit

ad destructionem peccati, inquantum est offensa Dei, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis. Et in 4. distinct. 14. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 3. ad vltimum, vbi sic ait: *Sicut est alicuius virtutis, vt homo placet cum quem peccando offendit: ita etiam est alicuius virtutis, vt homo placet Deum, quem peccando offendit.*

27. Explicatur D. Thom.

Verùm D. Thom. loquitur manifestè de offensa prout iniuriosa. Vt patet ex art. 3. eiusdem quæst. 85. Cùmque omnis offensa contra Deum & proximum, vel sit offensa contra amicitiam, vel offensa contra iustitiam; contra primam tendit charitas: contra secundam iustitia. Et si vtraque virtus seruatur; pax cum Deo, & cum proximo retinetur. Imò etiam si sola charitas. Nam quidquid est contra iustitiam, est etiam contra charitatem. Vnde Diuus Thomas 2. 2. quæstione 29. articulo 3. affirmat pacem esse effectum charitatis. Vtraque etiam valet ad placandum offensum, exhibendo pro offensa quidquid exigit amicitia, vel iustitia. Fateor tamen, sicut conceptus offensæ potest præscindere ab offensa contra charitatem, & contra iustitiam, & esse genericè communis vtrique speciei: ita posse dari virtutem, quæ circa illam vt talem feratur, vltra virtutes charitatis, & iustitiæ, quæ versantur circa illas specificè sumptas. Sicut vltra virtutes, quæ versantur circa speciales rationes honestatis, potest dari virtus quædam generalior, quæ versetur circa honestatem, vt talem, genericè sumptam, & abstractâ à specialibus differentiis. Sicut etiam vltra conceptus proprios entium particularium, dari potest communis & transcendentalis conceptus entis. Qui conceptus differt specie à conceptu substantiæ, & accidentis, aliorumque inferiorum. Sed non puto tales virtutes generales infundi à Deo, præter omnes speciales, sufficientes ad omnes speciales rationes motiuas honestatis supernaturalis.

28. Alia argumenta in contrarium.

Ad probandum autem, virtutem pœnitentiæ specialiter sumptam non esse speciem iustitiæ, multa opponunt supradicti recentiores, quæ alibi soluta fuerunt disputando de iustitia Dei: vbi ostendimus esse vere iustitiam inter Deum & homines: nostraque omnia peccata esse offensas iniuriosas, quatenus fiunt contra ius Dei præcipientis oppositum. Videantur quæ diximus 2. parte disput. 17. præcipuè sect. 4.

Addunt præterea multos esse, qui inuincibiliter ignorant illam malitiam esse in omnibus peccatis: multos, qui illam probabiliter negant, cum quibus possim, inquiunt, me practicè conformare. Et per consequens, meum peccatum, saltem per accidens, non habet malitiam contra iustitiam. Ergo pœnitentia non poterit dolere de illo peccato. Nam in illo non inuenitur ratio iniuriæ, quam pœnitentia per se formaliter detestatur. Consequens autem est absurdum: quia pœnitentia est virtus vniuersalis, quæ omnia peccata detestari potest. Ergo motiuum formale illius non est ratio iniuriæ, sed aliquid aliud.

29. Omne peccatum est contra ius Dei saltem materialiter,

Respondeo, licet ex ignorantia quis non aduertat peccatum suum esse Deo iniuriosum; ac proinde non accipiatur ab illo formaliter vt tale: esse nihilominus reipsa, & materialiter contra ius Dei prohibentis, & esse materiam virtutis pœnitentiæ detestantis quidquid est contra Dei ius. Nam iustitia non aduertatur tantùm, atque compensat iniurias scienter & liberè factas: sed etiam illas, quæ fiunt sine tali aduertentia. Sic ergo pœnitentia, quæ est virtus iustitiæ ad Deum, non tantùm detestatur peccata, quæ scienter & liberè fiunt, cum aduertentia quòd fiant contra ius Dei: sed etiam illa, quæ scienter & liberè fiunt contra rectam rationem, & contra alias virtutes, non aduertendo quòd fiant etiam contra iustitiam. Confirmatur, quia potest etiam peccari, saltem venialiter, absque eo quòd aduertatur Deum offendi tali peccato, & turbari pacem cum illo: Et tamen quia reipsa offenditur, potest pœnitentia secundum aduersarios detestari tale peccatum: licet non habeat malitiam formalem & culpabilem (id est, cognitam vt talem) contra bonum pacis cum Deo, quod bonum aiunt esse motiuum formale pœnitentiæ. Ergo similiter pœnitentiæ virtus specialis potest detestari peccata contra ius Dei prohibentis commissa, licet non fiat cum aduertentia quòd ipsius iuri repugnent, neque habeant malitiam formalem & culpabilem iniustitiæ erga Deum.

30. Teneamur ne ad pœnitendum statim post peccatum?

Opponunt præterea; si pœnitentia oriretur ex debito iustitiæ, obligaret quamprimum post commissum peccatum. Nam iustitia, sicut obligat ad non lædendum ius alienum: obligat etiam quando læsum est, ad satisfaciendum quamprimum fieri potest: ita vt quamdiu differtur satisfactio, continuetur peccatum, non solùm habituale, sed nouum actuale. Consequens autem est falsum, quia non peccat homo de nouo, eo quòd post primum peccatum non statim conteratur, aut agat pœnitentiam.

Sed ad hoc alibi responsum fuit, differentiam esse inter restitutionem boni ablati, aut ablationem mali illati: & inter satisfactionem, quæ per pœnam aliquam exhibenda est pro offensa iniuriosa: quòd ad primam obligat statim iustitia: ad secundam non obligat, nisi quando exigitur à læso, atque etiam, nisi quando infligitur à iudice, si grauis est. Peccata verò communiter, respectu Dei, non obligant nisi ad talem satisfactionem: exceptis paucis, putà, blasphemiis, vel hæresibus, quibus honor Dei apud alios imminuitur, gignendo apud illos malam de Deo existimationem: quæ fatemur inducere obligationem ad reparandum statim honorem Dei læsum & diminutum: non minùs, quàm is, qui de proximo detraxit, tenetur statim famam illi restituere.

Digitized by Google

31. Altera obiectio.

Opponunt vlteriùs, motiuum iustitiæ includere obligationem satisfaciendi pro læsione iuris alieni. Pœnitentia verò non semper respicit satisfactionẽ, ad quam sit obligatio. Nullum enim est præceptum obligans ad satisfaciendum in hac vita pro peccatis venialibus. Et tamẽ pœnitentia versatur circa illa. Ergo non habet pro motiuo obligationẽ satisfaciendi, quod est obiectum iustitiæ. Aliud ergo motiuum formale debemus assignare, quod non sit motiuum iustitiæ.

Respondeo, motiuum iustitiæ includere obligationem satisfaciendi, latè sumendo satisfactionem pro compensatione per restitutionem, aut per alia opera; vel pro perpessione pœnæ debitæ pro iniuria. Peccatum autẽ veniale obligat vel ad compensandũ per aliqua bona opera, vel ad satispatiendum siue hac in vita, siue in altera, quando Deus pœnã exiget aut imponet. Quare peccatum veniale est sufficiens obiectum virtutis operantis ex motiuo iustitiæ.

32. Peccata fiorne solũ contra obedientiam?

Opponunt denique, dolere de peccatis prout sunt contra ius Dei præcipientis oppositum, pertinere ad virtutem obedientiæ: non autem ad virtutem iustitiæ. Quia peculiare ius, quod Deus habet exigendi à creatura rationali obsequium, quod illa dum non reddit, peccat, est tantummodo ius exigendi suis vt præceptis obediat. Quare sicut ius illud seruare, faciendo id quod præcipitur, non est alterius virtutis specialis, quàm obedientiæ: ita dolere de illius iuris violatione, ac proinde de peccato, vt iniuria Dei est, ad eandem virtutem pertinet. Cùm eiusdem virtutis sit ferri amore, & gaudio in bonum sibi propriũ: & odio ac doloré in malum illi contrarium.

Respondeo primò, non omnia peccata esse tantùm iniuriosa Deo, eo nomine quòd non pareatur iuri, quod habet præcipiendi. Nam blasphemiæ v. g. & contumeliæ Deo illatæ, sunt alio nomine Deo iniuriosę: simili modo, quo detractiones, & contumeliæ illatæ proximo contra ius famæ. Secundò, dico virtutem specialem obedientiæ, prout distinguitur à iustitia, habere pro motiuo reuerentiam & obseruationem debitam superiori in seruandis eius præceptis, siue honestatem subiectionis inferiorũ sub regimine superioris: non autem ius strictum, quod habet superior & debitum illi respondens in subdito. Quare virtus obedientiæ non dolet de peccatis formaliter prout sunt contra ius Dei: sed prout sunt contra reuerentiam, & obseruantiam illi tanquam superiori legitimo debitam. Dixi, virtutem specialem obedientiæ prout distinguitur à iustitia: quia virtus obedientiæ solet vulgò latius sumi, & confundi cum virtute iustitiæ, qua parte respicit ius superioris, & debitum illi respondens, vt tale. Quo sensu fatemur ad obedientiam tam latè sumptam pertinere dolorem de peccatis vt iniuriosis Deo per violationem præcepti.

Obedientia & iustitia qu modo differant?

SECTIO III.

An primus actus poenitentis debeat esse contritio propriè dicta, vel attritio: & quid illæ sint?

33. Sufficit attritio vel cõtritio indeterminatè.

PRima conclusio: Non est necesse actum primum pœnitẽtis esse determinatè contritionem propriè dictam, vel attritionem: sed alterutra sufficit, & necessaria est. Prima pars est contra Gabrielem in 4. dist. 14. q. 2. Notabili 2. Maiorem ibidem, Adrianum in tract. de Sacramento pœnitentiæ quæst. 2. §. *Secundo videndum est, an quemlibet verè pœnitentem Deus recipiat in gratiam*: Medinã tract. 2. de Confessione ficta iteranda, existimantes actum perfectę, & propriè dictæ contritionis, necessarium esse ad constituendum sacramentum pœnitentiæ, vel ad eius effectum consequendum.

Gabriel. Maior. Adrian. Medina.

34. Probatur ex Tridento.

Probatur autem efficaciter ex Trident. verbis supra relatis ex sess. 14. cap. 4. quibus parum conformiter loquuntur aduersarii. Etenim Trident. contritionem latè sumptam, prout abstrahit à perfecta, & ab imperfecta, quæ attritio dicitur, pro primo actu pœnitentis assignat. Tum subiecta eius diuisione, de attritione speciatim ait, quamuis sine sacramento pœnitentię per se ad iustificationẽ perducere peccatorem nequeat, vt facit contritio charitate perfecta, & propriè dictat tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponere. Loquitur autem Concilium de dispositione vltima, sufficiente cum sacramento. Tum quia simili modo de attritione loquitur, vt de contritione perfecta charitate dixerat paulò ante, hominem Deo per se reconciliare priusquam actu hoc sacramentum suscipiatur (certum est autem contritionem charitate perfectam esse vltimam, & per se sufficientem dispositionem ad gratiam) tum etiam quia si sermo esset de dispositione remota & insufficiente: attritio, etiam extra sacramentum, remotè disponit, & insufficienter ad gratiam, quando aliquis ab illa ad contritionẽ charitate perfectam ascendit. Concilium autem verbis relatis significat attritionem aliter extra sacramentum, & aliter in sacramento disponere: ergo intelligit in sacramento disponere proximè ad iustificationem.

35. Expendantur illius verba.

Quare dici non potest Concilium loqui de attritione, vt remotè tantùm disponente ad gratiam, quatenus disponit ad sacramentum dignè, & cum dolore sufficienti recipiendum, eo modo, quo eleemosynæ, & alia pia opera possunt ad idem disponere: idque sufficere intentioni Concilii, quod voluit tantùm ostendere, & definire contra hæreticos huius temporis, attritionem esse actum bonum, & non facere hominem hypocritam, magisque peccatorem.

Etenim Concilium manifestè plus intendit: cùm postquam capite illo 4. sess. 14. asseruit, & probauit attritionem esse actum bonum, & ex impulsu Spiritus sancti conceptum, sic concludit in fine eiusdem ca-

pitis: *Quemobrem falsò quidam calumniantur Catholicos scriptores, quasi tradiderint sacramentum pœnitentiæ, absque bono motu suscipientium, gratiam conferre: quod nunquam Ecclesia Dei docuit; nec sensit.* Quæ illatio nulla est, nisi Trident. tacitè hunc in modum argumentetur; Attritio concepta ex metu gehennæ, aut ex consideratione turpitudinis peccati, est actus bonus. Ergo gratia non confertur in sacramento pœnitentiæ sine actu bono, etiam tunc quando sacramentum recipitur cum sola attritione: & catholici scriptores, qui dicunt gratiam conferri in sacramento pœnitentiæ cum sola attritione, non propterea asserunt conferri gratiam in sacramento pœnitentiæ absque bono motu suscipientium. Quòd si vltra attritionem requireretur contritio ad gratiam recipiendam in sacramento pœnitentiæ: non erat quòd Concilium probaret attritionem esse actum bonum, vt inde inferret sacramentum pœnitentiæ non conferre gratiam sine bono motu suscipientis. Sufficit enim ad hoc inferendum, quòd contritio charitate perfecta sit actus bonus, si sacramentum Poenitentiæ non potest sine illa conferre gratiam.

36. Confirmatur. Vlteriùs, Idem Concilium, cùm sic ait de attritione: *Et quamuis sine sacramento Pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat*: vnum expresè negat, & alterum tacitè affirmat. Negat expresè attritionem posse per se solam, & sine sacramento perducere peccatorem ad iustificationem: tacitè verò affirmat, posse cum sacramento. Alioqui frustra adderet, *sine sacramento, & per se*, si attritio ne quidem cum sacramento, potest peccatorem ad iustificationem perducere. Et omnino exceptio illa consultò addita à Concilio, *per se, & sine sacramento*, significat aliter sentiendum esse de attritione, vt coniuncta cum sacramento.

Probatur ratione. Adde, quòd sacramentum Poenitentiæ, cùm sit sacramentum mortuorum, sicut Baptismus, institutum ad suscitandos homines à morte peccati post baptismum commissi, non debet necessariò præsupponere contritionem charitate perfectam, quæ secundum se, & non tantùm vt sacramenti pars (quod est posterius, & accidentarium contritioni secundum se sumptæ) vim sufficientem habet ad obtinendam peccati remissionem, iuxta præsentem ordinationem Dei. Qui autem ad eius efficaciam & operationem prærequirunt necessariò, vt peccatum sit iam expulsum: perinde faciunt, ac qui diceret, medicinam aliquam institutam fuisse ad tollendum genus morbi, quod nunquam ipsa tolleret, sed necessariò sublatum esse præsupponeret.

37. D. Thom. Atque hæc est manifestè doctrina Diui Thomæ in quarto, distinctione decima octaua, quæstione prima, articulo tertio, quæstiuncula prima, vbi sacramentum poenitentiæ in eo comparat cum baptismo, & 3. parte quæst one octuagesima, articulo quarto ad secundum, vbi Baptismum & Poenitentiam ab Eucharistia in eo distinguit, quòd illa duo possint licitè à peccatore recipi: at non Eucharistia. *Quoniam*, inquit, *Baptismus, & Pœnitentia sunt quasi medicinæ purgatiuæ, quæ dantur ad tollendam febrem peccati. Eucharistia verò est medicina confortatiua, quæ non datur nisi liberatis à peccato.* Idem quoque sentit Scot. in 4. dist. 14. quæst. 4. art. 3. Sanctus Antoninus 3. parte, tit. 14. cap. 19. §. 5. Ruard. art. 3. contra Lutherum paulò post initium. Eandemque fuisse communem veterum Scholasticorum sententiam testatur Gerson tom. 2. in Serm. de Pœnit. in Coena Domini aliquanto ante finem, his verbis: *Dicit Dominus Guillelmus Parisiensis, & alii communiter, quòd attritio, quæ aliàs non est sufficiens, fit sufficiens virtute Sacramenti.* A tempore verò Concilii Tridentini, in quo clariùs hæc veritas tradita fuit, nullus omnino extitit alicuius nominis Theologus, qui planè contrarium senserit. Et ex illis, qui Concilio interfuerunt, & hac de re scripserunt, ita docent Ambros. Catharin. in Excerpta Caietani, Monilianus Cardinalis de Ara Coeli nuncupatus in Institut. Theolog. de Sacr. Poenitentiæ cap. 35. Andr. Vega lib. 13. de Iustificatione cap. 34. Domin. Sot. in 4. dist. 18. qu. 3. a. 3. Atque, vt cætera præteream, cùm ante paucos annos liber quidá gallico idiomate scriptus prodiisset, quo hæ propositiones continebantur: Poenitentia neque vera, neque integra est, neque certa, nisi habeat conditiones veræ contritionis. Actus perfectæ charitatis, qui vocatur vera contritio, est absolutè necessarius ad gratiam Sacramenti Poenitentiæ obtinendam. Absolutio nihil est aliud, nisi actus iudicialis, quo Sacerdos declarat, non simpliciter, sed authenticè, & nomine Christi, peccata esse remissa, idque iuridicè pronunciat. Faculeas Parisiensis primo Iunii an. 1638. librum illum hac censura notauit. Quæ tradit de attritionis insufficientia, & contritionis ex perfecta charitate absoluta necessitate ad recipiendum Sacramentum Poenitentiæ: & quæ addit, & approbat de absolutione, quòd nihil aliud fit, quàm declaratio iuridica peccati iam remissi: dánauit quoque Facultas, & cēsuit has propositiones esse quietis animarum perturbatiuas, cōmuni, & omnino tutæ praxi Ecclesiæ cōtrarias, efficaciæ Sacramenti imminutiuas, *& insuper temerarias, ac erroneas.* Eadem censurá erroris notauerat hanc eandem sententiam Suar. disp. 20. de Poenit. sect. 1. concluſ. 1. Quem contrariæ sentētiæ fauisse falsò affirmant noui quidam dogmatistæ, abutentes altero eius loco, in quo disputat de necessitate contritionis ex præcepto, in articulo mortis, non autem ex necessitate Sacramenti Poenitentiæ, propter gratiam vi illius obtinendam: & proponit in ratione dubitandi, id quod illi pro ipsius assertione venditant,

Scot. Anton. Ruard. Gerson.

homines ſcilicet malæ fidei, vel exigui ſenſus. Verba Suaris loco cit. hæc ſunt: *Sacramentum hoc, Pœnitentiæ, habet virtutem ad iuſtificandũ peccatorem per ſolam veram & ſupernaturalem attritionem: & in hoc ſenſu efficacium habetur ad efficiendum hominem ex attrito contritum. Hanc concluſionem exiſtimo hoc tempore adeo certam, vt non poſſit abſque errore negari.*

38. Non eſt verum ſufficere attritionem in caſu ſolùm quo tranſeat in cõtritionẽ.

Cæterum ex verbis Tridentini ſupra relatis & expenſis refellitur etiam ſententia Ferrarienſis lib. 4. contra gentes cap. 72. Henrici, Caietani, & aliorum affirmantium attritionẽ ſufficere quidem ad valorem Sacramenti: non tamen ita vt ex ea ſequatur immediatè iuſtificatio: ſed quia vi Sacramenti pœnitens ex actu imperfecto attritionis tranſit infallibiliter ad actum perfectum cõtritionis, vt ad proximam diſpoſitionem ad gratiam. Refellitur, inquam, quia Tridentinum ſuprà non dicit attritionem eſſe ſufficientem ad obtinendam contritionem, ſed ad gratiam in ſacramento pœnitentiæ impetrandam diſponere, loquiturque de proxima diſpoſitione, vt antea oſtendimus: quia alioqui non bene in eo compararet attritionem in ſacramento, cum contritione extra ſacramentum. Adde, quòd tranſitus ille infallibilis attritionis in contritionem cognoſceretur experimentaliter ab illis, qui attriti tantũ abſoluuntur, vt ſæpius fit. Atque ita fidei myſterium experimento ſenſibili proderetur. Actus enim noſtri vitales cognoſcendi, & volendi, ſunt nobis noti experimentaliter: & diuerſitas inter actus attritionis & contritionis magna eſt & notabilis, propter magnam differentiam motiuorum, & modi deteſtandi peccatum, vel purè propter Deum, vel propter metum gehennæ, aut aliquid aliud.

39. Neque requiritur contritio ex Dei præcepto.

Reffelluntur etiam Dominicus Sotus in 4. diſt. 18. quæſt. 3. art. 2. in fine, & lib. 2. de natura & gratia cap. 15. Vega lib. 13. in Trident. cap. 34, & alij aſſerentes requiri contritionem ex præcepto diuino: ita tamen vt attritio ſufficiat accedenti bona fide ignoranti præceptum, vel exiſtimanti ſe eſſe contritum. Refelluntur, inquam; quia Trident. cap. cit. ita loquitur, vt ſatis ſignificet ſe contentum eſſe, dummodo attritio ad ſacramentum afferatur. Et tam graue præceptum ſine ſufficienti fundamento non eſt aſſerendum; neque eſt conforme naturæ ſacramenti inſtituti in remedium, & remiſſionem peccati mortalis, quod non debet illud remiſſum præſupponere: ſicut medicina inſtituta ad morbum aliquem pellendum, non debet prærequirere morbum eſſe iam expulſum, ex natura rei, vel ex præcepto medici. Quamuis autem Deus in lege veteri, in qua nullum erat ſacramentum de ſe valens ad iuſtificationem, requireret ſemper contritionem ad obtinendam remiſſionem peccati mortalis: voluit tamen illam in lege gratiæ obtineri faciliùs, per ſacramenta in eum finem inſtituta.

40. Secunda pars concluſionis, quòd alterutra, contritio nimirum, vel attritio, neceſſaria ſit, eſt contra Canum parte 5. Relect. de Poenit. & Vegam lib. 13. in Trident. cap. 34. exiſtimantes, veram contritionem, vel attritionem non eſſe neceſſariam: ſed ſufficere poſſe apparentem, æſtimatam pro vera. Eſt idem contra Scotum in 4. diſtinct. 14. quæſt. 4. art. 3. Sylueſtrum verbo Confeſſio 1. quæſt. 21. & Angelum eodem verbo, num. 27. aſſerentes, ſufficere poſſe voluntatem confitendi, & recipiendi abſolutionem, abſque formali dolore, dummodò pœnitens nullum actum habeat, quo formaliter, vel virtualiter adhæreat peccato. Canus; Vega; Scotus; Sylueſt. Angelus;

41. Probatur alterutram eſſe neceſſariam.

Sed neutra opinio vera eſt. Nam actus primus pœnitentis, ad ſacramentum, & ad eius effectum neceſſarius, debet eſſe contritio, vel attritio, qualis à Florent. in decreto, §. *Quartum ſacramentum*, & à Trident. ſeſſione 14. capite 4. deſcripta eſt, & aſſignata pro primo actu pœnitentis. Contritio autem, vel attritio apparens tantùm, & non vera, non eſt huiuſmodi. Quòd enim de vera, & non tantùm apparente loquantur Concilia, patet ex eius definitione ab ipſis tradita, quæ ſoli veræ contritioni competit. Item ex eo quòd Tridentinum contritioni charitate perfectæ, de qua loquitur, tribuit vim iuſtificandi extra ſacramentum: quod de vera contritione intelligendum eſſe dubitari nequit. Multa quoque paulò poſt attritioni à ſe deſcriptæ tribuit, quòd ſit donum Dei, & impulſus Spiritus ſancti &c. quæ fictæ tantùm, & apparenti non magis conueniunt; quàm adumbratæ, & falſæ contritioni conueniat per ſe extra ſacramentum ad iuſtificationem perducere, vt paulò ante aſſerit. Denique ſicut vera confeſſio, & non tantùm apparens, neceſſaria eſt; & vera aqua in Baptiſmo: ſic etiam vera contritio: Nam Concilia ſupra citata eodem modo de vtraque loquuntur.

42. Voluntas confitendi & obtinẽdi abſolutionem non ſufficit.

Voluntas quoque confitendi, & recipiendi abſolutionem, præciſè ſumpta, non eſt contritio vel attritio, qualis à Forent. & Trident. deſcripta eſt. Siue loquamur de voluntate recipiendi ſacramentum præciſè ſine effectu, iuxta eorum opinionem, qui putant ſacramentum hoc eſſe poſſe informe: ſiue vlteriùs de voluntate recipiendi effectum, & deſtruendi peccatum, ac recuperandi gratiam. Licet enim hæc poſterior voluntas ſit odium quoddam peccati, quatenus odium eſt, velle aliquid deſtruere: contritio tamen, vel attritio propriè dicta non eſt quodcunque peccati odium; ſed iuxta Concilia citata, eſt dolor animi, ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero. Dolor autem eſt pluſquam odium, & deteſtatio ſimplex. Nam quamuis odium, & deteſtatio peccati olim commiſſi ſit in Beatis: non tamen contritio, quia dolore carent. Et Deus multa odit ſine dolore: ſine quo tamen vera contritio, vel attritio, aut pœnitentia propriè dicta eſſe nequit.

42. Occurritur obiectioni.

Neque obeſt quod Tridentinum poſt ſupradictam contritionis definitionem, ſubiicit, contritionem non modò vitæ nouæ propoſitum, ſed etiam veteris odium continere. Per hoc enim non derogat definitioni contritionis à ſe traditæ: & per ea, quæ ſubdit, manifeſtè oſtendit ſe non loqui de quouis odio, & deteſtatione peccati; ſed de odio cum animi dolore, & quodam angore, coniuncto. Verum quidem eſt, poſſe quempiam vnico actu ita ſacramentum expetere, & peccati remiſſionem; vt per eundem doleat de peccato commiſſo, & proponat, quantum eſt opus, non peccare de cætero. Attamen ſola & præciſa voluntas confitendi, vel peccatum abiiciendi, & gratiam recipiendi, ſine tali dolore & propoſito eſſe poteſt. Ideóque per ſe formaliter & præcisè non ſufficit. Per hæc præcipuis aduerſariorum fundamentis reſponſum eſt.

43. Contritio quid ſit?

Secunda concluſio: Contritio perfecta, & propriè dicta, eſt dolor animi, & deteſtatio de peccato commiſſo ex motiuo formali charitatis: id eſt, propter Deum ſummè dilectum propter ſe: vnde vel eſt actus elicitus à charitate habituali, vel illi ſimilis, qui elicitur à charitate habituali, verſans circa obiectum charitatis, & ſecundum charitatis ingenium. Ideóque dicitur à Trident. vbi ſupra, *charitate perfecta*, in ſenſu intranſitiuo: quòd ſcilicet contineat intrinſecè perfectionem charitatis: non autem quòd ab habitu charitatis procedat, vel cum illo coniuncta ſit in eodem ſubiecto: quorum vtrumque extrinſecum eſt, minimèque neceſſarium: licet reipſa nunquam exerceatur, quin eodem inſtanti temporis ſit in eodem ſubiecto habitus charitatis diuinitus infuſus.

Definitio attritionis.

Attritio verò dolor eſt, & deteſtatio de peccato commiſſo, vel ex metu pœnarum & gehennæ; vel ex conſideratione turpitudinis peccati, & motiui alterius diuerſi à formali motiuo contritionis ſupra explicato. Vnde attritio non eſt actus elicitus ab habitu charitatis, nec illi ſimilis, qui elicitur ab habitu charitatis, ſed ab aliis virtutibus inferioribus. Ita vtrumque actum definiunt Suares diſp. 4. & 5. Aegid. Coninc. ad quæſt. 62. art. 1. dub. 2. num. 25. Vaſquez ad q. 86. art. 2. dub. 8. & alii recentiores: colligiturque ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 4.

Suares. Coninc. Vaſquez.

44. In quo ambæ conueniant?

Conueniunt autem primò, in eo quòd vtraque eſt actus virtutis, quia conuenienter cum recta ratione exercetur. Secundò, vtraque eſt dolor animi, ac deteſtatio de peccato commiſſo ab ipſo pœnitente: non autem de peccato originali, neque de alieno, neque de proprio poſſibili tantùm, vel futuro, neque de pœna peccati dumtaxat, ſed de ipſa culpa, & propria ratione peccati. Nam licet extra peccatum commiſſum & proprium, alia multa ſint, quæ poſſunt iure diſplicere, ſiue propter Deum, ſiue propter aliud motiuum: non tamen quiuis dolor rectus ſignificatur nomine contritionis, vel attritionis: ſed dolor de peccatis propriis iam admiſſis. Contritio enim & attritio ſunt actus pœnitendi. Pœnitere autem propriè dicimur de propriis peccatis commiſſis, non de alienis, aut futuris, vel tantùm poſſibilibus. Tertiò, conueniunt etiam in eo quòd vterque actus habet annexum, vel ſaltem incluſum virtualiter propoſitum non peccandi de cætero. Nam omnis dolor efficax, & deſtatio abſoluta peccati, qualis eſt illa, de qua loquimur in ordine ad ſacramentum pœnitentiæ, includit propoſitum non peccandi de cætero. Et hæc omnia colligi poſſunt partim ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. partim ex Diuo Thoma quæſtione 1. ſupplementi art. 1. & 2. & quæſt. 2. art. 1. 2. 4. & 5.

S. Thom.

45. Differentia inter vtrãque.

Differunt autem primò, quoad obiectum formale, ſeu rationem propriam, quâ tendunt in peccatum. Nam contritionis obiectum formale eſt in peccato, quòd Deo ſummè bono, & amabili diſpliceat. Attritionis verò obiectum formale eſt multiplex: ſicut & ipſa attritio multiplex eſt. Vna enim eſt virtutis ſpei, quæ dolet de peccato, vt eſt cauſa gehennæ, & pœnarum, vel vt aliter contrarium proprio bono ſupernaturali. Alia virtutis iuſtitiæ, quæ peccatum deteſtatur, vt iniurioſum Deo. Alia virtutis honeſtatis, quæ peccatum odit, vt turpe & inhoneſtum: & ſic de aliis ſpeciebus: in quibus illud eſt obiectum formale, quod eſt ratio, ſecundum quam peculiariter, & proximè, atque immediatè peccatum deteſtantur. Vnde colligе, contritionem, & attritionem differre eſſentialiter, & ſpecificè, ſub genere contritionis latiùs ſumptæ, prout abſtrahit à perfecta & imperfecta, vt ſumitur & definitur initio capitis quarti, ſeſſionis decimæ quartæ Tridentini. Nam virtutes, quarum obiecta formalia ſunt diuerſa, eſſentialiter differunt. Tametſi nomina contritionis, & attritionis, ſi vis ſola vocis ſpectetur, ſignificant potiùs differentiam accidentariam penes intenſionem. Nam contritio dicitur metaphoricè, quaſi propter doloris vehementiam cor pœnitentis peccatis obduratum conterat, & comminuat, atque in partes minutiſſimas diuidat, doctore D. Thoma quæſtione prima Supplementi articulo primo in corp. Attritio verò dicitur, quaſi dolor minùs vehemens, cor non perfectè conterens, & comminuens; ſed conquaſſans, & atterens.

S. Thomas

46. Poſſitne attritio fieri contritio?

Differunt ſecundò, quòd attritio ſe ſola, citra vſum ſacramenti, non perducit peccatorem ad iuſtificationem: ſecus autem contritio. De quo diſcrimine dictum eſt ſuprà. Ex priori verò peti poteſt ſolutio difficultatis propoſitæ à D. Thoma quæſtione cit. art. 3. an attritio poſſit fieri contritio? Cuius difficultatis ſenſus quadruplex eſſe poteſt. Primus an contritio in aliquo ſubiecto poſſit ſuccedere attritioni? Quod quidem fieri poteſt: ſed eſt potiùs ex attrito

Digitized by Google

contritum fieri, quàm attritionem fieri contritionem. Secundus eſt, an attritio poſſit aliquo modo habere vim contritionis, quatenus in ſacramento ſufficit ad iuſtificationem, facitque id quod extra ſacramentum præſtat contritio? Et hoc etiam fit: ſed non eſt attritionem fieri propriè contritionem, ſed obire quodammodo munus contritionis, & illi æquiualere. Tertius eſt, an attritio poſſit elici ex imperio charitatis, & inde moralem dignitatem, & ſplendorem contrahere, atque ita quodam modo participare honeſtatem contritionis, quæ eſt honeſtas propria charitatis? Et id quoque fieri poteſt: ſed non eſt propriè attritionem fieri contritionem, cùm non mutet naturam, & ſpeciem intrinſecam, quâ eſt attritio eſſentialiter: ſed tantùm moraliter induat alienam, accidentariam, & extrinſecam. Quartus denique & proprius eſt, an per additionem alicuius perfectionis accidentalis, quæ in eodem actu fiat, attritio intrinſecè & propriè fiat contritio? Quo ſenſu Caietanus, & alii quidam affirmant, qui contritionem ab attritione diſtinguũt ſolùm penes intenſionem, aut durationem quandam. Sed ex dictis liquet oppoſitum. Quare concludendum eſt, attritionem hoc vltimo ſenſu non poſſe fieri contritionem. Quia cùm differant eſſentialiter, & non tantùm penes intenſionem, aut durationem, aut aliud accidentarium: non poteſt vna fieri altera per acceſſionem noui gradus, aut quid ſimile: ſed opus eſſet mutatione eſſentiæ, quæ impoſſibilis eſt: nulla enim res poteſt eſſe aliud, quàm id, quod eſt eſſentialiter ſecundum ſuam ſpeciem, vel naturam.

SECTIO IV.

An contritio, vel attritio ſacramentalis debeat eſſe ſenſibilis, & vniuerſalis?

47. Sufficit dolor voluntatis.

PRima concluſio: Non eſt neceſſe vt contritio, vel attritio ſacramentalis ſit dolor ſenſibilis, id eſt, partis ſenſitiuæ: ſed ſufficit dolor mentis, & voluntatis. Probatur, quia Tridentinum ſeſſione 14. cap. 4. in definitione contritionis ſacramentalis requirit tantùm, vt ſit dolor animi. Animus autem propriè mentem ſignificat, & non partem ſenſitiuam, ad quam dolorem pœnitentis extendi non eſt neceſſarium: vt confirmat S. Thom. D. Thomas quæſt. 85. art. 4. in corp. & ad 1. iuncto artic. 1. & 3. quæſt. 1. Supplementi, vbi actum virtutis pœnitentiæ, qui ad conſtituendum ſacramentum valet, ponit ſolùm in voluntate.

Florentinum autem in Decreto Eugenii, cùm ait, primam partem ſacramenti pœnitentiæ eſſe cordis contritionem; nomine cordis mentem intelligit: quo ſenſu vates Regius cordis nomen accepit, quando illud à carne diſtinxit Pſalmo 83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Eademq; acceptio cordis pro ſpiritu, & voluntate in Scripturis, & communi modo loquendi, frequentiſſima eſt.

48. Non eſt neceſſe vt redundet in partem ſenſitiuam.

Et quamuis aliqua peccata perficiantur in parte ſenſitiua, in eademque ſit interdum delectatio cum peccato coniuncta: & conueniens ſit, vt, ſi fieri poſſit, peccatum corrigatur, & emendetur ſecundum parem extenſionem: ſecundum quam admiſſum fuit: aliud tamen eſt eſſe conueniens, & aliud eſſe neceſſarium. Ac meritò Chriſtus ſolum mentis dolorem neceſſarium eſſe voluit: quia tota ratio peccati, vt culpabilis, ſeu malitia formalis, eſt in voluntate, ſine cuius conſenſu libero nullum peccatum culpabile eſſe poteſt. Pars autem ſenſitiua neque libera eſt, neque rationi obediens: ſed naturaliter fertur, & impotenter in obiecta delectabilia ſibi proportionata: atque in multis, etiam ſanctis, dura eſt, & difficilis; & neque tantùm non obediens, ſed reſiſtens: vt de ſe Paulus ait Roman. 7. v. 23. & 2. Corinth. 12. v. 7. Quapropter licet optimum ſit dolere de peccatis ſecundum partem ſenſitiuam: nemo tamen turbari debet, ſi dolorem ſenſibilem non habeat, modò ſecundum voluntatem ſit verè attritus, aut contritus. Ac ne illud quidem neceſſarium eſt, vt qui non dolet ſenſibiliter, doleat ſe non ita dolere. Quamuis ſicut bonum eſt dolere moderatè ſecundum partem ſenſitiuam: ita ſit bonum dolere de defectu doloris ſenſibilis.

49. Deber eſſe vniuerſalis circa mortalia commiſſa.

Secunda concluſio: Contritio, vel attritio ſacramentalis debet eſſe virtualiter ſaltem vniuerſalis circa peccata mortalia commiſſa: non tamen eſt neceſſe, vt ſit vniuerſalis circa venialia. Ratio primæ partis eſt, quia requiritur dolor, qui efficaciter tendat ad reconciliationem per ſacramentum obtinendam: iuxta hæc verba Tridentini de contritione, primo actu pœnitentis ſeſſ. 14. cap. 4. *Et in homine poſt Baptiſmum lapſo ita demum præparat ad remiſſionem peccatorum, ſi cum fiducia diuinæ miſericordiæ, & voto præſtandi reliqua coniunctus ſit, quæ ad ritè ſuſcipiendum hoc ſacramentum requiruntur.* Voluntas autem ſeria, & ex ſe efficax reconciliandi ſe cum Deo, continet implicitè auerſionem ab omni peccato mortali: quippe cum quo gratia Dei, & reconciliatio ſtare nequit. Etenim omnis amor ſerius & efficax alicuius boni, continet implicitè deteſtationem mali contrarii, cum quo illud bonum conſiſtere non poteſt. Tale autem bonum eſt reconciliatio cum Deo, & eius gratia, reſpectu peccati mortalis: ergo, &c.

50.

Secundò, ex eodem Trident. ibidem, attritio, vt ſit ſufficiens ad iuſtificationem per ſacramentum pœnitentiæ obtinendam, debet eſſe talis, vt peccandi voluntatem excludat. Ergo debet eſſe ſaltem virtualiter propoſitum efficax, & vniuerſale non peccandi mortaliter in vllo caſu. At illa attritio eſt vniuerſalis deteſtatio cuiuſcunque peccati mortalis. Affectus enim ſeparans ab

42. Occurritur obiectioni.

Neque obeſt quod Tridentinum poſt ſupradictam contritionis definitionem, ſubiicit, contritionem non modò vitæ nouæ propoſitum, ſed etiam veteris odium continere. Per hoc enim non derogat definitioni contritionis à ſe traditæ: & per ea, quæ ſubdit, manifeſtè oſtendit ſe non loqui de quouis odio, & deteſtatione peccati; ſed de odio cum animi dolore, & quodam angore, coniuncto. Verum quidem eſt, poſſe quempiam vnico actu ita ſacramentum expetere, & peccati remiſſionem; vt per eundem doleat de peccato commiſſo, & proponat, quantum eſt opus, non peccare de cætero. Attamen ſola & præcisa voluntas confitendi, vel peccatum abiiciendi, & gratiam recipiendi, ſine tali dolore & propoſito eſſe poteſt. Ideóque per ſe formaliter & præcisè non ſufficit. Per hæc præcipuis aduerſariorum fundamentis reſponſum eſt.

43. Contritio quid ſit?

Secunda concluſio: Contritio perfecta, & propriè dicta, eſt dolor animi, & deteſtatio de peccato commiſſo ex motiuo formali charitatis: id eſt, propter Deum ſummè dilectum propter ſe: vnde vel eſt actus elicitus à charitate habituali, vel illi ſimilis, qui elicitur à charitate habituali, verſans circa obiectum charitatis, & ſecundum charitatis ingenium. Ideóque dicitur à Trident. vbi ſupra, *charitate perfecta*, in ſenſu intranſitiuo: quòd ſcilicet contineat intrinſecè perfectionem charitatis: non autem quòd ab habitu charitatis procedat, vel cum illo coniuncta ſit in eodem ſubiecto: quorum vtrumque extrinſecum eſt, minimèque neceſſarium: licet reipſa nunquam exerceatur, quin eodem inſtanti temporis ſit in eodem ſubiecto habitus charitatis diuinitus infuſus.

Definitio attritionis.

Attritio verò dolor eſt, & deteſtatio de peccato commiſſo, vel ex metu pœnarum & gehennæ; vel ex conſideratione turpitudinis peccati, & motiui alterius diuerſi à formali motiuo contritionis ſupra explicato. Vnde attritio non eſt actus elicitus ab habitu charitatis, nec illi ſimilis, qui elicitur ab habitu charitatis, ſed ab aliis virtutibus inferioribus. Ita vtrumque actum definiunt Suares diſp. 4. & 5. Aegid. Coninc. ad quæſt. 62. art. 1. dub. 2. num. 25. Vaſquez ad q. 86. art. 2. dub. 8. & alii recentiores: colligiturque ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 4.

Suares. Coninc. Vaſquez.

44. In quo ambæ conueniant?

Conueniunt autem primò, in eo quòd vtraque eſt actus virtutis, quia conuenienter cum recta ratione exercetur. Secundò, vtraque eſt dolor animi, ac deteſtatio de peccato commiſſo ab ipſo pœnitente: non autem de peccato originali, neque de alieno, neque de proprio poſſibili tantùm, vel futuro, neque de pœna peccati dumtaxat, ſed de ipſa culpa, & propria ratione peccati. Nam licet extra peccatum commiſſum & proprium, alia multa ſint, quæ poſſunt iure diſplicere, ſiue propter Deum, ſiue propter aliud motiuum: non tamen quiuis dolor rectus ſignificatur nomine contritionis, vel attritionis: ſed dolor de peccatis propriis iam admiſſis. Contritio enim & attritio ſunt actus pœnitendi. Pœnitere autem propriè dicimur de propriis peccatis commiſſis, non de alienis, aut futuris, vel tantùm poſſibilibus. Tertiò, conueniunt etiam in eo quòd vterque actus habet annexum, vel ſaltem incluſum virtualiter propoſitum non peccandi de cætero. Nam omnis dolor efficax, & deſtatio abſoluta peccati, qualis eſt illa, de qua loquimur in ordine ad ſacramentum pœnitentiæ, includit propoſitum non peccandi de cætero. Et hæc omnia colligi poſſunt partim ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. partim ex Diuo Thoma quæſtione 1. ſupplementi art. 1. & 2. & quæſt. 2. art. 1. 2. 4. & 5.

S. Thom.

45. Differentia inter vtrãque.

Differunt autem primò, quoad obiectum formale, ſeu rationem propriam, quâ tendunt in peccatum. Nam contritionis obiectum formale eſt in peccato, quòd Deo ſummè bono, & amabili diſpliceat. Attritionis verò obiectum formale eſt multiplex: ſicut & ipſa attritio multiplex eſt. Vna enim eſt virtutis ſpei, quæ dolet de peccato, vt eſt cauſa gehennæ, & pœnarum, vel vt aliter contrarium proprio bono ſupernaturali. Alia virtutis iuſtitiæ, quæ peccatum deteſtatur, vt iniurioſum Deo. Alia virtutis honeſtatis, quæ peccatum odit, vt turpe & inhoneſtum: & ſic de aliis ſpeciebus: in quibus illud eſt obiectum formale, quod eſt ratio, ſecundum quam peculiariter, & proximè, atque immediatè peccatum deteſtantur. Vnde colligе, contritionem, & attritionem differre eſſentialiter, & ſpecificè, ſub genere contritionis latiùs ſumptæ, prout abſtrahit à perfecta & imperfecta, vt ſumitur & definitur initio capitis quarti, ſeſſionis decimæ quartæ Tridentini. Nam virtutes, quarum obiecta formalia ſunt diuerſa, eſſentialiter differunt. Tametſi nomina contritionis, & attritionis, ſi vis ſola vocis ſpectetur, ſignificant potiùs differentiam accidentariam penes intenſionem. Nam contritio dicitur metaphoricè, quaſi propter doloris vehementiam cor pœnitentis peccatis obduratum conterat, & comminuat, atque in partes minutiſſimas diuidat, doctore D. Thoma quæſtione prima Supplementi articulo primo in corp. Attritio verò dicitur, quaſi dolor minùs vehemens, cor non perfectè conterens, & comminuens; ſed conquaſſans, & atterens.

S. Thomas

46. Poſſitne attritio fieri contritio?

Differunt ſecundò, quòd attritio ſe ſola, citra vſum ſacramenti, non perducit peccatorem ad iuſtificationem: ſecus autem contritio. De quo diſcrimine dictum eſt ſuprà. Ex priori verò peti poteſt ſolutio difficultatis propoſitæ à D. Thoma quæſtione cit. art. 3. an attritio poſſit fieri contritio? Cuius difficultatis ſenſus quadruplex eſſe poteſt. Primus an contritio in aliquo ſubiecto poſſit ſuccedere attritioni? Quod quidem fieri poteſt: ſed eſt potiùs ex attrito

contritum fieri, quàm attritionem fieri contritionem. Secundus est, an attritio possit aliquo modo habere vim contritionis, quatenus in sacramento sufficit ad iustificationem, facitque id quod extra sacramentum præstat contritio? Et hoc etiam fit: sed non est attritionem fieri propriè contritionem, sed obire quodammodo munus contritionis, & illi æquiualere. Tertius est, an attritio possit elici ex imperio charitatis, & inde moralem dignitatem, & splendorem contrahere, atque ita quodam modo participare honestatem contritionis, quæ est honestas propria charitatis? Et id quoque fieri potest: sed non est propriè attritionem fieri contritionem, cùm non mutet naturam, & speciem intrinsecam, quâ est attritio essentialiter: sed tantùm moraliter induat alienam, accidentariam, & extrinsecam. Quartus denique & proprius est, an per additionem alicuius perfectionis accidentalis, quæ in eodem actu fiat, attritio intrinsecè & propriè fiat contritio? Quo sensu Caietanus, & alii quidam affirmant, qui contritionem ab attritione distinguũt solùm penes intensionem, aut durationem quandam. Sed ex dictis liquet oppositum. Quare concludendum est, attritionem hoc vltimo sensu non posse fieri contritionem. Quia cùm differant essentialiter, & non tantùm penes intensionem, aut durationem, aut aliud accidentarium: non potest vna fieri altera per accessionem noui gradus, aut quid simile: sed opus esset mutatione essentiæ, quæ impossibilis est: nulla enim res potest esse aliud, quàm id, quod est essentialiter secundum suam speciem, vel naturam.

SECTIO IV.

An contritio, vel attritio sacramentalis debeat esse sensibilis, & vniuersalis?

47. Sufficit dolor voluntatis.

PRima conclusio: Non est necesse vt contritio, vel attritio sacramentalis sit dolor sensibilis, id est, partis sensitiuæ: sed sufficit dolor mentis, & voluntatis. Probatur, quia Tridentinum sessione 14. cap. 4. in definitione contritionis sacramentalis requirit tantùm, vt sit dolor animi. Animus autem propriè mentem significat, & non partem sensitiuam, ad quam dolorem pœnitentis extendi non est necessarium: vt confirmat D. Thomas quæst. 85. art. 4. in corp. & ad 1. iuncto artic. 1. & 3. quæst. 1. Supplementi, vbi actum virtutis pœnitentiæ, qui ad constituendum sacramentum valet, ponit solùm in voluntate. S. Thom.

Florentinum autem in Decreto Engenii, cùm ait, primam partem sacramenti pœnitentiæ esse cordis contritionem: nomine cordis mentem intelligit: quo sensu vates Regius cordis nomen accepit, quando illud à carne distinxit Psalmo 83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Eademq; acceptio cordis pro spiritu, & voluntate in Scripturis, & communi modo loquendi, frequentissima est.

48. Non est necesse vt redundet in partem sensitiuam.

Et quamuis aliqua peccata perficiantur in parte sensitiua, in eademque sit interdum delectatio cum peccato coniuncta: & conueniens sit, vt, si fieri possit, peccatum corrigatur, & emendetur secundum parem extensionem: secundum quam admissum fuit: aliud tamen est esse conueniens, & aliud esse necessarium. Ac meritò Christus solum mentis dolorem necessarium esse voluit: quia tota ratio peccati, vt culpabilis, seu malitia formalis, est in voluntate, sine cuius consensu libero nullum peccatum culpabile esse potest. Pars autem sensitiua neque libera est, neque rationi obediens: sed naturaliter fertur, & impotenter in obiecta delectabilia sibi proportionata: atque in multis, etiam sanctis, dura est, & difficilis; & neque tantùm non obediens, sed resistens: vt de se Paulus ait Roman. 7. v. 23. & 2. Corinth. 12. v. 7. Quapropter licet optimum sit dolere de peccatis secundum partem sensitiuam: nemo tamen turbari debet, si dolorem sensibilem non habeat, modò secundum voluntatem sit verè attritus, aut contritus. Ac ne illud quidem necessarium est, vt qui non dolet sensibiliter, doleat se non ita dolere. Quamuis sicut bonum est dolere moderatè secundum partem sensitiuam: ita sit bonum dolere de defectu doloris sensibilis.

49. Debet esse vniuersalis circa mortalia commissa.

Secunda conclusio: Contritio, vel attritio sacramentalis debet esse virtualiter saltem vniuersalis circa peccata mortalia commissa: non tamen est necesse, vt sit vniuersalis circa venialia. Ratio primæ partis est, quia requiritur dolor, qui efficaciter tendat ad reconciliationem per sacramentum obtinendam: iuxta hæc verba Tridentini de contritione, primo actu pœnitentis sess. 14. cap. 4. *Et in homine post Baptismum lapso ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia diuinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua coniunctum sit, quæ ad ritè suscipiendum hoc sacramentum requiruntur.* Voluntas autem seria, & ex se efficax reconciliandi se cum Deo, continet implicitè auersionem ab omni peccato mortali: quippe cum quo gratia Dei, & reconciliatio stare nequit. Etenim omnis amor serius & efficax alicuius boni, continet implicitè detestationem mali contrarii, cum quo illud bonum consistere non potest. Tale autem bonum est reconciliatio cum Deo, & eius gratia, respectu peccati mortalis: ergo, &c.

50. Secundò, ex eodem Trident. ibidem, attritio, vt sit sufficiens ad iustificationem per sacramentum pœnitentiæ obtinendam, debet esse talis, vt peccandi voluntatem excludat. Ergo debet esse saltem virtualiter propositum efficax, & vniuersale non peccandi mortaliter in vllo casu. At illa attritio est vniuersalis detestatio cuiuscunque peccati mortalis. Affectus enim separans ab

Digitized by Google

solutè & efficaciter voluntatem ab omni peccato mortali committendo in quacunque occasione, & quocunque casu possibili, per eius detestationem: separat eam vniuersaliter per detestationem à peccatis omnibus commissis in iisdem occasionibus. Displicet enim voluntati absolutè & efficaciter connexio peccati cum tali occasione, & cum quacunque alia possibili. Et qui sic abhorret ab omni peccato futuro; abhorret virtualiter, vi eiusdem affectus, ab omni peccato præsenti, vel præterito, nec potest actum oppositum compati.

51. Non est necesse vt sit vniuersalis circa venialia.

De peccatis autem venialibus alia est ratio. Etenim illa non repugnant reconciliationi, neque debent necessariò subiici sacramento pœnitentiæ. Et sicut liberum est simpliciter ea subiicere, vel non subiicere: ita liberum est subiicere omnia, vel aliqua. Imò ne quidem necessarium est dolere de omnibus inter confitendum propositis. Quanquã si aliquis de venialibus solis confiteretur, generetur saltem de vno dolere: quia tenetur ea præstare, quæ ad sacramentum necessaria sunt: cuiusmodi est dolor de aliquo peccato, & confessio proprie dicta, siue accusatio legitima: quæ sicut generatim nulla est sine dolore aliquo: ita speciatim non est de illis peccatis, quorum nullus est dolor. Quare qui aliqua peccata sine dolore proponit; non confitetur de illis propriè, sed alla potiùs inter confitendum exponit: quod etiam licitè fieri potest ad sui confusionem, vel humiliationem, vel maiorem sui notitiã Confessario dandam: sicut possunt alia multa exponi, quæ peccata non sunt. Licet autem in eo casu falli possit particularis intentio sacerdotis: non tamen fallitur & frustratur communis, & suprema intentio absoluendi secundum Christi institutionem ab iis, à quibus pœnitens ritè absolui potest. Neque forma idcirco redditur falsa, licet vnicum veniale cum dolore proponatur. Nam licet aliquis certissimè crederet se vnũ tantùm habere peccatum, & illud proponeret: eadem forma consueta seruaretur: cuius sensus est, Absoluo te à peccatis tuis, vno vel pluribus, secundum subiecti conditionem & dispositionem.

52. Soluitur obiectio.

Dices: Ille qui non dolet de omnibus venialibus à se confessis, proponit pro materia sacramenti aliquid, quod non potest esse illius materia. Ergo sicut grauiter peccaret ille, qui hostiam papyraceam proponeret cum triticeis ad consecrandum: sic ille, qui proponit in confessione aliqua venialia, de quibus non dolet. Respondeo negando antecedens: neque enim illa proponit pro materia sacramenti. Sed ad maiorem sui notitiam præbendam confessario, vt ab illo meliùs dirigatur, & iuuetur: vel ad alios fines bonos supra commemoratos, propter quos etiam potest habitus suos vitiosos, & propensiones naturales, & peccandi occasiones ac tentationes sibi occurrentes, aliaque multa exponere licitè & laudabiliter, quæ peccata non sunt, neque materia absolutionis. Secùs est de hostiis papyraceis, quia ob similes alios fines non possunt admisceri consecrandis. Neque sicut consecratio Eucharistica refertur solum ad transubstantiationem, & effectionem sacramenti: ita confessio ad absolutionem: nam tendit etiam ad medendum infirmitatibus pœnitentis, ad regimen conscientiæ, nouæque vitæ custodiam, vt ait Trident. sess. 14. cap. 8.

Tertia conclusio: Non est necesse vt contritio, vel attritio sacramentalis distinctè cadat in singula peccata mortalia: sufficit enim si confusè aliquo modo omnia comprehendat. Ita Maior, & alii Scholastici in 4. dist. 17. Caiet. Victoria, Petr. Sotus, Toletus, Vega, & alii, quos refert & sequitur Suarez disp. 4. sect. 6. num. 9. & disp. 20. sect. 4. num. 28.

53. Sufficit dolor generalis de peccatis, licet confusus. Maior. Suarez.

Ad eius declarationem nota, dupliciter versari posse voluntatem circa peccata mortalia. Primò, confusè, sub aliqua ratione communi omnibus: v. g. sub ratione offensæ vel iniuriæ diuinæ, vel causæ pœnarum, & gehennæ, vel repugnantis gratiæ, & reconciliationi diuinæ; quarum rationum quælibet vniuersaliter sumpta, comprehendit omnia confusè, quia omnibus communis est. Secundò, distinctè, idque duobus modis. Primò, diuersis actibus, quorum vnus in vnum, & alius in aliud tendat, secundum propriam cuiusque differentiam. Secundò, vno & eodem actu, qui diuersa peccata expressè secundum propriam cuiusque rationem attingat. Sicut enim multi, & diuersi specie colores videri possunt expressè, & distinctè secundum suas differentias, vel diuersis actibus, vt fit necessariò, quando successiuè vnus videtur post alium: vel eodem actu, vt facile est fieri, quando simul tabula diuersicolor tota cernitur, aut areola diuersis floribus strata: sic peccata mortalia plura, & specie diuersa, possunt vel pluribus vel eodem actu attingi expressè secundum propriam cuiusque differentiam. Quæ tamen quia sæpissime sunt plurima, & diuersissima; & voluntatis nostræ vis admodum finita: si distinctè & expressè singula detestanda essent, opus esset multis actibus, tum voluntatis, tum etiam intellectus, qui debet expressè, & distinctè cognoscere quidquid per voluntatem appetitur expressè. Nam sicut detestatio non potest ferri nisi in cognitum: sic detestatio distinctorum vt talia sunt, non potest ferri in illa, nisi cognita vt distincta, & secundum suas differentias.

53. Dolor potest esse cõfusus aut distinctus.

Hæc autẽ obligatio multiplicandi actus non est asserenda sine vrgenti ratione: sed potiùs credendum, Christum, cuius leges æquissimè interpretandæ sunt, humano captui se accommodasse, & contentum esse detestatione illa, quâ peccator, confusè licet, omnia verè detestatur, nullumque habet, quod non velit deponere, cùm sub vna communi ratione omnia comprehendat. Maxi-

54. Probatur sufficere confusum.

mè verò quia Florentinum, & Trident. locis cit. contritionem tantùm, ſeu dolorem de peccatis requirunt, nec viquam ſignificant debere eſſe diſtinctè & expreſſè de ſingulis: ſicut affirmant de confeſſione, cuius etiam diſpar eſt ratio: quia per illam debent peccata diſtinctè innoteſcere Iudici: ideóque debent ſingillatim exponi omnia mortalia, quorum habetur memoria, vt ait Florentinũ in decreto; ſecundum ſpeciem, & numerum, & circunſtantias mutantes ſpeciem, vt addit Trident. ſeſſ. 14. capite 5. At nihil talè affirmant de contritione: neque de ſatisfactione, quæ non debet eſſe diſtincta pro ſingulis peccatis, neque pro peccatis recogitatis ſecundum ſpeciem & numerum; ſed confuſè pro peccatis commiſſis. Quanquam vtraque aliquo modo eſt de ſingulis peccatis diſtinctè, virtute confeſſionis, cui connectitur, & cuius vi ad omnia defertur. Nã ſicut quando aliquis iuramento, vel voto, confirmat plurimos articulos ante vel poſt iuramentum expoſitos, iuramentum ratione expoſitionis extenditur ad ſingula diſtinctè expoſita: ſic attritio, vel contritio extenditur ad ſingula peccata in confeſſione diſtinctè propoſita, ſiue præcedat confeſſionem, ſiue ſequatur. Quo ſenſu interpretor differentiam aſſignatam à D. Tho. quæſt. 87. art. 1. in corp. inter pœnitẽtiam requiſitam ad remiſſionem mortalium, & illam quæ requiritur ad remiſſionem venialium: quodque alibi ait de diſcrimine inter contritionẽ neceſſariam adultis peccatoribus, ante Baptiſmum, & illam quæ neceſſaria eſt ante Sacramentum pœnitentiæ.

55. Idem ſentiendum de contritione extra ſacram.

Similiter vt contritio extra ſacramentum iuſtificet, ſufficit ſi confuſè peccata omnia mortalia attingat, propter rationem ſuperiùs allatam. Neque Scriptura plus requirit Ezech. 18. Iſaiæ. 30. & 55. aliiſque locis, vbi pœnitentibus veniam promittit: & alioqui foret impoſſibilis, vbi parum vitæ ſupereſt, & plurima ſunt peccata deteſtanda. Debet tamen illa ratio confuſa vniuerſaliter attingi prout ſe extendit ad omnia mortalia, quorum peccator eſt reus: imò abſolutè & generaliter ad omnia, quia debet omnem peccandi voluntatem excludere, id eſt, perfectè & vniuerſaliter abſtrahere voluntatem ab omni peccato mortali; iuxta ea, quæ de attritione ſupra diximus ex doctrina Tridentini ſeſſ. 14. cap. 4

SECTIO V.

Difficultas circa doctrinam præcedentem de vniverſalitate contritionis.

56. An dolor ex motiuo generali ſadat ne-

DIfficultas verò eſt, an quotieſcunq; aliquis deteſtatur peccatum propter aliquod motiuũ de ſe generale, & cõmune omnibus peccatis, putà, quia Deo grauiter diſplicet, quia diſſoluit eius amicitiam, quia facit reum gehennæ, deteſtetur neceſſariò virtualiter omnia peccata; an verò per liberam electionem poſſit rationem illam communem ad aliqua reſtingere, eáque ſolùm propter illam deteſtari? Qua de re duæ ſunt ſententiæ. ceſſa id in omniq.

Prima affirmat eum omnem, qui vel vnum mortale deteſtatur propter aliquod motiuũ generale, & commune omnibus, neceſſariò deteſtari implicitè omnia mortalia. Ita fere communiter Doctores, inquit AEgidius Coninck diſp. 1. de Poeniten. dub. 5. concl. 1. quibus ipſe ſubſcribit; & Suarez diſp. 3. ſect. 8. num. 4. Probatur primò ex D. Thom. quæſt. 86. art. 3. in cor. vbi ſic habet: *Eſt commune omnibus mortalibus, quòd ſint contra Deum. Vbi autem eſt eadem ratio: eſt idem effectus. Vnde non poteſt eſſe verè pœnitens, qui de vno dolet, & non de alio. Si enim ei diſpliceret illud peccatum, quia eſt contra Deum ſuper omnia dilectum, ſequeretur, quòd de omnibus peccatis pœniteret.* Hæc vſque S. Thomas. Probatur ſecundò, quia libertas voluntatis non poteſt ſeparare virtualem incluſionem vnius in alio, quando vult vnum includens virtualiter aliud. Exempli gratia voluntas, quamuis libera ſit ad volendum, vel non volendum efficaciter finem: poſito tamen quòd illum velit efficaciter, non eſt libera ad volendum virtualiter media neceſſaria. Atqui ſicut voluntas efficax finis includit virtualiter volitionem mediorum neceſſariorum: ita deteſtatio vnius peccati mortalis propter gehennam v. g. includit virtualiter deteſtationem omnium mortalium. Sicut enim qui vult efficaciter, & abſolutè finem, vult implicitè ſaltem medium neceſſarium ad illum conſequendum: ita pari neceſſitate quiſquis vult efficaciter & abſolutè vitare aliquod malum, puta gehennam; vult vitare quidquid poteſt inducere illud malum. Atqui quodcunque aliud peccatum mortale inducit gehennam: ergo qui furtum deteſtatur propter gehennam efficaciter & abſolutè, deteſtatur ſaltem implicitè quodcunque aliud peccatum mortale. Sententia affirmans. Coninc. Suarez. S. Thom.

57. Confirmatur.

Confirmatur, quia hoc motiuum eſt totum in ſingulis, & totum in omnibus peccatis: & omnia peccata talem habent connexionem reſpectu illius, vt non poſſit illud odio haberi abſolutè, niſi in ſingulis & omnibus peccatis odio habeatur. Atqui per veram deteſtationem alicuius peccati propter tale motiuum, perfectè & abſolutè odio habetur ipſummet motiuum: ergo in illo virtualiter diſplicent omnia peccata, quæ induunt talem rationem mali. Ita Suarez ſect. cit. num. 5.

Tertiò, addi poteſt, quòd ſicut fide diuina non poſſumus credere vnum articulum, quin virtualiter credamus omnes, in quibus reperitur idem motiuum formale, nempe Dei reuelatio: ita non poſſumus deteſtari vnum peccatum propter Deum, quin deteſtemur alia omnia, in quibus reperitur eadem ratio offenſæ Dei. Et ſicut ſtare nequit

diſſenſus ad vnum articulum fidei cum aſſenſu ad alium, ex puro motiuo fidei: ſic neque complacentia alicuius peccati, cum deteſtatione alterius, quia offenſa Dei eſt. Vnitas enim motiui formalis reddit actus illos incompoſſibiles in eodem ſubiecto: facitque, vt vel omnia, vel nullum deteſtemur.

58. Medina. Tanner. Delugo. Secunda ſententia priori oppoſita eſt Ioan. Medinæ cod. de Pœnit. tract. 1. quæſt. 12. art. 2. eandemque probabilem eſſe docet Tannerus quæſt. 6. de Pœnit. dub. 2. num. 37. quia, inquit, pro vtraque parte & boni authores, & æquè fere probabiles ſunt rationes. Ad eandem accedit ex parte Cardin. Delugo diſp. 5. ſect. 6. num. 79. vbi fatetur poſſe amari motiuum temperantiæ, iuſtitiæ, vel miſericordiæ non omnino plenè: & poſſe dari deteſtationem peccati ex dilectione aliqua Dei, vel ex deteſtatione offenſæ Dei, adeo imperfectam, vt non ſit virtualiter deteſtatio omnium mortalium.

59. Ratio præcipua ſententiæ negantis. Ratio præcipua eſt, quia quiſquis vult aliquid determinatum propter aliquam rationem communem, non propterea vult neceſſariò quidquid illam rationem habet. Exempli gratiâ, qui vult efficaciter hoc bonum opus, quia facit ad Dei gloriam, vel quia rationi conſentaneum eſt: non propterea vult efficaciter quidquid facit ad Dei gloriam, vel quidquid eſt rationi conſentaneum. Qui vult vni è decem filiis ſuis dare centum aureos, quia filius ſuus eſt: non propterea vult efficaciter dare totidem aliis, quamuis facilè poſſit. Qui vult Petro inimico hanc iniuriam inferre, quia iniuria eſt, & quia illi nocet: non vult illi omnem iniuriam inferre, & omne nocumentum. Nimirum quia cauſa volendi vnum & non aliud, non eſt ſemper ipſum motiuum, ſeu ratio formalis obiecti voliti: ſed interdum eſt ipſa libera voluntatis determinatio, quæ poteſt è duobus prorſus æqualibus ex parte obiecti, & motiui, vnum eligere præ alio. Poteſt etiam rationem multis communem non velle abſolutè ſecundum totam ſuam amplitudinem, & vniuerſalitatem: ſed limitatè & reſtrictè ad vnum, vel ad pauca eorum, quibus eſt communis, & quibus æquè conuenit, ac de ſe æquè ad illa omnia mouere apta eſt. Sic ergo poteſt aliquis deteſtari v.g. homicidium, aut idololatriam, propter gehennam: quamuis non deteſtetur ebrietatem propter eandem cauſam.

60. Suarez. Reſpondet Suares diſp. 3. ſect. 8. nu. 10. eum, qui vult aliquid honeſtum, ex eo ſolùm, quòd eſt rationi conſentaneum; velle virtualiter cætera omnia, ſaltem quantum ad hoc, vt ſtante illo efficaci actu non poſſit velle aliquid turpe, & rectæ rationi contrarium. Et conſequenter, vt velit virtualiter quidquid ad rectitudinem rectæ rationis ſimpliciter neceſſarium eſt. Quamuis non ſit neceſſe, vt velit ea omnia, quæ ſunt rationi conformia, ſi alioqui non ſunt neceſſaria ad rectitudinem rationis: quia illa non ſunt neceſſariò connexa cum illa priori intentione.

Verùm hæc reſpõſio aperte concedit, volitionem vnius propter motiuum de ſe commune pluribus, non propterea velle omnia virtualiter: & non eſſe neceſſariam connexionem, vt qui vult poſitiuè vnum quid, eò quòd eſt conforme rectæ rationi, velit poſitiuè omnia, quæ ſunt rectæ rationi conformia. Vnde à pari ſequitur eum, qui deteſtatur aliquid, quia eſt rectæ rationi difforme, non propterea deteſtari neceſſariò omnia, quæ ſunt rectæ rationi difformia. Si autem vi huius affectus non deteſtatur virtualiter omnia rectæ rationi difformia: non impedit hic affectus, quin poſſit velle aliquid aliud rectæ rationi diſſentaneum. Similiterque ſi is, qui vult aliquid honeſtum, quia eſt rationi conforme, nõ propterea vult poſitiuè quidquid aliud eſt rationi conforme: non impeditur vi iſtius affectus, quin eo ſtante poſſit velle aliquid aliud rationi diſſentaneum. Quia non habet affectum poſitiuum, ne virtualiter quidem, contrarium: ſiquidem, vt fatetur Suares, non habet, ne virtualiter quidem, affectum poſitiuum volendi quidquid eſt rectæ rationi conforme. Quare neque etiam conſequẽter neceſſitatur vi illius actus, vt velit quidquid ad rectitudinem rationis ſimpliciter neceſſarium eſt. Et quidem quoties exercemus actum ex parte bonum, & ex parte malum, quod fieri poſſe oſtendimus in tractatu de Actibus humanis: volumus ſimul aliquid conforme rationi, & aliquid difforme per eundem actum.

61. Refutatur euaſio. Aliter reſpondent aliqui recentiores, eum qui vult vnum actum ideo tantùm quia placet Deo, velle diſiunctiuè quemuis alium actum placentem Deo in eodem gradu: Adeo vt ſi illi oſtenderetur hunc actum non placere Deo, ſed alium: vi ſui affectus relinqueret hunc actum, & aſſumeret alium; ſed non propterea velle collectiuè omnes ſimiles actus Deo placentes, ſi non eſt ita feruens in affectu placendi Deo, vt multos velit actus. Quia motiuum, quod habet placendi Deo in vno gradu, non eſt neceſſariò connexum cum affectu placendi in multis: Quare, inquiunt, inſtantia, quæ obiicitur, non eſt ſimilis. Quia quicunque fugit peccatum efficaciter ex metu pœnæ æternæ, ille vult carere pœna æterna. Sed illa carentia neceſſariam habet connexionem cum fuga cuiuſlibet peccati mortalis: ergo auertit à quolibet peccato mortali. Cùm è contrario motiuum placendi Deo in aliquo gradu, non habeat neceſſariam connexionem cum multis aliis collectiuè. Hæc illi.

63. Alterum effugium reiicitur. Quæ reſponſio non eſt melior præcedenti. Nam motiuum placendi Deo purè & præciſè, commune eſt omnibus, quæ Deo placent, etiam collectiuè. Et tamen is qui vult aliquid purè & præciſè, quia Deo placet: non propterea vult collectiuè omnia, quæ Deo placent: ergo falſum eſt eum, qui aliquid vult propter commune aliquod motiuum, velle collectiuè omnia quibus cõuenit tale motiuum. Et conſequenter à pari falſum

est, cum qui detestatur vnum peccatum mortale propter motiuum commune omnibus, detestari necessariò omnia collectiuè, de quo quæstio est. Ac sicut, iuxta Aduersarios, requiritur feruor voluntatis, vt qui vult Deo placere in vno actu, velit in multis, & in omnibus: ita feruor, seu potiùs amplitudo voluntatis, & generalis submissio vel adhæsio ad motiuum bonum, vel auersio à motiuo malo, quantum fert eius motiui dignitas, & amplitudo, requiritur, vt qui vult vnum ob tale motiuum, velit omnia virtualiter: aut qui vnum detestatur propter illud motiuum commune, cætera omnia detestetur implicitè.

64. Secundò, nõ est necesse vt is, qui vult aliquē actum bonum purè, & præcisè, quia Deo placet; velit disiunctiuè quemuis Deo placentem in eodem gradu. Nam v. g. qui vult hodie ieiunare, quia Deo placet, si ieiunium reddatur ei hodie impossibile, non propterea vi illius affectus, vult ieiunare cras: potest enim habere affectum determinatum ad diem hodiernum. Similiterque vi eiusdem affectus non necessariò vult inuisere carceres, aut xenodochium: quamuis illi actus boni Deo placeant in eodem gradu: potest enim habere affectum determinatum ad ieiunium.

Tertiò, instantia à nobis obiecta sufficienter similis est in eo, quòd sicut is, qui determinatè & restrictè vult vnum aliquid, quia Deo placet; non propterea vult virtualiter quidquid aliud Deo placet: ita qui determinatè, & restrictè detestatur, & fugit aliquod peccatum propter gehennam, id est, non vult incurrere gehennam per tale peccatum; non propterea detestatur virtualiter omnia peccata mortalia, id est, non propterea nonnulit illam incurrere generaliter, & vniuersalissimè propter vllum peccatum, & propter vllam aliam occasionem possibilē.

65. Ex quibus apparet hanc secundam sententiam non minùs esse probabilem, quàm oppositam. Ad cuius primum argumentum respondeo S. Thomam loqui de illo, qui, sicut oportet, detestatur peccatum pro dignitate motiui, & quantum fert, atque meretur eius amplitudo: cuique peccatum verè displicet, *quia est contra Deum super omnia dilectum*. In quo affectu includitur virtualiter detestatio omnium mortalium: tum quia motiuum est generale ac commune omnibus, & affectus fertur in illud secundum totam illius amplitudinem: tum etiam quia is, qui Deum super omnia diligit, hoc ipso detestatur virtualiter quidquid à Deo separat, quod facit quodlibet peccatum mortale.

Respondetur primo argumento sententiæ affirmantis

Ad secundum, concessa Maiore distinguo Minorem. Detestatio vnius peccati mortalis propter gehennam absolutè & vniuersaliter detestatam, ita vt illam nolis in vllo casu incurrere, includit virtualiter detestationem omnium mortalium: concedo. Detestatio propter gehennam limitatè detestatam, & efficaciter tantùm secundum quid, nempe quantum ad hoc, aut illud peccatum, propter quod illam incurrere nonuis: nego.

Soluitur secundum argumentũ

Ad probationem minoris dico voluntatem finis efficacem esse duplicem. Vnam absolutè: ita vt quantũ est ex te velis omnino finem assequi, & quidquid poteris adhibere, nihilque omittere necessarium ad eius assequutionem. Et talis voluntas est necessariò virtualis, saltem volitio omnium mediorum necessariorum. Altera est efficax tantùm secundum quid. Quâ scilicet voluntas vult finem assequi per aliquod medium, quod omnino vult adhibere: ita tamen vt si per illud non assequatur, sit permissura oppositum, neque velit omni alio conatu, & quibuscumque aliis mediis possibilibus finem prosequi. Qualis iuxta veram sententiam fuit voluntas Dei efficax circa prædestinatos. Et hæc, vt patet, non est volitio virtualis omnium mediorum necessariorum in omni casu ad finem re ipsa obtinendum. 66.

Similiter detestatio, & voluntas vitandi aliquod malum, putà gehennam, inimicitiam Dei, & similia, duplex est. Vna est absoluta, & efficax, quantum est de se, in omni casu. Altera tantùm secundum quid. Prior continet saltem virtualiter detestationem omnium peccatorum mortalium: estque similis intentioni finis absolutæ & efficaci simpliciter. Posterior non continet: & est similis intentioni finis efficaci tantùm secundum quid. Prior ad veram & supernaturalem contritionem necessaria est, per quam voluntas se generaliter à peccato auertit, & motiuo amoris Dei se submittit generali submissione, & adhæsione, pro maiestate & amplitudine motiui. Sicuti fides supernaturalis in quolibet suo actu submittit generaliter intellectũ diuinæ authoritati, eiusque reuerentiæ, generali submissione, & adhæsione. Vnde qui credit quemcunque fidei articulum fide supernaturali, credit omnes virtualiter. Et qui vnum discredit scienter, & liberè, vt hæretici: nullum credit fide supernaturali. Attritio quoque supernaturalis, & sufficiens cum sacramento ad reconciliationem, debet esse generalis detestatio, virtualiter saltem, omnium peccatorum mortalium sub aliquo motiuo generali: quia debet omnem peccandi voluntatem excludere, vt supra vidimus ex Trident. sess. 14. cap. 4. Neque diffitemur, non esse veram poenitentiam, & perfectam detestationem peccati, quando detestatio non est absoluta & efficax, sed tantùm secundum quid. At neque hoc in quæstione propositum erat: sed verum quisquis detestatur peccatum propter aliquod motiuum de se generale, & commune omnibus, detestetur necessariò virtualiter omnia peccata: quod non esse necesse probabiliùs mihi videtur. 67. Voluntas mali vitandi duplex est.

Ad confirmationem nego minorem, intelligendo particulam, *absolutè*, in sensu suprà explicato. Quamuis enim motiuum illud sit commune omnibus, & singulis per modũ generis, aut speciei: non est necesse, vt qui peccatum aliquod propter tale motiuum de- 68.

testatur, oderit illud perfectè, & absolutè, secundum totam suam latitudinem & vniuersalitatem. Quemadmodum qui vult aliquod bonum propter simile motiuum commune, non propterea vult omnia. Loquimur autem in hac quæstione de motiuo, etiam perfectè communi in specie, & gradu, de quo maior est difficultas, quàm de communi cum aliqua differentia. Neque enim video quo fundamento negari queat, posse hominem grauissima peccata mortalia detestari, quia grauissimè Deo displicent, vel quia sunt causa tam intensæ pœnæ, & gehennæ in tali gradu; non detestando alia, quæ non sunt adeo grauia: sicut potest quilibet detestari mortalia, quia grauiter Deo displicent: non detestando venialia, quæ leuiter tantùm Deum offendunt. Atque illud expresè fatetur Delugo disp. cit. num. 82. quamuis in aliis multis supra dictis nobis contradicat.

Delugo.

69. Diluitur tertium argum.

Ad tertium Respondeo, fidem diuinam tendere in motiuum formale absolutè & vniuersaliter, vt par est. Ideóque non potest credi vnus articulus actu fidei diuinæ, quin virtualiter credantur omnes. Sicut non potest actu charitatis displicere vnum mortale, quin displiceant virtualiter omnia repugnantia incompatibiliter amicitiæ diuinæ. Actu autem humano fidei acquisitæ, vt vocant, possumus assentiri vni propositioni fidei, quia à Deo sufficienter est reuelata: & nolle assentiri alteri, quamuis ista sit quoque à Deo sufficienter reuelata, & credibilis facta: nolendo assentiri quòd sit sufficienter reuelata. Alioqui enim est impossibile assentiri toti motiuo formali, & dissentire materiali: id est, assentiri toti antecedenti actus fidei, & dissentire consequenti. Nam antecedens est huiusmodi formaliter, aut virtualiter, & æquiualenter. Quidquid Deus reuelauit verum est. Sed Deus hoc reuelauit, puta Christum esse in Eucharistia: ergo id verum est. Cùm euidenter impossibile sit totum antecedens esse verum, & consequens falsum. Alioqui vera essent duo contradictoria. Quia si consequens est falsum: ergo verum est eius contradictorium. Atqui contradictorium consequentis est contradictorium antecedentis. Ergo si vero antecedente verum est quoque contradictorium consequentis, duo contradictoria sunt simul vera. Sed in actibus virtutum voluntatis exercendis non fit similis discursus circa earum motiuum formale & materiale. Non enim v. g. ad exercendum actum temperantiæ necessarium est dicere: Quidquid est temperatum est amplectendum. Sed hoc est temperatum: ergo est amplectendum.

SECTIO VI.

An propositum non peccandi de cætero debeat esse formale & expressum?

70. Requiritur aliquod propositũ non peccandi.

CONcilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. diserte requirit vt dolor ille, ac detestatio de peccato commisso, qui est contritio, vel attritio sacramentalis, sit cum proposito non peccandi de cætero. Quod idem Florentinum affirmat in decreto Eugenii. Hoc autem propositum duplex esse potest. Formale scilicet, seu expressum: & virtuale, seu implicitum. Ac formale quidem non esse simpliciter necessarium, sed virtuale sufficere posse ad valorem, & effectum sacramẽti Pœnitentiæ docent Almainus in 4. dist. 14. quæst. 1. 5. *Pro solutione aliqui dicunt*: vbi expresè dicit, non requiri necessariò propositum, Adrianus, Vega, Petrus Sotus, Ioannes Medina, Nauarrus, & alii quos sequitur Suares disp. 20. sect. 4. num. 33. Et meritò: quia leges diuinæ, quæ sunt æquissimæ, non sunt nimis minutè interpretandæ: sed recto & simplici sensu accipiendæ sunt, & quoad fieri potest, accommodandæ humano captui, qui exiguus est, & vno puncto sic occupatur sæpissime, vt cum de illo cogitat, aliorum facilè obliuiscatur: & tamen agat ex virtuali eorum affectu; ac si interrogaretur, aut premeretur, redderet formaliter, & expresè propositum quod habet in virtute. Neque verum est, quod obiciunt aliqui, tam expressum requiri propositum non peccandi de cætero, quàm dolorem de præterito. Nam Tridentinum citato cap. loquens de attritione ad effectum sacramenti sufficiente, satis significauit virtuale propositum sufficere, cùm dixit sufficere dolorem ex metu pœnarum, & gehennæ, vel consideratione turpitudinis peccati conceptum, si voluntatem peccandi excludat, & cum spe veniæ coniunctus sit. Quibus verbis declarauit, quod initio capitis dixerat, contritionem sacramentalem esse dolorem de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero, saltem virtualiter, ita vt peccandi voluntas excludatur.

Probatur virtuale sufficere.

71. Non omnis dolor includit hoc propositum.

Porrò non dolor quilibet de peccato commisso habet annexum vel inclusum virtuale propositum non peccandi de cætero: sed ille solùm, qui est efficax & absolutus, ita vt voluntatem peccandi excludat: hoc est, sit talis, vt cum eo voluntatem peccandi simul esse repugnet: & fertur in peccatum, illudque detestatur absolutè, & vniuersaliter, sub aliqua ratione generali, quæ per se omnium est tam futurorum, quàm præteritorum. Ille enim, qui sic fertur in peccatum, non tantùm detestatur præterita, sed etiam alias vultque latenter, tacitéque, non admittere, sed fugere, ob incompatibilitatem illius actus cum voluntate peccandi. Talem verò esse

esse debere attritionem huic sacramento sufficientem docet Trident. sess. 14. cap. 4. paulò post medium, cùm ait, attritionem, quæ disponit ad gratiam in hoc sacramento impetrandam, debere voluntatem peccandi excludere. Si quis autem doleret tantùm de peccatis à se commissis sub ratione particulari non communi omnibus aliis, putà ex motiuo turpitudinis, intemperantiæ, aut furti: non sufficeret hæc attritio sine adiuncto formali proposito non peccandi mortaliter in vllo genere peccati. Quia talis attritio per se solam non excludit voluntatem peccandi mortaliter: adeóque non continet virtuale, & implicitum propositum non peccandi de cætero.

72. Quod diximus de proposito non peccandi respectu contritionis, vel attritionis sacramentalis; idem permulti ante citati non immeritò docent de proposito non peccandi respectu perfectæ contritionis iustificantis extra sacramentum. Ita vt ne illa quidem ad hunc effectum requirat propositum formale & expressum, sed cum virtuali sufficiat. Quod confirmant exemplo Dauidis 2. Reg. 12. vbi exprobrato sibi peccato in Vriam commisso, hæc tantùm verba protulisse narratur; *Peccaui Domino*; statimque iustificatus est, nulla facta mentione futuræ vitæ, & habita solùm vehementi detestatione, & dolore offensæ commissæ, quantùm colligi potest ex circunstantiis, quæ ibi referuntur: vt rectè expendit D. Chrysost. homil. 6. de Pœnit. In praxi tamen procurandum est propositum expressum, tam in sacramento, quàm extra. Quia id tutius & melius est.

Sufficit etiam in actu contritionis.

73. Cùm autem dicimus propositum non peccandi de cætero esse necessarium; loquimur de proposito non peccandi mortaliter. Nam propositum non peccandi venialiter necessarium non est ad obtinendam remissionem mortalium per contritionem, aut per sacramentum pœnitentiæ. Si quis tamen confiteretur de solis venialibus, deberet saltem de vno aliquo habere propositum abstinendi ab illo, vt de dolore antea diximus; quia sine illo non est vera contritio, vel attritio sacramentalis: ideóque nec verum sacramentum. Addit Suares disp. 20. sect. 6. esse peccatum veniale proponere aliqua venialia in confessione sine dolore de illis. Sed hoc generatim verum non est. Quia, vt diximus sect. 4. num. 51. & 52. potest licitè vtiliterque poenitens, ad maiorem sui manifestationem, vel consilii causâ, aliosque fines ea proponere Confessario, quamuis sine dolore, quem de omnibus venialibus habere, & eorum deletionem tunc procurare non tenetur.

Suares.

74. Omnino autem grauiter peccaret ille, qui de solis venialibus confitens, ne de vno quidem attereretur cum proposito virtuali, aut formali abstinendi in posterum à tali peccato. Quia graue sacrilegium est reddere scienter, & liberè irritum sacramentum. Est enim grauis irreuerentia contra sacramentum. Idemque dico de illo, qui scienter, & liberè, falsò confiteretur de vnico veniali non à se commisso. Quia licet imponere sibi peccatum veniale sit aliquid leue, per se consideratum: non est tamen leue reddere formam sacramenti falsam, & sacramentum irritum.

Qui confitetur de solis venialibus, debet dolere de aliquo.

Dices: Ille qui non dolet de omnibus venialibus, de quibus confitetur, redit formam sacramenti falsam, & sacramentum irritum ex parte, quatenus frustrat illud virtute, & effectu remissionis illorum: & tamen non peccat mortaliter. Ergo non est peccatum mortale reddere formam sacramenti falsam, & sacramentum irritum.

75. Respondeo, non propterea formam reddi falsam. Quia sensus illius est: Absoluo te à peccatis quantum est ex me, secundum Christi institutionem, id est à peccatis, quæ ritè cõfessus es cum sufficienti dolore & proposito. Neq; propterea sacramentũ est irritũ ex parte: quia nihil deest quod sit necessariũ ad illius valorem. Et quamuis non habeat tantum effectum, quantum habere posset: non est id contra reuerentiam sacramenti, neque malum per se. Quia non tenemur accedere ad sacramenta cum dispositione necessaria ad habendum effectum, quantùm habere possunt: Putà, accedere ad Eucharistiam cum summa dispositione, vt conferat gratiam, quantam conferre potest. Non tenemur etiam subiicere sacramento omnia venialia, vt possimus vi illius ab omnibus absolui.

Non tenetur dolere de omnibus.

76. Instabis, quia si ita est: ergo ille, qui hostiam chartaceam misceret triticeis, & super illas proferret formam consecrationis, non redderet formam sacramenti falsam. Quia sensus, & intentio proferentis est consecrare quantum est ex se, secundum Christi institutionem: id est, consecrare hostias capaces consecrationis, non autem hostiam chartaceam: vt neque particulas minimas alterius materiæ, quàm triticeæ à quibus vix pura est vlla hostia triticea: vel aquam calici infusam, & non conuersam in vinum ante consecrationem.

Respondeo primò, formam non fore in rigore falsam (quamuis illicitè prolatam) si ad solas triticeas dirigatur ex intentione consecrantis, deque illis solis proferatur: sicut neque falsa esset, si consecrans, illam ad vnam solam inter plures triticeas æqui præsentes dirigeret, eamque solam consecrare intenderet. Grauiter tamen peccaret qui priori modo faceret, vt diximus n. 52. Et hæc solutio magis mihi probatur, quàm quod aliqui dicunt, sensum formæ Eucharisticæ esse absolutum, & practicè assertiuum de singulis hostiis, super quas profertur. Et quamuis formâ physicè vnicâ consecrentur plures hostiæ simul: illam tamen esse multiplicem moraliter, id est, æquiualere multis, & cadere in singulas, debereque de illis verificari, perinde ac

Soluitur instantia.

si singillatim super singulas proferretur. Illamque debere esse intentionem consecrantis quoad omnes hostias, super quas formam profert, & quibus illam applicat. Vt autem de illis verificetur, debet sub illis esse verè corpus Christi. Quia forma id significat absolutè: & non tantùm conditionatè, quantùm est ex me. Quare cùm non possit verificari forma, de hostia papyracea; falsò illi applicatur, & sacrilegè: grauiterque peccat sacerdos, qui formam profert super illam, siue solam, siue aliis permixtam. Hæc, inquam, responsio minùs mihi placet, quia ex illa sequeretur, ne vnam quidem triticeam inter plures æquè præsentes consecrari posse, vt fit interdum ad probandos energumenos. Aut si tunc potest intentio ad vnam dirigi, salua veritate formæ: quidni etiam ad solas triticeas?

77. Quæres, An circa venialia requiratur tam absolutum, & efficax propositum, quàm requiritur circa mortalia? Ratio dubitandi est, quia cùm sit moraliter impossibile, abstinere ab omnibus venialibus: non videtur esse possibile propositum absolutum, & efficax illa vitandi. Adeóque non debet requiri ad confessionem venialium, quæ alioqui redderetur impossibilis.

Quale propositum requiratur circa venialia.

Sed ad hoc alibi iam respondimus. Primò, non requiri propositum absolutum, & efficax vitandi omnia venialia, sicut requiritur de mortalibus. Sufficit enim id proponere de iis venialibus, de quibus sumus confessi: vel de aliquo vno, aut pluribus illorum. Non est autem impossibile moraliter, vitare saltem aliqua. Secundò, licet sit impossibile moraliter, & nunquam contingens sine specialissima gratia, paucissimis concessa, & fortè soli Beatæ Virgini, vitare omnia venialia collectiuè, id est, nunquam peccare venialiter: posse tamen haberi detestationem omnium absolutam, & efficacem, quantùm est de se, atque incompatibilem cum omni affectu peccandi venialiter, quamdiu durat. Possequè similiter haberi pro nunc voluntatem de se efficacem nunquam peccandi venialiter: quamuis pro nostra fragilitate simus postea mutaturi propositum illud, & peccaturi venialiter. Quæ fragilitas nobis absolutè displicet. Quemadmodum illi, quibus moraliter certum est, ob frequentem experientiam, fore vt peccent mortaliter, quibusue ob fragilitatem est moraliter impossibile vitare omnia mortalia collectiuè: possunt nihilominus de illis confiteri sacramentaliter, & habere pro tunc propositum absolutum, & efficax de se, nunquam peccandi mortaliter, excludens per se voluntatem peccãdi. Quod propositum requiritur sine dubio ad confessionem de mortalibus.

78. Quæres secundò, An quando pœnitens concepit dolorem de peccatis, aut propositum ex motiuo vniuersali, communi omnibus peccatis, tam venialibus, quam mortalibus: & postea antequam absoluatur, venialiter peccat: debeat iterum atteri, & proponere? Ratio dubitandi est, quia prius propositum videtur esse retractatum per actum contrarium, id est, per peccatum illud veniale. Voluntas enim peccandi venialiter, & voluntas nunquam peccandi, ne venialiter quidem, contrariæ sunt: Adeóque vna est retractatio alterius. Atqui dolor & propositum retractatum non sufficiunt ad sacramentum constituendum.

Debeatne qui peccauit venialiter ante absolutionem, repetere actum doloris?

Respondeo cum Delugo disp. 14. sect. 9. non propterea retractari quoad mortalia: neque etiam quoad venialia grauiora. Quia licet vnico actu attingantur omnia ex motiuo communi: virtualiter tamen magis per illum detestamur mortalia, quàm venialia: magisque proponimus ab illis abstinere. Neque sequitur, quòd si retractemus propositum quoad venialia, id est, si velimus peccare venialiter: retractemus etiam quoad mortalia, & velimus peccare mortaliter. Idemque dico cum proportione de venialibus, inter quæ inæqualitas est. Actus autem ordinatè tendens in aliquod obiectum vniuersale ex motiuo communi, virtualiter magis tendit in ea, quæ magis participant rationem communem, sub qua tendit, vt dicemus sect. 7. Quare licet bonum sit, tunc dolorem, & propositum renouare: non tamen est necessarium: neque de eo monentur pœnitentes à Confessariis, quamuis non rarò contingat casus propositus.

Delugo.

79. Dices, esse pariter inæqualitatem inter mortalia detestata ex motiuo communi, putà offensæ Dei: alia enim grauiùs aliis Deum offendunt. Ergo similiter dolor, & propositum circa grauiora, non retractatur per peccatum mortale subsequens minùs graue.

Respondeo ita esse. Neque tamen propterea sufficere iam hoc propositum ad confessionem de mortalibus. Quia ad illam requiritur propositum vniuersale non peccandi mortaliter. Quod propositum interrumpitur per nouum peccatum mortale, & non est ampliùs vniuersale extendens se ad omnia mortalia. Ideóque licet non interrumpatur quoad peccata grauiora: non sufficit ad constituendum sacramentum pœnitentiæ, ad quod requiritur propositum efficax & absolutum, retrahens voluntatem ab omni peccato mortali. At verò ad confessionem venialium non requiritur propositum vniuersale excludens omnẽ voluntatem peccandi venialiter: ideóque sufficit, quòd maneat adhuc virtualiter propositum circa venialia grauiora, vel circa mortalia.

80. Supereſt notare, vltra propositum non peccandi de cætero, necessarium esse ad sacramentum pœnitentiæ, tam de mortalibus, quàm de venialibus, propositum recipiendi absolutionem, & intentionem præstandi reliqua, quæ ad hoc sacramentum necessaria sunt. Sic enim affirmat Tridentinum initio capitis 4. sess. 14. post D. Thomam qu. 1. Supplem. art. 1. in corp. Ratio verò est,

Requiritur propositum recipiendi absolutionem.

quia ſacramentum pœnitentiæ non poteſt recipi niſi ab adulto. In omni autem adulto ſuſcipiente ſacramentum, voluntas ſiue intentio recipiendi neceſſaria eſt. Deinde ſacramentum hoc eſt iudicium voluntarium, in quo requiritur vt reus iudici voluntariè ſe ſubmittat ad ſubeundam illius ſententiam: eáque ſubiectione completur veluti iuriſdictio, ſiue potius materiæ applicatio. Vnde communiter Doctores inferunt, quòd ſi quis Paulo confiteretur, putans eſſe Franciſcum, cum intentione confitendi Franciſco determinatè, & non Paulo; ſacramentum nullum eſſet. Quia pœnitens non ſe ſubiicit Paulo. Secus autem ſi, licet exiſtimet hunc eſſe Franciſcum, velittamen abſolutè confiteri huic Sacerdoti præſenti, quiſquis ille ſit. Et in praxi talem fuiſſe confitentis intentionem cenſendum eſt, niſi expreſsè de contraria conſtet. Cúmque de illa expreſsè conſtaret: poſſet pœnitens vti præterita confeſſione apud eundem Sacerdotem, eius ſatis memorem, & ab illo abſolui ſine noua confeſſione, accedente conſenſu, & ſubiectione voluntaria.

81. Peccatum veniale nõ obſtat valori ſacramenti.

Licet autem intentio confitendi non poſſit licitè, ac ſine peccato detorqueri ad finem malum, putà ad vanam gloriam: quando tamen hoc peccatum eſt tantùm veniale, non obſtat valori ſacramenti, & eius efficaciæ circa alia peccata, de quibus eſt contritio, & confeſſio ſufficiens: vt rectè docent Nauar. in Summa cap. 21. num. 40. Suar. diſp. 20. ſect. 3. num. 4. & alii communiter. Sin autem eſt peccatum mortale, vt ſi quis confiteretur ea intentione, vt Confeſſario crumenam ſurripetet: nulla eſſet confeſſio, niſi pœnitens intentionem illam deponeret, & de illa confiteretur cum dolore, & retractatione. Nam alioqui neque confeſſio, neque attritio, ſeu contritio, integra eſt & perfecta, quantùm eſſentia ſacramenti requirit.

SECTIO VII.

De attritione ex metu pœnarum, & gehennæ.

82. Vega Suar.

COncilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. pro motiuis communibus attritionis aſſignat conſiderationem turpitudinis peccati, & metum pœnarum, ac gehennæ. Circa quæ nota primò, Cõcilium loqui de pœnis etiam tẽporalibus diuinitùs inflictis: vt patet exemplo Niniuitarum, quod mox ſubiicit. Sicque Concilium interpretantur Vega lib. 13. in Trident. & Suares diſput. 5. ſect. 2. numero 15.

Pœnæ dupliciter mouere poſſunt ad attritionẽ.

Nota ſecundò, pœnas dupliciter mouere poſſe ad dolorem peccati. Primò, vt motiuum excitatiuum tantùm, cuius occaſione doleamus de peccato, vel propter Deum, vel propter iuſtitiam, vel ob alium finem. Secundò, vt motiuum obiectiuum, & finale, ſeu formale: ita vt actus attritionis terminetur ad pœnas, velut ad obiectum, & finem intrinſecum. De priori loquitur Tridentinum, cùm de Niniuitis ait, hoc terrore perculſos pœnitentiam egiſſe, & miſericordiam diuinam impetraſſe: ſi ſermo ſit de miſericordia perfectæ reconciliationis (& non tantùm ſuſpenſionis pœnæ, circa vrbis ſubuerſionem) quam miſericordiam impetrauerint per ſuam pœnitentiam, id eſt, per contritionem perfectam, ad quam per timorem pœnæ, & attritionem, vtiliter concuſſi, Deo magis opitulante, & ſalutis negotium promouente perueuerint. De poſteriori verò loquitur, quando per metum pœnarum attritionem à contritione diſtinguit. Nam ſi reſpectu talis actus, pœnæ tantùm concurrerent per modum occaſionis extrinſecæ, & non per modum obiecti proprii, ſeu motiui finalis: non poſſet per hoc diſtingui à contritione. Quia contritio, æquè ac attritio, poteſt incipere à timore pœnarum. Neque verum eſſet, quod Concilium addit, dolorem hunc de peccatis non perducere per ſe extra ſacramentum ad reconciliationem. Nam perfecta contritio, ex quacunque occaſione concepta, eſt ſufficiens diſpoſitio ad iuſtificationem.

83. Metus pœnarum, nõ debet eſſe putè humanus & naturalis.

Quando autem pœnæ temporales hoc ſecundo modo concurrunt, verum eſt, quod aduertit Suares ſect. cit. metum illarum debere eſſe non merè humanum, & naturalem, ſed diuinum & quodammodo ſupernaturalem, & verſari circa pœnas, vt ad Dei cauſam aliquo modo pertinentes: verbi gratia, prout ab ipſo infliguntur iuſtè propter peccata, vel vt indicant iram eius in nos, & vltionem niſi emendemur. Qua ratione ſpectare poſſunt ad attritionem ſpei ſupernaturalis, ſicut & illa attritio, quæ ex metu gehennæ concipitur. Quemadmodum ex oppoſito, ſperare à Deo bona temporalia ſub aliqua habitudine ad vitam æternam, vel ad ſpiritalem, & ſupernaturalem Dei prouidentiam circa bonum noſtrum, pertinet ad virtutem ſpei.

84. Idem dicẽdum de dolore ex turpitudine peccati.

Similiterque alia ſpecies generalis attritionis ex turpitudine peccati, non debet ſiſtere præcisè in turpitudine naturali: ſed ad Deum aliquo modo referri, & peccatum deteſtari, non tantùm prout repugnat rationi naturali, ſed & rationi, ſeu voluntati diuinæ, vel prout ad Deum aliquo modo pertinet. Omnis enim vera pœnitentia, & conducens ad iuſtificationem, debet eſſe conuerſio ad Deum, atque ita in Deum ipſum aliquo modo tendere. Hoc etiam exigunt à nobis Scripturæ, & ſancti Patres, cùm nos hortantur ad ſalutarem pœnitentiam de peccatis, & ad petendam à Deo veniam. Debet, inquam, omnis vera, & ſalutaris pœnitentia eſſe aliqua conuerſio ad Deum, perfecta vel imperfecta, & auerſio à peccato: ſicut in

peccato fuit aliqua conuersio ad creaturam, & auersio à Deo. Ac sicut conuersio ad creaturam fuit propter aliquam eius bonitatem & perfectionem, veram, vel apprehensam: sic conuersio ad Deum debet esse propter aliquam eius perfectionem: vel vt potentem punire, & vindicem peccatorum, vel vt superiorem, cui tenemur obedire, vel vt supremum legislatorem, cuius leges violamus per peccatum quodlibet: vel denique secundum aliquod aliud attributum diuinum, cui nos subiiciamus, quodque agnoscamus non debere postponi, sed præferri creaturis, & quibuscunque peccandi occasionibus, ac propter illud debuisse nos à peccando abstinere, velleque abstinere in posterum.

85. Dolor ille debet esse absolutus & efficax.

Nota tertiò, dolorem hunc esse debere absolutum, & efficacem sine vlla vitiosa comparatione, quâ motiuum pœnarum præferatur aliis maioribus, cuiusmodi sunt ratio offensæ Deo displicentis, iniuriæ, inobedientiæ, &c. Item sine vitiosa exclusione aliarum rationum virtuali, vel formali. Vitiosum enim esset, si quis ita esset affectus, vt si abesset metus poenarum, nollet peccatum vitare & detestari. Quibus vitiosis comparationibus semotis, non est malum, sed honestum, & vtile, culpam odisse propter poenam, & ad vitandam poenam velle à culpa liberari. Tale enim, tantúmque malum prudenter, & laudabiliter timeri potest, ac debet: ad illudque timendũ Christus nos sæpius hortatur in Euangelio, Matth. 10. 13. 24. 25. Marc. 9. Luc. 12. aliisque locis. Optimus autem modus illud vitandi est, abhorrere efficaciter, & absolutè à peccato.

Non tenemur semper agere quod est optimum.

Et quamuis ratio culpæ sit malum altioris ordinis quàm malum poenæ: non tamen obligamur quolibet actu culpam odisse propter se, aut propter supremam rationem, quâ est detestabilis, aut illam ordinare semper ad aliquid maius, aut æquale. Sicut ex opposito quando operamur circa bonum, non tenemur quolibet actu intendere quod est optimum, aut amare obiectum adæquatè quantùm amabile est, aut illud semper ordinare ad aliquid maius, vel æquale, aut velle quodlibet opus bonum propter rationem intrinsecam boni, quæ in ipso est: sed illud velle possumus propter rationem ipsi extrinsecam, etiamsi minor sit. Hoc enim sufficit, vt actus volendi sit honestus. Neque in eo fit iniuria maiori bono, quòd ordinetur ad minus: tum quia non propterea priuatur sua bonitate: tum quia sæpe inferiora à superioribus conuenienti ratione iuuantur. Atque ita Deus ipse Incarnationem, & Passionem Christi ad gloriam nostram ordinauit. Et virtutes inferiores expetunt actus superiorum, eosque ordinant ad fines suos inferiores. Vt verbi gratia, iustitia erga Deum, expetit actus fidei, spei, & charitatis, tanquam Deo debitos ex iustitia: & virtus spei expetit actum charitatis, ipsamque charitatem ad finem suum, qui est proprium bonum supernaturale sperantis. Sed hoc fine vitiosa limitatione ad finem illum inferiorem: vel exclusione finium superiorum: aut vitiosa comparatione superiorum cum inferioribus, hos illis præferendo.

86. Qualis debeat esse metus poenarum.

Nec obest, quòd ille qui peccatum detestatur propter metum poenarum, illud fortasse non detestaretur reipsa, si abesset metus poenarum. Nam quod esset in re, non est propterea in affectu agentis, qui de illo casu non cogitat, neque dicit intra se, si poena peccatis non esset adiuncta, non odissem peccatum: sed reipsa permotus consideratione poenarum verè, & ex animo detestatur peccata, quæ sunt causa poenæ: & per formidinem poenæ peruenit vsque ad odium eius, cui tanquam malo meritò poena coniuncta est. Deus autem non imputat defectus, qui in aliquo casu essent, & reipsa non sunt: sed computat ea, quæ rectè fiunt ex aliquo motiuo, tametsi sine illo non fierent. Et quidem multi sic consentiunt Deo maiori quodam auxilio præuenienti, & excitanti ad iustificationem; vt reipsa minori auxilio præuenti consensuri non fuerint. Sed Deus nihilominus consensum gratum habet: nec imputat defectum, qui in affectu voluntatis non est.

87. Timor pœnarum est bonus, & vtilis ad salutem.

Per huiusmodi considerationes facile est dissoluere ea quæ tum Lutherus in Serm. de Poenitentia, & art. 6. tum noui quidam Dogmatistæ contra attritionem, præsertim ex metu poenarum, eiusque sufficientiam & vim ad iustificandum cum sacramento, obiiciunt. Plura verò in eius commendationem Scripturæ, & Sanctorum Patrum testimonia videri possunt apud Bellarm. lib. 2. de Poen. c. 17. ex quibus placet duo aut tria illustriora subiungere. Basilius ergo orat. in Psalm. 33. sic habet: *Timor salutaris qui ad sanctitatẽ deducit, & animæ diuinitùs insitus est, qualis existat, si cupis audire, attende. Quando te fortè ad aliquod peccatum videris paratum, illud horribile Christi iudicium cogita nullí mortalium tolerabile, in quo quidem præsidet iudex in alto & sublimi throno. Astat porro omnis creatura attonita & intremiscens*, &c. Hieronym. in Comment. ad cap. 1. Malachiæ, *Vult*, inquit, *Deus primùm vt eius filii simus, & bonũ voluntate faciamus. Si hoc consequi nolumus; vt saltem nos seruos habeat, & à malis per suppliciorum formidinem recedamus*, &c. *A seruo timorem expetit; Principium enim sapientiæ timor Domini: vt de timore seruorum ad filiorum gloriam transeamus.* Et Bernard. in lib. de Præcepto & dispensatione, cap. 10. *Bonus*, inquit, *obedientiæ gradus iuxta Magistri nostri sententiam, sine propter metum gehennæ, seu propter professionem sanctam quam professus est, quispiam obedierit. Melior tamen cum ex Dei amore obeditur.* Similia habet D. Aug. enarrat. in Psal. 127. circa illa verba, *Beati omnes qui timent Dominum*: vbi sic loquitur de eodem timore, *Ille timor*, inquit, *nondum castus, præsentiam Domini & pœnas timet. Timore facit quicquid boni facit: non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud*

malum. *Non timet ne perdat amplexum pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam. Bonus est & iste timor, utilis est*, &c. Et certè nisi bonus esset, & utilis, Christus ad illum non hortaretur Matth. 10. sic dicens: *Timete eum qui potest corpus & animam perdere in gehennam.* Neque tam sæpe aliis locis Euangelii conaretur homines à peccato reuocare comminatione & metu incusso gehennæ, & stridoris dentium, & tenebrarum exteriorum, vermisque nunquam morientis, & ignis inextinguibilis.

SECTIO VIII.

An contritio, vel attritio sacramentalis debeat esse actus supernaturalis?

88. Conclusio affirmat.

REspondeo affirmatiuè. Responsum autem sic explico. Actus supernaturalis duplex est. Vnus quoad substantiam: alter quoad modum. Supernaturalis quoad substantiam est ille, qui secundum substantiam, id est, essentiam & entitatem suam, exit à principio ordinis supernaturalis: ita vt talis actus, aut similis eiusdem speciei, fieri nequeat à principio ordinis naturalis. Huiusmodi est actus visionis beatificæ procedens à lumine gloriæ, & ab intellectu diuinitus eleuato. Item actus habituum infusorum fidei, spei, & charitatis supernaturalis: & qui eiusdem ordinis sunt. Supernaturalis verò quoad modum tantùm ille est, qui licet secundum substantiam sit naturalis, exeatque vel ipse, vel similis in specie, à principio naturalis ordinis: habet tamen in modo, quo fit, aliquid speciale & supernaturale. Hic autem modus duplex intelligi potest. Vnus est extrinsecus, ex parte causæ alicuius efficientis, aut afficientis extrinsecè actum certo modo. Sicque ea, quæ fiunt per miraculum, licet sint ordinis naturalis, sunt supernaturalia quoad modum ex parte causæ: vt v. g. suscitatio mortui, restitutio visus, &c. Item ea, quæ fiunt ex supernaturali inspiratione, & motione, possunt dici supernaturalia ex causa: licet quoad substantiam naturalia sint. Alius modus intelligi potest intrinsecus actui: videlicet quædam intensio actus, vel duratio, vel quid simile, ad quod ponendum non sufficiat facultas naturalis cum generali Dei concursu, sed auxilium speciale necessarium sit.

89. Probatur ex Script.

Quòd ergò ad sacramentum pœnitentiæ constituendum non sufficiat actus merè naturalis, id est, solis viribus naturæ cum generali Dei concursu elicitus, sed quoad modum saltem debeat esse supernaturalis, dubitari non potest. Primò enim, Scriptura vbique de salutari pœnitentia loquitur, tàquam de speciali dono Dei. Vt 2. Timoth. 2. *Ne quando Deus det illis pœnitentiam, & resipiscant à laqueis diaboli.* Ierem. 31. *Conuerte me Domine, & conuertar: postquam enim conuertisti me egi pœnitentiam.* Ex quo loco Trident. sess. 6. cap. 5. probat exordium iustificationis in adultis esse à gratia. Loquiturque etiam de iustificatione, quæ fit per sacramenta: vt patet ex cap. 7. vbi inter causas iustificationis, de qua sermonem facit, ponit Baptismum. Loquitur autem sine dubio de eadem iustificatione cap. 5. 6. & 7. vbi eum dem sermonem prosequitur. Et Act. 11. v. 18. *Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* Et cap. 5. v. 31. *Hunc*, scilicet Christum, *exaltauit Deus dextera suâ, ad dandam pœnitentiam Israeli & remissionem peccatorum.* Vbi nota loquutionem generalem esse & intelligendam de quacunque pœnitentia, data in remissionem peccatorum. Adeóque etiam de illa, quæ requiritur ad sacramentum, quæ est magis frequens, & ordinaria remissio peccatorum. Nota præterea beneficium illud tribui Christo specialiter. Quidquid autem tribuitur Christo specialiter, est beneficium gratiæ.

90. Probatur ex Patrib. Ambros. Hieron. Augus. Leo. Innocent. Celestin.

Secundò, idem sentiunt, & in eundem sensum Scripturam exponunt SS. Patres: Ambrosius lib. 10. in Lucam, ad illa verba capitis 22. *Respexit Dominus Petrum*: Hieron. in illud Ieremiæ 31. v. 18. *Conuerte me Domine, & conuertar*: August. passim in duobus libris de gratia Christi, & lib. 1. contra duas Epistolas Pelag. cap. 20. adducens illud Ezech. 6. *Dabo vobis cor nouum*, &c. S. Leo epist. 91. Innoc. I. epist. 25. & 26. Cœlestin. epist. 1. ad Episcopos Galliæ cap. 11. aliique Patres. Quorum vestigiis insistens Trident. sess. 6. can. 3. sic generaliter definit: *Si quis dixerit sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Quæ verba generaliter dicta sunt de iustificatione: & non tantùm intelligi debent de iustificatione extra sacramentum: sed generaliter tam extra sacramentum, quàm in sacramento. De illa enim generatim agitur in canonibus sess. citatæ, æquè ac in præcedentibus capitibus, quibus canones illi respondent. Speciatim autem cap. 6. 7. & 14. ad iustificationem, etiam illam, quæ per sacramenta Baptismi, & pœnitentiæ obtinetur, requirit dispositionem præcedentem à gratia excitante, & adiuuante, in eaque dispositione pœnitendi actum inter alios numerat. Et sess. 14. cap. 4. dicit attritionem sufficientem cum sacramento pœnitentiæ, esse Dei donum, & Spiritus sancti impulsum.

91. Probatur ex Concil. Aurausic.

Concilium quoque Arausicanum can. 4. sic ait generaliter: *Si quis, vt à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum exspectare contendit, non autem vt etiam purgari velimus per S. Spiritus infusionem, & operationem fieri confiteatur: resistit Spiritui sancto dicenti, Præparatur voluntas à Domino*, &c. Et can. 5. & 8. idem definit de illa voluntate, quâ homo ita se corrigit, vt in Baptismo à statu peccati, ad statum gratiæ traducatur. Et can. 7. & 8. de omnibus actibus ad salutem viræ æternæ

Pertinentibus generaliter definit solis viribus naturalibus sine speciali Dei adiutorio exerceri non posse. Actus autem, quo pœnitens disponitur ad iustificationem per sacramentum pœnitentiæ obtinendam, sine dubio confert ad salutem vitæ æternæ.

92. Quare licet actus pœnitentiæ merè naturalis dari possit, & quidem multiplex: possumus enim solis viribus naturalibus cum generali Dei concursu cognoscere Deum esse, & curare humana, & offendi peccatis hominum, & peccata non modò esse contra rationem naturalem, sed & contra voluntatem diuinam, contraque bonum nostrum naturale, quæ rationes naturaliter mouere nos possunt ad multiplicem peccati detestationem & dolorem, tum propter naturalem ipsius turpitudinem, quam naturaliter possumus auersari, æquè ac honestatem oppositam diligere: tùm propter rationem offensæ, vel iniuriæ Dei, quem naturaliter diligere possumus amicitia naturali, & consequenter auersari, quod illi contrarium est: tum etiam vt oppositum Beatitudini nostræ naturali, & aliis bonis, quæ naturaliter amare possumus, eorumque oppositæ detestari. Ad hæc enim omnia vtcumque præstanda (etsi non semper, neque adeo constanter, & efficaciter) satis inducit humanitas ipsa, postquam deferbuerit animus; vel amor proprij boni, aut gratitudinis, & honestatis. Nullus tamen illorum actuum sufficiens est: sed vt minimum debet esse quoad modum supernaturalis, talisque, vt sine Dei auxilio speciali exerceri nequeat: vt ex Scriptura, Patribus, & Conciliis supra cit. ostendimus.

93. Quin etiam censeo debere esse in substantia supernaturalem, & maioris perfectionis in auertenda voluntate à peccato, & conuertenda ad Deum, quàm vllo actu, quoad substantiam naturali, fieri possit. Primò, quia constat ex Scriptura, Patribus, & Conciliis citatis, debere esse supernaturalem. At non tantùm quoad modum: quia nullus modus excogitari potest rationabiliter, propter quem solum requiratur speciale auxilium Dei non debitum naturæ. Si quis enim diceret actum pœnitentiæ debere esse supernaturalem in modo, quo fit, ex eo solùm, quia debet procedere ex actu fidei supernaturalis, & notitia sacramenti, vel iustificationis consequendæ, & desiderandæ: falleretur, quia Tridentinum requirit auxilium Spiritus sancti, tanquam necessarium, vt possimus credere, sperare, diligere, aut pœnitere, sicut oportet ad iustificationem, disiunctiuè ad singulos actus, vt patet ex particula, *aut*. Et Arausicanum idem auxilium requirit specialiter ad actum pœnitentiæ. Itaque actus pœnitentiæ, & alii disponentes ad iustificationem, sunt tales, vt secundum se sint supernaturales, id est, excedant naturæ vires, neque fieri possint sine speciali auxilio Spiritus sancti: & non tantùm secundum actum fidei, quem præsupponunt.

Debet esse supernaturalis quoad substantiam.

Neque minùs falleretur, si quis existimaret cum Scot. in 4. dist. 14. quæst. 2. §. *De secundo principali*, Durando in 2. distinct. 28. quæst. 5. & Gabriele in 4. dist. 14. quæst. 1. artic. 2. concluſ. 5. lit. S. debere tantùm esse supernaturalem ex parte principii, vt à Deo acceptetur: quia scilicet quamuis possit exerceri solis viribus naturalibus: non tamen acceptabitur à Deo ad iustificationem, nisi procedat ex motu, & auxilio Spiritus Sancti. Falleretur, inquam, quia Arausic. supra cit. dicit auxilium diuinum esse necessarium ob debilitatem arbitrii nostri, quod nimirum suis viribus solis non potest actum tantæ perfectionis elicere. Ergo non vt tantùm acceptetur. Et Tridentin. suprà non affirmat pœnitentiam nostram non posse à Deo acceptari: sed simpliciter pronunciat, non posse nos pœnitere sicut oportet, sine auxilio Spiritus sancti. Eodemque argumento refelleretur, qui diceret, auxilium Spiritus sancti requiri tantùm, vt facilius pœnitentiæ actum exerceamus. Non potest etiam dici quòd requiratur solùm propter modum intrinsecum durationis, aut intensionis. Quia nulla certa duratio, vel intensio necessaria est, vt ostendemus sectione sequenti. Neque apparet alius modus intrinsecus, aut extrinsecus, ad quem generalis necessitas auxilii diuini referatur. Quare dicendum est requiri propter ipsammet actus substantiam, & perfectionem essentialem modi tendendi in obiectum efficaciter, firmiter, & aliis conditionibus, quibus actus supernaturales excedunt naturales.

Scotus. Durand. Gabriel.

94. Confirmatur. Adde secundò, quòd ille actus est dispositio ad sanctitatem & gratiam, iuxta Tridentin. locis supra citatis, & præcipuè sess. 14. cap. 4. post medium. Hæc autem sanctitas est supernaturalis quoad substantiam, vt communi consensu docent Theologi, & nos ostendimus in tract. de Iustificat. Quare valde conueniens est, hunc actum esse supernaturalem quoad substantiam, vt sit eiusdem ordinis cum forma, ad quam disponit, tametsi non eiusdem perfectionis. Et quemadmodum actus fidei, spei, & charitatis disponentes ad iustificationem, sunt supernaturales quoad substantiam, vt sint eiusdem ordinis cum sanctitate supernaturali quoad substantiam, & cum illa proportionem habeant: sic & actus aliarum virtutum ad eandem disponentes: præsertim cùm probabilius sit vnà cū virtutibus Theologicis infundi etiam morales supernaturales, in iustificatione: & inter illas virtutem pœnitentiæ specialiter dictæ, aliamque multiplicem iuxta ea, quæ diximus sect. 1. de virtute pœnitentiæ generali, & speciali.

SECTIO IX.

An contritio, vel attritio sacramentalis debeat necessariò esse alicuius magnæ intensionis, aut durationis?

95. Conclusio negatiua.

REspondeo negatiuè: sed sufficere substantiam actus in quocunque gradu fiat, & qualemcunque physicam durationem habeat. Etenim actus contritionis, vel attritionis, qualem supra ex Trident. descripsimus, est per se proportionata dispositio ad obtinendam gratiam, & remissionem peccatorũ, vel extra sacramentum, vel intra, doctore eodem Tridentino sess. 14. c. 4. & non constat Deum ex peculiari ordinatione requirere aliquem certum modum intensionis, vel durationis: ergò frustra requiritur, & sine fundamento. Minor patebit solutione obiectionum.

96. Adrian.

Contrarium enim senserunt Adrianus in 4. q. 2. de Pœnit. & alii quidam existimãtes ad veram contritionem requiri dolorem summũ intensiuè: ita vt pœnitens toto suo conatu in illum erumpat. Quę opinio reddit contritionem fere moraliter impossibilem. Difficillimum enim est voluntatem niti toto conatu ad operandum quantum potest cum præsenti auxilio sibi diuinitus oblato: de quo puto loqui Adrianum: & alioqui redderet contritionem multò magis difficilem, & impossibilem, si summum conatum possibilem cum quocunque auxilio requireret. Deinde hæc opinio incidit in absurdum. Nam si ex duobus peccatoribus, vnus præuentus minori auxilio concurrat, quantum potest, & eliciat actum intensum vt duo; iustificabitur. Alius verò præuentus auxilio vt octo, & eliciens actum intensum tantùm vt quatuor; non iustificabitur. Quod est absurdum: præsertim si iste, qui exercet actum intensiorem, & nobiliorem, minùs peccauit, quàm alius.

97. Pet. Sot.

Alii verò, vt Petrus Sot. lect. 14. & 15. de Sacramento Pœnitentiæ, volunt debere peccatorem dolere de peccato intensiùs, quàm de vllo alio malo reipsa doleat: atque ita requiri summũ dolorem; si non simpliciter, saltem comparatiuè. Quæ opinio reddit quoq; contritionem plurimis difficillimam, & moraliter impossibilem. Quomodo enim scient quantâ vehementiâ, & magnitudine intensionis alia obiecta in totâ vitæ suæ tempore prosequuti sint? Et incidit in idem absurdũ, quod notauimus in præcedenti opinione: si contingat eum, qui grauiùs peccauit, minùs intensè doluisse de aliis malis, adeoque dolorem de peccatis minùs intensum illi sufficere: quàm alteri, qui minùs peccauit, sed de aliis obiectis intensiùs doluit.

98. Scotus.

Alii teste Scoto in 4. dist. 14. qu. 2. art. 2. putãt requiri dolorem in magno aliquo gradu, quem Deus nouit: qui non est summus simpliciter, sed est admodum magnus. Ipsę verò ibidem censet actum, qui est contritio, non habere rationem contritionis, aut non acceptari à Deo in ratione contritionis, & dispositionis ad iustificationem, nisi priùs aliquanto tempore duret; quod tempus à Deo definitum est. Quæ duæ postremæ opiniones contritionem valde incertam reddunt, cùm illa mensura intensionis, & durationis, à Deo requisita, nobis sit plane ignota. Et nullo nituntur probabili fundamento. Nam quod aliqui dicunt, fore alioqui, vt certò sciamus nos esse contritos, & esse in gratia: non est verum. Quia aliunde satis ignotum nobis est, an exerceamus verè actũ supernaturalem contritionis, propter excellentiam, vniuersalitatem, & puritatem illius actus, quam non possumus euidenter dignoscere, imò nec certò certitudine fidei diuinæ, cui falsum subesse non potest: sed probabiliter tantùm, aut cùm morali certitudine.

99. Argumenta contraria sententiæ.

Aliorum verò argumenta hæc præcipuè sunt. Primum: Qui peccatum non detestatur summo conatu, vel intensissimo: non detestatur illud super omnia, nec Deum quærit ex toto corde, & ex tota tribulatione animæ suæ, vt requiritur Deuteron. 4. Secundum: formæ naturales, quæ prærequirunt in subiecto dispositiones, requirunt illas in certo gradu. Ergo similiter formæ supernaturales. Tertium: Scriptura exigere videtur dolorem intensissimum in pœnitentia sufficiente ad iustificationem. Vt cùm ait Micheæ 4. *Dole, & satage, quasi parturiens*: & quando Apoc. 3. reprehendit tepidos, id est, remisse operãtes, siue doleãt de peccatis, siue aliud agant. Diuus quoque Ambrosius lib. ad Virginem lapsam cap. 8. & lib. 2. de Pœnitent. cap. 10. tantam ait debere esse pœnitentiam, quanta est culpæ magnitudo. Et S. Thom. quæst. 3. suppl. art. 3. requirit, vt magis doleamus de vno peccato, quàm de alio, quoniam Deus magis offenditur vno peccato, quàm alio.

Ambros.

S. Thom.

100. Dilatur primum.

Ad primum Respondeo cum distinctione. Qui peccatum non detestatur summo conatu, vel intensissimo, non detestatur super omnia intensiuè, concedo: æstimatiuè, seu appretiatiuè, nego. Nam omnis actus contritionis, vel attritionis, etiamsi remissus quoad gradus intensionis, quatenus tamen culpam ipsam attingit ratione sui, atque illam, vt talem detestatur absolutè & efficaciter: fertur in aliquid, quod in ratione detestabilis maius est omnibus aliis detestabilibus, quæ culpa non sunt, illudque vt tale aueriatur efficaciter & absolutè. Malum enim culpæ maius est quolibet alio malo, quod non est culpa. Et si vnum è duobus eligendum est: potiùs quodlibet aliud malum subeundum est, quàm malum culpæ.

101. Quomodo dolendum ex toto corde.

Ad locum Deuteron. Respondeo, dupliciter dolere nos posse toto corde, & tota tribulatione animæ. Primò, intensiuè toto conatu: & hoc nõ est necessarium, neq; à Scriptura dicitur. Secundò, extensiuè, impendendo scilicet aliquo modo totam animæ, vel

cordis latitudinem, quatenus nihil repugnans admittitur, neque diuiditur anima, vt detur locus alteri repugnanti. Et hoc in omni vera contritione, vel attritione ſacramentali reperſitur, & ſufficit. Eſt enim abſoluta peccati deteſtatio excludens omnem peccandi voluntatem, atque ita non relinquens in corde, ſeu in voluntate locum affectui peccati. Loquimur autem de peccato mortali, quod ſolum repugnat incompatibiliter amicitiæ, & gratiæ diuinæ. Nam pœnitentia ſufficiens ad iuſtificationem, non debet neceſſariò excludere omnem affectum peccandi venialiter.

101. Et credendum ex toto corde.

Ad eundemque modum dupliciter credi poteſt, aut diligi ex toto corde. Nimirum vel ſecundum totam vim intenſiuam cordis, & omnem illius conatum: vel ſecundum totam vim extenſiuam, credendo omnino, vel diligendo; & nihil admiſcendo, quod fidei, vel dilectioni repugnet, neque habendo cor diuiſum circa aliquid repugnans, vel dans locum alicui repugnanti: quod eſt verè in aliquo ſenſu ex toto corde credere, vel diligere.

Reſpondetur 2. argum.

Ad ſecundum Reſpondeo, diſcrimen eſſe inter formas naturales, & ſupernaturales: quòd iſtæ non prærequirunt actus noſtros, vt diſpoſitiones phyſicas, & ex natura rei neceſſarias: ſed tantùm, vt morales, & requiſitas ſecundum congruam Dei ordinationem, quæ ad certum gradum non eſt determinata: alioqui, cùm de illa non conſtet, ſacramentum redderetur anxium & difficile.

103. Ad tertiũ.

Ad tertium Reſpondeo primò, interdum ad cor abſtrahendum à peccatis, & dolendũ ex toto corde extenſiuè, opus eſſe magno conatu, propter intenſum habitum, vel contrariam difficultatem. Secundò, non omnia eiuſmodi Prophetarum effata, eſſe præcepta: ſed interdum adhortationes, & conſilia. In Apocalypſi verò per *tepidam*, intelligè non eum qui remiſsè tantùm operatur: ſed, qui mala opera bonis admiſcet: & præſertim qui cùm fidem habeat, charitate caret: vt exponit D. Thomas quæſt. 3. de Malo, art. 13. ad 1. Deinde aliud eſt loqui de attritione, vel contritione: & aliud loqui de pœnitentia prout extenditur ad ſatisfactionem, & ſolutionem, aut remiſſionem totius pœnæ. De qua poſſunt Micheas, & Ambroſ. intelligi. Quanquam hîc potiùs loquitur ſpeciatim de ſolemni pœnitentia, quæ in Eccleſia fieri ſolebat: vt patet ex citato capite 10. lib. 2. de Pœnitentia. D. Thomas verò intelligi poteſt de exceſſu æſtimationis: qui non tantùm reperitur in actibus diuerſis, quibus ſingillatim peccata diuerſa, & inæqualia deteſtemur ſecundum proprias differentias: ſed etiam in vno & eodem actu, qui confuſè feratur in multa. Etenim prout peccata differunt ſpecie, & quantitate, vel malitia, ſicque grauiùs alia aliis Deum offendunt, dolor de illis debet ſaltem virtualiter eſſe maior æſtimatiuè, ſi rectè circa illa verſatur. Quemadmodum enim doctore eodem Diuo Thoma queſtione 3. Supplementi articulo 2. ad 2. qui totum aliquod confuſè diligit, non cogitando diſtinctè de partibus, ille potentiâ, & virtute diligit partes eius, & diligit eas ſecundum ordinem, quem habent ad totum, vt maiores, aut minores: ſic enim poſtulat rectus rationis ordo. Et qui confuſè diligit communitatem aliquam, virtute diligit ſingulos, qui in ea ſunt, & diligit ſecundum ordinem, quem habent ad illam, & ad bonum commune, vt maiores, & minores. Sic ille, qui multa peccata deteſtatur confuſè ſub ratione iniuriæ, vel offenſæ, vel cauſæ pœnæ: virtute magis deteſtatur ea quæ ſunt maior iniuria, vel offenſa, vel cauſæ grauioris pœnæ. Magis, inquam, æſtimatiuè, ſeu appretiatiuè. Quod ex eo conſtat, quia per talem actum ſic eſt affectus, vt ſi neceſſe foret alteram offenſam committere: potiùs eam eligeret, quæ minùs Deum offendit, quàm quæ magis. Non eſt autem neceſſarium expreſſè conferri peccata inter ſe, aut cum aliis malis, vt ea magis deteſtemur: Imò infirmis tales comparationes ſunt diſſuadendæ: ne quorumdam horrore ad affectum peccati pertrahantur.

SECTIO X.

An, & quomodo contritio, vel attritio ſit deteſtatio peccati ſuper omnia?

104. Duplex ſit huius quæſtionis.

NOta primò, duobus modis intelligi poſſe, quòd contritio, vel attritio ſit deteſtatio peccati ſuper omnia. Primo ſcilicet intenſiuè, dolendo de peccato, aut illud deteſtando intenſiùs, quàm quidquis aliud. Secũdo, æſtimatiuè, ſeu appretiatiuè; dolendo de peccato, & illud deteſtando efficaciter & abſolutè ſecundum aliquam rationem, quâ peccatum verè eſt deteſtabilius quocunque alio. Et hoc dupliciter adhuc fieri poteſt. Nimirum vel formaliter, & expreſsè; comparando peccatum cum aliis deteſtabilibus ſingillatim: vel confuſè tantùm & implicitè; non cogitando ſingillatim, & diſtinctè de aliis deteſtabilibus: ſed deteſtando dumtaxat peccatum efficaciter, & abſolutè, ſecundum eam conſiderationem, quâ eſt deteſtabile præ illis omnibus.

Nota ſecundò, per particulam, *ſuper omnia*, intelligi poſſe, vel generaliſſimè omnia mala, & deteſtabilia: vel tantùm alia mala, & deteſtabilia, quæ peccata non ſunt. Ita vt contritio, vel attritio ſit deteſtatio peccati, in quod tendit, ſuper omnia, quæ peccatum non ſunt: quamuis non ſit deteſtatio illius peccati ſuper omnia alia peccata: quia ſunt alia illo grauiora, & magis deteſtabilia.

105. Non debet eſſe ſuper omnia intenſiuè

His præmiſſis, dico primò, non eſſe neceſſarium vt contritio, vel attritio ſit deteſtatio peccati ſuper omnia, intenſiuè, vel

Dolor vnius actus ſatisfacit ex æquo ſi æquaſi-liter æſtimatiuè in peccata.

etiam æstimatiuè formaliter; & expresse, comparando distinctè, & singillatim peccatum cum omnibus aliis detestabilibus. Patet ex dictis sect. præcedenti: & alioqui contritio, vel attritio esset moraliter impossibilis, ob difficultatem cogitandi de tam multis obiectis: esset item periculosa permultis, ob comparationem expressam cum quibusdam detestabilibus, quibus voluntas percelleretur, difficiléque peccatum præ illis expresse cogitatis abominaretur efficaciter.

106. Non debet fieri expressa comparatio.

Hinc collige, non esse necessarium vt pœnitens expresse detestetur peccatum plusquam mortem temporalem, aut quàm poenas ipsas inferni: neque vt desideret subire illas potiùs, quàm peccare: aut, si fieri posset, redimere peccatum, quod commisit, illarum perpessione: ita vt vellet potiùs subire tormentum ignis æterni, quàm peccasse: quæ comparationes factæ ex animo, & sincera, efficacique voluntate, difficiles sunt. Quinimò possumus licitè desiderare, ne tanta necessitas occurrat vitandi peccatum: gaudereque, quòd Deus nos illi non adstrinxerit. Ac ne quidem necessarium est facere virtualiter illas hypotheses, Si opus esset subire poenas æternas, mallem illas subire, quàm peccare: sed vt dicemus paulò post, sufficit habere implicitum, & virtuale propositum conditionatum moriendi potiùs, aut subeundi quiduis aliud, quod in rei veritate, & secundum præsentem Dei prouidentiam, potest esse necessarium ad vitandum peccatum mortale: quod propositum habetur eo ipso, quòd peccatum detestamur absolutè & efficaciter, secundum eam considerationem, quâ est detestabilius, quàm quiduis aliud, quod peccatum non est, modo explicando in sequenti conclusione.

107. Quid faciendum in casu quo quis putat incurrédas sibi esse pœnas æternas nisi peccet mortaliter.

Quòd si quis per errorem inculpabilem putaret sibi incumbere necessitatem incurrendi poenas æternas, nisi peccet mortaliter: nimirum, quia est in peccato mortali habituali, à quo credit se non posse liberari sine sacramento, cuius non est copia: & mors illi intentetur, nisi peccet mortaliter, putà, nisi fidem neget, aut blasphemet: deberet ille nihilominus abstinere à peccato. Sed in eo casu non dubito iustificatum iri per actum illum excellentem, quo mauult efficaciter subire poenas æternas, quàm offendere Deum mortaliter. Cùm enim id sit genus quoddam martyrii excellentissimi: Deus non deesset ex sua parte ad mouendum illum efficaciter, vt id faceret ex motiuo charitatis.

108. Debet esse virtualiter saltem detestatio super omnia quæ non sunt peccata.

Dico secundò, contritionem, vel attritionem sufficientem ad sacramentum poenitentiæ, debere esse detestationem peccati, virtualiter saltem & implicitè, super omnia quæ peccatum non sunt. Ratio, est quia debet perfectè auertere voluntatem à peccato, ita vt omnem peccandi voluntatem excludat, vt definit Tridentinum sessione 14. cap. 4. Ergo debet esse detestatio, virtualis saltem, peccati, supra quodcunque aliud detestabile, quod peccatum non sit: Ita vt voluntas sit parata quoduis aliud malum adire potiùs, aut pati, quàm peccare. Quæ virtualis detestatio non in eo solùm consistit, quòd poenitens detestetur quomodocunque peccatum secundum eam considerationem, quâ est detestabile super alia omnia, quæ peccata non sunt: sed quòd secundum illam detestetur peccatum absolutè, & efficaciter, & firmo quodam detestandi modo: ita vt vi illius detestaretur, quidquid in contrarium occurret. Simili modo, quo is, qui alicui propositioni firmiter adhæret per actum fidei supernaturalis, aut per simplicem euidentiam, vi illius assensus dissentiret cuicunque occurrenti in contrarium. Secus autem, si probabiliter tantùm, & cum formidine oppositi assentiretur. Differunt autem isti modi detestandi, aut assentiendi, specificè: propter rationem longè diuersam, quâ abhorrent ab obiecto, aut quâ illi adhærent: & non tantùm accidentariò, penes maiorem, aut minorem intensionem. Quantumuis enim intendatur assensus probabilis: manet semper in specie opinionis, & nunquam ascendit ad speciem fidei, vel scientiæ euidentis. Et è contrario actus fidei supernaturalis, aut scientiæ, quantumuis remissus, nunquam est opinio.

109. Requiritur in sacramento propositum generale contra mortalia.

Obiicies primò, attritionem conceptam ex motiuo specialis turpitudinis peccati commissi, sufficere ad sacramentum poenitentiæ. Putà, si quis commisit tantùm peccata intemperantiæ: sufficit, vt de illis atteratur ex motiuo turpitudinis intemperantiæ. Sufficit enim dolere de peccatis commissis. Neque de aliis potest esse attritio, aut contritio: quia actus poenitentiæ non est nisi de peccatis à se commissis. Et tamen illa attritio specialis non auertit voluntatem ab omni peccato mortali. Neque enim auertit ab aliis, quæ non repugnant temperantiæ. Ergo falsum est, quod diximus, attritionem sufficientem ad sacramentum poenitentiæ debere talem esse, vt auertat voluntatem ab omni peccato.

Respondeo, non sufficere ad sacramentum poenitentiæ atteri, vel dolere de peccatis commissis, nisi ille dolor includat virtualiter, vel habeat adiunctum propositum efficax, absolutum, & vniuersale non peccandi mortaliter. Licet enim non debeamus dolere de peccatis aliis, quàm de iis, quæ à nobis commissa sunt; quia de aliis poenitentia esse non potest: debemus tamen firmiter statuere, non peccare mortaliter in posterum vllo genere peccati: idque meritò Deus exigit ab illis, quos in suam amicitiam admittit. Quare si attritio est specialis de aliquibus peccatis secundum propriam ipsorum rationem, non communem omnibus aliis, adeóque non continet implicitè tale propositum vniuersale: debet illi adiungi, proponendo expresse nunquam amplius peccare mortaliter vllo genere peccati

Et alioquin illa attritio est insufficiens ad sacramentum pœnitentiæ.

110. Obiicies secundò attritionem, quæ concipitur ex metu gehennæ, non detestari peccatum supra pœnas: sed potiùs detestari magis pœnas, quàm peccatum: quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Cùm ergo detestetur peccatum propter pœnas, detestatur magis pœnas, quàm ipsum peccatum. Ergo non detestatur peccatum super omnia, quæ non sunt peccatum. Nam pœna, quam magis detestatur, non est peccatum.

Attritio detestatur culpam ipsam, & non pœnam tãtùm.

Respondeo, attritionem illam non detestari tantùm pœnam: sed etiam culpam ipsam, prout est causa pœnæ, vt infligendæ à Deo iusto iudice per peccatum offenso. Peccatum autem sub illa consideratione est quid detestabilius ipsa pœna, & quouis alio detestabili, quod peccatum non est.

111. Instabis, quia licet pœnitens detestetur culpam, vt est causa pœnæ: tamen magis detestatur pœnam, quàm culpam; quia ideo vult vitare culpam, & causam pœnæ, vt fugiat pœnam. Ergo magis detestatur pœnam, quàm culpam, cuius vitatio assumitur solùm ad fugiendam pœnam.

Et magis æstimatiuè culpam.

Respondeo, pœnitentem non propterea detestari magis æstimatiuè pœnam, quàm culpam: sed potiùs cùm actus, quo in vtrumque tendit, sit supernaturalis, ex instinctu, & motu Spiritus sancti, rectéque & conuenienter ordinatus; tendit conuenienti ordine in obiectum, detestando magis æstimatiuè id, quod maius malum est. Dictum autem illud Arist. *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*, intelligendum est de *magis* necessitate, aut ordine prioritatis, & dependentiæ, aut etiam magis intensiuè: at non semper æstimatiuè. Quando enim id, quod est maius, ordinatur tanquam medium ad aliquid minus tanquam finem: non propterea magis æstimatur bonum minus, si amor rectus, & bene ordinatus est. Exempli gratiâ, quando Deus voluit Incarnationem Verbi propter salutem hominum; non propterea magis æstimatiuè dilexit hominum salutem, quàm Incarnationem Verbi, quæ est bonum infinitè excellentius.

112. Vrgebis, quia saltem huiusmodi attritio non est interdum dolor efficax & absolutus de omnibus peccatis commissis, neque excludit omnem voluntatem peccandi mortaliter. Nam si quis peccasset dicédo ex corde, mallem peccare mortaliter, quàm subire pœnas inferni: ille per attritionem conceptam ex metu pœnarum, & gehennæ non doleret de tali peccato, neque illud retractaret. Ad illud enim retractandum deberet dicere: Mallẽ subire pœnas inferni, quàm peccare mortaliter. Atqui ex metu efficaci inferni nõ potest concipere talem actum. Quomodo enim potest ex metu inferni velle efficaciter subire infernum: & ex desiderio efficaci vitandi damnationem, velle subire damnationem? Nonne hoc est velle idẽ simul & nolle: quod est penitùs impossibile? Similiter illa attritio non excludit voluntatem peccandi mortaliter, in eo casu, quo peccatũ mortale apprehendatur esse necessarium ad vitandum infernum. Qui casus non est impossibilis. Potest enim contingere vt aliquis existens in statu peccati mortalis, & putans se non posse ab illo liberari, nisi per sacramentum poenitentiæ, cuius iam non est copia, sit in necessitate vel moriendi, vel peccandi mortaliter. Putà, quia mors illi intentatur ab aliquo, nisi consentiat in peccatum mortale. Attritio inquam cõcepta ex metu inferni non excludit voluntaté peccandi mortaliter in eo casu. Quia vt excluderet, deberet esse virtualiter voluntas subeundi potiùs poenas inferni, moriendo sine sacramento, & sine remedio peccati commissi; quàm committendi nouum peccatum mortale. Atqui voluntas efficax vitandi poenas inferni, non potest esse virtualis voluntas subeundi poenas inferni. Idem dico de casu illo possibili absolutè, in quo tormẽta inferni essent reipsa medium necessarium ad vitandum peccatum mortale: quia nimirum Deus reipsa exequeretur voluntatem malentis illa subire, quàm peccare mortaliter. Item talis attritio non est, aut non includit virtualiter propositum conditionatum subeundi potiùs quoduis aliud malum, quod peccatum non est, etiam poenas ipsas inferni, quàm committendi peccatum mortale: quale propositum necessarium est in omni contritione, vel attritione sufficiente ad sacramentum poenitentiæ. Alioqui enim attritio non excludit omnem voluntatem peccandi mortaliter in omni casu.

Valeatne metus pœnarum ad detestandũ efficaciter omne peccatum?

113. Ad primum Respõdeo, attritionem ex metu gehennæ comprehendere sufficienter tale peccatum. Quia est vniuersaliter dolor de omni peccato, quod est causa gehennæ. Atqui peccatum illud est verè & reipsa causa gehennæ. Vt autem de illo doleamus, & retractemus sufficienter: id est, velimus ex animo non feciſſe, doleamusque quòd fecerimus: non est opus dicere ex corde, Mallem subire poenas inferni, quàm committere, aut quàm commisisse illud peccatum. Sed sufficit dicere virtualiter, Poenitet me habuisse voluntatem peccandi potiùs mortaliter, quàm subeundi poenas inferni: quia illud peccatum nihil prodest ad eas vitandas, sed potiùs est illarum causa. Hoc autem dicit virtualiter quicunque dolet efficaciter, & vniuersaliter de peccato ex metu inferni, id est, quia peccatum est causa poenarum inferni.

Etiam cõmittendũ ad vitandũ infernum.

114. Ad secundum Respondeo, quando dicitur attritionem debere excludere omnem voluntatem peccandi mortaliter, illud debere intelligi, quantum est ex se secundum rei veritatem, & ordinem rerum à Deo statutum: ita vt simus virtualiter parati subire quoduis aliud malum ex iis, quæ modo prædicto necessaria sunt ad vitandum peccatum mortale. At non debet

Et in quoquecunque ex suimagina-bili.

intelligi quòd excludat voluntatem peccandi possibilem in quacunque suppositione procedente ex conscientia erronea: vel in quouis casu metaphysico, & impossibili, vel absolutè, vel secundũ ordinem à Deo statutum. Alioqui enim ne contritio quidem charitate perfecta excluderet omnem peccandi voluntatem. Putà, in eo casu, quo quis ex conscientia erronea putaret peccatum mortale non displicere Deo, & tamen esse peccatum: aut si per impossibile peccatum Deo placeret: aut si apprehenderetur esse necessarium ad vitandum aliquod graue malum Dei intrinsecum, cuius impediendi maior apprehenderetur obligatio, quàm abstinendi à tali peccato. In quo tamen casu non peccaret, si faceret id in quo minus mali apprehenderet, ex affectu solùm vitandi maius malum. Quia hoc non esset velle malum, sed potiùs illud vitare quantum posset, & laudabiliter se gerere: vt diximus alibi disputando de conscientia perplexa. Sicut autem non est necesse, vt qui detestatur, & vult efficaciter fugere gehennam, faciat virtualiter hanc hypothesim, quæ sine grauissimo peccato fieri non posset, repugnatque fieri ex instinctu Spiritus sancti, *si necessarium esset destruere Deum ad vitandas pœnas inferni, vellem destruere, si possem*: ita neque istam, *si opus esset peccare mortaliter ad vitandam infernum, peccarem*. Sufficit, vt qui vult efficaciter finem, velit per media possibilia, & conuenientia, beneque ordinata, & secundum rei veritatem sufficientia.

115. Ex his reliquum obiectionis solutum manet. Addo tantùm, in eo casu, quo aliquis ex conscientia erronea crederet sibi subeundum esse infernum, nisi peccet mortaliter, & nihilominus abstineret à peccato mortali: Deum illi non defuturum, vt volũtatem tam efficacem, & generosam non peccandi mortaliter conciperet ex motiuo charitatis, adeóque iustificaretur, & euaderet pœnas, quas se putat incurrere. Esset enim illud genus quoddam martyrii excellentissimi. Quare si Deus non deest illis, qui malunt vitam temporalem perdere, quàm fidem negare: non deesset etiam illis, qui ne ipsum offenderent, mallent potiùs vitam temporalem simul & æternam amittere. Puto autem nullum adultum esse verè martyrem, nisi patiatur ex charitate, adeóque omnes ad actum charitatis eleuari: vt diximus disputatione 23. sect. 4.

116. Addo præterea perplexitatem esse inextricabilem, qualis est in propositionibus insolubilibus, vt vocant Logici: si quis fingatur velle peccare mortaliter, vt vitet gehennam: sciens ipsummet peccatum mortale fore infallibiliter sibi causam gehennæ.

Sufficit detestari peccatum super omnia quæ pecca- Dico tertiò, sufficere vt contritio, vel attritio detestetur peccatum super omnia, quæ peccatum non sunt: quamuis illud non detestetur super omnia alia peccata. De contritione probatur, quia, licet peccatum detestetur sub ratione generali communi omnibus peccatis, nempe quatenus Deo displicet: & in rationem illam feratur vniuersaliter, omniaque confusè detestetur: tamen, quia ordinatè tendit in totum illud obiectum, detestatur virtualiter magis quoad æstimationem peccata illa, quæ grauiora sunt, & magis Deo displicent. Quemadmodum quando distinctè & singillatim illa detestaretur: magis appretiatiuè detestaretur ea, in quibus est maior detestandi ratio, quia Deum magis offendunt. tum non sunt.

117. De attritione verò probatur: quia attritio generalis, quæ tendit in peccatum sub aliquo motiuo vniuersali, & communi omnibus peccatis, (putà, quia sunt causa pœnæ, vel quia repugnant legi diuinæ) detestatur magis virtualiter & æstimatiuè, illa peccata, quæ quia grauiora sunt, repugnant magis legi diuinæ, vel sunt causa maioris pœnæ. Quia tendit in suum obiectum conuenienti ordine, vt supra diximus de contritione. Attritio verò specialis, quæ fertur in aliquam speciem peccatorum ex motiuo illis particulari, ex. gr. in furtum, aut homicidium, quia iniustum est: aut in sacrilegium, quia est contra religionem: non detestatur peccatum illud super omnia alia peccata æstimatiuè. Quia motiuum, secundum quod illa detestatur, non est detestabile super alia omnia. Magis enim sunt detestabilia peccata opposita charitati ergà Deum, in quantum talia: vt odium Dei. Et peccatum quodlibet, in quantum Deo displicet, & amicitiam illius contemnit, est multò magis detestabile quàm prout est oppositum iustitiæ, fortitudini, aut temperantiæ, aliisque virtutibus charitate inferioribus. Ac si occurreret necessitas incidendi in alterum è duobus peccatis inæqualibus, vt contingere potest per errorem illis, qui habent conscientiam perplexam: eligendum esset illud, quod minus est. Quod qui faceret in tali necessitate, ex puro affectu vitandi aliud peccatum maius, non peccaret, quamuis peccare sibi videretur, sed à peccato recederet quantum posset, & laudabiliter ageret. Contra verò, peccaret sine dubio, si grauius peccatum eligeret, putà, homicidium præ furto, aut leui mendacio: & quidem mortaliter, si excessus peccati præ alio esset grauis & mortalis. Cuiusmodi est sine dubio excessus peccati mortalis supra veniale: & excessus peccati mortalis duplo grauioris, respectu alterius mortalis minùs grauis: vt furtum quatuor aureorum, præ furto duorum tantùm. Contritio & attritio detestantur vnum peccatum magis quàm aliud.

118. Dubitari autem hìc solet primò, an contritio detestetur magis peccatum futurum, quàm præteritum? Secundò, an magis proprium peccatum, quàm alienum? Tertiò, an peccatum actuale magis, quàm originale? Qua de re,

Dico quartò, Contritionem non esse nisi

de peccato præterito, vt probabimus paulò post: sed charitatis virtutem, cuius illa est actus detestari æqualiter peccatum futurum & præteritum, cæteris paribus, id est, si non sit alia differentia, & inæqualitas inter illa. Ratio est, quia est æquè detestabile, cùm sit æqualis malitiæ & æqualiter reum constituat offensorem, & displicentem Deo. Ita Suares disp. 3. sect. 9. num. 11. & Delugo disp. 5. sect. 4. num. 48.

Suares. Delugo.

119. Dico quintò, Contritionem similiter non esse propriè de peccato alieno, neque de peccato originali: sed charitatem, cuius actus est contritio, magis detestari practicè & efficaciter quodcunque peccatum proprium, quamuis leue, & veniale: quàm alienum, quamuis mortale: & magis actuale quodcunque, quàm originale. Speculatiuè autem, & æstimatiuè magis detestari id quod grauius est: atque ita magis detestari mortale alienũ, quàm veniale proprium: & originale, magis quàm actuale seu personale veniale.

Contritio non est de peccato alieno.

Ratio primæ partis huius assertionis, & præcedentis est, quia contritio propriè dicta est actus pœnitentiæ: pœnitentia autem propriè est retractatio peccati propria voluntate cõmissi, illiusq; detestatio cum dolore cõiuncta. Secũda verò pars probatur, quia detestatio practica & efficax est illa, quæ tendit ad effectũ, & vi cuius vitaremus potiùs id quod magis detestamur. Atqui tenemur magis vitare proprium peccatum, tametsi veniale, quàm alienum, tametsi mortale: ita vt non possimus licitè peccare, ne venialiter quidem, ad impediendum ne peccent alii mortaliter. Dico, peccatũ: & non solum peccandi periculum: quod, etiam si proximum sit, adiri potest licitè in casu magnæ, aut extremæ necessitatis, cum fiducia diuini auxilii in tanta necessitate affuturi: vt bene docet Delugo supra num. 56. post Thomam Sanches lib. 1. in Decalogum cap. 8. vbi id confirmat authoritate Sancti Basilii in constit. monast. sic aientis: *Qui vrgenti aliqua causa, & necessitate se periculo obiicit vel permittit se esse in illo, cùm tamen aliàs nollet: non tam dicitur amare periculũ, quàm inuitus illud subire: & ideo magis prouidebit Deus, ne in illo peccet.*

Charitas magis detestatur peccatum proprium leue, quàm alienum graue.

Sanchez.

Basil.

120. Similiter teneremur potiùs permittere, vt peccatum ab Adamo commissum sine nostro consensu, nobis imputetur, & morali quodam modo nos inficiat habitualiter: quàm propria voluntate committere aliquod peccatum veniale. Quia permittere illud, non est peccare, & Deum offendere. At peccare venialiter est verè peccare, & offendere Deum. Quare practicè debeo magis abhorrere à peccato actuali veniali, quàm à reatu peccati originalis. Confirmatur, quia non possum licitè peccare venialiter, vt liberer à statu habituali peccati actualis, etiam mortalis. Ex. gr. si crederem me non posse liberari ab illo statu sine sacramento pœnitentiæ: & non possem illud obtinere sine leui mendacio: in eo casu deberem potiùs manere adhuc in statu peccati habitualis, & expectare donec ab eo possem aliter liberari: Nimirum quia manere in statu peccati habitualis præcisè, si nihil aliud fit, non est peccare, & fieri dignum noua pœna. At peccare venialiter est verè peccare, & fieri dignum poena. Quare istud practicè loquendo detestabilius est.

Tenemur magis impedire veniale, quã originale.

121. Dices, debere nos magis id fugere, quod est dignum grauiori Dei odio. Deus autem magis odit hominem existentem in peccato originali, aut mortali habituali: quàm hominem peccantem venialiter. Ergo debemus magis fugere statum peccati originalis, aut mortalis habitualis, quàm peccatum veniale. Respondeo cum Delugo supra num. 68. debere quidem nos magis fugere, vt id faciamus, quod est dignum maiori Dei odio: sed non debere magis fugere, vt permittamus id, quod Deus magis odit; quàm vt faciamus id, quod Deus minùs odit. Quãuis enim Deus magis oderit peccatum mortale alienum, quàm meum veniale: debeo tamen permittere potiùs, vt alter peccet mortaliter, quàm ipse peccare venialiter. Atque ita debeo magis fugere, vt faciam minus malum minúsque Deo odibile: quàm fugere, vt permittam seu patiar alterum facere maius malum, & Deo magis odibile.

Soluitur obiectio.

Delugo.

122. Instabis, quia dilectio Dei exigit, vt magis oderimus id quod Deo magis odiosum est. At peccatum mortale, siue originale siue personale, est Deo magis odiosum, quàm veniale: ergo &c. Respondeo primò, magis odiosum esse Deo me peccare venialiter, quàm me pati præcisè moram habitualem peccati personalis à me ante commissi; aut pati peccatum ab Adamo commissum sine meo consensu. Respondeo secundò, duplex esse odium: practicum scilicet, & speculatiuum. Et practicè quidem dilectionem Dei non exigere, vt magis oderimus quidquid Deo magis odiosum est in seipso consideratum. Nam licet Deus magis oderit peccatum alienum mortale in se spectatum, quàm meum veniale: Deus tamen prohibet; & consequenter charitas erga Deum non permittit, vt practicè magis illud oderim, quàm proprium peccatum veniale, id est, vt peccem potiùs venialiter, quàm vt permittam alterum peccare mortaliter. De odio autẽ speculatiuo simplicis displicentiæ, & abominationis, verum est nos per charitatem, & secundum rectam rationem debere magis odisse æstimatiuè id, quod in se est magis Deo odibile. Atque ita magis abominari peccatum mortale alienum, aut peccatum nostrum originale, quàm veniale proprium, vt diximus in postrema parte conclusionis. Cuius ratio est, quia odium illud speculatiuum abstrahit à praxi, & tendit in peccatum, secundum se absolutè consideratum in quantum Deo displicet. Ergo magis appretiatiuè saltem, odit & detestatur peccata illa, quæ plus participant illius motiui formalis: id est, quæ magis Deo displicent, & grauiora sunt.

Altera obiectio dilauitur.

SECTIO

SECTIO XI.

Vtrum contritio, vel attritio debeat necessariò, præcedere confessionem, aut absolutionem: vel toties iterari, quotics iterantur confessio, & absolutio?

133. Debent præcedere absolutionem.

DIco primò, contritionem, vel attritionem, debere necessariò præcedere absolutionem: non tamen necessariò debere quoque præcedere confessionem. Sufficit enim quod pœnitens post confessionem doleat de peccatis, antequam absoluatur. Ratio primæ partis est, quia legitima accusatio debet necessariò præcedere sententiam iudicis, & ipsi esse nota. Sed confessio sine dolore non est legitima accusatio in foro pœnitentiæ: ergo, &c. Vnde collige primò, non sufficere, vt naturæ ordine tantùm præcedat. Nam si naturæ ordine tantùm præcederet; non posset esse nota iudici, antequam sententiam absolutionis proferat. Debet autem esse priùs nota, æquè ac ipsa confessio: quia neutra sine altera est accusatio legitima. Collige secundò, absolutionem datam sine præuia contritione, vel attritione, esse inualidam: & confessiones ita factas esse necessariò repetendas.

124. Sed nõ necessariò ipsam confessionem

Secunda pars est omnium Theologorum, excepto vno aut altero è modernis. Et probatur ex communi vsu, & praxi fidelium. Nam pœnitentes credunt se suo muneri satisfeciſſe dummodo atterantur, vel conterantur ante absolutionem. Confessarii quoque solent esse contenti, dummodo pœnitentes, saltem post confessionem, antequam ipsis impendatur absolutio, concipiant dolorem de peccatis. Et si dubitant, num antea conceperint, solent ad illum excitare. Neque ideirco iubent ipsos confessionem suam repetere, ne implicitè quidem, dicendo se dolere de peccatis ante confessis, velleque ab illis absolui.

125. Coninc.

Contrarium tamen sentit Aegidius Coninc disput. 4. dubit. 6. num. 44. vbi docet dolorem requisitum ad hoc sacramentum debere necessariò præcedere ipsam confessionem. Ratio eius est, quia dolor ille, cùm sit per se insensibilis, debet fieri sensibilis per confessionem. Ergo confessio debet esse signum illius sensibile. Atqui non potest illius esse signum, nisi ab illo procedat. Actus enim externi non sunt vera signa internæ voluntatis, nisi ab ea procedant. Quod maximè, inquit, verum est in iis actibus, qui non significant formaliter internam pœnitentiam, sed tantùm quatenus sunt eius effectus: vt fit in præsenti casu. Nec enim qui narrat se aliquod peccatum feciſſe, dicit formaliter se de eo dolere: sed hoc solùm implicitè significat, quatenus hic & nunc tali modo hoc confitetur vt ea confessio ex interno dolore censeatur procedere.

126. Soluitur argumentũ contrariæ sententiæ.

Verùm hoc argumentum non tanti est, vt propter illud debuerit Aegidius tam communi sententiæ se opponere. Respondeti enim facilè potest, primò, non esse necessarium, vt dolor internus fiat sensibilis per confessionem. Quia potest aliter per suspiria, per gemitus, per lachrymas, per voces, dicendo se dolere, per humilem gestum pœnitentis genibus flexi, vel humiliter expectantis absolutionem, & submittentis se iudicio Sacerdotis. Neque est necesse, vt id, per quod dolor internus fit sensibilis, sit pars ipsius sacramenti. Secundò, non est verum, quod ait Aegidius, non posse dolorem internum fieri sensibilem per confessionem, nisi ab ipsa procedat. Nam dolor internus fit sufficienter sensibilis per confessionem factam ex animo recipiendi absolutionem, ab homine intelligente, & de quo non est ratio dubitandi, num suo muneri desit hac in parte. Quia hoc ipso, quòd talis pœnitens satis significat sensibiliter se confiteri in ordine ad absolutionem, & reconciliationem cum Deo; significat sufficienter se afferre dolorem necessarium, vt absoluatur, siue ante, siue post confessionem. Qui dolor coniungitur necessariò cum legitima voluntate efficaci recipiendi absolutionem. Et sufficienter significatur sensibiliter per signum sensibile eiusdem voluntatis. Actus enim externus, qui aliunde habet necessariam connexionem cum interno, satis illum significat, quamuis ab illo non procedat. Confirmatur exemplo satisfactionis, quæ potest aliquando imponi purè interna: & tamen licet post futura, fit satis sensibilis per iniunctionem, & acceptationem antecedentem. Sic in matrimonio sufficit consensum internum physicè præcedere, dummodo sit præsens moraliter cum actu externo, quo significatur.

127. Debent moraliter vniri absolutioni.

Dico secundò, contritio vel attritio debet ita præcedere confessionem, aut absolutionem, vt habeat vnionem moralem cum illis. Quare non sufficit contritio, vel attritio per contrarium actum interrupta, aut nimis longo tempore distans, aut nullo modo relata ad sacramentum ab ipso poenitente.

Ratio primæ partis est, quia contritio, vel attritio debet concurrere cum confessione, & absolutione, ad componendum cum illis intrinsecè sacramentum poenitentiæ. Non potest autem cum illis componere, nisi moraliter saltem cum illis vniatur. Sacramentum enim est morale quoddam artefactum, quod constituitur ex suis partibus moraliter vnitis. Quare contritio, vel attritio debet moraliter vniri confessioni, & absolutioni, vt cum illis componat sacramentum poenitentiæ.

128. Et non nimis diu ab illa distare.

Secunda pars sequitur ex priori. Illud enim, quod vnitur alteri, debet illi coexistere aliquo modo, vt illi vniatur. Ergo contritio vel attritio debet aliquo modo coexistere

confessioni, & absolutioni, vt illis vniatur. Debet, inquam, esse illis præsens, moraliter saltem, vt cum illis possit vniri moraliter. Ergo quando illas præcessit physicè, debet adhuc esse præsens moraliter, & æstimatiuè, in ordine ad iudicium sacramentale constituendum: Id est, perinde se habere in hominum æstimatione, & perinde valere ad iudicium legitimũ constituendum in foro Dei, ac si nunc physicè existeret. At huiusmodi non est attritio, vel contritio interrupta per actum contrarium: neque etiam illa, quæ nimis longo tẽpore distans est, id est, quæ iampridem fuit habita physicè, quamuis non retractata. Alioqui dolor de peccatis habitus ante mensem, vel ante annum, sufficeret ad sacramentum pœnitentiæ hodierna die constituendum. Quod est contra commune iudicium prudentum, à quo pendet illa moralis æstimatio. Quanta vero distantia sit nimia, non potest certa regula definiri. Sed in praxi bonum est dolorem excitare, vel renouare in ipsa confessione, vel paulò ante illam. Licet non sint damnandi, qui aliquot ante horis, vel etiam die vno, dolorem præmiserunt, & illum ad absolutionem obtinendam de nouo referunt, quando accedunt ad confessionem, aut illam exequuntur.

129. Debent à pœnitente referri ad absolutionem.

Tertia pars conclusionis, quòd scilicet contritio vel attritio debeat ad sacramẽtum referri, probatur, quia confessio dolorosa debet fieri sacerdoti, vt iudici, tanquam accusatio legitima, præuia sententiæ absolutionis. Ergo tam dolor internus, quàm confessio, ex quibus duobus constituitur accusatio legitima, debent ab ipso pœnitente referri ad absolutionem, & ad sacramentum pœnitentiæ cum illa constituendum. Confirmatur ex Trident. sess. 14. cap. 4. vbi loquens de contritione generaliter sumpta pro primo actu pœnitentis, ait illam *ita demum parare ad remissionem peccatorum, si cum fiducia diuinæ misericordiæ*, per sacramentum scilicet impetrandæ, *& voto*, id est desiderio, *præstandi reliqua, coniuncta sit, quæ ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur.*

130. Deberque illa relatio præcedere aliquatenus contritionem.

Difficultas verò est, vtrum illa relatio contritionis ad confessionem & absolutionem debeat necessariò præcedere contritionem: ita vt pœnitens doleat de peccatis ex intentione ea subiiciendi sacramento pœnitentiæ. An verò sufficiat, si subsequatur: vt fit, quando aliquis, post dolorem conceptum de peccatis, cogitat de confessione, & iam vult confiteri sacramentaliter, vt ab illis absoluatur.

Respondeo probabilius esse, debere necessariò præcedere aliquo modo; ita vt vel ex illa intentione inchoetur, saltem implicitè: vel continuetur, aut renouetur, quando occurrit cogitatio, & voluntas confitendi sacramentaliter. Ratio est, primò, quia actus sacramentales debent poni ex intentione faciendi sacramentum. At contritio, vel attritio est actus sacramentalis: ergo, &c. Secundò, intentio necessaria est, non modò ex parte Ministri ad ponendum sacramentum: sed etiam ex parte recipientis, si est adultus. Et sicut ex parte Ministri debet præcedere omnes, & singulos actus sacramentales essentiales: neque enim sufficeret in Baptismo, verbi gratia, habere intentionem post ablutionem, aut post mediam partem formæ essentialis prolatam: ita etiam debet præcedere ex parte recipientis. Neque enim valide baptizaretur adultus, qui tantùm consentiret, & intenderet baptizari post ablutionem, aut post mediam partem formæ essentialis.

131. Contraria sententia.

Contrarium sentit Cardinalis Delugo disput. 14. sect. 4. vbi docet sufficere, si relatio ad confessionem, & absolutionem sequatur contritionem. Primò, quia Trid. sess. 14. cap. 4. requirit tantùm, vt contritio, vel attritio sit coniuncta cum fiducia diuinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua, ad sacramentum pœnitentiæ rite suscipiendum necessaria, ac denique, vt voluntatem peccandi excludat. Hæc autem omnia reperiuntur in eo etiam casu, quo intentio confitendi sacramentaliter sequitur contritionem. Ergo non est necesse, vt illam præcedat. Secundò, si quis ex pia lectione, vel concione moueatur ad dolorẽ de peccatis, posteaque cogitet de confessione, & confiteatur: nemo dicet illum non esse optimè dispositum ad absolutionem recipiendam. Tunc autem intentio confitendi non præcedit contritionem, sed subsequitur. Ergo ex communi fidelium sensu non est necessarium vt præcedat. Tertiò, conuenientius est naturæ, & institutioni sacramenti pœnitentiæ, vt contritio præcedat huiusmodi intentionem. Ergo non modò sufficit, sed etiam melius est præcedere. Antecedens probatur, quia si hoc sacramentum spectetur, vt iudicium: ordo connaturalior est, vt accusatio procedat ex odio delicti, quàm vt odium ex accusatione. Si verò spectetur prout est condonatio offensæ: modus aptior, & congruentior ad impetrandam veniam est, quando quis ex odio offensæ mouetur ad petendam veniam à Sacerdote: quàm si ex desiderio remissionis moueatur ad dolendum de offensa Dei. Prior enim modus est purior, & perfectior, habens solum motiuum offensæ diuinæ. Quartò, non est necesse actiones sacramentales fieri ex intentione expressa recipiendi sacramentum. Nam in Matrimonio, licet aliquis ignoret illum contractum esse sacramentum inter Christianos, & solùm intendat facere contractum: adhuc recipiet sacramentum, quod est inseparabile à contractu. Item satisfactio sacramentalis impletur sufficienter, licet pœnitens eam implens non intendat satisfacere præcepto confessarii, & ponere partem sacramenti. Item in matrimonio sufficit, quòd alter coniugum cogitet de matrimonio, & consentiat, postquam alius consensit, & externo signo expressit suum consensum. Vt si fœminæ non cogitanti de matrimonio, dicat

vir cum intentione debita, Accipio te in meam: ipſa verò poſt cum eadem intentione reſpondeat, Ego etiam te in meum: fit ſacramentum, licet intentio non fuerit in fœmina ſuſcipiendi ſacramentum ab initio, dum vir illud ex parte ſua miniſtrabat. Ergo non requiritur in ſacramentis intentio ſuſcipientis, antequam ponantur omnes actiones ſacramentales, ſiue ab ipſo ſuſcipiente, ſiue etiam à miniſtro.

132. Ad primum Reſpondeo, Tridentinum per doctrinam illam non derogare neceſſitati intentionis, communi omnibus ſacramentis, tam ex parte ſuſcipientis adulti, quàm ex parte miniſtri. Sed ſuppoſita illa neceſſitate generali & communi (de qua alio loco, quando nimirum agetur de ſacramentis in genere, differendum eſt) docere tantùm ea, quæ ſacramento pœnitentiæ ſpecialia ſunt ex parte contritionis. Verùm ſicut huiuſmodi contritio non ſufficeret ſine intentione debita ex parte miniſtri abſoluentis, vt certiſſimum eſt, & definitum generaliter ab eodem Tridentino ſeſſione 7. can. 11. *De ſacramentis in genere*: ita non ſufficit ſine intentione debita ex parte recipientis.

Satisfit primo illius argumento.

133. Ad ſecundum Reſpondeo, talem cenſeri bene diſpoſitum, quia præſumitur renouare ſufficienter dolorem animi, & deteſtationem peccatorum, poſtquam occurrit cogitatio & intentio ſacramenti adhibendi ad obtinendam veniam. Quæ renouatio facilè fit, quotieſcunque aliquis attentè & efficaciter vult de peccatis confiteri, & per ſacramentum Deo reconciliari. Imò confeſſio vix fieri poteſt attentè, & cum vero deſiderio reconciliationis, ſine dolore aliquo de peccatis, quibus Dei inimicitiam, aut auerſionem incurrimus. Loquor de dolore & odio voluntatis: non autem de dolore ſenſibili partis inferioris, qui non eſt neceſſarius.

Diluitur ſecundum.

134. Ad tertium Reſpondeo, conuenientius eſſe ſacramento, quâ ſacramentum eſt, vt omnes illius actus eſſentiales ab initio referantur ad ſacramentum conſtituendum, & ad faciendum id, quod Chriſtus inſtituit: exercendo actus illos ſecundum Chriſti intentionem & inſtitutionem: id eſt, vt ſacram quandam cerimoniam ad ſanctificandum inſtitutam. Quamuis autem contritio concipiatur ex intentione recipiendi ſacramentum: non propterea debet habere pro motiuo formali deſiderium remiſſionis.

Ad tertium argum.

135. Ad quartum Reſpondeo primam illius partem nobis non obeſſe. Fatemur enim ſufficere intentionem implicitam: qualis eſt in Chriſtiano illo volente contrahere matrimonium, vt ſit inter Chriſtianos. De ſecunda, dico intentionem implendi ſatisfactionem fuiſſe habitam ſufficienter, quando in ipſa confeſſione pœnitens illam acceptauit cum animo exequendi. Quòd ſi tunc non acceptauit cum tali animo, neque poſtea intendit illam, vt partem ſacramenti, implere: nego fore ſacramentalem, & talem pœnitentem ſatisfacere præcepto confeſſarii, qui non iniungit tale opus ſimpliciter, ſed vt ſacramentale. De tertia, dico ad matrimonium ſufficere conſenſum vnius moraliter continuari vſque ad acceptationem, & mutuum conſenſum alterius, per quem completur in ratione perfectæ donationis. Nam donatio proprii corporis, quæ ab vno contrahentium fit, non eſt perfecta donec ab altero acceptetur, & illius acceptatio ſigno aliquo externo ſignificetur. Imò eſt tacitè conditionata, donec alter ſe tradat reciprocè. Debet autem priùs intendere, ſaltem implicitè, acceptare ſacramentaliter. Maximè quia, cùm coniuges ipſi ſint miniſtri ſacramenti, debent ſine dubio, implicitè ſaltem, velle facere id, quod Chriſtus inſtituit. Itaque licet conſenſus primi contrahentis fuerit inchoatus ſine intentione ſecundi: continuatur tamen moraliter, & quantùm ſufficit ad valorem contractus matrimonii, poſt intentionem illius. Eodemque modo ſe habet, ac ſi quis continuaret contritionem, poſtquam cogitauit de ſacramento pœnitentiæ, & intendit per illud expiare peccata. Diſcrimen ſolùm in eo eſt, quòd matrimonium cùm ſit in genere contractus, neque Chriſtus plus ad illius valorem requiſiuerit, quàm requiratur ad valorem contractus: non poſtulat talem, & tantam exiſtentiam, & coexiſtentiam partium, ex quibus componitur, qualem, & quantam requirunt alia ſacramenta. Sicut etiam peculiare illud habet, quòd poteſt contrahi inter abſentes, & per procuratores, & per conſenſum conditionatum de futuro, Accipio te in meam, ſi pater conſenſerit, &c. Ita tamen vt non ſit perfectum matrimonium, donec impleatur conditio. Vnde pendente conditione poteſt cum altera validè, quamuis illicitè contrahi, vt dicitur cap. 5. *De conditionibus appoſitis*.

Ad quartũ.

136. Circa alteram difficultatem in titulo ſectionis propoſitam, Debeatne toties iterari contritio, vel attritio, quoties iterantur confeſſio, & abſolutio: diſtinguendum eſt. Vel enim iterantur confeſſio, & abſolutio ad conſtituendum iudicium ſacramentale, moraliter diuerſum à priori: vel iterantur ſolùm ad conſtituendum idem moraliter iudicium perfectum cum priori, per modum appendicis: ſupplendo tantùm aliquem defectum, qui in illo fuit circa cognitionem cauſæ, vel abſolutionem directã. Vt fit quando quis oblitus eſt aliquod peccatum: & poſt abſolutionem illius recordatus, illud exponit Confeſſario, & ab illo abſoluitur. Vel cùm ægrotus auditis aliquot peccatis abſoluitur ob periculum mortis: & poſtea pergit reliqua explicare, iterumque ab omnibus abſoluitur. Vel quando quis ſuperiori, non potenti omnia audire, confitetur ſola reſeruata, ab illiſque abſoluitur: poſteaque non interiecta nimis lõga mora, proponit inferiori ſacerdoti alia non reſeruata, vt ab illis abſoluatur directè.

Sitne toties iteranda contritio, quoties cõfeſſio & abſolutio?

137. In priori casu debet toties iterari contritio, vel attritio, quoties iterantur confessio, & absolutio. Ratio est, quia iudiciũ moraliter diuersum requirit diuersam accusationem legitimam. Nam super eadem accusatione legitima vanum est, & inutile bis sententiam iudicialem proferre: neque ita profertur in foro externo: postquam enim sententia iudicialis semel validè lata est, non fertur iterum sine nouo processu. Iudicium autem istud internũ est exercendum ad modum externi. Cúmque vna accusatio non est pars, & velut appendix, aut supplementum alterius: debet ipsa per se, & seorsim ab altera, esse legitima: adeóque debet habere diuersum dolorem de peccatis, per quem constituitur in esse accusationis legitimæ.

138. In posteriori verò casu puto eandem contritionem, vel attritionẽ sufficere. Quia cùm posterior confessio, & absolutio sit moraliter pars, & supplementũ dumtaxat, ac velut appendix prioris: attritio prior, vel cõtritio, satis ad illas extenditur, & videtur tantummodo sortiri plenum effectũ directæ absolutionis omnium peccatorum, ad quam per se tendebat. Atque ita sentit Hériq. lib. 4. de Poen. c. 26. §. 7. de casu in quo poenitens oblitus alicuius peccati mortalis, paulò post absolutionem, illud exponit Confessario, & ab illo absoluitur. Confirmaturq; ex praxi Confessariorũ. Pauci enim solent in eo casu nouum dolorem requirere à poenitente. Par autẽ est ratio de aliis casibus, in quibus aliquid omittitur ex alia impotentia physica, vel morali, æquiualente obliuioni inculpabili: de quibus etiam ita sentit Delugo disp. 14. sect. 3. post Ioannem de Salas, Petrum Ledesmam, & alios, quos citat. num. 34.

Henriq.

Delugo.

139. Refutatur opinio cõtraria. Sed non placet, quod addit ibidem, tanquam probabile: posse etiam id fieri in priori casu: id est, eandẽ contritionẽ inseruire posse duabus absolutionibus moraliter diuersis, & quarum vna non est supplementum alterius: modò sint tantùm de iisdem peccatis, & non sit nimis longa distantia temporis inter vtrãque absolutionem. Ratio eius est, quia illa contritio, vel attritio sufficit ad legitimam constituendam posteriorem confessionem: & alioqui non est necesse totam materiam proximam esse diuersam, quoties forma sacramenti validè applicatur. Nam in sacramento Eucharistiæ corpus, & sanguis Christi, quæ sunt materia proxima, sunt eadem numero sub omnibus speciebus Eucharisticis: & eadem satisfactio, ex. gr. idem ieiunium, vel eadem peregrinatio, potest iniungi à duobus Confessariis in diuersis sacramentis.

140. Verùm ad primum argumentum respondeo, contritionem illam, aut attritionem, non sufficere ad reddendam legitimam posteriorem confessionem, quæ per se seorsim debet esse legitima, & iuridica accusatio, vt paulò antea ostendimus. Ad secundum dico, interdum quidem materiam proximam esse eandem ex parte, in diuersis sacramentis: sed specialem esse rationem, cur contritio debeat esse diuersa in casu, de quo loquimur. Quia nimirum sententia iudicialis planè diuersa à priori, etiam moraliter, & non se habens per modum appendicis, & supplementi ad illam, requirit diuersum processum iuridicum, diuersamque accusationem legitimam per se, & seorsim ab alia.

SECTIO XII.

An contritio vel attritio sufficiens ad sacramentum, sufficiat etiam ad effectum?

141. Conclusio affirmat. REspondeo affirmatiuè: ideóque nunquã defectu contritionis, vel attritionis, sacramẽtum hoc esse validum, seu ratum; & informe, id est, sine effectu. Ita D. Thom. in 4. dist. 23. qu. 1. art. 4. quæstiunc. 2. Gabriel, Maior, Adrian. Medina, Vega, & alii quos sequũtur Vasq. q. 92. art. 2. dub. 1. & Aegid. Con. disp. 4. dub. 5. num. 40. Ratio responsi præcipua est, quia Trid. sess. 14. cap. 4. vbi exactè de contritione differit, nunquam distinguit contritionem, vel attritionem sufficientem, vt partẽ sacramenti, ab ea, quæ sufficit, vt dispositio ad effectum. Sed cùm initio capitis cit. proposuisset agere de contritione, vt primo actu, & prima parte materiali sacramenti pœnitentiæ, ea in ipsa requirit, quæ superioribus sectionibus exposuimus, quæque sine dubio sufficiunt ad eius effectum. Nimirum vt sit efficax, & absoluta detestatio, & dolor de peccatis, supernaturalis, & omnem peccandi voluntatem excludens, adeóque virtualiter saltem auertens voluntatem ab omni peccato mortali.

S. Thom.

Vasquez, Coninc.

142. Non est par ratio de aliis sacramentis. Neque par est ratio de sacramento pœnitentiæ, & de aliis. Quia in nullo alio contritio ipsa, vel attritio, quæ est dispositio ad gratiam, & remouet obicem, est essentialis pars sacramenti: secus autem in isto, quod idcirco non potest confici, quin recipiatur à subiecto dispositio ad gratiam, & consequẽter in illo sortiatur effectum, vt rectè docet D. Thom. loco supra cit. Deniq; varii casus, qui à multis finguntur ad asserendam opinionem contrariam, partim apertam continent falsitatem, partim minimam habent probabilitatem, vt notat Valentia qu. 11. p. 2. & patebit ex sequentibus.

Valentia.

Refellitur prima sententia contraria. Primò enim, sunt qui existiment sacramẽtum pœnitentiæ fore validum, sed informe, in eo casu, quo pœnitens post sufficientem dolorem, & confessionem, labitur in nouum peccatum mortale: & paulò post absoluitur immemor noui peccati mortalis, & obligationis, quam habet illud confitendi, & de illo dolendi.

143. Sed ille casus reiiciendus est. Nam dolor præcedens, vt constituat cum absolutione sacramentum pœnitentiæ, debet ad illã vsq; moraliter saltem perseuerare. Atqui non perseuerat: siquidem per nouum peccatum mortale interrumpitur. Secundò, attritio,

Digitized by Google

vel contritio sufficiens ad sacramentum pœnitentiæ, debet esse pœnitentia de omnibus peccatis mortalibus pœnitentis, vt ostendemus paulò post. Sed attritio, vel contritio in tali casu non est pœnitentia de omnibus peccatis mortalibus pœnitentis. Quia non est de nouo illo peccato, quod committit postquam doluit. Pœnitentia enim non est de peccatis futuris, sed de præteritis, & iam commissis. Quare sacramentum pœnitentiæ in eo casu nullum est ex duplici capite.

144. Secunda sententia S. Thomas.

Secundò, D. Thomas in 4. distinct. 17. quæst. 2. art. 4. quæstiunc. 1. in corp. & quæst. 9. supplem. art. 1. in corp. post medium, videtur asserere sacramentum pœnitentiæ posse esse validum sine contritione, vel attritione: sed in eo casu esse informe. Verùm, hic casus communiter rejicitur: & ipsemet loco prius citato, contrarium apertè docet, affirmatque contritionem esse de essentia sacramenti poenitentiæ. Vnde consequens est, vt non magis sine illa possit consistere, quàm homo sine corpore. Idemque est sensus communis Theologorum, & fidelium, qui censent nullum esse sacramentum poenitentiæ, & inualidam esse absolutionem, quæ datur sine præuia contritione. Nimirum quia Christus non dedit potestatem absoluendi quoslibet quomodocunque accedentes, sed poenitentes bene dispositos. Voluitque, vt sententiam iudicialem absolutionis necessariò præcedat accusatio legitima, cuiusmodi non est confessio facta sine dolore.

145. Tertia sententia.

Tertio, Suares disp. 20. sect. 5. reiectis casibus aliis, quibus aliqui putant sacramentum hoc informe, & validum esse posse, existimat hunc esse possibilem, & doctrinæ Concilii non repugnare. Nimirum si quis incogitantes non doleat de omnibus peccatis mortalibus, quorum est reus, sed tantùm de aliquibus: putà, quia non omnium meminit, sed aliquorum tantùm, de quibus confitetur, & dolet secundum proprias eorum rationes, aut secundum vnam non communem oblitis. In hoc ergo casu erit, inquit, Suares, verum sacramentum, quia est contritio, & confessio sufficiens, cum absolutione. Erit tamen sine effectu remissionis & gratiæ: quia vnum mortale non remittitur sine alio: & illa, quorum oblitus est, & de quibus non dolet, non possunt illi remitti: quia secundum legem ordinariam nullum peccatum mortale remittitur sine aliqua ipsius poenitentia. Ad doctrinam verò Concilii Tridentini respondet Suares, attritionem illam de se sufficere ad remissionem peccatorum, in quæ tendit, cum confessione & absolutione: quamuis per accidens impediant peccata oblita, propter quæ, velut obicem, priuatur effectu.

146. Refutatur.

Sed contra: Primò, Deus requirit ad reconciliationem, conuersionem peccatoris ex toto corde, vt suprà vidimus. At illa attritio non est conuersio ad Deum ex toto corde. Siquidem quantum est ex se relinquit in corde locum affectui peccatorum, quorum non est detestatio. Ergo illa attritio non est de se sufficiens ad remissionem peccatorum, vt Suares affirmat. Secundò, Trident. cap. cit. describens attritionem, quæ est pars sacramenti, dixit debere talem esse, vt omnem peccandi voluntatem excludat. At hæc non est talis. Ergo iuxta Trident. hæc non sufficit, vt sit pars sacramenti Poenitentiæ. Tertiò, quisquis conteritur, vel atteritur sacramentaliter, dolet de peccatis in ordine ad reconciliationem. Debet enim ille dolor esse coniunctus cum spe veniæ, æquè ac, cum proposito non peccandi de cætero: id est, debet esse formalis aut virtualis expetitio reconciliationis, sicut esse formale aut virtuale propositum: iuxta Trident. cap. cit. At quisquis dolet de peccatis efficaciter in ordine ad reconciliationem, dolet virtualiter de omnibus mortalibus, quæ sunt opposita reconciliationi. Quartò denique, sicut poenitens ea peccata mortalia, quæ ipsi diligenter cogitanti non occurrunt, censetur in vniuersum eadem confessione comprehendere, sicut paratus est ad illa confitenda si memoriæ occurrerent: vnde confessio illa, quatenus libera, est in affectu voluntatis omnium mortalium confessio: sic affectu quodam communi, & implicito, illé qui est verè poenitens, detestatur omnia mortalia, quorum æqualiter meditatur ruinam per sacramenti susceptionem: quæque, si verè poenitens est, confiteretur, & detestaretur formaliter, si memoriæ occurrerent; atque reipsa detestatur generaliter per dolorem excludentem se solo, aut cum proposito adiuncto, omnem peccandi voluntatem. Tridentinum quidem sess. 14. c. 5. de Confessione, expressè asserit id quod dicimus. Nec vspiam requirit vt contritio, vel attritio sit expressius de omnibus peccatis mortalibus, quàm confessio. Neque verum est discrimen à Suare allatum, quòd confessio non sit per se dispositio ad remissionem peccati, secluſa institutione: secus autem contritio vel attritio. Etenim neutrum ex natura rei simpliciter vim habet ad remissionem peccati: sed vtrumque illam habet ex institutione, cum fundamento congruitatis in re.

DISPVTATIO QVADRAGESIMA NONA.

De Confessione: & primò, de illius necessitate.

Sectio I. *Quid sit confessio sacramentalis, quæue illius conditiones?*

Sectio II. *An confessio sit necessaria ex præcepto diuino, vel Ecclesiastico?*

Sectio III. *Quinam & quando obligentur præcepto confessionis?*

Sectio IV. *Quænam excusent à præcepto confessionis?*

Sectio V. *Vtrum si Christus confessionem non præcepisset, potuisset ab Ecclesia præcipi?*

Sectio VI. *Soluitur alia difficultas circa doctrinam propositam.*

Sectio VII. *Quomodo tempus annuæ confessionis præceptæ in Concilio Lateranensi computandum sit: & qualis confessio requiratur, vt satisfiat huic præcepto?*

Sectio VIII. *De necessitate confessionis ante communionem: vel etiam post, respectu Sacerdotum celebrantium non præmissa confessione.*

Sectio IX. *De necessitate pœnitentiæ, abstrahendo à sacramentali & non sacramentali.*

Sectio X. *Quo tempore obliget præceptum naturale pœnitentiæ?*

DE necessitate confessionis disputat S. Thomas qu. 6. Supplem. Et art. 1. docet confessionem sacramentalem esse de necessitate salutis ei, qui post Baptismum incidit in peccatum mortale. Quia Sacramenta illa, quæ directè ordinantur contra culpam, cum qua salus esse non potest: sunt de necessitate salutis. 2. Confessionem sacramentalem non esse de iure naturali, sed diuino: quia sacramenta non sunt iuris naturalis, sed diuini. Sunt enim quædam fidei protestationes: vnde oportet ea fidei esse proportionata. Fides autem est supra cognitionem rationis naturalis: quare sacramenta sunt quoque supra rationis naturalis dictamen. 3. Licet peccatores iure diuino teneantur solùm ad confessionem simpliciter, sine temporis determinatione: vi tamen iuris positiui Ecclesiastici omnes Christi fideles ad eam semel saltem in anno obligari. 4. Neminem posse confiteri peccatum, quod non commisit: quia vt sit idonea confessio requiritur, quòd os cordi concordet, & os solùm accuset, quod conscientia tenet. 5. Non teneri hominem confiteri statim post peccatum commissum: sed statutis ab Ecclesia temporibus, & præcipuè in articulo mortis: vel etiam per accidens, quando aliquid aliud facit,

Digitized by Google

quod non potest facere nisi confessus: vt si debeat Eucharistiam percipere, ad quam nullus post peccatum mortale, nisi confessus, accedere debet, copiâ sacerdotis oblatâ, & necessitate non vrgente. 6. Cùm confessio sit iuris diuini, non posse auctoritate Ecclesiæ dispensari, vt quis ex vi sacramenti ad eam obligatus, nunquam confiteatur. Nam ministri Ecclesiæ, vt non possunt sacramenta instituere, ita nec instituta remouere. Hucusque D. Thom. qui eandem doctrinam habet in 4. dist. 17. quæst. 3.

SECTIO I.

Quid sit confessio sacramentalis: quæue illius conditiones?

1. Confessio multiplex

CONfessio hîc sumitur non pro confessione fidei, vel laudis, vt ad Rom. 10. v. 10. & Psal. 95. v. 6. sed pro confessione peccatorum, siue accusationis, de qua 1. Ioan. 1. v. 9. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus vt remittat nobis peccata nostra, & mundet nos ab omni iniquitate.* Hæc enim est, quæ per modum secundę partis materialis sacramenti pœnitentię secundo loco ponitur à Florent. in decreto Eugenii, & à Trident. sess. 14. cap. 3. Definitur autem à D. Thoma

2. Thom. quæst. 7. supplem. art. 1. Manifestatio peccati facta sacerdoti spe veniæ, & remissionis consequendæ. In qua definitione ponitur genus actionis, cui confessio subiicitur, nempe manifestatio. Deinde obiectum de quo est, nempe peccatum, proprium scilicet, & actuale, & à persona baptizata commissum. Tertiò, is, cui fit, nempe sacerdos, idoneus scilicet, & qui cum potestate ordinis habet potestatem iurisdictionis. Quartò, causa eius finalis, spes scilicet veniæ, & remissionis consequendæ. Quintò, effectus ipse, qui est remissio, & venia peccati.

Definitio Confessionis Sacramentalis.

Alia eius descriptio à Theologis traditur, sumiturque ex D. Thom. in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 2. in hunc modum: Est legitima & sacramentalis accusatio de propriis peccatis, ad eorum veniam virtute clauium obtinendam, coram sacerdote facta. Sexdecim autem eius conditiones vulgò assignantur, & his versibus comprehenduntur.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & discreta, libens,
verecunda,
Integra, secreta, & lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

2. Illius conditiones.

Simplex, id est, non palliata, vel ita artificiosè composita, vt aliquid dicendum occultetur. Potest etiam hæc particula ad debitam intentionem referri. Humilis: id est, ex recognitione, & dolore proprii peccati. Pura: id ex, non mixta rebus ad confessionem non pertinentibus. Fidelis: id est, sine mendacio, vel æquiuoco: ita vt neque dicatur, quod factum non est, neque negetur quod factum est. Frequens: id est, non cum mora vituperabili dilata: saltem non vltra annum, ex præcepto Ecclesiastico: ac ne tamdiu quidem ex salutari consilio, & studio peculiari propriæ salutis. Nuda: id est, aperta & clara: vnumquodque ingenuè, sicuti est, vel esse existimatur, proferendo. Discreta: id est, prudenter facta, præcipuè in peccatis turpioribus explicandis, aut non detegendo aliorum peccata sine necessitate. Libens: id est, voluntaria & non coacta. Verecunda: id est, non per modum simplicis narrationis, sed cum pudore facta. Integra: ita vt facta diligenti inquisitione, & examine conscientiæ, nihil necessariò dicendum omittatur, & quantùm fieri potest, nullum peccatum mortale fileatur. Secreta: ita vt fiat secretò, & auriculariter, vel sub sigillo secreti inuiolabilis. Lachrymabilis: id est: cum dolore de peccatis absoluto, & efficaci, qui sit contritio, vel attritio. Accelerata: id est, breuis & expedita, sine historiis, aut verborum ambagibus. Fortis: id est, non cedens pudori aperiendi peccata, sed ita vt pœnitens generosè se accuset, & testè contra seipsum agat. Et sit parere parata: id est, sit coniuncta proposito satisfaciendi, & alia præstandi, quæ confessario ad salutem pœnitentis expedire videbuntur.

3. Non omnes sunt substantiales.

Ex his conditionibus, quædam confessioni substantiales sunt, & essentiales per modum generis, vel differentiæ, ideóque impropriè conditiones appellantur: aliæ sunt accidentales, & non simpliciter necessariæ, vt ex dicendis patebit. Addit autem S. Doctor quæst. 7. supplem. art. 2. & 3. Confessionem Sacramentalem esse actum virtutis: quia vt aliquid dicatur actus virtutis, sufficit quòd in sui ratione aliquam conditionem includat, quæ ad virtutem pertineat. Confessio autem importat manifestationem alicuius quod in conscientia latet, factam scilicet sicut oportet. Pertinet autem ad virtutem quòd simul in vnum os cum corde conueniat, & ore quis confiteatur, quod in corde tenet. Porro hanc virtutem non esse simplicem virtutem veracitatis, sed aliam specialem. Quâdo enim, inquit, supra obiectum virtutis additur specialis ratio boni, & difficilis; requiritur specialis virtus: sicut magni sumptus ad magnificentiam pertinent, quamuis communiter sumptus mediocres & donatio-

Confessio peccatorum est actus virtutis.

nes pertineant ad liberalitatem, vt ait Philosophus 2. Ethic. cap. 2. & lib. 4. cap. 1. Et similiter est in confessione veri: quæ quãuis ad veritatis virtutem pertineat absolutè, tamen secundum quod aliqua ratio boni additur, ad aliam virtutem pertinere incipit. Et ideo dicit Philosophus 4. Ethic. cap. 7. quòd confessio quæ fit in iudiciis, non pertinet ad virtutem veritatis, sed magis ad iustitiam. Et similiter confessio beneficiorũ Dei, in laudem diuinam, non pertinet ad virtutem veritatis, sed ad virtutem latriæ. Et ita etiam confessio peccatorum ad remissionem eorum consequendam, non pertinet eliciti uè ad virtutem veritatis, vt quidam dicunt: sed ad virtutem pœnitentiæ: imperatiuè autem ad multas virtutes pertinere potest, secundum quod in finem multarum virtutum trahi potest confessionis actus. Hucusque D. Thomas.

SECTIO II.

An confessio sit necessaria ex præcepto diuino, vel Ecclesiastico?

4. Vnde oriatur necessitas confessionis?

CONfessionis necessitas ex triplici capite oriri potest. Primò, ex præcepto diuino, vel Ecclesiastico. Secundò, quatenus est medium necessarium ad remissionem peccati mortalis post baptismum commissi. Tertiò, quatenus est necessaria ad essentiam, & constitutionem huius Sacramenti. De secunda, & tertia necessitate dictum fuit disp. 42. & 43. vbi ostendimus confessionem esse partem necessariam essentialiter ad constitutionem Sacramenti Pœnitentiæ: & Sacramentum Pœnitentiæ, in quo confessio essentialiter includitur, esse in lege noua medium necessarium ad remissionem peccati mortalis cuiuscunque post baptismum commissi. Superest ergo necessitas præcepti. De qua dicendum est, Confessionem Sacramentalem iure diuino ex Christi constitutione, & præcepto, necessariam esse illis, qui post baptismum mortaliter peccarunt; atque etiam ex præcepto Ecclesiastico.

5. Est necessaria iure diuino.

Prima pars assertionis, de iure diuino, patet ex Trident. sess. 14. cap. 5. vbi ex eò quòd Christus Ioan. 20. Sacerdotes vicarios suos constituit, tanquam præsides, & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferentur, in quæ Christi fideles cocciderint, quo pro potestate clauium, remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronunciant: infert oportere omnia eiusmodi peccata à pœnitentibus in confessione recenseri. Et in fine eiusdem capitis diserte asserit, confessionem illam esse iure diuino necessariam: idque Ecclesiam in Concilio Lateran. intellexisse, cùm statuit, præceptum illud diuinum saltem semel quotannis esse implendum ab omnibus fidelibus. Et can. 6. & 7. anathematizat negantes confessionem esse necessariam iure diuino.

Confirmatur, quia omnia media necessaria ad salutem quæ consistunt in nostris actibus liberis, sunt necessaria ex præcepto diuino. Sed confessio Sacramentalis est medium necessarium ad salutem iis, qui post baptismum mortaliter peccarunt: ergo &c. Minor patet ex dictis disp. 43. sect. 1. Maior autem manifesta est. Tenetur enim quisque ex præcepto diuino cùm suam, tum etiam proximi salutem æternam satagere; & consequenter media omnia ad illam consequendam necessaria adhibere, quantum in ipso est, & quantum necessitas exigit. Deinde iure diuino tenetur quisque satisfacere Deo pro peccatis, modo præscripto ab ipsomet Deo. Modus autem, quem Deus præscripsit peccantibus lethaliter post baptismum, tanquam per se vnicus, & necessarius, est confessio Sacramentalis, vt ibidem probauimus ex verbis Christi Ioan. 20. & traditione atque praxi Sanctorum Patrum, qui ab Apostolis huc vsque floruerunt. Et hæc vltima ratio probat, confessionem Sacramentalem esse in præcepto per se, id est, ratione virtutis, ad quam pertinet. Prior autem ostendit esse præceptam saltem propter aliud, nempe ex præcepto virtutis spei, quo tenemur procurare bonum nostrum supernaturale salutis æternæ.

6. Atque etiã iure Ecclesiastico,

Secunda pars assertionis, de præcepto Ecclesiastico, patet ex can. *Omnis vtriusque sexus*, de pœnitentiis, & remiss. vbi præcipitur annua confessio: & ex Trident. sess. 14. cap. 5. & can. 8. & denique ex communi fidelium sensu, quibus nihil est magis vulgare, quàm esse quinque Ecclesiæ præcepta, ex quibus duo sunt confessionis, & communionis. Vnde colligo contra Durand. Confessionem ab Ecclesia præcipi non tantùm ratione communionis, sed etiam per se. Nam alioqui non essent duo Ecclesiæ præcepta, sed vnum. Cùm enim vnum præcipitur solùm propter aliud: censetur contineri in eodem præcepto, quo præcipitur aliud. Vnde non fit contra duo præcepta, quando illud omittitur: sed tantùm contra præceptum eius rei, cuius ratione præcipitur. Ex. gr. si alicui necessarium est ieiunare propter castitatem seruandam dumtaxat, aut propter satisfactionem pro peccatis: ille ieiunium frangendo, non peccabit contra abstinentiam, sed solùm contra castitatem, vel contra præceptum satis faciendi pro peccatis.

7. Determinatio annuæ confessionis est ab Ecclesia,

Porro hoc præceptum Ecclesiasticum annuæ confessionis, quoad temporis determinationem est merè Ecclesiasticum. In reliquis verò continet diuinum præceptum, vt communiter docent Theologi, colligiturque ex Trid. sess. 14. cap. 5. sub finem, vbi ait: *Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, vt Christi fideles confiterentur, quod iure diuino necessarium, & institutum esse intellexerat; sed vt præceptum confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus, & singulis, cùm ad annos discretionis peruenerint, impleretur.*

8. Circa priorem partem assertionis de ne-

Digitized by Google

Vnde colligatur neceſſitas cõfeſſionis ex iure diuino?

ceſſitate confeſſionis ex iure, & præcepto diuino, tria notanda ſunt. Primum eſt, diminutè, & inefficaciter neceſſitatem confeſſionis colligi ab aliquibus ex eo præcisè, quòd poteſtas remittendi, & retinendi peccata, non temerè, neque ad libitum, ſed conuenienter cum iudicio, & diſcretione exerceri debet: & cognitio cauſæ neceſſaria eſt, vt conuenienter cum recta ratione remittantur, vel retineantur peccata; quare debent prius venire in notitiam, quæ eſt principium, & regula proxima humanarum actionum cũ ratione recta conuenientium. Quia verò plerunque ſunt occulta, & in ſecreto cordis latentia; idcirco debent propriâ ipſius Rei confeſſione manifeſtari.

Prima probatio inſufficiens.

Peccat inquam, hæc probatio: quia ex ea ſequeretur peccatorũ confeſſionem neceſſariam eſſe in baptiſmo adultorum. Nam poteſtas baptizandi, & remittendi peccata per baptiſmum, eſt cum iudicio, & diſcretione exercenda, admittendo ad baptiſmum bene diſpoſitos, indigneſque reiiciendo. Et tamen certum eſt, peccatorum confeſſionem non eſſe neceſſariò præmittendam baptiſmo adultorum: licet olim aliquando præmiſſa fuerit, vt videre eſt apud Tertullianum lib. de Bapt. cap. 20. & Gregorium Nazianz. orat. 40. in Sanctum Baptiſma, poſt medium.

9.

Addendum ſacerdotes hic agere vt iud ces.

Addendum ergo eſt, & aliter probandum, differentiam eſſe inter baptiſmum, & Sacramentum Pœnitentiæ: quòd iſtud inſtar actus iudicialis inſtitutum ſit ad ſententiam de peccatis ferendam iudicialiter in foro interno: qui actus, vt rectè exerceatur, prærequirit accuſationem, & cognitionem cauſæ. Quódque poteſtas data Ioan. 20. verbis illis, *Quorum remiſeritis peccata* &c. ſit poteſtas remittendi iudicialiter. Ideóque rectè Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. præmittit, Chriſtum verbis illis conſtituiſſe ſacerdotes præſides, & iudices, ad ſententiam remiſſionis, aut retentionis ferendam: vt inde inferat, peccata illis eſſe neceſſariò confitenda ad finem remiſſionis. Quod idem docent Sancti Patres, vt Hieron. in Epiſt. ad Heliodorum, vbi dicit ſacerdotes ante diem iudicii quodammodo iudicare: quando ſcilicet in hoc foro, & tribunali ſacro de peccatis ſententiam pronũciant. Idemq; antea dixerat Anterus Papa in Epiſtola ſua decretali: & Ambroſ. lib. 1. de Pœnitentia cap. 2. affirmat, poteſtatem remittendi retinendiue peccata, ligandi & ſoluendi, conceſſam Apoſtolis & ſacerdotibus eorum ſucceſſoribus, eſſe ad peccata non purè condonanda, ſed etiam vindicanda, quod ad iudicem pertinet. Et Hilar. can. 16. in Matth. dicit, *terreſtre iudicium*, Petri & aliorum habentium claues regni cœlorum, eſſe *præiudicatam auctoritatem in cœlo: vt quæ in terris aut ligata ſint aut ſoluta, ſtatuti eiuſdem conditionem obtineant & in cœlo.* Eodemque ſenſu Bernard. ſerm. 1. de Sanctis Petro & Paulo dicit, ſententiam Petri præcedere ſententiam cœli: & Gregor. hom. 26. in Euangelia ſic loquitur de ſacerdotibus: *Ecce quo diſtrictum Dei iudicium metuunt, animarum iudices ſiunt: & alios damnant vel liberant; qui ſeipſos damnari metuebant*, &c. *Cauſæ ergo penſandæ ſunt, & tunc ligandi atque ſoluendi poteſtas exercenda. Videndum eſt quæ culpa præceſſerit* &c.

10.

Secunda probatio ſimilis præcedenti.

Secundum eſt, peccare pariter eos, qui colligere volunt præcisè ex verbo *remittendi*, hoc ſacramentum fuiſſe inſtitutum in modum actus iudicialis, ideóque requirere cognitionem cauſæ. Quia, inquiunt, nemo propriè remittit peccata, niſi iudicialem ſententiam de illis ferendo: quemadmodum neque verè retinet; niſi ille, qui cùm poſſit de illis ferre ſententiam abſolutionis, non ea relaxat. Et hoc neceſſariò debere dici putãt: quia ſi baptizando, ex. gr. poſſint Apoſtoli dici propriè remittere peccata; non conſtabit de inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ, vt exerceatur in Eccleſia, per ſola verba Chriſti Ioan. 20. Si enim Apoſtoli admittentes ad baptiſmum adultos, de quorum pœnitentia, & fide conſtabat, dicerentur abſoluere: reiicientes eos, qui minùs ſe diſpoſitos oſtendebant, dicerentur eis retinere peccata. Quod tamen non faciebant per ſententiam abſolutionis, nec cum diſtincta confeſſione vitæ anteactæ; vt patet in Philippo baptizante Eunuchum in via, ſine vlla confeſſione. Quidni ergo ſimili quadam ratione cum baptiſmo, ſed diuerſa à ritu noſtræ Sacramentalis Pœnitentiæ, exerceretur tota poteſtas, quam Chriſtus contulit Ioan. 20. Hæc illi.

11.

In baptiſmo fit verè & propriè remiſſio peccatorũ.

Quibus oppono, Scripturam diſertè affirmare fieri in baptiſmo remiſſionem peccatorum, & vti verbo remittendi, aut remiſſionis, quod idem eſt, Act. 2. v. 38. *Baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum.* Et in Symbolo Nicæno ſic dicitur, *Confiteor vnum baptiſma in remiſſionem peccatorum.* Neque reſpondeant aduerſarii, in baptiſmo quidem fieri remiſſionem peccatorum: ſed non propterea remitti peccata propriè à baptizante, qui non fert ſententiam, ſed tantùm applicat ſacramentum efficax remiſſionis, & regenerationis.

12.

Contra enim primò: ad peccata propriè remittenda iuxta phraſim Scripturæ, non eſt neceſſe ferri ſententiam iudicialem, quaſi aliter remitti non poſſint. Nam priuatus quilibet carens authoritate iudiciali, poteſt remittere offenſas ſibi factas: iuxta illud Chriſti Matth. 18. v. 35. *Niſi remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.* Et cap. 6. v. 12. *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*: id eſt, remitte nobis peccata noſtra, & offenſas in te commiſſas: ſicut nos remittimus aliis offenſas in nos factas. Secũdò, forma baptiſmi eſt hæc, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*: Hoc eſt, ſecundum Chriſti inſtitutionem, ego te abſoluo, & mundo, non corporaliter ſolùm, ſed multò magis ſpiritaliter: iuxta illud 1. Petri 3. v. 21. *Quod & vos nunc*

rueritis &c. sumi conuenientem rationem. Esset enim, inquit, ineptissimum, & præter omnem rationem, committere hominibus, vt suo arbitrio sine causæ examine, absque prudenti & iusto iudicio, possent aliorum peccata retinere. Ergo eo ipso quòd talis potestas conceditur, euidenter significatur esse exercendam per modum iudicii: nec potest concipi, quo alio rationabili modo fieri possit. Hæc Suares.

16. Sitne in baptismo potestas retinendi peccata?

Cui si opponas, potestatem baptizãdi esse quoque potestatẽ remittendi peccata: quæ consequenter est potestas retinendi, quia per negationem Baptismi retinetur peccatum, sicut per negationem absolutionis. Respondet Suares num. 17. potestatem baptizandi non esse potestatem ad retinendu peccata, neque Christum eodem modo illam contulisse, sed absolutè dixisse, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Vnde sicut potestas prædicandi non est potestas retinendi tenebras infidelitatis, sed illuminandi: sic &c. Quòd verò adultis possit interdum negari Baptismus, hoc est per accidens, propter defectum bonæ dispositionis: & est commune omnibus sacramentis. Vnde non est ex speciali actu illius potestatis, sed ex natura rei sequitur, quia sanctum non est dandum canibus. Multóque minùs possunt ministri baptismi ex vi illius potestatis ligare aliquo modo positiuo, qui ad vinculum de peccato sumendam pertineat.

Sed in contrarium facit primò, quod idem Suares eadem sectione, num. 18. affirmat, antiquos Patres explicasse illam *retentionem*, per negationem veniæ: vt Cyrillum, Euthymium, Rupertum, & alios quibus ipse assentitur, addítque non posse aliter exponi, si verbum *retinendi*, referatur immediatè ad ipsas culpas, æquè ac verbum, *remittendi*: sicut euidenter referri debet: quia culpa ipsa non potest directè per actionem positiuam retineri: quamuis retentio possit per actum positiuum declarari, proferendo sententiam retentionis. Ex quo sic argumentor. Retinere peccata formaliter sumpta quoad culpam, est præcisè, & formaliter negare veniam. Ergo qui negant veniam in Baptismo, nolentes eum conferre indispositis, retinent peccata, sicut illi qui nolunt absoluere indispositos in sacramento pœnitentiæ. Ergo ex verbo *retinendi*, non colligitur euidenter debere modum remissionis exerceri per modum iudicii, in sacramento pœnitentiæ, secus ac in sacramento Baptismi. Quare licet illa expressio, & forma loquendi specialis Christi, *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*, aliquid amplius innuat: non tamen adeo perspicuè, vt Ecclesiæ declaratio non sit necessaria.

17. Secundò, non magis est per accidens, quòd Baptismus negari possit adultis, propter defectum bonæ dispositionis; quàm quòd absolutio negari possit indispositis. Sed potiùs vtrumque est per se, conformiter naturæ potestatis à Christo concessæ, quæ non est ad remittenda peccata quomodocunque accedentibus ad hæc sacramenta, sed cum iis conditionibus, quæ ad hunc effectum sacramentalem necessariæ sunt, secundum Christi institutionem. Quare non est verum, id non esse ex speciali actu, siue vsu potestatis baptizandi, seu remittendi peccata per Baptismum. Nam eo ipso, quòd Christus dedit tantùm potestatem remittendi per Baptismum peccata bene dispositis: est ex natura & vsu speciali illius potestatis, vt remittantur tantùm bene dispositis: & consequenter vt retineantur negatiuè, seu non remittantur indispositis. Neque verò aliter retinentur quoad culpam in sacramento pœnitentiæ, vt fatetur Suares verbis supra relatis.

18. Quomodo colligitur necessitas confessionis ex verbis Christi Ioan. 20.

Ad fundamentum autem sumptum ex Tridentino, Respondeo dupliciter posse quidpiam intelligi ex institutione sacramenti pœnitentiæ Ioannis 20. id est, ex verbis, quibus Christus illud instituit, à Ioanne relatis. Primò, ex illis, vt per se nobis euidentibus, & hunc sensum perspicuè habentibus, ita vt in illius assequutione non sit difficultas, neque periculum erroris non voluntariè cœcutientibus. Secundò, ex illis bene & accuratè expensis, ac penetratis, Spiritu sancto iuuante, & dirigente ad assequendum verum Christi sensum certò, & infallibiliter. Hoc secundo modo intelligo Trident. cum Suare supra citato. Etenim Ecclesia Spiritu sancto dirigente, ac iuuante, rectè intellexit verba illa Christi Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt*, esse exequutionem promissionis factæ Matth. 18. *Quæcumque alligaueritis* &c. Vbi de alligatione, & solutione iudiciali sermo erat. Ac proinde sacerdotes per illa verba constitutos esse iudices Christi vicarios, qui de peccatis sententiam ferant cum sufficienti cognitione causæ. Quæ cognitio maior, & exactior esse debet de peccatis grauibus, & mortalibus, quàm de leuibus ac venialibus, quorum remissio debet esse facilior, & cognitio debet esse causæ proportionata. Et quamuis per se loquendo necessaria sit distincta omnium mortalium cognitio quoad speciem & numerum, vt hoc iudicium rectè exerceatur: meritò tamen intellexit, in hoc sacro tribunali, in quo præcipuæ partes misericordiæ sunt, haberi rationem humanæ fragilitatis, & impotentiæ physicæ, vel moralis, propter naturalem obliuionem, aliasue causas, quæ à materiali confessionis integritate excusant. Aliamque esse rationem de peccatis venialibus: quorum, vtpote leuiculorum offensarum, iudicium tam rigidum, & exactum esse non debet. Et quamuis meritò cõprehendantur in prima clausula propositionis Christi, quæ pertinet ad remissionem: quia fauores sunt ampliandi, id est, amplè

infecti. Nam tales non teneri ex præcepto diuino, affirmat Trident. sect. 14. cap. 4. circa medium. Non teneri etiam ex præcepto ecclesiastico colligitur ex Trident. in fine capitis cit. vbi docet, illo præcepto ecclesiastico solùm præscribi tempus, quo tenemur confessionem iure diuino præceptam implere. Ergo solùm obligat illos, qui iure diuino obligantur ad confessionem: cuiusmodi sunt illi soli, qui habent peccata mortalia. Qui tamen haberet sola venialia, posset cogi ante communionem, vt Pastori se sisteret, eique patefaceret se non esse sibi conscium vllius peccati mortalis. Quia debet illi aliquo modo constare, prout fieri potest, talem non teneri præcepto Confessionis, & ad communionem posse admitti. Pastor autem tenetur illud de se affirmanti credere, nisi iustas habeat causas suspicandi contrarium. Paruuli quoque maturè assuefaciendi sunt sacramento confessionis. Et si Confessarius de sufficienti discretione dubitet: potest illos absoluere sub conditione, *si sis capax*, vt rectè docet AEgidius Conic disp. 5. dub. 5. concl. 1.

Conine.

23. Tenetur etiam S. Pontifex.

Secunda pars, quòd omnes supra commemorati teneantur vtroque præcepto, est extra controuersiã quoad præceptum diuinũ. Sed quoad Ecclesiasticum, sunt, qui putant aliquos non teneri. Primò enim, Ricardus in 4. dist. 17. art. 2. quæst. 4. ad 5. ait summum Pontificem ea lege non obligari; quippe quæ à Concilio ipsi inferiore lata fuit: & quamuis sit ab ipso confirmata, non potuit tamen ipsum obligare: quia princeps neque à se ipso, neque ab æquali, vel inferiori, lege lata obligari potest.

Sed hoc non est verum, & cõmuniter reiicitur. Quia quidquid dicendum sit de primatu inter summum Pontificem, & Concilium Oecumenicum, cuius authoritate lex illa fuit lata: probabilius est principem legibus à se latis obligari, quando eadem est ratio actus præcepti, in illo, & in alijs. Obligari, inquã, quoad vim directiuam, licet non quoad vim coactiuã, idque mediatè, & occasionaliter: vi scilicet legis, & rationis natural. ex occasione legis positiuæ à se latæ: quatenus scilicet naturalis ratio postulat, vt caput corpori cõformetur; estque rationi dissentaneũ imponere aliis onera dura, quę nolis ipse portare, quãuis par tui, & aliorum ratio sit, vt partem oneris feras. Quod Christus meritò exprobrabat Pharizæis Matth. 23. v. 4. Vel etiã quia non immeritò princeps sub ea conditione censetur accepisse potestatẽ ferendi leges, à Deo, vel à populo ipsum constituente, vt ipsemet legem patiatur, quam tulerit, quando illius seruandæ ratio illi, cum subditis cõmunis est.

24. Et qui solũ habeãt peccata interna.

Secundò, Author Margaritæ confessorum, Verbo, *Confessio*, existimauit non obligari ad confitendum lege Ecclesiastica, eos, qui tantum habent mortalia interna. Sed hoc cõmuniter reiicitur tanquam falsum & temerariũ. Et dubitari nequit, quin habentes solùm mortalia interna teneantur præcepto diuino ad confessionem. Ecclesia autem suo præcepto determinauit solummodo tempus, quo præceptum diuinum implendum est, ab iis scilicet omnibus, qui eo obligantur.

25. Et pueri ante annum 12.

Tertiò, putant aliqui Dominicum Sot. in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 11. §. *Sed si quæras*, sensisse pueros ante annũ 12. vel 14. nõ obligari lege cõfessionis annuæ, neque aliis præceptis Ecclesiasticis. Sed hoc verum non est. Alioqui possent qui vndecimum annum, vel etiam decimũ tertium attigerunt, comedere liberè carnes tẽpore quadragesimæ, & abstinere à sacro audiẽdo diebus festis, & ingredi in monasteria Monialiũ, & similia, quę nemo, vt opinor, concesserit. Maléque in hanc sententiã citatur Sotus. Nam quod ibi ait, intelligendum est de obligatione quoad vim coactiuam per censuras, & pœnas Ecclesiasticas: non autem quoad vim directiuam, aut simpliciter præceptiuam: iuxta eiusdem interpretationem dist. 18. q. 1. art. 3. §. *De verbo autem*.

26. Obligat hoc præceptum in articulo mortis.

Circa secundum in tit. sect. propositum, quando præceptũ confessionis obliget, dico secũdò conscium sibi peccati mortalis, iure diuino teneri in art. mortis confiteri: atq; adeo etiam aliàs, quando est morale periculũ, ne si iam confessionem omittat, nunquam in vita confiteri possit. Nam alioqui exponit se periculo nunquã præceptũ illud implendi: cùm tamen iure diuino teneatur, vel per confessionẽ peccati sui mortalis remissionẽ procurare: vel si per contritionem illam obtinuit, sacramenti voto, in ipsa incluso, ante mortẽ satisfacere. Ita communiter doctores, teste Aegidio Conine disp. 5. dub. 2. concl. 1. Conine.

Huius autẽ præcepti occasione sancitũ olim erat, vt medici ægrotos de confessione faciẽda monerent, priusquã corporum curationẽ aggrederẽtur, can. *Cũ infirmitas, de pœnitẽtiis*. Quã legem consuetudine contraria abrogatã Pius V. renouauit Motu proprio, qui incipit, *Super gregem*: addendo ne medici vltra tertiũ diem ægrotum visitẽt, nisi de illius confessione sibi constet per fidem confessarij scripto datam. Quę lex cum tali rigore recepta non est, sed cõmuniter censentur medici satisfacere, si in graui infirmitate admoneant infirmum, vel per se, vel per eos, qui eius curã gerunt, si fide digni, & timorati sunt. Neque licet infirmus confiteri recusẽt, debet medicus ipsum deserere, si eius absentia graue ipsi nocumentum corporis aut animæ allatura est. Et iuramentum, quod ex constitutione Pii V. alicubi exigitur à medicis super eiusmodi confessione infirmorum, non ad plus obligat, quia nihil amplius vsu receptum est: Videri potest hac de re Sanches in decalogi lib. 3. cap. 16. num. 10. & sequentib. & Diana parte 3. tract. de Sacramentis, Resolut. 93. vbi pro hac sententia plures alios citat. Sanchez.

27. Obligetne propter periculũ obliuionis peccati mort.

Quæres an etiã teneatur confiteri iure diuino ille, qui nisi nunc confiteatur, incurrit periculum obliuiscendi peccatum mortale, quod commisit, ac proinde nunquam illud

confitendi? Ratio dubitandi est, quia par de illo videtur esse ratio, atque de alio, qui est in periculo nunquam amplius habendi confessarium. Vterque enim se exponit periculo nunquam satisfaciendi præcepto diuino, confitendi omnia mortalia.

Respondeo tamen negando paritatẽ. Quia posterior exponit se periculo nunquam confitendi simpliciter & omnino. Prior autem non exponit se periculo non implẽdi præceptum diuinum confessionis. Quia hoc præceptum non obligat ad confitenda omnia mortalia in rigore mathematico: sed omnia, quæ post examen sufficiens, & moralẽ diligentiã, memoriæ occurrent, quando erit tempus cõfitendi. Vnde ne quidem necessarium est illa scribere, ne memoriã excidant: quia tanta diligentia, & tam exquisita, non est præcepta. Consentiunt in responso dato Sotus, Henriq. Coninc, Filliuc. Turrian. Villalobos, quos citat & sequitur Diana tract. cit. Resolut. 155.

28. Obligat sæpius quàm in periculo mortis.

Dico tertiò, intentionem Christi instituentis hoc sacramentum fuisse, vt peccatores sæpius, etiam extra periculum vitæ, eo vterentur. Probatur, quia sacramentum hoc non fuit tantummodo institutum, vt vltimò disponat hominem iam migraturum ex hac vita: hic enim potiùs est finis extremæ vnctionis: sed ad curandos graues morbos spirituales, & ad præueniendum, ne in similes incidamus. Qui autem sæpius morbo laborant tota vita, debent sæpius vti remediis conuenientibus: vt saluti suæ consulant. Confirmatur, quia præceptum diuinum de Eucharistia sumenda non obligat tantùm semel in vita: sed sæpius, sicut conuenit eius fini, qui est nutrire vitam spiritalem. Ergo præceptum diuinum de Sacramento Pœnitentiæ non obligat tantùm semel in vita: sed sæpius, sicut conuenit eius fini à Christo intento, qui est mederi morbis animæ lethalibus. Quare parùm cohærenter loquuntur Aegidius Con. & alii quidam, qui primum admittunt, & secundum negant. Cuius differentiæ nullam possunt reddere rationem, neque ex parte finis, vt iam vidimus: neque ex parte modi præcipiendi: Nam Christus vtrũque præcepit indefinitè, & sine determinatione temporis, aut frequẽtiæ. Quod si respõdeat Aegidius posse nos aliter mederi morbis lethalibus animæ, per contritionẽ: dico nos etiam posse nutrire, & confortare, atque augere vitam spiritalem animæ, aliter, quàm per Eucharistiam. Quo tamen non obstante præceptum Christi ad illam sæpius obligat. Nimirum quia eius vtilitas & meritum hoc postulat. Quando autẽ aliquid præcipitur indefinitè quoad tempus, censendum est mentem præcipientis esse, vt fiat prout eius vtilitas, & meritum rationabiliter postulat. Quæ mensura iudicio prudenti statuenda est, vt sit in aliis præceptis affirmatiuis.

29. Sed nõ statim post peccatum.

Quartò, sunt qui putent vnumquemque statim atque peccauit mortaliter post baptismum, teneri confiteri sacramentaliter, cùm primùm potest commodè. Ita Alexander Alensis, Guilielmus Parisiensis, Angelus, & alii relati à Vasque quæst. 90. art. 3. & à Suare disput. trigesima quinta, sectione tertia. Sed hæc sententia communiter reiicitur. Primò, quia sine sufficienti fundamento grauem obligationem imponit fidelibus. Secundò, quia ne quidem necessarium est conteri statim post commissum peccatum mortale. Tertiò, quia Ecclesia, quæ non ignorat plurimos peccare mortaliter sæpius toto anno, præcipit tantùm confessionem semel in anno. Quod præceptum scandalosum esset, si teneremur sæpius confiteri iure diuino. Daret enim fidelibus occasionem transgrediendi præceptum diuinum, sibi persuadentibus sufficere in rigore id, quod Ecclesia præcipit. Vt si Prælatus præciperet semel in anno audiri sacrum: aut semel in quadragesima seruari ieiunium. Vasques. Suarez.

Non leuis tamen difficultas est, quomodo confessio non sit per accidens saltem necessaria, non diu post commissum peccatum mortale, aut sæpius in anno, & frequenter; eò quòd experientia docet eos, qui rarò cõfitentur, nunquam aut fere nunquam longũ tempus exigere sine nouo peccato mortali. Ergo confessio frequens est mediũ moraliter necessarium ad vitandum nouum peccatum mortale. Ergo ex studio salutis propriæ tenetur quisque medium illud adhibere. 30. Possitne licitè longè post differri cõfessio?

Sed nihilominus existimo talem obligationem non esse asserendam. Primò, quia doctores communiter huc vsque illam neque agnouerunt, neque populo proposuerunt. Secundò, quia alioqui præceptum Ecclesiæ de annua confessione scandalosum esset, vt paulò antea notatum fuit. Tertiò, quia simili argumento probaretur, nos obligari sub mortali vitare peccata venialia frequentia: quia docet experientia eos, qui frequenter & liberè labuntur in venialia, non diu carere mortali. Quartò, vel illa obligatio esset ad confitendum ante nouum mortale commissum: vel post. Si primum: ergo teneremur sub mortali ad confitendum de venialibus, contra Trident. sess. 14. cap. 5. Si secundũ: ergo hæc obligatio esset inutilis ad finem, quem intendit, nempe ad vitandum nouum peccatum mortale: siquidem non obligat, nisi postquam commissum est.

Dices: proderit ad alium finem: nempe vt mortalia non adeo multiplicentur: & vt qui semel peccauit de nouo, non tam frequenter peccet. Respondeo hunc finem aliâ viâ obtineri posse, vt & vitationem noui peccati: adeóque confessionem non esse mediũ necessarium, quia non vnicum. Sufficeret enim ad hunc finem conteri sæpius, aut proponere firmiter nunquam peccare mortaliter, & vitare occasiones peccandi. Quod quia non faciunt, qui rarò confitentur, ideo pauci inter illos diu abstinent à nouo peccato mortali. Idemque dico de illis, qui frequenter, & liberè offendunt venialiter. Quamquam circa venialia non est 31. Satisfit obiectioni.

grauis obligatio vitandi occasiones ea committendi, tum ob materiæ leuitatem per se: tum ob difficultatem vitandi tam multas, & frequentes occasiones: tum denique quia periculo peccati mortalis potest aliter occurri per firmum propositum nunquam peccandi mortaliter, & per alia remedia.

32. Verum verò sit grauis obligatio disiuncti confessionis aut contritionis, paulò post mortale commissum, dicemus sect. 10. Si tamen est talis obligatio illius disiuncti, vel firmi propositi; non sunt pœnitentes de illa monendi, neque interrogandi. Quia si nesciunt, satius est illos relinquere in bona fide, quàm exponere peccandi periculo, vel scrupulis circa obligationem, cuius tempus non potest definiri, & de qua variæ sunt Theologorum sententiæ. Sin autem illam sciunt, & contra illam peccant: satis intelligitur ex confessione aliorum peccatorum, quomodo circa illam obligationem se gesserint, & quam curâ suæ salutis habuerint. Expedit tantùm eos hortari efficaciter ad frequentem confessionem, & contritionem, firmumque propositũ nunquam offendendi mortaliter, ac ne quidẽ venialiter quoad fieri potest. Si quis tamẽ experiretur alia media sibi non sufficere ad vitanda mortalia: & vnicum mediũ frequentis confessionis sibi prodesse: teneretur per accidens ad illam crebrò vsurpandam, ob periculum reincidentiæ.

33. Quando necessaria ante communionẽ?

Dico quintò, ex præcepto diuino, vel vt minimum Apostolico, teneri quemlibet ante communionem præmittere confessionem, si habet peccatũ mortale, de quo nondũ confessus sit: quantũuis sibi cõtritus videatur. Patet ex Trid. sess. 13. cap. 7. & ex iis, quæ diximus disp. 35. sect. 1. In aliis verò sacramẽtis non est talis obligatio: sed id veluti peculiare de sacramento Eucharistiæ dicitur à Trid. propter summã illius reuerentiã, & excellentiã. Qui tamen confiteri non possunt, & communionem sine scandalo, vel alia iusta de causa, vlteriùs differre nequeunt: conteri possunt, & accedere. Sed si sacerdos ita contritus celebret non præmissa confessione: tenetur confiteri cùm primùm poterit, vt à Trid. ibid. constitutũ est. An verò ille, qui in cõfessione, per obliuionẽ, aut aliam iustã causam omisit aliquod peccatum mortale, teneatur iterũ confiteri ante communionem, si peccati meminerit, & confiteri possit sine incommodo excusante, dicemus sect. 8.

34. Singulis annis semel ad minus confitendũ.

Sextò denique, ex præcepto Ecclesiastico tenebãtur olim fideles ter in anno confiteri: vt constat ex Fabiano Papa Cypr. contemporaneo, can. *Etsi non frequentius*, de consecrat. dist. 2. & ex Concil. Turonensi 3. can. 50. Iã verò à tempore Concilij Lateran. sub Innocent. III. tenentur saltem semel in anno. Ibi enim can. 21. sic constitutum est: *Omnis vtriusque sexus omnia sua peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, suo proprio sacerdoti: vel alieno, priùs tamen à proprio sacerdote impetratâ veniâ, quoniã aliter ille ipsũ non potest absoluere, vel ligare: & suscipiat reuerenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum, nisi forte proprius sacerdos ab eius perceptione duxerit abstinendum.* In eodemque canone statuitur, vt omittens confessionem annuam, aut communionem in Paschate, viuus arceatur ab ingressu Ecclesiæ, & mortuus careat Ecclesiasticâ sepulturâ. Sed hęc requirunt sententiam iudicis, & consequenter vt culpa probetur in iudicio. Neque iure communi vlla est pœna nõ confitentibus statuta, quæ ipso facto incurratur. A pœna verò supra-dicta eximuntur pueri, propter cap. 1. *de delictis puerorum*, vbi dicitur, pueros agentes contra præcepta, non excusari quidem à peccatis, quamuis in illis talia peccata, non ita vt in maioribus puniẽda videantur: & cap. 2. eodem tit. quod sic habet: *In pueris relinqui solet inultum; quod in aliis prouectioris ætatis humanæ leges ducunt seuerius puniendum.*

Lateranense.

Præter has generales constitutiones, vel diuinas, vel Ecclesiasticas, aliquæ sunt peculiares Religiosis, quibus sæpius ad confessionem obligantur: vt Benedictini, semel singulis mensibus, Clement. 1. de statu monachorum. Et in Trident. sess. 25. cap. 10. de Regularibus, admonentur Moniales, vt singulis mensibus peccatorum confessionem faciant. Et in variis ordinibus sunt variæ regulæ de confessione tali tempore, vel tali modo faciẽda, de quibus aliquid dicemus sect. 5.

SECTIO IV.

Quænam excusent à præcepto confessionis?

REspondeo, à præcepto confessionis tam diuino, quàm Ecclesiastico, suo tempore implendo, excusare confitendi impossibilitatem, non solùm physicã, quod manifestũ est: sed etiam moralem. Vt quando quis non potest confiteri sine notabili incommodo, quod ab extrinseco, & prẽter institutionem huius sacramenti, prudenter timetur. Vt si periculũ immineat, ne peccatum reueleturaut ne cõfitens incurrat in graue & pernicioſum odiũ ipsius sacerdotis: aut quando sine notabili periculo vitę, vel fortunarum, non potest adiri sacerdos, aut accersiri, aut non nisi conficiẽdo longum & laboriosum iter, quod ex diuersis circunstantiis temporis, & personarum spectandum est. Incommoda verò, quæ oriuntur præcisè ex confessione ipsa, vt quòd sacerdos, qui antea credebat aliquem esse sanctum, sciet esse magnum peccatorem, aut quòd pœnitens valde erubescat confiteri, & similia, non excusant. Alioquin vix vlli, nisi publici, & impudentes peccatores, tenerentur confiteri. Et si Christus propter hoc dispensaret, tolleret potiùs suum præceptum confitendi omnia mortalia qualiacunque: cui præcepto hoc incommodum est per se connexum, & ex ipsius natura oritur, propter multorum criminum fœditatem, & horrorem.

35. Excusat impotentia etiam moralis.

Communis item sententia est, neminem 37.

teneri confiteri per interpretem, quamuis aliter non possit. Et de scripto idem multi affirmant. Alii verò, quos citant, & sequuntur Vasques q. 91. dub. 5. & Suares disp. 36. sect. 6. num. 5. censent eum, qui potest scripto cõfiteri, non excusari à præcepto diuino, ac ne quidem ab Ecclesiastico annuæ confessionis. Quorum sententia vera mihi videtur, semoto periculo, ne scriptum veniat in notitiam alterius, quàm ipsius confessarii. Quod periculum potest facilè caueri, si pœnitẽs illud statim à confessario recipiat, & in minutissimas partes frangat, aut cõburat. Cùm autem cõfessio scripto fit iusta aliqua de causa, ab eo qui loqui potest: perinde esse puto ad valorẽ sacramenti, atque etiam ad implendum præceptum confitendi voce, quantũ fieri potest (si tale præceptum est inductum consuetudine) perinde inquam, esse puto, siue pœnitens dicat confessario ante lectam confessionem scripto datam, *Accuso me de illis omnibus peccatis*, siue post. Dũmodo legatur tota in præsentia ipsius pœnitentis. Tunc enim perinde illi præsenti aperit omnia sua peccata. Secus esset, si diceret sacerdoti, *Accuso me de omnibus peccatis in hac charta contentis*, & confessarius eam legeret absente pœnitente. Tunc enim confessio, quatenus per scripturæ lectionem perficitur, absenti fieret: ideóque tunc opus esset voce significare sacerdoti pòst reditum, se de illis omnibus velle absolui. Opus, inquam, hoc esset ad præceptum vocalis confessionis implendum: non ad valorem sacramenti, ad quem sufficit, quòd pœnitens aliter, nutu vel gestu ipso, significet præsenti sacerdoti, se de illis omnibus peccatis, quæ satis nouit, velle absolui.

Nemo tenetur confiteri per interpretem.

38. Sunt etiam qui putent eum, qui non potest confiteri nisi per interpretem, non excusari à præcepto diuino confessionis in articulo mortis: licet illud incommodum excuset à præcepto Ecclesiastico annuæ confessionis, quia in ipso canone *Omnis utriusque sexus*, expresse habetur, vt omnis fidelis teneatur solus cõfiteri peccata sua proprio sacerdoti, atque etiam sufficiat ad differendam confessionem, & omittendam extra mortis articulum, quamuis alioqui esset tunc necessaria iure diuino: putà, quando Eucharistia sumenda est, Ita sentit Delugo disp. 15. sect. 5. sequutus Syluestrum, Canum, & paucos alios. Ratio eius est, quia incommodum illud reuelandi peccatum suum duobus tantùm, nempe Confessario, & interpreti fideli secretum seruaturo, non est tam graue, vt excuset à præcepto diuino. Quod præcipuè probat, quia ille, qui habet casus reseruatos, tenetur peccatum reuelare duobus, quando superiori propter occupationes non vacat audire confessiones. Tenetur enim nihilominus pœnitens suum peccatum illi aperire, & petere licentiam, vt absoluatur à sacerdote inferiore. Et qui fuit absolutus indirectè in necessitate ab huiusmodi casibus, tenetur postea sistere se superiori, vt ab illis directè absoluatur.

Ne quidem in articulo mortis.

Delugo.

39. Verùm hæc ratio æquè probaret teneri extra articulum mortis confiteri per interpretem, quotiescunque præceptum diuinum aliter obligat. Sicut tunc obligamur absolui directè à casibus reseruatis, si quos habemus, & peccatum iam detectũ sacerdoti inferiori, deferre ad superiorem, si possumus ad illum recurrere. Ex quo sequeretur malè Ecclesiã, modificantem præceptum diuinum, quando præcepit annuam confessionem can. supra relato addidisse particulam, *Solus*, ad significãdum non obligari, si non potest per interpretem. Quodque respondet Delugo, differentiam esse: quia incommodum detegendi peccatum suum superiori ad habendam absolutionem directam, est intrinsecum confessioni: incommodum autem confitendi mediante interprete, est extrinsecum confessioni, ideóque magis excusat. Hoc, inquam, respõsum ostendit malè hæc duo inter se cõparari, neque ab vno bene deduci argumẽtum ad aliud. Maximè quia non tenetur pœnitens aperire superiori casum suum reseruatum extra sigillum confessionis, & extra confessionem saltem inchoatam, quæque sufficiat ad obligationem sigilli illius strictissimi: quãuis non fiat integrè superiori, ne quidem formaliter, neque detur ab illo sacramentalis absolutio, sed tollatur tantùm reseruatio, vt remittatur ad inferiorem.

Soluitur argum. cõtrarium.

40. Si quis tamen in articulo mortis timeret probabiliter, ne non sit contritus de mortalibus, quorũ sibi conscius est; obligaretur ad confitendum per interpretem aliquod veniale, vel ad dandum signum aliquod externum, quo significet sacerdoti se egere absolutione eique sua peccata subiicere, & quantũ posset ea ipsi secretò gestu, vel nutu declarare. Imo quamuis non dubitet se esse contritum, non excusatur ab obligatione confitendi in articulo mortis de mortalibus nondum confessis, quantum potest illa secretò sacerdoti exponere. Sed si non potest nisi per interpretem, sufficiet declarare vnũ aliquod aut plura venialia, vt supra diximus, & expresse docent Aegid. Con. disp. 5. de Pœnit. dub. 10. n. 77. Molfes. in Summa, tom. 1. tract. 7. cap. 11. num. 12. & Diana tract. 4. de Sacram. Resolut. 129. vel aliqua mortalia minùs pudẽda, vt volunt Nugnus, Fagundez, Henriq. Laimã, & Suares, à Diana ibid. relati.

Quid tunc faciendum ei qui dubitat sitne contritus.

SECTIO V.

Vtrum si Christus confessionem non præcepisset, potuisset ab Ecclesia præcipi?

41. DVobus modis supponi potest, Christum non præcepisse confessionem peccatorum. Primò, ita vt ne illam quidem instituerit in remissionem peccatorum ex opere operato, id est, non instituerit sacramentum pœnitentiæ. Secundò, ita vt instituerit quidem, sed liberum reliquerit illius vsum. Quod dupliciter adhuc intelligi potest. Primò, ita, vt liberum reliquerit con-

Confessio potuit à Christo variis modis institui.

fiteri, vel non confiteri, etiam de mortalibus. Et si de illis confiteri velimus, liberum etiam reliquerit confiteri vel omnia, vel aliqua, aut solùm aliquod veniale. Sicut instituit reipsa respectu peccatorum venialium: de quibus iuxta Christi institutionem possumus vtiliter confiteri, & absolui: sed ad illa confitenda non obligamur præcepto Christi. Et quando de illis confitemur, liberum nobis est confiteri omnia, vel aliqua. Secundò, ita vt liberum quidem esset non confiteri: sed tamen posito, quòd vellemus confiteri, teneremur integrè confiteri de mortalibus. Priori modo confessio esset libera, tam quoad substantiam, quàm quoad modum, id est, quoad integritatem. Posteriori verò libera esset quoad substantiã tantùm: at non quoad integritatem, posito quòd vellemus sacramentum recipere, & per illud medium iustificari, relicto alio medio sufficienti perfectæ contritionis.

42. Potest & variis modis præcipi.

Duobus item modis supponi potest Ecclesiam præcipere confessionem in casu, quo Christus eam non præcepisset. Primò, ita vt præciperet integram confessionem omnium peccatorum. Secundò, ita vt præciperet tantùm confiteri aliqua, aut vnum aliquod, pro arbitrio pœnitentis. Sicut reipsa sufficit confiteri vnum, aut aliqua venialia, quando volumus ab illis sacramentaliter absolui. His præsuppositis,

Si Christus non instituisset confessionem, Ecclesia nõ posset eam præcipere.

Dico primò, si Christus non instituisset confessionem, Ecclesia non potuisset eam integram præcipere. Ratio est, tum quia confessio integra sæpissime includit multa peccata purè interna, ad quæ potestas Ecclesiæ non se extendit, iuxta sententiam probabiliorem, de qua diximus in tract. de legibus: tum etiam quia præceptum illud esset de re difficillima: cùm permultis grauissimum, & difficillimum sit omnia sua mortalia confiteri. At humana potestas non potest res difficillimas præcipere, nisi in grauissima, vel extrema necessitate, quæ tunc nulla esset: præsertim cùm tam exacta confessio parum haberet vtilitatis in casu, quo Christus non instituisset sacramentum pœnitentiæ, vt supponimus.

43. Quid si Christus eã liberam reliquisset?

Dico secundò, si Christus confessionem instituisset quidem, sed tamen liberam illam reliquisset, vel simpliciter, & omnino, vel quoad substantiam tantùm: non posset Ecclesia præcipere integram confessionem mortalium. Probatur, quia licet in eo casu magna esset vtilitas confessionis: nulla tamen esset necessitas confitendi ex præcepto Christi: vt supponimus: & vtilitas illa relinquit adhuc summam difficultatem, neque dat potestatem Ecclesiæ obligandi ad manifestandos actus purè internos. Quare ne tunc quidem posset confessio integra præcipi ab Ecclesia. Confirmatur, quia Ecclesia non potest præcipere ingressum Religionis, aut professionem voluntariæ paupertatis, ob materiæ difficultatem. Atqui multis difficilius est integrè cõfiteri de mortalibus. Quare si istud esset æquè libertati hominum relictum, vt est ingressus Religionis, & professio paupertatis, non posset ab Ecclesia præcipi.

44. Possetne ea tem præcipere confessionem de peccatis externis?

Dico tertiò, si Christus confessionem sacramentalem, à se institutam, liberam reliquisset, tam quoad substantiam, quàm quoad modum: posset Ecclesia illam præcipere quoad peccata externa: relinquendo tamen liberum pœnitenti confiteri vel omnia eiusmodi, vel aliqua, etiam dumtaxat venialia. Ratio est, quia in eo casu Ecclesia nihil præciperet valde difficile, vel excedens eius potestatem. Quippe quæ ius habet in actus externos. Et in vsu sacramentorum potest ea statuere, quæ ipsorum honori, & fidelium vtilitati conueniunt, vt ait Trident. sess. 21. cap. 1. Vsus autem ille sacramenti pœnitentiæ esset valde vtilis fidelibus. Quippe qui eius ope iustificari possent cũ sola attritione.

Confirmatur, quia licet, iuxta plurimorum sententiam, Confirmationis sacramentum nõ sit necessarium ex præcepto Christi: posset tamé Ecclesia illius vsum præcipere. Et reipsa præcepit, vt ne quis Tonsuram, & ordines recipiat, qui non sit confirmatus, in Tridentino sess. 23. cap. 4. de reformat. Confirmatur secundò, quia Ecclesia de facto præcepit Monachis Sancti Benedicti confessionem venialium, licet à Christo non præceptã. Cum enim in Clement. 1. *De statu Monachorum*, præcepit, vt singulis mensibus confiterentur: non id intellexit de mortalibus solùm, alioquin quicunque statutum illud seruassent, incurrissent periculum infamiæ, & suspicionis de peccato mortali. Sed intellexit generaliter, siue mortaliter peccassent, siue tantùm venialiter. Sicut constitutiones aliorum ordinum, quibus obligantur ad confitendum semel aut bis quauis hebdomada, intelliguntur etiam de solis venialibus, obligantque ad eorum confessionem.

46. Potuit Ecclesia præcipere annuam confessionem.

Dico quartò, posita necessitate confessionis ex institutione, & præcepto Christi, potuit Ecclesia præcipere annuum illius vsũ. Hæc conclusio est contra Durand. in 4. dist. 17. quæst. 14. num. 6. hac de re dubitantẽ, eò quòd Ecclesia non potest præcipere actũ, de cuius transgressione ipsi constare non potest. Atqui non potest constare Ecclesiæ, vtrum ille, qui habet peccata occulta, & purè interna, sit illa confessus. Imò neque an quis confessus sit integrè externa mortalia. Quia cum cõfessio fiat soli sacerdoti sub sigillo inuiolabili, non potest per ipsum constare Ecclesiæ defectus ille integritatis. Sed neque etiam sacerdotis testimonium sufficeret: quia ad vnius testimonium nemo debet condemnari. Qualiter ergo potest hoc per Ecclesiam statui, cuius transgressio non potest conuinci, nec per consequens iustè puniri? Hęc Durãd. Cuius argumentum si quid valeret, probaret non posse Ecclesiam præcipere sacerdotibus, vt celebrent, & sacramentum vllum administrent: quia non potest Ecclesiæ constare, an cum debita intentione, an verò tantùm simulatoriè id faciãt. Sufficit actũ confessionis esse

externum, & pertinentem ad bonum Ecclesiæ regimen, vt possit ab Ecclesia præcipi, & nos aliunde teneamur ex præcepto Christi ponere quidquid necessarium est, vt rite fiat.

47. Præcepta fuit in Lateran.

Hoc igitur reiecto, dico Ecclesiam potuisse præcipere annuum vsum confessionis, determinando tempus, quo præceptum diuinum confessionis exequutioni tradẽdum est. Probatur primò, quia de facto illum præcepit in Concilio Lateran. can. *Omnis vtriusque sexus*: idque non tantùm propter communionem: sed etiam per se: ita vt sint duo præcepta distincta confessionis, & communionis, & ipsa confessio sit præcepta ab Ecclesia: vt patet ex Trident. sess. 14. cap. 5. in fine, & can. 8. Probatur secundò, quia cum Christus confessionem præceperit, & ipse tempus non determinauerit: debet habere Ecclesia potestatem determinandi, & vrgendi fideles ad illius vsum, si contingat illos esse tepidiores, aut negligentes. Cúmque Sacerdotes sint à Christo constituti iudices, quibus necessariò debeant peccata deferri: debuit Ecclesia habere potestatem cogendi fideles, vt ad illud tribunal se sistant, si nolint ipsi vltrò se sistere.

48. Possitne præcipere iteratam confessionem eorum peccatorum absolutorum?

Quæres, an possit Ecclesia præcipere iteratam confessionem eorum peccatorum, quæ iam fuerunt semel directè absoluta? Respondeo non posse generatim, & vniuersaliter omnium, ob rationes allatas in secunda conclusione. Quia scilicet, cùm illa iteratio non sit necessaria ex præcepto Christi, qui tãtùm præcepit, vt semel directè absoluamur à peccatis mortalibus: non potest Ecclesia obligare ad rem tam difficilem, & ineludentem actus, in quos ipsa non habet potestatẽ. Posset tamen præcipere iteratam confessionem peccatorum eodem modo, quo diximus in tertia conclusione, potuisse præcipere confessionem in eo casu, quo non fuisset à Christo præcepta: relinquendo scilicet liberum confiteri aliqua solùm externa, etiam venialia. Tale enim præceptũ non esset de re valde difficili, vel excedente potestatem Ecclesiæ, & ad magnum profectum spiritualẽ posset cõducere. Quare posset, si non omnibus, saltem aliquibus, vt Religiosis profectus sui spiritualis studiosioribus imponi. Sicut reipsa tenentur fere in omnibus ordinibus, per suas constitutiones, aliquoties confiteri generaliter de peccatis, quamuis aliàs ritè confessis, & directè absolutis. Quamquam de huiusmodi obligationibus Religiosorum alia est ratio, vt mox dicemus.

49. Satisfit obiectioni.

Contra primam partem responsi obiicitur primò statutum ordinis Cistercienſis, quo præcipitur, vt Religiosi in fine anni confiteantur Abbati peccata omnia, de quibus toto anno fuerunt confessi, & absoluti ab ordinario Confessario. Quod statutum à Sixto quarto, & Pio secundo, confirmatum fuisse testatur Henriquez libro quinto de Pœnitentia, capite decimo septimo. Respondeo obligationem illam non oriri præcisè ex potestate humana superiorum, & eorum statuto: sed ex consensu, & acceptatione subditorum: qui sicut sponte vouent paupertatem voluntariam, & religiosam obedientiam, ad quam profitendam non possent vlla potestate humana obligari: ita sponte se submittunt huiusmodi constitutionibus suorum ordinum, sibique imponunt, aut acceptant obligationes, quæ alioqui non possent illis imponi. Alioqui enim res tam difficilis, ne ipsis quidem Religiosis, quamuis amantibus perfectionis, posset imponi sine ipsorum consensu tacito, vel expresso. Vt neque etiam imponi possunt illis alia difficilia, ad quæ non tenentur vi suæ regulæ tacitè, vel expresè. Idemque dico de constitutione quorumdam ordinum, quâ iubentur subditi totam suam conscientiam quotannis manifestare superiori, nihil celando, quo diuinam Maiestatem offenderint, vt meliùs possint à superiore regi, iuuarique in spiritu, & ad perfectionem efficaciùs promoueri. Non expedit tamen huiusmodi constitutiones obligare sub mortali, propter periculum transgressionis, & difficultatem rei, non adeo necessariæ, cum tanto rigore, & exactione perfectæ integritatis.

Henriquez

SECTIO VI.

Solvitur alia difficultas circa doctrinam propositam.

50. Altera obiectio circa reseruata certo quodam modo.

OBjicitur secundò contra idem responsum, quod in quibusdam Ordinibus datur facultas, vt si contingat Religiosos iter facientes habere casum reseruatũ, possint ab illo absolui, modò de industria id non faciãt, neque captẽt talem opportunitatem; possint inquam absolui, sed cum obligatione manifestandi idem peccatum superiori. Quæ constitutio eiusmodi Ordinum ostendit humanam potestatem obligare posse ad bis confitenda peccata directè priùs absoluta, etiam illa, quæ grauiora sunt, & quorum confessio maiorem affert pudorem & difficultatem.

Prima eius solutio insufficiens

Respondent aliqui, per hanc facultatem non dari potestatem, vt absoluantur directè ab huiusmodi peccatis, sed tantùm indirectè: vnde manet obligatio ea subiiciendi iterum Superiori ad obtinendam absolutionem directã. Verùm hæc responsio vel inutilem reddit talem facultatem, vel sacrilegam. Aut enim datur vt in casu necessitatis possint absolui indirectè à casibus reseruatis: & sic inutilis, ac superflua est: hoc enim licet ex ipso iure diuino, seu naturali, suppositã institutione sacramenti, vt dicemus disp. sequenti. Aut datur vt possint absolui indirectè extra casum necessitatis: & ita sacrilega est, & inualida. Quia est contra ius diuinum, & contra institutionem ipsius sacramenti, ad cuius valorem necessaria est confessio pecca-

torum mortalium integra formaliter, ita vt nullum ſine aliqua impotentia phyſica, vel morali omittatur.

51. Altera reſponſio.

Aliter reſpondet Suares diſp. 30. ſect. 5. num. 20. & ſequentibus, per hanc facultatem Superiores delegare quidem poteſtatem abſoluendi à caſu ſibi reſeruato, ſed cum limitatione quoad iniunctionem ſatisfactionis, & curationem medicinalem, cuius extremum iudicium ſibi reſeruant: ideóque manet grauis obligatio comparendi coram illis. Tria enim in iudicio ſacramẽtali diſtinguenda ſunt. Primum eſt, remiſſio peccati quoad culpam, & poenam æternam. Secundum eſt, caſtigatio eius peccati quoad condignam ſatisfactionem. Tertium, eſt curatio eiuſdem peccati, quoad obligationem in futurum vitandi ſimilia peccata. Circa primũ, non poteſt iuriſdictio delegata recipere magis, & minùs reſpectu eiuſdem peccati. Quia ſi retinetur, aut remittitur; totum retineri, aut remitti neceſſe eſt. Et ſententia cuiuſcunque ſacerdotis quoad hoc eſt ſuprema, à qua non poteſt appellari, neque ab vllo poteſt mutari. Circa ſecundum verò poteſt iuriſdictio delegata limitari, & dari maior, aut minor reſpectu eiuſdem peccati. Vt ex eo patet, quòd ſuperior delegans iuriſdictionem poteſt taxare ſatisfactionem, quam vult à delegato imponi. Ergo poteſt ſimiliter reſeruare ſibi vltimum iudicium de ſatisfactione impoſita: vt illam vel approbet, vel mutet (neque enim eſt immutabilis) & augeat, vel minuat, prout expedire iudicauerit. Perinde enim eſt ſiue ante, ſiue poſt ſacramentum, iudicium illud ſibi reſeruet. Similiterque circa tertium non eſt neceſſe quemlibet confeſſarium eſſe ſupremum iudicem, vel potiùs medicum: neque quoad hoc neceſſarium eſt ſententiam eſſe immutabilem: neque conſiſtit in indiuiſibili, ſed habet latitudinem, & maximè requirit prudens arbitriũ. Cur ergo non poterit Prælatus vltimum iudicium quoad hanc partem ſibi reſeruare; & ob hanc cauſam imponere onus ſubdito coram ſe comparendi?

52. Improbatur.

Hæc reſponſio grauem patitur difficultatem. Quia vel iudicium Superioris circa ſatisfactionem eſt ſacramentale, vel non. Si primum: fit contra inſtitutionem ſacramenti; cùm diuiditur officium Miniſtri in duos, quorum vnus audit confeſſionem, & abſoluit; alter iniungit ſatisfactionem: vt ſi officium miniſtri baptiſmi diuideretur in duos, quorum vnus ablueret, alter verba proferret. Si ſecundum: ergo illa ſatisfactio non eſt ſacramentalis, neque vim habet operandi ex opere operato, neque eſt pars integralis ſacramenti, quod idcirco mutilum erit, & diminutum; nec denique obligat pœnitentem: nam in foro pœnitentiæ, aut virtute illius non poteſt obligari pœnitens, niſi ad ſatisfactionem ſacramentalem, impoſitam virtute clauium, vt partem integralem ſacramenti. Neque poteſt illum Confeſſarius obligare ad aliquid agendum, niſi iniungendo illud in ſatisfactionẽ. Nam quoad cætera non obligat ipſe, ſed tantùm proponit obligationem, quæ aliunde eſt: putà, ad reſtituendum, ad relinquendam occaſionem peccandi, & periculum proximum vitandum, ad remedium neceſſarium infirmitati ſuæ adhibendum. Ex quo etiam patet non poſſe vi ſacramenti poenitentiæ obligari poenitentem ad tertium, quod ait Suares, nempe ad iudicium vltimum Superioris pro curatione medicinali peccati. 53.

Ad argumentum autem eiuſdem Auctoris, ſumptum ex eo, quòd Superior delegans iuriſdictionem poteſt taxare pœnitentiam, quam vult imponi à Confeſſario, quique hic imponere tenetur ex eius præſcripto, quia non accipit iuriſdictionem, niſi ad iſtam imponendam; Reſpondeo, differentiam eſſe: quia tunc Superior non imponit ipſe pœnitentiam: ſed tantùm eam deſignat: ſolus verò Confeſſarius illam imponit. At in caſu, de quo diſputamus, Superior ipſe per ſe immediatè ſatisfactionem pœnitenti imponeret, abſque ſacramentali confeſſione ſibi facta. Fatetur enim Suarez non obligari poenitentem, vt iterum confiteatur ſacramentaliter Superiori eadem peccata directè abſoluta. Non obeſt etiam quòd ſententia circa ſatisfactionem non ſit immutabilis. Quamuis enim non ſit immutabilis: non poteſt mutari niſi ab illo, qui eandem cauſam in foro poenitentiæ ex pœnitentis confeſſione ſacramentaliter agnoſcit, & de illa virtute clauium iudicat, vt dicemus inferiùs, diſputando de ſatisfactione. 54.

Dici etiam nequit, obligationem illam comparendi oriri ex eo quòd iniungatur à Confeſſario in ſatisfactionem: qui ſicut poteſt iniungere pœnitentiam, quam antea Superior deſignauit, atque præſcripſit: ita poteſt imponere illam, quam ſuperior deſignabit, & ad illum pœnitentem remittere. Contrà enim primò, talis pœnitentia poſſet ab alio Confeſſario mutari, vel tolli per indulgentias: & ita fruſtraretur intentio reſeruantis. Secundò, ſi Confeſſarius per inaduertentiam, aut aliter non imponeret illam pœnitentiam: non teneretur poenitens coram Superiore comparere. Quod Suares non admittit, ſed expreſſè docet oppoſitum. Tertiò, ſi poenitens nollet tam duram, & difficilem pœnitentiam acceptare, aut periculum eſſet, ne illam non impleret: Confeſſarius non deberet illam imponere: quia debet poenitentium fragilitati conſulere. Ergo in eo caſu non teneretur poenitens ſiſtere ſe coram Superiore. 55.

Hac igitur ſententia reiecta, Cardinalis Delugo diſp. 15. ſect. 6. num. 115. & ſequentibus, ſequutus Paludanum in 4. diſt. 17. quæſt. 5. art. 1. & Nauarrum in Summa, cap. 9. num. 1. vbi in eandem ſententiam allegat S. Thomam, Gerſonem, Almainum, Dionyſium, Maiorem, & Adrianũ: & cap. 26. num. 12. & in caput *Placuit*, de Tertia ſolutio.

Pœnit. diſt. 6. num. 112. cenſet, obligationem illam oriri ex conſenſu tacito vel expreſſo inferioris, & quodam quaſi pacto inter ipſum & ſuperiorem: qui cùm poſſet non delegare ſuam iuriſdictionem, & eam delegando faciat illi fauorem; poteſt eam delegare ſub ea conditione, vt ſi inferior velit vti illo fauore, teneatur coram ſe poſtea comparere: neque poſſit abſolui ſine hoc onere tacitè ſaltem, & virtualiter acceptato: quia eſt conditio ſine qua non. Tacitè autem acceptat inferior hoc ipſo, quòd vult efficaciter abſolui à caſu reſeruato, eo ſcilicet modo, quo poteſt. Vnde poſtea tenetur graui obligatione comparere coram ſuperiore, ſiue illam obligationem antea ſciuerit, ſiue non. Quamuis enim deberet de illa moneri à Confeſſario, ſi aliunde non ſcit, vt liberum illi eſſet vti fauore ſibi conceſſo ſubeundo illud onus, vel non vti, & differre confeſſionem: ſicut tamen Chriſtianus contrahens matrimonium, & volens contrahere eo modo, quo licitè poteſt, facit ſacramentum, quamuis ignoret matrimonium eſſe ſacramentum: & ſuſcipere volens ſacros ordines in Latina Eccleſia eo modo, quo licitè poteſt, tacitè ſeſe obligat voto caſtitatis ordinibus ſacris annexo: ſic, &c. Et eo magis, quod abſolutio à reſeruato non modo eſt illicita, ſed etiam inualida, ſine tali conditione tacitè ſaltem & virtualiter acceptatâ. Quamuis ordo non ſit irritus ſine voto caſtitatis tacitè emiſſo, imò nec cum voluntate contraria. Neque ſecundum aliquos Theologos, quorum ſententiam probabiliorem exiſtimo, irritum ſit matrimonium factum à Chriſtianis ſine vlla intentione faciendi ſacramentum. Fundamentum autem huius ordinationis eſt, quia vna ex parte expedit dari inferioribus facultatem, vt poſſint citò abſolui ab huiuſmodi peccatis: ideoque fit illis fauor, quando conceditur, vt, ſi velint, poſſint de illis confiteri, delegaturque ad hunc finem iuriſdictio. Ex alia vero parte expedit ad bonum Religionis, ad correctionem ſubditorum, ad impediendos tales lapſus, & ad maiorem religioſæ diſciplinæ obſeruationem, alioſque fines, vt, ſi velint ab alio abſolui, imponatur illis onus comparendi coram ſuperiore: qui non tenetur purè & ſimpliciter delegare aliis iuriſdictionem abſoluendi à reſeruatis.

56. Quòd autem intentio ſuperiorum, concedentium talem facultatem, ſit obligare modo prædicto, & tale pactum ſtatuere, probatur quia intendunt obligare eo modo, quo poſſunt. Atqui non poſſunt niſi cum conſenſu inferioris tacito, vel expreſſo: Nam ſine illo non poſſunt præcipere iteratam confeſſionem peccatorum, iam directè abſolutorum. Item, quia ſuperior ipſe generalis Societatis noſtræ, in qua id obſeruatur, ita diſertè declarauit authenticè, cuius declarationis verba refert Delugo loco ſupra cit. n. 116.

57. Hæc reſponſio melior eſt duabus præcedentibus. Aduerto tamen circa priorem eius rationem: non ſatis cohærenter illa vti poſſe, eos qui docent (inter quos eſt author citatus eadem ſectione num. 98.) Abbates ordinis Ciſtercienſis potuiſſe ſine conſenſu ſubditorum obligare ad confitenda iterum Abbati peccata omnia toto anno commiſſa, & ab ordinario Confeſſario iam directè abſoluta, eòquòd (inquiunt) licet pro tota Eccleſia non poſſit fieri talis lex ad ſecundam confeſſionem eorundem peccatorum: non eſt tamen cur non poſſit præcipi in aliqua Religione obſeruante, in qua poſſunt ea præcipi, quæ ſpectant ad perfectionem, quam finis illius Religionis intendit. Hæc inquam duo non ſatis cohærere mihi videntur, quòd ſcilicet onus comparendi coram ſuperiore, de quo nunc diſputamus, non poſſit imponi abſque conſenſu inferioris: &, quòd abſque illius conſenſu poſſit illi imponi onus deferendi ſuperiori omnia peccata toto anno commiſſa. Quod onus eſt grauius, quia comprehendit omnes caſus, tam reſeruatos, quàm non reſeruatos: neque tantùm actus externos, cuiuſmodi ſunt omnes caſus qui reſeruantur: ſed etiam purè internos, in quos Eccleſia minus habet poteſtatis, aut nullam, ſecundum probabiliorem ſententiam.

Expenditur & probatur.

58. Aduerto ſecundò, ſimili modo philoſophandum eſſe de peccatis à ſummo Pontifice ſibi ipſi reſeruatis ſine cenſura annexa, ſi det ipſe facultatem abſoluendi ab illis extra caſum neceſſitatis, cum onere recurrendi ad ipſum. Cùm enim tunc det facultatem abſoluendi directè, & tamen imponat onus coram ſe comparendi: debet hoc facere ex tacito conſenſu ſubditi, vtentis fauore dato tantùm ſub illa conditione oneroſa. Quia ſine illius conſenſu non poteſt illum obligare, vt ſic detegat duobus ſuum peccatum, ad abſolutionem ſacramentalem illius obtinendam.

Quid dicendum de peccatis Papæ reſeruatis.

59. Dixi, *ſine cenſura annexa* (ſi eiuſmodi eſt aliquod reipſa Summo Pontifici reſeruatum) quia quando peccata reſeruata habent cenſuram annexam: tunc non eſt opus conſenſu ſubditi: Modus enim ferendi, & tollendi cenſuram pendet à poteſtate humana, quæ poteſt has, aut illas conditiones apponere ſine conſenſu ſubditorum: poteſtque dare facultatem eam tollendi ad reincidentiam, id eſt, ſub aliqua conditione, quæ niſi impleatur, incurretur iterum eadem cenſura. Atque ita poteſt ſine conſenſu ſubditi obligare ipſum, vt detegat Superiori peccatum ſuum, quamuis directè abſolutum, ad relaxationem cenſuræ obtinendam.

60. Vnde oritur alia differentia inter peccata reſeruata ſine cenſura annexa, & alia quibus cenſura annexa eſt: quòd in iſtis obligatio comparendi coram Superiore locum habet, etiam quando quis ab illis abſoluitur in articulo mortis. Quia niſi ad illum recurrat, reincidit in cenſuras ei

reſeruatas. At verò in aliis non habet locum in articulo mortis. Quia cùm pœnitens tunc teneatur confiteri de omnibus mortalibus, neque poſſit vllum reſeruare in aliud tempus, quo illud confiteatur ſuperiori, qui reſeruauit: ſi nõ poſſet eõ fiteri ſine tali obligatione, cogeretur ſimpliciter peccatum ſuum detegere duobus, ex præcepto confeſſionis ſacramentalis. Quia non eſſet illi liberum dare ſuum conſenſum, & vti illo fauore Superioris, aut non vti: ſecus ac extra illum articulum, quando poteſt differre confeſſionem, donec ſe ſiſtat Superiori, aut confiteri non integrè materialiter, propter neceſſitatem.

61. Aduerto tertiò, ad conuenientem vſum huius facultatis requiri, vt ſuperiores eam patefaciant ſubditis, vt ipſi liberè eligere poſſint, velintne illa vti cum tali onere. Nam alioqui poſſunt conqueri pœnitentes, quòd inſcii adigantur ad detegendum duobus ſuum peccatum: cùm poſtquam vni bona fide confeſſi ſunt, non poſſunt ab illo abſolui, niſi acceptent tacitè, vel expreſsè conditionem aperiendi idem peccatum Superiori. Et ſi non acceptent, non ſint abſoluti: ſi acceptent, teneantur ſub graui peccato illam implere. Eſt enim grauis illa obligatio, etiam in iis Religionibus, in quibus regulæ non obligant ſub pœna peccati. Quia pactum illud eſt de re valde graui, & ad bonum Religionis valde conducente. Neque enim pertinet ſolùm ad dandam Superiori notitiam illius peccati, quæ eſſet vana curioſitas: ſed ad tales lapſus cauendos, ad correctionem ſubditorum, ad religioſæ diſciplinæ cuſtodiam, & alios bonos fines, propter quos peccata grauiora poſſunt meritò reſeruari.

62. Si tamen contingat aliquem ignoraſſe pactum, ſeu modum, quo hæc facultas abſoluendi à reſeruatis conceditur, & bona fide confeſſus ſit: non propterea liber eſt ab eiuſmodi obligatione. Quia vel tacitè ſaltem conſentit, volendo efficaciter abſolui, vt potuit: & hic conſenſus ſufficit. Vel non conſenſit (quod non eſt præſumendum, niſi expreſsè derogauerit quoad hoc intentioni generali volendi confiteri validè) & tunc nulla eſt abſolutio. Quia non datur iuriſdictio ad abſoluendum, ſine acceptatione ſaltem tacita huius conditionis.

Ignorantia reſeruationis nõ tollit debitum adeũdi ſuperiorẽ.

Neque dicas hunc modum concedendi hanc facultatem non eſſe conuenientem, ſi ita fiat: quia exponit interdum ſacramentum periculo nullitatis, quoties nimirum pœnitens, ignorans illam obligationem, confitebitur cum contraria voluntate non acceptandi illud onus. Reſpondeo enim non eſſe periculum nullitatis: quia ſi quis habet inculpabiliter ex ignorantia pacti, talem voluntatem contrariam: abſoluitur nihilominus validè & licitè à venialibus, aut mortalibus non reſeruatis, quæ ſimul proponit: ſemper autem ſaltem aliqua venialia proponuntur ſimul. Et quotieſcunque aliquis confitetur bona fide reſeruata cum non reſeruatis, ei, qui non habet iuriſdictionem in reſeruata: abſoluitur nihilominus directè à non reſeruatis, & indirectè ab aliis. Qua de re plura dicemus diſp. 53. ſect. 9. & 10.

SECTIO VII.

Quomodo tempus annuæ confeſſionis præceptæ in Concil. Lateran. computandum ſit: & qualis confeſſio requiratur, vt ſatisfiat huic præcepto?

63. CItra controuerſiam eſt, debere ita computari, vt quot ſunt anni, toties confiteãtur illi, qui intra illos annos ſunt rei peccati mortalis poſt Baptiſmum commiſſi. Hic enim eſt ſenſus manifeſtus illorum verborum Concilii, *Omnes fideles ſaltem ſemel in anno confiteantur* &c. id eſt, ſaltem ſemel quot annis. Vt cum dicitur, Omnes ſaltem ſemel in menſe ieiunabunt: Omnes ſemel in anno tantum pecuniæ Regi pro tributo ſoluent: id eſt, ſemel ſingulis menſibus: ſemel ſingulis annis. Ita vt tot ſint ieiunia, quot mẽſes: & tot tributa, quot anni. Modus autem ordinarius, tam ciuilis, quàm eccleſiaſticus computandi annos, eſt à die primo Ianuarii, ad vltimum Decembris. Conſuetudo tamen eſt, vt quoad confeſſionem, & communionem annuam computẽtur à Paſchate ad Paſcha: ita vt quiſque peccati mortalis ſibi conſcius confiteatur ſemel ſaltem intra duo Paſchata. Per Paſcha intellige quindecim dies circa Dominicam Paſchæ: vel etiam totum tempus quadrageſimæ: quo ex longa conſuetudine ſolent nunc fideles præceptum illud implere: vt dicit Trident. ſect. 14. cap. 5. Quæ tamen conſuetudo nondum inducta eſt ex animo obligandi, vt bene notat, & probat Suarez diſp. 36. ſect. 3. num. 4. rectéque colligitur ex Trident. cap. cit. ſub finem: vbi poſtquam dixit Eccleſiam ſtatuiſſe, vt præceptum confeſſionis iure diuino neceſſariæ, ſemel in anno impleretur: & iam in vniuerſa Eccleſia obſeruari morem confitendi tempore quadrageſimæ: ſit ait: *Quem morem hæc ſancta Synodus maximè probat, & amplectitur tanquã pium, & meritò retinendum.* Vbi nota, Cõcilium dicere confeſſionem quidem annuam eſſe ſtatutam, ſeu præceptam ab Eccleſia: morem autem confitendi in quadrageſima probare tantùm, & laudare. Quare poteſt ſine peccato, & tranſgreſſione huius præcepti annuæ confeſſionis, computari aliter annus à Pentecoſte ad Pentecoſtem, vel à Circumciſione ad Circumciſionem, aliiſque modis ſimilibus.

Quot anni, tot confeſſiones eſſe debent.

Suarez. Trident.

64. Nec obeſt quod opponit Petrus Sot. lect. 5. de confeſſ. paulò poſt initium, In Extrauag. Xiſti IV. *de Treugâ, & pace*, dici teneri fideles confiteri ſuo Parocho ſaltem in Paſchate, iuxta caput *Omnis vtriuſque ſexus*

Sotus.

Pœnit. dist. 6. num. 112, censet, obligationem illam oriri ex consensu tacito vel expresso inferioris, & quodam quasi pacto inter ipsum & superiorem: qui cùm posset non delegare suam iurisdictionem, & eam delegando faciat illi fauorem; potest eam delegare sub ea conditione, vt si inferior velit vti illo fauore, teneatur coram se postea comparere: neque possit absolui sine hoc onere tacitè saltem, & virtualiter acceptato: quia est conditio sine qua non. Tacitè autem acceptat inferior hoc ipso, quòd vult efficaciter absolui à casu reseruato, eo scilicet modo, quo potest. Vnde postea tenetur graui obligatione comparere coram superiore, siue illam obligationem antea sciuerit, siue non. Quamuis enim deberet de illa moneri à Confessario, si aliunde non scit, vt liberum illi esset vti fauore sibi concesso subeundo illud onus, vel non vti, & differre confessionem: sicut tamen Christianus contrahens matrimonium, & volens contrahere eo modo, quo licitè potest, facit sacramentum, quamuis ignoret matrimonium esse sacramentum: & suscipere volens sacros ordines in Latina Ecclesia eo modo, quo licitè potest, tacitè sese obligat voto castitatis ordinibus sacris annexo: sic, &c. Et eo magis, quod absolutio à reseruato non modo est illicita, sed etiam inualida, sine tali conditione tacitè saltem & virtualiter acceptatâ. Quamuis ordo non sit irritus sine voto castitatis tacitè emisso, imò nec cum voluntate contraria. Neque secundum aliquos Theologos, quorum sententiam probabiliorem existimo, irritum sit matrimonium factum à Christianis sine vlla intentione faciendi sacramentum. Fundamentum autem huius ordinationis est, quia vna ex parte expedit dari inferioribus facultatem, vt possint citò absolui ab huiusmodi peccatis: ideoque fit illis fauor, quando conceditur, vt, si velint, possint de illis confiteri, delegaturque ad hunc finem iurisdictio. Ex alia vero parte expedit ad bonum Religionis, ad correctionem subditorum, ad impediendos tales lapsus, & ad maiorem religiosæ disciplinæ obseruationem, aliosque fines, vt, si velint ab alio absolui, imponatur illis onus comparendi coram superiore: qui non tenetur purè & simpliciter delegare aliis iurisdictionem absoluendi à reseruatis.

56. Quòd autem intentio superiorum, concedentium talem facultatem, sit obligare modo prædicto, & tale pactum statuere, probatur quia intendunt obligare eo modo, quo possunt. Atqui non possunt nisi cum consensu inferioris tacito, vel expresso: Nam sine illo non possunt præcipere iteratam confessionem peccatorum, iam directè absolutorum. Item, quia superior ipse generalis Societatis nostræ, in qua id obseruatur, ita disertè declarauit authenticè, cuius declarationis verba refert Delugo loco supra cit. n. 116.

57. Hæc responsio melior est duabus præcedentibus. Aduerto tamen circa priorem eius rationem: non satis cohærenter illa vti posse, eos qui docent (inter quos est author citatus eadem sectione num. 98.) Abbates ordinis Cistercienſis potuisse sine consensu subditorum obligare ad confitenda iterum Abbati peccata omnia toto anno commissa, & ab ordinario Confessario iam directè absoluta, eòquòd (inquiunt) licet pro tota Ecclesia non possit fieri talis lex ad secundam confessionem eorundem peccatorum: non est tamen cur non possit præcipi in aliqua Religione obseruante, in qua possunt ea præcipi, quæ spectant ad perfectionem, quam finis illius Religionis intendit. Hæc inquam duo non satis cohærere mihi videntur, quòd scilicet onus comparendi coram superiore, de quo nunc disputamus, non possit imponi absque consensu inferioris: &, quòd absque illius consensu possit illi imponi onus deferendi superiori omnia peccata toto anno commissa. Quod onus est grauius, quia comprehendit omnes casus, tam reseruatos, quàm non reseruatos: neque tantùm actus externos, cuiusmodi sunt omnes casus qui reseruantur: sed etiam purè internos, in quos Ecclesia minus habet potestatis, aut nullam, secundum probabiliorem sententiam. Expenditur & probatur.

58. Aduerto secundò, simili modo philosophandum esse de peccatis à summo Pontifice sibi ipsi reseruatis sine censura annexa, si det ipse facultatem absoluendi ab illis extra casum necessitatis, cum onere recurrendi ad ipsum. Cùm enim tunc det facultatem absoluendi directè, & tamen imponat onus coram se comparendi: debet hoc facere ex tacito consensu subditi, vtentis fauore dato tantùm sub illa conditione onerosa. Quia sine illius consensu non potest illum obligare, vt sic detegat duobus suum peccatum, ad absolutionem sacramentalem illius obtinendam. Quid dicendum de peccatis Papæ reseruatis.

59. Dixi, *sine censura annexa* (si eiusmodi est aliquod reipsa Summo Pontifici reseruatum) quia quando peccata reseruata habent censuram annexam: tunc non est opus consensu subditi: Modus enim ferendi, & tollendi censuram pendet à potestate humana, quæ potest has, aut illas conditiones apponere sine consensu subditorum: potestque dare facultatem eam tollendi ad reincidentiam, id est, sub aliqua conditione, quæ nisi impleatur, incurretur iterum eadem censura. Atque ita potest sine consensu subditi obligare ipsum, vt detegat Superiori peccatum suum, quamuis directè absolutum, ad relaxationem censuræ obtinendam.

60. Vnde oritur alia differentia inter peccata reseruata sine censura annexa, & alia quibus censura annexa est: quòd in istis obligatio comparendi coram Superiore locum habet, etiam quando quis ab illis absoluitur in articulo mortis. Quia nisi ad illum recurrat, reincidit in censuras ei

reseruatas. At verò in aliis non habet locum in articulo mortis. Quia cùm pœnitens tunc teneatur confiteri de omnibus mortalibus, neque possit vllum reseruare in aliud tempus, quo illud confiteatur superiori, qui reseruauit: si nõ posset cõfiteri sine tali obligatione, cogeretur simpliciter peccatum suum detegere duobus, ex præcepto confessionis sacramentalis. Quia non esset illi liberum dare suum consensum, & vti illo fauore Superioris, aut non vti: secus ac extra illum articulum, quando potest differre confessionem, donec se sistat Superiori, aut confiteri non integrè materialiter, propter necessitatem.

61. Aduerto tertiò, ad conuenientem vsum huius facultatis requiri, vt superiores eam patefaciant subditis, vt ipsi liberè eligere possint, velintne illa vti cum tali onere. Nam alioqui possunt conqueri pœnitentes, quòd inscii adigantur ad detegendum duobus suum peccatum: cùm postquam vni bona fide confessi sunt, non possunt ab illo absolui, nisi acceptent tacitè, vel expressè conditionem aperiendi idem peccatum Superiori. Et si non acceptent, non sint absoluti: si acceptent, teneantur sub graui peccato illam implere. Est enim grauis illi obligatio, etiam in iis Religionibus, in quibus regulæ non obligant sub pœna peccati. Quia pactum illud est de re valde graui, & ad bonum Religionis valde conducente. Neque enim pertinet solùm ad dandam Superiori notitiam illius peccati, quæ esset vana curiositas: sed ad tales lapsus cauendos, ad correctionem subditorum, ad religiosæ disciplinæ custodiam, & alios bonos fines, propter quos peccata grauiora possunt meritò reseruari.

62. Si tamen contingat aliquem ignorasse pactum, seu modum, quo hæc facultas absoluendi à reseruatis conceditur, & bona fide confessus sit: non propterea liber est ab eiusmodi obligatione. Quia vel tacitè saltem consentit, volendo efficaciter absolui, vt potuit: & hic consensus sufficit. Vel non consensit (quod non est præsumendum, nisi expressè derogauerit quoad hoc intentioni generali volendi confiteri validè) & tunc nulla est absolutio. Quia non datur iurisdictio ad absoluendum, sine acceptatione saltem tacita huius conditionis.

Ignorantia reseruationis nõ tollit debitum adeũdi superiorẽ.

Neque dicas hunc modum concedendi hanc facultatem non esse conuenientem, si ita fiat: quia exponit interdum sacramentum periculo nullitatis, quoties nimirum pœnitens, ignorans illam obligationem, confitebitur cum contraria voluntate non acceptandi illud onus. Respondeo enim non esse periculum nullitatis: quia si quis habet inculpabiliter ex ignorantia pacti, talem voluntatem contrariam: absoluitur nihilominus validè & licitè à venialibus, aut mortalibus non reseruatis, quæ simul proponit: semper autem saltem aliqua venialia proponuntur simul. Et quotiescunque aliquis confitetur bona fide reseruata cum non reseruatis, ei, qui non habet iurisdictionem in reseruata: absoluitur nihilominus directè à non reseruatis, & indirectè ab aliis. Qua de re plura dicemus disp. 53. sect. 9. & 10.

SECTIO VII.

Quomodo tempus annuæ confessionis præceptæ in Concil. Lateran. computandum sit: & qualis confessio requiratur, vt satisfiat huic præcepto?

63. CItra controuersiam est, debere ita computari, vt quot sunt anni, toties confiteatur illi, qui intra illos annos sunt rei peccati mortalis post Baptismum commissi. Hic enim est sensus manifestus illorum verborum Concilii, *Omnes fideles saltem semel in anno confiteantur* &c. id est, saltem semel quotannis. Vt cum dicitur, Omnes saltem semel in mense ieiunabunt: Omnes semel in anno tantum pecuniæ Regi pro tributo soluent: id est, semel singulis mensibus: semel singulis annis. Ita vt tot sint ieiunia, quot mẽses: & tot tributa, quot anni. Modus autem ordinarius, tam ciuilis, quàm ecclesiasticus computandi annos, est à die primo Ianuarii, ad vltimum Decembris. Consuetudo tamen est, vt quoad confessionem, & communionem annuam computẽtur à Paschate ad Paschate: ita vt quisque peccati mortalis sibi conscius confiteatur semel saltem intra duo Paschata. Per Pascha intellige quindecim dies circa Dominicam Paschæ: vel etiam totum tempus quadragesimæ: quo ex longa consuetudine solent nunc fideles præceptum illud implere: vt dicit Trident. sect. 14. cap. 5. Quæ tamen consuetudo nondum inducta est ex animo obligandi, vt bene notat, & probat Suarez disp. 36. sect. 3. num. 4. rectéque colligitur ex Trident. cap. cit. sub finem: vbi postquam dixit Ecclesiam statuisse, vt præceptum confessionis iure diuino necessariæ, semel in anno impleretur: & iam in vniuersa Ecclesia obseruari morem confitendi tempore quadragesimæ: sit ait: *Quem morem hæc sancta Synodus maximè probat, & amplectitur tanquã pium, & meritò retinendum.* Vbi nota, Cõcilium dicere confessionem quidem annuam esse statutam, seu præceptam ab Ecclesia: morem autem confitendi in quadragesima probare tantùm, & laudare. Quare potest sine peccato, & transgressione huius præcepti annuæ confessionis, computari aliter annus à Pentecoste ad Pentecostem, vel à Circumcisione ad Circumcisionem, aliisque modis similibus.

Quot anni, tot confessiones essẽ debent.

Suarez. Trident.

64. Nec obest quod opponit Petrus Sot. lect. 5. de confess. paulò post initium, In Extrauag. Xisti IV. *de Treugâ, & pace*, dici teneri fideles confiteri suo Parocho saltem in Paschate, iuxta caput *Omnis utriusque sexus*,

Sotus.

Digitized by Google

Respondeo enim Pontificem obiter id dicere ratione communionis faciendæ in Paschate, propter quam confessio est communiter tunc necessaria. Non item obest, quòd Prælati tempore Paschatis, vel Quadragesimæ solent vrgere exequutionem præcepti Confessionis. Hoc enim faciunt, quia prudenter præsumunt eos, qui tunc non confitentur, cùm possint si velint; neque antea esse confessos, neque post, reliqua parte anni, ad confessionem esse venturos.

Sufficiatne quolibet anni die confiteri.

His suppositis, dubitatur primò, vtrum sufficiat quolibet anni die confiteri: & vtrum ille præcepto satisfaceret, qui primo die vnius anni confiteretur, posteaque differret confessionem vsque ad vltimum diem secundi anni, ita vt inter vtramque confessionem duo ferè anni integri elaberentur?

65. Henriq. Coninc.

Respondeo cùm AEgidio disp. 5. dub. 7. Henriq. lib. 4. de Sacram. cap. 4. nu. 7. & aliis, quos isti citant, talem satisfacere in rigore præcepto Ecclesiæ, quamuis non satisfaciat ipsius fini, & intentioni. Ratio primæ partis respõsi est, quia præceptũ annuæ confessionis non est vlli certo tempori alligatum: sed præcipit tantùm confessionem singulis annis simpliciter. Quare sicut satisfacit præcepto soluendi tributum annuum simpliciter, & indefinitè lato, quisquis soluit quolibet anni die: & is qui vouit quolibet mense semel saltem ieiunare, satisfacit voto, quolibet die mensis ieiunet: quamuis si ieiunet primo die vnius mensis, & vltimo sequentis, intercurrant duo ferè menses inter vtrumque ieiunium: sic &c.

66. Secũda pars respõsi, quòd talis nihilominus tamdiu differens non satisfaciat fini præcepti, & intentioni Ecclesiæ, probatur, quia intentio Ecclesiæ est, vt ne confessio nimis differatur, & ne nimis diu maneamus in statu peccati mortalis, à quo nullà viâ certiùs, & faciliùs liberamur post Baptismum, quàm per sacramentum poenitentiæ. Quare is qui vltra annum circiter differt, non satisfacit intentioni Ecclesiæ, & fini huius præcepti. Attamen præcepto in rigore satisfacit. Quia finis præcepti non cadit sub præceptum. Quemadmodum, licet intentio Ecclesiæ, & finis præcepti communionis annuæ sit, vt fideles dignè accedant ad sacramentum Eucharistiæ: satisfaciunt tamen præcepto Ecclesiastico, qui cum externa tantùm reuerentia, & deuotione, malè & indignè communicant: vt cum communi sententia docent Alensis p. 4. q. 11. memb. 2. Domin. Sotus de Iustitia, lib. 2. quæst. 3. art. 10. Bonacina disp. 4. de Sacram. q. 7. punct. 2. num. 12. Suares tom. 3. in 3. p. disp. 70. sect. 3. Delugo disp. 16. de Eucharist. nu. 83. Pitigian. in 4. dist. 9. quæst. 3. art. 10 & Diana tom. 2. tract. 4. de Sacrament. resolut. 43. vbi pro eadem opinione plures alios citat.

Suarez. Delugo. Diana.

67. Dubitatur secundò, an ille qui omisit confiteri toto vno anno, teneatur prima die sequentis anni, aut prima data occasione confiteri: & alioqui peccet deinceps, seu peccatum continuet, & aggrauet, donec confiteatur.

Qui omisit vno anno confessionem: tenetur altero quam primùm confiteri.

Respondeo affirmatiuè cum communi fere sententia. Ratio est, quia exequutio huius præcepti est veluti solutio annui census, quę qui non soluit vno anno, non est liber ab eius soluendi obligatione, sed manet obligatus, donec soluerit. Quando enim Ecclesia statuit, vt singuli fideles semel saltem singulis annis confiterentur: non limitauit huius præcepti obligationem ad singulos annos, ita vt anno elapso expiraret obligatio, quamuis non impleretur: sed vt non posset diutius confessio differri. Voluit enim hoc statuto corrigere Christianorum tepiditatem, & negligentiam non satis frequenter ad confessionem accedentium. Vnde peccat qui differt vlteriùs: eóque magis peccat, quo magis, atque magis differt sine legitima excusatione. Vt ille, qui vouit ingredi Religionem intra annum, peccat deinceps anno elapso, quò magis differt ingressum. Ad idem confirmandum addit Suarez disp. 36. sect. 4. num. 2. praxim Ecclesiæ, quâ solent excommunicari, fideles, qui hoc præceptum non seruant, nec possint absolui ab excommunicatione, donec confiteantur. Quod, inquit, signum manifestum est teneri statim, ac continuò, ad confessionem. Quia si solùm excommunicarentur propter culpam præteritam, possent facilè absolui, præsertim cùm illa excommunicatio non sit reseruata. Sed hoc argumentum infirmum esse ostendimus alibi disputando de præcepto communionis.

68. Contraria sententia.

Contrarium sentiunt Sanctus Antoninus 2. part. tit. 9. cap. 9. §. 3. & Syluester verbo, *Eucharistia* 3. num. 17. quos sequuntur aliqui recentiores. Ratio præcipua eorum est, quia sicut præcepta Ecclesiastica limitata ad certum diem, non obligant nisi intra illum diem: ex. gr. non tenetur audire sacrum die lunæ, qui non audiuit die Dominica: non tenetur ieiunare die sequenti, qui non ieiunauit die aliquo præscripto ab Ecclesia; vel abstinere à carnibus die Dominica, qui non abstinuit die Sabbathi: ita præcepta ecclesiastica limitata, & determinata ad annum, non obligant nisi intra illum. Cúmque Ecclesia vult vlteriùs obligare data prima commoditate, solet illud exprimere: vt patet exemplo præcepti Confessionis ante communionem, respectu sacerdotum, sess. 13. Trident. cap. 7. Et confirmatur ex D. Thoma in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 1. quæstiunc. 4. vbi docet hoc præceptum non obligare ratione commoditatis, sed ratione temporis limitati ab Ecclesia.

S. Thom.

69. Respondetur eius argum.

Respondeo, regulam illam veram tantùm esse in iis Ecclesiæ præceptis, quorum obligatio limitatur, & restringitur ad illum diem, propter illius reuerentiam, aut quid simile: ita vt non vltra extendatur. Secus autem in præceptis, quæ tempus aliquod designant, non vt obligatio intra illud con-

cludatur, eoque elapso expiret: sed vt exequutio præcepti intra illud differri possit, & non vlteriùs differatur. Cuius secundi generis est præceptum annuæ confessionis, & communionis. Neque est verum, aut necessarium apponi semper huiusmodi præceptis eandem expressionem, quam Tridentinum cap. cit. adhibuit. Imò hæc expressio non est explicatio præcepti ante ab eo relati, & confirmati: sed est nouum & distinctum præceptum sacerdotibus impositum, vt ne facilè prætexant impotentiam confitendi, ante celebrationem sacrificii.

70. Ad confirmationem Respondeo, sensum D. Thomæ esse fideles non obligari ad confitendum data prima commoditate: sed sufficere si confiteantur intra tempus præscriptum ab Ecclesia, id est, semel singulis annis. Quod adhuc intelligendum est de eo, cui deinceps non deerit confitendi commoditas. Nam si quis initio anni habens confitendi copiam, præuideret fore vt in reliqua parte anni non habeat, teneretur tunc confiteri. Quia tenetur non differre confessionem vltra totum annum. Atqui differet si modò non confiteatur. Sic qui die festo præuidet fore, vt si primum sacrum non audiat, nullum aliud ex sequentibus audire poterit, tenetur primum audire si potest. Ratio est, quia præceptum currit toto illo tempore: & cùm non sit restrictum ad vnam eius partem, intra quam tota præcepti obligatio concludatur, ita vt neque ante incipiat, neque postea duret: potest toto eo tempore impleri, per se loquendo: ac debet necessariò intra illud impleri, ita vt totum illud tempus non sinatur elabi sine exequutione præcepti. Ergo qui in aliqua parte illius temporis præuidet fore, vt si nunc præceptum non impleat, non poterit deinceps toto eo tempore implere: tenetur tunc implere. Non tamen tenetur præuenire totum annum: quia ante illum obligatio non incipit. Multóque minùs tenetur statim, aut paulò postquam peccauit, confiteri, propter periculum oblitionis. Sufficit enim, vt quando vrgebit confitendi necessitas, conetur recordari peccatorum suorum, quantum morali diligentia adhibita fieri poterit. Neque enim ad quicquam amplius obligatur, vt docet Tridentinum sess. 14. cap. 5. Neque tenetur aliter peccata in sua memoria, vel in scriptis conseruare: vt contra Maiorem, Marsilium, & Medinam docent alii communiter.

71. Non satisfit vnica confessione pro duobus annis.

Dubitatur tertiò, an qui omisit culpabiliter, aut inculpabiliter vno anno confiteri, & anno sequenti confitetur, satisfaciat illa vnica confessione pro vtroque anno? Respondeo negatiuè, si circa initium secundi anni confiteatur. Talis enim confessio, secundum moralem æstimationem, pertinet solùm ad annum præcedentem, pro quo fit, & ad quem retrotrahitur. Vnde non satisfacit obligationi anni sequentis, licet in eo physicè fiat. Et confirmatur ex praxi Prælatorum, qui non confitentes, & non communicantes, initio sequentis anni excommunicant, nisi, & donec satisfaciant exequutioni præcepti pro anno superiore. Ac rursus paulò post finem eiusdem anni, nisi intra illum rursus confessionem, & communionem adierint, eos excommunicant, donec pro illo anno satisfecerint. Loquimur autem de illo, qui post confessionem factam initio secundi anni, commisit nouum peccatum mortale eodem anno. Alioqui enim confessio legitimè facta deleuit omnia peccata mortalia eò vsque commissa. De peccatis autem legitimè confessis, & directè absolutis nemo tenetur confiteri iure diuino, neque etiam præcepto ecclesiastico, quod est tantùm iuris, & præcepti diuini circa tempus confessionis determinatio.

72. Conink.

Dixi præterea, si circa initium secundi anni confiteatur: quia secus dicendum puto cum Aegidio Conine disp. 5. dub. 8. num. 55. si circa finem, vel circa medium anni confiteatur. Tunc enim nimia est distantia, quàm vt moraliter confessio censeri possit ad annum priorem pertinere.

At inquies, exequutio præcepti confessionis est veluti solutio annui census, quem qui non soluit vno anno, tenetur alio soluere, vt supra diximus: & quot sunt anni, tot debent solui census: neque satisfacit pro anno superiori, qui soluit vnicum sequenti anno, quamuis in fine anni soluat.

73. Satisfit obiectioni.

Respondeo, similitudinem non valere in omnibus. Nam confessio extinguit totum debitum antecedens, subtrahendo materiam obligationis, si absque vllo defectu fiat. Extinguit enim directè omnia peccata mortalia: de peccatis autem directè absolutis nemo tenetur ampliùs confiteri. At solutio census vnius anni, non est solutio census anni præcedentis, neque tollit materiam obligationis ad illum persoluendum: neque enim tollitur, nisi soluatur census pro tunc debitus. Vnde ius Censualistæ manet læsum, quamdiu non soluitur. Neque illi satisfacit is, qui debens duos aureos in censum, pro duobus annis, vnum tantùm reddit. Quod autem diximus, debere tot esse confessiones, quot annos; intelligi debet moraliter, quando scilicet moraliter anni possunt, ac debent distingui in ordine ad confessionem. Et quando post confessionem factam tempore pertinente moraliter ad priorem annum, inciditur de nouo in peccatum mortale.

74. Ad satisfaciendum præcepto ecclesiastico sufficit confessio formaliter integra.

Dubitatur quartò, qualis confessio requiratur, vt satisfiat huic præcepto ecclesiastico? Respondeo primò, eum, qui validè & legitimè confessus est, sed per obliuionem, aut aliam causam excusantem omisit aliqua mortalia in confessione, satisfecisse nihilominus præcepto annuæ confessionis; neque teneri ampliùs eodem anno confiteri, sed posse peccata omissa in sequentis anni confessionem differre. Ita Nauarrus in Manuali cap. 2. num. 10. Victoria in Summa, num. 137. Suarez disp. 35. sect. 4. n. 6. Aegid. Coninck disp. 5. dub. 9. num. 71. & alii con-

tra Ledesmam 1. parte 4. quæst. 6. art. 5. dub. 6. Secus tamen si de reseruatis alicui non habenti potestatem confessus sit, & exteriùs appareat ipsum habere casus reseruatos, de quibus non fuerit absolutus. Talis enim tenetur sistere se Superiori, si potest. Et alioqui non satisfacit præcepto ecclesiastico, statuenti vt fideles omnia peccata sua confitcantur. Quod intelligendum est, saltem quantùm exteriùs apparet, & quantùm moraliter fieri potest, ei qui habet absoluendi potestatem.

75. Non sufficit confessio de venialibus, lapsis postea in mortale.

Respondeo secundò, eum, qui semel, aut sæpius in anno de venialibus confessus est, si eodem anno incidit in peccatum mortale, teneri de illo confiteri. Ratio est, quia ille per confessionem veniálium dumtaxat, non impleuit præceptum diuinum. Ergo neque ecclesiasticum annuæ confessionis, quod est tantùm modificatio diuini, debetque pariter intelligi de mortalibus. Idemque dico de eo, qui confessus esset mortale dubium (de quo suppono non esse præceptum diuinum obligans ad confessionem) quique postea eodem anno incideret in peccatum mortale certum. Teneretur enim illud confiteri, vt præcepto annuæ confessionis satisfaceret. At verò ille qui postquam semel de mortalibus confessus est, iterum labitur eodem anno in peccatum mortale, non tenetur iterum confiteri: quia per priorem confessionem satisfecit præcepto annuæ confessionis.

76. Sufficiatne confessio sacrilega?

Respondeo tertiò, probabile esse illum etiam satisfacere præcepto Ecclesiastico (sed non diuino) qui cum deuotione & reuerentia externa confitetur, quamuis interiùs non afferat quidquid ad valorem sacramenti necessarium est. Idemque dico si sacramentum sit inualidum ex defectu interno Sacerdotis non intendentis absoluere, aut occultè omittentis aliquid aliud necessarium. Primò, quia sic docent graues Theologi non pauci, Alensis, Gabr. Paludan. Ledesma, Victoria, & alii relati à Suare disp. 36. sect. 7. & Diana, tomo 2. tract. 4. resol. 120. Secundò, quia Ecclesia non præcipit eos actus internos qui non sunt necessarii vt actus externus, qui præcipitur, fiat bene & sufficienter quantùm exteriùs apparet, vt ostendimus alibi disputando de Legibus. At ille qui prædicto modo confitetur, facit & habet quidquid est necessariũ, vt confessio bene & sufficienter fiat, quantum exteriùs apparet. Ergo satisfacit præcepto Ecclesiæ: quamuis peccet contra præceptum diuinum: tum quia sacrilegè sacramentum irritum reddit suâ culpâ, si per eum stat, quò minùs sit validum: tum etiam quia nimis diu legitimam, & validam confessionem differt, si non legitimè & validè confiteatur intra tempus, quo ex præcepto solo diuino confessio obligaret, de quo dicemus sectione 10.

Suarez. Diana.

77. Suarez.

Contrarium sentiunt Durandus, Sotus, Medina, Nauarr. Adrianus, & alii, quos citant & sequuntur Suarez disp. 36. sect. 7. num. 3. Vasques quæst. 92. art. 3. dub. 5. AEgidius Coninck disp. 5. num. 70. Delugo disp. 15. sect. 6. num. 136. existimantes non satisfieri præcepto Ecclesiastico annuæ confessionis, nisi suscipiatur verum sacramentum pœnitentiæ. Primò, quia Ecclesia directè & per se præcipit susceptionem ipsius sacramenti. Ergo non satisfit eius præcepto, nisi sacramentum suscipiatur. Secundò, inquit Suarez, id manifestè sequitur ex Trident. sess. 14. cap. 5. & can. 8. vbi ait, Ecclesiam in hoc præcepto, de quo disputamus, non præcepisse confessionem absolutè: sed determinasse tempus eius confessionis faciendæ, quæ iure diuino præcepta erat. Ergo præceptum hoc non potest per aliam confessionem impleri, quàm per illam, per quam impletur præceptum diuinum. At præceptum diuinum non impletur nisi per susceptionem sacramenti. Deinde concilium Lateran. cap. *Omnis utriusque sexus*, præcipit, vt fideles singulis annis omnia peccata sua confiteantur, & pœnitentiam iniunctam impleant. At Ecclesia non potest præcipere fidelibus vt omnia peccata sua confiteantur, nisi indirectè solùm, quia scilicet id necessarium est ad receptionem sacramenti, ad quam ipsa nos obligat: & fideles non tenentur implere pœnitentiam, nisi quando perficitur sacramentum. Ergo præcipit sacramentum perfectè recipi. Denique qui occultè hostiam non consecratam reciperet à sacerdote, non satisfaceret præcepto ecclesiastico communionis annuæ: quia non recipit sacramentum Eucharistiæ. Ergo à pari qui fictè confitetur, non satisfacit præcepto ecclesiastico confessionis annuæ: quia non recipit sacramentum pœnitentiæ.

Vasquez. Coninc. Deluge.

78. Soluuntur argumenta sententiæ contrariæ.

Ad primum respondeo Ecclesiam præcipere susceptionem ipsius sacramenti, quantum exteriùs apparet, iuxtà mensuram potestatis suæ circa actus externos. Ad secundum dico similiter Ecclesiæ determinationem non obligare ampliùs, quàm ad hoc, vt diuinum præceptum tradatur exequutioni, quantum exteriùs apparere potest. Ad tertium respondeo, eodem modo præcepisse Ecclesiam, vt fideles omnia peccata sua confiteãtur, & pœnitentiam iniunctam impleãt: nempe quantum necesse est, vt iudicentur exteriùs satisfeciſſe præcepto diuino, recepisseque verè sacramentum. Ita vt nihil contrarium appareat exteriùs, de quo solùm potest Ecclesia iudicare, & leges ferre, ac pœnas contra facientibus imponere. Ad quartum, Nego talem non satisfacere præcepto ecclesiastico, si defectus sit occultissimus, & quoad omnia exteriora appareat ipsum reuerenter communicasse. Præsertim si Sacerdos super illam hostiam pronunciauit coram adstantibus, & aduertentibus, verba consecrationis: licet defectu intentionis non eam consecrauerit. Quamquam, quia contraria sententia valde probabilis, & tutior est in praxi: consulendum est illis, vt iterum legitimè, ac sicut oportet, intra eundem

eundem annum confiteantur, & communicent. Præsertim cùm manifestum sit eos non satisfeciſſe Ecclesiæ intentioni, fictè confitendo, & indignè communicando, vel apparenter tantùm.

SECTIO VIII.

De necessitate confessionis ante communionem: vel etiam post, respectu sacerdotum celebrantium non præmissa confessione.

79. Teneaturne iterum confiteri oblitus aliquod mortale.

CIrca primum: certum est eum, qui sibi conscius est peccati mortalis, teneri præmittere confessionem communioni, si fieri potest, vt docet Trident. sect. 13. cap. 7. Sed dubitari potest, vtrum is, qui inculpabiliter omisit aliquod peccatum mortale in confessione, putà, quia oblitus est, posteaque aduertit se illud omisisse, teneatur de illo confiteri ante communionem?

Rationes pro parte negante.

Ratio dubitandi est, primò, quia talis videtur satisfeciſſe præcepto de confessione facienda ante communionem. Quod præceptum eo tantùm fine latum est, vt per medium certius procuremus peccatorum mortalium remissionem, antequam ad tantum sacramentum accedamus. Hæc autem remissio iam habetur certissimè: quia oblita, & inculpabiliter omissa remittuntur cum aliis. Ergo &c. Minor certissimè constat ex Trid. sect. 14. c. 5. Maior autem probatur ex verbis eiusdem Concilii sess. 13. can. 12. de sacramento Eucharistiæ vbi sic habet: *Et ne tantum sacramentum indignè, atque adeo in mortem, & condemnationem sumatur: statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis; quos conscientia peccati mortalis grauat, quantumcunque etiam se contritos existiment, habitâ copiâ confessoris, necessariò præmittendam esse confessionem sacramentalem.*

80. Secundò, ille, qui intra annum semel confessus est legitimè, licet aliqua mortalia oblitus sit, non tenetur iterum confiteri de illis; antequam annus elabatur, vi præcepti diuini, vel Ecclesiastici: sed vtrique satisfeciſſe censetur, cum obligatione solùm proponendi oblita, quando iterum anno sequenti confitebitur. Ergo similiter satisfecit præcepto confitendi ante communionem, is qui semel confessus est integrè quantùm potuit. Item, quando præcipitur confessio ad Iubilæum, non tenetur is qui aliquod mortale oblitus est, iterum propter illud confiteri, ad effectum Iubilæi consequendum. Ergo satisfecit præcepto Pontificis. Ergo & ille, qui simili modo confitetur ante communionem, satisfacit præcepto.

81. Soluuntur rationes contrariæ sententiæ.

Tertiò, rationes contrariæ sententiæ videntur insufficientes ad tantum onus imponendũ fidelibus. Obligationes enim incertę, præsertim graues, & difficiles, non sunt recipiendæ. Nihil autem profertur, quod certò ostendat obligationem, de qua nunc agitur. Nam quod dicitur, hoc præceptum confitendi ante communionem, non esse præceptum confitendi vtcunque, sed confitendi omnia peccata, esseque simile præcepto cõfitendi in articulo mortis: est petitio principii sine alia probatione. Quod verò obiiciunt aliqui, fore, vt quispiam possit cũ peccati mortalis in confessione sic omissi conscientia permanere vsque ad periculum mortis, & millies etiam communicare sine confessione talis peccati: imò etiam quando tempus annuæ confessionis recurret: falsum est euidenter: quia ex Trid. sess. 14. cap. 5. tenetur quisque, quoties confitetur, explicare omnia mortalia nondũ confessa, quorum habet memoriam. Quare cùm annuæ confessionis tempus recurret, tenebitur illud peccatum confiteri: atq; etiam priùs, si priùs confiteatur. Quod si non peccet de nouo mortaliter ante tempus recurrẽs annuæ confessionis, poterit denuo eò vsque communicare sine præmissa cõfessione. Quia satisfecit præcepto confitendi ante communionem: & eò vsque non obligatur ad confessionem per se, sed tantùm propter cõmunionem. Si autem peccet, & velit communicare: tenebitur ad confitendum, non per se, & ratione ipsius confessionis, sed tantùm per accidens ratione communionis: quæ duæ obligationes sunt diuersæ. Ostendimus autem sect. 2. confessionem esse per se in præcepto ecclesiastico: & consequenter diuino: nam præceptum ecclesiasticum est tantùm determinatio diuini, quod supponit. Quare falsum est, quod dicunt Aduersarii, confessionem esse tantum præceptam, propter aliud: nimirum vt certiori viâ remissionem consequamur, & gratiam, vel propter communionem, aut quid aliud. Quoties tamen quis confitebitur, siue ex obligatione confitendi per se, siue propter communionem, aut quiduis aliud: tenebitur in qualibet confessione explicare omnia mortalia, non cõfessa, quorum habet memoriam. Quia generale præceptum est, vt quisquis confitetur, exponat omnia mortalia quæ nondum est confessus, & quorum, post diligentem discussionem, habet memoriam.

82. Quod denique dicunt, non constare eum tantùm esse finem, quem diximus, & non potiùs vt omnia directè Christi vicariis subiiciamus: & quamuis ille tantùm esset finis præcepti præmittendæ confessionis ante communionem, vt cum reuerentia ad tantum sacramẽtum accedamus; maior est reuerentia non tantùm accedere cum gratia, sed etiam sine conscientia vllius peccati mortalis, quod non fuerit perfectè subditum iudicio Sacerdotis idonei, & directè absolutum. Non licet autem ex consideratione finis relinquere aliquod præceptum, nisi eius obseruatio fiat prorsus inutilis ad id omne, quod potuit intendere legislator. Alioqui liceret etiam sic argumentari: Quando Christus instituit sacramentum pœnitentiæ, eius intentio fuit efficere nos puros à peccato per confessionem. Sed per confessionem, in qua obliti sumus aliqua mortalia,

effecti sumus puri à peccato: ergo licet postea memoriæ occurrant, non est præceptum diuinum ea confitendi.

83. Alia eiusdē argumenta diluuntur.

Ad hoc inquam facilè Responderi potest, ad obligationem tam grauem inducendam non sufficere argumentum negatiuum, non constare scilicet eum tantùm esse finem præcepti, quem diximus, & non potiùs vt omnia mortalia directè subiiciantur sacerdoti: sed oportere hoc secundum positiuè, & certò demonstrare. Alioqui enim grauis obligatio incerta & obscura non est suscipienda. Similiterque oporteret certò, & positiuè ostendere Christi intentionē fuisse, grauiter obligandi vt cum tanta reuerentia accedamus: ac non sufficere, quòd certò simus expiati à peccato mortali per sacramentum pœnitent. quódque, iuxta præceptū Apostoli semel homo seipsum probauerit per confessionem sacramentalem, quantùm moraliter potuit. Cùm autem Christus instituit sacramentum pœnitentiæ, non fuit tantùm eius intentio illa, quæ affertur in obiectione, vt scilicet efficeremur puri à peccato: sed etiam vt tali modo illi satisfaceremus, & iudicium sacerdotum subiremus. Constat enim ex dictis sect. 2. & fusiùs disp. 43. sect. 1. Sacramentū pœnitētię esse per se necessariū ex præcepto diuino: Christūque statuisse, vt omnia mortalia post baptismum commissa subiiciantur Apostolis, eorumque successoribus, ita vt retineantur quodammodo, donec ab illis directè remittantur.

Ex his omnibus liquet, valde apparēter dubitari posse de huiusmodi obligatione, vt fatetur etiā Cardin. Delugo disp. 14. de Euch. nu. 124. quam nonnulli moderni Theologiæ professores non modò in dubium reuocant, sed etiam præcisè negant.

[Delugo.

84. Præfertur sententia affirmant,

In contrarium tamen sufficit consensus omniū auctorū, & vsus Ecclesiæ, qui est optimus legum interpres, præsertim in rebus, quarum vsus frequentissimus est. Consensus, inquā, & vsus, saltem à tempore Concilii Trident. Nā ante non deerant Theologi qui dicerent, nō esse necessarium ex præcepto, saltem graui, confiteri ante cōmunionem, non solùm de oblitis, sed neque simpliciter de vllis: modò tamen non deesset contritio de mortalibus, quorū sibi quisque conscius erat. Sic expressè Caiet. in Summa, V. *Communio sacrament.* & in illud 1. Corinth. 11. *Probet autē seipsū homo*: & 3. part. q. 80. art. 4. in exemplaribus antiquis non correctis à Pio V. & in peculiari tractatu hac de re edito inter eius opuscula. Et ante Caiet. idem docuisse videntur Abbas in caput *de Homine*, de celebrat. Missarū, & Armil. V. *Communio*, §. vlt. Quæ doctrina post Trident. non potest ab errore excusari: vt rectè dicunt à Castro aduersus hæreses, V. *Eucharistia*, hæresi 10. sub finem, Canus Relect. de Pœnit. parte 5. Sixtus Senensis lib. 6. Biblioth. annotat. 261. Vasq. tom. 3. in 3. partem disp. 207. c. 3. n. 25. & alii Recentiores

Caiet. Abbas Armilla A Castro Canus Sixtus Vasq.

85.

Notandum tamen, non esse improbabile, minorem causam sufficere ad excusandum ab obligatione confitendi de oblitis ante communionem, quàm ad confitendū simpliciter. Vnde Henriq. lib. 8. de Euchar. cap. 46. §. 3. ait laicum, qui ad linteum altaris adstat paratus communicare cum aliis, & confessionem præmisit, excusari propter reuerentiam Sacramenti, ne statim redeat ad confessariū, vt directè absoluatur à peccato, cuius fuerat oblitus, etiam seclusâ notâ & scandalo: cùm iam accedat iustus, & probatus per confessionem: ac proinde satisfecerit præcepto Apostoli, & Trident. Quæ ratio tamen plus probare videtur. Citatque idem auctor ibid. in Commentario lit. I. & K. plures Theologos pro eadem sententia.

Henriq.

Nota 2. præceptum præmittendi communioni sacramentalem confessionē pertinere non tantùm ad laicos sed & ad Sacerdotes, etiam illos, quibus ex officio incumbit celebrare: vt declarat Tridentinum sess. 13. cap. 7. Vbi præterea statuit, vt si necessitate vrgente Sacerdos absque præuia confessione celebrauerit, quam primùm postea confiteatur.

86. Præceptū cōfessionis ante missæ celebrationem,

Circa quod præceptum (quod est secundum in titulo sectionis propositum) Nota tertiò illud esse purè ecclesiasticum, & tunc primùm ab Ecclesia in Tridentino latum, vt redderet Sacerdotes, præsertim rurales, diligentiores in quærendo Confessario ante celebrationem. Non pertinet autem hoc præceptum ad laicos; neque ad ipsos Sacerdotes laico more communicantes. Nam Concilium loquitur tantùm de Sacerdote qui celebrauerit. At neq; laici celebrant, neque Sacerdotes, cùm tantùm laico more communicant. Addunt aliqui non pertinere quoque ad Sacerdotes, qui celebrant in die Paraseues, vel qui Sacerdoti post consecrationem substituuntur ad consumendum sacrificium, quod ipse non potest consumere. Ratio est, quia tales non propriè celebrant, quandoquidem non consecrant. Sed communis sententia contraria est. Quia tales verè dicuntur ex parte celebrare. Item sunt qui putent eos, qui sine necessitate ex mera malitia celebrant, non comprehendi hoc præcepto: quia Tridentinum loquitur tantùm de eo, qui vrgente necessitate absque præuia confessione celebrauerit. Ita Delugo disput. 14. de Eucharist. num. 150. putans id bene colligi ex fine præcepti, qui est, inijcere metum illis, qui prætextu necessitatis celebrandi, possent diu differre confessionem: posito autem hoc præcepto, quærent diligentiùs confessarium. Quod præceptum non esset vtile respectu eorum, qui ex malitia celebrant, non præmissa confessione: sed esset illis occasio noui peccati, sine spe fructus.

Comprehendit illos, qui substituuntur.

Existimo tamen eos à fortiori contineri sub hoc præcepto: & quod ait Concilium Tridentinum, *Si necessitate vrgente*, &c. non esse dictum, vt excluderet casum extra necessitatē: sed vt disertè exprimeret illū de quo magis dubitari poterat, & in quo necessitas

87. Atque etiā eos, qui celebrant absque necessitate.

videri poterat excusare. Nec obest, quòd præceptum hoc non adeo prodest malitiosis. Neque enim propterea non debent vrgeri præceptis, & oneribus, vt resipiscant. Idem dicendum puto de eo, qui non præmissa confessione celebrat, & inter celebrandum meminit ante communionem se esse in statu peccati mortalis. Talis enim, si tunc non potest confiteri, tenetur conteri, & datâ primâ commoditate confiteri, quia celebrauit absque confessione præuia, vt ait Tridentinum, præuia, inquam, ad communionem, de qua loquitur idem Concilium verbis proximè antecedentibus illud præceptum, consequenter ad illud Apostoli 1. Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo* (per confessionem) *& sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Debet autem hoc nouum præceptum intelligi latum esse sacerdotibus iuxta subiectam materiam, & consequenter ad verba præcedentia.

Et quidam celebrandũ recordatus peccati mort. non confessi.

88. Vasquez, Delugo.

Sunt tamen qui existiment, sacerdotem, de quo loquimur, non illo comprehendi: vt Vasques disp. 208. cap. 3. num. 20. & Delugo disp. 14. de Eucharistia num. 146. Quia, inquiunt, Concilium loquitur de eo, qui celebrat absque confessione præuia: id est, qui non præmittit confessionem, antequam incipiat celebrare. Sed hoc minùs probabile mihi videtur. Quia verbum *celebrandi*, simpliciter positum à Tridentino, latiùs patet, significatque non tantùm celebrationem integram, sed etiam eius partem. Quare confessio debita est ratione partis, præcipuéque ratione communionis sacerdotalis: ac non tantùm ratione totius. Et si defuit, debet prima commoditate suppleri, vt Tridentinum ibi præscribit. Confirmatur, quia sacerdos, qui succedit post consecrationem Sacerdori non valenti consumere sacrificiũ, comprehenditur hoc præcepto, teneturque postea, quamprimùm confiteri, si non antea confessus fuerit, vt docent Authores citati. Quare non satis cohærenter loqui mihi videntur, quando hoc secundum asserunt: & tamen negant teneri etiam sacerdotem, qui ante communionem, imò & ante consecrationem meminit inter celebrandum se esse in peccato mortali. Quod enim sacerdos vel antea cœperit celebrare, vel tunc succedat alteri, qui cœperit, parum interest, quandoquidem id, quod supereſt celebrationis, exigit præuiam confessionem, quam Tridentinum vult quamprimùm post suppleri, si præmissa non fuit. Idem denique dico de sacerdote, qui mortaliter peccaret inter celebrandum. De eo verò, qui, cùm celebrat; meminit peccati, quod per obliuionem, vel ob reseruationem, aut aliam impotentiam, omisit in confessione præmissa celebrationi, iudicandum est ex iis, quæ diximus in prima parte sectionis, num. 83. & duobus sequentibus.

89. Quomodo quamprimùm post celebrationem confitendum?

Nota quartò, circa particulam illam præcepti, *quamprimùm confiteatur*, illam non mathematicè, sed moraliter intelligendam esse. Ita nimirum, vt sacerdos non finat elabi confitendi commoditatem intra triduum circiter, eamque vlteriùs non differat: atque etiam primam commoditatem arripiat, si probabiliter aliam habiturus non sit intra triduum, vel etiam citiùs antequam iterum celebret. Vt bene docet Delugo sup. num. 161. Et confirmari potest ex eo quod rectè notat Sanches lib. 1. de Matrim. disp. 51. num. 14. in iure dici statim fieri siue in continenti, quod intra triduum fit, L. finali C. de errore aduocatorum, Verbo *In continenti, id est, triduo*: & L. finali C. de iudiciis, Verbo *illico autem, id est, intra triduũ*.

Verum autem non est quod ait Ledesma in summa, 1. p. tract. de Euchar. cap. 11. ante conclusionem nonã. Vbi sine ratione repugnat communissimæ sententiæ Theologorum, & Casuistarum, quando negat verba citata Tridentini continere præceptum. Nam præterquam quòd temerarium, est tanto consensui se opponere: Missale Romanum *in regulis* intelligit ibi esse præceptum, cùm loco verborum Trident. *quamprimùm confiteatur*, dicit, *quamprimùm debet confiteri*. Sed & verbum illud, *Confiteatur*, sufficit ad designandum præceptum: præsertim sic explicante communi consensu Theologorum, & vsu fidelium. Eodemque verbo, & simili loquendi modo, in can. *Omnis vtriusque sexus*, præcepta est annua confessio, & communio. Nam ibi Concilium non est vsum aliis verbis, quàm istis, *Confiteatur saltem semel in anno proprio sacerdoti, & suscipiat reuerenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum.* Et tamẽ ibi Ledesma cum omnibus agnoscit latum esse præceptũ idque euidenter ostendũt pœnæ ibidem impositæ transgredientibus.

SECTIO IX.

De necessitate pœnitentiæ, abstrahendo à Sacramentali & non Sacramentali.

90.

HVc vsque diximus de necessitate confessionis, seu pœnitentiæ sacramentalis. Iam de necessitate pœnitentiæ latiùs sumptę dicendum est, priusquam cætera, quę ad confessionem pertinent explicare pergamus. Ac primò, quæritur, vtrum pœnitentia sit in præcepto: ita vt impœnitentia sit nouum, & speciale peccatum, distinctum à prioribus iam commissis: & is quem peccati nunquam pœnitet, peccet de nouo, & speciatim eo nomine, quòd ipsum nõ pœnitet.

Pœnitent. est in præcepto per se.

Respondeo affirmatiuè. Probatur primò, quia vbicunque est noua, & specialis turpitudo moralis, id est disconuenientia cum recta ratione, est nouum & speciale peccatum: & consequenter est aliquod speciale præceptum illi peccato oppositum. At in eo quòd aliquẽ nunquam peccati sui pœniteat, est specialis turpitudo moralis, & disconuenientia cum recta ratione: Ergo &c. Probatur minor; quia, vt rectè notauit S. Thomas quæst. 84. art. 5. ad 2. recta ratio dictat ea,

triplici capite debere nos peccáti pœnitere. Primò, ex lege iustitiæ, vt satisfaciamus, quantum possumus, pro iniuria illata. Secundò, ex lege charitatis erga Deum, quæ nos obligat ad Deum amandum super omnia, detestandumque quidquid illi displicet, atque ad ipsius amicitiam recuperandam, si per peccatum eam perdidimus. Tertiò, ex lege amoris proprii boni, quâ tenemur nostris spiritalibus necessitatibus subuenire, æternâque animæ nostræ ruinâ vitare, æquè ac magis, quàm ruinam proximi, cui opera nostra est plane necessaria. Prior obligatio est ex vi præcepti pœnitétiæ per se. Aliæ duæ sunt ex præcepto charitatis, & ex præcepto spei, id est, amoris boni nostri supernatural.

91. Probatur ex Script.

Probatur secundò ex Scriptura, quæ impœnitentes grauiter reprehendit, & supplicia illis minatur, non solùm ob peccata priùs commissa, sed specialiter propter hoc ipsum, quòd eos suorum peccatorum non pœniteat. Sic Paulus ad Roman. 2. ♥4. & 5. affirmat cor impœnitens, resistens Deo ad pœnitentiam adducere volenti, Thesaurizare sibi irâ in die iræ, id est, supplicium suum augere per impœnitentiam. Non augeret autem, nisi impœnitentia esset nouum peccatum, & causa maioris supplicii. Et Isaiæ 65. v. 12. Ierem. 8. v. 4. & 6. & Prouerb. 1. v. 24. exprobrat Deus peccatoribus, quòd non conuertantur, & agant poenitentiam, sibique ad eam vocanti non respondeant. At hoc ipsum Deus non exprobraret, nisi esset malum, & peccatum non agere poenitentiam.

Neque enim locis citatis Deus tantùm reprehendit peccatores, eò quòd incidant in noua peccata furti, odii, concupiscentiæ &c. vt malè aliqui respondent: sed etiam eò, quòd non obtemperent Deo vocanti ad poenitentiam. *Vocaui*, inquit, *& non respondistis: loquutus sum & non audistis*: Isaiæ 65. v. 12. *Nunquid qui cadit, non resurget: & qui auersus est, non reuertetur?* Ierem. 8. v. 4. *Quia vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, aduenerit*, Prouerb. 1.

92. Contraria sententia.

Contrarium sensit Victoria, vt testantur aliqui Thomistæ recentiores, & refert Canus relect. de poenitent. parte quartâ existimans poenitentiam esse quidem necessariam, vt medium ad obtinendam remissionem peccatorum antea commissorum: eum tamen, qui illam omittit non committere nouum peccatum, sed tantùm puniri & damnari propter alia peccata, quibus per poenitentiam non attulit remedium. Fundamentum huius opinionis triplex esse potest. Primò, quia non sunt multiplicandæ obligationes sine necessitate. Atqui nulla est necessitas inducêdi hanc specialem obligationem: cùm omnia, quæ de necessitate poenitentiæ dicuntur in Scriptura, possint facilè intelligi de necessitate medii ad obtinendam remissionem peccatorum præcedentium. Secundò, D. Thomas 2. 2. quæst. 14. art. 2. docet impoenitentiam, prout est perseuerantia in peccatis vsque ad mortem, non esse peccatum speciale, sed tantùm prout est propositum non poenitendi. Hoc autem falsum esset, si ipsa omissio liberæ poenitentiæ esset nouũ & speciale peccatum, vt nos volumus. Tertiò, sequeretur neminé posse mori cum vnico peccato mortali: sed hoc ipso, quòd finaliter eũ non poeniteret, moreretur cum adiuncto peccato finalis impoenitentiæ. Et quod magis absurdũ est, daretur progressus in infinitum. Quia sicut non poenitere de furto v.g. est nouũ peccatum impoenitentiæ: ita non poenitere de hoc nouo peccato, erit aliud nouum peccatũ: & de hoc iterum: & sic in infinitum. S. Thom.

Ad primum Respondeo negando minorem. Constat enim eius oppositum ex testimoniis Scripturæ supra citatis & expensis. Sftisfetius argumẽtis.

Ad secundum: D. Thomas eo loco, sicut & 3. p. quæst. 88. art. 4. aliisque locis, per *speciale peccatum*, intelligit speciale subiectiuè quodammodo, id est, non generale, & commune omnibus, aut fere omnibus aliis peccatorum speciebus, per modum circunstantiæ generalis, non prædominantis, sed adiunctæ alteri rationi peccati magis considerabili: iuxta ea, quæ diximus de ingratitudine peccãtis post remissionem, disp. 46. sect. 4. Vel, vt exponit eruditissimus Cardinalis Delugo disp. 7. section. 10. Diuus Thomas non ibi loquitur de perseuerantia pura in peccato habituali, sed in actuali, continuando semper vsque ad mortem peccatum retentionis rei alienæ, vsuræ, odii, fornicationis, & similem malam voluntatem. Quæ perseuerantia non est peccatum speciale, id est, noua quædam species peccati: sed est circunstantia aggrauans eorumdem peccatorum, quia est continuatio, seu duratio peccati. Quę expositio fundatur in ipso D. Thoma in secundo, distinctione quadragesima tertia quæst. 1. art. 3. ad 3. vbi sic ait: *Sicut perseuerantia dicitur dupliciter. Vno modo est virtus specialis, prout dicit propositum perseuerandi in bono incepto, vsque ad finem. Et alio modo est circunstantia aliarum virtutum, prout dicit actualem durationem in actibus virtutum vsque ad mortem. Ita etiam & impoenitentia, secundum quod dicit propositum non pœnitendi, est species peccati in Spiritum sanctum: secundum autem quod dicit permanentiam in peccato vsque ad mortem, negando peccati poenitentiam: sic est accidens, & circunstantia aliorum peccatorum.* Hæc Diuus Thomas. Cuius comparatio vt bona sit, verba illa, *negando peccati poenitentiam*, debent intelligi non de pura negatione poenitentiæ, sed fundata in continuatione peccati actualis, oppositâ incompatibiliter, & contrariâ actui poenitentiæ: vt respondeat secundo

93. Perseuerãtia in peccato sine speciale eatum?

Delugo

S. Thom.

membro prioris diuisionis perseuerantiæ, sumptæ scilicet pro continuatione actualis exercitii virtutum: quæ continuatio est circunstantia moralis augens meritum: non autem pura habitualis permanentia, seu non retractatio bonorum actuum præteritorum. Deinde vtrumque est præcisè intelligendum de perseuerantia in bono, vel in malo actuali vsque ad mortem, absque illa reflexione aut consideratione quòd duret vsque ad mortem. Sic enim esset propositum, saltem indirecte & virtualiter, non pœnitendi vsque ad mortem: ad eandemque speciem pertineret, & esset æquè peccatum in Spiritum sanctum: quod est contra intentionem D. Thomæ.

94. Ad tertium: nego sequelam. Tum quia potest quis perseuerare in peccato, & mori subitò sine aduertentia huius obligationis: & tunc non peccat formaliter, & culpabiliter peccato impœnitentiæ. Tum etiam quia potest quis peccare actualiter in ipso mortis articulo: in quo non potest simul pœnitere de eodem peccato: quia implicat simul esse peccatum actu, & pœnitentiam, seu retractationē ac detestationem eius efficacem. Si autem non potest, non tenetur: quia nemo obligatur ad impossibile.

Præceptum pœnit. non obligat pro semper.

Ad progressum in infinitum Respondeo, præceptum pœnitendi esse affirmatiuum, non obligans pro semper, sed tempore necessario, & sine mora vituperabili. Quando autem aliquis non habet actum pœnitentiæ de peccato præterito, tunc temporis quando necessaria est ex præcepto, peccat de nouo. Et rursus quando recurret tempus necessarium pœnitendi, peccabit nouo peccato impœnitentiæ de vtroque peccato; seu potiùs augebit & aggrauabit vetus peccatum impœnitentiæ, addito nouo gradu malitiæ eiusdem speciei. Et sic deinceps totâ vitâ, quandiu recurret obligatio pœnitendi. In quo nullum est absurdum. Porro non est opus pœnitentem interrogare de hoc peccato. Quia sufficienter ex aliorum peccatorum confessione cognoscitur quantùm fuerit salutis suæ, & pœnitentiæ, saltem internæ, studiosus.

95. Quæritur secundò, an præceptum pœnitentiæ sit tantùm positiuum, id est, à sola Dei libera voluntate profectum: an verò etiam naturale, ita vt pœnitentia iure ipso naturali sit necessaria: & impœnitentia ei opposita, sit mala ex natura rei: neque tantùm sit mala, quia prohibita: sed potiùs sit prohibita, quia mala?

Respondeo esse naturale, cum Diuo Thoma, quæstione 84. art. 7. ad 1. vbi ait, *De iure naturali esse, quòd aliquis pœniteat de malis, quæ fecit.* Et quæst. 86. art. 6. ad vltimum, dicit pœnitentiam esse de iure naturali. Ratio est, quia iure naturali tenetur quisque satisfacere, quantùm potest, pro iniuria alteri illata. Peccatum autem est iniuria Dei. Ergo iure naturali tenetur peccator pro eo satisfacere Deo, quantùm potest. Optimus autem, & conuenientissimus satisfaciendi modus est detestatio, & dolor de peccato cōmisso, cum proposito non peccandi de cætero, & cum aliqua emendatione, seu castigatione voluntaria, aut perpessione pœnæ, in vindictam peccati. Quare etiam in statu purè naturali, citra vllum præceptū Dei positiuū, & citra ordinem ad statum gratiæ teneretur peccator ad talem pœnitentiā exhibendam eo modo, quo posset. Parique ratione, si quis peccando honorem Dei apud alios imminuisset, per contumeliam, blasphemiam, atheismum, aut quid simile; teneretur iure naturali, non modò apud se pœnitere: verùm etiam tollere malam de Deo existimationem, quam aliorum mentibus ingenerasset, & honorem Dei imminutum refarcire.

Præceptum pœnit. est naturale.

In statu verò rerum, qui fuit ab initio mundi hucusque, posita Dei reuelatione, quòd velit hominibus reconciliari, quódque possit per contritionem, aut per sacramentum pœnitentiæ in re vel in voto: tenetur homo iure naturali ad huiusmodi modum pœnitentiæ: tum ex iustitia, vt Deo satisfaciat, id est, faciat quantum ipse exigit: tum ex charitate erga Deum, vt ipsius amicitiam recuperet: quem sicut iure naturali tenetur amare; ita & eius amicitiam conseruare, ac recuperare si perdidit: tum denique ex amore proprii boni, vt se tanto malo liberet, quantum est peccatum, eripiatque æternæ damnationis periculo. 96. Obligat ex iustitia & ex charitate.

Dices, obligationem illam supponere aliquid positiuum: nempe voluntatem, & ordinationem Dei de remissione peccatorū, & reconciliatione obtinenda efficaciter per tale medium: atque etiam gratiæ auxilia, ad illos actus pœnitentiæ exercendos necessaria. Ergo illa obligatio non est purè naturalis.

97. Respondeo, esse naturalem radicaliter, imò & formaliter secundum se. Nam illa ordinatio diuina non facit præceptum, sed eâ solum positâ, præceptum naturale de satisfaciendo Deo, & recuperanda ipsius amicitia, deque repellendo proprio malo, quantùm fieri potest, obligat iam ad istum modum efficacem, factum nobis possibilem per Dei gratiam, & ordinationem.

Est aliquando obligatio ad impossibile pro nunc, si postea fiat possibile.

Pro quo nota ex Aegidio Conine, disput. tertia, numero nono, quòd licet nemo obligetur ad impossibile, quamdiu est illi impossibile, ita vt peccet illud non præstando tunc cùm est illi impossibile præstare: posse tamen esse obligatū hîc & nunc ad illud præstandū, si fiat illi possibile præstare, & quādo erit factum possibile. Sic v. g. qui est pauper & impotēs restituere, nō obligatur ad restituendū pro tēpore, quo non potest: sed tenetur restituere, si ad pinguem fortunā redeat. Et tunc debebit restituere non ex nouo præcepto tūc impositō, aut nascēnte ex diuitiis, quas sibi comparauit: sed ex præcepto præexistente, cuius vis ligabatur, & mortificabatur pœ

impotentiam restituendi: nunc autem libera,& expedita,viget & vrget ad restituendum. Idque non minùs verum esset in eo casu quo ille per miraculũ diteſceret. Idem dico de eo,qui alterum mutilauit,cui non tenetur in actu secũdo restituere membrum, quia non potest: est tamen obligatio in radice ad reddendũ si posset. Sic ergo,licet peccator sine auxiliis gratię,& sine Dei ordinatione,nõ possit solis naturæ viribus facere aliquid,quo Deo satisfaciat, id est, faciat quantum ipse postulat ad eum placandum, quoue ipsius amicitiam recuperet, & peccati remissionem obtineat: habet tamen naturalem obligationem ad illud faciendum, quando per Dei gratiam & ordinationem fiet ei possibile.

58. Vtrum obligatio ad contritionẽ in articulo mortis. Suares. Sanchez. Valentia.

Quæritur tertiò, vtrum in articulo mortis sit obligatio exercendi actum contritionis perfectę,illi, qui cum attritione recipit sacramentum pœnitentiæ?

Affirmant Suarez disp. 15. sect. 4. num. 18. Sãches tom. 1. in Decal. cap. 9. num. 34. Valentia quæst. 8. de Pœnit. punct. 4. in fine, & plures alij. Quia in tanto periculo salutis æternæ perdendę irreparabiliter,& dãnationis tam grauis incurrendæ, debet quisque sibi consulere, vtendo medio certissimo,& tutissimo, quantum moraliter fieri potest;& supplere quidquid incertum, aut dubium vel minimùm esse potest; dubium inquam facti, ita vt eo non posito salus reipsa non sequatur, quantumuis existimemus positum fuisse, neque excuset ignorantia, vel imprudentia. Atqui non desunt Theologi, qui putent incertum esse, imò & falsum, attritionem solam cum sacramento iustificare. Et quamuis id omnino certum esset post Tridentinum sessione decima quarta cap. 4. vt plurimis videtur: tamen non est adeo certum,an pœnitens sit sacramenti pœnitentiæ capax, vel rite absoluatur. Quid enim si ipse non est rite baptizatus; vel si sacerdos non est verè ordinatus, aut caret intentione absoluendi? Eadẽque de causa ille,qui in art. mortis non est sibi cõscius vllius peccati mortalis, debet nihilominus conteri, quia fieri potest, vt sit in statu peccati mortalis, quamuis illud ignoret. Item, quia non est omnino certum, & apud Theologos indubitatum, aut ab Ecclesia sufficienter definitum, quòd dilectio Dei super omnia sine formali contritione sufficiat ad iustificationẽ: non sufficit illi elicere actum dilectionis,sed debet actum contritionis formalis exercere. De contritione verò formali si Tridentinum cap.cit. non satis definit eam sufficere sine dilectione, ad reconciliationem: debet pari ratione vterque actus in articulo mortis exerceri. Hæc tamen necessitas est tota ratione tanti periculi tunc vrgentis. Quare non est par ratio de reliquo tempore v. g. Et si Deus alicui certò reuelasset ipsum iam per sacramentum fuisse reconciliatum, esseque in statu gratiæ: non teneretur ille ad contritionem. Quia sacramentum pœnitentiæ non iustificat cum voto, & speciali obligatione contritionis, tanquam medii per se quodammodo necessarii, & adhibendi, si fieri potest, pro iisdem peccatis: sed è contrario, contritio non iustificat extra sacramentum sine voto sacramenti pœnitentiæ, vt docet Tridentin. cap. cit. In quo differunt contritio, & sacramentum pœnitentiæ, ab actu formalis dilectionis Dei super omnia propter se: quia licet Deus alicui reuelaret certissimè ipsum vi istius actus,tanquam sufficientis dispositionis, remissionem peccatorum suorum obtinuisse: teneretur nihilominus ad exercendum actum contritionis, vel ad sacramentum pœnitentiæ recipiendum, si fieri posset. Quia dilectio non est medium per se institutum ad peccati remissionem: sed vicem subit contritionis, aut sacramenti pœnitentiæ, tanquam medii per se quodammodo necessarii. Hæc illi.

Argum. pro parte affirmante.

59. Contraria sententia. Diana. Delugo.

Contrarium docent Fagundes de præcepto 2. lib. 2. cap. 4. num. 13. Coninc disput. 3. de Pœnit. dub. 1. num. 5. Becan. cap. 35. de Sacram. num. 3. Layman lib. 4. tract. 6. cap. 2. num. 6. & alii, quos citant, & seqq. Diana tom. 2. tract. 4. de Sacrã. resol. 98. & Delugo disp. 7. sect. 13. quorum argumenta hæc præcipuè sunt. Primum: si esset talis obligatio, tenerentur confessarii moribundos de illa admonere: quod est contra praxim. Sed hoc argumentum parum vrget. Facilè enim responderi potest non esse propterea monendos de tali obligatione, quia incerta est, & quia sufficit eos hortari, excitare, & iuuare ad actum contritionis exercendum: vt facere solent illi, quibus incumbit moribundos disponere ad fœliciter exeundum ex hæc vita.

Probatur ab absurdo.

Secundò & efficaciùs probant, quia si incertitudo remedii adhibiti per attritionem cum sacramento pœnitentiæ induceret obligationem habendi actum contritionis in articulo mortis: teneretur quoque moribundus repetere sæpius actum contritionis. Quia non est certius actum priorem,quem elicuit, fuisse veram contritionem: quàm sacramentum pœnitentiæ iustificare cum attritione. Imò hoc posterius est certius, quàm illud prius. Tertiò, teneretur etiam quilibet conteri, aut confiteri, statim post commissum peccatum mortale, vel antequam in somnum incidat, vel non diu post differre. Quia non est certius, quòd non sit moriturus in somno, aut quòd sit diu victurus, & pœnitendi spatium habiturus: quàm sit certum sacramentum pœnitentiæ cum attritione iustificare. Imò teneretur confiteri simul & conteri, propter incertitudinem cuiuslibet ex illis remediis, seorsim sumpti, & periculum æternæ damnationis. Quartò, teneremur infantem moribundum rebaptizare sub conditione. Quia non est certius, quòd fuerit validè baptizatus à sacerdote, vel ab obstetrice, cum debita intentione, & aliis necessariis: quàm,

Digitized by Google

quòd pœnitens iustificetur per sacramentum cum attritione.

100. Præcepta obligant tantùm ad diligentiã moralem.

Ratio denique à priori est, inquit Delugo, quia præcepta hominibus data non obligãt ad exquisitam, & metaphysicam diligentiam, alioqui enim essent intolerabilia, sed ad humanam tantùm, & moralem. Quare licet æternæ salutis negotium sit maximi momenti: non tamen obligat, nisi ad humanam, & moralem diligentiam, quæ nimirum sufficiat ad excludendum dubium morale & humanum. Hinc fit, vt non teneamur, imo nec licitè possimus infantem moribundum rebaptizare, si non sit dubium morale de valore Baptismi: quamuis metaphysicè dubitari possit, num intentio defuerit: aut num mentiatur ille, qui testatur Parocho fuisse baptizatum in necessitate. Hinc etiam fit, vt non teneamur statim conteri, aut confiteri sacramentaliter post peccatum mortale commissum, licet non simus certi metaphysicè de vita longiori, quia nonnulli subitò moriuntur sine spatio pœnitentiæ. Nimirum quoniam in his omnibus non est periculum morale, & humanum. Quare similiter non tenemur conteri in articulo mortis, recepto sacramento pœnitentiæ cum attritione: quia non est dubium, aut periculum morale, ne non simus iustificati. Tametsi optimum & consultissimum est conari actum contritionis elicere in tali articulo: ad illumque debent, vt solent, excitare moribundos illi, quibus curæ est eos ad bene moriendum disponere, & iuuare.

101. Soluuntur argumenta sent. affir.

Atque hinc facile est respondere fundamento contrariæ sententiæ, quæ minùs probabilis esse mihi videtur. Ad maiorem enim respondeo, nos teneri tantùm vitare dubium, & periculum morale. Nego autem sententiam illam paucorum Theologorum de attritione cum sacramento pœnitentiæ, aliáque ab Aduersariis adducta de incertitudine Baptismi, vel Ordinis sacerdotalis, vel intentionis, sufficere ad dubitandum moraliter: nisi sit aliqua alia causa specialis de istis dubitandi. Cùm manifestum sit non magis esse rationem dubitandi in illo casu, quàm in aliis adductis in confirmationem secundæ sententiæ, in quibus tamen fatentur Aduersarii non esse morale dubium, & periculum sufficiens ad obligandum.

102. Et quamuis fateamur sententiam Aduersariorum non carere probabilitate, excepto eo quod dicunt de insufficientia attritionis cum sacramento, esseque in praxi tutiorem: non tenetur tamen moribundus se illi conformare. Quia licet non possimus è duabus opinionibus probabilibus eligere alteram, tametsi probabiliorem, quando est periculum ne id cedat in præiudicium salutis nostræ vel alienæ, aut in præiudicium tertii: intelligendum illud est de periculo morali, non autem de metaphysico. Non est autem periculum morale in casu, de quo disputamus. De quo etiam sunt diuersæ opiniones probabiles circa licitum. Generaliter autem quotiescunque sunt probabiles vtrinque opiniones circa licitum, seu circa ius; liberum est alterutram sequi in praxi, vt ostendimus in fine tractatus de Actibus humanis.

SECTIO X.

Quotempore obliget præceptum naturale pœnitentiæ?

REspondeo, præceptum naturale pœnitentiæ, extra articulum mortis, de quo iam diximus, obligare ad actum pœnitentiæ exercendum sine mora vituperabili, id est, non nimis longa post peccatum commissum: de qua, prudenti æstimatione iudicandum est. Loquor autem de obligatione præcepti pœnitentiæ per se, & non per accidens, seu propter aliud accidentarium virtuti pœnitentiæ: putà, quia sacramentum aliquod administrandum, vel recipiendum est, cuius reuerentia obligat ad procurandam priùs efficaciter puritatem à peccato mortali: vel quia opus aliquod heroicum, ex. gr. martyrium aggrediendum est: vel grauissima, & diuturna tentatio vincenda, magnumque periculum est deficiendi, & succumbendi, nisi priùs Deo reconcilientur, vt ab eo obtineamus plura & maiora auxilia. Quo supposito, probatur responsum; quia præceptum pœnitentiæ affirmatiuum est. Præcepta autem affirmatiua, indefinitè lata, non obligant per se loquendo, nisi ad agendum sine mora vituperabili, circa materiam præcepti: vt patet inductione per præcepta amandi, & colendi Deum, honorandi parentes, diligendi proximum, faciendi eleemosynam, & similia.

103. Obligat ad pœnitendũ sine mora vituperabili.

104. Hæc mora non est vsq; ad articulũ mortis.

Dissensio verò grauis est inter Theologos circa quantitatem moræ non vituperabilis, respectu præcepti pœnitentiæ: Ac primò, Caietan. v. *Contritio*. §. *Tempus autem*: Sotus in 4. dist. 17. quæst 2. art. 6. Concl. 6. & Nauar. cap. 1. Man. n. 27. putant non esse moram vituperabilem differre contritionem vsque ad articulum mortis: adeo vt præceptum hoc per se non obliget, nisi in mortis periculo.

Sed hæc sententia communi Theologorum doctrinæ aduersatur, estque omnino improbabilis. Primò, enim, Scriptura grauiter reprehendit peccatores nondum positos in articulo mortis, eo nomine quòd non agant pœnitentiam, affirmatque eos iram Dei accumulare, & supplicium suum augere titulo nimis dilatæ pœnitentiæ, vt suprà ostendimus ex cap. 2. ad Rom. v. 4. & 5. Isaiæ 6. v. 5. Ierè. 8. v. 6. & Prouer. 1. v. 24. Deinde secundò, sicut præcepto naturali tenemur Deum sæpius in vita diligere: ita & multò magis conteri de peccatis mortalibus, & ad ipsum conuerti. Quia plus Deo iniuriosum est hærere totâ vitâ in ipsius inimi-

impotentiam restituendi: nunc autem libera,& expedita,viget & vrget ad restituendum. Idque non minùs verum esset in eo casu quo ille per miraculũ diteſceret. Idem dico de eo,qui alterum mutilauit,cui non tenetur in actu secũdo restituere membrum, quia non potest: est tamen obligatio in radice ad reddendũ si posset. Sic ergo,licet peccator sine auxiliis gratię,& sine Dei ordinatione,nõ possit solis naturæ viribus facere aliquid,quo Deo satisfaciat, id est, faciat quantum ipse postulat ad eum placandum, quoue ipsius amicitiam recuperet, & peccati remissionem obtineat: habet tamen naturalem obligationem ad illud faciendum, quando per Dei gratiam & ordinationem fiet ei possibile.

98. Quæritur tertiò, vtrum in articulo mortis sit obligatio exercendi actum contritionis perfectę,illi, qui cum attritione recipit sacramentum pœnitentiæ?

Vtrum obligatio ad contritionẽ in articulo mortis. Suarez. Sanchez. Valentia.

Affirmant Suarez disp. 15. sect. 4. num. 18. Sánches tom. 1. in Decal. cap. 9. num. 34. Valentia quæst. 8. de Pœnit. punct. 4. in fine, & plures alij. Quia in tanto periculo salutis æternæ perdendę irreparabiliter,& dãnationis tam grauis incurrendæ, debet quisque sibi consulere, vtendo medio certissimo,& tutissimo, quantum moraliter fieri potest; & supplere quidquid incertum, aut dubium vel minimùm esse potest; dubium inquam facti, ita vt eo non posito salus reipsa non sequatur, quantumuis existimemus positum fuisse, neque excuset ignorantia, vel imprudentia. Atqui non desunt Theologi, qui putent incertum esse, imò & falsum, attritionem solam cum sacramento iustificare. Et quamuis id omnino certum esset post Tridentinum sessione decima quarta cap. 4. vt plurimis videtur: tamen non est adeo certum,an pœnitens sit sacramenti pœnitentiæ capax, vel rite absoluatur. Quid enim si ipse non est rite baptizatus; vel si sacerdos non est verè ordinatus, aut caret intentione absoluendi? Eadéque de causa ille,qui in art. mortis non est sibi cõscius vllius peccati mortalis, debet nihilominus conteri: quia fieri potest, vt sit in statu peccati mortalis, quamuis illud ignoret. Item, quia non est omnino certum, & apud Theologos indubitatum, aut ab Ecclesia sufficienter definitum, quòd dilectio Dei super omnia sine formali contritione sufficiat ad iustificationẽ: non sufficit illi elicere actum dilectionis,sed debet actum contritionis formalis exercere. De contritione verò formali si Tridentinum cap.cit. non satis definit eam sufficere sine dilectione, ad reconciliationem: debet pari ratione vterque actus in articulo mortis exerceri. Hæc tamen necessitas est tota ratione tanti periculi tunc vrgentis. Quare nec est par ratio de reliquo tempore v. æ. Et si Deus alicui certò reuelasset ipsum iam per sacramentum fuisse reconciliatum, esseque in statu gratiæ: non teneretur ille ad contritionem. Quia sacramentum pœnitentiæ non iustificat cum voto, & speciali obligatione contritionis, tanquam medii per se quodammodo necessarii, & adhibendi, si fieri potest, pro iisdem peccatis: sed è contrario, contritio non iustificat extra sacramentum sine voto sacramenti pœnitentiæ, vt docet Tridentin. cap. cit. In quo differunt contritio, & sacramentum pœnitentiæ, ab actu formalis dilectionis Dei super omnia propter se: quia licet Deus alicui reuelaret certissimè ipsum vltius actus,tanquam sufficientis dispositionis, remissionem peccatorum suorum obtinuisse: teneretur nihilominus ad exercendum actum contritionis, vel ad sacramentum pœnitentiæ recipiendum, si fieri posset. Quia dilectio non est medium per se institutum ad peccati remissionem: sed vicem subit contritionis, aut sacramenti pœnitentiæ, tanquam medii per se quodammodo necessarii. Hæc illi.

Contrarium docent Fagundes de præcepto 2. lib. 2. cap. 4. num. 13. Coninc disput. 3. de Pœnit. dub. 1. num. 5. Becan. cap. 35. de Sacram. num. 3. Layman lib. 4. tract. 6. cap. 2. num. 6. & alii, quos citant, & seqq. Diana tom. 2. tract. 4. de Sacrã. resol. 98. & Delugo disp. 7. sect. 13. quorum argumenta hæc præcipuè sunt. Primum: si esset talis obligatio, tenerentur confessarii moribundos de illa admonere: quod est contra praxim. Sed hoc argumentum parum vrget. Facilè enim responderi potest non esse propterea monendos de tali obligatione, quia incerta est, & quia sufficit eos hortari, excitare, & iuuare ad actum contritionis exercendum: vt facere solent illi, quibus incumbit moribundos disponere ad fœliciter exeundum ex hæc vita.

99. Contraria sententia. Diana. Delugo.

Secundò & efficaciùs probant, quia si incertitudo remedii adhibiti per attritionem cum sacramento pœnitentiæ induceret obligationem habendi actum contritionis in articulo mortis: teneretur quoque moribundus repetere sæpius actum contritionis. Quia non est certius actum priorem,quem elicuit, fuisse veram contritionem: quàm sacramentum pœnitentiæ iustificare cum attritione. Imò hoc posterius est certius, quàm illud prius. Tertiò, teneretur etiam quilibet conteri, aut confiteri, statim post commissum peccatum mortale, vel antequam in somnum incidat, vel non diu post differre. Quia non est certius, quòd non fit moriturus in somno, aut quòd sit diu victurus, & pœnitendi spatium habiturus: quàm sit certum sacramentum pœnitentiæ cum attritione iustificare. Imò teneretur confiteri simul & conteri, propter incertitudinem cuiuslibet ex illis remediis, seorsim sumpti, & periculum æternæ damnationis. Quartò, teneremur infantem moribundum rebaptizare sub conditione. Quia non est certius, quòd fuerit validè baptizatus à sacerdote, vel ab obstetrice, cum debita intentione, & aliis necessarijs: quàm,

Probatur ab absurdo;

quòd poenitens iustificetur per sacramentum cum attritione.

100. Præcepta obligant tantùm ad diligentiã moralem.

Ratio denique à priori est, inquit Delugo, quia præcepta hominibus data non obligãt ad exquisitam, & metaphysicam diligentiam, alioqui enim essent intolerabilia, sed ad humanam tantùm, & moralem. Quare licet æternæ salutis negotium sit maximi momenti: non tamen obligat, nisi ad humanam, & moralem diligentiam, quæ nimirum sufficiat ad excludendum dubium morale & humanum. Hinc fit, vt non teneamur, imo nec licitè possimus infantem moribundum rebaptizare, si non sit dubium morale de valore Baptismi: quamuis metaphysicè dubitari possit, num intentio defuerit: aut num mentiatur ille, qui testatur Parocho fuisse baptizatum in necessitate. Hinc etiam fit, vt non teneamur statim conteri, aut confiteri sacramentaliter post peccatum mortale commissum, licet non simus certi metaphysicè de vita longiori, quia nonnulli subitò moriuntur sine spatio poenitentiæ. Nimirum quoniam in his omnibus non est periculum morale, & humanum. Quare similiter non tenemur conteri in articulo mortis, recepto sacramento poenitentiæ cum attritione: quia non est dubium, aut periculum morale, ne non simus iustificati. Tametsi optimum & consultissimum est conari actum contritionis elicere in tali articulo: ad illumque debent, vt solent, excitare moribundos illi, quibus curæ est eos ad bene moriendum disponere, & iuuare.

101. Soluuntur argumenta sent. affir.

Atque hinc facile est respondere fundamento contrariæ sententiæ, quæ minùs probabilis esse mihi videtur. Ad maiorem enim respondeo, nos teneri tantùm vitare dubium, & periculum morale. Nego autem sententiam illam paucorum Theologorum de attritione cum sacramento poenitentiæ, aliáque ab Aduersariis adducta de incertitudine Baptismi, vel Ordinis sacerdotalis, vel intentionis, sufficere ad dubitandum moraliter: nisi sit aliqua alia causa specialis de istis dubitandi. Cùm manifestum sit non magis esse rationem dubitandi in illo casu, quàm in aliis adductis in confirmationem secundæ sententiæ, in quibus tamen fatentur Aduersarii non esse morale dubium, & periculum sufficiens ad obligandum.

102. Et quamuis fateamur sententiam Aduersariorum non carere probabilitate, excepto eo quod dicunt de insufficientia attritionis cum sacramento, esseque in praxi tutiorem: non tenetur tamen moribundus se illi conformare. Quia licet non possimus è duabus opinionibus probabilibus eligere alteram, tametsi probabiliorem, quando est periculum ne id cedat in præiudicium salutis nostræ vel alienæ, aut in præiudicium tertii: intelligendum illud est de periculo morali, non autem de metaphysico. Non est autem periculum morale in casu, de quo disputamus. De quo etiam sunt diuersæ opiniones probabiles circa licitum. Generaliter autem quotiescunque sunt probabiles vtrinque opiniones circa licitum, seu circa ius; liberum est alterutram sequi in praxi, vt ostendimus in fine tractatus de Actibus humanis.

SECTIO X.

Quotempore obliget præceptum naturale pœnitentiæ?

103. Obligat ad pœnitendũ sine mora vituperabili.

Respondeo, præceptum naturale pœnitentiæ, extra articulum mortis, de quo iam diximus, obligare ad actum pœnitentiæ exercendum sine mora vituperabili, id est, non nimis longa post peccatum commissum: de qua, prudenti æstimatione iudicandum est. Loquor autem de obligatione præcepti pœnitentiæ per se, & non per accidens, seu propter aliud accidentarium virtuti pœnitentiæ: putà, quia sacramentum aliquod administrandum, vel recipiendum est, cuius reuerentia obligat ad procurandam priùs efficaciter puritatem à peccato mortali: vel quia opus aliquod heroicum, ex. gr. martyrium aggrediendum est: vel grauissima, & diuturna tentatio vincenda, magnumque periculum est deficiendi, & succumbendi, nisi priùs Deo reconciliemur, vt ab eo obtineamus plura & maiora auxilia. Quo supposito, probatur responsum; quia præceptum pœnitentiæ affirmatiuum est. Præcepta autem affirmatiua, indefinitè lata, non obligant per se loquendo, nisi ad agendum sine mora vituperabili, circa materiam præcepti: vt patet inductione per præcepta amandi, & colendi Deum, honorandi parentes, diligendi proximum, faciendi eleemosynam, & similia.

104. Dissensio verò grauis est inter Theologos circa quantitatem moræ non vituperabilis, respectu præcepti poenitentiæ: Ac primò, Caietan. v. *Contritio*. 5. *Tempus autem*: Sotus in 4. dist. 17. quæst 2. art. 6. concl. 6. & Nauar. cap. 1. Man. n. 27. putant non esse moram vituperabilem differre contritionem vsque ad articulum mortis: adeo vt præceptum hoc per se non obliget, nisi in mortis periculo.

Hæc mora non est vsq; ad articulũ mortis.

Sed hæc sententia communi Theologorum doctrinæ aduersatur, estque omnino improbabilis. Primò enim, Scriptura grauiter reprehendit peccatores nondum positos in articulo mortis, eo nomine quòd non agant poenitentiam, affirmatque eos iram Dei accumulare, & supplicium suum augere titulo nimis dilatæ poenitentiæ, vt suprà ostendimus ex cap. 2. ad Rom. v. 4. & 5. Isaiæ 6. v. 5. Ierè. 8. v. 6. & Prouer. 1. v. 24. Deinde secundò, sicut præcepto naturali tenemur Deum sæpius in vita diligere: ita & multò magis conteri de peccatis mortalibus, & ad ipsum conuerti. Quia plus Deo iniuriosum est hærere totâ vitâ in ipsius ini-

micitia: quàm habitualiter cum amando abstinere solùm ab actu amandi totâ vitâ. Tertiò, contemptus quidam est diuinæ amicitiæ, hærere tamdiu in ipsius inimicitia, cùm possis facilè ipsius ope, sæpius vltro à Deo ipso oblatâ, & ad reconciliationem inuitante, & sollicitante, amicitiam eius recuperare. Hoc enim est eâ parui facere: quæ grauis est erga infinitam Dei bonitatem, & maiestatem summè amabilem iniuria. Propter quod censeo AEgidium quoque disp. 4. num. 35. moram nimis extendere, cùm ait, constitui posse terminum extrinsecum trium aut quatuor annorum, vt qui tamdiu pœnitentiam differt, censeatur peccasse grauiter contra præceptum naturale poenitentiæ.

Conin.

105. Non tenetur peccator statim conteri. Aut onin Argent in Parisiens. Sylvest.

Alii contra censent moram esse vituperabilem si quis postquam mortaliter peccauit, non conteratur statim moraliter, id est, cùm primùm potest. Ita S. Anton. 3. p. tit. 14. cap. 18. § 2. Argent in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 4. ad 4. Guilielm. Parisiensis in lib. de Sacram. poenitent. cap 19. & Sylvest. V. *Contritio* 4. Rationes huius sententiæ graues sunt, desumptæ ex triplici capite, quo supra diximus nos ad agendam poenitentiam naturaliter obligari. Nimirum ex iustitia, ex charitate erga Deum, & ex amore nostri proprii boni. Ex iustitia: quia quicunque alteri iniuriam intulit; tenetur, cùm primùm potest, ei satisfacere. Peccatum autem est iniuria Dei. Ergo peccator tenetur pro illo satisfacere per poenitentiam. Ex charitate verò erga Deum obligamur amare Deum, & non esse ipsius inimici. Ergo peccat contra charitatem, qui voluntariè permanet in Dei inimicitia: tamdiu enim est voluntariè inimicus Dei. Ac si charitas erga proximum obligat nos, vt statim ei reconciliemur, iuxta illud Ephes. 4. v. 26. *Sol non occidat super iracundiam vestram*: & Matth. 5. *Si offers munus tuum ad altare* &c: multò magis charitas erga Deum obligat, vt ipsi statim reconciliemur, si possumus. Amor denique proprii boni obligat, vt qui graue malum corporale sibi intulit, statim illud emendet, si potest. Ergo & multò magis tantum malum spirituale, quantum est peccatum mortale. Tenemur enim animam plusquam corpus diligere. Maximè verò quia morale periculum est, ne si in statu peccati mortalis hæreamus, incidamus in alia peccata mortalia. Peccatum enim, quod per poenitentiam non ità deletur, Deo permittente, suo ponderе in aliud trahit, vt ait S. Gregor. homilia 11. in Ezechielem. Adde præterea quòd in spiritualibus tenetur quisque magis se amare, quàm proximum. Atqui amor proximi obligat nos, vt eũ fraternè corripiamus, & à peccati statu reuocemus, cùm primùm possumus moraliter, id est, sine nostro incõmodo, & cum spe fructus, ac nisi probabiliter melior occasio se oblatura sit, quæ prudenter expectari debeat. Ergo multò magis tenemur nos ipsos emendare, & conuertere à statu peccati mortalis, cùm primùm possumus moraliter.

106. Respondetur argumentis cõtrariæ sententiæ.

Hæc argumenta, vt dixi, grauia sunt, sed non sufficiunt ad inducendam tam grauem obligationem, quantam hæc opinio vult hominibus imponere. Ex ea enim sequeretur illum, qui statim non conteritur, aut non confitetur sacramentaliter de peccato mortali, peccare continuò, & peccatum suum magis semper, ac magis aggrauare, quamdiu voluntariè differt remedium reconciliationis: sicut is qui iniustè bonum alienum surripuit peccat continuò, quamdiu potest restituere, & non restituit. Idcòque Theologi cõmuniter illi sententiæ aduersãtur.

107. Non tenemur ad id ex iustitia.

Ad cuius primum argumentum respondeo, Maiorem esse veram de iniuriis, quæ hominibus fiunt, quibus dilatio satisfactionis, aut restitutionis est per se loquendo nociua. Vnde ne continuetur, vel augeatur nocumentum, tenemur restituere, aut satisfacere cùm primùm moraliter fieri potest. Secus est de iniuriis Deo factis per peccatum mortale, communiter loquendo, id est, exceptis quibusdam Deo specialiùs iniuriosis, & scãdalosis per imminutionem honoris illius, & authoritatis apud nos ipsos, & apud alios: Vt quando quis malam de Deo existimationem concepit: vel per blasphemias aut hæreses malam, & pernicioſam eius æstimationem aliorum mentibus ingenerauit. In quibus fatemur obligari peccatorem, cùm primùm potest, restituere Deo honorem sic ablatum: non tantùm propter damnum proximi, sed etiam ex iustitia erga Deum, cuius famæ detraxit. Si tamen potest hoc præstare efficaciter sine contritione, vel confessione sacramentali: non tenetur hæc media adhibere. In aliis verò peccatis dilatio poenitentiæ nullum infert Deo damnum aut nocumentum extrinsecum, per se loquendo: ideoque non est par ratio de illis, ac de iniuriis, quæ hominibus fiunt, ablatione bonorum, aut illatione malorum.

108. Neque ex charitate erga Deũ.

Ad secundum respondeo, nos obligari ex charitate diligere Deum, & non esse ipsius inimici: id est, excercere actum dilectionis suis temporibus, & nihil facere, aut omittere, propter quod incurramus ipsius inimicitiam. Verumtamen sicut non tenemur eum semper diligere, aut cùm primùm possumus: ita postquam per peccatum mortale inimicitiam eius incurrimus, non tenemur, cùm primùm possumus, amicitiam redintegrare. Et quamuis non possimus sine peccato velle Dei inimicitiam, aut velle in ea manere, aut nolle Dei amicitiam: possumus tamen sine peccato non velle hic & nunc adhibere medium efficax recuperandæ ipsius amicitiæ: atque etiam nolle adhibere hic & nunc, & velle in aliud tempus differre: quod interdum iusta de causa fieri potest, ob præsentem difficultatem, ex morbo vel aliunde prouenientem, & spem moraliter certam melioris commoditatis post ad futuræ. Cùmque, vt supra dixi, præceptum pœnitentiæ

sit affirmatiuum, non obligat pro semper, sufficitque vt velimus illud implere eo tempore, pro quo vrget illius obligatio. Meritóque Facultas Sorbonica hanc propositionem Lutheri, *Quòd non omni tempore pœnitemus, vitium est*, damnauit in hunc modum, titulo 8. Censuræ Luther. propos. *Hæc propositio, vt vitium dicit culpam, ad sensum scribentis, est falsa, irrationabiliter, & ex erroneo Scripturæ sensu asserta.*

Dices: Nolle hic & nunc recuperare Dei amicitiam, est moraliter, & æquiualenter velle esse hic & nunc inimicum Dei, & manere in ipsius inimicitia. Hoc autem secundum est intrinsecè malum, & disconueniens rectæ rationi: ergo & illud primum.

Respondeo, hæc duo non moraliter æquiualere, nisi sit obligatio recuperandi hîc & nunc amicitiam diuinam. Qui enim amittit, aut nonvult malum aliquod impedire, quod tenetur impedire; censetur quidem moraliter illud velle, & esse illius causa, eo ipso, quòd scienter & liberè omittit, aut nonuult impedire, cum possit, & debeat. At verò ille, qui non tenetur impedire, censetur tantùm permissiuè se habere. Non est autem intrinsecè malum permittere durare pro aliquo tempore statum inimicitiæ iam incursæ per peccatum actuale. Neque ostenditur aliunde obligatio nunquam permittendi durationem illius status.

110 Ad confirmationem dico eum, qui odit proximum, teneri statim deponere iniustum odium, & auferre eius effectus, præsertim scandalosos, atque eatenus ei reconciliari. Sed non tenetur statim, aut cùm primùm potest moraliter, eum amare positiuè, vel officia charitatis erga illum exercere.

Neque ex amore proprii boni. Ad tertium Respondeo, nos non obligari ad tollendum statim & quamprimum possumus, malũ corporale, quod nobis fecimus, dummodo nullum detrimentum graue boni alicuius necessarii timeatur prudenter ex dilatione remedii. Periculum autem incidendi in aliud peccatum mortale, non statim occurrit: ideoque neque ex hoc capite obligamur quamprimum Deo reconciliari. Præceptum quoque fraternæ correctionis non obligat statim, & quamprimum, si non sit defutura alia opportunitas, & interim neque continuatio peccati, neque nouum aliud peccatum timeri debeat, aut detrimentum alicuius boni necessarii: vt fusiùs docent Suarez disp. 15. sect. 5. num. 26. & sequentibus, & Delugo disp. 7. sect. 11. apud quos plura videri possunt de quæstione proposita.

Suarez. Delugo.

11. Non teneri etiam contteri prima die Dominica. Alii tertiò putant præceptum pœnitentiæ obligare ad reconciliationem primo die Dominico occurrente post peccatum commissum. Pro qua opinione citantur Scot. in 3. dist. 27. art. 3. & Angelus V. *Feria.* num. 41. sed Scot. malè citatur: Angelus verò loquitur vniuersaliùs de feriis: & censet attritionem sufficere. Cuiuscunque verò sit illa sententia, displicet, quia hæc determinatio temporis valde angusta est respectu eorum, qui peccant proximè ante diem Dominicum. Neque video rationem differentiæ, cur hi tam breui teneantur, alii verò peccantes die Lunæ, possint differre multò diutiùs. Falluntur enim si putant, hoc deberi necessariò reuerentiæ diei Dominicæ. Tum quia deberetur similiter aliis diebus festis, saltem æqualibus, & maioribus. Tum etiam quia nullum est fundamentum asserendi nos debere diebus festis, sub obligatione peccati mortalis, vacare tam perfectè cultui diuino, vt eo die ritè confiteamur sacramentaliter, vel conteramur de peccatis commissis. Neque enim Deus Sabbathi festum Iudæis indicens, cultum tam perfectum eis præcepit. Neque Apostoli docuerunt id à Christo præceptum esse die Dominico succedente Sabbathi festo, aut aliis festis, quæ ex ipsius Dei institutione seruabatur. Ecclesia verò, quæ plurima festa instituit, non habet ius præcipiendi actus non necessarios decenti cultui externo: neque vllam legem statuit, quâ videatur præcipere diebus festis actus internos ad reconciliationem necessarios. Denique determinatio cultus diuini ad dies festos est purè positiua, diuina vel humana: estque planè accidentaria præcepto pœnitentiæ, per se & naturaliter considerato.

Quartò denique, existimare posset aliquis 112.
spatium vnius anni non esse moram vituperabilem: propterea quòd Ecclesia in Concilio Lateran. can. *Omnis vtriusque sexus*, fideles tantùm obligauit vt semel saltem in anno peccata sua confiteantur. Verùm Ecclesia eo præcepto non explicauit, neque determinauit præceptum naturale pœnitentiæ: sed tantùm addidit suum præceptum, & determinationem præcepto diuino circa confessionem sacramentalem. Cùmque non desit aliud medium reconciliationis, quod crebriùs vsurpari potest, nempe contritio: noluit præcepto suo, addita comminatione pœnarum ecclesiasticarum, adstringere, & vrgere fideles ad confessionem sæpiùs vsurpandam. Olim tamen præceptum erat ecclesiasticum ter in anno communicandi, in Paschate, in Pentecoste, & in Natali Domini: & consequenter confitendi ad communicandum, si communicaturi habebant conscientiam peccati mortalis: vt patet ex Can. *Etsi non frequentius*, de consecrat. dist. 2. qui canon sumptus est ex Fabiano Papa, qui sedit anno Domini 242.

Sine mora vituperabilis spatium vnius anni.

Et quidem probabiliùs censeo spatium 113.
vnius anni, aut etiam dimidii, esse moram vituperabilem, & nimis longam permanentiam in capitali Dei odio, statuque miserrimo peccati mortalis: in quo vix possunt moraliter vitari tãto tempore alia peccata mortalia: intra quod etiam credibilius est, nos teneri exercere actus amoris Dei, & gratitudinis de beneficiis Dei continuis, & directionis nostrarum actionum ad ipsum, vt finem nostrum vltimum, & detestationis eorũ,

quæ ab illo auertunt: ac denique non pati tamdiu iacturam operum nostrorum, quæ non sunt vitæ æternæ meritoria, quamdiu versamur in statu peccati mortalis.

115. Quàm minimum autem esse debeat spatium nondum vituperabile, non video posse definiri. Neque damnarem peccati mortalis, eos qui intra semestre conantur semel saltem efficaciter Deo reconciliari. Omnibus tamen consulendum est in confessionibus, prædicationibus, & colloquiis spiritalibus, vt ne diem quidem vnicum finant labem peccati mortalis apud se residere. Parochisque, & Concionatoribus, & omnibus salutem animarum procurantibus incumbit fideles docere modum, quo actus contritionis perfectæ exercendus est, vt eo remedio crebriùs vtantur. Et hactenus de necessitate pœnitentiæ. Nunc ad reliqua pergamus, quæ ad sacramentalem confessionem pertinent.

Responsio quæstionis.

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA.

De qualitate, & integritate Confessionis.

Sectio I.	*An confessio debeat necessariò voce fieri, vel secretò, vel sine mendacio, & mala intentione?*
Sectio II.	*An confessio debeat fieri in præsentia sacerdotis?*
Sectio III.	*An, & quomodo necesse sit integrè confiteri?*
Sectio IV.	*An, & quomodo circunstantiæ peccatorum explicandæ sint?*
Sectio V.	*Refellitur noua quædam sententia.*
Sectio VI.	*Notantur aliqua de circunstantiis.*
Sectio VII.	*Quomodo numerus peccatorum mortalium explicandus sit?*
Sectio VIII.	*An, & quomodo peccata dubia sint confitenda?*
Sectio IX.	*Quæ causæ excusent ab integritate confessionis?*
Sectio X.	*De aliis causis excusantibus.*

QVÆ D. Thomas docet quæst. 7. Supplementi de quidditate confessionis, exposita fuerunt disp. præcedenti sect. 1. De qualitate verò, & integritate confessionis agit quæst. 9. & art. 1. docet confessionem sacramentalem, si fiat sine contritione, id est, sine dolore sufficienti de peccatis, esse informem, hoc est, sine effectu gratiæ sanctificantis, & sine fructu absolutionis. 2. Confessionem peccatorum mortalium debere esse integram: quia quemadmodum corporis medicus totam infirmi habitudinem perspectam habere debet: ita Sacerdoti totam pœnitentis conscientiam notam esse oportet. 3. Confessionem peccatorum, quatenus est pars sacramenti, voce fieri debere, nisi aliquod naturæ impedimentum obstet: quia ad peccata nostra manifestanda, debet assumi id, quo maximè consueuimus manifestare, scilicet proprium verbum. Addit 4. ad confessionem sacramentalem iure ob-

eundam requiri sexdecim conditiones, quas enumerat & exponit, idemque nos sect. citata præstitimus. Quod etiam docet de necessitate contritionis vel attritionis, vt confessio non fit informis & sine fructu absolutionis, exposuimus disp. 48. præcipuè sect. 12. Superest ergo vt alia duo proposita à D. Thoma vberiùs explicemus.

SECTIO I.

An confessio debeat necessariò voce fieri, vel secretò, vel sine mendacio, & mala intentione?

1. Non est essentiale cõfessioni, vt voce fiat.

DIco primò, non esse de essentia sacramenti huius, vt confessio voce fiat, seu per locutionem oris vocalem. Probatur, quia id neq; ex verbis institutionis, neque aliunde colligi potest, sed potiùs oppositum. Nam ex verbis institutionis Ioan. 20. colligi tantùm potest, necessarium esse vt pœnitens iudici causam suam aperiat. Ad quod non est necesse vt id fiat per locutionem vocalem. Neque Ecclesia sic Christi verba interpretata est, sed à Leone I. summo Pontifice Epist. 91. & à Concilio Carthagin. III. can. 34. expressè constitutum fuit, ægrotum voce destitutum debere absolui, si per nutum confiteatur. Idemque docet S. August. lib. 1. de Adulterinis coniug. cap. vlt. Et vsus Ecclesiæ quotidianus est, vt etiam muti ad confessionem admittantur, quos tanto bono, & tali remedio priuari non fuit conueniens.

Leo.

Carthag.

August.

2. Dices, Concil. Florentinum in decreto §. *Quartum sacramentum*, affirmare secundam partem materialem huius sacramenti esse confessionem oris. Respondeo, id dictum esse sumpto vulgari nomine ab eo, quod frequentius fit. Sicut etiam vulgò tertia pars eiusdem sacramenti vocatur operis satisfactio, non quòd solo opere fiat, sed quia frequenter ita fit. Tridentinum autem sess. 14. cap. 3. ad tollendam vocis ambiguitatem consultò abstinuit ab illa voce, *oris*, absolutè pronuncians contritionem, confessionem, & satisfactionem, esse partes materiales sacramenti pœnitentiæ.

3. Ac ne quidem in præcepto.

Addo cum Supra disp. 21. sect. 3. ne quidem esse in expresso præcepto, diuino vel ecclesiastico, vt confessio voce fiat. Nam nullum tale præceptum ab vllo profertur: sed tantùm ita receptum est communi vsu, & consuetudine, à qua sine aliqua causa recedendum non est. Et quidem vocalis loquutio ad conceptus explicandos, & peccata aperienda, commodissima est: ideóque meritò communi vsu recepta, & ordinariè vsurpanda. Erit tamen iusta ratio aliter faciendi, non solùm physica impotentia vtendi loquutione vocali: sed etiam magna difficultas, aut nimia verecundia. Nam communis consuetudo non obligat cum maiori rigore, vt prudenter Canus, Aegid. Conninck, alique affirmant. Quibuscum censeo non tantùm id licere, sed etiam aliquando expedire ad confessionis integritatem: quando periculum est, ne si vocaliter fiat, non fit adeò integra & sincera: quo in casu satius est scripto confiteri præsenti sacerdoti.

4. Satisfit obiectioni.

Quod autem obiiciunt aliqui, verecundiam confessionis esse sustinendam, & esse quandam partem satisfactionis: nihil obest. Nam id totum non est necessarium, neque comparandum cum integritate confessionis. Alia verò satisfactio, & pœna poterit facilè imponi secundum rectam rationem. Neque etiam oportet, vt qui confitetur fit notus sacerdoti secundum omnem rationem individualem, quæ non pertineat ad magnitudinẽ peccatorum: sed potest licitè pœnitens cõfiteri, si velit, in tenebris, vt ne de facie agnoscatur, & celare nomen suum, tanquam ad sacramentum pœnitentiæ non necessariũ: & vbique pœnitentes, etiam saccis induti, ad confessionem admittuntur.

5. Neque etiã vt secretò fiat.

Dico secundò, ad essentiam confessionis nihil interesse fiatne publicè, an secretò: vt satis declarauit Tridentinum sess. 14. cap. 5. cùm de sacramentali confessione loquens, dixit Christum non prohibuisse confessionem publicam, si pœnitens voluntariè illam facere velit. Vnde sequitur, Christum non instituisse modum secretæ cõfessionis, tamquam essentialem, aut necessarium: alioqui consequenter prohibuisset modum oppositum. Sicut quia constituit, vt ablutio in Baptismo fieret aqua naturali: consequenter prohibuit, vt ne aliter fiat. Confirmatur, quia confessio ideo solùm requiritur, vt pœnitens exponat Confessario sua peccata. Hoc autem æquè fit per confessionem publicam, ac per secretam. Atque ille est communis consensus Doctorum, & frequens vsus fidelium. Nam qui versantur in naufragii periculo, solent aperire simul publicè peccata Sacerdoti, qui non potest omnes secretò audire, & ab illo absolui. Et qui quacunque alia de causa non possunt secretò confiteri, egentque ope sacramenti propter instantem aliquam necessitatem: confitentur si volunt aliis audientibus. Peccaret tamen sacerdos, qui inuitum coperet ad confitendum, aliis audientibus. Quod etiam de pueris doli capacibus verum est, vt rectè notat Nauarrus in caput *Sacerdos*, de Pœnitentia, dist. 6. num. 109. Neque vlla humana lege satis consultò præciperetur, vt delicta, præsertim secreta, publicè essent

confeſſione aperienda: vt ait Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. poſt medium. Videatur Suares diſp. 21. ſect. 2. vbi vlteriùs oſtendit, ne in præcepto quidem expreſſo eſſe, vt confeſſio ſecretò fiat: ſed eſſe in communi vſu & conſuetudine, à qua ſine cauſa recedendum non eſt.

Suares.

6. Nec obeſt Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. cùm ait, confeſſionem ſecretam non eſſe inuentũ humanum. Id enim ideo dicit, quia confeſſio ſecreta ducit originem aliquo modo ab inſtitutione diuina. Quatenus confeſſio indeterminatè fuit à Chriſto inſtituta & præcepta. Vnde ſequitur, vt ſecreta, vel publica neceſſariò facienda ſit. Imò ſecreta conuenientior eſt huic foro interno, & magis apta ad tollendas difficultates, & ſcandala. Vel potiùs Concilium dicens confeſſionem ſecretam non eſſe inuentum humanum, loquitur de confeſſione ipſa quoad ſubſtantiã: eo ſenſu, quo hæretici, quos ibi damnat, confeſſionem ſacramentalem aiunt eſſe inuentum humanum. Canon verò *Omnis vtriuſque ſexus*, cùm ſtatuit, vt quilibet fidelis ſemel ſaltem in anno confiteatur ſoli ſacerdoti, &c. non præſcribit modum confitendi ſecretum: ſed illum ponit, vt ne alius temerè exigatur.

Diluitur obiectio.

7. Dico tertiò, confeſſionem malo fine factam, eſſe quidem illicitam & malam, ſaltem extrinſecè, ſeu denominatiuè, ratione mali finis: ſed tamen non eſſe inualidam, ſi finis ille ſit tantùm malus venialiter: vt ſi quis confiteatur ex motiuo vanæ gloriæ, non excluſo tamen alio principali remiſſionis peccatorum obtinendæ. Prima pars aſſertionis eſt nota ex tractatu de Actibus humanis. Secunda probatur; quia finis ille malus non impedit, quò minùs ſit confeſſio de omnibus aliis peccatis, quæ neceſſarium eſt confiteri; & quò minùs ſit contritio, vel attritio de iiſdem peccatis. Poſitis autem illis duobus confeſſio eſt valida, & ſufficiens ad ſacramentum pœnitentiæ: ergo, &c. Maior probatur, quia confeſſio & attritio de illa intẽtione venialiter mala, non eſt neceſſaria, vt confeſſio, & attritio de aliis peccatis, ſit vera & integra, quantùm eſſe debet. Neque enim tenemur confiteri venialia.

Peccatum veniale non obſtat eius valori.

8. Dixi, *ſi finis ille ſit tantùm malus venialiter*: quia ſecus ſentiendum eſſet, ſi finis eſſet malus mortaliter, ita vt confitens ex illo fine, grauiter peccaret. Tunc enim eius confeſſio nulla eſſet. Quia vel non integrè confiteretur omnia mortalia, quorum habet conſcientiam, ſi iſtud omitteret: vel non confiteretur cum attritione ſufficienti: quia non poteſt eſſe vera attritio de peccato eodem inſtanti, quo committitur, aut continuatur. Vera enim attritio excludit peccandi voluntatem, ex Trident ſect. 14. cap. 4.

9. Obiicies primò, perperam ſupponi, intentionem illam vanæ gloriæ eſſe leuiter malam. Quia eſt grauis irreuerentia contra ſacramentum, referre illud ad malum finem.

Sitne veniale ſolùm confiteri

Secundò attritio vel contritio neceſſaria ad ſacramentum pœnitentiæ eſt actus ſupernaturalis. Ergo non poteſt imperari ab illa mala intentione: alioqui dari poſſet actus ſupernaturalis malus ex fine. Ergo illa confeſſio non eſt valida, quia non eſt dolorosa, ſicut oportet, id eſt, coniuncta ſufficienti attritioni, vel contritioni. Tertiò denique, cùm actus imperatus neceſſariò exeat poſito imperante efficaci; non habet aliam bonitatem, vel malitiam formalem, quàm bonitatem aut malitiam ipſius imperantis. Sicut actus externus aliarũ potentiarum diſtinctarum à voluntate, non addit nouam bonitatem, aut malitiam formalem actui interno voluntatis: quia non fit per nouum, & diſtinctum vſum libertatis, ſed neceſſariò procedit poſito actu interno efficaci. Ergo attritio imperata efficaciter ab intentione vanæ gloriæ, habet ſolùm malitiam vanæ gloriæ, carétque omni bonitate formali: ac proinde non eſt actus virtutis ſupernaturalis, & ſufficiens ad ſacramentum pœnitentiæ.

ex intentione vanæ gloriæ,

Ad primum reſpondeo negando antecedens. Non enim eſt grauis irreuerentia admiſcere finem leuiter malum, & indecentem, principali intentioni ſacramenti, expreſſæ, aut virtuali: putà referre matrimonium ad honores, aut diuitias nimis auidè expetitas.

10.

Ad ſecundum reſpondeo, contritionem, vel attritionem ſupernaturalem, factam ex imperio intentionis vanæ gloriæ, vel ad illum finem relatam, non referri per ſe intrinſecè ad vanam gloriam: neque deſinere eſſe actum bonum intrinſecè vndequaque: ſed tantùm dici malum ex fine extrinſeco, per extrinſecam denominationem ab intentione mala, à qua imperatur, vel refertur ad malum finem. Quod eſt dicere, actum illum eſſe quidem in ſe bonum, & nihil habere malitiæ intrinſecè: ſed imperari ab actu malo: & procedere moraliter aliquatenus à cauſa mala: ideóque dici denominatiuè malum in cauſa. Porro hoc imperium non poteſt eſſe niſi remotum: nam actus voluntatis ſupernaturales fiunt proximè ex impulſu, & motu Spiritus ſancti. Et quanquam illa cauſa mala diſplicet Deo: placet tamen illi actus ſupernaturalis, illius occaſione factus, & vndequaque bonus intrinſecè: nihilque habens propter quod repugnet Deum ſpecialiter ad illum mouere & concurrere.

Ille finis eſt tantùm extrinſecus actui ſupernaturali

11. Ad tertium reſpondent aliqui, voluntatem ordinariè non ita ſibi efficaciter imperare ſuos actus elicitos, vt non poſſint non exire, ſitque neceſſitas antecedens vi intentionis & imperii, ad illos eliciendos: in quo caſu non eſſet nouus, & diſtinctus vſus libertatis in illis exercendis, non magis quàm in exercendis actibus externis aliarum potentiarum voluntati ſubiectarum: ac proinde non eſſet noua & diſtincta bonitas formalis, ſed tantùm materialis. Vbicumque enim eſt neceſſitas antecedens operandi, non eſt libertas

Sitne liber actus imperatus poſito imperante?

bertas ad operandum, vndecunque sit inducta illa necessitas. Aiunt ergo voluntatem nostram ordinariè suauiùs secum agere, & politico quodam modo sibi ipsi imperare: ita nimirum vt velit, & intendat talem actum elicere, v. g. actum attritionis; nisi graue sit exequi, aut alia de causa magis placeat oppositum.

12. Probatur esse libertũ, si est actus ipsius voluntatis.

Ego verò existimo discrimen esse inter voluntatem nostram sibi ipsi imperantem aliquem actum, & imperantem aliis facultatibus sibi subiectis. Nam imperium voluntatis nostræ sibi ipsi factum, non illam necessitat antecedenter ad operandum deinceps virtute illius imperii. Quia licet non possit non operari stante imperio efficaci: est tamen in eius libertate tollere illam hypothesin. Ex gr. quamuis attritio & propositum efficax non peccandi, seruandique Dei mandata, excludat omnem peccandi voluntatem, vt ait Tridentinum capite 4. sessionis decimæ quartæ, & illo posito, & stante, non possimus non seruare mandata: liberè tamen ea seruamus: quia pendet à nostra libertate, quòd stet illa hypothesis, vel non stet; id est, quòd ille actus perseueret, & vigeat formaliter, aut virtualiter: vel abiiciatur, & mutetur in actum oppositum. Quare licet non sit nouus vsus libertatis ad actum imperatum eliciendum eodem instanti, quo est actus efficaciter imperans: est tamen ad instans, aut tempus sequens, quo est in potestate libera voluntatis, facere, vt imperium virtualiter duret, & mandetur exequutioni. At verò aliæ potentiæ subordinatæ voluntati, cùm non sint liberæ formaliter, non habent in sua libera potestate tollere hypothesin antecedentem actus efficaciter imperantis. Quare non habent proprium vsum libertatis in exequutione actus sibi imperati, necessarii ex illa hypothesi. Quòd si voluntas sibi pro eodem instanti mathematico imperet aliquem actum, exempli gratiâ, actum contritionis ex metu inferni: Vel imperat modo illo suauiori, de quo supra, vt stet libertas, & bonitas formalis illius actus: vel potiùs non imperat actu distincto, sed vno & eodem exercitio libertatis elicit vnum actum, qui est simul timor inferni, & detestatio peccati propter Deum, habens formalem bonitatem vtriusque virtutis, spei scilicet, & charitatis. Potest enim voluntas vnico actu, æquè ac diuersis, simul in plura tendere, secundum propriam cuiusque rationem: sicut vnico actu intellectus possumus multa distinctè cognoscere secundum propriam cuiusque differentiam: & vnico actu visus percipere simul multos, & diuersos colores. Quod non modò fieri posse, verùm etiam interdum necessariò fieri, ostendimus alibi, tom. 1. disp. 40. sect. 2. num. 15.

13. Non omne mendacium

Dico quartò, non omne mendacium in confessione dictum, esse peccatum mortale. Ratio est, quia mentiri in re leui non pertinente ad confessionem, est leue, & veniale tantùm. De huiusmodi enim mendaciis in rebus non pertinentibus ad confessionem, iudicandũ est ex grauitate, vel leuitate materiæ, perinde ac si fierent extra confessionem, excepto quòd paulò culpabiliùs fiunt, ratione illius circunstantiæ, & irreuerẽtiæ contra sacramentum. Secũdò mentiri in rebus pertinentibus ad confessionem circa peccatũ veniale, asserendo te feciſſe, cùm non feceris, aut negando te feciſſe, cùm feceris: non est mortale, dũmodo aliunde detur sufficiens materia sacramenti, confitendo aliquod aliud peccatũ mortale aut veniale. Ratio est, quia neq; est grauis irreuerentia contra sacramẽtum; neque notabiliter variat iudicium confessarii. Idemque dico si quis neget se feciſſe peccatum mortale, de quo aliàs cõfessus est, & cuius cognitio non est necessaria ad valorẽ præsentis confessionis, vel ad iudicium sufficienter ferendum de peccatis nunc expositis: vel etiam si neget peccatum, quod non tenetur confiteri ob moralem aliquam impotentiam. Secus autẽ si neget mortale, quod tenetur confiteri: Tunc enim peccat contra integritatem confessionis, & sacramentũ facit esse irritum. Nam si omittendo liberè cõfiteri illud peccatum, redderet sacramentum irritum: multò magis negando se illud feciſſe. Esset quoq; mortale accusare se in confessione de peccato mortali, quod non feceris: aut de falsa circunstantia mortaliter aggrauãte, aut speciem mortalem addente. Quia sic notabiliter variatur iudiciũ confessarii. Et alioqui possent fideles sine periculo grauis peccati, non diligenter inquirere numerum peccatorum suorum mortalium, vt de illo confiterentur, sed maiorem quencunque numerum dicere. Consentiunt Suares disp. 22. sect. 10. Aegid. Conine disp. 6. dub. 3. Delugo disp. 16. sect. 2. num. 98. & duobus seqq. & alii, quos isti citant.

in confessione est peccatu mmortale;

14. Rectè autem notat Suares, pœnitentem interrogatum de iis, quæ non sunt necessaria ad præsentem cõfessionem, posse vti prudẽti retentione mentali, ad vitandum mendacium. Quia non interrogatur de illis iuridicè à Confessario: ideóque non tenetur sincerè illi respondere, fatendo peccatum, quod non tenetur aperire.

Debeatne pœnitens confitẽdo de iisdem peccatis, explicare quod aliàs de illis confessus sit?

Quæres, an qui confitetur de peccatis, teneatur explicare, quòd peccata illa sit confessus, vel quòd non sit confessus. Ex. gr. an qui facit confessionem generalem, & simul exponit aliqua mortalia, quæ non est antea confessus, teneatur dicere peccata hæc fuisse commissa post vltimam confessionem, seque de illis nondum esse confessum.

15. Sententia negant,

Negant Bonac. disp. 5. de Sacrã. q. 5. sect. 2. p. 2. §. 3. diffic. 4. n. 5. & Delugo disp. 16. n. 47. Quia cùm peccatum idem sit, siue antea illud cõfessus fuerit, siue non, neq; illa circũstantia varier vllo modo peccatũ: non est cur debeat necessariò explicari. Nec obest, quòd peccatum antea confessum, & remissum, non maneat ampliùs habitualiter; secus autem

non remissum. Nam peccatum, de quo confiteri debemus, est peccatum actuale. Sic autem idem fuit, siue remissum iam sit, siue non.

16. Præfertur sententia affirmans.

Contrariam sententiam veram, & in praxi sequendam potiùs existimo. Cuius ratio precipua est, quia alioqui variatur notabiliter iudicium confessarii, quando putat illa peccata mortalia iam fuisse confessa & absoluta, & non esse materiam necessariam sacramẽti pœnitentiæ. Adde quòd non poterit prudenter iudicare, quæ pœna pro huiusmodi peccatis conuenienter imponenda sit, & seruare æquitatem in satisfactionibus iniungendis. Alia enim pœna, & longè diuersa conuenit peccatis mortalibus remissis, & non remissis sacramentaliter. Atqui hoc iudicium est per se necessarium: ex eiusque necessitate colligit Trident. sess. 14. cap. 5. debere exponi necessariò species, & numerum peccatorum mortaliũ, & circunstantias speciẽ mutantes.

17. Soluitur argumentũ primæ opinionis.

Neque vrget argumentum allatum in fauorem contrariæ sententiæ. Quia licet peccatum actuale, prout actuale (quod solũ est materia confessionis) fuerit idem, siue sit postea subiectum sacramento pœnitentiæ, siue non, quod illi est prorsus extrinsecum: Aliter tamen se habet in ordine ad iudicium, quod de illius absolutione cum iniunctione conueniẽtis satisfactionis ferri debet. Quæcunque autem notabiliter variant tale iudicium, & non satis moraliter aliunde possunt innotescere confessario, debent exponi. Qua de causa dicemus infra circunstantias aggrauantes mortaliter debere necessariò explicari. Fateor tamen contrarium non esse improbabile, & in praxi satis tutum esse.

SECTIO. II.

Vtrum confessio debeat fieri in præsentia sacerdotis?

18. Non potest fieri absẽti sacramentalis confessio.

REspondeo, non licere quidem confiteri sacerdòti simpliciter absenti: licere tamen confiteri absenti secundum quid. Prima pars declarata fuit à Clemente VIII. in censura cuiusdam propositionis, & in eiusdem censuræ declaratione. Erat autem propositio talis: *Licere per literas, seu internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eo absente absolutionem obtinere*: quam supra dictus Pontifex damnauit vti falsam, temerariam, & scandalosam, non diuisim tantùm sed coniunctim, & quoad vtramque partem, vt ostendemus paulò post, vbi censuram illam magis expendemus, ex illaque inferemus, talem confessionem non modò esse illicitam, sed etiam inualidam.

Secunda pars probatur, quia si ante confessarii aduentum, moribundus aliquis petiuit confessionem, illo autem veniente iam perdidit sensum: tunc si adstantes affirment illum petiisse, potest & debet absolui, iuxta can. *Qui absoluunt*, 24. q. 6. sumptum ex Concil. Arausic. I. can. 11. vbi sic dicitur: *Subitò obmutescens (prout statutum est) baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habeat, aut præscripsit in suo nutu.* Et canonem *Is qui*, sumptum ex Concilio Carthagin. IV. cap. 63. vbi sic habetur: *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum sacerdos inuitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesin versus fuerit; dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam: & si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia.* Et Sanctus Leo magnus epist. 91. ad Theodorum Foroiulienſem Episcopum: *Si aliqua*, inquit, *ægritudine ita fuerint aggrauati, vt quod paulò ante poscebant, sub præsentia sacerdotis significare non valeant: testimonia eis fidelium circunstantium prodesse debent, vt simul & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium consequantur.*

19. Probatur authoritate, & vsu Ecclesiæ.

Quibus in locis non est sermo tantùm de ceremoniali reconciliatione cum Ecclesia, quæ olim publicis pœnitentibus, & peccatoribus dari solebat, antequam admitterentur ad participationem sacramentorum: sed etiam de sacramentali: vt manifestum est ex verbis Leonis præcedentibus in eadem epistola, & agnoscit sanctus Thomas quæst. 84. art. 3. ad 2. Nam Sanctus ille Pontifex paulo ante verba relata, dicit misericordiam Dei ita lapsibus subueniſſe humanis, & diuinæ suæ bonitatis præsidia sic ordinasse erga baptizatos, vt indulgentia Dei, nisi supplicationibus sacerdotum, nequeat obtineri. Ideque infert non esse negandam pœnitentiam infirmis petentibus, aut habẽtibus testimonium quòd petierint. Præcipitque idem fieri circa eos, qui habent aliorum testimonium: ac circa eos, qui præsenti sacerdoti verbo, aut nutu id significarunt. Quare sicut isti debent absolui sacramentaliter: ita & illi. Adde quod can. *Si Presbyter*, & can. *Agnouimus* 26. quæst. 6. dicitur Sacerdotem esse reum animæ infirmi, eiusque animam crudeliter occidere, si negat illi pœnitentiam in articulo mortis. Iisdemque canonibus præcipitur, vt Sacerdos det morienti pœnitentiam, quam postulat. Maximè autem postulat sacramentalem, quâ magis indiget, quàm externa reconciliatione cum Ecclesia. Denique alioqui non debuisset eiusmodi infirmis dari communio Eucharistica, sicut præcipitur can. *Is qui*, supra relato.

20. Vsus illius cõfessionis olim circa infirmos,

Nota præterea non esse tantùm sermonem locis citatis de infirmis publicè pœnitentibus, qui antea erant confessi Sacerdoti, à quo absoluebantur. Primò, quia manifestum est, Leonem Papam loqui epist. cit. de omnibus differentibus pœnitentiam vsque ad articulum mortis, quos ibidem eam ob causam reprehẽdit. Secundò, quia si ita esset: vel tales infirmi non habuissent opus testimonio aliorum, vt possent absolui: vel sufficit confessio facta per aliorum testimonium sacerdoti post venienti. Nam vel ta-

les infirmi nullum peccatum mortale commiserant à tempore confessionis vltimæ: sicque non erat opus alia confessione: sufficiebat enim confessio antea facta eidem sacerdoti, cum voluntate obtinendæ absolutionis moraliter continuata per statum pœnitentis, in quo erant. Vel post illam confessionem inciderant in aliquod peccatum mortale: & sic non sufficiebat vltima confessio vt absoluerentur. Quare si sufficiebat confiteri hoc peccatum per aliorum testimonium: sequitur, confessionem peccatorum posse fieri sufficienter in articulo mortis per testimonium aliorum. Tertiò denique, non ii soli sacerdotes, qui publicè pœnitentes audiuerant in confessione, absoluebant illos in casu necessitatis ob articulum mortis: sed quilibet obuius & occurrens in tali necessitate, vt nunc etiam fit.

21. Altera probatio efficax.

Propter quæ meritò Sacra congregatio Cardinalium hanc edidit declarationem relatam à Bonacina hunc in modum: *Sacra Cardinalium congregatio censuit, posse pœnitentem absolui, qui dedit indicia confessionis coram eo, qui statim ad Confessarium accurrit; sed adueniente confessario, ita est sensibus destitutus, vt nullum det signum doloris, vel intentionis suæ.* Et Paulus V. in suo Rituali Romano, quod authoritate Pontificia approbauit, & toti Ecclesiæ proposuit, tanquam continens *receptos, & approbatos Ecclesiæ ritus suo ordine digestos*, hortans omnes, vt tanquam Ecclesiæ filii, Rituale illud obseruent, *Romanæ Ecclesiæ omnium matris, & magistræ authoritate constitutum.* In illo, inquam, Rituali sic præscribit: *Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela agrum deficiat: nutibus & signis conetur sacerdos, quoad eius fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere. Quibus vtcunque vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium, siue per se, siue per alios ostenderit, absoluendus est.* Ibidemque præcipit, vt talis absoluatur. Post quæ omnia non video quomodo hac de re dubitari amplius iure possit.

22. Quomodo cõfessio cõfusa sit valida.

Obiicies primò contra illam confessionem confusam ab infirmo factam: Quidquid remittitur debet esse particulare quidpiam, & singulare. Actiones enim singularium sunt, & circa singularia. Ergo actio remittendi & absoluendi, debet versari circa peccata singularia, quæ vt talia debent proponi. Atqui per confessionem confusam non proponitur vllum peccatum particulare: ergo &c.

Respondeo negando minorem. Quamuis enim nullũ peccatum determinatè quoad vltimam differentiam, & expressè proponatur: tamen significatur peccatum aliquod particulare, aut peccata quædam particularia, licet imperfectè & confusè significentur. Et quemadmodum id, quod procul videtur, licet non discernatur omninò, sitne animatum, necne: & sitne hoc, aut illud animal: tamen cognoscitur vt quid particulare: ita cùm aliquis confitetur, se habere quoddam peccatum, aut quædam peccata; significat particularia eo modo, quo potest. Et hoc sufficit, vt circa illa versetur actio & remissio. Sic etiam is qui, habet conscientiam peccati mortalis, & non meminit speciei, debet confiteri, vt potest. Debet enim quisque tempore necessario confiteri id, cuius habet conscientiam in genere peccati mortalis. 23.

Dices, in sacramento Eucharistiæ non sufficere, vt velit sacerdos vnam aliquam hostiam confusè, & indeterminatè consecrare. Ergo nec in sacramento pœnitentiæ sufficit, vt velit sacerdos ab vno aliquo peccato confusè, & indeterminatè absoluere.

Respondeo non sufficere, vt sacerdos è pluribus hostiis sibi propositis velit vnam consecrare confusè, non determinando quam. Eodemque modo nihil efficeret sacerdos, si pœnitentem ab aliquo è pluribus peccatis mortalibus, aut venialibus sibi confusè, vel distinctè propositis, vellet indefinitè, & indeterminatè absoluere. Sicut tamen non est necesse, vt sacerdos consecraturus nouerit species consecrãdas secundum omnem rationem: sed satis est, si intẽdat consecrare quascunque hîc præsentes habet, quantumuis imperfectè cognitas: Sic in casu proposito sufficit sacerdotem velle absoluere ab omnibus illis peccatis quæ sibi proponuntur.

24. Quo modo sufficiat ad ferendum prudens iudicium.

Instabis, quia materia quæ per illam confessionem præbetur, non est sufficiens ad ferendum prudens iudicium, quale requiritur à Trident. sess. 14. cap. 5. Respondeo, sufficere ad ferendum iudicium prudens, quãtùm hîc & nunc fieri potest, etsi non omni perfectione, quam neque Trident. exigit. Sicut enim à maiori perfectione excusat interdum obliuio: sic & impotentia, & aliæ causæ legitimæ. Quamuis autem prudens iudicium quoad ignota ferri nequeat: tamen secundũ notitiæ modum potest aliquod fieri iudiciũ. Per illam autem confessionem intelligitur esse in pœnitente peccata quædam, vnum aut plura: licet non expressè cognoscantur secundum rationes specificas, & numerum, & circunstantias. Intelligitur item pœnitentem dolere de peccatis, velleque absolui, & subiicere se Sacerdotis arbitrio: pro cuius cognitionis mẽsura potest aliquid statui, & aliquatenus prudenter iudicari. Rectè autem intellexit Ecclesia in hoc foro misericordiæ Deum esse contentum ea cognitione peccatorum, quam in tanta necessitate pœnitens dare potest. Denique, quod ad praxim attinet, posse ac debere absolutionem impendi talibus moribundis, signum aliquod edentibus, per se, vel per alios, præsenti Sacerdoti, citra dubium esse debet ob Rituale Pauli V. aliaque superiùs adducta. Et Thomistæ, illi qui contrarium sentiunt, contradicunt apertè D. Thomæ Opusc. 65. 5. *De sacramento Extremæ-vnctionis*, vbi sic habet: *Si autem infirmus, qui petit vnctionem, amisit notitiam, vel loquelam, antequam sacerdos veniret ad eum: nihilominus vngat eum sacerdos: quia in tali casu debet etiam baptizari,* S. Thom.

& à peccatis absolui.

25. Quam nouam notitiam dat.

Obiicies secundò, talem confessionem nullam dare nouam notitiam Confessario, quippe qui satis nouerat confusè, moribundum esse peccatorem. Neque etiam posse dici, quid directè remittatur in confessione illa tam confusa & generica.

Ad primum Respondeo, Confessarium ex huiusmodi confessione confusa accipere notitiam, quòd talis se accuset, quantùm potest, & imploret opem Iudicis. Non est autem necessarium ad veram accusationem, vt Iudex antea ignoret id, cuius accusatio fit. Alioqui non posset admittere accusationem criminis sibi aliunde noti.

Ad secundum Dico, in eo casu omnia directè remitti, id est, æque primò: non autem priùs vnum, aut aliqua, alia verò consequenter tantùm ad illa. Quamuis maneat obligatio distinctè postea confitendi, si fieri possit. Sicut infra dicemus de remissione peccati mortalis dubii, cogniti postea vt certi. Cùm enim hæc peccata non fuerint satis distinctè exposita: manet obligatio illa exponendi distinctè.

26. Decretum Clementis VIII. de confessione absenti.

Obiicies tertiò, Nostram sententiam repugnare decreto Clementis VIII. edito die vigesima Iunii, anni 1602. quo damnauit propositionem affirmantem licere per literas, seu internuncium, Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eo absente absolutionem obtinere. Damnauit, inquam, vti falsam, temerariam, & scandalosam; præcepitque, ne vnquam deinceps tanquam in aliquo casu probabilis defendatur. Quo præcepto significauit, talem confessionem, & absolutionem esse nullam. Alioquin in casu necessitatis extremæ deberet adhiberi: neque vlla authoritate humana prohiberi posset in tanta necessitate, cum præiudicio salutis æternæ. Atqui in casu quo pœnitens non dat signa præsenti sacerdoti, sed tantùm per internuncium hoc illi significatur, confitetur per internuncium sacerdoti absenti: ergo, &c.

27. Prima illius explicatio.

Respondent aliqui cum Bonacina disput. 5. de Sacramentis, quæstione 5. sectione 2. puncto 2. diffic. 4. §. 4. numero 10. Clementem VIII. damnasse tantùm illam propositionem in sensu collectiuo, ita vt non liceat vtrumque simul facere: sed non in sensu diuisiuo quoad primam partem. Ita vt liceat in casu aliquo confiteri per internuncium, aut per literas sacerdoti absenti: quamuis non liceat absolui, sed debeat necessariò sacerdos esse præsens pœnitenti, quando illum absoluit.

Verùm hæc responsio repugnat declarationi eiusdem Clementis, ab eo factæ, postquam in Officio Sanctæ Inquisitionis improbata esset interpretatio sui decreti, à Theologo quodam facta, tanquam non esset in eo damnata, ac prohibita, vtraque diuisim pars illius propositionis: vt testatur Petrus Lombardus Archiepiscopus Armacanus epistola infrà citata. Itemque postea à Paulo V. die 14. Iulii anni 1605. declarante in Congregatione sancti Officii, prædictam interpretationem non subsistere.

28. Altera expositio.

Illâ itaque reiectâ, respondent alii communiter, talem non confiteri sacramentaliter per internuncium Confessario absenti: quia Confessarius est præsens pœnitenti, quando internuncius illi declarat infirmum significasse, se velle confiteri. Nimirum quia non sufficit, internuncium hoc testatum esse sacerdoti, antequam accederet ad infirmum: sed debet hoc illi testari in præsentia vtriusque, Confessarii scilicet, & infirmi. Tuncque infirmus confiteretur sacramentaliter, quasi per interpretem, Confessario præsenti. Alioqui enim si in mutua eorum præsentia nemo sit, qui testetur sacerdoti, infirmum antea signum exhibuisse: confessio illa qualiscunque, fieret omnino absenti, nempe sacerdoti per internuncium, quando vterque aberat à pœnitente.

29. Delugo.

Hæc responsio displicet Cardinali Delugo disputatione 17. numero 67. & sequentibus. Primò, quia necessitas illa testandi in præsentia mutua Confessarii, & infirmi, est contra mentem Ritualis Pauli V. cuius verba supra retulimus. Secundò, quia, vt confessio, quæ fit per interpretem, dicatur propriè, & in rigore fieri in præsentia Confessarii: non sufficit quòd Confessarius sit præsens, quando interpres loquitur: sed debet etiam esse præsens, quando pœnitens loquitur interpreti, & manifestat ei sua peccata. Nam illius confessio non est sola loquutio interpretis: sed conflatur ex locutione pœnitentis ad interpretem, & interpretis ad Confessarium. Sicut in matrimonio per interpretem contracto, non sufficeret Parochum adesse quando loquitur interpres, nisi tunc etiam in eius præsentia, contrahentes significarent interpreti suum consensum. Quocirca addit tertiam responsionem: videlicet confessionem dupliciter sumi posse: Vel strictè: & sic est accusatio, quâ in actu secundo aliquis se iudicialiter accusat: vt quando reus in iudicio interrogatus, cõfitetur iuridicè crimen suum coram Iudice, & Notario. Vel minùs strictè, & in vniuersaliori acceptione: & sic extenditur ad ea, quæ præcedunt: vt quando Reus dicit, *Volo confiteri meum delictum*: vel quando ad hunc finem vocat Iudicem & Notarium. Quod expressè est tantummodo desiderium, vel propositum confitendi: vocatur tamen latè confessio, quia implicitè est aliqua cõfessio, quatenus hoc ipso implicitè videtur iam reus confiteri suum delictum.

Tertia responsio.

Eius confirmatio.

Hanc duplicem acceptionem confessionis probat ex Rituali Pauli V. vbi dicitur: *Si antequam incipiat confiteri, vox & loquela egrum deficiat, si confitendi desiderium, siue per se, siue per alios ostenderit, absoluendus est.* Vbi manifestè confessio sumitur strictè, modo supra explicato, prout

Digitized by Google

contradiſtinguitur à deſiderio confitendi ſignificato exteriùs per ſe, vel per alium. Alioquin eſſet repugnantia, quòd antequam confiteri incipiat, & loquela deficiat, deſiderium confitendi oſtenderit. Iam enim cœpiſſet confiteri, quando tale deſiderium ſignificauit. Hac igitur diſtinctione præmiſſa, dicit, Clementis VIII. decretum eſſe intelligendum de confeſſione ſtrictè ſumpta: adeóque non prohibere abſolutionem moribundi in caſu, de quo diſputamus, prout Sanct. Leo epiſtola ſupra cit. & antiqui Canones permittunt. Ipſumque Pontificem hoc declaraſſe viua voce Petro Lombardo Archiepiſcopo Armacano, prout ipſe teſtatus eſt literis datis 6. Iunii, anni 1624. ad Aegidium Coninc: & aliquot ante annis idem teſtatus erat Iacobo Bayo Louanienſi Theologo, Franciſco Flerontino, & Leonardo Leſſio, accedente etiam teſtimonio illuſtriſſimi Cardinalis Bellarmini, iiſdem dato: quarum literarum exemplar integrum refert idem Coninc in libello apologetico, qui inſcribitur, *Reſponſio ad diſſertationem impugnantem abſolutionem moribundi ſenſibus deſtituti*; Et Delugo ſupra numero 77.

Coninc

Delugo

30. Difficultates circa reſponſum proximè datum.

Contra hoc reſponſum opponi poteſt primò, quòd idem Armacanus in ſuis literis dicat, Clementem VIII. reſpondiſſe tantùm, non fuiſſe ſibi propoſitum damnare, ſeu prohibere, quòd abſolutio ſacramentalis impendatur in caſu propoſito ad hanc quæſtionem: *An quando aliquis in abſentia Confeſſarii declarauit aliquo ſigno exteriori ſe velle ſacramentaliter confiteri: ſi ſuperueniens Confeſſarius eum inueniat ita conſtitutum, vt non tantùm non valeat peccati illius confeſſionem facere, ſed nec illius ſuæ voluntatis ſignum aliquod in præſentia ipſius exhibere poſſit nihilominus ex notitia per teſtimonium aliorum accepta de ſigno ante aduentum ſuum exhibito, eum ſacramentaliter abſoluere iuxta antiquos canones* (vt addit paulò poſt) *& nominatim iuxta doctrinam Sancti Leonis Papæ in citata ſua decretali*, id eſt epiſtola 91. ad Theodorum Foroiulienſem Epiſcopum. Atqui canones, & Sanctus Leo cit. epiſt. poſtulant vt teſtimonium detur in præſentia Confeſſarii, & infirmi. Nam canon, *Is qui*, ſumptus ex Concilio Carthaginenſi IV. cap. 67. ſic habet: *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum Sacerdos inuitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſin verſus fuerit: dent teſtimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam: & ſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia.* Huc vſque Canon. Vbi nota verba illa: *Si caſu dum ad eum Sacerdos inuitatus venit, oppreſſus, infirmitate obmutuerit*, &c. *dent teſtimonium*, &c. Ex illis enim perſpicuè liquet, non ſufficere inuitationem, ſeu denunciationem internuncii vocantis Sacerdotem abſentem: ſed vlteriùs debere dari teſtimonium ab illis, qui eum audierunt, præſenti ſcilicet ſacerdoti coram moribundo: alioqui enim non plus facerent, quàm internuncius, qui illi abſenti hoc ſignificauit.

31. S. Leo

5. Leo quoque epiſtola decretali ſupra citata requirit teſtimonium circumſtantium præſenti ſacerdoti. Sic enim ait: *Quòd ſi aliqua ægritudine ita fuerint aggrauati, vt quod paulò ante poſcebant, ſub præſentia ſacerdotis ſignificare non valeant: teſtimonia eis fidelium circunſtantium prodeſſe debent, vt ſimul & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium conſequantur.* Nota particulam *circunſtantium*. Nota præterea Leonem Papam totâ illâ epiſtolâ docere modum, quo lapſi poſt Baptiſmum, Deo reconciliari poſſunt, ac debent, per ſacramentum pœnitentiæ. Quare quod ait de illis moribundis, eſt huiuſmodi, vt ſine illo non poſſint reconciliari per ſacramentum pœnitentiæ: nimirum niſi circunſtantes ſub præſentia ſacerdotis teſtimonium dent, & ſuppleant ſuo teſtimonio impotentiam ægroti. Canon verò, *Qui abſoluunt*, ſupra relatus, ſumptus ex Concilio Arauſicano I. canone vndecimo, licet hoc clarè non exprimat: ſine dubio tamen id ſubintelligit. Quia loquitur de vſu, qui erat eo tempore in Eccleſia. Conſtat autem ex decret. Leoni I. ſup. cit. cuius tempore Concilium Arauſicanum celebratum fuit, vſum Eccleſiæ fuiſſe, abſoluendi tantùm tales moribundos, ſi circunſtantes teſtarentur præſenti Sacerdoti ipſos ſigna exhibuiſſe: vt patet ex illius verbis modò relatis.

32. Refellitur, & effugium.

Reſpondet Delugo, S. Leonem dicere, *circunſtantium*, non quòd planè ſit neceſſe, vt circunſtent, quando teſtantur: ſed quia ſolent circunſtare quando ferunt tale teſtimonium. Sicut ibidem ait, *fidelium*: quia ſolent etiam eſſe fideles. Quamuis non ſit illud neceſſarium. Sufficeret enim teſtimonium infidelium. Dummodo enim vel vnus ſit, cui probabiliter fides haberi poſſit, credendus eſt quamuis ſit infidelis. Imò etiamſi ipſe non immediatè infirmi ſigna viderit, ſed ab alio audiuerit. Quia in hoc iudicio, in quo non agitur præiudicium tertii, non requiritur plena probatio. Quin etiam licet dubium ſit, num ſigna infirmi ſint dolétis in ordine ad abſolutionem, an tantùm ex morbo, vel alia de cauſa: abſoluendus eſt. Neq; enim eſt neceſſariũ, vt expreſsè ſignificet ſe velle confiteri ſacramentaliter: neque id inquirẽdum eſt, dum interea moritur ſine remedio.

33. Teſtes debent eſſe circunſtantes.

Verùm, diſcrimen magnum eſt inter hæc duo: quòd teſtes debeant eſſe circunſtantes: & quòd debeant eſſe fideles, aut plures numero, de quo verum eſſe puto, quod ait Delugo. Nam quòd ſint fideles, vel infideles, eſt manifeſtè impertinens ad teſtimonii veritatem, & credibilitatem in quæſtione facti, in qua non eſt ratio ſufficiens exiſtimandi, Infidelem velle imponere in fauorem Chriſtianæ Religionis: ſed potiùs velle infirmo gratificari, &

obsequi. At verò quòd circunstent, est planè necessarium ad faciendam confessionem in præsentia Sacerdotis, ex parte saltem, complendo per interpretem id, quod antea inchoatum erat per infirmum, quod solum non sufficere colligimus ex can. *Is qui*, sup. relato & expenso. Nimirum, quia necessarium est, vt pœnitens se sistat coram Iudice, comparendo personaliter in iudicio, & in hoc foro spiritali, in quo Christus Dominus, eos, qui se post Baptismum crimine aliquo contaminauerunt, ante tribunal sacramenti Pœnitentiæ, tanquam reos sisti voluit: vt ait Trident. sess. 14. cap. 2. quod fuit fundamentum declarationis Clementis VIII. iunctis canonibus, & decretali Leonis Papæ suprà relatis. Quare licet sit manifestè ratio sufficiens explicandi terminum *finitum*, in sensu non necessario: non ita est de alio termino *circunstantium*.

34. Male explicatur ab aduers. Decretum Clementis.

Oppono secundò, explicationem illam Decreti Clementis VIII. non esse conformē ipsius intentioni, reddereque illud inutile, vel improbabile. Nam si velit confessionem strictè sumptam non esse nisi illam, quæ fit coram Iudice & Notario, vt Delugo dixit verbis supra relatis; & Clementem tantùm de illa loqui: ergo Clemens declarauit confessionem quæ fit in præsentia sacerdotis, in sensu composito, non posse non fieri in absentia sacerdotis. Quod perinde esset, ac declarare parietem album in sensu composito, non posse esse nō album. Quod certè frustra & inutiliter declararetur à summo Pontifice. Vel si, vt exponunt quidam alii, qui cum Delugo de summa rei consentiunt, intelligit Clemens confessionem peccatorum specialem, prout ordinario modo fit de peccatis in particulari; & hanc solùm declarat fieri non posse sacramentaliter, per internuncium sacerdoti absenti: planè à ratione alienum est, & improbabile, existimare Clementem definiuisse, talem declarationē specialem peccatorum non posse fieri per internuncium sacerdoti absenti, & quidem sacramentaliter, id est, ita vt prosit, & sufficiat ad absolutionem moribundi: & tamen posse illi fieri declarationem confusam, sacramentaliter, & sufficienter ad dandam absolutionē, quando venerit ad moribundum: id est, posse Confessarium absoluere moribundum, si internuncius ei absenti significauerit tantùm moribundum velle confiteri: & non posse illum absoluere, si ei significet in particulari peccata eiusdem ab ipso sibi exposita. Quare mihi difficile est credere, talem fuisse mentem Clementis VIII.

35. Respondetur eorum argum.

Quod verò addit Auct. cit. ex Rituali Pauli V. non vrget. Quia potest facilè intelligi eodem sensu, quo Clemens VIII. & Leo I. & canon, *Is qui*. Maximè, cùm die 2. Decemb. anni 1621. declaratum fuerit à congregatione Cardinal. S. Inquisitionis, coram ipso Paulo V. Rituale illud non aduersari decreto Clementis VIII. Ad illud verò quod obiicit ibidem, Respondeo, confessionem illam nō fieri quidem omnino in præsentia, vt ipse bene probat: sed fieri tamen ex parte aliqua, reúmque personaliter sisti tribunali, dum perficitur accusatio, seu confessio per interpretem.

36. Quid fieri possit & debeat in præsenti?

Quia tamen contraria sententia satis multos, & graues habet authores, potestque responderi aliquid non planè improbabiliter iis, quæ contra illam obiecimus, existimo in praxi tutam esse: possēque, ac debere in tali casu sacerdotem illi se conformare. Quia in tanta necessitate charitas obligat, vt proximo subueniamus probabili remedio tam necessario. Neque est opus addere expresè conditionem, *Absolute, si es capax*: quia ad formandum iudicium absolutum, & ad sententiam ferendam absolutè, sufficit agere ex opinione probabili. Absolutè, inquam, id est, sine expressa conditione. Tacita enim semper subintelligitur: quia nemo intendit rationabiliter absoluere, si non possit. Si autem dubitaretur, num signa essent exhibita sufficienter: vel an essent signa pœnitentis, & volentis absolui, aut potiùs dolentis tantùm naturaliter vi morbi: tunc deberet absolui sub conditione expressa, *Absolute si es capax*.

SECTIO III.

An, & quomodo necessarium sit integrè confiteri?

37. Status quæstionis.

DE integritate confessionis quinque difficultates explicandæ sunt. Prima est, num integritas confessionis sit essentialis, aut planè necessaria ad valorem sacramenti pœnitentiæ? Hoc enim sensu proponitur communiter à Theologis hæc quæstio: & non, vt aliqui sibi imaginantur, an sit tantùm necessaria ex præcepto. Secunda, vtrum ad confessionis integritatem per se loquendo (nisi aliqua causa legitima excuset) necessarium sit confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum pœnitens sibi conscius est? Tertia, an, & quomodo circunstantiæ peccatorum singillatim explicandæ sint; Quarta, quomodo numerus peccatorum mortalium exprimendus sit? Quinta, quænam causæ excusent ab integritate materiali confessionis? Duæ primæ difficultates explicabuntur præsenti sectione: reliquæ sequentibus.

38. Integritas formalis est de essentia confess.

Dico igitur primò, formalem integritatem esse essentialem, & planè necessariam ad valorē confessionis sacramentalis: secus autem materialem. Est autem integritas materialis, quando aliquis confitetur quidquid per se loquendo necessariò confitendum est: omnia scilicet peccata mortalia post Baptismum commissa, & nondum debitè confessa. Formalis verò est, quando confitetur omnia, quæ hīc & nunc tenetur confiteri, ita vt nullum mortale omittat

sine legitima excusatione: tametsi forte omittat aliqua, quæ propter obliuionem, aut aliam causam legitimam non tenetur hic & nunc confiteri.

39. Probatur ex Trident. Hanc ergo integritatem formalem necessariam esse patet ex Trident. sess. 14. cap. 5. & can. 7. vbi de confessione culpabiliter diminuta, sic ait: *Qui scienter aliquid retinet, nihil diuinæ bonitati per sacerdotem remittendum proponit.* Quibus verbis declarat hanc confessionem esse nullam: & consequenter oppositam esse de necessitate sacramenti. Materialem verò non esse ita necessariam docet ibidem, cùm de confessione diminuta per accidens, propter obliuionem, sic ait: *Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt in vniuersum, eadem confessione inclusa esse intelliguntur: pro quibus fiducialiter cum Propheta dicemus: Ab occultis meis munda me Domine.* Quæ autem est ratio de obliuione, eadem est de alia quauis impotentia, physica vel morali: cùm institutio & præceptum integritatis confessionis non plus requirat, neque vlteriùs obliget.

40. Possuntne absolui rustici affirmantes tantum se peccasse. Obiicies: si ita est, ergo possunt validè & licitè absolui rustici & rudes, qui generaliter tantùm affirmant bona fide se peccasse: speciatim autem & singillatim nullum peccatum detegunt; imò negant singula, de quibus interrogantur. Item si quis extra necessitatem periculi mortis præsumeret bona fide sufficere ad absolutionem sacramentalem dare signa generalia & confusa doloris de peccatis, & Sacerdos putaret ea sufficere: absolutio quam daret esset valida. Quia in vtroque esset moralis impotentia plus præstandi, defectu scientiæ vel aduertentiæ. Hoc autem est falsum & inauditum.

41. Prima responsio insufficiens. Ad primum respondet AEgidius Con. disp. 7. dub. 1. num. 6. si tales verè apprehendant se peccasse, & de eo attriti verè intendant confiteri, eos validè absolui. Communiter tamen, nisi subsit grauis aliqua necessitas, non debere absolui: quia communiter non videntur apprehendere quid sit peccatum, aut se verè Deum offendisse. Si enim illud verè apprehenderent, valde verosimile est, quòd idem apprehenderent circa aliquod peccatum in particulari: vt circa impatientiam, leue mendacium, negligentiam in attentè orando, & similia, in quæ moraliter certum est eos incidere. Quare cùm de his interrogati affirment se in iis non peccasse; valde probabile est eos non apprehendere se aliquod peccatum verè commisisse: atque ita non tam intendere verè confiteri, quàm facere id, quod alios facere vident. Adde quòd omnino conuenit, vt quantùm fieri potest hoc sacramentum nunquam conferatur, nisi confitenti aliqua peccata in particulari: quia ex illa confessione generali non habetur nisi confusa quædam & vaga cognitio status pœnitentis. Decet autem iudicem ferre sententiam ex cognitione determinata, quando necessitas ad aliud non cogit. Hæc ille.

Verùm, aliam distinctionem adhibendam esse existimo. Vel enim tales rudes & rustici, de quibus loquimur, præmiserunt sufficientem diligentiam, vt in conscientiam suam inquirerent, & peccata in memoriam reuocarent: vel non illam adhibuerunt, neque suppletur ille defectus per examen sufficiens ipsius Confessarii. Si primum: quod vix homini rationis compoti contingere potest, vt scilicet facto diligenti examine nihil inueniat de quo in particulari se accuset: si tamen, inquam, id contingat: puto verum esse quod ait AEgid. Con. Si secundum: censeo confessionem illam inualidam esse. Nam ex Trident sess. 14. cap. 5. ad valorem confessionis sufficientis ad absolutionem de obliuis simul cum aliis, requiritur, & à pœnitentibus exigitur, vt se diligentiùs excutiant, & conscientiæ suæ sinus, latebrasque explorent. Quòd si fecerint, & ea, quibus se mortaliter offendisse meminerunt, expoluerint; reliqua peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt in vniuersum, eadem confessione inclusa esse intelliguntur. 42. Vera resolutio.

Ad secundum respondent aliqui, talem quidem absolutionem fore validam, quia ponuntur omnia essentialia sacramenti. Illum tamen manere obligatum ad omnia mortalia distinctè, quantum poterit, confitenda, quando melius cognoscet debitum pœnitentis, & naturam sacramenti pœnitentiæ. Ideo autem casum istum esse inauditum: quia inauditum est fuisse vllum approbatum, vel factum capacem audiendi confessiones, qui nesciret pœnitentem debere confiteri in particulari de peccatis mortalibus si potest: neque sufficere per se loquendo dicere tantùm generaliter se peccasse, aut exhibere signa generalia doloris de peccatis. 43.

Sed hoc verum esse non puto. Et respondendum potiùs est, talem confessionem & absolutionem fore nullam ex duplici capite. Primo scilicet, ex parte pœnitentis: qui vt validè confiteatur, & absoluatur, debet diligenter inquirere in suam conscientiam, eaque dicere, quæ occurrunt memoriæ post talem diligentiã: & consequenter debet hoc scire, & præstare: sine quo peccata mortalia omissa, id est, non distinctè declarata, non remittuntur: ac proinde neque alia; nam vnum mortale non remittitur sine alio; neque vllum veniale sine mortali, cum quo coniunctum est. Secundò, ex parte ipsius Confessarii: qui, ex consensu omnium Theologorum, non potest validè absoluere sine aliqua scientia: saltem illa, vt nouerit proferre formam absolutionis, & cognocere in communi rationem peccati venialis aut mortalis, secundum generalem eorum rationem, intelligatque quid sit confessio. Si autem ex necessitate sacramenti debet scire discernere peccatum mortale & veniale, saltem secundũ generalem eorum rationem, & intelligere quid sit confessio: debet 44. Non sufficit dare signa confusa extra casũ necessitatis.

Digitized by Google

scire requiri per se loquendo ad confessionem, vt exponãtur peccata secundum rationem & differentiam mortalis aut venialis: & non sufficere poenitentem edere tãtùm signa generalia, & cõfusa doloris de peccatis. Atque hoc multò magis verum est in sententia, quam vt probabilem sequemur disp. 44. sect. 8. affirmante multò plus scientiæ ad valorem confessionis requiri in Sacerdote per se loquendo.

45. Confessio per se debet esse de singulis mortalibus.

Dico secundò, ad confessionis integritatem per se loquendo (id est, nisi aliqua causa legitima excuset) necessarium esse confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum pœnitens sibi conscius est, id est, quæ post Baptismam admisit, & nondum debitè confessus est. Sic enim docuit ante mille annos Concil. Constantinop. III. cap. 102. & ante octingentos Concil. VVormatiense c. 7. & ante quadring. Cõcil. Lateranense cap. *Omnis vtriusque sexus* & ante ducentos Florentinum in decreto: § *Quartum sacramentum*: & denique Trident. session. 4. cap. 5. & can. 7. vbi sic habet: *Si quis dixerit in sacramento poenitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure diuino confiteri omnia & singula peccata mortalia &c. anathema sit.* Cap. verò 5. nõ multò post initiũ: *Constat*, inquit, *Sacerdotes iudicium hoc incognitâ causâ exercere non potuisse &c. si in genere dumtaxat, & non potiùs in specie ac singillatim sua ipsi (poenitentes) peccata declarassent.* In quibus Tridentini verbis non est idem, declarare peccata in specie, & declarare singillatim: sed hoc posterius significat singularia ipsa manifestare. Quod confirmatur ex ratione ibidem addita: vt videlicet in poenis iniungendis seruetur æquitas à Sacerdotibus. Patet enim grauiorem pœnam deberi pro multis numero peccatis eiusdem licet speciei, quàm pro vno: & peccatorem illum maiorem esse, pœnaque digniorem, qui millies peccauit in eadem specie, quàm qui semèl aut bis.

46. Probatur ex Scrip.

Ad idem confirmandum valent ea Scripturæ, & Patrum testimonia, ex quibus alibi probauimus necessitatem confessionis secundum Christi institutionem. Vt illud Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta sunt*: id est, non remittentur nisi per vos, aut in ordine ad vestrum iudicium, ad quod idcirco necessariò deferri debent. Quod cùm generaliter dictum à Christo sit de omnibus peccatis mortalibus commissis à fidelibus Ecclesiæ iudicio, & iurisdictioni iam subiectis: debent necessariò illa omnia ad tribunal pœnitentiæ deferri, per se loquendo, & quantum est ex natura institutionis huius sacramenti. Cùmque æquitas iudicii postuler, vt sententia non feratur nisi causâ cognitâ, & in iudicio legitimè probatâ: necessarium est singula peccata mortalia, tam in specie, quàm singillatim quoad numerum, exponi à pœnitente, qui in hoc foro accusatorem, & testem agit contra seipsum. Atque hinc fit, vt non modò peccata occulta debeant proponi à poenitente; sed etiam publica, Confessario licet aliunde nota. Quia notitia, quam de illis habet aliunde, non est sacramentalis, & pertinens ad hoc forum. Sicut in foro ciuili, notitia, quam Iudex habet aliunde de crimine, non illi sufficit ad ferendam sententiam: sed debet illud cognoscere iuridicè per allegata & probata. Sufficit tamen si dicat poenitens in confessione: Accuso me de crimine tali, quod scis me commisisse. Quemadmodum si antea extra confessionem peccata sua exposuisset Confessario, sufficeret dicere: Accuso me de illis omnibus quæ antea tibi exposui.

47. Confirmatur ex SS. Patribus. Lactan.

Valet item ad illud confirmandum, & ad vsum, & sensum antiquæ Ecclesiæ hac in parte ostendendum, illud Lactantii lib. 4. Institut. cap. 17. vbi confessionem sacramentalem comparans cum sacramento Circumcisionis Iudaicæ, sit ait: *Quoniam pari illa corporis, quæ circumciditur, habet quandam similitudinem cordis, & est pudenda: ob hanc causam Deus nudari eam iussit, vt hoc argumento nos admoneret, ne inuolutum pectus haberemus, id est, ne quod pudendum facinus intra conscientiæ secreta volemus. Hæc est circumcisio cordis &c. Poenitentiam nobis in illa circumcisione proposuit: vt si cor nudauerimus, id est, si peccata nostra confessi, satis Deo fecerimus, veniam consequamur.* Nota verba illa, *ne quod pudendum facinus intra conscientiæ secreta velemus*: &, *si cor nudauerimus* &c. Item illud Hieronymi in caput 10. Ecclesiastis, *Si erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat medicina, non curat.* Hieron. Item illud Chrysostomi homil. 20. in Genes. *Qui hæc fecit, sic soluerit, vt decet, vti conscientiæ adiumento, & ad confessionem facinorum festinare, & medico ostendere vlcus, quod curet, & non exprobret, atque ab illo remedia accipere, & soli ei loqui nullo alio conscio, & omnia dicere cum diligentia, facilè peccata sua emendabit. Confessio enim peccatorum, abolitio etiam est delictorum.* Chrysost. Nota verba illa, *& omnia dicere cum diligentia.* Item illud August. homil. 49. ex 50. *Nemo sibi dicat, Occultè ago, apud Deum ago: Nouit Deus qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est, Quæ solueritis in terra, soluta erunt in cœlo? Ergo sine causa sunt claues datæ Ecclesiæ Dei? Frustramus Euangelium Dei. Frustramus verba Christi. Promittimus quod illa negant.* August.

48. Soluitur obiectio.

Dices hæc omnia probare tantũ, necessarium esse aperire omnia mortalia Sacerdotibus, velut iudicibus à Christo institutis: sed non probare debere vni, & in vna eademque confessione exponi omnia, quorum pœnitens sibi conscius est.

Respondeo, hoc etiam probari sufficienter per allata Scripturæ, & Patrum testimonia, adiuncto alio fundamento, quod est fide diuina certum, & concessum ab omnibus: vnum scilicet mortale non remitti à Deo sine alio. Quare per sacramentum pœnitentiæ

validè, & legitimè susceptum, remittuntur simul omnia mortalia: sicut per Baptismum remittuntur simul peccatum Originale, & alia mortalia ante Baptismum ab adulto commissa. Cùm autem in sacramento poenitentiæ debeant remitti cum cognitione causæ: necessarium est, per se loquendo, & quantùm est ex natura & institutione sacramenti, vt omnia exponantur in vna & eadem confessione, eodemque sacramento, per quod vel nullum, vel omnia simul remittuntur. Atque hæc ratio plus habet roboris in nostra & vera sententia, quòd hoc sacramentum non possit esse ratum & informe, adeóque vel inualidum nullumque sit, vel omnia mortalia simul remittat, gratiamque infundat incompatibilem cum quocunque peccato mortali, vt ostendimus disp. 48. sect. 12.

SECTIO IV.

An, & quomodo circunstantiæ peccatorum singillatim explicandæ sint

49. Circunstantiæ peccatorum duplices.

SVppono primò, duplices esse circunstantias peccatorum: alias, quæ mutant speciem: & alias, quæ non mutant, sed augent, vel minuunt peccatum intra eandem speciem. Ex gr. si quis furetur in loco sacro rem ibi velut in azylo depositam, circunstantia loci mutat speciem peccati: & constituit furtum in genere sacrilegii. At verò si quis decem vel centum aureos furetur, circunstantia quantitatis non mutat speciem, sed auget tantùm peccatum furti intra eandem speciem.

Suppono secundò, vtrasque circunstantias, tam speciem mutantes, quàm aggrauantes, esse duplices. Aliæ enim sunt quæ speciem mutant, vel aggrauant grauiter & mortaliter: aliæ quæ leuiter tantùm & venialiter. His præsuppositis.

50. Circunstantiæ mutantes speciē, sunt exprimendæ.

Dico primò, circunstantias mutantes speciem peccati necessariò singillatim exprimi debere. Patet ex Trident. sess. 14. cap. 5. non multò ante medium, vbi sic ait: *Colligitur præterea etiam eas circunstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant: quòd sine illis peccata ipsa, neque à poenitentibus integrè exponantur, neque iudicibus innotescant: & fieri nequeat, vt de grauitate criminum rectè censere possint, & poenam, quam oportet, pro illis, poenitentibus iniungere.*

Si sunt graues.

Hoc autem primò intelligendum est de circunstantiis grauibus. Nam de leuibus tantùm par est ratio, ac de peccatis venialibus, de quibus generatim Tridentinum ibidem definiuit citra culpam in confessione taceri posse. Deinde id intelligendum est de circunstantiis, quæ mutant speciem moralem, & non physicam tantùm. Nam in hoc iudicio non curatur sola mutatio physica, sed moralis. Confessarius enim non de entis speciebus, seu naturæ, sed de moribus iudicare debet. Quare species physicæ ad hoc iudicium impertinentes sunt, nisi quatenus pertinēt ad species morales, & ad earum mutationes explicandas: Vnde quòd aliquis v. g. latinè loquens vel gallicè detraxerit, ad confessionem perinde est, si à circunstantibus perinde fuit perceptus. Aut quòd hominem sclopo, vel gladio peremerit. Nam hæc non mutant speciem peccati moralem, id est, non constituunt peccatum in alio genere vitii, quamuis differant physicè. Secus autem quòd quis furetur rem depositam in loco sacro, quod constituit furtum in genere sacrilegii. Vel quòd post votum castitatis fornicetur, aut furetur ad finem mœchandi, aut iuret falsum nocens iniustè alteri. In quibus & similibus peccatis multæ sunt rationes malitiæ specie diuersæ, ob circunstantias morales sacrilegii, intemperantiæ, iniustitiæ, & similes.

51. Et liberè admissæ.

Præterea id intelligendum est de circunstantiis scienter & liberè admissis. Nam alioqui non variant peccatum, vt culpabile est. Atque ita v. g. qui furatur rem sacram, sed quam ignorat esse sacram: non peccat formaliter in ratione sacrilegii, sed tantū in genere furti: Quartò denique, illud intelligendum est de circunstantiis non aliunde satis perspectis. Nam v. g. Sacerdos Confessario notus, & apud ipsum se accusans de peccato contra castitatem: non tenetur exprimere circunstantiam voti, quam ille satis nouit, per confessionem peccati contra castitatem admissi. Hoc enim ipso quòd fatetur se id fecisse: satis significat se cum tali circunstantia fecisse. Non est etiam necesse vt pœnitens dicat expressè peccatum à se commissum esse talis aut talis speciei, & vnius, vel multiplicis: sed sufficit vt factum clarè, prout fecit, enarret: dicendo ver. gr. se furatum esse rem sacram, aut percussisse Clericum, & sic de aliis.

52. Circūstantiæ aggrauantes sunt duplices.

Dico secundò, circunstantias leuiter aggrauantes, non esse necessariò exprimendas in confessione: secus autem quæ aggrauant mortaliter. Prima pars de leuibus, patet à fortiori ex dictis supra de leuibus mutantibus speciem. Quæ autem mortaliter aggrauant sunt in duplici differentia. Aliæ de veniali efficiunt mortale. Vt v. g. furari assem, veniale est: furari centum vel ducentos, mortale. Aliæ non mutant de veniali in mortale, sed mortale duplò, vel triplò maius efficiunt. Vt v. g. si furari ducentos asses mortale est, furari quadringentos est mortaliter grauius, & mortale dupliciter. Similiter si occisio vnius hominis est peccatum mortale, occisio trium triplò grauius peccatum est. Si percussio intensa vt quatuor mortalis est, percussio vt octo duplò grauius peccatum erit. Si morosa cogitatio non multùm diuturna, mortalis est: longior, grauior erit. Prima quantitas aggrauans est quantitas magnitudinis: secunda, multitudinis: tertia, intensionis, quæ etiam in actu interno considerari potest: quarta, durationis.

53. Faciſtes de veniali mortale ſùt neceſſariò cõfitendæ.

Hoc ſuppoſito, quòd circunſtantia mortaliter ſic aggrauans, vt de veniali transferat ad mortale, neceſſariò exprimenda ſit in confeſſione, docent communi conſenſu Theologi. Nam alioqui pœnitens non confiteretur mortale illud ſecundum ſe determinatè, cùm tamen omnia mortalia ſecundum ſe determinatè in ſpecie & ſingillatim explicanda ſint.

De aliis aggrauãtibus ſententia negans.

De aliis verò negant D. Thomas, D. Antoninus, D. Bonauent. Albert. Durand. Palud. Chartuſ. Nauar. Valent. Vaſq. Mærat. Bañez, Delugo, & multi alii recentiores. Primò, quia Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. doctrinaliter definiens, quæ circunſtantiæ explicandæ ſint, meminit ſolùm earum, quæ ſpeciem mutant. Ergo aliæ explicandæ non ſunt: alioqui doctrina Concilii diminuta eſſet: neque vera eſſent hæc verba, quæ ibidem addit, *Nihil aliud à pœnitentibus exigitur, quàm vt* &c. Secundò, quia diſpar eſt ratio de circunſtantiis iſtis, & de mutantibus ſpeciem. Nam hæ moraliter conſtituunt diſtincta peccata: illæ verò non addunt nouum peccatum, ſed vnicum conſtituunt: quare ſine illis explicantur peccata quoad ſpeciem & numerum, quod ſolùm Chriſtus inſtituit. Tertiò, quia in multis vix poteſt tradi regula, quando illæ circunſtantiæ tantopere augeant malitiam, vt ſint confitendæ, quando verò non. Quis enim definiat quanta intenſio voluntatis mortaliter aggrauet, vel quanta duratio actus?

54. Præfertur ſententia affirmatiu.

Contraria tamen ſententia probabilior eſt, quam ſequuntur Alenſis, Altiſiod. Ricardus, Gabr. Maior, Caiet. Petr. & Dominic. Sot. Victoria, Canus, Syluester, Ledeſma, Suarez, AEgid. Con. aliique permulti. Probatur primò ex Trident ſeſſ. 14. cap. 5. vbi docet eam confeſſionem peccatorum neceſſariam eſſe, quæ ſufficiat vt Sacerdos de eorum grauitate rectè cenſere poſſit. Hoc autem fieri nequit, niſi eiuſmodi circunſtantiæ explicentur: ergo explicandæ ſunt. Probatur minor, Furtum enim mille aureorum ſine comparatione grauius eſt, quàm furtum vnius aurei. Quonam igitur pacto Sacerdos poterit rectè iudicare quàm grauiter fur peccauerit, ſi neſciat an furatus ſit mille aureos, an tantùm vnum? Deinde, qui diſplosione tormenti maioris occidiſſet centum homines, ſatisfaceret dicendo ſe perpetraſſe homicidium. Et qui immaniter ampuraſſet alicui aures & brachia, & pedes, ſi modò non occideret, ſatisfaceret dicendo ſe grauiter læſiſſe. Tertiò, parùm ſibi conſtant multi aduerſariorum, quando fatentur in inceſtu, gradum cognationis explicandum eſſe, & in aliis quibuſdam peccatis nonnullas circunſtantias: putà, in furto quantitatem, vt vult Valentia: vel numerum perſonarum, quibus vnico actu, putà vnico edicto iniuſto res diuerſæ auferuntur, vt vult Vaſques: vel etiam numerum perſonarum, quas quis vnico actu interno voluerit occidere. In quibus licet contendant, has circunſtantias non debere tantùm dici aggrauantes, conenturque aſſignare aliquam diuerſitatem ſpecificam moralem: nulla tamen apparet: ideóque magis cohærenter loquuntur, qui negant hæc debere exponi.

55. Soluitur primũ arg. in contrarium.

Ad primum argumentum ex Trident. ſumptum Reſpondeo, noluiſſe Concilium expreſſè definire quæſtionem inter Doctores controuerſam: non obſcurè tamen fauiſſe noſtræ ſententiæ, cùm dixit talem requiri confeſſionem, ex qua Sacerdos rectè de criminum grauitate, deque ſtatu peccatoris, & conuenienti ſatisfactione, cenſere poſſit. Ad quod interdum magis neceſſarium eſt explicare circunſtantias aggrauantes, quàm mutantes ſpeciem, aut quàm numerum ipſum peccatorum mortalium. Quia furari ſemel centum millia aureorum multò grauius eſt, quàm bis, aut ter furari vnum aureum. Cùm verò addit, nihil aliud in Eccleſia à pœnitentibus exigi, &c. non ait nihil exigi præter ſpecies, & numerum peccatorum mortalium: ſed nihil aliud exigi, quàm vt poſtquam vnuſquiſque diligentiùs ſe excuſſerit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit. Quod intelligi debet iuxta ſupradicta ibidem à Concilio, quantum eſt neceſſe, vt Confeſſarius rectè cenſere poſſit de grauitate criminum, & pœnis iniungendis.

56. Diluitur ſecundum.

Ad ſecundum Reſpondeo, per circunſtantias mortaliter aggrauantes fieri multa virtualiter peccata mortalia, quæ non minùs iudicium variant, imò magis ſæpiſſimè, quàm circunſtantiæ mutantes ſpeciem. Ideoque non ſatis explicantur quoad numerum peccata mortalia, non explicatis circunſtantiis mortaliter aggrauantibus.

Ad tertium.

Ad tertium Reſpondeo, in quantitate magnitudinis & multitudinis rem nõ eſſe difficilem, vt exemplis ſuperiùs allatis ſatis liquet. In intenſione verò & duratione, ſi pœnitens valde notabiliter exceſſit modum communem peccandi, tenebitur id explicare: v. gr. ſi aliquot horis continuò inhæſerit alicui delectationi turpi, ſiue internæ, ſiue externæ: aut ſi tanto odio exarſerit in inimicum, vt mortuum licet, multoties confoderit, aut tale deſiderium habuerit. Quòd ſi pœnitentes timorati & prudentes non confitentur tales circunſtantias, poteſt ſupponere Confeſſarius eos communi modo peccaſſe: neque in his & ſimilibus inquirendis moleſtus eſſe debet. Multóque minùs poenitentem cogere, vt relicta opinione probabili, ſuam ſequatur. Nam in his & ſimilibus quæſtionibus moralibus res ad rigorem metaphyſicum expendendæ non ſunt, ſed moraliter accipiendæ. Et cùm duæ ſunt opiniones probabiles circa licitum, poteſt quiſque in praxi ſequi alterutram: neque ius habet Confeſſarius cogendi poenitentem, vt probabiliorẽ: aut tutiorem amplectatur: licet ad id hortari eum poſſit.

57. Circunstantiæ minuentes sunt ne explicandæ?

Dico tertiò, circunstantias minuentes necessariò exprimendas esse, si grauiter minuant, efficiendo scilicet ne sit mortale, quod esset alioqui mortale: aut ne mortaliter grauius sit, quod esset mortaliter grauius. Quod intellige, nisi aliunde hæ circunstantiæ satis innotescant Confessario ex ipso modo confitendi, aut committendi ordinariè talia peccata. Probatur, quia hæ quoque circunstantiæ notabiliter mutant iudicium morale Confessarii, sicut circunstantiæ notabiliter aggrauantes. Ita Dom. Sot. in 4. dist. 18. quæst. 2. art 4. concl. 5. & Canus, relect. de poenit. parte 5. Nauarrus tamen, Bonauent. Gabr. Suar. AEgid. Con. aliique plures oppositum sentiunt. Loquuntur autem de minuentibus intra eandem speciem. Nam de minuentibus variando speciem fatentur esse confitendas. Ex. gr. qui occidit hominem, quem nesciebat esse clericum, debet hoc exprimere, ne videatur esse sacrilegus.

SECTIO V.

Refellitur noua quædam sententia.

58. Noua opinio.

VNus è recentioribus asserit certum esse, imò & de fide, circunstantias omnes mortaliter aggrauantes intra eandem speciem, debere necessariò in confessione exponi quantum moraliter fieri potest: oppositamque sententiam D. Thomæ, D. Bonauent. & plurimorum aliorum grauissimorum Theologorum, carere omni vera probabilitate. Quia, inquit, si esset vllomodo verè probabilis, non esset necessaria consequentia, quâ Tridentinum vtitur sess. 14. cap. 5. & ante ipsum vniuersa Ecclesia, vt idem testatur, est via. Nempe quâ ex verbis Christi Ioan. 20. *Quorum remiseritis* &c. intulit peccata debere declarari à pœnitente in specie & singillatim. Consequens est absurdum. Ergo & illud vnde sequitur. Probatur sequela, quia si quid est probabile, quod destruat aliquam consequentiam, eam necessariò incertam efficit. Sed hæc opinio destruit consequentiam supra dictam. Fundatur enim illa consequentia in hoc principio: quòd sacerdotes sunt iudices: & iudices non possunt iudicare incognitâ causâ. Itaque si absoluere non cognitis prædictis circunstantiis, putà quantitate furti, est non minùs incognitâ causâ iudicare, quàm esset absoluere non intellecto numero peccatorum: si ex verbis Christi non deducitur certò, & incompatibiliter cum probabilitate oppositi, confitendas esse has circunstantias: nec certò inferetur confitendum esse numerũ peccatorum. Verùm pariter pertinere ad cognitionem causæ cognoscere has circunstantias, & cognoscere numerum peccatorum probatur, inquit, quia æquè pertinet ad causam. Causa enim est status pœnitentis vnde est excusabilis vel accusabilis. Certum est autem cum, qui vnico actu eripuit multa millia aureorum, puta Principem, qui vno edicto iniusto multos spoliauit, esse æquè, imò plus accusabilem; quàm eum qui fecit tria furta, in quibus neque cogitauit, neque voluit auferre maiorem summam, quam decem aureorum.

Item Tridentinum ibidem, ex eo quòd iudicium Sacerdotale est etiam ad retinenda peccata iuxta verba Christi Ioan. 20. eaque potestas exercetur, quatenus imponuntur pœnæ pro peccatis, cum obligatione eas subeundi: infert peccata in specie & singillatim confitenda esse. Quia *Constat*, inquit, *Sacerdotes non posse seruare æquitatem in iniungendis poenis, si in genere dumtaxat, & non potius in specie ac singillatim peccata cognoscant.* At hæc ratio probat eâdem certitudine confitendas esse circunstantias, putà, quantitatis. Nam per se notum est maiorem pœnam esse iniungendam pro vno furto, quale supra descripsimus: quàm propter plurima minora numero differentia: imò etiam plus, quàm propter diuersa specie peccata mortalia. 59. Probatur ex Tri. sess.

Denique, inquit, Theologi probant Christum cognoscere distinctè omnia peccata hominum, quia de illis, vt homo iudicabit. Et quamuis Scriptura dicat tantùm eum iudicaturum de iis, quæ vnusquisque gessit in corpore: hinc tamen inferunt eum cognoscere numerum & speciem omnium peccatorum, imò & grauitatem vniuscuiusque. Tam enim esset confusa Christi notitia, si ignoraret quantitatem furti in vno actu, quàm si distinctos actus ignoraret. Ergo à natura iudicii legitimi tam valet consequentia ad necessitatem notitiæ circunstantiarum, putà quantitatis, quàm ad necessitatem cognoscendi numerum & speciem peccatorum. Hæc ille. 60. Confirmatur.

Cui responderi facile potest, id quod ipsemet alibi sæpius respondet, vbi agit de confessione confusa moribundi, deque aliis causis, in quibus aliquid excusat pœnitentem ab integritate materiali confessionis, id est, ab explicatione distincta suorum omnium peccatorum mortalium, etiam quoad speciem & numerum. Nimirum quòd licet forma & rigor iudicii postulet, vt non feratur causâ incognitâ, & non distinctè explicatâ: ideoque verba Christi Ioan. 20. per se postulent distinctam cognitionem peccatorum, ad hoc vt iudicium de illis ferri possit: tamen ex Christi dispensatione factum esse, vt in hoc iudicio fauorabili, & pleno benignitatis, ac misericordiæ erga peccatores, non sit semper necessaria tam exacta & distincta causæ cognitio, sed interdum sufficiat generalissima, maximèque confusa. De hac autem dispensatione, & benigna Christi condescendentia nobis satis constare, partim ex definitione Ecclesiæ, partim ex vsu, aut proportione ad casus ab Ecclesia definitos. Vnde duplex illatio Tri- 61. Refutatur

dentini est in hunc sensum accipienda: Iudicium per se requirit exactam & distinctam cognitionem causæ vt bene de ea iudicetur, & pœna conueniens iniungatur: nec potest aliter exerceri validè, nisi in iis casibus, in quibus dispensatum est ex benignitate Christi. Atqui confessio peccatorum in specie & singillatim est necessaria ad exactam & distinctam cognitionem causæ: & Christus in ea non dispensauit. Ergo &c.

62. Iudicio fori pœnit. quale requiratur notitia circumstantiarum?

Similiter, inquam, responderi potest, iudicium per se quidem requirere notitiam circumstantiarum mortaliter aggrauantium: imò & venialiter: nam argumenta superiùs allata id æquè probant: pertinent enim illæ quoque ad causam: & pœnitens propter illas magis accusabilis est, maiorique pœna dignus, & Christus illas sine dubio cognoscit, & in iudicium vocabit: Verumtamen ex Christi benignitate non requiri necessariò notitiam eo vsque exactam, vt circumstantiæ tantùm aggrauantes explicentur: vt probabiliter colligitur tum ex sensu antiquiorum grauissimorum, & plurimorum Theologorum, quibus multi recentiores subscribunt, sciente summo Pontifice, aliisque Prælatis, idque tolerantibus, seu non repugnantibus: ac nullus planè authorum negat generatim contrariam sententiam esse probabilem: tum etiam ex vsu: neque enim dubito, quin olim fuerit, atque etiam nunc sit in vsu apud eos saltem, qui eam putant esse probabiliorem, & confessionibus audiendis dant operam. Tum denique ex eo quòd Tridentinum cap. cit. dixit tantùm circumstantias mutantes speciem necessariò confitendas esse: de aggrauantibus autem id definire consultò abstinuit, non ignorans magnam ea de re inter antiquos Theologos, atque modernos controuersiam esse, plurimosque id negare (inter quos erant nonnulli, qui Concilio aderant) alios verò id tantùm vt probabilius affirmare. Facile autem erat Tridentino dicere vno verbo, circumstantias quoque illas, quæ mortaliter aggrauant, esse confitendas, quantum moraliter fieri potest. Ac si controuersia est inter Theologos, quæ sint circumstantiæ mortaliter aggrauantes: non minor est quænam sint circumstantiæ speciem mutantes moraliter & grauiter. Imo Concilium controuersiam minuisset. Quia si vtræque circumstantiæ mortales confitendæ essent, supereffet tantùm vtiliter ad praxim, explicare quænam circumstantiæ mortales sint; siue speciem mutent, siue non. Denique non propterea debuisset Concilium minutè explicare quænam sint circumstantiæ mortaliter aggrauantes: & quomodo differant à mutantibus speciem. Sicut quando definiuit circumstantias speciem mutantes esse confitendas: non propterea minutè exposuit quænam sint illæ circumstantiæ, & quomodo differant ab aggrauantibus, seu quid per illas intelligendum sit. Neque verò potest vnum sine alio explicari. Quare ratio cur Tridentinum non dixerit has circumstantias esse explicandas, sicut dixit de speciem mutantibus, non est illa, quam vult recentior ille, quem impugnamus, desumpta ex considerationibus modò refutatis: sed potiùs illa, quam nos supra tradidimus; nempe quia voluit diuersis hac de re Theologorum sententiis probabilitatem suam relinquere.

63. Bene quoque sentiendum de rigore confessionis.

Ex eadem Christi benignitate fit, vt venialia non sint distinctè confitenda, quoad speciem, & numerum, & circumstantias, si velimus ab illis omnibus absolui. Quodque ipsa mortalia quoad numerum possint sæpissime crassiori quodam modo proponi, vt docent communiter Theologi, etiam maximè timorati. Ex. gr. qui sæpius breui tempore iurauit, aut verba contumelioſa protulit, non tenetur exprimere numerum iuramentorum, aut verborum contumeliosorum: sed sufficit dicere semel in iuramenta, & contumelioſa verba erupisse. Qui ad fornicandum, oscula, tactus, verba impudica adhibuit morali quadam continuatione, satisfacit, si dicat simpliciter se fornicatum esse. Alia plura exempla proferemus sect. 7. Quin etiam non est necessarium species ipsas adeo distinctè, & in rigore metaphysico explicare, sed crassiori & morali quodam modo, vt videbimus sect. sequenti.

64. Negotium confessionis est moraliter spectandum.

Denique negotium confessionis morale, non est ad rigorem metaphysicum expendendum, sed humanæ fragilitati accommodandum. Minúsque aptè de illo iudicant, qui contenti speculatione, abstinent à praxi audiendarum confessionum, quarum experientia docet negotium istud facilitandum esse quoad fieri potest, & cum magna benignitate erga pœnitentes gerendum: iusteque præsumi institutionem & intentionem Christi id permittere.

Per hæc ad tria argumenta initio allata sufficienter responsum est. Concludo itaque censuram illam nouam, & singularem, reiiciendam esse, velut sine fundamento sufficienti latam, contra reuerentiam & authoritatem D. Thomæ, & tot aliorum, tamque grauium Theologorum, quorum multi viderunt, & expenderunt locum Concilii Tridentini, in quo malè fundatur.

SECTIO IV.

Notantur aliqua de circumstantiis.

65. Circumstantiæ septem numerantur.

PRiusquam ad alia progrediamur, quæ pertinent ad integritatem confessionis, vtile erit notare aliqua, de circumstantiis peccatorum, siue specificantibus, siue aggrauantibus, quæ ad Confessarios æquè ac pœnitentes iuuandos prodesse poterunt. Vulgò autem numerantur septem, ad quas aliæ omnes possunt facilè reuocari: & hoc versu comprehenduntur,

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando:

Debent

Debentque considerari pro tempore quo persona peccauit, non pro tempore, quo confitetur. Nihil enim refert, an pœnitens, quando confitetur, sit coniugatus, vel solutus: secus autem an esset coniugatus, quando peccauit per copulam illicitam.

Prima circunstantia,

Quis?

66. Quid illigatur per circunstantiam, *Quis?*

Circa primam circunstantiam, QVIS, nota primò, per illam intelligi circunstantiam personæ operantis: quæ si variat peccatum specificè & grauiter, necessariò exponenda est, nisi Confessarius satis eam intelligat, quippe qui satis nouit statum pœnitentis. Sin autem aggrauat tantùm: non debet necessariò exponi, etiamsi mortaliter aggrauet, secundum opinionem plurimorum supra relatam: secundum nostram verò debet. Hinc sequitur circunstantiam voti explicandam esse in peccatis, quæ quis admisit contra castitatem: quia addit illis peccatis speciem sacrilegii. Explicandam item esse circunstantiam iuramenti, si quis iurasset seruare castitatem: quia addit speciem diuersam periurii. Non est tamen necessarium secundum multos, exprimere votum castitatis fuisse solemne, aut simplex: quia non differunt specie. Neque an qui peccauit fuerit Sacerdos, aut Religiosus: quia vtrisq; non prohibentur peccata contra castitatem, nisi ratione voti. Idemque docent de complice peccati: ita vt sufficiat dicere, se peccasse cum habente votum castitatis. Hoc autem intellige, per se loquendo. Quia si Sacerdos aut Religiosus graue detrimentum intulit suo Ordini: tenetur id dicere, quia est alia species peccati.

Circunstãtia voti quomodo explicãda?

67. Dixi, in peccatis, quæ quis admisit contra castitatem, debere explicari circunstantiam voti: quia secus sentiendum est, si quis tantùm indirectè fuit aliis causa, vt peccarent contra castitatem, scandalo illis præbito, non eo fine, vt inducerentur ad peccandum contra castitatem, sed alia de causa. Tunc enim neque circunstantia voti in scandalizante est necessariò exprimenda in confessione: quia non peccat, grauiter saltem, contra castitatem: quippe quæ non obligat grauiter ad impediendum, ne alii contra illam peccent, vel ad procurandum, vt alii eam seruent: sed peccat tantùm grauiter contra charitatem, quæ obligat, vt impediamus malum proximi, quando commodè possumus. Neque etiam tunc explicari necessariò debet circunstantia eorum, quos indirectè tantùm scandalizat, putà coram quibus loquitur verba obscœna, sine animo inducendi ad luxuriam: quia scandala indirecta tantùm, censentur esse moraliter eiusdem speciei, & charitati solùm grauiter repugnare. Secus autem quando quis directè inducit ad peccandum contra castitatem, siue intendens formaliter ruinam proximi, siue aliquid aliud, exempli gratia, vt voluptatem aliquam, aut commodum inde consequatur. Nam peccata scandali directi pertinent ad speciem peccati, ad quod inducunt: opponunturque iisdem virtutibus, quæ quamuis non obligent nos grauiter ad impediendum, ne alii peccent contra ipsas: obligant tamen, vt ne positiuè inducamus alios ad peccandum contra illas. Et ideo qui lasciuum non corripit, aut non abstinet ab aliquo opere, ex quo videt fore, vt contra, vel præter suam intentionem alius sumat occasionem lasciuiendi: non peccat contra castitatem, sed contra charitatem, quando tenetur eum corripere, vel abstinere à tali opere ad vitandum illius scandalum. Et, vt rectè ait Delugo, disput. decima sexta, numero 161, post Aegidium Con. disput. trigesima secunda de Charitate, num. 46. licet huiusmodi virtutes nos grauiter obligent, vt non committamus vitia ipsis opposita, neque alios ad illa directè inducamus: leuiter tamen ad summum nos obligant, vt in aliis illa impediamus, aut ne simus illis præter intentionem occasio ea committendi. Vnde Apostolus ad Romanos 14. versu 15. & 16. & 1. Corinth. 8. vers. 9. & sequentibus, non reprehendit vt idololatras eos, qui cum scandalo infirmorum vescebantur idolothytis: sed tantùm vt peccantes contra charitatem, negligentes animam proximi, & ruinam illius non impedientes.

Conine. Delugo.

Peccata scandali ad quam speciem pertinent?

Sunt qui putent circunstantiam sponsalium exprimendam esse in confessione à spõso vel sponsa fornicante. Alii verò plerique id negant. Quia promissio matrimonii nondum obligat ad vitandam copulam illicitam cum alia: sed solùm obligat ad contrahendum matrimonium, ex quo sequetur debitum speciale iustitiæ vitandi copulam cum alia. Qua de re dicemus inferius, disputatione 70. de Matrimonio, sect. 6.

68. Circunstãtia sponsalium sine explicanda?

Et circunstantia virginitatis.

Sunt etiam qui censent circunstantiam virginitatis explicãdam esse à virgine, quando primum corrupta fuit: quia circunstantia illa addit speciem stupri. Sed alii meliùs negant: quia non est species stupri, nisi accedente raptu, aut violentia, vel dolo & fraude: quæ circunstantia explicanda est à rapiente, aut inferente violentiam, vel fraudem adhibente: non autem ab eo, qui patitur illam iniuriam, licet non satis restiterit, & per metum vel fraudem consenserit, aut voluntariam delectationem perceperit. Non debet etiam necessariò exponi, an virgo, quæ fuit sollicitata & corrupta sine stupro, esset sub parentum custodia: quia hæc circunstantia non mutat grauiter speciem, neque grauiter auget per se loquendo. Si tamen inde grauis mœror, aut graue dedecus, vel detrimentum eius parentibus illatum est: debet id explicari: quia est alia species grauis peccati contra charitatem erga proximum, vel etiam contra iustitiam. Sed hoc potest non modò circa virginem, sed etiam circa corruptam contingere: & siue illa esset sub parentum custodia, siue non;

Digitized by Google

prouenitque ex eo quòd peccatum non maneat occultum.

69. Et dignitas personæ.

Sunt denique qui existimant, dignitatem personæ peccantis explicari debere. Sed hoc non est necesse, nisi in duobus casibus. Primò, quando dignitas illa addit obligationem iustitiæ ad vitandum peccatum, quod alioqui deberet solùm vitari ex charitate. Vt quando Iudex non corripit, & punit nocentes: quando Princeps non curat bonum publicum: quando res alterius non seruat, & furta non impedit, qui ex officio vel contractu tenetur eas seruare. Secundò, quando ratione dignitatis personæ oritur graue scandalum, quod alioqui non oriretur: aut longè grauius: quanquam neque tunc debet explicari, secundum eos, qui docent, circunstantias aggrauantes tantùm non esse necessariò confitendas.

70. Et ignorantia, vel error, vel passio, aut consuetudo peccantis.

Ad eandem circunstantiam, *Quis*, pertinet ignorantia, vel error, vel passio, aut consuetudo peccantis. Quæ aliquando explicari necessariò debent. Quando scilicet faciunt, vt peccatum, quod esset alioqui mortale, sit tantùm veniale, defectu plenæ aduertentiæ, aut perfectæ libertatis: vel contrà, vt quod esset tantùm veniale, sit mortale, apprehendendo per conscientiam erroneam esse graue id quod tantùm est leue: aut quando mutant, vel addunt speciem peccati grauis: vt quando quis putat illum, quem percutit, esse clericum: vel quando ignorans statum illius, cui copulatur, exponit se periculo committendi non modò fornicationem, sed etiam adulterium, si fortè illa sit coniugata. Alioqui verò peccata commissa cum ignorantia culpabili, non differunt specie ab iis, quæ fiunt cum plena cognitione circa idem obiectum. Vt homicidium factum ex ignorantia culpabili, quâ putabas hominem quem occidisti, esse feram: aut adulterium commissum cum illa, quam culpabiliter existimabas esse tuam coniugem. Et si scientia est tantùm necessaria ad operandum, & vitandum aliquod peccatum: eius ignorantia culpabilis pertinet ad idem peccatum. Exempli gratiâ, ignorantia culpabilis circa contractum vsurarium quem facis, pertinet ad peccatum vsuræ, ignorantia culpabilis diei festi, ex qua sequitur eius violatio, pertinet ad peccatum contra religionem, & reuerentiam debitam diebus festis. Ignorantia culpabilis articulorum necessariorum ad credendum, est contra virtutem fidei: & sic de cæteris. Quando enim vnum est tantùm necessarium propter aliud, eadem est obligatio circa vtrumque: & consequenter peccatum contra illam obligationem opponitur eidem virtuti.

Secunda circunstantia,

Quid?

71. Quid intelligendũ

Circa secundam circunstantiam, *Quid*, nota secundò, per illam significari quantitatem, & qualitatem, seu conditionem, materiæ & personarum, circa quas peccatum fuit commissum. Vt quantum quis furatus sit, & quàm multis, & qualibus: putâ, an valde aut extremè indigentibus, & remne sacram, an prophanam furripuerit: quantum & quàm multis detraxerit, maledixerit, malè voluerit, nocuerit per scandalum, & similia. Quoad necessitatem verò confitendi hanc circunstantiam, distinguendum est. Nam iuxta sententiam, quam secuuti sumus cum plurimis, necessarium est illam confiteri, non modò quoties mutat, vel addit speciem peccati grauis: sed etiam quotiescunque mortaliter aggrauat intra eandem speciem. Iuxta sententiam verò aliorum, non est necesse confiteri, quando aggrauat tantùm.

per circunstantiam, Quid?

Quomodo explicãda?

Atque ita vel omnes, vel aliqui authores huius sententiæ (neque enim omnes in omnibus conueniunt) docent non esse necessarium confiteri quantitatem furti, neque multitudinem personarum, quibus aliquis simul vel successiuè furatus est. Idemque dicunt de quantitate detractionum, & multitudine personarum quibus detraxit, aut coram quibus detraxit: deque numero personarum quibus malè voluit, maledixit, aut aliter nocuit, vel quas concupiuit, aut cum illis copulam illicitam habuit. Nisi conditio personarum mutet, vel addat speciem grauiter malam: vt si copulam habuit cum coniugata, si rem sacram furatus est: si clericum percussit, vel parentem, aut magistratum, & similes personas, quarum conditio habet adiunctam grauem & specialem irreuerentiam, & deordinationem contra religionem, aut pietatem, aliasque virtutes. Si Parentes infamauerit, oderit, maledixerit, contumeliis aut verberibus affecerit: & alios quibus ob sanguinis coniunctionem tenebatur ex debito pietatis: vel ex debito gratitudinis, ob valde eximia & ingentia beneficia: vel reuerentiæ, ob prælationem: ita vt contra illas virtutes grauiter peccauerit: de qua grauitate censendum est, non modò ex materia, sed etiam ex coniunctione personarum maiore vel minore: vel ex magnitudine & multitudine beneficiorum: vel ex eminentia personæ. Item, si ieiunium quod violauit, fuit debitum, non tantùm ex præcepto Ecclesiastico: verùm etiam ex voto, quod addit speciem sacrilegii. Multiplicatio tamen voti circa eandem rem, non est necessariò explicanda: neque, vt plerique aiunt, multitudo præceptorum eiusdem rationis circa eandem rem ex eodem motiuo virtutis. Vt quando ieiunium erat præceptum ob vigiliam alicuius Sancti, & ob quatuor tempora tunc occurrentia, vel quia eadem vigilia occurrit in Quadragesima: vel quando Sacrum est audiendũ duplici titulo, quia duplex festum incidit in eandẽ diem: vel quando idem præcipitur lege diuina, ecclesiastica, & ciuili. Quia hæc non cõstituunt peccatũ in diuersa specie,

Digitized by Google

72. Sine explicanda diuersitas iuramentorum, blasphemiarũ, imprecationum, detractionum &c.

Similiter iuxta multorum sententiam non debet necessariò explicari diuersitas iuramentorum, detractionum, imprecationum, aut etiam malorum proximi de quibus pœnitens delectatus est, aut quæ illi desiderauit aliunde aduenire, non autem per seipsum inferre, vt dicemus paulò post: neque etiam differentia peccatorum de quibus se iactauit, si se iactauit tantùm ex affectu vanæ gloriæ, & non ex affectu complacentiæ ad peccatum de quo se iactat: vel nisi iactantia illa afferat alicui graue detrimentum, putà grauem irreuerentiam erga superiorem, gloriando de contumacia contra ipsum. Secus autem si laudat alium de peccato, inducendo illum ad peccandum: aut si aliis modis priuatiuè, vel positiuè cooperatur ipsius peccato, iussione, consilio, consensu, &c. Alioqui verò omnia prædicta non censentur differre specie moraliter in ordine ad confessionem.

73. Vel differentia errorum contra fidem.

Differentia quoque articulorum fidei, contra quos aliquis peccat per hæresin, aut aliam speciem infidelitatis, non debet necessariò exprimi in confessione: neque differentia blasphemiarum in Deum, vel in Sanctos, iuxta multorum sententiam. Quia non censentur differre specie moraliter, & in ordine ad confessionem: sed esse in eadem specie peccati: illæ, contra fidem: hæ, contra religionem. Vt neque etiam gradus incestus; excepto primo gradu, vel in linea recta ascendentium, & descendentium. Imò, neque iste differt specie secundum aliquos, sed tantùm penes magis & minùs: ac proinde non debet exprimi necessariò, secundum eos qui negant esse obligationem confitendi circunstantias aggrauantes: sufficitque dicere commissum fuisse incestum, siue incestus proueniat ex consanguinitate, vel affinitate: siue ex cognatione legali. Secus autem si oriatur ex cognatione spiritali. Quia hæc addit speciem sacrilegii: eò quòd illa prohibitio oriatur ex reuerentia sacramentorum, per quæ contrahitur spiritalis cognatio. Verùm, quid de differentia inter huiusmodi gradus probabilius nobis videatur, diximus alibi disp. de Temperantia.

74. Vel scandalorum indirectorũ.

Item qui scandalizauit alios peccato suo, indirectè tantùm, id est, non intendendo scandalizare, & inducere ad peccandum: non tenetur explicare speciem peccati, cuius scandalum præbet: quia moraliter eiusmodi scandala in ordine ad confessionem, censentur esse eiusdem speciei contra charitatem. Et qui peccat contra præceptum fraternæ correctionis, si non habet speciale debitum ex officio, sed tantùm ex charitate; non tenetur explicare in cõfessione speciem peccati, quod corrigendum erat: sed sufficit dicere, omissam fuisse correctionẽ debitam cum graui detrimento speciali proximi. Similiter iuxta multorum opinionem, qui gaudet de malo proximi, vel desiderat aliunde illi aduenire: non tenetur explicare species diuersas malorum. Quia hæc peccata sunt moraliter eiusdem speciei contra charitatem. Secus tamen si vellet per se inferre. Quia voluntas efficax accipit malitiam specificam moralem ex obiecto, etiam materialiter volito. Alii verò affectus simplicis complacentiæ, aut desiderii inefficacis, censentur esse moraliter eiusdem speciei, propter idem motiuum, quo tendunt in malum proximi, quia malum illius est, siue vt malè illi sit. De quibus omnibus videri possun. quæ diximus in tractatu de Peccatis, disputatione decima sexta, sectione tertia. Et quanquam ibi non hæc omnia probauimus: placuit tamen ea referre hoc loco: quia in praxi proderunt volentibus sequi has variorum Doctorum opiniones satis probabiles, & magis fauorabiles.

75. Cogitationes morosę quomodo explicandæ

Sunt etiam qui putent cogitationes morosas sine desiderio, esse eiusdem speciei, exceptis cogitationibus de peccatis contra naturam, quæ eiusmodi sint, alibi diximus, disputando de Temperantia, tomo tertio, disputatione vigesima quarta, sectione nona: & non esse explicandam differentiam obiectorum, vel personarum, sicut in desideriis. Imò etiam in istis non esse inquirendam à Confessariis conditionem personæ concupitæ: quia pœnitentes, dum illicitè desiderant, non solent cogitare de differentia personarum, sed solùm de illicita voluptate. Notant præterea cogitationes & delectationes de obiectis à quibus potest mente præscindi turpitudo, non esse illicitas eâ præcisâ; dummodo absit carnalis commotio in appetitu sensitiuo, & illius periculum: vt delectari de copula cum aliqua ex suppositione quod esset vxor tua. Sicut non est malum delectari mentaliter de imaginaria comestione carnium die veneris ex hypothesi quòd non essent prohibitæ. Sed hoc nimis periculosum, & cauendum censeo. Affirmant denique, quod verissimum est, non esse explicandum numerum personarum quas illicitè concupieris. Quia perinde est, siue eandem sæpius, siue plures successiuè concupiscas.

Et effectus peccati.

Præterea licet citra controuersiam sit, debere explicari in confessione actus externos, quia sunt verè peccata, coniuncti cum actu interno, cum quo moraliter vnum actum efficiunt: secus tamen est de effectibus, qui sequuntur ex illis, hos enim plurimi negant debere exponi in confessione. Exempli gr. num ille, cui venenum lethale propinasti, sit mortuus. Nimirum quia talis effectus non est peccatum, sed effectus tantùm peccati. Alioqui propinans peccaret continuò per annum verbi gratia, quãdiu venenum operatur. Peccaret inquam continuò, etiam dormiendo, & sacramentum pœnitentiæ recipiendo. Neque posset per contritionem, aut sacramentum iustificari, ante completam veneni operationem; aut simul esset in gratia & in peccato

mortali. De quibus omnibus fusissimè Delugo disp. 16. sect. 5. & sequentibus.

Tertia circunstantia,
Vbi?

76. Circunstãtia Vbi, quando explicanda?

Circa tertiam circunstantiam *vbi*, nota tertiò, aliquando peccatum ratione loci habere totam malitiam quam contrahit: vt quando Iudex exercet actus iudiciales in Ecclesia: quando reus per vim ab illa extrahitur: quando prophanæ negotiationes, & mercatus in illa exercentur: quando coniugati exercent in illa coniugalem actum sine necessitate. Aliquando verò locus addit aliquam speciem malitiæ, vel auget. Vt cùm aliquis peccat in loco publico, vnde eius peccatum contrahit malitiam scandali. Quando sanguis vel semen effunditur in Ecclesia (citra actum coniugalem in casu necessitatis) quod propter Ecclesiæ prohibitionem addit grauem malitiam sacrilegii, ex qua sequitur Ecclesiæ pollutio, tum ob sanguinis effusionem, tum ob pollutionem, vel copulam, si notoria sit. Imò etiam citra Ecclesiæ prohibitionem hæc sunt illicita propter reuerentiam loci, cui disconueniunt. Sicut alia quædam, citra Ecclesiæ prohibitionem, contrahunt malitiam, & quidem grauem, ex eo quòd fiant in locò sacro: vt fœdare stercore altare, vel ibidem sacrificare idolis, aut Ecclesiam in lupanar conuertere, aut in domum negotiationis, & speluncam latronum.

77. Circunstantia loci sacri non dat malitiam ómnibus pecc. in eo factis.

Non tamen omnia peccata siue interna, siue externa, quæ fiunt in loco sacro, contrahunt inde grauem malitiam ratione irreuerentiæ. Vt si quis in Ecclesia cogiter de furto, vel adulterio extra committendo: si in eadem delectetur illicitis cogitationibus, confabuletur, aspectus, & tactus impudicos exerceat citra pollutionem, furetur rem non sacram, aut non depositam in loco sacro, vt in azylo. Licet enim in quibuscunque furtis in loco sacro factis existiment multi, circunstantiam loci sacri confitendam esse: meliùs tamen negant Suarez, Lessius, Aegid. Coninc, Delugo, & plerique alii. Quia hæc circunstantia leuis est, nisi res furto sublata sit sacra, vel in loco sacro, velut in azylo depositi. Notant præterea Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 6. num. 7. De Salas tom. 2. in 1. 2. tract. 13. disp. 5. sect. 15. num. 132. & 133. Delugo disp. 16. de Pœnit. sect. 4. num. 165. & 166. Castr. Pala. tom. 1. tract. 6. disp. 6. & alii, circunstantiam scandali sæpe non esse grauem: vel quia illi qui peccant coram aliis, sunt adeo malæ vitæ, vt eorum exemplum parùm alios moueat: vel illi corã quibus peccant, sunt adeo procliues ad peccandum ex consuetudine, vel malo affectu, vt suo potiùs impetu, quàm aliorum impulsu peccent. Non est autem grauis circunstantia scandali, nisi grauiter moueat ad peccandum, ita vt valde difficile sit illi resistere.

Quarta circunstantia,
Quibus auxiliis?

78.

Circa quartam circunstantiam, *Quibus auxiliis*, nota quartò, ad eam pertinere explicare, si aliorum opera vlus sis in peccato perpetrando, ita vt eos ad peccandum impuleris tanquam causa sine qua non. Si maleficiis, & Diaboli operâ: si instrumento grauiter prohibito, vel ex quo periculum aliquod graue imminebat, aut ex quo fuit longè grauior peccandi modus. Exemp. gr. si tormento bellico aliquem occideris cum periculo plures alios occidendi: vel si igne lento peremeris.

Quinta circunstantia,
Cur?

79. Cur significet circunstantia extrinsecã.

Circa quintam circunstantiam, *Cur*, nota quintò, per illam significari finem operationis extrinsecum: nam intrinsecus non est propriè circunstantia. Vt si quis furetur ad mœchandum: si quis faciem ornet, vt alios prouocet ad libidinem. Quæ circunstantia explicanda est necessariò in tribus casibus. Primò, si det actui totam malitiam grauem quam habet: vt quando actus de se indifferens fit malus propter malum finem, ad quẽ refertur: putâ, deambulatio ad habendam occasionem occidendi, aut videndi quam concupiscat. In quo casu medium non est necessariò confitendum. Sed finis tantùm, in quo est tota malitia peccati. Secundò, si addat aliam speciem malitiæ grauis. Vt quando quis furatur, vt habeat vnde inebrietur: si aliquid surripiat alteri, vt illum inciter ad blasphemandum. Tertiò, si grauiter auget malitiam intra eandem speciem, iuxta sententiam probabiliorem, quòd circunstãtiæ grauiter aggrauantes sint necessariò confitendæ. Vt si quis furetur ab vno instrumenta, vt ab alio furetur equum aut pecunias. Secus autem si finis non sit nisi leuiter malus, aut nullo modo malus de se. Vt si quis omittat Sacrum die festo, vt studeat. Quod studium non habet aliam malitiam, quàm ipsius omissionis (suppono enim non propterea talem constituêre vltimum finem in studio, aut circa illud ita affici, vt eius solius causâ vellet peccare mortaliter, illudque pluris faciat, quàm grauem Dei voluntatem) ideóque sufficit illam omissionem confiteri. Si quis verba turpia loquatur ex motiuo vanæ gloriæ, quod motiuum leue est: si detrahat famæ proximi ex motiuo complacentiæ: si peccet ex motiuo fiduciæ de venia obtinenda per pœnitentiam, & similia.

Sexta circunstantia,
Quomodo?

80. Modus peccandi quis, & de explicandus.

Circa sextam circunstantiam, *Quomodo*, nota sextò, per illam significari modum, quo quis peccauit. Qui necessariò explicandus est, si non aliundè satis intelligitur, & addit deformitatem grauem, siue in diuersa specie, siue etiam intra eandem, iuxta probabiliorem sententiam: Ex. gr. si ille, qui detraxit, mentitus est, & falsum crimen im-

Digitized by Google

posuit: si qui occidit, feritate vsus est, lancinando, & dilaniando corpus viuum, aut mortuum inimici: si copulam illicitam vi aut fraude extorsit: si magna, & extraordinaria fuit intensio actus interni, putà odii, & non satis declaratur, explicando magnitudinem, aut frequentiam actus externi. Si exercuit actum coniugalem modo impediente generationem, &c. Quòd autem quis peccet contra vehementem diuinam inspirationem iuuantem in tentatione, vel ex conscientia erronea, vel ex consuetudine, non est communiter, & per se loquendo necessarium explicare: neque etiam quòd scienter, & liberè te ad peccandum exposueris, si inter periculum, in quod te coniecisti, & peccatum ipsum post commissum, non sit mora sufficiens ad distinguendum numericè vnum peccatum ab alio. Dixi *per se loquendo*: quia interdum id necessarium est, quando scilicet peccatum mortale non potest aliter satis intelligi. Vt si adolescens accuset se, quòd non ieiunauerit ante annum vigesimum primum, putans ex conscientia erronea se teneri sub mortali. Tunc enim confessarius non intelligeret, ipsum peccasse mortaliter, nisi adderet, se ex conscientia erronea peccasse. Aut etiam quando peccatum habet reseruationem, aut censuram annexam, à qua excusat conscientia erronea, si nimirum aliquis falsò existimet se grauiter peccasse in materia reseruata, vel ferente censuram: cùm tamen leuiter solùm contra illam peccauerit: tunc enim debet id confessario innotescere, ne sine causa imponat onus pœnitenti recurrendi ad superiorem. Item quando malitia consuetudinis necessaria est, vt intelligatur, an pœnitens sit in proximo peccandi periculo, vel careat sufficienti proposito. Sique de illa interrogatur à confessario, tenetur respondere.

Septima circunstantia,
Quando.

81. **Circunstãtia temporis quando explicãda?**

Circa septimam circunstantiam *Quando*, nota septimò, ad illam pertinere durationẽ actus: quæ secundum sententiam probabiliorem explicanda est, quando excedit notabiliter modum ordinariũ, quo talia peccata committuntur. Quia tunc grauiter aggrauat, & aliundè non satis innotescit confessario. Eódem pertinet tempus, quo peccatum fuit commissum, si actus erat eo tempore prohibitus: vt in præceptis mulris positiuis contingit. Ex. gr. si quis opera seruilia exercuit die festo: si carnes comedit tempore Quadragesimæ. Falluntur tamen qui putant circunstãtiam diei festi explicandam esse in quibuscũque peccatis mortalibus die festo commissis: putà, si quis die festo se inebriauit, aut copulam illicitam habuit. Licet enim omnia peccata moralia sint contra Dei cultum aliquo modo: non tamen sunt contra cultum specialiter præceptũ ab Ecclesia diebus festis, qui in duobus tantùm consistit: nempe in abstinentia ab operibus seruilibus, & in auditione sacri. Aliquando tamen tanta potest esse irreuerentia ratione temporis sacri, vt peccatum inde cõtrahat grauem malitiam sacrilegii, quæ sit necessariò confitenda: quemadmodum rectè notat Delugo disp. 16. n. 524. Vt si quis die Parasceues faceret ea, quæ solent fieri in bacchanalibus: aut si statim post sacrum à se factum accederet ad fornicandũ: vel si tempore confessionis sollicitaret pœnitentem ad peccandum. Tunc enim grauis committitur irreuerentia, quæ sine dubio grauissimâ pœnâ digna est.

82. **Circunstãtiæ omissæ vt possint apponendæ?**

Porro si aliqua circunstantia fuit omissa in prioribus confessionibus, & illa potest satis explicari non repetendo peccatum, cui coniuncta erat: sufficit illam solùm exponere. Quando etiam peccatum habet duplicẽ malitiam coniunctam: sufficit vtramque cõfiteri, si seorsim satis explicari possunt, non explicando fuisse coniunctas. Ex. gra. qui furatus est, vt se inebriaret; satis explicat peccatum suum, si dicat se peccasse re ipsa per furtum, & affectu per ebrietatem. Quæ de re plura videri possunt apud Suarem disp. 22. sect. 2. nu. 8. & 9. & apud Delugo disp. 16. sect. 6. vbi rectè ait primum esse verum tunc tantùm, quando circunstantia habet suam malitiam vltimò completam in specie atoma, independenter à malitia peccati, cui coniuncta erat. Cuiusmodi est ebrietas respectu furti: & violatio voti respectu fornicationis: quia violatio voti est moraliter in specie atoma contra religionem. Secundum verò negat fieri posse. Quia sic pœnitens significaret se commisisse duo peccata numero & specie diuersa, non autem illud vnicum quod fuit commissum cum duplici tantùm malitia. Sed respondeo illud vnicum physicè, esse duo moraliter. Ad confessionem autem non pertinent differentiæ physicæ tantùm, neque debent illæ necessariò explicari, sed morales. Sicut ex opposito, quando sunt multa physicè peccata, sed vnum moraliter constituentia, sufficit illa vt vnum explicare: vt fatetur idem auctor disp. cit. sect. 14. Quare melius & cohærentius loqui mihi videntur Suarez suprà, & alii, qui secundum, æquè ac primum, fieri posse concedunt.

Suarez. Delugo.

SECTIO VII.

Quomodo numerus peccatorum mortalium explicandus sit?

83. **Nõ sufficit dicere se rarò, aut sæpius peccasse.**

EXistimant aliqui, quando non occurrit certus numerus peccatorum, satis esse, si dicat pœnitens, quod rarò, vel frequẽter peccauerit, dummodo explicet spatium tẽporis, quo rarò vel frequenter incidit in tale peccatum. Sic Angelus, Syluester, Caietanus, Rosella, Archidiaconus, & alii. Item cùm aliquis statu vitæ & professione peccator fuit, satis esse exprimere tempus, quo in tali

ſtatu vixit: ex. gr. ſi dicat meretrix ſe tamdiu fuiſſe in ſtatu meretricio: vſurarius, vel latro, in ſtatu fœnerandi, aut furandi: concubinarius, tamdiu habuiſſe concubinam loco vxoris: & qui ſolent paſſim turpia loqui, ac concupiſcere mulieres ſibi obuias, ſatisfacere ſi dicant, ſe tamdiu fuiſſe in ea conſuetudine.

84. Longè tamen probabilius eſt, teneri pœnitentem ad inquirendum numerum peccatorum mortalium, & explicandum quàm optimè poterit, adhibita morali diligentia: indicando ſaltem per annos, vel menſes, vel hebdomadas, vel dies, quoties circiter peccauerit. Magna enim eſt differentia inter eos, qui rarò tantùm peccant. Magna item varietas eſt inter eos, qui peccant ſæpiùs: atque etiam inter eos, qui ſunt in ſtatu peccati. Nam verbi gratiâ, inter eos, qui verè dicunt ſe ſæpius peccaſſe, poteſt vnus peccaſſe bis quauis hebdomada, alter ſexies, vel centies. Et è duabus in meretricio ſtatu verſantibus, poteſt vna rarò peccaſſe, nec niſi cum ſolutis: altera ſæpiſſimè, & cum coniugatis, aut caſtitatis voto adſtrictis. Quare niſi confiteantur aliter, quàm vt auctores citati volunt, non poteſt ſacerdos de ipſorum criminibus rectè cenſere, & pœnam, quam oportet, imponere: ſed pro vulgari peccatore habebitur ſæpiſſimè, qui enormiter alios ſuperauerit. Quòd ſi facta ſufficienti inquiſitione, non poteſt quis inire numerum peccatorum, ne circiter quidem: excuſabit illum obliuio: vt de ſubſtantia ipſa peccati, & de ſpeciebus, ait Concilium Tridentinum ſeſſione decimaquarta, cap. 5.

85. Quâ diligentia inquirendus numerus? S. Thom.

Aiunt aliqui, pœnitenti, vt recordetur numeri peccatorum, diſcurrendum eſſe per menſes, & hebdomadas, & dies, & occaſiones. Sed hoc in peccatis carnalibus eſt periculoſum, vt rectè monet Sanctus Thomas opuſc. 64. Scrupuloſi quoque, & qui aliquibus cogitationibus importunis premuntur, non debent in illis recogitandis diu morari, propter periculum imaginationis magis ac magis lædendæ, aut noui conſenſus præbendi. Præterea quando actus interni, vel externi moraliter continuantur ob breuem interruptionem, aut aliter ſecundum moralem æſtimationem cenſentur eſſe vna actio; non ſunt niſi vnum peccatum moraliter. Vt ſi quis mendacium cum multis ſimul iuramentis confirmet, etiam aliquibus execratoriis admixtis: vel ſi plura verba contumelioſa iactet, aut idem ſæpius repetat, in eodem iræ motu; vt ſi iter, vel quater aliquem furem appellet, aut fornicarium, & ebrium: vel ſæpius iuret, aut verberet, &c. Qui etiam firmum propoſitum occidendi aliquem per diem integrum haberet, odiumque illud crebrò intercideret, & crebrò repeteret: non teneretur vices illas enumerare: ſed ſufficeret dicere, ſe per totum diem illud habuiſſe. Idemque dico de inimicitia, vel alia mala voluntate per hebdomadam, per menſem, per annum continuata.

86. Multa peccata iaterdum per modum vnius ſe habeat.

Item, cùm multa peccata, ſiue ſpecie, ſiue numero diuerſa, referuntur ad vnum aliquod maius, vel vt partes illius, vel vt præparationes, vel denique vt circunſtantiæ; ſatis eſt confiteri illud principale peccatum. Exempli gr. licet in vna fornicatione intercedant multi actus impudici, ſatis eſt confiteri actum fornicationis. Idemque dico de actu homicidii & ſimilibus, licet alia multa concurrerint, quæ eò per ſe referuntur: vt præparatio armorum, ſtructio inſidiarum, iter longum ſuſceptum ad homicidium perpetrandum: in quo licet cogitatio occidendi ſæpius interrumpatur: moraliter tamen continuantur omnia, & coniunguntur primæ intentioni manenti in alio, & alio effectu ex ipſa deinceps ſequuto, & ex omnibus vnum moraliter peccatum conſtituitur, conſummatum in actu externo, ad quem omnia per ſe referuntur. Per ſe autem referri dicitur in præſenti, quod plerunque, & frequenter concurrit: ideóque ſatis intelligitur à Confeſſario, quando explicatur præcipuum peccatum. Per accidens verò, quod rarò: vt quòd aliquis interficiat amicum ad occidendum inimicum, aut crudeliter hoſtem fodicet, aut extraordinaria morte afficiat. Denique in actibus impudicis explicandis, magna honeſtatis, & ſcandali vitandi ratio eſt habenda. Præſtatque multa non ſatis intelligere, quàm cum ſcandalo audire: vel etiam (quod peius eſt) curioſè, & cum ſcandalo, vel periculo ſcandali inquirere.

87. Vnde ſumenda vnitas in peccatis externis.

Plura de his videri poſſunt apud Suarem diſp. 22. ſect. 5. Aegidium Conine diſp. 7. dub. 7. & Delugo diſp. 16. ſect. 14. vbi rectè notat primò, in peccatis externis vnitatem numericam moralem ſumendam eſſe ex vnitate actionis in qua peccatur: vnitate inquam morali, & ſecundum humanam æſtimationem: quæ in quibuſdam actionibus maior eſt, quàm in aliis, neque interrumpitur quauis diſcontinuatione phyſica, aut etiam breui retractatione voluntatis. Ex. g. vna actio prandendi eſt, licet qui prandet, interrumpat aliquantulum, vt legat epiſtolam, vel vt det eleemoſynam: aut etiam ſtatuat in fine prandii nihil amplius comedere, & nihilominus paulò poſt aliquid aliud comedat. Quia hæc actio ſatis adhuc continuatur cum aliis ad conſtituendum vnum prandium. Vnde ſi peccauit prandendo cibis prohibitis, ſufficit dicere, ſe peccaſſe ſemel, comedendo cibos vetitos. Item vnica eſt actio celebrãdi Miſſam: licet inter celebrandũ habeatur concio, & interea ſacerdos dormitet. Vnicaque eſt communio licet ſacerdos diu poſt communionem ſacerdotalem ſumat particulas minutiſſimas, reſiduas ex communione laicorum, in qua adminiſtranda longum tempus conſumpſerit, lõgius fortè, quàm ſit ſpatium, quo in die Natalis Domini tres Miſſæ celebrantur con

tinuò : in quibus tamen non censetur esse vnica communio : vnde si talis indignè celebrauit, debet dicere in confessione se ter indignè celebrasse. Sic etiam vnicum est peccatum iracundiæ, licet quis continuò plures contumelias effuderit, aut alterum sæpius verberauerit : quamuis breui interruperit, imò & voluntatem retractauerit, sed etiam post ab aduersario prouocatus, iterum ad contumelias prosequendas, aut verbera redierit. Hæc enim moraliter vnam rixandi actionem constituunt.

88. Aliter sumenda in internis.

Rectè etiam notat secundò, de actibus & peccatis internis philosophandum esse quoad vnitatem moralem, proportione sumpta ab externis. Ita nimirum, vt multi actus interni constituant vnum moraliter peccatum, vel propter connexionem, aut coordinationem ad vnum quoddam peccatum consummandum cum morali quadam continuatione : vel propter breuem interruptionem inter similes actus, quæ non censetur esse sufficiens ad dandam illis moralem diuersitatem.

Cõtinuatio peccati quomodo spectanda?

Sed non probo quod ait num. 565. continuari moraliter idem peccatum quando quis hodie cogitans de fœmina aliena, decreuit eam procurare : & cras iterum de illa cogitans, & memor decreti hodierni, decernit iterum eam procurare, & sic deinceps. Quia inquit, si illa voluntas peruenisset ad assequutionem sui obiecti, id est, ad culpam cum huiusmodi fœmina : totum illud à principio vsque ad finem computaretur pro vno peccato. Habent autem sine illa eandem vnitatem inter se, quia illæ duæ voluntates in casu posito habent inter se ordinem, quatenus vtraque tendit ad idem opus ponendum, & vna pendet ab alia in ordine ad idem. Non placet, inquam, quia ex eo sequeretur, eum qui toto anno renouaret singulis diebus semel tale decretum, non committere, nisi vnum peccatum: sufficereque si diceret, se semel decreuisse, aut procurasse.

89. Ad fundamentum verò illius authoris Respondeo, debere inter actiones, quæ constituunt vnum moraliter peccatum, esse connexionem non nimis interruptam, sed virtualiter quodammodo semper continuatam. Cuiusmodi non sunt voluntates illæ in casu, de quo disputamus, nisi talis continuò quodammodo captaret occasionem, putà, manendo in eadem domo ad illum finem. Tunc enim sufficeret dicere tempus, quo in tali voluntate perstitit.

SECTIO VIII.

An, & quomodo peccata dubia sint confitenda?

90. COnuenit inter Doctores certa vt certa, dubia verò non nisi vt dubia confitenda esse : ne vel malitiam nostram taceamus ex parte, si fateamur certa vt dubia : vel augeamus, si confiteamur dubia, vt certa. Difficultas verò est, an quodcunque peccatum mortale quomodocunque dubium, sit necessariò confitendum?

Dubium quadruplex.

Pro quo nota, peccatum quadrupliciter dubium esse posse. Primò, ita vt altera pars sit ferè certa. Et tunc ista vt certa est sequenda, licet aliqua sit formido de opposito. Nam in rebus humanis rarò haberi potest omnimoda certitudo. Secundò, ita vt vtraque pars ob alias rationes verè sit positiuè probabilis, quamuis alterutra sit minùs probabilis. Et tunc pœnitens non tenetur confiteri, sed iure suo vtens potest sequi opinionem probabilem : vt rectè docent Suares, Aegidi. Con. Syluest, aliique plurimi : maximè cùm non desint alia multa remedia, quibus à peccato, si verè sit, liberari queat. Tertiò, ita vt pro neutra occurrant sufficientes rationes, vt possit de illa ferri probabile iudicium. Et hoc dubium vocatur purum & negatiuum : multóque minùs obligat, quàm præcedens.

91. Dubium probabile non obligat ad confess.

Nemo enim damnandus est sine causa : & sicut non debet alium damnare peccati sine causa : ita neque se ipsum. Item, libertas non est minuenda, nec grauis obligatio suscipienda sine ratione. Hic autem nulla est ratio agendi, sed mera ignorãtia. Quare tale peccatum non esse necessariò confitendum rectè docent è recentioribus Aegidius Con. disp. 7. dub. 8. num. 69. Layman tom 1. lib. 1, tract. 1. cap. 5. § 4. num. 37. & Præpositus quæst. 5. de integritate confessionis dub. 3. num. 117. Quamuis non pauci contrarium sentiant : sed eorum argumenta parum vrgent. Nam quod aliqui dicunt, necessarium esse confiteri omnia peccata, quæ ad tribunal ipsius Dei debent deferri : non est verum. Alioqui necessarium esset venialia confiteri. Nam illa certissimè debent deferri ad Dei tribunal, qui de omnibus tandem iudicabit, & reddet vnicuique secundum opera eius, bona vel mala, siue grauiter siue leuiter talia. Quòd si dicant aduersarii se loqui de tribunali pœnitentiæ : respondeo ipsos probare idem per idem in maiori ; & petere manifestè principium in minori propositione, quæ ab illis sic formanda esset : Sed peccata purè dubia ad tribunal ipsius Dei debent deferri.

Conine Layman Præpos.

92. Quod item aiunt ex Trident. sess. 14. cap. 5. necessarium esse confiteri omnia mortalia quorum conscientiam habet pœnitens post diligentem discussionem. Talis autem habet conscientiam peccati mortalis, neque potest verè dicere, *Nihil mihi conscius sũ*: conscientia enim dicitur nõ modò illa quę est certa, sed etiam dubia & erronea. Hoc inquam parum vrget : Nam sicut fatẽtur isti authores non esse Concilium intelligendum de conscientia probabili : fatentur enim non esse obligationem confitendi peccatum mortale, de quo probabile est non fuisse fa-

ctum, aut fuisse confessum : Ita potest facilè illis responderi, Concilium non esse intelligendum de conscientia dubia : cùm par aut maior ratio sit illam excludendi à confitendi obligatione, æquè ac conscientiam probabilem.

93. Secus vero si peccatũ fuerit certum.

Quartò denique, peccatum potest esse dubium, ita vt pro vna parte sint probabiles rationes, pro alia verò nullæ. Et in hoc casu confitendi obligatio est, quia moraliter habetur pro certo, & non propriè pro dubio, quod est tale, vt pro illo stent probabiles rationes & nulla planè occurrat in contrarium. Excipiuntur tamen ab his omnibus scrupulosi, quia nulla peccata, nisi planè certa; & si sint scrupulosiores, non nisi euidentia, ac de quibus iurare possint, confiteri teneantur : cùm sine graui periculo non possint eandem viam cum aliis insistere. Nec refert quòd fortè hac ratione exponentur interdum periculo omittendi aliquod mortale. Tum quia hoc periculum in illis rarius est : tum etiam quia cum tanto suo damno, quale est periculum hærendi perpetuò in illis scrupulis & cruciatibus, non tenentur maiorem integritatem confessionis procurare, à qua minora pericula excusant. Addunt aliqui, quando peccatum est dubium, apponendam esse in confessione materiam certam, ne absolutio detur sub conditione, quod vitandum est si fieri possit. Sed existimo id magis esse consilii, quàm necessitatis. Quia nullum est per se malum absoluere sub tali conditione, quandoquidem est necessitas confitendi dubium, & nullus tenetur iterare confessionem aliorum peccatorum mortalium, aut confiteri venialia præter mortale dubium, quod est confitendum. Sique peccatum dubium est per se confitendum, potest, & debet absolutio dari sub conditione, si pœnitens velit vti suo iure non repetendi confessiones, aut tacendi venialia : & hoc ad ipsam institutionem & voluntatem Dei referendum est. Tametsi in praxi melius est suadere pœnitenti, vt aliud peccatum certum, si habet, subiiciat : ipseque debet sponte id facere, vt meliùs sibi prospiciat, & sacramentum eiusque effectum certum reddat.

94. Peccatum dubium, si fit certum, iterum confitendum?

Quæres, vtrum qui de peccato mortali dubio, tanquam dubio confessus est, & postea cognoscit esse certum, teneatur illud iterum confiteri, vt certum. Respondeo affirmatiuè cum communi sententia, cuius variæ afferuntur rationes, sed ista magis mihi placet. Quia scilicet tenetur illud peccatum confiteri, modo tam notabiliter variante iudicium Confessarii, & transferente illud de materia non necessaria sacramenti, in materiam necessariam. Et quemadmodum si dubitasset, esseine mortale an veniale, posteaque deprehenderet esse mortale, teneretur de illo, tanquam de mortali rursus confiteri : sic &c. Par enim est ratio vtriusque. Sicut enim differentia mortalis, & venialis, est moraliter specifica : ita & differentia mortalis certi, & dubii.

95. Contraria sententia.

Contrarium significat Delugo disp. 16. num. 77, & sequentibus atque nonnullis viris doctis placuisse. Primò, quia qui confessus est se v. g. decies circiter, seu plus minúsue peieraſse, si postea meminit certò se peieraſse duodecies, non tenetur de duobus illis periuriis confiteri : sed censetur illa in præcedenti confessione sufficienter explicasse, quamuis sub dubio tantùm ea proposuerit. Secundò, qui obtinet dispensationem à censura, vel à voto, proposito vt dubio; non tenetur iterum petere, licet postea certò de illis constet. Tertiò, talis fuit directè absolutus à suo peccato, quamuis proposito tantùm vt dubio. Ergo non tenetur illud iterum confiteri, accedente cognitione certa: quæ cognitio tantùm purificat aut notificat conditionem, sub qua fuit remissum per absolutionem.

96. Satisfit illius argumentis.

Sed ad primum Respondeo maiorem requiri exactionem in explicanda substantia peccati, quàm in numero : sufficereque numerum circiter declarari, quantus occurrit post sufficientem diligentiam, vt communi vsu receptum est, ex quo magis quàm ex principiis metaphysicis de confessionis integritate iudicandum est. Quò pertinet id quod ait idem author disp. cit. num. 588. differentiam esse inter speciẽ peccati & numerum, quoad necessitatem explicandi & determinadi in confessione. Nam fere omnes dicunt eum, qui confitetur se ter vel quater fornicatum esse, non teneri postea ad confitendam quartam fornicationem, quamuis certò illius recordetur. At verò si pœnitens dicat se certum esse de consensu mortali contra castitatem, non tamen recordari an circa solutam vel coniugatam : omnes dicunt debere postea explicare determinatè speciem, si postea recordetur fuisse coniugatam, seque id aduertisse. Nimirum quia species peccati debet explicari determinatè, multò magis, quàm numerus peccatorum. Atqui, vt paulò ante diximus, differentia inter peccatum mortale dubium, & certum, est moraliter specifica in ordine ad confessionem, & ad iudicium ferendum in foro poenitentiæ. Ergo debet magis determinatè explicari, quàm numerus peccatorum.

97.

Ad secundum Respondeo negando paritatem. Nam institutio sacramenti poenitentiæ obligat ad deferenda Sacerdotibus omnia mortalia eo modo, quo possint rectè censere de eorum grauitate : quod non facit qui peccatũ mortale certum confitetur vt dubium. At potestas tollendi censuras, quæ tota pendet ab institutione Ecclesiæ, non hoc postulat : neque potestas dispensandi in voto ex causa rationabili, sufficiente ad relaxandum votum, siue dubium, siue etiam certum sit. Quod addo, quia alioqui non puto fore validam dispensationem voti certi.

Ad tertium Respondeo peccatum illud fuisse quidem directe remissum : sed quia non

fuit satis explicatum in præcedenti confessione, manet obligatio explicandi illud vt certum.

SECTIO. IX.

Quæ causæ excusent ab integritate Confessionis?

98. Excusat obliuio post sufficientem diligentiã. Suarez.

MVltæ sunt causæ excusantes ab integritate confessionis. Prima est obliuio, de qua Tridentinum sess. 14. cap. 5. quando scilicet quis adhibita sufficienti diligentia, non meminit alicuius peccati. Quòd si quæras quænam & quanta diligentia sit adhibenda, vt obliuio non sit culpabilis? Respondeo cum Suare disp. 22. sect. 11. non eandem requiri in omnibus, neque posse aliquâ certâ mensurâ præscribi, & definiri: sed solùm dici posse, vnumquemque pro suo statu & conditione teneri eam diligentiam adhibere, quam adhibere solet in aliis rebus magni momenti discutiendis. Vel eam diligentiam prudenter adhibendam esse, quæ moraliter sufficiat, considerata capacitate pœnitentis, consuetudine peccandi, diuturnitate temporis, & aliis circunstantiis. Hocque iudicium potest esse ipsius pœnitentis, qui si norit pœnitentis officium, & bona fide pro captu suo adhibuerit diligentiam, quam sufficere crediderit; obliuio, si qua erit, non obstabit. Poterit etiam defectus pœnitentis hac in parte per Confessarium prudenter suppleri.

99. Et impotentia ineo è confitendi.

Secunda causa excusans est impotentia: quando pœnitens vel non potest, vel periculum est ne non possit confessionem inchoatam perficere. Iustè enim præsumitur sufficere confessionem diminutam propter hanc causam: Christumque non exigere, vt confiteamur, nisi vt possumus, in hoc foro fauorabili & pleno misericordiæ: & impotentiam melius confitendi non minùs excusare, quàm obliuionem peccatorum. Siue illa impotentia sit ab extrinseco, siue ab intrinseco: & siue ex parte pœnitentis, siue exparte Sacerdotis. Vt si v. g. Sacerdoti mors immineat, & alterius copia non fit. Vel contra, si pœnitens sit in periculo moriendi ante absolutionem, nisi mox detur: vel si ægrotus non possit sine nimia fatigatione, prouenienti ex infirmitate, peccata sua magis declarare. Tunc enim auditis aliquot peccatis, licet absoluere. Imò, si necessitas non patiatur, & multi in periculo sint, vt in naufragio contingit, vel in bello; sufficit si omnes simul aliqua peccata enuncient, & omnes simul absoluantur. Ac si nequeant peccata enunciare, vel nolint publicè confiteri: sufficit confusa confessio, quâ significent generatim se peccasse, & dolere de peccatis commissis, velleque ab illis absolui. Quin etiam licet ægrotus in præsentia Sacerdotis id non significauerit: modò tamen alii, quibus significauit, testentur id præsenti Sacerdoti, potest & debet absolui, iuxta ea, quæ diximus sect. 2. quibus adiunge can. *Aegrotantes*, de Consecrat. dist. 4.

100. Possitne absolui moribundus nullo dato signo?

Addunt Moderni quidam relati à Delugo disp. 17 num. 33. posse absolui moribundum, quamuis nullum exhibeat signum contritionis, & desiderii absolutionis: modò præsumi possit illam interiùs optare, & non esse immemorem salutis suæ. Quia, inquiunt, hoc sufficit ad recipienda tunc sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis. Et D. Augustinus lib. 1. de Coniugiis adulterinis cap. vlt. videtur id asserere. Addunt Clementem VIII. quendam ruentem è fornice templi D. Petri Romæ sic absoluisse.

August.

101. Respondetur negatiuè.

Sed hæc sententia ab aliis omnibus reiicitur, vt planè improbabilis. Et meritò: quia confessio aliqua, saltem confusa & formaliter integra, est de essentia sacramenti pœnitentiæ. Neque enim potest exerceri hoc iudicium sine aliqua accusatione præuia ipsius pœnitentis, sine qua Iudex nequit ferre sententiam iuridicè. Vnde non est par ratio de hoc sacramento, & de sacramentis Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis. Augustinus verò loquitur ibi de moribundo pœnitente, quem scilicet pœnitentem esse constat, quod sine aliquali confessione fieri nequit. Aut potius loquitur secundum consuetum olim modum loquendi de pœnitentibus, qui ob commissum crimen aliquod publicum, antequam à peccatis absoluerentur, & ad communionem admitterentur, cogebantur diu publicam pœnitentiam agere. Qui tamen si priùs in periculum vitæ inciderent, absoluebantur. Quod poterat fieri sine noua confessione: quia iam antea erant confessi, & vitæ suæ genere satis significabant se dolere de peccatis commissis, & pro nondum remissis absolutionem expetere. Quod verò additur de Clemente VIII. fabulosum est, vt affirmat Delugo disp. 17. num. 34. post diligentem inquisitionem à viris grauibus & prudentibus, qui Romæ tempore Clementis VIII. commorabantur.

Vide infrà vbi disp. 33. num. 2.

102.

Obiicies, duplex talium moribundorum esse genus. Quidam enim sunt, de quibus nulla est iusta præsumptio, quòd tunc apud se interiùs pœnitentes sint, quódque sacramentum optent: ideóque nec tacitè, nec expressè per se vel per alios vllum signum dant, quo se clauibus Ecclesiæ submittant. Et hi non præbent vllam materiam, neque absolui possunt. Alii verò sunt, de quibus est iusta præsumptio, quòd apud se optent absolutionem, sintque pœnitentes, testificante saltem aliquo fide digno: quia facilè, & frequenter, vel debito tempore ad sacramentum pœnitentiæ accedebant, & ad illud propensam voluntatem ostendebant. Ita vt præsens illorum status, cum præcedenti bona vita coniunctus, pro illis in extrema necessitate clamet: aut ipsi potiùs,

Digitized by Google

ctum, aut fuisse confessum : Ita potest facilè illis responderi, Concilium non esse intelligendum de conscientia dubia : cùm par aut maior ratio sit illam excludendi à confitendi obligatione, æquè ac conscientiam probabilem.

93. Secus vero si peccatũ fuerit certum.

Quartò denique, peccatum potest esse dubium, ita vt pro vna parte sint probabiles rationes, pro alia verò nullæ. Et in hoc casu confitendi obligatio est, quia moraliter habetur pro certo, & non propriè pro dubio, quod est tale, vt pro illo stent probabiles rationes & nulla planè occurrat in contrarium. Excipiuntur tamen ab his omnibus scrupulosi, quia nulla peccata, nisi planè certa; & si sint scrupulosiores, non nisi euidentia, ac de quibus iurare possint, confiteri teneantur : cùm fine graui periculo non possint eandem viam cum aliis insistere. Nec refert quòd fortè hac ratione exponentur interdum periculo omittendi aliquod mortale. Tum quia hoc periculum in illis rarius est : tum etiam quia cum tanto suo damno, quale est periculum hærendi perpetuò in illis scrupulis & cruciatibus, non tenentur maiorem integritatem confessionis procurare, à qua minora pericula excusant. Addunt aliqui, quando peccatum est dubium, apponendam esse in confessione materiam certam, ne absolutio detur sub conditione, quod vitandum est si fieri possit. Sed existimo id magis esse consilii, quàm necessitatis. Quia nullum est per se malum absoluere sub tali conditione, quandoquidem est necessitas confitendi dubium, & nullus tenetur iterare confessionem aliorum peccatorum mortalium, aut confiteri venialia præter mortale dubium, quod est confitendum. Sique peccatum dubium est per se confitendum, potest, & debet absolutio dari sub conditione, si pœnitens velit vti suo iure non repetendi confessiones, aut tacendi venialia : & hoc ad ipsam institutionem & voluntatem Dei referendum est. Tametsi in praxi melius est suadere pœnitenti, vt aliud peccatum certum, si habet, subiiciat : ipseque debet sponte id facere, vt meliùs sibi prospiciat, & sacramentum eiusque effectum certum reddat.

94. Peccatum dubium, si fit certum, iterum confitendum?

Quæres, vtrum qui de peccato mortali dubio, tanquam dubio confessus est, & postea cognoscit esse certum, teneatur illud iterum confiteri, vt certum. Respondeo affirmatiuè cum communi sententia, cuius variæ afferuntur rationes, sed ista magis mihi placet. Quia scilicet tenetur illud peccatum confiteri, modo tam notabiliter variante iudicium Confessarii, & transferente illud de materia non necessaria sacramenti, in materiam necessariam. Et quemadmodum si dubitasset, essetne mortale an veniale, posteaque deprehenderet esse mortale, teneretur de illo, tanquam de mortali rursus confiteri : sic &c. Par enim est ratio vtriusque. Sicut enim differentia mortalis, & venialis, est moraliter specifica : ita & differentia mortalis certi, & dubii.

95. Contraria sententia.

Contrarium significat Delugo disp. 16. num. 77, & sequentibus aitque nonnullis viris doctis placuisse. Primò, quia qui confessus est se v. g. decies circiter, seu plus minúsue peieraſſe, si postea meminit certò se peieraſſe duodecies, non tenetur de duobus illis periuriis confiteri : sed censetur illa in præcedenti confessione sufficienter explicasse, quamuis sub dubio tantùm ea proposuerit. Secundò, qui obtinet dispensationem à censura, vel à voto, proposito vt dubio; non tenetur iterum petere, licet postea certò de illis constet. Tertiò, talis fuit directè absolutus à suo peccato, quamuis proposito tantùm vt dubio. Ergo non tenetur illud iterum confiteri, accedente cognitione certa: quæ cognitio tantùm purificat aut notificat conditionem, sub qua fuit remissum per absolutionem.

96. Satisfit illius argumentis,

Sed ad primum Respondeo maiorem requiri exactionem in explicanda substantia peccati, quàm in numero : sufficereque numerum circiter declarari, quantus occurrit post sufficientem diligentiam, vt communi vsu receptum est, ex quo magis quàm ex principiis metaphysicis de confessionis integritate iudicandum est. Quò pertinet id quod ait idem author disp. cit. num. 588. differentiam esse inter speciẽ peccati & numerum, quoad necessitatem explicandi & determinadi in confessione. Nam fere omnes dicunt eum, qui confitetur se ter vel quater fornicatum esse, non teneri postea ad confitendam quartam fornicationem, quamuis certò illius recordetur. At verò si pœnitens dicat se certum esse de consensu mortali contra castitatem, non tamen recordari an circa solutam vel coniugatam: omnes dicunt debere postea explicare determinatè speciem, si postea recordetur fuisse coniugatam, seque id aduertisse. Nimirum quia species peccati debet explicari determinatè, multò magis, quàm numerus peccatorum. Atqui, vt paulò ante diximus, differentia inter peccatum mortale dubium, & certum, est moraliter specifica in ordine ad confessionem, & ad iudicium ferendum in foro poenitentiæ. Ergo debet magis determinatè explicari, quàm numerus peccatorum.

97. Ad secundum Respondeo negando paritatem. Nam institutio sacramenti poenitentiæ obligat ad deferenda Sacerdotibus omnia mortalia eo modo, quo possint rectè censere de eorum grauitate : quod non facit qui peccatũ mortale certum confitetur vt dubium. At potestas tollendi censuras, quæ tota pendet ab institutione Ecclesiæ, non hoc postulat : neque potestas dispensandi in voto ex causa rationabili, sufficiente ad relaxandum votum, siue dubium, siue etiam certum sit. Quod addo, quia alioqui non puto fore validam dispensationem voti certi.

Ad tertium Respondeo peccatum illud fuisse quidem directe remissum : sed quia non

fuit satis explicatum in præcedenti confessione, manet obligatio explicandi illud vt certum.

SECTIO. IX.

Quæ causæ excusent ab integritate Confessionis?

98. Excusat obliuio post sufficientem diligentiã.

Suarez.

MVltæ sunt causæ excusantes ab integritate confessionis. Prima est obliuio, de qua Tridentinum sess. 14. cap. 5. quando scilicet quis adhibita sufficienti diligentia, non meminit alicuius peccati. Quòd si quæras quænam & quanta diligentia sit adhibenda, vt obliuio non sit culpabilis? Respondeo cum Suare disp. 22. sect. 11. non eandem requiri in omnibus, neque posse aliquâ certâ mensurâ præscribi, & definiri: sed solùm dici posse, vnumquemque pro suo statu & conditione teneri eam diligentiam adhibere, quam adhibere solet in aliis rebus magni momenti discutiendis. Vel eam diligentiam prudenter adhibendam esse, quæ moraliter sufficiat, considerata capacitate pœnitentis, consuetudine peccandi, diuturnitate temporis, & aliis circunstantiis. Hocque iudicium potest esse ipsius pœnitentis, qui si norit pœnitentis officium, & bona fide pro captu suo adhibuerit diligentiam, quam sufficere crediderit; obliuio, si qua erit, non obstabit. Poterit etiam defectus pœnitentis hac in parte per Confessarium prudenter suppleri.

99. Et impotẽtia in ordine ad confitendi.

Secunda causa excusans est impotentia: quando pœnitens vel non potest, vel periculum est ne non possit confessionem inchoatam perficere. Iustè enim præsumitur sufficere confessionem diminutam propter hanc causam: Christumque non exigere, vt confiteamur, nisi vt possumus, in hoc foro fauorabili & pleno misericordiæ: & impotentiam melius confitendi non minùs excusare, quàm obliuionem peccatorum. Siue illa impotentia sit ab extrinseco, siue ab intrinseco: & siue ex parte pœnitentis, siue ex parte Sacerdotis. Vt si v. g. Sacerdoti mors immineat, & alterius copia non sit. Vel contra, si pœnitens sit in periculo moriendi ante absolutionem, nisi mox detur: vel si ægrotus non possit sine nimia fatigatione, prouenienti ex infirmitate, peccata sua magis declarare. Tunc enim auditis aliquot peccatis, licet absoluere. Imò, si necessitas non patiatur, & multi in periculo sint, vt in naufragio contingit, vel in bello; sufficit si omnes simul aliqua peccata enuncient, & omnes simul absoluantur. Ac si nequeant peccata enunciare, vel nolint publicè confiteri: sufficit confusa confessio, quâ significent generatim se peccasse, & dolere de peccatis commissis, velleque ab illis absolui. Quin etiam licet ægrotus in præsentia Sacerdotis id non significauerit: modò tamen alii, quibus significauit, testentur id præsenti Sacerdoti, potest & debet absolui, iuxta ea, quæ diximus sect. 2. quibus adiunge can. *Aegrotantes*, de Consecrat. dist. 4.

100. Possitne absolui moribundus nullo dato signo?

Addunt Moderni quidam relati à Delugo disp. 17 num. 33. posse absolui moribundum, quamuis nullum exhibeat signum contritionis, & desiderii absolutionis: modò præsumi possit illam interiùs optare, & non esse immemorem salutis suæ. Quia, inquiunt, hoc sufficit ad recipienda tunc sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis. Et D. Augustinus lib. 1. de Coniugiis adulterinis cap. vlt. videtur id asserere. Addunt Clementem VIII. quendam ruentem è fornice templi D. Petri Romæ sic absoluisse.

August.

101. Respondetur negatiuè.

Sed hæc sententia ab aliis omnibus reiicitur, vt planè improbabilis. Et meritò: quia confessio aliqua, saltem confusa & formaliter integra, est de essentia sacramenti pœnitentiæ. Neque enim potest exercèri hoc iudicium sine aliqua accusatione præuia ipsius pœnitentis, sine qua Iudex nequit ferre sententiam iuridicè. Vnde non est par ratio de hoc sacramento, & de sacramentis Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis. Augustinus verò loquitur ibi de moribundo pœnitente, quem scilicet pœnitentirem esse constat, quod sine aliquali confessione fieri nequit. Aut potius loquitur secundum consuetum olim modum loquendi de pœnitentibus, qui ob commissum crimen aliquod publicum, antequam à peccatis absoluerentur, & ad communionem admitterentur, cogebantur diu publicam pœnitentiam agere. Qui tamen si priùs in periculum vitæ inciderent, absoluebantur. Quod poterat fieri sine noua confessione: quia iam antea erant confessi, & vitæ suæ genere satis significabant se dolere de peccatis commissis, & pro nondum remissis absolutionem expetere. Quod verò additur de Clemente VIII. fabulosum est, vt affirmat Delugo disp. 17. num. 34. post diligentem inquisitionem à viris grauibus & prudentibus, qui Romæ tempore Clementis VIII. commorabantur.

Vide infrà priùs disp. 33. num. 2.

102.

Obiicies, duplex talium moribundorum esse genus. Quidam enim sunt, de quibus nulla est iusta præsumptio, quòd tunc apud se interiùs pœnitentes sint, quódque sacramentum optent: ideóque nec tacitè, nec expressè per se vel per alios vllum signum dant, quo se clauibus Ecclesiæ submittant. Et hi non præbent vllam materiam, neque absolui possunt. Alii verò sunt, de quibus est iusta præsumptio, quòd apud se optent absolutionem, sintque pœnitentes, testificante saltem aliquo fide digno: quia facilè, & frequenter, vel debito tempore ad sacramentum pœnitentiæ accedebant, & ad illud propensam voluntatem ostendebant. Ita vt præsens illorum status, cum præcedenti bona vita coniunctus, pro illis in extrema necessitate clamet: aut ipsi potiùs,

habita ratione præcedentium, & tacitè inuocent præsidium Sacerdotis. Et hi potiùs absoluendi sunt, quàm crudè deserendi. Subest enim quædam materia, licet tenuissima & valde dubia, illa scilicet tacita & iustè præsumpta confessio: ac saluti animarum potissimè consulendum est, propter quam instituta fuerunt sacramenta.

103. Soluuntur argumenta partis affirmantis.

Respondeo primò, hoc argumentum probare quòd alii etiam malæ vitæ absoluendi essent. Quia fieri potest, vt interiùs atterantur, velintque absolui: & sufficit minima probabilitas ad dandam illis absolutionem, quia satius est exponere sacramentum periculo nullitatis, quàm animas periculo salutis.

Respondeo secundò, materiam veram & essentialem sacramenti pœnitentiæ, consistere in aliquo actu pœnitentis, non merè interno, sed externo ex parte, vt Florentinum docet in decreto Eugenii, & Trident. sess. 14. cap. 3. At nullus talis editur ab illis moribundis, sed præsumuntur tantùm interiùs pœnitere, & velle absolui. Ille verò externæ miseriæ status, in quo versantur, non est actus humanus, neque signum speciale talis doloris, & voluntatis: sed est aliquid commune cuiuis hominum generi, imò & animalium. Quòd autem Christianè vixerint, & sacramenta frequentarint, fundat quidem iustam præsumptionem, quòd scilicet, si iam aduertunt, non sunt incuria suæ salutis: sed non est actus, quo in præsenti subiiciant se clauibus, & pœnitere se significent, atque velle absolui.

104. Quid in praxi faciendum?

His tamen non obstantibus, si quis sententiam contrariam, vel minimum habere probabilitatis existimet, debet in praxi tales absoluere, ob rationem in fine obiectionis allatam. Quemadmodum si aqua suppetat, de qua vel minimũ probabile sit, quòd sit naturalis, debet ex ea baptizari, qui in articulo mortis positus est, non existente alia certiori. Sacramenta enim sunt instituta propter homines: & potiùs exponenda sunt periculo irritationis, quàm animæ hominum æternæ damnationi.

105. Excusat etiam periculum grauis nocumẽti.

Tertia causa excusans est ratio vitandi aliquod graue nocumentum proprium vel alienum. Communis enim Theologorum sententia est, debere pœnitentem tacere peccatum, quod in confessione detectum, sibi, vel Confessario probabile damnum animæ, vel corporis, vel famæ pareret. Vt si periculum sit, ne Confessarius peccatum reuelet cum infamia pœnitentis, vel inde malè faciendi pœnitenti occasionem sumat: vel si non possit confiteri, quin tertius confessionem suam audiat: vel si peccati explicatio in aliud peccatum pœnitentem, vel Confessarium inductura sit. Vnde præstat in peccatis contra castitatem aliquid potiùs omittere, quàm diutius hærendo in eorum expositione, vel examine, ad desideria praua, vel delectationem illicitam excitari. Huius autem assertionis ratio hæc est: quia præceptum confitendi, quamuis diuinum, est merè positiuum. Præcepta verò positiua, nisi causa peculiaris subsit, nõ obligant cum tanto dispendio: vt indicauit Christus Matth. 12. vbi discipulos in graui fame vellentes spicas die Sabbathi, & Dauidem cum sociis de panibus propositionis comedentem, excusauit à transgressione præcepti de non violando sabbatho, & de non comedendis panibus propositionis, quibus non licebat vesci, nisi solis Sacerdotibus.

Huc reducitur casus ille: si peccatum aperiri non possit, quin prodatur tertia persona Confessario nota. In quo casu Ostiensis, Nauarrus, Medina, Canus, Marsil. aliique multi quos refert & sequitur Diana tract. 4. de Sacram. resolut. 64. existimant posse ac debere omitti tale peccatum, si pœnitenti incumbit necessitas confitendi, & non potest vel adire Confessarium, cui complex non sit notus, vel tali modo peccatum suum confiteri, vt complicem ipsi notum non prodat. Fundamentum eorum est, quia alioqui læditur iniustè fama proximi, cùm eius crimen occultum reuelatur sine necessitate, & sine causa sufficienti. Neque enim hoc postulat necessitas sacramenti: quia licet hoc peccatum omittatur, confessio est formaliter integra, & sacramentum validum. Neque etiam necessitas pœnitentis: quippe qui non minùs obtinet remissionem omnium peccatorum, & gratiam sanctificantem, quamuis famæ complicis sui consulat. Alia verò causa iusta & sufficiens non affertur. Monent autem authores huius sententiæ curandum esse pœnitenti, vt si non possit vni cuipiam confiteri sine læsione famæ complicis (idemque sentiendum est de periculo grauis alterius nocumenti, proprii vel alieni, de quo diximus in casu præcedenti) & alterius copia sit, apud quem non sit periculum; confiteatur illi apud quem non est periculum. Ac si desit alterius copia: tenetur abstinere potiùs à Confessione, nisi instet confitendi necessitas. Si autem instat: reticendum erit peccatum periculosum, vel damnosum famæ alienæ: cætera verò aperienda: & ex ipsomet peccato periculoso vel damnoso, confitendum est id, quod damno vel periculo vacat. Vt si actus internus citra periculum & damnum explicari potest: vel individuum generis aut speciei, relictis circunstantiis aliis. Per confitendi verò necessitatem, intellige non tantùm eam quæ est ex præcepto, vel ad vitandum scandalum: sed etiam ad vitandum incõmodum carendi diu communionis fructu contra consuetudinem. Cùm enim confessio, eiusque integritas sit instituta in nostrum commodum spiritale: non debet cum tanto incommodo nostro spiritali obligare. Hæc illi, quorum sententiam probabilem esse fatetur Suarez disp. 34. sect. 2. num. 11. in fine.

106. Quid si prodẽda sit Cõfessario tertia persona? Diana.

Verior tamen est, & communior sententia contraria, quam tenent S. Thomas, S. Bona- 107.

Digitized by Google

Respondetur posse ac debere detegi.

uent. S. Anton. Alensis, Ricardus, Henricus, Paludan. Durand. Adrian. Sotus, Henriq. Tolet. Reginald. Lessius, aliique plurimi, locis relatis à Suare supra n. 3. & à Diana tom. 2. tract. 4. de Sacram. resolut. 64. Ratio præcipua est, quia sacramentum pœnitentiæ ex institutione & præcepto Christi obligat ad integritatem confessionis non obstante detrimento famæ propriæ apud ipsum confessarium subeundæ. Ergo pariter obligat ad integritatem cum detrimento famæ alienæ, si sine illa non potest pœnitens suum peccatum integrè explicare. Antecedens certum est. Tenetur enim pœnitens confiteri etiam ea mortalia, quæ apud confessarium bonam eius existimationem sunt multùm imminutura, quæque sine pudore, & confusione non possunt aperiri: Neque hæc infamia propria ipsum excusat ab integritate confessionis. Consequentia verò probatur: quia, vt rectè ait Delugo disp. 16. num. 398. ex natura rei plus requiritur ad obligandum aliquem, vt seipsum infamet: quàm ad permittendum, vel obligandum, vt alienum crimen manifestet. Potest enim quisque licitè detegere vitium occultum alterius, ipsumque infamare, ad vitandum aliquod malum suum, aut propter aliquod bonum suum; etiam si bonum illud non tanti sit momenti, vt ipsum obliget ad manifestandum crimen suum. Quare si ex præcepto & institutione Christi colligitur, integritatem confessionis obligare vnumquemque ad detegendum peccatum suum, non obstante infamia propria apud confessarium: debet pariter colligi obligare ad detegendum illud non-obstante infamia aliena, si absque illa detegi nequit. Quod addo, quia si non sit necessitas confitendi, & non sit copia alterius confessarii, cui complex non sit notus: debet differri confessio, & expectari alius, cui complex non sit cognitus. Debet enim pœnitens ex charitate, & ex iustitia, complicis famæ parcere quantùm commodè fieri potest, neque sine necessitate illam lædere.

108. Confirmatur, quia ius naturale seruandi famam alienam non tam strictè obligat, vt non possimus crimen occultum alterius vni cuipiam prudenti, & tenaci secreti aperire consolationis causâ, vel magnæ vtilitatis inde nobis prouenturæ, vel rationabilis alicuius necessitatis, vt ostendimus in tract. de Iustitia. Atqui si integritas confessionis, & bona, quæ ex illa proueniunt, sunt rationabilis necessitas, & ratio sufficiens, vt pœnitens suum peccatum detegat cum infamia propria apud Confessarium; sunt quoque rationabilis necessitas, & ratio sufficiens, vt illud detegat cum infamia complicis apud eundem, si aliter non potest. Et complex peccati debet hoc sibi imputare, quòd se in tale periculum coniecerit.

Confirmatur respondsum.

109. Confirmatur 2. Confirmatur secundò, quia qui habet ius accusandi crimen aliquod, non tenetur abstinere ab accusatione ex eo quòd præuideat fore, vt complex reueletur. Et iudex habet ius inquirendi de crimine, non obstante reuelatione complicis inde sequutura. Idque ordo & ratio iudicii permittit. Sacramentum autem pœnitentiæ est institutum in genere iudicii, in quo reus est accusator sui ipsius, & Iudex est Confessarius.

Confirmatur tertiò, quia vix aut omnino non possent alioqui bene exprimi in confessione peccata quædam Principum & Magnatum, quorum consanguinei, si fuerint peccati complices, vix possunt esse ignoti Confessario. Quanquam hoc incommodum potest aliunde vitari in eo, in quo maximè occurrere potest: si gradus in incestu non est necessariò explicandus, vt dicunt aliqui.

110. Idque verũ est etiam de non complice. Hinc sequiturprimò, integritatem confessionis obligare similiter ad detegendum peccatum alterius, quamuis non complicis, si sine illo non potest pœnitens suum peccatum mortale explicare. Putà, si pharmacum dedit matri ad extinguendam prolem conceptam ex adulterio. Itemque vitium occultum alterius sine peccato ipsius contractũ. Vt si quis sorori non consentienti stuprum intulit. Sicut enim integritas cõfessionis obligat pœnitentem ad detegendum suum vitium occultum, quamuis sine peccato proprio contractum: vt si est occultè illegitimus, & sine dispensatione suscepit ordines sacros, putans illam esse necessariam ob contractam irregularitatem, iuxta communem sententiam: tenetur illud vitium exprimere in confessione, si absque illo non potest integrè suum peccatum exponere: Ita non minùs obligat ad detegendum vitium occultum alterius, quamuis inculpabile. Rectè tamen notat Delugo maiorem esse obligationem quærendi Confessarium, cui complex non sit notus, quando vitium illius inculpabile contigit per iniuriam ipsi factam à pœnitente: vt in exemplo allato de illo qui per vim sororem constupraſſet.

111. Sequitur secundò, non licere ad explicandum peccatum veniale, vel etiam mortale aliàs confessum sufficienter, reuelare graue peccatum complicis, & tale, vt apud confessarium ipsum infamet. Nam institutio & præceptum confessionis non obligat ad explicanda integrè peccata venialia. Quare ex integritate confessionis non oritur necessitas detegendi tale peccatum, quod cùm aliis multis remediis expiari possit, debet potiùs prætermitti in confessione, vt non lædatur fama proximi sine causa rationabili. Exemplum sit, si soror leuiter peccasset in non satis promptè resistendo violentiæ fratris, stuprum inferre parantis. Quòd si quis sine necessitate & causa rationabili complicis crimen detexit Confessario, tenetur illi famam restituere si possit, quia peccauit contra iustitiam. Difficillimum tamen est in eo casu posse restituere.

112. Addo, non tantùm propter integritatem

Imo etiãpo. test extra confessionem detegi, quando magna vtilitas aut necessitas exigit.

confessionis teneri pœnitentem aperire complicem Confessario, quando aliter non potest illi exponere integrè peccatum suum mortale, & necessitas cogit vt illi confiteatur: Verùm etiam citra eiusmodi necessitatem integritatis posse illum detegere, quando magna vtilitas vel ipsius pœnitentis, vel complicis, vel tertii cuiusdam, aut reipublicæ id postulat. Putà, si complex seminat occultè hæreses: si pergit ad peccandum solicitare, nisi à Confessario moneatur, speſque sit vt ab illo emendetur: si mors imminet adultero à marito adulteræ, nisi moneatur per Confessarium. Neque tantùm potest, verùm etiam tenetur pœnitens, reuelare complicem, si grauissima damna immineant. Reuelare, inquam, vel ipsi Confessario (siue extra confessionem, siue, quod fere perinde est, in ipsa confessione cùm licentia vtendi eâ notitiâ, quantum opus erit ad afferendum remedium) vel alteri, qui remedium afferre possit. Ac si non velit pœnitens reuelare alteri: potest præcipere Confessarius vt reuelet sibi. Quòd si non faciat, debet illum dimittere sine absolutione, velut indispositum, & recusantem parere graui obligationi, non tam sibi impositæ à Confessario, quàm ab ipso iure naturali per Confessarium manifestato. Cauendum tamen ne ob eam rem sacramentum poenitentiæ reddatur odiosum: neue vsus talis notitiæ extra sacramentum pariat scandalum; aut sine fructu tale onus suscipiatur à Confessario. Atque etiam ne fortè poenitens ex maleuolentia falsum crimen alicui impingat. Neque enim illi contra quemlibet alium semper credendum est. Qua de re plura videri possunt apud Suarem & Delugo locis sup. citatis.

SECTIO. X.

De aliis causis excusantibus.

114 Non est sigillum violandũ propter integritatem confess.

QVarta causa excusans ab integritate confessionis est, si Sacerdos ipse, qui confitetur, non potest suum peccatum aperire, nisi violando sigillum confessionis, detegendo peccatum poenitentis sibi ante confessi. Tunc enim esse reticendum hoc peccatum docent communiter Scholastici in 4. dist. 21. & Summistæ v. *Confessio.* Quia nimirum necessitas seruandi sigillum maior est, quàm necessitas confitendi integrè. Ius enim seruandi sigillum seu secretum confessionis est eiusmodi, vt in nullo casu violandum sit: siue hoc habeat ex ipsa rei natura, supposita institutione sacramenti poenitentiæ, siue ex præcepto diuino superaddito, vt ostendemus suo loco.

114. Quòd si quæras, cur intra limites eiusdem secreti non liceat Confessario, vt ipse integrè confiteatur, aperire peccatum sui poenitentis, si aliter non possit integrè confiteri: cùm tale peccatum maneat semper intra secretum confessionis? Respondeo illud esse ius poenitentis, in cuius fauorem sacramentum poenitentiæ tam stricto sigillo munitum est (siue ex natura rei, siue ex præcepto & institutione Christi) vt sine poenitentis consensu non possit vlla de causa Confessarius vti notitiâ per confessionem habitâ circa peccata, & alia, quæ sub sigillum cadunt.

Quinta causa excusans est reseruatio peccatorum. Nam propter illam docẽt communi consensu Theologi Superiorem posse, auditis solis reseruatis, sacramentaliter absoluere poenitentem, & reliqua non reseruata inferiori Sacerdoti committere. Duo autem casus hîc distinguendi sunt. Vnus est, si poenitens sit in vera necessitate absolutionis, & Superior habens potestatem in reseruata, confessionem integram audire non possit ob verum impedimentum: & iusta de causa putet non esse dandam alteri potestatem absoluendi à reseruatis, aut omnino non possit dare. Et hic casus est verus. Quia non solùm necessitas, vel impotentia & legitima causa ex parte poenitentis: sed etiam ex parte Confessarii, sufficiens est vt materialis diminutio confessionis licitè fiat. Quæ necessitas & impotentia potest esse non modò in Superioribus, sed & in illis, qui ex priuilegio possunt absoluere à casibus reseruatis. Nã in istis quoque potest esse necessitas audiendi reseruatos tantum, si non possunt audire integrè poenitentem: & quidem eò maior, quòd non possunt, vt Superior, dare alteri potestatem absoluendi à reseruatis, quando non possunt suam facultatem delegatam, alteri subdelegare.

115. Reseruatio peccatorũ excusat ab integritate.

Secundus casus est, si desint supradictæ conditiones. Et tunc quoque idem fieri posse non modò validè, verùm etiam licitè, affirmant S. Antoninus parte 3. tit. 14. cap. 19. § 6. Caiet. v. *Confessio*, conditione 10. Petr. Sotus lect. 10. de confess. Nauar. in cap. *Consideret*. §. *Cautus* num. 12. Qui postremus addit num. 19. ex priori confessione & absolutione à Superiore datâ circa reseruata, & posteriori datâ ab inferiore circa non reseruata, componi vnicum integrum sacramentum: quod in priore confessione & absolutione inchoatur, perficitur autem & effectum sortitur, quando inferior absolutio illud consummat. Addunt insuper Alensis 4. parte, quæst. 77. membro 5. art. 2. ad vlt. & Petr. Sotus loco cit. posse similiter poenitentem, citra necessitatem, vel aliam causam legitimam, exponere priùs inferiori sola peccata non reseruata, & ab illis sacramentaliter absolui: deinde adire Superiorem pro peccatis reseruatis ipsius iurisdictioni: nisi tamen peccata reseruata annexam habeant excommunicationem, à qua non possit inferior absoluere. Nam cùm citra necessitatem non possint sacramenta, licitè saltem, administrari excommunicatis, nisi priùs absoluantur ab excommunicatione: peccaret grauiter poeni-

116. Antonin. Caiet. Sot. Nauar. Alensis. Sot.

tens

tens, & inferior confessarius, vsurpando istud sacramentum sine absolutione præuia ab excommunicatione. Fundamentũ autem, quo nituntur authores nominati, est Ecclesiæ, præsertim Romanæ, consuetudo, in qua, inquiunt, discutienda non oportet nimiùm sapere.

117. Quomodo confitendũ habenti reseruata.

Communior tamen & vera sententia est, non posse minui confessionem propter casuum reseruationem solam citra necessitatem, vel aliam causam rationabilem & legitimam: nec talem vllam esse aut fuisse consuetudinem, nisi in casu necessitatis, & legitimæ causæ, veræ, aut existimatæ: licet fortasse aliqui per errorem vlteriùs processerint: sed aliquorum error non debet dici Ecclesiæ consuetudo. Et illa quidem consuetudo negatur à Siluestro, qui Romæ diu vixit Magister sacri Palatii Apostolici, & Pœnitentiarius in Basilica D. Petri, atque ab aliis plurimis, quorum vnus Suarez ait fermè sibi constare, consuetudinẽ nunc talem non esse. Idemq; affirmat Delugo disp. 20. n. 76. vbi asserit nullum nunc esse vestigiũ talis consuetudinis: & fortè assertores illius consuetudinis loquutos esse de absolutione ab excõmunicatione, propter quam certa peccata reseruantur Papæ, quâ sublatâ, & consequenter cessante reseruatione, remittebantur pœnitẽtes, vt integrè confiterentur inferioribus sacerdotibus, & ab omnibus peccatis absoluerentur sacramẽtaliter. Posito autẽ quòd nulla fuerit, neque sit consuetudo illa, quæ ab aduersariis malè prætẽditur; nulla apparet ratio cur in hoc casu potiùs, quàm in aliis, dimidiari possit cõfessio & absolutio directa, citra necessitatem, vel aliâ causam legitimâ. Idcóq; meritò Dom. Sotus, Valent. & alii quidam, qui pro contraria opinione citantur à nonnullis, supponunt præter reseruationem, esse aliam causam rationabilem.

118. Superior non potest dimidiatè confessionem sine necessitate.

Et quidem si non præcessisset reseruatio, non posset Superior peccata quædam grauiora audire, & ab illis absoluere, aliaque alteri committere: vt neque inferiores possunt aliqua ex sibi subiectis audire, & alia alteri cõmittere. Vnde autem reseruatio conferat tale ius circa confessionis integritatem, quæ est iuris diuini, non apparet. Quod ex eo cõfirmatur, quia licet Religiosi, & alii quidam inferiores, habeant facultatem delegatã absoluendi à reseruatis, non possunt vti modo illo confitendi citra necessitatem, vel aliam causam legitimã. Id enim neq; vsus Ecclesiæ docet, qui contrarius est: neq; affirmãt aduersarii, qui de Prælatis tantùm & Superioribus loquuntur.

119. Cùm autem in casu necessitatis, vel alterius causæ legitimæ, siue apud superiorem, siue apud inferiorem, minuitur confessio propter casuum reseruationem: sacramentũ validum est, & effectum sortitur non-obstante illa diminutione: quia confessio illa formaliter integra est, sicut in casu obliuionis, & aliis supra commemoratis. Remanet tamen obligatio confitendi ea, quæ indirectè absoluuntur, vt de peccatis omissis generatim dicetur paulò post. Nec obest illud Tridentini sess. 14. cap. 7. Sacerdotem inferiorem extra mortis articulum nihil posse in casibus reseruatis. Hoc enim est intelligẽdũ de absolutione directa; id est, quòd extra illũ casũ nõ possit vllo modo absoluere directè à reseruatis.

120. Teneaturne pœnitens confiteri inferiori de reseruatis?

Porrò, quando pœnitens in casu necessitatis confitetur inferiori sine facultate superioris, ad quem recurri nõ potuit pro reseruatis, multi existimant debere illi integrè cõfiteri, etiam omnia reseruata, vt possit ab illo sacramentaliter absolui, si iste potest audire omnia. Tum quia debet intelligere qualẽ absoluit: tum quia debet, quoad fieri potest, ita cognoscere statũ pœnitentis, vt ex præsenti confessione possit positiuè iudicare, eum esse dignum absolutione: quod communiter fieri nequit, nisi hic integrè confiteatur, etiã peccata reseruata. Nam ratione alicuius reseruati fieri potest, vt sit incapax absolutionis. Vt v.g. si habet concubinã cum diuturno & publico scandalo, quam expellere cogi debet priusquã absoluatur. Et quamuis docti pœnitentes cognoscere possint, & affirmare cõfessario se nullum tale impedimentum habere: est tamen potiùs sacerdotis hoc iudicare. Cùmque pœnitẽtes maxima ex parte sint indocti, decuit Christum in hoc casu præcipere generaliter cõfessionem integram. Atque ita sentiunt D. Thom. in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. quæstiunc. 2. ad 4. Palud. Gabr. Angel. Syl. Suar. Henriq. Valẽt. Aegid. & alii cõmuniter. S. Thom.

121. Contraria tamen sententia Alensis, Maioris, & Petri Soti, non est improbabilis, quam etiam aut veram, aut probabilem esse docent præter citatos, S. Antoninus, Gerson, Desalas, Ledesma, Bonac. Diana, Nugnus, & alii, quos refert, & sequitur Delugo disp. 14. de Euchar. sect. 5. n. 86. & disp. 20. de Pœnit. sect. 6. Est enim verisimile, non teneri pœnitentem ea confiteri, quorum sacerdos non est iudex legitimus, qualia sunt peccata ipsi reseruata: & obligatio bis confitendi ea pec. cata, semel inferiori sacerdoti absoluenti indirectè, iterumque superiori, vt absoluat directè, grauis est. Eademque de causa docent iidem authores pœnitentẽ, qui priùs confessus est superiori sola peccata reseruata, non teneri illa rursus confiteri inferiori, si fuit ab illis absolutus sacramentaliter. Secus si tantùm ab excommunicatione: aut si solùm ablata fuit reseruatio.

122. An saltem quoad actũ internum?

Sed quæres, vtrum in eo casu debeat pœnitens exponere confessario peccata reseruata, quoad actum internum, in quo consistit tota malitia formalis peccati? Ratio dubitandi est, quia actus interni non reseruantur, sed tantùm externi. Ergo peccata non reseruantur quoad actũ internũ. Ergo quoad illum possunt directè absolui à sacerdote inferiori. Ergo debent illi exponi & subiici.

Respondeo negatiuè cum Delugo disp. 14 de Euchar. n. 92. & ad rationẽ dubitãdi dico, actus quidẽ purè internos nõ reseruari: secus autem coniunctos cum externis, per quos

consummantur. Reseruantur enim vt culpabiles & imputabiles, & vt sunt peccata formaliter. Talia verò non sunt, nisi cum actu interno: ideoque simul cum illo reseruantur.

123. Non excusat ab integritate multitudo pœnitentium

Sexta causa excusans secundum aliquos, quorum confusè meminit Aegidius Coninc disputatione 7. dubio 9. numero 93. est, quando in celebri festo magnus existit pœnitentium concursus, ita vt omnes audiri nequeant integrè: existimant enim posse tunc sacerdotem, ne multi à confessione excludantur, auditis præcipuis aliquot peccatis pœnitentem absoluere, reliqua parte confessionis in aliud tempus reiecta. Sed hanc causam, vt insufficientem, meritò reiiciunt Doctores communiter. Tum quia aliquos eo die non posse confiteri, non est tanti momenti, vt propterea confessio dimidianda sit. Tum quia inde sequerentur multa grauia incommoda. Multi enim captarent huiusmodi occasiones, vt minùs integrè de peccatis confiterentur, & omitterent quæ vellent è præcipuis. Et confessarii facilè tali licentiâ abuterentur, vt plures citiùs expedirent, vitarentque molestiam audiendi peccata pœnitentis. Et ob eandem causam dicendum esset, sufficere tunc etiam eò magis confusam & imperfectam confessionem, quò maior esset numerus confiteri volentium, & impotentia eos audiendi: adeo vt sufficeret vel vnum aliquod peccatum cuiusque audire, si aliter omnibus non posset satisfieri. Probabile tamen est, posse Confessarium, quando magna est multitudo pœnitentium, abstinere à tam longo & accurato examine, quod alioqui adhiberet, auditis omnibus peccatis à pœnitente propositis post sufficientem diligentiam in sua conscientia examinanda adhibitam: licet probabiliter existimet aliquod peccatum ab illo omitti propter obliuionem.

124. Confitendum postea de omissis.

Quisquis autem legitima de causa confessionem materialiter diminutam fecit, & formaliter tantùm integram, tenetur omissa confiteri in sequenti confessione, & legitimè subiicere iudicio eorum, quos Christus sui vicarios constituit, & quibus omnia mortalia deferri præcepit, vt ipsi de peccatis censeant, & conuenientes pro illis satisfactiones iniungant: tametsi ab illis antea fuerint absoluti indirectè, & per concomitantiam aliorum, quæ sine illis remitti nequiuerunt, cùm secundum legem ordinariam vnum mortale non remittatur sine alio. Qui autem contra formalem integritatem peccauit, & inualidè confessus est; si postea diuersum Confessarium adeat, tenetur ei singillatim omnia mortalia exponere, perinde ac si ea nunquam esset confessus. Quia prior confessio fuit inualida; & iste confessarius de statu pœnitentis, qui tunc fuit, iudicare non potest ex priore confessione, quam non audiuit. Si verò eundem confessarium adeat, & ille recentem habeat memoriam illorum peccatorum, vel satis nouit pœnitentis statum, qui communiter illi confiteri solet; non est opus priorem confessionem repetere, sed defectum supplere. Si quis etiam eidem primò confiteretur post sacrilegam confessionem, non esset opus repetere peccata antea dicta, de quibus iudicium tulit, & pro quibus conuenientem satisfactionem iniunxit, licet illorum iam non meminisset: sed sufficeret dicere, se de illis omnibus absolutionem petere.

Quid faciat tenetur, qui peccauit contra integritatem confessionis.

125. Rustici quomodo hac in parte iuuandi?

Rustici quoque, & similes, qui semper eadem peccata committunt, & bona fide confitentur crasso modo, non bene explicando numerum peccatorum Confessariis indoctis; non sunt cogendi repetere illas confessiones. Quia doctus confessarius ex præsenti confessione satis intelligit eorum statum, cùm habeant vniformem peccandi modum. Idemque dico de infantibus, qui cùm postea plus cognitionis acquirunt, non tenentur repetere confessiones, vt meliùs numerum peccatorum explicent. Sicut qui aliquantulum errauit in numero exprimendo, non tenetur addere ea, de quibus postea recordatur. Denique si quis post confessionem malè factam diu hæreat in eo statu, eiusque immemor confiteatur omnium, quorum postea recordatur: non tenebitur repetere confessiones bona fide factas: sed tantùm illas, in quibus sacrilegè omisit scienter & liberè aliquod peccatum mortale, quod tenebatur confiteri.

126. Obstat integritati cõfiteri vni mortalia, & alteri venialia;

Illud præterea obseruandum est, confessionis integritati non obesse, quòd aliquis priùs vni confiteatur omnia mortalia; deinde alteri, cui solet confiteri, sola venialia, vt apud ipsum bonam æstimationem tueatur, aut alia de causa. Quod non modò sine peccato mortali, verùm etiam sine veniali potest interdum fieri. Vt si quis sine offensione ordinarii confessarii non possit ipsi non confiteri statis temporibus, & tamen grauissimam habeat repugnantiam aperiendi illi mortale aliquod peccatum, quod admiserit. Imò nunquam nisi ex accidenti potest id esse mortale. Vt si quis ea ratione exponeret se periculo grauiter sæpiùs, liberiùsque peccandi. Et hactenus de confessione. Cætera enim, quæ hic aliqui addunt, commodiùs explicabuntur disputando de Ministro, & de sigillo confessionis, postquam de satisfactione, & de forma huius sacramenti dixerimus.

Digitized by Google

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA PRIMA.

De Satisfactione.

Sectio I. *An, & quomodo possint homines satisfacere pro peccatis?*

Sectio II. *Quibus, & qualibus operibus satisfieri possit? & primò de conditionibus requisitis ex parte satisfacientis.*

Sectio III. *De conditionibus requisitis ex parte operis.*

Sectio IV. *De conditionibus requisitis ex parte Dei.*

Sectio V. *De necessitate satisfactionis: & primò, An confessarius teneatur imponere conuenientem satisfactionem, & pœnitens quoque teneatur eam implere?*

Sectio VI. *An satisfactio necessaria fuisset iure naturali, quamuis Christus sacramentum pœnitentiæ non instituisset?*

Sectio VII. *De effectu satisfactionis Sacramentalis.*

Sectio VIII. *Soluuntur aliæ tres quæstiones de effectu satisfactionis.*

Sectio IX. *Vtrum defectus satisfactionis suppleri possit per satisfactionem?*

Sectio X. *Vtrum satisfactio debeat impleri necessariò ante absolutionem?*

Sectio XI. *Respondetur argumentis aduersariorum.*

DE satisfactione disputat S. Thomas quæst. 12. Supplementi, & tribus sequentibus. In quarum prima docet, satisfactionem esse actum virtutis, etiam formaliter: quia importat rationem medii virtutis, nempe proportionis æqualitatis: non enim dicitur satisfieri, nisi secundum proportionem æqualitatis ad aliquid: & esse actum iustitiæ: quia importat adæquationem rei ad rem, quæ est medium iustitiæ, rectéque definiri sic posse: Satisfactio est illatæ iniuriæ recompensatio secundũ iustitiæ æqualitatem. In secunda affirmat non posse hominẽ Deo satisfacere pro peccatis, si hæc dictio, *Satis*, importet æqualitatẽ quantitatis: secus autem, si æqualitatẽ tantùm proportionis, quod sufficit ad rationẽ iustitiæ. Quãdo scilicet homo Deo reddit quod potest. Porrò licet homo possit satisfacere pro altero, quantùm ad pœnam, & solutionẽ debiti, dummodo sit in charitate, vt eius opera possint esse satisfactoria: Satisfactio tamen vnius non prodest alteri per modum

consummantur. Reseruantur enim vt culpabiles & imputabiles, & vt sunt peccata formaliter. Talia verò non sunt, nisi cum actu interno: ideoque simul cum illo reseruantur.

123. Non excusat ab integritate multitudo pœnitentium

Sexta causa excusans secundum aliquos, quorum confusè meminit Aegidius Coninc disputatione 7. dubio 9. numero 93. est, quando in celebri festo magnus existit pœnitentium concursus, ita vt omnes audiri nequeant integrè: existimant enim posse tunc sacerdotem, ne multi à confessione excludantur, auditis præcipuis aliquot peccatis pœnitentem absoluere, reliqua parte confessionis in aliud tempus reiecta. Sed hanc causam, vt insufficientem, meritò reiiciunt Doctores communiter. Tum quia aliquos eo die non posse confiteri, non est tanti momenti, vt propterea confessio dimidianda sit. Tum quia inde sequerentur multa grauia incommoda. Multi enim captarent huiusmodi occasiones, vt minùs integrè de peccatis confiterentur, & omitterent quæ vellent è præcipuis. Et confessarii facilè tali licentiâ abuterentur, vt plures citiùs expedirent, vitarentque molestiam audiendi peccata pœnitentis. Et ob eandem causam dicendum esset, sufficere tunc etiam eò magis confusam & imperfectam confessionem, quò maior esset numerus confiteri volentium, & impotentia eos audiendi: adeo vt sufficeret vel vnum aliquod peccatum cuiusque audire, si aliter omnibus non posset satisfieri. Probabile tamen est, posse Confessarium, quando magna est multitudo pœnitentium, abstinere à tam longo & accurato examine, quod alioqui adhiberet, auditis omnibus peccatis à pœnitente propositis post sufficientem diligentiam in sua conscientia examinanda adhibitam: licet probabiliter existimet aliquod peccatum ab illo omitti propter oblitionem.

124. Confitendum postea de omissis.

Quisquis autem legitima de causa confessionem materialiter diminutam fecit, & formaliter tantùm integram, tenetur omissa confiteri in sequenti confessione, & legitimè subiicere iudicio eorum, quos Christus sui vicarios constituit, & quibus omnia mortalia deferri præcepit, vt ipsi de peccatis censeant, & conuenientes pro illis satisfactiones iniungant: tametsi ab illis antea fuerint absoluti indirectè, & per concomitantiam aliorum, quæ sine illis remitti nequiuerunt, cùm secundum legem ordinariam vnum mortale non remittatur sine alio. Qui autem contra formalem integritatem peccauit, & inualidè confessus est; si postea diuersum Confessarium adeat, tenetur ei singillatim omnia mortalia exponere, perinde ac si ea nunquam esset confessus. Quia prior confessio fuit inualida; & iste confessarius de statu pœnitentis, qui tunc fuit, iudicare non potest ex priore confessione, quam non audiuit. Si verò eundem confessarium adeat, & ille recentem habeat memoriam illorum peccatorum, vel satis nouit pœnitentis statum, qui communiter illi confiteri solet; non est opus priorem confessionem repetere, sed defectum supplere. Si quis etiam eidem primò confiteretur post sacrilegam confessionem, non esset opus repetere peccata antea dicta, de quibus iudicium tulit, & pro quibus conuenientem satisfactionem iniunxit, licet illorum iam non meminisset: sed sufficeret dicere, se de illis omnibus absolutionem petere.

Quid faciendum teneatur, qui peccauit contra integritatem confessionis.

125. Rustici quomodo hac in parte iuuandi?

Rustici quoque, & similes, qui semper eadem peccata committunt, & bona fide confitentur crasso modo, non bene explicando numerum peccatorum Confessariis indoctis: non sunt cogendi repetere illas confessiones. Quia doctus confessarius ex præsenti confessione satis intelligit eorum statum, cùm habeant vniformem peccandi modum. Idemque dico de infantibus, qui cùm postea plus cognitionis acquirunt, non tenentur repetere confessiones, vt meliùs numerum peccatorum explicent. Sicut qui aliquantulum errauit in numero exprimendo, non tenetur addere ea, de quibus postea recordatur. Denique si quis post confessionem malè factam diu hæreat in eo statu, eiusque immemor confiteatur omnium, quorum postea recordatur: non tenebitur repetere confessiones bona fide factas: sed tantùm illas, in quibus sacrilegè omisit scienter & liberè aliquod peccatum mortale, quod tenebatur confiteri.

126. Obsit integritati cõfiteri vni mortalia, & alteri venialia?

Illud præterea obseruandum est, confessionis integritati non obesse, quòd aliquis priùs vni confiteatur omnia mortalia; deinde alteri, cui solet confiteri, sola venialia, vt apud ipsum bonam æstimationem tueatur, aut alia de causa. Quod non modò sine peccato mortali, verùm etiam sine veniali potest interdum fieri. Vt si quis sine offensione ordinarii confessarii non possit ipsi non confiteri statis temporibus, & tamen grauissimam habeat repugnantiam aperiendi illi mortale aliquod peccatum, quod admiserit. Imò nunquam nisi ex accidenti potest id esse mortale. Vt si quis ea ratione exponeret se periculo grauiter sæpiùs, liberiùsque peccandi. Et hactenus de confessione. Cætera enim, quæ hic aliqui addunt, commodiùs explicabuntur disputando de Ministro, & de sigillo confessionis, postquam de satisfactione, & de forma huius sacramenti dixerimus.

Digitized by Google

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA PRIMA.

De Satisfactione.

Sectio I. *An, & quomodo possint homines satisfacere pro peccatis?*

Sectio II. *Quibus, & qualibus operibus satisfieri possit? & primò de conditionibus requisitis ex parte satisfacientis.*

Sectio III. *De conditionibus requisitis ex parte operis.*

Sectio IV. *De conditionibus requisitis ex parte Dei.*

Sectio V. *De necessitate satisfactionis: & primò, An confessarius teneatur imponere conuenientem satisfactionem, & pœnitens quoque teneatur eam implere?*

Sectio VI. *An satisfactio necessaria fuisset iure naturali, quamuis Christus sacramentum pœnitentiæ non instituisset?*

Sectio VII. *De effectu satisfactionis Sacramentalis.*

Sectio VIII. *Soluuntur aliæ tres quæstiones de effectu satisfactionis.*

Sectio IX. *Vtrum defectus satisfactionis suppleri possit per satispassionem?*

Sectio X. *Vtrum satisfactio debeat impleri necessariò ante absolutionem?*

Sectio XI. *Respondetur argumentis aduersariorum.*

DE satisfactione disputat S. Thomas quæst. 12. Supplementi, & tribus sequentibus. In quarum prima docet, satisfactionem esse actum virtutis, etiam formaliter: quia importat rationem medii virtutis, nempe proportionis æqualitatis: non enim dicitur satisfieri, nisi secundum proportionem æqualitatis ad aliquid: & esse actum iustitiæ: quia importat adæquationem rei ad rem, quæ est medium iustitiæ, rectéque definiri sic posse: Satisfactio est illatæ iniuriæ recompensatio secundũ iustitiæ æqualitatem. In secunda affirmat non posse hominẽ Deo satisfacere pro peccatis, si hæc dictio, *Satis*, importet æqualitatẽ quantitatis: secus autem, si æqualitatẽ tantùm proportionis, quod sufficit ad rationẽ iustitiæ. Quãdo scilicet homo Deo reddit quod potest. Porrò licet homo possit satisfacere pro altero, quantùm ad pœnam, & solutionẽ debiti, dummodo sit in charitate, vt eius opera possint esse satisfactoria: Satisfactio tamen vnius non prodest alteri per modum

Digitized by Google

medicinæ, nisi per accidens : quia ex ieiunio vnius, caro alterius non domatur : neque ex actibus vnius, alius bene agere consueuit ; nisi secundum accidens, in quantum scilicet aliquis per bona opera potest alteri mereri augmentum gratiæ, quæ efficacissimum remedium erit ad vitandum peccatum. Sed hoc est per modum meriti magis, quàm per modum satisfactionis. In tertia asserit non posse satisfieri pro vno peccato sine alio. Quia per satisfactionem tolli debet offensa præcedentis peccati. Offensæ autem ablatio est amicitiæ diuinæ restitutio, quæ per quoduis peccatum mortale impeditur. Cúmque opera extra charitatem facta Deo accepta non sint, neminem, qui extra charitatem existat, posse pro peccatis antea remissis satisfacere : quia æqualitas in satisfactione ad Deum non est secundum æquiualentiam operis, sed magis secundum acceptationem ipsius : imò, licet postea charitas recuperetur, non reddunt satisfactoria : quia sicut opera extra charitatem facta non viuificantur per charitatem sequentem : ita neque redduntur satisfactoria. Vtrumque enim habent ex eadem ratione, nempe ex eo, quòd sunt Deo grata. Quin etiam neque vllius boni siue æterni, siue temporalis sunt meritoria ex condigno, sed tantùm ex congruo: neque à pœna æterna liberant : licet possint dici eam minuere, quatenus impediunt, vel retrahunt à peccato, faciuntque vt minùs peccemus, & maioris pœnæ causam non demus. Merentur tamen diminutionem, vel dilationem pœnæ temporalis, eodem modo, quo temporalium bonorum consecutionem. In quarta, & postrema docet satisfactionem debere fieri per opera pœnalia : & flagella, seu castigationes huius vitæ, quæ à Deo peccatori infliguntur, rationem satisfactionis accipere, si aliquo modo fiant ipsius patientis : fiunt autem ipsius, in quantum ea acceptat ad purgationem peccatorum, eis vtens patienter. Sin minùs, hoc est, si eis omnino per impatientiam dissentiat; cùm non efficiantur aliquo modo ipsius, idcirco non habent rationem satisfactionis, sed vindicationis tantùm. Conuenienter denique diuidi opera satisfactoria in eleemosynam, ieiunium, & orationem. Quia per satisfactionem debemus aliquid nobis subtrahere ad honorem Dei. Non habemus autem, nisi bona animæ, bona corporis, & bona fortunæ, scilicet exteriora. Ex bonis ergo fortunæ subtrahimus aliquid per eleemosynam, & ex bonis corporis per ieiunium. Ex bonis autem animæ non oportet quòd aliquid subtrahamus nobis, quia per ea efficimur Deo accepti ; sed quòd ea submittamus Deo totaliter : & hoc fit per orationem. Huc vsque D. Thomas, cuius doctrina sequentibus sectionibus fusiùs exponetur.

Digitized by Google

SECTIO I.

An, & quomodo possint homines satisfacere pro peccatis?

1. Satisfactio quid sit?

NOta primò, Satisfactionem iuxta vim vocis, sumi tripliciter. Interdum enim sumitur generaliter pro quacũque actione, quâ aliquis facit quod satis est. Quæ actio tam est multiplex, quàm sunt multa respectu quorum dicitur satisfieri. Atque ita dicitur satisfacere, & qui debitum soluit, & qui ablata restituit, & qui respõdet expectationi de se conceptæ, & qui sufficientem rationem reddit eorum de quibus interrogatur, iuxta illud 1. Pet. 3. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, quæ in nobis est, fide & spe.*

2. Secundò, strictiùs & frequentiùs sumitur pro actione, quâ is, qui lædit alterum, tantùm facit, quantùm est satis ad iniuriam compensandam; vel quantùm is, qui læsus est, iustè exigit. Duobus autem modis compensari potest iniuria tum diuina, tum humana. Primò, per retributionem eius, quod ablatum fuit, in se, aut in æquiualenti: siue reddatur honor pro honore, siue res pro re, siue opus pro opere. Secundò, per aliquam pœnam & vindictam, ob læsionem iuris alieni inflictam aut susceptam. Quamuis autem vterque modus satisfactionis nomine, etiam strictiùs secundo modo sumptæ, comprehendi possit: plerique tamen, quos in tractatu de Iustitia sequuti sumus, strictiùs adhuc sumi debere volunt, & distingui à restitutione. Ita vt restitutio significet compensationem priore modo factam: satisfactio verò, posteriore. Ac restitutio sit actio, per quam res aliena vero domino redditur: satisfactio verò significet actionem, per quam iniuria aliter compensatur.

3. Est duplex: sacramentalis, & non sacram.

Tertiò sumitur peculiariter, ac velut per antonomasiam, pro actione per quam Deo pro peccatis satisfacimus. Et hæc iterum duplex est. Vna est sacramentalis, quæ iuxta Tridentinum sess. 14. cap. 3. per modum partis materialis ad sacramenti pœnitentiæ constitutionem, & ad plenam perfectamque peccatorum remissionem, ex diuina institutione requiritur. Definirique potest ex eodem Concil. cap. 8. sessionis cit. Actio per quam in sacramento poenitentiæ retribuimus Deo compensationem aliquam pro peccatis, iuxta sententiam sacerdotis. Ex eodemque loco patet hanc satisfactionem per modum punitionis, & vindictæ peccatorum iniungendam & exhibendam esse. Nam toto illo capite describitur satisfactio sacramentalis, velut afflictio & punitio. Idque confirmat nomen aliud satisfactionis sacramentalis, quo vulgò solet vocari poenitentia, eò quòd poenam & afflictionem includat. Altera satisfactio est non sacramentalis, per quam homo operibus à sacerdote non iniunctis, neque ad sacramenti constitutionem spectantibus, studet aliquam pro peccatis retribuere Deo compensationem, aut pati aliquid poenæ in vltionem suorum peccatorum. Quæ satisfactio non solùm poenis à poenitente sponte susceptis, sed etiam flagellis & tribulationibus à Deo inflictis, patienterque à poenitente toleratis, fieri potest, vt docet Trident. cap. 9. sess. cit.

4. Satispassio differt à satisfactione;

Nota secundò, præter satisfactionem, dari satispassionem: & ab illa differre, quòd satisfactio sit actio ipsius poenitentis, seu generaliter, satisfacientis. Satispassio verò non sit actio ipsius poenitentis: sed perpessio quædam poenæ, vel alterius rei ad compensandum sufficientis. Vtroque enim modo iniuria alteri facta, agendo scilicet, & patiendo, compensari potest. Nam v. g. hoc ipso, quòd ei qui offendit, etiam inuito, condigna poena à Iudice infligitur; læsa offensi authoritas, vel iniuria reparatur. Et tunc reus non dicitur satisfacere: quia id significaret, satisfactionem ab eo liberè & humano modo procedere, saltem per voluntariam ipsius poenæ acceptationem: qua ratione ipsam punitionem suam quodammodo efficeret: sique huius acceptationis in compensando ratio haberetur, diceretur eatenus satisfacere. Sed solùm potest dici satispati: ad quod sufficit, vt tantum patiatur, quantum promeritus est, aut quantum iustè exigitur.

5.

Nota tertiò, dupliciter posse intelligi, homines Deo satisfacere pro peccatis. Primò, quoad culpam. Secundò, quoad poenam restantem ex culpa remissa. Et hoc iterum dupliciter. Vel de condigno, per satisfactionem æqualem culpæ, aut pœnæ. Vel de congruo tantùm, exhibendo aliquid inæquale, quod misericorditer acceptetur à Deo, & cuius intuitu remittat ipse culpam, aut relaxet poenam debitam.

Non potest homo satisfacere Deo pro culpa mortali.

De satisfactione quoad culpam mortalem diximus in tract. de Incarnat. disp. 2. non posse homines de condigno satisfacere pro illa; sed tantùm posse de congruo per contritionem, aut actus æquiualentes, obtinere illius remissionem. De veniali autem diximus supra, disp. 45. sect. 5. posse iustos per opera bona facta in gratia satisfacere de condigno, etiam quoad culpã ipsam. Superest ergo dicere nunc de satisfactione pro peccatis quoad pœnam restantem ex mortalibus, aut venialibus iam remissis. De qua quæritur primò, an possint homines pro illa satisfacere de condigno, id est, exhibere aliquod opus Deo, quod moraliter sit illi æquiualens?

6. Secus pro pœna temporali.

Respondeo affirmatiuè. Probatur primò efficaciter ex Bulla Pii V. & Gregorii XIII. contra Michaelem Baium, in qua damnantur multæ illius propositiones, quarum vna est num. 59. *Quandoper eleemosynas, aliasque pietatis opera Deo satisfacimus pro pœnis tempo-*

ralibus, non dignum Deo pretium p o peccatis nostris offerimus: sicut quidam errantes autumant: na malioqui essemus aliqua saltem e. parte redemptores: sed aliquid facimus, cuius intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, & communicatur: Altera est num. 77. quæ sic habet: *Satisfactiones laboriosæ iustificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.*

Probatur ex Trident.

Probatur secundò ex Trident. sess. 14. cap. 8. & 9. & can. 13. vbi affirmat simpliciter & absolutè nos Deo satisfacere pro peccatis. At non satisfacit simpliciter & absolutè, nisi qui de condigno satisfacit: Sicut non dicitur simpliciter, & absolutè mereri, nisi is qui meretur de condigno. Quocirca idem Trident. non dicit nos mereri primam iustificationem, sed potiùs negat simpliciter nos illam mereri, sess. 6. cap. 8. tametsi per contritionem illam meremur de congruo. Et similiter licet per eandem contritionē satisfaciamus de congruo pro pœna æterna, quæ intuitu cōtritionis nobis remittitur cum culpa: valet enim de congruo ad remissionem vtriusque: tamen idem Cōcilium eadem sess. cap. 14. absolutè pronunciat, nos satisfacere, non pro pœna æterna, quæ vel sacramento, vel sacramenti voto, vnà cum culpa remittitur: sed pro pœna temporali, quæ vt sacræ literæ docent, non tota semper, vt in Baptismo fit, dimittitur. Ergo Concilium cùm ait nos satisfacere pro pœna temporali, loquitur de satisfactione de condigno.

7.

Confirmatur ex Scriptura.

Probatur tertiò, quia Scriptura docet, culpâ remissa reseruari sæpissimè à Deo pœnam aliquam temporalem: & nos pro illa posse ipsi satisfacere per vindictam voluntariam, & pœnas sponte susceptas. Quæ si æquales sunt moraliter pœnæ temporali & finitæ, à Deo reseruatæ, vt esse ostendemus paulò post, sunt satisfactiones condignæ, atque ex iustitia, suppositâ Dei acceptatione & promissione, quæ habetur quoque in Scriptura. Huiusmodi Scripturæ, & Patrum loca multa retulimus disp. 44. sect. 9. Nunc pauca addere sufficiet. 1. Corinth. 11. *Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur: dum iudicamur autem à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* Loquitur autem ibi Paulus de pœnis à Deo inflictis, vt patet ex verbis immediatè præcedentibus: *Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt*, id est,

Augustin.

moriuntur *multi*. Sicque intelligit D. Augustinus cap. 66. Enchirid. ad Laurent. vbi ait hæc dici ab Apostolo *de quibusdam temporalibus poenis quæ in hac vita peccantibus irrogantur eis, quorum peccata delentur, ne reseruentur in*

Eucher.

finem. Et Eucherius in lib. 2. Reg. cap. 8. *Dominus*, inquit, *delet peccatum, sed sine vltione non deserit. Aut enim ipse homo in se punit: aut Deus percutit.* Eódem pertinet quod ait Apostolus 2. Corinth. 7. v. 10. *Tristitia quæ secundum Deum est, poenitentiam in salutem stabilem operatur*, &c. Et paulò post versu 11. affirmat, eandem tristitiam operari vindictam. Nimirum quia vt rectè dicit Ambros. expendens eundem locum Pauli, *Quicunque inde tristis est, quia hoc est in satisfactionem aspicit, quòd Deo displicet: elaborat illud poenitendo delere, & Deo satisfacere, vt possit ad salutem, quam amiserat peruenire.* Et lib. ad Virginem lapsam, cap. 8. *Grande scelus, grandem necessariam habet satisfactionem.* Similia habent Origenes homil. 8. in Leuit. Tertull. lib de Pœnitent. in fine, & author libri de vera & falsa pœnitentia apud Augustin. tom. 4. cap. 14.

Origen. Tertull. Augustin.

8.

Præterea ad eiusdem veritatis confirmationē addi potest, quòd licet Dauid 2. Reg. 12. v. 13. peccati sui remissionem quoad culpam statim obtinuerit, dicens, *Peccaui Domino*: Deus tamen graues pœnas temporales sibi reseruauit, quas ipse lachrymis, ieiuniis, aliisque afflictionibus præuenire conatus est. Et Ionæ 3. v. 5. & 10. Niniuitæ ieiunio triduano, aliisque voluntariis afflictionibus Deum placarunt, & pœnam à Deo imminentem auerterunt. Et Hierem. 18. v. 8 promittit Deus se non illaturum pœnas, quas destinauit peccatoribus, si agant pœnitentiam: *Si poenitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam: agam & ego poenitentiam super malum quod cogitaui vt facerē ei.* Illamque Dei promissionem supponit Paulus supra, cùm absolutè affirmat: *Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique à Domino iudicaremur.* Pœnitentia verò, ad quam agendam Scriptura nos hortatur, non est sola detestatio vitæ præteritæ, & melioris inchoatio: sed etiam afflictio voluntaria pro peccatis antè actis: iuxta illud Ioel. 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu.* Et Iob vltimo v. 6. *Idcirco ego me reprehendo, & ago poenitentiam in fauilla & cinere.* Et Matth. 11. *Si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, olim in cilicio & cinere poenitentiam egissent.* Denique tam concors est & manifesta Patrum sententia, posse nos ac debere pro pœna peccatorum Deo satisfacere, vt id Caluinus dissimulare nequierit lib. 3. Instit. cap. 3. num. 16. & c. 4. num. 38. vbi etiam fatetur hunc fuisse vsum veteris Ecclesiæ: de quo vsu plura dicemus inferiùs disput. 55.

Caluin.

9.

Satisfactio illa potest esse de condigno.

Porrò satisfactiones quas Deo exhibemus posse esse moraliter æquales pœnis peccatorum restantibus, adeóque esse de condigno, probatur, quia si bona iustorum opera facta in gratia possunt esse valoris moraliter æqualis cum vita æterna, esseque de condigno meritoria augmenti gratiæ & gloriæ: quātò magis possunt esse æqualis valoris cum pœna tēporali & finita, restante pro peccatis remissis, quæ multò minoris est æstimationis? adcóq; possunt esse satisfactiones de condigno.

Atque ex his satis refutata manet tum hæresis Lutheranorum, & Caluinistarum, negantium posse homines vllo modo satisfacere Deo pro reatu poenæ: imo vllam poenam, post peccatum remissum, Deo luendā superesse, quippe quam totam putant semper cum culpa remitti: tum etiam sententia quorundam Theologorū, aientium nos Deo satisfa-

Digitized by Google

cere tãtùm de cõgruo: eò quòd pœnæ huius vitæ non sunt eiusdẽ rationis cum pœnis vitæ futuræ: qui autem soluit pretium ordinis inferioris, non soluit condignè & sufficienter, tamesi pretium illud misericorditer & benignè acceptetur. Sed hæc ratio nullius est momenti. Multo enim magis gloria æterna excedit bona iustorum opera, quàm pœna temporalis debita peccatis. Et tamen ille excessus non impedit, quin bona iustorum opera sint satis proportionata ad merendum de condigo. Nimirum quia ad meritum de condigno non requiritur æqualitas rei, siue in esse entis, inter meritum & præmium: sed moralis tantùm æqualitas, in eo consistens, quòd dignum sit apud præmiantis liberalitatem, vt tale opus tali præmio compensetur. Sic etiam ad satisfaciendum de condigno non requiritur æqualitas pœnæ huius vitæ ad pœnam alterius, in esse entis: sed æqualitas moralis, in eo cõsistens, quòd dignum sit tale opus, aut talis pœna

10. voluntariè suscepta, vt iudicem moueat, ne aliam poenam infligat.

Possitne Deo satisfieri pro quacunq; poena?

Quæritur secundò, an possimus Deo satisfacere pro quacunque poena, etiam hac in vita à Deo infligenda: an vero solum pro poenis alterius vitæ. Respondeo satisfactiones huius vitæ, siue sacramentales, siue alias, valere non modò ad extinguendas poenas vitæ futuræ: sed etiam præsentis à Deo infligendas in vindictam peccatorum, quatenus ad ipsum pertinent. Patet exemplo Niniuitarum Ionæ 3. colligiturque ex 1. Corinth. 11. v. 30. & duobus sequentibus, Daniel. 4 v. 24. aliisque locis. Idque sine dubio supponebat Dauid, cùm pro auertenda morte filioli ex adulterio nati, & peste ac mortalitate ob aliud eius peccatum

11. immissâ, conabatur Deum placare ieiuniis, & aliis afflictationibus voluntariis.

Ratio verò est, quia satisfactio per se respicit iniuriam, pro qua debetur, & non hanc pœnam potiùs, quàm aliam, quod est impertinens ad satisfactionem, quæ condigna & perfecta est, dummodo tantum exhibeatur, quantum soluendum restat: omneque debitum satisfaciendi extinguit, si offensus illam acceptat, aut tenetur acceptare. Ergo satisfactiones non sunt de se alligatæ pœnis vitæ futuræ extinguendis, potiùs quàm præsentis vitæ: sed valent ad has & illas extinguendas, prout à Deo acceptantur. Et si æquales sunt, valent ad omnem reatum pœnæ delendum posita Dei acceptatione: ita vt Deus nullam amplius pœnam inferre possit vt Iudex: licet vt Dominus, possit ob alios fines suæ prouidentiæ, mala quædam permittere aut immittere. An verò Deus semper acceptet nostras satisfactiones ad auertenda quæuis mala, & quascunque pœnas vitæ præsentis, dicemus in fine sectionis quartæ.

12. Possumus aliter quã per satisfact. liberati à pœn.

Quæritur tertiò, an possimus aliâ viâ liberari à pœnis peccatorum, quàm per condignas satisfactiones? Respondeo primò, non esse dubium, quin possimus aliter ex opere operato obtinere liberationem à pœna per sacrificium Missæ, per Baptismum, & alia sacramenta, per indulgentias & suffragia Ecclesiæ, quibus merita Christi vel Sanctorum in eum finem nobis communicantur, possumus etiam per satisfactionem vnius pro alio vt ostendemus disp. 63. sect. 1. Sed difficultas est, vtrum ex opere operantis possimus aliter nos ipsos à pœnis redimere?

Et per orationem illam impetrare.

Respondeo, probabilius esse posse nos etiam per orationem impetrare remissionem pœnæ, & per alia bona opera, velut per merita de congruo. Probatur ex vsu communi Ecclesiæ, quæ frequenter orat Deum, vt poenas fidelibus defunctis remittat, atque etiam vt poenas viuentibus peccatoribus imminentes auertat, aut infligere desinat. Ergo supponit Ecclesia id nostris precibus impetrari posse. Si autem possumus id aliis impetrare: cur non etiam nobis ipsis? Hac autem oratione non petimus à Deo, vt tantum poenæ relaxet defunctis vel aliis, quantum meretur oratio nostra illis applicata per modum satisfactionis de condigno: sed vt Deus liberaliter pro sua misericordia poenam illis condonet propter Christi satisfactiones & merita.

13.

Huc pertinet exemplum Regis Manasse 2. Paralipom. 33. v. 13. qui suis precibus impetrauit, vt reduceretur in Hierusalem, & in regnum suum, quo propter grauia peccata fuerat spòliatus. Est quoque conueniens, vt sicut peccatores possunt per bona opera mereri de congruo bona quædam temporalia: possint etiam mereri de congruo remissionem alicuius poenæ temporalis.

Suarez.

Contrarium docet Suares dip. 37. sect. 10. n. 4. & 7. vbi ait ex opere proprio ipsius operantis non esse aliam viam certam & ordinariam ad consequendam remissionem pœnæ, præter condignam satisfactionem. Speciatim verò preces ad id non valere pro-

Augustin. bat primò ex D. Augustino serm. 50. de tempore, in fine. Verum D. August. loquitur ibi de remissione peccatorum mortalium quoad culpam, quam fatemur non posse immediatè à Deo impetrari per orationem. Secundò probat, quia lex diuinæ iustitiæ & prouidentiæ est, vt qui peccat, dignè puniatur: & eadem lege est statuta via ordinaria, quâ homo debeat puniri, vel peccatum quoad poenam compensari. Ergo non est cur hæc pœna gratis remittatur, &

14. in hac lege dispensetur ordinariè, aut per communem impetrationem.

Respondetur argum. contrariæ sententiæ.

Respondeo legem illam diuinæ iustitiæ, & prouidentiæ non esse ita vniuersalem, vt quicquis peccat, dignè puniatur; & nullo medio pœna gratis, ex parte peccatoris, & misericorditer propter Christi merita & satisfactiones ei remittatur. Alioqui non ita remitteretur per sacrificium Missæ, perque alia sacramenta, & per indulgentias & suffragia Ecclesiæ, quod tamen cùm sententia

confeſſio. Sed ſicut iſtæ non propterea requirunt gratiam in ſubiecto: ſic neque ſatisfactio.

Ad ſecundum Reſpondeo attritionem & confeſſionem tendere quoque ad perfectam reconciliationem: & tamen non prærequirere gratiam. Quamuis autem nitatur ſatisfactio gratuita Dei inſtitutione, ſiue acceptatione: non eſt verum quòd nitatur pariter dignitate ſatisfacientis. Sufficit enim iuſtitiæ vindicatiuæ pœnam eſſe æqualem culpæ, vel reatui pœnæ. Poteſt autem eſſe æqualis, licet qui eam ſoluit, in ſtatu gratiæ non ſit. Tunc tamen plus requiritur vt par ſit. Quia ſtatus gratiæ & adoptionis dat moralem valorem iuſtorũ ſatisfactionibus, æquè ac meritis: ita vt opus alioqui non maius phyſicè, ſit tamen magis ſatisfactorium, ob perſonæ ſatisfacientis dignitatem. Tuncque ſatisfactio nititur dignitate ſatisfacientis: eſtque maior moraliter, quò perſona ſatisfaciens plus habet gratiæ, non modò quando acceptat ſatisfactionem, ſibi iniunctam, ſed etiam tunc cùm ſatisfacit, cæteris paribus. Eſt enim æſtimabilius perſonam adeo ſanctam humiliare ſe, & affligere voluntariè. Sicut ſatisfactio Chriſti fuit eò maior, quòd erat à perſona infinitæ dignitatis, cuius afflictio & humiliatio erat tantò magis æſtimabilis. Sicut etiam bonum opus eſt magis meritorium cæteris paribus, quò plus habet gratiæ is qui meretur, conſideratus antecedenter naturâ prius ad meritum.

20. Non eſt etiam verum, quòd ſatisfactio ſacramentalis operetur per modum meriti. Sed operatur per modum partis ſacramentalis, vi inſtitutionis, ex opere operato: ſicut attritio & confeſſio. Reliqua quæ adduntur in obiectione, de ſtatu viatoris, ſunt vera: ſed non obſunt noſtræ ſententiæ.

Repellitur inſtantia. Dices cum Aegidio ſupra: Effectus ſatisfactionis ſacramentalis debet fieri per applicationem meritorum Chriſti, propter quæ poenitenti remittitur poena temporalis, longè grauior alioqui futura. Hæc autem remiſſio eſt quidam effectus amicitiæ: ideóque non videtur vnquam concedi inimicis.

Reſpondeo, non magis mirum eſſe debere, quòd remiſſio poenæ per ſatisfactionem ſacramentalem, intuitu meritorum Chriſti, concedatur inimicis: quàm remiſſio culpæ, attrito tantùm & confeſſo. Et Aegidius parum cohærenter loqui videtur cum iis, quæ docuerat diſp. 2. dub. 20. num. 178. peccatorem per bona opera, facta in ſtatu peccati mortalis, mereri poſſe aliquo modo de congruo bona temporalia, & auerſionem aut dilationem poenæ in hac vita infligendæ, quæ omnia ſunt effectus amicitiæ.

21. Valentia. Nihilo magis vrget argumẽtum Valentiæ quæſt. 14. puncto 3. vbi ſic ait: Satisfactio noſtra ab ipſo Deo acceptari debet, vt ſuum valorẽ habeat, ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 8. Atqui Deus non acceptat vlla opera, quæ proficiſcuntur à perſona non ipſi grata: ergo, &c. Cuius argumenti minor non eſt vera. Alioqui, neque attritio, neque confeſſio peccatoris Deo accepta eſſet: neque ſatisfactio impoſita, & facta ante abſolutionẽ ab attritis tantùm & confeſſis, iuxta morem antiquæ Eccleſiæ: nec denique contritio ipſa charitate perfecta, quæ tamen iuxta Tridentinum diſponit ſufficienter ad iuſtificationem: Nam hæc quoque non procedit à perſona Deo grata, quando diſponit ad iuſtificationem: ſed præit ſtatui gratiæ, & remiſſioni peccatorum, tanquam illius cauſa.

SECTIO III.

De conditionibus requiſitis ex parte operis.

CIrca ſecundum, dicendum eſt, ex parte operis, quo ſatisfacimus, requiri primò, vt ſatisfacienti voluntarium ſit, vel per modum actus eliciti aut imperati; vel ſaltem per modum obiecti voliti. Nam ſatisfacere ſignificat id, quo ſatisfit, aliquo modo humano procedere à ſatisfaciente: & per hoc ſatisfactio diſtinguitur à ſatiſpaſſione. Item ſi ſatisfactio ſacramentalis eſt, requiritur, vt fiat ex intentione & relatione ad ſacramentum. Quia actus ſacramentales non poſſunt valide fieri, vt ſacramentales, ſiue à Miniſtro, ſiue à recipiente adulto, abſque intentione faciendi id, quod Chriſtus inſtituit: quæ intentio qualis eſſe debeat, diximus ſuo loco. Ad ſatisfactionem verò non-ſacramentalem non eſt neceſſaria intentio ſatisfaciendi. Sicut ad merendum non eſt neceſſaria intentio merendi: ſed ſufficit exhibere bonum opus in ſtatu gratiæ, & cum aliis conditionibus ad merendum requiſitis. Hanc diſtinctionem admittunt Suares & plures alii. Quamuis nonnulli, quos ſequitur Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 13. num. 17. exiſtiment ſufficere ad ſatisfactionem ſacramentalem, quòd fiat opus iniunctum, abſque intentione implendi poenitentiam, imò etiam cum intentione contraria.

22. Satisfactio debet eſſe opus voluntarium.

Sanchez.

23. Et opus bonum. Secundò, requiritur, vt ſit bonum opus, ſaltem ratione intentionis, quâ aſſumitur, aut aliunde impoſitum toleratur. Vt patet ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 8. & 9. & can. 13. & 14. vbi docet ſatisfactiones noſtras eſſe opera pietatis, & cultus Dei: & non fieri per flagella diuina impatienter tolerata: & eſſe per Ieſum Chriſtum, fierique per eius cooperationem, *in quo viuimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos poenitentiæ, qui per illum vim habent, ab illo Patri offeruntur, & per illum acceptantur à Patre.* Hæc Trident. quæ de malis operibus intelligi non poſſunt.

Notandum tamen non eſſe neceſſarium, vt opus, quo in ſacramento poenitentiæ ſa-

Digitized by Google

tisfacimus ex opere operato, sit bonum vndequaque, id est, non vitiatum ex aliqua circunstantia: putà ex eo quòd admisceatur illi intentio vanæ gloriæ. Nam sicut confessio cui talis intentio admiscetur, eleuatur nihilominus ad operandum ex opere operato: & consensus in matrimonio non desinit esse sacramentalis, & operari ex opere operato, licet, contrahentes vltra finem sacramenti intendant alium venialiter malè: sic eleemosyna v.g. iniuncta in satisfactionem, non desinit eleuari & operari sacramentaliter, quamuis detur non modò ex intentione parendi Confessario, aut ex affectu misericordiæ; sed etiam ex motiuo inanis gloriæ. Notandum præterea, opus esse magis satisfactorium cæteris paribus, quòd à magis honesto affectu voluntatis procedit. Nam in satisfactione non solùm habetur ratio operis aut pœnalitatis: sed etiam honestatis & bonitatis moralis eiusdem operis.

24. Debeatne esse pœnale generaliter.

Tertiò D. Thomas in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 4. quæstiunc. 1. cum multis aliis, requirit vt sit opus pœnale. Quod confirmari potest ex Trident. sess. 14. cap. 8. vbi opera satisfactoria vocat poenas satisfactorias: & can. 13. poenas sponte susceptas, vel à Deo inflictas, vel à Sacerdote iniunctas. Existimo tamen id de satisfactione strictiùs sumpta pro specie vindicationis, & punitionis, intelligendum esse, iuxtà ea quæ diximus sect. 1. Talis autem debet esse satisfactio sacramentalis: quippe quæ debet esse ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem, vt ait Trident. sess. 14. cap. 8. post medium. Alioqui verò per alia opera, & citra poenæ considerationem, potest alteri satisfieri, & iniuria ipsi facta compensari. Nempe per bona opera in ipsius obsequium aut commodum facta, per quæ offensor se submittit offenso, & reparat eius honorem, quem læsit per audaciam violandi ipsius ius. Quanquàm vix vlla est talis submissio cum retractatione prioris facti, in qua non sit aliquid pœnalitatis. Ideóque Trident. sess. 14. can. 13. vbi opera satisfactoria vocat *poenas*, ait nihilominus, satisfactionem ieiuniis, orationibus, eleemosynis, vel etiam aliis pietatis operibus exhiberi Deo posse.

25. An etiam opus supererogationis?

Quartò, addunt aliqui debere esse opus liberum, atque etiam opus supererogationis, id est, non aliunde debitum. Sed hoc vltimum nō est verum. Nam & vsus Ecclesiæ frequens est, vt iniungatur in satisfactionem opus aliunde debitum ex præcepto: & cùm per opera, debita licet ex præcepto, mereri possimus, vt affirmat Trident sess. 6. cap. 10. & 16. quantò magis per eadem possumus satisfacere? Confirmatur, quia opus, quod fit ex præcepto, non idcirco est minùs honestum, & minùs pœnale. Neque dicas non posse per eandem solutionem satisfieri duobus debitis, & duabus obligationibus. Hoc enim non est verum, quando tituli obligationis cadunt super vnum idemque debitum, cuius formalem tantùm obligationem augent, neque ordinantur ex sua speciali conditione vel intentione obligatis, ad res diuersas. Ex. gr. is qui die Dominica tenetur audire Sacrum, & quia dies Dominica est, & quia eodem die est festum D. Petri: satisfacit vtrique obligationi, audiendo sacrum vnicum. Quia illa duo præcepta ad idem tendunt, vt scilicet eo religiosè colatur illa dies. Et qui tenetur ex voto ieiunare singulis diebus Sabbathi, non tenetur bis ieiunare, occurrente die Sabbathi vigiliâ festi alicuius ad ieiunium obligante: quia non vouit aliud ieiunium pro illo die. Opera verò poenalia, debita aliunde ex præcepto, valent ex natura sua ad satisfaciendum, & præcipiens non prohibet ne eò referantur, vel ab ipso poenitente, vel à confessario iniungente in eundem finem.

26.

Ordinariè tamen expedit iniungere opera non aliunde debita. Et quando ex verbis Confessarii non aliud colligitur, debet poenitens intelligere iniunctum sibi fuisse opus non aliunde debitum, ita vt per aliud non possit satisfacere. Præterea licet communiter iniungatur opus externum: non est tamen id necessarium: sed iniungi potest meré internum in hoc foro spirituali, in quo tenentur homines aperire peccata purè interna, & Confessarius habet ius de illis iudicandi, ideóque potest etiam in poenam iniungere actus purè internos. Non est etiam necesse, vt sit publicum: imò non debet imponi tale, nisi quando vel ad tollendum scandalum, vel ad satisfaciendum Ecclesiæ in crimine publico obligandus est pœnitens ad acceptandam publicam pœnitentiam. In quo casu non peccatur contra sigillum confessionis. Quia ex consensu pœnitentis publica illa satisfactio imponitur, & exhibetur pro peccato aliunde noto.

27. Possitne satisfieri per alium?

Vlteriùs, licet communiter opus satisfactorium debeat esse personale, idque naturæ sacramenti, & iustitiæ sit magis consentaneum: potest tamen per alium impleri, & imponi vt implendum per alium. Tametsi sine iustâ causa non debet ita fieri. Neque si à confessario iniunctum fuit, vt personaliter implendum, potest per alium impleri: sicut alia præcepta personalia audiendi Sacrum, ieiunandi, recitandi officium, & similia, non possunt impleri per aliū. Quando autem satisfactio imponitur vt implenda per aliū: semperintelligitur faciēda ex motione, & petitione, saltem tacita, ipsius poenitentis. Et sic est aliquo modo illius, potestque esse pars sacramenti ab eo suscepti, & circa illum operari ex opere operato. Neque enim necessarium est, vt poenitens per seipsum exerceat omnes actus, qui sunt partes huius sacramenti: quemadmodum etiam potest confiteri per interpretem, aut per aliorum relationem: vt faciunt ægroti, qui interea dum vocatur Sacerdos, sensu destituuntur, nec per se coram confiteri possunt.

Digitized by Google

28. Confirmatur ex cap. *Ab infirmis* 26. quæſt. 7. vbi ſic dicitur: *Ab infirmis in periculo mortis poſitis per presbyteros prius inquirenda eſt confeſſio peccatorum: non tamen illis imponenda quantitas poenitentiæ, ſed innoteſcenda: & cum amicorum orationibus, & eleemoſynarum ſtudiis pondus poenitentiæ ſubleuandum.* Quæ poſtrema verba ſignificant, partem ponderis poenæ poſſe deriuari ad alios. Si autem poteſt pars ponderis, poteſt & totum pondus, dummodo alii totum ſubire velint. Neque eſt inconueniens, vt ſatisfactio alterius, quamuis exiſtentis in ſtatu peccati mortalis, acceptetur intuitu ſacramenti, ad pœnam ex opere operato extinguendam: ſicut confeſſio & attritio pœnitentis exiſtentis in peccato mortali, & abſolutio ſacerdotis exiſtentis in eodem ſtatu, acceptatur ad remiſſionem peccatorum, & infuſionem gratiæ ex opere operato. Non obeſt etiam quòd ſatisfactio ſacramentalis debeat fieri ex præcepto Confeſſarii, & ex poteſtate ligandi, quam à Chriſto accepit. Fit enim ex præcepto Confeſſarii ab illo, qui ſubeundo locum poenitentis ſubmittit ſe Confeſſarii præcepto, & poteſtati quam habet ad ligandum. Per hæc facile eſt reſpondere argumentis eorum qui contrarium ſentiunt, voluntque ſatisfactionem impletam per aliũ non poſſe eſſe ſacramentalem.

29. Quibus operibus ſatisfieri poſſit

Denique licet tria ſint operum genera, quibus communiter ſatisfieri ſolet, oratio, ieiunium, & eleemoſyna, vt ait Florentinũ in decreto Eugenii .§. *Quartum ſacramentum*: aliis tamen piis operibus poſſe nos ſatisfacere docet Trident. ſeſſ. 14. can. 13. pateteque ex vſu antiquæ Eccleſiæ apud Tertull. lib. de Poenit cap. 10. Cyprian. lib. de Lapſis., alioſque Patres. Nec vllum eſt hoc tempore, quo canones poenitentiales obligare deſierunt, determinatum opus internum, vel externum, ex lege diuina vel eccleſiaſtica præſcriptum in ſatisfactionem ſacramentalem, quam Sacerdos pro his aut illis peccatis teneatur iniungere, citra naturalem ipſarum rerum exigentiam; ſed hoc relinquitur eius arbitrio. Non quidem ita vt poſſit grauem pro leuibus, aut leuem pro grauibus poenitentiam iniungere: quod repugnaret æquitati, & Tridentino ſeſſ. 14. cap. 8. Sed quia ipſius eſt iudicare quænam omnibus perſpectis hic & nunc poſſit conuenienter iniungi pœnitentia, vt docet Innocentius III. C. *Deus qui*, de Pœnitentiis, & Doctores communiter teſte Aegidio Conine diſp. 10. dub. 8. num. 70. vbi addit olim quoque fuiſſe liberum ſacerdoti, vt in hoc foro pœnitentiam illam iniungeret, quam hîc & nunc crederet expedire, vt colligitur ex C. *Menſuram* de pœnitent. diſt. 1. & canones pœnitentiales, qui habentur in quibuſdam Conciliis, aut ſolùm fuiſſe pro foro externo, in quo tamen multum permittebatur iudicio Epiſcopi: aut non continuiſſe ſtrictum & propriè dictum præceptum; ſed tantùm regulas quaſdam, quibus Cõfeſſarii poſſent inſtrui, vt eas ſequerentur quantũ commodè poſſent. Neque verum eſt quod dicunt aliqui, debuiſſe olim iniungi pro quolibet peccato mortali pœnitentiam ſeptem annorum. Nam neque id illi probant: neque tam longæ pœnitentiæ fuerunt vnquam iiunctæ, niſi pro criminibus valde grauibus, & cum publico ſcandalo factis. Et quidem ſi tam longa ſatisfactio fuiſſet impoſita pro quolibet peccato mortali: multi qui ſæpius lethaliter peccabant, habuiſſent breui plures & longiores, quàm tota vita implere poſſent. Et tamen ſatisfactio ſacramentalis debet iniungi vt implenda hac in vita.

30. Cur præcipuè oratio, ieiunio, & eleemoſyna,

Rationes verò congruæ, cur communiter imponantur hæc tria, oratio, ieiunium, & eleemoſyna, & cur ad ea reuocentur cætera omnia, videri poſſunt apud Suarem diſp. 37. ſect. 6. num. 10. & Valent. quæſt. 14. puncto 3. col. penult. qui authores in ſuperioribus fermè omnibus nobis conſentiunt, & Aegidius Conink, aliique recentiores.

Addo ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 9. tantam eſſe diuinæ munificentiæ largitatem, vt non ſolùm pœnis ſponte à nobis pro vindicando peccato ſuſceptis, aut ſacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis: ſed etiam, quod maximum amoris argumentum eſt, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Chriſtũ Ieſum ſatisfacere valeamus. Circa quẽ modũ ſatisfaciẽdi nota primò, non ſolùm ſatisfieri per actum internum patientiæ: ſed etiam per afflictiones & incommmoda, ſeu flagella patienter tolerata. Nam verba Tridentini modò relata hoc ſignificant. Nota ſecundò, vt per illa ſatisfaciamus, debere quodammodo à nobis procedere: ita vt eorum illatio ſit quodammodo actio noſtra libera: alioqui non eſſet propriè ſatisfactio. Eſt autẽ noſtra quatenus Dei volũtati illa infligẽti conformamur, & conſentimus, moraliterque cooperamur in illa punitione. Quæ tamen, quia eſt minùs voluntaria, quàm ſi ſponte ſuſciperetur: hinc eſt quòd ſit de ſe minùs apta ad ſatisfaciendum: maioriſque diuinæ munificentiæ ſit, quòd illam ad effectum ſatisfaciendi admittat. Poteſt & aliter dici voluntaria, quatenus pendet à noſtra libertate, vt patienter & honeſtè illam feramus, non quæſito aut acceptato ſolatio querelæ, indignationis, & ſimilibus, vel etiam mediis illicitis quibus fortè poſſemus liberari ab incommodis, & flagellis illatis. Sicut martyrium eſt voluntarium illi qui cogitur mortem pati, niſi velit fidem negare. An verò aliter poſſint hæc flagella prodeſſe per modum ſatiſpaſſionis, dicemus ſectione octaua.

Tertull. Cyprian.

Innocent.

Conine.

SECTIO IV.

De conditionibus requisitis ex parte Dei.

31. Requiritur Dei acceptatio.

CIrca tertiũ, dicendum est ex parte Dei requiri institutionem & acceptationem, seu voluntatem remittendi reatum pœnæ intuitu talis operis: vt patet ex Trident. sess. 14. cap. 8. vbi ait satisfactiones nostras non habere vim vllam, nisi per Christum, à quo Patri offeruntur, & per illum acceptantur à Patre. Et cap. 9. dicit maximum esse diuini erga nos amoris argumentum, quòd nostras satisfactiones acceptet, idque ad diuinæ munificentiæ largitatem refert. Et res quidem est per se nota. Nam vt Deus propter nostras orationes, aut ieiunia, & alia opera bona, quæ posset multis aliis titulis exigere, remittat nobis poenas debitas pro peccatis, nullo ex capite obligatur: sed id eius munificentiæ, & bonæ voluntati, liberæque institutioni tribuendum est.

32. Confirmatur, quia iudex non tenetur acceptare poenam sibi ipsi à reo impositam, sed potest eâ non obstante illum punire poenis à lege, vel à se constitutis. Confirmatur secundò, quia iustorum animæ, quæ expiantur in Purgatorio, exercent plurimos actus non minùs de se aptos ad satisfaciendum, quàm qui à nobis exercentur hac in vita. Et tamen reipsa non satisfaciunt: certè non alia de causa, nisi quia in hũc finem non acceptantur à Deò qui tempus satisfaciendi limitauit ad spatium huius vitæ. Sicut eandem ob causam non merentur eædẽ animæ, neque Beati in cœlo; quia Deus merendi tempus ad hanc vitam definiuit, vltra quã opera nostra non acceptãtur vt meritoria neque iam ampliùs illis merces fuit promissa. Confirmatur tertiò, quia si vel ipsa Christi Domini satisfactio, quamuis infinita, opus tamen habuit Dei promissione & acceptatione, vt nos à poena peccatis nostris debita, eorumque reatu liberaret, quemadmodum ostendimus disput. 2. de Incarnat. sect. 10. n. 108. quantò magis opera nostra egent Dei acceptatione vt poenæ debitum apud ipsum extinguant in nobis ipsis, vel in aliis pro quibus offeruntur? præsertim cum poenis exiguis huius vitæ pro maioribus Purgatorii tormentis satisfaciamus.

33. Hinc autem fit, vt Deus interdum placari nequeat per satisfactiones nostras, & impediri, quò minùs poenã aliquam inferat, quã inferre decreuit. Vt patet ex poenis quibus Deus 2. Reg. Dauidis adulterium, & homicidiũ: & populi enumerationem puniuit, quas Dauid nulla satisfactione alia auertere vnquam potuit. Nimirum quia Deus non tenetur satisfactiones illas spontaneas acceptare in eum finem, quo ipsi offeruntur: & aliunde certam poenam inferre decreuit, non tantùm vt iustitiæ satis faciat, sed vt suam in peccatis puniendis seueritatem nobis manifestet, & à peccatis nos sic deterreat.

34. Tenenturne Deus poenas sponte nobis inflictas acceptare.

Dices; Deus ex iustitia, aut saltem ex fidelitate tenetur acceptare poenas, quas in peccatorum punitionem infligit: debetque propter illas reatum poenæ minuere, ac penitùs extinguere, quando sunt æquales & condignæ. Atqui Deus infligit quodammodo, & acceptat reipsa poenas omnes, quas sponte suscipimus in vindictam peccatorum: quippe qui nos hortatur in Scriptura, vt eas in hunc finem suscipiamus. Ergo si sunt æquales, tollunt omnem reatum poenæ cuiuscunque, siue istius vitæ, siue futuræ: & siue ordinariæ, siue extraordinariæ: quod est impertinens ad satisfactionem æqualem, quæ præcisè culpam respicit, & non hanc poenam potiùs, quàm illam. Ergo Deus non potest talem aliquam poenam reseruare: licet possit ob alios fines suæ prouidentiæ malum aliquod permittere aut immittere peccatori: putà, ad terrorem aliorum, vel ad cautionem in posterum. Quare si Dauid condignè satisfeciisset per ieiunia & alia pia opera, Deus non illum puniuisset morte filioli, & aliis poenis, quas intulit ob peccata supradicta. Quia verò non condignè satisfecerat; liberum Deo fuit hanc potiùs, quàm illam partem totiùs poenæ illi condonare, & aliam sibi reseruare: conuenienterque eam reseruauit, quæ ad terrorem & emendationem, ac reparationem scandali magis expediebat.

35. Respondeo negando minorem argumenti propositi: & ad eius confirmationem dico, Deum ideo nos hortari ad poenas sponte suscipiendas pro peccatis, quia communiter & ordinariè extinguunt debitum poenæ, & ad eum finem acceptantur efficaciter à Deo. Licet interdum extraordinariè non ita acceptet, sed reseruet sibi aliquas poenas huius vitæ, quas decreuit infligere non in vindictam peccati solùm, sed etiam ad exemplum & terrorem aliorum. Infliguntur enim poenæ huius vitæ non solùm ad vindictam, sed etiam propter exemplum, & emendationem nostram, aut alienam: in quo differunt à poenis vitæ futuræ. Atque ita licet Dauid restitutus in gratiam, per tam seueram poenitentiam, & tam longam, quæ partim ab eodem describitur in pluribus psalmis, partim etiam refertur 2. Reg. 12. aliisq; locis, valde probabiliter exhibuerit aliquid æquale poenæ temporali restanti ex peccatis adulterii, homicidii; & superbiæ sibi remissis: voluit tamen Deus ad terrorem & exemplum aliorum infligere ipsi determinatè poenas illas, quas per Prophetam suum ipsi denunciauerat.

36. Sententia affirmans satisfactiones nõ egere acceptatione.

Contra responsum initio sectionis datum opinãtur nonnulli, qui affirmãt satisfactiones nostras non egere Dei acceptatione. Quia, inquiunt, satisfactio nostra nihil est aliud, quàm solutio pœnæ, aut æquiualentis pro pœna Deo debita pro peccatis. Qui autem soluit id quod debet, non indiget acceptatione, sed eo ipso liber est à debito: extinguitur enim connaturaliter debitum per eius solutionem

solutionẽ. Confirmatur, quia in satisfactione non fit remissio seu condonatio poenæ, sed vera solutio totius poenæ debitæ pro peccatis remissis, vel perfecta illius compensatio. Et gratia quidem fit in remissione peccatorum; sed in solutione pœnæ seruatur iustitia, & æqualitas. Hoc autem ipso quòd subitur tota poena, vel rependitur aliquid æqualis valoris, cessat illius debitum. Ergo non est ex acceptatione Dei vt satisfactio liberet à poena debita.

37. Altera opinio dicens totum valorem ab illa peti.

Alii contrà, existimare videntur solam vim satisfactionis nostræ positam esse in acceptatione diuina: cùm alioqui nullam habeat proportionem cum debito quod extinguit. Nam poena, quæ per se debetur pro peccatis remissis, est pœna Purgatorii, quæ est longè diuersæ rationis à poenis huius vitæ, nulloque modo cum illis comparabilis. Quare istæ non habent de se proportionem, & valorem sufficientem illas compensandi: sed si quid habent, totum illud accipiunt ab acceptatione Dei, qui misericorditer illis contentus est, & illarum intuitu remittit pœnam incomparabiliter grauiorem.

38. Refellitur prima sententia.

Sed ad primum argumentum primæ opinionis dicendum est, satisfactionem nostram, si est sacramentalis, non esse talem sine institutione & acceptatione Dei, à quo per sacerdotem imponitur, accipitque efficaciam satisfaciendi ex opere operato, virtute talis impositionis, & institutionis. Sin autem est non sacramentalis; Deus absolutè non tenetur acceptare in solutionem poenæ, opus quod illi exhibemus, quodque multis aliis titulis posset à nobis exigere, & eo non obstante poenam debitam repetere, id est, ius suum læsum, per illationem poenæ, & meram satispassionem resarcire, non habita ratione nostrorum operum, vt fit in Purgatorio.

39.

Ad secundum, dico in satisfactione seruari quidem iustitiam, & exigi aliquod opus bonum æquale reatui poenæ: siue iniunctum à Confessario, siue non. Et nihilominus interuenire acceptationem Dei, vel poenam determinantis per Confessarium, siue opus poenale, quo vult esse contentus: vel admittentis tale opus bonum sponte susceptum, in satisfactionem, lege saltem generali, quâ sic statuit de nostris operibus: cùm posset alio titulo illa exigere, vel ad alios fines referre, nullamque illorum ad satisfaciendum rationem habere. Non sufficit autem ad satisfaciendum, & extinguendum debitum poenæ, offerre alteri quidpiam æqualis valoris, nisi ille teneatur acceptare ad hunc finem.

40. Refutatur secunda.

Ad fundamentum secundæ opinionis Respondeo, si satisfactio est sacramentalis, illa ipsa est quæ per se primò debetur pro peccatis in sacramento remissis: cui si non fit æqualis, aut si non impleatur, succedit pœna alterius vitæ ad supplendum eius defectum, nisi per alias vitæ præsentis satisfactiones conemur hunc reatum extinguere. Sed quãuis pœna per se primò debita peccatis remissis esset poena Purgatorii; & illa esset omnino diuersæ rationis à poenis huius vitæ; vt supponunt aduersarii: non sequitur satisfactiones nostras nullam cum illis habere proportionem condignitatis, & æqualitatis moralis, valoremque sufficientem ad compensandum illarum debitum. Nam hæc proportio non est spectanda ex physica earum consideratione, sed morali: id est, non secundum esse naturale vtrarumque, sed iuxta moralem æstimationem. Sicut autem opera bona iustorum habent sufficientem proportionem moralem condignitatis cum vita æterna, quamuis longè diuersæ rationis, physicéque incomparabilis cum operibus huius vitæ, iuxta illud Apostoli, *Non sunt condignæ passiones huius temporis, &c.* Et, *Momentaneum hoc & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*: Ita etiam iustorum satisfactiones habent sufficientem proportionem condignitatis, & æqualitatis cum poenis temporalibus Purgatorii, propter moralem valorem quem accipiunt à statu adoptionis, & ab aliis considerationibus, quibus ad tantam dignitatem euehuntur, vt non modò satisfacere possint pro poena temporali, verùm etiam mereri de condigno vitam æternam. Sunt enim pleraque iustorum opera bona, simul & meritoria, & satisfactoria. Satisfactiones verò sacramentales, vltra valorem quem ex se habere possunt, & ex opere operantis, si fiant in statu gratiæ, alium habent sibi peculiarem, & ex opere operato, virtute sacramenti poenitentiæ, cuius sunt pars integralis.

SECTIO V.

De necessitate satisfactionis: & primò, an teneatur Confessarius imponere poenitenti conuenientem satisfactionem, & pœnitens quoque teneatur eam implere?

41. Multiplex necessitas satisfactionis.

DVplex necessitas satisfactionis considerari potest. Vna ex natura rei, semota institutione sacramenti poenitentiæ: alia ex hypothesi institutionis illius sacramenti. Et hæc rursus duplex esse potest. Vna veluti physica, in ordine ad constitutionem sacramenti poenitentiæ: altera moralis, quoad debitum sacerdotis ad iniungendam, & pœnitentis ad acceptandam satisfactionem pro peccatis. De prima necessitate dicemus sect. seq. De secunda constat ex dictis disp. 41. & 42. an, & quatenus satisfactio necessaria sit ad sacramentum poenitentiæ constituendum. De tertia dicendum est sacerdotem nõ solùm habere potestatem iniungendi poenitentibus satisfactionem, in peccatorum præteritorum vindictam, & medelã futurorum

verùm etiam necessitatem moralem, seu debitum ita communiter faciendi: neque liberum illi esse, grauem aut leuem satisfactionem imponere pro quibusuis peccatis: sed ad æquitatem seruandam obligari. Similiterque teneri poenitentes ad acceptandam & implendam satisfactionem legitimam, & prudenter iniunctam.

42. Sacerdos habet ius iniungendi satisfact.

Prima pars est Tridentini sess. 14. cap. 8. cuius verba hæc sunt: *Debent ergo sacerdotes Domini, quantùm spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & poenitentium facultate, salutares, & conuenientes satisfactiones iniungere.* Et paulò post: *Habeant autem præoculis, vt satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad nouæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum: sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.* Idem colligitur ex canone, *Omnis vtriusque sexus.* Ratio est, quia cùm sacerdos sit diuinitùs constitutus in ministrum huius sacramenti, in quo præterea iudicem & medicum agit: debet, vt minister, efficere sacramentum integrum: & vt medicus, vulnera pœnitentis curare: & vt iudex, æquitatem seruare. Cúmque iudicet inter Deum & hominem, sicut tenetur absoluere hominem, si est bene dispositus: ita curare debet, vt Deo satisfiat, si nondum illi satisfactum est. Atque hæc obligatio ex suo genere grauis est, cùm ad integritatem sacramenti, & ad religionem pertineat. Leuitas tamen materiæ hic, vt in aliis, excusat à graui culpa.

43. Dixi autem *communiter*, & non *semper*: quia interdum contingere potest, vt sacerdos non teneatur iniungere satisfactionem. Ex. gr. si pœnitens sit morti propinquus, & iam omni sensu destitutus. Tunc enim nulla ipsi imponi debet, quippe qui eius incapax est. Si tamen habet sensus integros iniungenda illi est pœnitentia conueniens, quam impleat si conualuerit: iuxta can. *Ab infirmis*, 26. quæst. 7. Item si sacerdoti aliquando constaret, poenitentem iam ante sufficienter satisfeciisse: non teneretur illi satisfactionem aliam imponere. Nam sicut æquitas iudicii postulat, vt puniatur debitor: ita vt liber dimittatur qui iam soluit. Vndé non semper est de integritate iudicii huius sacramentalis satisfactio, & iniunctio pœnæ: sed tunc solùm quando reatus aliquis pœnæ soluendus supereſt, & punitio exercenda: vt rectè aduertunt Suarez disput. 38. sectione 3. concl. 1. & 3. Aegidius Con. disp. 10. dub. 8. concl. 1. & Delugo disp. 25. sect. 4. num. 52. Ricardus tamen in 4. dist. 18. art. 2. quæst. 2. ad. 1. vult etiam tunc imponi debere satisfactionem per modum medicinæ. Sed si tantùm medicina est, non est propriè satisfactio. Et ne illud quidem necessarium est, si iam poenitens sibi satisprouidit, aut si peccata leuia sunt, & non egent speciali curatione. Vix tamen citra reuelationem constare potest sacerdoti, quòd pœnitens omnino perfectè satisfecerit. Quare communiter imponendæ est saltem leuis aliqua satisfactio.

44. Tenetur seruare æquitatem.

Secunda pars conclusionis, quâ dictum est teneri sacerdotem ad seruandam æquitatem, in iniungendo satisfactionem pro criminum qualitate, & poenitentium facultate, ita vt nequeat pro libito grauem aut leuem satisfactionem pro quibuiuis peccatis iniungere, patet ex vsu perpetuo Ecclesiæ, & canonibus de poenitentiis & remissionibus, & ex Trident. sess. 14. cap. 8. Et quidem oppositum rectæ rationi repugnaret. Si enim sacerdos pro graui crimine leuem satisfactionem imponeret, Deo iniuriam faceret. Sin autem contra, pro leui grauem, iniuriam faceret peccatori. Trident. autem postquam asserui loco antea relato, debere sacerdotes quantùm spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & poenitentium facultate salutares & conuenientes satisfactiones iniungere: subdit, *Ne si fortè peccatis conniueant, & indulgentiùs cum poenitentibus agant, leuissima quædam opera pro grauissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Quibus verbis significat hanc obligationem esse grauem.

45. Habenda est ratio facultatis pœnitentium.

Magna tamen habenda est ratio facultatis poenitentis, & spiritalis eius infirmitatis: ne vel horrorem sacramenti concipiat: vel ea de causa fugiat peritos confessarios, & exactos: vel in periculum coniiciatur non implendi grauem satisfactionem, & mortaliter peccandi: quod deterius est, quàm vt Purgatorio plurimum poenæ soluendæ relinquatur. Quare vt rectè monent authores supra nominati, nunquam debet sacerdos talem iniungere poenitentiam, quam omnino credit poenitentem ex aliqua imbecillitate non impleturum. Idemque docet Gerson in regul. moral. cap. de Poenitentia, vbi dicit tutiùs esse cum parua poenitentia, quæ sponte susciputur, & verisimiliùs adimplebitur, ducere confessos in purgatorium, quàm cum magna non implenda præcipitare in infernum. Et Caietanus in Summa, v. *Satisfactio*, vbi affirmat debiliter dispositio poenitenti dandam esse satisfactionē paruulam, vt paruulus ignis foueatur appositâ paleâ, nec suffocetur appositis lignis desuper. Et S. Carolus Borromeus, Actorum parte 4. pag. 523. tit. de modo imponendæ pœnitentiæ, vbi de confessario sic ait, *Talem imponet poenitentiam, qualem ab eo præstari posse iudicet. Proinde aliquando, si ita expedire viderit, illum interroget, an possit, anne dubitet poenitentiam sibi iniunctam peragere: alioquin eam mutabit, aut minuet.* Magnam denique infirmitatis, & fragilitatis poenitentium habendam esse rationem docent, præter supra citatos, Dominicus Sotus in quarto distinctione vigesima, quæstione secunda, articulo tertio, conclusione secunda: Nauarrus in caput, *Mensuram*, numero nono, distinctione prima, de Poenitentia, S. Thomas quæst. 18. Supplem. a. 4.

Digitized by Google

Diana tom. 2. tract. de Sacram. reſolut. 97. Gamach. tom. 3. cap. 23. de Pœnitentia pag. 620. Valent. tom. 4. qu. 14. de Pœnit. punct. 4. §. *Altera difficultas*, Suar. tom. 4. in 3. part. diſput. 38. ſect. 4. concluſ. 3. Cardinalis Delugo diſput. 25. de Pœnitentia, ſect. 4. num. 60. & alii communiter. Idemque iampridem ſtatuerat Synodus Trullana can. vltim. & Concilium VVormatienſe celebratum ſub Adriano II. canone vigeſimo quinto. Monendus tamen eſt pœnitens, quando leuior imponitur, id ideo fieri, vt caueatur ipſius imbecillitati: alioqui grauiorem mereri, & ſoluturum alibi, niſi hic ſatisfecerit: ne forte occaſione leuioris ſatisfactionis iniunctæ, minùs æſtimet grauitatem peccatorum, in eaque liberiùs recidat.

46. Satisfactio minor non obeſt valori ſacram.

Quòd ſi ſacerdos per imprudentiam, aut malitiam minorem imponat, quàm pro criminum grauitate, ac pœnitentis facultate; peccabit quidem, ſed ſacramentum validum erit, & habebit effectum: cùm ſatisfactio non ſit pars eſſentialis, neque ad effectum remiſſionis peccatorum, & infuſionis gratiæ ſit neceſſaria ſimpliciter. Sacramentum tamen minùs integrum eſt, quando non imponitur æqualis ſatisfactio: & quò minor eſt, plus relinquit reatus pœnæ aliter ſoluendæ. Neque verum eſt quod ait Diana tomo ſecundo, tractatu quarto de Sacramentis, reſolutione nonageſima ſeptima, excuſari confeſſarios, qui leuiores pœnitentias imponunt, dummodò addant orationem illam, *Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti, & merita Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris &c.* Nam Concilium Tridentinum non ignorabat hanc orationem proferri ſolere à confeſſariis, cuius etiam tacitè, & generaliter meminit ſeſſione decima quarta, capite tertio. Et tamen aſſerit capite octauo eiuſdem ſeſſionis, debere ſacerdotes, quantùm ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, ſalutares, & conuenientes ſatisfactiones iniungere: ne ſi fortè peccatis conniueant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, alienorum peccatorum participes efficiantur.

47. Tenetur pœnitens acceptare ſatisfactionem.

Tertia pars, quâ diximus teneri pœnitentem acceptare, & implere ſatisfactionem legitimam, & prudenter iniunctam, ſequitur ex duabus prioribus. Nam poteſtas in iudice & ſuperiore ad iniungendum, & ſubiectio ac neceſſitas in inferiore ad obediendum poſito illius poteſtatis exercitio, correlatiua ſunt. Oſtendimus autem ex Tridentino, ſacerdotem velut iudicem habere poteſtatem iniungendi ſatisfactionem legitimam, & ligandi, ſiue obligandi pœnitentem per illius iniunctionem: neque tantùm poſſe, verùm etiam teneri iniungere, & alioqui peccare, ac participare peccatis pœnitentium. Quare cùm hæc duo correlatiua ſint, poteſtas iniungendi, ſeu imperandi in ſuperiore, & obediendi neceſſitas in inferiore, poſito illius poteſtatis exercitio, nec illa ſine hac poſſit vllo pacto conſiſtere, conſequens eſt obligari pœnitentem ad acceptandam & implendam ſatisfactionem legitimè, & prudenter iniunctam.

48. Confirmatur ex Tridentino.

Confirmatur, quia ex Tridentino ſuprà, poteſtas iudicialis imponendi ſatisfactiones fundatur in illis Chriſti verbis Ioannis vigeſimo, *Et quorum retinueritis*: hæc autem æquiualent illis aliis, quibus Matthæi decimo octauo, Chriſtus Apoſtolis hanc poteſtatem promiſerat, *Quæcunque alligaueritis*, &c. & Matthæi decimo ſexto, *Quodcunque ligaueris ſuper terram*, &c. Vnde claues ſacerdotum non ad ſoluendum dumtaxat, ſed & ad ligandum conceſſæ ſunt, vt ait Tridentinum ſeſſione 14. capite 8. ſub finem. Ergo ſacerdos per vſum huius poteſtatis, ligat pœnitentem. Ergo obligat, id eſt, iure ſuo adſtringit. Adde quòd Concilium Lateranenſe cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, æquè præcipit fidelibus exequutionem pœnitentiæ, ac annuam confeſſionem. Sic enim habet, vt refertur canone *Omnis vtriuſque*, Extra, *de Panit. & remiſſ.* Omnis vtriuſque ſexus &c. fideliter confiteatur proprio ſacerdoti, & iniunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reuerenter ad minùs in Paſcha Euchariſtiæ ſacramentum. Ad idem confirmãdum multa Cypriani & aliorum Patrum teſtimonia adducit Valentia quæſtione 14. de Pœnitentia, puncto quarto, columna tertia & quarta.

49. Satisfactio grauis obligat grauiter.

Cùm autem omne iuſtum præceptum in materia graui obliget grauiter, ſi pro plenitudine poteſtatis feratur: ſequitur pœnitentem grauiter obligari, quando grauis ſatisfactio prudenter, & legitimè illi imponitur. Quare grauiter peccat ſi non acceptat, vel ſi acceptatam non implet. Sin autem leuis tantùm iniungitur, vel leue quippiam de graui iniuncta prætermittitur: leuitas materiæ hic, vt in aliis præceptis, excuſabit à peccato mortali. Neque verò eſt in arbitrio & poteſtate confeſſarii obligare tantùm ſub leui culpa ob grauem pœnitentiam: aut etiam omnino non obligare, ſed per modum conſilii tantùm illam dare, vt malè aliqui exiſtimant. Quia ſacerdos non habet poteſtatem imponendi ſatisfactionem ſacramentalem, niſi per poteſtatem ligandi, quam habet tanquã iudex in hoc foro; & cum obligatione ſeruãdi, quantum poteſt, æquitatem iudicii diuini. Quare pœnitentia, quæ non ligat & obligat, non eſt ſacramentalis. Non ligat autem, ſi non eſt ex præcepto, & ex ſententia coactiua iudicis; ſed tantùm ex conſilio. Neq; ſeruatur æquitas iudicii diuini, ſi minuitur obligatio, quam ex natura ſua poſtulat quantitas ſatisfactionis debitæ. Imò illa moderatio nõ modò licitè, ſed neque validè ſubeſt arbitrio ſacerdotis: verùm, ſicut matrimonium non eſſet validũ, ſi cõtrahentes intenderẽt leuiter

tantùm & sub peccato veniali se obligare: ita satisfactio grauis non esset sacramentalis, si confessarius illam iniungens, leuiter tantùm obligare intenderet.

50. Caietan. Nauar. Vivald. Contrarium sentit Caietanus tomo 1. Opusc. tract. 6. quæst. 2. ad 2. vbi docet, non esse peccatum mortale omittere satisfactionem, si absit contemptus. Itemque Nauarrus cap. 26. Manualis n. 20. & Vivaldus in Candelabro cap. de satisfactione n. 24. qui censent poenitentē non teneri ad acceptandam poenitentiam iniunctam sub peccato mortali: cúmque tota ratio peccati pendeat ab acceptatione; non peccare mortaliter omittendo, nisi ex conscientia erronea existimet, se teneri ad acceptandam & implendam sub peccato mortali. Sed hæc verbis Tridentini & Lateran. supra relatis conformia non sunt, & vt ait Suares, non absunt à temeritate. Alii dicunt, satisfactionem iunctā ob mortalia, obligare grauiter: ob venialia, leuiter. Verùm id potiùs ex materiæ grauitate definiendū est, quæ iustas ob causas potest interdum leuis imponi pro mortalibus etiam nondum remissis: & contrà, grauis pro venialibus plurimis & frequentissimis. Quāquam hoc posterius rarò contingit. Vix enim qui plurimùm, & frequentissimè venialiter peccant, vacant mortali, in quod labuntur ex venialibus.

Soluuntur argum. cōtrariæ sententiæ.

51. Dices: sicut fuit tantùm leue committere omnes illas veniales offensas, & per eas incurrere reatum pœnæ Purgatorii: ita leue tantùm est non reparare eiusmodi offensas, vel à pœna Purgatorii non se eximere. Ergo sacerdos non potest pœnitentem ad id grauiter obligare. Ergo neque ad exequendam satisfactionem iniunctam pro huiusmodi reparatione offensæ, & liberatione pœnæ. Item sicut pœnitens non tenetur graui obligatione expiare reatum culparum venialium, per confessionem & absolutionem: ita neque expiare reatum pœnæ illis debitæ, per satisfactionem sacramentalem.

Satisfit aliis argum.

Ad primum Respondeo, licet pœnitens, per se loquendo, & extra sacramentum, non teneatur grauiter satisfacere pro venialibus, & eximere se à poenis Purgatorii propter illa subeundis: teneri tamen grauiter ad obediendum confessario in re graui pertinente ad essentiam, vel ad integritatem sacramenti. Atqui satisfactio, de qua loquimur, est grauis, id est magna: talis enim potest imponi pro quamplurimis venialibus simul sumptis: & pertinet ad integritatem sacramenti poenitentiæ: ergo &c.

52. Ad secundum Respondeo primò, nimis probare. Sequeretur enim, quòd ne veniale quidem peccaret non implendo poenitentiam iniunctam: sicut non peccaret si peccata venialia non subiiceret sacramento poenitentiæ. Secundò, dico eum, qui sua sponte venialia subiicit sacramento poenitentiæ, teneri ad præstandum quidquid ad essentiam, vel ad integritatem sacramenti necessarium est; & quidem grauiter, si materia est grauis.

Debet impleri ipsūmet opus iniunctum.

Cæterum poenitens non satisfacit, si loco poenitentiæ iniunctæ aliud opus facit, etsi longè præstantius. Tum quia, cùm non exequatur sententiam iudicis, non potest eius præcepto satisfacere: sicut non satisfacit Ecclesiæ præcepto, qui loco ieiunii ad quod obligatur, facit alia meliora: neque potest suo arbitrio hoc in alia non præcepta mutare. Tum etiam quia illud aliud opus, cùm non sit ei iniunctum virtute clauium, non potest habere rationem poenitentiæ sacramentalis.

53. Potest tamen iusta de causa poenitentia semel iniuncta in aliam mutari, siue ab eodem sacerdote, siue etiam à diuerso. Sed vt satisfactio sit sacramentalis, necessarium erit iterari confessionem apud alium sacerdotem, si ab illo mutanda est. Quia Sacerdos causâ incognitâ iudex esse non potest: neque habet potestatem iniungendi satisfactionem sacramentalem, nisi prout exercet iurisdictionem in hoc foro spiritali, præcedente legitima accusatione sibi facta. Quare non assentior Nauarro, cap. 26. Manual. num. 22. Toleto lib. 3. cap. 11. in fine, Henriq. lib. 5. cap. 22. num. 1. Vivald. Victoriæ, & aliis, quos refert & sequitur Diana tomo 1. tract. Miscellanea 1. resolut. 53. affirmantibus pœnitentiam ab vno Confessario impositam, mutari posse ab alio, non auditis peccatis, pro quibus fuit imposita. Multóque minùs probabile est posse secundum Confessarium mutare pœnitentiam extra confessionem & sacramentum pœnitentiæ. Nam Sacerdos non habet potestatem ligandi, & iniungendi satisfactionem sacramentalem, nisi exercendo iudicium, & potestatem clauium in hoc sacro tribunali. Si tamen mutatur ab eodem, qui priùs iniunxit: non est opus iterare confessionem, dummodo confusè meminerit peccatorum, pro quibus illam iniunxit. Quia cùm iudicium maneat adhuc imperfectum, donec satisfactio mandetur exequutioni: sicut potest perfici à pœnitente in ordine ad confessionem & absolutionem præteritam: ita & ab ipso Confessario, qui fuit iudex in illa causa. Quod cum Delugo disp. 25. sect. 6. num. 112. puto verum esse, siue mutatio illa fiat breui post confessionem & absolutionem, siue diu post: quamuis Suares, Sot. & alii quidam contrarium sentiant.

Quomodo potest ab alio mutari?

Delugo.

54. Objicies mutationem pœnitentiæ ab alio factam reddere mutilum prius sacramentum. Ergo est illicita. Probatur antecedens, quia satisfactio quæ iam iniungitur loco alterius, non potest esse pars illius sacramenti præteriti, cuius iste non fuit iudex: sed eius tantùm, quod nunc exercetur. Ergo prius illud sacramentum manet sine satisfactione.

Respondeo, Sacramentum poenitentiæ non esse mutilum, seu non integrum, quamuis desit satisfactio, si satisfactio non debea-

Digitized by Google

tur, aut aliunde suppleatur. Nam, vt supra diximus, satisfactio non est de integritate huius iudicii, nisi inquantum punitio Rei est necessaria iudicio. Non est autem necessaria hæc punitio, si aliunde iudex idem, aut eius successor satis prouidet: vt fit quando loco istius poenæ substituit aliam sufficientem: vel quando Princeps per indulgentias relaxat poenam debitam.

55. Potest relaxari, vt fit per Indulgentias.

Notandum autem, aliud esse loqui de mutatione: & aliud de simplici relaxatione, qualis per indulgẽtias fieri potest citra aliam confessionem. Aliud item est loqui de mutatione: & aliud de simplici interpretatione quòd poenitentia superet vires, vel prudenter imposita non fuerit. Præterea sacerdos, sicut non potest obligare ad impossibile physicè, vel moraliter: ita neque ad omnino impertinens. Et quando iniungitur satisfactio ad certam materiam determinata, quæ materia non faciat ad rem: existimandum est, materiam illam non esse essentialem, sed posse substitui aliam eiusdem ordinis. Videatur Suares disp. 38. sect. 10. & Aegid. Con. disp. 10. dub. 10. & disp. 20. de Indulgentiis dub. 3. concl. 6. vbi docet eum qui præcisè lucratur indulgentiam plenariam, liberari ab omnibus poenis iniunctis in poenam peccatorum commissorum, non in medelam: tametsi consultissimum est implere poenitentias iniunctas: tum quia incertum est, an indulgentia obtenta fuerit: tum etiam quia plerunque imponuntur in medelam, & non in poenam tantùm. Qua de re plura dicemus suo loco.

SECTIO VI.

An satisfactio iure naturali necessaria fuisset quamuis sacramentum poenitentiæ non fuisset institutum?

56. Conclusio affirmatiua

REspondeo affirmatiuè per se loquendo: ideoque ante institutionem sacramenti poenitentiæ fuisse iure naturali necessariam peccantibus tempore legis naturalis, & Mosaicæ. Ita D. Thomas in 4. dist 22. quæst. 2. art. 3. quæst. 1. ad 1. & alii plures, quos refert, & sequitur Valentia q. 14. p. 4. Probatur, quia ratio naturalis dictat Deo, non minùs quàm hominibus, satisfaciendum esse pro iniuriis ipsi factis: & poenas grauissimas futuræ vitæ redimendas esse satisfactionibus leuioribus, quæ propter applicationem meritorum Christi plurimum valent. Quare tum ex iustitia erga Deum, tum ex amore proprii boni, obligamur ad satisfaciendum Deo. Confirmatur, quia peccaret ille, qui pro parentibus defunctis, eius operâ indigentibus, vt à poenis grauissimis liberarentur, nunquam oraret. At tenetur quisque seipsum amare, præsertim in iis, quæ ad salutem pertinent, æquè, aut magis quàm proximum. Confirmatur secundò ex Scriptura, quæ etiam ante institutum sacramentum pœnitentiæ hortatur sæpius ad pœnitentiam agendam in cinere, sacco, cilicio, & eleemosynis, aliisque similibus operibus satisfactoriis & pœnalibus, Ioel. 2. Ionæ 3. Daniel. 3. Ezech. 33. Hierem. 3. 18. & 25. aliisque locis. Neque verò securior vlla via in Ecclesia Dei vnquam existimata fuit ad amouendam imminentem à Deo poenam, quàm vt hæc poenitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent, vt ait Trident. sess. 14. cap. 8. vbi loquitur de Ecclesia sumpta amplissimè, prout Ecclesiam legis Naturalis & Mosaicæ comprehendit, vt patet ex locis Scripturæ ad quæ alludit, in margine citatis. Notandum verò Scripturam omnibus ferè locis citatis non condere ius nouum, sed tantùm ius siue præceptum naturale explicare. Pulchrè etiam notauit S. Irenæus lib. 3. contra hæreses cap. 37. huius rei documentum & exemplum ab Adamo datum fuisse, cùm post peccatum, foliis ficulneis, asperioribus licet, se contexeit; postpositis aliarum arborum foliis, quæ minùs eius corpus vexare potuissent. Idemq; in omni lege à Sanctis viris intellectum, & vsitatum fuisse patet ex Sacris literis, & historiis Ecclesiasticis. Irenæus.

57. Dixi, *per se loquendo*: quia per accidens vsus Indulgentiarum causa esse potest, vt cesset hæc naturalis obligatio, materiâ eius subtractâ, id est, poenis temporalibus per eas penitùs condonatis. Quanquam, quia valde incertum est, an concurrant omnes conditiones necessariæ, præsertim ex parte nostra, vt eas perfectè lucremur, & per illas ab omni poena liberemur; existimant aliqui per illarum vsum non extingui obligationẽ, de qua loquimur, citra reuelationem, & maiorem certitudinem: Quia debitum certum non soluitur solutione incerta. Sed hac de re quid sentiendum sit, dicemus infra, disputando de Indulgentiis.

58. Suares. Mæratius.

Contra responsum sentiunt Suarez disp. 15. sect. 7. num. 5. vbi suam sententiam communem esse dicit, & pro ea citat Scotũ, Gabr. Medin. Caiet. Nauar. Dom. Sotum, Vegam, Ruard. & Cordubam: quibus accedit Mæratius disp. 35. Fundamentum Suaris est, quia tale præceptum naturale nulla ratione vel authoritate sufficienter probatur. Non ratione. Quia si cõsideretur ratio iustitiæ ad Deum: hæc non obligat Reum, vt ipsemet in seipso puniat delictũ, sed tantùm vt patienter ferat poenam à Iudice inflictam. Si verò spectetur ratio charitatis erga Deum, vel erga seipsum: neque inde oritur obligatio. Quia licet homo differat satisfactionem in aliam vitam, non propterea perdit amotem diuinum, neque beatitudinem. Et quamuis illam aliquantulum differat: non est hoc damnum irreparabile, neque adeo graue, vt obliget sub mortali. Alioqui teneremur sub mortali pro venialibus satisfacere hac in vita. Non etiã authoritate: quia nulla profertur quâ cõstet hæc obligatio naturalis:

neque enim loquitur de obligatione positiua, orta ex institutione sacramenti pœnitentiæ, quam Suares & alii plures ex citatis non negant. E contra verò Trident. sess. 14. cap. 1. postquam dixit, pœnitentiam fuisse omni tempore necessariam vniuersis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent: hanc necessitatem deinde exponens solùm ait: *Vt peruersitate abiecta, & emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur.* Et cap. 8. de satisfactione loquens, nunquam dicit esse in præcepto extra sacramentum pœnitentiæ: sed tantùm esse securiorem viam, & necessariam, non simpliciter, sed ad perfectam animæ liberationem, seu puritatem ab omni reatu peccati. Hæc Suares.

59. Soluuntur argum. in contrariũ.

Quibus Respondeo, obligationem istam satis constare, tum authoritate, locis Scripturæ supra citatis, non ius nouum statuentibus, sed naturalem obligationem explicantibus: tum etiam ratione, quia iustitia nos obligat, vt Deo satisfaciamus sine mora vituperabili. Imò & hominibus, per satisfactiones non ignominiosas, aut adeò seueras, non expectatâ sententiâ, & exequutione Iudicis. De aliis enim verum est, quod ait Suares. Amor quoque proprii boni nos obligat, vt si commodè fieri possit, mala nostra grauia, æquè ac aliena auertamus. Graue autem malum est pœna vitæ futuræ.

60. Teneamur ne liberari à venialib. ante mortem.

Addit Mæratius, ex nostra opinione sequi multa absurda. Primò, vnumquemque obligari ad procurandam remissionem omnium suorum venialium ante mortem. Secundò, iustum qui in fine vitæ peccaret venialiter per impœnitentiam, peccare speciali aliquo peccato, hoc ipso quòd pro illa satisfacere non possit hac in vita, aut saltem exponat se periculo non satisfaciendi. Tertiò, quemlibet obligari ad satisfaciendum pro tota poena restante tam ex venialibus, quàm ex mortalibus. Vnde obligarentur homines ad vitam totam in assiduis, grauibusque poenitentiis transigendam.

61. Satisfit aliis instantiis.

Ad primum Respondeo, non esse absurdum, vnumquemque ex amore proprii boni teneri, si commodè possit, procurare ante mortem remissionem omnium venialium quoad culpam & poenam, vt poenas grauiores vitæ futuræ mutet cum multò leuioribus. Ex iustitia verò erga Deum non obligatur, nisi ad satisfaciendum sine mora vituperabili, id est, non nimis longa. Potest autem si mors citò contingat, non esse vituperabilis, quamuis vltra illam differatur, vt ei succedat condigna satispassio.

62. Tenemur non incurrere voluntariè pœnas.

Ad secundum, Respondeo similiter, non esse absurdum, talem specialiter peccare contra amorem proprii boni, eo ipso quòd sciẽter & liberè incurrit poenas graues Purgatorii, à quibus nequit per huius vitæ satisfactiones se eximere, per impotentiam ortam ex propria voluntate. Non peccat tamen contra iustitiam, nisi cum mora vituperabili differat, aut exponat se periculo nimis differendi.

63. Ad tertium Respondeo, hanc obligationem esse moraliter intelligendam: & in praxi sufficere ordinariè communibus peccatoribus, vt cum sacramentalibus satisfactionibus, & ieiuniis, eleemosynis, orationibus, aliisque piis operibus ab Ecclesia, vel à Deo iunctis, atque patienti tolerantia flagellorum diuinorum, & afflictionum, conentur interdum per indulgentias supplere quod deesse potest ad satisfactionis condignitatem: nisi malint per opera supererogationis magis sibi consulere, vt faciunt non pauci magis pii & timorati.

64. Vnde oriatur illa obligatio?

Opponit denique Mæratius, obligationem naturalem, quam prætendimus, neque ex iustitia oriri, quod probat eodem argumento, quo Suares supra: neque ex charitate erga seipsum: quia, inquit, non ideo peccat quis contra charitatem erga seipsum, quòd sibi malum aliquod causet, nisi causet ex directa intentione, formalique motiuo, quatenus sibi malum est. Alioqui quando peccamus per alia peccata, peccaremus etiã speciali eo nomine, quòd nobis sumus causa grauissimi mali, nempe peccati, & poenarum æternarum.

65. Respondeo, sicut malum est, & peccatum contra charitatem erga proximum, inferre illi malum sine causa legitima, quamuis non inferamus ex directa & formali intentione, quia malum est: ita & nobis ipsis inferre. Tenemur enim diligere nos ipsos, æquè ac proximum: & mensura charitatis erga proximum, est amor rectus erga seipsum. Ostendimus autem alibi disputando de Spe, non esse absurdum, sed omnino verum, eum omnem, qui peccat mortaliter cum aduertentia proprii nocumenti, peccare etiam eo nomine contra amorem proprii boni, quòd sibi nocumentum inferat sine causa legitima.

SECTIO VII.

De effectu satisfactionis.

66. Conferatne nouam gratiam.

QVæritur primò, an satisfactio sacramẽtalis non modò tollat reatum poenæ temporalis ex peccato remisso superstitem: verùm etiam eam vim habeat, vt quando traditur exequutioni, conferat nouam gratiam ex opere operato?

S. Thom. D. Thomas p. 3. quæst. 90. art. 2. ad 2. affirmare videtur, cùm ait, satisfactionem conferre gratiam prout est in proposito, & illam augere prout est in exequutione. Loquitur enim de satisfactione sacramentali, vt patet ex toto articulo: & de efficacia ex opere operato, vt constat ex comparatione Baptismi, quam mox subiicit: & ex secundo argumento, cui respondet.

67. Pro eadem opinione hæc obiicit Suares disp. 38. sect. 2. Sacramenta nouæ legis cau-

Digitized by Google

sant gratiam. Ergo cùm satisfactio sit pars sacramenti, confert aliquid gratiæ. Secundò, si pœnitens eo tempore quo absoluitur exhiberet omnia satisfactionis opera, esset q; melius dispositus ad sacramentũ contummandũ: maiorem gratiæ effectum reciperet ex opere operato, quia sacramenta melius operantur in melius dispositis. Quamuis autem satisfactio fiat tempore post; moraliter tamen coniungitur aliis partibus, vt constituat cum illis vnum sacramentum. Quare totum illud sacramentum conferet maiorem gratiam, atque adeo aliquid gratiæ per satisfactionem infundetur, quod antea datum non erat. Tertiò, satisfactio non solùm est in vindictam & remissionem poenæ: sed & præcipuè in curationem & medicinam, ad quem effectum gratia maximè necessaria est. Quartò denique, addit authoritatem D. Thomæ loco sup. citato.

68. Respondetur negatiuè.

Contraria sententia est communis Theologorum, qui cùm hunc effectum non tribuunt satisfactioni, videntur eum non cognoscere. Expressè verò negatur à Palacio in 4. dist. 13. quæst. 1. Aegidio Con. disp. 10. dub. 10. num. 94. Delugo disp. 25. sect. 1. num. 2. Neque parum fauet D. Thomas in 4. dist. 16. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 2. ad 3. vbi satisfactioni in exequutione non tribuit effectum gratiæ, sed alium diuersum, nempe liberationem à reatu poenæ. Et quidem effectus ille non debet tribui satisfactioni sine graui fundamento, quale nullum profertur, vt ex responsis ad Suaris argumenta constabit. Contra verò, non est maior ratio, cur satisfactioni præcisè sumptæ, ac seorsim, tribuatur effectus gratiæ ex opere operato, quàm contritioni, vel attritioni, & confessioni præcisè sumptis & seorsim. Neque singulæ partes sacramentorum debent esse sacramentum, & habere singulæ effectum proprium gratiæ: sed omnes simul constituunt vnum sacramentum quod per se habet effectum gratiæ, dum perficitur essentialiter, & recipitur sine obice. Licet autem hæc sacramenti pars peculiariter fuerit instituta ad remissionem poenæ: ad hunc tamen effectum infusio gratiæ necessaria non est. Nam per missæ sacrificium poena quoque remittitur ex opere operato viuis & defunctis, pro quibus offertur; licet illis non infundatur gratia vi eiusdem sacrificii ex opere operato.

69. Soluitur 1. argum. in contrariũ.

Ad primum autem argumentum Suaris Respondeo, sacramenta nouæ legis causare gratiam per se tota indiuisibiliter, sumpta quoad essentiam. Non enim singulæ partes essentiales aut integrales habent vim partialem efficiendi gratiam ex opere operato: sed illa vis est totius essentiæ indiuisibiliter. Satisfactio autem non est tota essentia sacramenti poenitentiæ: imò ne quidem est pars essentialis, sed tantùm integralis, quatenus valet & concurrit ad plenam perfectamque peccati remissionem quoad reatum pœnæ. Et verò Trident. sess. 6. cap. 14. post medium distinguit duos effectus sacramẽti pœnitentiæ. Quorum prior est remissio poenæ æternæ cum culpa: & hunc tribuit confessioni & absolutioni sacerdotali. Posterior est remissio, aut potiùs solutio poenæ tẽporalis restantis post remissionem culpæ & pœnæ æternæ: & hunc tribuit satisfactioni sacramentali. Et sess. 14. cap. 8. & can. 12. ac 13. vbi agit de satisfactione, non alium illi effectum assignat, nisi quòd pro peccatis quoad poenam temporalem satisfaciat.

70. Diluitur secundum.

Ad secundum Respondeo verum esse id quod assumitur in prima propositione argumenti: quia sacramenta perfectiùs operantur ex opere operato in melius dispositis. Sed tunc maior ille effectus gratiæ totus datur eo instanti, quo sacramentum essentialiter perficitur: & maior est intuitu satisfactionis præcedentis, tanquam maioris dispositionis, & melioris præparationis ad absolutionem & gratiam sacramenti. Quando autem post sacramentum essentialiter peractum impletur satisfactio, non habet tunc rationem dispositionis.

71. Tertium argum.

Ad tertium Respõdeo, satisfactionem esse in curationem & medicinam, quatenus poenæ satisfactoriæ conuenienter à Sacerdotibus iniunctæ, *poenitentes magnopere & à peccato reuocant, & quasi frano quodam coercent, cautioresque & vigilantiores in futurum poenitentes efficiunt: medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus malè viuendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt*: vt ait Trident. sess. 14. cap. 8. Ipsum verò sacramentum pœnitentiæ aliter quidem constitutum est in modum curationis à morbo, vel à morte peccati: quatenus peccatum extinguit, & gratiam sanctificãtem restituit vel auget, cum iure quodam ad auxilia præuenientia conuenienti tempore conferenda, quibus in posterum ab iisdem peccatis & morbis animæ præseruemur. At quæ conueniunt toti sacramento, non propterea debent conuenire satisfactioni per se. Vnde neque illud necessarium est, quod addit Suares, dari per satisfactionem, vi illius solius, & ex opere operato, sacramentalem aliquam gratiam, id est, saltem auxilium aliquod præseruans & adiuuans ad emendanda peccata. Sufficit enim conferri hæc auxilia vi totius sacramenti essentialiter sumpti. Quanquam non est improbabile satisfactionem partialiter & integraliter concurrere ad obtinenda illa auxilia, quæ post eius exequutionem conferuntur.

72. Ad quartũ.

Ad quartum Respõdeo locum D. Thomæ à Suarę citatum intelligi posse de augmento non intensiuo, sed extensiuo quoad liberationem à reatu poenæ, quæ est quidam effectus gratiæ & perfectio illius, sicut & liberatio à reatu culpæ: iuxta ea quæ habet D. Thomas loco posteriùs citato, vbi sic ait: *Ad tertium dicendum, quòd per satisfactionem consequitur poenitens perfectum effectum gratiæ peccatum abolentis, quia liberatur totaliter à reatu peccati*: nimirum à reatu poenæ, qui

Digitized by Google

supereſt, culpâ per abſolutionem remiſſâ, & à quo toto liberatur ſi ſatisfactio perfecta ſit & adæquata. Reſponderi ſecundò poteſt, D. Thomam per ſatisfactionem in propoſito, intelligere votum ſacramenti poenitentiæ, votum inquam ſatisfactionis, non ſolius, ſed vnà cum aliis partibus ſacramenti, quale votum in contritione vel ſimili actu includitur. Et per ſatisfactionem in exequutione, intelligitur ſacramentum in re, ad cuius conſtitutionem & complementum pertinet ſatisfactio velut pars eius integralis. S. Thom. Quæ interpretatio colligitur ex iis, quæ de Baptiſmo docuit quæſt. 69. art. 4. quem ipſe locum tacitè citat: Baptiſmum ſcilicet vt eſt in voto, conferre gratiam: & vt reipſa ſuſcipitur, illam augere: & in propoſito quidem conferre ex opere operantis, in re autem ex opere operato.

73. Addo contra Suarem, ſequi ex eius opinione, quòd ille qui in ſtatu peccati mortalis pœnitentiam impleret bona fide cum attritione, iuſtificaretur: quod eſt falſum & inauditum. Probatur ſequela: Quia alia media à Chriſto inſtituta vt conferant gratiam ex opere operato, iuſtificant eos qui cũ attritione bona fide accedunt: vt Euchariſtia & alia omnia ſacramenta nouæ legis, etiam illa quæ viuorum appellantur, eò quòd per ſe requirunt ſtatum gratiæ & vitæ ſpiritalis, vt dignè & cum fructu recipiantur: quemadmodum alibi oſtendimus, Suare ipſo conſentiente.

74. Satisfactio ſacramẽtalis vim maiorem habet. Quæritur ſecundò, an ſatisfactio ſacramentalis cæteris paribus habeat vim maiorem, quàm non-ſacramentalis? Reſpondeo affirmatiuè: ita vt ad reatum poenæ tollendum ſufficiat minor ſacramentalis ſatisfactio, quàm non-ſacramentalis; ſi cætera ſint paria, & tam ille qui ſacramentalem ſoluit, quàm qui non ſacramentalem, ſit æquè Deo gratus, & æquè laboret. Ratio eſt, quia ſimiliter aliæ actiones eiuſdem ſpeciei, quando non ſunt ſacramentales, habent vim minorem. Ex gr. attritio, & confeſſio, ſi non ſunt ſacramentales, habent longè minorem vim. Sin autem ſunt ſacramentales, habent multò plus efficaciæ, ob priuilegium ſacramenti, & vberiorem applicationem meritorum Chriſti. Item, plus requiritur extra ſacramentum, quàm in ſacramento ad parem effectum: vt de dolore ad iuſtificationem diſponente docet Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. Ergo ſimiliter in genere ſatisfactionis minor ſacramentalis habet ex Dei decreto vim maiorem, quàm alia non ſacramentalis.

75. Satisfactio' duplex hac in vita. Similiter, cùm tribus modis hac in vita Deo ſatisfieri poſſit, vt colligitur ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 8. & 9. Primò, per pœnas à nobis ſponte ſuſceptas. Secundò, per poenas arbitrio Sacerdotis pro menſura delicti impoſitas. Tertiò, per flagella temporalia à Deo inflicta, patienterque à nobis tolerata: Ex quibus hic tertius modus magis accedit ad ſatispaſſionem quando flagella illa diuina vitari non poſſunt; habet nihilominus gradum aliquem ſatisfactionis quatenus à nobis laudabiliter tolerantur. eiuſque laudabilis tolerantiæ, per quam neceſſitas fit materia virtutis, habetur ratio in compenſanda iniuria diuina, & ad hunc finem acceptatur à Deo: Inter illos tres modos diſcrimen quoad efficaciam iſtud eſt, quòd ſatisfactio ſacramentalis ex priuilegio ſacramenti præcellit cæteris: ex aliis verò duobus primus poſtremo anteferendus eſt. Nã quemadmodũ poena vitæ futuræ, ſufficiens ad reatũ extinguendũ, eſt multò acerbior, quàm ea quæ hac in vita ferenda fuiſſet ad eundem effectũ per ſatisfactionẽ ſacramentalem, aut aliam ſponte ſuſceptam: ſic pœna quæ non ſponte ſuſcipitur, ſed à Deo infligitur & neceſſariò ſubitur, licet alioqui patienter toleretur, minùs valet ad ſatisfaciendum, quàm quæ ſponte ſuſcipitur. Nec mirum, quia ſatisfactio ſponte oblata à perſona acceptabili, ſolet benigniùs acceptari cum aliqua remiſſione grauioris pœnæ, quæ alioqui potuiſſet exigi: trahitque eadem ſatisfactio maiorem aliquem valorem, & moralem dignitatem à conditione perſonæ, & modo offerendi.

Dixi præterea, *cæteris paribus*: Alioqui enim tanta poteſt eſſe diſparitas, & ſatisfactio non-ſacramentalis poteſt cum tanta dilectione exhiberi, vt non minus efficiat, quàm ſacramentalis: quæ tamen hoc peculiare ſemper habet, vt quamuis exhibeatur à perſona non grata, valere poſſit & habere effectum: ſecus autem non ſacramentalis, quæ dum ſoluitur à perſona non-grata, ſine ordine ad ſacramentum, vim nullam habet, neque eſt acceptabilis, vt ſupra diximus cum communi ſententia. 76.

SECTIO VIII.

Soluuntur aliæ tres quæſtiones de effectu ſatisfactionis.

77. Tollatne ſemper omnem reatũ pœnæ. QVæritur tertiò, an ſatisfactio impoſita à Confeſſario tollat ſemper quando impletur omnem reatum poenæ ſuperſtitem ex culpa remiſſa? Reſpondeo negatiuè. Et quidem ſi Sacerdos propter impotentiam poenitentis, aut alia de cauſa imponit eam quam iudicat eſſe inæqualem: non eſt ratio legitima dubitandi, an talis ſatisfactio extinguat omnem reatum poenæ. Et ex oppoſito ſequeretur leuiſſimam poenitentiam, quam Confeſſarius prudenter imponit moribundo, quia maiorem præſtare non poteſt, ipſum liberare ab omni poena, quam pro innumeris grauiſſimiſque peccatis totâ vitâ meruerit. Et quoſcunque impletâ pœnitentiâ tunc prudenter iniunctâ morientes, quod fere omnes Chriſtiani faciunt, eſſe liberos à poenis Purgatorii: quod eſt abſurdum, & contra ſenſum Eccleſiæ.

Digitized by Google

78. At verò, quando Confeſſarius imponit eam, quam prudenter æqualem eſſe iudicat, dubitari poteſt num ſufficiat. Affirmant Scotus in 4. diſt. 19. quæſt. 1. § *Ad quæſtionem motam*: Gabr. ibidem art. 1. notab. 5. Maior diſt. 20. quæſt. 1. initio, Sot. quæſt. 2. art 3. & Medin. Codice de confeſſione, tract. 2. quæſt. 43. *De effectu pœnitentiæ iniunctæ.* Fundamentum eorum eſt, quia Deus mutat pœnam debitam peccatis in ſatisfactionem quæ iniungitur à Sacerdote iuxta prudens ipſius iudicium. Ergo dummodo ipſe imponat, quantam prudenter ſufficere iudicat, Deus ea contentus eſt: & ſi pœnitens eam exequatur, Deus ab illo nihil amplius exiget. Eſt enim Sacerdos iudex arbitrarius: ideoque id quod ipſe prudenter iudicat, debet ratum haberi.

Scotus. Gabriel. Maior. Sotus. Medina.

79. Contraria tamen ſententia tenenda eſt cũ D. Thoma in 4. diſt. 18. quæſt. 1. art. vlt. Suare, Vaſq. Cõn. Delugo, & aliis recentioribus. Ratio eſt, quia ſacramenta non operantur ex falſa præſumptione: ſed ex rei veritate, & poſitis iis quæ à Deo inſtituta ſunt. Quemadmodum ergo non ſufficeret ad delendum reatum culpæ attritio vel confeſſio præſumpta: ita neque ſatisfactio æqualis præſumpta ſufficit ad delendum totum reatum pœnæ. Dico igitur cum communi ſententia ſatisfactionem illam, ſi eſt æqualis pœnæ reſtanti ex culpa remiſſa, cuius menſuram Deus nouit, extinguere omnem reatum pœnæ. Si autem eſt inæqualis per defectum, vt eſſe ſolet: tantum extinguere pœnæ, quantum ipſi cum toto ſuo valore reſpondet, æquali proportione. Eſt autem diuiſibilis poena quæ reſtat ex culpa remiſſa, & poteſt per partes extingui.

Quid ſi Confeſſarius videatur æqualis?

80. Ad fundamentum aduerſariorum reſpondeo, Deum commutare pœnam debitam peccatis cum ſatisfactione iniuncta prudenter à Sacerdote, ſi illa eſt æqualis menſuræ diuinæ iuſtitiæ. Sin minùs, Deus reſeruat ſibi id quod deeſt ad æqualitatem. Et quẽadmodum ſi quis accederet ad ſacramentum pœnitentiæ verè indiſpoſitus, defectu ſufficientis doloris, & propoſiti non amplius peccandi; ille non eſſet abſolutus à peccatis, quamuis Sacerdos iudicaret prudenter illum eſſe diſpoſitum: ita licet prudenter iudicet quantum poteſt, ſufficere hanc pœnam, quam iniungit: non propterea pœnitens eſt abſolutus & liber ab omni pœna, ſi illa, quam imponit, non adæquat reipſa menſuram, quam Deus requirit, vt ſit liber ab omni alia poena.

Soluuntur argum. partis affirmãtis.

81. Obiicies diſpenſationem in voto aut in iuramento validam eſſe, dummodo Pontifex diſpenſans prudenter iudicet eam ſufficere: neque errore cognito neceſſe eſt petere iterum diſpenſationem. Similiterque conceſſio in dulgentiarum valida eſt, quamuis nõ ſubſit cauſa ſufficiens, modò Pontifex illas concedens, prudenter iudicet ſubeſſe. Ergo de ſatisfactione idem ſentiendum eſt, cuius prudens arbitrium debuit æquè committi Sacerdoti.

Reſpondeo negando antecedens. Nam de voto, & iuramento contrarium oſtendimus. 2. 2. diſp. 38. & 39. De indulgentiis verò idem dicemus inferiùs diſp. 63. ſect. 7 Aliud autem eſt valere diſpenſationem, quamuis non ſit cauſa ſufficiens interpretandi tantùm non valere votum aut iuramentum in tali caſu: quod verum eſſe diximus loco cit. Et aliud, valere diſpenſationem, quamuis non ſit cauſa ſufficiens diſpendandi, ſeu relaxandi nomine Dei votum aut iuramentum: quod negamus. Aliud item eſt valere indulgentiam, claui licet errante, ad tantum pœnæ relaxandum, quantum fert proportio cauſæ: quod verum eſt. Et aliud, valere ad totum, & eſſe plenariam ſine cauſa ſufficiente: quod negamus.

82. Quæritur quartò, an ſatisfactio maiorem habeat effectum ratione melioris diſpoſitionis eius qui ſatisfacit, non modò quando acceptauit ſatisfactionem, ſed etiam quando actu ſatisfacit? Reſpondeo affirmatiuè. Ratio eſt, quia ſacramenta meliùs operantur in meliùs diſpoſitis, habitâ etiam ratione diſpoſitionis, quæ tunc eſt, quando actu recipiuntur. Ergo ſicut contritio, confeſſio, & abſolutio, plus gratiæ conferunt ratione melioris diſpoſitionis: ita ſatisfactio plus pœnæ remittit ob meliorem diſpoſitionem ſatisfacientis. Eademque de cauſa maior & melior eſt ſatisfactio, & plus pœnæ tollit vi ſua, quò ſatisfaciens plus habet gratiæ, quando ſatisfacit. Quia eius ſubiectio, & humiliatio, ac pœna, eſt magis æſtimabilis. Sicut inter homines pluris fit poena exilii viri Principis, quàm flagellatio plebeii.

Satisfactio plus operatur in meliùs diſpoſito.

83. Quando autem dicimus ſatisfactionem ſacramentalem minus pœnæ relinquere, quàm non-ſacramentalem: & inter non-ſacramentales, illam quæ maior & melior eſt, magis reatum pœnæ minuere: non intelligimus, Deum remittendo culpam remittere ſimul poenam æternam, reſeruatâ certâ menſurâ pœnæ temporalis: eodemque inſtanti minuere aliquid illius poenæ, intuitu ſatisfactionis ſacramentalis aut non-ſacramentalis, & eo ſenſu relinqui minorem reatum poenæ temporalis. Hoc enim euidenter implicat. Quia ſic pars illa poenæ, quæ tollitur per ſatisfactionem, eſſet eodem inſtanti debita & non debita. Debita quidem, quia à Deo impoſita & reſeruata: & non debita, quia per ſatisfactionem remiſſa vel extincta. Sed ſenſus eſt, quòd tantò minor eſt poena temporalis, in quam Deus mutat æternam: quantò maior aut melior eſt ſatisfactio, in quam mutat poenam æternam ex toto vel ex parte.

84. Quæritur quintò, an actus externus augeat ſatisfactionem, ſupra actum internum: ita vt qui ieiunat v. g magis ſatisfaciat, quàm ille qui tantùm vult efficaciter ieiunare & non poteſt, quamuis habeat parem

Actus externus auget ſatisfactionem.

affectum internum?

Reſpondeo affirmatiuè, cum Dominic. Soto. in 4. diſt. 19. q. 2. art. 1. Suare diſp. 37. ſect. 5. Aegid. Con. diſp. 10. dub. 4. num. 26. Delug. diſp. 24. ſect. 4. num. 45. & aliis recentioribus communiter. Probatur primò ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 8. vbi ait nos Deo ſatisfacere per externa flagella patienter tolerata, id eſt, per ipſas afflictiones, & non ſolùm per internum actum patientiæ. Probatur ſecundò, quia æquitas ſatisfactionis in eo fundatur, quòd æquum aut conueniens ſit, eum à iudice non caſtigari, qui ſeipſum iam voluntariè caſtigauit. At caſtigatio non conſiſtit ſolùm in actu interno patientiæ, vel in affectu caſtigandi ſeipſum: ſed & in ipſa afflictione. Vnde qui voluit tantùm ieiunare aut humi cubare, ſed impeditus fuit ne id faceret: non adeo ſeipſum caſtigauit & afflixit, atque is qui reipſa ieiunauit, aut humi cubauit, habuitque parem affectum internum voluntatis cum altero qui ſolummodo voluit. Sique alicui iniuncta fuit à confeſſario humicubatio, & ille dormiens in molli lectulo collocetur, ſine dubio non ſatisfecit: tametſi habuit efficacem voluntatem humicubandi, & parem illi quem ſequitur humicubatio.

85. Delugo

Vnde infero cum Delugo loco cit. num. 48. non eſſe neceſſarium vt actus & affectus internus, ex quo caſtigatio redditur humana & voluntaria, adeoque ſatisfactoria, duret actu quandiu durat actus externus: ſed ſufficit vt iſte vi illius poſitus ſit, & ex illo ſequatur morali quodam aut connaturali modo: ita vt homo vi illius actus interni præteriti cenſeatur verè adhuc ſeipſum caſtigare.

Objicies, meritum non creſcere ex actu externo, quippe qui nullam addit libertatè formalem, & imputabilitatem actui interno. Ergo ſatisfactio non creſcit ex caſtigatione externa æquè non libera formaliter, ſed neceſſariò ſequente vi actus interni.

86. Non eſt par ratio de merito.

Reſpondeo negando paritatem. Ratio eſt, quia dignitas meriti in eo conſiſtit, quòd quis laudabiliter ſe gerat. Eſt enim præmium merces virtutis & laudabilis operationis. Non creſcit autem laudabilitas & imputabilitas moralis operis ex actu externo, vt ſuppono ex dictis ſuo loco. At verò æquitas ſatisfactionis pœnalis in eo conſiſtit, quòd Reus voluntariè ſeipſum caſtiget, aut patienter acceptet & ferat caſtigationem. Caſtigatio autem voluntaria non eſt ſolus affectus internus ſe caſtigandi: ſed & afflictio ſeu pœna externa voluntariè ſuſcepta, vel acceptata. Ideóque ſatisfactio creſcit illius aduentu & adiunctione ad affectum internum. Confirmatur, quia ſatisfactio ſe habet per modum ſolutionis ius læſum reparantis. In ſolutione autem habetur ratio ipſius pretii quod actu exhibetur.

Vide tom. 2. diſp. 13. ſect. 3. & ſeq.

SECTIO IX.

Vtrum defectus ſatisfactionis ſuppleri poſsit per ſatiſpaſſionem?

87. CErtum eſt ſuppleri poſſe per ſatiſpaſſionem perſonæ Deo gratæ, cui culpa iam remiſſa fuit. Sed difficultas eſt, an ſuppleri poſſit per ſatiſpaſſionem etiam à perſona non grata: adeo vt exiſtens in peccato mortali, & præſertim damnatus, poſſit ſatiſpati pro pœna temporali ex peccatis remiſſis reſtante.

Negant nonnulli. Primò, quia omnis remiſſio pœnæ, aut culpæ, eſt actus gratiæ omnino indebitæ illi, qui in peccato perſeuerat: & quæ nullo modo confertur damnatis, cùm in inferno nulla ſit redemptio. Secundò, quia apud Deum nulla pœna valet ad expiandum delictum aut reatum pœnæ, niſi voluntariè acceptetur à Deo. Cùm autem Deus peccatorem puniat, non tam ad terrorem aliorum, quàm vt ipſum compellat ad ſalutarem conuerſionem à peccato ad gratiam: hinc fit, vt quamdiu peccator ad Deum non conuertitur, per vllam pœnarum perpeſſionem, nihil reatus pœnæ ipſi minuatur: quia non acceptatur à Deo. Tertiò, quia alioqui pœnæ huius vitæ, licet cum ſumma impatientia toleratæ, valerent ad minuendum reatum pœnæ temporalis: quod abſurdum eſt, parumque conſonans Tridentino ſeſſ. 14. cap. 9. vbi ad ſatisfaciendum per flagella à Deo inflicta requirit veluti conditionem neceſſariam, vt patienter ea tolerentur. Hanc opinionem vt probabilem ſupponit Suarez diſp. 13. ſect. 2. num. 4. pro eademque citantur D. Thomas in 4. diſt. 15. quæſt. 1. articulo 3. quæſtiunc. 2. Durand. ibidem quæſt. 2. & alii, qui fere omnes loquuntur tantùm de ſatisfactione, de qua ſermo in præſenti non eſt: ſed de ſatiſpaſſione quæ non parum ab illa differt. Apertè verò illam docent Vaſquez 1. 2. diſp. 141. cap. 2. Salas ibidem tract. 13. diſp. 15. ſect. 11. Valentia diſput. 7. quæſt. 14. punct. 3. Delugo diſp. 10. de Poenit. ſect. 2. & alii recentiores.

Suppleatur ſatiſpaſſio perſonæ non gratæ

88. Contraria & vera ſententia eſt D. Thomæ in 4. diſt. 22. quæſt. 1. art. 1. ad 5. Scoti diſt. 15. quæſt. 1. §. *De quarto*, Maironis diſt. 21. quæſt. 2. Gabr. diſt. 16. quæſt. 2. art. 3. corollar. 2. Maior. diſt. 21. quæſt. 1. Almaini ibidem, Nauar. de Poenit. diſt. 6. cap. 1. num. 46. Andreæ Vegæ lib. 14. in Trident. cap. 16. Ioan. Med. tract. 3. de Poenit. quæſt. 2. §. *Corollariè ſequitur*. Bellarmini libro 4. de Poenitent. cap. 1. §. *Rurſus aduertendum*, & Aegid. Con. diſput. 10. de Poenit. dub. 5. num. 39. Qui docent exiſtentem in peccato mortali, ſiue hîc, ſiue in inferno, poſſe ſatiſpati pro reatu poenæ temporalis ex culpa remiſſa reſtante, per eas

Digitized by Google

pœnas quas Deus ad illius punitionem directè infligit.

Probatur sufficere.

Probant primò, quia iustitia vindicatiua nihil aliud exigit, quàm vt reus tantam pœnam à Iudice sibi inflictam patiatur, quantus est ipsius reatus, siue quantæ pœnæ ipse adhuc reus est. Deus autem in puniendis peccatis damnatorum non plus exigit pœnæ, quàm iustitiæ vindicatiuæ sit satis, propter cuius æquitatem punit Deus peccata in altera vita, vt inter Aduersarios fatetur Suares disp. 48. sect. 2. num. 15. Sit ergo aliquis, cui pro peccato remisso restet pœna decem annorum intensa vt sex. Potuit Deus illam directè ad puniendum tale peccatum infligere, sicut de facto damnatis infligit. Ergo poterit ille pro peccato suo tantum pati, quantum iustitia exigebat eum pati, quod est satispati.

89. Deinde, ex contraria sententia sequeretur Deum punire vltra condignum: siquidem pro poena finita & temporali, infligeret æternam. Quando enim peccatum mortale remittitur quoad culpam, remittitur pariter quoad poenam æternam, vel simpliciter & purè, vel cum aliqua commutatione in poenam temporalem. Quare non potest ampliùs pro illo exigi poena æterna, nisi Deus punire velit vltra debitum, vel reuocare dimissionem poenæ æternæ factam in iustificatione, quod non facit. Et hoc argumentum magis vrget circa peccata venialia, si ex. gr. supponamus aliquem sæpius peccasse venialiter, & remissis omnibus culpis, ei solùm restare aliquas poenas temporales soluendas: ac deinde antequam satisfecerit, peccare mortaliter, & in eo statu decedere. Talis enim non videtur pro illis venialibus præcisè puniri posse poena æterna, nisi puniatur vltra condignum. Peccata enim venialia, maximè verò iam remissa, non sunt digna poenâ æternâ. Imò, licet remissa non sint quoad culpam, non possunt puniri poenâ æternâ, nisi puniantur supra condignum. Quare pro illis quoque possunt damnati satispati, id est, tantum poenæ ferre, quantum merentur.

90. Responsio communis Suaris & aliorum est, poenam æternam peccati mortalis, quando illud remittitur, non mutari in temporalem absolutè, sed in temporalem amicabilem & gratam, quæ scilicet à persona grata & amica soluatur: & alioqui tamdiu quis indignè patiatur, quamdiu dignè non satisfecerit. Peccatum autem veniale, quamuis per se non sit dignum poenâ æternâ: per accidens tamen ob coniunctionem peccati mortalis esse dignum illâ.

Refellitur suasio. Verum hæc commutatio conditionata sine fundamento asseritur. Et conditio pœnæ gratæ & amicabilis, hoc est, à persona grata & amica soluendæ, est impertinens ad iustitiam vindicatiuam, pro qua tamen præcisè peccata puniri in altera vita fatetur Suares disp. 48. sect. 2. num. 15. Peccatum autem veniale, non obstante coniunctione cum mortali, veniale semper est, & leuis ac finitæ malitiæ. Ideóque indignum poena infinita, qualis est poena æterna quantumuis remissa. Quare non placet quod respondet vnus ex authoribus supra citatis. Desiit attemperare poenam illam æternam peccati venialis, vt reipsa non excedat in morali æstimatione poenam temporalem, quam alias pateretur. Potest enim, inquit, adeo esse remissa illa æterna poena, vt æquiualeat poenæ intensissimæ vnius anni.

Ad quod dico, esse impossibile poenam æternam, quæ infinita est, quantumuis sit remissa, esse æqualem vlli poenæ temporali, quantumuis intensæ: nisi talis intensio reddat poenam illam moraliter infinitam. Atqui si est moraliter infinita, excedit meritum peccati venialis, quod moraliter finitum est. Ergo peccatum veniale punitur supra condignum. Addo modum illum explicandi æternitatem poenæ pro venialibus, aut mortalibus remisis, esse minùs consentaneum communi sensui fidelium, & singularem istius authoris. 91. Puniantur ne venialia pœna æterna in inferno?

Ideóque vt alterum tueatur, ait paulò post, poenam temporalem peccati venialis, aut mortalis remissi, manentem semper eandem, eiusdemq; intensionis & grauitatis, fieri de temporali æternam in damnatis, eò quòd damnati, ratione suæ obstinationis in malo, perstiterint semper in affectu positiuo & actuali ad eadem peccata. Poena verò temporalis de se tendit ad correctionem Rei, vt meliùs & firmiùs resipiscat: neque debet desinere, si ipse non emendetur, sed perstet semper in peccato & affectu suo malo.

Sed contra: primò, si puniuntur damnati propter illum affectum malum: ergo non puniuntur solùm ob peccata commissa in hac vita: sed etiam ob peccata facta in statu damnationis: quod est falsum. Sin autem puniuntur solùm ob peccata commissa in hac vita: non debent soluere plus poenæ, quàm debeatur pro illis peccatis. Non debetur autem nisi poena finita pro venialibus, aut mortalibus iam remissis: quia non debetur nisi illa, quæ est proportionata venialibus, aut quæ restat post remissionem factam mortalibus. Secundò non est verum poenas damnatorum tendere de se ad correctionem: cum sint incorrigibiles, & obstinati in malo, defectu auxilii ad salutarem conuersionem necessarii. Retractationem verò naturalem nunquam eos habere falsum esse ostendimus 1. parte disputando de obstinatione Dæmonum. Sed illam Deus non intendit per poenas, nec propter illam poenas minuit. Quare cum poenæ illæ sint tantùm in vindictam & satisfactionem iuris diuini læsi; non plus debent pati, quam iustitia exigat, quidquid sit de emendatione Rei. 92. *Vide tomi 1. disp. 44. sect. 6.*

93. Duo verò hic obseruanda sunt. Primò, vt quis possit pro aliquo reatu satispati, debere pati poenam à Iudice in punitionem illius peccati inflictam. Quare si poena vel Poenæ quæ satispariuntur debent imponi à Iudice.

aliunde illi accidat, vel à Deo in alium finem infligatur: non poterit per eam satispati. Quia satispassio supponit peccati punitionem: neque tantum à Reo pendet, sed ab offenso, vel à Iudice præcipuè. Pœna autem quæ non infligeretur ad peccatum puniendum, non haberet rationem punitionis formaliter respectu illius. Secundò, vt iustitiæ vindicatiuæ satisfiat, non esse opus satisfieri amicitiæ: sed posse alteram fine altera resarciri: & posse reddi quod exigit iustitia vindicatiua ratione iuris læsi, tametsi non reddatur id quod exigeret lex amicitiæ, ratione ipsius amicitiæ violatæ. Vt si quis à Iudice comprehensus, tantum poenæ subire cogatur inuitus, quantum ipse iniuriæ in alterum intulit: satisfiet sine dubio per supplicium illud iustitiæ: neque tamen inter eos amicitia restaurabitur, quæ inter inuitos esse nequit: neque illi satisfiet, quippe quæ aliud exigit, quàm iustitia præcisè. Contra verò, si quis adeo grauiter alterum læserit, vt non possit nisi longo tempore iniuriam compensare: is quidem poterit vel precibus, vel actibus amoris, & similibus, citò veniam obtinere, atque in gratiam eius redire, & facere quiquid exigebat violatio amicitiæ præcisè sumptæ: Deinde tamen suo tempore satisfacere integrè pro iniuria, vel satispati tenebitur. Sic Aegidius Conink disp. 10. dub. 1. num. 3. & dub. 5. num. 41. & Bellarm. lib. 4. de Pœnit. cap. 1.

Potest satisfieri iustitiæ, non satisfaciendo amicitiæ.

94. Ad primum autem argumentum contrariæ opinionis Respondeo cum D. Tho. in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 1. ad 5. satispassionem non esse remissionem. Nam satispatienti omnino nulla poena remittitur, sed omnes ad vltimam persoluit. Vt si ei qui præcisè meruit centum plagas, totidem infligantur, iisque acceptis dimittatur liber: nemo iure dicat quicquam poenarum illi remissum esse.

Solvuntur argumenta contraria.

Ad secundum Respondeo, Deum acceptare poenam hoc ipso quòd illam in punitionem infligit. Neque verò punit animas corpore solutas, vt ad se conuertantur. Cùm, si damnatæ sunt, impossibile sit conuerti. Sin autem sunt in Purgatorio, conuersæ iam sint, & quidem perfectissimè, ac ne quidem in peccato veniali aliquandiu hæreant, sed quamcelerrimè de illo conterantur, cuius tam graues poenas sentiunt.

95. Ad tertium, Nego id esse absurdum, si poenæ illæ diuinitus infligantur peccatori directè in peccati punitionem: & non tantùm ad terrorem aliorum, vel ad ipsius conuersionem, aut alium finem. Tametsi ille, sicut per suam impatientiam, nouam contrahit culpam: ita & nouum reatum poenæ nouo peccato respondentem. Tridentinum autem cap. cit. loquitur de satisfactione, ad quam plura necessaria sunt, quàm ad satispassionem, vt patet ex dictis sect. 2.

Delugo.

Obiicit Delugo disp. 10. de Poenitentia sect. 2. num. 34. nostram sententiam videri esse contra communem fidelium sensum, qui acerbitatem poenarum inferni concipiunt cum perpetuitate in eodem tenore, sine vlla spe refrigerii, aut diminutionis. Quod, inquit, videtur colligi ex cap. vltimo Isaiæ, & Marci 9. vbi de damnatis sic dicitur: *Vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguitur.* Extingueretur autem magna fortasse ex parte: iuxta nostram sententiam. Neque verum esset quod prædicatur à fidelibus, & asseritur ab Augustino in psal. 105. columna 2. Nullius damnatorum poenam mitigari: quandoquidem vnam stillam dies ille non meruit.

August.

Respondeo, Scripturam, & D. Augustinum locis cit. loqui de damnatis quâ talibus: & de poena quæ per se est poena inferni, & damnatorum: cuiusmodi solùm est poena debita mortalibus non remissis: non autem de poena quæ per accidens tantùm luitur à damnatis in inferno: cuiusmodi est poena debita venialibus, aut etiam mortalibus iam remissis. Eodemque modo loqui debent fideles illi, quando prædicant perpetuitatem poenarum cum eodem tenore. Alius verò sensus intentus à Delugo, non est communis fidelium: cùm multi & graues Theologi supra citati contrarium sentiant & doceant.

96.

SECTIO X.

Vtrum satisfactio debeat impleri necessariò ante absolutionem?

97. Affirmant noui Dogmatistæ, qui dicunt necessarium esse secundum Christi ordinationem, SS. Patrum traditione, & duodecim sæculorum vsu nobis declaratam, impleri totam satisfactionem peccatis nostris proportionatam, priusquam Sacerdotalem absolutionem obtineamus, neque aliter posse validè obtineri. Fundamentum præcipuum illorum est, quia Sacerdotalis absolutio non est vera peccatorum remissio, sed canonica tantùm reconciliatio cum Ecclesia, & declaratio authentica quòd peccata fuerint à Deo remissa virtute contritionis, & poenitentiæ, id est, satisfactionis conuenientis, iam impletæ. Loquuntur autem de peccatis mortalibus. Nam confessionem sacramentalem venialium improbare videntur: & nomine poenitentiæ, publicam, ac solemnem intelligunt, quam pro singulis peccatis mortalibus, etiam occultis, & internis, vsurpatam olim fuisse, & necessariò vsurpandam esse docent pluribus locis, quidquid alibi subdolè, fraudulenterque dissimulent.

Sententia affirmans.

98. Ad id verò abutuntur his præcipuè SS. Patrum testimoniis. Primò, adducunt verba Innocentii I. epist. 1. Decretali cap. 7. quæ sic habent: *Cæterùm de pondere æstimando delictorum Sacerdotis est iudicare, vt attendat ad confessionem poenitentis, & ad lacrymas corrigentis*

gentis: ac tum iubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem. Ex quibus verbis, inquiunt, perspicuè liquet ordinem, quem iuxta regulas ab hoc Pontifice supremo toti Ecclesiæ datas, & à perpetua eiusdem Ecclesiæ traditione acceptas, seruare debent Sacerdotes in vsu potestatis sibi à Christo concessæ ad ligandum, & soluendum, hunc esse, vt non absoluant peccatores, nisi postquam in lacrymis, & gemitibus aliquamdiu versati fuerint, & pœnitentiam suorum peccatorum qualitati proportionatam expleuerint.

99. Secundum argum.

Addunt 2. illud S. Leonis epist. 91. ad Theodorum Foroiulienſem Episcopum: *Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent; & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent.* Vbi notant 1. Sanctum illum Doctorem loqui generaliter de remedio necessario ad spem vitæ æternæ reparandam post violatum donum regenerationis, iuxta illa eius verba immediatè præcedētia: *Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subuenit humanis, vt non solum per Baptismi gratiam, sed etiam per Pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ. Vt qui regenerationis donum violassent, proprio se iudicio condemnantes, ad remissionem criminum peruenirent. Sic diuinæ bonitatis præsidiis ordinatis, vt indulgentia, nisi supplicationibus sacerdotū nequeat obtineri.* Quare hîc locum non habet friuola distinctio peccatorum in occulta, & publica: communia, vel enormia. Notant 2. sanctum illum Pontificē docere ordinem à Christo institutū ad peccatores in participationem mysteriorum diuinorum introducendos, hunc esse, vt postquam de peccatis cōfessi fuerint, ea purgare satagant, & expiare fructibus pœnitentiæ, & satisfactionis operibus à Sacerdote impositę, eorum magnitudini, & multitudini proportionatæ, vt postea per absolutionem sacerdotalem reconcilientur, & consequenter ad cōmunionem Eucharisticā admittantur. Et verò, inquiunt, ordo iustitiæ diuinæ postulat, vt peccata contra Deum commissa expientur conuenienti satisfactione: ordo autē sapientiæ exigit vt hæc satisfactio interponatur inter dolorem de peccatis, & absolutionem sacerdotis. Sicut etiam ratio naturalis, & experientia docet fieri in ciuilibus offensis contra homines cōmissis: pro quibus non prætenditur recōciliatio, nisi priùs pro realibus offensis, aut personalibus satisfactum sit. Cōfirmatur, quia satisfactio est pars materialis sacramenti Pœnitentiæ, & absolutio est forma illius. Atqui materia debet necessariò præsupponi formæ. Ergo satisfactio debet necessariò præsupponi absolutioni.

100. Tertium argum.

Addunt 3. Ecclesiam adeo parui fecisse absolutiones datas non præuia tali satisfactione, vt plusquam trecentis annis noluerit ministerium reconciliationis exercere erga eos peccatores, qui illud tantùm implorarent in articulo mortis, post vitam integrā, in vitiis & peccatis exactam: idque etiam eo tēpore, quo rigori, & inhumanitati Nouatianorum sese opponebat. Ad quod confirmandum adducunt testimonium Cypriani epist. 52. ad Antonianum, & Concilii Arelat. 1. can. 23. Ac licet, inquiunt, Ecclesia veterem illum rigorem postea relaxauerit: semper tamen in ea sententia perstitit, vt has reconciliationes præcipitatas & præposteras, parum esse tutas existimauerit: & si cogente necessitate ad communionem moribūdos admitteret, nondum salutari satisfactione purgatos, eos relinqueret Dei misericordiæ, nulla eis spe data (quam neque dare poterat) Christum in cœlis ratum habiturum id, quod eius ministri in terris necessitate tantùm, & vi quodāmodo adacti fecissent. Quod confirmant auctoritate D. Augustini lib. 50. homiliarum, Homil. 41. *si quis*, inquit, *positus in vltima necessitate ægritudinis suæ voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur; & hinc vadit: fateor vobis, non illi negamus quod petit: sed non præsumimus quod bene exit, &c. Agens pœnitētiam ad vltimum, & reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus.* Et serm. 57. de Temp. *Parum est peccatorem pœnitere, nisi pœnitentiam peregerit. Ad emendanda enim crimina vox pœnitentis sola non sufficit. Nam in satisfactione ingentium peccatorum non verba tantùm, sed opera quæruntur. Datur quidem in extremis pœnitentia, quia non potest denegari: sed auctores tamen esse non possumus quòd qui sic petierit, mereatur absolui, &c. Et ideo pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma est. Pœnitentia quæ à moriente tantum petitur, timeo ne ipsa moriatur.*

101. Quartum argum.

Et denique, inquiunt, vt clariùs liqueat quàm parui fecerit Ecclesia huiusmodi absolutionem, & cōmunionem, quam fructus pœnitētiæ non præcessissent, id est, opera satisfactoria condigna, & offensis proportionata: quotiescunque aliquis ab extremo vitæ periculo, in quo sic absolutus fuerat, ad valetudinem redibat: eodē planè loco illum habebat, ac si nunquam absolutionem obtinuisset: pro nihilo scilicet habens huiusmodi reconciliationem, non nisi vi extortam, & contra ordinem sacrorum Canonum. Illos, inquam, habebat in numero peccatorum, quibus necessarium esset flectere Dei misericordiam per opera pœnitentiæ: nec vllū discrimen ponebat inter illos, & reliquos pœnitētes, qui remissionem peccatorum nondum obtinuerāt; sed eos æquè obligabat vt lacrymis, aliisque modis sua crimina expiarēt, diuque à corpore Christi separati manerent: neque se verè crederent absolutos, donec publicè, & in facie Ecclesiæ, per impositionē manuum Episcopi vnà cum aliis pœnitentibus absoluerentur: vt liquet ex Concilio Carthagin. IV can. 76. & 78. & Arausicano I. can. 3.

102.

Tanta verò exaggeratione vtuntur ad adstruendā necessitatem publicæ pœnitētiæ, & satisfactionis à sacerdotibus iniūctę, vt nullā aliā valere, & acceptari à Deo pro peccatorū,

expiatione docere videantur. Sic enim scribit vnus illorum in præfatione libri de Frequenti communione, & publica pœnitentia, pag. 41. *Omnes Patres vnanimi consensu docent pœnitentias, nisi à sacerdotibus imponantur, non esse, quales à Deo pro expiatione peccatorum exiguntur.* Tanti etiam faciunt opera illa pœnitentiæ publicæ, vt dicant internum dolorem de peccatis posse per ea suppleri, & sufficere sacerdoti, cui etiam magis nota sunt, quàm interna contritio.

103. Sententia prædicta est erronea & Ecclesiæ iniuriosa.

Verùm hæc doctrina temeritatis, & erroris plena est. Primò, quia ex ea sequeretur errasse totam Ecclesiam contra intentionem, & institutionem Christi, traditionem SS. Patrum, leges iustitiæ & sapientiæ, & rationem ipsam naturalem: quandoquidem, vt ipsimet fatentur, iam à quatuor aut quinque sæculis methodũ illam reconciliandi peccatores obseruare desiit. Errasse, inquam, in modo celebrandi vnũ de præcipuis Ecclesiæ sacramẽtis, & administrãdi alterum omnium nobilissimum: ac loco sacramenti Pœnit. merum illius figmentũ, & sacrilegium substituisse: & peccatores sine remedio necessario ad ipẽ salutis, & reconciliationẽ post donum regenerationis amissum reliquisse. Quod sine ingẽti temeritate, Ecclesiæ supra modum iniuriosa, imò nec sine errore manifesto dici potest: cũ in cap. *Ad abolendam, de Hæreticis*, anathematizẽtur qui dicunt Ecclesiam in sacramentorũ administratione errare posse: quiq; de illis *aliter sentire, ac docere non metuunt, quam Sacrosancta Rom. Ecclesia prædicat, & obseruat.* Et à Sixto IV. an. 1478. damnata fuerit hæc propositio Pet. Oxomensis, *Quòd non sunt absoluẽdi pœnitẽtes, nisi peracta prius pœnitentia eis iniuncta.* Ac deniq; superiore anno 1644. die 18. Iunii Facultas Sorbonica in censura libri Theoph. Brachet, cui titulus, *Verax Paci ficus*, affirmauerit, dicere executionem pœnitẽtiæ, seu satisfactionis iniũctæ, necessariò ex institutione Christi, ac inuiolabili sacramenti natura, ita prærequiri absolutioni, vt alioquin absolutio nõ sit valida, nisi huiusmod satisfactio priùs completa fuerit, *Temerariũ esse, hæreticũ, & à Sixto IV. cõtra Pet. de Osma, illiusq; sequaces prædamnatum.* Ibidemque pronunciatur temerarium esse, atq; erroneum & hæreticum, damnare disciplinã & consuetudinem ecclesiast. ab omnibus catholicæ communionis Ecclesiis receptam, quantumcunq; diuturnam, tanquam abusiuam, & institutioni Christi, atque Euangelicæ doctrinæ contrariam: & negare auctoritatem penes Ecclesiã esse condendi nouas leges, & aliud statuẽdi, quàm quod Apostoli instituerunt, circa ea, quę ad regimen ecclesiasticũ, siue quæ ad cultum diuinum, Officium, & cerimonias pertinent. Quæ posterior censuræ pars cõfirmari potest ex Trid. sess. 21. cap. 2. declarante, hanc potestatẽ perpetuò in Ecclesia fuisse, vt in Sacramentorũ dispẽsatione, saluâ illorum substantiâ, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium vtilitati, seu ipsorum sacramentorum veneration, pro rerum, temporũ, & locorum varietate, magis expedire iudicaret.

In Bulla data anno 1478.

104. Publica pœnitentiæ erat tãm institutionis Ecclesiasticæ.

Secundò, contra sensum antiquæ Ecclesię est, dicere methodum illam non absoluendi nisi peracta satisfactione, esse à Christo institutam, esseque necessariam ad valorem absolutionis. Constat enim ex Cypriã epist. 11. 12. aliisq; locis, & ex Innocent. I. epist. 3. ad Exuperium cap. 2. aliisque Patribus vsum publicæ pœnitẽtiæ fuisse ab ipsa Ecclesia introductum, & seuerè, rigidèque obseruatum propter vrgentes Tyrannorum persecutiones; vt fideles continerentur in fide, & officio, neue spe facilioris veniæ in apostasiam à fide, & grauia peccata laberẽtur. Constat etiã ex Innocentio ibid. & ex Tertull. lib. de Pudicitia cap. 5. aliisque veterum testimoniis, Ecclesiam non eundem semper rigorem erga pœnitentes seruasse: sed prout temporis, & occasionum ratio exigebat, aliquid de pœnitentiæ seueritate relaxasse. Quod certè non feciſſet, si persuasum habuisset, ordinem illũ fuisse à Christo institutum, neque posse mutari, nisi contra ipsius intentionem, & leges iustitiæ, ac sapientiæ, naturalemque æquitatem, vt dicunt aduersarii. Constat præterea ex Concilio Niceno I. consuetudinẽ antiquã fuisse (quam ibidem seruari præcipit) vt si quis recedat ex corpore, necessario vitæ suæ viatico non defraudetur: & nimirum priùs à peccatis absoluatur: cùm, vt ait Trid. sess. 13. cap. 7. ecclesiastica cõsuetudo fuerit, vt nullus sibi conscius peccati mortalis, quantũuis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramẽtali confessione (& obtenta absolutione) ad sacram Eucharistiã accedat: iuxta illud Apost. *Probet autẽ seipsum homo* &c. Quod clariùs docet Concil. Carthag. IV. celebratũ à 214. Episcopis, c. 76. vbi statuit, vt si quis pœnitentiã in infirmitate petit, & casu, dum ad eum sacerdos venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit: dent testimoniũ qui eũ audierunt, & accipiat pœnitentiã: & si cõtinuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia. Atqui si Ecclesia existimasset huiusmodi absolutiones non esse validas, vt volũt aduersarii, nunquã certè illas dedisset: quomodo enim tam frequens & immane sacrilegium perpetrasset, aut perpetrari passa esset?

105. Quo tempore dabatur absolutio pœnitentibus.

Addunt aliqui, non solùm infirmis moribundis, verùm etiam sanis & integris datam fuisse absolutionem sacramentalem ante impletam satisfactionem in antiqua Ecclesia, illlo etiam tẽpore, quo maximè vigebat vsus publicæ pœnitentiæ. Quod probant ex can. 11. Concilii Agath. relato in ius Canonicũ, dist. 50. cap. 64. vbi statuitur, vt quando in capite Quadragesimæ, seu feria 4. Cinerum, imponebatur publica pœnitentia, introducerentur in Ecclesiam peccatores, quibus erat imponenda: & Episcopus, cum omni Clero, in terra prostratus 7. Psalmos pœnitentiales cum lacrymis pro eorum absolutione decantaret: tũque surgens ab oratione, iuxta quod Canones iubent, manus eis imponeret, aquã

Digitized by Google

benedictam super eos spargēs, cinerem priùs mittens, & deinde cilicio capita eorum operiens, ac demum extra Ecclesiam, veluti alterum Adamum de Paradiso eiiciens. Itemq; ex Concil. Carthagin. IV. can. 80. vbi præcipitur, vt omni tēpore ieiunii manus pœnitentibus imponantur. Quibus similia proferunt ex lib. 3. & lib. 5. Capitularis Ecclesiæ Gallic. can. 43. 58. & 61. Et hoc quidem nō caret probabilitate, præcipuè propter illa verba capitis 64. dist. cit. *Pro illorum absolutione*: sed non satis efficaciter probatur, illam impositionem manuum fuisse absolutionem sacramentalem, seu remissionem peccatorū: quam alii malunt fuisse dilatam vsque ad tertium pœnitentiæ gradum expletum, qui dicebatur *σύστασις*, vt docet Gabriel Albaspin. lib. 1. de Euchar. cap. 22. & 23. Alii nonnisi quarto etiam finito, vel vt sentit Bellarm. lib. 1. de Pœnit. cap. vltimo, die Iouis maioris hebdomadæ, vt pœnitentes possent in Paschate communicare, vt docere videtur Innocent. I. epist. 1. cap. 7. & Concil. Agathense can. 15. relato in Decreto dist. 50. cap. 64. Nisi potiùs mos ille fuerit diuersus in diuersis Ecclesiis; ideóque diuersæ reperiantur hac de re constitutiones, quibus mores illi differentes præscribuntur, aut exprimuntur. Et quamuis verum sit absolutionem sacramentalem fuisse olim datam cum manuum impositione, ab illaque cerimonia vocari sæpe à Patribus impositionem manuum Sacerdotis: certum est tamen multiplicem aliam fuisse impositionem manuum in antiqua Ecclesia: neque vbicunque sermo est de impositione manuum Sacerdotis, necessariò intelligi debere sacramentalem absolutionem: quod non satis aduertisse videntur quidam recentiores. Nec obsunt illa verba capitis 64. supra cit. *Pro illorum absolutione, &c.* Possunt enim facilè intelligi de absolutione quadam deprecatiua, his verbis, aut similibus concepta, *Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimissis peccatis vestris, &c. Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis, &c.* Prout nunc etiam in Missa & in Officio diuino dari solet. Et certè Episcopus, qui non omnium confessiones excipiebat non poterat illos sacramentaliter absoluere, siue tunc, siue etiam post impletam poenitentiam, aut pridie Parasceues, quando eos Ecclesiæ reconciliabat, vel communicare permittebat, & veluti excommunicationem tollebat: sed necessarium erat vt ab illis ipsis sacerdotibus absoluerētur, quibus singillatim omnia sua peccata mortalia exposuerāt. Et hæc sola erat absolutio sacramentalis: siue daretur ante publicam illam reconciliationem ab Episcopo factam, siue post.

106. Absolutio sacramentalis est vera peccatorum remissio.

Tertiò, erroneum est fundamentum doctrinæ aduersariorum, quòd scilicet absolutio sacerdotalis in sacramento Poenitentiæ non sit vera peccatorum remissio, sed tantùm declaratio remissionis priùs obtentæ à Deo per contritionem, & opera poenitentiæ. Id enim damnatur à Trident. sic pronunciante contra Lutherum, eiusque sectarios, sess. 14. can. 9. *Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronunciandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti, modò tantùm credat se esse absolutum, anathema sit.* Et cap. 6. eiusdem sessionis, *Quamuis*, inquit, *absolutio sacerdotis alieni beneficii sit dispensatiua: tamen non est solum nudum ministerium, vel annunciandi Euangelium, vel declarandi remissa esse peccata: sed ad instar actus iudicialis, quo ab ipso, velut à iudice, sententia pronunciatur.* Damnatur etiam expressè à Pio V. & Gregor. XIII. in Bullis contra Michaelem Baium, & nuper ab Vrbano VIII. in altera contra Ianſenium, hæc propositio num. 44. *Pœnitens non vnificatur ministerio sacerdotis absoluentis, sed à solo Deo, qui pœnitentiam suggerens, & inspirans, viuificat eum, & resuscitat.* De qua propositione, & aliis ibi recensitis, & plerisque à Ianſenio post Baium assertis, pronunciant supradicti Pontifices, esse *hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionē immittentes, respectiuè.* Et denique fuit etiam expressè damnata in censura Facultatis Sorbonicæ data primo Iunii anno 1638. contra librum Seguenoti, in hæc verba: *Quæ tradit de attritionis insufficientia, & contritionis exper fecta charitate, absoluta necessitate ad recipiendum sacramentum pœnitentiæ: & quæ addit, & approbat de absolutione, quòd nihil aliud sit, quàm declaratio iuridica peccati iam remissi: damnauit quoque Facultas, & censuit has propositiones esse quietis animarum perturbatiuas, communi & omnino tutæ praxi Ecclesiæ contrarias, efficaciæ sacramenti imminutiuas, & insuper temerarias, ac erroneas.* Plura aduersus hunc errorē dicemus inferius disp. sequenti sect. 2. & disput. 57. sect. 2. vbi etiam exponemus testimonium Sancti Gregorii Magni ex homilia 26. in Euangelia, quo præcipuè abutuntur aduersarii ad huius erroris sui confirmationem.

SECTIO XI.

Respondetur argumentis aduersariorum.

107. Soluitur primum argumentum Aduersar.

AD primum illorum argumentum sumptum ex Innocentio I. Respondeo ipsum tantummodo affirmare, quid tunc deberet fieri iuxta modum ab Ecclesia præscriptum, & obseruatum, durante adhuc ritu, & obligatione poenitentiæ publicæ: sed non dicere ita necessariò faciendū esse iuxta Christi institutionem, traditionem SS. Patrum, & regulas iustitiæ, ac sapientiæ indispensabiles: & alioquin absolutionē fore inualidā: vt volunt aduersarii. Quòd enim loquatur de illo ritu antiquo, quódq; eo licet non seruato absolutionem validam esse censuerit, patet ex verbis sequentibus eodem c. 7. *Sanè*, inquit, *si quis in ægritudinem inciderit, atque vsque ad*

desperationem deuenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de sæculo absque communione decedat. Vbi quod ait, ante tempus Paschæ &c. dictum est propter consuetudinem Ecclesiæ Romanæ illius temporis dandi absolutionem publicè pœnitentibus feria 5. maioris hebdomadæ, post totum tempus Quadragesimæ in ieiuniis, & aliis seueræ pœnitētiæ exercitiis transactum, vt communicarēt in Paschate: vt idem affirmat ibidem his verbis: *De pœnitentibus verò, qui siue ex grauioribus, siue ex leuioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interueniat ægritudo, quinta feria ante Paschalis remittendum, Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat.*

108. Diluitur secundum argum. Ad secundum Respondeo, S. Leonem similiter non dicere id quod probandum incūbit aduersariis: sed tantùm quòd Deus pro peccatis mortalibus post baptismum cōmissis sacramentum pœnitentiæ, veluti medium remissionis ordinarium instituerit: quódque in hoc sacramento danda sit actio pœnitentiæ ritè confessis, hoc est, imponenda conueniens satisfactio, & post illam impletam, si nimirum peccata talia sint, vt mereantur publicam pœnitentiam, & suspensionem cōmunionis ad tēpus, iuxta leges ecclesiasticas eo tempore seruatas, pœnitentes esse reconciliandos Ecclesiæ, admittendosque ad participationem Eucharistiæ. Quòd tamen ille ordo non sit necessarius ex institutione Christi, & ex necessitate sacramēti, ita vt absolutio alioqui dari validè nequiret, ostendit ipsemet paulò post cap. 4. eiusdem epist. sic dicens: *His autem, qui in tempore necessitatis, & in periculi vrgentis instantia præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant: nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda: quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire: apud quē nullas patitur veniæ moras vera conuersio, dicente Spiritu Dei per Prophetam, Cùm conuersus ingemueris, tunc saluus eris &c. In dispensandis itaque Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se lacrymas, gemitusque negligere, cùm ipsam pœnitentiā ex Dei credamus inspiratione conceptam.*

109. Tametsi autem ratio iustitiæ diuinæ exigere videtur, vt aliter ab eo in gratiā recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint: aliter verò qui semel à peccati, & dæmonis seruitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono, scientes templum Dei violare, & Spiritum S. cōtristare non formidauerint: & diuinam clementiam deceat, ne ita nobis absque vlla satisfactione peccata dimittantur, vt occasione accepta peccata leuiora putantes, in eadem frequentiùs, aut in grauiora labamur, quemadmodum ait Trid. sess. 14. cap. 8. Quòd tamen hæc satisfactio post impertitam absolutionem impleatur, non magis repugnat ordini sapientiæ, quàm quòd Deus remittat culpam, & pœnam æternam, relicta obligatione alicuius pœnæ temporalis postea soluendæ: vt communiter facit extra Baptismum. Et aliunde melius est atque vtilius pœnitenti, exequi opera pœnitentiæ in statu gratiæ per absolutionem obtentæ, ex quo euadunt gratiora Deo, & meritoria, magisque satisfactoria. Non repugnat etiam æquitati naturali, & modo reconciliationis vsitato inter homines, qui vt offensoribus reconcilientur, deponantque inimicitias, sæpissimè contenti sunt obligatione satisfaciendi, & animo ad id parato: neque expectant donec integrè satisfactio sit exhibita; præsertim si non nisi longo tempore impleri potest. Non obest denique quòd satisfactio sit pars materialis sacramenti pœnitentiæ: quia est tantùm pars integralis, vt alibi ostendimus. Partes autem integrales non præeunt necessariò introductioni formæ, & constitutioni essentiali rei. Deinde est forma tantùm moralis, & per analogiam quandam. In quo genere non seruatur necessariò rigor ille prioritatis, qui in physicis. Nam Baptismus v. g. validus est, licet priùs abluantur verba, quàm ablutio.

110. Satisfit ratio argum. Ad tertium Respondeo rigorem illum à paucis seruatum fuisse, vt significat Cyprian. loco citato in obiectione, vbi etiā non illum approbat. Et Innocentius I. epist. 3. ad Exuperium dicit non fuisse illis negatam pœnitentiam, sed communionem. De eademque sola loquitur canon. 23. Concilii Arelatensis I. citatus ab aduersariis. Neque dubitat Cyprianus de valore absolutionis datæ in extremis, dummodo pœnitens verè, & sicut oportet, doleat de peccatis: vt clarè liquet ex eius verbis libr. aduersus Demetrianum in fine: *Quando, inquit, istinc excessum fuerit, nullus iam pœnitentiæ locus est, nullus satisfactionis effectus: hic vita aut amittitur, aut tenetur: hic saluti æternæ, cultu Dei, & fructu fidei prouidetur: nec quisquam aut peccatis retardetur, aut annis, quò minùs veniat ad consequendam salutem. In isto adhuc mundo manenti pœnitentia nulla sera est. Patet ad indulgentiam Dei aditus: & quærentibus, atque intelligentibus veritatem facilis accessus est. Tu sub ipso licet exitu, & vitæ temporis occasu pro delictis roges: & Deum, qui vnus, & verus est, confessione, & fide agnitionis eius implores: venia confitenti datur, & credenti indulgentia salutaris de diuina pietate conceditur, & ad immortalitatem sub ipsa morte transitur.* Et auctor libri de Cardinalibus Christi operibus apud eundem Cyprian. in sermone de cœna Domini, prope finem, *Sed in eodem, inquit, articulo temporis, cùm iam anima festinet ad exitum, & egrediens ad labia expirantis emerserit, pœnitentiam clementissimi Dei benignitas non aspernatur: nec firmum est, quod verum est: nec irremissibile, quod voluntarium: & quæcunque necessitas cogat ad pœnitudinem, nec quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas (si vera contritio, si pura fuerit voluptatum mutatio) excludit à venia: sed in amplitudine sinus sui mater charitas prodigos suscipit reuertentes: & velit nolit Nouatus hæreticus, omni tempore Dei gratia recipit pœnitentes.* Et Hieronymus epist. 10. ad Furiam, longè post initium,

Sensus 55. Patrum de pœnitentia in fine vitæ

Non quæruntur, inquit, *in Chriſtianis principia, ſed finis. Paulus malè cœpit, ſed bene finiuit. Iudæ laudantur exordia, ſed finis proditione damnatur. Lege Ezechielem: Iuſtitia iuſti non liberabit eum in quacunque die peccauerit. Et impietas impii non nocebit ei in quacunque die conuerſus fuerit ab impietate ſua.* Et epiſtola quinquageſima octaua ad Damaſum, *Chriſtus in Paradiſum de cruce latronem intulit: Et ne quis aliquando ſeram conuerſionem putaret, fecit homicidii pœnam martyrium. Chriſtus, inquam, filium prodigum reuertentem lætus amplectitur, &c.* Et Iſidorus libro ſecundo de Summo bono, capite 14. Nullus, inquit, *deſperare debet veniam, etiamſi circa finem vitæ ad pœnitentiam conuertatur. Vnumquemque enim Deus de ſuo fine, non de vita præterita iudicat.*

111. Quid de illa ſenſerit D. Auguſt.

Neque alius fuit ſenſus Diui Auguſtini, vt patet ex enarratione Pſalmi 6. circa illa verba, *Conuertere Domine, & eruе animam meam*: vbi ſic ait: *Perfecta noſtra conuerſio paratum inuenit Deum, ſicut Propheta dicit. Tanquam diluculum paratum inuenimus eum.* Et paulò poſt explicans verſum ſequentem, *Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui, &c.* ſic habet: *Intelligit quoque nunc eſſe tempus conuerſionis* (quamdiu ſcilicet vita ſuppetit) *quia cùm iſta vita tranſierit, non reſtat niſi retributio meritorum.* Et ſermone 66. de Temp. *Pœnitentia*, inquit, *quamuis ſit exigui temporis, ſi intima cordis amaritudine agitur, non deſpicitur apud iudicem iuſtum Deum, qui cordis ſecreta conſiderat. Non enim longitudinem temporis tantùm requirit Deus, quantum affectum ſinceritatis pœnitentis penſat.* Et apud eundem Auguſtinum tomo 10. auctor ſermonis 181. de Tempore, qui eſt 59. in appendice de diuerſis, cap. 16. *Nunquam ſpernit pœnitentiam* (Deus) *ſi ei ſincerè, & ſimpliciter offeratur, ſuſcipit, libenter accipit, amplectitur, facit omnia, quatenus eum ad priorem ſtatũ reuocet. Quodque eſt adhuc præſtantius, & eminentius, etiamſi quis non poterit implere omnem ſatisfaciendi ordinem, quantulamcunq; tamen, & quamlibet breui geſtam non reſpuit pœnitentiam: ſuſcipit etiam ipſam, nec patitur, quamuis exiguæ cõuerſionis petire mercedem.* Et paulò poſt, *Nunquam, crede mihi, auerſabitur ad ſe conuerſum, &c. Donec enim ſumus in hac vita, quantacunque nobis acciderint peccata, poſſibile eſt omnia ablui per pœnitentiam.*

112. Quare ſi D. Auguſtinus verbis in obiectione relatis dubitat de ſalute eorum, qui in exitu vitæ conuertuntur: non id facit, quaſi de miſericordia Dei, vel de ſacramenti Pœnitentiæ tunc applicati virtute dubitet: ſed dumtaxat de veritate conuerſionis eorũ, qui vſque ad hoc tempus ſalutis negotiũ, & pœnitentiæ remedium diſtulerunt. Vt etiã dicit Cypr. epiſt. cit. ad Antonian. Qua etiam de cauſa iidem Auguſt. & Cypriã. iiſdem locis, aliique Patres hortantur ad pœnitentiam nõ diu differendam, neque in mortis articulũ reijciendam: quod certè nemo facere debet, qui ſuæ ſalutis æternæ ſtudioſus eſt.

Ad quartum Reſpondeo, totam illam Aduerſariorum imaginationem vanam eſſe, & Eccleſiæ iniuriolam. Nam ſi huiuſmodi abſolutionem moribundorũ nihili feciſſet, nunquam certè permiſiſſet concedi, neque tantum ſacrilegium diſſimulaſſet, aut ferre potuiſſet. Atqui non tantùm permiſit, verùm etiam ſtatuit dari: vt videre eſt in can. 12. Cõcilii Niceni I. cuius verba ſunt: *De his verò qui recedunt ex corpore, antiquæ legis regula obſeruabitur etiam nunc, ita vt, ſi forte quis recedat ex corpore, ne eſſario viatici ſui cõmunione defraudetur.* Et Cœleſtin. I. in epiſt. ab Epiſc. Galliæ cap. 2. *Agnouimus*, inquit, *pœnitentiam moribundis deneganda, nec illorum deſideriis annui qui obitus ſui tempore, hoc animæ ſuæ cupiunt remedio ſubueniri. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, vt de Dei poteſtate deſperet: quaſi non poſſit ad ſe quouis tempore concurrenti ſuccurrere, & periclitantem ſub onere peccatorum hominem, pondere, quo ſe expediri deſiderat, liberare. Quid hoc rogo eſt aliud, quàm morienti mortem addere, cuiuſque animam ſuæ crudelitate, ne abſoluta eſſe poſſit* (à peccatis) *occidere? Cùm Deus ad ſubueniendum paratißimus, inuitans ad pœnitentiam, ſic promittat: Peccator, inquiens, quacunque die conuerſus fueris, peccata non imputabuntur ei. Et iterum: Nolo mortem peccatoris, ſed tantũ vt conuertatur, & viuat. Salutem ergo homini adimit, quiſquis mortis tempore ſperatam pœnitentiam denegat. Et deſperat de clementia Dei, qui eum ad ſubueniendum morienti ſufficere, vel in momento poſſe non credit. Perdidiſſet Latro veniam in cruce ad Chriſti dexteram pendens, ſi illum vnius horæ pœnitentia non iuuiſſet. Cùm eſſet in pœna, pœnituit, & per vnius ſermonis profeßionem, habitaculum Paradiſi, Deo promittente, promeruit. Vera ergo ad Deum conuerſio in vltimis poſitorum mente potiùs eſt exiſtimanda, quàm tempore, Propheta hoc taliter aſſerente. Cùm conuerſus ingemueris, tunc ſaluus eris. Cùm ergo ſit Dominus cordis inſpector, quouis tempore non eſt deneganda pœnitentia poſtulanti, cùm ille ſe obliget iudici, cui occulta omnia nouit reuelari.* Simili modo loquitur S. Leo epiſt. 91. ad Theodorum, cuius verba paulò ante retulimus. Vide etiam Can. 76. Concilii Carthagin. IV. iubentis, vt tales moribundi reconcilientur per manus impoſitionem, & eorum ori infundatur Euchariſtia.

113. Antiqua Eccleſia nõ dubitauit de valore abſolutionis in articulo mortis.

Ad id verò quod obiiciunt ex eodem Concilio Carthag. IV. can. 76. & 78. & Araufiano I. Can. 3. Reſpondeo abſolutos in articulo mortis, fuiſſe, ſi conualuiſſent, ad ſtatum pœnitentium redactos, non quòd Eccleſia exiſtimaret non fuiſſe verè, & validè abſolutos à peccatis, quoad culpam, & pœnam æternam, Deoque reconciliatos: ſed quia illis ſatisfaciendum ſupererat pro pœna temporali per opera laborioſa pœnitentiæ, à qua pœna non fuerant liberati. Neque tamen adeo ſeuerè cum illis, atque cum aliis agebatur. Nam vt conſtat ex Concilio Niceno I. Can. 12. redigebantur in ordinem eorũ pœnitentium, qui oratione communicabant cum fidelibus, id eſt, qui in quar-

114. Cur & quomodo ſic abſoluti redigerentur ad ſtatum pœnitẽtiæ.

Digitized by Google

to gradu pœnitentiæ versabantur: non autem eorum, qui in tribus prioribus existebant, quorum aliqui ne quidem in Ecclesiam intrare permittebantur, alii statim post concionem exire iubebantur.

115. Nõ omnes satisfactiones sunt sacramentales.

Quod denique addunt, satisfactiones solas à Sacerdotibus impositas esse quales Deus exigit pro expiatione peccatorum, & consequenter eas solas acceptari ad eum finem: erroneum est, & damnatum à Trident. sess. 14. can. 13. *Si quis dixerit*, inquit, *pro peccatis quoad pœnam temporalẽ minimè Deo per Christi merita satisfieri, pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote iniunctis, sed neque sponte susceptis, vt ieiuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, anathema sit.* Neque minùs erroneum est dicere, dolorem internum de peccatis suppleri posse per opera externa pœnitentiæ: Cum ab eodem Concilio cap. 4. eiusdem sessionis definitum sit, dolorem ac detestationem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero, necessarium esse, atque omni tempore fuisse, ad impetrandam veniam peccatorum: neque sine illo conferri gratiam, & remissionem per sacramentum pœnitentiæ, vt addit in fine capitis.

116. Concludo itaque, totam illam nouorum dogmatistarum doctrinam plures, & graues errores continere, esseque ab omnibus verè catholicis reiiciendam: præcipuè cùm in cap. *Ad abolendam*, de hæreticis, vinculo perpetui anathematis innodentur, quicunque de sacramentis *aliter sentire non metuunt, quàm sacrosancta Romana Ecclesia prædicat & obseruat*: & ex dictis manifestum sit illam ab Ecclesiæ Romanæ prædicatione, & obseruatione generali dissentire: idque fateantur ipsimet aduersarii: dicunt enim consuetudinem, quæ nunc est, à quinque circiter sæculis, relicto publicæ pœnitentiæ vsu, generaliter receptam esse in Ecclesia. Qui etiam suam illam de satisfactione doctrinam à Lutheranis, & Caluinistis hausisse videntur. Disertè enim ab illis traditur, & iisdem innixa fundamentis, vt videre est apud Anton. de Dominis insignem desertorem religionis catholicæ lib. 5. de Rep. christiana cap. 7. & 8. cuius verba referemus inferiùs disp. 55. sect. 2. & apud Aretium Bernensem Pseudotheologum, quem refert, & refutat Lensæus in lib. de satisfactione ecclesiastica, præcipuè cap. 24. vbi rectè docet id, quod aduertendum hoc loco superest, non præiudicare veteri de satisfactione doctrinæ, quòd post absolutionem nunc satisfactiones impleantur: quia, inquit, cum probè sciret Ecclesia sæculi posterioris, satisfactionem iniungi solitam propter Deum propitiandũ pœnitenti, neque tamen tantam disciplinæ seueritatem propter solum reatum mortis æternæ dissoluendum necessarium fuisse, sed quò plena, quoad posset, remissio peccatorum obtineretur, pristinumque in statum peccator restitueretur, aut ad id certè quam proximè accederet: iis de causis, sine præiudicio sanæ veterisque doctrinæ, fieri posse putauit, vt satisfactio post absolutionem sacramentalem impleretur, aut imposita compleretur. Neque enim sic minus fructus consecuturi erant fideles de pœnitentia: cùm & vi sacramenti absoluerentur à reatu damnationis æternæ: & quod reliquum erat in temporariis pœnis, id postea satisfaciendi sedulitate diluerent; idque tantò efficaciùs, quantò esset pretiosior ipsa coram Deo satisfactio, quam & filius offerret, & inhabitans Christi spiritus produceret, & charitas de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta commendaret. Quamquam enim poterant olim priùs iustificari pœnitentes per contritionem charitate formatam: tamen id difficilius, & minùs frequens est, quàm per sacramentalẽ absolutionem cum attritione reconciliari. Et tunc etiam non solùm priuata satisfactio, sed etiã publica pœnitentia nonnunquam post absolutionem implebatur; saltem quando priùs non poterat propter ægritudinem, & periculum mortis, vt liquet ex epist. 91. Leonis I. & ex August. epist. 80. & ex Concilio Carthagin. IV. Can. 76. & ex Nicæno 1. Can. 14. iuxta enumerationem Russini lib. 10. historiæ ecclesiast. cap. 6. prout autem in summa Conciliorum numeratur, duodecimo.

117. Itaque, vt rectè addit auctor cit. ibidem. Etsi vel pro conditione temporum, vel pro languore Christianorum, vel alia quapiam non leui ratione, mutatio quædam acciderit in hac satisfactoriæ obseruationis disciplina; doctrina tamen, & fides, ratioque satisfaciendi vna, atque eadem perseuerat. Quomodo vna est diciplina medendi ægris, etiamsi neque eadem omnibus, neque pari prædita virtute, neque eodem tempore medicamenta præbeantur. Et olim etiam non fuit semper eadem satisfactionis, & pœnitentiæ publicæ obseruatio, sed modò seuerior, modò mitior, & benignior, vt patet ex Innocentio I. epist. 3. cap. 3. & aliis quæ inferiùs afferemus disp. 55. sect. 1. n. 3. Et quoniam, (vt rectè concludit idem auctor) vnius, eiusdemque Christi Ecclesiæ vtraque consuetudo est; non debet improbari posterior, quòd diuersa prior extiterit. Quoniam nec in medico reprehendi vno debet, si ingraueſcente cuiuspiam ætate, alia velit medicamenta præscribere, quàm antea solitus sit, ægri corpore valentiore. Sed illa prior consuetudo ita laudanda est, vt posterior non vituperetur. Est enim vnius, eiusdemque Ecclesiæ, & sponsæ Christi consuetudo vtraque, licet diuersa: vbi, si hanc improbes; illam quoque vt improbandam putare possis, in procliui erit: quoniam cuius Ecclesiæ hæc posterior est consuetudo, eiusdem omnino prior illa fuit. Eo fit, vt isti, quamuis hancce præsentis temporis Ecclesiam dumtaxat oppugnare velle

Digitized by Google

videantur: tamen in illius veteris auctoritatem impingant, eiusq; simul, & eadē operâ, scita & constituta conuellant. Et hactenus de partibus materialibus sacramēti poenitētiæ: sequitur vt ad formam illius explicandam accedamus.

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA SECVNDA.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ.

Sectio I. *An, & quæ verba sint de essentia formæ?*
Sectio II. *Quid significent verba formæ*, Ego te absoluo, &c.
Sectio III. *An forma Sacramenti pœnitentiæ deprecatiuo modo enunciari, vel absenti dari possit?*
Sectio IV. *Vtrum absolutio possit dari sub conditione?*

DE argumento proposito breuiter disputat Sanctus Thomas quæst. 84. art. 3. Vbi docet formam huius sacramenti in his verbis consistere, *Ego te absoluo:* quia se tenent ex parte Sacerdotis perficientis sacramentum: & significant id quod in sacramento agitur, nempe remissionem peccatorum. Addit in solutione argumentorum, hanc formam sumi ex verbis Christi Matth. 16. *Quodcumque solueris super terram*, &c. Et quia sacerdos absoluit tantùm sicut minister Christi, conuenienter apponi aliquid pertinens ad primam auctoritatem Dei: scilicet vt dicatur, *Ego te absoluo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, vel quid simile: quod tamen non est determinatum ex verbis Christi, sicut in Baptismo. Verumque sensum horum verborum non esse, ostendere significatiuè tantùm, pœnitentem esse absolutum, sed etiam effectiuè. Sacramenta enim nouæ legis non solùm significant, sed etiam faciunt quod significant. Sensum etiam esse posse, Ego te absoluo, id est, sacramentum absolutionis tibi impendo. Huc vsque D. Thomas: cuius doctrina sequentibus sectionibus fusiùs exponetur.

SECTIO I.

An, & quæ verba sint de essentia formæ?

1. Requirantur ne essētialiter propriè dicta.

DVæ in titulo proponuntur difficultates. Prima est, vtrum ad formam sacramenti huius requirantur essentialiter verba propriè dicta, & humana voce prolata? Negant Medina, Paludanus, Petrus Sotus, & Nauarrus, relati à Suare disp. 19. sect. 1. & quotquot alii ante decretum Clementis VIII. senserunt absolutionem dari posse absenti per literas. Fundamentum illorum præcipuum est, relatum à Suare ibidem, quia sacramentum hoc sequitur formam iudicii, quandoquidem in modum iudicii fuit à Christo institutum: ideóque nihil ex natura sua exigit, quod de natura & essentia iudicii non sit. Non est autem de essentia iudicii, vt sententia voce proferatur, sed scripto sufficit vel nutu. Confirmatur, quia propter eandem causam confessio potest fieri scripto, atque etiam nutibus. Et matrimonium scripto vel nutu

contrahi potest, quia sequitur formam contractus ciuilis, ad quem sufficit qualecunque signum externum consensus interni. Ergo à pari, &c. Maximè verò cùm sacramentum poenitentiæ sit extremæ necessitatis, & contingere possit vt sacerdos, qui solus adest, loqui nequeat, & tamen possit scribere, vel annuere.

2. Respondetur affirmatiuè.

Communis tamen, & vera certaque sententia requirit verba propriè dicta, & humana voce prolata: idque Concilium Florent. significat in decreto Eugenii, cùm ait, *Formam esse verba absolutionis quæ sacerdos profert, cùm dicit* (non cùm scribit, aut annuit) *Ego te absoluo &c.* Eodemque modo loquitur de hac forma, ac de aliis, quas in verbis propriè dictis, & humana voce prolatis consistere aduersarii non negant. Secus autem de forma matrimonii: de qua sic ait, *Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Vbi cùm affirmat consensum hunc debere regulariter exprimi per verba: insinuat 1. non esse hoc essentiale, & vniuersim atque absolutè necessarium. 2. Se accipere verba propriè, pro iis scilicet quæ ore proferuntur: non autem latè pro quibuscunque signis æquiualentibus. Nam alioqui matrimonium non regulariter tantùm, sed planè necessariò & essentialiter, constaret verbis consensum internum de præsenti significantibus.

3. Refellitur effugium.

Neque obiicias Florentinum ibidem dicere confessionem oris esse partem sacramenti pœnitentiæ, cùm tamen hoc non sit essentiale, sed solùm communiter ita fiat: Ideoque id quod ait de absolutione, posse similiter intelligi: nempe quòd absolutio sit communiter verba Sacerdotis quæ profert cùm dicit, *Ego te absoluo &c.* tametsi hoc essentiale non sit, neque plane necessariũ.

Respondeo enim hoc effugium iam esse refutatum per ea quæ notauimus de matrimonio circa illud verbum Florentini, *regulariter*. Deinde dico, ex vsu antiquissimo Ecclesiæ, in Conciliis & sacris canonibus approbato, & expresso, haberi quòd confessio nutibus fieri possit: at de absolutione nihil tale habemus ex vsu Ecclesiæ, Conciliis, & canonibus. Est autem temerarium inducere ritus & explicationes essentiæ sacramentorum quales Ecclesia nondum agnouit & probauit.

4. Probatur ratione.

Ratio deniq; à priori est institutio Christi, vsu Ecclesiæ, & Conciliorum definitione declarata, & in illis Christi verbis fundata, *Quorum remiseritis peccata* &c. ex quibus sicut ex illis, *Baptizantes eos* &c. intellexit Ecclesia Spiritu sancto edocta, hanc esse Christi voluntatem, vt absoluentes & baptizantes proferant aliqua verba, quibus actum absoluendi, baptizandique significent: tametsi nentrum Christus expresse verbis citatis declarauerit. Ita Suares disp. 19. sect. 1. nũ. 4. Aegidius disput. 4. dubit. 9. Caietanus in Summa V. *Confessio*, & alij communiter.

Ad primum argumentum contrariæ sententiæ Respondeo 1. Sacramentum poenitentiæ non sequi in omnibus formam iudicii ciuilis, vt patet ex hoc ipso, quòd idem est accusator, & testis, & reus: & reo ipsi se accusanti, aut excusanti creditur. Resp. 2. non esse verum vniuersim, quòd in ciuili iudicio sufficiat quilibet nutus. Etenim quædam sunt in quibus aliqua solemnitas requiritur: vt quòd sententia voce vel scripto feratur. Soluuntur argum. contraria.

Ad secundum Nego esse eam causam cur confessio aliter quàm voce fieri possit: sed id ad Christi institutionem, referendum est, qui voluit formam esse magis expressam & determinatam, quàm materiam. Voluit etiam occurrere incommodo, quod respectu poenitentium mutorum frequenter accidisset: quod non est adeo magnum ex parte absoluentis, propter frequentiam & multitudinem Sacerdotum. 2.

Ad 3. Nego paritatẽ. Noluit enim Christus peculiarẽ cerimoniam matrimonio addere: sed tantùm ciuilem contractum honorare, & ad sacramenti dignitatem euehere. Neque voluit mutos priuare iure naturali contrahendi matrimonium; sed tantùm contractum legitimum, qui anteà erat purè ciuilis, dignitate sacramenti decorauit, nulla illi alia conditione superaddita. Secus autem poenitentiæ sacramentum: quod noluit esse qualecunque iudicium, sed certâ formulâ & modo latum, de quo ex vsu perpetuo Ecclesiæ maximè iudicandum est. At Ecclesiæ vsus nunquam fuit absoluendi aliter quàm per verba ore prolata: neque in vlla necessitate dispensauit Ecclesia vt aliter fieret: quod certè fecisset, si id nõ esse essentiale, & ex institutione Christi necessarium iudicasset. Scio aliquos Theologos existimasse, posse poenitentem absentem absolui per literas: sed hoc fuit expressè damnatum à Clemente VIII. Exempla verò quæ afferuntur ad probandum Episcopos olim admisisse absentes ad reconciliationem: loquuntur de reconciliatione cum Ecclesia, per absolutionem ab excommunicatione: vel de illis admittendis ad communionem eucharisticam per sacerdotes, aut diaconos delegatos.

Ad quartum Respondeo, non debuisse Christum prouidere incommodo tam raro: sicut non debuit prouidere simili incommodo respectu baptismi: in quo similiter contingere potest, vt qui solus adest infanti, vel adulto, sine baptismo morienti, loqui non possit, & tamen possit abluere, & aliquod aliud signum edere. Maximè verò cùm defectus absolutionis per contritionem suppleri possit ab omnibus illa indigentibus, per se loquendo: quod tamen non potest baptismus. Nam soli adulti necessariò egent sacramento poenitentiæ post peccatum mortale commissum. Baptismo autem indigent etiam paruuli, qui contritionis capaces non sunt. 4.

Digitized by Google

7. Quæ verba sint essentialia formæ.

Secunda difficultas est, quæ verba necessariò & essentialiter requirantur? Respondeo requiri hæc, *Ego te absoluo à peccatis tuis*: aut æquiualentia, saltem implicitè & virtualiter. Quod responsum sic declaratur. Primò, Con. Trident. sess. 14. cap. 3. definiens formã sacraméti huius in his ministri verbis positam esse, *Ego te absoluo, & cætera*: per particulam illam *Et cætera*, significat alia quædam præter hæc tria verba esse de substantia formæ. Nam quòd loquatur de substantialibus, essentialiter scilicet ac necessariò requisitis, ostendit, quãdo subiicit immediatè post: *Quibus quidè de Ecclesiæ sanctæ more preces laudabiliter adiunguntur: ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessariæ*: nimirum vt illa supradicta, *Ego te absoluo & cætera*. Quòd tamen explicitè non requirantur omnia, docent communiter Theologi. Nam particula, *Ego*, sufficienter continetur in verbo primæ personæ, *absoluo*, & particula, *tuis*, in pronomine, *te*, multóque minùs addendum est, *ab omnibus*. Nam è mortalibus non remittitur vnum sine alio, ideoq; remissio vnius significat omnium remissionem implicitè. Venialia verò non est necesse vt remittantur omnia: ergo non debet id necessariò significari. Quin etiam Caietanus, Dominicus Sotus, Valentia, Suares, Vasques, Aegidius, Delugo, aliique multi existimant non requiri vt expresse dicatur, *à peccatis*, sed hoc inuolui sufficienter in his vocibus, *absoluo te*. Licet enim absolutio multiplex esse possit, aliaque fit à peccatis, alia à censuris, alia ab irregularitate &c. prædicta tamen verba, tum ex vsu Ecclesiæ, tum ex præcedente confessione pœnitentis, sufficienter determinãtur, ad significandum ipsum à peccatis absolui. Quod confirmari potest ex forma quadam absoluendi quam refert Maironis in 4. dist. 14. q. 1. art. 2. ad 3. vt suo tempore vsitatam alicubi, in qua non fiebat expressa peccatorum mentio.

8. Non sufficit dicere, *Absoluo*.

Sed hoc minùs certum est, iuxtáque hunc modum philosophandi existimare posset aliquis sufficere vt dicatur, *Absoluo*: quia confessio pœnitentis absolutionem ad ipsum determinat. Quod tamen omnes vnanimiter reiiciunt, maioremque expressionem necessariam esse volunt: illam saltem, vt dicatur *Absoluo te*. Neque respondeas, differentiam esse: quia in sententiis iudicialibus, & in contractibus nunquam omittitur aliqua particula determinans sententiã vel contractum ad illum de quo agitur: nam alioqui esset nimis suspensus & vagus. Dico enim similiter in sententia iudiciali & in contractibus nunquam omitti aliquam particulam quâ significetur id de quo agitur: & alioqui sententia vel contractus venditionis, donationis, & similes, sunt nimis suspensi & vagi: nec valent in foro externo. Neque obstant L. *Si quis à filio* 32. §. 1. ff. de legatis 1. & L. *Idem Iulianus* 41. §. *Scio ex facto*, eodem titulo, vbi iubetur dari alter è duobus seruis aut fundis, legatis sub nomine communi vtrique. Nam leges illæ supponunt exprimi rem quæ donatur, licet non distinctè, propter æquiuocationem eiusdem nominis communis rebus duabus, quarum altera donatur.

9. Non est necessaria inuocatio expressa Trinitatis.

Communiter quoque reiicitur illa opinio Durandi singularis, quæ vult expressam Trinitatis inuocationem necessariam esse, vt in baptismo: quod neque in Scriptura, neque in traditione, vel sationem illum habet fundamentum solidum. Nam ad ferendam formam absolutionis in modum iudicii, non est necessarium inuocare expresse Trinitatem, addendo verbis prædictis *In nomine Patris* &c. Neque id à Christo institutum fuisse vllum indicium est. Nam neque Christus inuocationis illius meminit in verbis institutionis Ioan. 20. sicut fecit in institutione baptismi Matth. vltimo: & Doctores contrarium sentiunt: atque vt testatur Petrus Arcudius lib. 4. de Sacramentis, cap. 3. in fine, sunt in Ecclesia græca passim vsitatæ formulæ absoluendi, quas credibile est antiquas esse, in quibus non habetur inuocatio Trinitatis. In vsu tamen seruandum est quod ait Concilium Moguntinum, vt nimirum absolutio detur more consueto in hæc verba: *Ego te absoluo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Quin etiam preces ex Ecclesiæ more adhiberi solitæ sine causa omitti facilè non debent. Sufficiens tamen causa est, si sit magna multitudo confiteri volentium, vel si quis valde frequenter confitetur. Finitis autem verbis essentialibus, id est, sensum essentialem formæ sufficienter significantibus, remittuntur peccata, prout verba directè significant, & infunditur gratia sacramentalis: neque expectantur alia simpliciter non necessaria, quæ si non proferrentur, effectus tamen esset. Neque enim possunt priora ab istis, aut ab intentione Sacerdotis suspendi. Quare non assentior Vasqui contrarium affirmanti dubio 4. ad q. 84. num. 4. Omnino autem ab institutione petendum est quæ verba sufficiant ad exprimendum sensum essentialẽ. Et in præsenti quæstione probabilius mihi videtur hæc saltem aut æquiualentia esse necessaria, Absoluo te à peccatis. Illudque puto significare Tridentinum, cùm ait formam essentialem esse, Absoluo te &c. Nam particula, &c. non frustra addita à Concilio, significat requiri ad essentiam formæ aliquid ampliùs, nempe particulam *à peccatis*, quæ in praxi non est omittenda: Nam alioqui forma vt minimum est dubia, propter illam reticentiam Tridentini, & authoritatem multorum Theologorum nobiscum sentientium.

SECTIO II.

Quid significant verba formæ, Ego te absoluo &c.

10. Significant veram remissionem peccatorũ.

REspondeo, significare vsum & effectum potestatis à Christo concessæ Apostolis, & Sacerdotibus eorum successoribus, Ioan. 20. quòd nimirum Sacerdos per potestatem illam verè absoluat, seu remittat peccata: non autem quòd dumtaxat absolutum poenitentem declaret, aut quòd tantùm à poena illum liberet, vel ab obligatione confitendi, aut aliquid eiusmodi. Probatur, quia verba illa significant propriè, & clarè id quod dictum est, secundum significationem quam habent ex vsu communi, & institutione hominum. Fuerunt autẽ ab Ecclesia vsurpata secundum illum vsum, & debent intelligi in plano & proprio sensu quoad fieri potest. Confirmatur refutatione sententiarum contrariarum.

11. Quarũ prima, est Gabr. Maior. Bonauent. & aliorum quorundam cùm Magistro in 4. dist. 18. existimantiũ sensum illorũ verborũ hunc esse, Ego te absoluo, id est, absolutum te ostendo. Probant primò, quia remissio à solo Deo fit. Superest ergo vt ostẽdatur tantùm à Sacerdote. Secundò, quia Sancti Patres, vt Hieronymus in illud Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum*, & Gregorius homil. 26. in Euangelia, docent Sacerdotes discernere tantùm & declarare an poenitentes sint absoluti à Deo. Ad quod probandum, & explicandum vtuntur exemplo Lazari à Christo priùs suscitati, posteaque ab Apostolis soluti, vt viuus appareret & exemplo Sacerdotum Legis veteris, qui homines à lepra non mundabant, sed discernebant tantùm an mundi essent. Ambrosius quidem lib. 3. de Spiritu Sancto capite 19. *Homines*, inquit, *in remissione peccatorũ ministeriũ suũ exhibent, non ius alicuius potestatis exercent.* Et Hieronymus loco cit. *In retinendis* inquit, *vel remittendis culpis, id iuris habent euangelici Sacerdotes, quod olim habebant legales sub lege in curandis leprosis. Hi ergo peccata remittunt vel retinent, dum remissa vel retenta iudicant & ostendunt.* Hæc Hieronymus.

12. Non autẽ, *ostendo te esse absolutum,*

Verum sententia Magistri, à D. Thoma, Richardo, Palud. Capreolo & pluribus aliis iampridem reiecta, nunc erronea est. Damnata enim fuit à Tridentino, sess. 14. cap. 6. & can. 13. & 9. Verba capitis 6. hæc sunt: *Quamuis autem absolutio Sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio: tamen non est solum nudum ministerium, vel annunciandi Euangelii, vel declarandi remissa esse peccata: sed ad instar actus iudicialis, quo ab ipso, velut à Iudice, sententia pronunciatur.* Canone verò 3. definit verba illa Ioan. 20. *Quorũ remiseritis &c.* intelligenda esse de potestate absoluendi à peccatis in Sacramento Poenitentiæ. Et quidem verba illa Christi tam perspicuè significant dedisse eum Apostolis potestatem remittendi peccata, vt id clariùs significari vix possit. Debent autem intelligi vt sonant. Tum quia continent promissionem magni momenti, & institutionem Sacramenti. Promissiones autem debent clarè fieri, & non verbis speciosis impropriè acceptis, & audientes fallere aptis, quod impostorum proprium est. Sacramenta quoque, cùm sint Ecclesiæ bases, & fundamenta, maximè debent, si quid aliud, verbis propriis exponi. Tum etiam quia generaliter Scripturæ verba in sensu proprio accipienda sunt, nisi manifestum inde sequatur absurdum, iuxta regulam D. Augustini lib. 3. de doctrina Christiana cap. 10. Alioqui nihil certi ex Scriptura colligi posset. Nihil autem absurdi sequitur ex illis Christi verbis in proprio sensu acceptis. Nam vt rectè ait Aegid. disp. 4. dub. 2. licet absurdum sit hominẽ propria auctoritate remittere peccata in Deũ commissa (hoc enim Deo soli cõuenit, qui solus potest de suo iure disponere propria authoritate) nullum tamen absurdum est, quòd id faciat nomine Dei, tanquam eius minister, & potestate ab eo sibi tradita. Sicut inter homines potest ille remittere offensas Regi factas, cui Rex id commiserit. Clarũ etiam est potuisse Christum id committere Apostolis, & Sacerdotibus eorum successoribus: & vt defacto committeret, tum ipsius bonitati, tum exuberantiæ gratiæ legis nouæ fuit maximè congruum. Quod autem reipsa commiserit, verba Ioannis relata satis clarè significant: quare nulla est ratio negandi fuisse commissum. Neque verò Scriptura clarius vllibi docet peccata remitti hominum ministerio per Baptismum, quàm per Sacramentum Poenitentiæ: neque maius est inconueniens in vno, quàm in alio: vt enim rectè dicit Ambros. lib. 1. de Poenitentia cap. 7. Nihil interest, vtrum per Poenitentiam, an per lauacrum hoc ius remittendi peccata sibi vendicent Sacerdotes. Vnum in vtroque ministerium est. Posito autem quòd Christus potestatem illam concesserit, vt verba Christi relata, & expensa significant; manifestum est illius vsum & effectum per hæc verba significari, *Absoluo te à peccatis tuis*: non minùs quàm potestas remittendi per Baptismum, significatur istis, *Ego te baptizo in nomine Patris &c.*

13. Soluitur primum argum. cõtrariæ sententiæ.

Quare ad primum argumentum Magistri Respõdeo, Dei quidem solius esse remittere peccata potestate propriâ, & non aliunde acceptâ, ac pro suprema authoritate: Sacerdotem tamen id posse potestate ministeriali à Deo sibi tradita. Vbi obiter nota, præter supremam potestatem & independentem remittendi peccata, duplicem esse ministerialem & subordinatam. Vnam principalem, & soli Deo subordinatam, qualis in Christo est. Alteram minùs principalem, & vtrique præcedenti subordinatam, qua-

Digitized by Google

lis fuit concessa Apostolis, & Sacerdotibus eorum successoribus. Eodem redit aliorum responsio, Deum remittere vt causam principalem, Sacerdotem verò vt instrumentalem: quæ potestas Sacerdotis instrumentalis non est qualicunque: sed est potestas alligata & determinata modo à Christo instituto, qui est, vt exerceatur & operetur per illa verba, aut æquiualentia, *Absoluo te à peccatis*: adeo vt effectus remissionis & sanctificationis non sit ab illa immediatè: sed mediante signo efficaci per Christum instituto, quo effectus ille significatur & ponitur: & illud quoque signum efficax pendeat pariter ab illa potestate, quæ est potestas ponendi tale signũ, & per illud remittendi peccata. In quo iterum differt potestas Christi à potestate Sacerdotum. Nam Christi potestas hunc in modum alligata & restricta non fuit.

14. Ad secundum respondeo 1. Patrum sententiam longè aliam fuisse ab errore Magistri: vt patet ex Chrysostomo lib. 3. de Sacerdotio, Ambrosio lib. 1. de poenit. cap. 2. & 7. & lib. 2. cap. 2. Augustino lib. 2. de adulterinis coniugiis cap. 9. Hieronymo epist. 150. ad Hedibiam quæst. 9. Cyrillo lib. 12. in Ioan. cap. 56. Leone epistola 91. ad Theodorum Foroiulien-sem Episcopum. Verba Chrysostomi loco cit. sunt. *Corporis lepram purgare, vel vt verius dicam, ne purgare quidem, sed purgatam ostendere Iudæorum Sacerdotibus licebat. At verò nostris Sacerdotibus non corporis lepram, sed animæ sordes non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.* Ibidemque affirmat ita verè remitti peccata à Sacerdote, sicut remittuntur à Christo. Idque colligit ex illo loco Ioan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

15. Diluitur secundum. Respondeo 2. cum Valentia quæst. 1. de poenit. punc. 3. ministerium euangelicum remittendi peccata partim simile esse, partim dissimile ministerio legalium Sacerdotum in pronunciando mundos à lepra. Simile est in eo quòd, sicut veritas illius legalis ministerii non pendebat ex solo arbitrio Sacerdotis, sed ex ipsa dispositione hominis: ita veritas & efficacia ministerii Euangelici in peccatis remittendis non pendet ex solo nutu & arbitrio Sacerdotis: quasi possit is pro libito remittere peccata hominis quomodocunque dispositi: sed ex ipsa bona hominis dispositione pendet, hoc est, ex poenitentia tali, qualis requiritur, vt per hoc sacramentum remittantur peccata, iuxta Christi institutionem. Et hoc contendunt Patres ab aduersariis citati, vt patebit legentibus non ea solum verba quæ ex ipsis obiici solent, sed antecedentia & consequentia. Est tamen dissimile ministerium euangelicum legali, quia non tantùm ostendit hominem rectè dispositum esse mundatum à peccato, sed verè ipsum mundat, iuxta Chrysostomi verba superiùs allata. Quibus adde quòd quamuis Sacerdotes legales non curarent à lepra: mundabant tamen ab immunditia legali eos qui priùs purgati à lepra erant. In quo rursus similes erant aliquatenus Sacerdotibus euangelicis, qui quos peccati sui poenitet, purgant à sordibus peccatorum & immunditiâ spiritali.

16. Fateor tamen Hieronymum in caput Matth. 16. vt aliquorum supercilium deprimeret, paulò duriùs esse locutum: sed ex iis quæ dicit in Epistola supra citata ad Hedibiam quæst. 9. benignè interpretandus est. Exemplo verò Lazari vtuntur Patres, vt significent priùs debere peccatorem vocari à Deo & excitari, atque ita quodammodo viuere incipere per pium motum voluntatis contra peccata: quàm absoluatur à Sacerdotibus. Quod omninò verum est. Ita tamen vt necesse non sit viuere priùs vitâ gratiæ & iustitiæ supernaturalis: tametsi Deus sic interdum peccatorem præuenit, vt per contritionem charitate perfectam ante sacramenti susceptionem planè viuificetur. Qua de re videri potest D. Augustin. tract. 22. & 49. in Ioan. & serm. 8. de verbis Domini.

17. Denique Ambrosius verbis relatis significat tantùm homines in remissione peccatorum non exercere ius alicuius potestatis supremæ, & sibi propriæ. Subdit enim immediatè post. Neque enim suo, sed Spiritus sancti nomine remittunt. Quod verò habeant Sacerdotes potestatem aliquam remittendi peccata, sibi à Christo commmissam verbis illis, *Accipite Spiritum sanctum* &c. docet expressissimè idem Ambrosius lib. 1. de poenit. cap. 2. vbi Nouatianos reprehendit, quòd hanc potestatem negarent Sacerdotibus euangelicis, dicerentque, *Se Domino deferre reuerentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reseruabant.* Cum tamen Dominus ipse in Euangelio dixerit: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis* illisque verbis hanc potestatem Apostolis, & eorum successoribus non obscurè concesserit. Et longè post addit cap. 7. *Cur baptizatis si per hominẽ dimitti peccata non licet? In baptismo vtique remissio peccatorum omnium est. Quid interest vtrum per poenitentiam an per lauacrum, hoc ius sibi datum vendicent Sacerdotes? Idem in vtroque mysterium est.* vel vt habet alia lectio, *Vnum in vtroque ministerium est.*

18. Secunda sententia contraria est Hugonis Victorini lib. 2. de sacramentis parte 14. cap. 8. existimantis Deum remittere peccatum quoad culpam, Sacerdotes autem quoad poenam æternam: atque ita sensum formæ esse, Absoluo te à poena æterna. Fundamentum eius est idem quod Magistri: quoniam Sacerdos non potest remittere peccata quoad culpam. Verùm hæc sententia pariter falsa. est Nã verba Christi & formæ absolutionis detorquet in sensum impro-

Sacerdos remittit culpam ipsam.

priũ. Etenim poena non est peccatum, licet ex peccato orta sit. Quare remittere peccata, & absoluere à peccatis verè ac propriè, nõ est remittere tantùm poenam. Deinde poena non minùs iuri Dei subest, quàm culpa: & Deus quando culpam dimittit, remittit poenam æternam vnà cum culpa, vt clarè docet Trident. sess. 6. cap. 14. & cap. 1. eiusdem sess. ait Sacerdotibus datam esse potestatem reconciliandi fideles post baptismum lapsos: & can. 3. dicit effectum huius sacramenti esse reconciliationem cum Deo. Et in multis decretis sumptis ex Sanctorum Patrum & summorum Pontificum sententiis, iubentur Sacerdotes dare absolutionem moribundi eam petentibus, ne alioqui exponantur periculo æternæ damnationis. Ergo supponunt per absolutionem vitari illud periculum. Ergo & tolli peccatum mortale quoad culpam, quod solum est causa æternæ damnationis. Habentur hæc decreta Can. *Si presbyter*, & sequentibus 26. q. 6. Denique forma absolutionis locum habet in peccatis venialibus, quibus tamen non debetur poena æterna. Plura aduersus hanc sententiam dicemus inferiùs disp. 57. sect. 2.

19. Alii tertiò, quorum meminit Alensis parte 3. quæst. 60. memb. 1. artic. 2. & D. Bonauentura in 4. dist. 18. art. 2. quæst. 2. in corp. existimarunt sensum illius esse, Ego te absoluo, non à culpis, sed ab obligatione subiiciendi eas clauibus Ecclesiæ. Sed hæc sententia caret omni probabilitatis specie. Primò, quia obligatio subiiciendi peccata non est peccatum & absoluere ab illa, non est absoluere à peccato, sed ab obligatione, à qua per se, sine alia absolutione, manet absolutus, qui iam subiecit legitimè peccata sua iudicio Sacerdotis. Licet enim indigeat absolutione: non tamen indiget ab illa obligatione, cui satisfecit, sed absolutione à peccatis. Deinde si potestas sacerdotum non extenderetur ad aliud, quàm ad cognoscenda peccata; parum vtilis esset, ac sæpiùs expediret illa non agnosci. Tertiò, nulla est obligatio confitendi venialia, de quibus tamen solis dari potest absolutio: non ab illa obligatione, quæ non est. Quartò, qui absoluitur indirectè tantùm à reseruatis, non liberatur ab obligatione confitendi illa superiori. Ergo falsa est illa interpretatio: cuius fundamentum, idem quod sententiarum præcedentium, suprà euersum fuit.

Nõ absoluit tantùm ab obligatione confitendi.

20. Obiicies. si sensus verborum formæ est ille quem diximus: quomodo potest verificari de peccatis iam antea remissis, siue per contritionem, siue per aliam confessionem & absolutionem. Neque enim potest solui peccatorum vinculis ille qui non est ligatus: neque remitti possunt seu destrui peccata, quæ amplius non sunt: nec denique Deus, aut Sacerdos vice Dei, habet ampliùs ius circa illa, quod exerceat remittendo. Nam ius non est circa nihil, neque manere potest fundamento aut obiecto destructo.

Quomodo potest verificari forma circa peccata iam ante remissa.

Respondeo sicut idem sæpius donari potest donatione confirmatiua, & idem sæpius vouèri, seu promitti Deo, votum renouando: sic eadem offensa potest sæpius condonari, renunciando magis ac magis iuri, quod olim habuimus circa talem offensam, nouoque titulo nos obligando ad non retinendam illius memoriam in ordine ad odium, aut alios effectus. Porro, forma absolutionis non significat determinatè primam remissionem peccatorum, sicut matrimonium & professio religiosa significant primam sui traditionem coniugi aut Religioni, ideoque non possunt iterari circa eandem personam ligatam adhuc matrimonio aut professione: sed significat indifferenter primam vel secundum remissionem, iuxta capacitatem subiecti.

SECTIO III.

Vtrum forma sacramenti pœnitentiæ deprecatiuo modo enunciari, vel absenti dari possit?

21. CIrca primum, dicendum est cum D. Tho. q. 8. supplem. art. 3. ad 1. Paludano, Soto, Nauarro, Suare, Vatque, Valentia, Aegidio, aliisque communiter, formam in sensu deprecatiuo non sufficere ad constituendum sacramentum pœnitentiæ. Primò, quia forma merè deprecatiua repugnat cum forma iudicii. De essentia verò huius sacramenti est vt fiat per modum iudicii, & absolutio sit sententia iudicialis. Secundò, quia moris est in Ecclesia vt ante illa verba, *Ego te absoluo*, præmittat Sacerdos has orationes, *Misereatur tui omnipotens Deus &c. Dominus noster I. C. absoluat te &c.* Et tamen Trident. sess. 14. cap. 3. initio sic ait: *Docet præterea sancta Synodus sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipsius vis sita est, in illius ministri verbis posnam esse, Ego te absoluo &c. quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adiunguntur, ad ipsius tamè formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessariæ.* Hæc Tridentinum. Quibus adde, quòd si in illis verbis, *Misereatur tui &c. & Dominus noster I. C. absoluat te &c.* contineretur sufficiens forma absolutionis, Ecclesia proferret successiuè duas aut tres formas supra eandem materiam: quod non modò laudabiliter, vt Tridentinum ait, sed ne tolerabiliter quidem fieret.

Non valet in sensu deprecatiuo.

22. Notandum tamen, id quod Suares disp. 19. sect. 1. num. 25. & alii communiter aduertunt: eadem verba materialiter sumpta, quæ possunt proferri modo & intentione deprecandi, proferri posse modo & intentione imperandi: in quo sensu æquipollerent his verbis, *Ego te absoluo*, & consequenter sufficerent ad sacramentum constituendum. Quo sensu valeret illa forma, Absoluatur Petrus: sicut illa Græcorum forma Baptismi valet, Baptizetur seruus Christi &c. in praxi

in praxi tamen Ecclesiæ consuetudo cuique seruanda est, à qua licitè recedi nequit.

Contrarium senserunt Alensis parte prima, quæst. 60. membr. 2. Diuus Bonauentura in quarto, distinctione 18. art. 2. qu. 1. Maironis dist. 14. quæst. 1. a. 2. & alii quidam. Sed quidquid afferunt authoritati Tridentini postponendum est. Quæ autem obiiciunt ad duo capita reuocari possunt. Primum est, praxis Ecclesiæ: aiunt enim Græcos formâ tantum deprecatiuâ absoluere, idemque olim vsque ad tempora Diui Thomæ Latinam Ecclesiam fecisse: vt probant ex liturgiis Cabazilæ & Pammelii, & ex Alcuino, Grimaldo, Burchardo, Guillelmo Parisiensi, & Francisco Maironis, ex quo vltimo constat diu post tempora D. Thomæ Ecclesiam Latinam alicubi vsam fuisse hac forma, Absoluat te Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

22. Secundum caput continet testimonia quędam sanctorum Patrum: quale est illud D. Ambrosii lib. 3. de Spiritu sancto, cap. 19. *Homines in remissione peccatorum ministerium suum exhibent, non ius alicuius potestatis exercent. Isti rogant, diuinitas donat.* Et illud Diui Augustini lib. 3. de Baptismo contra Donatistas cap. 16. in fine, vbi de absolutione sic loquitur: *Quid enim est aliud nisi oratio super hominem?* Et illud S. Leonis Papæ epist. 91. ad Theodorum, *Indulgentia nisi supplicationibus sacerdotum nequit obtineri.* Addi tertiò potest, absolutionem ab excommunicatione dari posse formâ deprecatiuâ. Ergo non est de ratione sententiæ iudicialis vt non feratur modo deprecatiuo. Ergo ex hac parte non repugnat absolutionem à peccatis dari modo deprecatiuo.

Refutantur argum. obiectaria. Ad primum, nego Ecclesiam Græcam aut Latinam vsam vnquam fuisse, aut vti adhuc, formâ deprecatiuâ: sed ad summum imperatiuâ: qualis est illa Maironis supra relata, si tamen verè refert: in qua non Deo imperatur, sed effectui: sicut Deus rebus ipsis à se productis imperabat cùm diceret, Fiat lux, Fiat firmamentum, Germinet terra herbam virentem, Genesis 1. Et verò Arcudius qui de formis absoluendi Græcorum accuratè & fusè disputat lib. 4. de Sacramentis cap. 3. nullam omnino refert, in qua non sit aliqua propositio, quæ authoritatem sententiæ iudicialis præ se ferat: licet antè, & post orationes aliquas habeat adiunctas, quemadmodum habet forma consueta Latinæ Ecclesiæ. Nam in omnibus dicitur Ἄφες σοι λύομαι, Ἄφες σοι συγχωροῦμαι id, est, Habeo te absolutum, Habeo te venia donatum, aut quid simile: quod phrasi Græca æquiualet istis, Ego te absoluo, Ego te dono veniâ: vt idem Arcudius rectè ostendit cap. citato, tribus foliis ante finem capitis, §. *His relictis opinionibus*: vbi planè & constanter affirmat, Ecclesiam Græcam nunquam esse vsam in sacramento pœnitentiæ formâ imperatiuâ, multóque minùs deprecatiuâ, sed enunciatiuâ; sicut sententia iudicialis effe-

ri solet.

Ad secundum iam suprà responsum fuit, Ambrosium negantem hominibus, circa remissionem peccatorum, exercitium iuris alicuius potestatis, intelligendum esse de potestate propria & independente, non autem de ministeriali: quam exercere homines in peccatis remittendis docet lib. 1. de Pœnit. cap. 2. & 7. Cur autem idem, aliique duo Patres citati absolutionem vocent orationem, & supplicationem, ratio esse potest, vel quia tacita quædam precatio est, quatenus continet inuocationem quandam Spiritus sancti, cuius virtute fit: quo sensu loquuntur Ambrosius, & Augustinus locis citatis: vel quia formalis precatio cum absolutione adhiberi solet, & mos loquendi est, vt res à circunstantia quadam notissima denominari soleant. Easdemque ob causas forma consecrationis Eucharisticæ oratio interdum & precatio vocatur à Patribus, vt suo loco notatū fuit. Et verba illa Eliæ 3. Reg. 17. v. 1. *Viui Dominus si erit pluuia, &c.* vocantur oratio, tacita scilicet, Iacobi 5. v. 17. Neque enim loco Regum citato refertur Eliam aliud fecisse ad pluuiam arcendam, quàm verba illa protulisse. Cùm tamen cap. 18. ver. 42. expresse dicatu pronus in terram faciem inter genua sua posuisse ad eam reducendam. Idem autem historicus pari fidelitate in narrando vtrobique vsus esse censeri debet. 243

Absolutio ab excommunicatione non potest dari forma deprecatiua. Ad tertium, nego sententiam iudicialem absolutionis ab excōmunicatione posse ferri formâ deprecatiuâ, sed vel enunciatiuâ, *Absoluo te*: vel imperatiua, *Absoluat te Deus.* Et quidem sacerdos in forma absoluendi consueta præmittit illa verba, Dominus noster Iesus Christus absoluat te: tum addit: Et ego authoritate ipsius absoluo te in primis ab omni vinculo excommunicationis. Itaq; per priora verba deprecatoria non fuit poenitēs ab excommunicatione absolutus: alioquin hæc frustrà adderentur. Potest tamen aliter, quàm per sententiam iudicialem tolli excōmunicatio: cuius ablatio & auferendi modus pendet ab Ecclesia, æquè ac eius impositio. Nam tolli potest per contactum virgæ pastoralis, per admissionem ad conuictum, cōmunem, per familiarem cōuersationem cum Prælato, & aliis modis quos Ecclesia instituerit. Atque ita posset instituere Ecclesia vt ad preces alicuius tolleretur, siue causa per eum cognita, siue etiā non cognita. Sed tunc preces illius non essent sententia iudicialis absolutionis, neque ille tolleret sua authoritate: sed Ecclesia ipsa, vi suæ institutionis, id concederet infallibiliter illius precibus per modum impetrationis. 25.

Arcud. Quod autem ait Arcudius cap. citato paulò ante medium, §. *Neque satis est dicere.* Si apud aliquam gentem mos esset iudicialem sententiam deprecatiuo modo proferri, sine dubio tunc valeret absolutio: non est verum. Neque tunc iudex, tantùm deprecans, proferret sententiam iudicialem: neque per se absolueret propriè & ex iudiciali 26.

Digitized by Google

priũ. Etenim poena non eſt peccatum, licet ex peccato orta ſit. Quare remittere peccata, & abſoluere à peccatis verè ac propriè, nõ eſt remittere tantùm poenam. Deinde poena non minùs iuri Dei ſubeſt, quàm culpa: & Deus quando culpam dimittit, remittit poenam æternam vnà cum culpa, vt clarè docet Trident. ſeſſ. 6. cap. 14. & cap. 1. eiuſdem ſeſſ. ait Sacerdotibus datam eſſe poteſtatem reconciliandi fideles poſt baptiſmum lapſos: & can. 3. dicit effectum huius ſacramenti eſſe reconciliationem cum Deo. Et in multis decretis ſumptis ex Sanctorum Patrum & ſummorum Pontificum ſententiis, iubentur Sacerdotes dare abſolutionem moribundis eam petentibus, ne alioqui exponantur periculo æternæ damnationis. Ergo ſupponunt per abſolutionem vitari illud periculum. Ergo & tolli peccatum mortale quoad culpam, quod ſolum eſt cauſa æternæ damnationis. Habentur hæc decreta Can. *Si presbyter*, & ſequentibus 26. q. 6. Denique forma abſolutionis locum habet in peccatis venialibus, quibus tamen non debetur poena æterna. Plura aduerſus hanc ſententiam dicemus inferiùs diſp. 57. ſect. 2.

19. Alii tertiò, quorum meminit Alenſis parte 3. quæſt. 60. memb. 1. artic. 2. & D. Bonauentura in 4. diſt. 18. art. 2. quæſt. 2. in corp. exiſtimarunt ſenſum illius eſſe, Ego te abſoluo, non à culpis, ſed ab obligatione ſubiiciendi eas clauibus Eccleſiæ. Sed hæc ſententia caret omni probabilitatis ſpecie. Primò, quia obligatio ſubiiciendi peccata non eſt peccatum & abſoluere ab illa, non eſt abſoluere à peccato, ſed ab obligatione, à qua per ſe, ſine alia abſolutione, manet abſolutus, qui iam ſubiecit legitimè peccata ſua iudicio Sacerdotis. Licet enim indigeat abſolutione: non tamen indiget ab illa obligatione, cui ſatisfecit, ſed abſolutione à peccatis. Deinde ſi poteſtas ſacerdotum non extenderetur ad aliud, quàm ad cognoſcenda peccata; parum vtilis eſſet, ac ſæpiùs expediret illa non agnoſci. Tertiò, nulla eſt obligatio confitendi venialia, de quibus tamen ſolis dari poteſt abſolutio: non ab illa obligatione, quæ non eſt. Quartò, qui abſoluitur indirectè tantùm à reſeruatis, non liberatur ab obligatione confitendi illa ſuperiori. Ergo falſa eſt illa interpretatio: cuius fundamentum, idem quod ſententiarum præcedentium, ſuprà euerſum fuit.

Nõ abſoluit tantùm ab obligatione confitendi.

20. Obiicies, ſi ſenſus verborum formæ eſt ille quem diximus: quomodo poteſt verificari de peccatis iam antea remiſſis, ſiue per contritionem, ſiue per aliam confeſſionem & abſolutionem. Neque enim poteſt ſolui peccatorum vinculis ille qui non eſt ligatus: neque remitti poſſunt ſeu deſtrui peccata, quæ amplius non ſunt: nec denique Deus, aut Sacerdos vice Dei, habet ampliùs ius circa illa, quod exerceat remittendo. Namius non eſt circa nihil, neque manere poteſt fundamento aut obiecto deſtructo.

Quomodo poteſt verificari forma circa peccata iam ante remiſſa.

Reſpondeo ſicut idem ſæpius donari poteſt donatione confirmatiua, & idem ſæpius vouerì, ſeu promitti Deo, votum renouando: ſic eadem offenſa poteſt ſæpius condonari, renunciando magis ac magis iuri, quod olim habuimus circa talem offenſam, nouoque titulo nos obligando ad non retinendam illius memoriam in ordine ad odium, aut alios effectus. Porro, forma abſolutionis non ſignificat determinatè primam remiſſionem peccatorum, ſicut matrimonium & profeſſio religioſa ſignificant primam ſui traditionem coniugi aut Religioni, ideoque non poſſunt iterari circa eandem perſonam ligatam adhuc matrimonio aut profeſſione: ſed ſignificat indifferenter primam vel ſecundum remiſſionem, iuxta capacitatem ſubiecti.

SECTIO III.

Vtrum forma ſacramenti poenitentiæ deprecatiuo modo enuciari, vel abſenti dari poſſit?

CIrca primum, dicendum eſt cum D. Tho. q. 8. ſupplem. art. 3. ad 1. Paludano, Soto, Nauarro, Suare, Vaſque, Valentia, Aegidio, aliiſque communiter, formam in ſenſu deprecatiuo non ſufficere ad conſtituendum ſacramentum poenitentiæ. Primò, quia forma merè deprecatiua repugnat cum forma iudicii. De eſſentia verò huius ſacramenti eſt vt fiat per modum iudicii, & abſolutio ſit ſententia iudicialis. Secundò, quia moris eſt in Eccleſia vt ante illa verba, *Ego te abſoluo*, præmittat Sacerdos has orationes, *Miſereatur tui omnipotens Deus &c. Dominus noſter I. C. abſoluat te &c.* Et tamen Trident. ſeſſ. 14. cap. 3. initio ſic ait: *Docet præterea ſancta Synodus ſacramenti poenitentiæ formam, in qua præcipuè ipſius vis ſita eſt, in illius miniſtri verbis poſitam eſſe, Ego te abſoluo &c. quibus quidem de Eccleſiæ ſanctæ more preces quædam laudabiliter adiunguntur, ad ipſius tamẽ formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius ſacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſariæ.* Hæc Tridentinum. Quibus adde, quòd ſi in illis verbis, *Miſereatur tui &c.* & *Dominus noſter I. C. abſoluat te &c.* contineretur ſufficiens forma abſolutionis, Eccleſia proferret ſucceſſiuè duas aut tres formas ſupra eandem materiam: quod non modò laudabiliter, vt Tridentinum ait, ſed ne tolerabiliter quidem fieret.

21. *Non valet in ſenſu deprecatiuo.*

Notandum tamen, id quod Suares diſp. 19. ſect. 1. num. 25. & alii communiter aduertunt: eadem verba materialiter ſumpta, quæ poſſunt proferri modo & intentione deprecandi, proferri poſſe modo & intentione imperandi: in quo ſenſu æquipollerent his verbis, *Ego te abſoluo*, & conſequenter ſufficerent ad ſacramentum conſtituendum. Quo ſenſu valeret illa forma, Abſoluatur Petrus: ſicut illa Græcorum forma Baptiſmi valet, Baptizetur ſeruus Chriſti &c.

22.

in praxi

in praxi tamen Ecclesiæ consuetudo cuique seruanda est, à qua licitè recedi nequit.

Contrarium senserunt Alensis parte prima, quæst. 60. membr. 2. Diuus Bonauentura in quarto, distinctione 18. art. 2. qu. 1. Maironis dist. 14. quæst. 1. a. 2. & alii quidam. Sed quidquid afferunt authoritati Tridentini postponendum est. Quæ autem obiiciunt ad duo capita reuocari possunt. Primum est, praxis Ecclesiæ: aiunt enim Græcos formâ tantum deprecatiuâ absoluere, idemque olim vsque ad tempora Diui Thomæ Latinam Ecclesiam fecisse: vt probant ex liturgiis Cabazilæ & Pammelii, & ex Alcuino, Grimaldo, Burchardo, Guillelmo Parisiensi, & Francisco Maironis, ex quo vltimo constat diu post tempora D. Thomæ Ecclesiam Latinam alicubi vsam fuisse hac forma, Absoluat te Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

23. Secundum caput continet testimonia quędam sanctorum Patrum: quale est illud D. Ambrosii lib. 3. de Spiritu sancto, cap. 19. *Homines in remissione peccatorum ministerium suum exhibent, non ius alicuius potestatis exercent. Isti rogant, diuinitas donat.* Et illud Diui Augustini lib. 3. de Baptismo contra Donatistas cap. 16. in fine, vbi de absolutione sic loquitur: *Quid enim est aliud nisi oratio super hominem?* Et illud S. Leonis Papæ epist. 91. ad Theodorum, *Indulgentia nisi supplicationibus sacerdotum nequit obtineri.* Addi tertiò potest, absolutionem ab excommunicatione dari posse formâ deprecatiuâ. Ergo non est de ratione sententiæ iudicialis vt non feratur modo deprecatiuo. Ergo ex hac parte non repugnat absolutionem à peccatis dari modo deprecatiuo.

Refutantur argum. obiecta. Ad primum, nego Ecclesiam Græcam aut Latinam vsam vnquam fuisse, aut vti adhuc, formâ deprecatiuâ: sed ad summum imperatiuâ: qualis est illa Maironis supra relata, si tamen verè refert: in qua non Deo imperatur, sed effectui: sicut Deus rebus ipsis à se productis imperabat cùm diceret, Fiat lux, Fiat firmamentum, Germinet terra herbam virentem, Genesis 1. Et verò Arcudius qui de formis absoluendi Græcorum accuratè & fusè disputat lib. 4. de Sacramentis cap. 3. nullam omnino refert, in qua non sit aliqua propositio, quæ authoritatem sententiæ iudicialis præ se ferat: licet antè, & post orationes aliquas habeat adiunctas, quemadmodum habet forma consueta Latinæ Ecclesiæ. Nam in omnibus dicitur ἐγὼ σὲ ἀλύω, ἐγὼ σὲ συγχωρῶ id, est, Habeo te absolutum, Habeo te venia donatum, aut quid simile: quod phrasi Græca æquiualet istis, Ego te absoluo, Ego te dono veniâ: vt idem Arcudius rectè ostendit cap. citato, tribus foliis ante finem capitis, §. *His relictis opinionibus*: vbi planè & constanter affirmat, Ecclesiam Græcam nunquam esse vsam in sacramento pœnitentiæ formâ imperatiuâ, multóque minùs deprecatiuâ, sed enunciatiuâ; sicut sententia iudicialis effe-

ri solet.

Ad secundum iam suprà responsum fuit, Ambrosium negantem hominibus, circa remissionem peccatorum, exercitium iuris alicuius potestatis, intelligendum esse de potestate propria & independente, non autem de ministeriali: quam exercere homines in peccatis remittendis docet lib. 1. de Pœnit. cap. 2. & 7. Cur autem idem, aliique duo Patres citati absolutionem vocent orationem, & supplicationem, ratio esse potest, vel quia tacita quædam precatio est, quatenùs continet inuocationem quandam Spiritus sancti, cuius virtute fit: quo sensu loquuntur Ambrosius, & Augustinus locis citatis: vel quia formalis precatio cum absolutione adhiberi solet, & mos loquendi est, vt res à circumstantiis quadam notissima denominari soleant. Easdemque ob causas forma consecrationis Eucharisticæ oratio interdum & precatio vocatur à Patribus, vt suo loco notatũ fuit. Et verba illa Eliæ 3. Reg. 17. v. 1. *Viuit Dominus si erit pluuia, &c.* vocantur oratio, tacita scilicet, Iacobi 5. v. 17. Neque enim loco Regum citato refertur Eliam aliud fecisse ad pluuiam arcendam, quàm verba illa protulisse. Cùm tamen cap. 18. ver. 42. expressè dicatur pronus in terram faciem inter genua sua posuisse ad eam reducendam. Idem autem historicus pari fidelitate in narrando vtrobique vsus esse censeri debet. 24.

Ad tertium, nego sententiam iudicialem absolutionis ab excõmunicatione posse ferri formâ deprecatiuâ, sed vel enunciatiuâ, *Absoluo te*: vel imperatiua, *Absoluat te Deus.* Et quidem sacerdos in forma absoluendi consueta præmittit illa verba, Dominus noster Iesus Christus absoluat te: tum addit: Et ego authoritate ipsius absoluo te in primis ab omni vinculo excommunicationis. Itaq; per priora verba deprecatoria non fuit poenitẽs ab excommunicatione absolutus: alioquin hæc frustrà adderentur. Potest tamen aliter, quàm per sententiam iudicialem tolli excõmunicatio: cuius ablatio & auferendi modus pendet ab Ecclesia, æquè ac eius impositio. Nam tolli potest per contactum virgæ pastoralis, per admissionem ad conuictum cõmunem, per familiarem cõuersationem cum Prælato, & aliis modis quos Ecclesia instituerit. Atque ita posset instituere Ecclesia vt ad preces alicuius tolleretur, siue causa per eum cognita, siue etiã non cognita. Sed tunc preces illius non essent sententia iudicialis absolutionis, neque ille tolleret sua authoritate: sed Ecclesia ipsa, vi suæ institutionis, id concederet infallibiliter illius precibus per modum impetrationis. 25. Absolutio ab excommunicatione non potest dari forma deprecatiua.

Quod autem ait Arcudius cap. citato paulò ante medium, §. *Neque satis est dicere.* Si apud aliquam gentem mos esset iudicialem sententiam deprecatiuo modo proferri, sine dubio tunc valeret absolutio: non est verum. Neque tunc iudex, tantùm deprecans, proferret sententiam iudicialem: neque per se absolueret propriè & ex iudiciali 26. Arcud.

Digitized by Google

priũ. Etenim poena non est peccatum, licet ex peccato orta sit. Quare remittere peccata, & absoluere à peccatis verè ac propriè, nõ est remittere tantùm poenam. Deinde poena non minùs iuri Dei subest, quàm culpa: & Deus quando culpam dimittit, remittit poenam æternam vnà cum culpa, vt clarè docet Trident. sess. 6. cap. 14. & cap. 1. eiusdem sess. ait Sacerdotibus datam esse potestatem reconciliandi fideles post baptismum lapsos: & can. 3. dicit effectum huius sacramenti esse reconciliationem cum Deo. Et in multis decretis sumptis ex Sanctorum Patrum & summorum Pontificum sententiis, iubentur Sacerdotes dare absolutionem moribundi eam petentibus, ne alioqui exponantur periculo æternæ damnationis. Ergo supponunt per absolutionem vitari illud periculum. Ergo & tolli peccatum mortale quoad culpam, quod solum est causa æternæ damnationis. Habentur hæc decreta Can. *Si presbyter*, & sequentibus 26. q. 6. Denique forma absolutionis locum habet in peccatis venialibus, quibus tamen non debetur poena æterna. Plura aduersus hanc sententiam dicemus inferiùs disp. 57. sect. 2.

19. Alii tertiò, quorum meminit Alensis parte 3. quæst. 60. memb. 1. artic. 2. & D. Bonauentura in 4. dist. 18. art. 2. quæst. 2. in corp. existimarunt sensum illius esse, Ego te absoluo, non à culpis, sed ab obligatione subiiciendi eas clauibus Ecclesiæ. Sed hæc sententia caret omni probabilitatis specie. Primò, quia obligatio subiiciendi peccata non est peccatum & absoluere ab illa, non est absoluere à peccato; sed ab obligatione, à qua per se, sine alia absolutione, manet absolutus, qui iam subiecit legitimè peccata sua iudicio Sacerdotis. Licet enim indigeat absolutione: non tamen indiget ab illa obligatione, cui satisfecit, sed absolutione à peccatis. Deinde si potestas sacerdotum non extenderetur ad aliud, quàm ad cognoscenda peccata; parum vtilis esset, ac sæpiùs expediret illa non agnosci. Tertiò, nulla est obligatio confitendi venialia, de quibus tamen solis dari potest absolutio: non ab illa obligatione, quæ non est. Quartò, qui absoluitur indirectè tantùm à reseruatis, non liberatur ab obligatione confitendi illa superiori. Ergo falsa est illa interpretatio: cuius fundamentum, idem quod sententiarum præcedentium, suprà euersum fuit.

Nõ absoluit tantùm ab obligatione confitendi.

20. Obiicies. si sensus verborum formæ est ille quem diximus; quomodo potest verificari de peccatis iam antea remissis, siue per contritionem, siue per aliam confessionem & absolutionem. Neque enim potest solui peccatorum vinculis ille qui non est ligatus: neque remitti possunt seu destrui peccata, quæ amplius non sunt: nec denique Deus, aut Sacerdos vice Dei, habet ampliùs ius circa illa, quod exerceat remittendo. Nam ius non est circa nihil, neque manere potest fundamento aut obiecto destructo.

Quomodo potest verificari forma circa peccata iam ante remissa.

Respondeo sicut idem sæpius donari potest donatione confirmatiua, & idem sæpius vouèri, seu promitti Deo, votum renouando: sic eadem offensa potest sæpius condonari, renunciando magis ac magis iuri, quod olim habuimus circa talem offensam, nouoque titulo nos obligando ad non retinendam illius memoriam in ordine ad odium, aut alios effectus. Porro, forma absolutionis non significat determinatè primam remissionem peccatorum, sicut matrimonium & professio religiosa significant primam sui traditionem coniugi aut Religioni, ideoque non possunt iterari circa eandem personam ligatam adhuc matrimonio aut professione: sed significat indifferenter primam vel secundum remissionem, iuxta capacitatem subiecti.

SECTIO III.

Vtrum forma sacramenti pœnitentiæ deprecatiuo modo enunciari, vel absenti dari possit?

CIrca primum, dicendum est cum D. Tho. q. 8. supplem. art. 3. ad 1. Paludano, Soto, Nauarro, Suare, Vaique, Valentia, Aegidio, aliisque communiter, formam in sensu deprecatiuo non sufficere ad constituendum sacramentum pœnitentiæ. Primò, quia forma merè deprecatiua repugnat cum forma iudicii. De essentia verò huius sacramenti est vt fiat per modum iudicii, & absolutio sit sententia iudicialis. Secundò, quia moris est in Ecclesia vt ante illa verba, *Ego te absoluo*, præmittat Sacerdos has orationes, *Misereatur tui omnipotens Deus* &c. *Dominus noster I. C. absoluat te* &c. Et tamen Trident. sess. 14. cap. 3. initio sic ait: *Docet præterea sancta Synodus sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipsius vis sita est, in illius ministri verbis posita esse, Ego te absoluo &c. quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adiunguntur, ad ipsius tamẽ formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessariæ.* Hæc Tridentinum. Quibus adde, quòd si in illis verbis, *Misereatur tui* &c. & *Dominus noster I. C. absoluat te* &c. contineretur sufficiens forma absolutionis, Ecclesia proferret successiuè duas aut tres formas supra eandem materiam: quod non modò laudabiliter, vt Tridentinum ait, sed ne tolerabiliter quidem fieret.

21. Non valet in sensu deprecatiuo.

Notandum tamen, id quod Suares disp. 19. sect. 1. num. 25. & alii communiter aduertunt: eadem verba materialiter sumpta, quæ possunt proferri modo & intentione deprecandi, proferri posse modo & intentione imperandi: in quo sensu æquipollerent his verbis, *Ego te absoluo*, & consequenter sufficerent ad sacramentum constituendum. Quo sensu valeret illa forma, Absoluatur Petrus: sicut illa Græcorum forma Baptismi valet, Baptizetur seruus Christi &c.

22.

in praxi

in praxi tamen Ecclesiæ consuetudo cuique seruanda est, à qua licitè recedi nequit.

Contrarium senserunt Alensis parte prima, quæst. 60. membr. 2. Diuus Bonauentura in quarto, distinctione 18. art. 2. qu. 1. Maironis dist. 14. quæst. 1. a. 2. & alii quidam. Sed quidquid afferunt authoritati Tridentini postponendum est. Quæ autem obiiciunt ad duo capita reuocari possunt. Primum est, praxis Ecclesiæ: aiunt enim Græcos formâ tantum deprecatiuâ absoluere, idemque olim vsque ad tempora Diui Thomæ Latinam Ecclesiam fecisse: vt probant ex liturgiis Cabazilæ & Pammelii, & ex Alcuino, Grimaldo, Burchardo, Guillelmo Parisiensi, & Francisco Maironis, ex quo vltimo constat diu post tempora D. Thomæ Ecclesiam Latinam alicubi vsam fuisse hac forma, Absoluat te Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

23. Secundum caput continet testimonia quædam sanctorum Patrum: quale est illud D. Ambrosii lib. 3. de Spiritu sancto, cap. 19. *Homines in remissione peccatorum ministerium suum exhibent, non ius alicuius potestatis exercent. Isti rogant, diuinitas donat.* Et illud Diui Augustini lib. 3. de Baptismo contra Donatistas cap. 16. in fine, vbi de absolutione sic loquitur: *Quid enim est aliud nisi oratio super hominem?* Et illud S. Leonis Papæ epist. 91. ad Theodorum, *Indulgentia nisi supplicationibus sacerdotum nequit obtineri.* Addi tertiò potest, absolutionem ab excommunicatione dari posse formâ deprecatiuâ. Ergo non est de ratione sententiæ iudicialis vt non feratur modo deprecatiuo. Ergo ex hac parte non repugnat absolutionem à peccatis dari modo deprecatiuo.

Refutantur argum. cõtraria.

Ad primum, nego Ecclesiam Græcam aut Latinam vsam vnquam fuisse, aut vti adhuc, formâ deprecatiuâ: sed ad summum imperatiuâ: qualis est illa Maironis supra relata, si tamen verè refert: in qua non Deo imperatur, sed effectui: sicut Deus rebus ipsis à se productis imperabat cùm diceret, Fiat lux, Fiat firmamentum, Germinet terra herbam virentem, Genesis 1. Et verò Arcudius qui de formis absoluendi Græcorum accuratè & fusè disputat lib. 4. de Sacramentis cap. 3. nullam omnino refert, in qua non sit aliqua propositio, quæ authoritatem sententiæ iudicialis præ se ferat: licet antè, & post orationes aliquas habeat adiunctas, quemadmodum habet forma consueta Latinæ Ecclesiæ. Nam in omnibus dicitur ἄφες σοι ἀπολυθῆναι, ἄφες σοι συγχωρηθῆναι id, est, Habeo te absolutum, Habeo te venia donatum, aut quid simile: quod phrasi Græca æquiualet istis, Ego te absoluo, Ego te dono veniâ: vt idem Arcudius rectè ostendit cap. citato, tribus foliis ante finem capitis, §. *His relictis opinionibus*: vbi planè & constanter affirmat, Ecclesiam Græcam nunquam esse vsam in sacramento pœnitentiæ formâ imperatiuâ, multóque minùs deprecatiuâ, sed enunciatiuâ; sicut sententia iudicialis effe-

ri solet.

Ad secundum iam suprà responsum fuit, 24.
Ambrosium negantem hominibus, circa remissionem peccatorum, exercitium iuris alicuius potestatis, intelligendum esse de potestate propria & independente, non autem de ministeriali: quam exercere homines in peccatis remittendis docet lib. 1. de Pœnit. cap. 2. & 7. Cur autem idem, aliique duo Patres citati absolutionem vocent orationem, & supplicationem, ratio esse potest, vel quia tacita quædam precatio est, quatenùs continet inuocationem quandam Spiritus sancti, cuius virtute fit: quo sensu loquuntur Ambrosius, & Augustinus locis citatis: vel quia formalis precatio cum absolutione adhiberi solet, & mos loquendi est, vt res à circunstantia quadam notissima denominari soleant. Eademque ob causas forma consecrationis Eucharisticæ oratio interdum & precatio vocatur à Patribus, vt suo loco notatũ fuit. Et verba illa Eliæ 3. Reg. 17. v. 1. *Viuit Dominus si erit pluuia, &c.* vocantur oratio, tacita scilicet, Iacobi 5. v. 17. Neque enim loco Regum citato refertur Eliam aliud fecisse ad pluuiam arcendam, quàm verba illa protulisse. Cùm tamen cap. 18. ver. 42. expresè dicatu pronus in terram faciem inter genua sua posuisse ad eam reducendam. Idem autem historicus pari fidelitate in narrando vtrobique vsus esse censeri debet.

Ad tertium, nego sententiam iudicialem 25.
absolutionis ab excõmunicatione posse ferri formâ deprecatiuâ, sed vel enunciatiuâ, *Absoluo te*: vel imperatiua, *Absoluat te Deus.* Et quidem sacerdos in forma absoluendi consueta præmittit illa verba, Dominus noster Iesus Christus absoluat te: tum addit: Et ego authoritate ipsius absoluo te in primis ab omni vinculo excommunicationis. Itaq; per priora verba deprecatoria non fuit poenitẽs ab excommunicatione absolutus: alioquin hæc frustrà adderentur. Potest tamen aliter, quàm per sententiam iudicialem tolli excõmunicatio: cuius ablatio & auferendi modus pendet ab Ecclesia, æquè ac eius impositio. Nam tolli potest per contactum virgæ pastoralis, per admissionem ad conuictum, cõmunem, per familiarem cõuersationem cum Prælato, & aliis modis quos Ecclesia instituerit. Atque ita posset instituere Ecclesia vt ad preces alicuius tolleretur, siue causa per eum cognita, siue etiã non cognita. Sed tunc preces illius non essent sententia iudicialis absolutionis, neque ille tolleret sua authoritate: sed Ecclesia ipsa, vi suæ institutionis, id concederet infallibiliter illius precibus per modum impetrationis.

Absolutio ab excommunicatione non potest dari forma deprecatiua.

Quod autem ait Arcudius cap. citato pau- 26.
lò ante medium, §. *Neque satis est dicere.* Si apud aliquam gentem mos esset iudicialem sententiam deprecatiuo modo proferri, sine dubio tunc valeret absolutio: non est verum. Neque tunc iudex, tantùm deprecans, proferret sententiam iudicialem: neque per se absolueret propriè & ex iudiciali

Arcud.

authoritate : sed respublica , quæ sic instituisset, absolueret tacitè ad deprecationem talis hominis à se constituti, & tali modo deprecantis, vt ipsa absoluat. Non placet etiam quod aliqui dicunt: cùm verba significent ex hominum institutione, si accederet publica institutio Ecclesiæ, tunc verba deprecatiua, quæ aliàs facerent sensum nudæ deprecationis, ex intentione tamen sacerdotum loquentium, & ex circunstantiis, accedente intellectu communi Ecclesiæ, continerent veram sententiam iudicialem, quia vsurpantur vt talia. Dico enim, vel Ecclesiam sua institutione mutare significationem purè deprecatiuam verborum illorum, in enunciatiuam vel imperatiuam : aut non mutare. Si mutat: exponit risui mysteria fidei apud infideles, aliud volendo, & aliud significando secundum vsum communem verborum : & vtendo æquiuocis sine causa, cùm facile sit, & non incommodum, assumere imperatiuum aut indicatiuum loquendi modum loco optatiui. Si non mutat: non efficit sua intentione, vel institutione, vt forma illa sit absolutio iudicialis, & sententia lata authoritatiuè, adeoque sit forma huius sacramenti: quippe quæ, vt iidem docent, *debet necessariò pronunciari modo sensibili authoritatem iudicialem præ se ferente : sed nuda deprecatio nullum signum habet authoritatis.*

Absolutio sacramentalis non potest dari absenti.

27. Circa secundum in titulo sectionis propositum : non pauci olim, præsertim Thomistæ, affirmarunt absentem validè absolui, atque etiam licitè in casu necessitatis. Sic inter alios Paludanus in 4. distinct. 17. quæst. 2. §. *Tertia definitio*: D. Antoninus tertia parte, titul. 14. cap. 19. §. 9. Sylvester verbo, *Confessio*, quæst. 15. Petrus Sotus in institutione sacerdotum lect. 11. de Confessione, vbi affirmat hanc sententiam posse securè teneri, quam tenent, inquit, plures nostrum. Ex aliis verò eamdem tenuerunt Alensis, Richardus, Maior, Palacius, Nauarrus, & alii, quos refert Suarez disp. 19. sect. 3. n. 2.

28. Contrarium tamen à Clemente VIII. definitum fuit, qui sequentem propositionem damnauit: *Licet per litteras, seu internuncium, confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere.* Damnauit, inquam, quoad vtramque partem, etiam disiunctim, vt ipsemet postea exposuit, postquam in officio sanctæ inquisitionis improbata esset interpretatio sui decreti à Theologo quodam facta, tanquam non esset in eo damnata & prohibita, vtraque diuisim pars illius propositionis. Idemque postea declarauit Paulus quintus die decimo quarto Iulii, anno millesimo sexcentesimo quinto, vt iam alibi retulimus. Notandum autem illam in sensu prædicto damnari à Clemente ad minus vt falsam, temerariam, & scandalosam, & sub pœna excommunicationis prohiberi, ne quis eam vt probabilem publicè aut priuatim doceat, aut defendat, aut ea in praxi vtatur. Cum qua definitione cohærenter loquendo dicendum est, non modò non licitè, sed ne validè quidem absolutionem absenti dari posse: maximè propter illa verba quæ in Clementis definitione habentur, *Neque vnquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur.* Nam si validè posset dari absenti: posset etiam licite aliquando, saltem in casu extremæ necessitatis, neque posset vlla humana potestate prohiberi cum dispendio salutis animæ. Ratio verò esse potest, quia particula, *Te*, vel æquiualens, expresè ad personam præsentem dirigenda est, iuxta Christi institutionem: sicut in Eucharistia verba, *Hoc est*, ad materiam præsentem diriguntur: & in omnibus aliis sacramentis (excepto matrimonio, in quo Christus naturam contractus ciuilis non mutauit, sed tantùm ad sacramenti dignitatem euexit) verba ministri diriguntur ad personam præsentem. Plura hac de re videri poterunt apud Suarem vbi suprà, Aegidium Coninc disputat. quarta, dubitatione decima, & Delugo disputatione decima tertia, sect. 6. num. 147. & sequentibus.

SECTIO V.

An absolutio dari possit sub conditione, vel à pluribus simul?

Poteſt dari ſub conditione de præterito vel de præſenti.

29. CIrca primum, non est dubium dari validè posse, atque etiam licitè in casu necessitatis, sub conditione de præterito vel de præsenti. Vt cùm sacerdos dubitat rationabiliter num antea poenitentem absoluerit: vel num moribundus det signa sufficientia, aut sit satis sui compos quando confitetur: vel num infans habeat adhuc sufficientem vsum rationis, & sit capax absolutionis. Sed difficultas est, an dari validè possit sub conditione de futuro, exempli gratia, Absolvo te si restitueris: vel si poenitentiam iniunctam impleueris.

Ratio dubitandi est, quia sacramentum poenitentiæ fuit institutum in genere iudicii: ideóque debet sequi illius formam. In iudiciis autem valet absolutio, aut alia sententia, lata sub conditione de futuro, & eâ positâ habet effectum. Ergo idem de absolutione sacramentali sentiendum est. De illa enim cum proportione ad iudicium ciuile philosophandum est, si non constat Christum instituisse contrarium. Confirmatur, quia matrimonium initum per consensum & verba de præsenti, sub conditione de futuro, valet impleta conditione. Idque non alia de causa, quàm quia matrimonii sacramentum fuit institutum in genere contractus, neque Christus plus requisiuit ad

Digitized by Google

formam sacramenti ex parte materiæ vel formæ, quàm requiratur ad valorem contractus: valent autem contractus sub tali conditione initi.

30. Sed nó sub conditione de futuro.

Contraria sententia communis omnium Theologorum est, absolutionem datam sub conditione de futuro esse inualidam. Ratio præcipua est, quam alibi diximus, quia sola intentio absoluta est efficax de præsenti. Sicut enim propositio conditionalis, vt sic, nihil ponit in esse: ita voluntas conditionata, quandiu talis est, suspensa manet, & nihil operatur. Si ergo quando materia & forma sacramenti ponitur, intentio ministri non est absoluta, vel non æquiualet & transit in absolutam: non potest esse tunc sacramenti efficax. Neque postea erit: quia non est in ministri potestate vt sacramentum sit futurum, quando non erit materia neque forma, sed esse desierit.

Ad rationem dubitandi Respondeo sacramentum poenitentiæ, licet in genere iudicii institutum fuerit, non tamen secundũ Christi institutionem sequi in omnibus formam iudicii seu fori externi. Alioqui non posset idẽ esse accusator, testis & reus: neque ipsi reo se excusanti credendum esset: neque essentialiter opus esset sententiam absolutionis ferri verbis ore prolatis, & reo præsente. Quia in iudicio ciuili sententia potest ferri scripto, & circa absentem. Qualis autem fuerit sacramenti huius institutio, ex praxi Ecclesiæ & vnanimi sensu Doctorum iudicandum est potiùs, quàm ex sola proportione cum iudicio & foro externo.

31. Matrimonium posse contrahi sub conditione de futuro?

Ad confirmationem duplex responsio dari solet: quarum vtraque probabilis est. Prima est, sacramentum quoque matrimonii non contrahi validè sub conditione de futuro, neque quandiu pendet conditio (quod certissimum est, colligiturque ex capite quinto, *De conditionibus appositis*) neque etiam post, impleta conditione, nisi tunc coniuges rursus consentiant, & exteriùs consensum suum significent, idque coram parocho & testibus, vbi constitutio Tridentini recepta est. Et hic nouus consensus ille est qui matrimonii sacramentum constituit cum signo externo, velut eius materia & forma. Ante quem si alter coniugum, aut vterque, reuocaret consensum suum, aut cum alio contraheret per verba de præsenti; certum est, irritari consensum præcedentem, & matrimonium cum alio initum valere, vt dicitur cap. cit. *De conditionibus appositis*.

32. Neque obiicias, Christum instituendo sacramentum matrimonii, non mutasse naturam contractus matrimonii, sed tantùm illam, qualis in se erat, eleuasse ad statum sacramenti. Atqui contractus matrimonii validus est naturâ suâ, sicut alii contractus donationis, emptionis, voti, promissionis, &c. licet fiat sub conditione: ergo, &c. Respondetur enim minorem esse falsam: quia contractus sunt duplicis generis. Quidam, qui dum fiunt, continent solum obligationem, & non actualem rei traditionem & possessionem. Et hi valent, licet fiant sub conditione de futuro, stantque impleta conditione, licet ille qui se obligauit voluntatem suam retractauerit. Qui enim, verbi gratia, vouit aliquid sub conditione, manet reus voti, posita conditione, licet antea mentem retractauerit. Alii verò contractus sunt qui continent actualem rei traditionem & possessionem, cuiusmodi sunt matrimonium, & professio religiosa quæ est matrimonium quoddam spirituale coniungens actu religiosum cum religione traditione præsenti: & isti non valent, nisi de præsenti, cùm celebrantur, fiat actualis traditio, & detur actualis possessio rei: ideoque non possunt fieri sub cõditione de futuro: & non modò non subsistunt impletâ licet conditione, si contrahens voluntatem suam ante impletam conditionem mutauerit & retractauerit, quod certissimum est: sed neque etiam si non mutauerit, donec iterum consentiat absolutè de præsenti, sciens conditionem iam esse purificatam. Ita Suarez tomo tertio de Religione, lib. 6. de Professione relig. cap. 12. num. 18. & sequentibus, aliique plures qui docent matrimonium initum sub conditione de futuro, habere tantùm valorem sponsalium.

Secunda responsio est, dato quòd matrimonium validè celebrari possit sub conditione de futuro, compleaturque & perfectè subsistat posita conditione & nota vtrique contrahenti (atque etiam Parocho & testibus, vbi Tridentini decretum receptum est) licet coniuges non consentiant de nouo: quam sententiam tenent Innocentius cap. *Super eo*, de conditionibus appositis: Abbas cap. *De illis*, eodem titulo, Paludanus in 4. distinct. 29. quæst. 2. artic. quinto, sub finem, Petrus Sotus lect. 3. de Matrimonio, §. *Quarto denique*. Sanchez libro quinto de Matrimonio, disputatione octaua, Aegidius disputat. 29. dub. 1. num. 11. Delugo disp. 13. sect. 5. num. 111. aliique plurimi, præsertim canonistæ, à Sanche citati. Quam sententiam vt probabiliorem nos alibi sequemur in tract. de Matrimonio. Hac, inquam, sententia suppositâ vt probabiliori, respondetur differentiam esse inter matrimonium, & alia sacramenta: quòd ad cætera omnia requiruntur materia & forma physicè existentia, & præsentia dùm sacramentum celebratur, idque in ordine ad effectum præsentem, nisi sit obex ex parte recipientis: ita vt minister non possit virtutem & effectum sacramenti suspendere in futurum. Ad matrimonium verò sufficit materia & forma moraliter existens, quantum sufficit ad naturam contractus validi, & obligans quantùm fert natura contractus. Quemadmodum etiam ad cætera sacramenta requiruntur essentialiter ex parte

33

formæ verba propriè dicta, & ore prolata: ad matrimonium verò sufficiunt nutus aut alia signa sufficienter exprimentia consensum internum. Ratio est, quia Christus non aliud requisiuit ad contractum matrimonii sacramentalem, id est, qui sit materia & forma sufficiens sacramenti, præterquã illud ipsum quod natura contractus postulat. Quare si sufficit consensus moraliter manens ad contractum matrimonii, sufficit quoque ad sacramentum illud constituendum. Ad alia verò sacramenta requiritur ex institutione Christi, materia & forma magis restricta. Quare ad sacramentum poenitentiæ non sufficit quidquid sufficit in foro externo ad constituendum iudicium. Alioqui ex parte formæ sufficeret scriptum, aut nutus absoluentis.

34. Dices: In aliis sacramentis non est necessarium materiam & formam simul esse physicè: sed sufficit alteram moraliter existere, dum altera ponitur physicè. Ergo sufficit alias partes sacramenti pœnitentiæ existere moraliter donec satisfactio impleatur. Ergo absolutio data sub conditione futuræ satisfactionis valida erit. Confirmatur, quia Sacerdos per illa verba, *Absoluo te à peccatis tuis*, non tantum absoluit à culpa, vel à poena æterna; sed etiam à poena temporali, iuxta proportionem satisfactionis. Et tamen ille effectus suspenditur, donec ponatur satisfactio: & absolutio ab illa poena datur veluti sub conditione futuræ satisfactionis. Quidni ergo similiter suspendi potest effectus remissionis culpæ?

soluitur obiectio. Respondeo, satisfactionem non esse partem essentialem sacramenti poenitentiæ: sed integralem tantùm, quatenus valet ad magis plenam perfectamque remissionem peccatorum, extinguendo reatum poenæ, vel totum, vel iuxta proportionem poenitentiæ impositæ à Sacerdote. Quod autem diximus, in aliis sacramentis debere materiam & formam sacramenti existere physicè dum ipsum celebratur, non simul quidem mathematicè, sed moraliter; neque postea celebrari posse, ipsis non amplius existentibus physicè, id est, nulla earum existente physicè, & saltem moraliter alteri parum distanti coniuncta: intelligendum est de materia & forma essentialibus, quibus positis sacramentũ perficitur essentialiter & habet effectũ si nõ sit obex ex parte recipiẽtis.

35. Ad confirmationem dico Sacerdotem, per illa verba, *Absoluo te à peccatis tuis*, iuncta impositioni poenitentiæ, velut parti integrali & complemento sententiæ iudicialis, non tantùm absoluere à culpa: sed etiam mutare poenam æternam in temporalem; vel aliam maiorem peccato debitam, in poenam minorem, quæ primò & per se est ipsa satisfactio, secundariò verò & in defectu istius, quæ vel non soluitur, vel non est sufficiens, restabit alia, quæ hac in vita, vel in futura, soluenda erit, nisi per satisfactiones, aut indulgentias, aut alia media tollatur. Hæc autem commutatio fit absolutè à Sacerdote, quamuis reatus non tollatur, nisi re ipsâ exhibeatur satisfactio. Sicut debitum non tollitur per solutionem, nisi quando pretium re ipsa exhibetur. Atque ita seruatur proportio inter partes essentiales sacramenti poenitentiæ, effectumque illis respondentem; & inter satisfactionem, effectumque illius proprium: quòd sicut illæ constituunt essentialiter sacramentum, & operantur gratiam & remissionem culpæ, quando actu sunt, si non sit obex ex parte recipientis: neque possunt suspendi per conditionem de futuro, aut per voluntatem ministri: sic satisfactio integrat sacramentum, & extinguit reatum poenæ, quando actu exhibetur post absolutionem: neque potest ab hoc effectu suspendi per conditionem de futuro, aut pro arbitrio Sacerdotis.

36. Notandum verò est 1. aliud esse absoluere sub conditione euentus futuri: & aliud absoluere sub conditione veritatis rei futuræ: Ex g. Absoluo te si verum est te satisfacturum, aut te restituturũ. Nam veritas non est futura; sed est præsens, si res futura est. Vnde absoluere sub conditione veritatis: non est absoluere sub conditione de futuro, sed de præsenti. Adeoque talis absolutio valida est, modò conditio naturâ saltem priùs purificari possit, & intentio de conditionata transire possit in absolutam naturâ priùs quàm detur absolutio (debet enim esse absoluta & efficax naturâ priùs quàm operetur) Et modò etiam conditio quæ apponitur, sit verè conditio: id est, quæ subsistere possit, & præcedere saltem naturâ priùs existentiam sacramenti, & intentionem absolutam illud efficiendi; cuiusmodi non est ista conditionalis: Absoluo te si verum est te fore saluum vi huius absolutionis. Nam hæc veritas supponit absolutionem esse validam. Adeoque vt intentio transeat de conditionali in absolutam, supponitur validam esse absolutionem. Atqui non potest esse valida absolutio, nisi naturâ priùs intentio absoluendi sit absoluta. Quare valor absolutionis præsupponeretur sibi ipsi: quia præsupponeretur intentioni absolutæ, à qua pender. Cuiusmodi etiam non est ista, respectu baptismi, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, si verum est te scienter & liberè iterum sacrilegè suscepturũ esse baptismum. Nam veritas conditionis huius appositæ, supponit baptismum esse validè collatum: cùm nemo possit iterum scienter & liberè suscipere baptismum sacrilegè, qui iam semel baptizatus non sit. Hoc est, vt veritas illius conditionis subsistat, supponitur baptismum iam semel esse verè & validè collatum, & futurum esse vt iterum scienter & liberè recipiatur inualidè. Ergo non valet baptismus, sub hac conditione collatus: quia conditio non est talis, vt naturæ saltem ordine præire possit intentioni absolutæ baptizandi, & valori ipsius baptismi.

Aliud est conditio de futuro, & aliud, veritas conditionis.

Sufficiatne veritas illius conditionis.

Digitized by Google

37. Possitne licitè adhiberi?

Notandum 2. licet in aliis conditio de veritate euentus futuri liberi sufficiat ad valorem sacramenti: illicitè tamen adhiberi, propter incertitudinem talis euentus futuri, & ob periculum cui sacramentum exponitur: putà, si quis ita absoluat: Absoluo te si verum est te satisfacturum, aut, si Deus scit te restituturū. Multóque magis peccaret si quis absolueret, cum conditionibus huiusmodi: Absoluo te si verum est te mortaliter peccaturum, te fornicaturum, peieraturum &c. Deberetque qui sub tali conditione fuisset absolutus aut baptizatus, iterum baptizari vel absolui sub conditione, Si non fuisti validè baptizatus, aut absolutus. Non enim propterea cogeretur fornicari aut peierare, vel aliud peccatum mortale committere: neque expectandum esset donec fortè in hæc peccata laberetur.

38. Non desunt etiam qui existiment sacramentum esse inualidum si conferatur sub conditione de veritate euentus liberè futuri. Quia inquiunt, non minùs suspenditur absolutio per illam formam, quàm per conditionem de futuro: cùm sit in libera potestate poenitentis satisfacere, aut non satisfacere: & restituere aut non restituere: adeóque sit in eius libera potestate facere vt verum sit, atque vt Deus sciat ipsum esse satisfacturum & restituturum, vel contra.

Verum quamuis euentus sit in libera potestate poenitentis si tamen liberè futurus est, veritas de illius futuritione non est ism suspensa, sed determinata, & Deo certissimè atque euidenter nota: quare absoluere sub conditione illius veritatis, aut præscientiæ diuinæ; non est absoluere sub conditione suspensa in futurum, ideóque suspendente absolutionem, aut ipsius effectum. Neque magis est inconueniens veritatem absolutionis pendere ab euentu posito in libertate creaturæ, quàm veritatem prophetiæ, & reuelationum diuinarum, actuumque fidei supernaturalium pendere à similibus euentibus.

39. Absolutio potest dari à pluribus simul.

Circa secundum in titulo sectionis propositum, dicendum est, absolutionem sacramentalem posse simul dari à pluribus, siue vt causis totalibus, siue etiam vt partialibus, præcedente confessione dolorosa poenitentis, ipsis vt iudicibus facta sufficienter. Patet ex dictis de baptismo disp. 24. sect. 2. par enim est vtriusque ratio. Aduertendum tamen est duplex hac in parte discrimen inter baptismum & sacramentum pœnitentiæ. Vnum est, quòd in baptismo vt duo baptizent velut causæ totales, necessarium est quemlibet sufficienter abluere, & verba essentialia integrè proferre, ita vt duplex sit materia sufficiens, & duplex forma: at verò vt duo absoluant tanquam causæ totales, non est necesse vt præcedat duplex contritio vel attritio, & duplex confessio, id est, duplex accusatio legitima. Sicut enim in iudicio profano sufficit vna accusatio legitima, vt plures absoluant, singuli totaliter, id est, independenter alter ab altero: & sicut eadem hostia potest consecrari à pluribus simul vt causis totalibus, vt fit si Neomystæ simul cum Episcopo absoluunt formam consecrationis: sic &c. In eo tamen casu non est multiplex sacramentum poenitentiæ: sed vnum constans pluribus formis. Sicut hostia eadem consecrata totaliter à pluribus, non est plura sacramenta. Secùs autem si non tantùm absolutio, sed etiam dolor & confessio multiplicaretur. Tunc enim esset multiplex sacramentum; sicut est multiplex baptismus, quando est multiplex ablutio sufficiens & multiplex prolatio verborum à pluribus, cum intentione baptizandi totaliter & independenter alter ab altero.

Alterum discrimen est, quòd licet, quando baptismus ita multiplicatur, non multiplicetur effectus, sed sit vnicus, respondens illis omnibus & singulis veluti causis totalibus, vt diximus sect. supra dicta de baptismo: non tamen ita sentiendum est de sacramento pœnitentiæ multiplicato. Cuius differentiæ ratio est, quia baptismus (& idem est cum proportione de confirmatione, ordine, & extrema vnctione in eadem infirmitate, aut eodem mortis periculo, respectu suorum effectuum) quia inquam baptismus est institutus ad vnicum effectum & singularem in quoliber, nempe ad gratiam per modum regenerationis & natiuitatis spiritalis, quæ in quolibet non potest esse nisi vna: sicut corporalis generatio & natiuitas vnica est. At effectus sacramenti poenitentiæ est iterabilis, & potest esse multiplex, etiam circa eadem peccata. Vnde sicut successiuè multiplicari potest, repetito sacramento poenitentiæ siue circa eadem peccata, siue circa diuersa: ita similiter multiplicaretur in eo casu, quo aliquis simul reciperet pluries sacramentum poenitentiæ circa eadem peccata: aut etiam circa diuersa: vt si quis solùm venialia, aut mortalia aliàs remissa habens, confiteretur vni Sacerdoti partem illorum peccatorum, & alteri seorsim aliam partem: posteaque simul ab vtroque absolueretur à peccatis à se auditis, & sibi in ordine ad absolutionem propositis. Quo in casu esset duplex effectus remissionis & infusionis gratiæ.

40. Sitne multiplex effectus sacramenti?

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA TERTIA.

De ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

Sectio I. *Vtrum solus Sacerdos sit Minister sacramenti Pœnitentiæ?*

Sectio II. *An præter potestatem ordinis Sacerdotalis requiratur iurisdictio: & quotuplex illa sit, quibusue competat, & quomodo?*

Sectio III. *Soluuntur aliquæ difficultates circa doctrinam præcedentem.*

Sectio IV. *An vlterius requiratur approbatio Episcopi?*

Sectio V. *Sufficiatne approbatio petita, sed iniustè negata?*

Sectio VI. *Cuiusnam Episcopi approbatio sit necessaria?*

Sectio VII. *An requiratur in Religiosis licentia proprii parochi?*

Sectio VIII. *Soluuntur obiectiones aduersariorum.*

Sectio IX. *Amplior confirmatio doctrinæ præcedenti sectione propositæ.*

Sectio X. *De ministro idoneo circa casus reseruatos.*

Sectio XI. *An & quomodo dari possit absolutio à reseruatis?*

Sectio XII. *Soluuntur aliæ duæ quæstiones circa absolutionem à reseruatis.*

Sectio XIII. *De bonitate & scientia in Confessario requisita.*

Sectio XIV. *De aliis obligationibus Confessarii, audiendi, examinandi, & disponendi pœnitentem.*

Sectio XV. *De obligatione corrigendi errores pœnitentis, & supplendi defectus in administrando sacramento commissos.*

DE ministro Sacramenti Pœnitentiæ disputat Sanctus Thomas quæst. 8. Supplem. Docetque 1. solum Sacerdotem esse ministrum huius sacramenti, illique soli faciendam esse sacramentalem peccatorum confessionem. Et quamuis in casu necessitatis alteri fieri possit: tunc tamen non esse sacramentum perfectum: quia deest ei, id quod est ex parte sacerdotis, nimirum forma, id est, pars essentialis præcipua. 2. De necessitate huius sacramenti esse non solùm vt minister habeat ordinem, sicut in aliis sacramentis, sed etiam vt habeat iurisdictionem: ideóque proprio sacerdoti faciendam esse confessionem sacramentalem.

Digitized by Google

Cùm enim sacerdos non absoluat nisi ligando ad aliquid faciendum: ille solus potest absoluere, qui potest per imperium ad aliquid faciendum ligare. 3. Cùm quisquis habet iurisdictionem, ea, quæ iurisdictionis sunt, possit alteri committere: consequens esse, vt ex Superioris priuilegio possimus alteri confiteri, quàm proprio sacerdoti: quippe qui potest aliis hanc potestatem & iurisdictionem committere. Item, quia necessitas non habet legem, posse pœnitentem à quouis sacerdote in mortis articulo non modo à peccatis omnibus absolui, sed etiam à qualibet excommunicatione, à quocunque sit lata. 4. Denique in impositione satisfactionis habendam esse sacerdoti rationem non modò grauitatis peccati, verùm etiam contritionis pœnitentis: quæ quò maior est, eò minor debet imponi pœna: & quantò per contritionem plus de pœna dimissum est, tantò per confessionem minus dimittendum restat. Habendam quoque rationem esse remedii, seu medicinæ pro peccatis futuris, propter quam maior interdum imponi debet pœna iis, qui minùs peccarunt vel quia vt abstineant imposterum egent maiori obstaculo: vel etiam quia peccatum in illis est periculosius: aut quia multitudo magis prona est ad illud peccatum: & ideo per pœnam vnius alii sunt deterrendi: Quod de publica pœnitentia debet intelligi. Huc vsque Diuus Thomas: cuius doctrina quoad posteriorem partem, quæ pertinet ad satisfactionem, exposita iam fuit disput. 51. Cætera sequentibus sectionibus explicabuntur.

SECTIO I.

Vtrum solus Sacerdos sit minister sacramenti poenitentiæ?

1. Conclusio affirmat. probatur ex Concil.

Respondeo affirmatiuè. Patet ex Florent. in decreto, §. *Quartum sacramentum*, & Trident. sess. 14. cap. 6. vbi nullus minister alius nisi Sacerdos assignatur: & can. 10. dicitur, solos Sacerdotes esse ministros absolutionis, & verba illa Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata* &c. solis Sacerdotibus esse dicta, atque illis solis hanc potestatem fuisse concessam: vnde sequitur, nullum alium posse quiquam efficere: quia sine potestate impossibile est quicquam fieri. Idem ante docuerant D. Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio, præcipuè cap. 5. vbi ait inter alia, Sacerdotes euangelicos habere potestatem, quam neque habent Angeli, neque Archangeli, neque terreni Principes: quoniam ad hos omnes dictum non est, *Quodcunque solueritis* &c. Indeque concludit Christianis omnibus persuasum esse debere, vt Sacerdotum curationi se submittant. Et D. Hieronym. in cap. 16. Matthæi, ad vers. 19. vbi addit, hoc in veteri lege præfiguratum fuisse, quando Iudicium inter lepram & lepram solis Sacerdotibus reseruatum fuit. Et D. Leo magnus epist. 91. ad Theodor. vbi ait indulgentiam Dei nisi supplicationibus Sacerdotum obtineri non posse. Loquitur autem de confessione & absolutione sacramentali, vt ex contextu manifestum est. Plura eiusdem veritatis apud antiquos Patres extant clarissima testimonia; cuius initium post Apostolos nullum ostendi potest. Vnde sequitur, iuxta regulam D. Augustini lib. 4. de baptismo, cap. 24. hanc doctrinam ab ipso Christo per Apostolos nobis fuisse traditam. Quare meritò damnata fuit sub anathemate Nouatorum temeritas, à Trident. can. suprà cit.

Probatur ex Patribus.

Adde conueniens fuisse vt illi soli haberent absoluendi potestatem in corpus Christi mysticum, qui consecrandi potestatem habent in corpus Christi verùm. Cumque huius sacramenti minister, personam Dei sustinens, supremum hic iudicium eius loco exerceat, in quo iudicio discernit quinam sint absoluendi, & peccata remittit aut retinet: non decuit tantam potestatem, tamque graue iudicium committi cuilibet, aut vlli alteri, præterquam iis qui ad hoc essent singulariter electi, atque consecrati; quales sunt soli Sacerdotes: nam in nullius alterius consecratione dicitur, Accipe spiritum sanctum, Quorum remiseris peccata, remittuntur eis.

Probatur ratione.

Obiici potest in capite *Fures*, extra, *de*

furtis, præcipi vt si fur diacono vel presbytero confessus fuerit, non priuetur communione: & Cyprianum epist. 13. alias lib. 3. epist. 17. committere diacono, vt in absentia presbyteri reconciliet poenitentem animam agentem. Ergo diaconi possunt confessionem sacramentalem audire, & sacramentaliter à peccatis absoluere.

Soluitur obiectio.

Respondeo, quod attinet ad diaconum, non esse ibi sermonem de confessione, & reconciliatione per sacramentum poenitentiæ: sed vtriusque loci sensum esse, quòd absente Sacerdote possit Diaconus furi & moribundo peccatum suum agnoscenti & detestanti, seque sufficienter contritum esse patefacienti, canonicam reconciliationem cum Ecclesia, & communionem Eucharisticam impertiri. Ac licet aliis quàm Sacerdotibus & Diaconis, non tantum clericis, verum etiam laicis, possint hæc signa contritionis ostendi, & peccata ipsa exponi (hoc enim prudenter & cum fructu fieri potest, ad maiorem sui confusionem & dolorem excitandũ) non tamen aliis æquè concessum est vt communionem eucharisticam impertiant: vel ad communionem fidelium admittant, & Ecclesiæ externa quadam cerimonia reconcilient: de qua etiam reconciliatione cerimoniali loquitur Cyprianus.

3. Laicus absoluens fit-ne irregularis?

Quæres, an laicus dans absolutionem fiat irregularis? Respondeo negatiuè, si det putans posse dari à laico in casu necessitatis: neque tunc esse actum ordinis Sacerdotalis. Ratio est quia tunc nõ exercet scienter & liberè actum ordinis, sine ordine. Idemque dico de Sacerdote qui habet quidem ordinem, sed non habet iurisdictionem absoluendi. Talis enim, licet absoluat quantum in se est, non incurrit irregularitatem: quia non exercet actum ordinis sine ordine, sed tantùm sine iurisdictione.

Secùs dicendum est de eo qui actum absolutionis exerceret vt actum ordinis Sacerdotalis, carens ordine Sacerdotali, vel ex toto, vel ex altera parte, in qua post collationem potestatis sacrificandi, seu consecrandi corpus & sanguinem Christi, datur potestas absoluendi à peccatis. Quæ potestas necessariò dari debet vel post alteram, vt fit in latina Ecclesia: vel simul cum illa, vt fit in Ecclesia græca. Potest enim validè dari vtroque modo. Licet à Christo successiuè collata sit Apostolis, eodem ordine quo confertur in latina Ecclesia. Priùs enim Christus dedit Apostolis potestatem consecrandi & sacrificandi in nocte coenæ, Matth. 26. tum post resurrectionem dedit iisdem potestatem remittendi peccata Ioan. 20. Addo cum Delugo disp. 18. sect. 1. ne potestatem quidem absoluendi ab excommunicatione, aliisque censuris, concessam esse laicis ab Ecclesia: quamuis potuerit concedi. Quia talis concessionis nullum extat indicium. Extaret autem, & sine dubio in vsum sæpe reuocata fuisset, æquè ac vsus potestatis concessæ omnibus Sacerdotibus ad absoluendum à quibusuis casibus reseruatis in articulo mortis.

4. Vnde constet potestatem absoluendi data esse solis Sacerdotibus?

Quæres 2. vnde constet verba illa Christi Ioan. 20. *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, fuisse dicta tam Apostolis, quàm Sacerdotibus eorum successoribus, & non solis Apostolis, aut simul etiam Episcopis, qui soli illis successerunt in ordine Episcopali, aut denique omnibus fidelibus: Sicut alia multa à Christo dicebantur interdum solis Apostolis, interdum etiam successoribus in Episcopatu tantùm, interdum denique omnibus fidelibus.

Respondeo id partim & præcipuè constare Ecclesiæ traditione antiquissima, & vsu perpetuo talis potestatis, cuius indicia & testimonia Patrum suprà retulimus: partim etiam ratione. Nam hæc potestas, cùm tam necessaria sit, tamque frequenter exercenda, non debuit dari solis Apostolis, ita vt illis morientibus deficeret: neque solis Episcopis, qui pauci sunt respectu fidelium, & propter alias occupationes sui muneris, non possunt audiendis confessionibus admodum incumbere. Cumque eadẽ potestas sit adeo grauis, ad dispensandum scilicet ius diuinũ, & iudicandum in hoc supremo tribunali de causis grauissimis: non debuit hæc potestas dari omnibus fidelibus, sed selectis, & consecratis ad hoc munus, quales sunt Sacerdotes.

SECTIO II.

An præter potestatem ordinis Sacerdotalis requiratur iurisdictio: & quotuplex illa sit, quibusue competat, & quommodo?

5. Iurisdictionem esse necessariã probatur ex Concil.

Respondeo iurisdictionem esse planè necessariam, vt patet ex Florent. in decreto, §. *Quarum sacramentum*, affirmante ministrum huius sacramenti esse Sacerdotem habentem authoritatem absoluendi ordinariam, vel delegatam. Et apertiùs ex Trident. sess. 14. cap. 7. asserente nullius esse momenti absolutionem datam à Sacerdote, qui neque ordinariam, neque delegatam iurisdictionem habet. Et hanc dicit Concilium esse traditionem apostolicam. Quod confirmari potest ex Lateranensi, sub Innocentio III. can. *Omnis vtriusque sexus*, dicente alienum Sacerdotem non posse soluere vel ligare sine licentia proprii: & Hispalensi II. can. 7. & Damaso Papa Epist. 4. decretali, & can. *Si Episcopus*, de pœnitent. & remiss. in 6. vbi dicitur, non posse presbyterum reconciliare poenitentem Sacramentali reconciliatione, sine licentia Episcopi, & poenitentem non posse sibi confessarium eligere sine licentia Prælati, delegantis scilicet iurisdictionem alteri, quem eligendi potestatem facit.

6. Probatur ratione.

Ratio à priori, quam Tridentinum tetigit vbi suprà, hæc est: Quia Sacramentum pœ-

Digitized by Google

nitentiæ eſſentialiter eſt quoddam iudicium. Ad iudicii autem validi eſſentiam requiritur iuriſdictio in eo qui iudicat, & ſubiectio in eo qui iudicatur. Quocirca ſacramentum poenitentiæ ſine iuriſdictione nullum eſt. Confirmatur, quia, vt rectè ait Delugo diſp. 15. n. 19. Iudex qui eſt verè talis, & ex officio, non autem merus arbiter (cuius ſententia non obligat propter authoritatem perſonæ, ſed propter pactum litigantium, qui promiſerunt illi obedire, & illius arbitrio ſtare) debet habere poteſtatē obligandi: atque adeo debet eſſe ſuperior eorum, quibus ius dicit, vt poſſit eos ligare. Ergo non poteſt ferre ſententiam, niſi in ſubditos. Sacerdos autem abſoluit in hoc foro, vt verus iudex, ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 2. & 5. & can. 9. Ergo non poteſt, niſi ſubditos abſoluere. Non habet autem ſubditos vi ſolius ordinationis Sacerdotalis, & verborum illorum, Quorum remiſeritis peccata &c. Alioqui cùm vi ordinationis accipiat poteſtatem Ordinis abſoluendi omnes, & quoſcunque Chriſtianos; acciperet etiam iuriſdictionem, & ſuperioritatem in omnes, & ſingulos. Et ſicut omnes Sacerdotes ſunt inter ſe, & cum Epiſcopis, & cum ipſo ſummo Pontifice æquales in hac poteſtate Ordinis: ita eſſēt omnes Sacerdotes iudices ſupremi, & principes æquales abſque vlla ſubordinatione inter ſe; quod eſſet omnino contra eccleſiaſticum ordinem, quem Chriſtus in Eccleſia ſua reliquit, in qua voluit alios eſſe Superiores, & alios inferiores. Neque omnes & ſingulos Chriſtianos fecit eſſe cuilibet Sacerdoti ſubiectos, ex quo magna ſequeretur confuſio.

7. Qu idſit poteſtas iuriſdictionis?

Eſt autem poteſtas iurisdictionis poteſtas regendi, & gubernandi. Quæ in ordinariam, & delegatam diuiditur. Ordinaria illa eſt, quam aliquis habet ex vi proprii muneris, & officii. Qualem illi habent, qui ex officio ſunt paſtores animarum. Vt ſummus Põtifex reſpectu totius Eccleſiæ: & Epiſcopi, & Parochi, reſpectu ſuarum diœceſium & parœciarum. Delegata illa eſt, quā quis habet non ex vi officii proprii, ſed ex commiſſione alterius habentis illam ex proprio officio. Qualem habent Religioſi reſpectu ſæcularium, & alii à ſummo Pontifice, vel ab Epiſcopis, aliiſue Paſtoribus deputati.

Quomodo differt à poteſtate ordinis?

Differt autem poteſtas ordinis à poteſtate iuriſdictionis. Primò, quia poteſtas ordinis confertur per ſacram ordinationem, id eſt, per ipſum ſacramentum ordinis. Poteſtas verò iuriſdictionis non confertur per ordinem: ſed per externam quandam conceſſionem, id eſt per collationem beneficii, aut aliis variis modis paulò poſt explicandis. Poteſtque tota eſſe etiam in eo qui nondum ordinatus eſt. Nam Epiſcopus electus & confirmatus habet iuriſdictionem antequam conſecretur, poteſtque illam communicare aliis: ſimiliterque Parochus & alii Paſtores, iuxta caput 15. *de electione*. & cap. 1. *de translatione Epiſcoporum*.

Differunt ſecundò, quia Sacerdotes omnes, quantum ſpectat ad poteſtatem ordinis quoad abſolutionem à peccatis, æquales ſunt. Nam licet poſſit ab Epiſcopo miniſtrari: illius tamen dignitas excellentior per accidens ſe habet ad hoc miniſterium. Vnde modus etiam recipiendi hanc poteſtatem, idem eſt in omnibus Sacerdotibus, nimirum per hæc verba in ordinatione Sacerdotis prolata, *Accipe Spiritum ſanctum: quorum remiſeris peccata* &c. Poteſtas verò iuriſdictionis non eſt in omnibus æqualis, nec inuariabilis, ſed augeri poteſt vel minui: neque eodem modo communicatur omnibus. 8.

Tertiò, poteſtas ordinis poteſt eſſe ſine ſubiecta materia: nam per ordinationem non datur vlla materia ſubiecta. Secus autē poteſtas iuriſdictionis, quæ non eſt ſine certa & determinata materia: quæ vel eſt tota Eccleſia vniuerſalis, vt reſpectu ſummi Pontificis: vel aliqua illius pars, vt dioceceſis propria reſpectu Epiſcopi, & parœcia reſpectu Parochi. Quartò, poteſtas ordinis non poteſt delegari neque adimi. Secùs autem poteſtas iuriſdictionis, etiam ſummi Pontificis: qui licet ſuam iurisdictionem ſupremam & ampliſſimam immediatè à Deo habeat: poteſt tamen ſi velit, illi renunciare, vt à Cæleſtino IV. ſummo Pontifice factum eſt.

Tres autem vulgò numerantur ordines eorum qui habent iuriſdictionem ordinariam in foro pœnitentiæ, ad quos cæteri omnes reuocari poſſunt. In primo ordine eſt ſummus Pontifex: qui ſicut eſt Paſtor vniuerſalis totius Eccleſiæ: ita ratione ſui muneris habet ſupremam & vniuerſaliſſimam iuriſdictionem ordinariam in omnes Chriſtianos, quam per ſe vel per alios exercere poteſt. Quam poteſtatem immediatè à Chriſto accipit poſtquam electus eſt. Licet enim ab hominibus eligatur: tamen nec ipſi, nec Eccleſia, dant illi iuriſdictionem; ſed ipſi deſignant perſonam cui Chriſtus illam immediatè confert. Ad eum modum quo, cùm aliquis habens à Superiore facultatem, eligit confeſſarium: ille qui eligitur, non ab ipſo eligente iuriſdictionem accipit, ſed à Superiore, ſuppoſita electione. Atque hinc fit vt iuriſdictio ſummi Pontificis, neque ab vllo particulari, neque ab Eccleſia ipſi adimi aut reſtringi poſſit. Ad hunc autem ordinem reuocantur ſummus Poenitentiarius ſummi Pontificis, & legatus à latere, & ſi qui alii excellentiori modo ſupremam illam & vniuerſalem iuriſdictionem participant vi ſui officii. 9. Quibus competat iuriſdictio ordinaria?

In ſecundo ordine ſunt Epiſcopi, qui ab Eccleſia poteſtatem ordinariam habent in diœceſes quibus præficiuntur: & Archiepiſcopi etiam in dioeceſes ſuorum ſuffraganeorum dum actu viſitant, & non vltra, vt dicitur cap. vlt. de cenſibus, in 5. Et ad hunc ordinem reuocantur Vicarii generales Epiſcoporum, & Abbates exempti 10.

qui participant iurisdictionem Episcopalem: & alii similes, cuiusmodi sunt in Religionibus Prælati vniuersales, vt Generales & Prouinciales respectu suorum inferiorum.

In tertio ordine sunt Parochi. Nam illi quoque sunt in foro poenitentiæ iudices ordinarii, possuntque aliis iurisdictionem suam committere, vt colligitur ex can. *Omnis vtriusque sexus*, & communiter affirmatur à Theologis in 4. dist. 17. confirmaturque praxi communi Ecclesiæ. Ad hunc autem ordinem reuocantur Vicarii perpetui Parochorum, & Archipresbyteri, & in Religionibus Prælati vel Superiores immediati, & in vniuersum omnes alii, quibus vel ex iure, vel ex priuilegio aliquo speciali commissa est cura immediata aliquarum animarum, & consequuntur iurisdictionem vi proprii officii.

11. Quibus cõueniat delegata?

Qui verò habent potestatem delegatam, certo numero comprehendi non possunt: sed vniuersim omnes præter supradictos, quibus concedi potest facultas audiendi confessiones, dicuntur iudices delegati in hoc foro spirituali. Duobus autem modis potest facultas illa delegari. Primò directè & immediatè concedendo iurisdictionem Sacerdoti: vt quando Parochus assumit Sacerdotem aliquem à quo iuuetur in audiendis suorum confessionibus: vel cùm Episcopus, vt summus Pontifex alicui nõ habenti alioqui iurisdictionem, committunt munus confitendi: sicut re ipsa multi summi Pontifices commiserunt Religiosis facultatem audiendi confessiones sæcularium illis alioqui non subditorum: vt videre est in Extrauag. I. de Priuileg. & Extrauag. *Vas electionis*, de hæreticis, & aliis iuribus, quæ inferius referemus. Secundo modo, ex parte poenitentis, & ipso mediante delegari potest iurisdictio. Vt quando alicui conceditur facultas eligendi confessarium. Sicut re ipsa conceditur à iure communi cap. fin. de poenit. & remiss. Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis, & Cardinalibus: etiamsi non sint Episcopi, qui etiam possunt dare suæ familiæ facultatem eligendi confessarium: atque etiam Prælatis regularibus, Generalibus, Prouincialibus, & Superioribus localibus: qui omnes vi eiusdem capitis possunt sibi eligere confessarium: nisi per ordinis sui constitutiones, aut consuetudinem iuri communi derogantem, teneantur habere confessarium à Superiore designatum. Eandem facultatem habent, non à iure quidem sed ex consuetudine, Parochi omnes, quibus nunquam videmus Episcopos certum confessariũ præscribere. Et probabiliter omnes Sacerdotes sæculares. Eandem tertiò habent alii multi ex priuilegio: ii scilicet omnes quibus id per particulare aliquod priuilegium permittitur: vt Regibus communiter, & Principibus, & iis quibus dantur bullæ Cruciatæ dictæ: & quibus denique id speciatim à Parocho proprio, vel ab ejus Superiore concedi-

tur. Nam quisquis habet iurisdictionẽ ordinariam in foro pœnitentiæ, potest hanc facultatem suis omnibus concedere: Ex gr. summus Pontifex vniuersis fidelibus: Episcopus, suis diœcesanis: Parochus, omnibus sibi commissis. Quin etiam sententia communis Theologorum est posse subditum ex iure communi eligere alienum Sacerdotem in confessarium, propter ignorantiam proprii Parochi. Quod probant ex cap. *Placuit*, Causa 9. q. 2. & de Poenit. dist. 6. vbi idem repetitur. Quanquam alium esse sensum illius capitis rectè ostendunt Suares disp. 27. sect. 2. num. 21. Coninck disp. 8. num. 64. & Delugo disp. 19. n. 11. Fauet tamen per extensionẽ illi sententiæ. Eius autẽ verba hæc sunt: *Placuit vt deinceps nulli Sacerdotũ liceat quemlibet commissum alteri Sacerdoti recipere ad poenitentiam, sine eius consensu cui prius se commisit, nisi per ignorantiam illius, cui priùs poenitens confessus est.*

12. Possunt item omnes iurisdictionem ordinariam habentes eam alteri delegare priori modo: nempe deputando alterum suo loco, ad audiendas confessiones eorum, in quos habent iurisdictionem ordinariam. Possuntque tam iidem, quàm delegati, exercere suã iurisdictionem erga subditos, licet existentes extra proprium territorium, nisi in delegatione aliud exprimatur. Quia hæc iurisdictio non est contentiosa, neque requirit strepitum fori.

Quibusnã possunt cõfiteri peregrini & extranei?

Possunt etiam, vi consuetudinis tacitè approbatæ à Superioribus, illi qui vagantur, peregrinantur, iter faciunt, mercatores, litigantes, milites, scholastici, confiteri Parocho loci in quo versantur, vel Sacerdoti ibi exposito ad audiendas omnium confessiones: nisi quis de industria iter suscipiat ad euitandum proprium Parochum. Et qui habent domicilium in duplici Parœcia, possunt vtrilibet Prrocho confiteri.

13. Notanda de delegatione iurisdictionis.

Porro qui alium ex potestate ordinaria delegat ad audiẽdas suorũ confessiones, potest illi dare simul potestatem subdelegandi: idque censetur facere, si committit illi, etiam ad breue tempus, officium suum, aut illius partem. Vt si Parochus assumit Vicarium, vel substituit sibi alium Sacerdotem ad mensem, vel ad annum, dum abest. Aut si delegans annectit delegationem officio, non personæ. Neque expirat iurisdictio quomodocunque delegata, per mortem delegantes, aut demissionem vel depositionem ab officio: si iurisdictio sine temporis limitatione fuit ab ipso concessa, & non fuit ab eodem reuocata, vel ab eius successore aut superiore. Ratio est, quia hæc delegatio est gratia facta confessario, aut poenitenti si per eum conceditur. Gratia autem non expirat per mortem concedentis. Item vt delegatio facta à Superiore immediato reuocetur validè à Superiore mediato, requiritur causa legitima. Alioqui non potest validè facere contra ius Superioris immediati.

14. Nota præterea sufficere ad absoluendum

Digitized by Google

Sufficit vera iurisdictio quamuis ignorata.

validè iurisdictionem veram, licet ignoratam à confessario. Et ad licitè quoque absoluendum sufficere iurisdictionem probabiliter præsumptam de præsenti, non de futuro tolùm: vel quæ propter Doctorum opiniones varias probabilis sit: quia tunc Ecclesia supplet iurisdictionem, si fortè opinio, quam confessarius sequitur, est falsa. Non autem si sit purè, seu negatiuè dubia. Excepto casu euidentis necessitatis, in quo liceret similiter vti materiâ vel formâ dubiâ. Tunc que licet tantùm absoluere sub conditione, & cum onere, vt poenitens confiteatur iterum habenti certam aut probabilem iurisdictionem. Tunc etiam expedit confiteri aliqua venialia, aut mortalia iam remissa. Quia de illis saltem certa est iurisdictio, & valida absolutio, simulque saltem indirectè reliqua remittuntur, vi facultatis concessæ omnibus sacerdotibus absoluendi à venialibus, & à mortalibus aliàs confessis & remissis.

Qualis ratihabitio sufficiat?

Similiterque ex parte poenitentis non sufficit facultas eligendi sibi confessarium purè dubia, aut ratihabitio de futuro probabiliter & rationabiliter, aut etiam certò præsumpta. Nam si non sit facultas de præsenti, non operatur quando fit sacramentum. Neque postea, quando habebitur, efficere poterit vt sacramentum validè fiat: quippe quod tunc non fiet. Sed sicut supra diximus requiri in confessario ratihabitionem de præsenti, quæ vt legitimè & sufficienter præsumatur, debet innotescere aliquo externo indicio, licet non satis expresso: neque sufficere ratihabitionem de futuro tantum præsumpam: quòd scilicet, si peteretur: concederetur à Superiore: hæc enim non habetur de præsenti, sed solùm haberetur si peteretur: Et quia non habetur nunc: ita non sufficit ad nunc operandum, & ad absoluendum per vsum illius. Idem quoque dicendum est de ratihabitione necessaria ex parte pœnitentis quoad facultatem illi concessam à superiore. Non est autem sufficiens indicium istius ratihabitionis, seu concessionis tacitè ipsi factæ eligendi confessarium, quòd Parochus ex. gr. abierit, & nulli alteri curam audiendi suos commiserit: sed tunc ad Episcopum, aut eius Vicarium recurrendum est. Neque quòd ægrotet, & neque possit audire confessiones, neque facultatem dare adeundi alium: sed tunc confessio est differenda donec conualescat, aut superior consulatur: nisi sit periculum mortis, de quo mox dicam. Neque quòd ipse nolit, cùm poteſt audire volentem confiteri: aut quòd pœnitens habeat rationabilem causam non confitendi Parocho, ob quam Parochus teneatur dare illi licentiam confitendi alteri, putà, quia sollicitabit ad peccandum: aut denique quòd illam petenti non dederit. Nam si aliter non significat se dare, & multò magis si negat expresè; irrationabiliter præsumitur dare. Quare in his casibus ad superiorem recurrendum est, vel differenda confessio: vel si pœnitens sit in confitendi necessitate, & ad superiorem recurrere tam citò nequeat, poterit apud Parochum illa omittere, à quibus rationabiliter timet graue damnum. Non desunt tamen authores qui censent, posse pœnitentem in eiusmodi casibus eligere alium: illisque fauent ex parte D. Thomas, & D. Bonauentura in 4. dist. 21. parte 2. in expositione literæ in fine. Qua de re plura vide apud Suarem disp. 27. sect. 4. num. 11. & seqq.

15. Quilibet Sacerdos potest absoluere in articulo mortis.

Vlteriùs in articulo mortis potest quilibet sacerdos absoluere quoscunque pœnitentes à quibuuis peccatis & censuris, ex perpetua concessione & consuetudine Ecclesiæ. Nam, vt ait Trident. sess. 14. cap. 7. *In Ecclesiæ Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis: atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuscunque peccatis & censuris absoluere possint.* Vbi nota primò, per articulum mortis intelligi debere hoc loco, non modò quando mors iam proximè imminet, estque moraliter certa, & ferè inuitabilis: sed etiam quando est probabile periculum, eò quòd mors frequenter in tali casu eueniat: vt si prægnanti partus instat: si bellum actu aggrediendum: si nauigatio longa & periculosa suscipienda. Neque enim putandum est Ecclesiam, in tanto periculo, pio matris officio deesse voluisse, permi tereque vt aliquis tunc exponatur morti sine prævia confessione, defectu iurisdictionis. Sed potiùs quotiescunque tenetur quis iure diuino confiteri propter morti periculum, toties potest vti hac facultate, vt rectè docet Adrianus, Sylvester, Nauarrus, Medina, & alii quos citant, & sequuntur Suarez disp. 26. sect. 4. Aegid. Coninc disp. 8. dub. 2. num. 15. & Delugo disp. 18. n. 21.

16. Etiam degradatos & apostatas.

Nota 2. per particulam illam generalem, *omnes Sacerdotes*, intelligendos esse generalissimè etiam non approbatos, excommunicatos, suspensos, degradatos, imò etiam hæreticos factos, vel apostatas à fide, dummodo verè Sacerdotes sint. Sicut etiam illæ aliæ particulæ, *Quoslibet poenitentes*, & *à quibuuis peccatis & censuris*, intelligi debent generalissimè de quibuscunq; poenitentibus & peccatis, atque censuris. Quamuis autem probabile sit quod post Nauarrum, Ledesmam, Emanuelem Sa, Henriquem, Vegam, aliosque multos, docet Diana tom. 1. de absolutione ab hæresi, resolut. 5. posse in prædicto articulo, vel periculo, quemlibet Sacerdotem absoluere licitè, aut saltem validè à quibusuis peccatis, & censuris, præsente licet proprio Sacerdote: probabilius tamen est quod alii dicunt, debere duplicem necessitatem concurrere, vt poenitens vtatur hac facultate. Vnam ex parte poenitentis, cui necesse est confiteri propter mortis periculum. Alteram ex parte Sacerdotis, cuius opera necessaria sit (nam propter hanc necessitatem iurisdictio illi conceditur ab Ecclesia, vt ostendit antiqua praxis & consuetudo Ecclesiæ, quam Trident. cap.

Digitized by Google

suprà cit. approbauit) quia scilicet non est copia proprii sacerdotis, vel alterius qui iure ordinario, vel ex delegatione possit absoluere ab eiusmodi peccatis, & censuris. Si tamen cœpta est confessio apud illum qui non potest alioquin absoluere: potest apud eundem perfici, altero licet superueniente. Quia prior iam acquisiuit ius per huiusmodi confessionem inchoatam bona fide. Deberet tamen ante absolutionem à peccatis, absolui ab excommunicatione reseruata, si quam habet, per illum qui potest iure ordinario, vel ex commissione. Inter alios verò qui nõ sunt proprii sacerdotes, neque delegati, puto seruandum etiam esse aliquem ordinem, si commodè fieri possit, saltem ad vitandum scandalum. Nam propter illud sacerdos non excommunicatus præferendus est excommunicato, saltem non tolerato: & catholicus hæretico, vel apostatæ à fide. Cauendum tamen, ne dum seruatur ordo supra dictus, fortassis elabatur confitendi occasio. Non tenetur etiam proprius Parochus, aut pœnitẽs qui ipsi confitetur, petere ab Episcopo (licet cõmodè possit) facultatem vt absoluatur à casibus illi reseruatis, si non sit illis annexa excommunicatio reseruata. Quod addo, quia sicut pœnitens tenetur postea sistere se superiori, si potest, propter excommunicationem reseruatam, vt mox dicemus: ita etiam tunc, si commodè potest, tenetur se illi sistere, aut delegato.

17. Quid faciẽdum tunc absoluto à censuris reseruatis?

Notandum enim tertiò, pœnitentem absolutum in tali periculo à censuris reseruatis, ab eo qui alioqui non poterat absoluere, teneri si mortem euadat, sistere se Superiori, aut habenti potestatem delegatam: non vt rursus ab illis censuris absoluatur: sed vt se ostendat obedientem Ecclesiæ, & paratum ad exhibendam maiorem satisfactionem, si à Superiore imponatur, capiendamque ab illo medicinam, quæ conueniens ipsi videbitur. Debetque à confessario moneri de tali obligatione: cui si non paret, reincidit in easdem censuras. Nam absolutio priùs data propter necessitatem, fuit tantùm ad reincidentiam: iuxta cap. *Eos qui*, de sententia excommunicationis, & cap. *De cætero*, cap. *Ea noscitur*, eodem titulo.

18. Solus Papa habet à D. o iurisdictionem, alii ab ipso accipiunt.

Nota quartò, concessionem huius facultatis & iurisdictionis, non esse à iure diuino (à quo solo nullus præter summum Pontificem habet iurisdictionem in hoc foro, vt suppono ex dictis in tract. de Legibus) sed ex concessione Ecclesiæ, vt ex eo patet, quòd summi Pontifices cùm aliquos casus sibi reseruant, addunt interdum se eos sibi reseruare excepto mortis articulo. Quam particulam frustra adderent, si iurisdictio circa illos in mortis articulo ab ipsis non penderet. Idemque dico de iurisdictione & facultate quam similiter habent indifferenter quilibet Sacerdotes tolerati ad absoluendum à solis venialibus, atque etiam à mortalibus iam remissis. Nam quòd hæc quoque sit ex concessione Ecclesiæ, patet quia Ecclesia priuat excommunicatum vitandum potestate absoluendi à venialibus, vt communiter docent Theologi. Idque necessariò sequitur ex his duobus principiis quæ alibi probauimus. Vnum est, sacramentum pœnitentiæ non posse exerceri valide sine iurisdictione, vt affirmat Tridentin. sess. 14. cap. 7. quia exercetur vt iudicium, & minister debet esse iudex, vt ait ibidem, & cap. 2. Alterum est, nullum habere iurisdictionem ecclesiasticam immediatè à Christo, seu iure solo diuino, præter summum Pontificem. Ex quibus duobus principiis sequitur non posse alios absoluere à peccatis vllis, sine iurisdictione concessa ab Ecclesia, id est, à summo Pontifice; vel ratione officii, vel per commissionem seu delegationem.

SECTIO III.

Soluuntur aliquæ difficultates circa doctrinam præcedentem.

19. CONtra doctrinam præcedentem, quâ dictum est, iurisdictionẽ necessariam esse, & distingui à potestate ordinis, obiici potest primò ex Trident. sess. 14. cap. 7. in articulo mortis quẽlibet sacerdotem, cuius opera necessaria est, posse sacramentum pœnitentiæ ministrare, quamuis alioqui non habeat iurisdictionem. Neque respondeas, non id facere sine iurisdictione: sed quemlibet sacerdotem ex Ecclesiæ cõcessione per vsum continuum declarata, habere iurisdictionem ad absoluendum quemlibet in tali articulo, & necessitate. Nã Tridentinum eodem cap. significat aliquos esse Sacerdotes, qui nullam habeant iurisdictionem: & tamen illi possunt absoluere in prædicto articulo. Ergo potest aliquando dari absolutio sine iurisdictione. Respondeo, id intelligendum esse, vel quòd quidam sint qui nullam habeant, non absolutè, sed circa aliqua peccata specialia de quibus sententia absolutionis ferenda esset, & ab ipsis ferri non potest: vel quia minimum illud iurisdictionis quod habent pro articulo mortis, in moralibus reputatur pro nihilo.

Nemo absoluit in vllo casu sine iurisdictione.

20. Obiicitur 2. Si potestas iurisdictionis, necessaria ad peccata remittenda, distinguitur à potestate ordinis, neque datur cum illa per ordinationem: ergo sacerdotes in ordinatione sua non accipiunt potestatem remittendi peccata, significatã verbis illis, *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Neque per illa verba fit, quod per ista, Ioã. 20. Christus fecit Apostolis, qui per ea fuerunt ordinati ad sacramentum pœnitẽtiæ efficiendum, & constituti in potestate quadã vniuersali, vt possent in omnes Christianos exercere iudiciũ in foro pœnitentiæ.

Sacerdotes non acci-

Respondeo, Sacerdotes, quando ordinantur, accipere potestatem Ordinis ad efficiendum

piunt vi Ordinis potestatem iurisdictionis.

endum sacramentum pœnitentiæ, & remittenda peccata, suppositâ aliunde iurisdictione, quæ est altera potestas, diuersa à priori, sine qua potest tota dari & integra, vel ante sacramentum ordinis, vel post. Quamuis enim potestas ordinis quoad effectum remissionis peccatorum pendeat essentialiter à potestate iurisdictionis, & sine illa non possit operari: potest tamen sine illa existere & dari. Duplex igitur est potestas remittendi peccata in sacramento pœnitentiæ: altera Ordinis: altera iurisdictionis. Quarum neutra præcisè sumpta sufficit, sed sacramentum poenitentiæ essentialiter vtrãque exigit. Quare Sacerdotes, qui vi suæ ordinationis habent tantùm potestatem ordinis, non accipiunt ab illa præcisè totalem & plenam potestatem remittendi peccata in sacramento poenitentiæ: quæ totalis potestas constat duabus partialibus, ordinis, & iurisdictionis. Neque verò Apostoli præcisè vi illorum verborum, *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata* &c. aut vi simplicis ordinationis in sacerdotes, vel in Episcopos, vtramque acceperunt: quãuis simul cũ ordinatione sacerdotali, & Episcopali, iurisdictionem vniuersalem in Christianos omnes acceperint, speciali priuilegio, ratione necessitatis & Apostolicæ dignitatis illis concesso, & cum Episcopis eorum successoribus non communicato. Nam Episcopi absolutè ordinati, aut mere titurales alicuius loci, in quo nullus Christianus existit, sicut nullos habent subditos, ita nec vllã iurisdictionem, quę sine subditis esse non potest. Et idem est de Episcopis illis qui absolutè priuantur suo Episcopatu, aut cum summi Pontificis venia illi renunciant. Hi enim omnes sunt quidem Episcopi quoad ordinem, & potestatem ordinis: tametsi careant iurisdictione, quam vel nondum acceperunt, vel ea spoliati sunt.

21. Contra eandem doctrinam senserunt Armacanus lib. 11. de quæstionibus Armenbrũ cap. 4. Caietanus tom. 1. Opusc. tract. 7. Nauarrus in cap. *Placuit*, de Pœnit. initio, Vasquez q. 93. a. 1. dub. 2. qui tamen sunt in varias sententias diuisi.

Ac primò, Armacanus loco cit. censet quẽlibet sacerdotem, hoc ipso quòd est ordinatus, posse validè absoluere: sed per Ecclesiæ prohibitionẽ fieri, vt non possit licitè nisi eos quibus Ecclesia id permittit: & consequẽter neque validè, si illi accedunt scienter & liberè cõtra Ecclesiæ prohibitionem: quia grauiter peccãt, & sunt indispositi ad absolutionẽ, defectu sufficientis attritionis. Si tamen quis bona fide accederet, absolueretur validè.

22. Refutatur prima sententia contraria.

Sed hic error damnatur manifestè à Trid. sess. 14. cap. 7. cuius verba sunt: *Quoniam natura & ratio iudicii illud exposcit, vt sententia in subditos dumtaxat feratur: persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem.* Ergo ad absolutionem alicuius momenti, non sufficit ordo sacerdotalis: sed requiritur insuper iurisdictio, vel ordinaria, quæ competit alicui ratione officii, id est, beneficii habentis curam animarum: vel delegata, id est, per deputationẽ eius, qui habet ordinariam iurisdictionẽ. Similiter Florẽtinum in decreto §. *Minister huius sacramenti*, definit ministrum sacramenti pœnitentiæ esse sacerdotem habentẽ authoritatem absoluẽdi, vel ordinariam, vel ex cõmissione superioris. Ergo non quilibet sacerdos potest absoluere: sed ille tantùm qui habet cum Ordine iurisdictionem ordinariam, aut delegatam. Deniq; in Concilio Lateran. cap. *Omnis vtriusque sexus*, statuitur vt quilibet quotannis *semel saltem confiteatur proprio sacerdoti*, id est, habenti iurisdictionem ordinariam ratione sui officii, *vel alieno de licentia proprii*, id est, delegato: *quoniam aliter ille ipsum non potest absoluere, vel ligare.*

23. Altera sententia

Secundò, Caietanus loco cit. putat ad validè absoluendum nihil interdum requiri amplius, quàm vt pœnitens se voluntariè subiiciat sacerdoti habẽti solam Ordinis potestatẽ, sine iurisdictione ordinaria vel delegata. At hoc quoque repugnat manifestè Conciliis iam citatis. Quæ requirunt in confessario vt vel sit ordinarius Pastor poenitentis: vel si est alienus, id est, si non est Pastor eius ordinarius, habẽs ex officio curam regiminis ipsius: habeat licẽtiam seu delegationem ordinarii. At subiectio voluntaria poenitẽtis neque est ordinaria iurisdictio, neq; delegata. Neque enim illa subiectio est potestas regendi animas ex officio: neque etiam est delegatio. Delegare enim est actus superioris.

24. Tertia opinio contraria.

Tertiò, Nauarrus vbi suprà, existimat sacerdotes in sua ordinatione accipere totã potestatem iurisdictionis, sed eam ligari ab Ecclesia, ita vt neque licitè neque validè possit in actum exire, nisi illã permittente. Ratio eius est, quia olim ante Ecclesiæ prohibitionem, siue ordinationẽ contrariam, id est, ante Vrbanũ II. sacerdotes poterant quoscunq; pœnitẽtes absoluere: quod putat se colligere ex cap. *Placuit*, de Pœnitent. dist. 6. Sed hoc quoque repugnat verbis Tridentini supra relatis, apertè supponentibus aliquos esse sacerdotes qui non habent iurisdictionem neque ordinariam, neque subdelegatam: adeóque nullam: quia omnis iurisdictio vel est ordinaria vel delegata. Ergo falsum est sacerdotes accipere in sua ordinatione totam potestatem iurisdictionis. Deinde aliæ potestates à Christo immediatè concessæ, cuiusmodi est potestas omnis quæ datur per sacramẽtum ordinis, non possunt ita per Ecclesiam ligari, vt validè in actum exire non possint: vt patet de potestate consecrandi corpus Christi, confirmandi, ordinandi, quæ per nullam Ecclesiæ prohibitionem potest impediri ne validè operetur. Neque de vlla potestate à Christo data immediatè, debet asseri, quòd possit per Ecclesiam ita ligari vel tolli, sine valdè vrgenti ratione & autho-

ritate, quâ constet Ecclesiæ datum fuisse hoc ius. Neque enim temerè id præsumi debet; quia potiùs in fauorem iuris diuini iudicandum est. At nulla est ratio vllaus authoritas huiusmodi.

Refellitur eius fundamentum.

Nam quod ait Nauarrus de consuetud. Ecclesiæ vsque ad Vrbanum II. non est verum. Constat enim ex secunda epistola decretali Callixti (qui sedit longè ante Vrbanum II.) & ex Dionisio Papa qui fuit quoque antiquior Vrbano in epistola 2. ad Seuerum, & ex Felice III. epistola prima decretali, cap. 6. non fuisse illam consuetudinem, sed tunc quoque iurisdictiones fuisse diuisas: vt videre est capite 1. causa 9. q. 2. & causa 13. quæst. 1. cap. 1. Adde, quòd quamuis fuisset illa consuetudo: habuissent tunc sacerdotes potestatem iurisdictionis absoluendi quoslibet, non præcisè vi suæ ordinationis: sed ex concessione Ecclesiæ ita volentis: sicut nunc vult vt sacerdos quilibet possit in casu necessitatis absoluere quoslibet moribundos à quibuscunque casibus; quam potestatẽ iurisdictionis non potest non concedere pro eo casu: quia non potest in re tanti momenti pro salute omnium fidelium errare, & imprudenter agere. In cap. verò, *Placuit*, vel Vrbanus II. loquitur tantum de pœnitentibus, qui longam & diuturnam pœnitentiam agebant, quique tempore suæ pœnitentiæ ab vno sacerdote, cui se priùs commiserant, ad alium transibant, habentem quidem iurisdictionem, sed eo animo vt iste irritaret & mutaret quod prior fecerat; quod Vrbanus prohibet fieri iustis de causis: vt verba illius magis indicant. Vel si loquitur generalius, vt vult Nauarrus, statuitque vt deinceps nullus confiteatur nisi ordinario sacerdoti vel delegato: dico Vrbanum non statuere nouum ius sed antiquum confirmare suo decreto: ea fortè de causa, quòd non ab omnibus exactè seruaretur. Sicut Innocentius III. cum Concilio Lateran. idem statuit in cap. *Omnis vtriusque sexus*, qui tamen centum amplius annis post Vrbanum II. sedem Apostolicam tenuit: à cuius tempore saltem, vt fatetur Nauarrus, idem statutum erat.

25.

quarta sententia, quòd desit tantùm applicatio materiæ.

Quartò, Vasques, cui nonnulli recentiores adhærent, docet in dubio cit. n. 23. & sequẽtibus, sacerdotes in sua ordinatione accipere omnem potestatem, & authoritatem ius dicendi, absoluendo à peccatis: & tantùm deesse determinationem & applicationem materiæ, seu subditorum absoluendorũ, quæ per Ecclesiam est facienda. Ita vt Christus in ordinatione det clauem ad aperiendum & claudendum, Ecclesia verò det feram quæ aperiatur vel claudatur. Ibidemque comparat sacerdotes iudicibus quibusdam dictis Chartularij, qui olim ab Imperatore constituebãtur nullis subditis assignatis, sed solùm cum authoritate iudicandi de litibus eorum qui vellent se illorum iudicio submittere. Sicut enim illi totam potestatẽ iudiciariã, & authoritatẽ iudicandi accipiebant ab Imperatore: quamvis determinatio materiæ non fieret ab illo, sed à litigantibus se sponte submittentibus, sic sacerdotes accipiunt totam authoritatem, & potestatem absoluendi, à Christo, per sacramentum ordinis: quamuis determinatio materiæ, id est, personarum absoluendarum, non fiat à Christo, sed ab Ecclesia. Est tamen hoc discrimen in hac determinatione facienda, respectu sacerdotum & iudicum Chartulariorum: quia respectu istorum determinatio fiebat ab ipsismet litigantibus: Respectu verò sacerdotum non potest fieri à Pœnitentibus, sed solùm Ecclesiæ authoritate, id est, Summi Pontificis, proximè vel remotè, cuius est Episcopatus & Parœcias diuidere, & suos cuique subditos assignare, quorum animas regat per se, vel per alios à se delegatos.

Iudices Chartulatij

Fundamentum Vasquis est, quia ipsa potestas absoluendi data per sacramentum ordinis, est potestas dicendi ius circa peccata, ferendo sententiam iudicialem circa illa, & absoluendo iudicialiter. Ergo est potestas iurisdictionis. Et quidem tota: primò, quia Ecclesia non potest dare vllam potestatem dicendi ius circa peccatorum absolutionem: nimirum quia solius Dei est ius suum circa offensas sibi factas dispensare principaliter & propria authoritate: Ecclesia verò circa illud nihil potest nisi ministerialiter, exequendo dumtaxat medium remissionis, quod Deus instituerit. Secundò, sicut Ecclesia non potest dare propria authoritate remissionem peccatorum, ita neque dare potest propria authoritate potestatem vllam remittendi peccata, quæ est aliquid maius. Vnde non dicimus, neque dicere possumus: Ego te absoluo à peccatis tuis authoritate Summi Pontificis, vel authoritate mihi data à Summo Pontifice, sicut dicimus, Ego te excommunico, vel, te absoluo ab excommunicatione, authoritate Summi Pontificis. Adde tertiò, quòd aliter non potest explicari, quomodo Summus Pontifex possit ab vllo absolui: neque enim potest dare iurisdictionem in seipsum, non magis in foro interno, quàm externo, in quo à nemine iudicari potest. 26.

Hæc sententia non placet, quia non loquitur conformiter cum Florentino & Tridentino, verbis supra relatis. Nam illa Concilia nullam agnoscunt iurisdictionem, nisi ordinariam, quæ competit ex beneficio, vel officio regendi animas; aut delegatam, ex commissione Ordinarii: quarum neutram accipiunt sacerdotes per sacramentum Ordinis. Ergo non est ex mente, & modo loquendi Conciliorum, dicere, quòd sacerdotes accipiant totam iurisdictionem per sacramentum Ordinis. Secundò, eadem Concilia manifestè supponunt aliquos esse sacerdotes, qui nullam habent iurisdictionem, quique idcirco absoluere validè non possunt. Et tamen sunt ordinati sacerdotes, habentque totam potestatem Ordinis. Ergo falsum est, iuxta mentem & modum loquendi 27.

Refutatur vt minus consentanea Tridẽt.

Digitized by Google

Conciliorum, poteſtatem iuriſdictionis conferri totam per ſacramentum Ordinis, aut etiam ex parte, id eſt, aliquâ ſaltem. Tertiò, Trident. ſeſſ. 14. c. 7. hæc duo ſumit tanquam æquiualentia, habere ſubditos, & habere iuriſdictionem: cùm ſic ait: *Quoniam igitur natura & ratio iubet illud exponi, vt ſententia in ſubditos tantùm feratur: perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, nullius momenti eſſe abſolutionem, quam ſacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionem*: id eſt, in eum qui non eſt ei ſubditus. Atqui ſacerdotes per ſacramentum Ordinis nullos accipiunt ſubditos, vt fatetur Vaſquez: ergo neque accipiunt iuriſdictionem, iuxta mentem & modum loquendi Concilii Tridentini, cui longè plus deferendum eſt, quàm ſententiæ Vaſquis & ſequacium. Qui etiam meo iudicio minùs cohærèter loquitur, cùm ait loco citato, Eccleſiam facere pœnitentes, hos aut illos, ſubditos ſacerdotis: & tamen non facere vt ſacerdos ſit eorum ſuperior dãdo illi poteſtatem in illos. Nam hæc duo correlatiua ſunt, facere aliquẽ ſubditum alterius formaliter, & facere iſtum ſuperiorem illius. Eccleſia autem facit formaliter ſubditos, & non materialiter; neque enim efficit perſonas ipſas: vt is qui filium gignendo dat regi vnum ſubditum, ac Deo creaturam: facit ſubditum materialiter, id eſt, facit eum qui titulo creationis, & ſupremi iuris quod Deus habet in res omnes creatas, eſt illi ſubditus: vel qui vi conſtitutionis factæ à pluribus ſæculis, eſt ſubditus tali vt Regi, poſito quòd à talibus parentibus naſcatur: ſed Eccleſia ſolùm facit, vt perſonæ hæ aut illæ ſubſint tali vel tali, tanquam ſuperiori ſpirituali, vt ab eo regantur. Facere autem vt hic habeat debitum parendi alteri tanquam ſuperiori, eſt facere vt alter habeat ius illi præcipiendi: eſtque manifeſtum hæc duo eſſe correlatiua, & vnum ſine altero neque eſſe neque fieri poſſe. Quare vnum affirmare, & alterum negare, eſt ſuam aſſertionem deſtruere.

28. Neque iuuat Vaſquem exemplum Iudicum Chartulariorum, quod ſumpſit ex Paludano. Nam neque litigantes faciebant ſeipſos formaliter ſubditos reſpectu illorum: ſed fiebant ſubditi vi conſtitutionis Imperatoris, quæ iudicibus illis dabat authoritatem & ſuperioritatem, reſpectu illorum qui voluntariè illos adirent. Sicut nunc illi qui habent priuilegium eligendi confeſſarium, non faciunt ſe formaliter ſubditos, neque dant confeſſario iuriſdictionem: ſed hoc vtrumque fit à Summo Pontifice, vel alio Paſtore, vi priuilegii quod pœnitenti concedit: pœnitens enim tantùm deſignat & eligit perſonam, circa quam priuilegium operetur conferendo illi iuriſdictionem.

29. Ad fundamentum Vaſquis reſpondeo, licet latè loquendo omnis poteſtas iudicialis ferendi ſententiam ſit poteſtas dicendi ius, & in eodem ſenſu ſit iuriſdictio, ſeu poteſtas iuriſdictionis: in ſenſu tamen & modo loquendi Conciliorum, qui à Theologis ſeruandus eſt, ſumitur ſtrictiùs iuriſdictio, pro ſola poteſtate regiminis ordinaria vel delegata. Et hæc non datur per ſacramentum Ordinis: ſed ſunt multi ſacerdotes qui nullam habent, quamuis habeant Ordinem: & vice verſa, multi habent iuriſdictionem, qui nondum habent ordinem, vt Parochi vel Epiſcopi nondum ordinati, qui quamuis non poſſint abſoluere defectu poteſtatis Ordinis; habent tamen iuriſdictionem, quam poſſunt aliis delegare.

Iuriſdictio non eſt quæuis poteſtas iudicialis.

Ad primum argumentum, dico Eccleſiam non poſſe à ſe ipſa, & authoritate independenti, ac ſine Dei ipſius commiſſione, dare vllam poteſtatem dicendi ius, circa abſolutionem peccatorum: poſſe tamẽ Summum Pontificem, qui habet immediatè à Chriſto poteſtatem iuriſdictionis, eam communicare aliis ſecundum eiuſdem Chriſti voluntatẽ, atque ex ipſius commiſſione: quippe qui voluit vt Summus Pontifex, cùm ipſe ſolus non poſſit immediatè regere totam Eccleſiam, alios vocet in partem regiminis, & illis communicet aliquam partem iuriſdictionis.

Quomodo poteſt dari ab Eccleſia circa peccata?

Ad ſecundum Reſpondeo ſimiliter: ſicut Eccleſia poteſt ex commiſſione Chriſti remittere peccata ita & dare poteſtatem iuriſdictionis neceſſariam ad remittẽda peccata. Verùm quoad hoc, id eſt, quatenus poteſtas illa pertinet ſubſtantialiter ad remiſſionem peccatorum, Eccleſia non agit poteſtate authoritatiua, id eſt, propria & humana authoritate, qualis eſt poteſtas Summi Pontificis, & Prælatorum, circa leges Eccleſiaſticas ferendas, & circa cenſuras, totamque diſciplinam externam: ſed agit tantùm poteſtate miniſteriali, id eſt, vt inſtrumentum æquè dependens & ſubordinatum, atque eſt in collatione ſacramentorum. Quo etiam modo Summus Pontifex habet poteſtatem relaxandi ius diuinum per conceſſionem indulgentiarum, aut diſpenſationem votorum: & committendi ſimplici ſacerdoti, id eſt, non Epiſcopo, vt extraordinariè poſſit conferre ſacramentum Confirmationis, & aliquos Ordines ſacramentales. Quam poteſtatem exercet Summus Pontifex extra omne ſacramentum: adeóque diſpenſat etiam de iure diuino, per indulgentias extra ſacramentum. Ex hoc autem diuerſo agendi modo fit vt non poſſimus dicere: Ego te abſoluo à peccatis tuis authoritate Summi Pontificis: quia hoc ſonat humanam authoritatem. Quamuis poſſimus dicere. Ego te excommunico, vel te abſoluo ab excommunicatione, authoritate Summi Pontificis.

30. Ad tertium Reſpondeo, Summum Pontificem dare iuriſdictionem in foro interno, circa ſeipſum, confeſſario quem eligit: ſicut reges, qui iudicibus ſibi inferioribus cõmittunt cauſas ſuas ciuiles, dant illis iuriſdictionem circa ſeipſos. Quamuis autem Summus Pontifex non poſſit dare iuriſdictionem circa

Summus Pontifex dat Confeſſario iuriſdict. circa ſeipſum.

Digitized by Google

seipsum in foro externo, propter excellentiam & prærogatiuam suæ dignitatis, maioris omni alia humana, quam non decuit submitti authoritati purè humanæ Iudicum ipsâ inferiorum: non est par ratio de foro interno fauorabili, cuius iudiciũ omnibus post baptismum lapsis est ad salutem necessarium; & cuius authoritas absoluendi diuina est, modo superiùs explicato.

SECTIO IV.

An vlterius requiratur in confessariis approbatio Episcopi?

32. Conclusio affirmat.

REspondeo Tridentinum sess. 23. c. 15. de Reformat. statuisse vt *nullus, etiam Regularis, possit confessiones secularium, etiam sacerdotũ, audire, nec ad id idoneus reputari, nisi aut parochiale beneficiũ obtineat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & gratis approbetur, priuilegiis & consuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obstantibus.* Hæc Tridentinum. Circa quæ,

Circa confessiones secularium dumtaxat.

Nota primò, Concilium limitare suum decretum ad eos qui audiunt cõfessiones sæcularium, his verbis, *Nullus, etiam Regularis, possit confessiones secularium, etiam sacerdotum, audire.* Quare ad audiendas confessiones Regularium, non est necessarium habere Episcopi approbationem: sed possunt regulares etiam nunc confiteri iisdem, quibus ante Tridentinum per sua statuta, vel per ius commune, confiteri poterant. Quia Tridentinum hac in parte nihil circa illos innouauit: sed reliquit illis iura sua integra: per quæ satis ipsorum bono spirituali prospectum esse credidit.

33. Et non habentibus beneficium parochiale.

Nota secundò, eos quoque qui obtinẽt beneficium parochiale, id est, cui animarũ cura annexa est, non egere Episcopi approbatione vt possint audire confessiones. Quia Concilium illos excipit his verbis, *Nisi aut parochiale beneficium obtineat.* Ratio autem illos excipiendi fuit, quia debent accuratè examinari, aut esse probè noti, priusquam tale beneficium illis conferatur: & hoc ipso quòd censentur digni illo beneficio: censentur quoque esse idonei, vt illis munus audiendi confessiones committatur. Intellige tamen eos non egere approbatione quandiu habent tale beneficium. Nã si habere desinãt, non possunt deinceps audire confessiones sine approbatione. Quia iã non ampliùs obtinent parochiale beneficium: Tridentinum autẽ statuit vt approbẽtur, nisi parochiale beneficium obtineant. Nomine autẽ obtinentiũ parochiale Beneficium non intelliguntur Prælati Religiosorũ: quia talis prælatura nõ est propriè beneficiũ parochiale: ideoque non possunt audire cõfessiones sæcularium sine approbatione. Licet nonnulli contrarium sentiant apud Dianam parte 2. tract. 12. Miscellan. resolut. 46. Delugo disp. 21. de Pœnit. sect. 1. nu. 9. & Henriq. lib. 6. cap. 6. nu. 2. quia, inquiunt, Prælatus Monasterii æquiparatur habenti parochiale Beneficium, & est iure ordinarius. Porro habentes parochiale beneficium non egent approbatione, non modò in propria diœcesi, sed neque in vlla alia: possuntque vbique audire confessiones, dummodo eis iurisdictio delegetur ab illis, ad quos pertinet. Nam Concilium non requirit in illis approbationem, sed eos relinquit iuri antiquo, secundum quod non egebant approbatione vt possent delegari. Hinc collige, posse Parochum diœcesis Parisiensis vel operâ vicini Parochi alterius diœcesis, quamuis non approbati ab Episcopo Parisiensi.

34. Sine illa absolutio est inualida.

Nota tertiò, in omnibus aliis sacerdotibus, tam sæcularibus quàm regularibus, ad audiendas confessiones sæcularium, etiam sacerdotum, approbationem hanc adeo necessariam esse, vt sine illa confessio nulla sit. Cùm Concilium dicat, *nullum posse sine ea confessiones audire.* Atque ita Sanchez, Vasquez, Aegidius Coninc, & alii communiter Cõcilium intelligunt, & expressè à Congregatione Cardinalium sic declaratum est. Nomine autem *quorumcunque secularium, etiam sacerdotum*, comprehenduntur etiam Episcopi: vt eadem Congregatio Cardinalium declarauit circa cap. 15. sessionis 23. Trident. num. 1. §. *Quamuis Presbyteri*, his verbis: S. D. N. *audita relatione Congregationis, declarauit Episcopum vigore priuilegii, de quo in cap. fin. de Pœnitent. & Remiss. non posse sibi eligere sacerdotem sibi non subditum, qui à proprio Ordinario non fuerit adhuc ad formam huius decreti* (Tridentini Concilii) *admissus, seu approbatus ad audiendas confessiones.* Quare Episcopi, & alii, qui à iure, vel aliter, habent facultatem eligendi confessarium idoneum: non possunt eligere illum, qui neque est ab Episcopo approbatus, neque obtinet parochiale beneficium: nimirum quia talis iam non potest idoneus reputari: vt Tridentinum statuit verbis illis, *Nec ad id idoneus reputari, nisi*, &c. Eademque de causa Parochi non possunt deputare ad audiendas suorum confessiones eum, qui neque est approbatus, neque parochiale beneficium obtinet. Probabilius quoque est, non posse eum eligi, qui est quidem approbatus, sed non respectiuè in ordine ad talem locum, vel tales personas. Quare si tempore iubilei v. g. datur facultas eligendi confessarium idoneum, vel approbatum: non potest eligi ad audiendas confessiones in hac Diœcesi, qui fuit tãtùm approbatus pro alia: neque in vrbe, qui fuit tantùm approbatus ad illas audiendas in oppido (quod omninò verum est, si illa limitatio approbationis facta est propter ignorantiam confessarii) neque ad audiendas confessiones mulierũ ille, qui tantùm fuit approbatus ad audiendas confessiones virorum. Nimirum quia Sũmus Pontifex non dat iurisdictionem ad audiendas tales cõfessiones, nisi suppositâ approbatione ad easdem audiendas, qualem requirit

Digitized by Google

Tridentinum', cui non derogat. Qua etiam de causa non possunt Parochi delegare ad audiendas confessiones suorum in vrbe, eos qui tantùm pro pagis approbati sunt: neque ad confessiones mulierum, approbatos tantùm ad viros audiendos, propter mores iuueniles, aut quid aliud, quod fuit causa legitima exceptionis.

35. Quomodo danda approbatio?

Nota quartò, non esse necessarium, vt approbatio scripto detur: quia Concilium id non postulat. Præcipit tamen vt gratis detur: quod non est ita intelligendum, vt approbatio sit alioqui futura inualida, sed dumtaxat illicita. Item licet Episcopus iudicaret inter ùs, aliquem non esse idoneum: sufficit quòd exteriùs iudicet esse talem, & approbet, siue fauore, siue alio motiuo inductus. Neque obstat quod ait Concilium Tridentinum, *Nisi idoneus iudicetur, & gratis approbetur*: quibus verbis duo requirere videtur, iudicium & approbationem: ideoque sicut non sufficit iudicium internum sine approbatione: ita neque approbatio sine iudicio. Respondeo enim Tridentinum loqui de iudicio externo, & sensibili, id est, de sententia authenticè data ab Episcopo: ad cuius valorem non est necessarium, vt Iudex interiùs iudicet idem, quod exteriùs pronunciat: alioqui nunquam Iudices ferrent sententiam contra suam conscientiam, vel internum iudicium: quod est falsum. Possunt enim, & quidem etiam interdum licitè, ferre sententiam contra suum iudicium internum: vt quando Iudex damnat illum, quem scit esse innocentem, conuictum tamen iuridicè secundum allegata, & probata.

36. Episcopus approbans qualis esse debeat?

Nota quintò, Episcopum approbantem debere saltem esse confirmatum, & habere iurisdictionem: quippe quæ necessaria est, vt authenticè approbet. Quare non sufficit Episcopum esse tantummodo nominatum, vel electum; aut habuisse aliàs iurisdictionem, quâ iam spoliatus sit. Per Episcopum autem intelligi debet, non solùm Ordo, sed & potestas Episcopalis. Possunt enim similiter approbare illi omnes qui habent iurisdictionem Episcopalem: vt Capitulum Cathedrale sede vacante, & Abbates quidam, ac Priores exempti, habentes Diœcesim, & Episcopalem iurisdictionem in illa. Item quicumque habent iurisdictionem Episcopalem, possunt non modò per seipsos, sed etiam per alios approbare. Potest enim Episcopus, verbi gratiâ, id committere non modò Vicario suo Generali, sed etiam Prælato domus Religiosæ, vel alteri, cui dicat se approbare, quos ille idoneos iudicauerit. Faceret tamen inualidè, & contra mentem Concilii Episcopus, qui indifferenter, & sine vllo delectu, vellet vno verbo omnes sacerdotes suæ Diœcesis habere approbatos. Sufficit etiam tacita approbatio: vt si Episcopus alicui præcipiat audire confessiones in sua Diœcesi: vel si videat audientem, & non prohibeat cùm facilè possit.

37. Approbatio est authenticum testimonij

Nota sextò, approbationem huiusmodi nihil aliud esse, quàm authenticum testimonium, quo approbatus declaratur idoneus ad audiendas confessiones, suppositâ aliunde iurisdictione, habita, vel habenda: quæ non confertur per simplicem approbationem, sed Religiosi illam quidem habent à Summo Pontifice: alii verò ab aliis, à quibus delegantur. Vnde sequitur, approbationem semel datam non posse validè reuocari sine iusta causa, neque suspendi: quia non est mera gratia, pendens à voluntate concedentis; sed authenticum testimonium de sufficientia personæ. Testimonium autem semel datum reuocari non potest sine ratione legitima dubitandi de illa. Et vt dicitur regula 33. de Regulis Iuris, in 6. *Mutare consilium* (multóque magis authenticum testimonium) *quis non potest in alterius detrimentum.* Confirmatur, quia hæc reuocatio est retractatio, & irritatio iustæ sententiæ de capacitate alicuius: quæ sine ratione retractari, & irritari nequit. Neque enim habent Iudices, aut Prælati, ius aut potestatem irritandi iustam sententiam iniustè, & sine ratione legitima ad causam pertinente.

38. Possitne reuocari fine causa iusta?

Atque ita docent Diana 3. parte, tractatu secundo, Resolutione 22. Peirinus de Priuilegiis Minorum, tomo primo, Constitutione vigesima sexta Leonis X. §. sexto, numero septimo: Portellus in dubiis Regularium, verbo, *Confessoris præsentatio.* Suarez tomo 4. in 3. partem, disputatione 28. sectione 8. Henriquez, Nauarrus, Miranda, Zanardus, Rodriguez, & alii à Diana & Peirino citati. Fauentque tres declarationes Sacræ Congregationis Cardinalium quæ habentur in Lugdunensi editione Concilii Tridentini anni 1640. ad sess. 23. cap. 15. de Reformatione, num. 4. affirmantque, Regulares ad audiendas confessiones semel ab Episcopo præuio examine approbatos, iterum ab eodem Episcopo non esse examinandos. Idemque declarauerat Pius V. in Bulla quæ incipit, *Romani Pontificis prouidentiæ*, edita anno 1581. Pontificatus sui anno 6. cuius mentionem facit prima ex tribus prædictis Declarationibus. Et in altera Declaratione Cardinalium 20. Nouembris, anni 1615. dicitur expressè, approbationem non posse reuocari sine iusta causa, eáque ad confessiones ipsas pertinente, aut propter non seruatum interdictum ab ipsis Ordinariis positum, legitimum scilicet & validum. Verba illius hæc sunt: *Sacræ Congregationis Patres, rati vix fieri posse, vt hæc sine scandalo, magnaque animarum pernicie contingant, re maturè perpensa, statuunt, & decernunt Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, ad quos approbandi Confessarios ius spectat, Confessarios Regulares, aliàs ab ipsis liberè approbatos, à confessionibus audiendis posthac suspendere minimè licere, nisi ex noua causa, eaque ad confessio-*

nes ipſas pertinente, aut ob non ſeruatum interdictum.

39. Peccat qui eam negat iniuſtè, aut limitat.

Nota vltimò, peccare Epiſcopum, qui ſine iuſta cauſa negat huiuſmodi approbationem petenti, & aliunde habenti ius audiendi confeſſiones, vel ratione Beneficii, vel per ſua priuilegia. Habet enim ius petendi hoc teſtimonium authenticum ab Epiſcopo: & conſequenter Epiſcopus habet debitum non negandi: & ſi neget, habet ille ius appellandi ad Metropolitanum, vel ad Primatem, aut Summum Pontificem. Peccat etiam Epiſcopus, qui ſine iuſta cauſa limitat ad certum tempus, vel ad certum locum, & perſonas, approbationem illius de quo non eſt ratio dubitandi, aut exiſtimandi quòd non ſit idoneus vniuerſaliter pro quouis tempore, loco, & perſonis. Facit enim contra ius petentis approbationem ampliorem, quantæ dignus eſt, & teſtimonium ſuæ ſufficientiæ proportionatum. Addunt aliqui limitationem nullam eſſe: quippe manifeſtè iniuſtam. Quia cùm approbatio nihil ſit aliud, quàm authenticum teſtimonium de ſufficientia confeſſarii; non poteſt dari cum limitatione euidenter irrationabili, ad annum, verbi gratia, vel ſex menſes; quæque ſi verbis exprimeretur, ridicula prorſus appareret. Senſus enim eſſet, Teſtor authenticè, & iudico te habere ſufficientem doctrinam & probitatem ad audiendas confeſſiones vno anno, & non vlteriùs: quamuis doctrina & probitas eadem perſeueret, vel etiam maior futura ſit. Quaſi verò ſufficientia illa ſit annuus prouentus, ſingulis annis comparabilis, & æſtimabilis. Eandemque ob cauſam non poteſt limitari ad vnum locum præ alio, in quo non maior requiratur doctrina & probitas. Senſus enim eſſet, iudico, & teſtor te ſufficientem doctrinam & probitatem habere ad audiendas confeſſiones in tali loco, & non in aliis, in quibus tamen maior doctrina, aut probitas non requiritur. Secus eſt de iuriſdictione, quæ dari poteſt ad arbitrium, & determinari ad talem locum, aut perſonas circa quas ſolas exerceri poſſit: illam autem Regulares non accipiunt ab Epiſcopis, ſed à Summo Pontifice. Ad huius ſententiæ confirmationem addi poteſt declaratio ſacræ Congregationis Cardinalium interpretum Concilii Tridentini edita anno 1623. & à Summo Pontifice approbata, cuius tenor hic eſt: *Sacra Congregatio decreuit vi illius conſtitutionis* (Gregorii XV.) *Epiſcopos Regularibus, quibus non incumbit cura animarum, non poſſe præſcribere, vt certis tantùm in locis, vel temporibus, aut certarum perſonarum confeſſiones audiant: vel alia illorum priuilegia in Sacramentis adminiſtrandis reſtringere, aut moderari.* Hæc illi: quorum ſententia probabilis eſt: obeſſe tamen illi videtur conſtitutio Vrbani VIII. referenda inferiùs numero 74. niſi potiùs hæc de iuſta limitatione debet intelligi.

SECTIO V.

Sufficiatne approbatio iniuſtè negata?

40. Proponitur ſententia affirmãs.

SVnt etiam qui putent approbationem iniuſtè negatam ſufficere: quia cùm ſit tantummodò authenticum teſtimonium ſufficientiæ; non debet, neque licitè, aut validè poteſt negari petentibus manifeſtè idoneis, & ſatis aliunde notis illam habere, atque ius petendi habentibus ratione ſui muneris, aut priuilegii. Neque id eſſe contra intentionem Tridentini: quippe quod, inquiunt, non loquitur de approbatione iniuſtè negata; neque dedit Epiſcopis poteſtatem iniuſtè agendi, aut priuandi Regulares vſu ſuorum priuilegiorum, negando approbationem iniuſtè, & ſine legitima ratione ad confeſſiones ipſas pertinente; ſed vt ait Peirinus, relatus à Diana parte 3. tractatu 2. Reſolutione 22. *Credendum eſt, Concilium voluiſſe tantùm idoneis miniſtris facultatem concedere confeſſiones audiendi per examen Epiſcoporum, rectè & rationabiliter iudicantium; non autem fouere aliquos in ſuis paſſionibus, & odiis contra Regulares cum maximo Chriſti fidelium ſcandalo.* Nimirum quia Tridentinum non derogauit Clementinæ *Dudum*, tit. de Sepulturis, vbi ſic ſtatuitur: *Si verò iidem Prælati præfatis Fratribus, ad audiendas confeſſiones* (vt præmittitur) *electis, eiuſmodi licentiam exhibere recuſauerint: nos ex nunc ipſis, vt confeſſiones ſibi confiteri volentium liberè, licitéque audire valeant, gratioſè concedimus de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis.* Quam conſtitutionem editam in Concilio generali Viennenſi ſub Clemente V. vnà cum reliquis in eodem Concilio editis, Ioannes XXII. eius ſucceſſor in præfatione ad Clementinas vult practicari in iudiciis, & in ſcholis doceri, & prompto affectu ſuſcipi, ac ſtudio alacri.

41. Non obſtat Trident.

Neque etiam derogauit Tridentinum Extrauaganti Benedicti XI. quæ incipit, *Inter cunctas*, tit. de Priuilegiis, & ſic habet: *Quòd ſi denegent* (licentiam audiendi confeſſiones electis, & præſentatis à ſuis Superioribus) *vel intra triduum non concedant, ex tunc iidem Fratres nihilominus authoritate eadem huiuſmodi officium exequantur.* Neque Bullæ Leonis Decimi editæ in Concilio Lateranenſi, quæ incipit, *Sacro approbante Concilio*, vbi ſic decernit: *Poſſunt Regulares per Epiſcopos, & Prælatos ſuper ſufficienti literatura, & aliqua ſaltem huiuſmodi ſacramenti peritia dumtaxat examinari. Ita talibus præſentatis admiſſis, vel etiam indebitè recuſatis confitentes, conſtitutioni, quæ incipit Omnis vtriuſque ſexus, quoad confeſſionem dumtaxat ſatisfeciſſe cenſentur.* Quam conſtitutionem Leonis X. & Concilii Lateran. non tantùm Fratribus Mendicantibus ſuffragari, ſed etiam aliis quorumcumque

Digitized by Google

Ordinum Religiosis, patet ex clausula, quæ circa finem habetur in hæc verba: *Omnia, & singula supra dicta ad reliquos Religiosos Ordinum quorumcunque extendi, & per eos etiam seruari volumus, atque decernimus.* Quanquam etiam sine hac clausula prodesset aliis, qui priuilegiis eorum participant. Estque notandum Clementinâ secudam *de Sepulturis*, non derogare Extrauaganti *Inter cunctas*, supra citatæ, nisi quoad ea in quibus repugnabat constitutioni Bonifacii VIII. quæ incipit *Super cathedram*, & habetur inter Extrauag. tit. *de Sepulturis*.

42. Huiusmodi, inquam, constitutiones Conciliorum generalium, & summorum Pontificum non fuerunt à Tridentino abrogatæ suo illo statuto, de approbatione habenda ab Ordinario. Quia istæ constitutiones relatæ fuerunt in corpus Iuris Canon. Priuilegiũ autem corpori Iuris insertũ, non reuocatur nisi ille qui habet reuocandi potestatẽ, faciat expressâ illius mentionẽ: ita vt non sufficiãt clausulæ generales, quæ tantũ vim habent in priuilegia corpori iuris non inserta, vt docent Henriq. & plerique alii infra citandi. Præterea, commune axioma Canonistarum est, quòd lex generalis posterior non intelligitur derogare legi speciali Conciliari, & insertæ in corpore Iuris, cùm de ea non fit mentio, neque ex intentione legis generalis id intelligitur. Qua de causa Nauarr. in caput *Placuit*, de Pœnitentia dist. 6. sic asserit: *Lex posterior generalis sæpe limitatur per speciale ius antiquum.*

43. Asserores illius sententiæ. Atque hanc sententiã tenet idem Nauarr. cap. 27. Manual. n. 264. & 265. vbi sic habet: Episcopo sine causa nolẽte admittere, possũt præsentati facere perinde ac si fuissent admissi. Nec videtur obstare Concilium Tridentinum. Tum quia huiusmodi præsentatus, & sine causa ab Episcopo reiectus, habetur pro approbato. Tum quia Concilium Tridentinum non videtur voluisse derogare iuri communi, & Conciliari, neq; Concilio Lateranensi, quod requirit derogationem expressam Concilii, ad hoc vt illi censeatur derogatum. Tum quia expedit iura concordare: & possumus hæc iura commodè concordare, dicendo quòd Concilium Tridentinum limitetur per alia duo prædicta, ob rationem specialitatis, quæ colligitur ex eis, *Ad frænandam aliquorum Episcoporum duritiem*: cùm etiam posteriores leges limitentur per priores. Hucusque Nauarr. Idem quoque docent Anton. Diana parte 3. tract. 2. resolut. 24. citans quindecim auctores pro eadem sententia, Rodriguez tom. 1. quæstionum Regularium quæst. 59. art. 1. §. *Sextò est notandum*. Henriq. lib. 3. de Pœnitentia cap. 6. num. 4. Peirin. de Priuilegiis Minim. tom. 1. constitutione 26. Leonis X. num. 7. Finell. in casib. reseruat. cap. 3 num. 3. Villalobos in Summa tom. 1. tract. 1. difficult. 53. n. 3. Portell. in Dubiis Regularium V. *Confessor Regularis*, Laiman lib. 5. tract 6. cap. 11. num. 4. Fagundez in secundum præceptum Ecclesiæ lib. 7. cap. 2. num 15. Zanard. in Directorio Theologico parte 1. cap. 24. §. 7. & alii quos citant Henriq. & Diana supra. Additque Henriq. in Glossa lit. L. hanc sententiam teneri à pluribus, communiterque receptam esse à Doctoribus Salmanticensibus, & Complutensibus, fuisseque in Academia Parisiensi publicè propositam & propugnatam, atque etiam declaratam à Sacra Congregatione Cardinalium.

44. His etiam accedit Gamachæus illustris Doctor Sorbonicus, tom. 3. in tractatu de Pœnit. cap. 18. pag. 589. cuius verba sunt: Si tamen obtinere non potuerint Religiosi licentiam, & reuera digni inuenti fuerint; tunc temporis summus Pontifex de plenitudine Apostolicæ potestatis eandem facultatem simpliciter illis concedit: Atque omnes istæ Extrauagantes in corpus Iuris communis relatæ sunt, & multis iam locis in praxim redactæ, neque à Concilio Tridentino mutatæ aut reuocatæ. Similia habet Bartholomæus Miranda tomo 1. sui Manualis Prælatorum quæst. 45. art. 6. vbi hanc conclusionem ponit: Probabilissima est illorum Doctorum sententia, quæ asserit supradictam Clementinam *Dudum*, nullatenus esse per Concilium Trident. reuocatam, aut derogatam; quin verò per ipsum approbatam & confirmatam, & eidem quàm maximè conformem, & quòd nihil in ea contineatur quod illi contrarietur. Quam conclusionem multis confirmat, soluitque argumenta contraria: & addit quosdam contra Clementinam prædictam immeritò oblatrare, & murmurare, cùm sit maximè iuridica, & æquitati consentanea. Et non modò in decreto Concilii Trident. non fieri mentionem de dictæ Clementinæ reuocatione, quin imò ipsam proponi ad marginem, tanquam ipsius appendicem: quasi per hoc insinuetur, aut significetur dictum decretum confectum fuisse & constitutum ad instar & imitationem, & ad maiorem atque meliorem obseruantiam dictæ Clementinæ.

45. Confirmatur. Neque in Iure nouum est facultatem iniustè negatam ab Ordinario, tenere locum concessionis: qua de re videri potest caput 1. de Supplenda negligentia Prælatorum, & caput *Licet*, de Regularibus, & Constitutio supra citata Leonis X. in qua permittit Regularibus ministrare moribundis in certis casibus sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis. Adde etiam quòd in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus, vt habetur de Regulis Iuris in 6. Non est autem verisimile Tridentinum voluisse speciatim concedere Episcopis, vt iniustè approbationem negare possint, & Regulares propter illam negationem iniustam, priuare vsu suorum priuilegiorum, iuréque antea illis concesso, & iuri com-

Digitized by Google

muni inſerto. Cúmque aliqua poteſtas eccleſiaſtica datur Prælatis, datur ſine dubio, vt ea vtantur ſecundum ius & rectam rationem, atque in ædificationem fidelium, non in deſtructionem: vt de ſe Paulus affirmat 2. Corinth. 13. v. 10. & Epheſ. 4. v. 12. Et de Epiſcopis idem planè ſentiendum eſt: neque enim maiorem ipſi poteſtatem acceperunt, quàm Paulus, & Apoſtoli. Adde præterea quòd hæc approbatio non eſt opus gratiæ, ſed iuſtitiæ, vt ſuprà diximus, & rectè docet Suar. diſp. 28. ſect. 4. n. 22. & ſect. 5. n. 5. & 8. Eſt enim veluti iudicium, ſeu iuſta ſententia. Ergo iniuriam facit Epiſcopus quando ſine cauſa eam negat, & contra merita perſonæ petentis. Sed actio iniuſta nemini nocere debet. Ergo neque iniuſta illa recuſatio debet nocere Regularibus. Noceret autem ſi impediret ne vterentur priuilegio, & facultate audiendi confeſſiones ſibi conceſſa à ſede Apoſtolica. Ergo &c. Confirmatur, quia Epiſcopus iniuſtè negans approbationem, quam Tridentinum exigit, vt Sacerdos, etiam Regularis, ſit & reputetur idoneus ad audiendas confeſſiones ſæcularium, repugnat ipſi Tridentino, quod iniungit Epiſcopo, vt det approbationem, idque gratis, niſi ſcilicet habeat iuſtam cauſam denegandi. Item cùm auditurus confeſſiones iubetur obtinere approbationem Epiſcopi, conſequenter Epiſcopus iubetur concedere: obtineri enim non poteſt quod ab alio pendet, niſi alius det. Vultque Concilium ſaluum manere Regularibus ſuum Priuilegium, quippe quorum iuri non derogat. Nunquam enim Concilium aut Papa intendunt tollere alicui ius ipſi quæſitum, niſi id exprimant, idque ſatis clarè. Hæc illi: quorum ſententia non immeritò videri poteſt eſſe probabilis, tot Doctorum auctoritate, tamque veri ſimilibus rationibus munita.

45. Contraria ſententia.

Contrariam nihilominus tenendam eſſe dico cum Fernande in examine Theologiæ moralis part. 3. cap. 9. §. 8. Sancio in diſput. ſelect. diſp. 48. n. 16. Suare tom. 4. in 3. part. diſp. 28. ſect. 5. n. 6. Vaſque quæſt. 93. art. 3. dub. 3. Aegid. Con. diſp. 8. de Pœnit. dub. 7. num. 58. Delugo diſp. 21. de Poenit. ſect. 3. n. 54. Præpoſito quæſt. 8. dub. 2. n. 9. & 10. Quia Concilium requirit vt confeſſarius ſit approbatus, ſi Beneficium Parochiale non obtineat. Non eſt autem approbatus, qui tantùm petit, & non obtinet approbationem, ſiue iuſtè negetur, ſiuè iniuſtè. Neque obſtant iura in contrarium allegata. Nam illis omnibus videtur Tridentinum derogare voluiſſe hac generali clauſula, *Priuilegiis & conſuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obſtantibus.* Præſertim cùm priuilegium, quo præcipuè nititur contraria ſententia, ſit corpori iuris communis inſertum. Et cap. *Licet Romanus* de conſtitut. in 6. dicatur Romanum Pontificem (qui iura omnia in ſcrinio pectoris ſui cenſetur habere) conſtitutionem condendo poſteriorem, priorem, quamuis de ipſa mentionem non faciat, reuocare cognoſci: quando ſcilicet in iure continetur, ac proinde non cenſetur eſſe illi ignota. Non obeſt etiam quod dicitur cap. *Licet*, de Regularibus, conſenſum apertè iniuſtè negatum, reputatum eſſe datum: Hoc enim ſolum verum eſt de caſibus in iure expreſſis; cuiuſmodi eſt ille, de quo ibi agitur, quando ſcilicet Religioſus petit, & non obtinet facultatem tranſeundi ad arctiorem Religionem. Et quamuis iſte, de quo nunc diſputamus, fuerit pariter expreſſus in iuribus citatis num. 41. probabiliter tamen à Tridentino illis derogatum fuit verbis proximè relatis, vt cenſent auctores huius ſecundæ ſententiæ. Quorum tamen aliqui excedere mihi videntur in cenſura prioris. Nam Suarez diſp. cit. ſect. 5. n. 13. cenſet eam neque veram eſſe neque practicè probabilem: & Vaſq. loco cit. ſic ab illa abhorret, vt exiſtimet Concilium voluiſſe approbationem Epiſcopi eſſe in omni euentu neceſſariam. Quæ Tridentini interpretatio nimis auſtera eſt, atque à reliquorum Doctorum ſenſu aliena. Nam etiam nunc poſt Tridentinum in multis caſibus poteſt ſacerdos non approbatus ab Epiſcopo validè, liciteque abſoluere, vt dicetur poſtea. Suaris quoque rationes non conuincũt euidenter, contrariam ſententiam eſſe practicè improbabilem, vt patebit eas examinando, & referendo quid alii probabiliter reſpondeant.

46. Prima illius ratio.

Prima & præcipua ratio eſt, quam & nos paulò ante attulimus: quia Trident. cap. cit. nullum ſacerdotem, etiam Regularem, vult reputari idoneum ad audiendas confeſſiones ſæcularium, qui huiuſmodi approbationem ab Epiſcopo non obtinuerit. Quo loquendi modo ſignificat, non ſatis eſſe, vt approbatio petatur, ſed requiri vt obtineatur reipſa. Derogat autem Concilium ibi priuilegiis, & cuicunque conſuetudini contrariæ, atque etiam præcedentibus conſtitutionibus Conciliorum, & Summorum Pontificum: nam vt dicitur cap. *Licet Romanus*, de Conſtitutionibus in 6. Conſtitutio poſterior priorem reuocat, licet de ea mentionem non faciat.

Expeditur.

Cui rationi, tametſi nobis probetur, reſponderi tamen poteſt primò, Priuilegia iuri communi inſerta non eſſe ampliùs priuilegia, ſed ius commune, illiuſque vim habere, ſaltem quando ſimul ex eis reſultat commune bonum. Conſtitutio autem ſupra dicta Clementis V. redundat in commune bonum, fuitque inſerta corpori Iuris communis. Vnde Sixtus IV. in Extrauag. *Vices*, de Treuga, & pace, illam vocat *Iuris communis diſpoſitionem.* Dici etiam 2. poteſt, Conſtitutiones illas Clementis, & Leonis X. habere vim ſententiæ conciliariter latæ in diſſidio Epiſcoporum, & Regularium, per quam Regularibus ius quæſitum eſt, vt iniuriosam paſſi repulſam poſſint nihilominus ſæcularium

confeſſiones excipere, eoſque abſoluere: Non eſt autem exiſtimandum voluiſſe Concilium præiudicare illi iuri quæſito Regularibus, nulla illius mentione facta: quia, vt ſupra dixi, Concilia, & Pontifices nunquam intendunt tollere alicui ius ipſi quæſitum, niſi clarè id exprimant. Qua de re vide Henriquem lib. 3. de Pœnit. cap. 6. num. 4. lit. M. & N. & apud Quarantam verb. *Regulæ*, Regulam 17. Cancellariæ Apoſtolicæ.

47. Altera eius ſolutio.

Tertiò, reſponderi poteſt, non eſſe euidens, neque certum, voluiſſe Tridentinum derogare Conſtitutionibus Clementis V. & Leonis X. Tum quia non eſt credibile, Concilium voluiſſe fauere iniuſtitiæ Prælatorum iniuſtè recuſantium, & aliquorum odiis aduerſus Regulares. Tum etiam quia, vt ex Archidiacono, & Felino docet Nauarrus in Summa cap. 27. num. 265. & Sanches lib. 3. de Matrimonio diſp. 26. num. 7. vt Concilii generalis decreto cenſeatur derogatum, requiritur expreſſa eius derogatio: quia huiuſmodi Concilii decretum ſpeciali honore, & prærogatiua dignum eſt ita vt non veniat in generali reuocatione. Cùm verò Pontifex cap. *Licet*, citato, dicit quòd ſummus Pontifex Conſtitutionem coudendo poſteriorem, priorem, quamuis de ipſa mentionem non faciat, reuocare noſcatur, intelligi debet, iuxta illos Doctores, de priori lege à ſolo ſummo Pontifice condita: non autem de lege condita ab illo in generali Concilio, cuiuſmodi ſunt duæ ſupra citatæ Clementis V. & Leonis X. aut de lege priore contraria poſteriori, & cum hac incompatibili, vt explicat Miranda tom. 1. Manual. quæſt. 45. art. 6. in concluſione. At Clementina non contrariatur Tridentino, vt oſtendemus paulò poſt.

48. Refellitur ſolutio.

Nec obſtat quod ait Suares ibidem num. 13. Decretum Tridentini eſſe etiam Conciliare. Nam neque per tale decretum alteri Conciliari decreto antiquo derogatur ſine expreſſa derogatione, ob rationem allatam; aut ſaltem ſine expreſſa mentione conſtitutionis aut decreti prioris, cui per ſubſequens derogetur: niſi forte ſubſequens & nouum ita contradicat antiquo, vt cum eo nulla ratione poſſit concordari. At in decreto Tridentini nihil eſt tale. Nam nec in eo fit vlla mentio decreti aut conſtitutionis prioris, qualis fit v.g. in cap. *Non debet*, de Conſanguinit. Nec ita repugnat nouum Tridentini decretum cum decreto Clementis V. aut Leonis X. vt facilè concordari nequeant.

49. Oppoſitio diluitur.

Non obeſt etiam quod huic reſponſioni opponunt Vaſques & Præpoſitus locis ſuprà citatis, vbi ſic ratiocinantur: Vt vi conſtitutionis Tridentini Religioſus non poſſit excipere confeſſiones ſæcularium, Epiſcopo etiam iniuſtè negante approbationem, non eſt opus derogatione Clementinæ *Dudum*: quia in illa non agitur de approbatione, ſed de iuriſdictione, quæ petenda erat ab Epiſcopo, quæque, ſi illam indebitè negarent, hoc ipſo à ſummo Pontifice, vi illius Clementinæ, erat, cenſebaturque conceſſa. In decreto autem Concilii Trident. agitur de approbatione, non de iuriſdictione. Vnde cùm hæc iura non agant de eodem, & vtrumque poſſit optimè conſiſtere cum alio, vt videlicet, ſi præſentatis, iuxta modum in Clementina præſcriptum, Epiſcopus nolit iuriſdictionem concedere; eo ipſo Pontifex concedat: cuius tamen iuriſdictionis alterutro modo obtinendæ non ſint capaces poſt Trident. niſi præcedat Epiſcopi approbatio, per quam præciſè ſumptam nihil datur iuriſdictionis: dicendum eſt Clementinam non eſſe reuocatam per Tridentinum: & tamen Regulares, per Tridentinũ ſuperaddens Clementinæ obligationem obtinendi approbationem ab Epiſcopis, vt ſint capaces iuriſdictionis, non poſſe licitè & validè ſæcularium confeſſiones audire, ſi Epiſcopi negent, quamuis indebitè, approbationem. Hæc illi ſubtiliter & ingeniosè.

50.

Quibus tamen reſponderi poteſt 1. ſaltem in Bulla Conciliari Leonis X. citata num. 41. agi non modò de iuriſdictione, ſed etiam de approbatione; quatenus ibi agitur de examine his verbis, *Poſſint illi* (Religioſi) *Per Epiſcopos, & Prælatos ſuper ſufficienti literaturâ, & aliquâ ſaltem huius ſacramenti* (Poenitentiæ) *peritiâ dumtaxat examinari*. Nam examen eo fine inſtituitur, vt approbetur peritus: imperitus autem reiiciatur. Porro ab illa indebitè reiecti Regulares permittuntur à Leone X. ſacro approbante Concilio Lateran. audire confeſſiones ſæcularium, etiam eo tempore quo fit confeſſio vt ſatisfiat canoni, *Omnis vtriuſque ſexus*, declaraturque validas eſſe huiuſmodi confeſſiones.

51. Altera reſponſio.

Secundò Reſponderi poteſt, dato quòd Clementina de vno agat, & Tridentinum de alio: valere tamen ab vno ad aliud conſequentiam, cùm verſemur in materia fauorabili, ſpectante ſcilicet ad diuini cultus fauorem & bonum animarum, in qua extenſio facienda eſt ad ea in quibus eſt par aut maior ratio: Vt docent Emman. Sa ver. *Diſpenſatio*, num. 7. & alii apud Suar. lib. 8. de Legib. cap. 28. num. 12. & colligitur ex his verbis capitis, *Cum dilectæ*, de Confirmatione vtili, *eiuſdem æquitatis ſimilitudine prouocati*: vbi videndus eſt Panormit. Quamuis Suarez ibid. contrarium ſentiat: quia, inquit, virtus & efficacia Priuilegii neque omnino, neque eſſentialiter poſita eſt in ratione, ſed in voluntate concedentis. Ergo parum refert quòd in ſimili caſu eadem ratio verſetur, ſi voluntas ad illum non extenditur. Non extenditur autem, ſi non exprimitur, quia voluntas non operatur inter homines niſi vt ſignificata. Hæc Suarez. Cui reſponderi poteſt, Clementinam & Bullam Leonis X. non eſſe merum Priuilegium, ſed Legem & ius commune, quod extendi ad ea in quibus eſt par aut

maior ratio, docent multi apud Suarem ibid. lib. 6. cap. 3. num. 2. & Panormit. in cap. 3. de Constitut. num. 1. & 4. Deinde, quicquid sit de aliis Priuilegiis, tanta certè priuilegia, quanta Regularibus conceduntur a Clemente V. & Leone X. non sine causa, magnaque ratione fuerunt illis concessa à duobus Conciliis generalibus: quæ si parem vim habet in simili casu, valde probabiliter præsumitur mentem Conciliorum & Pontificum illorum fuisse, vt in illo pariter attenderetur, similiterque de vtroque iudicaretur, in materia præsertim fauorabili.

52. Confirmatur responsum. Præterea, si iurisdictio, cuius concessio est gratia, pendens ex liberalitate Episcopi, vt docet Suar. ibidem sect. 4. num 22. erat, censebaturque concessa à summo Pontifice, si fuerat iniustè negata: multò magis nunc putandum est concedi à summo Pontifice, totaque Ecclesia, approbationem, si indebitè negetur; cum hæc non sit opus gratiæ, sed iustitiæ, vt Suarez ipse affirmat ibid. num. 15. adeo vt Episcopi grauem iniuriam inferant idoneo, si eum approbare renuant, quando se ea, qua par est, demissione, modestiâ, & formâ eorum examini iudicioque submittit, licet illi non faciant iniuriam; si ei, licet à se approbato, iurisdictionem non concedant. Confirmatur, quia cui conceditur quod est plus, conceditur etiam quod est minus ad idem pertinés, Reg. 23. in 6. Atqui plus est iurisdictio quã approbatio. Ergo illâ cõcessâ, pro cõcessa debet haberi & ista saltem ex præsũpta voluntate Conciliorum, quæ rationabiliter præsumitur, cùm sit maior ratio, vt dictum est.

53. Secunda ratio examinatur. Secunda ratio auctorum contrariæ sentẽtiæ est, quia licet Tridentinum non deroget isti priuilegio, aut potiùs iuri concesso Regularibus, per expressam eius mentionem, ac derogationem: tamen derogat quatenus eius verba significare videntur in omni euentu aut casu necessariam esse Episcopalem approbationem, vt quis, iudicetur idoneus ad audiendas confessiones: & alioquin esse inualidas, vt ostendimus num. 34. Respondetur, quidquid sit de sono ac superficie verborum Concilii, mentem illius non fuisse, quòd in omni euentu necessaria sit approbatio ad valorem confessionis, etiam sæcularium, de qua solum loquitur ibi Tridentinum. Nam etiam nunc, salua mente Concilii, potest Sacerdos non approbatus validè & licitè absoluere à peccatis in multis casibus, vt communiter censent Doctores. Primò enim, potest absoluere à peccatis venialibus si sola sint. Secundò, potest etiam absoluere à mortalibus constitutum in articulo mortis: quod Concilium ipsum extendit etiam ad peccata reseruata, vt constat ex sess. 14. c. 7. Tertiò potest etiam extra articulum mortis absoluere à mortalibus, iam legitimè confessis, Quia approbatio prædicta est tantùm necessaria quando confessio instituitur de materia necessaria, cuiusmodi non est peccatum veniale, aut mortale iam confessum. Quartò, munitus priuilegio summi Pontificis ad absoluendum quemlibet à quibuslibet peccatis, etiam extra articulum mortis, sine approbatione Episcopi (si qui tales sunt) valide, licitéque absoluit. Nam huius priuilegii concessio non excedit potestatem summi Pontificis, cui manus ligatæ non sunt per Tridentini decretum: præsertim cùm nulla sit apposita à Concilio clausula irritans, aut prohibens dispensationem. Posse autem summum Pontificem dispensare in decretis Conciliorum generalium, patet ex vsu totius orbis Christiani, recipientis dispensationes Papales super impedimentis consanguinitatis, & affinitatis, & aliis, per generalia Concilia statutis. Patet igitur mentem Concilii Tridentini non esse, quòd in omni euentu necessaria sit ad confessiones audiendas Episcopi approbatio, sed in multis casibus posse audiri confessiones sine illa, quidquid verba Concilii sonare videantur, quæ non ita sunt accipienda, vt non attẽdatur ipsius Concilii voluntas. Cùm ex regula 88. in 6. certum sit eum committere in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem. Ad hos verò casus probabiliter reducitur iste, in quo approbatio fuit iniustè negata ab Episcopo; quem casum satis verisimile est noluisse Cõcilium suo illo Decreto includere, propter rationes superiùs allatas.

54. Tertia ratio discutitur. Tertium argumentum Suaris num. 6. & 8. sectionis citatæ est, quia non semper consensus debitus ex se; & iniustè negatus, habendus est pro concesso, vt manifestum est in cuiuslibet sacramenti administratione, quod licet iniustè negetur, priuatur nihilominus effectu illius is, cui iniustè negatur. Item quamuis iudex iniustè non declaret hæreticum quempiam, qui reuera talis est; non tamen iste priuatur bonis suis. Ita Suarez. Sed ad primum exemplum dici potest, nullam esse humanam potestatem, etiam in Ecclesia, quæ possit supplere defectum sacramenti: ideóque mirum non esse, quòd nullo iure humano concessum censeatur, saltem quoad valorem, & effectum sacramenti, si iniustè negatum fit. Dixi, quoad valorem, & effectum sacramenti: nam quantùm ad alia, quæ non ex ipsa institutione Christi, sed ex iure humano ecclesiastico pendent, fieri potest vt sacramentum iniustè negatum, habeatur pro concesso. Vt si tempore Paschali negatur alicui iniustè communio Eucharistica, non incurret is pœnas latas in can. *Omnis vtriusque sexus*, de Pœnit. contra non communicantes tempore Paschali; & quantùm ad hoc Eucharistiæ sacramentum iniustè negatum, habebitur pro administrato. Ad vtrũque verò exemplum Suaris responderi potest, hoc axioma, quòd licentia petita, & iniustè negata, pro concessa habeatur, non esse fortè verum in omnibus, saltem in externo foro: sed pro certo verum esse in iis,

Digitized by Google

in quibus iura diſponunt, quòd iniuſtè negatum habeatur ipſo facto pro conceſſo: vt diſponunt in exemplis paulò ante adductis ex cap. 1. de Supplenda negligentia Prælatorum, & cap. *Licet*, de Regularibus: & diſponere in caſu præſenti probabile ſit ex Clementina, & Bulla Leonis X. iunctis rationibus magni ponderis, & authoritate tam multorum, grauiumque Doctorum, qui poſt Tridentinum ſcripſerunt.

55. Quarta ratio. Quartum argumentum: Si Epiſcopus reipſa approbet, etiamſi fortè iniuſtè, vel malè, tamen quod ad ſacramenti valorem pertinet, hoc ſufficiet, quantùm eſt ex parte approbationis. Ergo idem erit de contrario, vt ſeruetur æqualitas. Ita Suares ibid. n. 6. Reſpondent aliqui, approbationem iniuſtè conceſſam, eſſe fortaſſe nullam, ſaltem coram Deo. Sed meliùs dicendum eſt non eſſe paritatem. Nam in iure cautum eſt, vt licentia in caſu præſenti pro obtenta habeatur, ſi iniuſtè negata ſit: non item vt pro nulla habeatur, ſi iniuſtè conceſſa ſit. Et idem de approbatione cenſendum eſt, vt conſtat ex dictis num. 51. & 52.

56. Quinta ratio. Quintum argumentum: Voluit Tridentinum hoc reſeruare iudicio Epiſcoporum, quia illi ſunt ſuperiores paſtores Ordinarii: & quia moraliter loquendo, præſumendum eſt, Superiores bene vſuros hac poteſtate. Lex autem moralis vniuerſalis eſſe debet, etiamſi in particulari poſſit aliquis interdum illâ malè vti. Neque aperienda fuit ianua vt inferiores in dubium reuocarent hoc ſuperioris iudicium, ſibique vſurparent: quod maius fuiſſet incommodum. Ita Suar. ſect. cit. n. 6. & Vaſq. vbi ſupra, n. 1. his verbis, Exiſtimo Concilium voluiſſe in omni euentu eſſe neceſſariam Epiſcopi approbationem: nec iudicio Prælati religioſi relinqui an iuſtè, vel iniuſtè ille reprobet præſentatum.

Reſpondeo, ſi hæc ratio valeret, probaret Conſtitutiones Clementis, & Leonis ſæpiùs citatas non fuiſſe prudenter editas: illam in Viennenſi, hanc in Lateranenſi Concilio, vtroque generali: quia illa Concilia vniuerſim non reſeruarunt hoc iudicio Epiſcoporum, neque præſumpſerunt moraliter eos ſua poteſtate bene ſemper vſuros. Dicendum potiùs ſapientiſſimè, & non ſine inſtinctu Spiritus ſancti, qui Conciliis præeſt, fuiſſe editas, & non reuocari, aut immutari per Tridentinum. Neque verò iuſta præſumptio fuiſſet, etiam moraliter loquendo, Epiſcopos bene ſemper vſuros hac poteſtate, & numquam autrarò officio ſuo hac in parte defuturos. Ius certè non præſumit in aliis exceſſus, aut defectus Prælatorum eſſe de rarò contingentibus, cùm proponat titulos, De ſupplenda negligentia Prælatorum, De exceſſibus Prælatorum &c. Et in hanc ſententiam Nauarr. cap. 27. Manual n. 265. dicit decretum Tridentini ſeſſ. 23. cap. 15. limitari per Clementinam, & Bullam Leonis X. ad frænandam, inquit, aliquorum Epiſcoporum duritem. Neque diſſimulari poteſt eſſe adhuc aliquos, qui ſe duros, & parum æquos exhibeant erga Regulares, coſque indignè tractent, iniuſtéque repellant. Fateor tamen in iuſto dubio de probitate, & peritia præſentati, ſtandum eſſe potiùs iudicio Epiſcopi, quàm ſuperioris Religioſi. Sed iuſtum dubium eſſe non poteſt, quando præſentati peritia per examen ab Epiſcopo tentata non eſt, ſed is abſque vllo examine reiectus eſt, in odium Ordinis religioſi, aut ex alio prauo affectu, cùm tamen conſtet ſufficienti literatura, & probabitate morum eſſe præditum.

57. Cæterùm in illo caſu particulari, in quo aliquis lege abutitur ad malum, ſentiendum eſt eum, qui abutitur, contra intentionem Legiſlatoris, & finem legis agere: eſtque probabile nihil agere quod obliget, ſaltem in conſcientia. Legiſlatores enim, & leges ad bonum tendunt, velut ad ſcopum, & finem, vt patet ex cap. *Erit autem*, diſt. 3. Hoc autem ſiue legis, ſine priuatiuè, aut negatiuè, ſiue contrariè ceſſante, id eſt, ſiue bonum non ſit, aut vtile ſeruari legem: aut quod peius eſt, ſit malum, & noxium ceſſare obligationem legis, etiam in caſu particulari valde probabile eſt, & in caſu vniuerſali eſt plane certum. Cætera, quæ obiiciuntur ab iiſdem auctoribus non ſunt maioris momenti: ex iſtorum autem ſolutione ſatis liquet verum eſſe quod ſupra diximus, hanc ſententiam non adeo certam eſſe, vt contrariæ, primò loco relatæ, ſuam probabilitatem non relinquat. Lubet tamen alias duas obiectiones non contemnendas, quæ contra eãdem ſententiam fieri poſſunt, proponere breuiter, & diſſoluere.

58. Diluitur obiectio. Vna eſt, quia ſaltem per non-vſum, ſeu conſuetudinem contrariam videtur fuiſſe derogatum Clementinæ, & Bullæ Leonis X. in quibus præcipuè fundatur hæc ſententia.

Reſpondeo primò, non conſtare, conſuetudine receptum eſſe, vt iniuſtè recuſati Regulares ſe geſſerint pro non approbatis. Secundò, non ſufficere merum non-vſum ad inducendam conſuetudinem legi, vel priuilegio derogantem: præſertim ſi ille non-vſus ſit voluntarius tantùm ſecundùm quid: putà ne offendantur Prælati, & quia minus malum, adeóque magis eligibile videtur non-vtentibus, aliquos Regulares, iniuſtè repulſos, non audire confeſſiones, quàm exacerbari Epiſcopos: quod etiam valde conſiderandum & cauẽdum exiſtimo, propter ſcandala, & alia incommoda, quæ inde poſſunt oriri. Merus, inquam, non-vſus non derogat legi, ſi neque tacitè & virtualiter, neque expreſsè & formaliter continet actum in ſubſtantia vel forma repugnantem diſpoſitioni legis. Sic, exempli gratiâ, cùm lex Aquilia concedat omnibus iniuſtè damnum patientibus facultatem agendi in iudicio cõtra lædentes: ſi contingat aliquos damnum

Digitized by Google

pati, qui non velint agere contra lædentes, vel quia non possunt sine graui incommodo, vel amore patientiæ; non propterea abrogatur lex Aquilia, quæ concedit actionem læso; quia nihil contra illam fit. Pari ergo ratione non abrogantur Clementina & Bulla Leonis, tametsi longo annorum spatio contingat, vel nullum Religiosum pati repulsam iniustam: vel indignam passos repulsam abstinere, pacis causâ, ab audiendis confessionibus.

59. Altera obiectio est, non sufficere vt hæc sententia sit practicè probabilis, quòd aliquod habeat fundamentum in Constitutionibus citatis, & asseratur ab aliquot Doctoribus, illisque videatur non fuisse derogatum per decretum Tridentini supradictis constitutionibus. Nam in sacramentorum administratione, & in iis quæ pertinent ad ipsorum substantiam, vel sunt necessaria ad ipsorum valorem, cuiusmodi est approbatio Episcopi, de qua nunc loquimur, non licet vti materiâ dubiâ, seu non certâ, vel formâ, & similibus, excepto casu necessitatis extremæ: ne videlicet alioqui sacramentum exponatur periculo nullitatis.

Altera obiectio solutur.

60. Respondeo, quando interuenit communis error, aut probabilis Doctorum opinio, nullum esse periculum irritationis in iis quæ possunt suppleri ab Ecclesia circa administrationem sacramentorum, cuiusmodi est defectus approbationis, quæ iure tantùm ecclesiastico requiritur: & defectus iurisdictionis, cuius concessio pendet ab Ecclesia. Nam, vt rectè ait Lessius lib. 2. de Iustitia, cap. 29. de Iudice, dubit. 8. non solùm error communis, sed etiam probabilis Doctorum opinio efficit vt Ecclesia det iurisdictionem, etiamsi fortasse opinio illa sit falsa, vt docet etiam Henriq. lib. 2. de Pœnit. cap. 14. num. 3. & 4. & optimè Sancius suprà, num. 65. Vt si probabile sit talem posse absoluere à reseruatis, vel à censuris, assistere matrimonio, excommunicare, eligere Confessarium, priuilegium non esse reuocatum, & similia: & ille ex hac opinione probabili operetur: validum erit, Ecclesia supplente defectum, si forte subsit. Cùm enim licitum sit operari ex opinione probabili, si omnia illa essent irrita, grauissima incommoda sequerentur. Ita Lessius, quem etiam vide n. 65. eiusdem Dubitationis.

Instantia repellitur.

Neque dicas, doctrinam illam veram esse, dummodo cum opinione probabili concurrat titulus coloratus. Vtrumque enim videtur requiri ex lege, *Barbarius*, ff. de Officio Prætoris, in qua præcedens Lessii & Henriq. doctrina fundatur. Hic autem non apparet titulus coloratus: ergo &c. Respondeo enim, omissa maioris propositionis discussione, minorem esse falsam. Nam Religiosus iniustè reiectus ab Episcopo, habet à duobus illis Conciliis Generalibus, Viennensi, & Lateranensi titulum Confessarii publici. Concessum enim illi esse hunc titulum ab illis Conciliis certo certius est. Non esse verò ademptum per Concil. Trident. habet saltem colorem aut similitudinem veri. Hic ergo concurrit titulus, & probabilitas. Primum ex parte Confessarii: alterum ex parte aliorum, qui ex probabili sententia putant esse legitimum confessarium. Primum oritur à duobus illis Conciliis: alterum ab argumentis quibus nititur prima sententia. Certius verò reddetur sacramentum, si vel Confessarius fuerit alibi approbatus semel ab aliquo Episcopo, quod sufficit vbique iuxta multorum sententiam, ita vt alius iniustè reiiciens non possit derogare iuri iam acquisito: vel si pœnitens confiteatur simul de venialibus, aut de mortalibus iam aliàs directè & sufficienter remissis: quippe ad quorum remissionem approbatio non est necessaria: simul autem cum illis remittuntur alia confitenti bona fide.

His tamen non obstantibus, censeo contrariam sententiam tenendam esse, non sufficere videlicet approbationem iniustè negatam. Et consequenter dicendum est, non sufficere generaliter approbationem quamuis iniustè limitatam. Quia sicut approbatio, iniustè licet negata, non habetur verè sic restricta, licet iniustè, non plus se extendit, quàm ferat restrictio, neque enim ad plus conceditur. Ita tamen vt contraria sententia relata num. 39. sit probabilis, vt ibidem notauimus, propter auctoritates, & rationes ibi allatas.

61. Quæres, vtrum inter iustas causas negandi approbationem Regularibus ista sit, quòd aliunde satis multi sint Confessarii iuxta necessitatem populi? Respondeo cum Cardinali Delugo disput. 21. de Pœnit. sect. 3. num. 54. Vasq. tom. 4. in 3. p. quæst. 93. art. 3. dub. 5. num. 5. Suar. disp. 28. de Pœnit. sect. 5. num. 15. licet iuxta Clement. *Dudum*, possint Episcopi certum numerum Religiosorum approbare iuxta necessitatem populi, & non plures: teneri tamen, si Religiosi habent alia priuilegia Pontificia (vti verè habent Mendicantes, & quicunque participant eorum priuilegiis) illis ea seruare, vt patet ex cap. *Quanto*, de Priuilegiis. Quare debent approbare eos qui sibi offeruntur, nisi iustam habeant causam reiiciendi ob defectum prudentiæ, probitatis, peritiæ, vel similem: quia per alia priuilegia, postea concessa Regularibus, huic limitationi derogatum est. Nam, vt de aliis taceam, in Bulla Leonis X. quantùm ad numerum personarum ab Episcopis approbandarum, non alia restrictio continetur, quàm ad eas, quæ à Superioribus electæ fuerint, & Prælatis personaliter exhibitæ, ac repræsentatæ: si eas sibi exhiberi, ac repræsentari petierint. Vnde in hoc fauorabilior est Regularibus Bulla Leonis, quàm Clementina, quæ minùs etiam ad praxim conducebat: quia Episcopus potest semper, aut ferè semper dicere, hos aut illos Regulares non esse necessarios: cuius oppositum in praxi difficile est probare. Notat etiam Suares sup.

Possitne negari approbatio, quia sufficiunt alii Confessarii?

formam

formam approbandi præscriptam à Clementina non esse ampliùs necessariam, nihilque aliud circa illam requiri, nisi quod Tridentinum postulat. Quare quacunque ratione contenti sint Episcopi vt Religiosos approbent, id sufficit: præsertim cùm Concilium expressè hoc ipsum relinquat voluntati Episcoporum.

SECTIO VI

Cuiusnam Episcopi approbatio necessaria sit?

62. Suffi ietne approbatio vnius Episcopi?

SVpereſt grauis & perplexa difficultas, cuiusnam Episcopi approbatio requiratur? Qua de re sunt quatuor sententiæ. Prima est, sufficere approbationem cuiuscunque Episcopi, vt aliquis vbique habeatur pro idoneo Confessario: sicut sufficit authenticum testimonium vnius Vniuersitatis, & gradus Doctoratus ab ea acceptus, vt quis vbique terrarum habeatur pro Doctore. Ita Henriq. lib. 6. de Pœnit. cap. 6. num. 7. & lib. 7. de Indulgent. cap. 12. §. 4. & nonnulli alii Recentiores, quos refert Diana parte 2. tract. 4. de Sacram. resolut. 110. Ratio illorum est, quia Concilium Trident. perit tantùm approbationem. Talis autem est simpliciter approbatus. Nec obest quod Concilium dicit, *ab Episcopis*. Non enim intelligit necessarium esse vt vnus approbetur à multis Episcopis: sed respectiuè, vnus ab vno, & alius ab alio. Confirmatur 1. quia lex ista, cùm sit odiosa, & tollat antiquam libertatem, non debet ampliari, sed restringi, quantum fieri potest, saluo sensu decreti. Hæc enim constitutio Tridentini requirens conditionem in eo cui possit demandari iurisdictio, quæ conditio, aliàs non requirebatur, potest dici restringere potestatem committendi iurisdictionem: & proinde ipsa potest strictè intelligi, quantùm verba patiuntur. Verba autem possunt commodè prædictum sensum recipere, vt ab Episcopis approbationem obtineat, videlicet quisque à suo, id est, vnusquisque hanc approbationem obtineat, ab Ordinario loci in quo degit, & cui subest, dum approbatur.

Sententia affirmans.

63. Confirmatur.

Confirmatur 2. quia si Concilium aliud voluisset, potuissent Episcopi in eo sedentes mentem suam apertiùs declarare. Quod cùm non fecerint, contra ipsos est interpretatio facienda, ex regula 57. de reg. iuris in 6. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, est interpretatio facienda.* In hac etiam obscuritate decreti Concilii Trident. minimum esse sequendum (obligationis scilicet, aut oneris) habetur ex regula 30. eodem tit. Imò etiam non desunt qui putent, attento solùm Tridentino, non requiri absolutè approbationem Episcopi, sed sufficere approbationem Vniuersitatis, aut Curati: eò quòd Trident. loco cit. vtatur hac disiunctiua, *aut aliàs idoneus iudicetur*, quæ ex natura disiunctionis aliquid diuersum importat à sua comparte, in qua approbatio ab Episcopo per examen, aut sine examine, si non videatur illi necessarium, obtinenda satis exprimitur. Illud autem diuersum nihil aliud esse potest, quàm approbatio Vniuersitatis per collationem Doctoratus, aut Licentiæ, vel Curati, aut alterius cuiuspiam communitatis, aut personæ, ab Episcopo vel Episcopalem auctoritatem habente diuersæ. De qua sententia vide Eman. Sa in editione Parisiensi anni 1600. v. Confessor §. *Quidam putant &c.* & Henriq. lib. 6. cap. 6. num. 2. lit. E, vbi multos citat, quorum sententiam ibi quidem non amplectitur, sed ex parte saltem amplecti videtur lib. 5. cap. 14. num. 1. vbi dicit sacerdotē non esse capacē iurisdictionis, nisi iuxta Trident. sess. 23. cap. 15. sit pro idoneo approbatus à iure, vel ab Episcopo: & ibidem lit. F. dicit eorum sententiam, qui asserunt posse Parochum ex causa vrgente, quando non est recursus ad Episcopum longè distantem, exponere confessarium ab Episcopo non approbatum, pro suis ouibus, in casu particulari, vt quando fatigatus est, aut tempore Iubilæi; dicit inquam, sententiam illam esse probabilē ex præsumptione, maximè circa Regulares. Quinā autem sint assertores huius sententiæ, vide apud Cardinalem De Lugo disput. 21. de Pœnit. sect. 1. num. 5.

64. Impugnatur hæc num. 2.

Verùm huic sententiæ, quoad posteriorem eius partē, obstat quòd potiùs verba illa Trident. *aut aliàs idoneus iudicetur*, sunt referenda ad ipsos Episcopos de quib⁹ loquitur immediatè antea: & omnino sensus illius videtur esse, nullū deinceps, etiam Regularem, posse cōfessiones sæcularium audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium habeat: aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs, id est, sine examine, idoneus ab illis iudicetur, & approbationem ab iisdem, quæ gratis detur, obtineat. Confirmatur ex Bulla Pii V. quæ incipit, *Romani Pontificis*, Romæ publicata die 22. Augusti 1571. quā declarauit Decretū Cōcilii Tridentini de approbatione Regularium pro audiendis confessionibus sæcularium ab Episcopo facienda, obseruari debere in omnibus Regularibus quorumcunque Ordinum etiamsi sint Doctores, aut in Theologia etiā de superiorum suorum licentia graduati. Ex qua declaratione Pii V. non reuocatā per Gregorium XIII. (vt dicemus infra n. 74.) manifestum est, non sufficere approbationē Vniuersitatis, gradumque ab illa obtentum, sed ad Episcopos recurrendum esse.

Priori verò parti eiusdem sententiæ obsūt præcipuè declarationes Cōgregationis Cardinalium paulò post referendæ: præcipuè illa quæ dicit non approbatum ab Episcopo Valentino, in Diœcesi Valentina, non censeri approbatum ab Ordinario. Et aliæ duæ, quæ dicunt requiri approbationem Episcopi ipsius confessarii: & alterum Episcopum non posse confiteri sacerdoti non approbato à suo Ordinario: ita vt nec ipse possit il-

lum approbare, si non est eius Episcopus.

65. Secunda sententia.

Secunda sententia est, requiri approbationem Episcopi loci, in quo auditur confessio. Cuius sententiæ præcipuum fundamentum sumitur ex quodam responso Cardinalium congregationis Concilii, quod se vidisse testatur Emmanuel Rodriguez in expositione Bullæ cruciatæ, §. 5. sic autem habet: *Congregatio Concilii respondet, approbatum ab alio, quàm à Valentino Ep. scopo in Dioecesi Valentina, non censiri approbatum ab Ordinario.* Pauet etiam ratio. Quia ad Episcopum loci maximè pertinet, prouidere suæ Diœcesi de idoneis confessariis, & scire cuiusmodi sint, qui ibi audiendis confessionibus dant operam. Citatur pro hac opinione Bonacina disput. 5. de Sacramentis, quæst. 7. punct. 4. §. 1. num. 21. Sed ille ibidem num. 15. diserte docet requiri approbationem Ordinarii ipsius confessarii, vt tenet quarta sententia paulò post referenda. Citatur etiam pro eadem Guttierres lib. 1. Canonic. quæst. cap. 27. num. 6. & seqq.. Sed ipse potiùs tenet requiri approbationem Episcopi pœnitentis, iuxta tertiam sententiam. Huic autem sententiæ, cuiuscunque sit, obest præcipuè, quód ex ea sequeretur, approbatum & delegatum in Diœcesi Parisiensi, non posse audire poenitentem eiusdem Diœcesis in dioecesi Lugdunensi. Quod est falsum. Quia sicut eius Episcopus, vel Parochus posset illũ ibi audire: ita potest approbatus & delegatus, quippe qui succedit loco Episcopi, vel Parochi.

66. Tertia sententia.

Tertia sententia est, requiri approbationem Episcopi, non loci materialis, qui ad confessionem parùm pertinet, sed ipsius pœnitentis. Præcipuè enim Episcopi interest scire quibus suas oues cõmittat: idque maximè pertinet ad illius officium, plurimumque facit ad salutem animarum. Tridentinum autem suo decreto voluit vtrique consulere.

Huic sententiæ, cui multum fauet Suarez disp. 28. sect. 6. eamq; multis placere affirmat, obstant duo præcipuè. Primò, quòd ex ea sequeretur, Religiosos approbatos & expositos in diœcesi Parisiensi v. g. non posse audire confessiones extraneorũ ad ipsos venientiũ eo animo vt vitèt confiteri Parocho: propterea quod non gaudèt priuilegio peregrinantiũ, & viatorum: non posse, inquam, eos audire sine approbatione Episcoporum quibus illi subsunt: totque requiri approbationes in huiusmodi Confessariis, quot sunt extranei Episcopi, quibus pœnitentes sunt subiecti. Obstant 2. duæ declarationes Congregationis Cardinaliũ, quarum prior circa illam particulam decreti Concil. Trid. *Nullum etiam Regularem*, sic habet: S. D. N. *declarauit, tempore Iubilæi posse omnes regulares confiteri peccata suis sacerdotibus approbatis ab Ordinario ad audiendas confessiones. In bulla enim non fit mentio, nisi de ordinario eorum, qui audituri sunt confessiones; non autem de ordinario pœnitentium.* Quibus verbis docet Pontifex, Ordinariũ, cuius requiritur approbatio in Bulla Iubilæi conformiter ad Decretum Tridentesse Ordinarium ipsius confessarii: neque requiri approbationem Ordinarii ipsius pœnitentis, si est diuersus ab Ordinario confessarii. Posterior ait Sum. Pontificem audita relatione Congregationis declarasse, Episcopũ vigore priuilegii, de quo in cap. fin. de Pœnit. & remiss. non posse sibi eligere sacerdotem sibi non subditum, qui à proprio Ordinario non fuerit adhuc ad formam huius Decreti Concilii Trid. approbatus. Ex quo sequitur, approbationem à Concilio requisitã esse approbationem Episcopi ipsius confessarii: non autem poenitentis. Alioquin Episcopus ille posset sacerdotem sibi non subditum approbare pro seipso, æquè ac pro suis ouibus: sicut potest quemcunq; sacerdotem sibi subditum, tam pro se, quàm pro suis omnibus approbare.

Trident. sess 23. cap. 15. de Reform. — *Declarationes ibidem n. 2.* — *Ibidem n. 1*

67. Quarta opinio.

Propter hoc quarta sententia est, Requiri approbationem Episcopi ipsius confessarii. quam sententiam tenent Bonacina loco supra cit. Suar. disp. 28. sect. 6. n. 5. Conine disp. 8. dub. 7. aliique multi Recent. Addit autẽ Suares debere illam intelligi in hunc sensum, quòd approbatio Ordinarii confessarii sufficiat, quãdiu dumtaxat est illius Ordinarius. Nam si Religiosus, aut alius approbatus ab Episcopo Parisiensi v. g. mutet domicilium, & fiat subditus alterius Episcopi: debet ab illo approbari. Alioqui iam non erit approbatus ab Ordinario. Si autem non mutet domicilium sed tantùm obiter transeat, aut peregrinetur: potest vbique audire confessiones virtute approbationis, supposita iurisdictione aliunde habita: nisi sit Regularis: quia non possunt Regulares per sua sola priuilegia cõmunia, audire confessiones in aliena dioecesi, etiã iter faciendo: propter quod fuit opus speciali priuilegio concesso Societati Iesu à Gregorio XIII. quo id permittit eius sacerdotibus, vbi cõmodè non possunt adire Episcopum loci, aut eius Vicarium. Possunt tamẽ inquit, Regulares ibi eligi in cõfessarios virtute Iubilæi. Item sacerdos quilibet, siue sæcularis, siue regularis, semel approbatus in aliqua Diœcesi, si ad eandẽ redit: non eget secunda approbatione, nisi prior fuerit reuocata, quia iam fuit, & adhuc manet approbatus ab illo Ordinario.

68. Examinatur.

Hæc sententia duas patitur difficultates. Prima est, quia ex priuilegio illo Gregorii XIII. si verè necessariũ fuit, vt supponit Suares, & non solùm ad tollendos scrupulos concessum, sequitur potiùs non sufficere approbationem Ordinarii loci, idque per se loquẽdo, tam respectu sæcularium, quàm Regularium. Vnde generaliter responsum fuit Patriarchæ, & Archiepiscopo Valẽtino à Congregatione Cardinalium, approbatum ab alio, quàm à Valentino Episcopo, in Dioecesi Valentina, non censeri approbatũ ab Ordinario. Secunda est, quia ex hac sententia, in rigore sumpta, sequeretur Episcopum non posse approbare sacerdotem habentem domicilium in alia diœcesi, ad audiendas confessiones

Digitized by Google

ſuorum: quod eſt contra praxim communem. Nam Epiſcopi communiter aſſumunt & approbant ſacerdotes extraneos tranſeuntes per ſuam diœceſim: neque inquirunt an velint transferre domicilium ad ſuam, vel ibi diu cõmorari. Et Gregorius XIII. id fieri poſſe ſignificat in priuilegio conceſſo Societati. Cùm enim concedit vt inconſulto Epiſcopo, aut eius Vicario, audire poſſint confeſſiones in Diœceſi, per quam tranſeunt, vbi non poſſunt commodè adire Epiſcopum, aut eius Vicarium; ſignificat non eſſe opus priuilegio vt id faciant ipſo conſulto: adeóque ſupponit poſſe illum approbare tranſeuntes, & non mutantes domilium.

69. De Lugo. Ad hæc incommoda vitanda addit Delugo diſp. 21. ſect. 2. n. 35. per Epiſcopum aut Ordinarium confeſſarii, intelligendum eſſe Epiſcopum cui ſubeſt confeſſarius, non ratione domicilii aut originis, ſed cui ſubeſt in ordine ad hoc miniſterium audiendi confeſſionem talium perſonarum. Plerumque enim peregrini, & hoſpites, ſubduntur iudici ordinario territorii, in quo verſantur, & eius legibus, illis ſcilicet, quarum tranſgreſſio cederet in peculiare damnum illius loci. Quare cùm multum intereſt quòd oues huius Epiſcopi habeant confeſſarios idoneos: pertinet ad ipſum iudicare & prouidere in hac materia pro bono ſui gregis. Et in hac materia peregrini etiam ſacerdotes ſubduntur illi tanquam Ordinario, ad quem pertinet iudicium de ſufficientia confeſſarii pro ſuo grege deſtinandi. Vnde licet ſacerdos peregrinus approbatus ſit ab Ordinario ſui domicilii: non tamen eſt approbatus à ſuo Ordinario, ſi non eſt approbatus ab Ordinario huius loci: quia Ordinarius ſuus in ordine ad confeſſiones huius diœceſis audiendas, eſt ſolus ille, cui in ordine ad hoc munus ſubditur, & à quo, ſi in hac materia deliquerit, poterit puniri, tanquam à ſuo iudice, & Ordinario in hac ſerie cauſarum. Hæc Delugo.

70. Sed hæc ſententia ſic explicata incidit in ſecundam ſuprà refutatam, & ab ipſo Delugo reiectam, quòd ſcilicet requiratur approbatio Ordinarii loci, in quo audiuntur confeſſiones: cui ſi ſubduntur ſacerdotes in ordine ad audiendas confeſſiones, ob rationem allatam; ſubduntur non modò in ordine ad audiendas confeſſiones ſuorum diœceſanorum, ſed etiam hoſpitum, & peregrinorum: quia pertinet ad eius officium prouidere de idoneo confeſſario omnibus in ſua diœceſi confitentibus. Ideoque ad illum pertinet iudicium de ſufficientia confeſſarii pro illis deſtinandi. Ex quo fit, vt etiam peregrini & hoſpites ſubdantur illi in ordine ad obeundas confeſſiones in ipſius diœceſi: neque poſſint abſolui per communem confeſſarium à caſibus reſeruatis ab illo Epiſcopo, ſed ſint iudicandi in hoc foro more aliorum eiuſdem diœceſis, vt nos dicemus ſect. 10. & idem author affirmat diſp. 20. ſect. 5. n. 72. Atque inde quoque fit vt ſemper idem ſit Ordinarius in hac materia, confeſſarii, & pœnitentis; & conſequenter vanæ ſint declarationes Congregationis Cardinalium ſuprà relatæ, quæ ex ore ipſius Summi Pontificis declarant non requiri approbationem Ordinarii pœnitentis, ſed ipſius confeſſarii. Nunquam enim erit diuerſus Ordinarius confeſſarii, & pœnitentis. Quia Ordinarius, cuius requiritur approbatio, iuxta hanc ſententiam, eſt Ordinarius loci in quo auditur confeſſio: qui Ordinarius eſt permanenter aut tranſeuntes Ordinarius pœnitentis, æquè ac confeſſarii: vnde diſtinctio & declaratio ſuprà dicta ſummi Pontificis futilis eſſet.

71. Reſolutio quæſtionis. In hac difficultate, quam valde perplexam fecerunt variæ, quæ circunferuntur, declarationes Cardinalium, facilius eſt ſingulas ſententias refutare, quàm declarationes illas inter ſe conciliare, & vſui communiter recepto accommodare. Exiſtimo autem primò, non fuiſſe mentem Concilii Tridentini adeo neceſſariam, & in vſu quotidiano ponendam, reddere tam perplexam. Secundò, vſum communem, optimum legum interpretem, eſſe ſequendum in praxi: non obſtantibus huiuſmodi declarationibus, & reſponſis Cardinalium, quorum ſenſus pendet ex intentione interrogantis, & ex aliis circũſtantijs nobis fortaſſe ignoris, & quarum ignoratio reddit eorum concordiam difficilem, aut impoſſibilem. Vſus autem eſt, primò, vt quilibet Epiſcopus poſſit approbare quoſcunque ſacerdotes ad audiendas ſuorum confeſſiones: ſiue illi ſacerdotes habeant domicilii in ſua diœceſi, ſiue non habeant. Secundò, vt approbatus ab vno Ordinario, non poſſit audire confeſſiones in diœceſi alterius, niſi ab ipſo quoque approbetur tacitè vel expreſsè: exceptis illis qui pertinent ad diœceſim prioris Epiſcopi à quo fuit approbatus. Eoque ſenſu intelligendum eſſe puto reſponſum Archiepiſcopo Valentino datũ: Approbatum ab alio, quàm ab Epiſcopo Valentino, in Valentina diœceſi, non cenſeri approbatum ab Ordinario. Eandemque ob cauſam neceſſarium fuit priuilegium à Gregorio XIII. Societati conceſſum. Sufficit tamen approbatio tacita, vt ſi Epiſcopus permittat approbatum in alia diœceſi, audire in ſua cõfeſſiones. Neque exigat vt iterum petat approbationem: quemadmodum rectè docent Aegid. Con. diſp. 8. dub. 7. n. 57. & Præpoſitus q. 8. dub. 4. n. 23. addens ſtandum eſſe conſuetudini, quæ in quibuſdam locis eſt, vt ſemel approbati, ad aliam diœceſim migrantes, non ſe ſiſtant eius Epiſcopo, donec ad examen vocentur: quam conſuetudinem dicit vigere in Belgio.

72. Tertiò denique vſus eſt, vt approbati in aliqua diœceſi poſſint ibi audire confeſſiones quorumcunque pœnitentium, ſiue eiuſdem diœceſis, ſiue alterius, quantùm eſt ex parte approbationis, ſuppoſita aliunde iuriſdictione neceſſaria. Eóque ſenſu intelligendam eſſe puto aliam declarationem Cardinalium ſupra relatam, non eſſe neceſſariam approbationem Ordinarii pœniten-

tis, ſed Ordinarii ipſius confeſſarii. Quod verò dicitur in alia Declaratione, Epiſcopum vi ſui priuilegii, id eſt, vi capitis finalis de Pœnitentiis & remiſſion. in quo conceditur Epiſcopis, poſſe ſibi eligere confeſſarium, non poſſe eligere ſacerdotem ſibi non ſubditum, qui à proprio Ordinario non fuerit approbatus: dictum fuiſſe puto de ſacerdotibus, qui vel non poſſunt ſubdi Epiſcopo volenti confiteri, quia non habet territorium, & iuriſdictionem, ſed eſt Epiſcopus merè titularis, aut renunciauit Epiſcopatui; vel qui non volunt illi ſubdi in munere audiendi confeſſiones, & ab illo accipere approbationem, vt audire poſſint ipſius confeſſionem, vel aliorum ipſi ſubditorum.

74. Epiſcopi habentius examinandi quos ipſi non approbarunt.

Porrò Epiſcopos habere ius iterum examinandi, ſi velint, & approbandi eos, qui in alia Diœceſi fuerunt ſimpliciter, id eſt, ſine limitatione approbati, poſſeque prohibere, ne vllus in ſua Diœceſi aſſumatur, & exponatur, vt confeſſiones ſæcularium audiat, niſi quem ipſi approbauerint, probari poteſt ex Extrauag. Pii V. edita 8. Id. Auguſti. an. 1571. quæ incipit *Romani Pontificis*, vbi dicit Epiſcopum ſuccedentem alteri in eadem diœceſi habere ius examinandi, & approbandi confeſſarios à ſuo prædeceſſore ibidem approbatos: vt refertur etiam in declarationibus editis cum textu Concilii, ſeſſ. 23. cap. 15. de Reformat. n. 4. Par enim aut maior eſt ratio, vt ſi hoc ius habent ſucceſſores reſpectu prædeceſſorum in eadem diœceſi: habeat etiam quilibet Epiſcopus reſpectu aliorum diuerſas à ſua dioeceſes habentium: quorum iudicio non magis tenetur ſtare, quàm iudicio ſui prædeceſſoris. Quare ſi Epiſcopi nolint quemquam exponi, vel aſſumi, ſiue à Parochis, ſiue ab aliis, niſi à ſe priùs approbatum, & examinatum: petenda eſt ipſorum approbatio, ſubmittendo ſe ipſorum examini, & iudicio.

74. Nec obeſt quòd hæc Bulla, & aliæ Pij V. fuerunt reuocatæ per conſtitutionem Gregorii XIII. quæ incipit, *In tanta*, & eſt nona in Bullario Laertii, habetur etiam in fine Manualis Nauarri editi Lugduni an. 1595. Nam licet reuocatæ fuerint quoad priuilegia per illas conceſſa, & reductæ ad antiquos terminos iuris: ſecus tamen quoad authenticas declarationes. Qualis eſt iſta circa approbationem à Tridentino requiſitam. Adde quòd Vrbanus VIII. in conſtitutione quæ incipit, *Alias à nobis*, an. 1629. declarauit Regulares à Prædeceſſoribus Epiſcopis examinatos, & approbatos ad confeſſiones etiam ſæcularium audiendas, poſſe à præſente Epiſcopo ſucceſſore, pro maiori, cõſcientiæ ſuæ quiete, iterum examinari, & minùs idoneos reprobari, iuxta præſcriptum Pii V. Additque illos, quos ipſemet Epiſcopus ad confeſſiones huiuſmodi audiendas, ſemel admiſit ſimpliciter, ac ſine vlla temporis præfinitione, nullatenus poſſe ab eo reprobari ſine nouæ cauſæ, eáque confeſſiones ipſas concernente.

Poſſintne pro libito, & ad nutum?

Sunt tamen qui velint id quod dicitur à Pio V. & Vrbano VIII. ſucceſſorem Epiſcopi poſſe iterum examinare ſemel approbatos à ſuo prædeceſſore pro ſecuritate ſuæ conſcientiæ, intelligendum eſſe ſolum, quando ad illam ſecuritatem id neceſſarium eſt: vt quando ſucceſſor informatur aliquem non habere ſufficientem doctrinam: non autem, quòd generaliter, & ad nutum reuocare poſſit licentias, & approbationes à prædeceſſore conceſſas, & ad examen iterum vocare ab illo approbatos. Ita docent apud Dianam parte tertia, tract. ſecundo, reſolutione ſeptuageſima ſeptima, Villalobos, & Alfonſus Carranza, quorum prior refert multos viros doctos hac de re conſultos idem ſenſiſſe. Sed contraria ſententia vt communior, ita & probabilior, & in praxi ſequenda mihi videtur: quam etiam tenet ibidem Diana, & plures alii ab eo citati. Addens tamen, & meritò, non poſſe Capitulum Sede vacante compellere Regulares, vt iterum præſententur, & approbentur: propter priuilegium illis conceſſum à Clemente V. Addit præterea cum Fagunde, & Henrique, quòd ſi Epiſcopus reuocet generaliter dumtaxat omnes licentias audiendi confeſſiones, non comprehenduntur Regulares: quia non fit de illis ſpecialiter mentio: & in odioſis non comprehenduntur Regulares, niſi exprimantur.

SECTIO VII.

An vlterius requiratur in Religioſis licentia proprii Parochi?

75. Concluſio negatiua.

REſpondeo, Religioſos, quibus per varia Pontificum indulta, & priuilegia poteſtas audiendi confeſſiones data fuit, non indigere facultate Parochorum: ſiue vt pœnitentes illis validè, ac licitè confiteantur, ſiue etiam vt ſatisfaciant præcepto annuæ confeſſionis. Sic D. Thom. in 4. diſt. 17. q. 3. art. 3. §. *Ad quintam quæſtionem dicendum, quòd ſacerdos*: & q. 8. Supplẽ. art. 5. S. Anton. part. 3. tit. 17. cap. 9. Scot. in 4. diſt. 17. q. vnica, art. 3. §. *Quantum autem*, Antonius Andreas ibid. Durand. ibid. q. 12. Gabr. ibid. q. 2. Almain. ibid. q. 1. art. 3. Maior ibid. q. 7. Adrian q. 5. de Confeſſ. Ioſeph. Anglet in 4. q. 3. art. 8. dub. 3. diffic. 6. Alexand. Pezantius in addition. ad 3. part. D. Thomæ q. 10. d. 6. & 17. Rebuff. in Can. *Omnis vtriuſque ſexus*, Panormit. ibid. Lud. Miranda in Manuali Prælatorum q. 45. a. 1. Ioan. Mèdina cod. de confeſſ. tract. 2. q. 29. Azor. tõ. 1. lib. 13. c. 2. Armilla v. *Abſolutio*. n. 11. Tabien. ibid. §. 14. & 35. Toſet. lib. 6. cap. 11. n. 2. Bonacina quæſt. 5. de Sacrã. Pœnit. ſect. 2. pun. 4. propoſ. 4. Gamach. tom 3. part. 2. de Pœnit. cap.

Digitized by Google

18. assert. 2. & plures alij Theologi scholæ Parisiensis, quos iste citat: vt Gerson lib. 2. in Euang. D. Marci, & de Statib. Eccles. 1. part. tit. 3. 4. 5. & de Potestate ecclesiastica, consider. 12. Maior, & Almainus locis suprà citatis. Quibus addendi sunt Dominicus Sot. in 4. dist. 18. q. 4. art. 3. Nauar. in Manuali cap. 27. num. 263. Siluester, Angelus, & alii multi Summistæ v. *Confessio.* Viuald. iurisconsultus, in Candelabro, tit. de confessionibus num. 27. & 28. Henriq. lib. 3. de Pœnit. cap. 6. n. 9. Valent. q. 10. punct. 2. Vasq. tom. 4. in 3. p. q. 93. art. 2. dub. 6. n. 32. Suares disp. 26. sect. 2. Aegid. Con. disp. 8 dub. 9. & communiter alii, tum Scholastici, tum Morales theologi. Vbi nota multos ex citatis non esse Religiosos, ne quis causetur Regulares hìc esse suspectos, & causam suam agere. Quamquam nonnisi temerè & valde iniustè tam mala suspicio formari potest de S. Thoma, 6. Antonino, & aliis tam multis piis, & doctis, qui sine graui sacrilegio non possent fidelibus hac in parte imponere: Parique iure dici posset Parochos esse suspectos, & suam causam agere: & facile est æquis rerum æstimatoribus iudicare, vtri potiùs suspecti esse debeant: An Religiosi qui tot & tam expressis nituntur priuilegiis & Constitut. Sum. Pontificum, & Conciliorum general. & in quorum fauorem semper illi iudicarunt, quoties hæc contentio fuit ad sedem Apostol. de lata, vt mox videbimus: an alii, qui adhuc eorum iudicio & voluntati, Censuris etiam munitæ, non verentur obsistere.

Idem expresè concesserunt, definiuerũt, & declararunt authenticè duo Concilia generalia, Viennense sub Clemente V. & Lateranense sub Leone X. & plurimi summi Pontifices, Nam vt omittam illud iam ante mille annos pronunciatum à S. Gregorio Magno, & relatum causa 16. quæst. 1. cap. *Ex authoritate: Sacerdotibus monachis Apostolorum figuram* (id est formam viuendi tenentibus) *liceat pœnitentiam imponere, atque peccata soluere.* Et illud S. Bonifacii Papæ IV. relatum eadem quæst. cap. *Sunt nonnulli: Credimus à sacerdotibus monachis ligandi, soluendique officium Deo operante dignè administrari.* Vt inquã, hæc omittam, & de illis tantùm loquar, qui Bullis expressis hanc facultatem Regularibus concesserunt: eodemque Ordine temporis quo editæ fuerunt, & sensim cum maiore ampliatione priuilegii, prout magis ad bonum Ecclesiæ expedire videbatur: Gregorius IX. qui floruit paulò post fundatos Ordines SS. Dominici, & Francisci, circa annum Domini 1238. in Bulla, quæ incipit, *Quoniam abundauit iniquitas, & refrixit charitas multorum*, mandat, & Ordinat Episcopis, & Parochis, vt admittant Religiosos illorum ordinum ad concionandum, & administranda Sacramenta populis sibi commissis: vtque verbum Dei ab illis annunciatum recipiant; neque impediant quò minùs fideles illis confiteri, & eorum concionibus interesse liberè possint; quoniam, inquit, authoritate nostra hoc illis concessum est. Quæ Bulla refertur à Luca VVadingo tom. 1. Annalium Minorum anno Christi 1238. Paulò post Innocentiùs IV. eius successor an. 1244. Bullam edidit, quæ incipit *Animarum salutem*, relatam ab eodem auctore circa eundem annum: in qua concessit Medicantibus vt in terris Infidelium possent sæcularium confessiones audire. Quam limitationem sustulit Alexander IV. Innocentii IV. successor immediatus, latius, & liberaliùs concedens iisdem Mendicantibus, vt de licentia Legatorum sedis Apostolicæ, vel Ordinariorum cuiusque loci, liberè possent audire confessiones, etiam sacerdotum parochialium assensu minimè requisitò: vt expressè habetur in Bulla quæ incipit, *Cùm olim quidam temerè*, relata ab auctore supra citato tom. 2. Annal. in Regesto Pontificum ad annum Christi 1259.

Sexenio post, ann. 1265. Clemens IV. in Bulla, *Quidam temere sentientes*, relata ab eodem auctore loco cit. ad annum 1265. idem priuilegium confirmauit, addiditque erroneum esse dubitare, an possit Papa in omnes sine alicuius consensu, imò inuitis quibuslibet, huiusmodi facultatẽ concedere. Tredecim post annis Martinus IV. iisdem Mendicantibus concessit in Bulla quæ incipit, *Ad fructus uberes*, vt possent audire confessiones sæcularium, modò deputarentur à Generali sui Ordinis, vel à Prouinciali, vel à Priore, vel alio superiore locali cum Definitoribus. Ita vt vi huius priuilegii amplioris, non egerent licentiâ Legatorum Apostolicorum, aut Ordinariorum, quæ in priori priuilegio requirebatur. Quæ Bulla, sicut & præcedentes, & ferè omnes deinceps citandæ, referuntur à Roderico in Bullario Regularium. Paulò post, ann. 1294. Bonifacius VIII. in Extrauag. *Super cathedram*, de Sepulturis, idem priuilegium confirmauit, addita tamen hac conditione, vt superiores Religionum offerrent Episcopis eos, quos ad confessiones audiendas deputarant. A quibus si non admitterentur; alios offerrent: & si isti quoque reiicerentur possent nihilominus audire liberè & licitè, & absoluere sibi confiteri volentes. Quod Bonifacius ait se illis gratiosè concedere de plenitudine Apostolicæ potestatis. Nouem post annis, Benedictus XI. in Extrauag. *Inter cunctas*, de Priuilegiis, edita anno 1303. conditionem illam à Bonifacio appositam sustulit. Sed Clemens V. qui Benedicto XI. immediatè successit, in Clementina, *Dudum*, de Sepulturis, editâ anno 1311. rogatu Concilii generalis Viennensis conditionem eandem restituit; statuitque vt religiosi offerrentur Episcopis modo præscripto à Bonifacio VIII. cuius Bullam suprà citatam sacro instante & approbante Concilio innouauit, & priuilegium Religiosis ab illo concessum confirmauit.

76.

77.

Idem etiam statuit totidem post annis, id est, anno 1320. Ioannes XXII. in Extrauag. *Vas electionis*, de hæreticis, vbi damnauit Ioannem de Poliaco, asserentem primò

Digitized by Google

quòd confessi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, tenentur eadem peccata quæ confessi fuerant, iterum confiteri proprio sacerdoti. Secundò, quòd stante canone, *Omnis utriusque sexus*, edito in Concilio generali, *Romanus Pontifex non potest facere quòd parœciani non teneantur omnia peccata confiteri semel in anno proprio sacerdoti, quem debebat esse parochialem curatum.* Tertiò, quòd Papa *non potest dare potestatem generalem audiendi confessiones.* Post quæ verba summus Pontifex subiicit: *Tres illos articulos, & quemlibet eorum, tanquam falsos, & erroneos, & à sacra doctrina deuios, authoritate Apostolica condemnamus, & reprobamus, de fratrum nostrorum consilio, doctrinam contrariam veram, & contrarium esse catholicum asserentes, scilicet quòd illi; qui prædictis Fratribus confitentur, non magis teneantur eadem peccata confiteri iterum, quàm si aliàs ea confessi fuissent eorum proprio sacerdoti iuxta Concilium generale.* Et paulò post: *Vniuersis & singulis districtiùs inhibemus, ne quisquam præmissos articulos per nos (vt præmittitur) damnatos & reprobatos, & contenta in eis, vel aliquo ipsorum, vt pote à catholicis mentibus respuenda, tenere audeat, seu defensare quomodolibet, vel docere.*

79. Octodecim post annis, id est, anno 1438. Eugenius IV. in Bulla quæ incipit, *Commissum nobis cœlitus*, concessit Cisterciensibus vt fideles omnes ab omnibus & quibusuis peccatis & excessibus possent absoluere, Tum decennio post, Nicolaus V. in bulla, *Scimus populos*, dedit Mendicantibus facultatem absoluendi omnes fideles: atque etiam in omni die, præterquam in die resurrectionis Domini, communionem dandi. Triginta verò post annis, id est, anno 1478. ortis ea de re contentionibus inter Parochos quosdam, & Mendicantes, Sixtus IV. edidit extrauag. *Vices*, de qua inferiùs: saluis tamen priuilegijs Religiosorum circa facultatem audiendi confessiones, quibus se nolle derogare affirmat. Deinde annis post 45. renouatis iisdem contentionibus inter Prælatos & Religiosorum superiores, Leo X. in Bulla quæ incipit, *Dum intra mentis arcana*, edita anno 1516. sacro approbante Concilio generali Lateran. statuit vt confitentes religiosis, modo supra scripto à Bonifacio VIII. censeantur satisfeciſſe constitutioni, quæ incipit, *Omnis vtriusque sexus*, quoad confessionem dumtaxat, non quoad cõmunionem nisi cõmunicent in Paschate in parœcia propria, vel alibi de superioris licentia.

80. Post hæc, anno 1544. in Bulla, *Cùm inter cunctas*, Paulus III. presbyteris Societatis Iesu, recens à se confirmatæ, concessit potestatem audiendi fideles omnes quorumcunque locorum, & absoluendi à casibus quibusuis, etiam summo Pontifici reseruatis, exceptis iis qui continentur in Bulla Cœnæ Domini. Quod priuilegium anno consequenti confirmauit in Bulla, *Licet debitum pastoralis Officii*: declarauitque id fieri posse sine licentia Parochorum, neque fideles ita confessos teneri iterùm confiteri proprio Parocho. Idem priuilegium confirmarunt omnes fere summi Pontifices qui Paulo III. hucusque successerunt. Et quia tredecim post annis, id est, anno 1557. contendebant Parochi Mendicantibus non licere audire confessiones, nisi in propriis Ecclesiis, ideoque non posse audire ægrotos à quibus vocabantur, Paulus IV. in Bulla, *Cùm sicut exponi nobis fecerunt*, declarauit, ac decreuit posse Mendicantes confessiones, etiam infirmorum, vbilibet, etiam extra domos eorundem Fratrum audire, ac omni tempore, præterquam in die Resurrectionis, Eucharistiæ sacramentum tam illis, quàm aliis quibusque personis licitè ministrare. Vbi nota excipi tantùm diem Paschalem pro communione.

Orta deinde alia contentione Parochorum Parisiensium contra Patres domus Professæ Societatis Iesu in eadem vrbe sub titulo S. Ludouici erectæ, affirmantium non posse illos sine consensu Parochorum audire confessiones sæcularium, siue in sua propria Ecclesia, siue alibi: & non satisfacere præcepto Ecclesiastico audiendi sacrum diebus festis, qui non audirent in propria parœcia; Gregorius XIII. anno 1581. in Bulla, quæ incipit, *Ex si per priuilegia vestræ Societatis à fel. rec. Paulo Papa III. Prædecessore nostro, diuersis temporibus concessa*, &c. & in fauorem eorundẽ patrum Societatis Iesu ita pronunciauit: *Motu proprio, certâque scientiâ nostrâ, plenam, & liberam vobis licentiam in perpetuum tribuimus, vt prædictæ Societatis vestræ Presbyteri à suis quisque superioribus ad id deputati, in quibusuis illius domorum, & Collegiorum, vel aliorum locorum Ecclesiis, necnon in plateis publicis concionari, & in illis, vel oratoriis, aut aliis condecentibus locis, confessiones audire, confitentes absoluere, Missas celebrare, & alia iuxta priuilegia vestra, & Societatis prædictum institutum facere, & exercere, & pariter, vt omnes vtriusque sexus Christi fideles, quicunque sint, ad conciones, & Missas audiendas, confessionesque faciendas, & alia pro animarum suarũ spirituali consolatione, ad dictos Presbyteros, quoties eis placebit, sine scrupulo accedere, & ab eis sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, Resurrectionis die Dominicæ dumtaxat excepto, suscipere liberè possint, Rectorum, aut Ordinariorũ, vel quorumuis consensu, vel licentiâ minimè requisitâ. Districtiùs inhibentes eisdem vniuersis & singulis ne per se, vel aliũ, seu alios, directè, vel indirectè, quouis quæsito colore, vel ingenio, quẽquam vestrum impedire, aut in iudicium trahere, aut aliàs molestare, quoquo modo præsumant.* 81.

Rursus, occasione alterius contentionis, ortæ Duaci in Diœcesi Atrebatensi, Clemens VIII. ann. 1592. in Breui, *Significatum fuit nobis*, ad coercendam aliquorum Parochorum temeritatem, qui, vt ait ibidem summus Pontifex, non sine maximo animi sui dolore, & grauissimo fidelium scandalo, palam asserebant non licere fidelibus audire sacrum nisi in Ecclesia paro- 82.

Digitized by Google

chiali: neque tempore Paſchali, aut Quadrageſimali confiteri Mendicantibus, aut preſbyteris Societatis: & comminatione cenſurarum eccleſiaſticarum fideles ab eiuſmodi adeundis deterrebant; ſanxit *licere ſæcularibus Chriſti fidelibus vniuerſis liberè Miſſas audire, etiam cibus Domini is, & aliis feſtis ſolennibus, in Eccleſiis Fratrum Prædicatorum, & aliorum Mendicantium, & Collegiorum Societatis Ieſu, iuxta eorum priuilegia, & antiquam conſuetudinem, modò id non faciant in contemptum ſuarum eccleſiarum Parochialium* (ſed nimirum deuotionis, aut commoditatis, aut alia iuſta de cauſa) *Et tam dictis Fratribus, & Presbyteris dictæ Societatis, quàm aliis priuilegiatis, quibus id à ſede Apoſtolica indultum eſt, idoneis tamen, & ab Ordinario approbatis* (nimirum iuxta conſtitutionem Tridentini ſeſſ. 23. cap. 15. de qua diximus ſect. præcedenti) *peccata ſua, etiam quadrageſimali, & Paſchali, & quouis alio tempore, confiteri licitè poſſe: dummodo tamen iidem ſæculares Chriſti fideles ſacramentum Euchariſtiæ die feſto Paſchalis Reſurrectionis in propria Parochia, ab eorum Parocho ſumant.* Huc vſque Summus Pontifex. Cuius diplomatis authenticum exemplar habemus in hoc noſtro Collegio Burdigalenſi. Præcedentes verò Bullæ partim integrè referuntur, partim indicantur à Roderico in Bullario Regularium.

83. Vlteriùs, cùm felic. record. Gregorius Papa XV. ann. 1623. die 5. Februarii Bullam edidiſſet, quæ incipit, *Inſcrutabili Dei prouidentia*, per quam omnium Regularium priuilegiis derogare videbatur, Sacra Congregatio Cardinalium, approbante eodem ſummo Pontifice, eodemque anno 1623. declarauit, abrogationem illam non pertinere, niſi ad Religioſos, quibus incumbit cura animarum fidelium ſæcularium, & decreuit, *Vi illius conſtitutionis* Gregorii XV. *Epiſcopos Regularibus, quibus non incumbit animarum cura perſonarum ſæcularium, non poſſe præſcribere, vt certis tantùm in locis, vel temporibus, aut certarum perſonarum confeſſiones audiant, vel alia illorum priuilegia in ſacramentis adminiſtrandis reſtringere, aut moderari.* Eodem quoque anno 1623. cùm Patres Societatis Ieſu Collegii Caluimontenſis, prohibiti ab Epiſcopo Lingonenſi ne audirent confeſſiones ſæcularium à Dominica Palmarum, vſque ad Dominicam in Albis, ad ſedem Apoſtolicam appellaſſent, libellumque ſupplicem ſacræ congregationi Cardinalium obtuliſſent: reſpondit illa in hæc verba: *Sacra congregatio Cardinalium Concilii Tridentini ad primum reſpondit, Oratores ſimul à Diœceſano Epiſcopo approbatos, quouis anni tempore ad confeſſiones ſæcularium perſonarum audiendas, poſſe in Diœceſi Epiſcopi approbantis, quouis anni tempore, etiam Paſchali, & quarumcunque etiam perſonarum confeſſiones audire, abſque Parochorum, vel aliorum licentia minimè requiſita: & eos qui Oratoribus confitentur, ſatisfacere Eccleſiæ præcepto, nec tenere iterum in Paſchate proprio Parocho confiteri.*

Paulò poſt, Vrbanus Papa VIII. qui Gregorio XV. immediatè ſucceſſit, pluribus literis Apoſtolicis, & Bullis idem priuilegium Regularibus conceſſum renouauit, & confirmauit. Præcipuè verò in Bulla, quæ incipit, *Aliàs fœlicis recordationis Gregorius XV.* data die 7. Februarii an. 1625. in qua ſuſpendit omnes, & ſingulos articulos Bullæ Gregorii XV. ſupra memoratæ, reuocantis aliqua priuilegia exemptorum: & in Bulla quæ incipit, *Inplenitudine poteſtatis Apoſtolicæ*, anno 1625. 3. Idus Maii. In qua confirmat generaliter priuilegia Fratrũ Prædicatorum, & conſequenter aliorum Regularium, qui cum illis communicant: ſpeciatimq; illa, quibus ampla facultas audiendi confeſſiones conceſſa fuerat Regularibus, ab eius prædeceſſoribus ſummis Pontificibus, quorum Bullas viginti nouem enumerat, addens in fine, *Decernentes priuilegia, exemptiones, & Indulta huiuſmodi ſemper, & perpetuò valida, & efficacia eſſe, & fore, atque à locorum Ordinariis, ac quibuſcunque aliis, quauis auctoritate fungentibus inuiolabiliter, & inconcuſſè obſeruari, &c.*

Cúmque ſub finem Pontificatus eiuſdem Vrbani VIII. anno 1644. paulò ante feſtum Paſchatis, vnus ex Vicariis Generalibus illuſtriſſimi Archiepiſcopi Burdigalenſis iuſſionem ſcripſiſſet, quâ vſu audiendi confeſſiones ſæcularium circa feſta Paſchalia omnibus illius ciuitatis Regularibus interdicebat, eamque iiſdem Regularibus ſignificari curaſſet: illi verò ad ſedem Apoſtolicam de ea iuſſione, vt pote quæ Priuilegiis ipſorum ab eadem ſede impetratis omnino aduerſaretur, prouocaſſent. Sacra Eminentiſſimorum Cardinalium Congregatio, hoc quod ſequitur ſcripſit, & ad coſdem Regulares miſit decretum.

Inſtantibus Regularibus Ciuitatis Burdigalenſis die nona Iulii 1644. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium Concilii Tridentini interpretum poſt maturam diſcuſſionem cenſuit Archiepiſcopum Burdigalenſem non poſſe prohibere Regularibus habentibus Priuilegia Apoſtolica, vt à Dominica Palmarum vſque ad Dominicam in Albis incluſiuè adminiſtrare non valeant perſonis ſæcularibus ſacramentum Confeſſionis: poſſe tamen eiſdem prohibere vt perſonis ſæcularibus in die Paſchatis non adminiſtrent ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum, etiamſi dictæ perſonæ ſæculares in alio die ſatisfecerint præcepto Eccleſiæ hac de re edito.

Denique cùm adhuc nonnulli contra huiuſmodi decretum tergiuerſarentur, Summus ipſe Pontifex Innocentius X. qui nunc ſedem Apoſtolicam feliciter tenet, hoc ipſo anno 1645. die 7 Februarii, illud confirmauit, approbauit, & robore inuiolabilis auctoritatis Apoſtolicæ communiuit, literis datis in forma Breuis, quarum tenor hic eſt.

AD futuram rei memoriam. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Regulares ciuitatis Burdigalensis, quòd aliàs à Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Concilii Tridentini interpretibus emanauit Decretum tenoris subsequentis. Videlicet die IX. Iulii, M. D C XL I V. Sacra Congregatio Eminentiss. Cardinalium Concilii Trident. interpretum post maturam discussionem censuit, Archiepiscopum Burdigalensem non posse prohibere Regularibus habentibus priuilegia Apostolica, vt à Dominica Palmarum vsque ad Dominicam in Albis inclusiuè administrare non valeant personis sæcularibus sacramentum Confessionis, posse tamen eisdem prohibere, vt personis sæcularibus in die Paschatis non administrent sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, etsi dictæ personæ sæculares in alia die satisfecerint præcepto Ecclesiæ hac de re edito. Cùm autem, sicut eadem expositio subiungebat, iidem exponentes, præmissa, quò firmius subsistant, Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiri summopere desiderẽt. Idcirco nos eosdẽ Regulares specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus, & approbamus; illique inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus: ac omnes & singulos tam iuris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet interuenerint supplemus: salua tamen semper auctoritate eorumdem Cardinalium. Decernentes præsentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, dictisque Regularibus in omnibus, & per omnia suffragari, & ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in futurum, inuiolabiliter obseruari, sicque per quoscunque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari, & diffiniri debere, irritumque & inane, si quid secus super his à quoquam, quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innouatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenore præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habendis, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum præmissorum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, Die 7 Februarii, M. D C X L V. Pontificatus nostri anno primo. *M. A. Maraldus.*

Denique cùm Regulares supradicti supplicitèr à Rege Christianissimo Ludouico XIV. postulassent, vt regiam auctoritatem huic Decreto Pontificio adiungeret, illudque toto regno seruari iuberet: annuens Rex supplicibus eorum votis, has literas regias dedit, eius sigillo munitas, 11. Martii, anni 1645.

LVDOVICVS Dei gratia Galliæ & Nauarræ Rex. Apparitori nostro, aut Accenso cuilibet primùm obuio, & ea de re interpellato. Carissimi Clientes nostri Præpositi & Religiosi cœnobiorũ Fratrum Prædicatorum, Augustinianorũ, Recollectorum Franciscanorũ, Carmelitarũ, Presbyterorum Societatis Iesu, Minimorũ, atque à Mercede appellatorum, almæ nostræ ciuitatis Burdegalensis, exponi nobis, & significari curauerunt, interposuisse se prouocationem à quibusdam Archiepiscopi Burdegalensis, & magnorum eius Vicariorum sanctionibus, alterâ vigesimo secundo Martii, alterâ verò vigesimo octauo Aprilis, anni millesimi sexcentesimi quadragesimi quarti datis; quibus cauetur, ne diœcesanorũ suorum confessiones à Dominica Palmarum, vsque ad Dominicam *Quasi modo*, excipere, eisdemque sacrum Christi Domini corpus porrigere possint, expostulantes. Qua quidem prouocatione iam interpositâ, cùm vtriusque partis litigantes sanctioris se Consilii nostri tribunali stitissent: eius Decreto decimo quarto Octobris eiusdem anni facto, sancitum est in primis, vt priuilegiis suis deinceps liberè vterentur, ac fruerentur expostulantes, perinde atque antequam sanctiones huiusmodi latæ fuissent, vti illis, fruique poterant, donec sedi Apostolicæ aliquid aliud statuere placuisset. Atque hoc Decreto à nobis impetrato, cùm ius suum apud sedem Apostolicam iidem persecuti Expostulantes, Breue sibi ab ea Apostolicum dari petiissent; atque postquam per eandem Sedem, septimo Februarii proximè superioris iudicatum esset, iure ab illis prouocatum, Breue illud ab ipsa obtinuissent: hoc autem executioni nunc dare vellent: idque se sine harum literarum auctoritate facere non posse animaduerterent, eas vt sibi concedere vellemus, nobis humillimè supplicarunt. Has ob causas, ac de sententia sanctioris eiusdem nostri Consilii, cui hoc Breue his literis infra auersum Cancellariæ nostræ sigillum alligatum perlegendum oblatum est, in eoque nihil omnino quod prærogatiuis, ac priuilegiis Ecclesiæ Gallicanæ aduersetur, repertum; Mandamus tibi atque præcipimus, vt hoc ipsum Breue, iuxta eam, quâ scriptum, & editum est, formam, ac tenorem exequi ne cunctéris; ob idque omnes, quas ex iure facere iussus eris, & necessariæ esse videbuntur verbo, scriptoque faciendas denunciationes, nulla à quouis alio petita eas obeundi facultate, obeas. Ita enim nobis placitum est. Datum Lutetiæ XI. Martii an. 1645. Regni nostri secundo. Regio annulo apud sanctius eius Consilium obsignatum: & subscriptum, *Daudiguier.*

Quæ cũ ita sint, non video quomodo hæc contentio possit deinceps renouari in Gallia sine manifesto Pontificiæ simul, ac Regiæ auctoritatis contemptu. Horum autem omnium testes oculati nos sumus, qui hæc Burdigalæ scribimus, & in lucem edimus, atque vtriusque decreti Pontificii, & Regii, Originalia attentè legimus, fideliterque transcripsimus: extant verò illa in cœnobio R. R. P. P. Dominicanorũ, eiusdem vrbis, vbi studiosè asseruantur.

Digitized by Google

SECTIO VIII.

Soluuntur obiectiones Aduersariorum.

85. Contrariũ sentientes.

COntrarium senserũt olim auctor Glossę canonis, *Omnis vtriusque sexus*, Archidiaconus, & Hostiensis ibid. Henricus Gandau. Quodlibet. 1. & Ioan. de Poliaco damnatus à Ioan. XXII. Quorum aliqui, vt Hostiensis, & Archidiaconus, existimarunt hoc priuilegium potuisse quidem concedi Regularibus à summo Pontifice, sed non fuisse re ipsa concessum. Quod tam euidenter falsum esse patet ex dictis sect. præcedenti, vt nemo sanæ mentis iam id inficiari possit: neque illi ipsi inficiarentur, si tot constitutiones, tamque multorum summorum Pontificum ab ipsorum tempore editas, perspectas habuissent. Alii verò, vt Ioan. de Poliaco, & auctor Glossæ, affirmarunt non posse concedi à summo Pontifice vlli sæcularium, aut Regularium, facultatem audiendi confessiones Parochianorum, sine ipsius Parochi consensu & licentia: quia, inquiunt, id cederet in præiudicium Parochorum; & in damnum, ac destructionẽ Hierarchiæ Ecclesiasticę. Sed hoc expressè damnatur erroris à Ioanne XXII. Extrauag. *Vas electionis, de Hæreticis & Schismaticis.* Et à Clemente. IV. in Bulla *Quidam temerè sentientes*, vbi, vt supra vidimus, affirmat esse erroneum dubitare, an Papa in omnes sine alicuius consensu, imò inuitis quibuslibet, possit eiusmodi concedere facultatem. Estque illa assertio euidenter absurda: quia multò maior, & independentior est potestas summi Pontificis, & Episcoporum, respectu subditorum sibi fidelium: quàm Parochi, respectu parochianorum; vt per se notum est. Ergo si potest Parochus dare parochianis facultatem vt confiteantur alteri cuicunque approbato Sacerdoti, non petitâ cuiusquam alterius licentiâ: multò magis idem possunt Episcopi, & summi Pontifices, à quibus deriuatur, & pendet ius & auctoritas omnis Parochorum in fideles sibi subditos, illisque subordinatur, atque ab illis restringi, & limitari potest, vt ostendemus paulò post. Si, inquam, potest Parochus alium delegare ad audiendas suorum confessiones quocumque tempore, approbatum dumtaxat ab Episcopo (nam Tridentinum nihil aliud requirit) sine alterius cuiusquam licentia, ex ordinaria sui officii potestate, & iurisdictione: multò magis delegare possunt Episcopi, & Summi Pontifices absque licentia Parochorum. Tantumque abest, vt hoc sit contra rectum ordinem Hierarchiæ ecclesiasticæ, vt potiùs illi, qui oppositum censent, eam subuertant, cùm potestatem inferioris maiorem, & independentiorem esse volunt, quàm potestatem Prælatorum superiorum; istamque volunt ab illa pendere: Cùm è contrario debeat superior plus posse, quàm inferiores & formaliter, aut eminenter continere in sua potestate, quidquid ille potest; neque plus illi dare possit auctoritatis, & iurisdictionis, quàm ipse habeat. An verò id fiat in præiudicium Parochorum, dicemus paulò post.

86. Tridentinum.

Confirmatur, quia vt patet ex communi Ecclesiæ praxi, approbata à Triden. sess. 14. cap. 7. & can. 11. Potest non modò Summus Pontifex, sed etiam Episcopus casus aliquos sibi reseruare, à quibus Parochus subditos suos absoluere non potest. Quod euidenter ostendit, potestatem Parochorũ esse inferiorem, & dependentem à potestate Prælatorum superiorum, etiam in foro pœnitentiæ: quandoquidem potest ab illis restringi. Sicut autem potest Summus Pontifex, aut Episcopus, per seipsum absoluere ab huiusmodi casibus sibi reseruatis, absque Parochorum licentia, quam nec ipsi, nec vlli alii dare possunt: ita potest suas vices alteri committere; & aliis quibus volet, hanc potestatem delegare. Ac si potest à grauioribus huiusmodi criminibus per se, vel per alium delegatum absoluere: potest quoque ab aliis mortalibus non reseruatis, quorum remissio facilior est, neque minùs ei subiecta.

87. Confirmatur secundò ex alia praxi Ecclesiæ vbique recepta, quâ non tantùm summi Pontifices, sed etiam Episcopi, dant nonnullis priuilegium seu facultatem eligendi confessarium, quem voluerint. Quàm etiam facultatẽ generaliter omnibus fidelibus concedere solent summi Pontifices in Iubilæis toto orbe catholico receptis, & vbique per Episcopos, & Ordinarios locorum publicatis, sine cuiusquam contradictione: quibus permittitur, vt fideles cuicunque sacerdoti approbato confiteri possint, & ab eodem absolutionem obtinere quorũcunque suorum peccatorum, etiam ipsi summo Pontifici reseruatorum, licentia parochorum aut aliorum minimè requisitâ. Quæ praxis manifestè ostendit id quod intendimus; posse scilicet Summum Pontificem, sine Parochorum licentia, delegare quos vult toto orbe catholico ad audiendas confessiones fidelium. Quocirca meritò contrariam doctrinam veluti falsam, absurdam, & erroneam reijciunt communi consensu Theologi, & imprimis D. Thom. opusculo 19. & in 4. dist. 17 q. 3. a. 3. S. Anton. Durand. Gabriel, Maior, Gerson, Almain. Adrian. Nauar. & alij quàplurimi supra citati n. 75. qui & potuisse validè concedi, & reipsa concessam fuisse constanter affirmant. D. Thom.

88. Obiectio prima refutata.

In contrarium obijcitur 1. Canon *Omnis vtriusque sexus*, in quo præcipitur, vt fideles omnes confiteantur semel in anno proprio sacerdoti, vel alieno, de licentia proprij. Nomine autem proprij sacerdotis intelligitur Parochus. Ergo non possunt Religiosi audire confessiones sæcularium sine licentia

Parochi. Respondeo 1. nomine proprii sacerdotis non ibi intelligi solum Parochum, sed quélibet habentem Ordinariam iurisdictionem respectu pœnitentis, siue ille sit Parochus, siue Episcopus, siue summus Pontifex: atque ita qui confitentur Religiosis de licentia summi Pontificis, confitentur alieno de licentia proprij sacerdotis. Patet quia, si nomine proprij sacerdotis intelligendus esset solum Parochus: ergo quilibet alius esset intelligendus nomine alieni. Ergo neque Episcopus, neque summus Pontifex possent audire fideles sibi subditos sine licentia Parochi: quandoquidem in eodem can. statuitur, vt nemo possit confiteri alieno sine licentia proprij sacerdotis. Hæc autem sequela est euidenter absurda, vt paulò ante ostendimus, & damnata à Ioanne XXII. in Extrauag. *Vas electionis*. vt rectè ostendit Vasquez quæstione 93. articulo 2. dubio 6. Est quoque intolerabilis, planeque repugnans Ordini hierarchico, qui postulat vt superior non pendeat ab inferiori, sed nobiliùs possit eminentiùs, quidquid potest inferior ei subiectus. Si inquam, nomine proprij sacerdotis solus Parochus intelligendus est, cuius licentia sit planè necessaria; neque eo nomine comprehenduntur vllo modo Episcopi, qui sunt proprij sacerdotes suarum Dioecesium: & Summus Pontifex, qui est proprius Pastor totius Ecclesiæ: sequeretur, fideles ne Episcopis quidem, ipsique summo Pontifici confiteri posse sine licentia Parochorum. Quod vsque adeo absurdum est, vt contra potiùs non rarò fideles confiteri Parocho nequeant, sine licentia Episcopi vel summi Pontificis: nimirum quando habent casus reseruatos à quibus Parochus absoluere non potest, iuxta definitionem Tridentini sess. 14. cap. 7. & can. 11.

89. Respondeo secundò, supposito & non concesso quòd nomen proprii Sacerdotis in prædicto canone *Omnis vtriusque sexus*, formaliter & expresè de solo Parocho intelligendum esset, aut de ordinario Superiore immediato: à fortiori tacitè saltem subintelligi debere superiorem mediatum, à quo immediati facultas omnis deriuatur, aut pendet. Nam sicut præcepto satisfaceret, qui Episcopo confiteretur, vel ipsi summo Pontifici: ita satisfacit, qui de illius licentia confitetur alteri. Et si Parochus potest dare facultatem confitendi alieno Sacerdoti: multò magis id potest Episcopus ipse, vel summus Pontifex, à quo Parochus curam, & omnem auctoritatem accepit. Ita vt sicut hoc præceptum ille maximè ad implere censetur, qui confitetur Episcopo, vel summo Pontifici: sic & ille, qui confitetur alieno de licentia Episcopi, vel summi Pontificis. Absurdum enim esset, si id quod Parochus facere potest absque facultate Episcopi, vel summi Pontificis, dare scilicet licentiam alieno Sacerdoti audiendi confessionem sui subditi: id facere non posset Episcopus, aut summus Pontifex sine facultate Parochi. Denique à duobus Conciliis generalibus, Viennensi sub Clemente. V. cap. *Dudum*, *de Sepulturis*, & Lateranensi sub Leone X. in Bulla *Dum intra mentis arcana*, & Ioanne XXII. in Extrauag. *Vas electionis*, *de hæreticis*, *& schismaticis*, ab aliisque multis Pontificibus expresè declaratum fuit eos, qui confitentur Regularibus, satisfacere canoni *Omnis vtriusque sexus*. Ideoque frustra laborant, qui in eo vim faciunt.

90. Obiicitur 2. Sixtũ IV. extrauag. *Vices, de Treuga & pace*, præcepisse Mendicantibus, vt desisterent prædicare, non teneri parochianos confiteri proprio Sacerdoti saltem in Paschate, quia de iure tenetur Parochianus, saltem in Paschate illi confiteri. Secunda obiectio.

Respondeo Pontificem iure prohibuisse ne importunè quidam docerent absolutè, & simpliciter non teneri parochianos confiteri proprio Sacerdoti: cum de iure, Canone scilicet *Omnis vtriusque sexus*, teneantur illi confiteri, vel alieno de ipsius licentia; vt expresè habetur in canone cit. Ac per se primò quidem proprio Sacerdoti teneantur confiteri, nec alieno confiteri possint, nisi per indultum, & concessionem proprii, intelligendo proprium, vt antea explicatum fuit. Noluit tamen Pontifex eâ prohibitione derogare quicquam priuilegiis Religiosorum. Vnde subiunxit, per hoc dictos Religiosos non impediri, quò minùs secundum sua priuilegia confessiones audiant. Determinatio verò temporis Paschalis non est hic intelligenda per se ratione confessionis; sed ratione communionis tunc faciendæ, cui confessio præmittenda est, supposito reatu culpæ mortalis per sacramentum nondum expiatæ.

91. Obiicitur tertiò, Bullas summorum Pontificum ante citatas non fuisse in Gallia publicatas, & receptas, ideoque non habere vim. Tertia obiectio.

Respondeo primò duas ex illis editas fuisse, & approbatas à duobus Cõciliis generalibus: Vienensi in Gallia, cui Rex ipse Galliæ Philippus Pulcher interfuit: & Lateranensi sub Leone X. Quæ duo Concilia sunt recepta in Gallia. Secundò, Religiosos in Gallia fuisse à Regibus, & supremis senatibus admissos cum plena libertate vtendi suis priuilegiis à sancta sede Apostolica concessis. Tertiò, speciatim priuilegium istud audiendi liberè confessiones, etiam tempore paschali, fuisse Regularibus conseruatum, atque approbatum auctoritate, & decreto supremi Senatus Parisiensis an. 1505. in causa Fratris Gally Ordinis Prædicatorum, contra facultatem Theologiæ Parisiensem: & an. 1521. die 4. Augusti in causa Franciscanorum eiusdem vrbis, contra Ludouicum du Bellay Curatum, & Archipresbyterum S. Seuerini, simulque Senatorem, & Archidiaconum Parisiensem.

Quarto licet in Bullis onerosis, & vim

legis habentibus præcipientis, aut prohibentis aliquid, requiratur publicatio, & receptio, siue de iure communi, vt aliqui existimant, siue ex priuilegio Ecclesiæ Gallicanæ concesso: secus tamen in fauorabilibus, quæ consistunt in concessionibus, & facultatibus, quibus quisque ad libitum vti potest: cuiusmodi est istud priuilegium in fauorem sæcularium. Quòd si possunt sæculares vti licentia Parochorum verbo, aut scripto data, vt alieno confiteantur, absque eo quòd opus sit licentiam illam publicari, & ratam haberi à Senatu, vel à Rege, & regno: quantò minus necesse est licentiam datam fidelibus scripto, & Bullis authenticis, à summis Pontificibus, publicacari &c. Nisi quis velit summos Pontifices esse deterioris conditionis, quàm Parochos; & minus habere iuris & potestatis in fideles: cùm tamen omnis iurisdictio Parochorum pendeat à summo Pontifice, atque ab eo deriuetur.

92. Quarta obiectio. Obiiciunt quartò non posse aliquod priuilegium indulgeri in præiudicium alterius, vt habetur dist. 25. q. 1. can. *Ideo*: iuxta illud Pauli 2. Corinth. 8. *Non volumus vt aliis sit remissio, vobis autem tribulatio.* Atqui concedere vt subditus alicuius sine ipsius licentia confiteatur alteri, videtur esse in præiudicium ipsius: ergo &c.

Respondeo cum D. Thoma quæstione 8. Supplem. art. 5. ad 1. & in 4. dist. 17. quæst. 3. quæstiunc. 5. ad 1. Præiudicium non fieri alicui, nisi subtrahatur quod est in fauorem eius indultum. Iurisdictionis autem potestas non est commissa alicui homini in fauorem ipsius: sed in vtilitatem plebis, & in honorem Dei. Et ideò si superioribus Prælatis expedire videatur ad salutem plebis, & honorem Dei promouendum, quæ sunt iurisdictionis alicui committere: in nullo propterea fit præiudiciũ inferioribus Prælatis: nisi illis qui quærunt quæ sua sunt, non quæ Christi Iesu, & qui gregi præsunt non vt pascant, sed vt ab eo pascantur. Huc vsque D. Thomas, cuius verba grauissima satis esse deberent ad compescendam quorumdam super ea re contentionem importunam, quæ iam post tot summorum Pontificum declarationes renouari nunquam deberet.

Non fit præiudicium Parochis

93. Respondeo secundò, priuilegium non posse indulgeri in præiudicium alterius, quando est supra vel contra ius concedentis: alioqui enim qui suo iure vtitur, nulli facit iniuriam. At priuilegium, de quo loquimur, non est supra vel contra ius summorum Pontificum à quibus conceditur: imò nec contra ius commune, cùm potiùs fundetur in canone *Omnis vtriusque sexus* rectè intellecto, vt superiùs ostensum fuit: & probatum ex ipsa declaratione summorum Pontificum Ioannis XXII. Pauli III. Clementis VIII. & Leonis X. cum concilio Lateranensi.

Addo, si quis Parochis præiudicare existimat concessionem huius priuilegii: debere etiam aduertere præiudicare, imò penitus repugnare auctoritati summi Pontificis & Episcoporum, dubitare, vel negare, quòd ipsi possint dare hanc facultatem fidelibus sibi subiectis: Quare vt Parochis faueatur, non est Episcopis derogandum & Summo Pontifici: quorum auctoritas longè maioris est momenti, & à quibus omne ius Parochorum, & authoritas pendet.

94. Quinta obiectio. Obiiciunt quintò nonnulli, Priuilegia illa Regularibus concessa à Sum. Pontificib. esse subreptitia, id est, veri occultatione, aut falsi narratione impetrata; ac proinde nullius esse valoris: quia vt dicitur in Regulis Cancellariæ, *Qui malè narrat, malè impetrat.* Vnde summi Pontifices solent in concessione fauorum addere, *Si preces veritate nitantur.* Verùm, qui hæc obiiciunt, ostendunt se parùm versatos esse in stylo Curiæ Romanæ, in qua Literæ Apostolicæ duplici modo dantur: quædam in forma *Dignum*, remittendo ad Iudicem ordinarium, cum hac clausula, *Si preces veritate nitantur.* Aliæ, absolutè, motu proprio, & ex certa scientia, ac de plenitudine potestatis Apostolicæ. Et hæ non possunt esse subreptitiæ, cùm dentur ex certa scientia: implicat enim dari ex certa scientia, & dari subreptitiè: neque etiam dantur prauo cuiusquam instinctu, cùm dentur motu proprio: nec nituntur illa clausula, *Si preces veritate nitantur*: cùm è contrario affirmet Pontifex, causam sibi optimè notam esse. Huius autem secundi generis sunt Literæ Apostolicæ, quibus hoc priuilegium concessum fuit Regularibus, vt patet ex sectione præcedenti. Adde, quòd plurimæ ex Bullis citatis eadem sect. editæ sunt à summis Pontificibus audita vtraque parte, & contentione inter illas exorta: adeóque non subreptitiè, & causâ incognita. Quódque in plerisque earundem Bullarum summi Pontifices profitentur se huiusmodi priuilegia concedere Regularibus ob præclara eorum obsequia, & officia erga Remp. Ecclesiasticam; siue iam præstita, siue in futurum, vt speratur, præstanda, in conuersione Infidelium, ædificatione Fidelium, defensione Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ contra Hæreticos, & Schismaticos, aliosque ipsius aduersarios: in prompta obedientia ipsi præstanda: cui etiam nonnulli voto expresso se addicunt, ad proficiscendum in terras infidelium, quócunque summus Pontifex ad Dei gloriam, & Ecclesiæ bonum expedire iudicauerit, etiam non petito viatico: ad conuersionem illorũ procurandam, fidemque latiùs disseminandam, vt pluribus iam locis factum esse non sine fructu eximio omnibus notum est. Estque notandum contra huiusmodi priuilegiorum impugnatores, Leonem X. concessisse Minoribus, & consequenter aliis Mendicantibus, vt transsumptis suorum priuilegiorũ, formatorum, manu Notarii publici, eadem fides habeatur, etiam in iudiciis, quæ ipsi originali si exhiberetur: vt habetur in Compendio

pendio Priuileg. Minorum, v. *Priuilegia*, §. 29. lit. C.

95. Sexta obiectio.

Obiiciunt sextò, priuilegia ista fuisse concessa Regularibus propter necessitatem: quâ cessante, cessant pariter ipsa, sine alia reuocatione. Atqui non est nunc temporis huiusmodi necessitas, in tanta copia sacerdotum sæcularium, eruditorum, & idoneorum ad audiendas confessiones. Respondeo primò, summi Pontificis esse potiùs, quàm cuiusuis alterius, iudicare de hac necessitate: debereque omnes alios eius auctoritati, & iudicio caput submittere. Secundò, non omnes ita sentire de tanta copia sacerdotum sæcularium eruditorum, & ex omni alia parte idoneorum: Ita vt multitudo fidelium, quæ nunc maxima est, non egeat aliorum subsidio. Tertiò, falsum esse solam necessitatem esse causam cur data fuerint, aut dari potuerint huiusmodi priuilegia. Nam sufficiens causa est consolatio fidelium, maiorque profectus spiritualis, & leuamentum oneris confitendi, per se grauis, quod non parum leuatur libertate confitendi aliis, quàm Parochis, aut eorum vicariis. Qui meminisse debent seipsos esse institutos Parochos non in suum commodum & vtilitatem; sed propter bonum fidelium, cui non debent præiudicare, eos priuando illo solatio, & libertatem eis à Summo Principe Ecclesiæ concessam restringendo, aut liberum eius vsum impediendo. Quartò, Summos ipsos Pontifices in Bullis suis interdum declarare so hoc priuilegium concedere, tum in bonum, & solatium fidelium, tum in gratiam Regularium, propter obsequia paulò ante commemorata, vel egregia facta suorum prædecessorum, quorum non pauci Sedem Apostolicam tenuerunt, totamque Ecclesiam sapientissimè gubernarunt: plurimi doctrina, & vitæ sanctitate illustres fuerunt: plurimi etiam pro Christi fide tuenda, & propaganda sanguinem fuderunt. Legatur initium Bullæ Sixti IV. datæ 7. Calendas Augusti, anno 1479. quæ incipit, *Sacri Prædicatorum, & Minorum Fratrum Ordines*: & initium Bullæ Pii V. *Etsi Mendicantium*, decimo septimo Calendas Iulii, anni 1567. & initium Bullæ Vrbani VIII. *In Specula*, ann. 1629. & lit. Apost. Pauli V. ann. 1606.

96. Septima obiectio.

Obiiciunt septimò illud Prouerbiorum 27. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera.* Cui obiectioni Respõdeo primò cum Diuo Thoma in 4. distinctione decima septima, quæstione 3. articulo tertio, quæstiuncula 5. ad 1. id intelligendum esse de agnitione per solicitam exterioris cõuersationis considerationem, quâ inuigilare debet sacerdos super gregem sibi commissum: non autem de notitia per confessionem, in qua sacerdos debet ipsi pœnitenti credere. Sufficit enim quòd credat subdito dicenti, se alteri absoluere valenti confessum fuisse. Idque fieri debere statuit Benedictus XI. in Extrauagante *Inter cunctas*, supra citata, §. 2. his verbis: *Super confessione facta Fratribus, cùm de pœnitentis solius præiudicio agatur, in pœnitentiæ foro stabitur simplici verbo illius, qui sacramenta petit Eucharistiæ, & Extremæ-vnctionis, & dicit Fratribus se confessum.* Additque Sixtus IV. in Bulla quæ incipit, *Dum attenta meditatione*, posse Fratres ministrare sacramentum Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis personis sibi confitentibus, si Rectores negauerint, vel malitiosè distulerint.

Vultus pecoris agnoscendus.

Respondeo secundò, locum illum Scripturæ ad literam intelligendum esse de diuitibus, quos monet Sapiens vt pecorum, & ouium suarum diligentem curam habeant, neque eas contemnant. *Non enim*, inquit, *habebis iugiter potestatem.* Quasi dicat: Fieri enim potest, vt de diuite pauper fias, & rebus illis, quas nunc negligis, indigeas. In sensu autem morali pertinet ad omnes superiores, siue politicos, siue ecclesiasticos, qui sibi subditis inuigilare debent: & non tantùm ad Parochos: qui si inde velint colligere necessitatem confessionis sibi faciendæ, considerent 1. pari ratione concludi posse, confitendum esse quibusuis aliis superioribus, etiam laicis. 2. Quo tempore Sapiens id scribebat, confessionem nondum institutam fuisse, sed multis postea sæculis. Vnde ergo inferunt id de illa specialiter præcipi? Tertiò, iuxta communem, & veram sententiam, Superiores non posse vti ad regimen subditorum notitiâ habitâ per confessionem: & rem esse plenam periculi, adstringere subditos vt confiteantur propriis superioribus: præsertim si hæc notitia ad gubernationem referatur. Vnde Clemens VIII. in decreto edito die 26. Maii, ann. 1594. expresè prohibuit, ne Superiores Religionum vtantur notitia per confessionem habitâ ad exteriorem gubernationem. Vetuit etiam expresè idem Pontifex, ne Superiores audiant confessiones suorum Religiosorum: qui tamen meliùs agnoscere debent vultum suorum (quippe magis sibi coniunctorum, & addictorum per votum Obedientiæ) quàm Parochi, qui etiam interdum tot habent sibi subditos, vt non possint confessiones omnium in Paschate audire, sed necessariò debeant id aliis committere. Quartò denique, Episcopos non minùs debere inuigilare toti Diœcesi, & Summum Pontificem toti Orbi Christiano, quàm Parochos Paroeciæ sibi cõmissæ: & tamen neq; Episcopi debent propterea audire confessiones omnium dioecesanorum: neque Summus Pontifex omnium Christianorũ, quod etiam manifestè impossibile est; licet illis non minùs dictum sit illud Prouerb. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera.* Quare ex illo loco nihil aptè concluditur contra priuilegium Religiosis concessum.

97. Octaua obiectio.

Obiiciunt octauò, saltem tutiùs esse confiteri Parocho tempore Paschali: quia nemo dubitat de valore confessionis illi factæ;

secus autem de facta Regularibus, de qua plerique dubitant, & non pauci validam esse negant. Respondeo non nisi ex ignorantia, vel ex malitia de illius valore dubitari posse, vt constat ex dictis hac tota sectione: & iam ante 230. annos damnatã fuisse ab Alexandro V. primo eius Pontificatus anno, in Bulla, quæ incipit, *Regnans in excelsis*, hanc propositionem: *Confessio Fratribus admissis facta, est dubitabilis & incerta: quapropter omnes tenentur dimittere incertum.* De qua propositione, & aliis eadem Bulla relatis Pontifex sic pronunciat, *Volentes quòd si quis deinceps prædictos articulos asserere præsumpserit tanquam hæreticus sit censendus, & excommunicationis sententiam incurrat ipso facto, à quâ nisi per summum Pontificem, præterquam in mortis articulo, absolvi non possit.* Ibidemque damnat erroris & temeritatis asserentes, quòd licet Regulares habeant à summo Pontifice facultatem audiendi confessiones, populus tamen fidelis non potest ad eos accedere sine licentia Parochi.

98. Et hæc de ista controuersia solius veritatis causâ sint dicta: non vt auocentur fideles ab adeundis Parochis, quos potiùs hortari velim, vt ipsos crebrò adeant, & quâ par est veneratione prosequantur: sed vt instruantur illi, qui siue zelum quidem habentes, sed non secundum scientiam, siue quauis alia de causa, negotium adhuc Religiosis, & fidelibus facessere non verentur, contra expressas declarationes, & inhibitiones Conciliorum generalium, & SS. Pontificũ.

Pœnæ appositæ contradictib.

Addo dumtaxat, grauiter prohibitum esse locorũ Ordinariis, sub interdicti ingressus Ecclesiæ, & suspensionis à regimine, & administratione Ecclesiarum suarum, ac Rectoribus, & aliis quibuscunque sub excõmunicationis latæ sententiæ, & priuationis earundem parochialium Ecclesiarũ, atque omnium aliorum beneficiorum ecclesiasticorũ, quæ obtinent, necnon inhabilitationis ad illa, & alia in posterum obtinenda, pœnis, eo ipso per eos, qui contra fecerint incurrendis, ne Ordines FF. Prædicatorum & Minorum; & consequenter aliorum, qui eorum priuilegiis participant, & illorum domos, & Professores, præter, aut contra tenorem priuilegiorum suorum per literas Apostolicas concessorum, inquietent, seu molestare præsumant. Vt patet ex Bulla Sixti IV. *Regimini vniuersalis Ecclesiæ*, edita anno 1454. quæ à Leone X. cum priuilegiis antea à Summis Pontificibus, suis prædecessoribus, dictis Ordinibus concessis confirmata fuit anno 1518. sub eisdem censuris, & pœnis contrauenientibus inflictis. Ita docet Henriquez libro septimo de Indulgentiis capite vigesimo quarto, citans in eiusdem rei confirmationem præter Bullas quas allegat, quamplurimos Doctores sæculares, & Regulares: addensque, non solùm in præmissas censuras, & pœnas, Episcopos incidere, sed etiam in excommunicationem latæ sententiæ. Quod etiam tenet Confectius in tractatu de Exemptione, capite secundo. Quocirca sacra Congregatio Cardinalium Archiepiscopo Salern. hoc responsum, seu decretum misit, vt habetur in registro eiusdem Congregationis fol. 139. *Aduertat dominatio vestra procedere cum circumspectione cum Religiosis, nisi velit se multis censuris irretiri, &c. Quia nouit eos habere infinita priuilegia, & non esse subditos Ordinario.* Cuius Decreti authenticum habetur apud RR. PP. Recollectos Conuentus Burdigalensis.

99. Addo præterea quòd, sicut refert Miranda in Manuali Prælatorum quæst. 42. Plures alii Summi Pontifices non modò eiusmodi priuilegia renouarunt, & confirmarunt, vt maiorem immobilitatem illis conferrent: verùm etiam, vt ne quis illorum possessionem, & vsum impedire valeret, facultatem à Regularibus iuri illorum renunciandi penitùs abstulerunt, & sub pœnis, atque censuris ipso facto incurrendis, ne in possessione, & vsu illorum turbarentur districtè prohibuerunt. Secuti exemplum prædecessorum suorum, Anacleti, causa vigesimaquinta, quæstione secunda, capite primo, vbi sic habet: *Priuilegia Ecclesiarum, & sacerdotum inuiolata, & inuiolata canonicis decernimus manere temporibus.* Et Leonis Magni eadem causâ & quæstione, cap. 2. sumpto ex eius epist. 54. *Priuilegia Ecclesiarum, & monasteriorum, Sanctorum Patrum auctoritate instituta, nulla possunt improbitate conuelli, nulla nouitate irritari.* Quibus conforme est Iurisconsultorum effatum, *Priuilegium, seu beneficium Principis, debet esse immobile.* Quare non possunt Regulares illis renunciare licitè, & turâ conscientiâ; ac ne quidem validè: vt rectè docent Henriquez libro septimo de Indulgentiis, capite decimo quinto, vbi plures alios citat, Confectius de Regularium exemptione, Portellus, verbo *Priuileg. vsus*, & Ioannes Lomede in tract. de Exempt. Ecclesiastic. capitulo vndecimo, numero quarto. Quandoquidem ius commune tam præcisè cauet, & prohibet Religiosis tum inferioribus, tum etiam superioribus, & aliis quibuscunque, ne renuncient iuribus, & priuilegiis suorum Ordinum in eorum præiudicium: quemadmodum prohibet sacerdotibus ne renuncient priuilegio Canonis, capite *Contingit, de sententia excommunic.* Sicut nec priuilegio fori. cap. *Si diligenti, de foro compet.*

Regulares nõ possunt renunciare huic priuilegio.

100. Præterquam quòd hæc renunciatio non posset fieri absque præiudicio Sanctæ Sedis, à qua priuilegia emanarunt: vt patet ex capite, *Cum tempore, de arbitris*, & Panormitano ibidem numero secundo. Non posset etiam fieri nisi in præiudicium Fidelium, & cum detrimento salutis animarum, vt declarant Literæ Apostol. maximè Pauli V. an. 1606. quæ clarè enunciant priuilegia illa Regularibus esse concessa in diuini cultus fauorem, & fidei augmentũ, & propagationem. Non possunt autè renunciare iuis

Digitized by Google

priuilegiis, aut eorum vſui in præiudicium aliorum, præſertim verò generale, & publicum. Atque, vt rectè ait Gloſſa capitis *Si diligenti*, tit. de Exceptionibus, *Illi iuri, quod eſt tantùm introductum in fauorem aliquorum* (id eſt ad ipſorum priuatum commodũ, & vtilitatem) *bene poteſt quis renunciare: ſed ſi aliquod ius introductum eſt in fauorem aliquorum pro publica vtilitate ipſorum, nullus illi iuri renunciare poteſt.* Tale autem eſt ius Regularibus conceſſum audiendi confeſſiones fidelium quouis tempore, & loco, prædicandi verbum Dei, & alia ſacra miniſteria obeundi: conceſſum, inquam, non modò ad publicum bonum totius Ordinis: verùm etiã totius Eccleſiæ. Quocirca nullus eorum poteſt huic iuri, aut eius vſui renunciare: ac ne quidem ſuprema poteſtas Ordinis, vel Generalis Capituli conſenſus: maximè verò ſi ex tali renunciatione, & non-vſu priuilegiorum immineat graue damnum Eccleſiæ circa fidem, vel bonos mores: vt ſi ea de cauſa abſtineant Fideles à frequenti confeſſione, & communione: minùs exactè impleant præceptum annuæ confeſſionis, & communionis: minùs ſincerè confiteantur, priuati libertate confitendi priuilegiatis quibus volent: vel ſi ea occaſione inducantur in errorem Ioannis de Poliaco, & aliquorum Schiſmaticorum huius temporis, dubitantium de auctoritate, & ſuprema poteſtate Eccleſiaſtica ſummi Pontificis in concedendis huiuſmodi priuilegiis.

101. Quaſi verò non eadem auctoritate poſſit illa concedere, quâ alia tam multa conceſſit Regibus noſtris Chriſtianiſſimis, & Eccleſiæ Gallicanæ, aliiſque ſupremis Principibus, & regnis, & Prælatis, aut Eccleſiis particularibus, & Capitulis exemptis, & Vniuerſitati Pariſienſi, aliiſque Academiis, & ſupremis Senatibus, & Iudicibus Auguſtalibus, libellorum Supplicum Magiſtris, aliiſque habentibus indulta Pontificia, quæ omnia non-niſi à Sede Apoſtolica emanarunt: quæque, ſi aliquis negaret eſſe valida, grauibus pœnis coercendus eſſet, veluti ſtatus Eccleſiaſtici, & Ciuilis perturbator, Sanctæque Sedi ſupra modum iniurioſus, adimens illi poteſtatem, quâ omnes aliæ ſupremæ Dominationes, imò & multæ ſubalternæ fruuntur, concedendi ſcilicet ſubditis ſuis priuilegia, & exemptiones à lege communi. Vt quando Reges ver. gra. aliquos eximunt à iuriſdictione ordinaria, illiſque dant Iudices Auguſtales, ſiue libellorum ſupplicum Magiſtros, ſiue alios, ad quos omnes illorum, & poſterorum cauſæ pertineant, vel quando aliquos eximunt à tributis, & ſimilibus oneribus publicis, quibus iure communi ſubeſſent. Quando Prælati cauſas aliquorum ad ſe euocant, dant facultatem erigendi in propriis domibus Oratoria, & ſimilia.

Non poteſt negari, omnia à ſumm. Pontifice concedi.

102. Exempla antiquiſſima huiuſmodi priuilegiorum Regularibus conceſſorum à Summis Pontificibus vide apud S. Hieronymum epiſtola 60. & 62. vbi teſtatur in ſuo Bethlehemitico Monaſterio quinque fuiſſe preſbyteros, qui ſuo iure poterant baptizare. Vbi nota quod ait, *ſuo iure*; ſignificat enim his verbis eos hoc miniſterium exercuiſſe non iure alterius Epiſcopi, aut Parochi, ipſis delegato: ſed iure à Papa conceſſo, quod proprium per conceſſionem Apoſtolicam perpetuò valituram vocabatur. Et Ioannes Papa III. anno 592. Indictione X. de Monaſterio Sueſſionenſi Sancti Medardi ſic ſtatuit: *Ne vileſcat tantæ ſublimitatis locus, nullius ditioni patimur ſubeſſe, ſed ius rectores, & filii, præſentes, & ſucceſſuri, tantùm ſub Regum cuſtodia poſiti, ad monitionem Sancti Petri, & ſucceſſorum huius ſanctæ Romanæ Sedis Pontificum quælibet prædicent.* Quod S. Gregorius Magnus confirmauit libro 7. Regiſtri, epiſtola 33. Indictione 1. imò etiam auxit libro 5. epiſtola 27. Indictione 14. & libro 7. epiſtola 18. Indictione 1. & cauſa 16. quæſtione 1. capite *Ex auctoritate*, in fine ſic ait: *Sacerdotibus Monachis, Apoſtolorum figuram tenentibus, liceat baptizare, prædicare, communionem dare, pro peccatoribus orare* (publica videlicet oratione) *pœnitentiam imponere, atque peccata ſoluere.* Quod Sanctus Bonifacius IV. paulò poſt approbauit, vt habetur capite *Sunt nonnulli*, vbi laudat optimum in Monachis priuilegiorum præfatorum exercitium: aitque, credere ſe, ligandi, ſoluendique officium dignè ab illis adminiſtrarit quia, inquit, *Quanto quis eſt celſior, tanto eſt in his potentior.* *rum Regularium antiquiſſima*

Addo denique in dubio, num poſſit hoc, aut illud priuilegium concedi à Supremo Principe Eccleſiaſtico, aut Ciuili, dubii iſtius deciſionem ad ſolum Principem ſpectare: nullique ſubditorum licitam eſſe, vt bene docet Silueſter verb. *Interpretatio*, quæſt. 2. & probat ex cap. 1. *De translatione Prælatorum*, & cap. *Qui autem*, 17. q. 1. & cap. *Cuncta per mundum*, 9. q. 3. Idemque docent Panormitanus in cap. *Cùm veniſſet*, de Iudiciis, & Miranda in Manuali Prælatorum quæſt. 44. art. 1. concluſ. 1.

SECTIO IX.

Amplior confirmatio Doctrinæ præcedentibus ſectionibus propoſitæ.

103. LVbet ad ampliorem veritatis ſup. traditæ confirmationem, inſerere hoc loco ſcriptum ante aliquot annos propoſitũ Eminentiſſimo Cardinali de Rez Pariſienſi Epiſcopo, à Regularibus eiuſdem vrbis communi eorum conſenſu: quo tum ipſi, tum Parochis ab eo poſtulantibus, vt impediret ne Regulares tempore Paſchali ſæcularium confeſſiones audirẽt, pleniſſimè ſatisfactũ fuiſſe dicitur. Spero enim fore, vt aliis quoq; Prælatis, & Parochis pari ſinceritate, maturitate, & æquitate animi rem expendẽtibus, nõ minùs

satisfaciat: sitque vtile futurum in præsens, & deinceps, quoties illa contentio inter parochos, & Regulares per zizaniorum satores renouabitur: præsertim cùm ab eò tempore accesserint aliæ declarationes authenticæ, & summorum Pontificum constitutiones, quas partim hic addidimus, partim superiori sectione retulimus. Et scriptum adeo accuratum, tantæque eruditionis, dignissimum esse mihi videtur, vt diutiùs conseruetur, posterorum memoriæ. Titulus eius est: *Propositio nouem firmata præsidiis*: Regulares Ordinum Mendicantium ab Episcopis approbati, cæterique eadem gratia gaudentes in sacra confessione, vbique, etiam extra suas domos, & quocunque, etiam paschali tempore, ex potestate sibi à Pontificibus, & Conciliis legitimè delegata, licentiâ Parochorum minime requisitâ, possunt absoluere fideles quoscunque sæculares, extraneos, parochianos, valentes, aut infirmos; qui sic Dei, & Ecclesiæ præcepto satisfaciant, nec teneantur iterum confiteri.

PRIMVM PRAESIDIVM.

Concessio Summorum Pontificum.

104. ITa pronunciant imprimis summi Pontifices, qui de plenitudine auctoritatis suæ Apostolicæ, ad Dei gloriam, & solatium animarum, potestatem illam Regularibus delegare voluerunt. Gregorius IX. anno Dom. 1234. & 1238. Bulla 6. & 10. Prælatis omnibus Ecclesiarum præcepit, vt Regulares Mendicantium Ordinum sacras peccatorum confessiones liberè audire permittant. Illudque ipsum successores eius ad hæc vsque tempora ordinarunt, extenderunt, confirmarunt constitutionibus suis in Bullario Regularium editis, aut indicatis à Roderico, impresso Antuerpiæ apud Petrum, & Ioannem Belleros, an 1616. & Lugduni, apud Horatium Cardon 1613. Nimirum Innocentius, IV. Bulla vt ipse numerat 21. Alex. IV. Bulla 24. Clemens IV. Bulla 10. Martinus IV. Bulla 2. Bonifacius VIII. Bulla 1. Benedictus XI. Extrauag. *Inter cunctas*, Clemens V. in Clementina *Dudum*, *de sepulturis*: Ioannes XXII. Extrauagante, *Vas electionis*: Eugenius IV. Bulla 22. Nicolaus V. Bulla 2. Sixtus IV. Bulla 11. & 14. §. 50. Leo X. Bulla 22. & 45. Paulus III. Bulla 7. & 8. Paulus IV. Bulla 3. Pius IV. Bulla 2. Pius V. Bulla 7. num. 2. 3. 4. & 30. Gregorius XIII. Bulla 1. & 26. Sixtus V. Bulla 14. Clemens VIII. Bulla 1. Et in Breui, *Significatum fuit nobis*: Paulus V. Bulla 23. quæ incipit, *Inter audactas*, & alii, qui vel in particulari id expresse decernũt, vel certè in genere, vt quatuor iam proximè nominati, dum generaliter omnia, etiã viuæ vocis Oracula, & quocũque alio modo concessa Regularibus omnibus Priuilegia confirmant. Pro omnibus rem totã aliqui propiores ætati nostræ definiant.

105. Eugenius IV. Bulla 22. quæ incipit, *Commissum nobis coelitus*, edita anno 1438. sic pronunciat: *Quicunque deputati confessores idonei quorumcunque vtriusque sexus fidelium confiteri volentiũ, quoties cunque ipsis placuerit, confessiones audire liberè, & licitè possint, ac valeat, Dioecesanorum locorum, ac Rectorum Ecclesiarum parochialium, & aliorum quorumcunque, quorum ipsi Christi fideles, parochiani, vel subditi fuerint, & alterius cuiuscunque super hoc licentiâ, vel assensu minimè requisitis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus.* Paulus III. Bulla 8. quæ incipit, *Licet debitum*, data an. 1549. quam sua quoque auctoritate Paulus IV. Bulla 3. *Cum sicut*, & Pius IV. Bulla 2. *Exclementi*, confirmarunt; sic loquitur: *Concedimus vniuersis vtriusque sexus fidelibus, vt cuilibet de Societate prædicta, ex deputatis fratribus possint confiteri, rectoris sui licentiâ minimè requisitâ, cui non teneantur eadem peccata de quibus confessi & absoluti fuerint, rursus confiteri.* Pius verò V. in Motu proprio anni 1567. qui incipit, *Etsi Mendicantium*, sic habet: *Per totum orbem*, inquit, *omnium vtriusque sexus fidelium deputatis confessores, confessiones etiam infirmorum, vbilibet, etiam extra domos fratrum, audire liberè possint, Apostolica auctoritate decernimus. Statuimus etiam quòd ille, qui semel in vna dioecesi admissus per Episcopum fuerit, semper in eadem dioecesi habeatur pro admisso, nec amplius examinari, vel præsentari in dicta dioecesi debeat, tam quoad prædicationes habendas, quàm quoad confessiones audiendas. Rebelles cuiuscunque status, per quascunque poenas, appellatione postposita, compescendo, etiam inuocato desuper brachio sæculari, si opus fuerit.* Et Clemens VIII. in Breui, *Significatum fuit nobis*, dato ad Episcopum Tricaricensem an. 1592. *Præsenti nostro decreto sancimus sæculares Christi fideles vniuersos, tam fratribus Prædicatoribus, & Presbyteris Societatis Iesu, quàm aliis priuilegiatis, idoneis tamen, & ab Ordinario approbatis, peccata sua, etiam quadragesimali, & Paschali, & quouis alio tempore, confiteri licitè posse.*

Quæ & similia non fuerunt reuocata à Gregorio XIII. vel ab eius successoribus, vt ex Clemente VIII. patet, imò verò confirmata sunt omnia, cùm iuri communi, & Concilii Tridentini decretis non aduersentur. Ac ne quidem à Gregorio XV. in sua Constitutione, que incipit, *Inscrutabili*, de priuilegiis exemptorum, an 1622. Hanc enim, approbante S. D. N. Vrbano Papa VIII. an. 1623 Sacra Congregatio Cardinalium censuit spectare tantùm religiosos, quibus est cura commissa animarum sæcularium; non autem alios quibus sua relinquuntur integra priuilegia in sacramentis administrandis.

SECVNDVM PRAESIDIVM.

Canones Iuris Antiqui.

106. IDem secundo loco stabiliunt sacri Canones. Nam Causa 16. q. 1. can. *Ex auctoritate*, S. Gregorius Mag sic statuit: *Sacerdotibus Monachis, Apostolorum figuram tenentibus, liceat poenitentiam imponere, atque peccata soluere.*

Digitized by Google

Ibidemque can. sequenti *Sunt nonnulli*, Bonifacius IV. sic loquitur : *Sunt nonnulli nullo dogmate fulti, audaciſsimè quidem zelo magis amaritudinis quàm dilectionis inflammati, aſſerentes Monachos, quia mundo mortui ſunt, & Deo viuunt, ſacerdotalis officii potentiâ indignos, neque pœnitentiam, neque chriſtianitatem largiri, neque abſoluere poſſe per ſacerdotalis officii diuinitus ſibi iniuncti poteſtatem. Sed omnino labuntur.* Et inferiùs : *Credimus à ſacerdotibus Monachis ligandi, ſoluendique officium Deo operante dignè adminiſtrari.* Et in fine eiuſdem capitis addit : *Decertantes igitur monaſticæ profeſsionis Presbyteros ſacerdotalis potentiæ arcere officio, omni modo præcipimus vt ab eiuſmodi nefandis auſibus reprimantur in poſterum : quia quantò quiſque eſt celſior, tanto eſt & in his potentior.* Præterea in Extrauagante *Super cathedram*, inter communes; & in Clementina *Dudum*, de Sepulturis. Bonifacius VIII. & Clemens V. auctoritate Apoſtolica ſtatuunt, & ordinant, vt Regulares Epiſcopis debitè præſentati, confeſsiones ſibi confiteri volentium audire liberè valeant. Item in Extrauagante, *Vas electionis, de hæreticis*, inter communes, Ioannes XXII. eandem facultatem Mendicantibus priùs conceſſam, vt ait, ab Alexandro IV. Bulla 24. *Cùm olim temerè*, & à Clemente IV. Bulla 10. *Quidam temerè*, iterum concedit atque confirmat, audiendi ſcilicet ſæcularium confeſsiones etiam ſine parochorum conſenſu : additurque, Regularibus cõfeſsos nulla ratione teneri eadem peccaa parocho confiteri.

107. Neque obſtat caput, *Omnis vtriuſque ſexus, de pœnitentiis, & remiſsionibus.* à Concilio Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. an 1215. conſtitutum, quo præcipitur vt fideles omnia ſua peccata ſemel in anno proprio ſacerdoti confiteantur : vel alieno cum licentia proprii ſacerdotis. Hoc enim ita ſtatuit, vt qui confeſsi fuerint alicui poteſtatem ordinariam, aut delegatam habenti in foro pœnitentiæ, cenſeantur confeſsi proprio ſacerdoti, vel alieno, obtentâ licentiâ : à proprio ſacerdote. Siue proprium ſacerdotem dicas Parochum, non excludendo ſuperiores Prælatos, qui omnium iudicio ſupponuntur ex ſuo officio, atque iuriſdictione magis abſoluta, & per ſe & per alium quemcunque ſubditis ſuis ſacramenta poſſe miniſtrare, cap. *His quibus, de officio iudicis ordinarii* : Siue potiùs proprium voces ſacerdotem, legitimum quemque paſtorem : Papam videlicet in vniuerſa Eccleſia, Epiſcopum in ſua Diœceſi, & Curatum in propria parœcia, prout iura, & Doctores declarant, vt rectè ait Synodus Lingonenſis anni 1452. Et meritò quidem : quia ſicut Curatus per ſe, & per alios ſacerdotes idoneos, poteſt ſuos abſoluere parochianos; ſic etiam Epiſcopus eiuſque Vicarius generalis, diœceſanos omnes : & potiori iure ſummus Pontifex, tanquam Vniuerſalis, ac legitimus Eccleſiæ Paſtor, catholicos omnes, vti commiſſum ſibi à Domino (non ſecus ac Petro) gregem abſolutè, atque immediatè, per ſeipſum, & per quoſlibet alios ligare poteſt, ac ſoluere ſine proprii, ſeu ſpecialis paſtoris licentia : vt oſtendit generalis, & vbique recepta conſuetudo. Habent enim non tantùm Epiſcopi, ſed & potiſſimum Romani Pontifices, caſus grauiores ſibi ſpecialiter reſeruatos, Pœnitentiarios à ſe conſtitutos, & alios quoſcumque delegatos tam ſæculares, quàm religioſos : in regnis præterea Nuncios Apoſtolicos, in Prouinciis ſanctæ ſedis Legatos, & in Iubilæis vbique omnes ſacerdotes approbatos : qui vel ex officio, vel ex Priuilegio aut commiſſione, vel Pontificio Diplomate, Parochorum, aut aliorum inferiorum, conſenſu non requiſito, fideles omnes ad ſe venientes abſoluant, non ſolùm à reſeruatis criminibus, ſed etiam ab aliis omnibus, quæcunque voluerint ipſis confiteri.

Neque verò iſta Prælatorum abſoluta poteſtas, aut delegatio eſt contraria conſtitutionibus Innocentii III. aut decretis Concilii Lateranenſis IV. aut iuri Pontificio : quin potiùs eſt omnino conſentanea. Cùm idem Pontifex Innocentius III. in eodem Concilio Lateranenſi IV. & eodem anno 1215. eodemque iure Pontificio, præcipiat Epiſcopis vt alios ad hoc diuinum miniſterium idoneos adſciſcant, cap. *Inter cætera, de Officio iudicis Ordinarii*, his verbis : *Præcipimus tam in Cathedralibus, quàm in aliis Conuentualibus eccleſiis, viros idoneos Ordinari, quos Epiſcopi poſsint, coadiutores, & cooperatores habere, non ſolùm in prædicationis officio, verùm etiam in audiendis confeſsionibus, & pœnitentiis iniungendis, ac cæteris, quæ ad ſalutem pertinent animarum.* Alia verò Iuris loca, ſi quo modo pugnare videntur, vel ea non ſunt vſu recepta, vel per poſteriora ſunt explicata, vel certè diſtinguenda de iuriſdictione ordinaria temerè non vſurpanda : & de poteſtate delegata ſæpè conceſſa religioſis ſacerdotibus, ad audiendas ſæcularium confeſsiones. 108.

TERTIVM PRAESIDIVM.

Decreta Cõciliorum generalium, & particularium Eccleſiæ Gallicanæ.

109. IDem tertio loco decernunt Concilia tum generalia, tum etiam Prouincialia Eccleſiæ Gallicanæ : Viennenſe ſub Clemente V. ab omnibus receptum, in Clementina *Dudum, de Sepulturis*, an. 1311. & Lateranenſe V. ſub Leone X. an. 1516. in conſtitutione, *Dum intra mentis arcana*, ſeſſ. 11. in qua, pro pace atque concordia, & pro communi regni Franciæ bono, conſtabilita ſunt Concordata inter ipſummet Leonẽ X. & Franciſcum I Franciæ regem. In illis autem

vtriusque Concilii generalis ordinationibus vno ore, ac sensu sic fermè loquentur præfati Pontifices: *Sacro approbante Concilio statuimus, & ordinamus, vt Regularium sacerdotes per suos superiores præsentati Prælatis, vel etiam incebiè recusati, de plenitudine potestatis Apostolicæ, in ipsorum Prælatorum ciuitatibus, & Diœcesibus, vicinisque locis, quoscunque, etiam forenses, & infirmos, ac decedentes sibi confiteri volentes, liberè licitéque audire & absoluere valeant, talibusque præsentatis admissis, vel etiam incebiè recusatis confitentes, Constitutioni, quæ incipit, Omnis vtriusque sexus, quoad confessionem dumtaxat satisfecisse censeantur.*

His omnino conforme est Concilium Trident. sess. 23. cap 15. de Reformatione, sub Pio IV. an. 1563. vbi nullam prorsus Parochorum, aut diœcesanorum licentiam ad confessiones audiendas exigit à Regularibus: sed tantùm debitam idoneorum approbationem: sicut illa duo prædicta Concilia, coram Episcopis præsentationem requirũt. Neque reuocat vlla Regularium priuilegia suis decretis non contraria cap. 22. de Regularib. sess. 25. sub eodem Pio IV. eodem anno 1563. sed illa firmat omnia, in eadem sessione 25. cap. 20. superiori, *de Regularibus*, sub eodem quoque Pio IV. ac eodem anno. 1563. his verbis: *In cæteris omnibus præfatorum Ordinum priuilegia, & facultates, quæ ipsorum personas, loca, & iura concernunt, firma sint, & illæsa.*

110. Præter hæc, inter Synodalia Ecclesiæ Gallicanæ statuta, multa recensentur, quæ in regularibus ab Episcopo approbatis ad sacrum hoc ministerium, potestatem agnoscunt delegatam, & sufficientem sine Parochorum licentia: vt in Andegauensi ann. 1291. Lingonensi 1452. Carnotensi 1526. Senonensi 1528. Parisiensi 1557. Remensi 1581. Trecensi, 1582. Bituricensi 1584. Aquensi 1585. Sufficiet duo pro omnibus audire, Lingonense, *Mandamus, inquit, Ecclesiarum rectoribus, quòd diebus Quadragesimæ Dominicis habeant illud statutum, Omnis vtriusque sexus, publicare, & exponere suis parochianis; sobriè tamen loquendo, subiungendo, quòd Mendicantes nobis præsentati possunt audire confessiones liberè.* Senonense verò sic pronunciat: *Mendicantes idonei, Suffraganeis nostris in suis diœcesibus præsentati iuxta canones Conciliorum, & Romanorum Pontificum decreta, confessiones sibi confiteri volentium liberè audire possint.* Aliqua porro, si minùs fauere videantur, ea vel à sancta Sede non fuerunt approbata, vel sunt emendata, & ad formam Concilii Tridentini reducta, vel per contrarias summorum Pontificum constitutiones, ab eo tempore datas, correcta: vel denique iuxta Iuris, & sacrorum Canonum expositionem antea relatam sunt explicanda.

QVARTVM PRAESIDIVM.

Declaratio Cardinalium, & assensus Prælatorum Galliæ.

111. IDem quarto loco declarant Sacræ congregationis Cardinales Eminentissimi, in registro Declarationum, quas originales, & authenticas, ac deinde in Romana Typographia expressas an. 1623. vidisse testatur August. Barbosa Protonotarius Apostolicus, lib. 1. Iuris ecclesiastici cap. 43. Ex quibus aliqua illustriora, & ad rem maximè pertinentia referre sufficiet. Primò igitur anno 1587. & 1594. sic statuunt: *Regulares qui ad confessiones audiendas idonei generaliter ab Ordinariis, eorumue examinatoribus reperti, & probati fuerint, generaliter quoque & indistinctè, absque vlla limitatione temporis, certorumue locorum, aut generis personarum, admittantur in Diœcesi propria:* Iterum anno 1587. Sacra Congregatio statuit, vt circa sæcularium confessiones à Fratribus Mendicantibus audiendas seruetur decisio Congregationum sacri Concilii Tridentini: corriganturque Ordinarii qui in articulo mortis id prohibẽt fieri, vel in licentiis concessis excipiunt. Et sanè prudenter: quoniam, vt loquitur Tridentinum sess. 14. cap. 7. *Ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei custodiuum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis: atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes, à quibuslibet peccatis, & censuris absoluere possunt.*

112. Deinde anno 1597. sæpius declaratum est, quòd Regulares semel examinati, & approbati pro idoneis ad audiendas confessiones, nequeant ab eodem Ordinario de nouo examinari. Eodemque anno 1597, & 1615. ac 1625. Eminentissimi Patres, sacræ Congregationis sic statuunt, ac decernunt: *Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, ad quos ius confessarios approbandi, spectat, confessarios Regulares, aliàs ab ipsis liberè approbatos ab audiendis confessionibus suspendere posthac minimè liceat, nisi ex noua causa, eáque ad confessionem pertinente facultatemque audiendi confessiones, omnibus simul vnius conuentus Regularibus confessariis eadem congregatione inconsulta, nullo pacto adimere possint.* Item an. 1600. 1605. & 1615. sacra Congregatio inter cætera declarauit, ab Ordinariis impediri non debere Regulares approbatos ad audiendas confessiones, quòminùs illas audire possint, etiam absque licentia Parochorum, in domibus Pœnitentiũ egrororũ, quando ab eis vocãtur. Et an. 1623 in declaratione Bullæ Gregorii XV. super priuilegiis Exemptorum, sacra Congregatio decreuit, vt illius constitutionis, Episcopos Regularibus, quibus non incumbit animarum cura personarum sæcularium, non posse præscribere, vt certis tantùm in locis, aut temporibus, aut certarum personarum confessiones audiant, vel alia illorum

Digitized by Google

priuilegia in administratione sacramentorum restringere, aut moderari.

113. Den que eodem anno 1623. in rescripto ad regulares Caluimontenses Diœcesis Lingonensis, eadem Congregatio respondit, Regulares semel à Diœcesano Episcopo simpliciter approbatos ad confessiones sæcularium audiendas, posse in diœcesi Episcopi approbantis, quouis anni tempore, etiam Paschali, & quorumcunque, etiam infirmorum confessiones audire absque alia Parochorum licentia; & eos qui Regularibus confitentur, satisfacere præcepto Ecclesiæ, nec teneri iterum in Paschate proprio Parocho confiteri. Quæ omnia similiter declarauit R. Episcopus Lingonensis an. 1620. exemplum secutus Illust. antecessoris sui Philip. qui præfuit Synodo Lingonensi an. 1452. Et verò etiam nunc in Gallia sequuntur idem exemplum Antistites reuerendissimi, Prælati piissimi, & Curiones vigilantissimi non pauci, qui pro maiore subditorum suorum solatio, ac spirituali bono, in hoc tam salutari munere Regularium non dedignantur opem, aut oblatam accipere, aut etiam vltro implorare.

114 Neque obest quòd aliquando Regulares dicantur audire posse confessiones sæcularium cum licentia, & approbatione Episcoporum. Tum quia ex hac clausula ostenditur manifestè, ad pium hoc ministerium, Regularibus non esse necessarium Parochorum consensum, de quo potissimum hic à nobis institutus est sermo. Tum etiam quia illa Episcoporum licentia non est distinguenda ab approbatione, quam ipsi, tanquam sedis Apostolicæ delegati, gratis dare debent Religiosis sibi debitè præsentatis, & per examen vel aliàs idoneis iudicatis, iuxta sacros Canones antiquos, & decreta Concilii Tridentini sess. 23. cap. 15. *de Reformatione*, quod sine speciali reuocatione nusquam voluit derogare iuri communi, aut Conciliis approbationem seu præsentationem idoneorum, vt conditionem sine qua non tantùm exigentibus: non autem vt causam, seu concessionem iurisdictionis, quam habent Regulares immediatè ab ipsis Conciliis, & Summis Pontificibus, vt approbati, vel idonei præsentati, confessiones audiant quorumcunque fidelium.

QVINTVM PRAESIDIVM.

Confirmatio S. D. N. Vrbani Papæ VIII

115. QVintò idem confirmant tres præcipuè literæ Apostolicæ S. D. N. Vrbani Papæ VIII. In quarum prima, cuius initium est, *In B. Petri sede, data, Non.* Iul. 1624. fauores aliquos à sancta Sede regularibus concessos Apostolica benignitate confirmat. In secunda quæ incipit, *Aliàs à felicis recordationis Gregorio XV.* data die 7. Febr. 1625. suspendit omnes, & singulos articulos Bullæ Gregorii XV. reuocantis aliqua Exemptorum priuilegia. In tertia planè aurea, & amplissima, quæ incipit, *Inplenitudinem potestatis Apostolicæ*, primò confirmat generaliter omnia priuilegia Fratrum Prædicatorum, & consequenter cæterorum Mendicantium, qui cum illis communicant. In specie autem ea, quæ tam ipse, quàm prædecessores eius Romani Pontifices concesserunt: vigintinouem enumeratis constitutionibus, tribus præsertim expressè nominatis, videlicet Bulla 14. Sixti IV. Bulla 22. Leonis X. & Bulla 7. Pij V. iam supra relatis in istius propositionis præsidio primo; quibus ampla facultas audiendi confessiones conceditur Regularibus. Secundò, innouat *Mare magnum* prædictorum fratrum Prædicatorum, cæterorumque Mendicantium. Tertiò demùm, approbat ipsorum priuilegiorum declarationes, & decreta à Sacræ Congregationis Cardinalibus pronunciata, quorum etiam aliqua indicata sunt in eiusdem propositionis præsidio quarto.

Huius autem tertiæ constitutionis Apostolicæ summa hæc est, sub eadem, sed abbreuiata verborum formula: *Inplenitudinem potestatis Apostolicæ, nullis nostris meritis, sed sola Dei benignitate assumpti, &c. Omnia, & singula priuilegia, exemptiones, libertates, confirmationes, facultates, indulgentias, gratias, & indulta quæcunque, tam spiritualia, quàm temporalia, dicto Prædicatorum Ordini, illiusque Magistris, &c. & præcipuè Prouinciæ Bæticæ Congregationibus, &c. coniunctim, vel separatim, in genere vel specie, etiam per solam signaturam, ad fauorem præfati Oratoris facta, & quæ suum sortita fuerunt effectum; aut aliàs tam per prædictos Romanos Pontifices, quàm etiam per Nos, & Sedem Apostolicam, sub quibuscunque verborum formis & expressionibus, ac cum quibusuis clausulis, & decretis quomodolibet concessa: necnon ipsorum priuilegiorum, & Indultorum declarationes, & decreta, à Congregationibus Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, desuper legitimè emanata: dummodo tamen huiusmodi priuilegia sint in vsu, nec hactenus reuocata, nec sub aliqua reuocatione comprehensa, sacrique Concilii Tridentini decretis minimè aduersentur, Apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus, confirmamus, & innouamus, ac denuò concedimus, illisque inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus: ac omnes & singulos, tam iuris, quàm facti, & quoscunque alios, quantumuis substantiales defectus, si qui desuper intercesserint, supplemus, & pro potiori Fratrum eiusdem Ordinis cautela, omnia, & singula priuilegia, &c. dicto Ordini concessa, & in specie illa, quæ in quibusdam prædecessorum nostrorum constitutionibus continentur, &c. ac etiam aliis à nobis emanatis Literis Apostolicis: Necnon & priuilegia, gratias, indulta, & immunitates, in literis Apostolicis, quæ appellantur Mare magnum, Ordini Prædicatorum, cæterorumque prædictorum Fratrum, auctoritate, & tenore præmissis, de nouo concedimus, seu impartiamur. Decernentes priui-*

116.

legia, *exemptiones, & inaulta huiusmodi, semper & perpetuò valida, & efficacia esse, & fore, atque à locorum Ordinariis, ac quibuscunque aliis, quauis auctoritate fungentibus inuiolabiliter & inconcusse obseruari*, &c. *Datum Romæ anno 1625. 3. Id. Maii.* Vbi nota, in posteriori parte huiusmodi Bullæ, *Nec non & priuilegia* &c. quâ approbatur Mare magnum, denuoque conceditur & innouatur, non apponi clausulam, *Dummodo tamen huiusmodi priuilegia sint in vsu* &c. quæ in priori parte posita fuerat. Tametsi hæc nobis non obesset, quia priuilegium de quo nunc disputamus, erat tunc, & adhuc est in vsu, neque fuerat reuocatum, vt ostendimus sup. num. 105. in fine: neque aduersatur decreti Concilii Tridentini, quod tantùm requirit in Regularibus aprobationem ad audiendas confessiones sæcularium.

117. Neque quicquam derogat eiusdem Pontificis constitutio, *Cùm sicut*, an. 1627. in forma Breuis expedita. Hanc enim ipsemet S. D. N. Vrbanus Papa VIII. mentis suæ fidelissimus interpres, in alia constitutione, quæ incipit, *Aliàs à nobis* ann. 1629 sic intelligendam esse declarauit, vt Regulares à prædecessoribus Episcopis examinati, & approbati ad confessiones sæcularium audiendas, à præsente Episcopo successore, pro maiori conscientiæ suæ quiete, possint quidem iterum examinari, & minùs idonei reprobari, iuxta præscriptum Pii V. Illi autem, quos ipsemet Episcopus ad confessiones eiusmodi audiendas semel admisit simpliciter, ac sine vlla temporis præfinitione, nullatenus possint ab eodem reprobari, sine noua causa, eaque confessiones ipsas concernente. Adde quòd fratres Ordinum Mendicantium à suis Superioribus idonei præsentati, aut approbati, non videntur illa priori constitutione, sicut nec prima posterioris istius parte comprehensi sed potiùs iure communi, & perpetuò approbati iuxta decretum Conciliorum generalium Viennensis, & Lateranensis V. & Benedicti XI. iuri communi insertum, & nunquam postea reuocatum, vt supra dictum fuit partim in præsidio tertio, & quarto, partim sect. 5. huius disp. num. 40. & 41.

Cæterum prædictarum omnium, atque aliarum plurimarum Sacræ Congregationis declarationum, & Constitutionum, S. D. N. Vrbani Papæ VIII. extat authenticum instrumentum in conuentu S. Dominici Rotomagensis iuxta Originales literas, quæ habentur in Camera Romana, & in eiusdem S. Dominici monasteriis prouinciæ Bæticæ.

PRAESIDIVM SEXTVM.

Censuræ opinionis aduersæ.

118. IDem sextò definiunt æquissimi iudices, Ecclesiastici, qui contrariam Ioannis de Poliaco, & cum illo aliquot alia pinionem, vt erroneam, temerariam, ac propemodum hæreticam damnant: Regularium autem omnino veram esse, atque catholicam asseuerant. Clemens IV. in sua constitutione: *Quidam temerè*, Bulla 10. an. 1265. primùm illos imprudentiæ, & temeritatis arguit, qui Regulares asserant, de licentia, vel concessione Summi Pontificis, sine Sacerdotum Parochialium licentia, & assensu, posse confessiones audire: & mox addit, *De Romano Pontifice præsumibile erroneum est dubitare, an in omnes, sine alterius consensu, imò inuitis quibuslibet, concedere possit absoluendi potestatem.* Ioan. XXII. Extrauag. *Vas electionis, de Hæreticis, inter communes*, an. 1320. adhibito Cardinalium, & Theologorum clarissimorum consilio, condemnat omnes, & singulos articulos Ioannis de Poliaco, tanquam falsos, erroneos, & à doctrina sacra deuios. Nempe is sacræ Theologiæ doctor in Facultate Parisiensi docebat perperam, confessos Fratribus habentibus licentiam generalem, teneri eadem peccata confiteri proprio sacerdoti, quem dicebat esse Parochialem Curatum: & stante statuto *Omnis vtriusque sexus*, à Romano Pontifice dari non posse facultatem generalem, quin Parochiani teneantur omnia peccata semel in anno rursus exponere parochiali Curato. Quibus Apostolica auctoritate confutatis, asserit Pontifex contrariam doctrinam veram esse, atque Catholicam: scilicet quòd confessi prædictis Fratribus non magis teneantur eadem peccata iterum confiteri, quàm si ea aliàs confessi fuissent proprio sacerdoti. Sixtus IV. in Constitutione, *Dum attenta meditatione*, Bulla 37. num. 12. an. 1476. refert, & damnat alios quosdam prædictis affines articulos, ab Eugenio IV. eadem Apostolica auctoritate damnatos, vtpote falsos similiter, erroneos, & sacris Canonibus penitus aduersantes: eorumque auctores tanquam hæreticos, & in fide suspectos esse pronunciat: qui nimirum vt fideles à Religiosis auocarent, palam aiebant, confessionem factam præsentatis, seu approbatis Regularibus dubiam esse, & incertam, atque adeo Parœcianos suis tantùm sacerdotibus curam animarum habentibus confiteri posse, ac debere sub pœna peccati mortalis. Parochianos item sine licentia proprii sacerdotis, id est, Parochi, vt ipsi interpretabantur, non habere potestatem accedendi ad ipsos Fratres: eosdem Mendicantes priuilegia petentes pro confessionibus audiendis, in peccato mortali omnes esse, & excommunicatos: Curatum denique licentiam Mendicantibus concedentem magis dissensare super statuto *Omnis vtriusque sexus*, quàm ipsum Papam delegantem.

119. Accedit censura Synodi Trecensis an. 1582. quæ temeritatis etiam damnat quosdam Parochos, qui in die Paschæ inhibebant parochianis sub pœna excommunicationis, ne corpus Christi recipiant, nisi fuerint sibi, vel potestatem ab eis habentibus

confeſſi. *Quæ quidem inhibitio temeraria videtur*, inquit, *quia quam plurimi Sacerdotes, atque Religioſi habent poteſtatem à S. D. N. Papa, & à D. Epiſcopo Trecenſi, audiendi confeßiones omnium ſibi confiteri volentium.* Ita habetur in Actis Synodalibus illius Concilii Prouincialis, & apud Boch. lib. 2. decretorum *Eccleſ. Gallic. tit. 7. de Pœnit.* Neque huic cenſuræ repugnat quod Sixtus IV. an. 1478. in Extrauagante *Vices illius, de Treuga & pace, inter communes*, præcipit, vt Mendicantes deſiſtant prædicare, *quòd parœciani non ſint obligati, ſaltem in Paſcha te confiteri proprio ſacerdoti: quia de iure tenetur parœcianus ſaltem in Paſcha, proprio confiteri ſacerdoti.* Id enim peropportunè ſtatuit, ad cõfouendam mutuam charitatem Curatos inter, & Religioſos: ſubiungens, *Per hoc tamen ipſi Fratres Mendicantes non cenſeantur excluſi, quò minùs ſecundum iuris communis, & priuilegiorum eiſdem conceſſorum, diſpoſitionem, confeßiones audire, & pœnitentias iniungere valeant.* Quibus verbis perpetuum omnibus ſilentium imponit: certoſque facit fideles, quocũque tempore, etiam Paſchali, Dei, & Eccleſiæ ſe ſatisfacere præcepto, ſiue confiteantur Parochis, inſtitutiſque à iure propriis ſacerdotibus, ſiue etiam delegatis ab eodem iure Regularibus.

SEPTIMVM PRAESIDIVM.

Iuſſa Principum, Edicta Regum, & Placita Curiarum.

120. SEptimò hoc priuilegium Regularibus, & aliis fidelibus ſubditis ſuis cõceſſum à Sede Apoſtolica, tuentur, & cauſam illorum ſuſcipiunt, quotquot Regulares cum ſuis priuilegiis pro communi ſæcularium bono benignè receperunt. Necnon Edicta Chriſtianorum Regum, qui ſicut à Deo conſtituti ſunt Eccleſiæ defenſores atque patroni, vt habetur in can. *Principes ſæculares*, 23. q. 5. Sic diuino cultui ſub regularis obſeruantiæ iugo mancipatos ſpeciali dignantur confouere patrocinio. Idem quoque tuentur Placita Curiarum, quibus ea eſt concredita poteſtas. Sit inſtar omnium ſupremi Senatus Pariſienſis decretum, à Choppino libro 2. de Sacra politia, titulo 8. numero 8. relatum, ad 14. Auguſti anno 1531. pro Fratribus Minoribus contra Diui Seuerini Curatum, & Archipreſbyterum: quo iudicatum eſt, iuxta conceſſionem Concilii Viennenſis, & Clementinam, *Dudum*, de Sepulturis, Regulares Prælato debitè præſentatos intra limites parœciæ confeſſiones audire, ſi, & quando requiſiti fuerint, & ad ægrotos confeſſionis causâ, tanquam pios animarum medicos liberè vocari poſſe, licentiâ à Parocho, aut eius vicariis minimè petita. Et certè contrarii videri nunquam poterunt Regii Senatores, quibus eſt magnopere commendatum, vt dum ſuis ipſi fruuntur Apoſtolicis Indultis, cæterorum etiam Eccleſiæ fidelium Apoſtolica priuilegia ſolicitè conſeruent, 23. q. 5. can. 21. & 26. Res enim humanæ aliter tutæ eſſe non poſſunt, niſi quæ ad diuinam cauſam pertinent, Regia, & Sacerdotalis defendat auctoritas, ait Leo Magnus.

OCTAVVM PRAESIDIVM.

Communis vſus, Conſuetudo immemorialis, & æquitas cauſæ.

SVperioribus adde, quòd iamdiu Chriſtiani populi gaudent hac immunitate ſibi benignè conceſſa. Quódque immemorialis quadringentorum, & ampliùs annorum conſuetudo fauoris illius vſum, poſſeſſionemque firmat. Quòd denique ius iſtud ab Apoſtolica Sede impetratum æquitas cauſa conſeruat. Sic enim decuit in tanta hominum, & animorum diuerſitate, ad excitandam pœnitentium frequentiam, corroborandam aliquorum imbecillitatem, augendâ aliorum conſolationem, fouendam multorum pietatem, & ſubleuandam omnium conſcientiam, plures ab Eccleſia proponi pios animarum medicos, & ſæculares, & regulares: tum vt, quod alioqui videretur grauius, confeſſionis onus imminuatur: tum vt, quam opem vnus ferre non poteſt commiſſæ multitudini ſacerdos proprius, cæteri omnes legitimè delegati neceſſariam ſubminiſtrent: tum etiam ne perutile, vel certè neceſſarium iis auferretur remedium, quos aut peccatorum grauitas, aut immoderatus pudor, aut nimia familiaritas, aut particularis auerſio, vel etiam diſcordia, aut alia infirmitas naturæ, cum magno ſalutis detrimento poſſet auocare, non tantùm à confeſſione facienda Parocho, vel ab eo commiſſis ſæcularibus, ſed etiam à petenda licentia: vt cum vberiore fructu, & ex recto pietatis affectu, cui vellent alteri, conſcientiæ maculas aperirent. 121.

Adde præterea, quòd tam de iure, quàm de conſuetudine, & per ſacros Doctores, ſunt multæ cauſæ, propter quas aliquis parochianus iuſtè poſſit recuſare ſuo Curato, aut Vicario confiteri, vt loquitur in Synodo Ingonenſi Philippus Epiſcopus, anno 1452. Qui propterea ibidem ordinat, in parochiis per Curatos publicari, confeſſiones liberè inſtitui poſſe apud Regulares approbatos. Neque verò id faciunt Epiſcopi, aut Romani Pontifices, in Curatorum præiudicium; quando nihil eis ſubtrahunt, quod in illorum fauorem, aut vtilitatem ſit principaliter ordinatum: ſed præſtant potiùs maximum beneficium, dum eos illo onere grauiori liberant, permittuntque fideles vti ſuo iure, quod ipſis conceſſum eſt in ſuam ſalutem, & commodum. 122.

Neque vrget, quòd per ſimilitudinem dicatur paſtor, agnoſcere debere vultum pecoris ſui; aut quòd Parochus adminiſtraturus ſacram Euchariſtiam, ſcire debeat

legia, exemptiones, & indulta huiusmodi, semper & perpetuò valida, & efficacia esse, & fore, atque à locorum Ordinariis, ac quibuscunque aliis, quauis auctoritate fungentibus inuiolabiliter & inconcusse obseruari, &c. Datum Romæ anno 1625. 3. Id. Mail. Vbi nota, in posteriori parte huiusmodi Bullæ, *Nec non & priuilegia &c.* quâ approbatur Mare magnum, denuoque conceditur & innouatur, non apponi clausulam, *Dummodo tamen huiusmodi priuilegia sint in vsu &c.* quæ in priori parte posita fuerat. Tametsi hæc nobis non obesset, quia priuilegium de quo nunc disputamus, erat tunc, & adhuc est in vsu, neque fuerat reuocatum, vt ostendimus sup. num. 105. in fine: neque aduersatur decreti Concilii Tridentini, quod tantùm requirit in Regularibus aprobationem ad audiendas confessiones sæcularium.

117. Neque quicquam derogat eiusdem Pontificis constitutio, *Cùm sicut*, an. 1627. in forma Breuis expedita. Hanc enim ipsemet S. D. N. Vrbanus Papa VIII. mentis suæ fidelissimus interpres, in alia constitutione, quæ incipit, *Aliàs à nobis* ann. 1629 sic intelligendam esse declarauit, vt Regulares à prædecessoribus Episcopis examinati, & approbati ad confessiones sæcularium audiendas, à præsente Episcopo successore, pro maiori conscientiæ suæ quiete, possint quidem iterum examinari, & minùs idonei reprobari, iuxta præscriptum Pii V. Illi autem, quos ipsemet Episcopus ad confessiones eiusmodi audiendas semel admisit simpliciter, ac sine vlla temporis præfinitione, nullatenus possint ab eodem reprobari, sine noua causa, eaque confessiones ipsas concernente. Adde quòd fratres Ordinum Mendicantium à suis Superioribus idonei præsentati, aut approbati, non videntur illa priori constitutione, sicut nec prima posterioris istius parte comprehensi, sed potiùs iure communi, & perpetuò approbati iuxta decretum Conciliorum generalium Viennensis, & Lateranensis V. & Benedicti XI. iuri communi insertum, & nunquam postea reuocatum, vt supra dictum fuit partim in præsidio tertio, & quarto, partim sect. 5. huius disp. num. 40. & 41.

Cæterum prædictarum omnium, atque aliarum plurimarum Sacræ Congregationis declarationum, & Constitutionum, S. D. N. Vrbani Papæ VIII. extat authenticum instrumentum in conuentu S. Dominici Rotomagensis iuxta Originales literas, quæ habentur in Camera Romana, & in eiusdem S. Dominici monasteriis prouinciæ Bæticæ.

PRAESIDIVM SEXTVM.

Censura opinionis aduersæ.

118. IDem sextò definiunt æquissimi iudices, Ecclesiastici, qui contrariam Ioannis de Poliaco, & cum illo aliquorum pinionem, vt erroneam, temerariam, ac propemodum hæreticam damnant: Regularium autem omnino veram esse, atque catholicam asseuerant. Clemens IV. in sua constitutione *Quidam temerè*, Bulla 10. an. 1265. primùm illos imprudentiæ, & temeritatis arguit, qui Regulares asserant, de licentia, vel concessione Summi Pontificis, sine Sacerdotum Parochialium licentia, & assensu, posse confessiones audire: & mox addit, *De Romano Pontifice præsumibile erroneum est dubitare, an in omnes, sine alterius consensu, imò inuitis quibuslibet, concedere possit absoluendi potestatem.* Ioan. XXII. Extraueg. *Vas electionis, de Hæreticis, intra communes*, an. 1320. adhibito Cardinalium, & Theologorum clarissimorum consilio, condemnat omnes, & singulos articulos Ioannis de Poliaco, tanquam falsos, erroneos, & à doctrina sacra deuios. Nempe is sacræ Theologiæ doctor in Facultate Parisiensi docebat perperam, confessos Fratribus habentibus licentiam generalem, teneri eadem peccata confiteri proprio sacerdoti, quem dicebat esse Parochialem Curatum: & stante statuto *Omnis vtriusque sexus*, à Romano Pontifice dari non posse facultatem generalem, quin Parochiani teneantur omnia peccata semel in anno rursus exponere parochiali Curato. Quibus Apostolica auctoritate confutatis, asserit Pontifex contrariam doctrinam veram esse, atque Catholicam: scilicet quòd confessi prædictis Fratribus non magis teneantur eadem peccata iterum confiteri, quàm si ea aliàs confessi fuissent proprio sacerdoti. Sixtus IV. in Constitutione, *Dum attenta meditatione*, Bulla 37. num. 12. an. 1476. refert, & damnat alios quosdam prædictis affines articulos, ab Eugenio IV. eadem Apostolica auctoritate damnatos, vtpote falsos similiter, erroneos, & sacris Canonibus penitus aduersantes: eorumque auctores tanquam hæreticos, & in fide suspectos esse pronunciat: qui nimirum vt fideles à Religiosis auocarent, palam aiebant, confessionem factam præsentatis, seu approbatis Regularibus dubiam esse, & incertam, atque adeo Parœcianos suis tantùm sacerdotibus curam animarum habentibus confiteri posse, ac debere sub pœna peccati mortalis. Parochianos item sine licentia proprii sacerdotis, id est, Parochi, vt ipsi interpretabantur, non habere potestatem accedendi ad ipsos Fratres: eosdem Mendicantes priuilegia petentes pro confessionibus audiendis, in peccato mortali omnes esse, & excommunicatos: Curatum denique licentiam Mendicantibus concedentem magis dissensare super statuto *Omnis vtriusque sexus*, quàm ipsum Papam delegantem.

119. Accedit censura Synodi Trecensis an. 1582. quæ temeritatis etiam damnat quosdam Parochos, qui in die Paschæ inhibebant parochianis sub pœna excommunicationis, ne corpus Christi recipiant, nisi fuerint sibi, vel potestatem ab eis habentibus

confeſſi. *Quæ quidem inhibitio temeraria videtur*, inquit, *quia quam plurimi Sacerdotes, atque Religioſi habent poteſtatem à S. D. N. Papa, & à D. Epiſcopo Trecenſi, audiendi confeſſiones omnium ſibi confiteri volentium.* Ita habetur in Actis Synodalibus illius Concilii Prouincialis, & apud Boch. lib. 2. decretorum *Eccleſ. Gallic. tit. 7. de Pœnit.* Neque huic cenſuræ repugnat quod Sixtus IV. an. 1478. in Extrauagante *Vices illius, de Treuga & pace, inter communes*, præcipit, vt Mendicantes deſiſtant prædicare, *quòd paroeciani non ſint obligati, ſaltem in Paſchate confiteri proprio ſacerdoti: quia de iure tenetur paroecianus ſaltem in Paſcha, proprio confiteri ſacerdoti.* Id enim peropportunè ſtatuit, ad cõfouendam mutuam charitatem Curatos inter, & Religioſos: ſubiungens, *Per hoc tamen ipſi Fratres Mendicantes non cenſeantur excluſi, quò minùs ſecundum iuris communis, & priuilegiorum eiſdem conceſſorum, diſpoſitionem, confeßiones audire, & pœnitentias iniungere valeant.* Quibus verbis perpetuum omnibus ſilentium imponit: certoſque facit fideles, quocũque tempore, etiam Paſchali, Dei, & Eccleſiæ ſe ſatisfacere præcepto, ſiue confiteantur Parochis, inſtitutiſque à iure propriis ſacerdotibus, ſiue etiam delegatis ab eodem iure Regularibus.

SEPTIMVM PRAESIDIVM.

Iuſſa Principum, Edicta Regum, & Placita Curiarum.

120. SEptimò hoc priuilegium Regularibus, & aliis fidelibus ſubditis ſuis cõceſſum à Sede Apoſtolica, tuentur, & cauſam illorum ſuſcipiunt, quotquot Regulares cum ſuis priuilegiis pro communi ſæcularium bono benignè receperunt. Necnon Edicta Chriſtianorum Regum, qui ſicut à Deo conſtituti ſunt Eccleſiæ defenſores atque patroni, vt habetur in can. *Principes ſæculares*, 23. q. 5. Sic diuino cultui ſub regularis obſeruantiæ iugo manciparos ſpeciali dignantur conſouere patrocinio. Idem quoque tuentur Placita Curiarum, quibus ea eſt concredita poteſtas. Sit inſtar omnium ſupremi Senatus Pariſienſis decretum, à Choppino libro 2. de Sacra politia, titulo 8. numero 8. relatum, ad 14. Auguſti anno 1531. pro Fratribus Minoribus contra Diui Seuerini Curatum, & Archipreſbyterum: quo iudicatum eſt, iuxta conceſſionem Concilii Viennenſis, & Clementinam, *Dudum*, de Sepulturis, Regulares Prælato debitè præſentatos intra limites parœciæ confeſſiones audire, ſi, & quando requiſiti fuerint, & ad ægrotos confeſſionis cauſâ, tanquam pios animarum medicos liberè vocari poſſe, licentia à Parocho, aut eius vicariis minimè petita. Et certè contrarii videri nunquam poterunt Regii Senatores, quibus eſt magnopere commendatum, vt dum ſuis ipſi fruuntur Apoſtolicis Indultis, cæterorum etiam Eccleſiæ fidelium Apoſtolica priuilegia ſolicitè conſeruent, 23. q. 5. can. 21. & 26. Res enim humanæ aliter tutæ eſſe non poſſunt, niſi quæ ad diuinam cauſam pertinent, Regia, & Sacerdotalis defendat auctoritas, ait Leo Magnus.

OCTAVVM PRAESIDIVM.

Communis vſus, Conſuetudo immemorialis, & æquitas cauſæ.

SVperioribus adde, quòd iamdiu Chriſtiani populi gaudent hac immunitate ſibi benignè conceſſa. Quòdque immemorialis quadringentorum, & ampliùs annorum conſuetudo fauoris illius vſum, poſſeſſionemque firmat. Quòd denique ius iſtud ab Apoſtolica Sede impetratum æquitas cauſæ conſeruat. Sic enim decuit in tanta hominum, & animorum diuerſitate, ad excitandam pœnitentium frequentiam, corroborandam aliquorum imbecillitatem, augendã aliorum conſolationem, fouendam multorum pietatem, & ſubleuandam omnium conſcientiam, plures ab Eccleſia proponi pios animarum medicos, & ſæculares, & regulares: tum vt, quod alioqui videretur grauius, confeſſionis onus imminuatur: tum vt, quam opem vnus ferre non poteſt commiſſæ multitudini ſacerdos proprius, cæteri omnes legitimè delegati neceſſariam ſubminiſtrent: tum etiam ne perutile, vel certè neceſſarium iis auferretur remedium, quos aut peccatorum grauitas, aut immoderatus pudor, aut nimia familiaritas, aut particularis auerſio, vel etiam diſcordia, aut alia infirmitas naturæ, cum magno ſalutis detrimento poſſet auocare, non tantùm à confeſſione facienda Parocho, vel ab eo commiſſis ſæcularibus, ſed etiam à petenda licentia: vt cum vberiore fructu, & ex recto pietatis affectu, cui vellent alteri, conſcientiæ maculas aperirent. 121.

Adde præterea, quòd tam de iure, quàm de conſuetudine, & per ſacros Doctores, ſunt multæ cauſæ, propter quas aliquis parochianus iuſtè poſſit recuſare ſuo Curato, aut Vicario confiteri, vt loquitur in Synodo Ingonenſi Philippus Epiſcopus, anno 1452. Qui propterea ibidem ordinat, in parochiis per Curatos publicari, confeſſiones liberè inſtitui poſſe apud Regulares approbatos. Neque verò id faciunt Epiſcopi, aut Romani Pontifices, in Curatorum præiudicium; quando nihil eis ſubtrahunt, quod in illorum fauorem, aut vtilitatem ſit principaliter ordinatum: ſed præſtant potiùs maximum beneficium, dum eos illo onere grauiori liberant, permittuntque fideles vti ſuo iure, quod ipſis conceſſum eſt in ſuam ſalutem, & commodum. 122.

Neque vrget, quòd per ſimilitudinem dicatur paſtor, agnoſcere debere vultum pecoris ſui; aut quòd Parochus adminiſtraturus ſacram Euchariſtiam, ſcire debeat

parochianos suos esse ritè dispositos. Hanc enim cognitionem tutiùs plerumque habere potest, vel ex eo tantùm, quòd certior fiat parochianos alicui delegato confidentiùs fuisse confessos: cùm alioquin ipsimet confiteri coacti sua sacrilegè possent occultare delicta, quæ nec ipse, nec alius per vim extorquere valeret. Vel etiam faciliùs notitiam illam accipit ab ipsis submissè petentibus debitam Sanctæ Eucharistiæ, aut aliorum sacramentorum participationem, ad quam eos admittere tenetur, significantes se iam paratos per Dei gratiam, suisque peccatis esse solutos ab alio legitimam potestatem habente. Nam in foro interno cuilibet, & pro se, & contra se credendum est, vt sapientiores aiunt cum D. Thom. opusculo 19. cap. 4.

NONVM PRAESIDIVM.

Approbatio Doctorum, etiam secularium, & Facultatis Parisiensis.

123. ACcedant denique postremo loco ad veritatis huius approbationem, & pleniorem confirmationem, Iuris canonici & Theologiæ Doctores grauissimi, etiam sæculares, in hac causa minimè suspecti, & plerique Parisienfis Academiæ, quos citat, & sequitur insignis inter eos Theologus Philip. Gamachæus doctor Sorbonicus in tract. de Pœnit. cap. 18. assert. 2. Ioan. Gerson imprimis, lib. 2. in Euangelium D. Marci, & de Statibus ecclesiasticis 1. parte tit. 3. 4. 5. Et de potestate ecclesiastica consideratione 12. Item 2. parte, in regulis moralibus tit. de Pœnit. Ioan. Maior in 4. dist. 17. q. 6. & 7. Almainus ibid. q. 1. vterque læcularis Doctor in Facultate Parisiensi: Item Vivaldus Iurisconsultus in Candelabro, tit. de Confess. num. 27. & 28. Gabriel in 4. dist. 17. quæst. 2. Nauar. in Manuali cap. 27. num. 263. qui duo postremi non fuerunt de numero Regularium illorum ad quos spectabat istius delegationis vsus, vt bene notat Gamachæus eos citans, vbi supra. Addendi sunt etiam Genebrardus ex Doctore & Professore Parisiensi factus Archiepiscopus Aquensis cap. 26. Liturgiæ, Durandus Episcopus Anicienfis in 4. dist. 17. quæst. 12. Solerus de iuridica potestate Confess. cap. 16. Quaranta in Bullario v. *Confessor*, & v. *Priuilegia Regularium*, Augustin. Barbosa Protonotarius Apostolicus 2. parte Pastoralis solicitudinis. Alleg. 25. & lib. 1. Iuris ecclesiastici vniuersi cap. 43. Rebuffus in caput *Omnis vtriusque sexus*, Calderinus consilio 37. Choppinus lib. 2. Monast. tit. 1. n. 30. & lib. 2. de Sacra politia, tit. 8. n. 8. aliique quamplurimi doctrina, pietate, religione, dignitate viri clarissimi.

124. Sufficiet vnum ex illis audire Ioannem Gerson. in Vniuersitate Parisiensi celeberrimum Doctorem, & Cancellarium, qui si fortè (& in vno quidem tantùm opere, vbi etiam, & in summo Pontifice agnoscit generalem delegandi potestatem, & in Regularibus ex priuilegio delegatam) quasi dubitando videri possit aduersatus huic veritati: sibi ipsi in ea acerrimè tuenda, cùm pluribus in locis, tum in hoc potissimum factus est aduersarius, 1. parte de Statibus Ecclesiast. tit. 4. consideratione 5. Status, inquit, Priuilegiatorum, & omnium generaliter Religiosorum (quos superiori tit. 3. consider. 15. ibid. ait tanquam Coadiutores missos, habentes à Superioribus licentiam prædicandi, & confessiones audiendi) hoc habet, vt idonei præsentati ad Prælatum Diœcesanum, valeant in locis suis confessiones audire Diœcesanorum, & eos absoluere cum tali potestate, & in casibus talibus, quemadmodum Curati Parochiales ordinarii constituuntur. Ibidem consideratione sexta affirmat confessos priuilegiatis, non teneri inuitos eadem peccata amplius confiteri, pluriesquam si suis Curatis eadem confessi fuissent. Hoc enim per Ioannem XXII. fuit declaratum, & vsus communis hoc obtinuit. Ibid. consideratione 7. addit Parochos non debere à confessis alicui priuilegiatorum nouam extorquere confessionem de iisdem peccatis; nec prohibere parochianos, cùm talia voluerint eis confiteri: nec eisdem parochianis sacramentum Eucharistiæ, sicut nec alia denegare, quandocunque constabit Regularibus fuisse confessos, vt ibidem clarissimè supponit.

125. Quidni demum hac etiam in causa Theologorum, & Doctorum princeps D. Thom. audiatur? Nempe cùm is Angelicus Doctor, vt habetur in præfatione, & in cap. 4. Opusculi 19. de mandato Clementis IV. diuinum opus, quod est inter eius opuscula, approbatum ab Apostolica sede, pro legitima delegatione Regularium ediderit: damnatâ per Pontificem aduersariorum doctrinâ, & post obtentam diuinitus victoriam, Diuino planè inspirante numine Parisios Anagnia rediens, omnes illius operis articulos in celeberrima Parisiensium Academia publicè, solemniterque disputatos, ipse firmauit: ac tandem acclamantibus, & consentientibus omnibus hanc sententiam literis aureis scribendam in hæc fere verba pronunciauit opusculo 19. cap. 4. in fine, *Papa non destruit ecclesiasticam hierarchiam, cum mittit Regulares in vineam Domini, ad prædicandum, & confessiones audiendas. Quia sicut in cœlesti hierarchia, officium aliquod inferiori committere potest superior Angelus: sic in ecclesiastica, ministerium aliquod subditis delegare potest Christi Vicarius, cui (vt ait Cyrillus) omnes inre diuino caput inclinant.*

Digitized by Google

SECTIO X.

De miniſtro ſacramenti circa caſus reſeruatos.

126. Superiores poſſunt caſus aliquos ſibi reſeruare.

SVppono 1. ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 7. & ex antiquo vſu Eccleſiæ, poſſe ſuperiores reſeruare ſibi aliqua peccata, à quibus non poſſint inferiores abſoluere. Cuius poteſtatis fundamentum eſt duplex. Primum, quòd ad abſoluendum à peccatis in ſacramento Pœnitentiæ neceſſaria ſit iuriſdictio. Secundum, quòd iuriſdictio Eccleſiaſtica inferiorum pendeat à ſuperioribus: vel quia ab illis communicatur; quo pacto omnes alii habent iuriſdictionem à ſummo Pontifice: vel quia ſaltem illis ſubordinatur; quo pacto iuriſdictio Parochorum ſubordinatur Epiſcopis, licet non illam accipiant ab Epiſcopis, ſed à ſummo Pontifice, qui inſtituit officium Parochorum. Hinc ſequitur ſummum Pontificem poſſe limitare iuriſdictionem quorumcunque aliorum: alios verò ſuperiores, non niſi ſuorum inferiorum in hoc foro & delegantes, reſpectu eorum, quos delegant. Quare ipſi quoque Parochi poſſunt reſeruare cùm delegant. Quod tamen non faciunt, quia eorum reſeruatio parum vtilis eſſet: nam delegati à Parochis poſſent facilè abſoluere ab eiuſmodi caſibus auctoritate Epiſcopi.

127. Quæ peccata poſſint reſeruari?

Poſſunt autem reſeruari non modò peccata mortalia, ſed etiam venialia: quia ad illa quoque remittenda per abſolutionem neceſſaria eſt iuriſdictio. Idemque dico de peccatis mortalibus iam remiſſis. Sed hæc parum vtiliter reſeruarentur, cùm non ſit obligatio illa confitendi. Neque poſſunt reſeruari ab alio, quàm à ſummo Pontifice: quia Prælati ipſo inferiores non poſſunt limitare iuriſdictionem ab ipſo, & ab Eccleſia conceſſam omnibus abſoluendi à venialibus, cum tacita prohibitione oppoſiti. Non enim poſſunt Prælati inferiores reſeruare caſus inuitis ſuperioribus. Eamque ob cauſam Prælati Religioſorum non poſſunt reſeruare alios caſus, quàm permiſſos à Clemente VIII. qui eorum poteſtatem reſtrinxit ad certa quædam peccata, & certum modum reſeruandi. Qua de re videri poteſt Cardin. Delugo diſp. 20. ſect. 4. Item non tantùm reſeruari poſſunt peccata externa, ſed etiam purè interna: quæ tamen non ſolent reſeruari, quia non expedit, aut non eſt neceſſarium ad bonũ regimen Prælatorum, quod ſpectat reſeruatio. Quando autem reſeruantur peccata externa, actus quoque internus illis coniunctus pariter reſeruatur. Item, non ſolùm reſeruantur peccata quæ habent cenſuram annexã, ſed etiam alia, vt patet ex praxi communi Epiſcoporum. Communiter tamen peccata ſummo Pontifici reſeruata habent annexam excommunicationem, propter quam reſeruantur, excepto vno, aut altero, de quibus vide Suarem diſp. 29. ſect. 2. n. 4. & 5. eâque ſublatâ ceſſat reſeruatio. Et qui ob ignorantiam non incurrerunt cenſuram peccando, non ſubiacent reſeruationi. Pontifex tamen non ſibi reſeruat tantùm excommunicationem, ſed etiam peccatum ipſum propter illam. Vnde qui bona fide confitetur inferiori de peccatis huiuſmodi Papæ reſeruatis, licet ab illis abſoluatur, non ſublata excommunicatione: tenetur tamen de illis confiteri Papæ, aut alteri habenti poteſtatem ab ipſo. Quia prior abſolutio fuit tantùm indirecta, defectu poteſtatis abſoluendi ab huiuſmodi caſibus, ſtante excommunicatione, vt fuſiùs docet, & probat auctor citatus num 8. & ſequentibus.

128. Reſeruatio quomodo & quando facienda?

Suppono ſecundò, reſeruationem, vt fiat licitè, debere fieri ex cauſa rationabili, in ædificationem, & non in deſtructionem, vt ait Trident. cap. cit. Valet tamen quãuis fiat illicitè, & ſine iuſta cauſa, ſaltem ab iis, à quibus communicatur iuriſdictio: quæ ſi reipſa non conceditur, non valet abſolutio. Non conceditur autem, quando negatur, vel aufertur: quamuis iniuſtè negetur, vel auferatur. Alia tamen fortè eſt ratio de Parochis reſpectu Epiſcopi, & ſimilibus habentibus ordinariam iuriſdictionẽ à ſummo Pontifice, quam fortè Epiſcopus non poteſt ſine iuſta cauſa reſtringere, vel adimere; vt probabiliter multi affirmant. Omnino autem non poteſt reſtringere, aut adimere, Regularibus exemptis ab eius iuriſdictione. Finis verò, vel iuſta cauſa, propter quam fit reſeruatio, eſt bonum regimen, & medicina ſpiritualis ſubditorum, ad impediendum ne tam facilè committantur grauiora illa crimina, quorum per reſeruationem difficilior redditur abſolutio. Aliquando etiam reſeruatio ſtatuitur in pœnam. Et tunc quando ſtatuitur tantùm in pœnam, probabilius eſt non ligare eos qui ignorant talem pœnam extraordinariam fuiſſe impoſitam: neque infantes vſque ad ætatem quâ ſubſunt pœnis Eccleſiaſticis, iuxta ea quæ diximus alibi diſputando de Legibus.

129. Abſolutio à reſeruatis poteſt dari dupliciter: directè, vel indirectè.

Suppono tertiò, dupliciter poſſe dari abſolutionem à peccatis reſeruatis. Primò, directè: quando quis abſoluit, habens iuriſdictionem ordinariam aut delegatam circa illa, ita vt ipſi non ſint reſeruata. Secundò, indirectè, quando quis in aliquo caſu abſoluit validè ab aliis peccatis, in quæ habet iuriſdictionem: & conſequenter, per accidens tantùm & indirectè à reſeruatis, ſine quibus non poteſt validè abſoluere ab aliis, quia neque vnum mortale poteſt remitti ſine alio: neque veniale ſine mortali coniuncto.

130. Quis poſſit directè ab illis abſoluere?

His ſuppoſitis quæritur primò, quis poſſit directè abſoluere à caſibus reſeruatis?

Reſpondeo primò, illum ipſum qui reſeruauit. Quia nemo ſibi ipſi reſeruat, neque reſeruare poteſt: cùm non ſit ſibi ipſi ſubditus: reſeruatio autem eſt actus ſuperioris reſpectu inferioris in foro poenitentiæ. Secundò, eius æqualem aut ſuperiorem in hoc foro, & in ordine ad eandem

causam. Quia nemo potest æquali aut superiori adimere potestatem absoluendi: sed omnis reseruatio est à superiore respectu inferioris. Quare si Episcopus reseruauit, potest absoluere eius successor, aut Summus Pontifex. At non alius Episcopus, neque etiam proprius eius Archiepiscopus, nisi quando actu visitat: Nam alioqui non est eius superior in hoc foro. Tertiò, cum quem vel ipse, vel eius æqualis, aut superior in hoc foro delegauerit ad absoluendum à reseruatis. Quicunque enim habet ordinariam iurisdictionem ad absoluendum, potest illam alteri delegare: sufficitque iurisdictio delegata ad absoluendum à reseruatis, æquè ac à non reseruatis. Potest autem delegari vel à iure, vel ab homine: & vel immediatè ipsi confessario, vel mediante pœnitente cui concessa sit facultas eligendi confessarium, à quo absoluatur à reseruatis.

131. Vbi notandum est primò, non censeri delegatam potestatem absoluendi à reseruatis, si superior dicat solùm confessario se dare illi potestatem audiendi confessiones, aut se illi concedere suam authoritatem & potestatem: vel si dicat solùm pœnitenti, se dare illi facultatem eligendi confessarium: vt declaratum est cap. *Si Episcopus, de Pœnit. & Remiss. in 6.* quia in generali concessione illa non veniunt quæ non esset quis verosimiliter in specie concessurus: vt dicitur eodem cap. Qua etiam de causa si Episcopus dat tantùm facultatem absoluendi à casibus sibi reseruatis; non censetur loqui de illis qui habent censuram annexam: quia de illis est specialis difficultas. Hæc autem omnia intelligè, nisi ex aliis adiunctis & circunstantiis concessionis plus intelligi possit, explicando iuridicè verba concessionis ore aut scripto factæ.

Tollit potest reseruatio extra confessionem.

Nota secundò, eum qui habet pōtestatem ordinariam absoluendi à reseruatis, posse tollere reseruationem etiam extra confessionem sacramentalem. At verò qui habet tantùm delegatam, non potest eam tollere, nisi intendendo absoluere sacramentaliter. Exceptis casibus tantùm reseruatis propter annexam excommunicationem. Nam potest, etiam extra confessionem, absoluere ab excommunicatione: & consequenter tollere reseruationem, quæ cessat excommunicatione sublata.

132. Episcopi possunt ab illis absolui per confessarium quem eligunt.

Nota tertiò, Episcopos, aliosque Prælatos, qui à iure habent facultatem eligendi confessarium *cap. fin. de Pœnit. & Remiss.* posse per illum absolui ab omnibus casibus, à quibus ipsi possunt alios ordinaria potestate absoluere: vt colligitur ex eodem cap. Idque verum est etiam de Prælatis religiosis, nisi per specialia eorum iura peccatum inferioris Prælati sit reseruatum superiori, vt fit in quibusdam Religionibus. In quo casu certum est Prælatum inferiorem non posse absolui per confessarium quem eligit, à peccato reseruato Superiori. Nam sicut ex vi capitis citati, Episcopi non habent facultatem eligendi confessarium, à quo absoluantur à casibus reseruatis Papæ: sic neque Prælati religiosi habent ex illo facultatem eligendi confessarium, per quem possint absolui à reseruatis suo superiori. Atque hoc non negat Suares disp. 27. sect. 2. num. 10. vt nonnulli imaginantur. Nam ibi non loquitur de facultate absoluendi à reseruatis: sed solùm de facultate eligendi simpliciter confessarium: quo priuilegio ait gaudere quoque Prælatos regulares vi capitis cit. nisi illi derogetur per statuta, vel priuilegia religionis, à Summo Pontifice approbata. Similiter autem Vicarius Episcopi potest eligere confessarium, per quem absoluatur à casibus, à quibus ipse potest ordinaria iurisdictione absoluere vice Episcopi. Cùm enim possit delegare ad absoluendum pro tota communitate: potest etiam ad absoluendum seipsum, cùm ipse sit pars communitatis. Ac sicut potest absolui ab eo quem ipse delegauit ad absoluendum à non reseruatis: ita & ab eo quem delegauerit ad absoluendum ab omnibus, siue reseruatis, siue non reseruatis. Nulla enim est ratio cur ipse, æquè ac omnes alii totius diœcesis, non possit ab illo absolui.

133. Et ab occultis Papæ reseruatis.

Nota quartò, quod diximus, posse Episcopos eligere confessarium, à quo absoluantur à peccatis reseruatis, in quæ ipsi habent iurisdictionem ordinariam; verum etiam esse de casibus occultis Papæ reseruatis, à quibus ipsi possunt absoluere ex concessione Concilii Trident. sess. 24 cap. 6. de reformat. vbi permittitur Episcopis, *in quibuscunque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, delinquentes quoscunque sibi subditos, in diœcesi sua per seipsos, aut Vicarium specialiter ad id deputatum, in foro conscientiæ gratis absoluere, imposita pœnitentia salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro cōscientiæ eis tantùm, non eorum Vicariis sit permissum.* Nam quòd Episcopi possint ab iisdem casibus omnibus, adeóque etiam ab hæresi occulta, absolui per confessarium, quem elegerint, declarauit Congregatio Cardinalium verbis relatis à Suare disp. 30. sect. 2. n. 15. Per Episcopos autem quibus id permittitur, non sunt intelligendi alii Prælati, qui non sunt veri Episcopi, saltem confirmati & habentes iurisdictionem Episcopalem. Nam quòd alii Prælati non-Episcopi, licet exempti, & habentes quasi Episcopalem iurisdictionem, non gaudeant hoc priuilegio absoluendi à casibus occultis Papæ reseruatis, declaratum fuit à Congregatione Cardinalium, vt refert Suares ibidem num. 6. & habetur in declarationibus cum textu Concilii editis Lugduni anno 1640. ad sess. 24. cap. 6. de reformat. num. 1. vbi dicitur, in hoc decreto Tridentini, non comprehendi inferiores habentes iurisdictionem ordinariam & quasi Episcopalem; sed tantùm Episcopos priuatiuè quoad omnes alios, Id est, verè Episcopos, vel Capitulum

tium ſede vacante ſuccedens in iuriſdictionem Epiſcopi. Aliorum verò Prælatorum ſubditi, atque etiam Religioſi de conſenſu ſui ſuperioris, poſſunt abſolui ab iiſdem caſibus per Epiſcopum in cuius diœceſi habitant. Nam ſunt aliquatenus eius ſubditi: & in hac cauſa fauorabili, debent cenſeri inter ipſius ſubditos, & comprehendi hac particula generali decreti, *Quæcunque ſibi ſubditos in diœceſi ſuâ.*

134. Epiſcopus quomodo poteſt abſoluere ab hæreſi occultat

Aduertendum etiam eſt diſcrimen inter alios caſus occultos, à quibus poteſt Epiſcopus ſiue per ſeipſum, ſiue per Vicarium generalem, aut alium à ſe ſpecialiter ad id deputatum abſoluere: & inter hæreſim occultam, à qua non poteſt niſi per ſeipſum abſoluere: Quod tamen Sanches lib. 2. in Decalogũ, capite vndecimo, numero vigeſimo tertio, & ſequentib. & Granado 2.2. tractatu decimo quinto, diſputatione decima quarta, ſectione ſecunda, numero ſeptimo, intelligunt hoc ſenſu, quòd Epiſcopus non poteſt per alium, cui generaliter det facultatem abſoluendi ab hæreſi occultat non autem quòd non poſſit committere caſum particularem, quando occurrerit, ſiue alteri, ſiue Vicario ſuo generali, ita vt tunc ſpecialiter, & non generaliter, tribuat ei vices ſuas. Aduertendum quoque eſt hanc facultatem abſoluendi ab hæreſi occulta fuiſſe ademptam Epiſcopis per bullam Cœnæ, in cuius fine additur, *vt ab illis caſibus, nulla perſona eccleſiaſtica, etiam Epiſcopali vel maiori dignitate prædita, abſoluere poſsit, prætextu cuiuſcunque facultatis, etiam per cuiuſuis Concilii decreta in genere vel in ſpecie conceſſa.* Propter quæ verba congregatio Cardinal. expreſſe declarauit, *Epiſcopum non poſſe abſoluere hominem hæreticum in foro conſcientiæ, licet hæc facultas à Concilio ſit ei conceſſa.* Nimirum quia fuit per hæc verba bullæ Cœnæ reuocata. Licet contrarium ſentiant Henriq. libro ſexto, cap. decimo quarto, quæſtione ſeptima, lit. M. & alii quos citat. Quæ tamen reuocatio non habet locum in Gallia, tum quia bulla Cœnæ non fuit ibi recepta. Tum etiam quia in Gallia non eſt inſtitutum officium Sanctæ Inquiſitionis. Vbi autem tale officium non eſt inſtitutum, Epiſcopi ipſi ſunt inquiſitores nati: adeoque habent ius abſoluendi ab hæreſi, etiam manifeſta, per ſe vel per alios à ſe delegatos, iuxta cap. 17. de hæreticis. Qua de re plura Laiman lib. 1. tract. 5. parte 2. cap. 5. Nauarrus in Conſilio de conſtit. quæſt. 14. num. 41. & 42. Rodrigues tom. 1. quæſt. regular. quæſt. 20. art. 10. Vialdus in Candelabro aureo, de abſolutione num. 12. & Andreas Victorellus in annotat. ad Toletum libro 4. cap. 4.

135. Et ab excõmunicatione contra percuſſores Cleric.

Nota quintò, concedi etiam Epiſcopis cap. *Mulieres*, cap. *Ea noſcitur*, & cap. *Quamuis*, *de ſententia excommunicationis*, vt poſſint cum certis conditionibus abſoluere certas perſonas ab excommunicatione lata in percuſſores clericorum, can. *Si quis ſuadente diabolo*: vt vitentur pericula animarum, quæ tales perſonæ incurrerent, ſi diù manerent ſine abſolutione, propter impedimentum, quod habent, recurrendi ad Summum Pontificem. Quæ ratio cùm locum habeat in omnibus aliis caſibus Papæ reſeruatis, ideo Theologi communiter ad illos eandem facultatem extendunt: Et non tantùm ad caſus habentes annexam excommunicationem, ſed etiam ad alios, ſi qui alii reſeruantur Summo Pontifici: vt bene docet Suares diſp. 30. ſect. 3. nu. 11. & Delugo diſp. 20. ſect. 10. n. 223. Quare vi huius conceſſionis, poſſunt abſolui per Epiſcopum ab huiuſmodi caſibus mulieres, pueri, ſenes, valetudinarii, pauperes, & alii qui propter legitimum impedimentum non poſſunt adire Summum Pontificem. Si tamen impedimentum non eſt perpetuum, excepto pueritiæ impedimento, tenentur comparere poſtea illo ceſſante: debentque ad id obligari à confeſſario ſub iuramento. Item ſi ſit copia Legati Pontificis, vel alterius qui à Pontifice habeat facultatem abſoluendi ab huiuſmodi caſibus: probabilius eſt, quicquid aliqui dicant, debere pœnitentem ad ipſum recurrere: quia non poteſt abſolui ab Epiſcopo, niſi in caſu neceſſitatis, quæ tunc ceſſat præſente alio. De caſibus verò reſeruatis aliis Prælatis inferioribus Summo Pontifice, non eſt facta talis conceſſio, vt poſſint directè ab alio abſolui. Quia non eſt par neceſſitas, & impotentia recurendi ad illos: aut tam rarò occurrit, vt illius ratio habenda non fuerit in ſtatuenda lege generali. Si tamen eſſet, & frequenter occurreret, deberet ob paritatem rationis ad illos extendi: niſi ſpecialiter à Prælatis prouideretur tali neceſſitati.

136. Peregrini & Viatores quomodo abſoluendi à reſeruatis.

Nota ſextò, peregrinos & viatores, qui ex tacita facultate Prælatorum, conſuetudine introducta, & ab Eugenio IV. approbata, habent licentiam confitendi confeſſariis locorum in quibus verſantur, eſſe in foro conſcientiæ iudicandos more aliorum, qui illis in locis commorantur. Quare ſi habent caſus reſeruatos in ſuo Epiſcopatu, qui non ſint reſeruati in loco vbi confitentur: poſſunt ab illis abſolui per confeſſarios illius loci, quamuis non habeant poteſtatem abſoluendi à reſeruatis. Quia non ſunt ibi reſeruati: ideoque poſſunt ibi abſolui à quolibet habente poteſtatem in caſus non-reſeruatos: cum more incolarum eiuſdem loci in hoc foro iudicandi ſint. Contra verò, licet non ſint reſeruati in ipſorum Epiſcopatu: ſi tamen ſunt reſeruati in loco vbi confitentur: non poſſunt ibi ab illis abſolui per eos, qui non habent poteſtatem abſoluendi à reſeruatis: quicquid nonnulli contra opinentur. Quia, vt dixi, debent ibi iudicari in foro conſcientiæ, more incolarum eiuſdem loci. Excipe caſum, quo quis ibi confiteretur ſuo Parocho, aut delegato à ſuo Parocho, vel Epiſcopo proprio qui talem

casum non reseruauit. Hic enim cùm non habeat iurisdictionem ab Episcopo loci in quo reseruatur, non impeditur ab absoluendo per illius reseruationem. Si verò casus sint reseruati in vtroque Episcopatu: manifestum est peregrinos viatores non posse ibi ab illis absolui, nequidem per proprium Parochum, aut per delegatum, non habentem facultatem in reseruatos.

137. Quilibet sacerdos potest ab illis absoluere in articulo mortis.

Vlteriùs, in articulo mortis (& idem est de probabili periculo, vt alibi diximus) quilibet sacerdos habet ab Ecclesia potestatem absoluendi à quibusuis casibus & censuris, vt docet antiqua consuetudo Ecclesiæ, & confirmat Tridentinum sessione decima quarta, cap. septimo, adeoque in eo casu directè ab illis absoluit. Quod tamen, vt ibidem diximus, intelligendum est in casu necessitatis, deficiente scilicet alio qui aliunde habet facultatem absoluendi ab illis, ad quem commodè recurri possit. Probabilius enim est non posse alium ab illis absoluere, si iste commodè possit & velit. Item intelligẽdum est præcipuè de censuris impedientibus absolutionem sacramentalem: cuiusmodi sunt excommunicationes. De aliis verò, quæ non debent necessariò tolli, si fieri potest, ante absolutionem, putant aliqui cum Suare non esse datam hanc facultatem, quæ solùm conceditur propter necessitatem. Sed verius puto verba illa Concilii, *à quibusuis censuris*, esse generaliter intelligenda vt sonant: æquè ac particulam, *à quibusuis casibus*. Item eiusmodi tenentur, si conualescant, sistere se superiori, aut alteri habenti facultatem, propter excommunicationem, aut aliam censuram: non vt ab illa absoluantur, quia iam sunt absoluti, sed vt accipiant pœnitentiam conuenientem, si illi videbitur: debentque moneri à confessario de illa obligatione, si fieri potest. Cui si non parent, reincidunt in excommunicationem, iuxta caput, *Eos qui*, *de sententia excommunicat.* Sique antea erant vitandi ob excommunicationem nominatim denunciatam, vel ob manifestam percussionem clerici; debent iterum vitari, postquam manifestè constiterit de inobedientia & transgressione voluntaria huius obligationis, quæ transgressio est causa cur reincidant. Vlteriùs si satisfactio partis læsæ necessaria est: debent priusquam absoluantur satisfacere si possunt. Sin minùs: debet ab illis exigi cautio pignoratitia, vel fideiiussoria: vel si hæc non potest, saltem iuratoria.

138. Regulares in itinere quomodo absoluendi.

Solent etiam Prælati regulares concedere Religiosis facultatem vt si iter agendo incidant in casum reseruatum, possint ab illo absolui à confessariis, cum onere sistendi se postea superiori: de qua facultate diximus disputatione quadragesima nona, sectione sexta: possunt etiam iidem virtute Iubilæi derogantis eorum priuilegiis contrariis, vt sæpe fit, eligere confessarium ab Episcopo approbatum, per quem absoluantur à reseruatis. Sed non est verum, quod aliqui dicunt, posse idem facere virtute Bullæ Cruciatæ, vt fusè & solidè ostendit Delugo disputatione vigesima, sect. 9. idque tam clarè & expresse declaratum est Bullis aliquorum Pontificum ab ipso relatis, & præcipuè Vrbani VIII. vt de eo amplius non possit rationabiliter dubitari.

139.

Nota septimò, Regulares per sua priuilegia habere facultatem, ex concessione & delegatione Summi Pontificis, absoluendi à multis casibus reseruatis. Quæ facultas non adimitur, neque suspenditur per Bullam Iubilæi anni sancti, quæ non reuocat facultates absoluendi à reseruatis, nisi datas indulgentiarum causa: vt exprimitur in ipsis Bullis: & Vrbanus VIII. qui hanc particulam omiserat in Bulla Iubilæi anni millesimi sexcentesimi vigesimi quinti, eandem esse suam mentem declarauit. Neque etiam per Bullam Cruciatæ, quæ non reuocat facultates concessas Ordinibus religiosis: sed tantùm concessas ecclesiis, monasteriis, hospitalibus locis piis, confraternitatibus, & personis particularibus. Qua de re plura videri possunt apud Delugo disp. cit. sect. 8. n. 145. & 146.

140. Absolutio à reseruatis tempore Iubilæi.

Nota vltimò, eos qui virtute Iubilæi absoluunt à reseruatis, posse ab illis absoluere non modò intra tempus Iubilæi, sed etiam extra, dummodò confessio fuerit inchoata intra tempus Iubilæi, & absolutio fuerit dilata. Tuncque puto probabilius esse, quidquid dicat Delugo disputatione vigesima, numero centesimo trigesimo quarto, talem absolui posse à reseruatis, etiam illis quæ post elapsum tempus Iubilæi commiserit, quia non est elapsum, sed prorogatum respectu istius: & prorogatur simul facultas concessa, quanta fuit intra tempus communiter præscriptum aliis: quo tempore peccata reseruata intra illud commissa poterant remitti virtute Iubilæi, vt fatetur Delugo. Confirmatur, quia alioqui sacerdos electus, non habens aliunde iurisdictionem in talem pœnitentem, non posset illum absoluere à mortalibus, quæ post elapsum tempus commune Iubilæi commisisset. Item, licet aliquis fuerit semel absolutus, si nondum alia omnia præstitit ad lucrandum Iubilæum præscripta, & interim incidit in casum reseruatum, potest virtute Iubilæi ab illo absolui. At non si omnia peregit. Quia non potest bis iubilæum consequi. Sufficit autem ad vsum huius facultatis absoluendi à reseruatis, quòd quis intra tempus Iubilæi concipiat animum illius lucrandi, & incipiat confiteri, quamuis vltimo eius die id faciat: mutatis aliis, aut dilatis in tempus sequens ex præscripto confessarii, vt Bulla ei permittit. Item, si quis habens intentionem lucrandi Iubilæum, confessus est

Digitized by Google

de reseruatis, & absolutus: tenet absolutio: quamuis postea mutato animo non impleat alia præscripta, & necessaria ad Iubilæum consequendum. Quia absolutio non fuit illi data sub conditione de futuro, si illa impleret. Et hactenus de potestate absoluendi directè à reseruatis. Iam de indirecta dicendum superest.

SECTIO XI.

An, & quando dari possit indirectè absolutio à reseruatis?

QVæritur secundò, an quis possit aliquando absoluere indirectè à reseruatis. Ratio dubitandi est, quia Trident. sess. 14. cap. 7. sic ait: *Extra articulum mortis* (in quo vt supra diximus, dat Ecclesia omnibus sacerdotibus potestatem directè absoluendi à quibusuis casibus propter necessitatem) *sacerdotes cùm nihil possint in casibus reseruatis, id vnum pœnitentibus persuadere nitantur, vt ad superiores & legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant.* Hæc Tridentinum. Vbi nota verba illa, *cùm nihil possint in casibus reseruatis*: quæ falsa essent, si possent indirectè ab illis absoluere.

141. Ratio dubitandi.

Existimant aliqui non posse in vllo casu dari indirectam absolutionem à reseruatis. Alii censent, id verum esse de reseruatis habentibus annexam excommunicationem reseruatam, non de aliis. Alii dicunt dari posse de omnibus, non modò validè, sed etiam licitè in casu necessitatis. Vera & communis sententia his propositionibus continetur.

142. Non potest extra casum necessitatis.

Prima propositio: Extra casum necessitatis nemo potest scienter & liberè confiteri licitè de reseruatis, sacerdoti non habenti potestatem absoluendi ab illis: neque potest indirectè ab illo absolui. Ratio est, quia graue peccatum est dimidiare confessionem de mortalibus, sine necessitate. Atqui pœnitens tunc dimidiat confessionem, quia confessio sacramentalis non est qualiscunque declaratio peccatorum, sed declaratio facta iudici legitimo: sacerdos autem, de quo loquimur, non est iudex legitimus casuum reseruatorum. Quare grauiter peccat, qui sic confitetur: adeoque absolutio illi data est inualida: quia datur indisposito. Loquimur autem de eo quod est per se, secluſa bona fide & ignorantia pœnitentis. Nam si pœnitens bona fide procedit, putans vel peccata sua non esse reseruata: vel confessarium habere potestatem absoluendi ab illis: vel sibi licere ita confiteri: absolutio valida est, modò proponat etiam aliquod, aut aliqua non reseruata, siue mortalia siue venialia, à quibus directè absoluetur, & indirectè ab aliis. Sin autem proponeret solùm peccata reseruata; absolutio nulla esset. Tum quia nulla confessio sacramentalis præcederet absolutionem. Tum etiam quia sacerdos nullam habet iurisdictionem circa peccata reseruata: absolutio autem data sine iurisdictione, non est valida.

Interrogabis, vtrum necessaria quoque sit bona fides ministri, vt absolutio indirecta à reseruatis data pœnitenti extra casum necessitatis sit valida? 143. Sitne valida extra necessitatem data cum bona fide?

Negant Suares disp. 31. sect. 2. num. 6. Aegidius, Coninc. disput. 8. dub. 13. num. 103. & alii communiter, affirmantes talem ministrum illicitè quidem absoluere, quia dimidiat sine causa absolutionem directam à peccatis, propter quam per se primò sacramentum institutum est: sed tamen validè absoluere: quia dummodo pœnitens sit bene dispositus, & ponantur alia necessaria, malitia ministri non impedit valorem sacramenti. Tunc autem pœnitens est bene dispositus, quia bona fide accedit, vt supponimus, cum dolore de peccatis, & confitetur integrè, & sacerdos habet iurisdictionem in confessionem illam, quatenus sacramentalis est, id est, quatenus est de aliquibus peccatis non reseruatis: ideoque nihil deest necessarium vt sacramentum perfici possit. Et hæc sententia propter communem doctorum consensum probabilis est. Difficile tamen est cum illa conciliare id quod authores supra citati docent ibidem, absolutionem directam integram, esse per se necessariam huic sacramento, æque ac integram confessionem; imò magis, quia integritas confessionis necessaria est propter integritatem absolutionis. Ex quo principio sequitur, quòd sicut confessio non-integra de mortalibus non sufficit ad valorem sacramenti, nisi excuset necessitas, aut bona fides: ita neque sufficiat absolutio directa non-integra de mortalibus.

Secunda propositio: In casu necessitatis potest sacerdos validè & licitè absoluere indirectè à reseruatis pœnitentem confitentem simul aliquod non reseruatum. Probatur, quia sicut in casu necessitatis potest & validè & licitè dimidiari confessio de mortalibus, & non fieri integrè materialiter, vt alibi ostendimus: ita potest in pari casu validè & licitè dimidiari absolutio directa. Cùm huius integritas non sit magis de essentia sacramenti, quàm integritas confessionis. Itaque necessitas quæ sufficit ad excusandum ab integritate materiali confessionis, de qua diximus disputatione quinquagesima, sectione nona & decima, sufficit etiam ad dandam validè & licitè absolutionem indirectam. Atque hoc verum etiam est, licet peccatum reseruatum habeat annexam excommunicationem reseruatam. Quia non est de essentia sacramenti vt pœnitens absoluatur priùs ab excommunicatione, quàm à peccatis. Et quotiescunque bona fide confitetur, excommunicatio reseruata non impedit

145. Licitè datur in casu necessitatis.

Digitized by Google

quò minùs validè absoluatur. Alioquin ille qui haberet excommunicationem reseruatam Parocho, cuius esset oblitus in perpetuum, nunquam totâ vitâ posset illi validè confiteri: Si autem esset mala fides pœnitentis: absolutio nulla foret, propter illius indispositionem, vt paulò ante diximus.

145. Etiamsi habeat aliam excommunicationem.

Fortassis autem paulò maior necessitas requiritur, vt qui habet excommunicationem reseruatam possit validè & licitè absolui indirectè, quemadmodum affirmat Aegidius supra, numero centesimo septimo. Certum tamen est quòd necessitas quæ licitum facit habenti excommunicationem reseruatam accedere ad communionem Eucharisticam, ad vitandam infamiam, vel quid aliud: licitum quoque illi facit absolui indirectè à peccatis. Quia communicatio in diuinis, quæ prohibetur per excommunicationem, est multò maior in communione Eucharistica, quàm in absolutione à peccatis. Quare si hæc illi permittitur, multò magis illa. Minusque est indecentiæ, vt quis sine absolutione ab excommunicatione confiteatur & absoluatur indirectè à reseruatis: quàm vt sine præuia confessione, & absolutione à peccatis, accedat ad communionem Eucharisticam. Idcóque in eo casu non tantùm potest licitè confiteri, sed multò meliùs facit si confiteatur: putoque debere confiteri saltem de non reseruatis, iuxta ea quæ alibi diximus disp. 35. sect. 1. Debet enim præmittere probationem ex diuino, vel Apostolico saltem præcepto requisitam 1. Cor. 11. quæ probatio est confessio sacramentalis, iuxta interpretationem Tridentini sess. 13. cap. 7. Atque hinc etiam probabile fit, eum qui esset in necessitate confitendi, aut communicandi, posse validè, & licitè confiteri sacerdoti habenti solùm potestatem absoluendi à venialibus, deficiente alio qui habeat iurisdictionem in mortalia, vt censent Suares & Aegidius locis citatis: licet contrarium probabilius iudicent propter communem sensum Doctorum, & Ecclesiæ consuetudinem, quæ non est talis, neque videtur dare facultatem absoluendi à venialibus coniunctis cum mortali, nisi in eo casu, quo pœnitens tali sacerdoti confitetur bona fide, putans se tantùm habere venialia.

146. Absolutus indirectè tenetur se sistere superiori.

Porro quotiescunque aliquis absoluitur tantùm indirectè à reseruatis, tenetur postea se sistere superiori, aut alteri habenti facultatem ad obtinendam absolutionem directam ab illis: non tenetur tamen alia peccata non reseruata iterum illi confiteri. Quia fuit ab illis directè absolutus sine tali onere, vel conditione apposita, comparendi pro illis coram superiore.

Ad rationem dubitandi sumptam ex Tridentino, Respondeo Concilii sensum esse, quòd nihil possint directè in casibus reseruatis: sed non dicere quòd nihil possint etiam directè in personam ipsam, & in casibus non reseruatis. Nam persona non ideo desinit esse subdita: & casus non-reseruati non subtrahuntur iurisdictioni Parochi, aut alterius habentis ex officio, aut ex delegatione, potestatem absoluendi ab illis. Quare possunt circa eiusmodi casus exercere suam iurisdictionem, quando necessitas id permittit: & absoluendo directè ab illis, absoluere simul indirectè ab aliis. Plura hac de re videri possunt apud authores citatos, vbi aliis quibusdam obiectionibus plenè satisfaciunt.

SECTIO XII.

Soluuntur aliæ duæ quæstiones circa absolutionem à reseruatis.

147. Teneaturne superior dare facultatem absoluendi à reseruatis?

QVæritur tertiò, an superior teneatur dare facultatem petenti vt possit ab alio absolui à casibus reseruatis? Respondeo teneri aliquando, & aliquando non teneri: ad quod discernendum prudentia illi necessaria est. Primò enim, si habet iustam causam nolendi confiteri superiori, quia timet rationabiliter aliquod graue incommodum confessioni extrinsecum, putà, reuelationem confessionis, vel illius vsum illicitum ad regimen, vel graue odium, & similia: vel etiam propter eius ignorantiam: tenetur superior facultatem illam concedere.

Secundò, licet nullum timeat damnum extrinsecum confessioni, sed tantùm nimiâ verecundiâ prohibeatur, ita vt periculum sit ne denegatio facultatis graue illi nocumentum afferat, quia sacrilegè confitebitur, reticendo peccata reseruata, aut in desperationem adigetur, vel quid simile: & aliunde non timeatur grauius periculum, & magis considerandum: tenetur superior non solùm ex charitate, verùm etiam ex officio, adeoque ex iustitia, concedere hanc facultatem. Quia tenetur ex officio vitare graue nocumentum subditorum, quando commodè potest. Idque multò magis verum est, si hæc seueritas non modò pœnitenti, sed aliis quoque nocitura sit, reddendo confessionem odiosam & intolerabilem.

148. Dixi, si aliunde non timetur grauius malum, & magis considerandum: quia si concessio facultatis futura sit illi causa persistendi in peccato, aut relaxationis disciplinæ, & libertatis in aliis ad facilè cadendum in casus reseruatos: non tenetur concedere: imò debet negare, vt tanto maloprospiciat. Quia tamen confessio, & reseruatio casuum, est instituta præcipuè in bonum ipsius pœnitentis, debet præcipuè illius ratio haberi, & cæteris paribus, illi potiùs quàm aliis consulendum est: neque sufficit duntaxat aliorum vtilitas futura ex rigore reseruationis, vt ipse permittatur incurrere graue damnum occasione illius: sed necessarium est, vt ex concessione facul-

Digitized by Google

tatis petitæ, sequatur quoque aliorum grauis damnificatio, magis considerabilis, quàm damnum pœnitentis. Alioqui enim propter aliorum vtilitatem non debet ipse permitti tantum damnum incurrere ex confessione.

149. Superiores debent esse facilè dare. Tertiò, superiores debent esse potiùs faciles, quàm seueri ad eiusmodi facultatem concedendam: ac meminisse illius dicti Sancti Thomæ in 4. distinct. decima septima, quæstione tertia, art. tertio, quæstiunc. 4. ad 6. *Illi qui sunt nimis solliciti vt conscientiam subditorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis iniiciunt, & per consequens sibi ipsis.* Quare nisi grauis ratio in contrarium occurrat, debent concedere. Imò, licet occurrat probabiliter, debent facilè credere confessario docto, & pio, petenti facultatem pro pœnitente. Et quamuis non teneantur concedere pœnitenti vt confiteatur ei quem ipsemet elegerit, sed possint illi vnum aut plures designare è quibus vnum eligat: si tamen pium, doctum, & prudentem elegit, debent facile illi concedere. Item licet possint ipsi pœnitentiam imponendam designare: sæpe tamen magis expedit vt id relinquant prudentiæ confessarii, qui causâ cognitâ eiusque circunstantiis, meliùs de pœnitentia conuenienter iniungenda iudicabit. Cauendum etiam est confessario ne ex aliquibus circunstantiis prodat eum, pro quo facultatem petit.

150. Dices, quid prodest hæc concessio obstinatè petenti, & parato confiteri sacrilegè, nisi concedatur? Talis enim pœnitens non est dispositus ad absolutionem. Respondeo, debere superiorem præuenire, si potest, talem obstinationem: & quamuis non præuenerit, profuturam tamen esse concessionem, si pœnitens, vt potest, animo iam sedato post illam obtentam, & passione deferuescente, animum mutauerit; & peccatum, quod in illa obstinatione commisit, retractet & confiteatur cum dolore sufficienti, & proposito non peccandi de cætero.

151. Explicanda est iuxta intentionem dantis. Cùm autem hæc concessio, facta à superiore, sit explicanda iuxta illius intentionem: confessarius qui illam petiit, & obtinuit prò alio, per se vel per alium absoluendo, non potest illa vti pro seipso: ita vt vi concessionis eligere possit alium, per quem ipsemet absoluatur à reseruatis. Si tamen petit verbis adeo generalibus, vt tam ipsum, quàm alios comprehendant, & concedatur simpliciter à superiore sine limitatione, neque ex vllis circunstantiis detur intelligi aliam esse illius intentionem: potest ipse virtute huius concessionis absolui. Ex. gr. si petat hunc in modum: Eget aliquis facultate vt absoluatur semel à reseruatis in quæ incidit: placetne illam ei concedere? Ita Deluga disp. 20. n. 119. post Dianam, & alios quos citat. Ex eiusdem superioris intentione, & verbis modoque concessionis, pendet num pœnitens vi illius absolui possit à casibus tantùm illis, in quos iam incidit, antequam petatur & obtineatur facultas: vt si dicat: Concedo facultatem vt absoluatur à iam commissis: vel ab iis quos proposuisti: aut, vt dicitur in facultatibus datis à Pœnitentiario, *Super præmissis*: An verò etiam ab aliis in quos incidit; antequam detur illi absolutio, vi facultatis ad semel concessæ: vt si detur absolutè facultas ad absoluendum semel prò vna vice: vel etiam, an detur prò peccatis intra longum tempus committendis: sicut in Bulla Cruciatæ datur facultas vt possit eligi confessarius qui absoluat à reseruatis pro toto anno. Quando autem conceditur facultas sub his verbis, *pro hac vice*: sensus concedentis, vt verba sonare videntur; est vt non diu post concessionem differatur absolutio. Imò si detur prò peccatis in futurum committendis, sensus prudenter concedentis esse videtur, vt non diù differatur eius vsus post commissum peccatum reseruatum. Contra quam intentionem faceret, qui eius vsum vsque ad finem anni, vel vsque ad finem vitæ differret; vt interim liberiùs in peccata reseruata laberetur.

152. Non potest absolui subditus si ne illo, licet malè negata. Porro, licet facultas petita negetur iniustè à superiore; non propterea subditus absolui potest directè sine illa: quia vt ait Trident. sess. 14. cap. 7. Sacerdotes inferiores extra articulum mortis nihil possunt in casibus reseruatis: debentque solùm niti persuadere pœnitentibus vt recurrant ad superiorem pro illorum absolutione. Quod signum est nullam esse generalem concessionem Ecclesiæ factam inferioribus absoluendi directè à reseruatis extra mortis articulum. Quare licet absolutio à reseruatis, vel facultas alteri confitendi, negetur iniustè à superiore: non est præsumendum superiorem mediatum, aut summum Pontificem, vel Ecclesiam ipsam, dare facultatem in eo casu: vt putant aliqui, quos refert & sequitur Henriques lib. 6. cap. 13. nu. 4. Sed ad superiores mediatos recurrendum est; vt ab illis obtineatur, quod iniustè à superiore immediato negatum fuit: vel confitendum inferiori in casu necessitatis; à quo indirectè absoluetur à reseruatis: vt bene docent Suares disp. 31. sect. 4. n. 7. Deluga disp. 20. n. 148. Laiman l. 5. tract. 6. cap. 13. num. 3. post Medinam, Sotum, Nauarrum & alios quos iste citat. Iurisdictio enim danda est per voluntatem superioris. Et ideo quandiu non vult dare, siue iustè, siue iniustè; non potest inferior, qui illam non habet, absoluere directè à reseruatis.

153. Tollitur reseruatio per confessionem factam superiori etiam inualidam. Quæritur quartò, vtrum ille qui habet casus reseruatos, post quam semel absolutus est à superiore, aut ab alio habente potestatem delegatam, maneat liber à reseruatione, possitque deinde absolui ab iisdem peccatis per communem confessarium non habentem alioqui iurisdictionem in casus reseruatos?

Respondeo & dico primò, eum qui semel confessus est casus reseruatos superiori aut alteri habenti potestatem delegatam, & ab eo fuit absolutus, manere absolutum à reseruatione, idque etiamsi culpabiliter

inualidè confessus sit defectu attritionis vel integritatis, dummodo integrè confessus sit casum reseruatum. Exceptis duobus casibus. Vnus est, quando facultas absoluendi habetur tantùm per Iubilæum: nam tunc facultas obtinendæ absolutionis non datur nisi confitenti in ordine ad lucrandum Iubilæum, & per talem confessionem satisfacienti intentioni Summi Pontificis, ponendo conditionem ab ipsò requisitam: quod non facit ille, qui suâ culpâ confitetur inualidè. Alter casus est, quando facultas absoluendi à reseruatis non datur, nisi sub pacto & conditione, vt qui illius vi absoluitur, sistat se postea superiori. Quod est tantùm in vsu apud quoidam Religiosos pro iter facientibus, vt diximus disputatione quadragesima nona, sectione sexta. Ratio verò cur exceptis his duobus casibus tollatur reseruatio peccati, est quia manifestum est intentionem superioris esse, liberare illum à reseruatione, per se aut per delegatum, cùm fecerit quidquid ille postulabat ad finem reseruationis, nempe vt ad se, vel ad delegatum recurreret pro manifestatione casus reseruati, ad accipiendam conuenientem medicinam & satisfactionem.

154. Nec obest quòd, si confessio est inualida, manet peccatum. Potest enim tolli reseruatio manente peccato quoad culpam. Imò superiores possunt tollere reseruationem extra sacramentum, id est, non audiendo confessionem neque absoluendo sacramentaliter validè vel inualidè. In quo differunt ab iis qui habent tantùm potestatem delegatam, qui non possunt tollere reseruationem, nisi per absolutionem sacramentalem validam vel inualidam. Exceptis casibus reseruatis tantùm propter censuram annexam. Nam quia possunt extra sacramentum tollere talem censuram: possunt etiam consequenter tollere reseruationem eorundem casuum extra sacramentum. In hanc conclusionem consentiunt Suarez, Vasques, Aegidius, Delugo, & alii communiter.

155. Et non obstante oblitione casus reseruati.

Dico secundò, eum qui confitendo superiori, aut delegato, oblitus est casus reseruatos, manere nihilominus absolutum à reseruatione: idque siue expressè petat absolui à reseruatis, si quos habet: aut accedat ad confessionem ratione priuilegii in hunc finem concessi, vt fit in Iubilæis: siue tantùm cupiat simpliciter absolui à confessario, quantum ille potest, vt faciunt omnes qui bona fide ad sacramentum accedunt. Ita Coninc disp. octaua, dubit. duodecima, Delugo disp. vigesima, sect. septima, & alii communiter, paucis exceptis. Ratio est, quia talis vult absolui à peccatis quantum potest, & quantum indiget: & confessarius vult illi prodesse, prospicereque illius saluti quantum licitè potest: ergo vel per illa verba, quæ solent præmitti absolutioni à peccatis, *Absoluo te imprimis ab omni vinculo excommunicationis*: vel, si ea non præmittit, per ipsam absolutionem, absoluit illum ab omnibus censuris à quibus licitè potest illum absoluere: & per eandem absolutionem à peccatis non modò absoluit indirectè à reseruatis oblitis, sed etiam tollit reseruationem: quippe quæ potest tolli per absolutionem indirectam, si superior ita velit. Imò etiam sine absolutione à peccatis potest superior illam tollere immediatè si velit, vt paulò ante diximus, & omnes fatentur. Vult autem superior in casu prædicto auferri reseruationem, siue pœnitens sibi confiteatur, siue delegato: quia vult illam confessionem ei prodesse quantùm potest.

156. Dixi, absoluere ab omnibus censuris, à quibus licitè potest: quia licet expressè præmittat illa verba, *Absoluo te ab omni vinculo excommunicationis, in quantum possum, & indiges*, sensus illorum est, & intentio absoluentis esse debet, quantum licitè possum. Vnde non tollit excommunicationes à quibus non potest licitè absoluere non satisfacta parte. Neque etiam censuras quas pœnitens scienter, & culpabiliter reticet.

Idque habet locum etiam in iubilæis.

Hinc sequitur eum, qui tempore Iubilæi habebat casus reseruatos, de quibus propter obliuionem non est confessus, posse post Iubilæum absolui ab iisdem, per quemlibet confessarium habentem iurisdictionem in casus non-reseruatos: quia iam perinde se habent, ac si non fuissent reseruati. Idemque puto dici posse probabiliter, de eo qui non est confessus tempore Iubilæi, vel quia non habuit copiam confessarii, vel quia credidit se non habere peccata mortalia, adeoque sibi sufficere præstare alia præscripta; & confessionem iniunctam à Pontifice non esse necessariam, nisi habenti mortalia, vt possit deinde communicare. Talis enim potest absolui postea, modò fecerit omnia sufficientia ad lucrandum Iubilæum, & possit illud lucrari sine confessione. Nam alioqui non acquirit illud ius.

157. Aut si iuste de causa omisit casus reseruatos.

Addo cum Delugo suprà, numero centesimo decimo sexto, conclusionem hanc æquè locum habere quando pœnitens omittit in confessione casus reseruatos, non solùm propter obliuionem, sed etiam propter quamcunque aliam iustam causam excusantem ab integritate materiali confessionis: putà, ad vitandum aliquod graue damnum. Si verò culpabiliter omittit reseruatos, certum est non tolli reseruationem: alioqui reseruatio redderetur inutilis. Imò, si peccat circa integritatem confessionis circa aliqua peccata non reseruata, & omittit per obliuionem inculpabilem aliqua reseruata, dubitari potest an tollatur istorum reseruatio. Quia tunc subditus non se manifestauit sincerè, & cum simplicitate, suo superiori, aut eius delegato: quare non præsumitur superior magis tunc velle reseruationis vinculum tollere pro oblitis, quàm si scienter & culpabiliter

Digitized by Google

subditus reseruata faceret. Quæ ratio mouit auctorem citatum ibidem ad iudicium suum hac in parte suspendendum. Existimo nihilominus cohærenter loquendo cum dictis in prima conclusione, in quibus author ille & alii communiter consentiunt, tolli etiam tunc reseruationem à peccatis illis oblitis inculpabiliter: quia licet ille non manifestet sincerè suam conscientiam quoad alia non reseruata: manifestat tamen sincerè & quantùm potest circa reseruata, vt supponimus. Quare non est ratio, cur superior non sit contentus circa illa, cùm habeat id quod postulat finis reseruationis; nempe vt se sistat pro reseruatis quantum potest, ad accipiendam conuenientem medicinam, & satisfactionem pro illis. Hoc autem facit quantum potest in casu posito. Confirmatur, quia si talis non haberet alia peccata quàm reseruata, nemo negat tolli reseruationem oblitorum, expositis omnibus reseruatis quorum occurrit memoria. Atqui non magis tunc exponit oblita reseruata, neque magis satisfacit fini reseruationis. Ergo defectus integritatis circa alia peccata, quæ non pertinent ad reseruationem eiusque finem, non videtur obstare quo minùs velit superior tolli reseruationem oblitorum inculpabiliter.

158. Sed quid, si pœnitens nullum peccatum reseruatum aperiat propter obliuionem, & peccet contra integritatem circa alia? Respondeo, Si talis accedit animo ita disposito, vt aperiret reseruata, si occurrerent; puto reseruationem tolli, quia virtualiter, & tacitè petit eam tolli: & superior quoque tacitè concedit: quia id non negaret, si expressè peteret ab illo absolui à reseruatis, si quos habet. Secus autem si accedit animo non ita disposito: irrationabiliter enim præsumeretur superiorem id velle.

Contraria sententia. Contra hanc secũdam conclusionem sentiunt ex parte Suarez disput. 31. sect. 4. n. 12. & seqq. Vasquez quæst. 71. art. 3. dub. 18. & Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. 15. num. 17. qui putant non auferri reseruationem oblitorum, quando pœnitens de illis non est confessus: nisi vel petierit absolui à reseruatis, si quos habet, vel potestas absoluendi sit data per priuilegium concessum in fauorem poenitentis, vt fit in Iubilæis. Quia per talem concessionem intelligitur Pontifex sustuliſſe reseruationem volentibus vti Iubilæo. Talis autem est vsus quantum potuit.

159. Argumenta illorum hæc præcipuè sunt. Primò, quia, indirecta absolutio non sufficit ad tollendam reseruationem, & obligationem confitendi illa peccata legitimo iudici: quæ obligatio est iuris diuini. Tunc autem pœnitens absoluitur tantùm indirectè à reseruatis oblitis: & nulla est alia ratio cur censeatur ablata reseruatio à superiore. Quæ enim est hæc ratio, aut quod signum voluntatis superioris? Debet autem hæc voluntas sufficienter innotescere. Secundò, quia per illam confessionem non satisfit intentioni reseruantis, qui neque peccatum nouit, neque pro illo satisfactionem imposuit, ac medicinam adhibuit: quæ sunt præcipuè per reseruationem intenta. Quare non est cur credamus superiorem abstuliſſe reseruationem.

160. Ad primum Respondeo, indirectam absolutionem à reseruatis, neque necessariam esse vt tollatur reseruatio (potest enim tolli à superiore, sine vlla absolutione sacramentali: potest etiam tolli tam ab eodem, quàm à delegato, per confessionem inualidam, in qua nulla est absolutio à peccatis, neque directa, neque indirecta, vt diximus in prima conclusione, & consentiunt aduersarii) Neque etiam solam sufficere, nisi accederet voluntas Superioris volentis tolli reseruationem per talem confessionem, non-obstante obliuione. Illâ verò accedente, negare non possunt auctores citati sufficere absolutionẽ indirectam. Alioqui enim sibi ipsis contradicerent, in eo quòd concedunt tolli reseruationem, quando inferior petit absolui à casibus reseruatis, si quos habet, & quorum non meminit: vel quando confitetur lucrandi Iubilæi causa. Fatentur etiam, quòd si quis confitetur aliquod reseruatum, & omittit inculpabiliter alia; tollitur etiam istorum reseruatio, licet tantùm indirectè remittantur. Porro talem esse voluntatem Superiorum colligimus sufficienter ex eo quòd velint prodesse poenitenti quantum possunt, & tollere omne vinculum peccatorum, quod per talem confessionem & absolutionem possunt licitè tollere: quorum vinculorũ vnum est reseruatio peccati. Hoc enim non negarent poenitenti, si expressè peteret absolui à reseruatis, si fortè habet aliquos quorum non meminit. Poenitens autem semper id saltem tacitè petit. Et hæc petitio tacita sufficit vt Superior, volens poenitenti prodesse, quantum licitè potest, censeatur tacitè illi concedere. Cùmque Superiores non ignorent hanc esse communem Doctorum opinionem, neque tamen contradicant, signum est illos tacitè consentire, & communem illam sententiam sequi in praxi, ac proinde talem esse illorum voluntatem, qualem nos dicimus.

Soluuntur eius argumenta.

161. Ad secundum Respondeo, neque etiam satisfieri perfectè intentioni reseruationis in illis aliis casibus, in quibus ex consensu Suaris, aliorúmque aduersariorum, tollitur reseruatio peccatorum oblitorum poenitenti id expressè postulanti, aut vtenti Iubilæo. Quare illis æquè ac nobis fatendum est, reseruationem non esse adeo rigorosam, vt tolli nunquam possit, nisi fiat superiori, aut eius delegato, manifestatio delicti, & per eundem iniunctio conuenientis satisfactionis aut medicinæ. Cùm autem reseruatio sit odiosa, debet restringi & benignè explicari, quantum fieri potest. Plura hac de re videri possunt apud Delugo disp. 20. sect. 7. vbi ostendit aduersarios non

Digitized by Google

satis cohærenter loqui. Quomodo autem confessarius gerere se debeat cum pœnitente accedente ad sacramentum cum excommunicatione, dicemus disp. 59. sect. 15.

SECTIO XIII.

De bonitate, & scientia in Confessario requisita: & quid circa pœnitentem præstare debeat?

162. Quæ bonitas sit necessaria.

Quoad primum: Non alia bonitas in ministro pœnitentiæ necessaria est, siue vt validè, siue vt licitè operetur, quàm quæ communiter ad alia sacramenta ministranda requiritur: nempe fidelitas intentionis agendi quod Christus instituit, quæ intentio ad valorem sacramentorum necessaria est, vt suo loco ostendimus: & puritas à peccato mortali, sine qua licitè sacramenta ex officio ministrari non possunt, iuxta communem doctrinam Theologorum cum D. Thoma quæst. 64. art. 6. Ita nimirum, vt minister sibi conscius non sit vllius peccati mortalis, quod bona fide non existimet per sacramentum, aut per contritionem deletum fuisse. Sufficit tamen si eliciat actum contritionis antequam proferat formam absolutionis, vt multi docent. Et si periculum est, ne, dum conatur elicere contritionem, moriatur ægrotus sine absolutione; potest, & debet absoluere sine illa. Requiritur etiam in Confessario aliqua vitæ probitas, talis vt sine scandalo in tam sanctum munus incumbat, cuiusmodi est administratio sacramentorum.

163. Aliqua scientia est necessaria.

Quoad secundum: Conueniunt Theologi, vt sacerdos hoc sacramentum licitè administret, scientiam illi muneri suo proportionatam necessariam esse. Nullus enim licitè potest iudicium exercere, in causa præcipuè graui, nisi habeat scientiam proportionatam ad ferendum æquum iudicium: quoniam alioqui manifesto periculo errandi se exponit, iniustamque sententiam pronunciandi.

Vnde conueniunt secundò, peccare grauiter sacerdotem, qui se ingerit huic ministerio exercendo sine sufficienti scientia. Quia res grauis est, & intrinsecè mala, suscipere aliquod iustitiæ munus sine scientia sufficiente ad illud exercendum.

164. Conueniunt tertiò, paucis exceptis, ne illum quidem à culpa excusari, qui ex obedientia suscipit munus audiendi confessiones sine sufficiente scientia. Quia non supplet obedientia defectum scientiæ; & non potest efficere, vt quis licitè confessiones audiat sine scientia sufficiente ad id munus iustè & dignè exercendum. Excusaret tamen casus necessitatis iunctæ cum impotentia aliter faciendi. Tunc enim, sicut ex parte pœnitentis qualiscunque confessio valida, & licita est: sic ex parte Confessarii qualiscunque scientia & cognitio, satis tali necessitati proportionata est. Atque hinc excusantur Episcopi qui interdum præficiunt Pagis quibusdam Parochos, & confessarios imperitos; quia non habent alios qui ob redituum exiguitatem velint huiusmodi Ecclesiis præesse.

165. Quanta esse debeat?

Scientia verò, quam vt sufficientem communiter requirunt Theologi, hæc est: vt sacerdos norit ea quæ sunt de substantia huius sacramenti, tam ex parte pœnitentis, quàm ex parte sui: ne in aliquo substantiali peccetur. Vtque in iis peccatis quæ communiter occurrunt, id est, quæ communiter solent cõmittere illi, quorum confessiones audit, possit discernere communi & ordinario modo, quæ venialia, quæ mortalia sint, & quænam circunstantiæ speciem mutent: quænam item peccata respectu suæ iurisdictionis sint reseruata, & quænam habeant annexam excommunicationem, vel obligationem restituendi, vel abiiciendi peculiariter occasionem peccandi: vt de iis, quod opus erit, pœnitentem admoneat. Hæc tamen omnia non ita requiruntur, vt sit necesse confessarium posse per seipsum omnia discernere: sufficit enim vt intelligat ea quæ frequentiùs accidunt. De aliis verò dubitare sciat, & legendo vel consulendo peritiores, quærere in dubiis quid facto opus sit. Non tenetur etiam confessarius iudicare de singulis peccatis quæ proponuntur, sintne mortalia: Quod in multis per se difficillimum est, & valde controuersum. Neque debet pœnitentem interrogare quando de eo dubitat, putaueritne se grauiter peccare. Quia hoc pœnitentem in scrupulos coniiceret. Sed sufficit vt singula audiat prout gesta sunt, & de illis iudicet iuxta principia communia, & conclusiones Theologiæ Moralis.

166. Requiratur necad valorem sacramenti?

His præmissis, controuersia est, num aliqua scientia prorsus necessaria sit, vt sacerdos non modò licitè, verùm etiam validè, sacramentum hoc administret?

Multi existimant non aliam requiri, per se loquendo, quàm vt sacerdos sciat proferre formam absolutionis, & cognoscere in communi rationem peccati mortalis & venialis, secundum generalem eorum rationem. Qualem notitiam, inquiunt, nemo Christianus non habet, qui ratione vtitur, & in Ecclesia versatur, & intelligit, quid confessionis nomine significetur. Addunt autem particulam, *per se*: quia cùm pœnitens obligetur ad non eligendũ confessarium ignarum, &, per se loquendo, peccet grauiter si id faciat: inde sequitur, confessionem, cum illa conscientia factam, esse nullam. Sed quod ad præsens attinet, illud, inquiunt, est per accidens: quia non est nulla ex defectu ministri: sed ex defectu materiæ, & dispositionis pœnitentis. Suppositâ verò bonâ fide, & sufficienti dispositione ad confessionem ex parte pœnitentis, absolutio data à sacerdote, licet ignaro, valida est. Ita Suarez disp. 28. sect. 2. post Gabrielem, Medin. Adrianum, & plures alios.

167. Contrarium sentiunt Richardus, S. Antonius, Siluester & alii, quibuscum arbitror probabilius esse, ad valorem huius sacramẽti, requiri per se in ministro scientiam, saltem actualem, & cognitionem peccatorum saltem in particulari, & iudicium de iisdem atque censuram, quantum fieri potest modo supradicto. Etenim Tridentinum sess. 14. cap. 5. exigit à pœnitente, tanquam per se necessarium huic sacramento, vt exponat sacerdoti omnia sua peccata mortalia secundum speciem, & numerum, & circunstantias speciem mutantes, quoad fieri potest, vt sacerdos de illis censeat, &, iuxta criminum grauitatem conuenientem satisfactionem iniungat. Et hanc dispositionem tanquam essentialem exigit, & ad valorem confessionis necessariam esse, ac per se requisitam à Tridentino, non negant aduersarii. Atqui si ea quæ dicuntur à pœnitente, non percipiuntur à sacerdote: non est verè expositio, neque confessio. Nam confessio sacramentalis est essentialiter peccatorum accusatio, ad cuius esse necessarium est vt à iudice percipiatur: & non est solùm confessio pœnitentis apud sé, aut coram Deo: sed est confessio sacerdoti facta in iudicio, & foro pœnitentiæ, de cuius ratione est, vt generet notitiam in alio: Et quemadmodum verè dici nequit, patefecisse aliquid alteri is cuius mentem & sensum alter non percepit: sic neque est confessio apud illum, qui non percipit ea quæ dicuntur à confitente. Denique sacramentum pœnitentiæ est iudicium constans essentialiter accusatione legitimè probata per confessionem rei, & sententia iudicis. Quare talis confessio necessaria est, vt per eam iudici constet quid actum sit.

Respondetur affirmatiuè.

168. Hanc ergo scientiam actualem & cognitionem peccatorum in confessione propositorum esse per se necessariam arbitror. Secùs autem habitualem. Quia dummodo confessarius, saltem instructus à poenitente, cognoscat peccata dum ipsi proponuntur, & de illis, sicut oportet, actu iudicet: quamuis ad percipiendam confessionem non attulerit habitualem scientiam, satis erit. Non enim est necesse vt sacerdos ad constituendum sacramentum aliud intelligat, quàm quod à poenitente proponi debet: & poenitenti ipsi, qui in hac causa accusator & testis est, credere debet. Quare sufficit iudicium actuale, & notitia actualis peccatorum, quâ vnumquodque cognoscatur, sicut per confessionem legitimam proponitur. Et præterea sicut per accidens ex Christi benignitate, multa excusant poenitentem ab integritate materiali confessionis, ita vt nihilominus confessio sit sufficiens & valida: ita etiam multa excusant confessarium ab omnium notitia actuali & distincta, vt dicemus paulò post.

Saltem scientia actualis.

169. Ex his sequitur primò, non confiteri validè eum qui sciens se non percipi à sacerdote in re graui, non illum priùs edocet quousque ab ipso percipiatur. Quod non differtur Suares disp. 28. sect. 2. n. 18. vbi ait in duobus casibus teneri poenitentem, moraliter loquendo, ad iterandam confessionem, propter imperitiam confessoris. Primò, quando nouit illum esse adeo imperitum, vt suam conscientiam diiudicare nequeat: & nihilominus illi mala fide confessus est. Secundò, quando in ipsa confessione intellexit confessarium non percipere grauitatem delicti, & nihilominùs simpliciter, & sine ampliori instructione confessus est.

Sequitur secundò, apud ignarum sacerdotem pluribus verbis opus esse, quàm apud peritum. Nam v. g. apud eum, qui propter ignorantiam habitualem nescit discernere species, & malitias peccatorum; non satis est si quis confiteatur se percussisse clericum: sed oportet exprimere, in tali actu, præter iniustitiam, fuisse sacrilegium & violationem honoris debiti clericis, vt personis Deo sacris.

170. Obiicies: Si ita est, ergo debet sacerdos nosse species morales omnium peccatorum, & omnes gradus mortales, & demum quidquid est materia necessaria confessionis: quod videtur impossibile: cùm de his omnibus inter ipsos eruditissimos sint innumeræ controuersiæ.

Debeatne nosse omnes species peccatorũ.

Respondeo, confessarium obligari vt, quantum hîc & nunc moraliter fieri potest, curet intelligere species peccatorum morales, & circunstantias, & gradus. Sicut pœnitens vicissim tenetur ita se explicare, vt confessarius possit hæc intelligere. Non est tamen necesse vt de omnibus actu iudicet, & discernat: sed si satis ex parte scientiæ idoneus sit, sufficit vt moraliter præstet quod potest, sicut ex parte poenitentis idem sufficit. Censetur autem sufficienter à scientia instructus esse, qui habet ea quæ iuxta communem sententiam paulò ante commemoraui. At sicut multa sunt quæ ab integritate materiali confessionis poenitentem excusãt, quæ generatim ad impotentiam physicam vel moralem reuocari possunt: sic confessarium à iudicii integritate, & cognitionis perfectione excusat impotentia physica, vel moralis. Neque enim existimandum est Christum ad sacramenti pœnitentiæ administrationem, maiorem status pœnitentis cognitionem requisiuisse, quàm quæ humanitùs & moraliter haberi potest: sed potiùs moralem diligentiam tam ex parte confessarii, quàm ex parte poenitentis sufficere. Estque valde probabile non quamcunque negligentiam culpabilem confessarii officere valori huius sacramenti instituti in fauorem poenitentium: sed tantùm valde crassam, admodumque notabilem. Et in praxi prior sententia est tuta.

171. Addunt aliqui de peccatis poenitentis censendum esse ex ipsius conscientia; ad quam discernendam, inuestigandum est quæ fuerit eius in agendo, aut non agendo vltima resolutio de licito aut illicito. Nam

De peccatis censendum ex conscientia pœnitentis.

Digitized by Google

à conscientia cuiusque pendet an, & quantum, & quomodo peccet. Et qui agendo, vel non agendo non aduertit inculpabiliter aliquam mali rationem; non peccat circa illam, sed tantùm peccat, quantum aduertit. Hac ergo via, inquiunt, sacerdos, licet alioquì ius naturale vel positiuum ignoret, venire poterit in sufficientem cognitionem peccatorum confitentis. Si nimirum de illis censeat, non tam ex propriis rerum principiis, vel ex Doctorum controuersiis: quàm ex conditione ipsius poenitentis, quem interdum ignorantia liberat à culpa vel tota, vel tanta; quemue interdum conscientia reum constituit culpæ, quæ sine tali conscientia non fuisset. Ideóque sicut pœnitens debet omnia confiteri, quæ ei verè peccata fuerunt, & quomodo fuerunt: sic debet sacerdos peccata percipere: & hoc vtrique sufficit. Sique pœnitens iuuandus sit ad rectè confitendum, oportet explorare qua fide & conscientia vnumquodque egerit. Nam frequenter, vel ignorantiâ habituali, vel inaduertentia actuali, multa aguntur minùs malè, aut omnino non malè: quæ cum perfecta cognitione non fierent nisi valde malè. Et quædam interdum ex errore conscientiæ aguntur malè; quæ vel licitè, vel minùs malè agi per se poterant cum vera cognitione.

172. Cautè tamen, & ratiò interrogandum qua conscientia id fecerit.

Verùm, vt suprà dixi, vix aut rarissimè vsurpandus est ille modus interrogandi poenitentem, quâ conscientiâ hoc aut illud fecerit. Nam huiusmodi interrogationes solent poenitentes in scrupulos & anxietates conijcere. Quod incommodum maius est, quàm aliquid non satis intelligi, sufficitque ad excusandum à perfecta integritate confessionis & iudicii. Vnum verò est in quo talis inquisitio videtur necessaria. Quando scilicet poenitens imprudenter, & importunè, non confitetur, sed potiùs consultat num hoc aut illud agendo malè fecerit: tunc enim potiùs interrogandus ipse est quâ conscientiâ fecerit, & num directè vel indirectè in aliquid mali consenserit, vt simpliciter de eo se accuset. Hoc enim est proprium pœnitentis officium, non autem consultare: cùm sacramentum pœnitentiæ, non consultatio de præteritis, sed iudicium sit.

173. In dubiis mitior pars sequenda Confessario.

Præterea in dubiis sequi potiùs debet sacerdos mitiorem partem, iudicando non fuisse mortaliter peccatum, vbi vel factum, vel ius obscurum erit, vt contingit sæpissimè. Nam Confessarius ita est iudex, vt sit etiam pater & medicus: estque hoc forum misericordiæ magis, quàm iustitiæ & seueritatis. Aliud autem est iudicare de peccatis poenitentium: quod ex ipsius poenitentis confessione facilè fieri potest, si sit exactus, & explicet quâ conscientiâ vnumquodque fecerit: & aliud, iudicare de iure, quid nimirum aliunde licitum vel illicitum sit, & quid debitum aut indebitum; quod ex ipsis rerum principiis naturalibus, vel positiuis diiudicandum est, & ad valorem sacramenti non est necessarium, ad quod sufficit vt sacerdos ex poenitentis ipsius conscientia norit quid & quantum, & quomodo peccauerit. Circa alia verò, iura scilicet, & obligationes, ac debita in futurum, etiam illa quæ ex peccatis confessis consequuntur, potest in aliud tempus reiici pœnitens. Neque tenetur confessarius in ipso foro pœnitentiæ statim de illis decernere. Sed satis est si pœnitens, vel ipsum sacerdotem aliàs consulendo extra sacramentum; vel alios peritos, discat ab illis quid licitè possit, aut quid debeat. Et interea, dummodo moneatur, sitque paratus ad agendum quod opus erit, absolui potest, quamuis existens adhuc in ignorantia.

174. Debet cognoscere statum pœnit.

Porro, non tantùm necessarium est vt sacerdos de peccatis confitentium iudicet: sed vt licitè absoluat, tenetur priùs de ipsius dolore ac proposito iudicare; & dispositionem conscientiæ pœnitentis agnoscere. Neque aliter potest licitè ipsum absoluere. Primò, quia inquantum iudex, tenetur iustè sententiam ferre: & inquantum sacramenti minister est, & fidelis dispensator mysteriorum Dei, tenetur illud non conferre indignis, nec proiicere sanctum canibus. Tenetur item procurare & cauere ne clauis erret, neue illâ conetur vti perperam, tentando eum absoluere, qui absolui non potest. Neque enim illi commissum fuit, vt possit quemuis pro libito absoluere; sed vt secundum institutionem Christi, cuius minister & dispensator est, sufficienter dispositum absoluat.

175. Prudentia adhibenda.

De prudentia verò, & officio Confessarii hac in parte ad iuuandum pœnitentem, cùm opus erit, circa attritionem sufficientem, & confessionis integritatem, & propositum non peccandi de cætero, & abstinentiam ab occasionibus peccandi, differemus sectione sequenti. Nunc breuiter dico, non debere eandem esse curam sacerdotis circa omnes. Nam pœnitentes, qui officia pœnitentis satis norunt, & de quibus non est ratio dubitandi; ii neque docendi sunt, neque interrogandi, neque aliter corripiendi, quàm impositione conuenientis satisfactionis. De quibus verò est dubitandi ratio, sintne contriti sufficienter, adhibuerintne sufficientem diligentiam ad confitendum integrè, habeantne propositum abiiciendi occasionem peccandi, & præstandi alia necessaria; circa illos sacerdoti laborandum est, vt eos diiudicet, & vel bene disponat ad sacramentum, & ad eius effectum: vel si id non potest, eos ableget à se, & remittat sine absolutione, donec ad illam se disponant. Importuni verò sunt sacerdotes illi, qui de omnibus videntur æquè dubitare, & omnes æqualiter interrogant, docent, arguunt, increpant, hortantur, zelum quidem habentes, sed non secundum scientiam.

Digitized by Google

SECTIO XIV.

Quæ sint aliæ obligationes Ministri huius Sacramenti?

176. Qui teneantur audire confessiones?

QVæritur primò, quis & quando teneatur audire confessiones? Respondeo obligationem audiendi confessiones oriri ex triplici capite, ex obedientia, ex iustitia, & ex charitate. Tenentur ex obedientia audire confessiones illi omnes, quibus à superiore id legitimè præcipitur. Ex iustitia Parochi, & alii quibus ex officio incumbit cura animarum, qui tamen possunt alium idoneum sibi substituere. Ex charitate illi quorum operâ proximus indiget in necessitate.

Circa quæ triplex difficultas est. Prima, an Parochus teneatur audire subditos quotiescunque volunt confiteri? Secunda, an teneatur eos audire in necessitate, etiam cum propriæ vitæ periculo? Tertia, an alii ad id teneantur ex charitate?

177. Parochus quoties teneatur?

Dico primò, teneri Parochum ex officio audire suorum confessiones, non solùm quando ipsi tenentur confiteri, sed etiam quoties volunt rationabiliter: aut per alium idoneum prouidere. Ita doctores communiter, contra Richardum 4. dist. 18. art. 2. q. 3. Medinam cod. de confess. q. 37. Syluestrum v. *Confessor* 1. n. 14. & paucos alios, quorum opinio, vt meritò ait Suarez neque est pia, neque in praxi tuta. Ratio est, quia tenetur Parochus ratione officii administrare sacramenta ouibus sibi commissis, non solùm quando necessitas, sed etiam quando vtilitas illarum id exigit, ipsis saltem id postulantibus. Quia tenetur illarum vtilitatem procurare, aut saltem non impedire. Neque potest sine iniuria priuare subditos mediis à Christo institutis ad salutem valde conuenientibus, quoties illis rationabiliter vti volunt. Et quidem si subditus est in statu peccati mortalis; non potest Parochus sine causa permittere illum diutius hærere in tam malo statu, cùm ab illo vult per sacramentum pœnitentiæ emergere. Est enim illud malum per se grauissimum, & secum affert iacturam bonorum operum quæ fiunt in eo statu, periculumque labendi in alia mortalia, vt faciunt communiter illi, qui rarò, aut semel tantùm in anno confitentur. Sin autem est in statu gratiæ, petitque sacramentum, vt in illo statu facilius conseruetur, aut in virtute & pietate magis proficiat, aut occasione festi vel indulgentiæ, vel quia illo eget ad grauem tentationem vincendam, aut perturbationem conscientiæ sedandam, vel aliam iustam ob causam: tenetur Parochus eum non impedire, sed potiùs iuuare vt in virtute proficiat, & assequatur emolumentum spiritale quod sperat, vel euitet malum quod imminet.

178. Dixi, *Quoties volunt rationabiliter*: quia non tenetur Parochus, si subditus petat irrationabiliter, sitque iusta causa negandi: vt si periculum sit, ne tam frequens confessio noceat pœnitenti propter scrupulos: vel ne cedat in irreuerentiam, & contemptum alicuius sacramenti. Vel si ob aliorum curam magis necessariam non potest illi audiendo tam frequenter operam dare. Vel si ob redituum exiguitatem tenetur sibi prouidere aliunde, quàm ex parœciæ fructibus: quod non posset si tam frequenter audiendis confessionibus incumberet. Vel si maxima esset multitudo crebrò confiteri volentium, cui fine nimio labore non posset ipse sufficere: neque ob redituum exiguitatem posset per alium idoneum prouidere. In quo tamen casu sufficeret dare licentiam confitendi aliis. Puto etiam illos qui habent pinguius beneficium, teneri ad magis obsequendum hac in parte, & in aliis Parochi officiis, desiderio subditorum: & eò magis quò minor est eorum numerus, quóue faciliùs est omnibus satisfacere.

179. Vnde metienda Parochi obligatio?

Atque hæc obligatio magis ex his considerationibus metienda est, quàm ex certa & generali regula, quæ in tanta Parochorum & subditorum varietate, aliarumque circunstantiarum, tradi nequit. Addo, non peccare grauiter Parochum si semel aut iterum neget sine iusta causa, frequenter confitenti: nisi sit grauis petentis necessitas. Alioqui enim non tanti est momenti differre aliquandiu confessionem non necessariam ex præcepto. Et quamuis parochus iniustè neget, nolitque subditum audire: non propterea dat illi facultatem adeundi alium. Quare non potest alteri confiteri, qui non aliunde habeat iurisdictionem, & facultatem illum absoluendi.

180. Tenetur quilibet sacerdos in casu extremæ necessitatis.

Dico secundò, teneri quemlibet sacerdotem, etiam cum propriæ vitæ periculo, audire confessionem existentis in extrema necessitate salutis: Parochum verò teneri etiam in graui necessitate subditi. Ad probationem suppono duo requiri vt necessitas esse verè dicatur. Primò, vt non sit alius qui possit & velit audire confessionem. Secundò, vt sine istius opera non possit poenitens euadere damnationem æternam. Et si non possit omnino euadere, dicitur extrema necessitas. Si autem possit, sed non nisi cum summa difficultate; necessitas dicitur grauis.

His suppositis, probatur prima pars conclusionis, quia tenetur quilibet præferre vitæ suæ corporali salutem propriam, quando id necessarium est. Ergo & salutem proximi, quem tenetur ex charitate diligere sicut se ipsum. Ergo in extrema illius necessitate, debet illi succurrere cum propriæ vitæ periculo.

181. Parochus tenetur etiam in graui.

Secunda verò pars probatur, quia multò maior est obligatio Parochi, qui debet ex officio; quàm aliorum qui debent tantùm ex charitate audire confessiones. Ergo si alii tenentur in extrema necessitate, tenetur Parochus etiam in graui. Cauendum tamen

eſt Parocho, ne dum vnius ſaluti conſulit exiſtentis in extrema vel graui neceſſitate; noceat pluribus qui eius operâ æquè indigebunt, ſi alius defuturus eſt, qui ipſo mortuo, aut per morbum impedito, poſſit & velit illis ſuccurrere. Nam alioquì plurium ſalus vni præferenda eſt, & bonum publicum priuato.

Tenẽturne alii in caſu?

Sunt etiam qui putant teneri alios in graui neceſſitate: ſed illis non aſſentior. Quia non tenentur alii ex charitate cum tanto incommodo & difficultate ſua ſuccurrere illi, qui poteſt cuadere, licet non ſine magna difficultate. Par enim eſt, vt ipſe potiùs difficultatem ſubeat. Vix etiam poteſt contingere extrema neceſſitas, niſi ignorantibus modum exercendi actum contritionis, qui ſufficit ad euadendum periculum damnationis. Cui neceſſitati occurri poteſt docendo populum quid ſit contritio, & quomodo exercenda. Quam doctrinam oporteret eſſe frequentiſſimam & communiſſimam.

182. Quando tenetur Confeſſarius examinare pœnitentem?

Quæritur ſecundò, an confeſſarius teneatur examinare pœnitentem? Reſpondeo, confeſſarium, qui ſiue ex obedientia, ſiue ex officio, ſiue ex charitate audit confeſſiones, teneri procurare quantum hîc & nunc commodè fieri poteſt, vt pœnitens integrè confiteatur, antequam ipſum abſoluat. Quare ſi pœnitens non ſatis diligenter ſe ipſum examinauit; aut propter imperitiam, vel obliuionem, probabiliter præſumitur omittere aliquod peccatum mortale: debet prudenter confeſſarius ea inquirere, quæ probabile eſt ipſum omiſiſſe. Alioquì verò inquiſitio vana, curioſa, & moleſta pœnitenti erit. Ratio concluſionis eſt, quia confeſſarius, qui eſt iudex agens cauſam Dei, ad pœnitentem cum ipſo reconciliandum, debet integrè noſſe cauſam, & impedimenta reconciliationis, vt de illa bene iudicium ferat. Quare ſi non ſatis exponitur à pœnitente: debet ipſe procurare vt meliùs exponatur. Confirmatur ex cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, vbi dicitur: *Sit ſacerdos diſcretus, & cautus, more periti medici, diligenter inquirens peccatorum circunſtantias.*

183. Non debet nimis inquirere.

Cauendum tamen confeſſario ne ſit nimius in inquirendo. Nam pœnitentes confitendi peritos importunum eſſet examinare, ſi non eſt ratio dubitandi, an ſufficiens examen præmiſerint: vel niſi confeſſarius certus ſit de aliquo peccato ab ipſis commiſſo, quod omiſerint. Cautè etiam procedendum eſt, præſertim circa peccata caſtitati oppoſita; ne ſcandalizentur pœnitentes, & doceantur mala quæ ignorant, cum periculo ea deinde perpetrandi. Præſtatque aliquid huiuſmodi omittere, quàm cum periculo alieno vel proprio inquirere. Quare in huiuſmodi incipiendum eſt à leuioribus, & expectandum, quantum fieri poteſt, vt occaſio interrogandi detur à pœnitente. Item ſicut pœnitens non obligatur ad nimiam & metaphyſicam diligentiam examinandi ſe, quæque reddat confeſſionem nimis difficilem & odioſam; ſed ad moralem tantùm, & humanæ fragilitati accommodatam: ita nec confeſſarius, cuius non eſt maior obligatio ad pœnitentem interrogandum, quàm pœnitentis, ad ſe examinandum; quippe qui tantum ſuccedit obligationi pœnitentis, propter eius defectum. Vnde etiam non omnes eodem modo interrogandi ſunt, ſed vnuſquiſque modo ſibi accommodato, & non nimis difficili ac tædioſo. Quare ſi ægrotus v. g. non poſſit ſine magno tædio, & incommodo meliùs examinari, examen leue ſufficit: ideóque ægroti, qui propter capitis debilitatem facilè patiuntur incommodum, ſunt ordinariè minùs examinandi, quàm ſani: & ruſtici ac rudes, minùs quàm periti, ob difficultates & tædiũ tales examinandi, moralemque impoſſibilitatem extorquendi ab illis exactam peccatorum notitiam quoad ſpeciem & numerum.

Idem dico de illis, qui à longo tempore non confeſſi, ſcatent omni vitiorum genere, quorumue examen accuratum eſt admodum laborioſum, & non minùs difficile. Tum quia non tenetur confeſſarius examinare accuratiùs cum tanto tædio, labore & difficultate. Tum etiam ne dẽmus anſam hæreticis dicendi confeſſionem eſſe carnificinam animarum. Quamuis autem poſſint & debeant interdum dimitti pœnitentes negligentes ſine abſolutione, vt ſe meliùs examinent, id tamen vix & rarò faciendum eſt: quia moleſtum eſt pœnitenti redire, aut de iiſdem peccatis ſæpiùs ſe accuſare. Præſertim verò non debent dimitti rudes & ruſtici: ſed meliùs faciunt qui illos examinant & abſoluunt: quia vix ipſi ſe meliùs examinabunt ſi remittantur, & vix meliùs confitebuntur, quamuis ſe millies examinent. Poteſtque contingere vt tales etiam egentes confeſſione generali de tota vita breuiter examinandi ſint, & cum abſolutione remittendi, defectu ſpei obtinendæ melioris confeſſionis. Idque faciliùs fieri poteſt, quia huiuſmodi homines eadem fere peccata totâ vitâ committunt: & qui nouit quid vno anno fecerint, nouit fere quidquid totâ vitâ fecerunt. Qua de re plura Cardin. Delugo diſp. 16. n. 590. & ſequentibus, vbi nobiſcum in his omnibus ſentit.

184. Quid ſi pœnitens neget peccatũ notum Confeſſario?

Sed quid ſi pœnitens interrogatus neget ſe feciſſe peccatum aliquod mortale, quod confeſſarius ſcit aliunde ipſum feciſſe? Reſpondeo, ſi ſcit tantùm ex aliorum confeſſione: pœnitenti potiùs quàm aliis credendum eſt. Sin autem nouit euidenter & certiſſimè, diſtinguendum eſt: vel enim habet rationem probabilem exiſtimandi pœnitentem licitè illud omittere, quia vel iam eſt de illo confeſſus, vel ob aliquid aliud putat ſibi licitum eſſe omittere: & tunc debet abſoluere. Vel non habet: & tunc nõ debet abſoluere: quia non poteſt ſcienter & liberè abſoluere indiſpoſitum, & peccantem,

tem contra integritatem confessionis. Nota præterea, confessarium abstinere posse à longiori examine, licet probabiliter putet aliquid omitti, quando magnus est numerus cõfitentium, & non potest alioqui omnes audire, putà, in aliquo festo celebri, quando multi volunt eo die communicare deuotionis causa: ita tamen vt audiat omnia peccata quæ pœnitens vult & debet exponere, post diligentem, & sufficientem sui discussionẽ, qualem postulat Trident. sess. 14. cap. 5.

185. Non debet dubitare sine causa de dispositione pœnitentis.

Quæritur tertiò, an & quomodo confessarius debeat esse certus de dispositione pœnitentis? Respondeo, non posse quidem absoluere pœnitentem indispositum: sed non debere dubitare de eius dispositione sine causa. Triplex autem solet esse causa legitima dubitandi de illa. Relapsus frequens in idem peccatum: mora culpabilis restituendi, aut satisfaciendi aliis obligationibus relictis ex priori confessione: & persistentia voluntaria in periculo & occasione peccandi. Hæc enim faciunt, vt interdum rationabiliter dubitari possit carere pœnitentem dolore, vel proposito sufficienti & necessario.

Cause iuste dubitandi.

Et quidem primò, si sacerdos, attentâ frequenti consuetudine relabendi in peccata, præsertim magnæ deliberationis, moræ, & grauitatis, habet rationem sufficientem existimandi, illum non satis atteri, neque sufficiens concipere propositum deinceps abstinendi: debet vel efficere vt sufficienter atteratur, suis exhortationibus: aut illum dimittere sine absolutione, donec melius se disponat. Sin autem habet sufficientia signa doloris ac propositi, potest absoluere: interdum tamen expedit differre absolutionem, vt videatur an se emendet. Habenda quoque est ratio ignorantiæ pœnitentis, si antea non fuit admonitus; & promptitudinis atque alacritatis, in accipiẽdis monitis & remediis; quódque aliquando resistere conetur. Porro tenetur pœnitens interrogatus de consuetudine, illã fateri, quia facit ad iudicium præsens: vt bene probat Delugo disp. 14. nu. 172. & sequentibus, contra Ioannem Sancium, & Antoninum Dianam.

186. Quinam dimittendi sine absolutione?

Secũdò, qui bis aut ter promisit restituere, aut satisfacere grauibus aliis obligationibus ex præcedenti confessione relictis: debet dimitti sine absolutione, donec satisfecerit, si est in mora vituperabili & culpabili, id est, si potest satisfacere & non satisfacit: debentq; confessarii hac in parte esse fortes, atque cõstantes, ne implicentur aliorum peccatis.

Tertiò, idem dicẽdum est de eo, qui versatur in proximo periculo, seu proxima occasione peccandi: qui si bis aut ter promisit relinquere talem occasionem, & non reliquit: dimittẽdus est sine absolutione, donec relinquat. Imò in quibusdam, vt in concubinatu, nunquam est absoluẽdus antequam dimittat reipsa; exceptâ extremâ necessitate, cum impotentia aliter faciendi: vt si cõcubinarius sit in mortis articulo, & absolutio moram non patiatur. Qua de re vide cap. 3. *De cohabitatione clericorum & mulierum.* Dicitur autem occasio proxima, quando est talis, vt eâ nunquam, vel fere nunquam vratur homo, consideratis omnibus circunstantiis, absque nouo peccato: vt quando quis habitat in eadem domo cum fœmina, cum qua peccare solet.

187. Quinam excusandi?

Excipiuntur tamen nõnulli casus 1. Si pœnitens habet extraordinarium dolorem & propositum; ratione cuius sperari debeat certa emẽdatio. 2. Si firmiter proponit experiri alia remedia sufficientia. Vt, nunquam cum illa sola versari & colloqui, aut eius aspectũ vitare quantum poterit. 3. Quando occasio non potest relinqui sine graui scandalo, vel infamia, vel magno detrimento spirituali aut temporali, & pœnitens proponit firmiter vti auxilio diuino, quod in tanta necessitate non deerit ex parte Dei. Idque etiamsi aliquoties sit relapsus post simile propositum, dũmodo iterum proponat firmiter vti aliis mediis quę ipsi à confessario suggerenda erunt, & ostendat se strenuè illis vti, conarique sedulò ad emendationem. Huiusmodi autem remedia esse poterunt, pœnitentiam aliquam conuenientem, orationem, ieiunium, eleemosynã, aut carnis castigationem illi iniungere, exequendam quoties labetur in tale peccatum: aut talem orationẽ recitare genu flexo priusquam peccatum illud cõmittat, ad opem Dei implorandam contra tentationem; aut sæpius in die auxilium à Deo postulare: sæpius in mense confiteri: curare aliquoties sacrificiũ Missæ pro se offerri: & similia. Ratio autẽ cur non teneatur in tali casu vitare absolutè occasionem proximam, est quia propter necessitatem, vel impotentiam moralẽ, non est illi voluntaria. Ideoque non tam reddit indignũ absolutione, quàm dignum cõmiseratione: vt illum qui propter carnis fragilitatem habet occasionẽ naturalem & fere inuitabilẽ. Expedit etiã in eiusmodi casibus differre aliquãdo absolutionẽ, vt procuretur efficaciùs emẽdatio, & maior habeatur certitudo attritionis & propositi sufficientis. Sed in his omnibus prudentia confessario valde necessaria est.

SECTIO XV.

De obligatione corrigendi errores Pœnitentis, & supplendi defectus.

188. De quibus erroribus monendus pœnitens?

QVæritur quartò, An teneatur confessarius admonere pœnitentem de erroribus, in quibus versatur? Respondeo primò, si error est culpabilis, & ignorantia crassa, propter quam sæpius incidit in aliquod peccatum mortale, debet illum corrigere: quia talis pœnitens est indispositus, nisi hanc ignorantiam culpabilem deponat. Sin autem est inculpabilis, putà, quia existimat bona fide suum matrimonium esse validum, quod tamen propter occultum impedimentum notum ipsi confessario, est inualidum: distinguendum est. Nam si periculum est, admonitionem confessarii fore illi causam pec-

candi: relinquendus est in bona fide, & interea dispensatio procuranda erit à confessario si commodè potest. Idemque dico si est periculum grauis nocumenti aliis innocentibus inferendi: vt si liberi sint graue detrimentum passuri ex eo quòd parentes, ne peccent, separabuntur, agnito impedimento matrimonii: vel si remedium mali sit difficillimum. Secus autem si v. g. quippiam alienum bona fide possideat, neque sit spes probabilis fore vt illud restituat, si de errore admoneatur: sed è contrario sit illi grauis peccati & continui occasio futura. Ratio est, quia confessarius non tenetur tam prospicere huiusmodi malis priuatorum, quàm bono sui poenitentis. Si tamen graue aliquod malum publicum ex occultatione veritatis oriretur, putà, scandalum publicum ex impedimento notorio, quamuis coniugibus ipsis occulto: vel multorum deceptio, si quis se falsò sacerdotem esse crederet inculpabiliter, & pro tali se gereret: vel disseminatio alicuius falsi dogmatis inculpabiliter habiti pro vero & catholico: malum illud publicum præferendum esset malo priuato poenitentis quod timetur ex veritatis manifestatione.

189. Sin autem non est periculum nocendi poenitenti vel aliis, corrigendo errorem vel ignorantiam: debet corrigi quando est occasio poenitenti peccandi materialiter. Et multò magis si error illi sit perniciosus, & causa peccandi culpabiliter: nimirum quia putat esse illicitum id quod re ipsa licitum est: illudque faciendo nihilominus, peccat ex conscientia erronea.

Respondeo secundò, si poenitens dubitet de suo errore, & confessarium interroget: non potest confessarius positiuè ipsum confirmare in errore, neque negare quod verum est. Potest tamen si detectio veritatis illi nocitura præuideatur, & futura esse causa maioris mali, prudenter differre responsionem, vel diuertere quæstionem: vel inquirendo à poenitente causam dubitandi, respondere insufficientem esse, si reipsa insufficiens est: vel nihil amplius respondere, quàm postulet præcisè interrogatio. Vt si coniux, ignorans bona fide matrimonium suum esse inualidũ, interroget an non obstante simplici voto castitatis, quod emisit ante coniugium, possit reddere debitum. Respondere potest, id non impedire quò minùs valeat, & debeat reddere. Imò si nolit illa reddere, non debet eam absoluere: quia peccat non reddẽdo, supposita bona fide de validitate coniugii. Potestq; confessarius illi dicere, teneri eam reddere, quia reipsa tenetur in tali statu.

190. Non debet impedire ne sequatur opinionem probabilẽ. Respondeo tertiò, si poenitẽs erret tantùm iudicio confessarii, & fortasse in rei veritate: sed tamen sequatur opinionem verè probabilem: non tenetur confessarius illum corrigere. Imò non potest adimere illi ius quod habet sequendi opinionem probabilem: & secundum illam debet à confessario iudicari, si velit in ea persistere. Neque potest sine iniuria negari illi absolutio, audita eius confessione, licet sacerdos audiuerit illam ex charitate tantùm: quia postquam semel audiuit, tenetur ex officio absoluere dispositum, si non habet rationabilem causam differendi absolutionem: qualis non est voluntas adhærendi opinioni verè probabili, licet contraria sit probabilior, aut tutior & remotior à peccato: estque graue peccatum, poenitentem non absolutum dimittere sine causa rationabili. Nisi confessio sit tantùm de venialibus, aut ita breuis & facilis, vt poenitenti non sit futurũ difficile eam repetere. Si quis tamen audiret tantùm ex charitate confessiones: posset licitè monere poenitentem ne amplius sibi confiteatur, si velit persistere in illa opinione; & persistenti negare deinceps officium ipsum audiendi & absoluendi. Secus autem Parochi, & alii qui tenentur ex officio.

191. Loquimur autem de poenitente adhærẽte opininioni verè probabili, id est, quæ talis habeatur à Doctoribus, licet fortasse confessario talis non sit, qui perspicaciùs ipsius falsitatem detexerit. Nam scientia priuata confessarii rõ impedit quò minùs aliis verè probabilis sit propter Doctorum auctoritatem, & rationes probabiles: neque tenetur poenitens eius iudicium præferre aliis, nisi ab ipso veritas tunc euidenter ipsi, aut certò demonstretur; sitque ipse satis idoneus ad discernẽdam euidentiam veram ab apparenti, quæ ipsos quoque viros doctos interdum fallit.

192. Quid si error pertinaciter? Si autem pœnitens putaret aliquid esse probabile, quod non est; velletque pertinaciter adhærere suo errori: si error ille versatur circa substantiam sacramenti, vt si putet se esse satis dispositum, cùm non sit: debet non absolui: quia est incapax absolutionis. Sin autem errat circa alia, v. g. circa aliquem contractum vsurarium: debet induci vt consulat, aut permittat cõsuli viros doctos, num ipsius opinio verè probabilis sit. Quòd si recuset, est indispositus ad absolutionem, & laborat ignorantiâ crassâ & voluntariâ. Neque debet cõfessarius tolerare ipsius errorem, nisi in casibus, propter quos dixi paulò antea cõfessarium non teneri monere poenitẽtem de erroribus: quando scilicet versatur in bona fide, & necessarium est non illum monere ad vitandum maius malum poenitentis, maiusque malum publicum non obstat.

De obligatione supplendi defectus.

193. Quæritur quintò quomodo debeat confessarius supplere defectus in confessione commissos. Respondeo, defectus illos posse cõtingere vel circa absolutionem: vel circa integritatem confessionis: vel circa alias obligationes poenitentis, ad restituendum, aut ad aliquid aliud.

Quid agẽdum confessario qui inualidè absoluit à reseruatis? Circa primum, dico primò, confessarium qui inualidè absoluit pœnitentem à censuris reseruatis, teneri vel illum monere, vel petere à superiore facultatem absoluendi ab illis, & illum iterum absoluere. Potest autem absoluere ab illis etiam ab-

Digitized by Google

sentem & ignorantem. Quia hæc absolutio, cùm non sit sacramentalis, potest non modò validè, sed etiam licitè dari absenti, & ignoranti, & interdum etiam inuito. Si autem absoluit inualidè à peccatis, existimant aliqui idem faciendum esse, vt Sanctus Antoninus tertia parte, titulo decimo septimo, capite duodecimo, Syluester verbo, *Confessor* 3. numero primo, & Nauarrus in Summa cap. 26. numero decimo quarto. Sed falluntur: quia absolutio à peccatis non potest dari validè absenti. Alii dicunt ne præsentem quidem absolui posse, nisi priùs moneatur: Quia requiritur ipsius intentio: quam non habet, si absoluitur inscius & non præmonitus.

194. Sed distinguendum esse puto. Nam si confessarius habens potestatem absoluendi, inualidè absoluit, non defectu iurisdictionis, sed alia de causa; & potest breui post defectum reparare circa pœnitentem præsentem, & adhuc dispositum, certus moraliter de illius dispositione, quia non est probabile tam breui tempore peccasse mortaliter, aut retractasse voluntatem habendi absolutionem; quod etiam potest facilè cognosci si parat se interea ad communionem: tenetur illum iterum absoluere. Neque est opus præmonere: quia intentio, quam priùs habuit vt validè absolueretur, durat adhuc sufficienter, non obstante errore quo putat se fuisse absolutum: vt bene contra Suarem & Vasquem notat Delugo disp. 22. n. 52. & 53.

Quid si defuit iurisdictio?

Sin autem inualidè absoluit à peccatis, defectu iurisdictionis: non potest ab illis absoluere sine noua confessione post obtentam iurisdictionem. Quia confessio priùs facta de illis, non fuit facta iudici legitimo: adeoque non fuit sacramentalis, & sufficiens ad absoluendum à peccatis illis. Si etiam longum tempus elapsum est post confessionem inualidam: & periculum est ne interea in nouum peccatum incidérit, vel aliter intentionem absolutionis habendæ interruperit: non potest, quamuis præsens, absolui. Quia non potest absolui sine confessione noui peccati mortalis: nec sine intentione, & dispositione sufficienti. Quare in his duobus casibus tenetur confessarius vel inducere pœnitentem vt iterum sibi confiteatur, & si pareat, sufficiet post audita noua peccata petere num doleat etiam de peccatis omnibus aliàs admissis, aut speciatim de omnibus aliàs sibi confessis, velitque ab omnibus absolui: & affirmantem absoluere. Si non pareat: tenetur confessarius illum monere de defectu, si potest sine graui detrimento vel scandalo: siue culpabiliter absoluerit inualidè; siue etiam inculpabiliter. Quia quisquis est causa vt aliquis transgrediatur graue præceptum, per errorem, aut ignorantiam, quam in illo causauit: tenetur ignorantiam aut errorem remouere, ne alter præceptum violet. Exempli gratia, qui dixit ieiunium quadragesimale non esse seruandum, aut sacrum non esse audiendum aliquo die festo: tenetur retractare, ne alter omittat implere hæc præcepta. Atqui præceptum graue & diuinum est confitendi integrè omnia peccata mortalia iudici legitimo, & obtinendi eorum absolutionem. Ergo tenetur confessarius tollere errorem quem causauit, ratione cuius hoc præceptum non impleretur. Sin autem non potest sine graui detrimento vel scandalo, non tenetur monere pœnitentem. Quia moralis impotentia excusat confessarium: sicut similis impotentia excusaret pœnitentem ab integritate confessionis, propter quam solam tenetur confessarius illum monere.

Excipe tamen casum, quo alioqui pœnitens moreretur sine absolutione, & sine contritione: putà, quia est morti proximus. Minus autem requiritur detrimentum proprium ad excusandum confessarium, qui inculpabiliter absoluit inualidè, quàm eum qui culpabiliter. Sicut in restitutione bonorum vel famæ, minus requiritur ad excusandum à restitutione eum qui inculpabiliter fuit causa nocumenti: quàm eum qui culpabiliter. Par est enim vt quisque culpam suam ferat. Et mitiùs cum innocente quàm cum reo agendum est. Minúsque obligor auertere damnum à me illatum sine mea culpa: quàm illud quod sciens & volens intuli. 195.

Porro quod dicimus intelligendum est de absolutione inualida à mortalibus, de quibus solùm procedit ratio allata. Nam non est graue præceptum confitendi venialia; sed tam iure diuino, quàm ecclesiastico, liberum est illa confiteri. Quare qui de illis solis malè absoluit; non tenetur monere pœnitentem, sed iterum absoluere si commodè potest.

Circa secundum, dico secundò, si confessarius peccauit circa integritatem confessionis per omissionem tantùm, non satis examinando pœnitentem: si pœnitens ad ipsum redeat, tenetur in sequenti confessione reparare illum defectum; & efficere vt iam integrè confiteatur: sin minùs, non tenetur illum monere, licet possit sine detrimento, vel scandalo: nisi omissio illa causa futura sit, vt pœnitens nunquam peccata illa omissa confiteatur. Tunc enim tenetur confessarius, si possit sine scandalo & graui detrimento, tollere ignorantiam, vel errorem cuius est causa, & ex quo secutura est materialis transgressio grauis præcepti diuini de integrè confitendis omnibus peccatis mortalibus. Idemque dico, si confessarius fuit causa positiuè talis ignorantiæ, vel erroris, dicendo pœnitenti eiusmodi peccata non esse confitenda; vel ita se gerenti, vt pœnitentem mouerit ad illud sibi persuadendum. Non tamen potest confessarius loqui pœnitenti de peccatis in confessione auditis, sine ipsius consensu & venia priùs obtenta, vt dicemus disputatione sequenti. Minus etiam requiritur detrimenti, aut scandali ad excusandum 196.

Quid si nō satis examinauit pœnitentē?

Digitized by Google

confeſſarium, qui ſiue poſitiuè, ſiue omiſſiuè, fuit inculpabiliter cauſa erroris: quàm eum qui culpabiliter. Quia maior eſt obligatio impediendi malum, quod ſequitur ex tua actione culpabili, quàm ex inculpabili. Cúmque hæc tota obligatio monendi pœnitentem ſit propter integritatem confeſſionis, vt ſcilicet pœnitens ſatisfaciat Chriſti præcepto de confitendis omnibus peccatis mortalibus: quæcunque excuſant pœnitentem ab integritate confeſſionis, excuſant etiam ab hac obligatione confeſſarium, qui culpabiliter hac in parte defuit ſuo muneri. Imò etiam minus requiritur ad illum excuſandum. Sicut minus requiritur incommodi vt excuſer à debito monendi alium, cui dixi non eſſe tali die ieiunandum verbi gratia, quàm vt ipſe excuſer à ieiunio. Denique idem dicendum eſt, ſi confeſſarius poſitiuè, aut omiſſiuè induxit pœnitentem in alios errores, ex quibus futurum eſt, vt violet alia præcepta Dei, vel Eccleſiæ. Tenetur enim remouere cauſam, quam dedit, non implendi hæc præcepta, æquè ac non implendi præceptum de integritate confeſſionis.

197. Quid ſi male obligauit pœnitentem ad reſtituendum, aut quid aliud.

Circa tertium, Dico tertiò, ſi confeſſarius pœnitentem malè obligauit ad reſtituendum, aut quid ſimile: tenetur errorem retractare, re adhuc integra. Tenetur enim impedire, ſi poteſt, ne ſua actione, ſiue culpabiliter ſiue inculpabiliter poſitâ, ſit illi cauſa damni. Et alioqui tenetur de damno. Quod etiam verum eſt, ſi ſua omiſſione culpabili fuit illi cauſa damni: quia ex officio, & ex iuſtitia tenetur illud impedire. Dixi, *re adhuc integrâ*: quia ſi iam pœnitens reſtituit, & damnum iam impediri nequit: ſi non fuit cauſa culpabiliter, non tenetur de damno. Sin autem culpabiliter: tenetur, iuxta ea quæ diximus in tractatu de Iuſtitia, de eo qui culpabiliter eſt cauſa damni alieni. Vbi etiam expoſuimus ex quanta & quali culpa oriatur eiuſmodi obligatio.

198. Si autem confeſſarius induxit pœnitentem in errorem ex quo ſecuturum eſt damnum alicuius tertii: putà quia futurum eſt vt non reſtituat quod debet: diſtinguendum eſt. Vel enim fuit cauſa poſitiuè, vel priuatiuè: & culpabiliter, aut inculpabiliter. Si fuit cauſa poſitiuè & culpabiliter, dicendo verbi gratia, *non debes reſtituere*: tenetur retractare, & errorem dedocere, ſi poſſit ſine graui detrimento, vel ſcandalo. Et ſi non dedocet, vel ſi pœnitens interea factus eſt impotens ad reſtituendum, qui alioqui reſtituiſſet antea: tenetur confeſſarius ipſe reſtituere ſi poſſit: quia iniuſtè, & culpabiliter, ac poſitiuè fuit cauſa damni, contra ius quod alter habebat ne impediret pœnitentem ſibi reſtituere. Si tamen pœnitens poteſt adhuc reſtituere: ſufficit confeſſarium illum admonere, & non amplius influere ſua authoritate in defectum reſtitutionis: licet pœnitens iam ex malitia non reſtituat. Debet etiam culpa eſſe grauis, vt ratione illius obligetur ad reſtitutionem: iuxta ea quę diximus in tractatu citato, de obligatione ad reſtituendum generatim ratione culpæ. Item damnum ſeu detrimentum proprium, vel ſcandalum, ratione cuius confeſſarius excuſari poteſt ab obligatione monendi pœnitentem, attendi debet cum proportione ad damnum proximi, cuius ipſe eſt cauſa. Nam quò maius eſt damnum iſtud: eò maius debet eſſe detrimentum proprium, vel ſcandalum, ſufficiens ad excuſandum confeſſarium. Si verò confeſſarius fuit cauſa culpabiliter, ſed omiſſiuè tantùm: tenetur quidem monere pœnitentem, ſi poteſt ſine graui detrimento, vel ſcandalo; ſed non tenetur ipſe reſtituere, ſi pœnitens ſit interea factus impotens ad reſtituendum: aut ſi non moneat pœnitentem vt reſtituat. Ratio eſt, quia non tenetur ex officio, vel ex iuſtitia, reſpectu illius cui debetur reſtitutio, monere pœnitentem de illa facienda. Ergo non peccat contra illius ius: ſed tantùm contra bonum pœnitentis, quod tenetur procurare ex officio confeſſarii. Neque hac in parte par eſt ratio confeſſarii, & iudicis prophani. Nam iſte tenetur ex officio ſeruare ius omnium, tanquam perſona publica in magiſtratu conſtituta, ad procurandum bonum & ius commune. At confeſſarius ex officio obligatur ſoli pœnitenti in hoc foro, & iudicio priuato inſtituto in ipſius bonum. Non eſt etiam par ratio confeſſarii, & Prælati vel Domini, qui tenetur impedire ne ſui lædant aliorum famam: & ſi omittit, tenetur ipſe famam reſtituere, ſecundum multorum Doctorum ſententiam. Nam Prælatus, aut Dominus, eſt caput politicum ſuorum: ideoque tenetur impedire, ne bono publico noceant. At confeſſarius non eſt caput politicum ſui pœnitentis.

199. Si denique tantùm inculpabiliter confeſſarius fuit cauſa talis erroris poſitiuè aut omiſſiuè: tenetur ſolùm, ſi commodè poteſt, monere pœnitentem. Neque enim tenetur cum tanto detrimento, atque ille qui culpabiliter fuit cauſa illius erroris & damni ex eo ſecuti, ob rationem paulò ante allatam. Ac ſi interea pœnitens factus eſt impotens ad reſtituendum, non tenetur ipſe reſtituere: quia non fuit cauſa culpabiliter illius damni, & nulla eſt alia cauſa cur teneatur, niſi ratione culpæ. Si verò non monet, cùm commode poſſit, potentem adhuc reſtituere, & ipſe antea poſitiuè fuit cauſa erroris, quamuis inculpabiliter: tenetur reſtituere, quia iam cauſa poſitiua fit illi voluntaria, & iam influit poſitiuè voluntariè, ſua authoritate, in damnum. Sicut ille qui inculpabiliter accendit ædes alienas, & aduertens ad incendium, potenſque commodè extinguere, non extinguit: te-

Digitized by Google

netur de damno ratione culpæ. Secus si tantùm omissiuè fuit causa erroris. Nam omissio, quamuis culpabilis, non obligat confessarium ad restitutionem, vt paulò ante probauimus. Quia scilicet omittens, & tacens, non tenetur de damno, nisi respectu eius, cui debeat ex iustitia impedire ipsius damnum.

Superest dicere de obligatione seruandi secretum circa ea quæ confessarius audiuit in confessione. Qua de re dicemus disput. sequenti, lõgiori enim explicatione indiget.

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA QVARTA.

De Sigillo confessionis.

Sectio I. *An Confessarius extra confessionem vti possit notitiâ per confessionem acceptâ?*

Sectio II. *Notantur aliqua circa doctrinam præcedentem.*

Sectio III. *An alii præter confessarium teneantur obligatione sigilli?*

Sectio IV. *Ex qua confessione oriatur obligatio sigilli, & quænam sit eius materia?*

Sectio V. *Soluuntur aliæ duæ quæstiones de sigillo confessionis.*

DE Sigillo confessionis disputat S. Thomas qu. 11. & art. 1. affirmat illud esse de necessitate Sacramenti: non modò vt ex eo magis attrahantur homines ad confessionem, & simpliciùs peccata confiteantur: verùm etiam quia quemadmodum Deus semper tegit peccatum eius, qui se illi submittit per pœnitentiam: ita Sacerdos peccata confitentis celare semper debet: cùm confessio exterior facta sacerdoti, sit signum interioris confessionis, quæ Deo fit. 2. Sigillum confessionis directè non se extendere nisi ad illa, de quibus est sacramentalis confessio: sed indirectè, id quod non cadit sub confessionem sacramentalem, etiam ad sigillum confessionis pertinere: sicut illa per quæ posset peccator, vel peccatum deprehendi: & illa quoque summo studio celanda esse. 3. Sigillum confessionis competere sacerdoti, in quantum est minister huius sacramenti: quod nihil aliud est, quàm debitum confessionem celandi, sicut clauis est potestas absoluendi. 4. Posse tamen Sacerdotem de licentia pœnitentis dicere quæ audiuit in confessione: quia confitens efficere potest, vt Sacerdos sciat vt homo, id quod sciebat vt Deus, facultatem ei præbens detegendæ confessionis. Et tunc Sacerdos non frangit sigillum: debet tamen cauere scandalum, ne fractor sigilli reputetur. 5. Sacerdotem non teneri celare id quod aliunde scit, siue ante, siue post confessionem, quantum ad id quod scit vt homo. Potest enim dicere, Scio illud, quia vidi. Tenetur tamen celare illud inquantum scit vt Deus: Non enim potest dicere se id audiuisse in confessione. Imò, propter

scandalum vitandum, debet abstinere, ne de auditis in confessione, quamuis aliunde scitis, loquatur, nisi immineat necessitas. Huc vsque D. Thomas.

SECTIO I.

An Confessarius extra sacramentum vti possit notitiâ per confessionem acceptâ?

1. Non potest extra vti notitia confessionis inuito pœnitente.

Conclusio: Confessarius non potest licitè vti notitiâ peccatorum per confessionem acceptâ, si peccator inuitus per illum vsum prodatur. Ita D. Thom. & cæteri Scholastici communiter in 4. dist. 21. Summistæ, verbo, *Confessor*, & Canonistæ in Canonem *Omnis vtriusque sexus*, & Can. *Sacerdos*, de Pœnit. dist. 6. in quo canone, sumpto ex Gregorio Magno, expressè dicitur, propter nullum scandalum vitandum frangendum esse hoc sigillum. Quod expressiùs & magis in particulari tradunt communiter Doctores citati.

2. Huius autem obligationis rationem sumunt aliqui ex ipsa natura rei, & iure solùm naturali, suppositâ institutione sacramenti pœnitentiæ. Quippe quod postulat connaturaliter tam strictum sigillum, ne alioqui confessio reddatur odiosa: & periculum proditionis secreti, pœnitentes ab ea reuocet. Alii verò eam sumunt ex iure positiuo, seu præcepto diuino superaddito. Quod ius, seu præceptum diuinum, licet in Scriptura non inueniatur expressum, continuâ tamen oris traditione fuit perpetuò conseruatum, sicut alia multa. Huius autem traditionis vestigia sunt, tum communis consensus Doctorum, tum antiquorum Patrum testimonia: vt inter alios Leonis magni epist. 80. ad vniuersos Episcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum constituros, Auctoris lib. de Salutaribus documentis apud Augustinum cap. 52. Ambrosii apud Paulinum in eius vita, aliquanto ante finem, & Gregorii can. *Sacerdos*, supra citato.

3. Vnde oriatur obligatio sigilli?

Vt hæc controuersia, quæ grauis est momenti, melius decidatur: Suppono primò, certum esse & extra controuersiam, tam strictam sigilli obligationem non posse oriri ex solo iure naturali seruandi secreta, communi omnibus secretis. Nam ius tantùm naturale circa secreta, obligat quidem titulo fidelitatis & iustitiæ vt is, cui secretum commisimus cum pacto tacito vel expresso non reuelandi, non illud reuelet sine causa legitima. Atque ita confessarius peccaret contra ius naturale secreti, si reueiaret sine causa legitima, peccata sibi sub secreto commissa: & quia committuntur illi intra claustrum sacramentale peccaret etiam peccato sacrilegii contra religionem, & contra reuerentiam debitam sacramento. Sicut ille qui furatur rem depositam in loco sacro velut in azylo, peccat non solùm peccato furti contra iustitiam, sed & peccato sacrilegii contra religionem & reuerentiam loci sacri. Verùm si nihil aliud esset, posset sine iniustitia & peccato infidelitatis, in quibusdam casibus reuelare secretum confessionis: sicut in quibusdam casibus ius naturale non obligat ad seruandum secretum. Neque etiam tunc peccaretur contra religionem, si nihil aliud esset: quia religio non prohibet reuelari id, quod iustè reuelari potest, aut debet. Neque etiam prohibet in vllo casu accipi depositum in loco sacro, velut in azylo. Nam ius naturale solum non obligat ad seruandum secretum vnius particularis, cum pernicie totius communitatis. Neque religio prohibet accipi rem alienam depositam in loco sacro, ad subueniendum suæ, vel communi necessitati extremæ. Et tamen secretum confessionis non potest reuelari ne quidem in periculo boni communis, aut quantacunque necessitate, vt fatentur auctores illi cum communi sententia. Superest ergo vt tam stricta sigilli obligatio oriatur ex iure naturali ipsius sacramenti, posita institutione: vel ex præcepto aliquo positiuo superaddito: quod præceptum, diuinum esse debet. Nam Summus Pontifex, & tota Ecclesia non potest in illo dispensare.

4. Pro cuius rei declaratione suppono 2. cum Vasque ad quæst. 93. a. 4. dub. 1. totam quidem institutionem sacramentorum, & præcepta quibus Deus nos obligauit ad celebrãda & recipienda sacramenta quæ instituit, esse iuris tantùm positiui diuini. Nam semotâ institutione, & præcepto positiuo, non teneremur, saluo toto iure naturali, confiteri peccata sacerdoti, & confiteri integrè omnia mortalia, cum dolore & humiliatione, submittendo nos ipsius iudicio, & sententiæ absolutionis. Similiter non teneremur solo iure naturali recipere Baptismum, Confirmationẽ, Eucharistiam, &c. Potuitque Deus ad hæc non obligare illæso penitùs omni iure ratioueque naturali. Veruntamen quædam sunt præcepta diuina circa sacramenta, quæ suppositis eorum institutione sequuntur necessariò ratione naturali, id est, ex natura ipsius rei sic institutæ: vt, quòd tractentur reuerenter: quòd Eucharistia non conculcetur pedibus: quòd absolutio non detur à sacerdote nisi pœnitenti confesso integrè de mortalibus quantùm potest, cum dolore sufficienti: quia sacramentum pœnitentiæ sic institutum est, vt non possit aliter pœnitens validè absolui: quòd nullus in statu peccati mortalis accedat ad ea sacramẽta quæ appellantur viuorum, quia sunt instituta ad gratiã augendam, & ex natura sua supponunt seu prærequirunt gratiam in persona suscipiente. Quòd tamen ante Eucharistiam præmit-

Digitized by Google

tenda sit confessio ab eo, qui sibi est conscius peccati mortalis; non est iuris naturalis, etiam supposita institutione, & naturâ sacramenti Eucharistiæ: id enim ex illa non necessariò sequitur: sed spectato solo iure naturali, sufficeret talem conteri, & vi contritionis obtinere gratiam, quam Eucharistia naturâ suâ prærequirit.

5. Status quæstionis. Quæritur ergo, an sicut præceptum de confessione præmittenda communioni non sequitur naturaliter vi institutionis Eucharistiæ, iure naturali ipsius sacramenti; sed fuit addendum præceptum positiuum ad id obligans; ita tam arcta sigilli obligatio, vt in nullo casu violari possit, sequatur ex ipsa institutione sacramenti pœnitentiæ, solo iure naturali illius? An verò addendum fuerit præceptum positiuum, quo sacramentum pœnitentiæ tam stricto sigillo muniretur?

6. Hoc secundum affirmant Vasques loco cit. & Conine disp. 9. dub. 2. Quoniam, inquiunt, ius naturale ortum ex sacramenti pœnitentiæ institutione & natura, obligat quidem vt nihil fiat contra ipsius reuerentiam & finem debitum, vtque ipsius accessus non reddatur rationabiliter nimis difficilis & moraliter impossibilis: cuiusmodi esset, si sigillum confessionis violari posset, quando pœnitens est dignus vt secretum ei seruetur, id est, quando confitetur cum dolore & proposito non peccandi de cætero. Sed quòd indigno, confitenti cum voluntate persistendi in facinore mente concepta, præsertim autem vergente in perniciem aliorum, maximéque ipsius communitatis aut Principis, debeat nihilominus seruari secretum; non videtur oriri ex natura ipsius sacramenti, id est, ex reuerentia ei debita connaturaliter, aut ex ipsius fine, qui est vt pœnitentes per illud consequantur remissionem peccatorum sine accessu difficili, vel moraliter impossibili ex parte confessarii. Neque enim hoc incommodum sequeretur, quamuis confessarius teneretur solùm seruare secretum profitentibus se desistere à voluntate præconcepti facinoris, quibus ipse fidem adhibere deberet seriò affirmantibus. Quapropter censent sigilli obligationem non extendi eo vsque, solo iure naturali, siue communi, siue speciali orto ex sacramenti huius institutione: sed accedere debuisse præceptum positiuum Christi volentis vt neque in eo casu sigillum violari possit, & tantùm tribuentis reuerentiæ istius sacramenti. Sicut per positiuum præceptum vel ipse, vel Apostoli, voluerunt nos tantam deferre reuerentiam sacramento Eucharistiæ, vt illius sūptioni præmittenda sit necessariò confessio sacramentalis ab iis qui sibi conscii sunt peccati mortalis: neque sufficiat contritio, quæ tamen sufficit vt cætera omnia sacramenta viuorum licitè recipiantur. Hæc illi.

7. Quibus frustra obiiciunt nonnulli Recentiores, præcepta positiua etiam diuina non obligare cum quocunque incommodo: ergo si hæc obligatio esset orta ex iure positiuo diuino, cederet grauioribus incommodis. Facilè enim respondere possent, antecedens esse falsum vniuersaliter. Quia, vt ostendimus disputando de Legibus, præcepta positiua, non modò diuina, sed & humana obligant interdum cum vitæ dispendio. Neque dubium est, quin Christus potuerit iure suo tam strictam sigilli obligationem inducere, vt in omni casu seruandum sit. Quòd si inferas; ergo sufficeret ius ecclesiasticum obligans ad sigillum seruandum, etiam cum vitæ propriæ dispendio, & non obstante quocunque alio incommodo, vt reipsa præcipitur canone *Sacerdos*, de Pœnit. dist. 6. Responderi facilè potest, quòd si hæc tanta obligatio esset solùm ex iure ecclesiastico, posset Ecclesia in eo dispensare: sed hoc est falsum, quia non potest vel Summus Pontifex, vel tota Ecclesia, præcipere vt sigillum violetur, inuito pœnitente.

8. Probatur ex natura rei. His non obstantibus communis & vera sententia est, tam strictam sigilli obligationem oriri ex ipso iure naturali, posita institutione sacramenti. Cùm enim institutio sit talis, vt quantum est ex se, & ex natura sacramenti, teneantur Christiani omnia sua peccata mortalia, quæcunque illa sint, confiteri sacerdoti: neque vllum incommodum, quod potest oriri ex ipsa natura & institutione sacramenti ipsos excusat: Consequens est, & connaturaliter debitum sacramento, vt secretum ex parte confessarii sit eiusmodi, vt in nullo casu possit violari. Nam sine tali obligatione ex parte confessarii, non posset rectè, & conuenienter secundum ordinem suauis prouidentiæ, consistere tanta obligatio ex parte pœnitentis, qui per se loquendo, & ex natura sacramenti, tenetur totam suam conscientiam manifestare confessario, nullumque illi peccatum mortale celare. Alioqui enim confessio esset nimis odiosa, si tenerentur pœnitentes aperire sacerdoti crimina sua enormia, quæ sine peccato possent à sacerdote ipsis inuitis reuelari, & periculum esset, ne licentia illa in aliquo casu concessa, & prudentiâ ac iudicio sacerdotis definienda (res enim morales non adeo præcisè definiuntur) periculum inquam esset, ne licentia illa zelo vel ignorantiâ sacerdotis ad alios casus extenderetur. Sicque metus proditionis secreti auerteret pœnitentes ab vsu huius sacramenti adeo necessarii. Quod maius malum est, quàm quodcunque aliud quod moraliter & prudenter timeri potest ex obligatione sigilli tam stricti, quodque huc vsque sciatur euenisse.

9. Adde quòd talis licentia reuelandi secretum non modò foret odiosa & perniciosa sacramento, adeóque connaturaliter illi repugnans: sed etiam inutilis per se loquendo, & ex natura rei, atque etiam perniciosa, fini propter quem existimatur esse vtilis vel necessaria. Cùm enim communis Doctorum sensus sit, non teneri quemquam ad

Digitized by Google

confitendum, si sit periculum proditionis: consequens est facultatem reuelandi confessionem inuito poenitente, fore inutilem atque pernicioſam. Nemo enim volet confiteri peccata, quorum proditio timebitur. Et ita nunquam eiusmodi mala poterunt impediri à prudentibus confessariis, vt è contrario sæpè impediuntur, cùm vel inducunt pœnitentes vt à mala voluntate desistant, aut aliter malo imminenti prospiciunt.

10. Obiicit Aegidius Coninck dubio cit. n. 31. hanc rationem probare quidem, tam strictum secretum debuisse iure positiuo præcipi: non tamen probare ex solo iure naturæ sacramenti oriri. Nam inquit, ex eo quòd sacerdos possit reuelare audita in confessione, in eo casu, in quo hoc esset necessarium ad eximendam Rempublicam præsentissimo periculo, aut aliis similibus casibus, præsertim quando hoc fieret sine alio damno poenitentis per se loquendo, non posset reddi confessio odiosa. Nam poenitens in eo casu ad nihil obligatur, ad quod iam non sit obligatus. Nunc enim tenetur tale peccatum confiteri, & vel per se monere periclitantes vt sibi caueant, vel permittere confessario vt id faciat, quatenus hoc est necessarium vt periculum euitetur: Nec aliud incommodum ex dicto casu fuisset secutum. Quare si à confessione per eam licentiam fuissent deterriti pœnitentes, immeritò fuissent deterriti.

11. Soluitur primum argumentum contrariæ sententiæ. Sed contra, primò, si, vt fatetur Aegidius, hæc ratio probat tam strictum secretum debuisse iure positiuo diuino præcipi: ergo hæc ratio ostendit confessionem futuram fuisse magis odiosam, & futurum fuisse vt poenitentes magis ab illa deterrerentur. Alioqui enim cur fuisset necessaria prohibitio reuelandi in illis casibus? Secundò dico, licet pœnitens in illis casibus teneatur vel reuelare, vel permittere vt confessarius reuelet, si alterutrum est planè necessarium: ad plus tamen obligaretur, si teneretur vi institutionis sacramenti confiteri crimen suum sacerdoti: & nihilominus sacerdos propriâ authoritate haberet licentiam reuelandi sine ipsiur consensu. Vnde posset timere pœnitens, ne sacerdos, nimio zelo, vel ignorantia, aut passione, ductus, licentiam illam extenderet, & reuelaret sine necessitate, quando suauiori modo posset remedium malo imminenti adhiberi. Nunc autem cessat causa huius timoris, cùm pœnitens certus sit non posse crimen suum sine ipsius consensu reuelari à confessario: sibique liberum esse examinare apud se num possit, crimen suum, & multò magis personam suam tegendo, prospicere malo quod timetur.

12. Diluitur secundum. Opponit secundò Aegidius ibidem n. 33. nullam esse causam cur is qui suum peccatum, etiam cum vitæ periculo tenetur reuelare, quando id est omnino necessarium ne tota Respublica euertatur, non teneatur illud confiteri ei qui hoc est reuelaturus cum exiguo aut etiam nullo ipsius damno. Quia, inquit, ille qui tenetur ita confiteri, vt permittat confessario, vel etiam adiuuet, vt per confessarium peccatum suum periclitantibus reueletur; non potest ideo abstinere à confessione ne reueletur. Talis autem tenetur id permittere confessario, posito quòd per se ipsum nolit reuelare. Et alioqui non potest absolui: Ergo &c. Adde quòd ex oppositio sequeretur absurdum: nempe quòd nemo teneretur talia crimina cõfiteri. Probatur, quia nemo tenetur cõfiteri sua peccata ei à quo scit se non esse absoluendum. Nam confessio non est instituta, neque præcepta, nisi in ordine ad absolutionem. Item, secundum illam sententiam, nemo tenetur confiteri ei à quo scit suum peccatum reuelandum. Atqui talis non potest confiteri, nisi vel ita vt peccatum eius reueletur, si id permittat: aut vt non absoluatur, si id non permittat; ergo non tenebitur illud confiteri. Quod cùm sit falsum, dicendum potiùs est, id quod communiter asseritur, neminem teneri confiteri peccata sua ei quem scit esse alicui reuelaturum, intelligendum videri in eo casu, in quo non ipsemet obligatur apertè permittere vt confessarius ea illi reuelet: alioqui enim non videtur dictum illud commune verum esse.

13. Satisfit aliis eius argumentis. Respondeo primò, si nulla est causa, cur is, qui suum peccatum etiam cum vitæ periculo tenetur reuelare, ad impediendam euersionem Reipublicæ, non teneatur id confiteri ei qui hoc est reuelaturus sine ipsius consensu: ergo nulla est causa cur Christus præceperit confessario seruare sigillum etiam in tali casu, & non prodere pœnitentem, nisi ipse consentiat. Et tamen Aegidius fatetur debuisse diuino præcepto positiuo præcipi tam arctum sigillum, & re ipsa fuisse præceptum. Secundò dico, talem quidem teneri ad confitendum crimen suum ei qui debebit reuelare, si ipse velit permittere, & nolit per seipsum reuelare. At non illi qui est reuelaturus sine ipsius consensu. Et quamuis teneatur id permittere confessario quando ipse non vult per se aut per alium manifestare, & manifestatio est planè necessaria, atque alioqui non possit absolui: non propterea potest confessarius sua authoritate, & inuito pœnitente, illud manifestare: quod cederet in odium sacramenti, & pœnitentes ab illo multò magis auerteret, vt paulò superiùs ostendimus. Potestque poenitens abstinere à confessione, si sciat peccatum suum reuelatum iri sine suo consensu, contra institutionem sacramenti, vel saltem, vt fatetur Aegidius, contra præceptum positiuum Christi instituentis. Potest inquam, abstinere à confessione, ne reueletur ipso inuito: ad quod ius habet, vel ex natura sacramenti, vt nos contendimus: vel ex præcepto positiuo diuino, vt fatetur aduersarius. Tertiò, nego ex sententia nostra sequi absurdum quod ex illa infert

Digitized by Google

Aegidius, nempe neminem teneri confiteri talia crimina. Respondeo enim, vnumquemque teneri ea confiteri, & consentire, vt nisi ipse reuelare velit, reuelet Confessarius, quantum est necessarium, & quàm consultissimè fieri potest, tum ipsius saluti, tum etiam remedio efficaci mali imminentis Reipublicæ, sed non teneri confiteri ei qui ipso inuito, & propria authoritate reuelaturus est.

14. Nemo tenetur confiteri prodituro secretum confessionis.

Quartò, ad vltimum eius argumentum Respondeo distinguendo maiorem: Iuxta nostram sententiam nemo tenetur confiteri ei, à quo scit peccatum suum reuelatum iri, sine ipsius consensu; concedo, Cum ipsius consensu & permissu; nego. Tum concessa minore, distinguo similiter consequens. Non tenebitur confiteri illi, quem scit reuelaturum sine suo consensu; concedo. Cum suo consensu & permissu; nego. Et quod communiter dicitur, neminem teneri confiteri peccata ei quem scit reuelaturum sine suo consensu, est verum vniuersaliter, etiam in eo casu, in quo poenitens tenetur vel reuelare per se, vel permittere vt confessarius reueler. Sicut vniuersaliter, atque specialim etiam in eo casu, vt fatetur Agidius, verùm est Christum præcepisse secretum non violari inuito poenitente, vt consuleret reuerentiæ & conseruationi sacramenti. Tanta enim est necessitas seruandi secretum ex parte confessarii, siue ex natura sacramenti, siue ex præcepto diuino supradicto, quanta est necessitas poenitentis, ad peccatum suum aperiendum confessario. Cùm vna necessitas non potuerit sine altera conuenienter imponi, secundum ordinem suauem diuinæ prouidentiæ, quidquid sit de potentia absoluta, de qua non disputamus.

SECTIO II.

Notantur aliqua circa doctrinam præcedentem.

15. Pœnitens potest iure sigilli cedere.

DIxi in conclusione tradita initio sectionis præcedentis, non posse confessarium vti notitia per confessionem accepta, si peccator inuitus per talem vsum prodatur. Notandum enim est 1. conuenire inter omnes non esse prohibitum iure naturali sacramenti, aut etiam præcepto positiuo diuino vt non prodatur poenitens volens & libens: sed tantùm vt ne inuitus prodi possit, ac sine ipsius consensu & facultate: qua accedente, potest, etiam vtendo cognitione ipsa sacramenti: neque enim opus est vt iterum reuelet poenitens extra confessionem id quod liberè vult manifestari posse, vt rectè docet S. Thom. in 4. dist. 21. q. 3. a. 2. & plurimi cum illo. Ratio est, quia obligatio sigilli est in fauorem poenitentium, cui possunt renunciare, si velint.

Nota secundò, aliud esse prodere peccatum: & aliud prodere peccatorem. Prius enim non est illicitum per se, sed tantùm quatenus ex proditione peccati sequi potest proditio peccatoris.

16. Potest Confessarius licitè facere aliquid vnde complices agnoscant peccatum.

Nota tertiò, aliud esse dicere poenitentem hæc aut illa peccata commisisse, vel confessum esse: & aliud, dicere aut facere aliquid, vnde conscii, vel complices peccatorum illius, colligant ipsum ea confessum esse. Prius enim directè contra sigillum est. Secus autem secundum. Alioqui non liceret dicere de pœnitente, ipsum bene confessum esse, aut coram aliis illum absoluere; aut post confessionem coram aliis factam, Eucharistiam illi coram iisdem administrare: quia quicunque sunt criminum illius conscii colligunt ex huiusmodi verbis, aut actionibus sacerdotis, poenitentem esse confessum de illis criminibus. Quippe qui possunt credere illum bene confessum esse: neque sine graui causa possunt contrarium licitè suspicari. Atque inde inferunt Scotus, Gabriel, Paludanus, Syluester, & alii, quos citant & sequuntur, Henriques lib. 6. cap. 24. n. 5. & Aegidius Coninc disp. 9. dub. 4. n. 54. Sacerdotem posse licitè fugere, aut non bibere vinum veneno infectum, quod ad consecrandum illi à poenitente, vel à coniuratis propositum fuit; in eo casu, quo coniurati suspicabuntur, aut intelligent cum hoc facere, propterea quòd vnus de sociis coniurationis ei confessus sit. Quod sitne verum, examinabimus sect. 5. num. 43. & sequentibus.

17. Pœnitens non potest prodi intra sacramentum ipsum.

Nota quartò; ne quidem intra secretum sacramenti pœnitentiæ posse confessarium pœnitentem inuitum prodere. Ita communiter Doctores contra Dominic. Sotum in 4. distinctione 18. quæstione 4. articulo 5. §. *Occurrit hic autem dubium.* Ideoque docent, sacerdotem qui non potest aperire peccatum suum, quod in sacramento alteri ministrando commisit, nisi reuelet peccatum & peccatorem qui ei confessus est: nec teneri, nec posse confiteri tale peccatum cum alterius reuelatione. Ratio est, quia secundum institutionem diuinam, traditione oris, & vsu Ecclesiæ, & communi Fidelium sensu cognitam, multò grauiùs obligat obseruatio sigilli, quod ne quidem ad mortem vitandam violare licet, quàm integritas confessionis à qua minora damna vel pericula excusant.

18. Nec loquendum ipsi pœnitenti de eius peccatis extra confessionem.

Nota quintò, ne quidem apud ipsum pœnitentem licitum esse confessario loqui de eius confessione extra sacramentum, sine pœnitentis libero consensu & voluntate. Ita Victoria in Summa n. 185. in fine, Sotus in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 6. §. *Quòd si fecisti-teris*, in fine: Ledesma quæst. 10. a. 1. dub. 9. Valentia q. 13. pu. 3. §. *Quartò sequitur*, & Suarez disp. 33. sect 5. n. 2. qui putant id esse contra sigillum, quia licet pœnitenti non sit occultum id quod in confessione dixit; id tamen educere extra iudicium sacramentale, & inducere in alium sermonem, est aliquatenus frangere sigillum & clausturū

Digitized by Google

sacramenti pœnitentiæ, intra quod manere debet materia confessionis. Confirmant, quia non obligatur pœnitens, nisi ad deferenda peccata in iudicium illud secretissimum, & ad subiiciendum se clauibus, in eodem iudicio. Quare sacerdos non habet potestatem agendi de illis, & de poenitente simul, nisi intra limites & claustrum eiusdem iudicii. Et hoc interest poenitentis, vt non aliter, etiá apud ipsũ agatur de eius confessione. Quia si magnum & graue onus est semel confiteri peccata sacerdoti: esset quoque graue audire à sacerdote peccata eadem extra illud iudicium transactum & perfectum: præsertim cùm extra forum poenitentiæ sermo & colloquutio non sit sacramentalis, neque eiusdem conditionis, sed plurimùm diuersæ. Denique certum est confessionem inde non parum onerosam & odiosam fore, si liceat extra sacramentum peccata sua poenitenti obiicere.

Ac neque in alia confessione, sine necessitate.

Addo, neque in simili iudicio debere aut posse sacerdotem peccata poenitentis repetere, quando posterior confessio, vt rectè peragatur, nihil præcedentis confessionis in præsentem reducit. Quia sacerdos plus iuris non habet in materiam præcedentis iudicii, quàm poenitens obligationis ad aliquid repetendum; & confessarius alioqui se nimis memorem ostendit eorum quæ debet oblivioni tradere, tanquam Dei vicarius, qui Ezech. 18. sic ait, *Si impius egerit poenitentiam, omnium iniquitatum eius non recordabor.* Per hæc tamen non impediuntur quò minùs Patres spirituales, ad hoc munus tacitè vel expressè à poenitentibus electi, fungantur suo munere: neue recidiui, quoad opus erit, moneantur, aut remittantur sine absolutione, si propter casum frequentiorem periculum sit ne desit vera contritio vel attritio, & propositum non peccandi de cætero: neue denique defectus in priori confessione commissi, in posterioribus prudenter suppleantur.

Vel nisi de ipsius consensu.

19. Confessarius potest negare quę audiuit in cõfessione.

Nota 6. confessarium interrogatum de rebus in confessione auditis, non modò simpliciter negare posse, verùm etiam iurare, si opus sit: illud nimirum subintelligendo, se nihil tale audiisse quod reuelare possit inuito poenitente. Ita Victoria in Summa & cæteri communiter. Si tamen peccatum esset notum aliunde; non expediret sic iurare, propter scandalum: sed in hoc casu dicendum esset à confessario, ego meo officio perfunctus suum, & ille suo.

Non peccat loquẽs de iis quæ aliunde nouit.

Nota 6. non peccare contra sigillum qui loquitur de rebus quas aliunde nouit, vtendo tantùm ea cognitione, quam extra confessionem adeptus est. Talis enim nullo modo reuelat confessionem, cùm, vt supponimus, perinde loquatur ac si confessionem non audiisset: nec educit quod intra claustrum confessionis audiuit, vt sic: nec iniuriam facit sacramento, aut poenitenti, qui non potest sacerdotem priuare vsu scientiæ, quam habet aliunde. Cauendum tamen sacerdoti à scandalo, cuius vitandi causá bonum est addere circunstantias, quibus se aliunde nosse significet; vt si dicat, se hoc vidisse, vel audiisse à tali & tali. Cauendum item ne vlla ratione aliquid amplius, aut certius affirmet quàm extra confessionem nouerit. Nam alioqui sigillum frangeret, si propter confessionem aliquid amplius adderet. Expedit denique de illis non loqui citra grauem necessitatem.

20. Peccat interdum loquendo de peccatis in genere.

Nota 8. non tantùm peccare contra sigillum eos, qui reuelant peccatum alicuius poenitentis in particulari: verùm etiam qui dicunt grauia peccata perpetrari in loco vbi confessiones audiunt: præsertim si communitas illius loci parua sit. Nam id cedit in præiudicium communitatis, quæ inde infamatur, & consequenter poenitentes in quorum perniciem redundat infamia Communitatis. Indeque confessio odiosa redditur, nec sine scandalo audiuntur, qui ex scientia confessionis hoc asserunt.

Pœnæ contra violatores sigilli.

Nota vltimò poenas grauissimas in sigilli ruptores staturas esse, cap. *Sacerdos*, de poenitent. Sed vt reipsa subeantur, opus est sententia iudicis. Et quamuis graue peccatum sit, per se loquendo, violare sigillum: leuitas tamen materiæ, vel defectus deliberationis excusare potest à grauiori culpa, sicut in aliis præceptis. Habet autem semper hoc peccatum duplicem malitiam. Vnam irreligiositatis & irreuerentiæ contra sacramentũ: alteram iniustitiæ contra pactũ tacitè initum cum poenitente, de non reuelando eius peccato in vllo casu, in quo non licitum sit reuelare. Fierique potest vt hæc malitia iniustitiæ non sit grauis, quia poenitens parum curat tale peccatum suum reuelari: Et tamen irreuerentia contra sacramentum sit grauis; quia talis reuelatio multum nocet bono sacramenti. Potest autem esse grauis etiam circa peccata venialia.

SECTIO III.

An alii præter confessarium teneantur obligatione sigilli?

21. Conclusio affirmat.

REspondeo, eos omnes teneri obligatione sigilli, ad quos immediatè, vel mediatè, ex confessione sacramentali pœnitentis peruenit notitia peccati ipsius. Ratio est, quia reuerentia, & securitas sacramenti postulat illos omnes obligari, vt non possint poenitentem prodere, & quæcunque præcisè vi confessionis sacramentalis cognoscunt de peccatis confessis, maneant sub sigillo inuiolabili, quantum & quatenus necessarium est, vt ipse non manifestetur inuitus.

Tenẽtur illi qui audiunt confitentem.

Ex quo sequitur 1. teneri sigillo eos omnes qui audiunt peccata poenitentis, dum ipse confitetur: siue voluntariè & malitiosè

id faciant, siue ex quadam necessitate & inuoluntariè, vt fit interdum, quando magnus est numerus confiteri volentium, & obsidentium tribunal sacerdotis. Idemque dico de interprete, cùm quis per illum confitetur: & de aliis ad audiendam confessionem adhibitis, si pœnitens alios adhibet, vel consilii causâ, vel maioris confusionis, aliaue ratione. Nam isti omnes norunt peccatum pœnitentis immediatè ex ipsius confessione sacramentali.

22. Et si quibus confessarius reuelauit.

Sequitur 2. teneri quoque sigillo eos omnes, quibus malitiosè, vel imprudenter confessarius prodidit pœnitentem, vtendo notitiâ per confessionem tantùm acceptâ, & eos quibus ex consensu pœnitentis ipsum manifestauit: putà quando ex ipsius consensu consulit virum doctum super ipsius peccato in confessione audito: vel recurrit ad superiorem, vt obtineat ab illo facultatem absoluendi à casu reseruato, in confessione sacramentali iam sibi expositò, vel in ordine ad illam eidem confessario faciendam, & iam quodammodo inchoatam. Ratio est, quia isti omnes norunt tantùm peccatum pœnitentis mediatè ex ipsius confessione sacramentali. Vergeretque in magnum præiudicium confessionis, si is cui v. g. confessarius malitiosè pœnitentem reuelauit, posset illum deferre ad Magistratum, ob crimen in Rempublicam commissum, & dare illi occasionem inquirendi.

23. Et consultus ab illo.

Speciatim verò de consiliario id ampliùs probatur: quia consiliarius à confessario consultus, vnum facit quodammodo cum illo ad supplendum eius defectum. Quare debet eodem sigillo teneri. Alioqui valde onerosum, & odiosum esset pœnitentibus, petere ab illis licentiam consulendi alium, si ille non obligaretur eodem sigillo. Confirmatur, quia si consiliarius non teneretur sigillo. Ergo nec illi quibus diceret. Ergo neque confessarius, si id rursus audiret à consiliario, teneretur ad sigillum respectu secundæ notitiæ acceptæ per illum. Quod est absurdum, & vergit in manifestum præiudicium confessionis.

Et superior à quo petitur facultas circa reseruata.

Præterea de Superiore, à quo petitur facultas absoluendi à reseruatis, est specialis ratio. Quia tunc causa ad illum defertur, tanquam ad iudicem superiorem in hoc foro sacramentali. Ergo reuerentia, & bonum sacramenti postulat, vt teneatur obligatione sigilli. Alioqui enim confessio esset valde odiosa: haberentque Superiores, ratione illius, viam cognoscendi peccata extra confessionem: quod illi valde pernicioſum esset.

24. Pœnitens nō tenetur sigillo.

Sunt qui existiment, ipsum quoque pœnitentem teneri obligatione sigilli circa ea, quæ in confessione audit à confessario. Ita Nauarrus in caput *Sacerdos*, de Pœnit. num. 115. & Adrianus quæst. vlt. de Confessione dub. penult. versus finem, in responsione ad argumenta principalia, §. *Ad confirmationem inductam*. Sed falluntur, quia obligatio sigilli est in fauorem pœnitentis, vt securè totam suam conscientiam manifestet confessario, sicut tenetur facere secundum Christi institutionem: non autem in fauorem sacerdotis, qui ex natura & institutione sacramēti non tenetur manifestare peccata sua pœnitenti, ideóque non eget obligatione sigilli circa ea, quæ dicit pœnitenti. Quare non est alia obligatio in pœnitente, quàm secreti naturalis circa ea, quæ interest confessarii vt secretò seruentur, quæque non possunt manifestari sine aliquo iniusto ipsius præiudicio, aut contra rationabilem ipsius voluntatem: adiunctâ tamen speciali irreuerentiâ contra sacramentum, quæ oritur ex eo quòd pœnitens reuelet dicta & depositа in sacramento, velut in azylo.

25. Quid si aliquis repetit peccata scripta à pœnitente?

Sunt etiam qui putent teneri obligatione sigilli eos, qui legunt peccata pœnitentis in charta descripta. Non modò si legant in ipsa confessione; vt si pœnitens ex scripto confiteatur, & alius furtiuè scriptum ipsius legat: vel si pœnitens vtatur alio qui chartam illam sacerdoti legat (quod omnino verū est: quia talis notitia habetur immediatè ex confessione: & prior se habet vt ille, qui furtiuè confessionem audit: posterior verò se habet velut interpres, & internuncius pœnitentis) verùm etiam quando ante, vel post, & extra confessionem, reperit illam, & legit. Sed hoc verum esse non puto. Quia tunc hæc notitia non habetur ex confessione sacramēntali mediatè, vel immediatè, sed ex remota quadam præparatione ad illam. Quare iste tenetur tantùm obligatione secreti naturalis: vt teneretur ille qui audiret pœnitentem peccata sua proferentem, dum se parat ad confessionem. Secus esset dicendum, si quis confiteretur per literas (dato quod id fieri posset) & aliquis literas interciperet, & legeret. Vel, quod fieri potest, si legeret literas, quibus à Superiore peteretur facultas absoluendi à reseruatis. Par enim est ratio, vt ipse teneatur sigillo, æquè ac ipse superior: quia hæc notitia habetur mediatè, vel immediatè, ex confessione sacramentali, saltem inchoata.

26. Interpres obligatur ad sigillū.

E contrario verò sunt qui existiment interpretem non teneri obligatione sigilli: quia cùm non sit necessarium confiteri per interpretem; obligatio sigilli non debet esse annexa tali confessioni non necessariæ; sed tantùm illi, quæ quia secundum Christi institutionem necessaria est, non debuit reddi odiosa. Verùm hæc ratio nullius est momenti. Nam confessio de venialibus, vel de mortalibus iam remissis, non est necessaria secundum Christi institutionem: & tamen confessio de illis obligat ad sigillum, vt fatentur aduersarii. Ergo non est verum quòd sola illa confessio sacramentalis, quæ secundum Christi institutionem necessaria est, obliget ad sigillum. Deinde, iidem Auctores fatentur interpretem adeo teneri secretum seruare, vt in nullo casu possit illud violare. Ergo tenetur sigillo sacramenti. Nam secretum, naturale tantùm, non adeo

Digitized by Google

obligaret.

27. Sunt etiam qui putent eos qui sponte adhibentur à poenitente ad audiendam ipsius confessionem sine necessitate, non teneri sigillo. Tum quia hoc nullo modo necessarium est, vt confessio non reddatur nimis odiosa. Tum etiam quia hæc notitia non habetur ex confessione sacramentali. Nam ea peccatorum narratio, sicut ad diuersos dirigitur ex intentione poenitentis, ita virtute duplex est. Et prout quidem dirigitur ad confessarium, est sacramentalis; non autem prout dirigitur ad alios. Quare isti non habent suam cognitionem ex confessione quâ sacramentali: Ita sentiunt Aegidius Conine disp. 9. dub. 3. n. 46. & Delugo disp. 23. n. 39.

28. Et qui sponte adhibentur vt audiant simul eius confessionem.

Verùm probabilius censeo, narrationem illam poenitentis esse ex ipsius intentione sacramentalem prout ad alios dirigitur. Nam illos non adhibet, nisi ad audiendam confessionem sacramentalem vt talem, & vt sigillo munitam, tutamque ab omni periculo reuelationis. Quare non intendit illos eximere ab onere seruandi sigillum annexum confessioni sacramentali. Quòd si nolint subire; debent id significare poenitenti, & non adesse ipsius confessioni, nisi ipse velit iure suo renunciare. Nam si poenitens potest intendere vt confessio facta coram multis in periculo naufragii, sit sacramentalis, & obligans sub sigillo respectu omnium audientium, vt fatentur authores citati: in quo tamen casu consentit ex necessitate vt ab illis audiatur: Quidni etiam possit intendere, vt sit sacramentalis, respectu eorum quos sponte adhibet ex causa rationabili? Non enim obest, quòd non incumbit illi necessitas ita confitendi; nam neque vlla incumbit necessitas confitendi venialia, aut mortalia iam directè remissa: & tamen huiusmodi confessio obligat ad sigillum, quia nimirum illa obligatio nascitur ex quacunque confessione sacramentali.

29. Putant aliqui non teneri Confiliarium.

Idem Aegidius eadem disp. 9. n. 40. & sequentibus, docet consiliarium à confessario consultum non teneri obligatione sigilli, quia lex nunquam se extendit ad eum casum, ad quem ratio legis non se extendit. Ratio autem legis sigilli & finis illius est, prospicere solùm ei peccatorum narrationi, quæ necessaria est ad obtinendam sacramentalem absolutionem. Ad hanc verò præcisè nunquam est necessarium, vt confessarius alteri reuelet quæ audit in confessione, præsertim ita vt persona confitentis cognoscatur. Sed hæc reuelatio, & consultatio, est solùm necessaria, vel quia confessarius dubitat an poenitens teneatur aliquid restituere: vel vtrum possit in tali statu sine peccato manere, aut talem contractum exercere, sine qua consultatione potest absolui poenitens modò promittat adire virum doctum, & facere quod ille iudicauerit. Ad quod idem teneretur, quamuis non esset instituta confessio. Neque enim oritur hæc obligatio ex confessionis institutione: sed ex eo quòd poenitens tenetur vitare peccata, & proxima peccandi pericula. Confirmatur, quia confessarius consulens virum doctum, facit hoc in fauorem poenitentis, & agit eius partes: & hic per illum, tanquam per suum instrumentum, alium consulit. Quare sicut si poenitens per seipsum consuleret virum doctum extra confessionem, notitia, quam illi daret, non esset sacramentalis, neque obligaret ad sigillum: ita nec potest dici sacramentalis, quando poenitens eum consulit per confessarium.

30. Refellitur eorum argumenta.

Ad 1. argumentum Respondeo 1. consultationem interdum necessariam esse ad dandam absolutionem, quando confessarius dubitat de potestate absoluendi circa hunc vel illũ casum. 2. Finem legis de sigilio, non solũ esse prospicere præcisè narrationi necessariæ ad obtinendam absolutionem sacramentalem; sed potiùs omni confessioni sacramentali cuius reuerentia & securitas exigit, vt omnis notitia mediatè vel immediatè per illam solam habita, ita maneat sub sigillo, vt poenitens inuitus non possit manifestari, sed tantùm cui, & quantum voluerit; sitque in plena ipsius potestate, dare vel negare, & extendere vel contrahere facultatem reuelandi.

31. Ad confirmationem Respondeo, negando consequentiam. Est enim differentia inter poenitentem consulentem per seipsum virum doctum extra confessionem: & consulentem per confessarium de eo, quod illi solùm in confessione reuelauit. Nam prior notitia nullomodo habetur ex confessione. Secus autem posterior, quæ ideo debet manere sub sigillo quantùm poenitens vult, adeóque neque confessarius potest vti illa notitia vt reuelet aliis, quàm quibus permittit poenitens; neque isti quibus reuelat confessarius, possunt aliis patefacere inuito pœnitente.

Idem author ibidem num. 47. censet superiorem à quo extra sacramentum petitur facultas absoluendi à casu reseruato, non obligari sigillo, quando aut pœnitens per se petit, aut per confessarium cui extra confessionem dixit, vt eam facultatem peteret. Ratio eius est, quia neutra cognitio habetur ex confessione sacramentali, ex qua sola oritur sigillum. Si autem, inquit, hæc petitio facultatis cum explicatione personæ pœnitentis fieret ex huius venia per confessarium, qui ex sola confessione sacramentali haberet casus cognitionem: tunc eadem esset obligatio illius superioris, & eius qui à confessario cum venia pœnitentis consulitur: qui, vt iam vidimus, iuxta huius Authoris sententiam, non obligatur sigillo.

Idẽ aliqui censent de superiore.

32. Refutatur.

Verùm, cùm absolutio directa à mortalibus reseruatis sit necessaria secundum Christi institutionem: & hæc haberi nequeat sine recursu pœnitentis ad superiorem per se, vel per alium: necessarius ille recursus

ad

ad superiorem, est confessio sacramentalis inchoata: ideoque notitia per illam habita debet claudi sigillo. Alioqui confessio de reseruatis redderetur valde odiosa, ob periculum reuelationis, maximè in eo casu, quo superior non potest audire confessionem pœnitentis, vel quia non est sacerdos, vel quia non vacat propter alias occupationes: sic enim superiores haberent viam cognoscendi delicta inferiorum, occasione confessionis, absque sigilli obligatione: quod est absurdum, & confessioni pernicioſum. Superest explicare ex quali confessione oriatur obligatio sigilli: qua de re dicemus sect. sequenti.

SECTIO IV.

Ex quali confessione oriatur obligatio sigilli, & quæ sit eius materia?

33. Oritur ex sola & omni confessione sacramentali.

Dico primo, obligationem sigilli oriri ex sola & omni confessione sacramentali, quæ vt ne grauis & odiosa redderetur, debuit vniuersaliter tam stricta sigilli obligatione muniri: atque re ipsa vi ipsius institutionis connaturaliter munita fuit. Aliæ verò peccatorum manifestationes, quæ etiam laicis citra eius institutionem fieri possunt, relinquuntur iuri naturali, quo tenetur quisque non reuelare peccata aliena, ne proximum infamet, neue peccet contra fidelitatem, & promissionem, saltem tacitam, quâ obligatur seruare secreta sub ea conditione sibi commissa. Est autem differentia inter vtrumque secretum. Quia sacramentale multò arctiùs obligat: ac ne quidem ad vitandum malum proprium aut alienum, etiam publicum & graue, violari potest: secus autem naturale. Ita docent Suares, Henriques, Vasques, Aegidius & alii communiter, qui ne publicam quidem confessionem excipiunt: nam neque de illa loqui potest confessarius, nisi quatenus hæc est voluntas ipsius pœnitentis: qui tamen hoc ipso quòd publicè confitetur, videtur sigillo confessionis renunciare, neque magis velle obligare confessariũ, quam alios. Per sacramentalẽ verò confessionẽ hic intelligunt eam solam, & omnem, quam facit pœnitens illi quem bona fide credit esse sacerdotem, in ordine ad absolutionem recipiendam, & ex intentione confitendi sacramentaliter illi vt iudici, secundum Christi institutionem: tametsi fortè absolutionem non recipiat, vel quia indispositus est, vel quia propter casus reseruatos non potest absolui, vel quia cupit absolutionem differri in alium diem ex causa rationabili. Ratio est, quia talis confessio est sacramentalis, saltem imperfectè, & ex intentione confitentis: & nisi induceret obligationem sigilli, cederet in præiudicium confessionis sacramentalis, quæ alioqui valde oneroſa, & inuidioſa redderetur, faciléque pateret calumniis. Nam maxima ex parte pœnitentes, præsertim qui haberent crimina grauiora quæ cedunt in præiudicium tertii, possent sibi meritò timere, ne sacerdos ea postea manifestandi ius haberet, siue quòd ipsi re vera non sint satis dispositi, vel præsumantur non esse; siue quòd sacerdos non habuerit potestatem absoluendi ab illis: qua ratione plurimi à confessione deterrerentur.

34. Quæ confessio dicatur sacramentalis?

Hinc collige duas tantùm conditiones requiri vt aliqua confessio censeatur esse sacramentalis, & obligans ad sigillum. Primò, vt fiat illi quem pœnitens bona fide putat esse sacerdotem. Secundò, vt fiat in ordine ad absolutionem, & cum intentione confitendi sacramentaliter illi vt iudici à Christo instituto, à quo vel absoluatur, vel aliter iuuetur, prout ipse iudicauerit.

Defectu primæ conditionis, confessio facta laico, vel Clerico non sacerdoti cognito vt tali, non est sacramentalis: licet pœnitens per errorem inculpabilem existimet talem licitè & validè posse absoluere secundum Christi institutionem. Vnde talis audiens confessionem non tenetur sigillo, sed tantùm naturali secreto. Secus autem ille quem bona fide pœnitens credit esse sacerdotem. Ratio differentiæ est, quia licet neutra confessio sit verè sacramentalis in re ipsa: iste tamen qui errat tantùm circa factum, id est, circa personam, quam credit esse sacerdotem, apprehendit veram confessionem à Christo institutam, & illius specie deceptus per errorem circa personam, conscientiam suam confidenter exponit illi tanquam vero sacerdoti & iudici à Christo constituto. Quæ confessio nisi sigillo muniretur, vergeret id in præiudicium veræ confessionis sacramentalis, quæ minùs secura redderetur ob periculum eorum qui malitiosè fingunt se esse sacerdotes, aut qui putant se tales esse, & non sunt. Alter verò qui errat circa ius, non apprehendit confessionem à Christo institutam, faciendam scilicet sacerdoti: sed aliam à se fictam, quæ licet soli secreto naturali relinquatur, id non præiudicat securitati & reuerentiæ confessionis à Christo institutæ.

35. Defectu verò secundæ conditionis, non est confessio sacramentalis & obligans ad sigillum, illa quæ fieret solùm ex intentione inducendi confessarium ad peccandum: vel fingendo tantùm se velle confiteri ad lucrandum fauorem sigilli, & securitatem eorum quæ narrabuntur: vel quæ solius consultationis aut solatii causa fit, nihil curando de absolutione, neque saltem se accusando in hoc foro, ex animo se subiiciendi clauibus Ecclesiæ. Et quidem si manifestum est pœnitentem venire eo animo, vel quia ipse hoc diserè profitetur, vel quia patet manifestis indiciis: monendus est pœnitens ex tali modo narrationis non oriri obligationem sigilli, si bona fide accedit, & credit oppositum,

Sin autem res est dubia : iudicandum est in fauorem confessionis & pœnitentis; & seruandum sigillum. Non est tamen necessarium ad inducendam obligationem sigilli, vt pœnitens habeat intentionem obtinendi absolutionem validam. Nam confessio licet non integrè facta culpabiliter, obligat ad sigillum. Neque etiam vt habeat veram attritionem aut contritionem de peccatis, & propositum abstinendi in posterum. Nam licet hæc manifestè desint, non deest obligatio sigilli, modò pœnitens confiteatur ex animo se accusandi, & submittendi clauibus Ecclesiæ, siue vt præcepto Ecclesiæ satisfaciat, siue alia de causa. Vnde in cap. *Quod quidam*, de Pœnit. & Remiss. dicitur audiendas esse confessiones meretricum, & similium qui sunt in statu peccati, licet illis non sit danda absolutio, propter indispositionem.

36. Non requiritur tamen reciprocè vt sacerdos habeat intentionem audiendi confessionem sacramentalem, & absoluendi si expediat. Alioquin posset decipere pœnitentem: & timor huius deceptionis auerteret à confessione, obesseretque securitati sacramenti. Si tamen confessarius initio protestaretur nolle se audire confessionem pœnitentis, & pœnitens illi inuito peccata sua obtruderet: putat Suares non fore obligatum sigillo. Quia non potest cogi ad audiendam confessionem vt sacramentalem: quare confessio ita facta non est sacramentalis. Verùm cum sacerdos, tali confessione audita, possit, si velit, mutato animo illum absoluere; consequens est illam esse sufficienter sacramentalem: ideoque obligare ad sigillum. Præsertim verò si pœnitens bona intentione id faciat propter necessitatem absolutionis, & inopiam alterius, ad istum commiseratione sui status, & indigentiæ remedii flectendum.

37. Materia sigilli quænã sit

Circa secundum in titulo sectionis propositum, quæ sit materia huius sigilli, Dico secundò, ex iis quæ in confessione audiuntur, cadere sub sigillum primò quidem omnia mortalia tam in genere, quàm in specie, vnde frangit sigillum qui dicit, Talis mihi confessus est peccata mortalia: vel, Talis mihi cõfessus est peccatum homicidii. Secundò, cadunt etiam sub sigillum circũstantiæ peccatorum, & peccata sociorum seu complicum, & naturales defectus siue originis & nataliũ, siue alii, noti tantùm ex confessione pœnitentis, & sui ipsius manifestatione voluntaria, & quæcunque alia etiam non peccata quæ dicuntur ad peccatum declarandum: ac denique peccata venialia in specie, non autẽ in genere. Vnde sigillum quidem violat qui dicit, Talis mihi confessus est leue peccatum mendacii: non autem si dicat in genere, Talis mihi confessus est peccatum veniale. Ratio huius postremæ partis est, quia qui dicit pœnitentem sibi confessum esse peccatum leuis mendacii, aperit aliquid ex confessione cognitum, quod per se aliis non patebat, Nã videns aliquem confitentem, non potest inde vi confessionis colligere eum cõfiteri peccatum mendacii, aut aliquod aliud determinatè in specie. At verò ex ipsa confessione constat eum aliquod peccatum confiteri, quod necessariò aut veniale, aut mortale est. Quare sacerdos, cùm dicit illum confessum esse peccatum veniale, non tam reuelat ipsius peccatum, quàm arcet suspicionem quâ posset quis existimare confessum esse mortalia. Neque fit iniuria pœnitenti, si dicatur ipsum esse confessum, quod est commune omnibus fidelibus: nec sacramento, cuius aliqua materia saltem venialis necessariò esse debet. Exclusio verò peccati mortalis poenitenti commoda potiùs, quàm iniuriosa est.] Vnde etiam hac in re iustè præsumitur consensus poenitentis.

Atque ea est communis omnium sententia: qui tamen rectè monent cauendum hic esse à quibusdam loquendi modis, qui sigillo pernicioſi esse possunt. Vt si sacerdos tribus auditis, dicat de vno determinatè, Talis tantùm confessus est peccata venialia: quo loquendi modo innuat alios fassos esse mortalia. 38

Debẽt celari ea omnia propter quæ cõfessio redderetur odiosa.

Ratio verò cur prædicta omnia sub sigillo claudantur, est quia alioqui confessio redderetur odiosa calumniisque obnoxia: & communis hominum confitendi modus exigit prorsus vt non modò peccata ipsa sub sigillo contineantur: sed alia quoque sine quibus confidenter explicari nequeunt. Denique illa omnia sunt materia confessionis, vel per se, vt peccata: vel per reductionem, cùm ordinentur ad explicationem peccati, tanquam ad illam necessaria vel vtilia. Ideoque ad securitatem & libertatem poenitentis debent cadere sub sigillum: etiamsi imprudenter & inutiliter aliqua dicantur: quia rudes etiam & simplices, qui putant illa esse vtilia vel necessaria, debent posse securè confiteri sine periculo reuelationis. Quare debent claudi sigillo omnia huiusmodi quæ ipsorum interest occultari. At huiusmodi non sunt quòd poenitens sit coniugatus, sit magistratus, artifex, mercator, & similia: nec enim poenitentes curant hæc occultari. Neque etiam defectus qui ipsa experientia cognoscuntur in confessione: vt quòd aliquis sit blesus, sit hebetis & duri ingenii, sit naturæ timidæ, & similia, quæ nullam habent connexionem cum confessione, neque cognoscuntur ex poenitentis reuelatione, sed per se patent ipsa experientia. Excepto casu, quo aliqui tales defectus, alioquin occulti, paterent solùm confessario ex modo se ipsum accusandi, quem poenitens iudicat esse sibi necessarium vel vtilem ad se integrè accusandum: vt contingit aliquibus scrupulosis, qui extra confessionem tales non apparent.

Digitized by Google

SECTIO V.

Soluuntur aliæ duæ quæstiones de sigillo confessionis.

39. Quomodo loquendū Confessario de pœnitente quem non absoluit?

SVperest quærere primò, quomodo cõfessario loquendum sit de pœnitente qui non fuit absolutus? Respondeo non esse contra sigillum loqui de illo, eo modo qui non reddit confessionem odiosam: multóque minùs si est ipsi pœnitenti gratus aut fauorabilis. Vt si dicat pœnitentem non fuisse absolutum, quia non habuit materiam sufficientem absolutionis: quia incepit confessionem generalem, quam non potuit absoluere: quia confessarius fuit aliò vocatus, propter quod fuit interrumpenda confessio: aut quia non habebat sufficientem vsum rationis propter ætatem, aut morbum. Secus vero si dicat, aut facto aliquo significet non fuisse absolutum, quia erat culpabiliter indispositus: in quo casu debet tantùm interrogantibus respondere, se functum esse suo munere. An verò tunc illi petenti negare possit communionẽ, patet ex dictis disp. 37. de Eucharistia, sect. 1. Si autem talis pœnitens ex causa rationabili petat à confessario testimonium quòd sit confessus, potest illi dari, quia verum est esse confessum. Sed non debet addi fuisse absolutum: quia falsum est.

40. Vsus notitiæ partæ per confessionem est aliquatenus illi licitus.

Quæritur secundò, vtrum liceat confessario extra confessionem vti notitiâ per eam comparatâ? Respondeo & dico primò, illum omnem vsum talis notitiæ licitum esse qui non reddit confessionem grauem & odiosam. Ratio est, quia obligatio sigilli tota in eo fundatur vt ne confessio sacramentalis reddatur grauis & odiosa pœnitentibus. Quare prohibet solùm illum vsum ex quo natum est sequi tale incommodum.

Hinc sequitur non prohiberi vsum illius permissum à pœnitente expresè consentiente. Neque vsum illi necessarium & fauorabilem. Vt si confessarius interrogatus à marito Zelotypo, de coniuge ipsi confessa, affirmet illam esse castam & coniugi fidelem: quod simpliciter respondendum est: ne tergiuersatio det marito maiorem suspicandi occasionem. Neque etiam vsum illum qui non dat occasionem detegendi personas, & ea quæ ad ipsas pertinent sub sigillo concluſa: vt si notitia per confessionem parta solum moueat confessarium vt pœnitentem magis in spiritu diligat, pro illo sæpius oret, maiorem illius curam habeat, plura illi beneficia vel signa beneuolentiæ exhibeat: vel si occasione notitiæ eiusdem, consulat libros, vel peritos, vt deinceps sit paratior ad resoluendos casus difficiliores: si inde euadat prudentior ad seipsum & alios regendos, ad cauenda pericula peccandi, ad meliùs conuersandum cum proximis, aut incolis eiusdem loci, quorum mores meliùs nouit: ad suauiùs vel exactiùs gubernandum subditos, ex quorum confessione intelligit suam seueritatem, aut negligentiam illis nocere. Dummodo enim absit periculum suspicionis circa personas, talis vsus non potest reddere confessionem grauem & odiosam.

41. Quando nõ sit illicitus?

Dico secundò, illum omnem vsum esse illicitum, ex quo possunt alii coniicere pœnitentem feciſſe vel aliquod peccatum veniale in specie; vel aliquod peccatum mortale, etiam in genere, seu confusè tantummodo significatum. Ratio est, quia talis vsus est apertè reuelario confessionis, & fractio sigilli, si fiat inuito pœnitente, vt fieri supponimus; redditque grauem & odiosam confessionem. Ex quo sequitur confessarium non posse vitare coram aliis eum quem ex confessione sola nouit esse nominatim excommunicatum, si vitando det aliis suspicionem, aut periculum suspicandi se id facere ob crimen in confessione cognitum. An verò in occulto vitare illum debeat, dicemus paulò post. Similiter qui nouit ex confessione sola aliquem esse indignum beneficio aliquo, non potest illi negare suum suffragium in electione publicè facta, vel illum remouere ab officio si est eius superior à quo id pendeat: tum si ad libitum remouere eum possit. Non enim propterea vti potest notitiâ confessionis ad remouendum. Item, qui nouit ex confessione pœnitentem simulare se esse sacerdotem: si ipse solitus erat ei confiteri, non debet desistere ad illum accedere, non vt confiteatur sacramentaliter, sed vt per speciem confessionis illum seriò moneat de statu in quo est: si periculum est ne desistendo inducat alios in suspicionem criminis ex confessione noti. Sed hic casus, & multi alii, qui hoc loco proponi solent, sunt metaphysici, & ab vsu remoti. Quis enim confiteatur crimen illud suo pœnitenti nisi velit resipiscere? Et quis non facilè vel à tali obtineat ne ampliùs ei confiteatur, vel alium prætextum habeat vacantem periculo reuelationis

42. Dico tertiò, etiam vsum illum esse illicitum, per quem dicto vel facto, aut signo aliquo, peccatum pœnitentis significatur aliis iam scientibus. Ratio est quia si non licet loqui vel cum ipso pœnitente, extra confessionem de peccatis ipsius, quanquam ipsi notis, vt ostendimus sectione secunda, & paulò post ampliùs confirmabimus: multò minùs licet loqui aut significare aliis. Indéque confessio redderetur odiosa & grauis, si liceret confessario aliis, quamuis scientibus, manifestare peccata pœnitentis, & de illis colloqui.

Possitne ille vti ad damnum suum vitandum.

Hinc inferunt plerique Doctores non posse confessarium fugere mortẽ, vel vitare venenum ipsi paratum in vino consecrando:

si fuga aut euitatio significat cõplicibus peccatum pœnitentis ipsi confessi de machinatione & conspiratione contra ipsius vitam. Idque licet versetur in periculo mortis etiã spirituali, putà, quia est in malo statu, & veretur ne conteri non possit, in quo casu debet fortiter mori pro reuerentia debita sacramento, & sperare auxilium à Deo, qui non deerit.

43. Alii tamen, quos refert & sequitur Aegid. Coninc disp. 9. dub. 4. nu. 56. dicunt talem posse licitè fugere, etiamsi mors inde immineat pœnitenti à complicibus. Quia talis nõ reuelat peccatum pœnitentis, sed tantùm facit aliquid vnde complices criminis intelligunt ipsum esse cõfessum tale crimen. Quod potest licitè fieri. Alioqui confessarius non posset de latrone, suspenso propter sua latrocinia, dicere ipsum sibi rite confessum esse, & obiisse bene dispositum: quia socii ex his verbis colligunt eum de suis latrociniis confessum esse. Nec obest quòd in casu suprà posito ex fuga confessarii mors immineat pœnitenti à complicibus. Hoc enim periculum non impedit quò minùs possit licitè fugere. Sicut si vnus de famulis Heri hæretici confessus esset, & Herus certus aliquem esse confessum, ignorans verò quem, minaretur sacerdoti mortem nisi illum designaret; posset cõfessarius illum designare mortis vitandæ causâ, quamuis sciret fore vt ille ab Hero interficiatur, quia dicere tantùm aliquem esse cõfessum, non est violare sigillum confessionis. Quare posset talis sacerdos vitæ suæ consulere sine fractione sigilli. Aliunde verò non tenetur impedire mortem pœnitentis cum damno vitæ propriæ, nisi pœnitens versaretur in extrema necessitate salutis spiritualis.

44. Potest dicere talem sibi esse confessum.

Verum licet non sit contra sigillum dicere tantùm aliquem esse confessum rite, & cum debita dispositione: secus tamen, dicere, aut facto vel signo significare aliquod tale peccatum à pœnitente commissum fuisse. Hoc autem facit sacerdos qui fugiendo, aut abstinendo à sacro faciendo propter venenum sibi paratum in calice, significat ipso facto mortem à pœnitente & à complicibus sibi paratam esse. Nam significat illud peccatum commissum fuisse, perinde ac si diceret, mors mihi intentatur: venenum mihi paratum est. Indeque fit vt conscii, & complices criminis, intelligant pœnitentem esse confessum crimen illud sacerdoti. At verò qui tantùm dicit, aliquem esse confessum: non significat illum commisisse hoc aut illud crimen: neque ex eius dicto aut facto potest quisquam hoc colligere: sed tantùm, quòd simpliciter confessus sit sicut oportet. Quare si conscii criminum colligunt ipsum de illis esse confessum: non id faciunt quia confessarius vllo modo significat ipsum ea crimina fecisse; sed solùm quia ipsi aliunde sciunt ea fecisse, & debuisse de illis confiteri, si rite confiteri voluit. Tantùm enim significat confessarius ipsum confessum esse, & nullo modo præcisè significat de quibus peccatis confessus sit.

45. Quid faciendum in casu prædicto.

Aliter ergo dicendum censeo in eo casu, qui fortè nunquam contigit, debere confessarium diligenter attendere num talis monitor veniat ad confessionem cum animo sincero confitendi sacramentaliter: an potiùs ex animo illum ligandi arctissimo sigillo, & impediendi ne vitæ suæ consulat. In quo casu non tenetur sigillo, quia confessio non est sacramentalis. Et quidem si confessarius petit ab illo facultatem vtendi tali notitia quãtum est opus vt vitæ suæ consulat, & ipse nolit eam dare in casu quo possit absque vitæ suæ periculo, vel alio valde graui incommodo; signum est venire ficto animo ad lucrandum sigillum. Sin autem veniat sincera intentione, subeunda est mors, si non potest vitari sine fractione sigilli. Neque sacerdos propterea consecrans vinum veneno infectũ, & bibens illud cum vitæ suæ dispendio, peccabit, quia necessitate ineuitabili adactus eligit id quod minus malum est, & tantùm facit aliquid, ex quo sequitur, per malitiam ineuitabilem aduersariorum, tum aliqua irreuerentia ergæ sacramentum Eucharistiæ, tum etiam ipsius mors: quorum vtrumque & seorsim, & simul, est minùs considerabile, quàm detrimentum quod sacramento pœnitentiæ immineret ex licentia violandi sigillum. Quia tamen prior sententia non caret sufficienti probabilitate, posset confessarius, cui talis casus occurreret, eam sequi, vt sibi magis fauorabilem.

46. Non potest vti, notitia illa ad regimen onerosum pœnitentis.

Dico quartò, illum quoque vsum esse illicitum, & contra sigillum, quo confessarius, ob notitiam ex confessione acceptam, exercet circa pœnitentem actus aliquos ipsi onerosos & ingratos, quibus suum illi peccatum obiicere videtur, & indirectè exprobrare: quamuis ita fiant, vt nullus præter pœnitentem aduertere possit eos fieri propter notitiam in confessione acceptam. Ita docent Aegid. Coninc disp. 9. dub. 4. nu. 54. Delugo disp. 23. sect. 5. & alii. Ratio est, quia si non licet loqui cum pœnitente sine ipsius licentia de peccatis ante auditis in cõfessione: multò minùs licet ea illi obiicere, & quodammodo exprobrare, exercendo circa illum actus ipsi onerosos, & ingratos, propter notitiam ex confessione habitam: ex quo sanè confessio redderetur grauis & odiosa: & propter quod vitandum possent interdum pœnitentes licitè omittere peccata aliqua, ex quorum confessione timerent sibi graue incommodum à confessario, à quo scirent se posse licitè lædi in officiis, beneficiis, fortunis, & similibus, modò ne alii intelligant id fieri propter notitiam in confessione acceptam.

47. Nec refert quòd talis manifestatio delicti est tantùm indirecta. Nam sicut manifestatio indirecta facta aliis, præsertim nescientibus, est illicita & contra sigillum: sic & illa quæ fit ipsimet pœnitenti extra cõfessionem. Ratio à priori est, quia omnis illa manifestatio

Digitized by Google

delicti est illicita, & contra sigillum, quæ reddit confessionem grauem & odiosam fidelibus. Atqui hoc etiam facit manifestatio indirecta. Addo cum Delugo num. 93. vsum illum esse illicitum, etiamsi pœnitens non aduertat actus illos onerosos; & graues, fieri propter notitiam confessionis. Quia omnis ille vsus est illicitus, & contra sigillum, qui si sciretur à pœnitentibus esse licitus, redderet illis confessionem grauem & odiosam. Atqui si scirent pœnitentes posse confessarium, ipsis non aduertentibus, vti tali notitia, ad exercendum actus ipsis onerosos & ingratos, redderetur illis confessio grauis & odiosa: ergo, &c.

48. Nemo tenetur vitare excommunicatum notum dūtaxat per confessionem.

Hinc collige, Confessarium non posse vitare vel in ipsa confessione, vel extra, eum quem nouit ex sola confessione esse excommunicatum non toleratum, licet nullus alius, præter ipsum vnum, suspicari possit hoc fieri propter notitiam confessionis. Neque etiam posse secretò punire pœnitentem extra confessionem, aut malè habere: neque vultum illi seueriorem ostendere: neque struere illi insidias, vt illum deprehendat in flagranti delicto: neque amouere illum ab officio vel beneficio, ad quod iam habet ius acquisitum: neque negare illi suffragium suum, quod alioquin ei dedisset, quamuis electio fiat secretò: neque impedire ne alius hæredem illum instituat, aut aliquod officium vel beneficium illi conferat: neque etiam negare vsum sacramentorum Eucharistiæ, Confirmationis, Matrimonii, &c. Si non possit negare sine rationabili suspicione pœnitentis, & tacita exprobratione sui delicti. Hæc enim, & similia, non minùs sunt grauia & onerosa pœnitenti; quàm si confessarius sine ipsius venia loqueretur cum illo de peccatis in confessione auditis: quod omnino contra sigillum est.

49. Decretum Clementis VIII. circa regimen ex notitia per confessionem.

Eaque de causa meritò Clemens VIII. in decreto edito die 26. Maii anni 1594. præcepit vt superiores regulares diligentissime caueant, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorē gubernationem vtantur. Quod præceptum supponit talem vsum esse iure naturali sacramenti illicitum, aut saltem iure diuino positiuo. Nam alioqui ius solum humanum non posset præcipere ne tali notitia vterentur ad malum publicum graue impediendum: Ex. gr. ad non dandum suffragium indigno eligendo in superiorem cum graui detrimento boni communis.

50. Quomodo intelligendum?

Hoc tamen decretum non est intelligendum de vsu circa actus non graues & onerosos pœnitentibus, iuxta ea quæ diximus conclusione prima, ex quibus confessio non potest rationabiliter reddi magis grauis & odiosa: cuiusmodi est, quòd superior ex ea notitia reddatur prudentior, & cautior, more aliis bonis superioribus consueto, ad bene regendum, ad impediendas peccandi occasiones, ad visitanda septa monasterii ne vlli pateat egressus furtiuus, & similia. Potest etiam & debet obligare pœnitentem ad permittēdum vt ipse faciat id quod necessarium est ad illius & aliorum peccatum impediendum. Quod si pœnitens negat, est indignus absolutione, & dat ansam dubitandi num ficto animo veniat ad superiorem, vt lucretur fauorem sigilli, illumque liget ne possit fungi suo munere. Vix autem vllus est qui veniat ad confitendū superiori sine animo se emendandi, & permittendi vt ipse viam continuandi peccatum obstruat, quantum necessarium est, præsertim sine vllo alio eius incommodo & grauamine, præter priuationem occasionis peccandi. Idemque dico de eo qui repeteret ensem depositum apud confessarium, quo vellet occidere inimicum: qui debuit à confessario obligari ad deponendum, & non repetendum ad illum vsum. Posset etiam confessarius ex iracundia post excitata, aut gestu pœnitentis id cognoscere, & ex illa notitia negare ensem depositum.

51. Plura de his videri possunt apud Nauarrum in cap. *Sacerdos*, de Pœnit. disp. 6. Sotum in relect. de Secreto, Sanchem lib. 3. de Matrimonio, disp. 16. Suarem disp. 33. de Pœnit. sect. 7. Valq. quæst. 93. art. 4. dub. 8. & sequentibus, Aegid. Conine, & Delugo locis suprà citatis. Quorum tamen aliqui putant nonnullos vsus ex supra dictis esse licitos, conscio solo pœnitente, & semoto periculo suspicionis rationabilis aliorum. Quin etiā Gabriel, relatus à Vasque, putat interdum etiam licere cum periculo reuelandi aliis crimen pœnitentis, putà, amouere indignum ab officio: quamuis alii suspicentur, ex amotione, crimen quod ille commisit. Sed hoc meritò Vasques dicit esse erroneum. Quia est reuelatio indirecta confessionis, grauiter sacramento pernicioſa, & in nullo casu licita. Aliæ opiniones diuersæ à nostra, quæ multæ sunt, videri poterunt apud Authores citatos, & esse vtui confessariis, quibus sigillum adeo strictum non placebit, modò sint verè probabiles: cuiusmodi non est sententia Gabrielis iam proximè relata: neque quod ait Altisiodorensis à Vasque ibidem relatus, licere scilicet reuelare crimen pœnitentis alteri, à quo corrigi possit, vt v. g. eius parenti: quod planè absurdum est, meritóque ab omnibus Theologis reiicitur.

Digitized by Google

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA QVINTA.

De solenni ritu Pœnitentiæ.

Sectio I. *Quis fuerit ritus publicæ, & solennis Pœnitentiæ in antiqua Ecclesia?*

Sectio II. *Fieretne publica pœnitentia eo solùm fine vt satisfieret Ecclesiæ?*

Sectio III. *Pro quibusnam peccatis imponebatur publica, & solennis Pœnitentia?*

Sectio IV. *Soluuntur variæ quæstiones circa publicam Pœnitentiam: fueritne alia publica præter solennem: vigeatne adhuc illius obligatio: & num vsus priuatæ confessionis, qui nunc est, ab illa fluxerit?*

Sectio V. *Alia noua dogmata circa pœnitentiam publicam refutantur.*

QVÆ D. Thom. docet à quæstione 17. Supplementi vsque ad 26. de potestate clauium ministris Ecclesiæ concessa, deque duobus illustribus earum effectibus, excommunicatione, & indulgentiis, commodiùs explicabuntur in tractatu sequenti. Quæstione autem 27. disputat de solenni ritu pœnitentiæ, & art. 1. docet aliquam pœnitentiam debere esse publicam, & solennem quatuor de causis. 1. Vt peccatum publicum publicam habeat medicinam. 2. Quia maxima confusione, etiam in hoc mundo, est dignus, qui grauissimum scelus commisit. 3. Vt sit aliis ad terrorem. 4. Vt sit ad exemplum pœnitendi, ne desperent qui in grauibus peccatis detinentur. Art. 2. affirmat solennem Pœnitentiam iterari non debere, propter tria. 1. Ne ex iteratione vilescat. 2. Propter significationem, quia significat expulsionem primi hominis de Paradiso, quæ semel tantùm facta est. 3. Quia solennisatio est quasi quædam professio Pœnitentiam perpetuò conseruandi: ideoque iteratio repugnat solennitati. Si tamen postmodum peccauit, non clauditur ei locus pœnitentiæ, sed pœnitentia solennis ei iniungenda non est. Art. 3. dicit publicam, & solennem Pœnitentiam, licet ad vitandum scandalum, & propter dignitatem Ordinis non sit imponenda Clericis: aliis tamen, viris, & mulieribus imponi posse: sed non nisi ab Episcopo, & semel tantùm. Publicam verò non solennem pluries imponi posse, etiam Clericis, sicut & aliis: neq; solùm ab Episcopo, sed & à simplici sacerdote. Huc vsq; D. Tho. cuius doctrina sequentibus sectionibus fusiùs nobis exponenda est.

Digitized by Google

SECTIO I.

Quis fuerit ritus publicæ, & solemnis pœnitentiæ in antiqua Ecclesia?

HOC argumento accuratè scripserunt inter recentiores Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Pœnit. cap. 21. & 22. Gabriel Albaspinæus Episcopus Aurelianensis in suis Obseruationibus lib. 2. & lib. 1. de Antiquæ Ecclesiæ politia circa administrationem Eucharistiæ cap. 17. & seqq. Illustrissimus Vaurensis Episcopus in Examine libri de Frequenti Communione, & Dion. Petauius in tractatu de Pœnitentia publica, & præparatione ad communionem, præcipuè lib. 2. cap. 2. & 13. & lib. 6. cap. 2. & pluribus sequentibus: quibusdam dico primò, nomine Pœnitentiæ absolutè prolato, intelligi solitos in antiqua Ecclesia eos solos, qui publicam, & solennem pœnitentiam agebant: sicut & nomine pœnitentiæ simpliciter, intelligebatur publica, & solennis pœnitentia. Id patet ex can. 1. Concilii Tolet. I. relato in iure Canonico dist. 50. cap. 68. vbi postquam statuit, vt pœnitentes non admittantur ad Clerum, nisi tantùm si necessitas, aut vsus exegerit: & tunc inter Ostiarios deputentur, vel inter Lectores, ita vt Euangelia, aut Epistolam non legant: subiungit, *Eum verò pœnitentem dicimus, qui post baptismum, aut pro homicidio, aut pro diuersis criminibus, grauissimisque peccatis publicam pœnitentiam gerens, sub cilicio diuino fuerit reconciliatus altario.* Et ex D. Augustin. lib. de Fide, & operibus, cap. 26. vbi affirmat propriè pœnitentes vocari eos, quorum peccata humilitate pœnitentiæ publicæ sanabãtur. Et epist. 108. *Agunt etiam*, inquit, *homines Pœnitentiam, si post Baptismum ita peccauerint, vt excommunicari, & postea reconciliari mereantur: Sicut agunt in omnibus Ecclesiis illi qui propriè Pœnitentes appellantur.* Et denique ex Syricio Papa Epist. 1. ad Himerium Tarraconensem Episcop. cap. 14. Cuius verba hæc sunt, relata in iure Canonico, dist. 50. cap. 66. *Illud quoque par fuit nos prouidere, vt sicut Pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum: ita post pœnitudinem, ac reconciliationem, nulli vnquam laicorum liceat honorem Clericatus adipisci.* Vbi nomine Pœnitentiæ, Clericis non permissæ, intelligit publicam, & solemnem. Nam priuata sine dubio illis permittebatur, eratque iure diuino necessaria, si in peccatum mortale labebantur: imò etiam aliqua publica, sed nonsolemnis, pro grauibus, publicisque criminibus illis imponebatur, vt patet ex cap. *Quæsitum, de Pœnit. & remission.* aliisque veterum testimoniis inferiùs referendis.

1. Quinam olim dicerentur Pœnitentes simpliciter.

2. Dico secundò, eiusmodi pœnitentes constituisse olim in Ecclesia peculiarem ordinem. Nam, vt rectè notat Bellarm. cap. 22. supra cit. & antiquorum testimoniis probat, omnes Christianæ religionis professores diuidebantur olim in Catechumenos, & Fideles, velut in duos ordines generaliores: tum specialiùs Catechumeni distinguebantur in Audientes, & Competentes, siue Electos: & Audientes quidem dicebantur illi qui audiebant conciones, & volebant fieri Christiani, sed nondum petierant Baptismum: alii verò qui petierant, & nomen suum dederant, vocabantur Comperentes, seu electi, & recipiebantur ab Ecclesia, vt instruerentur, & præpararentur ad baptismum. Fideles autem subdiuidebantur in Clericos, Laicos, & Poenitentes. Nomine, & ordine clericorum comprehendebantur omnes ecclesiastici cuiuscunque gradus, & tonsurâ initiati. Nomine autem Laicorum, reliqui baptizati, qui etiam communi nomine Fidelium appellari solebant, cùm speciosius non haberent. Exceptis illis, qui propter sua peccata erant ab aliis separati. Nam isti, velut à corpore Ecclesiæ rescissi, & quasi in sentinam reiecti, tertium, & infimum ordinem constituebant, specialique & proprio nomine Poenitentes appellãbantur. Addunt aliqui quartum ordinem Energumenorum, qui sæpius à Patribus distinctè ab aliis recensentur, vt à Dionysio cap. 3. de Eccles. Hierarchia, parte 3. Symeone Presbytero, dicto nouo Theologo, orat. 5. de iis qui mysteriis diuinis participare debent, quæ habetur tomo 12. Bibliothecæ Patrum, & pluribus aliis. Dionysii verba sunt: *Porro Catechumenos, & Energumenos, & eos qui in pœnitentia sunt, sacrosancta sacerdotalis institutio psalmodiâ quidem piam, & diuinam sanctarum Scripturarum lectionem audire permittit: ad ea verò quæ deinceps in hostiæ salutaris oblatione geruntur contuenda, non hos planè, sed perfectos, & tantæ rei dignorum admittit obtutus.*

Ordo Pœnitentiũ in antiqua Ecclesia.

3. Pœnitentiæ ritus non semper idẽ fuit.

Dico tertiò, ritum & rigorem illius publicæ, & solemnis poenitentiæ non semper eundem fuisse in antiqua Ecclesia: sed iuxta varias eius ordinationes, pro diuersis temporum exigentiis, fuisse diuersum. Id clarissimè liquet testimonio Innocentii I. epist. 3. ad Exuper. cap. 2. vbi respondens quæstioni ab illo propositæ, quid faciendum esset homini, qui post Baptismum reliquum vitæ tempus in incontinentia, & impudicitiis totum insumpsisset, & in extremo vitæ ad pœnitentiam, & communionem admitti postularet? Respondet in hæc verba: *De his obseruatio prior, durior: posterior, interueniente misericordia, inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit, vt concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur. Nam cùm illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communioni concessa facilitas homines de reconciliatione securos, non reuocaret à lapsu, negata meritò communio est: concessa pœnitentia, ne totum penitus negaretur: & duriorem remissionem fecit temporis ratio. Sed postquam Dominus noster pacem Ecclesiæ reddidit, iam depulso terrore, communionem dari à cunti-*

Digitized by Google

bus placuit. Liquet etiam ex eo quod Tertull. in hæresim Montani iam lapsus, lib. de Pudicit. cap. 5. reprehendit Pontificem Romanum, eò quòd rigorem poenitentiæ relaxasset erga adulteros. Nam cùm antea propter tria genera peccatorum, idololatriæ, adulterii, & homicidii, priuarentur homines cõmunione in perpetuum, non obstantibus quibuscunque poenitentiis pro illorum expiatione iniunctis, & expletis: exemerat ille à tanto rigore adulteros, statuens vt ad communionem admitterentur peractâ poenitentiâ. Quod indignè ferens Tertullianus, sic alloquitur Romanum illum Pontificem, qui Zephyrinus fuisse existimatur: *Quid agis mollissima, & humanissima disciplina? Aut omnibus eis hoc esse debebis: Beati enim pacifici: Aut si non omnibus, nostra esse. Idololatrem quidem, & homicidam semel damnas: moechum verò de medio excipis.* Cyprianus quoque epist. 30. & pluribus seqq. clarè docet se aliquid rigoris antiquæ pœnitentiæ erga Apostatas à fide, seu lapsos in persecutione, remisisse, intuitu precum sanctorum Confessorum, quorum literas impetrauerant. Eaque de re scripsit ad Clerum Romanum, Sede vacante: qui hanc ipsius moderationem, & indulgentiam approbauit, suisque decretis conformem esse dixit. Et in Concilio Ancyrano Can. 22. qui refertur dist. 50. cap. 43. Sic habetur: *Eos verò qui non voluntate, sed casu homicidium fecerint, prior quidem regula post septem annorum poenitentiam communioni sociauit, secundum gradus constitutos: haec verò humanior quinquennii tempus tribuit.* Ex hac autem diuersitate fit, vt variè loquantur antiqui de solemni Pœnitentia: quæque ab illis dicuntur, non possint omnia de eadem, eodem loco, & tempore intelligi.

4. Quales fuerit tertio & quarto sæculo? & quot illius gradus?

Dico quartò, ritum publicæ & solemnis Poenitentiæ tertio & quarto sæculo, quibus præcipuè viguit, hunc fuisse, vt in quatuor gradus distingueretur. Quorum primus vocabatur προσκλαυσις, eò quòd totũ illius tempus impendebatur in gemitus, & lacrymas extra Ecclesiam. Nam qui in gradu illo erant, prohibebantur ab ingressu Ecclesiæ. Secundus vocabatur ἀκρόασις, quia versantibus in eo gradu permitteba turaudire verbũ Dei, & conciõibus in Ecclesia interesse. Tertius dicebatur, ὑποπτωσις eò quod huius ordinis poenitentibus licebat manere in templo, post ejectionem aliorum secundi ordinis, vt cum fletibus, & suspiriis, aliisque poenitentiæ actibus, & indiciis doloris interni, se prosternerent coram Episcopo, & clero, qui manus illis imponeret, & pro ilis oraret, eisque benediceret. Quartus nominabatur σύστασις, id est aggregatio, eò quòd isti admitterentur ad audiendum sacro-sanctum Missæ sacrificium; ita tamen vt neque ad oblationem panis, & vini, more fidelium illius temporis, neque ad Eucharistiam recipiendam haberent facultatem, sed tantum ad communionem orationis. Perque hos quatuor gradus ascendendumerat omnibus & singulis publicam poenitentiam agentibus, vt tandem Ecclesiæ reconciliarentur, & ad communionem eucharisticam admitterentur, vt patet ex S. Basilio in epistola ad Amphiloc. cuius verba relata sunt in ius Canonicum Orientalium Can. 22. vbi describens poenitentiam publicam fornicatoribus impositam, & tempus illi præfixum, sic ait: *Ei autem qui mulierem vel vi, vel clam à se vitiatam habet, necesse est fornicationis poenas imponere. Est autem in quatuor annis præfinitum fornicatoribus supplicium. Oportet enim eos primo anno à precibus expelli, & ipsos deflere ad fores Ecclesiæ. Secundò autem, ad auditionem admitti. Tertio, admitti ad poenitentiam. Quarto, ad congregationem cum populo, abstinentes ab oblatione. Deinde eis permitti Boni communionem*, id est, Eucharistiæ. Primum gradum græcè vocat προσκλαυσιν τῆς παρακλήσεως. Secundum, ἀκρόασιν τῆς εὐχῆς. Tertium, ὑποπτώσεως μετάνοιαν, id est, ὑπόπτωσιν, quæ præcipuè, & simpliciter Poenitentiæ nomen obtinebat, vt dicemus paulò post. Quartũ, σύστασιν μετὰ λαῦ τῆς εὐχαριστίας.

5. A quo, & quando, & quomodo imponebatur?

Porro hæc Pœnitentia publica non ab alio imponebatur, quàm ab Episcopo in capite ieiunii, id est, feriâ quartâ Cinerum. Vnde fluxisse videtur cerimonia huc vsque seruata cineres eo die accipiendi: & ab eodem reconciliabantur Ecclesiæ pœnitentes, pacemque & communionem accipiebant, post impletam pœnitentiam. Neque presbyteris id licebat, nisi vrgente necessitate, & absente Episcopo: vt patet ex Concilio Cartagin. III. Can. 31. vbi statuitur. *Vt poenitentibus secundum peccatorum differentiam, Episcopi arbitrio, poenitentiæ tempora decernantur.* Et Can. 32. sancitur. *Vt presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet poenitentem, nisi absente Episcopo, & necessitate cogente.* Qui duo Canones referuntur in decreto Gratiani causa 26. qu. 6. cap. *Presbyter*, & quæst. 7. cap. *Poenitentibus*. Modus autem quo imponebatur, ita describitur à D. Thoma quæst. 28. suppl. art. 3. post Gratianum dist. 50. cap. 64. desumpto, vt ipse testatur, ex Concilio Agathensi Can. 15. licet nunc in vulgatis huius Synodi codicibus non habeatur. In capite Quadragesimæ omnes poenitentes, qui publicam suscipiũt, aut suscepерunt poenitentiam, ante fores Ecclesiæ se repræsentent Episcopo ciuitatis sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram demissis, reos se esse ipso habitu, & vultu protestantes. Ibi adesse debent Decani, id est, Archipresbyteri parochiarum, & Presbyteri pœnitentium, qui eorum conuersationem diligenter inspicere debent, & secundum culpæ modum pœnitentiam per præfatos (aliàs præfixos) gradus iniungere. Post hæc eos in Ecclesiam introducant, & cum omni Clero septem Pœnitentiæ psalmos in terra prostratus Episcopus cum lacrymis pro eorum absolutione decantet. Tunc resurgens ab oratione, iuxta quod Canones iubent, manus eis imponat,

Digitized by Google

aquam benedictam super eos spargat, cinerem priùs mittat, deinde cilicio capita eorum operiat: & cum gemitu, & crebris suspiriis denunciet eis quòd sicut Adam proiectus est de Paradiso, ita ipsi pro peccatis ab Ecclesia abiiciuntur. Post hæc iubeat ministris, vt eos extra ianuas Ecclesiæ expellant. Clerus verò prosequatur eos cum responsorio, *In sudore vultus tui vesceris pane tuo* &c. vt videntes Sanctam Ecclesiam pro facinoribus suis tremefactam, atque commotam, non paruipendant poenitentiam. Hucusque D. Thomas.

6. Exercebatur præcipuè in tertio gradu.

Quamuis autem toto tempore poenitentiæ, & in singulis eius gradibus, edenda essent magna doloris interni de peccatis indicia, & multæ humiliationes, grauesque corporis afflictationes subeundæ: præcipuè tamen in tertio gradu, qui ea de causa nomine poenitentiæ simpliciter & absolutè appellari solebat: & qui in eo versabantur, intelligebantur specialiter nomine poenitentium: vt patet ex testimonio S. Basilii supra relato, vbi pro eodem sumit δεῦτεροι τῆς μετανοίας, id est, admitti ad poenitentiam, & δεῦτεροι ἐπιτιμίων. Et ex Concilio Carthagin. IV. Can. 80. vbi statuit *vt omni tempore iuuenibus maius poenitentibus à sacerdotibus imponatur*, id est, illis qui in tertio gradu versabantur, qui singulis ieiuniorum diebus tenebantur venire ad Ecclesiam vt capita submitterent sacerdotibus manum illis imponentibus, & pro eis orantibus. Necnon ex Sozomeno lib. 7. hist. cap. 15. vbi loquens de poenitentia publica, per Nectarium Constantinopoli abrogata; dicit illius vsum in Ecclesia Occidentali perstitisse. Cuius, inquit, hic ritus est: *Cernitur ibi locus poenitentibus designatus, vbi stant rei tristi vultu, & velut in lamentationibus constituti. Dum enim sacra celebratio fuerit adimpleta, illi communionem non percipientes, cum gemitu, & lamentatione semetipsos in terram prosternunt. Ad quos concurrens Episcopus, & ipse cũ lacrymis, & gemitu spirituali prosternitur, & omnis Ecclesiæ plebs fletibus inundatur. Post hoc autem prior surgit Episcopus, & eleuat iacentes à terra. Tum competenter pro poenitentibus facta oratione, dimittit omnes. At illi afflictionibus sponte vacantes, aut ieiuniis, ab abstinentia lauacri, aut suspensione ciborum, aut rebus aliis, quæ iubentur, expectant communionis tempus, quod decernit Episcopus. Constituto verò tempore, velut quodam debitum exsoluentes, afflictione peccatorum curati, cum populo communione participantur.* Primò scilicet communione orationis, & sacrificii Missæ audiendi: & aliquanto post etiam Eucharistiæ. Hæc Sozomenus, quæ sine dubio de tertio gradu poenitentium intelligenda sunt. Sicut & illud Tertulliani lib. de poenit. cap. 9. *Itaque Exomologesis prosternendi, & humilificandi hominis disciplina est, conuersationem iniungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu, atque victu mandat, sacco, & cineri inubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus deiicere, illa, quæ peccauit, tristi tractatione mutare: cæterum, pastum, & potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causâ: plerumque verò ieiuniis precesalere, ingemiscere, lacrymari, & mugire dies, noctesque ad Dominum Deum tuum, Presbyteris aduolui, & charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ iniungere. Hæc omnia Exomologesis, vt Poenitentiam commendet, vt de periculi timore Dominum honoret, vt in peccatorem ipsa pronuncias pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat. Cùm igitur prouoluit hominem, magis releuat: cùm squalidum facit, magis mundatum reddit: cùm accusat, excusat: cùm condemnat absolvit. Inquantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, Crede, parcet.* Similia habent Cyprian. in serm. de lapsis, Ambros. ad Virg. Ipsam. Hieron. in Epitaphio Fabiolæ, & Pacianus in paræneſi ad poenitentiam.

7. Semel tantùm concedebatur.

Cæterum hæc tam austera poenitentia non nisi pro grauioribus quibusdam criminibus publicis atque scandalosis imponebatur, vt dicemus sect. sequenti, nisi quis voluntariè, humiliationis causâ, vellet pro aliis sponte se illis submittere: vt colligitur ex epistola Basilii ad Amphilochiũ Can. 61. & aliis infra referendis num. 20. & sequentibus. Nec nisi semel in vita permittebatur, vt testantur Origẽ. hom. 15. in cap. 25. Leuitici, Ambros. lib. 2. de poenit. cap. 10. & August. epist. 54. ad Macedonium Præsidem, vbi affirmat, *Cautè & salubriter prouisum fuisse, vt lo us illius humillimæ poenitentiæ semel tantum in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis minùs vtilis esset ægrotis, quæ tantò magis salubris est, quantò minùs cõtemptibilis fuerit.* Aliam addit rationem D. Thom. q. 28. supplem. art. 2. & in 4. dist. 14. q. 1. art. 5. Quia solemnitas poenitentiæ erat professio quædam solennis nunquam amplius redeundi ad grauia illa crimina, & scandalosa, sicut Baptismus est solennis professio fidem perpetuò retinendi, & abstinendi ab infidelitate: Ideoque vnica erat solennis poenitentia, sicut vnicum Baptisma: quia iteratio solennitati vtriusque repugnasset.

8. Vestitus pœnitentiæ.

Toto autem eo tempore quod durabat (quod non idem erat respectu omnium, sed aliis breuius, aliis longius præscribebatur, iuxta criminum meritum, vt videre est in Concilio Carthagin. III. Can. 31. vbi statuitur, *Vt poenitentibus secundum peccatorum differentiam, Episcopi arbitrio, poenitentiæ tempora decernantur.* Et Can. II. Concilii Nicæni I. & in Decreto dist. 50. Can. 43. & 14. & in Canonibus poenitentialibus, qui habentur ad calcem Decreti Gratiani) Toto, inquam, eo tempore tenebantur poenitentes ferre certum habitum quo ab aliis distinguerentur: pullam vestem scilicet, & cilium, & caput detonsum, exceptis fœminis, vt constat ex Tertull. Ambros. Hieron. & Pacian. locis supra relatis, & ex Concilio

Digitized by Google

Agathenſi Can. 15. relato in ius Canonicum diſt. 50. cap. 63. & ex Concilio Tolet. III. Can. 12. Tenebantur etiam toto illo tempore abſtinere à communione Euchariſtica, vt patet ex Sozomeni verbis ſupra relatis, & ex Cyprian. in ſermone de lapſis, & epiſt. 10. aliiſque locis, vbi grauiter increpat eos, qui ante impletum poenitentiæ tempus ad Euchariſtiam accedebant, quique illos ad eam admittebant. Sunt tamen qui exiſtiment permiſſam illis fuiſſe communnionem ſemel ſingulis annis feriâ quintâ maioris hebdomadæ, quod probant ex Concilio Agathenſi Can. 15. relato in Decreto diſt. 50. cap. 64. vbi in fine ſic dicitur de poenitentibus: *In ſacra autem Domini cœna rurſus ab eorum decanis, & eorum Preſbyteris Eccleſiæ liminibus repræſententur.* Et ex Innocentio I. in Epiſt. ad Decentiũ Epiſcopum Eugu. cap. 7. cuius verba hæc ſunt: *De poenitentibus verò qui ſine ex grauioribus, ſiue ex leuioribus poenitentiam gerunt, ſi nulla interueniat ægritudo, quintâ feriâ ante Paſcha eis remittendum Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat.* Sed prioris loci alium eſſe ſenſum affirmat D. Thom. quæſt 28. ſupplem. art. 3. vbi relatis verbis Canonis Ancyrani, ſic ait: *In cœna autem Domini quolibet anno à ſuis Preſbyteris in Eccleſiam reuocuntur: & erunt ibi vſque ad octauas Paſchæ, ita tamen quòd non communicabunt, nec pacem accipient: & ſic fiet quolibet anno, quoad vſque adtus Eccleſiæ fuerit eis interdictus.* Quibus verbis ſignificat non aliud fuiſſe ſtatutum, quàm vt poenitentes primi gradus permitterentur eo die, & aliquot deinceps manere in Eccleſia. Plus tamen velle Innocentium colligi videtur ex ſequentibus eius verbis epiſt. cit cap. 5. *Sane*, inquit, *ſi quis in ægritudinem inciderit, atque vſque ad deſperationem deuenerit, ei eſt ante tempus Paſchæ relaxandum, ne de ſæculo aliſque communione diſcedat.* Eſtque valde probabile hanc fuiſſe Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem: licet aliis in locis aliter fieret. Conſtat enim ex Can. 5. 6. 8. & 9. Concilii Ancyrani, aliiſque pluribus, & teſtimoniis SS. Patrum, negatam fuiſſe alibi poenitentibus Euchariſtiam niſi in caſu mortis. Imo nec tunc quidem fuiſſe omnibus aliquando conceſſam clarè docent Innocent. 1. Epiſt. 3. ad Exuperium cap. 2. verbis ſupra relatis num. 2. & Tertull. lib. de pudicicia cap. 5. Vt tamen illis poſtulantibus concederetur ſtatutum fuit in Concilio Nicæno 1. Can. 12. & in Carthag. IV. Can. 76. 77. & 78. ita tamen vt ſi conualeſcerent, ad quartum gradum Poenitentium reuerterentur, & per manuum impoſitionem publicè reconciliarentur Eccleſiæ, atque Euchariſtiæ participationi reſtituerentur.

9. Nuptiæ illis interdictæ, & quædam alia.

Præterea innupti tenebantur toto eo tempore abſtinere à nuptiis, niſi ex indulgentia permitteretur illis inire matrimonium, vt interdum fiebat adoleſcentibus. Coniugati verò tenebantur abſtinere ab officio coniugali. Qua de cauſa difficiliùs imponebatur, aut concedebatur poenitentia publica adoleſcentibus: coniugatis autem, non niſi de conſenſu partis: vt patet ex Concilio Arelat. II. Can. 22. Debebant præterea abſtinere à coniuiis, & balneis, vt ſignificat Pacianus in paræneſi ad poenitentiam: & ab vnctione infirmorum, vt docet Innocent. in epiſt. ad Decentium cap. 8. & à quoquam ſuſcipiendo in Baptiſmo, aut confirmatione, vt teſtatur Concilium Pariſienſe ſub Ludouico, & Lothario lib. 1. cap. vlt. Tenebantur etiam, vt ſupra dixi, omni tempore ieiunii venire ad Eccleſiam qui ſaltem erant in tertio gradu, & caput ſacerdotibus ſubmittere, qui manus eis imponerent, & pro illis orarent, ex Concilio Carthag. IV. Can. 80. & mortuos ſepelire, ibid. Can. 81. & genua flectere, quando alii ſtantes orabant tempore Paſchali, diebuſque Dominicis, ibidem, Can. 82.

10. Erant irregulares.

Rurſus qui talem poenitentiam agebant, aut egerant, erant irregulares, & non poterant ad Clerum promoueri: ſicut nec ipſa poterat Clericis imponi: vt patet ex epiſtola Syricii Papæ ad Himerium Epiſcopum Tarraconenſem cap. 14. cuius verba retulimus ſupra num. 1. vbi rationem hanc reddit cur poſt poenitentiam non admitterentur ad Clerum: *Quia*, inquit, *quamuis ſint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum ſacramentorum inſtrumenta ſuſcipere, qui dudum ſuerunt vaſa vitiorum.* Idem etiam liquet ex Can. 67. diſt. 50. ſumpto ex Leonis epiſtola 92. ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum cap. 2. vbi dicitur alienum eſſe à conſuetudine eccleſiaſtica, vt qui in Preſbyterali honore, aut Diaconii gradu fuerint conſecrati, ii pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant poenitendi: idque ſine dubio ex Apoſtolica traditione deſcendere, ſecundum quod ſcripum eſt, *Sacerdos, ſi peccauerit, quis orabit pro eo?* Excipitur tamen caſus neceſſitatis ſequenti Can. 68. quo permittitur vt ex illis Oſtiarii, aut Lectores fieri poſſint: & can. 57. excipitur etiam poenitens, qui ægritudinis languore depreſſus poenitentiæ benedictionem, quam viaticum deputamus, per communionem acceperit: & poſtmodum reconualeſcens caput poenitentiæ in Eccleſia publicè non ſubdiderit. Is enim, ſi prohibitis vitiis non detineretur obnoxius, poterat ad Clerum admitti. Nondeſunt etiam qui putent ſolennem poenitentiam imponi potuiſſe ſacerdoti depoſito, eò quòd tunc ad ſtatum laicorum redire cenſetur. Quibus conſentit Bellarm. lib. 1. de Poenit. cap. 21. & probat ex Cypriano lib. 3. epiſt. 8. ad Fidum, vbi reprehendit Epiſcopum Teraphium eò quòd Victori quodam Preſbytero pacem dediſſet ante expletum poenitentiæ tempus, ſine petitu, & conſcientia plebis, nulla infirmitate, aut neceſſitate vrgente. Poteſtque id ampliùs confirmari ex cap. *Omnes* 30. q. 1. Vbi

Digitized by Google

Symmachus Papa, post quam dixit omnes quos in poenitentia suscipimus, nostros esse filios spirituales, sicut illos, *quos nobis suscipientibus, vel sub trinæ mersionis vocabulo mergentibus, vnda sacri baptismatis regenerat:* addit, nefas esse sacerdotem fornicari cum muliere sibi confitente: statuitque vt si quis hoc scelus perpetrauerit, *Non solum dignitatis* (sacerdotalis) *honorem amittat, verum etiam vsque ad exitū vitæ suæ inpoenitētiæ se subdat.*

Quid fieret relapsis post pœnit. publicam.

Quia verò semel tantum in vita licebat agere solennem poenitentiam, vt paulò antè diximus; si aliqui post illam iterum in enormia, & scandalosa crimina incidissent, permittebantur quidem, licet indigni, interesse cum aliis fidelibus orationi, & sacrificio: sed à Dominicæ mensæ conuiuio segregabantur: vt hac saltem distinctione correpti, & ipsi in se sua errata castigarent, & alios suo exemplo terrerent: quemadmodum ait Syricius Papa epist. 1. cap. 5. Neque assentior Albaspinæo affirmanti lib. 1. de Euchar. cap. 21. intelligendum esse Syricium non de illis, qui pro criminibus antea commissis, & in eorum satisfactionem, atque ex necessitate poenitentiam publicam, & solemnem obierant: sed de illis dumtaxat, qui ex voto, id est, pietatis, & humiliationis causâ, sponte illam susceperant, nullo admisso eorum criminum, pro quibus imponi debebat. Nam Syricius loquitur de illis qui canum instar, aut porcorum, vt ait, ad vomitum redierant, id est, in eadem peccata relapsi erant, pro quibus antea poenitentiam egerant. *Dequibus*, inquit, *quit iam suffragium non habent poenitendi*, hoc est, non possunt iterum ad solemnem poenitentiam admitti, *id duximus decernendum, vt solâ intra Ecclesiam fidelibus oratione iungantur &c. quos tamen, (quoniam carnali fragilitate cecidederunt) viatico munere, cum ad Dominum coperint proficisci, per communionis gratiam volumus subleuari.*

SECTIO II.

Fuerit ne publica poenitentia eo solùm fine vsurpata, vt satisfieret Ecclesiæ: vel vt ipse reatus culpæ deleretur?

11. Primus error hæreticorum.

AFfirmant aliqui Lutherani, & Caluinistæ publicam poenitentiam eo solùm fine impositam, & susceptam fuisse vt Ecclesiæ satisfieret. Cùm enim vna ex parte velint omnem reatum poenæ condonari semper à Deo simul cum reatu culpæ, & hoc remisso, nihil illius superesse: minimèque nos Deo per opera nostra satisfacere pro pœna restante ex peccatis remissis: ex altera verò parte videant vsum publicæ poenitentiæ in antiqua Ecclesia tot, tamque illustribus SS. Patrum testimoniis expressum, vt negari, aut dissimulari nequeat: neque velint cum Caluino lib. 3. Instit. cap. 3. n. 16. & cap. 4. n. 38. in eo veterem Ecclesiam, & SS. Patres erorris, & lapsus damnare: comminiscuntur illum non aliò pertinuisse, quàm ad satisfaciendum Ecclesiæ, & reparandum scandalum illi datum. Sic inter alios Benedict. Aretius Bernensis Minister, relatus, & impugnatus à Ioanne Lensæo Louanienſe Theologiæ professore in lib. de satisfactione ecclesiastica, cap. 1. & seqq. *Satisfactiones*, inquit, *olim vocabant experimenta illa, quibus lapsi in grauia scelera probabantur an seriò poeniterent, necne: & dicebantur satisfactiones non respectu Dei, sed Ecclesiæ, à qua recipi cupiebant: cui satisfaciebant, hoc est, tantum præstabant, quantum Ecclesiæ, in quam peccauerant, ad reconciliationem satis videbatur.* Et paulò post. *Nec vlla inquit, erat hic mentio meritoriæ satisfactionis coram Deo: cùm totum hoc in Ecclesia, vt in Ecclesia, perageretur, nec ad Dei tribunal referretur.* Ibidemque satisfactionem hunc in modum definit: *Satisfactio*, inquit, *est experimentum Ecclesiæ, quo de relapsis redditur certior, an seriò poenituerint, & cum fructu recipi possint in coetus publicos.* Et paulò post inter abusus, & errores Catholicorum hunc numerat, quòd ad Deum referunt omnes satisfactiones: cum Ecclesia eas retulerit ad homines, quibus debuit à lapsis, qui recipi cupiebant, satisfieri. Neque peccatores absoluebantur coram Deo merito harum satisfactionum, sed erat disciplina politica morum in Ecclesia. Additque alium abusum, & errorem Catholicorum, quòd hodie priùs semper illis denunciatur absolutio, postmodum verò imponunt aliquas satisfactiones: cum apud veteres satisfactio præcederet. Habita enim inquisitione, quærebant an Ecclesiæ satisfecisset. Hodie id negligunt: absoluunt, postea imperant peregrinationes, aut precum numerum, cereos, vel simile quiddam. Hæc ille.

12. Alter error eorundem.

Contrà verò alii dicunt publicam pœnitentiam ad ipsum culpæ reatum delendum susceptam fuisse, ac necessariò suscipi debere: neque enim illum per absolutionem sacerdotalem remitti, sed per opera pœnitentiæ illi proportionata, & virtute clauium iniuncta, quibus rite peractis, superest solùm vt pœnitentes authenticè declarentur absoluti à Deo, & canonicè reconcilientur Ecclesiæ, atque ecclesiasticæ communioni, à qua excluſi fuerant, restituantur: in quo consistit vsus potestatis clauium ad soluendum: sicut in iniunctione pœnitentiæ consistit vsus potestatis earundem ad ligandum. Ita Marc. Anton. de Dominis, insignis Apostata, qui primò statum regularem professus, tum Archiepiscopus Spalatensis factus, deinde hæreticus, & in Angliam transfuga, vbi pestilentes libros de Christiana republ. scripsit, postea verè, aut fictè pœnitens, Romam accessit, & hæreses suas abiurauit, libellòque scripto damnauit: sed tandem ad vomitum reuersus, & in carcerem coniectus, ibidem mortuus, & publicè manu carnificis

post mortem combustus est in campo Floræ, cum impiis eius scriptis, vt refert Spondan. in Annalib. Eccles. ad annum Christi 1616. & 1624.

13. Sic enim ille scribit lib. 5. de Rep. Christ. cap. 7. n. 49. *Semper video apud Patres satisfactionem fieri pro culpa potissimum, & non pro sola pœna, vt perperam nostri volunt* (ideſt Catholici de quorũ numero ſe adhuc eſſe ſimulat) *& satisfactionẽ eſſe ipſamet externã Eccleſiaſt. pœnitẽtiam, ad quã reducitur peccator per Eccleſiã dũ per claues ligatur, & pœnitentiali excõmunicationi ſubiicitur.* Et n. 57. *Abſolutioni verbali*, inquit, *nimia poteſtas tribuitur*: quando ſcilicet dicitur à Catholicis per illam remitti peccata, quoad culpam, & reatum pœnæ æternæ. Et n. 86. in eandem doctrinam Catholicorum ſic inuehitur: *Hæc eſt ingens pernicies animarum, quas noſter de abſolutionis ex opere operato abuſus in baratrum præcipitat æternæ damnationis. Quod ſi priſcam veram reuocaremus pœnitentiam, & ſatisfactionibus, ante abſolutionem, exerceremus pœnitentes, vt ſemper fecit Eccleſia; facilè tandem agnoſceremus, qui verè pœnitentiam poſtulent, cui ſubdolè &c.* Et cap. 8. n. 10. *Noſtra facilitas abſoluendi ſine neceſſaria pœnitentia externa, falſaque vis ſacramentalis ex opere operato, ſupinos reddit peccatores, & verâ abolitâ pœnitentiâ, animas in Infernum trahit.*

14. Primum illius conſectarium. Cohærenterque huic doctrinæ affirmat attritionem non ſufficere cum Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum: ſed neceſſarium eſſe priùs per longam pœnitentiam, & contritionem probari, & expiari apud Deum, quàm accedatur ad reconciliationem ſacerdotalem, ſeu canonicam. *Error eſt*, (inquit, cap. 7. lib. citati, n. 43.) *attritionem ſolam cum ſacramento ſatis eſſe ad remiſſionem peccatorum.* Et n. 83. *Eſt ergo ſiultiſſima, & perniciosiſſima illa noſtrorum Scholaſticorum doctrina, ex attrito fieri contritum: & vſus noſtrarum Eccleſiarum verè eſt abuſus perniciosiſſimus, vt ad abſolutionem admittatur attritus.* Idcirco etiã vult publicã pœnitentiam ſemper eſſe præmittendam abſolutioni, excepto caſu impotentiæ, & extremæ neceſſitatis, vt in moribundis. *Reconciliatio peccatoris*, inquit, c. 7. n. 36. *Sæpe, & neceſſariò ſupponit externã pœnitentiam eccleſiaſticam.* Et paulò poſt numero 49. *Satisfactio neceſſariò præcedere debet abſolutionem.* Et n. 57. *Hæc eſt vera eccleſiaſtica pœnitentia, præmittere abſolutioni ſatisfactionem conſiſtentem in excommunicatione: nec alia legitima, aut vnquam fuit, aut eſſe poteſt. Eam verò Papatus noſter, ipſiuſque miniſtri corruperunt horribiliter, & ad clericalis auaritiæ, ambitioniſque fomentum, & adiumentum cum ingenti animarum deceptione, & periculo, in aliam transformarunt, quam neque Euangelium tolerat, neque Patres antiqui, Eccleſiaque pura vnquam agnouerunt. Transformatio vero hæc, imò miſerabilis deformatio in his conſiſtit inter cætera, quòd ſatisfactionem præpoſterè abſolutioni poſtponamus, & quòd abſolutioni verbali nimiam tribuamus poteſtatem.* Et quamuis, vt ſupra dixi, fateatur aliter erga moribundos fieri poſſe, & olim factum eſſe: dicit tamen eorum reconciliationem eſſe incertam deque illius valore Patres dubitaſſe. Sic enim habet cap. 7. n. 89. *Cum igitur viatici communio data moribundis ſine præuia vera eccleſiaſtica pœnitentia, non ſit pœna illa, & vera, eccleſiaſtica ordinaria peccatorum reconciliatio, dubia ſemper fuit.* Et n. 90. *An verò in tali reconciliatione adeſſet effectus ſoluendi Clauium diuinæ miſericordiæ remiſſum eſt.* Et paulò poſt n. 96. *De effectu talis reconciliationis*, inquit, *paſſim dubitant Patres.*

15. Alterum conſect. Idcirco etiam non aliam poteſtatem ligandi, & ſoluendi agnoſcit, quàm imponendi pœnas, & canonicè reconciliandi. In quorum primo, nempe in ligando, ſiue imponendo pœnas, dicit præcipuè conſiſtere poteſtatem Clauium: ſecundariò autem, & minùs præcipuè in ſoluendo. Sic enim habet cap. 7. eiuſdem libri 5. num. 25. 26. & 27. *Præcipua poteſtas Clauium eſt ligare. Ligamen autem illud conſiſtit ſemper in excommunicatione, & impoſitione operum pœnalium, &c. Iniunguntur pœnitentiæ ab Eccleſia peccatoribus, vt inde poſſit ligatos vitè, & legitimè ſoluere.* Et num. 65. idem perſpicuè docet his verbis: *Ad hoc potiſſimum, & principaliter data eſt Clauium poteſtas, non vt cuiuſcunque peccati remiſſio à Clauibus neceſſariò pendeat in re, vel in voto: ſed vt Eccleſia ſe puram, & mundam conſeruet: & ad hoc ſeruit ligandi poteſtas: & hoc ligamen fit per excluſionem peccatoris à cœtu fidelium.* Et nimirum ſolutio fit per admiſſionem peccatoris ad eundem coetum. Vt perſpicuè docet num. 55. vbi ſic ait: *Sicut imponere pœnitentiam eſt ligare, ita reconciliare eſt ſoluere. Vterque actus Clauium. Idem verò eſt reconciliare, quod pacem dare, ad communionem reſtituere; Eccleſiam aperire, veniam, indulgentiam concedere, & recipere: neque Eccleſia ſoluere poteſt, niſi quod ipſa ligauit.* Et num. 56. *Soluere*, inquit, *per claues Eccleſiæ, eſt eiſdem Clauibus ligatum liberum reddere. Reconciliatio ſemper in antiqua pura Eccleſia facta eſt ſola communionis reſtitutione, tam in publica, quàm in ſecreta pœnitentia. In ſecreta quidem reconciliari, erat ſacræ menſæ participationi reſtitui.* Denique poteſtatem clauium conſiſtere primò & præcipuè in ligando prædicto modo; tum ſecundariò, & minùs principaliter in ſoluendo, diſertè affirmat num. 81. eiuſdem capitis 7. ſic dicens: *In hac profectò pœnitentia eccleſiaſtica plus Eccleſia vitur clauibus ad ligandum, quàm ad ſoluendum. Ad hoc enim etiam potiſſimùm datæ ſunt, & primariò: ad quam reducitur peccator per Eccleſiam, dum per claues ligatur, & pœnitentiali excommunicationi ſubiicitur.* Et num. 65. *Datæ ſunt Eccleſiæ claues etiam ſecundariò ad adiumentum & conſolationem fidelium*: Hæc ille, quæ quàm bellè conſentiant, vel potiùs eadem ſint cum placitis nouorum Dogmatiſtarum, facilè intelligunt, quicunque librum de frequenti communione, & publica pœnitentia,

Digitized by Google

tia, gallico idiomate ab illis recenter conscriptum, bene notum: & perspectum habent: idque libellus recentissimè editus perspicuè ostendit, verbis vtrorumque fideliter relatis, & inter se collatis.

15. Contra hos errores posteriori loco relatos partim iam diximus disp. 51. sect. 10. & 11. vbi ostendimus non esse necessariũ executionem satisfactionis præmitti absolutioni: & disp. 52. vbi absolutionis sacramentalis efficaciam exposuimus, probauimusq; esse veram & iudicialem remissionẽ peccatorum, vi potestatis à Christo datę Apost. & sacerdotibus eorũ sucessoribus Ioan. 20. partim etiã plura dicemus inferiùs sect. 4. & 5. huius disputationis, & totâ fere disp. 57. vbi de necessitate publicæ poenitentiæ, deq; potestate Clauium in ordine ad peccata remittẽda disseremus.

Probatur publicam pœnit. Deo satisfecisse.

Ad primum autem refutandũ nihil aliud opus est, quàm ipsamet SS. Patrũ de publica poenitentia loquentiũ testimonia referre: iisdem enim in locis, quibus illius vsũ testantur, simul affirmant eo fine iunctã, & susceptam fuisse, vt poenæ reatus apud Deum extingueretur. Tertull. quidẽ lib. de Pœnit. cap. 9. & 10. dicit illam pro Dei indignatione fungi, & tẽporali afflictione æterna supplicia expungere, & Deum in tantum parcere peccatori, in quantũ ipse non parcit sibi. Neq; pudori intolerandum esse debere Domino offenso satisfacere, saluti prodactæ reformari, ac deniq; gehennæ incendia per eã vitari, Cypriã. verò in serm. de lapsis: *Quàm magna*, inquit, *deliquimus, tam granditer deflеamus. Alto vulneri diligens, & longa medicina non desit, poenitentia crimine minor non sit &c. Orare oportet impensius, & rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes, & fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adhærere cineri, in cilicio volutari, & sordibus &c. Qui sic Deo satisfecerit, qui pœnitentia facti sui, qui pudore delicti plus virtutis, & fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit, exauditus, & adiutus à Domino, quam contristauerat nuper, lætam faciet Ecclesiam, nec iam solam Dei veniam merebitur, sed coronam.*

17. Iisdem fere verbis idem docet Ambros. in lib. ad virginem lapsam, vbi ad poenitentiam sic illam adhortatur: *Lugubris tibi accipienda est vestis: mens, & membra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt, totum corpus incuriâ maceretur, cinere aspersum, & opertum cilicio perhorrescat. Talis actio poenitentiæ, si fuerit perseverans, audebit sperare, etsi non gloriam, certè pœnæ euacuationem.* Quòd autem hoc intelligat de poena Deo debita, ostendunt quæ addit: *Peccator si sibi non pepercerit, à Deo illi parcitur: & si pœnas futuras gehennæ perpetuas in hoc parvo vitæ spatio compensauerit, seipsum ab æterno iudicio liberat. Grandi plagæ alta & prolixa medicina opus est, Grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem.* Similia quoque habet Pacianus initio lib. de poenit. Et August. epist. 54. *Quosdam*, inquit, *quorum crimina manifesta sunt, à vestra seueritate liberatos, à societate tamen remouemus altaris, vt pœnitendo placare possint, quem peccando contempserant, seque ipsos puniendo. Nam nihil aliud agit, quem veraciter poenitet, nisi vt id quod malè fecerit, impunitum esse non sinat. Eo quippe modo sibi non parcenti ille parcit, cuius altum iustumque iudicium nullus contemptor euadit.* Et S. Leo epist. 92. ad Rusticum cap. 2. *Vnde huiusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei priuata est petenda secessio, vbi illis satisfactio, si digna fuerit, sit etiam fructuosa.* Et Victor Cartennensis lib. de poenit. cap. 24. *Confitere, & faciem Dei præueni satisfactionis officio: humilia ante eum cor tuum, & in conspectu eius curua cervicem, flecte genua, & elisо vultu in terram prosternere &c.*

Simili etiam modo loquuntur Patres 18.
græci: vt Origen. homil. 3. in lib. Iudic. vbi sic habet: *Vide benignum Dominum misericordiam cum seueritate miscentem, & ipsius poenæ modum iusta, & clementi libratione pensantem. Non in perpetuum tradit deliquentes, sed quanto tempore errasse te nosti, quanto tempore deliquisti: tanto nihilominus tempore humilia teipsum, & satisfacito ei in confessione poenitentiæ.* Et Basil. homil. 14. quæ est in ebrietatem, & luxum, propè finem, *Medicina*, inquit, *magna delicta sedabit, ieiunium ebrietatem curet, psalmus turpes cantus, lacryma risum: prosaltatione genu Deo flectatur, pro plausu manuum pectus pulsetur, pro vestium sumptu & ornatu humilitas: in omnibus verò eleemosyna peccata diluat. Redemptio animæ viri, diuitiæ ipsius*, in eleemosynas scilicet pro peccatis extinguẽndis impẽsę.

Quibus postremis verbis non obscure significat se loqui de satisfactione, ipsi Deo factâ, siquidẽ per eam diluuntur peccata, & anima redimitur. Et Chrysost. in serm. 1 de cõfessione peccati: *Confessio*, inquit, *reddat, quod peccatũ detraxerat. Curet poenitentia, quod delictorũ maculã infecerat, feruentium virus satisfactionis antidoto curetur, peccatorũ vegena precum instantiâ depellantur, vt Dominum, quẽ nobis delicta fecerant iracundũ, reddant obsequia digna placatũ: & qui à nobis fuerat peccatis offensus, confessione nobis reddatur misericors & pius.* Et hom. 41. ad populum Antiochenum, *A nobis vlcionem sumamus, ita placabimus iudicem.* Et hom. 2. de lapsu primi hominis, *Ostendit Dominus*, inquit, *quibus officiis possint delicta purgari* (& non solum Ecclesiæ satisfieri) *Ostendit confessione, & deformitate cultus veniam posse facilimè impetrari.* 19.

Alia multa veterum testimonia ad idem confirmandum afferri possent, sed hæc plusquam satis ostendunt veterem Ecclesiam (cuius sensus non potest melius agnosci quam ex communi consensu, & testimonio SS. Patrum) credidisse publicam pœnitentiam non eo solùm fine vsurpatam fuisse, vt ipsi satisfieret, scandalumque ei datum repararetur (quamquam etiam ad hoc vtilis erat) sed & præcipuè ad Deo ipsi satisfaci-

endum, & reatum pœnæ apud ipſum abolendum. Id enim manifeſtè ſignificat illud Tertulliani, *Pro Dei indignatione fungitur* &c. Et illud Cypriani, *Qui ſic Deo ſatisfecerit* &c. Et illud Ambroſii, *Peccator ſi ſibi non pepercerit, à Deo illi parcitur.* Et illud Paciani, *In quantum pœnæ veſtræ non pepercerit is, in tantum Deus vobis parcet.* Et illud Auguſtini, *Vt pœnitendo, ſeque ipſos puniendo, placare poſſint, quem peccando contempſerunt*, Deum ſcilicet, *cuius altum, iuſtumque iudicium nullus contemptor euadit.* Et illud Leonis, *Vt ad promerendam miſericordiam Dei fructuoſa ſit illis ſatisfactio.* Et illud Victoris Cartennenſis, *Facient Dei præueni ſatisfactionis officio.* Et illud Origenis, *Humilia teipſum Deo, & ſatisfacito ei in confeſſione pœnitentiæ.* Et illud Baſilii, *Medicina magna delicta ſedabit* &c. *& peccata diluet.* Et illud Chryſoſtomi, *Vt dominum, quem nobis delicta fecerant iracundum, reddant obſequia digna placatum.*

Occurritur obiectioni.

Quod autem Tertull. & quidam alii ex citatis dicunt ſatisfactiones, & pœnitentiam publicam valuiſſe etiam ad perpetua Gehennæ incendia extinguenda, verum eſt, quatenus ſatisfactio prævia abſolutioni concurrit vel vt pars integralis ſacramenti nondum effectum illum adepti, vel ſaltem tanquam diſpoſitio, ad ipſam culpæ mortalis remiſſionem, & pœnæ æternæ. Vt omittam, quod plerique affirmant, pœnam reſtantem ex peccatis remiſſis fore æternam, niſi pœnitens in ſtatu gratiæ moriatur.

Fundamentum autem huius erroris, quòd ſcilicet remiſſâ culpâ nullus ſuperſit reatus pœnæ, quam Deus exigat, & pro qua ipſi ſatisfieri poſſit, per opera pœnitentiæ, repugnat pluribus Scripturæ teſtimoniis; vt Genes. 3. vbi Deus primo parenti graues pœnas imponit pro ipſius tranſgreſſione; quæ non ceſſarunt cum remiſſione delicti, è quo ipſum aliquãdiu poſt fuiſſe eductum teſtatur alibi Scriptura Sapien. 10. v. 2. Et Nũ. 14. vbi Deus ad preces Moyſi dimittit populo peccatum; ita tamen, vt in eius pœnã nullus eorũ, qui murmurauerant, in terrã promiſſionis ingreſſus ſit, ſed iacuerint eorũ cadauera in ſolitudine, & filii eorũ fuerint vagi in deſerto, portauerintq; iniquitatem parentum: id eſt, vt vertit Caldæus Paraphraſtes, luerint pœnas peccatorum patrũ ſuorũ, donec conſumerentur eorũ cadauera in deſerto. Et Deuter 32. vbi Moyſes & Aaron iuſſu Dei moriuntur ante ingreſsũ terræ promiſſæ, eoquod præuaricati fuiſſent contra Deũ in medio filiorũ Iſrael ad aquas contradictionis. Et 2. Reg. 12. ibi Dauidi exclamanti, *Peccaui Domino*, denunciat Nathan Deum quoq; remittere ipſi peccatum: *Veruntamen*, inquit, *quia blaſphemare feciſti inimicos Domini propter verbum hoc, filius, qui natus eſt tibi morte morietur* & aliis locis, quibus Scriptura ſignificat opera pœnitentiæ, orationes, ieiunia, & eleemoſynas valere ad Deũ placandũ pro peccatis, eorumq; pœnas auertendas. Vt 3. Reg. 2. vbi Achab humiliatus, & pœnitens, amolitus eſt pœnas ſibi à Deo per Eliam denunciatas, Et prouerb. 16. *Miſericordia & veritate redimitur iniquitas*, Et Tob. 4. *Elemoſyna ab omni peccato, & a morte liberat.* & cap. 12. *Bona eſt oratio cum ieiunio & elemoſyna quoniam elemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit inuenire miſericordiam, & vitam æternam.* Et Daniel. 4. *Peccata tua elemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum, forſitan ignoſcet Deus delictis tuis.* & Ioel. 2. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio & fletu & planctu* &c. *Quis ſcit, ſi conuertatur & ignoſcat Deus* &c. Et Ionæ 3. Niniuitæ ieiunio triduano, aliiſque operibus pœnitẽtiæ auerterunt iram Dei, & ſubuerſionem ciuitatis imminentẽ. *Vidit* enim *Deus opera eorũ, quia conuerſi ſunt à via ſua mala, & miſertus eſt Dominus ſuper malitia, quã locutus erat vt faceret eis, & non fecit.* Cum autem huiuſmodi opera valeant ad Deũ placandum, & pœnas apud eum extinguendas, vt patet ex locis Scripturæ citatis: abſurdum eſt exiſtimare pœnitentes in antiqua Eccleſia, ex ipſius intentione, & inſtitutione, non eo fine illa exercuiſſe, ſed tantùm vt ſatisfacerent Eccleſiæ, quemadmodum falsò, & planè improbabiliter affirmant illi quos modò impugnamus.

19. Pœna remanet culpâ remiſſa.

SECTIO III.

Pro quibuſnam peccatis imponeretur publica & ſolemnis pœnitentia?

20. Non fuit præcepta niſi pro grauioribus & ſcandal.

REſpondeo illã non fuiſſe in præcepto, niſi pro grauioribus quibuſdã criminibus publicis & ſcandaloſis: non autẽ pro quibuſuis moralibus, etiam ſecretis, vt malè noui quidã dogmatiſtæ affirmant: ac multò minùs pro leuibus, ſeu venialibus. Ita S. Thom. q. 28. Supplem. art. 3. vbi docet non debere hanc pœnitentiam imponi, niſi pro peccato, quod totã commouerit vrbem. Quibus verbis alludere videtur ad cã. 32. Con. Cartagin. III. vbi loquens de ſolemni pœnitẽtia, ſic ait: *Cuiuſcunque pœnitentis publicum, & vulgatiſsimũ crimen eſt, quod vniuerſam Eccleſiam cõmouerit, ante Abſida, id eſt, atrium Eccleſiæ (manus, ei imponatur.* Tametſi fortè non de omnibus peccatis pœnitentiæ publicæ ſubiectis loquitur ibi Conciliũ. Dixi autem non fuiſſe neceſſariam ex præcepto, niſi pro grauioribus &c. Quia ex voluntaria deuotione, humilitatis ſtudio, & ex ſupererogatione pro leuibus fieri poterat, & interdum fiebat, vt ſignificat Innocentius verbis relatis n. 8.

21. Probatur ex Auguſt.

Idem etiam docet S. Auguſt. pluribus locis: præcipuè verò lib. 50. homiliarum hom. vlt. cap. 4. vbi eum, qui poſt Baptiſmum lethaliter peccauit, monet vt ſe diligẽter examinet, & *cùm ipſe in ſe protulerit ſeueriſſimæ medicinæ, ſed tamen medicinæ, ſententiam, veniat ad Antiſtites, per quos illi in Eccleſia claues miniſtrantur: & tanquam bonus iam incipiens eſſe filius maternorum membrorum ordine cuſtodito, à præpoſitis Sa-*

cramentorum accipiat satisfactionis suæ modum, &c. Vt si peccatum eius non solum in graui eius malo, sed etiam in tanto scandalo est aliorum: atq; hoc expedire vtilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuset, non resistat, non lethiferæ plagæ per pudorem addat tumorem. Et in serm. 16. de verb. Dom. secundum Matt. cap. 8. affirmat secretum homicidam, & adulterum non esse palam prodendũ, sed in secreto corripiendum, & ad pœnitentiam, secretam scilicet, inducendum. Et in lib. de fide, & operibus, c. 26. distinguit tria genera peccatorũ. Vnum mortalium grauiorum, à communione separantium, & excommunicatione puniendorum: alterum mortalium non adeo grauiũ, vt publicâ pœnitentiâ castiganda essent: & tertium denique leuium, seu venialium. Verba illius hæc sunt: *Sed nisi essent quæda ita grauia, vt etiam excõmunicatione plectenda sint, non diceret Apostolus: Congregatis vobis, & meo spiritu, tradere huiusmodi hominem Satanæ ad interitum carnis, &c. Itẽ nisi essent quædam non ea humilitate sananda, qualis in Ecclesia datur eis, qui propriè pœnitentes vocantur: sed quibusdam correptionum medicamẽtis: non diceret ipse Dominus, Corripe eũ inter te, & ipsum solum. Et si te audierit, lucratus eris fratrẽ tuum. Postremo nisi essent quædam, sine quibus hæc vita non agitur, non quotidianam medelam poneret in oratione, quã docuit vt dicamus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

22. Et ex Concil Toletano.

Præterea quòd peccata ex præcepto subiecta publicæ pœnitentiæ, deberent esse grauissima, perspicuè significat Concil. Tolet. 1. Can. 2. cum sic ait: *Eum vero pœnitentem dicimus, qui post Baptismum, aut pro homicidio, aut pro diuersis criminibus, grauissimisque peccatis publicam pœnitentiam gerens sub cilicio, diuino fuerit reconciliatus altario.* Et S. Leo epist. 92. c. 17. vbi consultus quidnam agẽdum esset cum illis, qui diu inter paganos versati redibant ad Ecclesiam, ita respondet: *Qui conuiuio solo Gentilium, & esis immolatitiis vsi sunt, possunt ieiuniis, & manus impositione purgari: vt deinceps ab Idolothytis abstinentes sacramentorum Christi possint esse participes. Si autem Idola adorauere, aut homicidiis, vel fornicationibus contaminati sunt, ad communionem eos, nisi per pœnitentiam publicam, non oportet admitti.* Et S. Eligius homil. 15. *Quia ergo maiora crimina admittentibus maiora sunt adhibenda remedia, conuertam me ad vos, quos Ecclesia ex more pœnitentes vocat.*

23. Et ex Cabilon.

Quod verò etiam peccata illa publica esse deberent, & scandalosa, patet ex Concilio Cabilonensi 2. can. 26. vbi statuit vt si quis publicè peccet, publicâ mulctetur pœnitentiâ, & secundum ordinem Canonum pro merito suo excommunicetur, & recõcilietur. Et ex Concilio Arelat. 6. Can. 26. cuius verba sunt: *Vt qui publico crimine conuicti sunt, rei publicè iudicentur, & publicam pœnitentiam agant secundum Canones.* Et S. Eligius homil. 16. *Alloquimur*, inquit, *quos publica actio criminalis publicam cogit agere pœnitentiam.* Et S. Leo epist. 80. Ad Episcopos Campaniæ reprehendit abusum quorundam sacerdotum qui coram Ecclesia publicabãt occulta crimina, secretò in confessione sibi detecta. Et epist. 92. ad Rusticum Narbonensem Episcopum cap. 12. respondet Monachum, de quo consultus fuerat, debere publica pœnitẽtia purgari: quia videlicet ipsius peccatum non erat occultum. Et Basil. in epist. ad Amphilochium can. 34. dicit prohibitum fuisse à Patribus publicari adulterium secretum fœminarum, quæ de illo cõfitentur, ne propter criminis manifestationem vitæ periculũ incurrant: statuetumque fuisse vt manerent in Ecclesia, solúmque abstinerent à communione (si possent videlicet sine scandalo, & suspicionis periculo) donec implerent pœnitentiam (secretam scilicet) illis iniunctam. Et denique Cæsarius homil. 8. de publicè pœnitentibus sic ait: *In luctu, & tristitia multo tempore permanentes, & pœnitentiam etiam publicè agentes: quia iustum est, vt qui cum multorum destructione, (propter scandalum illis datum) se perdidit, cum multorum ædificatione se redimat.* Alia plura ad huius veritatis confirmationem antiquorum testimonia adducit, & expendit Dionys. Petauius lib. 6. de Pœnitentia publica cap. 2. & pluribus sequentibus: Sed ista nobis pro instituta breuitate sufficiunt.

Neque magni momenti sunt, quæ in contrarium noui Dogmatistæ obiiciunt ad probandum quęcunque peccata mortalia, etiam purè interna, & occulta, fuisse olim subiecta necessariò pœnitentiæ publicæ. Quibus licet abundè ab auctore citato, cap. 6. & sequentibus eiusdem libri, & ab aliis nouorum Dogmatum impugnatoribus abundè satisfactum sit: tamen non erit inutile breuiter ea perstringere, & ad formam scholasticam redigere, quæ ipsi fusiùs & copiosiùs prosecuti sunt.

24. Soluitur prima obiectio adducta.

Opponũt primò, SS. Patres omnia peccata ad duo genera reuocare: vnum grauium, mortalium, capitalium, damnationem merẽtium: alterum leuium, venialium, quotidianorũ, à quibus nullus eximitur, ac ne ipsi quidẽ iusti sunt ab illis planè liberi. Et pro istis quidem satisfieri posse per orationes, & opera misericordiæ. Primum verò illud genus peccatorum ex illorum sententia esse publicâ pœnitentiâ expiandum necessariò. Respondeo cũ auctore proximè citato c. 6. Patres manifestè distinguere peccata mortalia in duo genera: quorum vnum erat grauiorum, & publicorũ, necessariò subiiciendorũ pœnitẽtiæ publicæ iuxta Canones, & statuta antiquæ Ecclesiæ: alterum minùs grauium, aut secretorum, quæ non debebãt illi subiici: vt euidẽter patet ex Canonibus, & Patrũ testimoniis supra relatis n. 12. 13. & 14. Quod si aliqui PP. affirmant interdum peccata quælibet grauia, mortalia, aut capitalia expiãda esse publicâ pœnitẽtia: sumunt strictiùs nomen peccati mortalis, aut capitalis; non pro quocunq; inferente mortẽ spiritualem animæ, seu priuationẽ gratiæ, & vitæ æternæ: sed pro illis quæ vlteriùs mortẽ canonicam, & ciuilem inferebant, priuando

Digitized by Google

communione fidelium, & relegando ad publicam pœnitentiam. Vt manifestè patet ex Paciano in parænesi ad pœnitētiā, paulò post initium: vbi postquam dixit considerandum esse, quæ sint peccata, quæ crimina: *Ne quis existimet*, inquit, *propter innumera delicta, quorū fraudibus nullus immunis est, me omne hominum genus indiscreta pœnitendi lege cōstringere*: addit, In lege Mosaica nullam fuisse adhibitam distinctionem grauiorum, aut leuiorum peccatorū: sed omnium transgressionem fuisse cum rigore punitam. At verò in lege Euangelica, Deum peccata illa, quæ seuerius puniebātur, ad tria duntaxat reduxisse: illa videlicet, quę notarunt Apostoli Act. 19. in epistola synodica, quā præceperunt abstinere ab idololatria, homicidio, & fornicatione. *Ista*, inquit, *sunt capitalia, fratres, ista mortalia*. De illdēq; exponit illud 1. Ioan. 5. *Est peccatum ad mortē, non pro illo dico vt oret quis*: eò quòd scilicet propter illa fideles excommunicarentur, & priuarentur participatione communium bonorum, & orationum Ecclesiæ: ac propter eadem, vel in perpetuum negaretur cōmunio, vt statuitur in Concilio Eliberino Can. 6. 7. 12. 18. & 63. vel in fine vitæ tantùm concederetur, vt præcipitur in Concilio Ancyrano Can. 22. Arel. 1. Can. 14. Tolet. 1. Can. 18. & 19. Valentin. Can. 3. & à Syricio epist. 1. Can. 5. & 6. & Basilio epist. ad Amphiloch. can. 73.

25. Opponunt secundò illud Tertulliani lib. de Pœnit. cap. 10. *Plerosque tamen hoc opus* (publicæ pœnitētiæ) *vt publicationem sui sufugere, aut de die in diem differre præsumo, pudoris magis memores, quàm salutis: velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medētium vitant, & ita cū erubescentia sua pereunt*. Et paulò post: *Grande planè emolumentum verecundiæ cecidatio delicti pollicetur. Videlicet si ali quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde & Deum celabimus? Adeóne existimatio hominum, & Dei conscientia comparantur? An melius est damnatum latere, quàm palam absolui?* Ex quibus verbis colligunt omnia peccata mortalia, etiam secreta de quibus solis pudor esse poterat, debuisse publica pœnitentia expiari: non autem sola publica, quæ non poterant esse causa erubescēdi pœnitentibus, cùm iam essent manifesta.

26. Diluitur secunda. Respondeo primò, consequentiam tam generalem malè deduci. Nam Tertullianus potest facilè, ac debet intelligi de grauioribus illis duntaxat, quibus per leges ecclesiasticas pœna tam grauis, & tam diuturna constituta erat. Secundò potest etiam, ac debet intelligi de secretis non omninò, sed ex parte, seu respectiuè, ita vt licet corā multis facta, non tamen essent nota toti Ecclesiæ. Vnde non leuem pudorem pati poterant, qui cogebantur publicam de illis in facie totius Ecclesiæ pœnitentiam agere, eaque coram omnibus confiteri, non verbo solùm, sed & humillimis, ac verecundiæ plenis operibus illius pœnitentiæ. Nam vt patet ex verbis proximè præcedētibus, loquitur ibi Tertullianus de Exomologesi, id est, de illa confessione peccatorum, quæ non solùm, aut præcipuè, ore fiebat, sed potiùs opere per externā humiliationem pœnitētiæ publicæ: cuiusmodi erat prodire in publicum habitu & vultu pœnitentis, & in omnium conspectu flere ad portam Ecclesiæ, omnium pedibus aduolui, cinere conspersum, cilicio indutum, & sordidum: *Est enim*, inquit, *Exomologesis prosternendi, & humilificandi hominis disciplina*, &c. Poterāt autem sine dubio ab illa retrahi præ pudore, non solùm illi, quorū peccata, licet publicè, & coram multis commissa, erant tamē secreta respectu aliorū plurium: verùm etiam illi, quorum peccata erant adeo publica, vt iam antea essent toti Ecclesiæ nota. Sicut enim non leuis pudor est verbis confiteri peccata, etiam illis, quibus non dubitamus esse cognita: ita & multò magis cum tanta humiliatione ea coram omnibus profiteri.

Opponunt tertiò illud Origenis homil. 15. in Leuit. ad cap. 25. v. 29. *In grauioribus enim criminibus semel tantùm vel raro pœnitentiæ cōceditur locus: ista vero communia, quæ frequenter incurrimus, semper pœnitentiam recipiunt, & sine intermissione redimuntur*. Quorum verborum priorem partē intelligendam esse contendūt de omnibus, & quibuluis mortalibus: posteriorem, de venialibus. Sed vt rectè ostendit Petauius cap. 10. lib. supra citati, perspicuè falluntur: cum ex verbis præcedentibus liqueat Origenem in vtraque parte suæ propositionis loqui de peccatis, propter quæ domus nostra cœlestis bene agendo, & bene viuendo, ac rectè credendo constructa, crudelissimo foeneratori, id est, diabolo venumdatur. At hoc non fit per peccata venialia. Itaque non de illis intelligendus est Origenes, cum ait, *Ista vero communia*, &c. Sed de mortalibus minùs grauibus, & difficiliùs euitabilibus, in quæ frequētiùs, & communiùs Christiani incurrunt, quibusue non imponebatur pœnitentia publica, sicut aliis grauioribus. 27. Tertia obiectio.

Opponunt quartò, omne peccatū mortale mereri poenam excommunicationis, iuxta modū loquendi SS. Patrum, id est, priuationis Eucharistiæ. Erat autem coniuncta publica pœnitētia cum hac priuatione, quæ erat pars illius præcipua. Igitur omne peccatum mortale meretur publicā pœnitentiam iuxta modum loquendi SS. Patrum. Respōdeo iure quidem diuino omne peccatum mortale mereri communionis Eucharisticæ priuationē, hoc sensu, quòd nemo sibi conscius peccati mortalis licitè potest ad illam accedere, nisi priùs à Deo veniam peccati obtinuerit, iuxta illud Apostoli 1. Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo*, &c. ac, si fieri potest, confessionem sacramentalem præmiserit, vt declarauit Trident. sess. 13. cap. 7. Sed quòd diu, obtentā licet veniā peccatorū, à communione debeat abstineri: vel quòd iuxta leges diuinas, aut Ecclesiasticas publica pœnitentia sit necessariò præmittenda, & pluribus annis, vt olim fiebat, exercenda; neque Scriptura vllibi significat; neque sancti Patres affirmāt 28. Quarta opposito.

Digitized by Google

id suo tempore in vsu fuisse de omnibus, & quibuslibet peccatis mortalibus, etiam purè internis, aut externis occultis: sed duntaxat de grauioribus, & publicis, & scandalosis, vt ostendimus n. 12. 13. & 14. Imò ne quidem pro illis omnibus eiusmodi pœna per leges, aut consuetudinem Ecclesiæ statuta erat, eo tempore quo vigebat & in præcepto erat publica pœnitentia. Constat enim ex Ioanne Climaco (qui vixit sexto sæculo) Gradu 15. eos qui ab hæresi ad Ecclesiam catholicã reuertebantur, fuisse admissos ad participationem mysteriorum statim post hæresim abiuratã: secus, inquit, ac fornicarios, quibus vltra pœnitentiam, & conuersionem à peccato, aliquot annorum spatio interdicebatur vsus diuini Sacramenti, prout Apostolicis Canonibus statutum est.

29. Quinta & vltima.

Opponunt quintò illud Fulberti Carnotensis Episc. serm. 2. ad populum. *Si permansissemus in illa munditia, quæ nobis per Baptismum data est, verè fœlices essemus. Sed non permansimus. Cecidimus enim per nostram culpam non solũ in peccata, sed etiam in crimina, propter quæ peccatores ab Ecclesia separãtur. Qualia sunt homicidia, adulteria, fornicationes, sacrilegia, rapinæ, falsa testimonia, superbia, inuidia, auaritia, diutina iracundia, ebrietas assidua.* Ex quibus verbis inferunt Dogmatistæ, adhuc tempore Fulberti, qui circa vndecimum sæculum floruit, propter quodcunque peccatum mortale fideles fuisse ab Ecclesia separatos. Idque confirmant altero Iuonis Carnotensis Episc. testimonio, sic scribentis epist. 230. *Hinc est quod Ecclesia sua crimina confitentes à sacramentorum communione suspendit, & in cinere, & cilicio positos ab introitu Ecclesiarum statuto tempore excludit.*

Respondeo sensum Fulberti esse quòd crimina illa grauiora, & publica, ac scandalosa, propter quæ pœnitentia publica imponebatur, & fideles separabantur ab Ecclesia, pertinebant ad species illas, quas enumerat: sed non quòd omne peccatũ mortale in eiusmodi speciebus commissum, etiam purè internũ, & secretum, ad tam austeram pœnitentiam damnaretur, qualẽ supra ex Tertulliano, Sozomeno, & aliis descripsimus. Imò ne quidẽ omne externũ, & publicum. Nam potiùs ipse contrarium significat, cùm ait, *diutina iracundia*, &, *ebrietas assidua*, Grauis enim iracundia, & odium capitale, quamuis non diuturnum, ebrietasque vel semel admissa scienter, & liberè, est peccatũ mortale. Et tamen, iuxta Fulbertum, non puniebatur separationis pœnâ, talis iracundia, nisi esset diuturna; neque talis ebrietas, nisi esset assidua: quia nimirum non erat adeo grauis, & scandalosa. Adde quod cum perpauci fidelium ab omni peccato mortali in aliqua huiusmodi specierum abstineant, oportuisset omnes fere ab Ecclesia separare, & amandare ad ordinem poenitentium, quod est absurdum, & inauditum. Eodemque sensu, & cum eadem restrictione alterum testimonium, ex Iuone allatum, intelligendum est.

SECTIO IV.

Soluuntur variæ quæstiones circa publicam Pœnitentiam.

30. Fuit olim alia Pœnitentia præter publicã & solennẽ.

QVæritur primò, fueritne in antiqua Ecclesia alia poenitentia, præter publicam & solennem? Negare id videntur noui Dogmatistæ, qui vix alium vsum potestatis clauium agnoscunt, nisi ad ligandum per impositionem poenitentiæ publicæ, & soluendum per canonicam recõciliationem: quam etiam putant non fuisse veram absolutionem à peccatis per sentẽtiam sacerdotis remittentis vice Dei; sed tãtùm declarationem remissionis iam à Deo obtentæ, per exercitium poenitẽtiæ publicæ. At hoc postremum est error intolerabilis à Luthero & Caluino eorumque affectis acceptus, & dãnatus à Trid. sess. 14. Can. 9. de Poenit. Neq; minùs euidenter falsum est primum illorum pronũciatum. Nam quòd olim præter publicam illam, & solennẽ poenitẽtiam, de qua huc vsque diximus, alia fuerit in Ecclesia, quâ peccatores sine tanta solennitate Deo reconciliabantur, patet primò, quia publica illa, & solennis poenitẽtia nonnisi semel in vita concedebatur, vt supra vidimus nu. 7. Quòd verò vltra illam daretur alia, per quam peccatores sæpius Deo reconciliari possent, docet Origenes homil. 15. in Leuiticũ, ad cap. 25. v. 29: vbi disertè affirmat, licet peccatis grauioribus semel tãtùm poenitentia publica, & solennis cõcedatur: alia tamen in quę frequenter incurrimus, semper poenitentiam recipere; & sine intermissione redimi. Idemque affirmat S. Augustin. epist. 54. ad Macedonium, ex quo desumptus fuit Can. 62. dist. 50. mutatis aliquantulum illius verbis, in hunc modum: *Quamuis cautè, & salubriter prouisum sit vt locus illius humillimæ* (id est solennis) *pœnitentiæ, semel tantùm in Ecclesia concedatur: tamen quotidie peccantibus nunquam per pœnitentiam venia denegatur.* Et verò, nisi alia fuisset poenitentia, præter solennem: quicunq; post illam admisissent aliqua peccata mortalia, non potuissent de illis cõfiteri, & à Sacerdotibus remissionem obtinere: cùm tamen certũ sit, & de fide ex Trid. sess. 14. c. 5. & Can. 1. Poenitentiæ sacramẽtum fuisse pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum. Et ad sacerdotes, tanquam Christi vicarios, & in foro poenitentiæ iudices, debere omnia mortalia crimina deferri, in quę Christi fideles ceciderint: quo, pró potestate Clauium, remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient.

Prima differentia inter vtramque.

31. Secunda differentia.

Secundò, publica illa poenitentia non nisi pro peccatis grauioribus, & publicis, atque scãdalosis imponebatur, vt probauimus sect. præcedẽti. Atqui pro aliis quoq; fuisse in Ecclesia locum poenitentiæ, & reconciliationis docet Augu. lib. 50. Homiliarum, homil. vlt. cap. 2. verbis supra relatis nu. 12. & sermone

communione fidelium, & relegando ad publicam pœnitentiam. Vt manifestè patet ex Paciano in parænesi ad pœnitẽtiã, paulò post initium: vbi postquam dixit considerandum esse, quæ sint peccata, quæ crimina: *Ne quis existimet*, inquit, *propter innumera delicta, quorũ fraudibus nullus immunis est, me omne hominum genus indiscreta pœnitendi lege cõstringere*: addit, In lege Mosaica nullam fuisse adhibitam distinctionem grauiorum, aut leuiorum peccatorũ: sed omnium transgressionem fuisse cum rigore punitam. At verò in lege Euangelica, Deum peccata illa, quæ seueriùs puniebãtur, ad tria duntaxat reduxisse: illa videlicet, quę notarunt Apostoli Act. 19. in epistola synodica, quã præceperunt abstinere ab idololatria, homicidio, & fornicatione. *Ista*, inquit, *sunt capitalia, fratres, ista mortalia.* De illdeq; exponit illud 1. Ioan. 5. *Est peccatum ad mortẽ, non pro illo dico vt oret quis*: eò quòd scilicet propter illa fideles excommunicarentur, & priuarentur participatione communium bonorum, & orationum Ecclesiæ: ac propter eadem, vel in perpetuum negaretur cõmunio, vt statuitur in Concilio Eliberino Can. 6. 7. 12. 18. & 63. vel in fine vitæ tantùm concederetur, vt præcipitur in Concilio Ancyrano Can. 22. Arel. 1. Can. 14. Tolet. 1. Can. 18. & 19. Valentin. Can. 3. & à Syricio epist. 1. Can. 5. & 6. & Basilio epist. ad Amphiloch. can. 73.

25. Opponunt secundò illud Tertulliani lib. de Pœnit. cap. 10. *Pleroſque tamen hoc opus* (publicæ pœnitẽtiæ) *vt publicationem sui suffugere, aut de die in diem differre præsumo, pudoris magis memores, quàm salutis: velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medẽtium vitant, & ita cũ erubescentia sua pereunt.* Et paulò post: *Grande planè emolumentum verecundiæ eruditio delicti pollicetur. Videlicet si ali, uid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde & Deum celabimus? Adeóne existimatio hominum, & Dei conscientia comparantur? An melius est damnatum latere, quàm palam absolui?* Ex quibus verbis colligunt omnia peccata mortalia, etiam secreta de quibus solis pudor esse poterat, debuisse publica pœnitentia expiari: non autem sola publica, quæ non poterant esse causa erubescẽdi pœnitentibus, cùm iam essent manifesta.

26. Diluitur secunda. Respondeo primò, consequentiam tam generalem malè deduci. Nam Tertullianus potest facilè, ac debet intelligi de grauioribus illis duntaxat, quibus per leges ecclesiasticas pœna tam grauis, & tam diuturna constituta erat. Secundò potest etiam, ac debet intelligi de secretis non omninò, sed ex parte, seu respectiuè, ita vt licet corã multis facta, non tamen essent nota toti Ecclesiæ. Vnde non leuem pudorem pati poterant, qui cogebantur publicam de illis in facie totius Ecclesiæ pœnitentiam agere, eaque coram omnibus confiteri, non verbo solùm, sed & humillimis, ac verecundiæ plenis operibus illius pœnitentiæ. Nam vt patet ex verbis proximè præcedẽtibus, loquitur ibi Tertullianus de Exomologesi, id est, de illa confessione peccatorum, quæ non solùm, aut præcipuè, ore fiebat, sed potiùs opere per externã humiliationem pœnitẽtiæ publicæ: cuiusmodi erat prodire in publicum habitu & vultu pœnitentis, & in omnium conspectu flere ad portam Ecclesiæ, omnium pedibus aduolui, cinere conspersum, cilicio indutum, & sordidum: *Est enim*, inquit, *Exomologesis professionis, & humilificandi hominis disciplina*, &c. Poterãt autem sine dubio ab illa retrahi præ pudore, non solùm illi, quorũ peccata, licet publicè, & coram multis commissa, erant tamẽ secreta respectu aliorũ plurium: verùm etiam illi, quorum peccata erant adeo publica, vt iam antea essent toti Ecclesiæ nota. Sicut enim non leuis pudor est verbis confiteri peccata, etiam illis, quibus non dubitamus esse cognita: ita & multò magis cum tanta humiliatione ea coram omnibus profiteri.

Opponunt tertiò illud Origenis homil. 15. 27. in Leuit. ad cap. 25. v. 29. *In grauioribus enim criminibus semel tantùm vel raro pœnitentiæ cõceditur locus: ista verò communia, quæ frequenter incurrimus, semper pœnitentiam recipiunt, & sine intermissione redimuntur.* Quorum verborum priorem partẽ intelligendam esse contendũt de omnibus, & quibuslibet mortalibus: posteriorem, de venialibus. Sed vt rectè ostendit Petauius cap. 10. lib. supra citati, perspicuè falluntur: cum ex verbis præcedentibus liqueat Origenem in vtraque parte suæ propositionis loqui de peccatis, propter quæ domus nostra cœlestis bene agendo, & bene viuendo, ac rectè credendo constructa, crudelissimo foeneratori, id est, diabolo venumdatur. At hoc non fit per peccata venialia. Itaque non de illis intelligendus est Origenes, cum ait, *Ista vero communia*, &c. Sed de mortalibus minùs grauibus, & difficiliùs euitabilibus, in quæ frequẽtiùs, & communiùs Christiani incurrunt, quibuslibet non imponebatur poenitentia publica, sicut aliis grauioribus. Tertia obiect.o.

Opponunt quartò, omne peccatũ mortale 28. mereri poenam excommunicationis, iuxta modũ loquendi SS. Patrum, id est, priuationis Eucharistiæ. Erat autem coniuncta publica poenitẽtia cum hac priuatione, quæ erat pars illius præcipua. Igitur omne peccatum mortale meretur publicã poenitentiam iuxta modum loquendi SS. Patrum. Respõdeo iure quidem diuino omne peccatum mortale mereri communionis Eucharisticæ priuationẽ, hoc sensu, quòd nemo sibi conscius peccati mortalis licitè potest ad illam accedere, nisi priùs à Deo veniam peccati obtinuerit, iuxta illud Apostoli 1. Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo*, &c. ac, si fieri potest, confessionem sacramentalem præmiserit, vt declarauit Trident. sess. 13. cap. 7. Sed quòd diu, obtentã licet veniã peccatorũ, à communione debeat abstineri: vel quòd iuxta leges diuinas, aut Ecclesiasticas publica poenitentia sit necessariò præmittenda, & pluribus annis, vt olim fiebat, exercenda; neque Scriptura vllibi figuitcat; neque sancti Patres affirmãt Quarta opi positio.

Digitized by Google

id suo tempore in vsu fuisse de omnibus, & quibuslibet peccatis mortalibus, etiam purè internis, aut externis occultis: sed duntaxat de grauioribus, & publicis, & scandalosis, vt ostendimus n. 12. 13. & 14. Imò ne quidem pro illis omnibus eiusmodi pœna per leges, aut consuetudinem Ecclesiæ statuta erat, eo tempore quo vigebat & in præcepto erat publica pœnitentia. Constat enim ex Ioanne Climaco (qui vixit sexto sæculo) Gradu 15. eos qui ab hæresi ad Ecclesiam catholicã reuertebantur, fuisse admissos ad participationem mysteriorum statim post hæresim abiuratã: secus, inquit, ac fornicarios, quibus vltra pœnitentiam, & conuersionem à peccato, aliquot annorum spatio interdicebatur vsus diuini Sacramenti, prout Apostolicis Canonibus statutum est.

29. Quinta & vltima.

Opponunt quintò illud Fulberti Carnotensis Episc. serm. 2. ad populum. *Si permansissemus in illa munditia, quæ nobis per Baptismum data est, verè fælices essemus. Sed non permansimus. Cecidimus enim per nostram culpam non solũ in peccata, sed etiam in crimina, propter quæ peccatores ab Ecclesia separãtur. Qualia sunt homicidia, adulteria, fornicationes, sacrilegia, rapinæ, falsa testimonia, superbia, inuidia, auaritia, diutina iracundia, ebrietas assidua.* Ex quibus verbis inferunt Dogmatistæ, adhuc tempore Fulberti, qui circa vndecimum sæculum floruit, propter quodcunque peccatum mortale fideles fuisse ab Ecclesia separatos. Idque confirmant altero Iuonis Carnotensis Episc. testimonio, sic scribentis epist. 230. *Hinc est quod Ecclesia sua crimina confitentes à sacramentorum communione suspendit, & in cinere, & cilicio positos ab introitu Ecclesiarum statuto tempore excludit.*

Respondeo sensum Fulberti esse quòd crimina illa grauiora, & publica, ac scandalosa, propter quæ pœnitentia publica imponebatur, & fideles separabantur ab Ecclesia, pertinebant ad species illas, quas enumerat: sed non quòd omne peccatũ mortale in eiusmodi speciebus commissum, etiam purè internũ, & secretum, ad tam austeram pœnitentiam damnaretur, qualẽ supra ex Tertulliano, Sozomeno, & aliis descripsimus. Imò ne quidẽ omne externũ, & publicum. Nam potiùs ipse contrarium significat, cùm ait, *diutina iracundia*, &, *ebrietas assidua*, Grauis enim iracundia, & odium capitale, quamuis non diuturnum, ebrietasque vel semel admissa scienter, & liberè, est peccatũ mortale. Et tamen, iuxta Fulbertum, non puniebatur separationis pœnâ, talis iracundia, nisi esset diuturna; neque talis ebrietas, nisi esset assidua: quia nimirum non erat adeo grauis, & scandalosa. Adde quod cum perpauci fidelium ab omni peccato mortali in aliqua huiusmodi specierum abstineant, oportuisset omnes fere ab Ecclesia separare, & amandare ad ordinem pœnitentium, quod est absurdum, & inauditum. Eodemque sensu, & cum eadem restrictione alterum testimonium, ex Iuone allatum, intelligendum est.

SECTIO IV.

Soluuntur variæ quæstiones circa publicam Pœnitentiam.

30. Fuit olim alia Pœnitentia præter publicã & solennẽ.

QVæritur primò, fueritne in antiqua Ecclesia alia pœnitentia, præter publicam & solennem? Negare id videntur noui Dogmatistæ, qui vix alium vsum potestatis clauium agnoscunt, nisi ad ligandum per impositionem pœnitentiæ publicæ, & soluendum per canonicam recõciliationem: quam etiam putant non fuisse veram absolutionem à peccatis per sentẽtiam sacerdotis remittentis vice Dei; sed tãtùm declarationem remissionis iam à Deo obtentæ, per exercitium pœnitẽtiæ publicæ. At hoc postremum est error intolerabilis à Luthero & Caluino eorumque assecłis acceptus, & dãnatus à Trid. sess. 14. Can. 9. de Pœnit. Neq; minùs euidenter falsum est primum illorum pronũciatum. Nam quòd olim prẽter publicam illam, & solennẽ pœnitẽtiam, de qua huc vsque diximus, alia fuerit in Ecclesia, quâ peccatores sine tanta solennitate Deo reconciliabantur, patet primò, quia publica illa, & solennis pœnitẽtia nonnisi semel in vita concedebatur, vt supra vidimus nu. 7. Quòd verò vltra illam daretur alia, per quam peccatores sæpius Deo reconciliari possent, docet Origenes homil. 15. in Leuiticũ, ad cap. 25. v. 29: vbi disertè affirmat, licet peccatis grauioribus semel tãtùm pœnitentia publica, & solennis cõcedatur: alia tamen in quę frequenter incurrimus, semper pœnitentiam recipere; & sine intermissione redimi. Idemque affirmat S. Augustin. epist. 54. ad Macedonium, ex quo desumptus fuit Can. 62. dist. 50. mutatis aliquantulum illius verbis, in hunc modum: *Quamuis cautè, & salubriter prouisum sit vt locus illius humillimæ* (id est solennis) *pœnitentiæ, semel tantùm in Ecclesia concedatur: tamen quotidie peccantibus nunquam per pœnitentiam venia denegatur.* Et verò, nisi alia fuisset pœnitentia, præter solennem: quicunq; post illam admisissent aliqua peccata mortalia, non potuissent de illis cõfiteri, & à Sacerdotibus remissionem obtinere: cùm tamen certũ sit, & de fide ex Trid. sess. 14. c. 5. & Can. 1. Pœnitentiæ sacramẽtum fuisse pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum. Et ad sacerdotes, tanquam Christi vicarios, & in foro pœnitentiæ iudices, debere omnia mortalia crimina deferri, in quę Christi fideles ceciderint: quo, pró potestate Clauium, remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient.

Prima differentia inter vtram; que.

31. Secunda differentia.

Secundò, publica illa pœnitentia non nisi pro peccatis grauioribus, & publicis, atque scãdalosis imponebatur, vt probauimus sect. præcedẽti. Atqui pro aliis quoq; fuisse in Ecclesia locum pœnitentiæ, & reconciliationis docet Augu. lib. 50. Homiliarum, homil. vlt. cap. 2. verbis supra relatis nu. 12. & sermone

Digitized by Google

16. de verbis Domini. Et Leo Papa epist. 80. ad Episcopos Campaniæ, vbi abusum reprehendit eorum sacerdotum, qui peccata occulta in secreta confessione audita publicabant coram Ecclesia. Et Cyprian. in serm. de lapsis, postquam reprehendit illos qui ad sacram synaxim accedebant *ante exomologesim factam criminis, ante purgatam conscientiam manu sacerdotis*: è contrario laudat eos, qui priùs *vel hoc ipsum, quod male facere cogitauerunt, apud Sacerdotes Dei dolenter, & simpliciter confitentur, exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam paruis licet vulneribus exquirunt, scientes scriptum esse, Deus non deridetur.* Et Lactant. lib. 4. Instit. cap. 17. affirmat illa ipsa peccata quæ in cordis secreto latent, esse per pœnitentiam, & confessionem expianda, Deique vicario sacerdoti aperienda. Et verò, cum, vt ait S. Leo, epist. 91. ad Theodorum, indultia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri, hoc est, vt postea exponit, per eorum reconciliationem, & pœnitentiam ab illis acceptam præuia confessione peccatorum: dicendum est vel non fuisse locum indulgentiæ, & remissionis in antiqua ecclesia, pro huiusmodi peccatis; atque etiam pro grauioribus, & scandalosis iterum commissis ab illis qui publicam egerant pœnitentiam: vel alium fuisse modum in antiqua Ecclesia reconciliandi Deo peccatores. Atqui certum est ex Syricio Papa epist. 1. cap. 5. illos etiam qui post publicam, & solēnem pœnitentiam ad priora peccata reuersi erant, veluti sues ad volutabrum, aut canes ad vomitum, fuisse saltem in fine vitæ ad communionem, & viaticum admissos, adeoque priùs per aliquam pœnitentiam Deo reconciliatos. Certum quoque est ex Tridentino sess. 14. cap. 5. & Can. 1. & 7. Sacramentum Pœnitentiæ esse iure diuino necessarium pro quibuscunque peccatis mortalibus post Baptismum commissis, etiam secretis, & purè internis, habereque vim Deo reconciliandi fideles, quoties post Baptismum in peccata labuntur: posseque illi etiam venialia subiici: quamuis taceri citra culpam in confessione, multisque aliis remediis expiari possint.

32. Tertiò, publica, & solennis pœnitentia non poterat imponi Clericis: quique illam egerant, erant irregulares, & ad Clerum promoueri nequibant, vt ostendimus num. 9. Atqui aliquam aliam fuisse pœnitentiam, quæ Clericis imponi posset, & deberet, si peccarent lethaliter, apertè liquet ex Concilio Arausicano 1. Can. 4. vbi statuit pœnitentiam desiderantibus, etiam Clericis non esse negandam. Et ex Concilio Toletan. XI. Can. 9. vbi Episcopis simoniacè ordinatis imponit duorum annorum pœnitentiam, vt si digna eos satisfactio commendauerit, peracto indictæ pœnitentiæ tempore, non tantùm communioni, sed & loco, & totius ordinis officiis, à quibus separati fuerant, restaurentur. Et ex Leone Papa epist. 90. ad Rusticum Narbonensem Episcopum cap. 2. cuius verba referuntur in decreto dist. 50. cap. 67. vbi dicit Presbyteris, aut Diaconis in crimen aliquod dignum publica, & solenni pœnitentia lapsis, non esse manus imponendas vt laicis; quia hoc alienum est à consuetudine ecclesiastica: sed illis ad promerendam misericordiam Dei expetendam esse priuatam secessionem: vbi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa: id est, agendam illis esse priuatam pœnitentiam, aut in priuato loco, quamuis alioqui multis notam, & publicam aliquo sensu.

Tertia differentia.

33. Notandum enim est præter publicam illam, & solennem pœnitentiam, quam D. August. epist. 54. ad Macedonium Præsidem, humillimam vocat, & Gratianus dist. 3. de Pœnit. cap. *Nihil prodest*, solennem appellat, quem loquendi modum Magister in 4. dist. 14. & vtriusque interpretes Canonistæ, & Scholastici imitati sunt: præter, inquam, solennem illam pœnitentiam, aliam fuisse publicam, sed non solennem: hoc est, vt ait D. Thom. quæst. 28. supplem. art. 3. quæ in facie Ecclesiæ fiebat, sed non cum solennitate prædicta: quæque poterat iterari, & à simplici sacerdote iniungi: poterat etiam Clericis imponi, vt manifestè liquet ex Clemente III. cap. *Quæsitum, de Pœnit. & remissionib.* vbi respondet sacerdotibus Græcis pro filiis oppressis imponendam esse pœnitentiam, & quidem grauiorem, quàm laicis: non tamen publicam, nisi in publicum venerit eorum peccatum. Extant etiam multi Canones, quibus Sacerdotes aliique Clerici iubentur detrudi in Monasterium, vt ibi vitam in austeritate, & seuera pœnitentia, perpetuò degant: vt speciatim statuitur Can. *Omnis vtriusque sexus*, titulo proximè citato, contra sacerdotes, qui sigillum confessionis violauerint. Quæ pœnitentia erat aliquo sensu publica, id est, publicè nota: vix enim poterat latere; & quamuis posset, debebat ad scandalum reparandum pluribus innotescere. Et causa 30. quæst. 1. C. *Si quis Sacerdos*, statuitur vt Presbyter qui cum filia spirituali fornicatus fuerit, ob malum exemplum hominibus datum, ab officio deponatur, & peregrinando duodecim annis pœniteat: postea verò ad monasterium vadat, ibique cunctis diebus vitæ suæ Deo seruiat. Et can. sequenti pœnitentia quindecim annorum cum depositione statuitur contra Episcopum, qui tale peccatum admiserit, si tamen in conscientiam populi deuenerit. Fuit etiam præter vtramque, secreta pœnitentia, per quam peccata secretò in confessione exponebantur, & priuata satisfactio imponebatur à confessario, vice Dei absoluente: vt fieri debere pro peccatis occultis docet S. Leo epist. 80. ad Episcopos Campaniæ: & Rituale Romanum prohibens ne pro peccatis secretis imponatur pœnitentia publica: & Trident. sess. 14. cap. 5. vbi affirmat, tametsi omnia mortalia, post Baptismum commissa, sint ex Christi præcepto,

33. Publica etiam fuit duplex: solennis, & non solennis.

& institutione necessariò confitenda, etiam peccata cogitationis, & purè interna: non esse tamen diuino præcepto mandatum, nec satis consultè humana aliqua lege posse præcipi, vt delicta, præsertim secreta, publicâ essent confessione aperienda.

34. Cessauit obligatio ad pœnit. solennem.

Quæritur secundò, sitne aliqua nunc obligatio ad solemnem, aut publicam poenitentiam? Respondeo, & dico primò obligationem, quæ fuit in antiqua Ecclesia ad solennem poenitentiam, iamdiu cessasse per contrariam consuetudinem, & Ecclesiæ relaxationem: quæ sicut olim rigorem illius sensim auxerat, aut minuerat, prout variis temporibus, & locis opportunum esse videbatur: ita tandem liberum reliquit sacerdotibus, quibus incumbit audire confessiones, & reconciliare poenitentes, vt quas magis expedire iudicarent habita ratione qualitatis peccatorum, & facultatis ac fragilitatis poenitentium, salutares, & conuenientes iniungerent satisfactiones, quantum spiritus, & prudentia suggesserit: habendo præ oculis vt satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad nouæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem, vt ait Trident. sess. 14. cap. 8. prope finem. Sicut autem Ecclesia potuit sua authoritate rigorem illum poenitentiæ solennis introducere; ita & minuere, vel in alium ritum mutare. De quo si noui dogmatistæ dubitant, imò, quod peius est, morem, qui nunc viget tota Ecclesia reconciliandi peccatores sine præmissa publica poenitentia, dicunt esse fœdam morum corruptionem, impoenitentiæ generali totius orbis fauentem, turpemque relaxationem disciplinæ Christi, & Apostolorum stupenda cæcitate abolitæ: intelligant damnari vt hæreticos, aut de hæresi suspectos eos omnes, qui dicunt Ecclesiam Romanam errare posse circa administrationem sacramentorum, cap. *Ad abolendam, de hæreticis.* Et anathematizari à Tridentino sess. 21. cap. 2. eos qui negant hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, vt in sacramentorum administratione, saluâ illorum substantiâ, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium vtilitati, seu ipsorum sacramentorum veneration, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicauerit. Et sess. 7. Can. 13. de sacram. in genere, damnari sub Anathemate illos, qui dixerint receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solenni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcunque Ecclesiarum pastorem mutari posse. Et à D. August. epist 118. ad Ianuarium, insolentissimæ insaniæ argui, qui dubitant num rectè fiat id, quod vbique circa vsum sacramentorum in tota seruatur Ecclesia. Et denique solenne esse omnibus hæresiarchis prætexere suis erroribus corruptionem Ecclesiæ, non solùm quoad mores particularium, quam contingere posse non diffitemur: verùm etiam quoad doctrinam ipsius circa mores, aut circa fidem, quam idcirco reformare opus sit, & ad statum primæuum restituere, qualis à Christo, & Apostolis institutus fuit. Quæ autem in contrarium proferunt ad probandum obligationem poenitentiæ solennis adhuc vigere, fuerunt alibi soluta disp. 35. de Eucharistia sect. 3.

35. Non tamen ad aliquam publicam pro peccatis publicis & scandalosis.

Dico secundò, licet obligatio solennis poenitentiæ iamdiu cessauerit: posse tamen, ac debere interdum publicos peccatores & scandalosos obligari ad aliquam poenitentiam publicam, prudenti arbitrio sacerdotis statuendam. Aequitas enim postulat, & interdum exigit necessariò, vt publicè satisfaciant, qui cõmunitati scandalo nocuerunt. Et Apostolus 1. Timoth. 5. monet publicè peccantes esse publicè corripiendos. Et Trident. sess. 24. cap. 8. de reform. sic statuit: *Quando ab aliquo publicè, & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, vnde alios scandalo offensos commotosque fuisse non sit dubitandum: huic condignam, pro modo culpæ poenitentiam publicè iniungi oportet: vt quos exemplo suo ad malos mores prouocauit, suæ emendationis testimonio ad rectam reuocet vitam. Episcopus tamen publicæ hoc poenitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis iudicauerit expedire.*

36. Priuata confessio & absolutio nõ accepit originem à solenni pœnit.

Quæritur tertiò, an vsus priuatæ confessionis, & absolutionis sacramentalis originem acceperit ab antiqua, & solenni poenitentia publica, velut illi substituta? Videntur enim id affirmare noui Dogmatistæ cum Rhenano, & Erasmo, quos refutat Pammel. annotatione prima in lib. Tertull. de Poenit. & Annotatione 98. in lib. D. Cypriani de lapsis. Sed errant manifestè. Nam illo etiam tempore quo erat in vsu publica poenitentia, priuata confessio priùs fieri solebat sacerdoti, à quo etiam priuatim dabatur absolutio, iniuncta conuenienti satisfactione priuata, & secreta, nisi peccata poenitentis eiusmodi essent, vt propter eorum grauitatem, notorietatem, & scandalum, publica, & solennis poenitentia foret illis imponenda: vt patet ex verbis D. August. relatis supra num. 12. ex lib. 50. homiliarum, homil. vlt. cap. 2. & ex Basilio epist. ad Amphilochium Can. 34. & ex Leone Papa epist 80. ad Episcopos Campaniæ: Et epist. 92. ad Rusticum Narbonensem Episcopum: Et ex Clemente III. cap. *Quæsitum, de Poenit. & remiss.* Patet etiam ex Origene hõil. 2. in Psalm 37. prope finẽ, vbi docet sacerdotis fuisse iudicare, audita scilicet confessione poenitentis, num publicanda peccata, & publica poenitentia imponenda foret. Eaque de causa Poenitentiarii, qui olim in singulis Ecclesiis cõstituebantur, vt qui post Baptismum lapsi fuissent, coram Presbytero ad eam rem designato, peccata sua confiterentur, & ab illo,

poenitentiæ, licet vsu contrario totius Ecclesiæ iamdiu receptam, & Tridentini approbatione stabilitam, esse nihilominus corruptionem morum intolerabilem, fœdamque relaxationem disciplinæ Christi, & Apostolorum, impoenitentiæ generali totius orbis fauentem, vt diserte affirmant; tantoque malo remedium adhibendum esse per Prælatos Ecclesiæ, vt ipsi toto studio persuadere conantur.

41. Refutatur primus error, de corruptione Ecclesiæ.

Quæ doctrina directè impetit sanctitatem, & infallibilitatem Ecclesiæ, indubitatam apud omnes verè catholicos; præcipuumque fundamentum certitudinis christianæ religionis euertit. Nam si Ecclesia sancta est, æque ac catholica, vt profitemur omnes in Symbolo Apostolorum, & Nicæno: illaque sanctitas consistit propriè in professione dogmatum, vt agnoscunt omnes Doctores catholici; necessarium est christianam professionem nihil continere, nisi sanctum, id est, verum quoad fidei doctrinam; & iustum quoad præcepta morum: in quo cæteris omnibus religionis cuiuscunque professionibus Ecclesia singulariter antecellit. Item si eadem Ecclesia regitur infallibiliter à Spiritu sancto, qui eam docet omnem veritatem, & cum illa manet in æternum, iuxta Christi promissionem Ioannis 16. consequens est vt non magis errare possit in generalibus morum dogmatibus, quàm in doctrina fidei. Neque verò minùs error ille fidelibus esset perniciosus: & portæ inferri non minùs contra Ecclesiam præualerent, si in errorem contra bonos mores illam inducerent: præcipuè verò in vsu sacramenti Poenitentiæ adeo necessarii ad salutem omnibus lapsis, post Baptismum, in peccatum mortale: ita vt recto illius exercitio sacrilegam, & fœdam corruptionem, impoenitentiæ generali fauentem substituerit.

42. Ex quo procliue erit existimare Ecclesiam in doctrina quoque fidei errare potuisse. Quod etiam non obscurè videntur affirmare noui dogmatistæ, quando scribunt necessitatem, aut vsum publicæ poenitentiæ esse vnam de præcipuis christianæ religionis veritatibus, vt ait auctor libri de Frequenti communione, in Præfat. pag. 144. & quidem essentialem, vt addit pag. 148. Nam si contra necessitatem illam, & vsum errauit Ecclesia ab annis circiter quadringentis eum prætermittendo, & in eum qui nunc est mutando, vt iidem affirmant: consequens est vt errauerit in vna de præcipuis, & essentialibus fidei veritatibus. Hoc autem dicere quid aliud est, quàm Ecclesiæ infallibilitatem prorsus euertere, viam hæresibus aperire, omnia in incertum reuocare, & ansam cuique audaci præbere reprehendendi, & corrigendi, pleraſque aliàs Ecclesiæ ordinationes toto orbe christiano receptas, veluti abusus, & lapsus, fœdasque corruptiones antiquæ disciplinæ: putà Baptismi administrationem per simplicem aspersionem aquæ, cùm olim trina mersione fieret: communionem laicorum sub vnica specie, quæ olim sub vtraque in vsu erat plurimis saltem in locis, etiam tempore Apostolorum: & electionem Episcoporum factam olim à populo, & clero: aliasque id genus. Quàm longè aberat ab hac temeritate D. Augustin. qui, vt supra retulimus num. 34. insolentissimæ dicit esse insaniæ dubitare, rectenè fiat id quod per orbem tota frequentat Ecclesia: Meritò etiam facultas Theologica Parisiensis in censura contra Theophilum Brachet, edita anno 1644. die 18. Iunii, pronunciauit occasione huiusmodi errorum, Temerarium esse, atque erroneum & hæreticum damnare disciplinam, & consuetudinem ecclesiasticam ab omnibus catholicæ communionis Ecclesiis receptam; quantumcunque diuturnam, tanquam abusiuam, & institutioni Christi, atque Euangelicæ doctrinæ contrariam: Et negare auctoritatem penes Ecclesiam esse condendi nouas leges, & aliud statuendi, quàm quod Apostoli instituerunt circa ea, quæ ad regimen ecclesiasticum, siue quæ ad cultum diuinum, officium, & cerimonias pertinent.

43. Arm. p. 2. c. 29. pag. 496.

Secundum est, quòd necessitatem Sacramenti Poenitentiæ manifestè impugnant, quando dicunt SS. Patres non credidisse aliter esse necessarium, quàm ad imponendam poenitentiam publicam, iunctam priuationi communis. Vnde, inquiunt, D Augustinus loquens de remediis peccatorum, quæ tali poenitentiâ non erant digna, non loquitur nisi de oratione, ieiunio, elemosyna, & aliis operibus misericordiæ: nunquâ autem de necessitate offerendi se sacerdoti: quod certè nunquam prætermittit quotiescunque loquitur de poenitentibus à communione suspensis. Qui error apertè damnatur à Trident. sess. 14. cap. 5. affirmante confessionem sacramentalem esse iure diuino necessariam omnibus lapsis post Baptismum in peccatum mortale quodcunque, etiam occultum, & purè internum: debereque fieri figillatim de omnibus peccatis mortalibus in genere, & specie, ac circunstantiis mutantibus speciem. Neque tamen esse diuino præcepto mandatum, nec satis consultè humana aliqua lege præceptum iri, vt delicta, præsertim secreta, publicâ essent confessione aperienda: & consequenter neque publicâ poenitentiâ expianda, quod sine aliqua eorum manifestatione fieri non posset. Repugnat etiam doctrinæ SS. Patrum, qui non solùm de peccatis publicis, & scandalosis (pro quibus solis poenitentiam solennem necessariam fuisse ostendimus sect. 3.) verùm etiam de secretis, & occultis necessariò confitendum esse iuxta Christi institutionem, expressè docuerunt. Sufficiet testem huius veritatis producere ipsummet D. Augustinum ab aduersariis malè citatum in contrarium, homil. 49. ex 50. cap. 3. ante medium, vbi sic ait: *Nemo sibi dicat occultè ago, apud Deum*

Refellitur secundus contra necessitatem sacramenti pœnitentiæ.

ſe grauis alicuius peccati reum eſſe. Quod quanti ſit momenti, præſertim in foeminis, quiſque facile intelligit, & recens experientia non ſemel notum fecit. Quare tota hæc doctrina Aduerſariorum eò tendere mihi videtur, vt reddant vſum Sacramenti Pœnitentiæ non modo infrequentem, verum etiam intolerabilem. Sicut etiam reddunt vſum communionis Euchariſticæ maximæ parti chriſtianorum, ne dicam planè omnibus, impoſſibilem, quando ante illum neceſſariam eſſe contendunt non modò ſolennem, & publicam pœnitentiam, reſpectu eorum omnium, qui lapſi ſunt in quodcunque peccatum mortale: verùm etiam tantam vitæ ſanctitatem, quantam ne ipſi quidem Apoſtoli hac in vita attigerunt: nimirum omnimodam puritatem non ſolùm ab omni peccato veniali, ſed & ab ipſis vitiorum phantaſmatis, & habitibus liberam, perfectamq; vnionem cum Deo ſolo, vitam denique planè immaculatam, & irreprehenſibilem, & perfectiſſimo Dei amore purgatam. De quo errore plura diximus diſp. 35. de Euchariſt. ſect. 2. & ſeqq.

47. Quartus contra attritionis ſufficientiam.

Quintò, quod dicunt attritionem non ſufficere ad remiſſionem obtinendam per Sacramentum Pœnitentiæ, ſed perfectam contritionem requiri, non eſt conforme doctrinæ Tridentini. ſeſſ. 14. cap. 4. cuius verba paulò ante retulimus: meritoque damnatum fuit temeritatis, & erroris à facultate Pariſienſi, cuius alumnos ſe profitentur illi, quos impugnamus. Nam vt teſtatur Yſamb. celebris Doctor illius Schokæ, diſp. 14. de Pœnit. art. 6. in fine, Facultas multis ſuper hac re præhabitis deliberationibus, tam primo Iunij, quàm primo Iulii, anni 1638. totum iſtud hac cenſura notauit: Quæ tradidit de attritionis inſufficientia, & contritionis ex perfecta charitate abſoluta neceſſitate ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ &c. damnauit quoque facultas, & cẽſuit has propoſitiones eſſe quietis animarum perturbatiuas, communi, & omninò tutæ praxi Eccleſiæ contrarias, efficaciæ Sacramenti Poenitentiæ imminutiuas, & inſuper temerarias, atque erroneas.

48. Quintus circa ſatisfactionem.

Sextò, erroneum pariter eſt quod dicunt, publicam poenitentiam, & ſatisfactionem eſſe neceſſariò præmittendam abſolutioni Sacramentali, ita vt aliter validè dari nequeat, excepto caſu extremæ neceſſitatis in articulo mortis, in quo etiam non parum dubitant de illius valore, imò planè ſentire videntur eſſe inualidam, propter defectum nõ implendi priùs ſatisfactionem & pœnitentiam publicam. Tantæque illam neceſſitatis eſſe volunt, vt dicere non vereantur, contra expreſſam definitionem Trident. ſeſſ. 14. can. 13. poenitentias, id eſt, ſatisfactiones non eſſe quales à Deo pro expiatione peccatorum exiguntur, niſi fuerint à Sacerdotibus impoſitæ. Adduntque tales, & tantas eſſe poſſe, vt ſuppleant defectum interni doloris, poſſintque ſufficere Sacerdoti, cui meliùs notæ ſunt, quàm dolor internus. Cõtra quos errores ſufficiunt quæ diximus diſp. 51. tota ſect. 10. & 11.

49. Sextus circa abſolutionem.

Septimò, non minùs erroneum eſt quod addunt, confeſſionem peccatorum habuiſſe pro fine proximo impoſitionem poenitentiæ, publicæ ſcilicet: non autem ipſam remiſſionẽ peccatorum, ad quam primò & præcipuè tendit: quippe quæ primò & principaliter, atque eſſentialiter ordinatur ad abſolutionem, velut ad alteram partem eſſentialem Sacramenti, in qua præcipuè vis illius ſita eſt, & cuius effectus eſt reconciliatio cum Deo, id eſt, peccatorum remiſsio, & gratiæ reſtitutio, vt Trident. affirmat cap. 3. Seſſ. 14. Imò, quidquid diſsimulẽt noui Dogmatiſtæ, volunt non aliò ſpectaſſe olim confeſſionem peccatorum, quàm ad publicam poenitentiam, ſeu canõnicam ſatisfactionem imponendam: cuius exercitio poenitentes expiati à peccatis, Eccleſiæ poſtea reconciliarentur, & ad Euchariſtiæ participationem admitterentur. Contra quem errorem Trident. Sic pronunciauit Seſſ. 14. Can. 7. *Si quis dixerit conf ſionem olim obſeruatam fuiſſe tantum ad ſatisfactionem canonicam imponendam, anathema ſit.*

50. Septimus circa diſpoſitionem pœnitentis ad abſolutionem.

Denique vt alia multa præteream, quæ tum ab Illuſtriſsimo Vaurenſi Epiſcopo, lib. ſupra cit. tum ab eruditiſsimo Dionyſ. Petauio lib. de publica poenitentia, & ab aliis notata, & refutata fuerunt, imprudentia non vacat, & temeritate generalis hæc illorum aſſertio: Non ſufficere ſacerdotibus ad abſolutionẽ impertiendam, quòd poenitentes cum dolore interno de peccatis, propoſitoq; vitæ melioris accedant, illiuſque doloris, & propoſiti ſignum exterius exhibeant: ſed debere ab illis exigere fructus, & opera poenitentiæ, quæ egent longo tempore vt impleãtur. Id enim pugnat manifeſtè contra conſuetudinem totâ Eccleſiâ Catholicâ receptam, quæ ſine temeritate intolerabili reprehendi nequit: & erroris damnatum fuit iam pridem à Sixto IV. ac nuper à facultate Pariſiẽſi in cenſura data ſuperiore, anno 1644. quam alibi retulimus, diſp. 51. num. 103.

51. Gregor.

Perperam verò ad hunc errorem confirmandum adducũt hæc Gregorij Magni verba ex lib. 6. in lib. 1. Regum cap. 15. *Signum veræ conuerſionis non eſt in oris confeſſione, ſed in afflictione poenitentiæ. Tunc namque bene conuerſum peccatorem cernimus, cum digna afflictionis auſteritate, delere nititur quod loquendo confitetur. Vnde Ioannes Baptiſta malè conuerſos Iudæos ad ſe confluentes increpans ait: Genimina viperarum quis oſtendit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos poenitentiæ. In fructu ergo, non in foliis, aut ramis poenitentia cognoſcenda eſt. Quaſi arbor quippe, bona voluntas eſt. Confeſſionis ergo verba quid ſunt aliud niſi folia? Non ergo nobis folia propter ſeipſa, ſed propter fructus expetenda ſunt: quia idcirco omnis confeſſio peccatorum recipitur, vt fructus poenitentiæ ſubſequatur. Vnde & Dominus arborem foliis decoram, fructu ſteri ẽ male dixit: quia con-*

fessionis ornatum non recipit sine fructu afflictionis.

52. Explicatur verba D. Gregor.

Respondeo enim primò, hæc verba perperam extendi generaliter ad quælibet confessionem sacramentalem, & ad damnãdum vsum generalem Ecclesiæ absoluentis communiter pœnitentes ante impletam satisfactionem, postquam moraliter constat sacerdotibus illos esse rite confessos, veréque dolere de peccatis, & velle ex animo satisfacere, vitamque mutare: Cùm ex eodem Gregorio, loco citato, liqueat fuisse quoque tũc temporis hunc morem in Ecclesia receptum. Sic enim addit paulò post: *Plerumque autem instanti confessione agitur, vt confitentibus de cordis etiam conuersione credatur.* Et manifestum est eum nõ loqui de qualibet oris confessione, sed de illa, quæ fictè fit, sine vero dolore interno peccatũ, & proposito melioris vitæ, sufficienter apparente ad fundandum prudens iudicium veræ conuersionis. Qualis erat conuersio Regis Saul 1. Reg. 15. ita peccatum suum confitentis, vt honorari vellet à Samuele, & non humiliari: cuius occasione hæc omnia dicuntur a Gregorio, & secundũ illam limitanda sunt. Iuxta id quod addit immediatè post verba superiùs allata ab aduersariis: *Saul ergo qui confitetur, & honorari vult, non affligi, & humiliari, quid designat nisi eos qui confessionem sterilem habent, & fructum non habent: qui decorem confessionis verbis humilibus præferunt, sed verborum virorem non humilitate pœnitentiæ sequuntur?* Et tales quidem fatemur non esse absoluendos, sed expectandum donec verè pœniteant: vt neque etiam illos, qui occasionem peccandi proximam nolunt derelinquere, vel propter relapsus tam frequentes in eadem peccata grauia, dant iustam occasionem dubitandi de vera eorum conuersione: vel qui iam semel, aut iterum moniti, malè accepta non restituunt, vel honorem proximi læsum reparare negligunt: & denique quicunque signis externis sufficientibus dolorem de peccatis præteritis, propositumque firmum, & serium de non ampliùs committendis notum non faciunt. Quem morem reiiciendi eiusmodi fictos pœnitentes, aut non satis dispositos, seruant etiam nunc prudentes quique, & periti confessarij. Sed quòd, nisi sit occasio prudenter dubitandi de veritate conuersionis pœnitentium, & ratio peculiaris differendi absolutionem, non sit illis neganda, & differenda donec impleatur satisfactio, & per illius executionem maior notitia de vera illius conuersione habeatur, docet idem Greg. tum verbis initio huius responsi allatis: tum etiam homil. 26. in Euangelia, vbi sic habet: *Causæ ergo pensandæ sunt: & tunc soluendi, atque ligandi potestas exercenda. Videndum est quæ culpa præcesserit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam* (etiam ante confessionem) *vt quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absoluat.* Et clariùs S. Leo epist. 90. ad Theodorum cap. 4. *In dispensandis*, inquit, *Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se lacrymas, gemitusque negligere: cum ipsam pœnitentiam ex Dei credamus inspiratione conceptam: dicente Apostolo, Ne Deus det illis pœnitentiam &c.*

Respondeo secundò, verum quidem esse, & in hunc sensum intelligendum esse Gregorium, quòd certius signum doloris interni est afflictio pœnitentiæ, & illius testificatio per opera satisfactoria, vltra gemitus, suspiria, lacrymas, aliaque signa contritionis, quæ in ipsa confessione edi solent: aut humiliationem, & verba, quibus pœnitens testatur se verè, & ex animo dolere de offensa Dei, & expetere illius veniam, & reconciliationem. Tuncque etiam multò meliùs cerni peccatorem esse bene conuersum, quando austeris castigationibus delere conatur peccata, de quibus confitetur: esseque pœnitentes ad id hortandos, & quoad fieri potest, inducendos, exemplo Ioannis Baptistæ. Eò denique referri confessionem peccatorum, vt fructus pœnitentiæ subsequantur: qui etiam ea de causa debent iniungi à sacerdote pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate: peccantque grauiter, & æternæ maledictionis rei fiunt, quicunque graues satisfactiones à sacerdote rationabiliter iunctas non implent, nisi excuset impotentia, vel alia causa legitima. Sed his non obstantibus, sufficere ad veritatem sacramenti pœnitẽtiæ, legitimumque illius vsum, quòd pœnitẽs, Dei gratia præueniente excitatus, veram de peccatis contritionem, aut attritionem supernaturalem concipiat, cum spe veniæ, & proposito melioris vitæ, animoque ad satisfaciendum parato: Illique de seipso id affirmanti, & indicia externa præbenti credendum esse, si nihil aliud rationabiliter dubitare cogat (vt ea, quæ paulò antea commemorauimus) docet ipsemet Gregorius verbis supra relatis ex cap. illo 15. in obiectione citato, & ex homil. 26. in Euangelia: & clariùs D. Thom. quæst. 8. Supplem. art. 5. ad 2. cuius verba hæc sunt: Rector Ecclesiæ debet vultum pecoris sui agnoscere dupliciter. Vno modo, per solicitam exterioris conuersationis considerationem, quâ inuigilare debet super gregem sibi commissum: & in hac cognitione nõ oportet quòd credat subdito, sed certitudinem facti, in quantum potest, inquirat. Alio modo, per confessionis manifestationem: & quantum ad hanc cognitionem non potest maiorem certitudinem accipere, quàm vt subdito credat: quia hoc est ad subueniendum conscientiæ ipsius. Vnde in foro conscientiæ creditur homini pro se, & contra se, non autem in foro exterioris iudicij. Hucusque D. Thomas.

53. Altera responsio.

54. Omitto dicere eos, qui nobis hæc obiiciunt, profiteri se nihil fere aliud de antiqua pœnitentia retineri & obseruari velle, nisi suspensionem à communione ad sex circiter menses: quod certè ad signum interni doloris, veræque conuersionis exhibendum parum idoneum est: cum graviores peccatores,

de

de quorum poenitentia, & conuersione vera magis dubitari potest, libenter à communione non plures solùm menses, sed integros annos abstineant; nec nisi Ecclesiæ præcepto compulsi semel in Paschate quotannis accedant, & aliqui etiam in plures annos differant. Videri possunt quę diximus de hoc dogmate aduersariorum disp. 35. sect. 2. n. 19. vbi satis ostendimus quàm inconsequenter, imprudenterque id asserant.

55. Incõmoda doctrinæ Aduersarior. circa cõfessarios.

Omitto etiam dicere quod à viris sapientissimis, nominatimque à Reuerendo Patre Generali Congregationis Oratorii in Gallia, obseruatum fuit in expositione quorundam capitum de sacramento Poenitentiæ, quam suo & vniuersę Cõgregationis nomine obtulit Christianissimæ Reginæ, Galliam pro filio regenti: ex hoc differendæ absolutionis vsu, donec impleatur condigna satisfactio, & imponendæ, vt volunt aduersarii, publicæ poenitentiæ pro quibuslibet peccatis mortalibus, permulta grauia & pernicioſa oriri posse incommoda. Quàm multi enim, & quàm frequentes abusus per imprudentiam multorũ confessariorum contingent? Quã multa scandala ex peccatis occultis propalatis? Quàm graues motus, & turbæ concitabuntur? Quàm difficile, & periculosum euadet audiendarum confessionum munus, atque adeo intolerabile confessariis, quos scrupulis, & conscientiæ morsibus, animiq; angoribus innumeris vexabit, frequentibus imprudenter agendi, grauiterque peccandi periculis exponet, & eò tandem adducet, vt animum ac laborem confessiones audiendi abiiciant, & relictâ salutis proximorum curâ ad sua se recipiant, otioque priuato se dedant, vt iam ipsa experientia comprobauit.

56. Et circa pœnitẽtes.

Quod verò ad poenitentes attinet, ista ex eodem fonte in eos mala & incommoda proficiscentur. Diuturna priuatio sacramentorum per speciem religionis, & poenitentiæ. Maior peccandi licentia, & procliuitas, vt facilè accidet iis præcipuè, qui grauioribus peccatis perpetrandis obnoxii sunt. Nam cœlestis gratiæ ope, præsidioque destituti propter diu protractam absolutionem à peccatis, inueteratæ se, ac præcipiti peccandi consuetudini totos facilè permittent: perinde atque illi, qui sacris olim Baptismatis aquis diutissimè ablui differebant. Verendum etiam est, ne dissidentia animi, pusillanimitas, ac salutis æternæ consequendæ desperatio ipsos tandem ad hæresim vel atheismum trahat. In Fidelibus autem melius affectis sequetur ex eadem dogmatistarum praxi diuturna priuatio gratiæ illius vtriusque sacramenti, in quo præcipuè consistit robur animæ contra peccandi occasiones, & medicamentum efficax, quo ab illis præseruatur. Liquet enim experientia nihil frequenti confessione, & communione aptius esse ad sistendum vitiorum impetum, euersum conscientiæ statum restituendum, prauosque animorum motus, & perturbationes sedandas. Inter eas præterea absolutionis impertiendæ moras, si opus fuerit sæpius agere cum poenitentibus, si corroborandi, ac regendi, salutaribusque documentis idẽtidem instituendi illi erunt; quis confessariorum numerus tãtæ poenitentiũ multitudini instituendæ, & regendæ sufficiat? Quomodo semper ad manum erunt poenitentibus iidem confessarii, quibus diu antea sacramentaliter confessi fuerint? Quàm frequentia, & periculosa cum mulieribus colloquia, quæ magis essent declinanda, quàm huius necessitatis prætextu accersenda? Et si interea poenitentes in nouum peccatum mortale relabantur, vt plurimis continget intra tempus sex circiter mensium, quod differendæ absolutioni, & communioni præscribunt dogmatistæ: quando illi tandem absolutionis beneficio potientur? Nam si iterum ad sex menses reiiciantur, frequentissimè futurum erit, vt rursus in aliud graue peccatum incidant, & sic deinceps: præsertim tamdiu destituti gratia sanctificante, quam pauci ante absolutionem obtentam assequentur.

57. Ostenditur esse inanẽ;

Rectè quoque ab eodem viro sapientissimo animaduersum fuit, totum illum aduersariorum conatum nihil esse aliud, quàm inanem quendam, & ad speciem excogitatum prætextum poenitentiæ. Nam omnium, quas proponunt, grauissima est, quá protrahi decernunt tempus absolutionis, prohiberique din fideles sacramento Eucharistiæ, quo vno totam vetetis anathematis poenam definitam fuisse volunt. Tantum autem abest, vt qui sunt grauioribus implicati sceleribus, ad quos tamen præcipuè spectare debet asperitas huius disciplinæ, repelli ab vsurpatione sacramentorum poenam putent; vt licentiam potius, & occasionem liberiùs peccandi sint inde accepturi; & non solùm sex ipsos menses, sed totidem etiam annos consuetudine sacramentorum facilè carituri. Quod autem ad vulgus, & plebeculam spectat, periculum est, si ea reiiciatur, aut longiùs differatur, ne deinceps abstineat ab vsu sacramentorum, vel etiã, quod peius est, se ad hæreticos recipiat.

58. Et saluti animarum pernicioſa.

Quantum verò exitii, & dãnationis æternæ periculũ incurrent illi, qui inter has absolutionis impertiendæ moras è vita excessuri sunt, nondum suorum flagitiorum nexibus expediti? Nam dicere eos nihil ominus salutem consecuturos, nihil aliud est, quàm, vt Scripturæ verbis vtar, puluillos illis consuere, & sternere, vt molliùs in æternum baratrum cadant. Et hæc falsa Dogmatistarũ persuasio ex duobus erroribus supra reiectis oritur. Videlicet absolutionẽ sacramentalẽ nihil aliud agere, quã declarare absolutũ à peccatis, eũ, qui per contritionẽ charitate perfectam, & per opera poenitentiæ, eorũ veniã apud Deũ obtinuit. Illumq; dolorem perfectũ, cum operibus poenitentię, peccatorum grauitati commensis, esse planè necessarium, vt illius vi deleantur peccata. Quod nisi fiat,

frustra ad absolutionem sacerdotalem accedatur, quæ, nisi falsò & inutiliter proferri nequeat. Eamque ob causam volunt diu prorogari tempus inter confessionẽ pœnitentis, & absolutionem sacerdotis, vt ille interea excitandæ contritioni, & peccatis per eam, perque opera pœnitentiæ expiandis sedulam nauet operam. Nihilque admodum referre putant, si differatur absolutio: quandoquidem vna contritio cum operibus pœnitentiæ iunctæ, nos apud Deum in gratiam, & viam salutis restituit: licet intra id spatium, quod ad satisfaciendum præscribitur, plerosque mori contingat. Quæ duo fundamenta doctrinæ aduersariorum, quàm sint falsa, & erronea, satis patet ex dictis tum præcedẽti sect. tum pluribus aliis locis superiùs indicatis. Magnæque foret imprudentiæ salutem æternam dogmatis adeo periculosi falsitati, vel vt minimum incertitudini committere.

59. A quo spiritu procedat, quóue tẽdat?

Ex his igitur, aliisque pluribus, quæ breuitatis causâ prætereo, quæque ab aliis fusiùs explicata, & aduersariis obiecta fuerunt, meritò infert auctor supra laudatus præfatæ expositionis, magnopere metuendum esse, ne obtentu, ac nomine antiquæ disciplinæ redintegrandæ, ne quæsito inani illo vocabulo pœnitentiæ, in dilatione absolutionis, & priuatione communionis solùm, aut præcipuè consistentis, neue sacrilegarum communionum, & confessionum rescindendarum specie, satagat Angelus tenebrarum in Angelum lucis transformatus, & zelo quorumdam imprudenti abutens, confessionis peccatorum venialium, imò, & mortalium vsum, quotidiani Sacrificii offerendi consuetudinem, frequentem, atque etiam fere omnem sacræ Eucharistiæ participationem, studiumque ipsum pietatis interioris abolere, simulque restinguere in confessariis alacritatem audiendi, soluendique peccata, eóq; illos adigere, vt sanctissimum hoc munus laboremque dimittant: ac denique ob prauum quorumdam vsum tollere penitus, atque abrogare confitendi & communicandi consuetudinem. Quod, idem esset, ac si quis, dum pustulam scindit, eiusque saniem educere, & foras efferre vult, graue interim vlcus & lethale inducat.

60. Longè ab est ab exemplo Christi.

Atque vt finem huic tractatui verbis eiusdem auctoris imponam, quibus eò libentius vtor, quòd apud aduersarios maioris erunt momenti: Quantò potiùs exemplum Christi piis omnibus, & prudentibus confessariis imitandum est, qui cum primùm Magdalena ad eius pedes flens & dolens de peccatis accessit, veniam illi misericorditer impertiens pronunciauit *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum:* & id quidem festinanter, inquit, Bernardus, quia nullo discrimine coniunguntur & lacrymæ pœnitentis, & indulgentia Saluatoris. Adulterii deinde ream mulierem absoluere diu non distulit, sed eius non minore animi dolore, quàm pudore tactæ misertus, *Nemo*, inquit, *te condemnauit mulier? Nec ego te condemnabo. Vade, & noli amplius peccare.* Ipse verò Paralyticus antequam se peccasse fateatur, hæc ab eodem audit: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Zachæus se malè parta restituturũ, & erogatis eleemosynis compensaturum esse recipit. Et ecce Iesus antequam ille promissorum fidem liberasset, conuerso ad eum sermone, *Salus*, inquit, *hodie huic domui facta est, eo quod & ipse filius sit Abrahæ.* At Publicanus pectus tundens, & ista proferens, *Deus propitius esto mihi peccatori*, domum rediit in gratiam apud Deum iam receptus. Vix filius Prodigus scelerum suorum confessionem exorsus erat, cùm in eius amplexum ruit pater, eumque primâ stolâ, quæ gratiam significat, vestiri iubet. Non priùs Latro pœnitens de criminibus est confessus, quàm eorum veniam salutaribus his verbis accepit, *Hodie mecum eris in Paradiso.* Magistri vestigiis insliterunt Apostoli; nec ab iisdem recedere nos debemus.

TRACTATVS QVINTVS.

DE POTESTATE CLAVIVM, EARVMQVE VSV PRÆCIPVE quoad cenſuras, & indulgentias.

TRACTATVS de poteſtate Clauium, & earum efficacia, præcipuè circa peccatorum remiſſionem, cenſuras eccleſiaſticas, & conceſſionem indulgentiarum, planè neceſſarius eſt ad complementum diſputationum de Sacramento Pœnitentiæ. Ideoque ſimul de illis diſputant Magiſter, & Scholaſtici in 4. diſt. 18. 19. & 20. & D. Thomas eiuſque interpretes à quæſt. 17. Supplementi vſque ad 26. Nam earum vis & efficacia circa peccatorum remiſſionem eſt fundamentum eorum fere omnium, quæ de prædicto ſacramento dicuntur. Cognitio autem cenſurarum eccleſiaſticarum eſt valde vtilis, imò prorſus neceſſaria confeſſariis, vt intelligant qua ratione gerere ſe debeant in foro interiori cum pœnitentibus, qui ſunt illis

irretiti. Conceſſio denique indulgentiarum eſt veluti ſupplementum ſatisfactionis: vt reatum pœnæ reſtantis ex peccatis remiſsis, quem propriis actionibus, & pœnis à ſacerdote impoſitis extinguere non poſſumus, actionum, aut paſsionum alienarum applicatione deleamus. Duobus enim modis tolli poteſt pœna peccatis debita, & poſt culpæ remiſsionem reſidua. Nimirum vel actione propria, aut paſsione ipſiuſmet peccatoris, vt fit per opera ſatisfactoria, & pœnas ſiue à ſacerdote iniunctas, ſiue ab ipſo ſponte ſuſceptas, aut voluntariè, patienterque toleratas. Vel ſecundò per actionem, aut paſsionem alterius peccatori communicatam, & applicatam ad hunc effectum: quæ communicatio, & applicatio, ſuffragium aut indulgentia nominari ſolet. Eſt enim ſuffragium, iuxta doctrinam D. Thomæ in 4. diſtinct. 45. quæſt. 2. & aliorum Theolog. auxilium quoddam quod vnus fidelis præbet alteri ad obtinendam à Deo remiſsionem pœnæ temporalis, vel aliquid eiuſmodi: ſiue id fiat priuata ſolum cuiuſcunque voluntate, qua ratione fideles propria auctoritate poſſunt alii aliis ſua ſuffragia communicare: ſiue etiam publica auctoritate eccleſiæ, vt fit per indulgentias; quando de theſauro infinitorum Chriſti meritorum, atque etiam de ſatisfactionibus ſuperabundantibus ſanctorum, eccleſia pro poteſtate ſibi à Chriſto conceſſa, nobis applicat quantum opus eſt ad remiſsionem pœnæ reſiduæ poſt contritionem, confeſsionem, & abſolutionem, vt ait idem ſanctus Doctor quæſt. 25. Supplem. art. 1. Cum enim, inquit, Chriſti merita, & ſuperabundantes ſatisfactiones ſanctorum ſint bona communia Eccleſiæ, quippe cui Chriſtus, & ſancti per eas prodeſſe voluerunt: pertinet ad eius præpoſitum illa diſtribuere, prout rationi conſentaneum eſſe iudicauerit. Ea enim quæ ſunt alicuius multitudinis communia, diſtribuuntur ſingulis de multitudine, ſecundum arbitrium eius, qui multitudini præeſt. Vnde ſicut aliquis conſequeretur remiſsionem pœnæ, ſi alius pro eo ſatisfeciſset: ita ſi ipſi ſatisfactio alterius, per eum qui poteſt, diſtribuatur.

Nouem autem diſputationibus tractatus iſte comprehendetur. Quarum prima erit de poteſtate clauium regni cælo-

rum in genere. Secunda, de poteſtate clauium in ordine ad remiſsionem peccatorum. Tertia, de poteſtate clauium quoad cenſuras eccleſiaſticas, & de cenſuris in genere. Quarta, de cenſuris in particulari, ac primò de Excommunicatione. Quinta, de Suſpenſione, Depoſitione, & Degradatione. Sexta, de Interdicto, & ceſſatione à diuinis. Septima, de Irregularitate. Octaua, de poteſtate Clauium ad concedendas indulgentias, & de indulgentiis, quæ viuentibus conceduntur. Nona, de Indulgentiis, quæ applicantur defunctis, & de Purgatorio. De iiſdem verò præter Scholaſticos, & interpretes D. Thomæ locis ſuprà citatis, diſputant fusè, & eruditè Suares tom. 4. in tertiam partem, diſput. 45. & ſequentibus, & tomo quinto integro, Ægidius Coninc, tom. 2. de Sacramentis, à diſputat. 11. vſque ad 18. Et ſpeciatim de cenſuris Nauar. cap. 27. Manual. Couar. in cap. Alma mater, *Tolet. lib. 1. Inſtruct. ſacerdotum cap. 4. & ſequentibus. Henriquez lib. 13. Bonacina, & Auila in tract. de Cenſuris eccleſiaſticis. Layman lib. 1. Theologiæ moralis tract. 5. Filliuc. tomo 1. tractat. 11. & pluribus ſequentibus. Reginaldus libro 32. Iacobus Gordon. lib. 7. Theologiæ moralis. Stephanus Bauny tota ſecunda parte Theologiæ moralis. Nos more noſtro præcipua quæque, & ſcitu magis neceſſaria breuiter, & dilucidè explicare conabimur. Ac licet inter eos vel vnus Suarez poſsit abundè ſufficere, quippe qui tam exactè & copiosè de Cenſuris ſcripſit, vt nullam fere difficultatem intactam reliquerit; nihilque admodum apud alios reperiatur, quod ab ipſo relatum fideliter, accuratéque diſcuſſum non fuerit: ſpero tamen gratum & vtile fore pleriſque, quibus non vacat, aut moleſtum eſt tam prolixos tractatus euoluere, breuiter hîc digeſta, facilique methodo tradita, & quanta potero perſpicuitate expoſita, cernere, quæ tum ille, tum alii ſuprà relati, integris interdum voluminibus, fuſiſsimè proſecuti ſunt. Salua etiam libertate contrarium ſentiendi, ſi quando aliquid probabilius occurrere mihi videbitur.*

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA SEXTA.

De potestate Clauium Ministris Ecclesiæ concessa.

Sectio I. *An, & quomodo habet Ecclesia Claues regni Cælorum?*

Sectio II. *Refelluntur argumenta hæreticorum contra doctrinam præcedentem.*

Sectio III. *Quid per Claues regni cælorum Petro datas, eiusque successoribus, intelligendum sit?*

Sectio IV. *Fuerintne aliis concessæ Claues Ecclesiæ: & quibusnam committi possint?*

Sectio V. *Circa quos possint Ecclesiæ Claues exerceri, & quos effectus habent?*

DE potestate Clauium disputat S. Thomas quæst. 17. & tribus sequentibus. In quarum prima docet esse in Ecclesia claues, illasque nihil aliud esse, quàm potestatem ligandi, & soluendi, datam à Christo: & vnam esse Clauem scientiæ, alteram potestatis iudicandi, seu iurisdictionis. In secunda affirmat virtutem Clauium se extendere ad remissionem culpæ, & pœnæ: atque etiam ad pœnas iniungendas. Cumque sacerdos operetur in vsu Clauium, sicut minister, & instrumentum Dei, tanquam principalis agentis: non posse soluere, & ligare ad arbitrium suum, sed tantùm sicut à Deo ipsi præscriptum fuit. Nullum enim instrumentum habere efficacem actum, nisi secundum quod mouetur à principali agente. Ideoque Dionys. cap. vlt. de Eccles. Hierarch. dicit Sacerdotibus vtendum esse virtutibus hierarchicis, quomodo diuinitas eos mouerit. In cuius rei signum Matth. 16. ante potestatem Clauium Petro traditam, fit mentio de reuelatione diuinitatis ei facta: & Ioan. 20. præmittitur potestati remissionis, Apostolis datæ, Spiritus sancti donum, quo filii Dei aguntur. In tertia asserit sacerdotes veteris legis non habuisse claues regni cœlorum: sed Clauium tantùm figuram in illis præcessisse: quia illorum potestas non se extendebat ad cœlestia, sed ad figuram cœlestium. Christum verò habuisse Clauem excellentiæ. Habuit enim altiori modo, quàm eius ministri. Et quamuis soli sacerdotes habeant clauem ordinis ad remissionem peccatorum: tamen clauem iurisdictionis aliis etiam ministris Ecclesiæ posse competere. Sed quemadmodum nulli competit vi solius gratiæ, & sanctitatis: ita neque impeditur per illius defectum, & malitiam ministri. Quin

Digitized by Google

etiam in Schismaticis, Hæreticis, Excommunicatis, Suspensis, & Degradatis manet Clauium potestas, quantum ad essentiam, sed vsus impeditur ex defectu materiæ. Cum enim vsus Clauium in vtente, relationem requirat respectu eius, in quem vtitur: propria materia, in quam exerceatur vsus Clauium, est homo subditus. Et quia per ordinationem Ecclesiæ vnus subditur alteri: ideo etiam per Ecclesiæ Prælatos potest subtrahi alicui ille, qui erat ei subiectus. Vnde cum Ecclesia hæreticos, & schismaticos, & alios huiusmodi priuet, subtrahendo subditos, vel simpliciter, vel quantum ad aliquid: quantum ad hoc quòd priuati sunt, non possunt vsum Clauium habere. In quarta dicit neminem posse vti Clauium potestate nisi erga sibi subditos, excepto casu necessitatis. Et superiores posse aliqua sibi reseruare: atque etiam inferioribus in seipsos iurisdictionem dare, seque illis submittere in aliquo vsu Clauium. Hæc D. Thom. quæ sequentibus sectionibus fusiùs exponenda sunt.

SECTIO I.

An & quomodo habet Ecclesia Claues regni cœlorum?

1. Ecclesia claues habet regni cœlorum.

DIco primò certum esse, & de fide Christum dedisse Ecclesiæ Claues regni cœlorum. Patet ex eius verbis Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam: & tibi dabo Claues regni cœlorum, &c.* Circa quæ verba nota primò tametsi solùm promissionẽ cõtinent, & non traditionem: dubitari tamen non posse, quin Christus aliquando promissionẽ impleuerit, nimirum vt Cyprian lib. de vnitate ecclesiæ, Origen. lib. 5. in caput 6. epist. ad Roman. circa finem, & alii communiter docent, verbis istis Ioan. 21. *Pasce agnos meos, pasce oues meas,* quibus Petrum constituit Pastorem vniuersalem, & caput totius ouilis christiani; vel etiam aliis in Scriptura non expressis: nec enim omnia Christi dicta, vel facta, scripta sunt.

2. Debet perpetuò in ea manere.

Nota secundò, licèt hæc verba Petro singulariter dicta fuerint, vt ostendemus paulò post: non tamen ita vt potestas ei promissa, posteaque concessa, illius personaliter propria esse debuerit, & non perpetuò mansura in Ecclesia apud eius successores. Cùm enim Christus iisdem verbis Petrum Ecclesiæ suæ fundamentum, & rectorem constituere promiserit, posteaque constituerit: Ecclesiæ, inquam, perpetuò duraturæ, contra quam portæ inferi prævalere non poterunt: absurdum esset existimare Christum eam super vnicum mortalem hominem ædificasse, quo mortuo Ecclesiam corruere necesse foret, sublato eius fundamento: sed super ipsum, & super successores eius nunquam defuturos, ad quos potestas Clauium cum officio pastoris, & rectoris vniuersalis transmitti debuit, vtpote semper necessaria ad regimẽ, & bonum Ecclesiæ: transmissamq; fuisse reipsa docet perpetuus eius vsus in Ecclesia huc vsque.

3. Confirmatur.

Confirmatur, quia potestas Clauium data fuit Petro in commodum Ecclesiæ, ratione officii perpetuò duraturi, & futuri ordinarii, vtpote semper necessarii ad rectam illius gubernationem, & statum monarchicum à Christo instituendum, vti par erat ad vnitatem Ecclesiæ conseruandam, & ad schismata vitanda. Ergo debet transmitti ad omnes eius successores in eodem officio. Quapropter meritò S. Athanas. in epist. ad Felicem Papam, sic illum vt Petri successorem alloquitur: *Tu es Petrus* (successione Cathedræ, & officii) *& super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ, id est, Episcopi, sunt confirmatæ.* Et S. Hieron. epist. 57. ad Damasum, *Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri, communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio.* Et August. epist. 152. *In Romana,* inquit, *Ecclesia semper viguit Apostolicæ cathedræ principatus.* Et S. Leo serm. 2. de assumptione sui ad Pontificatum, *Manet ergo dispositio veritatis, & Beatus Petrus in acceptæ petræ fortitudine perseverans susceptæ Ecclesiæ gubernacula non reliquit,* sed nimirum tenet adhuc per suos successores. Et Bernard lib. 2. de Considerat. ad Eugenium Papam, *Tu,* inquit, *Princeps Episcoporum. Tu hæres Apostolorum* &c. *Tu es, cui Claues traditæ, cui oues creditæ sunt.*

4. Fuerũt datæ Petro immediatè.

Dico secundò, Claues regni coelorum non toti corpori Ecclesiæ, sed ipsi Petro fuisse immediatè à Christo promissas Matth. 16. posteaque concessas, Ioan. 21. Probatur primò ex ipsis Christi verbis. Quod enim Petro singulariter, vt distincto à corpore Ecclesiæ loqueretur Christus promittens Claues regni coelorum Matth. 16. posteaque tradens Ioan. 21. patet quia priori loco Christus tot notis personam Petri,

tamque distinctè designauit, vt ne ipsi quidem Notarii, quando instrumenta publica conficiunt, soleant notis clarioribus certum hominem designare. Loquitur enim eidem qui antea præclaram illam fidei confessionem ediderat, *Tu es Christus filius Dei viui*: illam autem solus Petrus exhibuerat, cui Christus quasi vicem rèddens, & mercedem, vt Hieronymus ibid. ait, Claues regni cœlorum promisit. Deinde, Christus illum nomine proprio designauit dicens, *Beatus es Simon*, & adiunxit nomen Patris ad eum magis distinguendum, addens *Bar-iona*, id est, Filius Ionæ, aut Ioannis, per contractionem. Apposuit quoque nomen aliud à se non ita pridem illi impositum, dicens, *Tu es Petrus*: & illum manifestè ab Ecclesia distinxit, cùm addidit, *Et super hanc Petrã ædificabo Ecclesiam meam*. Cum enim per Petram non alium quã Petrum intelligat: & dicat Ecclesiam ædificatum, seu fundatum iri super hanc Petram, id est, super Petrum manifestum est loqui de Petro, vt distincto ab Ecclesia, alioqui diceret Ecclesiam fundatum iri supra seipsam.

Probatur ex Mat 16.

Scio veteres aliquos per hanc Petram, fidem Petri, aut præclaram illam fidei confessionem, à Petro editam intellexisse, vt Hilarium lib. 6. de Trinit. Nyssenũ lib. contra Iudæos, Chrysostomum homil. 55. in Matth. Cyrill. dialogo 4. de Trinit. & Ambros. seu potius alium apud ipsum auctorem commẽtarii cap. 4. epistolæ ad Galat. Origenẽ verò tractatu 1. in caput 16. Matth. hæc verba, *Super hanc petram*, idem significare velle, atque *super omnes homines eandem fidem habentes: Petra est enim*, inquit, *quisquis Christi discipulus est*: & denique August. Tract. 27. & 124. in Ioan. per, *hanc petram*, intelligere Christum. Petra enim, inquit, erat Christus 1. Corinth. 10. & *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus*, 1. Corinth. 3. Verùm priores exponendi sunt in hunc sensum, quod fides Petri, & præclara illa confessio, fuerit causa vel occasio cur Christus ipsum in fundamentum Ecclesiæ elegerit, Clauesque regni cœlorum ei concesserit. Nam alioqui quòd Petrus ipsemet fuerit Petra illa, quæ veluti lapis fundamentalis supposita fuit ædificationi Ecclesiæ docent alibi iidẽ SS. Patres. Hilar. eod. lib. 6. de Trinit. Chrysost. homil. 2. in Psal. 50. Cyrill. lib. 2. in Ioan. cap. 12. Ambros. serm. 47. de fide Petri, & sermone 68. de Natal. SS. Petri, & Pauli, & in hymno cuius meminit D. August. lib. 1. Retractat. cap. 21. vbi sic ait: *Hoc ipsa Petra Ecclesiæ Canente culpam diluit.*

5. Variæ expositiones.

Origenis verò explicatio non est probabilis. Nam si particula, *Super hanc Petrã*, significat omnes homines eandem fidem habentes: sequitur Ecclesiam ædificatum iri supra seipsam, seu potius fundamentum fore totum ædificium: quia Ecclesia nihil est aliud, quàm omnes homines fidem Christi profitentes: & si omnes fideles sunt fundamentum seu lapides fundamenti, quænam erunt aliæ partes ædificii? Sed & ipse Origenes alibi hanc veritatem agnoscit, Homil. 5. in Exod. vbi sic ait: *Vide magnorũ fundamẽto, & Petræ solidissimæ, super quam Christus fundauit Ecclesiam, quid dicatur a Domino: Modicæ*, inquit, *fidei, quare dubitasti?* & lib. 5. in epist. ad Roman. prope finem, *Petro*, inquit, *cùm summa rerum de pascendis ouibus traderetur, & super ipsum, velut super petram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius, ab eo, nisi charitatis exigitur.*

6. Origenis expositio reiicitur.

Neque magis literæ conuenit quod ait August. Petram eo loco Christum significare, non Petrum: Quia primò in lingua Syriaca, quã Christus locutus est, non est illa variatio generis, sed in vtraque parte propositionis, *Tu es Petrus, & super hanc Petram*, est eadem vox *Cepha*, quæ Petram, seu rupem significat: ita vt Christus dixerit, Tu es rupes, & super hanc rupem ædificabo Ecclesiam meã. Quo loquendi modo clarum est pronomen demonstratiuum, *Hanc*, pertinere ad eũdem Petrum immediatè antea expressum: & æquiualere relatiuo, *Quam*: Ac si diceret, *Tu es Petra, super quam Petram, ædificabo Ecclesiam meam*. Secundò, verba immediatè sequentia, *Et tibi dabo Claues regni cœlorum*, sine dubio ad Petrum spectant, sicut & immediate præcedentia, *Tu es Petrus*. Quomodo ergo tam paucis voculis interiectis, fit personæ mutatio, per hæc scilicet verba, *Et super hanc Petram?* Tertiò, Christus duplici metaphora fundamenti, & Clauium, vnum idemque Petro promisit, Ecclesiæ videlicet principatum & regimen. Quod enim est fundamentum in ædificio, & caput in corpore; idem est princeps, & Monarcha in regno. Et quemadmodum Principi dantur claues Ciuitatis, aut domino domus, ad significãdum eius principatum, aut dominium: Ita Petro promisit Christus Claues Ecclesiæ, ad significandum fore vt ipsum constitueret eius rectorem, & principem, suumque in terris vicarium. Cùm igitur verba posteriora, *Tibi dabo Claues*, sint dicta Petro singulariter; non est ratio dubitandi, quin præcedentia, *Super hanc petrã &c.* ad eundem pertineant.

7. Altera D. Augustini non est literalis.

8. Eius fidei meorum euertitur.

Neque enim obstat quod opponit Augustinus, Christum esse Petram, & non posse aliud poni fundamentum præter Christum Iesum. Nam facile est respondere Christum esse Petram angularem, & primum fundamentum. Petrum verò esse alium lapidem fundamentalem, & secundarium, primo illi fundamento innixum: cui deinceps, mediante Petro, reliqua pars ædificii Ecclesiæ incumbit. Sanè idem Apost. Ephes. 2. agnoscit præter Christum, fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, cui superædificamur, omnia sustinente ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Et Ioannes in Apocal. cap. 21. dicit murum ciuitatis Ecclesiæ, habere fundamenta duodecim, & in ipsis nomina duodecim Apostolorum Agni. Denique hanc expositionem tradunt omnes Sancti Patres, ne illis quidem excep-

Digitized by Google

ris, quos paulò ante in gratiam aliarum exà positionum retulimus: vt ostendit Maldonat. in locum Matthæi citatum. num. 18. Et ipse quidem Augustinus serm. 49. de verbis Domini sic habet: *In Petro vno Christus firmat*, vel vt habet alia lectio, *formatE cclesiam*. Et Pacian. epist. 3. ad Sympronian. *Ad Petrum locutus est Dominus, vt vnitatem fundaret ex vno.* Et Optat. lib. 1. contra Parmenian. *Claues solus Petrus accepit.* Et Hieronym. lib. 3. Commentar. in Matth. *Petro ista benedictio, & professas, & beatitudo, & ædificatio super eum Ecclesiæ in futuro promissa, non in præsenti data est*: verbis scilicet illis, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et Hilar. can. 16. in Matth. *O in nuncupatione noui nominis felix Ecclesiæ fundamentum* &c. *O beatus cæli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur.* Et lib. 6. de Trinit. dicit, Post sacramenti confessionem, Beatum Simonem ædificationi Ecclesiæ subiacuisse, & claues regni cœlestis accepisse. Et Cyprian. epist. 40. *Deus vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia, & Cathedra vna, super Petrum Domini voce fundata*, & Tertull. in Scorpiac. cap. 10. *Si adhuc clausum putas cœlum, memento claues eius hic Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ tradidisse.*

Vera expositio Patrũ Latin.

8. Et Patrum Græc.

Neque minùs perspicuè Patres Græci significant verba illa Christi apud Matth. de Petro singulariter, & immediatè intelligi debere: vt Basil. in Proœmio. Ethic. vbi dicit B. Petrum omnibus discipulis prælatum, solum præ cæteris honorifico testimonio insignitũ, regni cœlorum claues accepisse. Et lib. 1. contra Eunomium, ait, Petrum super seipsum Ecclesiæ ædificationem suscepisse. Et Gregor. Nazian orat. 26. *Hic autem*, inquit, *petra vocatur, & fundamenta Ecclesiæ fidei suæ credita accipit.* Et Chrysost. homil. 9. de Poenit. *Petrus magnus Apostolus: Petra inuiolabilis: basis inconcussa: Primus discipulorum: Vertex Apostolorum: Primus in Ecclesia.* Et Epiphan. in Ancorato, *Talem oportebat esse primum Apostolum, Petram illam solidam super quam Ecclesia Dei ædificata est.* Et Patres Concilii Chalcedonensis act. 3. *Ter beatissimus, & omni laude dignus B. Petrus Apostolus, qui est petra & crepido catholicæ Ecclesiæ, & ille qui est rectæ fidei fundamentum.*

9. Probatur ex Ioan. 21.

Similiter quòd illa Christi verba, quibus impleuit promissionem Ioan. 21. *Pasce agnos meos, Pasce oues meas*, ad Petrum singulariter pertineant, ostendunt adiuncta, quibus à Christo distinctissimè designatur. Nam immediatè antea Euangelista sic loquitur: *Dixit Simoni Petro Iesus, Simon Ioannis diligis me plus his?* Vbi nota eum designari vtroque nomine, antiquo, & nouo: & nomen patris addi ad distinguendum exactiùs: & discerni euidenter ab aliis Apostolis, quando illi dicitur, *Diligis me plus his.* Nota etiam non sine causa ter eandẽ interrogationem repeti: nimirum ad eliciendam triplicem amoris testificationẽ, loco triplicis negationis, in quam antea lapsus fuerat. Eódem pertinet triplex responsio Petri de seipso singulariter affirmantis, *Etiam Domine, tu scis quia amo te.* Et quod Christus subiunxit ad significandum quá morte clarificaturus esset Deum, *Amen, Amen dico tibi, Cum esses iunior cingebas te & ambulabas vbi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis.* Quæ de supplicio crucis intelligi, quo Petrus erat propter Christum moriturus, nemini dubium est: cum Euangelista eodem loco id apertè significet. Idem confirmant denique sancti Patres, qui docent Petrum his Christi verbis, ac proinde eius constitutione, & iure diuino, constitutũ fuisse supremum, & vniuersalem pastorem Ecclesiæ: vt Origen. lib. 5. in cap. 6. epist. ad Roman. circa finem, Cyprian. lib. de vnitate Ecclesiæ circa principium, Chrysost. homil. 87. in Ioan. initio, Ambros. lib. 10. in Luc. cap. 24. Eusebius Emissenus in serm. de S. Ioanne Euangelista, Leo serm. 3. de sua assũptione ad Pontificatũ, Bernard. lib. 2. de consider. ad Eugenium cap. 8. Cypriani verba loco citato hæc sunt: *Dominus Petro iterum post resurrectionem suam dicit, Pasce oues meas: super illum vnum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oues suas.* Et Chrysost. hom. cit. explicans verba illa, *Pasce oues meas: Cur tandem*, inquit, *aliis prætermissis, de his solum Petrum affatur? Singularis sine eximius ex Apostolis, & os discipulorum, & cœtus vertex erat.* & Epiphan. in Ancorat. *Hic est qui audiuit, Pasce oues, meas, cui creditum est ouile.* Et Origen. lib. 5. in epist. ad Rom. verbis paulò antea relatis, dicit Petro summam de pascendis ouibus à Christo fuisse traditam. Et Theophylact. in cap. 21. Ioan. *Totius orbis præfecturam Petro committit: non alteri, sed huic eam tradit.* Et S. Maximus, proprias, vt ipse ait, & speciales virtutes Petri commemorans, in serm. de SS. Petro & Paulò, *Hic est Petrus*, inquit, *cui Christus ascensurus ad Patrem, pascendas oviculas suas ouesque commendat.* Alia plura veterum testimonia referemus inferiùs num. 27.

SECTIO II.

Refelluntur argumenta hæreticorum contra doctrinam præcedentem.

10. Error Lutheri.

CONtrarium sentiunt Luther. in lib. de potestate Papæ, Caluin. lib. 4. Instit. cap. 6. num. 4. & seqq. & vtriusque assecl æ, quibus aliqui pseudocatholici accesserunt, eruditè refutati partim à Bellarm. lib. 1. de Summo Pontifice cap. 12. & seqq. partim ab Andrea Duual in disp. quadripartita de Suprema Romani Pontificis in ecclesiam potestate: contendentes Claues regni cœlorum, ipsamque supremam potestatem regendi Ecclesiam fuisse immediatè, ac primò, & principaliter datam ipsi cõmunitati

Digitized by Google

datæ sunt: à qua etiam per commissionem illas accipit, quisquis eligitur in summum Pontificem, vt illarum ministerium exequatur. Neque enim existimandum est per angelum è cœlo ad ipsum deferri: neque etiam à seipso illas habet, sunt enim aliquid supernaturale: Sed accipit ab Ecclesia, cui ab initio Christus eas tradidit. Respondeo, Claues regni cœlorum fuisse singulariter Petro concessas cum iure successionis, ita vt omnes qui illi succederent in officio ordinario Pastoris vniuersalis totius Ecclesiæ, eadem potestate fruerentur, vi institutionis Christi, & concessionis illi factæ. Ex quo fit, vt quando aliquis eligitur canonicè in summum Pontificem, & Petri successorem, hoc ipso simul accipiat à Christo, ipsa vi institutionis, & concessionis antiquæ, Claues regni coelorum, & amplissimam potestatem in Ecclesiam. Simili modo, vt rectè dicit Bellarm. loco sup. cit. ac si rex aliquis, cùm Prouinciæ Proregem constituit, simul ediceret velle se, vt eo mortuo alium illi eligant, atque substituant; eique legitimè electo se iam nũc, hac sua præsenti constitutione parem dare potestatem, quam priori à se primum electo, & instituto. Itaque Summus Pontifex ab hominibus quidem eligitur, sed à Christo immediatè accipit Clauium potestatem, non ab Ecclesia. Et Petro mortuo, mansit moraliter Clauium potestas, vi constitutionis Christi, vt transmittenda vi eiusdem ad Petri successores legitimè electos.

14. Quartum argum.

Quartum argumentum Lutheranorum, & Caluinistarum sumitur ex variis testimoniis Patrum affirmantium Petrum, quando Claues accepit, repræsẽtasse Ecclesiam, & illi toti fuisse concessas. Cuiusmodi est illud S. Augustini, lib. de Agone christiano cap. 13. *Cùm ei* (Petro) *dicitur, omnibus dicitur, Amas me? pasce oues meas.* Et tract. 50. in Ioann. *Si in Petro non esset Ecclesiæ Sacramentum, nõ ei diceret Dominus, Tibi dabo Claues regni cælorũ. Si hoc Petro dictũ est, nõ facit hoc Ecclesia. Si autẽ hoc in Ecclesia fit, Petrus quado Claues accepit, Ecclesiam Sanctam significauit.* Quæ verba D. Augustini referuntur in cap. *Quodcunque* 24. q. 1. Et Cap. *Loquitur*, eod. tit. sumpto ex D. Cypriano libro de vnitate Ecclesiæ prope initium, sic dicitur: *Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi quia tu es Petrus, & super istam Petram ædificabo Ecclesiam meam. Super illum vnum ædificat Ecclesiam. Et quamuis Apostolis omnibus, post resurrectionem suam, parem potestatem tribuat, & dicat, Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: Accipite Spiritum Sanctum: tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod fuit & Petrus, pari consortio præditi honoris, & potestatis. Sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia una monstretur.* Et paulò post: *Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur.* Similia proferunt ex Hieron. lib. 1. contra Iouinian. & epist. 150. ad Hedibiam quæst. 8.

Ad primum Respõdeo, sensum D. Augustini esse, quòd licet verba illa primò, & immediatè Petro singulariter dicta sint: consequenter tamen per ea docentur illi omnes, quibus animarũ cura cõmittitur, debere esse amore Dei insignes, & plus aliis Christum diligere; quódque Petro supremo Ecclesiæ pastori dicitur, ad alios pastores seruata proportione pertinere: ita vt debeant Petri virtutes imitari quicunque vocantur in partem ipsius officij, & regiminis Ecclesiæ, cæterisque non virtute minùs, quàm dignitate superemineret: quia, vt ait idem S. Doctor serm. 24. de Sanctis, *In vno Petro figurabatur vnitas omnium Pastorum*: figurabatur & charitas: & omnes in eo docebantur quales esse deberent: quia, vt addit S. Leo serm. 3. de sua Assumpt. *Cunctis Ecclesiæ Rectoribus Petri forma præponitur.* Ac denique vt rectè addit Saluian. lib. 2. ad Ecclesiam catholicam, *Nihil est turpius, quàm excellentem esse quemlibet culmine, & despicabilem vilitate. Quid est enim aliud principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine homine? Aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? Et ideo cunctos, qui sacri altaris suggestu eminent, tantum excellere oportet merito, quantum gradu.*

15. Exponitur locus D. Augustini.

Ad secundum respondeo mentem D. Augustini esse, quòd Petrus Ecclesiam repræsentauerit, vt caput illius, accipiens Claues in ipsius commodum, & aliis communicandas, quos vocaret in partem regiminis. Non autem sensus est, quòd Ecclesiam repræsentauerit tanquam eius Legatus, qui ipsius nomine Claues regni cœlorum acceperit, sicut Proregi aduenienti, aut Legato Principis dantur Claues ciuitatis, non vt ipse acquirat eius dominium, sed vt significetur ad regem pertinere. Nam D. August. alijs locis seipsum exponit: vt tractatu vlt. in Ioannem vbi sic ait: *Cuius Ecclesiæ Petrus Apostolus propter Apostolatus sui primatum, gerebat figuratæ generalitate personam*, & in Psal. 108. *Cuius* (Ecclesiæ) *ille agnoscitur gessisse personam, propter primatum, quem in discipulis habuit.* Cùm autem addit Augustinus, *Si hoc Petro tantum dictum est* &c. intelligit id non ita Petro dictum esse, vt ipse solus debeat soluere, aut ligare: alioquin Ecclesia, id est, alii eius pastores hoc non facerent: Sed quando Claues accepit, Ecclesiam sanctam significasse, id est, vniuersam illam velut illius caput repræsentasse, à quo ad reliquos eius pastores Claues essent transmittendæ, exceptis aliis Apostolis, qui speciali priuilegio Apostolatus eas à Christo immediatè, vt Petrus, acceperunt.

16. Alter eiusdem locus explicatur.

Ad tertium Respondeo primò, Cyprianum verbis illis, *Loquitur Dominus ad Petrum* &c. agnoscere Christi promissionem Petro singulariter factam ibi fuisse: quod pluribus aliis locis confirmat, præcipuéque in epistola 73. ad Iubaianum, vbi sic habet: *Ecclesia, quæ vna est, super vnum, qui Claues eius accepit, voce Domini fundata est.* Secundò, quòd addit Cyprianus, Christum post resurrectionẽ tri-

17. Apostoli quomodo pares, & impares?

Digitized by Google

modo solis multi radii, sed lumen vnum, & rami arboris multi, sed robur vnum tenaci radice fundatum: & cùm de fonte vnorum plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen seruatur in origine. Aufer radium solis à corpore, diuisionem lucis vnitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit. A fonte præcide riuum, præcisus arescet. Sic & Ecclesia Domini &c. Itaque verus sensus D. Cypriani est, Episcopatum, sicut, & Ecclesiam toto orbe diffusam, esse vnum origine, & dependentia, quatenus omnes alii ab vno oriuntur, & pendent, vt radii à sole, rami ab arbore, riui à fonte: nempe à Romano, & supremo in quo Christus fundauit vnitatem Ecclesiæ. Quo nihil aptius dici potest contra nouos Schismaticos Lutheri partiarios.

21. Quomodo eius pars tenetur in solidum â singulis.

Illud verò Cypriani, *Cuius à singulis in solidum pars tenetur*, nihil aliud significat, nisi quòd illius Episcopatus, qui realiter multiplex est, & moraliter tantùm vnus propter originem, & dependentiam ab vno, quilibet Episcoporum Catholicorũ partem aliquam possidet in solidum, id est, sine diuisione, & ruptura illius moralis vnitatis: quam quisque debet constanter retinere, & vnitatẽ Ecclesiæ non scindere, si vult cum Christo esse, & ad ipsius præmia peruenire, Deiq; legem, & fidem, & vitam, & salutem tenere: vt ait & fusissimè probat deinceps D. Cyprianus reliqua parte illius libri, qui totus est de vnitate Ecclesiæ. Vel etiam sensus illius esse potest, quòd quilibet Episcopus, comparatus cum alio suo coepiscopo, habet sua iura in solidũ, siue separata, & specialia, vt ait Glossa supra citata, verbo *In solidum*. Quo nõ obstante, si quilibet Episcopus cõparetur cum Papa, vel cũ suo Primate, Archiepiscopo, aut Patriarcha: non habet partem Episcopatus in solidum eo sensu quem prætendunt Lutherani, & Schismatici, hoc est independenter, aut in totum & vniuersaliter. Vel, vt exponit Andr. Duval. doctor Sorbonicus in disput quadripartita de potestate summi Pontificis, parte 1. quæst. 2. sensus D. Cypriani est, quòd Episcopi non sint Pontificis Vicarii ad ipsius nutum amouibiles: sed quòd in solidum, seu titulariter, vt loquuntur, suos episcopatus teneant, & regant. Quod omnino certum est. Imò parochi ipsi hoc modo partem regiminis spiritalis tenent in solidum, vt docet ibidem Duvallius. Ac sicut hoc non impedit, quin parochi ab Episcopo pendeant, sintque illo inferiores quoad partem regiminis quã possidẽt: sic neq; obstat quò minùs cæteri Episcopi, & Prælati Ecclesiæ pendeãt à supremo Pontifice Romano, sintq; illo inferiores.

22. Cæteri Episcopatus oriuntur, & pendent à Petro & successoribus.

Neque obiicias contra datam expositionẽ verborum Cypriani, Apostolos nõ accepisse à D. Petro suos Episcopatus: neque in principio Ecclesiæ ad electionem aut cõsecrationem Episcoporum requisitum fuisse consensum summi Pontificis: neque nunc etiam in Græcia requiri. Respondeo enim Episcopatũ duo includere: videlicet potestatẽ Ordinis, & potestatẽ iurisdictionis ad docendũ & regendũ, de qua loquitur ibi Cyprian. Prior datur omnibus immediatè à Christo, supposito, quòd cõsecratio Episcop. sit verè sacramẽtũ, vt nos existimamus, & suo loco probabimus, licet plerique alii, præcipuéque veteres Theologi cõtrariũ sentiãt, inter quos est D. Thomas, quæst. 40. Supplem. a. 5. Posterior data fuit à Christo immediatè Petro, ratione officii ordinarij, perpetuò in Ecclesia mãsuri; & cæteris Apostolis, ratione priuilegij, in gratiã Apostolatus illis concessi singulariter & extra ordinariè, atq; ad posteros, eorumq; successores in ordine seu charactere Episcopali, non autẽ in munere aut dignitate Apostolatus, minimè trãsmittẽdi. Deinceps verò datur immediatè a Christo soli Põtifici Romano legitimè electo, tãquam Petri successori in officio ordinario capitis visibilis totius Ecclesiæ, & pastoris vniuersalis; ab illo autem deriuatur ad omnes alios, qui partem aliquam regiminis Ecclesię, & iurisdictionis spiritualis accipiunt: vt nos alibi ostendimus in tract. de Legibus, & nunc breuiter confirmabimus auctoritate SS. Patrũ: & imprimis eiusdem Cypriani lib. 4. epist. 8. vbi eam ob causam dicit Romanã Ecclesiam esse matricem, & radicem totius Catholicæ Ecclesiæ. Et Innocentius I. in epist. ad Concilij Carthaginẽse, quæ est 91. inter epistolas D. August. vbi perspicuè affirmat quod supra diximus, de Petro sic loquens, ipso initio: *A quo ipse Episcopatus, & tota auctoritas nominis huius emersit.* Et in epist. ad Concilij Mileuitanũ, quæ est 93. inter epistolas D. August. idẽ cõfirmat his verbis: *Quoties fidei ratio vẽtilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiscopos nostros nonnisi ad Petrũ, id est, sui nominis, & honoris auctorẽ referre debere.* Et Iulius 1. in epist. 1. ad Orientales Episcopos pro causis Athanasii & excessibus cõtra Romanã Ecclesiam, *Quam culpam*, inquit, *incurrere non potuissetis, si vnde cõsecrationis honores accipitis, inde legem totius obseruantiæ sumeretis: & Beati Apostoli Petri sedes, quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esset Ecclesiastica magistra rationis.* Et S. Leo serm. 3. de Assumptione sua ad Pontificatũ de eodẽ Petro Apostolo eiusq; successoribus sic loquitur: *Si quid cum eo cõmune cæteris voluit esse principibus, nũquàm nisi per ipsũ dedit, quidquid aliis non negauit.* Et epist. 89. *Huius*, inquit, *muneris sacramentũ ita Dominus ad omniũ Apostolorũ officiũ pertinere voluit, vt in Beatissimo Petro, Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in omne corpus diffunderet.*

23. Occurritur obiectioni.

Nec obstat, quòd olim Episcoporum electiones fiebant à Clero vel solo, vel etiã cum populo: & nunc in Græcia non eliguntur, aut confirmantur ex consensu summi Pontificis. Nam illæ antiquæ electiones nõ fiebant sine consensu, & auctoritate summi Pontificis, volentis vt hoc modo eligerentur, vtque electus legitimè gauderet iurisdictione spirituali, eãq; illis cõmunicãtis generali saltem

voluntate, & concessione semel facta pro omnibus canonicè electis. Sicut magistratus plebeij, qui creantur electione Ciuium, accipiunt nihilominus iurisdictionem à Rege, quantamcunque habent, volente, vt tali & tanta potestate gaudeant, quicunque fuerint ritè electi. Græci verò Schismatici Ordinem tantum Episcopalem retinent: iurisdictionem verò spiritualem nullam habent, ex quo tempore ab illius fonte Romano Pontifice præcisi sunt, non amplius in eos deriuante, neque tacitè saltem consentiente, vt potestatē docendi, prædecessoribus suis concessam retineant: conformiter ad ea quæ suprà ex D. Cypriano retulimus num. 18.

et regendi

24. Episcopatus est vnus etiam collectiuè.

Dici etiam potest episcopatum esse vnum vnitate collectionis. Vt si dicat aliquis vnā esse gubernationem totius regni Galliæ, cuius partem aliquam quilibet Gubernator tenet: quia non sunt plures & oppositæ, aut planè disparatæ gubernationes; sed omnes iisdem legibus & iuribus vtentes, in eundem finem, qui est bonum totius regni. Suntque omnes eatenus coniunctæ, & moraliter vnum constituentes, atque etiam vnitæ gubernatione regis, à quo omnes dependent, & ratione cuius dici etiam possunt facere vnam totalem gubernationem, constantem supremo illo, & aliis ei subordinatis; cuius quilibet gubernator partem in solidum tenet, eo modo, quo supra exposuimus num. 19. id est, sine diuisione & ruptura moralis huius vnitatis: vel ex officio proprio, sibi à Rege commisso, & habente sua iura in solidum respectu aliorum gubernatorum, à se inuicem independentium.

25. Cæteri Apostoli fuerunt Petro subiecti.

Ex his patet quid respondendum sit Hieronymo, qui eodē loco citato in obiectione disertè affirmat cæteros omnes Apostolos ita habuisse Claues Ecclesiæ, vt tamen essent subiecti Petro capiti. Et lib. 1. contra Iouinian. *Propterea*, inquit, *inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tolleretur occasio.* Et August. tract. vlt. in Ioan. *Petrus Apostolus*, inquit, *propter Apostolatus sui Primatum, Ecclesiæ gerebat figurata generalitate personā.* Et alibi in quæst. nou. Test. q. 75. illum vocat *Præpositum Apostolorum.* Eundemque Petri primatum, & principatum supra cæteros Apostolos iure diuino constitutum agnoscūt alii Patres, vt Optatus Mileuit. lib. 7. contra Donatist. vbi illum vocat Caput Apostolorum, qui præferri omnibus Apostolis meruit. Et Chrysost. hom. 88. in Ioan. vbi illum nūcupat Caput, & verticem chori Apostolici, & orat. 6. contra Iudæos, dicit, Primū Apostolorum factū esse, eique totum orbem in manus traditum. Et Cyril. Alex. epist. 8. Paschali, vbi illū vocat, ἀρχηγὸν τῶν ἁγίων ἁπάντων principem, & ducem sanctorum discipulorum: & Cyrill. Hierosolym. catech. 2. 11. 17. vbi Petrū vocat Supremum omniū caput, & præsidem Apostolorū, Ecclesiæ summū præconē, Regni cœlorū clauigerū, & S. Leo serm. 3. de sua assumpt. vbi dicit Petrum fuisse à Christo omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præpositum: vt quamuis in populo Dei multi sacerdotes sint multique Pastores: omnes tamen regat Petrus, quos principaliter regit & Christus: & epist. 84. ad Anastasium Thessal. Episc. *Sacerdotibus*, inquit, *etsi dignitas sit cōmuris, est tamē ordo generalis: quoniam & inter Beatissimos Apostolos, in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis: & cùm omnium par esset electio, vni tamen datum est vt cæteris præemineret. De qua forma, Episcoporū quoque orta est distinctio, & magna dispositione prouisum est, ne omnes omnia sibi venicarēt: sed essent in singulis prouinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia: & rursus quidam in maioribus vrbibus constituti solicitudinem susciperent amplioremi: per quos ad vnam Petri sedem vniuersalis Ecclesiæ cura confluaret, vt nihil vsquam à suo capite dissideret.*

SECTIO III.

Quid per Claues Petro datas, eiusque successoribus intelligendum sit?

26. Claues significant supremam & vniuersalem potestatē,

REspondeo eo nomine intelligi debere supremam, & vniuersalem potestatem spiritualem regendi Ecclesiam, Petro, eiusque successoribus concessam. Nam, vt suprà diximus, idem verbis illis, *Tibi dabo Claues* &c. significatum est, quod istis præcedentibus, *Super hanc Petram ædificabo ecclesiam meā.* Idem, inquam, Christus expressit hac duplici metaphorâ fundamenti, & Clauium, ad significādū fore vt tota Ecclesia non minùs ab ipso penderet, quàm totū ædificium pendeat à fundamento: plenamque & supremam Ecclesiæ potestatē penes ipsum fore, sicut claues domus, aut vrbis solent penes illum esse, qui est dominus domus, aut princeps ciuitatis: & sicut per traditionem Clauium dari solet domus, aut ciuitatis possessio. Confirmatur, quia Scriptura consueuit nomine Clauium significare principatum, & dominium. Vt Isai. 22. *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius: & aperiet, & non erit, qui claudat: & claudet, & non erit, qui aperiat*: id est, Dabo illi supremum Pontificatum, vt patet ex præcedentibus. Loquitur enim ibi de depositione Sobnę, & substitutione Eliacim filii Helciæ in locum, & potestatem eius, *vt sit quasi pater habitātibus Ierusalē, & domui Iuda.* Et Apocal. 3. *Hæc dicit Sanctus, & verus, qui habet clauem Dauid: qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit*, ad significandū Christum esse supremum principem, cui data est omnis potestas in cœlo, & in terra. Et c. 1. v. 18. dicitur Christus habere claues mortis, & inferni, ad significādum esse dominum vitæ, & necis. Ideoque sancti Patres communi consensu affirmāt Christum verbis illis promisisse Petro supremam potestatem regendi vniuersā Eccle. toto orbe dispersā, vt ua potestate aperiendo, vel claudendo hominibus Ecclesiam, illamq; regēdo, eiūdē pariter cō-

lum aperiret, vel clauderet. Cunctis, inquit, Gregor. lib. 4. epist. 32. *Sciẽtibus Euangelium liquet, quòd voce Dominica sancto, & omnium Apostolorum principi Petro totius Ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quippe dicitur, Tibi dabo Claues regni cælorum.* Aliorum plurium testimonia retulimus suprà num. 5. 9. & 25. & plura per singulas ætates collecta videri possunt apud Gaulterium in Tabulis chronographicis Verit. 11.

27. Confirmatur ex scitura & Patrib.

Confirmatur secundò, quia quod Christus verbis illis promiserat, impleuit Ioann. 21. per ista, *Pasce agnos meos, Pasce oues meas*, vt docent Cyprian. lib. de vnitate Ecclesiæ, Origenes lib. 5. in ca. 6. epist. ad Rom. quorum verba referemus paulò post. Atqui tunc curam, & gubernationem totius Ecclesiæ illi commisit, vicariumque suum illum cõstituit, & generalem ouilis sui pastorem: vt significant verba illa generalia, & sine vlla exceptione prolata, *Pasce agnos meos, Pasce oues meas*: clariúsq; exprimũt SS. Patres, communi consensu affirmantes, Petrum illis Christi verbis, ac proinde eius constitutione, & iure diuino constitutum fuisse supremum, & vniuersalem Pastorem Ecclesiæ. Ita Origen. loco supra cit. circa finem. *Petro*, inquit, *ũ summa rerum de pascendis ouibus traderetur, & super ipsum, velut super Petram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo, nisi charitatis exigitur.* Et Cyprian. lib. de Vnit. Ecclesiæ non longè ab initio, *Loquitur Dominus ad Petrum, Ego dico tibi quia tu es Petrus, & super istam Petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit. Pasce oues meas, &c. Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia, & Cathedra vna monstretur.* Et Chrysost. homil. 87. vel iuxta Græc. 28. in Ioan. affirmat Petrum verbis illis totius Ecclesiæ gubernacula suscepisse: & homil. 80. ad populum, addit ei per totum terrarum orbem Ecclesiæ præsidentiam traditam esse. Et Ambros. lib. 10. in Luc. cap. 24. *Dominus non dubitabat, qui interrogabat, non vt disceret, sed vt doceret, quem eleuandus in cælum amoris sui nobis velut vicarium relinquebat. Sic enim habes: Simon Ioannis diligis me &c.* Et paulò post: *Iam non agnos, vt primò, nec ouiculas vt secundò, sed oues pascere iubetur, vt perfectiores perfectior gubernaret. Quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur.* Et Sanctus Leo sermone tertio de Assumptione sui ad Pontificatum, *De toto mundo vnus Petrus eligitur: qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur. Vt quamuis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores; omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.* Et Euseb. Emissen. in sermone de Sancto Ioanne Euangelista, *Prius agnos*, inquit, *deinde oues Petro commisit: quia non solùm pastorem, sed pastorum pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit & oues. Pascit filios, pascit & matres. Regit & subditos, & Prælatos. Omnium igitur pastor est: quia præter agnos & oues in Ecclesia nihil est.* Et Bernardus lib. 2. de Consid. ad Eugen. cap. 8. ex eodem loco infert Eugenium Petri successorem, esse vnum pastorum omnium pastorem. Idque haberi ex verbo Domini. *Cui enim*, inquit, *non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolutè, & indiscretè tota commissa sunt ouis? Si me amas Petre, pasce oues meas. Quas? illius, vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certi regni? Oues meas, inquit. Cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil.*

28. Error contrarius hæreticorum.

Contrarium sentit Caluin. cum sectariis, & Lutheranis lib. 4. Institut. c. 6. num. 3. & 4. vbi docet nomine Clauium regni cœlorum non aliud intelligi, quàm doctrinã Euangelij, quæ, inquit, eleganti metaphora insignitur Clauium nomine, quia per eam cœli nobis aperiuntur. Et, non alio modo ligantur, inquit, aut soluuntur homines, nisi dum fides alios reconciliat Deo, alios sua incredulitas magis constringit: iuxta illud 2. Corinth. 5. v. 18. *Dedit nobis ministerium reconciliationis*: & vers. 19. *Posuit in nobis verbum reconciliationis*, Quod idem fusiùs prosequitur cap. 11. eiusdem lib. 4. num. 1. & 2. affirmans, Claues Matth. 16. non aliud significare, quàm ministerium verbi, id est, munus concionandi; & soluere aut ligare, eodem loco, non aliud esse, nisi peccatorum remissionem, quam annunciamus ex Euangelio, veram esse Dei promissionem: & damnationem, quã ex eodem pronunciamus, certum esse Dei iudiciũ. At verò Matt. 18. cùm dicit Christus, Si frater aliquis *Ecclesiam non audierit, sint tibi sicut ethnicus, & Publicanus. Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terrã* &c. loquitur, inquit, de disciplina excõmunicationis Ecclesiæ permissa, quâ ligat eos, quorum vitam, ac mores damnat: ac nisi resipuerint, iam eos suæ damnationis admonet. Soluit autem quos in communionem recipit: quia velut participes facit vnitatis, quã habet in Christo Iesu. Ac ne quis cõtumaciter Ecclesiæ iudicium contẽnat, testatur Dominus tale fidelium iudicium non aliud esse, quàm sententiæ suæ promulgationem: ratumque haberi in cœlis, quod illi in terra egerint. Habẽt enim verbum Dei, quo peruersos damnant: Habent verbum, quo resipiscentes in gratiã recipiant. Quibus postremis verbis significat Caluinus hãc potestatẽ, seu potiùs ministerium, non differre à priori, nisi vt speciem à genere: & in eo solo consistere, quòd per ministerium verbi denuncient homines, iuxta Euangelium, esse ab Ecclesia propter peccatum separatos; aut eius vnitati adiunctos, & restitutos propter pœnitentiam. Et hanc interpretationem affirmat Caluinus esse germanam, fluentem, & obuiam: non verò arguram, coactam, & detortam.

29. Claues non significant nudum ministerium verbi.

Sed vt à vltimo incipiã, mirum est nulli ante ipsum occurrisse interpretationẽ tã obuiã, fluentẽ, & germanam. Quod enim longè

Digitized by Google

alia fuerit explicatio SS. Patrũ, quos omnes Doctores Catholici secuti sunt, patet ex dictis sect. præcedentib. & ex testimoniis paulò ante relatis n. 20. Deinde si Claues regni cœlorum nihil aliud significant, quàm ministerium verbi: & soluere, aut ligare non est aliud, quàm proponere ex verbo Dei remissionem peccatorum, aut condemnationem: ergo Petro non aliud promisit Christus verbis illis, *Tibi dabo Claues*, & postea concessit dicẽs, *Pasce oues meas*; quàm quod antea Scribæ, & Pharisæi habebant, & sacerdotes legis Mosaicæ. Habebant enim illi ministeriũ verbi, & Clauem scientiæ, vt dicitur Luc. 11. v. 52. & illis verbum Dei proponentibus fides habenda erat, & præstanda obedientia, iuxta illud Matth. 23. v. 2. *Super Cathedram Moysi sederũt Scribæ, & Pharisæi: omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, seruate, & facite.* At quisatis liquet ex dictis Christũ Petro amplius promisisse, & dedisse, quàm nõ modò Scribis, & Pharisæis, verùm etiam, quàm cæteris Apostolis concessum fuerit. Aliud ergo dedit illi, quàm ministerium verbi. Vlterius ministerium verbi, seu facultas prædicandi fuerat antèa concessa omnibus Apostolis Matth. 10. v. 7. *Euntes autem prædicate dicentes: Quia appropinquauit regnum cœlorum.* Ergo si Claues regni cœlorũ non sunt aliud quàm ministerium verbi, seu potestas concionandi, Christus Matth. 16. promisit Petro id quod iam antea illi concesserat. Quod vanum, & absurdum est.

30. Similiter Christus Ioann. 20. v. 21. dederat omnibus Apostolis missionem ad prædicandum verbis illis, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Ergo si per illa verba Ioan. 21. *Pasce oues meas*, nõ aliud Petro cõcessit, quàm facultatẽ prædicandi, nihil noui dedit. Quid igitur opus erat ter illum prius interrogare, *Simon Ioannis amas me? Simon Ioannis diligis me plus his?* & tam singulariter cum Petro agere, tantamque amoris eximii testificationem exigere, tantam denique verborum emphasim præmittere, si de re omnibus Apostolis communi, & iam illis concessa loquebatur: ac non potiùs aliquid magnum, & excellens Petro committere volebat, dilectam scilicet sponsam suam Ecclesiam? Præterea Christus ministerium verbi Dei, seu facultatem prædicandi concessit, non Apostolis solùm, verum etiam septuaginta duobus Discipulis Luc. 10. v. 1. At Claues regni cœlorum, ligandique & soluendi potestatem non illis concessit, sed solis Apostolis Matth. 16. v. 19. & c. 18. v. 18. Ergo potestas Clauiũ, & ligandi, ac soluendi, aliquid aliud est, quàm potestas prædicandi. Item si non aliter ligantur, & soluuntur homines, quàm annunciando verbum Dei: quicunque potest annunciare verbum Dei, potest ligare, & soluere; & habet Clauium potestatem. Ergo etiam laici, & fœminæ illas habent: quippe qui possũt proponere verbum Dei, quo promittitur remissio pœnitentibus, & denunciatur condemnatio impœnitentibus. Sanè vel ipse concedendi modus, & ceremonia, quâ Christus vsus est, dans potestatem remittendi, retinendique peccata Ioan. 20. v. 22. & 23. insufflando scilicet in Apostolos, & dicendo, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*: satis ostendit potestatem illam diuersam esse à facultate annunciandi verbum Dei, quam Christus Discipulis, aut Apostolis concedens, vel eos mittens ad prædicandum Luc. 10. v. 1. Matth. 10. v. 7. & cap. vlt. v. 19. Marci 16. v. 15. & Ioan. 20. v. 21. nunquam tali cerimonia vsus est per illamque sine dubio maiorem quandam potestatem, & augustiorem dari significauit. 31.

Ad hęc, verbum pascendi, quo Christus vsus est promissionem implens, & Claues regni cœlorum Petro concedens, non significat officium, vel actũ ministrandi cibos duntaxat, & pascendi verbo Dei; sed totum munus regendi ouile Christi, quod in multis aliis consistit. Nam illa Christi verba, *Pasce oues meas*, æquiualent istis, Pastorem ouium mearum te constituo, ad exequendũ scilicet omne boni pastoris officium. Estque frequens in Scriptura vt pascendi verbum totum munus regendi significet. Vt 2. Reg. 5. v. 2. *Tu pasces populum meũ Israel*, id est, vt additur explicationis causa immediatè post, *Tu eris dux super Israel*: & c. 7. v. 7. dicit Deus se præcepisse Dauidi, vt pasceret populũ suũ Israel, id est, vt est dux super populum suum Israel. Et Psal. 22. v. 1. *Dominus regit me*, Hebraicè, pascit me; Et psal. 77. v. 70. & 71. *Elegit Dauid seruum suum* &c. *Pascere Iacob seruum suum, & Israel hæreditatem suam*, id est, regere: & Psal. 79. v. 2. de Deo dicitur, *Qui regis Israel, intende*, hebraicè *Roheh*, id est, pascens. Et Isai. 40. v. 11. dicitur de Christo, *Sicut pastor gregem suum pascet*, id est, reget, & non solùm nutriet, vt significant ea quæ sequuntur: *In brachio suo cõgregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit.* Et denique vt alia præteream, Petrus ipse satis perspicuè docet quid pascendi verbo intelligendum, sibique à Christo mandatum fuerit, cùm scribit epist. 1. cap. 5. v. 2. *Pascite qui in vobis est, gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontanè secundum Deum: neque turpis lucri gratiâ, sed voluntarie: neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Vbi *pascere*, sine dubio plus significat, quàm annunciare verbum Dei; nimirum regimen Ecclesiæ, quod Petrus non superbum, & violentum esse vult, vt est eorum, qui dominari volunt, quique non amari vt patres, sed vt Domini timeri satagunt.

Pascere quid significet in Script.

Ad argumentum autem Caluini propositum num. 21. dicendum est, prædicationem Euangelii vocari ab Apostolo ministerium, & verbum reconciliationis, quia per illam proponitur Dei voluntas recipiendi peccatores in gratiam, ipsique peccatores mouẽtur, & inducuntur vt reconciliari velint. Sed non dicit Apostolus totum negotium reconciliationis in eo consistere, & non aliter re-

32. Soluitur Caluini.

mitti, retineriue peccata, vel homines ligari, & solui, quàm annunciando Euangelium. Neque ille fuit sensus, & vsus Apostolorum; sed Petrus Act. 2. v. 38. & seqq. iussit credentes prædicationi pœnitentiam agere, & baptizari in remissionem peccatorum. Et Philippus Act. 8. v. 38. Eunuchum iam credentem in eundem finem baptizauit. Et Paul. 1. Corinth. 5. v. 5. Non ligauit Corinthium fornicarium docendo, sed excommunicando, & tradendo eum Satanæ, in interitum carnis, vt spiritus saluus fieret. Et 1. Timoth. 1. v. 20. Hymenæum, & Alexandrum hæreticos simili modo tradidit Satanæ, vt discerent non blasphemare.

SECTIO IV.

Fuerintne aliis concessæ claues Ecclesiæ, & quibusnam committi possint.

33. Soli Petro & successoribus data suprema & vniuersalis potestas ecclesiast.

REspondeo, & dico primò, nulli alteri, præterquam Petro, eiusque successoribus, fuisse concessas claues regni cœlorum, sumptas consensu stricto, & magis proprio, quem huc vsque exposuimus, pro principatu scilicet Ecclesiæ, & suprema, atque vniuersali potestate eam regendi: alio verò sensu altiori acceptas pro qualicunq; potestate regendi Ecclesiam, fuisse omnibus Apostolis immediatè à Christo traditas. Prima pars huius assertionis satis patet ex dictis sectionibus præced. de primatu Petri, & successorum. De qua tamen plura dicenda essent, propter nouos Dogmatistas, affirmátes *Paulum æqualem perfectè fuisse Petro in ratione Capitis Ecclesiæ Romanæ, & totius Ecclesiæ vniuersalis: fuisseque Petrum & Paulum duo capitæ Ecclesiæ vnum constituentia*: nisi hoc onere nos leuasset eruditissimus D. Isaacius Habert Parisiensis Ecclesiæ Theologus, libris duobus quos recenter scripsit de Primatu singulari Sancti Petri in Ecclesia Apost. & Roman. vbi perspicuè ostendit errare illos contra vnanimen consensum SS. Patrum, & scriptorum Catholicorum: erroremque istum (sicut plerosque alios) hausisse à Lutheranis & Caluinistis, præcipuéque à Marco Antonio de Dominis infami apostata Religionis, & fidei desertore, Romæ cum impiis scriptis suis combusto manu carnificis, anno 1624. A quo illi omnia sua argumenta mutuati sunt: neque fortasse aduertunt, pleraque eò tendere, vt probent cæteros quoque Apostolos Petro fuisse pares: & disparitatem inter Apostolos, vel inter Episcopos, esse humanum inuentum, in sacris Euangeliis, & diuinis Noui Testamenti scripturis minimè subsistens, vt contendit, & affirmat insignis ille Lutheri partiarius libro primo de Repub. ecclesiast. cap. 3. numero 18. accuratè iampridem refutatus à Marrino Becano quatuor libris de Repub. Ecclesiast. quos contra eum scripsit.

Nobis igitur, ne actum agamus, neque tamen sine aliqua refutatione insignem hunc errorem abire patiamur, sufficiet breuiter indicare loca illustriora Scripturæ & Patrum quibus perspicuè refellitur, & Primatus singularis D. Petri adstruitur. Ex Scripturis autem præcipua sunt duo illa superiùs relata, & expensa: quorum vno dicitur totum Ecclesiæ ædificium Petro superædificatum esse, adeóque cæteras omnes partes Ecclesiæ ab illo pendere: illique vni singulariter, & præ ceteris Apostolis, claues regni cœlorum, id est, supremam in Ecclesia potestatem datam fuisse, Matth. 16. Altero dicitur totum Christi ouile, ipsos etiam Apostolos & quoscunque alios fideles complectens, illi tanquam supremo & vniuersali pastori commendatum, fuisse Ioan. 21. vt ex ipsis Scripturæ verbis, & communi SS. Patrum interpretatione ostendimus tota sect. 1. 34. Probatur ex Script.

Ex Patribus verò Latinis eundem errorem perspicuè refellunt, & primatum singularem D. Petri adstruunt Cyprian. lib. de Vnitate Ecclesiæ, cùm dicit Christum super illum *vnum* ædificasse Ecclesiam suam, & illi pascendas mandasse oues suas. Vtque vnitatem manifestaret, vnam Cathedram constituisse, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuisse. Et denique Primatum vni Patro dari, vt vna Christi Ecclesia, & Cathedra vna monstretur. Eius verba integra supra relata vide numero 14. Et Iulius 1. in epist. ad Episcopos Orientales, vbi affirmat inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris, fuisse quandam discretionem potestatis: & cùm omnium par esset electio ad Apostolatum, vni tamen datum esse vt cæteris præmineret. Quod idem & iisdem fere verbis dicit Melchiades Papa in epist. ad Episcopos Cāpanię. Eodemq; sensu Opt. Mileuit. l. 1. cōtra Parmen. dicit Solū Petrum accepisse claues Ecclesiæ, & lib. 2. Cathedram Episcopalem Petri Romæ collocatam, singularem & vnicam vocat, *In qua vna Cathedra vnitas ab omnibus seruaretur: ne cæteri Apostoli singulas sibi quique defenderent: vt iam schismaticus, & peccator esset, qui contra singularem Cathedrā, alteram collocaret. Ergo Cathedra vnica est, quæ est prima de dotibus. Sedit prior Petrus, cui successit Linus, successit Clemens, Clementi Anacletus &c.* Et Hier. lib. 1. contra Iouinian. *Inter duodecim*, inquit, *vnus* Petrus, *eligitur, vt Capite constituto schismatis tolleretur occasio.* Et Augustin. libro de Pastoribus capite 13. *In ipso Petro vnitatem commendauit* Christus. *Multi erant Apostoli, & vni dicitur, Pasce oues meas*, & libro 2. de Baptismo contra Donatist. cap. 1. dicit, vereri se ne Cyprianum cum Petro comparans, iniuriosus in Petrum existat. *Quis enim nescit illum Apostolatus principatū cuiuslibet Episcopatui præferendū?* Ibidemq; Primatū Apostolorum in Petro excellenti gratia præcelluisse affirmat. & ferm. 35. Idem docent Patres ecclesiæ latinæ.

Digitized by Google

124. de Tẽpore, dicit Christũ permisisse Petrum labi, vt Ecclesiæ suę Rectori futuro, ignoscẽdi peccantibus quædam regula poneretur. Et totius corporis mẽbrum in ipso capite curaret Ecclesiæ: & in ipso vertice componeret omnium mẽbrorum sanitatem. Et denique S. Leo ser. 3. de sua assum p. & D. Bernard. lib. 2. de consideratione ad Eugen. c. 8. tam perspicuis verbis affirmant Petrum cæteris omnibus Apostolis & Ecclesiæ pastoribus præpositum fuisse, vt nihil clarius dici possit. Eorum verba retulimus paulò ante num. 27.

36. Idẽ etiam Patres, Græci.

Neque minùs perspicuè & constanter id affirmant Patres Græci: vt Cyrill. Hierosolym. Catech. 2. & 11. quando eum vocat *Supremum omnium caput & præsidem Apostolorum*. Et Basil. in Procem. Eth. ic. cùm dicit B. Petrum omnibus discipulis prælatum fuisse. Et Chrysost. hom. 9. de Pœnit. vbi Petrum nominat *Primum discipulorum, Verticem Apostolorum, & Primum in Ecclesia*. Et homil. 87. in Ioã. initio, vbi rursus eum vocat Principẽ & verticẽ cœtus Apostolici, propterea q; Paulum eũ præter alios visurũ ascendisse: quibus verbis nominatim Paulo eum præponit. Et Cyrill. Alex. lib. 12. in Ioan. vbi eum vocat *Sanctorum discipulorum Prælatum*. Et Euseb. Emisen. (si tamen ille inter Græcos numerandus est) in sermone de S. Ioanne Euangelista, cuius verba sole illustriora retulimus supra num. 27.

37. Claues quomodo datæ Apostolis.

Secunda pars conclusionis, quã diximus Claues alio sensu latiori acceptas pro qualicunque potestate regendi Ecclesiam, fuisse omnibus Apostolis immediatè à Christo traditas, probatur ex Christi verbis Matth. 18. v. 18. *Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis, &c.* & Ioan. 20. v. 23. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos &c. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt*. Vbi licet nomine Clauium non vtatur, nec vspiam alibi, quotiescunque loquitur de potestate Apostolis omnibus promissa, vel concessa (ex quo intellige nomen illud singulariter applicatum potestati Petro promissæ Matth. 16. aliquid amplius iuxta phrasim Christi Domini significare) Licet inquam, nullam de Clauibus mentionem ibi faciat: ligandi tamen, & soluendi potestatem illis promittit Matt. 18. & concedit Ioann. 20. simul eos per totum orbem legatos suos constituens, cum potestate illi muneri Apostolico conueniente, prædicandi vbique, fundandi, & regendi Ecclesias, instituendi Episcopos, præcipiendi, & ferendi leges ecclesiasticas, puniendi rebelles, & alia munia superioris exercendi, vt Petrum, & alios Apostolos fecisse videmus in eorum Actis, & in epistolis D. Pauli. In eumq; sensum prædicta Christi verba exponunt Cyprian. lib. de Vnitate Ecclesiæ, prope initium, & epist. 73. ad Iubaianum, Chrysost. homilia 85. in Ioan. Cyril. lib. 12. in Ioan. cap. 55. & alii: quòd nimirum sicut Christus missus fuit à Patre cum potestate conueniente tali personæ, & officio Redemptoris: sic ipse misit Apostolos cum potestate conueniente muneri Apostolico. Ad hanc verò potestatem regendi significandam nomen Clauium regni cœlorum extẽdi à Patribus, & Doctoribus Catholicis, patebit ex dicendis paulò post: & ex Hieronymo epist. ad Heliodorum, vbi de sacerdotibus generaliter sic loquitur: *Absit, vt de illis quicquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, & Claues regni cœlorum habentes quodammodo ante diem iudicii iudicant*. Et Euseb. Emiss. homil. in Natali S. Petri, vbi dicit illud, *Tibi dabo Claues*, pertinere ad cæteros Apostolos, & Episcopos, & Sacerdotes: *Istis enim & Clauis, & potestas à Deo data est, vt non solum Ecclesiam, sed etiam cœlos aperiant*.

38. Differentia inter Petrum & alios Apost.

Est autem differentia inter concessionem Clauium factam Petro, & aliis Apostolis, in eo quòd, licet vtraque fuerit immediatè à Christo, & generalis in totam Ecclesiam toto orbe terrarum, iuxta illud Matth. vlt. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra: Euntes ergo docete omnes gentes* &c. & Marc. 16. *Prædicate Euangelium omni creaturæ*: & ad Galat. 1. *Paulus non ab hominibus, neque per homines, sed per Iesum Christum*, scilicet Apostolos: & 2. Corinth. 11. *Instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum*: & alia supra citata ex Matt. 18. & Ioan. 20. Prior tamen Petro facta est ratione officii perpetuò duraturi, & futuri ordinarii in Ecclesia, vtpote semper necessarii ad bonum illius regimẽ, & statum monarchicum à Christo institutum. Ideoque illa ad omnes Petri successores transmittitur, vt paulò ante diximus. Apostolis verò facta est ex priuilegio muneris Apostolici, quo Apostoli omnes legati Christi per totum orbem fuerunt cõstituti ad prædicandum Euangelium omni creaturæ, & fundandas, ac regendas vbique Ecclesias, prout ratio illius temporis, & dignitas Apostolatus conuenienter exigebat. Quod munus fuit extraordinarium, & sine iure succedendi institutum. Neque enim Episcopi in eo succedunt Apostolis, sicut neque in auctoritate scribendi libros canonicos, infallibilitate circa fidem, & confirmatione in gratia: sed in munere tantùm Episcopali. Ex quo etiã fit vt potestas amplissima, & generalissima concessa Apostolis, non transmittatur ad alios: quia non habent alios, qui sibi succedant in munere Apostolico, veluti officio ordinario à Christo instituto in Ecclesia, vt duret in perpetuum, & vnis deficientibus, alii continuò substituantur.

Præterea, quamuis cæteri Apostoli habuerint, vt dixi, potestatem amplissimam, & vniuersalem in totam Ecclesiam: non tamen ita vt Petrum comprehenderet tanquam sibi subditum, adeò vt in ipsum quoque auctoritatem regendi haberent, sicut Petrus in ipsos habuit: neque ita vt non possent dirigi à Petro, aut contineri in officio, si opus fuisset, tanquam ab eorum Pastore, ac præposito, iuxta illud Ioan. 21. *Pasce oues meas*, id est,

Digitized by Google

ipsos etiam Prælatos & Apostolos, vt ostendimus num. 27. Quare habuit Petrus respectu illorum aliquam præcellentiam: & vt rectè ait S. Leo epist. 84. *Inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis: & cùm omnium esset par electio* (ad Apostolatum) *vni tamen datum est, vt cæteris præmineret.* Quod idem dicunt Melchiades Papa, Cyprian. Iulius I. Hieronym. August. Cyrill. vterque, Basilius, Chrysost. & alii supra relati n. 35. & 36. Inter quos, speciatim Cyprian. lib. de Vnitate Ecclesiæ, dicit Primatum Petro datum fuisse, *Vt vna Christi Ecclesia, & cathedra vna monstretur*, à qua reliquæ pendeant, & originem ducant, sicut radii à Sole, & riui à fonte, & rami à radice arboris, vt ibidem addit. Atque hanc præeminentiam exercuisse Petrum in electione Matthiæ Apostoli affirmat Chrysost. in cap. 1. Actor. cùm de illa loquens sic exclamat: *Quàm cognoscit Petrus gregem suum! Quàm in hoc choro princeps est!* Et in cap. 21. Ioan. ad illa verba, *Pasce oues meas*: id est, inquit, *Esto prapositus loco mei, & primus in medio fratrum.*

40. Potestas Ordinis, datur immediatè à Christo.

Dico secundò, claues regni cœlorum quoad potestatem Ordinis dari à Christo immediatè: quoad potestatem verò iurisdictionis, nulli iam dari immediatè à Christo, præterquam summo Pontifici; sed ab isto, vel ab aliis, qui ab illo tandem acceperint, communicari. Ad conclusionis declarationem præmitto, nomine clauium regni cœlorum metaphoricè significari potestatem ecclesiasticam ordinatam ad regendas, aut disponendas animas, vt regnum cœlorum consequantur. Potestatem, inquam, auctoritatis cuiusdam, & præcellentiæ: cuius defectu actus contritionis, aut dilectionis supernaturalis, licet ex opere operantis vim habeant regni cœlorum aperiendi, obtinendo remissionem peccatorum: non tamen clauium nomine comprehenduntur. Atque hoc indicat vulgaris definitio tradita à Magistro & Scholasticis in 4. dist. 18. D. Thom. quæst. 17. Supplem. art. 2. Glossa in illud Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum*, & Ioan. 21. in Extrauaganti *Vnigenitus*: Est potestas quâ iudex ecclesiasticus dignos admittere valet ad regnum cœlorum, & indignos excludere: de qua definitione plura dicemus sect. seq. Multiplex autem est huiusmodi potestas, vna est Ordinis, quæ confertur per sacramentalem ordinationem ad remittenda peccata; ad confirmandum, ordinandum, & si quæ alia. Altera iurisdictionis, quæ iterum diuiditur in clauem scientiæ, & clauem potestatis. Prior est auctoritas interpretandi authenticè Scripturam, decidendi controuersias fidei, & definiendi, aut explicandi veritates ad fidem vel ad mores spectantes: Iremque auctoritas interrogandi iuridicè in foro interno, & externo ecclesiastico. Posterior est potestas regendi Ecclesiam: ad quam pertinet auctoritas recipiendi intra illam, aut excludendi, vel separandi quos oportuerit, pascendi verbo Dei, & Sacramentorum administratione fideles, ferendi leges ad bonum Ecclesiæ pertinentes, præcipiendi, prohibendi, permittendi, puniendi, dispensandi, &c.

41.

Hoc supposito, prima pars conclusionis probatur, quia effectus sacramentorum non sunt immediatè ab Ecclesia, sed à Christo eorum institutore, virtute passionis ipsius, & meritorum, quæ per sacramenta nobis applicantur. Nam minister Ecclesiæ remotè tantùm ad eos concurrit, quatenus applicat sacramentum: & sacramentum, quatenus applicat merita Christi. Potestas autem Ordinis est effectus sacramenti Ordinationis: ergo datur immediatè à Christo, non ab Ecclesia. Ex quo fit, vt eiusmodi potestas non possit ab Ecclesia auferri, neque limitari, aut impediri ne validè operetur, nisi quando ad illius exercitium requiritur simul iurisdictio, quæ datur ab Ecclesia, & ab illa pendet.

42. Potestas iurisdictionis cæteris datur à Summo Pont.

Secunda verò pars eiusdem assertionis est communis omnium Theologorum quoad omnes Ecclesiæ ministros Episcopali dignitate inferiores. De Episcopis autem affirmat aliqui iurisdictionem, seu potestatem regendi Ecclesiam ipsis competere iure diuino, sicut Apostolis, in quorum locum, & officium successerunt. Ita Domin. Sot. in 4. dist. 24. quæst. 2. art. 2. Victoria relect. 2. de Potestate Ecclesiæ quæst. 2. principali, num. 28. & Vasq. tom. 3. in 3. p. disp. 240. nũ. 41. Sed melius D. Thom. Henric. Durand. Gabr. Caietan. & plures alii, quos sequitur Suarez disput. 25. sect. 1. num. 3. censent primò, Episcopalem ordinem esse quidem à Christo institutum. Secundò, Christi etiam intentionem fuisse, & institutionem, vt Ecclesia per Episcopos gubernaretur, qui à Pastore vniuersali assumerentur in partem solicitudinis, non vt vicarii tantùm, sed vt Coepiscopi, qui iure proprio possiderent, velut domini, ius illud gubernandi, & essent tanquam alii Ecclesiæ Principes, primo & supremo subordinati. Sicut in ciuili monarchia perfectiore, quæ Aristocratiæ nonnihil mixtum habet, sunt Principes varii vni primo subordinati, qui sunt veluti columnæ, & nerui Reipublicæ. Tertiò, Episcopos tamen ex vi suæ ordinationis præcisè, non habere iurisdictionem, sed ratione muneris Episcopalis. Quartò, sicut hoc munus habent à summo Pontifice, ita & iurisdictionem Episcopalem muneri adiunctam.

43.

Primum probatur, quia Episcopalis ordo est sacramentum nouæ legis, vt suppono ex tractatu sequenti. Ergo fuit à Christo immediatè institutus. Omnia enim legis nouæ sacramenta fuerunt immediatè à Christo instituta; vt suo loco ostendimus. Secundum colligitur ex Innoc. III. verbis relatis in cap. 2. *De translatione Episcoporum*, & Pio Papa epist. 1. quorum prior asserit vinculum matrimonij spiritualis inter Episcopum, & Ecclesiam suam, esse iuris diuini. Posterior af-

Digitized by Google

firmat Deum Episcopos sibi velut oculos elegisse, qui nimirum Ecclesiæ suæ saluti inuigilarent, iuxta illud Act. 20. v. 28. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Tertium probatur, quia Episcopi merè titulares, nullam Ecclesiam commissam habentes, aut qui iam illi renunciarunt, sunt nihilominus veri Episcopi, & potestatem Ordinis Episcopalis habent, non tamen vllam iurisdictionem. Contra verò, Abbates quidam, & Archidiaconi, & Ecclesiæ Collegiatæ iurisdictionem Episcopalem habent sine Ordine Episcopali. Ex quo patet, iurisdictionem Episcopalem aliud esse ab ordine, & ab eo reciprocè separari posse, atq; ita præcisè ratione ordinis non haberi. Quartum denique probant testimonia Cypriani lib. 4. epist. 8. Iulii I. epist. 1. ad Orientales Episcopos, Innocentii I. apud D. August. tom. 2. epist. 91. & 93. D. Leonis serm. 3. de Assumpt. sua ad Pontific. & epist. 89. Quorum verba retulimus suprà num. 22. & Callisti epist. 2. cap. 3. vbi statuit: vt nullus Primas, aut Metropolitanus Episcopus aliter iudicet, aut regat, quàm iuxta statuta suorum prædecessorum Ecclesiæ Romanæ Pontificum. Efficaciter quoque id confirmat vsus Ecclesiæ. Nam summus Pontifex, quando creat Episcopos, (qui etiam sedis Apostolicæ gratiâ Episcopos se esse fatentur) dicit se illis conferre ministerium talis, vel talis ecclesiæ in temporalibus, & spiritualibus. Ab eodemque diuisio, & determinatio Diœcesium fit: idem extendit, vel limitat, vel planè adimit iurisdictionem Episcoporum, quando id expedit: Episcopatus nouos instituit: subditos illis subtrahit per exemptionem, & alia præstat, quæ ostendunt, Episcoporum iurisdictionem non à Christo immediatè, sed à Papa deriuari. Nã potestates à Christo ipso concessæ non possunt per Ecclesiam auferri, vel restringi, & extendi, aut contrahi, vt patet inductione per omnes alias. De ista verò, vt de aliis, cohærenter philosophandum est. Qua de re plura diximus tom. 2. in tractatu de Legibus.

44. Quomodo Episcopi successerũt Apostolis?

Ad fundamentum autem contrariæ sententiæ Respondeo Episcopos successisse Apostolis non in Apostolatu, neque in regimine, aut potestate generali in totum orbem, quæ potestas in priuilegium Apostolatus, & ob necessitatem illius temporis fuit illis concessa extraordinariè: sed in ordine Episcopali, atque etiam in regimine particulari huius, aut illius Ecclesiæ, puta Ephesinæ, aut Hierosolimitanæ: cuius regimen particulare sicut nec ipsi quidem Apostoli acceperunt immediatè à Christo, sed à Petro, & cæteris Apostolis post Christi ascensionem; ita neque Episcopi Pastorale regimen suæ Ecclesiæ habent immediatè à Christo. Illa verò potestas generalis per totum vniuersum in priuilegium dignitatis Apostolicæ, & propter necessitatem illius temporis peculiarem concessa omnibus Apostolis, non debuit communicari Episcopis: secus autem est de potestate summi Pastoris: cùm ad vnitatem retinendam non minùs Ecclesia opus nunc habeat Pastore vniuersali, & supremo iudice controuersiarum, quàm temporibus Apostolorum, & initio nascentis Ecclesiæ.

45. Clauis iurisdictionis quibusnam posset cõmitti?

Dico tertiò, clauem iurisdictionis etiam non-episcopis, & non-sacerdotibus committi posse: non tamen fœminis, iure saltem ordinario: licet Prælatæ Religiosarum habeant commissionem quorundam actuum clauium, quoad correctionem domesticam subditarum, eò quòd viri sine incommodo nequeãt illud præstare. Prima pars est communis Theologorum cum D. Thoma quæst. 19. Supplem. art. 3. & satis patet ex vsu cõmuni Ecclesiæ. Secunda probatur, quia claues iure diuino commissæ sunt Apostolis tantùm, & eorum aliqua ratione successoribus. Fœminæ autem nullo modo possunt Apostolis succedere, neque in Ecclesia auctoritatem habere, sed in statu subiectionis esse debent, iuxta Apost. Ephes. 3. vers. 22. Coloss. 3. v. 18. & 1. Pet. 3. v. 1. Atque ita docent S. Thom. artic. cit. ad 4. & alii communiter. Addunt que Dom. Sotus in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 4. & Valent. disp. 7. quæst. 16. punct. 3. non posse Prælatas præcipere quicquam sub peccato mortali, quod ex se mortale non sit: ideoque de illarum præceptis iudicandum esse iuxta conditionẽ materiæ, quidquid ipsæ intendant. Confirmatur ex can. 9. de Pœnit. & remiss. vbi sic dicitur: *Licet Beatissima Virgo Maria dignior, & excellentior fuerit Apostolis vniuersis, non tamen illi, sed ipsis Dominus Claues regni cælorum commisit.*

46. Etiamne fœminis iure extraordinario?

Addidi autem, *iure saltem ordinario*: quia non desunt, qui affirmant summum Pontificem de potestate absoluta posse fœminis iurisdictionem aliquam externam spiritualem, & potestatem etiam ferendi censuras committere, de iure speciali, & extraordinario, siue ex priuilegio. Ita Siluest. v. *Suspensio* quæst. 2. Sotus in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 4. Nauar. consil. 73. de sententia excommunicationis, Suar. sub dubio, disp. 2. de censuris sect 3. n. 7 Reginald. lib. 9. n. 117. Bonac. de censuris quæst. 1. puncto 2. n. 4. Laymã lib. 1. tract. 5. cap. 3. n. 41. Probant, quia licet Christus tantum dixerit Apostolis, & successoribus, *Quæcunque alligaueri is* &c. ideoque iure communi, & ordinario id non conueniat fœminis; non tamen inde apparet quòd illis iure peculiari, & extraordinario committi non possit. Sicut licet Christus dixerit tantùm Apostolis, & Discipulis vt baptizarent Matth. 28. & non fœminis: hinc tamen non sequitur fœminas iure quodam extraordinario baptizare non posse in casu necessitatis. Secundò probant, quia de facto quædam Abbatissæ habent ex priuilegio Summi Pontificis aliquos vsus Clauium, vt testatur Henriq. lib. 13. cap. 24. §. 1. etiam qui se extendant ad censuras

ferendas, vt ibid. innuit. Habent etiam aliquæ Abbatissæ ex Sedis Apostolicæ priuilegio, ius conferendi aliqua beneficia, cum Capituli sui consensu, & instituendi Clericos in Ecclesiis ad Monasterium suum pertinentibus, dando illis titulum & possessionem, vt testatur Layman supra cit. post plures alios ab ipso relatos: estque id notum ipsâ experientiâ, à nullo reprehensâ. Et Abbatissa monasterii, ac Generalis totius Ordinis Fontis Ebraldi, summum ius obtinet in omnes tum viros, tum fœminas eiusdem Ordinis, vt constat ex Bulla institutionis, & testatur Spondanus in Epitome Baronii ad annum Christi 1117. Neque dici potest, huiusmodi iurisdictionem esse dumtaxat temporalem, paternæ, aut domesticæ matrisfamilias similem. Tum quia iurisdictio in subditos, vt sunt membra reipubl. Ecclesiasticæ exempta ab ordinaria, & à ciuili iurisdictione, non est omnino temporalis. Tum etiam quia vi Bullarum eiusdem Ordinis, iurisdictio Abbatissæ extenditur nominatim ad aliquos actus spirituales, etiam circa forum internum Pœnitentiæ, instituendo confessarios. Atque ita nuper orta ea de re controuersia iudicatum fuit à grauibus Theologis, consultis Bullis, & constitutionibus. Addi potest canon *Dilecta*, *Extra*, *de Maioritate, & obedientia*: sed id clarè ibi non exprimitur. Glossa tamen ibidem affirmat, Abbatissam habere iurisdictionem spiritualem, licet imperfectam.

47. Propter hæc, & alia multa quæ collegit Stephanus Aluin. lib. 1. de Potestate Episcoporum &c. cap. 1. & pluribus seqq. existimo summum Pontificem, cuius vsus non est damnandus hac in parte, posse extraordinariè, pro sua suprema auctoritate, concedere etiam fœminis aliquem vsum Clauium, vt reipsa concessit: non tamen omnem, vt eum qui pendet ab Ordine essentialiter, cuiusmodi est potestas remittendi peccata. Fœminas enim iure diuino esse incapaces sacerdotii ostendemus in seq. tract. disputando de sacramento Ordinis. Sic etiam non potest illis committere vsum Clauium alligatū statui fœminis incommunicabili, cuiusmodi est potestas ferendi suffragium, & decidendi controuersias fidei, in Conciliis generalibus.

Habuerintne Claues sacerdotes Antonici?

Plura de Clauium ministris videri possunt apud D. Thomam tota quæst. 19. vbi art. 1. negat sacerdotes legis Mosaicæ habuisse claues regni cœlorum; quia potestas illius sacerdotii, & ministerii legalis non se extendebat ad cœlestia, sed ad figuras cœlestium: ideóque non claues, sed clauium figuram habebant, iuxta illud Hebr. 9. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum*, &c. Attamen, vt Valentia rectè aduertit quæst. 16. de Pœnit. puncto 3. assert. 4. Sicut aliquo modo ministerium illud & Sacerdotium adducebat homines, vt per fidem in Christum venturū salutem consequerentur, & suo tempore in cœlum ingrederentur. Ita quoque potuit auctoritas illius ministerii significari nomine clauium regni cœlorum. Quod confirmari potest testimonio Isaiæ 22. v. 22. vbi de Eliacim sacerdote, Christi figuram gerente dicitur *Dabo Clauem domus Dauid super humerum eius.* Et Luc. 11. v. 52. *Væ vobis Legisperitis, quia tulistis clauem scientiæ*, &c. Vnde claues illis, sed minùs perfectè, quàm in lege Euangelica, concedunt Suar. disp. 16. sect. 4. num. 5. Valent. supra, & alii post antiquos illos, quorum confusè meminit D. Thom. art. cit.

Cætera, quæ S. Doctor eadem quæst. prosequitur art. 2. & seqq. facilia sunt, vel iam à nobis sufficienter exposita. Tantùm aduerte circa id quod art. 6. affirmat, malos Ecclesiæ ministros, etiam si fiant hæretici, schismatici, excommunicati, suspensi, degradati, retinere quidem potestatem clauiū quantum ad essentiam, sed vsum eius impediri ex defectu materiæ, quia eos Ecclesia tali vsu priuat, subtrahendo illis subditos, vel simpliciter, vel quantum ad aliquid: & quantum ad hoc quòd priuati sunt, non possunt vsum clauium habere: Aduerte, inquam, potestatem Ordinis neque amitti posse, vel auferri per Ecclesiam, neque impediri, quò minùs validè operetur effectus independentes à iurisdictione; cuiusmodi non est remissio peccatorum. Potestatem verò iurisdictionis non modò posse impediri quoad vsum, verùm etiam pœnitùs tolli, iuxta sententiam probabiliorem, quam secuti sumus in tract. de Legib. quòd videlicet iurisdictio non sit tantùm applicatio materiæ, sed potestas quædam spiritalis summo Pontifici concessa à Christo immediatè, & à summo Pontifice, omnibus aliis ipso inferioribus, à quo proinde potest limitari, & tolli. Notandum etiam vsum potestatis clauium non impediri per excommunicationem, à tempore concilii Constantiensis, nisi in duobus casibus: quandò nimirum aliquis est nominatim denunciatus, vel quando est manifestus percussor Clerici, cuius crimen nulla potest tergiuersatione celari, aut excusatione iuris defendi. Idemque de aliis censuris sentiendum esse affirmat Valent. puncto supra cit. in fine. Qua de re plura dicemus inferiùs disput. 59. sect. 9.

48. Retineantne claium potestatem mali Ecclesiæ ministri aut vsum?

SECTIO V.

Circa quos possint Ecclesiæ Claues exerceri, & quos effectus habent?

49. Doctrina D. Thom.

CIrca primum, doctrina D. Thomæ qu. 20. Supplem. articulo 1. est, non posse quemlibet exercere Clauium potestatem, in quoscunque, sed in eos duntaxat, qui ipsius curæ, & regimini commissi sunt, hoc est, in subditos tantùm, vt clariùs exprimit art. 3. in fine corp. Non habet autem quilibet omnium regimen: sed in quolibet principatu

Digitized by Google

præter illum, qui vniuersalia præcepta legis tradit, id est, vltra Principem supremum, oportet esse aliquos, qui ea singulis, secundum quod debent, accommodent. Et propter hoc etiam in cœlesti hierarchia, sub potestatibus, quæ indistinctè præsunt, ponuntur Principatus, qui singulis prouincijs distribuuntur; & sub his Angeli, qui singulis hominibus in custodiam deputantur. Vnde similiter in prælatione Ecclesiæ militantis, debet apud aliquem, id est, apud Summum Pontificem, esse prælatio indistincta, & vniuersalis in omnes: & sub hoc debent esse alij, qui super diuersos diuersam potestatem, & distinctam accipiant. Et quia vsus Clauium requirit aliquam prælationis potestatem, per quam ille, in quem vsus Clauium communicatur, efficitur materia propria illius actus: ideò ille, qui habet indistinctam potestatem super omnes, potest vti Clauibus in omnes. Illi autem, qui sub eo distinctas potestates acceperunt, non in quoslibet vti possunt Clauibus, sed in eos tantùm, qui eis in sortem venerunt, nisi in necessitatis articulo, vbi nemini sacramenta sunt deneganda. Hæc D. Thom. cui reliqui Theologi communiter assentiuntur, affirmantes potestatem Clauium non posse à quoquam nisi circa sibi subditos exerceri.

5 9. Possintne solũ exerceri in subditos?

Notandum tamen id intelligendum esse quoad actus iuridicos: vltra quos alii sunt qui possunt erga non subditos locum habere. Cuiusmodi est concessio Indulgentiarum circa defunctos, qui non amplius sunt Ecclesiæ subiecti, vt expressè dicitur Can. *Legatur*, & Can. *Nec quisquam*, 24. q. 2. Cuiusmodi etiam est admissio Catechumenorum ad Baptismum, siue ingressus illis datus in Ecclesiam per ianuam Baptismi, & auctoritas annunciandi verbum Dei Gentilibus, & infidelibus. Nam potestas admittendi Catechumenos ad Baptismum ex propria auctoritate, vel commissione speciali, pertinet ad Claues, quibus illis aperitur Ecclesia, nomine regni cœlorum sæpius in Scripturis appellatata. Et tamen illi nondum sunt Ecclesiæ subditi. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, iudicare*, inquit Apost. 1. Corinth. 5. v. 12. Et Ecclesia in nemine iudicium exercet, qui non priùs in ipsam per Baptismi ianuam fuerit ingressus, vt ait Trident. sess. 14. cap. 2. Auctoritas quoque concionandi, & illuminandi Gentiles, & Infideles non-baptizatos, pertinet ad eandem potestatem: ac circa illam, eiusq; vsum poni potest moderatio à Summo Pontifice, aliisque Prælatis Ecclesiæ, vt non quilibet in quoslibet hoc munere fungi possit, aut etiam quouis modo, sed hos istis, illos aliis committere. Quod cùm faciunt, exercent aliquâ potestatem non modò circa concionatores, sed & circa infideles ipsos, quos per eos velut à se delegatos instruunt, atque ad Christi gregem aggregare conantur. At verò quoad actus iuridicos certum est non posse illos valide exerceri, nisi erga subditos. Quod verum etiam est de illo, qui suum superiorem, ipsumque Papam absoluit à peccatis. Nam qui eum absoluit, exercet Claues in subditum quoad illum actum: & Summus Pontifex seipsum subiicit ei, à quo absoluitur; siue vt ait D. Thom. q. 20. art. 3. extendit eius potestatem in seipsum.

Quamuis autem potestas Clauium sit magna ex parte iuridica, & iudiciaria, vt quoad actus remittendi peccata sacramentaliter, & iniungendi satisfactiones, & ligandi, aut soluendi per censuras ecclesiasticas, & regendi Ecclesiam præcipiendo, prohibendo, puniendo, dispensando, ferendo leges, interpretando authenticè, & iuridicè Scripturam, & decidendo controuersias fidei: aliquos tamen alios habet actus non iuridicos, vt patet exemplis allatis. Vnde colligere vulgatam illam definitionem potestatis Clauium, *Est potestas, quâ iudex ecclesiasticus cæteros admittere valet ad regnum cælorum, & indignos repellere*, non esse omnino adæquatam, sed à maiori, & potiori parte sumptam. Generaliter autem definiri sic posset: Est potestas, quâ minister Ecclesiasticus, (siue sit iudex, siue non, respectu eorum, in quos Claues exercet) valet pro auctoritate dignos admittere, & indignos excludere regno cœlorum. In quam particulam extremam vtriusque definitionis notandum est ex D. Thom. q. 17. Supplem. art 2. hanc potestatem non esse datam ad aperiendum, vel claudendum absolutè pro libito, aut quomodocunque: sed pensata ratione dignitatis, vel indignitatis eorum, circa quos exercetur. Quò spectat id quod ait Apostolus generatim de potestate sibi, & cæteris Apostolis à Christo concessa, datam nempe fuisse in ædificationem, & non in destructionem, 2. Corinth. 11. v. 8. & cap. 13. v. 10. Et quod dicit S. Thom. q. 18. art. 4. in Corp. sacerdotem, cùm non operetur in vi Clauium, nisi sicut minister, & instrumentum Dei tanquam principalis agentis, non posse soluere, aut ligare ad arbitrium, sed in quantum à Deo sibi præscriptum est. Nullum enim instrumentum habet efficacem actum, nisi secundum quod mouetur à principali agente. Eaque de causa Christum Ioan. 20. v. 22. potestati remittendi peccata, Apostolis ibi concessæ, præmisisse donum Spiritus sancti, quo aguntur qui sunt filii Dei.

§ 7. Potestas Clauiũ est iuridica ex parte tantùm.

Circa secundum in titulo sectionis propositum, patet ex dictis, actus, & effectus Clauium esse multiplices, inter quos sunt quinque præcipui, & illustres. Vnus est, docendi authenticè ea quæ pertinent ad fidem, vel ad mores. Alter, regendi per leges, & ordinationes ecclesiasticas. Tertius, remittendi, aut retinendi peccata in sacramento Pœnitentiæ, seu foro interno. Quartus, ligandi, & soluendi per censuras ecclesiasticas in foro externo, & contentioso. Quintus, relaxandi pœnas ex peccatis dimissis residuas, per concessionem Indulgentiarum,

§ 8. Actus Clauiũ est multiplex.

Digitized by Google

De primo diximus in tract. de Fide, De secũdo, in tract. de Legibus. De aliis, qui sunt proprii huius loci, dicemus sequẽtibus dispp.

Latiùs patet, quàm ligare, & soluere.

Liquet etiam ex supradictis verum esse id, quod affirmat Caietan. tom. 1. Opusc. tract. 3. de Rom. Pontif. cap. 5. ligare, & soluere non esse actus, siue effectus adæquatos Clauium, sed aperire, & claudere, qui metaphoricè plura significant, & cõprehendunt. Nam ligare, & soluere significant propriè actus iurisdicos, qui solùm in subditos exerceri possunt: cùm tamen Claues erga alios vsum aliquem habeant, vt exemplo Catechumenorum, & defunctorum supra ostendimus. Nec obest, quòd Christus Matth. 16. verbis illis, *Tibi dabo Claues regni coelorum*, subiunxit immediatè, *Et quodcunque solueris* &c. Nam ex eo non bene colligitur hos duos actus (illustres licet, & præcipuos) adæquatos esse. Sane Christus promissionem ibi factam implens Ioan. 21. non meminit actus soluendi, aut ligandi, sed pascendi, seu regendi agnos, & oues suas: Qui etiam actus Clauium præcipuus, & illustrior est, ac generalior, totumque regimen Ecclesiæ comprehendit: ad illumque omnes alii reduci possunt. Sicut etiam Ioan 20. v. 22. implẽs promissionem factam Apostolis Matthæi 18. v. 18. nullam fecit mentionem ligandi, & soluendi, sed generaliùs dixit, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, id est, legatos meos vos constituo cum potestate legationi vestræ conueniente. Et v. 23. mentionem solùm fecit potestatis remittendi, retinendique peccata: cuius actum non esse effectum adæquatum clauium, manifestum est, & ab omnibus concessum.

53. Obiicies cum Bellarm. lib. 1. de Roman. Pontif. cap. 12. inauditum esse in Ecclesia alias esse claues, quàm Ordinis, & iurisdictionis: & planum sensum illorum Christi verborum, *Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque solueris* &c. hunc esse, vt primò promittatur auctoritas, seu potestas designata per claues: deinde eius actiones, siue officium explicetur per illa vocabula, *Soluere*, & *Ligare*: ita vt omnino sit idem soluere, & aperire: claudere, & ligare. Christum autem soluendi, & ligandi verbo vsum esse potiùs, quàm aperiendi, & claudendi, vt intelligeremus has omnes locutiones metaphoricas esse, tuncque cœlum hominibus aperiri, quando soluuntur à peccatis, quæ in cœlum ingressum prohibebant.

Satisfit obiectioni.

Respondeo, esse in Ecclesia vsitatum intelligere per clauium potestatem, quamcunque auctoritatem ecclesiasticam perducendi homines ad regnum cœlorum: siue eos vocando, & admittendo ad Ecclesiam: siue in eam iam admissos regendo, & perficiendo: siue etiam defunctos iuuando per thesaurum Ecclesiæ illis applicatum, vt liberentur à pœnis Deo debitis. Quæ potestas partim est Ordinis, illa scilicet quæ confertur per sacrã ordinationem, vt ad absoluendum à peccatis: partim est iurisdictionis, vt ad præcipiendum, aut puniendum: partim neutra propriè, quia neque per sacramentum Ordinis datur, neque est propriè iuridica, cùm non exerceatur erga subditos: vt auctoritas instruendi, & admittendi Catechumenos, aut potestas iuuandi defunctos per Indulgẽtias. Reuocatur tamen ad potestatem iurisdictionis, & sub illa comprehenditur in prædicta diuisione, moraliter potiùs, quàm in rigore metaphysico intelligenda: quatenus præsupponit eum in quo residet, vel à quo manat, habere potestatem iurisdictionis in Ecclesia, ad dandam missionem prædicandi Euangelium Infidelibus, & auctoritatem aperiendi ianuam Ecclesiæ ingredi volẽtibus, per Baptismum solennem: vel ad dispensandum illius thesaurum viuis, & defunctis. Quamuis autem propinquiùs, & magis propriè aperiatur hominibus regnum cœlorum, quando soluuntur à peccatis, vel ab eorum pœnis: remotiùs tamen, & dispositiuè illis aperitur per alios actus, quibus docentur viam regni cœlorum, & in illam inducuntur, ac sensim promouentur: ad quem finem tendit totum Ecclesiæ regimen.

54. Cur vocentur claues regni cœlorum? Obiicies secundò, Si potestas clauium valet ad claudendum regnum cœlorum, sicut & ad aperiendum: ergo possunt vocari claues Inferni, æquè ac claues regni cœlorum. Respondeo cum Suare disp. 16. de Pœnit. sect. 4. num. 3. magnam esse rationem, cur potiùs claues regni cœlorum nominentur: quia quod per se primò intenditur per hanc potestatem, est aperire regnum cœlorum; claudere verò non nisi secundariò, & quodammodo per accidens, ad hoc cogente malitia peccatoris: Deinde regnum cœlorum est tanquam terminus, ad quem tenditur ex vi huius potestatis: Infernus autem est terminus, à quo recedit. Et ideo magis ab illo, quàm ab hoc denominatur. Addo tertiò, per hanc potestatem non aperiri propriè infernum peccatoribus, sed potiùs iuuari ipsis etiam pœnis, & censuris ecclesiasticis, vt resipiscant, & viam regni cœlorum capessant: iuxta illud Pauli excommunicantis Corinthium fornicarium 1. Corinth. 5. *Iudicaui tradere eum Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini.*

55. Altera obiectio ex D. Thoma. Obiicies tertiò ex D. Thoma quæst. 19. Supplem. art. 3. Claues regni cœlorum non esse propriè nisi potestatem Ordinis, quippe quæ se extendit ad ipsum cœlum immediatè, remouendo impedimenta introitus in cœlum per remissionem peccati. Aliam verò potestatem, quæ dicitur iurisdictionis, quæque non directè se extendit ad ipsum cœlum, sed mediante Ecclesia militante, cuius consortium admittimur, aut excludimur per sententiam Excommunicationis, aut absolutionis, non propriè dici clauem cœli, sed quandam dispositionem ad ipsam. Ergo falsum est tot esse actus clauium, quot sup à assignauimus. Respondeo primò, Clauem iurisdictionis necessariam esse ad ipsammet peccati remissionem, vt ostendemus disput.

Digitized by Google

sequenti, sectione 3. & affirmat D. Thom. quæst. 20. art. 2. multóque latiùs patere, quàm ad excommunicandum, vel absoluendum ab excommunicatione. Secundò, rationem D. Thomæ non aliud probare, quàm potestatem remittendi peccata, propiùs cœlum aperire: quod tamen non est necessarium, vt aliquid propriè dicatur clauis regni cœlorum: Sufficit enim quòd remotè, vel proximè aperiat. Ideóque Doctores communiter non dubitant nomine clauis simpliciter, & absolutè appellare potestatem iurisdictionis. Omitto quod respondent aliqui, nomine regni cœlorum, Scripturam sæpe intelligere Ecclesiam. Quia non puto eo sensu intellexisse Christum, quando dixit Matth. 16. *Tibi dabo claues regni coelorum*: ne alioqui magna sit æquiuocatio in eius verbis, quando addit, *Et quodcunque solueris super terram, erit solutum, & in coelis*: Vbi sine dubio coelos propriè dictos intelligit.

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA SEPTIMA.

De potestate Clauium circa remissionem peccatorum.

Sectio I. *Dederitne Christus ministris Ecclesiæ potestatem remittendi peccata post Baptismum commissa?*

Sectio II. *Soluuntur obiectiones contra doctrinam propositam,*

Sectio III. *Vtrum hæc potestas valeat ad culpam ipsam remittendam, & non tantùm ad pœnas?*

Sectio IV. *Sitne hæc potestas Ordinis tantùm, an etiam iurisdictionis, & scientiæ, ac potestatis?*

DE argumento proposito disputat S. Thomas totâ qu. 18. & art. 1. docet potestatem Clauium ordinari aliquo modo ad remissionem culpæ, ad eam disponendo. Vnde si ante absolutionem aliquis non fuisset perfectè dispositus ad gratiam suscipiendã; in ipsa confessione, & absolutione sacramentali gratiam consequeretur, si obicem non poneret: si enim Clauis nullo modo ad culpæ remissionem ordinaretur, sed ad remissionem pœnæ tantùm, vt quidam dicunt, non exigeretur votum suscipiendi effectum Clauium ad culpæ remissionem: sicut non exigitur votum suscipiendi alia sacramenta, quæ non ordinantur ad culpæ dimissionem. Art. 2. affirmat eandem potestatem ordinari etiam ad pœnam: non tamen ita vt omnem tollat, sicut in Baptismo, sed aliquid pœnæ temporalis relinquat: quia Pœnitentia non est regeneratio, sed sanatio quædam; neque totaliter applicat efficaciam passionis Christi, quæ sufficit ad omnem pœnam delendam,: sicut Baptismus, per quem homo regeneratus configuratur passioni Christi, & nouus homo efficitur. 3. Cùm sacerdos in vsu Clauium sit conformis operationi Dei, cuius minister est: operatur ipse simili modo, quo Deus, circa culpam, & pœnam. Deus autem circa culpam operatur ad soluendum quidem

quidem, directè: ad ligandum autem, indirectè: inquantum obdurare dicitur, dum gratiam non largitur. Sed in pœnam habet operationem directè quantum ad vtrumque: quia & pœnæ parcit, & pœnam infligit. Similiter ergo Sacerdos, etsi in absoluendo ex vi Clauium habet aliquam operationem ad culpæ dimissionem, modo supra dicto: non tamen ligando aliquam operationem habet in culpam, nisi ligare dicatur inquantum non absoluit, sed ligatos ostendit. At verò in pœnam habet potestatem & ligandi, & soluendi. Soluit enim à pœna quã dimittit: & ligat quantum ad pœnam, quæ remanet: sed ad hanc ligare dupliciter dicitur. Vno modo considerando ipsam quantitatem pœnæ in communi: & sic non ligat, nisi inquantum non soluit, sed ligatum ostendit. Alio modo considerãdo pœnam hanc vel illam determinatè: & sic ligat ad pœnam, imponendo eam. Quartò denique asserit sacerdotem, cùm operetur in vsu Clauium, sicut minister & instrumentum Dei, tanquam principalis agentis, non posse soluere, & ligare ad arbitrium suum, sed prout instinctu diuino mouetur. Vnde si quis præter illum motum diuinum vti sua potestate præsumpserit, non consequetur effectum: quia nullum instrumentum operatur efficaciter, nisi prout mouetur ab agente principali. Hæc D. Thomas.

SECTIO I.

Dederitne Christus ministris Ecclesiæ potestatem remittendi peccata post Baptismum commissa?

1. Error Dogmatist. 1

SVfficere poterãt quæ diximus hac de re tractatu præcedẽti disp. 41. de Institutione Sacraméti Pœnitentiæ: & disp. 52. sect. 2. de vero sensu verborum formæ eiusdem sacramenti: nisi cogeret importunitas nouorum Dogmatistarum hæreticis hac in parte fauentium, fusiùs, & accuratiùs hanc veritatem confirmare, quæ non modò ab illis in dubium vocatur: verùm etiam non obscurè negatur: tãetsi post definitiones Florẽtini, & Tridentini inferiùs referendas, non possit absque erroro manifesto, & Ecclesiæ contemptu negari. Affirmant enim per sacerdotem non remitti peccata in sacramento Pœnitentiæ (si tamen illud Sacramentum esse agnoscunt) sed fieri tantùm canonicam reconciliationem peccatoris, & declarationem authenticam, quòd eius peccata quoad culpam & pœnã fuerint expiata per Pœnitentiam publicam, & solennem, priùs necessariò peragendam: & confessionem sacramentalem eò solum ordinari, vt sacerdos proportionem in poenis iniungẽdis seruare possit. Ac denique potestatem ligandi in hoc sacraméto, non esse aliud, quàm potestatem imponendi poenitentiam publicam, maiorem, aut minorem, pro grauitate, & multitudine peccatorum. Soluere autem non esse aliud, quàm poenitentes, post illam exactam, reconciliare canonicè, & ad communionem Eucharistiæ admittere.

Hunc errorem hauserunt à VVicleffo, qui vt refert VValdensis tom. 2. Doctrinalis fidei cap. 144. & 145. negabat Christum dedisse Apostolis, & eorum successoribus facultatẽ remittendi peccata, fictitiamque potestatem Clauium appellabat: quia *Nemo quantumcunque fuerit magnus Episcopus, potest quemquam absoluere, nisi de quanto contritus prius, & absolutus fuerit apud Deum.* Eidemque adhæserunt Luther. & Caluin. aliique recentes hæretici, affirmantes peccatorem non aliter iustificari, quàm per actum fidei, quo credit peccata sibi non imputari, propter iustitiam Christi: & Ministros Euangelicos non aliud posse circa remissionem peccatorum, quàm proponendo Euangelium, & promissiones diuinas in eo contentas, excitare peccatorem ad concipiendum huiusmodi actum fidei iustificantis: aut de eo ritè concepto, deque iustificatione per eum obtenta certum illum facere, absolutumque declarare: iuxta illud Christi Luc. 7. v. vlt. *Fides tua te saluam fecit, vade in pace.* *VVicleffus lib. de capa cap. 2. & in 4. Trialogo cap 32.*

2. Probatur ex Script. ver Clauis Ecclesiæ remitti peccata.

Doctrina Catholica est, Christum Ioan. 20. vers. 23. dedisse Apostolis, & eorum successoribus potestatem remittendi peccata post Baptismum commissa, verbis istis, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Probatur primò, quia noua illa cerimonia insufflandi in Apostolos, & simul illis conferendi Spiritum sanctum, sine dubio denotat Christum nouam aliquam potestatem eis dedisse, illamque valde mirabilem, & excellentem, ad cuius exercitium speciali ope, & directione Spiritus S. opus sit. Ergo non potestatem baptizandi, & remitté-

per Baptismum peccata ante illum commissa, quam potestatem iam acceperant, & exercuerãt Apostoli Ioan. 4. v. 2. neq; etiam potestatem prædicãdi Euangelium, quã Discipulis, & Apostolis iam dederat Matth. 10. v. 7. & Luc. 9. &. 10. Deinde verba illa in sensu proprio, & literali accepta, clarè significant, Christum dedisse Apostolis potestatem remittendi, retinendiq; peccata, adeo efficaciter, vt quę ipsi remiserint, aut retinuerint, remissa quoq; aut retenta habeantur in cœlis. Ita vt Christus, cui Pater omne iudiciũ dedit Ioan. 5. v. 22. munus suum iudicãdi illis cõmiserit, eosque iudices, & arbitros cõstituerit ad remittendũ, aut retinendũ, prout ius & æquum postulabit. Neque enim aliter loqueretur Princeps ius suum alteri cõmittens, & causarum suarum arbitrum illum cõstituens, nisi affirmãdo velle se, vt remittat, aut retineat: séque iam nũc habere ratum, ac remittere, quidquid ipse remiserit; aut retinere, quidquid ipse retinuerit. Verba autem Scripturæ, præsertim in iis quæ pertinent ad fundamenta Ecclesiæ, & ad diuinas promissiones, aut ordinationes, debent in sensu maximè proprio, & literali intelligi, quantum fieri potest: posse autem hæc in sensu proprio intelligi absque vllo incommodo, patebit ex solutione argumentorum, quæ in contrarium proferuntur ab aduersariis.

3. Idem probatur ex Patribus.

Probatur secundò ex traditione Ecclesiæ, sanctorumque Patrum doctrina, qui affirmãt communi consensu hanc potestatem à Christo datam fuisse Apostolis, & sacerdotibus eorum successoribus: Christique verba eodẽ planè modo, quo nos, interpretantur. Vt Cyprian. epist. 73. ad Iubaianũ, vbi ex illis probat potestatẽ remittendi peccata esse in sola Ecclesia, in qua sola est Spiritus sanctus. Et Chrysost. lib. 3. de sacerdotio, cap. 5. vbi sic habet: *Quæcumque, ait, peccata retinueritis, retenta sunt. Quænam, quaso, potestas hac vtâ maior esse queat? Pater omne iudicium dedit filio. Caterum ideo ipsum omne iudicium à Deo Filio illis traditum.* Et paulò post. *Quid multa? Rex alienis, sicuti ex subditis suis honorem hunc detulerit, vt potestatem habeat quoscunque velit in carcerem coniiciendi, eosdemque rursus laxandi, beatus ille, & admiradus iudicio omnium fuerit. At verò qui à Deo tanto maiorem accepit potestatem, quanto cælum terra pretiosius est, quanto etiam anima corporibus præstant* &c. Et inferiùs dicit licuisse tãtùm Sacerdotibus Aaronicis corporis leprã purgatã probare: nostris autẽ nõ purgatas probare, sed purgare prorsus concessum esse. Et Ambros. lib. 1. de Pœnit. c. 2. Nouatianos ex citatis Christi verbis in hunc modum redarguit: *Sed aiunt se Domino deferre reuerentiam, cuius soli remittendorũ criminum potestatem reseruent. Imò nulli maiorem iniuriam faciunt, quàm qui eius volunt mandata rescindere, cõmissum munus refundere. Nam cùm ipse in Euangelio suo dixerit Dominus Iesus, Accipite Spiritum S. Quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis retẽta erunt: quis est, qui magis honorat, vtrum qui mandatis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in vtroque seruat obedientiã, vt peccatis & alligei, & relaxet. Heresis in altero immitis, in altero inobediẽs, vult ligare quod non resoluat: non vult soluere quod ligauit.* Et Hieron. epist. 1. ad Heliodorum ad eadem verba Christi alludens: *Absit, inquit, vt de his quicquam sinistrum loquar, qui Claues regni cælorum habentes, quodammodo ante diem iudicii iudicant de peccatis scilicet in Deũ admissis, de quibus in die extremi iudicii reddenda erit ratio.* Et Gregor. hom. il. 26. in Euangelia, exponens eadẽ Christi verba, *Quorum remiseritis peccata* &c. Sic ait: *Principatum superni iudicis sortiuntur, vt vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent.*

Ioan. 5. v. 22.

4. Probatur ex Concilijs.

Probatur tertiò ex definitione Conciliorum œcumenicorũ, quę rem fide diuinâ certam facit. Nam Florent. in literis Vnionis, hoc est in fidei definitionibus, affirmat Claues Ecclesiæ datas ad hunc effectum valere: & in decreto Eugenii loquẽs de Sacramento Pœnitentiæ, dicit eius ministrum esse sacerdotem habentem auctoritatem absoluendi, illiusque effectum esse absolutionem à peccatis: id est, veram illorum remissionẽ, fundatam in illis Christi verbis, *Quorum remiseritis* &c. Et clariùs Trident. sess. 14. cap. 1. post mediũ, vbi affirmat Christum instituisse Sacramẽtum Pœnitentiæ, quando à mortuis suscitatus insufflauit in Apostolos dicens, *Accipite Spiritum S. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retẽta sunt.* Quo tam insigni facto, inquit, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, vniuersorum Patrum consensus semper intellexit. Ibidemque damnat commentitias eorum interpretationes, qui verba illa ad potestatẽ prædicandi verbũ Dei, & Christi Euangelium annunciandi, contra huiusmodi sacramenti institutionem falsò detorquent. Et cap. 5. eiusdem sess. affirmat Christum verbis illis sacerdotes sui ipsius vicarios constituisse, tanquam præsides, & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint: quò pro potestate clauium, remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient. Et capite 6. addit, Quamuis absolutio sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio: tamen non esse solum nudum ministerium, vel annunciandi Euangelium, vel declarandi remissa esse peccata: sed ad instar actus iudicialis, quo ab ipso, velut à iudice, sententia pronunciatur. Quod idem definit sub anathemate Canone nono, eiusdem sessione. Et denique Canon. 3. anathematizat eum qui dixerit verba illa Domini, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata* &c. nõ esse intelligenda de potestate remittendi, & retinendi peccata in sacramento Pœnitentiæ, sicut Eccle. Catho. ab initio sẽper intellexit.

Accedit quartò ratio congrua: quia cùm 5.

Digitized by Google

Cõfirmatur ratione. Christus dederit Ecclesiæ potestatem remittendi peccata Infidelium, & quorumcunq; hominum nondum sibi aggregatorum per sacramentum Baptismi: conueniens fuit, vt eidem daret potestatem remittendi peccata fidelium, qui post Baptismum sæpe labuntur in peccatum mortale, neq; minùs indigent medio reconciliationis. Cùmq; non possint reconciliari per Baptismum, quippe quinõ potest iterari, neq; valet ad remittenda peccata post ipsum commissa: debuit vltra potestatem baptizandi, dari specialis potestas, per quam Ecclesiæ ministri possent lapsos post Baptismum reparare faciliori medio, quàm possint ipsi per actus heroicos, & difficiles contritionis perfectæ, vel purissimi amoris Dei super õnia propter se dilecti. Id enim legi gratiæ valdè conueniebat, habita ratione fragilitatis hominũ, & excellentiæ Christi meritorum. Eadem verò auctoritate, & facilitate, quâ potuit Christus dare Ecclesiæ potestatem remittendi peccata infidelium per Baptismum: potuit eidem concedere facultatẽ remittendi per sacramentum Pœnitentiæ, & sacerdotis absolutionẽ, peccata fidelium lapsorum post Baptismum: instrumentalem, scilicet, & ministerialem, retenta sibi potestate excellentiæ. Vt enim rectè dicit Ambros. loco supra cit. *Quid interest virum per Poenitentiam, an per lauacrum hoc ius sibi datum vendicent sacerdotes? Idem in vtroque ministerium est.*

SECTIO II.

Soluuntur obiectiones contra doctrinam propositã.

6. Solvitur prima obiectio hæreticorum. CONtra veritatem Catholicam præcedente sectione propositã multa obiiciuntur partim ab Hæreticis, partim à nouis Dogmatistis; quorum priores hac sectione, posteriores sequẽti refutandi nobis sunt. Ab hæreticis ergo obiicitur primò, Christum Luc. vlt. v. 47. explicantem id quod dixerat Ioan. 20. v. 23. dixisse Apostolis oportere prædicari in nomine eius Pœnitentiam in remissionem peccatorum in omnes gentes. Et Matt. vlt. v. 19. & 20. non aliud mandasse Apostolis, nisi vt docerẽt omnes gẽtes, & baptizarẽt. Ergo non aliã dedit illis potestatem circa remissionem peccatorũ, nisi per Baptismũ, & prædicationẽ Euãgelij. Respõdeo Christũ prioribus verbis voluisse prædicari pœnitentiam in remissionem peccatorũ, qualẽ ipse instituerat, siue pro peccatis Baptismum antecedentibus, siue pro aliis cõcomitantibus, aut subsequentibus: quæ cuiusmodi sit, non eo loco explicauit, cùm ne quidem de Baptismo mentionem ibi fecerit. Posterioribus verbis tria Christus eodẽ ordine seruanda præcepit, vt notauit Hieron. in hunc locum. Primùm scilicet, vt docerẽt de rebus fidei adultos baptizandos: tum sufficienter instructos baptizarent: post eaque docerent seruare õnia quæ ipse mãdauit: inter quæ vnum est, vt à peccatis post Baptismum abstineant: & si peccaré lethaliter contingat, ad medium reconciliationis, & secũdam tabulam post naufragium recurrant: subiiciendo se Clauibus Ecclesiæ, & eorum sententiæ, quos suiipsius vicarios reliquit, tanquam præfides, & iudices, ad quos omnia mortalia post Baptismum cõmissa deferantur. Vt enim ait S. Leo epist. 91. ad Theodorũ, *Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subuenit humanis, vt non solùm per Baptismi gratiam, sed etiam per Poenitentiæ medicinem spes vitæ reparetur aeternæ: vt qui regenerationis donum violassent, proprioso iudicio delemanter, ad remissionem criminum peruenirent. Sic diuinæ bonitatis ordinatis praesidiis, vt indulgentia Dei, nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri.*

Obiicitur secundò, neminẽ præter Deum posse peccata in eũ commissa remittere iuxta illud Luc. 5. v. 21. *Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus?* Quod licet dictum fuerit à Phariszis contra Christum murmurantibus, tamen à Christo fuit tacitè confirmatum, quando ad probandum se habere potestatẽ dimittẽdi peccata: ac proinde esse Dei filium, verunque Deum, addidit, *Vt autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata: Tibi dico surge* (inquit Paralytico) *Tolle lectum tuum, & vade in domũ tuam.* Et confirmatur ex Augustino tract. 8. in Ioan. vbi explicans illud Ioan. 1. *Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccatum mundi:* Nemo, inquit, tollit peccata nisi solus Deus. Respondeo Augustinum malè citari: & neminẽ quidem præter Deũ, ac neq; Christũ ipsũ vt hominem, posse auctoritate propria de iure Dei disponere, & offensas illi factas remittere: secus tamen ex Dei commissione, & potestate ab illo concessa seu ministeriali: quæ duplex est: vna excellentiæ, & principalis ministerii, qualis fuit in Christo vt homine, iuxta illud Ioan. 5. v. 22. *Pater non iudicat quẽquam, sed omne iudicium dedit filio:* & v. 27. *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* Altera inferior, & à Christo communicata ipsius ministris, verbis illis *Quorum remiseritis peccata* &c. iuxta propriũ illorum sensum, & SS. Patrum Catholicæq; Ecclesiæ in Con. Oecumen. interpretationẽ vt sectione præcedenti ostendimus. Verum etiam est Deũ solum posse remittere peccata absoluta, & independenti potestate: sed hoc non impedit, quò minùs Deus communicare potuerit Apostolis, & sacerdotibus eorum successoribus potestatem subordinatam, & à sua suprema dependentẽ, ad eadẽ remittẽda. Sicuti Reges & Principes possunt, si velint, committere iudicibus à se constitutis, sibique subordinatis, vt de causis suis, & offensis sibi factis iudicent, easque prout æquum videbitur, seuerè puniant, aut misericorditer cõdonent. Neque propterea sacerdos nõ remittit absolutè alio sensu, id est, proferendo sentẽtiam absolutam; & certò atque infallibiliter, quantum est ex parte Sacramenti: quia licet dispositio necessaria requiratur ex parte pœ-

7. Secunda obiectio.

nitentis, dolorque internus de peccatis, quę ſacerdos non cognoſcit, niſi per externa indicia non infallibiliſta men ſententia, quam profert, abſoluta eſt; certóque & infallibiliter habet effectũ ſi pœnitens non deſit ſuo muneri. Neq; minùs abſolutè, & certò, atque infallibiliter ex parte cauſę profert ſacerdos hæc verba, *Abſoluo te à peccatis tuis*, vi poteſtatis à Chriſto datæ id agẽdi per ſacramentum Pœnitentiæ: quàm baptizans iſta proferat, *Ego te baptizo in nomine Patris &c.* id eſt, abluo, non corpus tantùm, ſed mẽtem etiam à peccati ſordibus. Et quidem Baptiſmus nõ magis habet effectũ in adultis, qui peccarũt, ſine aliqua ipſorũ diſpoſitione, & dolore interno, quàm ſacramentum Pœnitentiæ: neq; dolor ille magis notus eſt baptizanti, quàm ſacerdoti abſoluenti. Ergo ſi eo non obſtante poteſt baptizans dicere abſolutè, Ego te baptizo: quidni etiam ſacerdos abſoluens dicere poſſit abſolutè, Ego te abſoluo?

8. Tertia oppoſitio

Obiicitur tertiò, Scripturam vni Chriſto tribuere veluti propriũ, & ſingulare, habere poteſtatem Clauium Apocal. 3. v. 7. *Qui habet Clauem Dauid: qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit.* Solus ergo poteſt aperiri, & claudere; propriè ſcilicet: ſoluſque habet Claues regni cœlorum; alii verò non niſi impropriè, & miniſterialiter, veluti annunciantes veniam nobis per Chriſtum obtentam. Quare meritò Cyprian. lib. de lapſis circa mediũ, *Nemo ſe fallat*, inquit, *nemo ſe decipiat. Solus Dominus miſereri poteſt. Veniam peccatis, quæ in ipſum commiſſa ſunt, ſolus poteſt ille largiri, qui peccata noſtra portauit, qui pro nobis doluit, quẽ Deus tradidit pro peccatis noſtris. Homo Deo eſſe nõ poteſt maior: nec remittere, aut donare indulgentiã ſuã ſeruus poteſt, quod in Dominum delictũ grauiore commiſſum eſt: ne adhuc lapſo, & hoc accedat ad crimen, ſi neſciat eſſe prædictum, Maledictus homo, qui ſpem habet in homine. Dominus orandus eſt: Dominus noſtra ſatisfactione placandus eſt, qui negantem negare ſe dixit, qui omne iudicium à Patre ſolus accepit.*

Reſpondeo, Scripturã vni Chriſto vt Deo tribuere poteſtatem Clauium ſupremam, & abſolutam: & vt homini, miniſterialẽ principalem, ſoliq; Deo ſubordinatam: quæ nulli homini puro conuenit: nemoque alius poteſt contra ipſius voluntatẽ aperire, vel claudere. Sed non negat Scriptura poteſtatem Clauium miniſterialem, & minùs principalem, Chriſtoque ſubordinatam conuenire aliis verè, ac propriè, Dei, & Chriſti beneficio. Quin potiùs diſertè id affirmat verbis ſupra relatis, & expenſis. Dicere autem Claues dari ſolùm ad annunciandam veniam, nõ autem ad cœlum ipſum aperiendum per remiſſionem peccatorum: perinde eſt, ac dicere claues carceris dari, non ad illũ apẽriendum, ſed ad annunciandum palam, & publicè veniam à Rege conceſſam: & clauis proprium eſt aperire, & claudere: non autem oſtendere duntaxat fores alterius officio, & beneficio reſeratas eſſe.

Cyprianus autem loco cit. loquitur cõtra ſacerdotes aliquos, qui per nimiam indulgẽtiam admittebant ad cõmunionem fidelũ, & Euchariſtiæ participationẽ eos, qui fidẽ metu tormentorum negauerãt, & idolis immolauerãt, *Ante expiata*, inquit, *delicta, ante exomologeſim factam criminis, ante purgatã conſcientiã ſacrificio, & manu ſacerdotis, ante offenſam placatam minantis Domini, & minantis.* Et contra peccatores ipſos, qui confiſi libellis Confeſſorum, quos ab ipſis impetrauerant, volebant ſine pœnitentiã priùs actã, admitti ad vtrumq; contra ordinẽ à Chriſto per Eccleſiam ſtatutum, rigidéque præceptum, & ſeruatum eo tẽpore. Diciteq; nec ſacerdotes illos poſſe tam indulgẽter cum peccatoribus agere: nec peccatores debere adeo Cõfeſſorum meritis, & libellis confidere, vt propter illos velint õnem pœnam peccatis ſuis debitam ſibi condonari, & diſciplinam Eccleſiaſticam adeo relaxari. Chriſtiq; ſolius eſſe tãtã indulgentiã vti cum peccatoribus, vt ſtatim abſq; alia pœnitentia, quàm interno dolore de peccatis, eos ab omni culpę, & pœnæ reatu liberos faciat: ſicut erga Magdalenã, & Latronem in cruce pendẽrem ſe geſſit. Nã quòd alioqui poſſint ſacerdotes remittere peccata verè pœnitẽti, iuxta modũ, & ordinem à Chriſto, vel ab Eccleſia ſtatutum, quódq; id non neget Cyprianus, ſed potiùs diſertè affirmet, tãtúmq; abuſum ſupradictum reprehendat, patet ex eodem lib. de lapſis, cum ait, *Ante purgatam cõſcientia manu ſacerdotis*: & paulò poſt verba relata in obiectione, *Cæterũ*, inquit, *ſi quis præpropera feſtinatione temerarius, remiſſionem peccatorum dare ſe cũctis putat poſſe, aut audet Domini præcepta reſcindere; non tantùm nihil prodeſt, ſed & obeſt lapſis. Prouocaſſe eſt iram, non ſeruaſſe ſententiam: nec miſericordiam priùs Dei deprecãdam putare, ſed cõtempto Domino de ſua facultate præſumere.*

Exponitur locus D. Cypriani.

Senſus ergo D. Cypriani eſt: Nemo ſe fallat, præſumendo de ſua poteſtate remittendi peccata, vel de libellis Confeſſorũ, pluſquàm par eſt. Solus Dominus miſereri poteſt tãliberaliter, atq; iſti volunt. Solus ipſe per merita ſuæ paſſionis poteſt largiri veniã, vt voluerit: & nemo alius, niſi pro poteſtate, & modo ſibi conceſſo. Neque enim homo maior Deo, aut Chriſto eſſe poteſt, vt contra ipſius volũtatem, & ordinem, modumq; ab eo præſcriptum, remittat ſuã indulgentiã delicta præſertim grauiora in Deum commiſſa. Grauiterque peccaret, qui tantoperè de ſe præſumeret, vel talem de homine ſpem, & fiduciã conciperet. Dominus orandus eſt, & placandus, ea ratione, quam ipſe præſcripſit, qui omne iudicium ſolus à Patre accepit, id eſt, plenam, & abſolutam poteſtatem remittẽdi vt volet: nec quiſquam alius poteſt remittere, niſi quantum, & quomodo ipſe conceſſit.

Quæſtio obiectio.

Obiiciuntur quartò alia quædam SS. Patrum teſtimonia, quæ hanc poteſtatem ſacerdotibus negare videntur: eiuſmodi eſt illud Ambroſii in libro tertio de Spiritu ſancto, *Homines in remiſſione peccatorum miniſterium ſunm exhibent, non ius*

alicuius potestatis exerent. Et quod dicit Hieron. in cap. 16. Matth. circa illa verba, *Quodcunque solueris*, &c. non plus posse sacerdotes Euangelicos circa peccata, quàm Aaronicos circa lepram: neque aliter illa remittere, vel retinere, nisi iudicando, & ostendendo remissa esse, vel retenta à Deo. Et quod ait Gregor. homil. 26. in Euangelia, non debere sacerdotes quemquam soluere, nisi quem norũt Deum per suscitantem gratiam viuificare; sicut Apostoli non soluerũt Lazarũ, nisi postquà à Christo suscitatus fuit.

9. Exponitur Ambros.

Ad primum Respõdeo Ambrosium per illa verba, *non ius alicuius potestatis*, intelligere Principalis, & auctoritatis independentis, quam opponit ministeriali, significatæ ab eodem verbis istis, *Ministerium suum exhibent*: hanc enim euidenter concedit sacerdotibus lib. 1. de Pœnit. cap. 2. verbis supra relatis n. 4. per quæ locus iste obscurior illustrandus, & explicandus est.

10. Explicatur Hieron.

Ad secundum dico Hieronymum epist. 150. ad Hedebiam quæst. 9. paulò post initium, affirmare Apostolos in die resurrectionis Christi Domini, accepisse Spiritus sancti gratiam, *quâ peccata dimitterent, & baptizarent, & filios Dei facerent, & spiritum adoptionis credentibus largirentur, ipso Saluatore dicente, Quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt*. Vbi Hieron. duplicem vult datam fuisse tunc Apostolis potestatem remittendi peccata: per Baptismum scilicet, & per Sacramentum Pœnitentiæ: quod etiam docet Cyrill. Alexand. lib. 12. in eundem locum Ioannis, c. 59. & nimirum verè remittẽdi, seu delendi peccata per sacramentum Pœnitentiæ, sicuti verè abolent per Baptismũ: vt exigit illa comparatio vtriusque sacramenti, & clariùs significant verba sequentia, *Et filios Dei facerent, & spiritum adoptionis credentibus largirentur*. Hæc enim non fiunt ostendendo solùm, & iudicando peccata esse remissa: sed verè remittendo, & gratiam iustificantem impertiendo. Idem quoque indicat quod aliquanto pòst addit Hieronymus, *Profectus apostolicus est, vt qui primò remittendorum peccatorum gratiam acceperant, postea acciperent operationem virtutum*: nimirum potestatem verè remittendi peccata; & non tantùm remissa ostendendi: sicuti, verè acceperunt potestatem operandi miracula, putà sanandi morbos, & non tantùm ostendendi esse sanatos. Ex quibus Hieronymi verbis benignè interpretandum est id, quod obscuriùs, & seueriùs dixit loco citato in obiectione, ad deprimendum, vt ait, quorundam fastum & supercilium: *In retinendis, vel remittendis culpis, id inuis habent Euangelici sacerdotes, quod olim habebant legales sub lege in curandis leprosis. Hi ergo peccata remittunt vel retinent, dum remissa, vel retenta iudicant, vel ostendunt*. Ita vt sensus sit, non quòd ipsi nullo modo verè remittant: sed quòd non pro arbitrio, sine sufficiente pœnitentis dispositione, & Dei gratia principaliter remittentis: qui etiam priùs remittere incipit eo ipso quòd peccatorem excitat, & iuuat per gratiam præuenientem, & concomitantem, ad concipiendum dolorem salutarem de peccatis. Cúmque sacerdos illum absoluit; iudicat, & ostendit esse ritè dispositum, & Deum eatenus remisisse: quamuis perfecta remissio non fiat sine ministerio sacerdotis, qui secundum Christi institutionem, absoluit auctoritate sibi ab ipso concessâ.

11. Illustratur ex aliis locis.

Ac deniq. si plus voluit Hieronymus, postponenda est illius opinio priuata (quam postea correxit verbis supra relatis ex epistola ad Hedibiam) communi SS. Patrum iudicio, quorum plura testimonia retulimus num. 4. & alia multa referri possent aliorum, qui tantùm abest, vt velint sacerdotem non aliud facere, quàm ostendere peccata esse à Deo remissa, vel retenta: vt potiùs affirment sententiam sacerdotis in terra præcedere Dei sententiam in cœlo: vt Cyprian. epist. 54. *Ipse legem dedit, vt ligata in terris, etiam in cœlis ligata essent. Solui autem possint illic, quæ hic prius in Ecclesia soluerentur*. Et Hilar. Can. 16. in Matth. *O beatus cœli ianitor, cuius arbitrio Claues æterni aditus traduntur; cuius terrestre iudicium præiudicata auctoritas sit in cœlo: vt quæ in terris aut ligata sunt, aut soluta, statui eiusdem conditionem obtineant & in cœlo*. Et Bernardus serm. 1. in festo Apostol. Petri, & Pauli, *Qui Claues regni cœlorum tam singulariter accepit, vt præcedat sententia Petri sententiam cœli*. Quod eo sensu verum est, quatenus naturâ prius est sacerdotalem absolutionem proferri, & sacramentum Pœnitentiæ essentialiter perfici, quàm Deum illius intuitu infundere propter Christi merita gratiam sanctificantem, remissiuam peccatorum.

12. Gregorii M locus difficilis explicatur.

Ad tertium Respondeo cum D. Thoma opusc. 22. c. 2. Vega lib. 13. in Trident. cap. 34. & Vasq. tom. 4. in 3. partem. q. 84. art. 3. dubio vnico, sensum Gregorii esse, quòd peccator debeat priùs à Deo vocari, & viuificari per gratiam suscitantem de monumẽto suæ obstinationis, id est, priùs excitari per gratiam præuenientem, ad actum Pœnitentiæ, & salutaris doloris de peccatis, illũq; cum gratia cooperante concipere, atque eatenus viuere incipere, priusquam absoluatur, & remissionẽ peccatorum consequatur à Deo per ministeriũ sacerdotis: ita vt incipiat habere aliqualẽ actũ vitæ dolẽdo de peccatis, & cõfitendo sacerdoti humiliter; quibus nondum, neq; per contritionẽ charitate perfectã, neq; per absolutionem sacramẽtalem, vitam gratiæ, & charitatis consecutus sit: & similis sit Lazaro, qui prodiit de monumento ligatus institis: quia iam incipit emergere è tumulo peccati, & habet aliquem viuentis actum, sed adhuc tamen ipso peccato ligatus est. Quo etiam sensu D. August. tract. 49. in Ioan. & libro quinquaginta homiliarum

Digitized by Google

homil. 27. & in Pſal. 101. concione 2. & ſerm. 8. de verbis Domini, ſic ait: *Ipſum Lazarum attende cum vinculis predit: iam viuebat confitendo, ſed nondum liber ambulabat vinculis irretitus. Quid ergo facit Eccleſia, cui dictum eſt, Quæ ſolueritis ſoluta erunt, niſi quod ait Dominus continuò ad diſcipulos: Soluite illum, & ſinite abire?* Plura de relatis Gregorii verbis dicemus paulò poſt, ex quibus magis hęc reſponſio confirmabitur.

SECTIO III.

Vtrum poteſtas Clauium valeat ad culpam ipſam remittendam, & non tantùm ad pœnas?

13. Sententia negans.

PArtem negantem tenuerunt Hugo à S. Vict. tom. 3. in libro ſummæ ſententiarum tract. 5. cap. 11. vbi docet dimiſſionem culpæ, quæ eſt animæ viuificatio, fieri à Deo; pœnam verò dimitti ab Eccleſia virtute Clauium: Et Ricard. Victor. in tract. de Poteſtate ligandi, & ſoluendi cap. 12. Et è Doctoribus Scholaſt. Magiſter in 4. diſt. 18. primâ parte diſt. cap. 6. & ſequentibus, Bonauent. in 4. diſt. 18. primâ parte diſtinct. 2. 2. q. 1. & 2. Gab. ibid. q. 1. art. 2. & diſt. 14. q. 2. art. 1. notab. 2. Maior. diſt. 18. q. 1. in fine, citans Alexandrum Alenſ. in eandem ſententiam: Ocham in 4. q. 9. in reſponſione ad primam quæſtionem, quæ eſt art. 4. Altiſiodor. lib. 4. Summæ. tract. 6. c. 8. quæſt. 1. & 2. Marſil. in 4. q. 12. art. 2. ſecunda parte articuli, dubio incidenti. Idem quoque docent Abul. in defenſor. 1. parte cap. 6. & Ioan. Med. cod. de confeſſ. quæſt. de effectu abſolutionis, & ſub dubio ac probabiliter tantùm Adrian. Quodlib. 5. art. 3.

14. Quemodo differt ab errore hæreticorum.

Differt autem iſtorum ſententia ab errore hæreticorum præcedenti ſect. refutato, in eo quòd hæretici negant omnem virtutem Clauium, & abſolutionis ſacerdotalis circa remiſſionem peccatorum, ſiue quoad culpam, ſiue etiam quoad pœnam; voluntque nihil eſſe aliud, quàm declarationem remiſſionis à Deo factæ: ad quorum errorem accedunt noui illi Dogmatiſtæ, quorum initio diſputationis mentionem fecimus. At verò iſti concedunt aliquam virtutem Clauibus contra peccata, ſaltem circa pœnam; quam tamen virtutem, illiuſque effectum non eodem modo explicant. Diſſenſio inter eius auctores.

Nam Hugo & Ricard. Victor. locis citatis cenſent per Claues remitti ipſammet pœnam æternam debitam peccatis mortalibus à Deo remiſſis quoad culpam. Docent enim, vt ex Hugone refert Vaſques 3. part. quæſt. 84. artic. 3. dubio 2. dimiſſâ culpâ per Dei gratiam vi contritionis, adhuc manere reatum æternæ damnationis ſoluendum per Eccleſiæ poteſtatem; ita vt pœnitens eo reatu ſemper ligatus maneat, quandiu non abſoluitur ab Eccleſia. Quòd ſi morte præueniatur antequam poſſit abſolui, liberabitur, inquit, à pœnæ æternæ reatu per Dei miſericordiam, ne ille iam iuſtificatus damnetur. Sin autem poteſt & negligit abſolui ab Eccleſia; manet in eodem reatu æternæ pœnæ. Hæc ille, quæ intelligit de pœna integra peccati, damni videlicet, & ſenſus. At verò Medina quæſt. cit. cenſet culpam, & pœnam æternam ſenſus remitti à Deo per contritionem: pœnam verò damni remitti à ſacerdote per poteſtatem Clauium. Quia, inquit, remiſsâ culpâ, & pœnâ æternâ ſenſus, adhuc manet homo exul à regno coelorum; ſicut antiquis Patribus, purgatis licet peccatis quoad culpam, & pœnam ſenſus, manebat adhuc obligatio exilij, quæ erat pœna damni, donec per Chriſti mortem aperta fuit illis porta regni coelorum. Addit tamen in ſolutione ſecũdi argumenti, fore vt Deus miſericordiâ ſuâ abſoluat à pœna dãni eum, qui morte præuentus non poſſet ab illa abſolui per Eccleſiam, obtentâ per contritionem remiſſione culpæ, & pœnæ ſenſus: in quo conſentit cum Hugone, & Ricardo Victorinis. Reliqui verò auctores citati fatentur pœnam æternam damni, & ſenſus vnà cũ culpa remitti à Deo per contritionem: virtutem verò Clauũ circa remiſsionẽ pecatorũ in eo cõſtituunt, quòd de pœna tẽporali reſtante ex peccati remiſſione aliquid relaxẽt.

15. Volũt omnes culpam remitti à Deo ſolo.

Porrò omnes in eo conueniunt, quòd velint ſolius Dei opus eſſe, abſoluere à reatu culpæ. Cùm enim ſit offenſa iniurioſa Deo, debet remitti per ceſſionẽ iuris diuini. Solius autẽ Dei eſt de iure ſuo diſponere. Itẽ cũ nemo poſsit abſolui niſi contritus: & contritio tollat maculam culpæ; non ſunt datæ Claues Eccleſiæ, neque poteſtas abſoluendi, ad illam tollendã. Fruſtra enim conſtitueretur cauſa ad aliquem effectum, quẽ ſemper præſupponeret eſſe factũ. Hoc autem confirmãt aliquot Patrum teſtimoniis, qui miniſterium ſacerdotum abſoluẽtium à peccatis comparãt cum Apoſtolis Lazarum à Chriſto priùs viuificatum ſoluẽtibus Ioan. 11. Quo exemplo vtuntur D. Aug. tract. 22. & 49. in Ioan. & lib. 50. homiliarum, homil. 27. & in Pſal. 101. concione 2. Et ſermon. 8. de verbis Domini: & Gregor. homil. 26. in Euangelia. Vbi, poſtquam dixit non debere paſtoralem auctoritatem ſoluere, niſi quos auctorem noſtrũ cognoſcimus per ſuſcitantem gratiam viuificare: addit paulò poſt: *Veniat itaque foràs mortuus, id eſt, culpam confiteatur peccator: venientem verò foràs ſoluant diſcipuli, vt paſtores Eccleſiæ ei pœnã debeãt amouere, qui meruit.* Quibus verbis non aliud tribuit ſacerdotibus, quàm pœnam relaxare, poſtquam Deus culpam remiſit, & vitam gratiæ reſtituit. Addi tertiò poteſt ſacerdotes nõ aliter ligare quoad culpã, niſi declarãdo non fuiſſe remiſſam. Ergo neque aliter ſoluunt quoad illam, niſi declarãdo fuiſſe remiſsã. Et deniq; D. Thomã quæſt. 18. art. 2. in corp. affirmare ſolum Deum remittere per ſe culpam; & poteſtatẽ clauium ordinari aliquo modo ad

remiſſionem culpæ, non ſicut cauſando, ſed velut ad eam diſponendo.

16. Probatur ex Scripturis Sacerdotes culpam ipſam remittere.

Nihilominùs hæc ſententia vt planè falſa, & improbabilis reiicienda eſt. Primò, quia ſine cauſa detorquet verba Scripturæ ad ſenſum improprium. Nam pœna non eſt propriè peccatum. Chriſtus autem Ioan. 20. v. 23. dedit Apoſtolis, & ſacerdotibus eorum ſucceſſoribus poteſtatem remittẽdi peccata. Ergo non pœnas tantùm. Cúmque promittens Petro claues regni coelorum dixerit generaliter Matth. 16. *Quodcunque ſolueris*: & Apoſtolis Matth. 18. *Quæcunque ſolueritis*: Cùm, inquam, hæc verba ſint de ſe vniuerſalia, & ſignificent poteſtatem tollendi quidquid excludit homines à regno cœlorũ: contra rationem eſt ea reſtringere ad poenam, & exiſtimare claues Eccleſiæ non valere cõt a culpam ipſam, quæ tamen primò, & præcipuè impedit ab illius ingreſſu. Sanè poteſtas clauium, quam Chriſtus ipſe habuit ad aperiendum, & claudendum, vt dicitur Apocal. 3. v. 7. non erat tantùm ad ſoluendũ à poenis peccatorum, ſed & præcipuè ad remittenda ipſa peccata, vt fecit Luc. 7. v. 47. Marci 2. v. 5. Matth. 9. v. 2. aliiſque locis. At clauium poteſtas Apoſtolis conceſſa circa remiſſionem peccatorum, eſt participatio poteſtatis Chriſti ad idem faciendum miniſterialiter, ipſius vice, quod ipſe poterat facere per poteſtatẽ excellentiæ: vt ſignificauit verbis illis Ioan. 20. v. 21. *Si ut miſit me Pater, & ego mitto vos*: poſt quæ immediatè ſubiunxit, *Accipite Spiritum ſanctum: Quorum remiſeritis peccata* &c. Clariuſque id expreſſit Ambroſ. lib. de Pœnit. cap. 7. ſic dicens: *Vult Chriſtus plurimum poſſe diſcipulos: vult à ſeruis ſuis nomine ſuo ea fieri, quæ ipſe faciebat in terris.*

17. Idem probatur ex Patribus.

Probatur ſecundò ex conſenſu SS. Patrum, qui non obſcurè docent culpam ipſam remitti à ſacerdotibus, Chriſtiq; verba ſuperiùs relata in hunc ſenſum interpretantur: vt Chryſoſt. Ambroſ. Hieron. & Gregor. Mag. locis cit. n. 4. & Auguſt. epiſt. 180. ad Honoratum, vbi dicit, Quando ad extrema ventum eſt, omneſque de vita periclitantur, hoſtibus vrbem ſubitò inuadentibus, magnum ſolere fieri concurſum in Eccleſiam, aliis Baptiſmũ flagitantibus, aliis reconciliationem, omnibus conſolationem, & ſacramẽtorum erogationem. Additque, ſi cõtingat aliquem mori ſine baptiſmo, vel ſine reconciliatione, ſequi exitiũ eos, qui de iſto ſæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati. Credebãt ergo Chriſtiani illius temporis cum D. Auguſt. ſacerdotes Deo reconciliare peccatores, id eſt, in gratiam per peccatum amiſſam reſtituere, quod non fit niſi tollendo culpã ipſam peccati: atque ita ab æterno exitio eos liberare. Et S. Leo epiſt. 91. ad Theodorum Foroiulienſem Epiſc. dicit miſericordiam Dei ita lapſibus ſubueniſſe humanis, id eſt, culpis, vt non ſolùm per baptiſmi gratiam, ſed etiam per poenitentiæ medicinam ſpes vitæ reparetur æternæ, id eſt, vt paulò poſt exponit, per ſacerdotalem abſolutionẽ: *vt qui regeneratio-*

nis donum violaſſent, proprio ſe iudicio condemnãtes (humili videlicet confeſſione peccatorũ) *ad remiſſionem criminum peruenirent. Sic diuinæ bonitatis præſidiis ordinatis, vt indulgentia Dei niſi ſupplicationibus ſacerdotum nequeat obtineri*: adeóque nec ſine illis remittantur ipſa crimina quoad culpam, in cuius remiſſione præcipuè conſiſtit indulgentia Dei.

18. Et ex Florentino.

Probatur tertiò auctoritate Conciliorum, & SS. Pontificum. Nam Florent. in Decreto Eugenii affirmat rem, id eſt, effectum ſacramenti Pœnitentiæ eſſe remiſſionem peccatorum. Quæ definitio Concilii debet omnino in ſenſu proprio intelligi, adeóque non de pœnis ſolùm, quæ non ſunt propriè peccata. Debent enim Concilia definitiones fidei tradere verbis propriis, quoad fieri poteſt: ne alioqui lites propagent magis, quàm terminent. Quòd ſi Concilium pœnas ſolùm remitti intellexiſſet, poterat id clarè nomine proprio poenarum exprimere. Sed ſine dubio peccatum hîc ſumit eodem ſenſu, quo paulò ante, cùm loquens de Baptiſmo dixit, nullam in eo pro peccatis præteritis iniungendam eſſe ſatisfactionem, quia huius ſacramenti effectus eſt remiſſio omnis culpæ originalis, & actualis, & omnis quoque poenæ, quæ pro culpa ipſa debetur. In quibus verbis manifeſtum eſt, peccatum tum pro culpa.

19. Et ex Concilio Trid.

Trident. verò ſeſſ. 14. cap. 3. id clariùs exprimit dicens, *Rem, & effectum huius ſacramenti, quantum ad eius vim, & efficaciam pertinet, eſſe reconciliationem cum Deo.* Reconciliatio enim, vt paulò ante dixi, reſtitutionem in gratiam ſignificat. Quo etiam ſenſu manifeſtè ſumit reconciliationem cap. 5. cùm addit, Licet contritionem aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc ſacramentum actu ſuſcipiatur: ipſam nihilominus reconciliationem, ipſi contritioni, ſine ſacramenti voto quod in illa includitur, non eſſe aſcribendam. Et capite 6. dicit, abſolutionem ſacerdotis non eſſe nudum miniſterium declarandi remiſſa eſſe peccata, ſed velut actum iudicialem, quo ab ipſo, velut à iudice ſententia pronunciatur: ac proinde poenitens iuridicè abſoluitur à peccatis confeſſis: ſuper illis enim pronunciatur ſententia, quæ debet etiam claris, & propriis verbis concipi, adeóque de peccatis ipſis (vt ſonant eius verba) non de poenis ſolùm intelligi. Et denique in Bullis Pii V. Gregorii XIII. & Vrbani VIII. contra Michaelem Baium, & Ianſenium Iprenſem Epiſcopum, damnatur hæc propoſitio num. 43. *In peccato duo ſunt, actus, & reatus: tranſeunte autem actu, nihil remanet niſi reatus, ſiue obligatio ad pœnam: vnde in ſacramento Baptiſmi, aut ſacerdotis abſolutione, propriè reatus peccati dumtaxat tollitur, & miniſterium ſacerdotum ſolùm liberat à reatu.* Et iſta numero quadrageſima qurata, *Peccator pœniteus non vinificatur miniſterio Sacerdotis abſoluentis: ſed à ſolo*

Et 85. Pontificum declarationibus.

Digitized by Google

firmat Deum Episcopos sibi velut oculos elegisse, qui nimirum Ecclesiæ suæ saluti invigilarent, iuxta illud Act. 20. v. 28. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Tertium probatur, quia Episcopi merè titulares, nullam Ecclesiam commissam habentes, aut qui iam illi renunciarunt, sunt nihilominus veri Episcopi, & potestatem Ordinis Episcopalis habent, non tamen vllam iurisdictionem. Contra verò, Abbates quidam, & Archidiaconi, & Ecclesiæ Collegiatæ iurisdictionem Episcopalem habent sine Ordine Episcopali. Ex quo patet, iurisdictionem Episcopalem aliud esse ab ordine, & ab eo reciprocè separari posse, atq; ita præcisè ratione ordinis non haberi. Quartum denique probant testimonia Cypriani lib. 4. epist. 8. Iulii I. epist. 1. ad Orientales Episcopos, Innocentii I. apud D. August. tom. 2. epist. 91. & 93. D. Leonis serm. 3. de Assumpt. sua ad Pontific. & epist. 89. Quorum verba retulimus suprà num. 22. & Callisti epist. 2. cap. 3. vbi statuit: vt nullus Primas, aut Metropolitanus Episcopus aliter iudicet, aut regat, quàm iuxta statuta suorum prædecessorum Ecclesiæ Romanæ Pontificum. Efficaciter quoque id confirmat vsus Ecclesiæ. Nam summus Pontifex, quando creat Episcopos, (qui etiam sedis Apostolicæ gratiâ Episcopos se esse fatentur) dicit se illis conferre ministerium talis, vel talis ecclesiæ in temporalibus, & spiritualibus. Ab eodemque diuisio, & determinatio Diœcesium fit: idem extendit, vel limitat, vel planè adimit iurisdictionem Episcoporum, quando id expedit: Episcopatus nouos instituit: subditos illis subtrahit per exemptionem, & alia præstat, quæ ostendunt, Episcoporum iurisdictionem non à Christo immediatè, sed à Papa deriuari. Nã potestates à Christo ipso concessæ non possunt per Ecclesiam auferri, vel restringi, & extendi, aut contrahi, vt patet inductione per omnes alias. De ista verò, vt de aliis, cohærenter philosophandum est. Qua de re plura diximus tom. 2. in tractatu de Legibus.

44. Quomodo Episcopi successerũt Apostolis?

Ad fundamentum autem contrariæ sententiæ Respondeo Episcopos successisse Apostolis non in Apostolatu, neque in regimine, aut potestate generali in totum orbem, quæ potestas in priuilegium Apostolatus, & ob necessitatem illius temporis fuit illis concessa extraordinariè: sed in ordine Episcopali, atque etiam in regimine particulari huius, aut illius Ecclesiæ, puta Ephesinæ, aut Hierosolimitanæ: cuius regimen particulare sicut ne ipsi quidem Apostoli acceperunt immediatè à Christo, sed à Petro, & cæteris Apostolis post Christi ascensionem; ita neque Episcopi Pastorale regimen suæ Ecclesiæ habent immediatè à Christo. Illa verò potestas generalis per mundum vniuersum in priuilegium dignitatis Apostolicæ, & propter necessitatem illius temporis peculiarem concessa omnibus Apostolis, non debuit communicari Episcopis: secus autem est de potestate summi Pastoris: cùm ad vnitatem retinendam non minùs Ecclesia opus nunc habeat Pastore vniuersali, & supremo iudice controuersiarum, quàm temporibus Apostolorum, & initio nascentis Ecclesiæ.

45. Clauis iurisdictionis quibusnam possit cõmitti?

Dico tertiò, clauem iurisdictionis etiam non-episcopis, & non-sacerdotibus committi posse: non tamen fœminis, iure saltem ordinario: licet Prælatæ Religiosarum habeant commissionem quorundam actuum clauium, quoad correctionem domesticam subditarum, eò quòd viri sine incommodo nequeãt illud præstare. Prima pars est communis Theologorum cum D. Thoma quæst. 19. Supplem. art. 3. & satis patet ex vsu cõmuni Ecclesiæ. Secunda probatur, quia claues iure diuino commissæ sunt Apostolis tantùm, & eorum aliqua ratione successoribus. Fœminæ autem nullo modo possunt Apostolis succedere, neque in Ecclesia auctoritatem habere, sed in statu subiectionis esse debent, iuxta Apost. Ephes. 3. vers. 22. Colos. 3. v. 18. & 1. Pet. 3. v. 1. Atque ita docent S. Thom. artic. cit. ad 4. & alii communiter. Addunt que Dom. Sotus in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 4. & Valent. disp. 7. quæst. 16. punct. 3. non posse Prælatas præcipere quicquam sub peccato mortali, quod ex se mortale non sit: ideoque de illarum præceptis iudicandum esse iuxta conditionẽ materiæ, quidquid ipsæ intendant. Confirmatur ex can. 9. de Pœnit. & remiss. vbi sic dicitur: *Licet Beatissima Virgo Maria dignior, & excellentior fuerit Apostolis vniuersis, non tamen illi, sed ipsis Dominus Claues regni cælorum commisit.*

46. Etiamne fœminis iure extraordinario?

Addidi autem, *iure saltem ordinario*: quia non desunt, qui affirmant summum Pontificem de potestate absoluta posse fœminis iurisdictionem aliquam externam spiritualem, & potestatem etiam ferendi censuras committere, de iure speciali, & extraordinario, siue ex priuilegio. Ita Siluest. v. *Suspensio* quæst. 2. Sotus in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 4. Nauar. consil. 73. de sententia excommunicationis, Suar. sub dubio, disp. 2. de censuris sect 3. n. 7 Reginald. lib. 9. n. 117. Bonac. de censuris quæst. 1. puncto 2. n. 4. Laymã lib. 1. tract. 5. cap. 3. n. 41. Probant, quia licet Christus tantum dixerit Apostolis, & successoribus, *Quæcunque alligaueri is* &c. ideoque iure communi, & ordinario id non conueniat fœminis; non tamen inde apparet quòd illis iure peculiari, & extraordinario committi non possit. Sicut licet Christus dixerit tantùm Apostolis, & Discipulis vt baptizarent Matth. 28. & non fœminis: hinc tamen non sequitur fœminas iure quodam extraordinario baptizare non posse in casu necessitatis. Secundò probant, quia de facto quædam Abbatissæ habent ex priuilegio Summi Pontificis aliquos vsus Clauium, vt testatur Henriq. lib. 13. cap. 24. §. 1. etiam qui se extendant ad censuras

Digitized by Google

ferendas, vt ibid. innuit. Habent etiam aliquæ Abbatissæ ex Sedis Apostolicæ priuilegio, ius conferendi aliqua beneficia, cum Capituli sui consensu, & instituendi Clericos in Ecclesiis ad Monasterium suum pertinentibus, dando illis titulum & possessionem, vt testatur Layman supra cit. post plures alios ab ipso relatos: estque id notum ipsâ experientiâ, à nullo reprehensâ. Et Abbatissa monasterii, ac Generalis totius Ordinis Fontis Ebraldi, summum ius obtinet in omnes tum viros, tum fœminas eiusdem Ordinis, vt constat ex Bulla institutionis, & testatur Spondanus in Epitome Baronii ad annum Christi 1117. Neque dici potest, huiusmodi iurisdictionem esse dumtaxat temporalem, paternæ, aut domesticæ matrisfamilias similem. Tum quia iurisdictio in subditos, vt sunt membra reipubl. Ecclesiasticæ exempta ab ordinaria, & à ciuili iurisdictione, non est omnino temporalis. Tum etiam quia vi Bullarum eiusdem Ordinis, iurisdictio Abbatissæ extenditur nominatim ad aliquos actus spirituales, etiam circa forum internum Pœnitentiæ, instituendo confessarios. Atque ita nuper orta ea de re controuersia iudicatum fuit à grauibus Theologis, consultis Bullis, & constitutionibus. Addi potest canon *Dilecta*, *Extra*, *de Maioritate, & obedientia*: sed id clarè ibi non exprimitur. Glossa tamen ibidem affirmat, Abbatissam habere iurisdictionem spiritualem, licet imperfectam.

47. Propter hæc, & alia multa quæ collegit Stephanus Aluin. lib. 1. de Potestate Episcoporum &c. cap. 1. & pluribus seqq. existimo summum Pontificem, cuius vsus non est damnandus hac in parte, posse extraordinariè, pro sua suprema auctoritate, concedere etiam fœminis aliquem vsum Clauium, vt reipsa concessit: non tamen omnem, vt eum qui pendet ab Ordine essentialiter, cuiusmodi est potestas remittendi peccata. Fœminas enim iure diuino esse incapaces sacerdotii ostendemus in seq. tract. disputando de sacramento Ordinis. Sic etiam non potest illis committere vsum Clauium alligatũ statui fœminis incommunicabili, cuiusmodi est potestas ferendi suffragium, & decidendi controuersias fidei, in Conciliis generalibus.

Habuerint-ne Claues sacerdotes Antonici?

Plura de Clauium ministris videri possunt apud D. Thomam tota quæst. 19. vbi art. 1. negat sacerdotes legis Mosaicæ habuisse claues regni cœlorum; quia potestas illius sacerdotii, & ministerii legalis non se extendebat ad cœlestia, sed ad figuras cœlestium: ideóque non claues, sed clauium figuram habebant, iuxta illud Hebr. 9. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum*, &c. Attamen, vt Valentia rectè aduertit quæst. 16. de Pœnit. puncto 3. assert. 4. Sicut aliquo modo ministerium illud & Sacerdotium adducebat homines, vt per fidem in Christum venturũ salutem consequerentur, & suo tempore in cœlum ingrederentur. Ita quoque potuit auctoritas illius ministerii significari nomine clauium regni cœlorum. Quod confirmari potest testimonio Isaiæ 22. v. 22. vbi de Eliacim sacerdote, Christi figuram gerente dicitur *Dabo Clauem domus Dauid super humerum eius.* Et Luc. 11. v. 52. *Væ vobis Legisperitis, quia tulistis clauem scientiæ*, &c. Vnde claues illis, sed minùs perfectè, quàm in lege Euangelica, concedunt Suar. disp. 16. sect. 4. num. 5. Valent. supra, & alii post antiquos illos, quorum confusè meminit D. Thom. art. cit.

Cætera, quæ S. Doctor eadem quæst. prosequitur art. 2. & seqq. facilia sunt, vel iam à nobis sufficienter exposita. Tantùm aduerte circa id quod art. 6. affirmat, malos Ecclesiæ ministros, etiam si fiant hæretici, schismatici, excommunicati, suspensi, degradati, retinere quidem potestatem clauiũ quantum ad essentiam, sed vsum eius impediri ex defectu materiæ, quia eos Ecclesia tali vsu priuat, subtrahendo illis subditos, vel simpliciter, vel quantum ad aliquid: & quantum ad hoc quòd priuati sunt, non possunt vsum clauium habere: Aduerte, inquam, potestatem Ordinis neque amitti posse, vel auferri per Ecclesiam, neque impediri, quò minùs validè operetur effectus independentes à iurisdictione; cuiusmodi non est remissio peccatorum. Potestatem verò iurisdictionis non modò posse impediri quoad vsum, verùm etiam pœnitùs tolli, iuxta sententiam probabiliorem, quam secuti sumus in tract. de Legib. quòd videlicet iurisdictio non sit tantùm applicatio materiæ, sed potestas quædam spiritalis summo Pontifici concessa à Christo immediatè, & à summo Pontifice, omnibus aliis ipso inferioribus, à quo proinde potest limitari, & tolli. Notandum etiam vsum potestatis clauium non impediri per excommunicationem, à tempore concilii Constantiensis, nisi in duobus casibus: quandò nimirum aliquis est nominatim denunciatus, vel quando est manifestus percussor Clerici, cuius crimen nulla potest tergiuersatione celari, aut excusatione iuris defendi. Idemque de aliis censuris sentiendum esse affirmat Valent. puncto supra cit. in fine. Qua de re plura dicemus inferiùs disput. 59. sect. 9.

48. Retineantne claium potestatem mali Ecclesiæ ministri aut vsum?

SECTIO V.

Circa quos possunt Ecclesiæ Claues exerceri, & quos effectus habent?

42. Doctrina D. Thom.

CIrca primum, doctrina D. Thomæ qu. 20. Supplem. articulo 1. est, non posse quemlibet exercere Clauium potestatem, in quoscunque, sed in eos duntaxat, qui ipsius curæ, & regimini commissi sunt, hoc est, in subditos tantùm, vt clariùs exprimit art. 3. in fine corp. Non habet autem quilibet omnium regimen: sed in quolibet principatu

Digitized by Google

præter illum, qui vniuersalia præcepta legis tradit, id est, vltra Principem supremum, oportet esse aliquos, qui ea singulis, secundum quod debent, accommodent. Et propter hoc etiam in coelesti hierarchia, sub potestatibus, quæ indistinctè præsunt, ponuntur Principatus, qui singulis prouincijs distribuuntur; & sub his Angeli, qui singulis hominibus in custodiam deputantur. Vnde similiter in prælatione Ecclesiæ militantis, debet apud aliquem, id est, apud Summum Pontificem, esse prælatio indistincta, & vniuersalis in omnes: & sub hoc debent esse alij, qui super diuersos diuersam potestatem, & distinctam accipiant. Et quia vtus Clauium requirit aliquam prælationis potestatem, per quam ille, in quem vsus Clauium communicatur, efficitur materia propria illius actus: ideò ille, qui habet indistinctam potestatem super omnes, potest vti Clauibus in omnes. Illi autem, qui sub eo distinctas potestates acceperunt, non in quoslibet vti possunt Clauibus, sed in eos tantùm, qui eis in sortem venerunt, nisi in necessitatis articulo, vbi non ini sacramenta sunt denegan da. Hæc D. Thom. cui reliqui Theologi communiter assentiuntur, affirmantes potestatem Clauium non posse à quoquam nisi circa sibi subditos exerceri.

5 9. Possintne solũ exerceri in subditos?

Notandum tamen id intelligendum esse quoad actus iuridicos: vltra quos alii sunt qui possunt erga non subditos locum habere. Cuiusmodi est concessio Indulgentiarum circa defunctos, qui non ampliùs sunt Ecclesiæ subiecti, vt expressè dicitur Can. *Legatur*, & Can. *Nec quisquam*, 24. q. 2. Cuiusmodi etiam est admissio Catechumenorum ad Baptismum, siue ingressus illis datus in Ecclesiam per ianuam Baptismi, & auctoritas annunciandi verbum Dei Gentilibus, & infidelibus. Nam potestas admittendi Catechumenos ad Baptismum ex propria auctoritate, vel commissione speciali, pertinet ad Claues, quibus illis aperitur Ecclesia, nomine regni cœlorum sæpius in Scripturis appellata. Et tamen illi nondum sunt Ecclesiæ subditi. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, iudicare*, inquit Apost. 1. Corinth. 5. v. 12. Et Ecclesia in nen in eni iudicium exercet, qui non prius in ipsam per Baptismi ianuam fuerit ingressus, vt ait Trident. sess. 14. cap. 2. Auctoritas quoque concionandi, & illuminandi Gentiles, & Infideles non-baptizatos, pertinet ad eandem potestatem: ac circa illam, eiusq; vsum poni potest moderatio à Summo Pontifice, aliisque Prælatis Ecclesiæ, vt non quilibet in quoslibet hoc munere fungi possit, aut etiam quouis modo, sed hos istis, illos aliis committere. Quod cùm faciunt, exercent aliquã potestatem non modò circa concionatores, sed & circa infideles ipsos, quos per eos velut à se delegatos instruunt, atque ad Christi gregem aggregare conantur. At verò quoad actus iuridicos certum est non posse illos validè exerceri, nisi erga subditos. Quod verum etiam est de illo, qui suum superiorem, ipsum que Papam absoluit à peccatis. Nam qui eum absoluit, exercet Claues in subditum quoad illum actum: & Summus Pontifex seipsum subiicit ei, à quo absoluitur; siue vt ait D. Thom. q. 20. art. 3. extendit eius potestatem in seipsum.

Quamuis autem potestas Clauium sit magna ex parte iuridica, & iudiciaria, vt quoad actus remittendi peccata sacramentaliter, & iniungendi satisfactiones, & ligandi, aut soluendi per censuras ecclesiasticas, & regendi Ecclesiam præcipiendo, prohibendo, puniendo, dispentando, ferendo leges, interpretando authenticè, & iuridicè Scripturam, & decidendo controuersias fidei: aliquos tamen alios habet actus non iuridicos, vt patet exemplis allatis. Vnde colligere vulgatam illam definitionem potestatis Clauium, *Est potestas, quâ iudex ecclesiasticus cæteros admittere valet ad regnum cælorum, & indignos repellere*, non esse omnino adæquatam, sed à maiori, & potiori parte sumptam. Generaliter autem definiri sic posset: Est potestas, quâ minister Ecclesiasticus, (siue sit iudex, siue non, respectu eorum, in quos Claues exercet) valet pro auctoritate dignos admittere, & indignos excludere regno cœlorum. In quam particulam extremam vtriusque definitionis notandum est ex D. Thom. q. 17. Supplem. art 2. hanc potestatem non esse datam ad aperiendum, vel claudendum absolutè pro libito, aut quomodocunque: sed pensata ratione dignitatis, vel indignitatis eorum, circa quos exercetur. Quò spectat id quod ait Apostolus generatim de potestate sibi, & cæteris Apostolis à Christo concessa, datam nempe fuisse in ædificationem, & non in destructionem, 2. Corinth. 12. v. 8. & cap. 13. v. 10. Et quod dicit S. Thom. q. 18. art. 4. in Corp. sacerdotem, cùm non operetur in vi Clauium, nisi sicut minister, & instrumentum Dei tanquam principalis agentis, non posse soluere, aut ligare ad arbitrium, sed in quantum à Deo sibi præscriptum est. Nullum enim instrumentum habet efficacem actum, nisi secundum quod mouetur à principali agente. Eaque de causa Christum Ioan. 20. v. 22. potestati remittendi peccata, Apostolis ibi concessæ, præmisisse donum Spiritus sancti, quo aguntur qui sunt filii Dei.

5 1. Potestas Clauiũ est iuridica ex parte tantùm.

Circa secundum in titulo sectionis propositum, patet ex dictis, actus, & effectus Clauium esse multiplices, inter quos sunt quinque præcipui, & illustres. Vnus est, docendi authenticè ea quæ pertinent ad fidem, vel ad mores. Alter, regendi per leges, & ordinationes ecclesiasticas. Tertius, remittendi, aut retinendi peccata in sacramento Pœnitentiæ, seu foro interno. Quartus, ligandi, & soluendi per censuras ecclesiasticas in foro externo, & contentioso. Quintus, relaxandi poenas ex peccatis dimissis residuas, per concessionem Indulgentiarum,

5 2. Actus Clauiũ est multiplex.

Digitized by Google

De primo diximus in tract. de Fide, De secũdo, in tract. de Legibus. De aliis, qui sunt proprii huius loci, dicemus sequẽtibus dispp.

Latiùs patet, quàm ligare, & soluere.

Liquet etiam ex supradictis verum esse id, quod affirmat Caietan. tom. 1. Opusc. tract. 3. de Rom. Pontif. cap. 5. ligare, & soluere non esse actus, siue effectus adæquatos Clauium, sed aperire, & claudere, qui metaphoricè plura significant, & cõprehendunt. Nam ligare, & soluere significant propriè actus iurisdicos, qui solùm in subditos exerceri possunt: cùm tamen Claues erga alios vsum aliquem habeant, vt exemplo Catechumenorum, & defunctorum supra ostendimus. Nec obest, quòd Christus Matth. 16. verbis illis, *Tibi dabo Claues regni coelorum*, subiunxit immediatè, *Et quaecunque solueris* &c. Nam ex eo non bene colligitur hos duos actus (illustres licet, & præcipuos) adæquatos esse. Sane Christus promissionem ibi factam implens Ioan. 21. non meminit actus soluendi, aut ligandi, sed pascendi, seu regendi agnos, & oues suas: Qui etiam actus Clauium præcipuus, & illustrior est, ac generalior, totumque regimen Ecclesiæ comprehendit: ad illumque omnes alii reduci possunt. Sicut etiam Ioan 20. v. 22. implẽs promissionem factam Apostolis Matthæi 18. v. 18. nullam fecit mentionem ligandi, & soluendi, sed generaliùs dixit, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, id est, legatos meos vos constituo cum potestate legationi vestræ conueniente. Et v. 23. mentionem solùm fecit potestatis remittendi, retinendique peccata: cuius actum non esse effectum adæquatum clauium, manifestum est, & ab omnibus concessum.

53. Obiicies cum Bellarm. lib. 1. de Roman. Pontif. cap. 12. inauditum esse in Ecclesia alias esse claues, quàm Ordinis, & iurisdictionis: & planum sensum illorum Christi verborum, *Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque solueris* &c. hunc esse, vt primò promittatur auctoritas, seu potestas designata per claues: deinde eius actiones, siue officium explicetur per illa vocabula, *Soluere*, & *Ligare*: ita vt omnino sit idem soluere, & aperire: claudere, & ligare. Christum autem soluendi, & ligandi verbo vsum esse potiùs, quàm aperiendi, & claudendi, vt intelligeremus has omnes locutiones metaphoricas esse, tuncque cœlum hominibus aperiri, quando soluuntur à peccatis, quæ in cœlum ingressum prohibebant.

Satisfit obiectioni.

Respondeo, esse in Ecclesia vsitatum intelligere per clauium potestatem, quamcunque auctoritatem ecclesiasticam perducendi homines ad regnum cœlorum: siue eos vocando, & admittendo ad Ecclesiam: siue in eam iam admissos regendo, & perficiendo: siue etiam defunctos iuuando per thesaurum Ecclesiæ illis applicatum, vt liberentur à pœnis Deo debitis. Quæ potestas partim est Ordinis, illa scilicet quæ confertur per sacrã ordinationem, vt ad absoluendum à peccatis: partim est iurisdictionis, vt ad præcipiendum, aut puniendum: partim neutra propriè, quia neque per sacramentum Ordinis datur, neque est propriè iuridica, cùm non exerceatur erga subditos: vt auctoritas instruendi, & admittendi Catechumenos, aut potestas iuuandi defunctos per Indulgẽtias. Reuocatur tamen ad potestatem iurisdictionis, & sub illa comprehenditur in prædicta diuisione, moraliter potiùs, quàm in rigore metaphysico intelligenda: quatenus præsupponit eum in quo residet, vel à quo manat, habere potestatem iurisdictionis in Ecclesia, ad dandam missionem prædicandi Euangelium Infidelibus, & auctoritatem aperiendi ianuam Ecclesiæ ingredi volẽtibus, per Baptismum solennem: vel ad dispensandum illius thesaurum viuis, & defunctis. Quamuis autem propinquiùs, & magis propriè aperiatur hominibus regnum cœlorum, quando soluuntur à peccatis, vel ab eorum pœnis: remotiùs tamen, & dispositiuè illis aperitur per alios actus, quibus docentur viam regni cœlorum, & in illam inducuntur, ac sensim promouentur: ad quem finem tendit totum Ecclesiæ regimen.

54. Obiicies secundò, Si potestas clauium valet ad claudendum regnum cœlorum, sicut & ad aperiendum: ergo possunt vocari claues Inferni, æquè ac claues regni cœlorum. Respondeo cum Suare disp. 16. de Pœnit. sect. 4. num. 3. magnam esse rationem, cur potiùs claues regni cœlorum nominentur: quia quod per se primò intenditur per hanc potestatem, est aperire regnum cœlorum; claudere verò non nisi secundariò, & quodammodo per accidens, ad hoc cogente malitia peccatoris: Deinde regnum cœlorum est tanquam terminus, ad quem tenditur ex vi huius potestatis: Infernus autem est terminus, à quo recedit. Et ideo magis ab illo, quàm ab hoc denominatur. Addo tertiò, per hanc potestatem non aperiri propriè infernum peccatoribus, sed potiùs iuuari ipsis etiam pœnis, & censuris ecclesiasticis, vt resipiscant, & viam regni cœlorum capessant: iuxta illud Pauli excommunicantis Corinthium fornicarium 1. Corinth. 5. *Iudicaui tradere eum Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini.*

Cur vocentur claues regni cœlorum?

55. Obiicies tertiò ex D. Thoma quæst. 19. Supplem. art. 3. Claues regni cœlorum non esse propriè nisi potestatem Ordinis, quippe quæ se extendit ad ipsum cœlum immediatè, remouendo impedimenta introitus in cœlum per remissionem peccati. Aliam verò potestatem, quæ dicitur iurisdictionis, quæque non directè se extendit ad ipsum cœlum, sed mediante Ecclesia militante, cuius consortium admittimur, aut excludimur per sententiam Excommunicationis, aut absolutionis, non propriè dici clauem cœli, sed quandam dispositionem ad ipsam. Ergo falsum est tot esse actus clauium, quot sup à assignauimus. Respondeo primò, Clauem iurisdictionis necessariam esse ad ipsammet peccati remissionem, vt ostendemus disput.

Altera obiectio ex D. Thom.

Digitized by Google

sequenti, sectione 3. & affirmat D. Thom. quæst. 20. art. 2. multóque latiùs patere, quàm ad excommunicandum, vel absoluendum ab excommunicatione. Secundò, rationem D. Thomæ non aliud probare, quàm potestatem remittendi peccata, propiùs cœlum aperire: quod tamen non est necessarium, vt aliquid propriè dicatur clauis regni cœlorum: Sufficit enim quòd remotè, vel proximè aperiat. Ideóque Doctores communiter non dubitant nomine clauis simpliciter, & absolutè appellare potestatem iurisdictionis. Omitto quod respondent aliqui, nomine regni cœlorum, Scripturam sæpe intelligere Ecclesiam. Quia non puto eo sensu intellexisse Christum, quando dixit Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum*: ne alioqui magna sit æquiuocatio in eius verbis, quando addit, *Et quodcunque solueris super terram, erit solutum, & in cœlis*: Vbi sine dubio cœlos propriè dictos intelligit.

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA SEPTIMA.

De potestate Clauium circa remissionem peccatorum.

Sectio I. *Dederitne Christus ministris Ecclesiæ potestatem remittendi peccata post Baptismum commissa?*

Sectio II. *Soluuntur obiectiones contra doctrinam propositam,*

Sectio III. *Vtrum hæc potestas valeat ad culpam ipsam remittendam, & non tantùm ad pœnas?*

Sectio IV. *Sitne hæc potestas Ordinis tantùm, an etiam iurisdictionis, & scientiæ, ac potestatis?*

DE argumento proposito disputat S. Thomas totâ qu. 18. & art. 1. docet potestatem Clauium ordinari aliquo modo ad remissionem culpæ, ad eam disponendo. Vnde si ante absolutionem aliquis non fuisset perfectè dispositus ad gratiam suscipiendã; in ipsa confessione, & absolutione sacramentali gratiam consequeretur, si obicem non poneret: si enim Clauis nullo modo ad culpæ remissionem ordinaretur, sed ad remissionem pœnæ tantùm, vt quidam dicunt, non exigeretur votum suscipiendi effectum Clauium ad culpæ remissionem: sicut non exigitur votum suscipiendi alia sacramenta, quæ non ordinantur ad culpæ dimissionem. Art. 2. affirmat eandem potestatem ordinari etiam ad pœnam: non tamen ita vt omnem tollat, sicut in Baptismo, sed aliquid pœnæ temporalis relinquat: quia Pœnitentia non est regeneratio, sed sanatio quædam; neque totaliter applicat efficaciam passionis Christi, quæ sufficit ad omnem pœnam delendam, : sicut Baptismus, per quem homo regeneratus configuratur passioni Christi, & nouus homo efficitur. 3. Cùm sacerdos in vsu Clauium sit conformis operationi Dei, cuius minister est: operatur ipse simili modo, quo Deus, circa culpam, & pœnam. Deus autem circa culpam operatur ad soluendum

quidem

quidem, directè: ad ligandum autem, indirectè: inquantum obdurare dicitur, dum gratiam non largitur. Sed in pœnam habet operationem directè quantum ad vtrumque: quia & pœnæ parcit, & pœnam infligit. Similiter ergo Sacerdos, etsi in absoluendo ex vi Clauium habet aliquam operationem ad culpæ dimissionem, modo supra dicto: non tamen ligando aliquam operationem habet in culpam, nisi ligare dicatur inquantum non absoluit, sed ligatos ostendit. At verò in pœnam habet potestatem & ligandi, & soluendi. Soluit enim à pœna quã dimittit: & ligat quantum ad pœnam, quæ remanet: sed ad hanc ligare dupliciter dicitur. Vno modo considerando ipsam quantitatem pœnæ in communi: & sic non ligat, nisi inquantum non soluit, sed ligatum ostendit. Alio modo considerãdo pœnam hanc vel illam determinatè: & sic ligat ad pœnam, imponendo eam. Quartò denique asserit sacerdotem, cùm operetur in vsu Clauium, sicut minister & instrumentum Dei, tanquam principalis agentis, non posse soluere, & ligare ad arbitrium suum, sed prout instinctu diuino mouetur. Vnde si quis præter illum motum diuinum vti sua potestate præsumpserit, non consequetur effectum: quia nullum instrumentum operatur efficaciter, nisi prout mouetur ab agente principali. Hæc D. Thomas.

SECTIO I.

Dederitne Christus ministris Ecclesiæ potestatem remittendi peccata post Baptismum commissa?

1. Error Dogmatist.

SVfficere poterãt quæ diximus hac de re tractatu præcedẽti disp. 41. de Institutione Sacramẽti Pœnitentiæ; & disp. 52. sect. 2. de vero sensu verborum formæ eiusdem sacramenti: nisi cogeret importunitas nouorum Dogmatistarum hæreticis hac in parte fauentium, fusiùs, & accuratiùs hanc veritatem confirmare, quæ non modò ab illis in dubium vocatur: verùm etiam non obscurè negatur: tãetsi post definitiones Florẽtini, & Tridentini inferiùs referendas, non possit absque errore manifesto, & Ecclesiæ contemptu negari. Affirmant enim per sacerdotem non remitti peccata in sacramento Pœnitentiæ (si tamen illud Sacramentum esse agnoscunt) sed fieri tantùm canonicam reconciliationem peccatoris, & declarationem authenticam, quòd eius peccata quoad culpam & pœnã fuerint expiata per Pœnitentiam publicam, & solennem, priùs necessariò peragendam: & confessionem sacramentalem eò solum ordinari, vt sacerdos proportionem in poenis iniungẽdis seruare possit. Ac denique potestatem ligandi in hoc sacramẽto, non esse aliud, quàm potestatem imponendi poenitentiam publicam, maiorem, aut minorem, pro grauitate, & multitudine peccatorum. Soluere autem non esse aliud, quàm poenitentes, post illam exactam, reconciliare canonicè, & ad communionem Eucharistiæ admittere.

Hunc errorem hauserunt à VVicleffo, qui vt refert VValdensis tom. 2. Doctrinalis fidei cap. 144. & 145. negabat Christum dedisse Apostolis, & eorum successoribus facultatẽ remittendi peccata, fictitiamque potestatem Clauium appellabat: quia *Nemo quantumcunque fuerit magnus Episcopus, potest quemquam absoluere, nisi de quanto contritus prius, & absolutus fuerit apud Deum.* Eidemque adhæserunt Luther. & Caluin. aliique recentes hæretici, affirmantes peccatorem non aliter iustificari, quàm per actum fidei, quo credit peccata sibi non imputari, propter iustitiam Christi: & Ministros Euangelicos non aliud posse circa remissionem peccatorum, quàm proponendo Euangelium, & promissiones diuinas in eo contentas, excitare peccatorem ad concipiendum huiusmodi actum fidei iustificantis: aut de eo ritè concepto, deque iustificatione per eum obtenta certum illum facere, absolutumque declarare: iuxta illud Christi Luc. 7. v. vlt. *Fides tua te saluam fecit, vade in pace.* *VVicleffus lib. de papa cap. 2. & in 4. Trialogo cap 32.*

2. Probatur ex Script. per Claues Ecclesiæ remitti peccata.

Doctrina Catholica est, Christum Ioan. 20. vers. 23. dedisse Apostolis, & eorum successoribus potestatem remittendi peccata post Baptismum commissa, verbis istis, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Probatur primò, quia noua illa cerimonia insufflandi in Apostolos, & simul illis conferendi Spiritum sanctum, sine dubio denotat Christum nouam aliquam potestatem eis dedisse, illamque valde mirabilem, & excellentem, ad cuius exercitium speciali ope, & directione Spiritus S. opus sit. Ergo non potestatem baptizandi, & remittẽ-

per Baptismum peccata ante illum commissa, quam potestatem iam acceperant, & exercuerãt Apostoli Ioan. 4. v. 2. neq; etiam potestatem prædicãdi Euangelium, quã Discipulis, & Apostolis iam dederat Matth. 10. v. 7. & Luc. 9. &. 10. Deinde verba illa in sensu proprio, & literali accepta, clarè significant, Christum dedisse Apostolis potestatem remittendi, retinendiq; peccata, adeo efficaciter, vt quę ipsi remiserint, aut retinuerint, remissa quoq; aut retenta habeantur in cœlis. Ita vt Christus, cui Pater omne iudiciũ dedit Ioan. 5. v. 22. munus suum iudicãdi illis cõmiserit, eosque iudices, & arbitros cõstituerit ad remittendũ, aut retinendũ, prout ius & æquum postulabit. Neque enim aliter loqueretur Princeps ius suum alteri cõmittens, & causarum suarum arbitrum illum cõstituens, nisi affirmãdo velle se, vt remittat, aut retineat: séque iam nũc habere ratum, ac remittere, quidquid ipse remiserit; aut retinere, quidquid ipse retinuerit. Verba autem Scripturæ, præsertim in iis quæ pertinent ad fundamenta Ecclesiæ, & ad diuinas promissiones, aut ordinationes, debent in sensu maximè proprio, & literali intelligi, quantum fieri potest: posse autem hæc in sensu proprio intelligi absque vllo incommodo, patebit ex solutione argumentorum, quæ in contrarium proferuntur ab aduersariis.

3. Idem probatur ex Patribus.

Probatur secundò ex traditione Ecclesiæ, sanctorumque Patrum doctrina, qui affirmãt communi consensu hanc potestatem à Christo datam fuisse Apostolis, & sacerdotibus eorum successoribus: Christique verba eodẽ planè modo, quo nos, interpretantur. Vt Cyprian. epist. 73. ad Iubaianũ, vbi ex illis probat potestatẽ remittendi peccata esse in sola Ecclesia, in qua sola est Spiritus sanctus. Et Chrysost. lib. 3. de sacerdotio, cap. 5. vbi sic habet: *Cuicumque, ait, peccata retinueritis, retenta sunt. Quanam, quaso, potestas hac vrã maior esse queat? Pater omne iudicium dedit filio. Cæterum videlicet ipsum omne iudicium à Deo Filio illis traditum.* Et paulò post. *Quid multa? Rex alicuius, sicui ex subditis suis honorem hunc detulerit, vt potestatem habeat quoscunque velit in carcerem coniiciendi, eosdemque rursus laxandi, beatus ille, & admirandus iudicio omnium fuerit. At verò qui à Deo tanto maiorem accepit potestatem, quanto cælum terra pretiosius est, quanto etiam anima corporibus præstant* &c. Et inferiùs dicit licuisse tãtùm Sacerdotibus Aaronicis corporis leprã purgatã probare: nostris autẽ nõ purgatas probare, sed purgare prorsus concessum esse. Et Ambros. lib. 1. de Pœnit. c. 2. Nouatianos ex citatis Christi verbis in hunc modum redarguit: *Sed aiunt se Domino deferre reuerentiam, cui soli remittendorũ criminum potestatem reseruent. Imò nulli maiorem iniuriam faciunt, quàm qui eius volunt mandata rescindere, cõmissum munus refundere. Nam cùm ipse in Euangelio suo dixerit Dominus Iesus, Accipite Spiritum S. Quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis retẽta erunt: quis ist, qui magis honorat, vtrum qui mandatis obedit, an qui resistit? Ecclesia in vtroque seruat obedientiã, vt peccatũ & alligет, & relaxet. Hæresis in altero immunis, in altero inobediẽs, vult ligare quod non resoluat non vult soluere quod ligauit.* Et Hieron. epist. 1. ad Heliodorum ad eadem verba Christi alludens: *Absit*, inquit, *vt de his quicquam sinistrum loquar, qui Claues regni cælorum habentes, quodam modo ante diem iudicii iudicant de peccatis scilicet in Deũ admissis, de quibus in die extremi iudicii reddenda erit ratio.* Et Gregor. hom. il. 26. in Euangelia, exponens eadẽ Christi verba, *Quorum remiseritis peccata* &c. Sic ait: *Principatum superni iudicis sortiuntur, vt vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent.*

Ioan. 5. v. 22.

4. Probatur ex Concilijs.

Probatur tertiò ex definitione Conciliorum œcumenicorũ, quę rem fide diuinâ certam facit. Nam Florent. in literis Vnionis, hoc est in fidei definitionibus, affirmat Claues Ecclesiæ datas ad hunc effectum valere: & in decreto Eugenii loquẽs de Sacramento Pœnitentiæ, dicit eius ministrum esse sacerdotem habentem auctoritatem absoluendi, illiusque effectum esse absolutionem à peccatis: id est, veram illorum remissionẽ, fundatam in illis Christi verbis, *Quorum remiseritis* &c. Et clariùs Trident. sess. 14. cap. 1. post mediũ, vbi affirmat Christum instituisse Sacramẽtum Pœnitentiæ, quando à mortuis suscitatus insufflauit in Apostolos dicens, *Accipite Spiritum S. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retẽta sunt.* Quo tam insigni facto, inquit, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, vniuersorum Patrum consensus semper intellexit. Ibidemque damnat commentitias eorum interpretationes, qui verba illa ad potestatẽ prædicandi verbũ Dei, & Christi Euangelium annunciandi, contra huiusmodi sacramenti institutionem falsò detorquent. Et cap. 5. eiusdem sess. affirmat Christum verbis illis sacerdotes sui ipsius vicarios constituisse, tanquam præsides, & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint: quò pro potestate clauium, remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient. Et capite 6. addit, Quamuis absolutio sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio: tamen non esse solum nudum ministerium, vel annunciandi Euangelium, vel declarandi remissa esse peccata: sed ad instar actus iudicialis, quo ab ipso, velut à iudice, sententia pronunciatur. Quod idem definit sub anathemate Canone nono, eiusdem sessionis. Et denique Canon. 3. anathematizat eum qui dixerit verba illa Domini, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata* &c. nõ esse intelligenda de potestate remittendi, & retinendi peccata in sacramento Pœnitentiæ, sicut Eccle. Catho. ab initio sẽper intellexit.

Accedit quartò ratio congrua: quia cùm 5.

Cõfirmatur ratione. Christus dederit Ecclesiæ potestatem remittendi peccata Infidelium, & quorumcunq; hominum nondum sibi aggregatorum per sacramentum Baptismi: conueniens fuit, vt eidem daret potestatem remittendi peccata fidelium, qui post Baptismum sæpe labuntur in peccatum mortale, neq; minùs indigent medio reconciliationis. Cúmq; non possint reconciliari per Baptismum, quippe quinõ potest iterari, neq; valet ad remittenda peccata post ipsum commissa: debuit vltra potestatem baptizandi, dari specialis potestas, per quam Ecclesiæ ministri possent lapsos post Baptismum reparare faciliori medio, quàm possint ipsi per actus heroicos, & difficiles contritionis perfectæ, vel purissimi amoris Dei super õnia propter se dilecti. Id enim legi gratiæ valdè conueniebat, habita ratione fragilitatis hominũ, & excellentiæ Christi meritorum. Eadem verò auctoritate, & facilitate, quâ potuit Christus dare Ecclesiæ potestatem remittendi peccata infidelium per Baptismum: potuit eidem concedere facultatẽ remittendi per sacramentum Pœnitentiæ, & sacerdotis absolutionẽ, peccata fidelium lapsorum post Baptismum: instrumentalem, scilicet, & ministerialem, retenta sibi potestate excellentiæ. Vt enim rectè dicit Ambros. loco supra cit. *Quid interest verum per Pœnitentiam, an per lauacrum hoc ius sibi datum vendicent sacerdotes? Idem in vtroque ministerium est.*

SECTIO II.

Soluuntur obiectiones contra doctrinam propositã.

6. Solvitur prima obiectio hæreticorum.

COntra veritatem Catholicam præcedente sectione propositã multa obiiciuntur partim ab Hæreticis, partim à nouis Dogmatistis; quorum priores hac sectione, posteriores sequẽti refutandi nobis sunt. Ab hæreticis ergo obiicitur primò, Christum Luc. vlt. v. 47. explicantem id quod dixerat Ioan. 20. v. 23. dixisse Apostolis oportere prædicari in nomine eius Pœnitentiam in remissionem peccatorum in omnes gentes. Et Matt. vlt. v. 19. & 20. non aliud mandasse Apostolis, nisi vt docerẽt omnes gẽtes, & baptizarẽt. Ergo non aliã dedit illis potestatem circa remissionem peccatorũ, nisi per Baptismũ, & prædicationẽ Euãgelii. Respõdeo Christũ prioribus verbis voluisse prædicari pœnitentiam in remissionem peccatorũ, qualẽ ipse instituerat, siue pro peccatis Baptismum antecedentibus, siue pro aliis cõcomitantibus, aut subsequentibus: quæ cuiusmodi sit, non eo loco explicauit, cùm ne quidem de Baptismo mentionem ibi fecerit. Posterioribus verbis tria Christus eodẽ ordine seruanda præcepit, vt notauit Hieron. in hunc locum. Primùm scilicet, vt docerẽt de rebus fidei adultos baptizandos: tum sufficienter instructos baptizarent: post eaque docerent seruare õnia quæ ipse mãdauit: inter quæ vnum est, vt à peccatis post Baptismum abstineant: & si peccare lethaliter contingat, ad medium reconciliationis, & secũdam tabulam post naufragium recurrant: subiiciendo se Clauibus Ecclesiæ, & eorum sententiæ, quos suiipsius vicarios reliquit, tanquam præsides, & iudices, ad quos omnia mortalia post Baptismum cõmissa deferantur. Vt enim ait S. Leo epist. 91. ad Theodorũ, *Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subuenit humanis, vt non solùm per Baptismi gratiam, sed etiam per Pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ: vt qui regenerationis donum violassent, proprioso iudicio cõdemnantes, ad remissionem criminum peruenirent. Sic etiam bonitatis ordinatis præsidiis, vt indulgentia Dei, nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri.*

Obiicitur secundò, neminẽ præter Deum posse peccata in eũ commissa remittere iuxta illud Luc. 5. v. 21. *Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus?* Quod licet dictum fuerit à Pharisæis contra Christum murmurantibus, tamen à Christo fuit tacitè confirmatum, quando ad probandum se habere potestatẽ dimittẽdi peccata: ac proinde esse Dei filium, verumque Deum, addidit, *Vt autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata: Tibi dico surge* (inquit Paralytico) *Tolle lectum tuum, & vade in domũ tuam.* Et confirmatur ex Augustino tract. 8. in Ioan. vbi explicans illud Ioan. 1. *Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccatum mundi*: Nemo, inquit, tollit peccata nisi solus Deus. Respondeo Augustinum malè citari: & neminẽ quidem præter Deũ, ac neq; Christũ ipsũ vt hominem, posse auctoritate propria de iure Dei disponere, & offensas illi factas remittere: secus tamen ex Dei commissione, & potestate ab illo concessa seu ministeriali: quæ duplex est: vna excellentiæ, & principalis ministerii, qualis fuit in Christo vt homine, iuxta illud Ioan. 5. v. 22. *Pater non iudicat quẽquam, sed omne iudicium dedit filio*: & v. 27. *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* Altera inferior, & à Christo communicata ipsius ministris, verbis illis *Quorum remiseritis peccata* &c. iuxta propriũ illorum sensum, & SS. Patrum Catholicæq; Ecclesiæ in Con. Oecumen. interpretationẽ vt sectione præcedenti ostendimus. Verum etiam est Deũ solum posse remittere peccata absoluta, & independenti potestate: sed hoc non impedit, quò minùs Deus communicare potuerit Apostolis, & sacerdotibus eorum successoribus potestatem subordinatam, & à sua suprema dependentẽ, ad eadẽ remittẽda. Sicuti Reges & Principes possunt, si velint, committere iudicibus à se constitutis, sibique subordinatis, vt de causis suis, & offensis sibi factis iudicent, easque prout æquum videbitur, seuerè puniant, aut misericorditer cõdonent. Neque propterea sacerdos nõ remittit absolutè alio sensu, id est, proferendo sententiam absolutam; & certò atque infallibiliter, quantum est ex parte Sacramenti: quia licet dispositio necessaria requiratur ex parte pœ-

7. Secunda obiectio.

nitentis, dolorque internus de peccatis, quę ſacerdos non cognoſcit, niſi per externa indicia non infallibiliaſ: tamen ſententia, quam profert, abſoluta eſt; certóque & infallibiliter habet effectũ ſi pœnitens non deſit ſuo muneri. Neq; minùs abſolutè, & certò, atque infallibiliter ex parte cauſę profert ſacerdos hæc verba, *Abſoluo te à peccatis tuis*, vi poteſtatis à Chriſto datæ id agẽdi per ſacramentum Pœnitentiæ: quàm baptizans iſta proferat, *Ego te baptizo in nomine Patris &c.* id eſt, abluo, non corpus tantùm, ſed mẽtem etiam à peccati ſordibus. Et quidem Baptiſmus nõ magis habet effectũ in adultis, qui peccarũt, ſine aliqua ipſorũ diſpoſitione, & dolore interno, quàm ſacramentum Pœnitentiæ: neq; dolor ille magis notus eſt baptizanti, quàm ſacerdoti abſoluenti. Ergo ſi eo non obſtante poteſt baptizans dicere abſolutè, Ego te baptizo: quidni etiam ſacerdos abſoluens dicere poſſit abſolutè, Ego te abſoluo?

8. Tertia oppoſitio

Obiicitur tertiò, Scripturam vni Chriſto tribuere veluti proprium, & ſingulare, habere poteſtatem Clauium Apocal. 3. v. 7. *Qui habet Clauem Dauid: qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit.* Solus ergo poteſt apereri, & claudere; propriè ſcilicet: ſoluſque habet Claues regni cœlorum; alii verò non niſi impropriè, & miniſterialiter, veluti annunciantes veniam nobis per Chriſtum obtentam. Quare meritò Cyprian. lib. de lapſis circa mediũ, *Nemo ſe fallat*, inquit, *nemo ſe decipiat. Solus Dominus miſereri poteſt. Veniam peccatis, quæ in ipſum commiſſa ſunt, ſolus poteſt ille largiri, qui peccata noſtra portauit, qui pro nobis doluit, quẽ Deus tradidit pro peccatis noſtris. Homo Deo eſſe nõ poteſt maior: nec remittere, aut donare indulgentiã ſuã ſeruus poteſt, quod in Dominum delicto grauiore commiſſum eſt: ne adhuc lapſo, & hoc accedat ad crimen, ſi neſciat eſſe prædictum, Maledictus homo, qui ſpem habet in homine. Dominus orandus eſt: Dominus noſtra ſatisfactione placandus eſt, qui nganiem negare ſe dixit, qui omne iudicium à Patre ſolus accepit.*

Reſpondeo, Scripturã vni Chriſto vt Deo tribuere poteſtatem Clauium ſupremam, & abſolutam: & vt homini, miniſterialẽ principalem, ſoliq; Deo ſubordinatam: quæ nulli homini puro conuenit: nemoque alius poteſt contra ipſius voluntatẽ aperire, vel claudere. Sed non negat Scriptura poteſtatem Clauium miniſterialem, & minùs principalem, Chriſtoque ſubordinatam conuenire aliis verè, ac propriè, Dei, & Chriſti beneficio. Quin potiùs diſertè id affirmat verbis ſupra relatis, & expenſis. Dicere autem Claues dari ſolùm ad annunciandam veniam, nõ autem ad cœlum ipſum aperiendum per remiſſionem peccatorum: perinde eſt, ac dicere claues carceris dari, non ad illũ apẽriendum, ſed ad annunciandum palam, & publicè veniam à Rege conceſſam: & clauis proprium eſt aperire, & claudere: non autem oſtendere duntaxat fores alterius officio, & beneficio reſeratas eſſe.

Cyprianus autem loco cit. loquitur cõtra ſacerdotes aliquos, qui per nimiam indulgẽtiam admittebant ad cõmunionem fidelũ, & Euchariſtiæ participationẽ eos, qui fidẽ metu tormentorum negauerãt, & idolis immolauerãt, *Ante expiate*, inquit, *delicta, ante exomologeſim factam criminis, ante purgatã conſcientiã ſacrificio, & manu ſacerdotis, ante offenſam placatam minantis Domini, & minantis.* Et contra peccatores ipſos, qui confiſi libellis Confeſſorum, quos ab ipſis impetrauerant, volebant ſine pœnitentiã priùs actã, admitti ad vtrumq;, contra ordinẽ à Chriſto per Eccleſiam ſtatutum, rigidèque præceptum, & ſeruatum eo tẽpore. Dicitq; nec ſacerdotes illos poſſe tam indulgẽter cum peccatoribus agere: nec peccatores debere adeo Cõfeſſorum meritis, & libellis confidere, vt propter illos velint õnem pœnam peccatis ſuis debitam ſibi condonari, & diſciplinam Eccleſiaſticam adeo relaxari. Chriſti iq; ſolius eſſe tãtã indulgentiã vticum peccatoribus, vt ſtatim abſq; alia pœnitentia, quàm interno dolore de peccatis, eos ab omni culpę, & pœnæ reatu liberos faciat: ſicut erga Magdalenã, & Latronem in cruce pendẽtem ſe geſſit. Nã quòd alioqui poſſint ſacerdotes remittere peccata verè pœnitẽti, iuxta mentẽ, & ordinem à Chriſto, vel ab Eccleſia ſtatutum, quódq; id non neget Cyprianus, ſed potiùs diſertè affirmet, tãtúmq; abuſum ſupradictum reprehendat, patet ex eodem lib. de lapſis, cum ait, *Ante purgatam cõſcientiã manu ſacerdotis:* & paulò poſt verba relata in obiectione, *Cæterũ*, inquit, *ſi quis præpropera feſtinatione temerarius, remiſſionem peccatorum dare ſe cũctis putat poſſe, aut audet Domini præcepta reſcindere; non tantùm nihil prodeſt, ſed & obeſt lapſis. Prouocaſſe eſt iram, non ſeruaſſe ſententiam: nec miſericordiam priùs Dei deprecãdam putare, ſed cõtempto Domino de ſua facultate præſumere.*

Exponitur locus D. Cypriani.

Senſus ergo D. Cypriani eſt: Nemo ſe fallat, præſumendo de ſua poteſtate remittendi peccata, vel de libellis Confeſſorũ, pluſquàm par eſt. Solus Dominus miſereri poteſt tãliberaliter, atq; iſti volunt. Solus ipſe per merita ſuæ paſſionis poteſt largiri veniã, vt voluerit: & nemo alius, niſi pro poteſtate, & modo ſibi conceſſo. Neque enim homo maior Deo, aut Chriſto eſſe poteſt, vt contra ipſius volũtatem, & ordinem, modumq; ab eo præſcriptum, remittat ſuã indulgentiã delicta præſertim grauiora in Deum commiſſa. Grauiterque peccaret, qui tamen de ſe præſumeret, vel talem de homine ſpem, & fiduciã conciperet, Dominus orandus eſt, & placandus, ea ratione, quam ipſe præſcripſit, qui omne iudicium ſolus à Patre accepit, id eſt, plenam, & abſolutam poteſtatem remittẽdi vt volet: nec quiſquam alius poteſt remittere, niſi quantum, & quomodo ipſe conceſſit.

Obiiciuntur quartò alia quædam SS. Patrum teſtimonia, quæ hanc poteſtatem ſacerdotibus negare videntur: eiuſmodi eſt illud Ambroſii in libro tertio de Spiritu ſancto, *Homines in remiſſione peccatorum miniſterium ſuum exhibent, non ius*

Quarta obiectio.

alicuius potestatis exercent. Et quod dicit Hieron. in cap. 16. Matth. circa illa verba, *Quodcunque solueris*, &c. non plus posse sacerdotes Euangelicos circa peccata, quàm Aaronicos circa lepram: neque aliter illa remittere, vel retinere, nisi iudicando, & ostendendo remissa esse, vel retenta à Deo. Et quod ait Gregor. homil. 26. in Euangelia, non debere sacerdotes quemquam soluere, nisi quem norũt Deum per suscitantem gratiam viuificare; sicut Apostoli non soluerũt Lazarũ, nisi postquã à Christo suscitatus fuit.

9. Exponitur Ambros.

Ad primum Respõdeo Ambrosium per illa verba, *non ius alicuius potestatis*, intelligere Principalis, & auctoritatis independentis, quam opponit ministeriali, significatæ ab eodem verbis istis, *Ministerium suum exhibent*: hanc enim euidenter concedit sacerdotibus lib. 1. de Pœnit. cap. 2. verbis supra relatis n. 4. per quæ locus iste obscurior illustrandus, & explicandus est.

10. Explicatur Hieron.

Ad secundum dico Hieronymum epist. 150. ad Hedebiam quæst. 9. paulò post initium, affirmare Apostolos in die resurrectionis Christi Domini, accepisse Spiritus sancti gratiam, *quâ peccata dimitterent, & baptizarent, & filios Dei facerent, & spiritum adoptionis credentibus largirentur, ipso Saluatore dicente, Quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt*. Vbi Hieron. duplicem vult datam fuisse tunc Apostolis potestatem remittendi peccata: per Baptismum scilicet, & per Sacramentum Pœnitentiæ: quod etiam docet Cyrill. Alexand. lib. 12. in eundem locum Ioannis, c. 59. & nimirum verè remittẽdi, seu delendi peccata per sacramentum Pœnitentiæ, sicuti verè abolent per Baptismũ: vt exigit illa comparatio vtriusque sacramenti, & clariùs significant verba sequentia, *Et filios Dei facerent, & spiritum adoptionis credentibus largirentur*. Hæc enim non fiunt ostendendo solùm, & iudicando peccata esse remissa: sed verè remittendo, & gratiam iustificantem impertiendo. Idem quoque indicat quod aliquanto pòst addit Hieronymus, *Profectus apostolicus est, vt qui primò remittendorum peccatorum gratiam acceperant, postea acciperent operationem virtutum*: nimirum potestatem verè remittendi peccata; & non tantùm remissa ostendendi: sicuti, verè acceperunt potestatem operandi miracula, putà sanandi morbos, & non tantùm ostendendi esse sanatos. Ex quibus Hieronymi verbis benignè interpretandum est id, quod obscuriùs, & seueriùs dixit loco citato in obiectione, ad deprimendum, vt ait, quorundam fastum & supercilium: *In retinendis, vel remittendis culpis, id iuris habent Euangelici sacerdotes, quod olim habebant legales sub lege in curandis leprosis. Hi ergo peccata remittunt vel retinent, dum remissa, vel retenta iudicant, vel ostendunt*. Ita vt sensus sit, non quòd ipsi nullo modo verè remittant: sed quòd non pro arbitrio, sine sufficiente pœnitentis dispositione, & Dei gratia principaliter remittentis: qui etiam priùs remittere incipit eo ipso quòd peccatorem excitat, & iuuat per gratiam præuenientem, & concomitantem, ad concipiendum dolorem salutarem de peccatis. Cúmque sacerdos illum absoluit; iudicat, & ostendit esse ritè dispositum, & Deum eatenus remisisse: quamuis perfecta remissio non fiat sine ministerio sacerdotis, qui secundum Christi institutionem, absoluit auctoritate sibi ab ipso concessâ.

11. Illustratur ex aliis locis.

Ac deniq. si plus voluit Hieronymus, postponenda est illius opinio priuata (quam postea correxit verbis suprà relatis ex epistola ad Hedibiam) communi SS. Patrum iudicio, quorum plura testimonia retulimus num. 4. & alia multa referri possent aliorum, qui tantùm abest, vt velint sacerdotem non aliud facere, quàm ostendere peccata esse à Deo remissa, vel retenta: vt potiùs affirment sententiam sacerdotis in terra præcedere Dei sententiam in cœlo: vt Cyprian. epist. 54. *Ipse legem dedit, vt ligata in terris, etiam in cœlis ligata essent. Solui autem possint illic, quæ hic prius in Ecclesia soluerentur*. Et Hilar. Can. 16. in Matth. *O beatus cœli ianitor, cuius arbitrio Claues æterni aditus traduntur; cuius terrestre iudicium præiudicata auctoritas sit in cœlo: vt quæ in terris aut ligata sunt, aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant & in cœlo*. Et Bernardus serm. 1. in festo Apostol. Petri, & Pauli, *Qui Claues regni cœlorum tam singulariter accepit, vt præcedat sententia Petri sententiam cœli*. Quod eo sensu verum est, quatenus naturâ prius est sacerdotalem absolutionẽm proferri, & sacramentum Pœnitentiæ essentialiter perfici, quàm Deum illius intuitu infundere propter Christi merita gratiam sanctificantem, remissiuam peccatorum.

12. Gregorii M locus difficilis explicatur.

Ad tertium Respondeo cum D. Thoma opusc. 22. c. 2. Vega lib. 13. in Trident. cap. 34. & Vasq. tom. 4. in 3. partem. q. 84. art. 3. dubio vnico, sensum Gregorii esse, quòd peccator debeat priùs à Deo vocari, & viuificari per gratiam suscitantem de monumẽto suæ obstinationis, id est, priùs excitari per gratiam præuenientem, ad actum Pœnitentiæ, & salutaris doloris de peccatis, illũq; cum gratia cooperante concipere, atque eatenus viuere incipere, priusquam absoluatur, & remissionẽ peccatorum consequatur à Deo per ministeriũ sacerdotis: ita vt incipiat habere aliqualẽ actũ vitæ dolẽdo de peccatis, & cõfitendo sacerdoti humiliter; quãuis nondum, neq; per contritionẽ charitate perfectã, neq; per absolutionem sacramẽtalem, vitam gratiæ, & charitatis consecutus sit: & similis sit Lazaro, qui prodiit de monumento ligatus institis: quia iam incipit emergere è tumulo peccati, & habet aliquem viuentis actum, sed adhuc tamen ipso peccato ligatus est. Quo etiam sensu D. August. tract. 49. in Ioan. & libro quinquaginta homiliarum

Digitized by Google

remissionem culpæ, non sicut causando, sed velut ad eam disponendo.

16. Probatur ex Scripturæ Sacerdotes culpam ipsam remittere.

Nihilominùs hæc sententia vt planè falsa, & improbabilis reiicienda est. Primò, quia sine causa detorquet verba Scripturæ ad sensum improprium. Nam pœna non est propriè peccatum. Christus autem Ioan. 20. v. 23. dedit Apostolis, & sacerdotibus eorum successoribus potestatem remittẽdi peccata. Ergo non pœnas tantùm. Cúmque promittens Petro claues regni coelorum dixerit generaliter Matth. 16. *Quodcunque solueris*: & Apostolis Matth. 18. *Quæcunque solueritis*: Cùm, inquam, hæc verba sint de se vniuersalia, & significent potestatem tollendi quidquid excludit homines à regno cœlorũ: contra rationem est ea restringere ad poenam, & existimare claues Ecclesiæ non valere cõtra culpam ipsam, quæ tamen primò, & præcipuè impedit ab illius ingressu. Sanè potestas clauium, quam Christus ipse habuit ad aperiendum, & claudendum, vt dicitur Apocal. 3. v. 7. non erat tantùm ad soluendũ à poenis peccatorum, sed & præcipuè ad remittenda ipsa peccata, vt fecit Luc. 7. v. 47. Marci 2. v. 5. Matth. 9. v. 2. aliisque locis. At clauium potestas Apostolis concessa circa remissionem peccatorum, est participatio potestatis Christi ad idem faciendum ministerialiter, ipsius vice, quod ipse poterat facere per potestatẽ excellentiæ: vt significauit verbis illis Ioan. 20. v. 21. *Si ut misit me Pater, & ego mitto vos*: post quæ immediatè subiunxit, *Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata* &c. Clariusque id expressit Ambros. lib. de Pœnit. cap. 7. sic dicens: *Vult Christus plurimum posse discipulos: vult à seruis suis nomine suo ea fieri, quæ ipse faciebat in terris.*

17. Idem probatur ex Patribus.

Probatur secundò ex consensu SS. Patrum, qui non obscurè docent culpam ipsam remitti à sacerdotibus, Christi iq; verba superiùs relata in hunc sensum interpretantur: vt Chrysost. Ambros. Hieron. & Gregor. Mag. locis cit. n. 4. & August. epist. 180. ad Honoratum, vbi dicit, Quando ad extrema ventum est, omnesque de vita periclitantur, hostibus vrbem subitò inuadentibus, magnum solere fieri concursum in Ecclesiam, aliis Baptismũ flagitantibus, aliis reconciliationem, omnibus consolationem, & sacramẽtorum erogationem. Additque, si cõtingat aliquem mori sine baptismo, vel sine reconciliatione, sequi exitiũ eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati. Credebãt ergo Christiani illius temporis cum D. August. sacerdotes Deo reconciliare peccatores, id est, in gratiam per peccatum amissam restituere, quod non fit nisi tollendo culpã ipsam peccati: atque ita ab æterno exitio eos liberare. Et S. Leo epist. 91. ad Theodorum Foroiulien sem Episc. dicit misericordiam Dei ita lapsibus subueniisse humanis, id est, culpis, vt non solùm per baptismi gratiam, sed etiam per poenitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ, id est, vt paulò post exponit, per sacerdotalem absolutionẽ: *vt qui regenerationis donum violassent, proprio se iudicio condemnãtes* (humili videlicet confessione peccatorũ) *ad remissionem criminum peruenirent. Sic diuinæ bonitatis præsidiis ordinatis, vt indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri*: adeóque nec sine illis remittantur ipsa crimina quoad culpam, in cuius remissione præcipuè consistit indulgentia Dei.

18. Et ex Florentino.

Probatur tertiò auctoritate Conciliorum, & SS. Pontificum. Nam Florent. in Decreto Eugenii affirmat rem, id est, effectum sacramenti Pœnitentiæ esse remissionem peccatorum. Quæ definitio Concilii debet omnino in sensu proprio intelligi, adeóque non de pœnis solùm, quæ non sunt propriè peccata. Debent enim Concilia definitiones fidei tradere verbis propriis, quoad fieri potest: ne alioqui lites propagent magis, quàm terminent. Quòd si Concilium pœnas solùm remitti intellexisset, poterat id clarè nomine proprio poenarum exprimere. Sed sine dubio peccatum hîc sumit eodem sensu, quo paulò ante, cùm loquens de Baptismo dixit, nullam in eo pro peccatis præteritis iniungendam esse satisfactionem, quia huius sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis, & actualis, & omnis quoque poenæ, quæ pro culpa ipsa debetur. In quibus verbis manifestum est, peccatum simi pro culpa.

19. Et ex Concilio Trid.

Trident. verò sess. 14. cap. 3. id clariùs exprimit dicens, *Rem, & effectum huius sacramenti, quantum ad eius vim, & efficaciam pertinet, esse reconciliationem cum Deo.* Reconciliatio enim, vt paulò ante dixi, restitutionem in gratiam significat. Quo etiam sensu manifestè sumit reconciliationem cap. 5. cùm addit, Licet contritionem aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur: ipsam nihilominus reconciliationem, ipsi contritioni, sine sacramenti voto quod in illa includitur, non esse ascribendam. Et capite 6. dicit, absolutionem sacerdotis non esse nudum ministerium declarandi remissa esse peccata, sed velut actum iudicialem, quo ab ipso, velut à iudice sententia pronunciatur: ac proinde poenitens iuridicè absoluitur à peccatis confessis: super illis enim pronunciatur sententia, quæ debet etiam claris, & propriis verbis concipi, adeóque de peccatis ipsis (vt sonant eius verba) non de poenis solùm intelligi. Et denique in Bullis Pii V. Gregorii XIII. & Vrbani VIII. contra Michaelem Baium, & Ianse nium Iprensem Episcopum, damnatur hæc propositio num. 43. *In peccato duo sunt, actus, & reatus: transeunte autem actu, nihil remanet nisi reatus, siue obligatio ad pœnam: vnde in sacramento Baptismi, aut sacerdotis absolutione, propriè reatus peccati dumtaxat tollitur, & ministerium sacerdotum solùm liberat à reatu.* Et ista numero quadragesima quarta, *Peccator pœnitens non viuificatur ministerio Sacerdotis absoluentis: sed à solo*

Et SS. Pontificum declarationibus.

prium est remittere peccata?

offensas sibi factas; secus autem ex commissione, & Dei ipsius delegatione. Addo impræsens, non minùs ad Deum pertinere ius remittendi pœnam offensæ sibi factæ, quàm culpam: quod tamen ius fatentur aduersarii communicatũ fuisse sacerdotibus, & exerceri per claues Ecclesiæ. *Certè*, inquit Cyrill. lib. 12. in Ioan. cap. 56. prope finem, *Absurdum non est peccata remitti posse ab illis qui Spiritum sanctum in seipsis habeant. Nam cùm ipsi remittunt, aut detinent, Spiritus, qui habitat in eis* (id est, qui illis semper assistit, & infallibiliter ad hunc effectum, vi institutionis Christi, & sacramenti Ordinis sacerdoralis) *per eos remittit, & detinet.*

24. Contritiõ præsupponitur necessariò absolutioni.

Ad secundum, Patet ex dictis falsum esse, contritionem perfectam necessariò præsupponi absolutioni. Neque id affirmant Patres citati, sed dumtaxat non posse quemquam validè absolui, nisi quem priùs Deus gratia præueniente viuificare inceperit, & ad dolorem, confessionemque peccatorum efficaciter excitauerit: vt significant verba illa Gregorii loco citato in obiectione, *Quæ nimirum viuificatio ante operationem rectitudinis in ipsa iam cognoscitur confessione peccati.* Et August. tract. 49. in Ioan. & serm. 8. de verbis Domini cap. 2. *Ipsum Lazarum attende, cum vinculis prodit. Iam viuebat confitendo* (imperfectè scilicet) *sed nondum liber ambulabat vinculis irretitus.* Eodemque sensu D. Thom. 3. parte, quæst. 8. art. 3. ad 2. dicit peccatores fideles esse membra Christi imperfectè, per fidem informem, id est, destitutam charitate, percipereque à Christo quendam actum vitæ, qui est credere: Sicut si membrum mortificatum moueatur aliqualiter ab homine. Quod verò ait Gregor. *Venientem foras soluant discipuli, vt Pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amouere, quam meruit*: est intelligendum sine exclusione; quasi non aliud pastores Ecclesiæ faciant, quàm amouere pœnam. Neque enim vtitur Gregor. particulâ exclusiuâ: sed ita hunc effectum clauiũ nobis notiorem exprimit, vt alium non neget, quem non obscurè paulò ante significauerat his verbis: *Principatum superni iudicii sortiuntur, vt vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent*, &c. *Ecce qui districtum Dei iudicium metuunt, animarum iudices fiunt: & alios damnant, vel liberant, qui semetipsos damnari metuebant.* Quid verò illud sit, à quo liberant, & de quo iudicium ferunt, exponit addens paulò post: *Causæ ergo pensandæ sunt, & tunc ligandi, atque soluendi potestas exercenda. Videndum est quæ culpa præcesserit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam: vt quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententia absoluat. Tunc enim vera est absolutio Præsidentis, cùm æterni arbitrium sequitur Iudicis*: absoluendo scilicet à peccatis eos solùm, qui à Deo per compunctionis gratiam visitati, salutarem conceperunt dolorem de peccatis, à quibus absoluendi sunt.

Ad tertium Respondeo cum Suare disput. 16. sect. 2. num. 15. differentiam esse: quia potestas clauium non datur vt influat in culpam, aut eam conseruet, aut impediat remissionem illius: sed ad hoc tantùm, vt proferatur sententia iuridica super indignitate, & incapacitate remissionis propter impœnitentiam, & indispositionem peccatoris; declarando authenticè illum esse indignum absolutione; declarando, inquam, vel formaliter, & expressè; vel tacitè, & virtualiter, hoc ipso quòd ei iure negatur absolutio. Qua ratione dicitur sacerdos retinere peccata: & peccator dicitur manere ligatus eò ipso, quòd non absoluitur. At verò datur hæc potestas ad peccata verè remittenda, & abolenda per condonationem factam à sacerdote vice Dei, & cessionem iuris diuini ipsi cõmissi: vel per infusionem gratiæ sanctificantis, vi absolutionis sacerdotalis, & sacramẽti collatæ: quæ infusio fit per actionem positiuam: ex illa verò sequitur abolitio peccati, velut effectus formalis secundarius gratiæ incompatibilis cum peccato mortali; iuxta ea quæ diximus in tract. de Gratia & iustificatione.

25. Quomodo ligant Claues quoad culpam?

26. D. Thom. explicatur.

Ad quartum Respondeo, D. Thom. eodẽ loco affirmare, sacramentum Pœnitentiæ ordinari contra culpam directè, sicut & sacramentum Baptismi: in eóque differre hæc duo ab aliis sacramentis: & paulò post addere, virtutem clauium operari ad culpæ remissionem in re, vel in voto. Vnde infert, non solùm pœnam, verùm etiam culpam ipsam remittere. Illud verò quod ex illo obiicitur, potestatem clauium ordinari aliquo modo ad remissionem culpæ, non sicut causantem, sed sicut disponẽtem: dictum est iuxta illius modum philosophandi de causa instrumentali, quòd scilicet non attingat effectum causæ principalis, nisi mediante aliqua actione sibi propria, & connaturali, quâ disponat ad effectum principalis agentis: sicut v. g. Christus contactu manus cõcurrebat ad miraculosam morborum curationem, aut mortuorum suscitationem, vt docet 1. parte, q. 45. art. 5. & 3. parte quæst. 62. art. 1. ad 2. aliisque locis. Cùm enim sacerdos concurrat vt instrumentum animatum ad remissionem peccatorum, & Baptismus, vt instrumentum inanimatum, sicut ibidem ait D. Thomas: neuter, iuxta illius philosophiam, concurrit, & eleuatur ad illum effectum, nisi per aliquam actionem præuiam sibi proportionatam inducendo dispositionem, aut aliquid efficiendo circa subiectum propria vi, quod disponat, & ducat ad effectum causæ principalis. Cuiusmodi est, quòd aqua in Baptismo corpus tangat, & abluat, vt animâ sanctificetur: & quòd sacerdos super pœnitentem hæc verba proferat, *Absoluo te à peccatis*, vt ab illis iustificetur.

ercendam per modum iudicii, præsuppositâ cognitione causæ ad remittendum, vel retinendum, non temerè & pro libito, sed seruata æquitate: neque ad gratuitò & purè misericorditer liberandum à peccato, vt in Baptismo; sed admixtâ iustitiâ, imponendo satisfactionem conuenientem ad ius Dei reparandum, & continendos peccatores maiori cum ingratitudine lapsos post Baptismum, & fidem Deo datam: vt ait Trident. cap. 8. eiusdem sess.

31. Illum etiam fuisse vsum, & sensum antiquæ Ecclesiæ, notissimum est ex Origene homil. 15. in Leuit. Tertull. lib. de Pœnit. præcipuè cap. 9. & 10. Cypriano serm. de lapsis, & epist. 12. aliisque pluribus, Basilio epist. ad Amphilochium, August. lib. 50. homiliarum, homil. vlt. cap. 2. Innocentio I. in epist. ad Exuperium cap. 2. Leone epist. 91. & 92. inquisitione 2. Cæsario homil. 8. & aliis, quorum testimonia retulimus disp. 55. *De publica pœnitentia.* Quid sit autè potestas iurisdictionis, & quomodo differat à potestate Ordinis, diximus supra disp. 43. *De ministro sacramenti Pœnitentiæ* sect. 2. & 3. Tantùm aduertò illam duplicem esse. Vnam in fòro interno, ad absoluendũ à peccatis, de qua nũc disputamus; alterã in foro externo, ad ligandum, aut soluendum per censuras ecclesiasticas, & ad alia quædam, de qua dicemus infrà. Prior vocatur interior iurisdictio; secunda exterior. Non quòd vtraque non exerceatur actu aliquo externo, & sensibili: cùm enim vtraque data sit hominibus respectu aliorum hominũ, debet exerceri sensibiliter, vt illis appareat quid agatur, constetque de illius exercitio, & effectibus; sed vt rectè ait Suar. disp. 1. de Censuris sect. 2. ita appellantur, propterea quòd vna ordinatur ad forum sacramentale, pertinens solùm ad conscientiam, & internum bonum animarum: ideoque interior iurisdictio nominatur. Altera verò tendit ad gubernandam Ecclesiam in foro exteriori, per iudicia, pœnas, & alia, quæ ad bene constituendam, & regendam hominum remp. necessaria sunt: & hæc vocatur potestas iurisdictionis exterioris; ad quam etiam pertinet vis directiua ad ferendas leges obligantes in conscientia: & vis coercitiua contra illarum transgressores.

Potestas iurisdict. est duplex.

32. Requiritur etiam Clauis scientiæ, & potestatis.

Tertiò denique quòd in remissione peccatorum, quæ fit per sacramentum Pœnitentiæ, & absolutionem sacerdotalem, exerceatur Clauis scientiæ, & potestatis probatur, quia, vt rectè notauit auctor supra nominatus disp. 15. de Pœnit. sect. 4. n. 6. Duo in actu, vel vsu potestatis iudiciariæ remittendi peccata per sacrameu. Poenit. distingui debent, quæ in omni iudicio sunt necessaria. Vnum est cognitio, seu discussio causæ. Aliud est sententiæ prolatio. Ad hæc duo valet potestas iudiciaria à Christo concessa: quippe non manca, sed perfecta, & habens quidquid ad iudicium exercendum necessarium est: ac priori respectu Clauis scientiæ dicitur: posteriori, Clauis potestatis. Enim verò Clauis scientiæ non est scientiã priuata, quæ requiritur in confessario, vt putant aliqui cũ Magistro sententiarum: hæc enim non est potestas auctoritatiua, & consequenter non est Clauis: & potest esse in eo, qui neque iudex, neque Ecclesiæ minister est, ac proinde non habet Claues sibi commissas: vt è conuerso clauos esse possunt sine tali scientia, quemadmodum apparet in confessario imperito: sed est potestas, & auctoritas ad examinandam conscientiam poenitentis, & ad iuridicè interrogandum in illo foro interno, ita vt poenitens teneatur veritatem illi sincerè aperire, velut iudici legitimè, iuridicèque interroganti. Clauis autem potestatis dicitur facultas absoluendi poenitentem proferendo sententiam absolutionis. Ad quam etiam pertinet facultas ligandi poenitentem impositione satisfactionis conuenientis. Hanc expositionem, & diuisionem insinuauit D. Augustinus, vel potius S. Maximus apud August. serm. 27. de sanctis. Cuius verba hæc sunt: *Clauis dicenda est, qua peccatorum corda reseruantur, mentis secreta panduntur, & quidquid intrinsecus clausum tenetur, in palam rationabili manifestatione producitur. Clauis*, inquam, *est, quæ & conscientiam ad confessionem peccati aperit, & gratiam ac æternitatem mysterii salutaris includit.*

33. Quæ tamẽ coincidit cum priori.

Cæterùm hæc diuisio in Clauem scientiæ, & potestatis, non distinguitur à priori in Clauem Ordinis, & iurisdictionis, quasi diuersam potestatem assignet prioris diuisionis membris non comprehensam: sed dumtaxat magis explicat illius actus. Pertinet enim ad potestatem iurisdictionis, quòd sacerdos possit interrogare poenitentem iuridicè, & obligare ad peccata sincerè detegenda. Quòd verò possit eundem absoluere rite confessum, & dispositum, pertinet ad vtramque potestatem, & Ordinis sacerdotalis, quia non potest absoluere nisi sacerdos: & iurisdictionis ordinariæ, vel delegatæ, quia non potest absolui nisi subditus.

Circa actus verò huius potestatis notandũ supereſt, quod ait D. Thom. q. 18. Supplem. a. 3. in corp. Alio modo sacerdotem ligare & soluere quoad culpam, & quoad poenam. Nam quoad poenam ligat, & soluit positiuè, partim dimittens poenam æternam, & partim astringens ad poenam temporalem, in quam mutat æternam peccatis nondum remissis debitam. Loquor de peccatis mortalibus: de venialibus autem cum proportione philosophandum est. Quoad culpam verò soluit quidem positiuè remittendo, & absoluendo per sententiam positiuam: sed ligat tantùm negatiuè, hoc ipso quod non absoluit, nullam aliam operationem exercẽdo in culpam. Quanquam etiam declarare potest per iuridicam sententiam, peccatorem esse indignum remissionis peccati, ob defectum sufficientis dispositionis.

Digitized by Google

Cùm autem addit S. Thomas eodem art. sacerdotem dici ligare dupliciter ad pœnam. Vno modo, considerando ipsam quantitatem pœnæ in communi; & sic non ligare nisi in quantum non soluit, sed ligatum ostendit. Alio modo considerando pœnam hanc, vel illam determinatè: & sic ligat ad poenam, imponendo eam: Sensus illius est, sacerdotem ligare tantùm negativè dum considerat, & expendit solummodo quantam poenam mereatur peccator, nisi Deus ipsi ignoscat per suum ministerium; quod cum illi non exhibet, relinquit toti illi poenæ obstrictum. Positivè autem ligare, quando absoluens à peccato, & à poena æterna, obligat illum ad poenam aliquam temporalem, quâ iniungit in satisfactionem proportionatam ipsius facultati, & quantitati peccatorum, atque intentioni Dei talem poenam exigêtis pro suo iure læso, & in illam commutantis poenam æternam, si loquamur de peccatis mortalibus: vel temporalem maiorem in minorem, si loquamur de venialibus. Et hactenus de potestate Clauium circa remissionem peccatorum, de qua plura diximus alibi variis occasionibus, disputando de sacramento Poenitentiæ: Speciatim verò disput. 41. sect. 2. & quatuor sequentibus, & disp. 52. sect. 2. & disp. 53. sect. 1. 2. & 3.

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA OCTAVA.

De potestate Clauium ad Censuras ferendas, deque Censuris in communi.

Sectio I.	*Habeatne Ecclesia potestatem ferendi Censuras?*
Sectio II.	*Quid sit Censura, & quotuplex?*
Sectio III.	*De causis illius: seu quinam possint ferre censuras, & circa quos, quâue de causa?*
Sectio IV.	*Possitne aliquis multis de causis subiectus esse simul pluribus censuris?*
Sectio V.	*Quænam excusent à censura incurrenda?*
Sectio VI.	*Quomodo debeat ferri censura, vel denunciari?*
Sectio VII.	*De modo tollendi censuram, & à quo tolli possit?*

HAnc quæstionem non proponit D. Thomas: Priusquam tamen de Excommunicatione cum illo differamus quæst. 21. & tribus sequentibus, deque aliis Censuris in particulari, pauca de illis in communi præmittenda sunt, deque potestate per quam ferri, vel auferri possunt. Nomine autem censuræ intelligimus pœnam, seu correctionem ecclesiasticam, quâ fideles puniuntur ab Ecclesia in bonis spiritualibus per seueritatem, & rigorem Ecclesiasticæ iurisdictionis: sicut apud Romanos censura dicebatur seuera correctio, vel mulcta seu pœna temporalis à Censore imposita pro moribus populi castigandis, & delictis puniendis. Erat enim illius officium totius populi moribus præesse, eosque, vt par erat corrigere. Quod officium, vel dignitas, censuræ quoque nomine appellabatur. Sed hîc sumitur priori sensu, pro pœna, non pro officio, & potestate imponendi hanc pœnam ecclesiasticam. De qua primò videndum est an

Digitized by Google

Ecclesiæ competat? tum explicanda communis ratio censuræ, seu vera illius definitio: & diuisio in varias species, & causæ, modusque illam ferendi, aut relaxandi.

SECTIO I.

Habeatne Ecclesia potestatem ferendi censuras?

1. Error hæreticorum Alban. & Wicleffit.

TAnc potestatem Ecclesiæ negarunt Albanenses, vt testatur Prateolus lib. de vit. hæretic. Vt *Albanenses*, & Wicleffus, ac Ioannes Hus damnati in Concilio Constantiensi sess. 15. & in Bulla Martini V. cuius verba referemus paulò post. Quibus videtur Erasmus accessisse, quando in colloquiis de fide scripsit, excommunicationem territare pueros, non viros fortes. Argumenta eorum esse possunt. Quia potestas data Ecclesiæ est ad ædificationem, non ad destructionem, vt ait Apost. 2. Corinth. 10. Priuare autem fideles bonis spiritualibus, vt fit per censuras, non est ædificare, sed destruere. Item vt rectè argumentatur Chrysost. homil. de anathemate: Aut anathematizas viuentem, aut mortuum. Si mortuum, impiè agis: quia iam sub iure humano non existit, sed Domino suo stat, vel cadit. Si viuũ, impiè etiam agis: qui enim ad bonum conuerti potest, eum abscindis. Lutherus verò cum sectariis potestatem istam in Ecclesia esse agnoscit, vt videre est in art. 23. ex damnatis à Leone X. sicut & Caluinus lib. 4. Instit. cap. 11. Sed errant quadrupliciter. Primò, quia putant neminem posse priuari bono aliquo spirituali interno, sed tantùm externa consuetudine Ecclesiæ, siue in politicis actionibus, siue etiam in conuentibus Ecclesiasticis ad sacramenta, & orationes publicas. Ita Luther. art. cit. Et probat, quia si quis fidem habet, hoc ipso participat omne bonum spirituale. Fide autem nemo inuitus priuari potest. Adde quòd in spiritualibus nemo læditur, nisi à seipso. Ergo non potest in ipsis lædi ab Ecclesia. Lædaretur autem si per Ecclesiam illis priuaretur. Ergo &c. Item, censuræ pertinent ad forum externum. Ergo non possunt lædere in foro interno. Item, Ecclesia non est domina huiusmodi bonorum, sed fidelis tantùm dispensatrix in commodum fidelium. Priuare autem illis fideles, non est dispensare. Secundò, affirmat Lutherus art. 24. ex citatis, Excommunicationem ecclesiasticam non esse timendam, sed potiùs optandam, quia est medicinalis, ac salutaris poena, vt habetur Can. *Cùm medicinalis, de sententia Excommunicationis in 6.* Tertiò, dicit crudeliter facere Ecclesiam, quando excommunicat, si intendit priuare aliquo bono spirituali. Cùm enim bona spiritualia sint absolutè necessaria; fideles illis priuare crudele est, & contra eorum salutem; ac proinde contra naturam censuræ, quæ debet esse medicinalis, iuxta Canonem citatum. Quartò, negat Augustana Confessio Ecclesiam posse vllavi humana compellere subditos ad seruandas censuras. Nimirum quia lex Euangelica non est lex timoris, coactionis, & seruitutis: sed lex Gratiæ, amoris, & libertatis filiorum Dei. Quintò denique Marsilius Patauinus censet Ecclesiam non habere hanc potestatem, nisi à principibus sæcularibus: putat enim iurisdictionem ecclesiasticam manare à ciuili, vt ex illo refert Albert. Pighius lib. de ecclesiast. Hierarch. cap. 2. vbi eum refutat.

Alii hæretici Lutheri

Marsilij

2. Ecclesia potest ferre censuras.

Contra hos errores dico primò, Ecclesiam habere à Christo, & iure diuino potestatem ferendi censuras. Probatur primò ex Scriptura. Christus enim hanc potestatem promisit Petro, & aliis Apostolis Matth. 16. & 18. cùm dixit fore, vt quidquid soluerent, aut ligarent super terram, esset quoque solutum, aut ligatum in cœlo. Quæ verba cùm sint generalia, dictaque Petro, & Apostolis, vt futuris Ecclesiæ rectoribus, quales postea Christus constituit Ioa. 20. v. 21. & cap. 21. v. 16. & 17. quando istis commisit munus Apostolicum cum potestate conueniente, illi autem Ecclesiæ primatum dedit: debent amplè sumi, & extendi rationabiliter ad illa omnia, quæ bono Ecclesiæ regimini sunt necessaria, vel vtiliat cuiusmodi est potestas coercitiua, vt ostendemus paulò post. Estque ratio specialis, cur ad illam extendantur: tum quia verba metaphorica ligandi, & soluendi, quibus Christus est vsus, optimè cadunt in censuras ecclesiasticas, quæ sunt vincula quædam spiritualia, quibus ligantur, innodanturque fideles, vt patebit ex singularum explicatione. Tum etiam quia Matth. 18. loquebatur Christus specialiter de foro contentioso, ad quod censuræ pertinent: deque segregandis à consortio aliorum fidelium iis, qui forent Ecclesiæ inobedientes, & contumaces: vt fit per excommunicationem. Nam immediatè antea dixerat Christus: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum*, &c. *Si te non audierit, adhibe tecum vnum aut duos testes*, &c. *Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ*, Prælatis scilicet: *si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus*, id est, separetur à fidelium consortio, & communione, ita vt non magis sit tibi cum illo societas, & communicatio, quàm erat Iudæis cum Ethnicis, & Publicanis, qui erant illis abominabiles. Tumque ad ostendendum fore id Deo acceptum, & ratum in cœlo habitum iri, subiũxit

Probatur ex Script.

loquens Apostolis, vt futuris Ecclesiæ Prælatis, omnibusque illorum successoribus: *Amen duo vobis, Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata, & in cœlo.*

3. Cõfirmatur ex perpetua Ecclesiæ praxi.

Probatur secundò ex praxi Ecclesiæ, quæ perpetuò ab Apostolis huc vsque hac potestate vsa est, præcipuè in ferendis excommunicationibus. Nam Petrus illam exercuit contra Simonem Magum, quando dixit: *Non sit tibi pars in sermone isto*, &c. Actor. 8. vt significat Canon 30. Apostolorum, vbi Simoniaci excommunicantur, *Sicut*, inquit, *Simon Magus à Petro.* Et Paulus eadem potestate vsus est in Corinthium fornicarium, quem tradidit Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fieret, 1. Corinth. 5. Et 1. Timoth. 1. idem se fecisse ait Hymeneo, & Alexandro, vt discerent non blasphemare. Et 2. Corinth. 11. v. 6. affirmat se in promptu habere vleisci omnem inobedientiam, secundum potestatem sibi datam à Domino, in ædificationem, & non in destructionem, vt addit v. 10. Eadem quoque deinceps vsos esse Prælatos Ecclesiæ Apostolorum successores, patet ex Decretalibus Summorum Pontificum Anacleti, Alexandri I. Callisti, Vrbani I. Antheri, Fabiani, Cœlestini I. Pelagii, Nicolai, aliorumque plurimorum, & ex Conciliis, sanctisque Patribus, quorum aliquot testimonia referuntur causa 11. q. 3. & multò plura causa 24. q. 3. Videri etiã potest de illis Sotus in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 1. Baronius ad annum Christi 57. & Pammelius in epist. 38. S. Cypriani num. 10. & in epist. 62. num. 15. & in cap. 39. Apologetici Tertulliani n. 502. ad illa verba *Et censura diuina*, &c. *Summumque futuri iudicii præiudicium est, si quis ita deliquerit, vt à communione orationis, & conuentus, & omnis sancti commercii relegetur.* Eódem etiam pertinent multa, quæ diximus disp. 55. de Publica pœnitentia.

4. Probatur ex Concil.

Probatur 3. ex Concilio Constantiensi, sess. 15. vbi damnatur error iste Ioannis Hus num. 19. *Per censuras ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, ad sui exaltationem Clerus populum sibi laicalem supplantat, auaritiam multiplicat, malitiam protegit, viam præparat Antichristo.* Et in Bulla Martini V. in fine eiusdem Concilii, præcipitur, vt suspectus de hæresi interrogetur, vtrum credat quòd Papa, vel alius Prælatus, vel ipsorum Vicarii possint suum subditum ecclesiasticum, siue sæcularem, propter inobedientiam, siue contumaciam excommunicare, ita vt talis pro excommunicato sit habendus. Item, vtrum credat quòd inobedientiã, siue contumaciã excommunicatorum crescente, Prælati, vel eorum Vicarii in spiritualibus habeant potestatem aggrauandi, interdictum ponendi, & brachiũ sæculare inuocandi, & quòd illis censuris per inferiores sit obediendum.

5. Bonum Ecclesiæ regimẽ id postulat.

Quartò denique ratio huius assertionis indubitatæ apud omnes Catholicos, suprà fuit insinuata. Quia nimirum ad bonum regimẽ Ecclesiæ necessaria est potestas iurisdictionis, non solùm directiua, sed etiam coercitiua per pœnas ipsi proportionatas, spirituales scilicet; priuando rebelles, & contumaces aliquibus bonis spiritualibus; nam per eorum collationem puniri nequeunt: vnde illæ pœnæ non possunt esse nisi priuatiuæ. Ergo non est dubitandum Christum dedisse vtramque potestatem Ecclesiæ Prælatis. Vt enim rectè dicitur l. 2. ff. de Iurisdictione omnium iudicum, *Cui iurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus iurisdictio exerceri non potuit.* Adde, quòd Ecclesiæ conditio non est deterior, quàm cuiusuis alterius Communitatis, aut Reipublicæ, quæ vt puniat, vel coerceat subditos, bonis communibus, aut priuilegiis eos priuare potest. Adde etiam ex l. vlt. ff. *De eo cui mandata est iurisdictio* & cap. *Pastoralis*, in principio *de officio delegati*: & cap. *Ex literis*, eodem titulo, iurisdictionem sine coercione, id est, sine vi coercitiua, nullius momenti, & delusoriam videri. Vnde quæuis Respubl. bene instituta (vt à Christo Ecclesiam institutam dubitare nefas) opus habet iurisdictionis potestate tam coerciuã, quàm directiuã, vt bene subditos regere, & in officio continere possit: quemadmodum experientiã, & naturali lumine notum est.

6. Censuræ priuãt etiã cõmunibus bonis spiritualibus.

Dico secundò, censuras ecclesiasticas non priuare solùm fideles externo conuictu politico, & conuentibus ecclesiasticis: verùm etiam communibus bonis spiritualibus. Probatur, quia Ecclesia habet potestatem illis priuandi inobedientes, & contumaces, putà suffragiis, & orationibus publicis, quæ nomine ipsius fiunt, participatione sacramentorum, officiis, dignitatibus, & Beneficiis ecclesiasticis, eorumque vsu aut functionibus: sicut aliæ communitates possunt merentes priuare quibuscunque bonis communibus reipublicæ. Quòd autem illa potestate vtatur in censuris ferendis, patet ex modo, quo feruntur, & ex verbis, quibus illa suam intentionem declarat. Eáque de causa D. Chrysost. lib. de Sacerdotio, dicit poenam excommunicationis ad animam vsque pẽtrare, & homil. 61. in Matth. circa illa verba, *Quæcunque alligaueritis super terram*, &c. sic ait, *Animaduertis quomodo aduersus hunc necessitate inuexit præsenti vindicta?* verbis scilicet illis, *Sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*, id est, eiiciatur ab Ecclesia: *& futuro supplicio*, cui scilicet manet magis expositus, priuatus huiusmodi bonis, quod est esse ligatum in cœlo. Idemque docet, & simili modo probat D. Augustin. epist. 75. *Spiritualis poena*, inquit, *quâ fit quod scriptum est, Quæ ligaueris in terra, erunt ligata & in cœlo, animas obligat*, &c. Eódem referunt aliqui quod ait Paulus 1. Corinth. 5. de Corinthio excommunicato, *Iudicaui tradere huiusmodi hominem Satanæ*; non modò scilicet vexandum in corpore, sed etiam liberiùs quàm antea in anima, destitutum communibus Ecclesiæ suffragiis, atque præsidiis: & quod addit v.

Digitized by Google

11. de aliis fornicariis, & grauioribus peccatoribus, & ſcandaloſis, *Cum huiuſmodi nec cibum ſumere*: & Ioannes de Hæreticis epiſt. 2. cap. 2. *Nec aue ei dixeritis*: quaſi dicant, non modò illos ſpiritualium bonorum communione priuari, ſed ne licere quidem conuerſari cum illis exteriori communicatione.

7. Cenſuræ non metuendæ ſunt.

Vnde collige, falſum, & abſurdum eſſe quod ait Luther. non eſſe metuendas, ſed optandas potiùs Eccleſiæ cenſuras: quaſi verò ſpiritualium bonorum, & conſortii fidelium priuatio, Satanæque vexatio, optanda potiùs, quàm timenda ſit. Neque verò ita de illis ſenſit Antherus Papa in epiſt. Decretali, vbi affirmat, pœnam excommunicationis eum locum habere in Eccleſia, quem pœna mortis tenebat in Synagoga. Et Chryſoſt. homil. 4. in epiſt. ad Hebræos propè finem, vbi dicit non eſſe contemnenda eccleſiaſtica vincula. *Non enim homo eſt, qui ligat, ſed Chriſtus, qui nobis hanc poteſtatem dedit.* Et Auguſt. libro 1. contra aduerſarium legis, & Prophetarum cap. 17. vbi relatis his Chriſti verbis, *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus*: dicit grauius illud eſſe, quàm ſi gladio feriretur, ſi flammis abſumeretur, ſi feris ſubigeretur. Poſteaque addit: *Ecce ab hominibus non reddentibus malum pro malo, alligatur homo amarius, & infelicius Eccleſiæ clauibus, quam quibuſ unquè duriſſimis, & grauiſſimis, ferreis, vel adamantinis nexibus.* Cætera verò quæ addunt Lutherus, aliique hæretici ſuprà citati, refutabuntur in ſolutione argumentorum.

8. Cenſuræ faciunt ad ædificationem.

Ad primum igitur pro Vicleffo propoſitũ Reſpondeo facere ad ædificationem, quòd, vt ait Ambroſ. lib. 1. de Pœnit. cap. 14. ſequeſtretur graviter lapſus, ne modicum fermentum totam maſſam corrumpat: quódque vt ait Apoſt. 1. Corinth. 5. tradatur aliquis Satanæ per excommunicationem, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini. Ad quæ verba alludens D. Auguſtin. ſic ait, *Omnis Chriſtianus qui à ſacerdote excommunicatur, Satanæ traditur: quia extra Eccleſiam Diabolus eſt, ſicuti in Eccleſia Chriſtus.* Et Hilarius in Pſalm. 118. lit. *Ain*, circa illum verſum, *Feci iudicium & iuſtitiam, non tradas me calumniantibus me*: ad eiuſdem Apoſtoli verba reſpiciens, ſic loquitur: *Qui ab Eccleſiæ corpore reſpuuntur, quæ Chriſti eſt corpus: tanquam peregrini & alieni à Dei corpore, dominatui Diaboli traduntur.* Pertinet, inquam, ad ædificationem, quòd per cenſuras eccleſiaſticas coerceatur malefactor, & ſeuerè puniatur, ad frangendam ipſius contumaciam, & vt alii ipſius pœnâ deterreantur; ſimulque vt ipſe conuertatur, & ſpiritus ſaluus fiat.

Non leuis & facilè tollendæ.

Ad ſecundum Reſpondeo, Chryſoſtomum verbis citatis reprehendere vel nimiam facilitatem anathematizandi, vel temeritatem anathematizantium vltra conceſſam poteſtatem, & ita vt nullam ſpem redeundi relinquerent: vt ſignificat ratio ab ipſo allata, quæ alioqui nulla eſt. uſtè autem ac piè abſcindi poteſt vnus datâ ſufficienti cauſâ, non quia ad bonum conuerti non poteſt, ſed potiùs vt magis hæc pœna moueatur, & excitetur ad conuerſionem, atque vt ſimul totius corporis Eccleſiæ tanti tati & vitæ proſpiciatur. Plura de hoc argumento videri poſſunt apud Suar. tom. 5. in 3. part. diſp. 1. ſect. 2. n. 17.

9. Quibuſnã bonis ſpiritu. priuẽt.

Ad tertium pro primo Lutheri errore adductum, Reſpondeo falſum eſſe fidẽ ſolam, & nudam ſufficere ad omne bonum internum participandum. Deinde dico cum Valentia quæſt. 17. de Pœnit. puncto 1. Præter ſpirituale & internum gratiæ bonum, iuſtificationis, quod fide viua percipitur, vel ope ſacramentorum; & præter bonum externum conſuetudinis in actionibus ſeu politicis, ſeu eccleſiaſticis, eſſe etiam maximum bonum commune illud quod continetur ipſis orationibus, ac ſuffragiis, quæ ab Eccleſiæ miniſtris ex peculiari ipſius intentione pro fidelibus fiunt: quibus fideles iuſta de cauſa, quantumuis fide viua præditi, priuari poſſunt, ex peculiari eiuſdem Eccleſiæ decreto, vt & aliis bonis communibus ſuprà commemoratis. Nam in quauis Republica poſſunt ſubditi iuſtis de cauſis priuari bonis comunibus illius. Quod autem additur, neminem lædi in bonis ſpiritualibus, niſi à ſeipſo, intelligendum eſt, niſi ipſe voluntariè cauſam det. Alioqui enim poteſt illis priuari ab alio: ſicut quiſquis mortaliter peccat, priuatur à Deo bonis ſpiritualibus, etiã propriis, ipſoque dono iuſtificationis. Nec obeſt quòd cenſuræ pertineant ad forum externum, ſeu contentioſum eccleſiaſticum. Hoc enim non impedit, quò minùs Eccleſia punire queat inobedientes, pœnis ſibi proporportionatis, id eſt, ſpiritualibus; cuiuſmodi pœna eſt priuatio bonorum ſpiritualium communium ipſius Eccleſiæ. Non obeſt denique quòd Eccleſia non eſt domina, ſed fidelis diſpenſatrix communium bonorum ſpiritualium: quia ad fidelẽ diſpenſationem pertinet ea dignis communicare, & indignis ſubtrahere.

10.

Ad quartum argumentum pro ſecundo errore Lutheri propoſitum reſpondeo, tametſi Excommunicatio eſt medicinalis, eſſe nihilominus pœnam ſeueram, & grauè malum, adeóque timendum: ſicut è contrario, bonum quo priuat, magnum eſt, & optandum. Si enim multum valet apud Deum deprecatio vel vnius iuſti, Iacob. 5. quantò magis iuſtorum omnium, & totius Eccleſiæ? Sane abciſiſſio brachii computreſcentis medicinalis eſt, & tamen vitanda ſi fieri poſſit.

Abſunt à crudelitate.

Ad quintum, Reſpondeo cum Aegid. diſp. 13. n. 26. non propterea facere cruderiter Eccleſiam, vt neque aliæ reſpublicæ, quando iuſtis de cauſis priuat bonis ſupradictis. Tum quia illa non ſunt abſolutè neceſſaria, licet admodum vtilia: & expedit interdum eis priuare, vt Rei peccatorum ſuorum fœditatẽ agnoſcant, & confundãtur, ac reſipiſcant. Tum etiam quia Eccleſia non

subtrahit excommunicatis omne humanitatis, & charitatis officium. Quamuis enim priuet bonis communibus excommunicatum, & conuentibus publicis: licet tamen vnicuique illum hortari ad pœnitentiam, deque illis rebus cum ipso agere, quæ ad emendationem vitæ mouere possunt: iuxta illud Pauli 2. Thessalonic. 3. v. 15. *Nolite quasi inimicum existimare, sed corripite, vt fratrem.* Denique, vt rectè ait D. Ambros. lib. 2. de Offic. cap. 27. dolore, & pœnis corrigendum est, id quod amore sanari nequit. *Boni*, inquit, *Episcopi affectus est vt propter sanare infirmos, serpentia auferre vlcera, adurere aliqua, non abscindere: postremò quod sanari non potest, cum dolore abscindere.*

11. Ad sextum pro errore Confessionis Augustanæ propositum, **Respondeo**, legem euangelicam ita esse legem amoris & gratiæ, ac libertatis à seruitute legis Mosaicæ; vt tamen pœnis cogere possit & punire, quos amor satis in officio non continet, atque etiam in eos, quos ipsius censuræ non satis mouent, implorato auxilio brachii sæcularis, seueriùs agere. Nisi enim Ecclesia vi externa cogere posset subditos ad censuras seruandas, non satis illi prouisum esset de auctoritate necessaria in ordine ad finem spiritualem, quem in gubernando, & coercendo propositum habet. Vt enim hunc finem assequi valeat necessaria est illi auctoritas, quâ cogat refractarios ad censuras seruandas. Alioqui pessimi quique, quia non curant bona spiritualia, auctoritatem eius contemnerent, omniaque iura peruerterent, & alios exemplo suo ad idem malum pertraherent. Atque ille est, & fuit olim communis vsus Ecclesiæ, quæ non rarò peruicaces & incorrigibiles grauiorum criminum reos tradidit brachio sæculari puniendos. Et quemadmodum in homine constante corpore, & anima, præditoq; potentiis corporalibus, & spiritualibus, corporalia debent inseruire spiritualibus ad finem animæ rationali propositum: sic in Ecclesia, quæ tota constat statu ciuili, & ecclesiastico, potestatéque ciuili, & spirituali; potestas ciuilis debet seruire spirituali, quantum ad finem illius obtinendum necessarium est.

12. Ad id denique quod ait Marsilius Patauinus, patet responsio ex dictis num. 1. & disp. 56. sect. 1. v. i satis, superque ostendimus potestatem ecclesiasticam non ab hominibus, sed à Christo immediatè fuisse datam Petro, & aliis Apostolis, primis Ecclesiæ rectoribus ab ipso constitutis. Petro quidem ratione officii ordinarii Pastoris vniuersalis, perpetuò manituri in Ecclesia, propter quod eius auctoritas esset ad omnes successores legitimos trasmittenda: aliis verò Apostolis, ratione muneris Apostolici, & in priuilegium dignitatis illis concessæ, Apostolatus scilicet, seu legationis amplissimæ à Christo eis commissæ ad prædicandum toto orbe ipsius Euangelium.

Potestas exercendi est à Christo.

SECTIO II.

Quid sit Censura, & quotuplex?

RESpondeo, & dico primò censuram esse pœnam spiritualem, & medicinalem, quæ priuat immediatè vsu aliquorum bonorum spiritualium, ecclesiastica potestate ita impositam, vt ex se non sit perpetua, sed posita Rei emendatione debeat tolli per eandem potestatem ecclesiasticam. Ita ferè Suar. disp. 1. de Censuris sect. 1. n. 5. & Coninc. disp. 13. dubio 1. n. 8. 13.

Dicitur, primò *Pœna*; loco generis: quia in eo conueniunt omnes censuræ: & per hoc distinguũtur ab irrẽgularitatibus, quæ non sunt pœnæ, sed inhabilitates; & à cessatione à diuinis, prout differt ab Interdicto, quæ vt sic non est pœna, sed signum luctus & tristitiæ. Sumitur autem hic propriè poena, prout dicit respectũ ad culpam. Vnde fit vt censura non nisi propter culpam iuste, & validè infligi possit; vt colligitur ex cap. *Nullus*, 11. quæst. 3. & cap. *Sacro*, de sententia excommmunicationis. Censura est pœna.

Dicitur secundò, *Medicinalis*; quia imponitur ad salutem Rei, iuxta caput, *Medicinalis*, de sent. Excommun. in 6. eamq; per se intendit. Potest nihilominus ferri censura in eos qui sciuntur non emendandi, quando bonum publicum id postulat ad exemplum, & terrorem aliorum, vel ad tollendum scandalum: quia boni communis magis habenda est ratio, quàm eius quod per accidens contingit ex malitia Rei: & censura ita est medicina, vt simul etiam sit poena vtilis ad delictũ puniendũ, alioſq; ab eo detrerendos. 14. Medicinalis.

Dicitur tertiò, *priuans immediatè vsu aliquorum spiritualium bonorum*: quâ particulâ, *Immediatè*, distinguitur censura ab irregularitate, etiam illâ quæ incurritur ex delicto: itemq; à depositione, & degradatione; quæ priuant immediatè, non vsu sed potestate, vel habilitate vtendi quibusdam bonis spiritualibus: ideóq; quantum est ex ipsarum institutione, perpetuæ sunt: secus atq; censura, quæ posità Rei emendatione debet tolli, vt dicemus paulò post. Consistens in priuatione aliquorum bonorũm.

Dicitur quartò, *aliquorum bonorum*: nempe communium: non autem purè particularium, fidei, spei, & charitatis, & similium, quibus nos solus Deus, & nos ipsi priuare possumus malo nostro merito. 15.

Dicitur quintò, *bonorum spiritualium*: nempe vel absolutè, vt vsu sacramentorum, & suffragiis Ecclesiæ: vel respectiuè, quia censura non priuat bonis tẽporalibus, nisi in ordine ad spiritualia. Exemp. grat. excommunicatio maior priuat quidem communi hominum consuetudine, sed Christianorũ tantùm: idque ne reus sua conuersatione aliis noceat, vtque ita confusus resipiscat. Per hoc autem distinguitur hæc pœna ecclesiastica Spiritalium quodam modo.

stica à ciuili, quę purè consistit in rebus temporalibus, vt in exilio, bonorum confiscatione, & similibus.

• Dicitur sextò, *Ecclesiasticâ potestate imposita*: quâ particulâ designatur causa efficiens censuræ, quæ cùm sit pœna spiritualis, & ecclesiastica, non potest imponi nisi à persona, & potestate ecclesiastica.

16. Non est perpetua ex se. Dicitur septimò, *ita vt ex se non sit perpetua* &c. quia cùm per censuram non tam quæratur punitio, quàm Rei emendatio: idcirco positâ Rei emendatione debet tolli: vt patet ex cap. 1. de senten. Excommunic. in 6. & cap. *Ex literis, de Constitutionibus.* In quo differt censura ab irregularitate propter crimen inflicta, & à depositione, & degradatione, quæ de se perpetuæ sunt: neque tolli possunt per emendationem, aut absolutionem rei, sed tantùm per relaxationem legis, quæ vi sua facit eiusmodi status esse perpetuos, priuatque non solùm vsu, sed ipsâ potentiâ vel habilitate, vt paulò ante diximus.

17. Censuræ diuisio prima. Dico secundò censuram variè diuidi. Primò enim alia est à iure, alia ab homine. Prior sic dicitur eò quòd per legem, aut statutum aliquod inferatur. Posterior, quia per hominis sententiam. Vel vt alij eam definiunt, Censura à iure dicitur illa, quæ fertur à legislatore cum intentione condendi legem seu statutum perpetuum, iniunctâ transgressoribus pœnâ Censuræ. Censura verò ab homine dicitur illa, quæ fertur à Superiore aliquid præcipiente non intentione ferendi statutum, vel condêdi legem perpetuam, sed præceptum duntaxat temporale & transitorium impositâ inobedientibus censura. Et hæc iterum diuiditur in particularem, quæ versatur circa aliquod factum singulare; aut circa personas determinatas; & in generalem, quæ nullam talem limitationem habet. Exemplum prioris est, si Prælatus excommunicet omnes qui tale damnum particulare intulerunt, aut Petrum hîc & nunc sibi contumacem. Posterioris, si v.g. excommunicet omnes qui furantur in templo. Porro censura à iure non potest imponi nisi ab eo qui habet potestatem condendi legem, duratque illius constitutio ipso mortuo: secus autem quæ imponitur per sententiam, seu præceptum.

Altera diuisio. Secundò, alia est censura latæ sententiæ; & alia ferendæ. Prima est, quam superior per legem aut per sententiam actu infligit. Posterior est, quam superior iubet infligi, vel minatur se inflicturum. Prioris signum est, quando in iure, vel in sententia dicitur, Quisquis hoc fecerit, sit ipso iure, vel ipso facto excommunicatus, suspensus, interdictus: vel, Eum, qui hoc fecerit, excommunicamus, aut excommunicatum se esse cognoscat. Posterioris, quando dicitur, Qui hoc fecerit, sit excõmunicatus, iubemus, aut volumus eum excommunicari, excommunicetur, prohibemus hoc fieri sub pœna, vel interminatione excommunicationis.

Tertiò, censura generatim diuiditur in Excommunicationem, Suspensionem; & Interdictum. Quæ diuisio sumitur ex Innocentio III. cap. *Quærenti*, de verb. signific. & cap. 1. de sentent. Excommunicat. in 6. & cap. *Statutum*, eod. tit. vbi hæ solæ species censuræ enumerantur; nec vllibi recensentur plures. Si autem plures essent, sine dubio facta esset aliquibi earum mentio, præsertim verò ab Innocentio III. quippe qui fuerat interrogatus quid nomine censuræ intelligendum esset in scriptis Pontificum? Cui interrogationi non satisfeciisset, si tres tantum è pluribus enumerasset: Quemadmodum qui rogatus explicare, quid nomine sacramenti nouæ legis intelligendum sit, responderet, Baptismum, & Eucharistiam; omissis aliis sacramentis æquè propriè dictis. Idem etiam patet ex pluribus facultatibus, seu priuilegiis, & Bullis summorum Pontificum, in quibus irregularitates, & cætera huiusmodi, aperte distinguuntur à censuris, eoque nomine intelliguntur solùm tres supra enumeratæ. 18. Tertia diuisio.

Est autem excommunicatio generatim, censura ecclesiastica priuans directè communione fidelium: vel absolutè omni, vt maior excommunicatio: vel solâ passiuâ, quæ consistit in perceptione sacramentorum, vt facit altera excommunicatio, quæ minor appellatur. 19. Excommunicatio.

Suspensio verò definitur censura ecclesiastica, quâ Clericus priuatur vsu potestatis, quæ illi ratione officii clericalis, aut Beneficii competit. Addunt multi, ita tamen vt non priuetur vsu potestatis in perpetuum, quia tunc esset potiùs depositio, aut degradatio, quàm suspensio. Sed hoc satis significatur nomine censuræ, vt patet ex illius definitione supra tradita. Est autem suspensio alia totalis, quâ quis simul suspenditur ob officio, & Beneficio: alia partialis, quâ solùm ab Officio, vel solùm à Beneficio. Item vel ab officio generatim, & absolutè: vel ab aliquo determinato, verbi gratiâ sacerdotali: vel à iurisdictione: vel ab ingressu Ecclesiæ: Et hæc omnia, vel determinatè ad certum tempus, vel indeterminatè. Suspensio

Interdictum denique est censura ecclesiastica, quâ prohibentur diuina officia, administratio certorum sacramentorum, & ecclesiastica sepultura, quatenus illa rerum spiritalium quandam participationem continet. Quâ particula extrema differt Interdictũ ab excommunicatione, & Suspensione. Nam Excommunicatio priuat bonis spiritalibus, quatenus habent rationem communicationis cum fidelibus. Interdictum verò priuat illis, quatenus sunt participatio quædam diuinorum Officiorum, aut Sacramentorum. Suspẽsio autem, quatenus habent rationem vsus alicuius potestatis spiritualis. Vnde etiam hæc vltima censura in solos Clericos ferri potest: aliæ duæ in fideles omnes. Interdictum

Digitized by Google

Dixi prohiberi diuina officia per Interdictum: nempe tam quoad auditionem, quàm quoad celebrationem: vt habetur cap. *Si sententia*, de Sentent. excom. in 6. Dixi præterea prohiberi administrationem aliquorum sacramentorum, non autem absolutè omnium: quia neque Baptismi, & Confirmationis, vt patet ex cap. *Quoniam*, eod. tit. Neque Pœnitentiæ, siue moribundis, aut infirmis, siue etiam sanis quocunque tempore, cap. *Alma*, eodem tit. Neque etiam Eucharistiæ dandæ per modum viatici constitutis in articulo, vel probabili periculo mortis, quacunque ex causa. Atque vt possit pro illis debitè conseruari, ac renouari, conceditur cap. *Permittimus*, Extra, de sentent. excom. vt tempore interdicti semel per hebdomadã celebretur Missæ sacrificium: cum moderatione tamen, cap. *Alma*, sup. cit. adhibitâ, vt nempe id fiat exclusis excommunicatis, & interdictis.

21. Annexa censuræ depositio, & degradatio.

Ad has tres species generales reuocantur aliqua quæ censuræ non sunt. Ad suspensionem quidem, depositio, & degradatio: quas aliqui sic distinguunt, vt depositionem vocent pœnam ecclesiasticam, quâ clericus in perpetuum priuatur omni Officio, ac Beneficio clericali, relicto solo priuilegio Canonis, & fori: degradationem verò, quando clericus ab Ordine, & ab omni officio, Beneficioque depositus, priuatur vlteriùs omni priuilegio clericali per solemnem sententiam in perpetuum, & sine spe restitutionis: siue tantùm verbaliter, siue etiam realiter, quando scilicet cum certa solennitate spoliatur omnibus vestibus, & signis clericalibus: quæ de re plura dicemus inferiùs disput. 60. sectione 3. Alii quoad nomen depositionem cum degradatione confundunt, & diuidunt in verbalem, quam alii strictiùs depositionem vocant: & realem, quam alii vocant degradationem, qualem suprà definiuimus. Sed quidquid sit de vocibus (quæ interdum in iure ipso confunduntur, vt cap. 2. de Pœnis, in 6. sæpiùs tamen distinguuntur eo modo quo diximus) certum est, duplicem esse illam pœnam ecclesiasticam, vt omnes agnoscunt, & patet ex cap. 2. citato, in quo agitur de priori: de posteriori autem in cap. *Cum non ab homine*, Extra, de iudiciis, cap. *Si Episcopus*, dist. 50. cap. *Si quis Clericus*, distinct. 81. & cap. 1. *de Homicidiis*, in 6.

22. Cessatio à Diuinis.

Ad Interdictum verò reuocatur cessatio à diuinis; quæ est quædam desistentia à diuinis officiis, & sacramentorum administratione, obligans sub præcepto, nec tamen propriè pœnæ rationem habens, neque lata directè ad aliquod peccatum puniendum, sed ad mœrorem grauissimum significandũ, vel ad iniurias Ecclesiæ repellendas. De quibus omnibus plura dicemus inferiùs, disputando de singulis Censuræ speciebus, earũque annexis. Item ad Interdictum reuocatur etiam Irregularitas: quæ est quædam inhabilitas iure canonico inducta, directè, quantum est ex se, impediens susceptionem Ordinum, atque etiam primæ tonsuræ, & indirectè vsum susceptorum.

SECTIO III.

De causis Censuræ, seu quinam possint ferre Censuras, & circa quos, quaue de causa?

23. Potestas duplex ferendi censuras.

DIco primò, duplicem esse potestatem ferendi censuras: ordinariam scilicet, quæ alicui competit ratione officii: & delegatam, quæ habetur ex commissione alterius. Potestate ordinaria illi omnes, & soli possunt ferre censuras, qui habent iurisdictionem ecclesiasticam in foro externo, seu contentioso. Cuiusmodi sunt in primis Summus Pontifex respectu omnium fidelium. Secundò, Episcopus respectu suorum dioecesanorum non exemptorum. Tertiò, Archiepiscopus in subditos etiam suffraganeorũ, quando eos visitat, aut quando ad illum causa est deuoluta per appellationem, aut quid aliud, Cap. *Venerabilibus, de Sentent. Excommun. in 6.* Quartò vicarii Episcoporum, quippe qui funguntur illorũ officio & iurisdictione, habentq; vnũ tribunal cum Episcopo, cap. 2. *De consuetudine in 6.* Quintò, Capitulum Cathedrale sede vacante, eiusq; vicarii: vt colligitur ex cap. *Cum olim, de maioritate*: & cap. primo, *eod. tit. in 6.* Succedũt enim in locum Episcopi defuncti. Sextò Legatus à latere summi Pont. in tota Prouincia ad quam legatus est; quia vi suæ legationis habet in illa iurisdictionẽ ordinariã, cap. 2. *de Officio Legati in 6.* Septimò Abbates exẽpti habentes iurisdictionem Episc. respectu eorũ, in quos illam habent. Itemq; Archidiaconi, & Archipresbyteri, ex consuetudine eadem potestate gaudent, cap. *Veniens, de eo qui furtiuè Ordines suscepit.* Et cap. *Dudum* 2. *de Elect.* Octauò, eandem habent Cardinales in Ecclesia sui tit. Nonò, Concilia general. in toto Orbe Christiano: & Nationalia, vel Prouincialia, in sua Natione, vel Prouincia. Decimò, ex priuilegio eam habent Generales, & Prouinciales Religiosorũ Ordinũ, respectu suorũ inferiorũ; atq; etiam Superiores familiarũ, vt Priores, Guardiani, & similes. Parochi autem sicut non habẽt iurisdictionẽ in foro externo, ita neq; possunt cẽsuras ferre, nisi forte alicubi hanc facultatẽ obtinuerunt ex consuetudine. Potest enim præscribi. Ratio autem cur non habeant hanc potestatẽ nisi illi, qui habent iurisdictionẽ in foro externo, est quia potestas ferendi cẽsuras est potestas coercitiua in foro externo, ad cõtinẽdos in officio subditos: quę non potest exerceri sine iurisdictione in eodem foro.

24. Et quibus delegata?

Ex delegatione verò illã habent ii, quibus supradicti eam cõmiserunt. Vbi nota 1. omnes qui habent potestatem ordinariã, posse eam delegare aliis, cap. *Cum Episcopus*, de officio Ordinarii in sexto. Delegatus verò non potest subdelegare, nisi sit Legatus supremi Principis, qui in re Ecclesiastica

Digitized by Google

est summus Pontifex solus, cap. *Cum causam*, de appellationibus. Nota secundò, posse delegari, seu committi cuiuis clerico gaudenti priuilegiis clericalibus: quia talis est capax iurisdictionis spiritualis. Neq; obest, quòd nõ sit adhuc Ordinibus initiatus: quia ad hanc potestatem obtinendam & exercendam non requiritur necessariò potestas Ordinis. Nota tertiò, iure Ordinario non posse committi purè laico, vt omnes fatentur, & colligitur ex cap. *In nouâ.* 16. q. 7. Idèque dicunt de clerico coniugato, præsertim cum vidua: quia non gaudet priuilegiis clericalibus, & quasi laicus reputatur, præcipuè in hac materia. Posset tamen illis committi à summo Pontifice per plenitudinem potestatis: quia id totum iuris est ecclesiastici, de quo potest ipse disponere. De fœminis autem censendum est iuxta ea, quæ diximus disp. 56. sect. 3. n. 34. & 35. Et quidem reipsa fuisse concessam quibusdam Abbatissis testatur Henriq. lib. 13. cap. 24. §. 1.

25. Quæ requirantur ad illius vsum?

Ad vsum autem validum huius potestatis siue ordinariæ, siue delegatæ, requiritur primò vt non sit impedita: alioqui non magis operatur, quàm si nõ esset. Impeditur autem per iustam appellationem, aut notoriam excommunicationem maiorem iudicis volẽtis ferre censuram: itemque per suspensionem ab omni iurisdictione, per degradationem, per interdictum personale excommunicantis, aut aliam censuram infligentis: vel si ipse interdictum violauerit. Nam excommunicatus maiori excommunicatione, suspensus ab omni iurisdictione, interdictus personaliter, violator interdicti, aut degradatus, nõ potest excõmunicare, vt habetur 24. q. 1. Can. *Audiuimus*. Sed iam post Cõcil. Cõstãtiense non impeditur ista potestas, nisi talis sit nominatim, & publicè denunciatus, aut publicus percussor clerici, cuius factum nulla possit tergiuersatione celari, vel excusatione iuris defendi. Secundò, requiritur vt ferens censuram liberè agat, id est, vtatur ratione. Addunt etiam aliqui vt non coactè, ita vt censura metu extorta non valeat. Sed hæc exceptio non exprimitur in iure: quæ autem metu fiunt, validè fiunt iure naturali, & positiuo, nisi in casibus iure exceptis. Qua de re plura videri possunt apud Suar. disp. 2. de Censuris sect. 5. Tertiò, si ferens censuram sit extra locum suæ iurisdictionis, debet obtinere cõsensum illius ad quem pertinet huius loci iurisdictio: qui nisi obtineatur, censura erit inualida, excepto eo casu, quo Episcopus expulsus à suis è propria dioecesi, rebelles illos, & iniustos expultores excommunicat. Tunc enim sufficit petere veniam ab Ordinario loci in quo versatur, illãq; licet non obtentâ, valet excommunicatio, vt patet ex Clementina vnica, *De foro competenti*. Quartò Episcopus non potest excommunicare suum subditum constitutum extra suam dioecesim, & delinquentem solùm extra illam. Quare si Episcopus excommunicat omnes, qui furantur res sacras, subditi Episcopi qui furantur extra suam dioecesim, non sunt excommunicati, vt habetur cap. 2. de Constitutionibus in 6.

Potest tamen Episcopus excommunicare 26. Potestne Episcopus excommunicare extraneos.
suum subditum cõstitutum extra suam dioecesim, si committat crimen in sua dioecesi. Exempli gratia, Si Episcopus excommunicat omnes non residentes in suis Beneficiis, ille qui non residet, incurrit excommunicationem, quamuis sit in alia dioecesi, vt docent Nauarr. cap. vlt. Enchiridii. num. 6. & Henriq. lib. 13. cap. 26. §. 2. lit. Q. Potest etiam Episcopus excommunicare alienigenas constitutos intra suam diœcesim, & intra illam delinquẽtes contra ius naturale vel diuinum, aut cõmune, putà si nolint satisfacere parti læsæ: quia tales fiũt illi subditi ratione huius peccati, quod in eius dioecesi cõmittunt: vt patet ex c. vlt. de foro cõpetenti: sed non si peccãt tantũ contra leges proprias illius territorij, vt dicemus paulò post. Neq; etiam illũ, qui est in loco exẽpto, etiamsi peccet intra suã dioecesim, vt docẽt Henriq. loco cit. & alii cõmuniter, quia Episcopus non ibi plus iuris habet, quàm extra dioecesim. Vnde sicut nõ potest censuris ligare subditũ existentẽ extra suã dioecesim: ita neq; existentẽ in loco exẽpto, & iurisdictioni illius subtracto. Confirmatur ex cap. Cùm Episcopus, de Officio Ordinarii in 6. vbi dicitur quidẽ Episcopum habere iurisdictionem ordinariam in tota sua dioecesi: sed cum limitatione additur, posse in omni loco eius nõ exẽpto, iurisdictionis actus exercere: & nimirum non posse in aliis. Et cap. 1. de Priuilegiis in 6. clarè supponitur delictũ in loco exempto commissum, esse extra iurisdictionem Episcopi, siue Ordinarii illius dioecesis. Nomine autẽ loci exempti intelligunt aliqui quæcunque loca quomodocũq; exẽpta. Alii vt Suar. disp. 5. de Cẽsuris, sect. 4. n. 6. Et Conin. disp. 13. dubio 7. n. 63. loca dũtaxat per se exempta à iurisdictione Ordinarii: cuiusmodi sunt aliquæ Paroeciæ, aut oppida: non autẽ Monasteria Mendicantium, & similia loca, quæ non sunt per se exẽpta, sed tantùm ratione talium personarum ibi habitantium. Quia cùm Superiores istorum Monasteriorum non possint corrigere externos delinquentes in suis Monasteriis; si Episcopi hoc etiam non possent, tales manerent planè impuniti, neque vlli foro essent subiecti. Vel in loco exempto.

Præterea, si quis post delictum cõmissum 27. Vel subditum extra dioecesim positum.
egrediatur dioecesi, potest nihilominus Episcopus in illum agere per cẽsuras, dummodo fuerit ante egressũ citatus legitimè: quia ratione citationis tenetur cõparere: & cõtumaciter recusans potest puniri, & iudicium iam inchoatũ ab Ordinario, potest ab illo perfici. Notandũ autẽ est aliã esse rationẽ de Prælatis Regularibus, qui possunt ligare censuris religiosos sibi subditos, vbicunq; existant, sicut & illos præceptis obligare, perinde ac si essent in proprio Cõuentu, aut Monasterio. Ratio discriminis est, quia Prælati Regulares

habent in mediatè iurisdictionem in personas: ita vt sint per se illis subiectæ. At verò Episcopi habent ius immediatè in territorium. In personas verò non nisi ratione territorii: vt bene docet Aegid. suprà num. 64.

28. Censuræ non possũt ferri nisi erga subditos.

Quod verò attinet ad eos, in quos censuræ ferri possunt, Dico secundò non posse ferri nisi à superioribus in sibi subditos in foro externo ecclesiastico. Quia ferre censuras est actus iurisdictionis, qui non potest validè exerceri, nisi erga subditum. Vndè non potest quisquam censuris agere in seipsũ, quia nemo est sibi inferior. Neque in summum Pontificem, si non est infra Concilium generale, & nullum habet in terris superiorem, sicut verè non habet, vt dicitur cap. *Cuncta per mundum*, 9. q. 3. Non possunt etiam ferri in Episcopos, aut Archiepiscopos, ab inferioribus, aut æqualibus: quia par in parem non habet imperium, cap. *Innotuit*, de electione & electi potestate: multóque minùs ab inferiore in superiorem. Neq; etiam ferri possunt in non baptizatos, quia non subsunt Ecclesiæ iurisdictioni: Neque in mortuos, quippe non amplius Ecclesiæ subditos. Patet etiam ex eo quòd Censura est pœna, adeóque respiciat peccatum, non posse ferri in bruta, neque in amentes, vel infantes incapaces peccati. Cùm autem dicuntur locustæ, & alia bruta nociua excommunicari, sumitur ibi impropriè excommunicatio pro adiuratione, vel oratione ad Deum facta quâ ipsis precamur interitum, aut expulsionem, vt nè amplius noceant. Quando etiam dicuntur in iure mortui anathematizari; vel anathema sumitur pro execratione, non autem pro excommunicatione, vt sumitur etiam in Concilijs, quando dicitur in Canonibus, & definitionibus fidei, Qui hoc, aut illud non crediderit, anathema sit. Aut sermo est de manifestatione excommunicationis, quam incurrerunt, & in qua mortui sunt. Vel denique excommunicatio latè vocatur iusta priuatio ecclesiasticæ sepulturæ; sicut absolutio ab excommunicatione, respectu illorum, vocatur ecclesiasticæ concessio sepulturæ alioqui non debitæ, atq; etiam permissio facta fidelibus vt possint applicare illorum animæ publica suffragia Ecclesiæ. Quo sensu Couarr. in caput *Alma mater*, 1. parte, §. 11. num. 8. dicit ecclesiam soluere mortuos non quoad ipsos, sed quoad actus & effectus exercendos per viuos erga mortuos. Eodemque sensu tum ipse, tum Abbas, Nauarr. A Castro, & alii communiter intelligunt caput *A nobis* 2. De sentẽtia excommunicat. quamuis Suarez disput. 7. sect. 1. n. 4. aliquid amplius velle videatur.

29. An erga Regulares?

Similiter non possunt Ordinarii ferre censuras in Religiosos eorum iurisdictioni exẽptos, in quorum priuilegijs habetur, ne quisquam Episcopus, vel Archiepiscopus eos pro vlla causa interdicere, suspendere, aut excõmunicare præsumat. Idemque sentiendum est de Capitulis, & Collegijs pariter exẽptis. Exceptis tamen certis casibus, qui per Concilium Tridentinum exprimuntur sess. 22. in Decreto de observandis & euitandis in celebratione Missæ, & sess. 25. cap. 5. & 16. de Regularibus, & si qui alij per alia statuta excepti sunt.

30. Et viatores aut peregrinos.

De peregrinis autẽ, & viatoribus, qui transeunt tantùm per alienum territorium, vel in eo breui tempore morantur, communis sententia est non ligari generalibus censuris eo loco inflictis siue per sententiã, siue per statutũ. Vt de priori pãtet ex c. A nobis 1. *De sẽtent. Excommunic.* Vbi Põtifex interrogatus, vtrũ si quis ita pronunciauerit, Quisquis furtum fecerit excommunicatus sit, hæc generalis clausula ad ipsius excommunicatoris subditos tantùm referatur: an generaliter extendatur ad omnes, eos etiam qui non sunt de iurisdictione illius? Respondet non nisi subditos hac sententia obligari. De censura verò per statutum lata idem censendum est; quia ratio cui innititur hoc responsum summi Pontificis, generalis est, & ad statutum æque pertinet: nimirum quia potestas iurisdictionis se extẽdit tantùm ad subditos. Atqui censura lata per statutum non minùs est actus iurisdictionis, quàm lata per sententiam iudicis: Ergo non amplius se extendit.

31. Soluitur obiectio.

Nec obest quod obiiciunt aliqui contrarij sentiẽtes, peregrinos delinquẽtes contra statutũ, fieri subditos ratione delicti, adeóq; posse per cẽsurã puniri. Respõdeo enim primò, hoc argumẽtum, si quid valet, æquè probare de cẽsura lata per sententiã. Nam æquè delinquit cõtra sentẽtiã, & præceptum iudicis, si delinquit cõtra statutũ. Secundò dico, sicut reuera non delinquit contra sentẽtiam, quia non est subditus iudicis: ita neq; cõtra statutũ, quia non est subditus statuẽtis. Priùs enim requiritur, vt quispiã sit subditus præcipiẽtis, aut statuẽtis, quã vt illius præcepto, vel statuto obligetur, & contra illud peccet. Atqui peregrini nõ subsunt legibus, seu statutis, aut præceptis alieni territorij, per quod transeũt, vt suppono ex tract. de Legibus. Quare si res præcepta per sentẽtiam, aut statutum illius loci, non est aliunde præcepta, non peccant peregrini non seruantes, semoto scandalo, & aliis incõmodis. Sin autẽ præcepta erat aliunde iure naturali, aut diuino, vel alio iure communi: peccant contra illud præceptum naturale, diuinũ, aut commune: & ratione huius peccati fiunt subditi, possuntq; iam citari & compelli per aliam sententiam, aut præceptum, atque etiam per cẽsuras, ad satisfaciendum: sed non peccarunt antea cõtra legem, aut præceptum, quatenus erat propria illius territorij, & cẽsuram in se continens: adeoq; non illam incurrerũt. Ita Layman lib. 1. tract. 5. part. 1. c. 4. apud quẽ plura de quæstione proposita videri possunt.

32. Censuræ non possũt ferri nisi propter peccatum.

Circa tertium in titulo sectionis propositum, de causa ferendi censuras, Dico tertiò non posse ferri nisi propter peccatum. Ratio est quia pœna propriè dicta necessariò respicit peccatum. Omnis autem censura est pœna propriè dicta tendẽs ad reum puniendum

simul & emendandum, fragendamque illius contumaciam & inobedientiam contra Ecclesiam. Possunt tamen etiam innocentes interdum ligari censura, vt in interdicto generali contingit: quod tamen supponit culpam in illis, qui eius ferendi causam dederunt. Præter excommunicationem verò minorem, quæ propter delictum veniale ferri potest, sicut & leuis aliqua suspensio, aut leue interdictum, vt dicemus suo loco: reliquæ non feruntur, nisi ob peccatum mortale, iuxta communem Doctorum sententiam: quia sunt pœnæ grauiores, quàm vt propter venialia ferri possint. Imò neque propter mortale quodlibet. Nam purè internum Ecclesia neque punire, neque vetare potest. Neque etiam sufficit quoduis externum, sed tale vt aliquo modo sit contra Ecclesiam, eius præceptum, aut monitionem spernendo: non autem solùm contra ius naturæ, aut ius diuinum: quia nimirum censura non est instituta nisi ad frangendam alicuius contumaciam, & inobedientiam contra Ecclesiam: vt significauit Christus Matth. 18. cùm dixit: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus.* Et cap. *Ex parte* 1. *De verborũ significationibus*, Pontifex enumerans causas, propter quas excommunicatio, & interdictum ferri potest, duas solùm assignat, quæ contumaciam contra Ecclesiam sine dubio continent. Videlicet, quia reus citatus noluit parere iudici, aut à commisso crimine iussus se emendare recusauit. Ratio est, quia contra prudentiam esset, & contra charitatem, adhibere medicinam valde acerbam, & asperam, quãdo ægrotus potest remediis lenioribus à morbo curari. Censura autem est pœna medicinalis valdè aspera: ergo non debet in eum ferri, qui potest aliter emendari: qualis præsumitur vnusquisque donec Ecclesiæ monitiones spernat. Atque hoc ipsum non obscurè docet Trident. sess. 25. cap. 3. Decreti de Reformat. & Canon. *Nemo Episcoporum*, 11. quæst. 3. Vnde etiam fit, vt ignorantia censuræ, si non sit crassa, vel adeo culpabilis, vt sit sufficiens ad peccatum mortale, excuset ab eius incursu. Sicut & metus cadens in constantem virum, & tam grauis, vt excusset à præcepto ecclesiastico; quamuis non excusset à naturali, vel diuino: quemadmodum aliquando contingit, vt peccans contra ius diuinum, non peccet contra præceptum Ecclesiæ in eadem materia, non obligantis cum tali incommodo, vt dicemus sect. sequenti.

Illudque externum, & cum cõtumacia.

33. Et completum in sua specie.

Præterea quando censura fertur propter aliquod peccatum, debet omnino intelligi de peccato in suo genere complero: nisi per legẽ aut per sententiam aliud exprimatur: vt fert communis sententia Doctorum, & colligitur ex cap. *Perpetuò, de Electione in* 6. Vnde conatus percutere clericum; si verè non percussit, quia errauit, aut impeditus fuit, non incurrit excommunicationem latam in percussores clericorum. Dixi autem, *nisi aliud exprimatur*: quia verbi gratia duellantes excommunicantur eò ipso quòd duellum acceptant, & ad eius locum se conferunt, quamuis illud non exequantur, vt patet ex Bulla Gregorii XIII. editâ anno 1582. Et mandantes occidere per Assassinos, sunt excommunicati, licet effectus non sequatur, cap. 1. *De homicidio in* 6. Debet etiam actus externus prohibitus sub censura procedere ab actu interno habẽte eã malitiam, quæ sub pœna cẽsuræ prohibetur. Alioqui non incurritur in foro conscientiæ, licet contrarium præsumi possit ab Ecclesia, quæ non iudicat de internis. Vt si quis clericum percutiat ignorans esse clericum; vel ex affectu percutiendi alium, & casu tantùm attingens clericum. Addit Bonacina disp. 1. de censuris, quæst. 2. punct. 1. propos. 4. num. 20. idem dicendum esse si hunc clericum percutere intendat, & casu percutiat alium clericum. Sed hoc verum esse non puto. Sat enim completur malitia actus externi in specie prohibita eo ipso quòd illum alium percutit, qui verè clericus est. Neque existimo id satis cohærere cum eo, quod addit paulò post, incurri excommunicationem ab eo qui percutit Caium clericum, credens illum non esse Caium, sed Titium similiter clericum. Quia, inquit, tam intentio, quàm opus externum est iniurioſum statui clericali, propter cuius reuerentiam imposita fuit excommunicatio. Quæ ratio vera quidem est, & solida: sed æque probat incurri pariter in priori casu.

Item non sufficit actum internum esse mortalem in specie prohibita: sed debet actus ipse externus esse grauis secundum se, & sub mortali prohibitus. Vnde qui leuiter tantummodo clericum tetigit, non incurrit excommunicationem: tametsi intenderet grauiter eum lædere, aut occidere: multóque minùs si illum non attigit telo immisso. Quia censura non incurritur propter solum affectum internum malum, & mortalem: sed propter externum, qui talis sit: vt ex communi sententia docet Bonacina disp. cit. qu. 1. punct. 3. propos. 3. n. 7.

Oportet actum externum esse grauem.

34. Et perfectè qualis prohibetur.

Vlteriùs debet peccatum esse omnino tale, atque perfectè, quale sub pœna censuræ prohibetur. Quare non incurrit excommunicationem latam contra hæreticos, ille qui verè talis non est, sed tantùm hæresim simulat actu aliquo externo sine errore intellectus, in quo formaliter consistit peccatum hæresis. Et quando censura fertur simpliciter contra facientes aliquid; non ligat mandantes tantùm, aut cõsulentes, nisi hoc in cẽsura exprimatur: quia ad illam incurrendam requiritur actus perfectus, qualis per legem exprimitur: & odiosa acpœnalia sunt cẽstringenda potiùs, quàm amplianda. Imò quamuis mandantes, aut consulentes exprimantur in censura, non illam incurrunt nisi verè influant in effectum prohibitum. Putà, si mandans, aut consulens reuocauit mandatum, aut consilium, eiusque reuocatio innotuit mandatario, aut consultori, ita vt non ampliùs eius impulsu, sed sua voluntate, &

Quomodo comprehẽdunt mandantes, & consulentes.

malitia crimen committat. Quod postremum addo, quia fieri potest vt aliquis consilium reuocauerit; & tamen adhuc influat, eò quòd durat animi conuictio, fortisque persuasio, & mouet ad operandum.

Possitne ferri pro peccatis committendis?

Cæterum non tantùm pro peccatis iam commissis, verùm etiam pro committendis, siue sub conditione peccati in futurum committendi, ferri potest excommunicatio, non modò à iure, vt communiter fit, sed etiam ab homine per sententiam: vt rectè docet Suar. disp. 3. sect. 4. num. 5. & sequentibus, probatque ex cap. *A nobis* 1. de sentent. Excommunic. vbi Clemens III. approbat hanc formam excommunicandi. Quisquis furtum fecerit, excommunicatus sit: dicitque illam comprehendere omnes subditos. Patet etiam ex communi vsu Iudicum ecclesiasticorum. Quibus non obest caput *Romana*, §. *Cauent*, de sentent. Excommunicationis in sexto. Nam ibi tantùm monentur iudices ecclesiastici, ne huiusmodi sententias proferant sine magna præcautione, & circumspectione, nec sine causa rationabili, quæ in ipsa sententia exprimatur.

SECTIO IV.

Possitne aliquis multis de causis subiectus esse simul pluribus censuris?

34. Conclusio affirmatiua

REspondeo & dico primò, posse quempiam simul esse obstrictum pluribus censuris, siue eiusdem rationis, siue diuersæ: putà, multis excommunicationibus, aut suspensionibus, aut interdictis: vel simul excommunicatione, suspensione, & interdicto. Probatur ex cap. *Engeltrudam*, 3. quæst. 4. & cap. *Cum pro causa*, de sentent. Excommunic. vbi expressè id affirmatur de multis censuris eiusdem generis. De diuersis autem patet ex cap. *Cum illorum*, titulo proxime cit. vbi statuitur pœna suspensionis illi qui in statu excommunicationis suscipit ordines. Deindè quòd possit aliquis esse simul pluribus de causis multipliciter excommunicatus, docet S. Thom. quæst. 22. Supplem. art. 6. Quia, inquit, excommunicatio est pœna quædam, & medicinale remedium. Pœnæ autem, & medicinæ iterantur, quando causa id exigit. Nec obest quòd ille, qui semel excommunicatur, priuatur omnino communicatione externa fidelium, & Ecclesiæ suffragiis: qui autem semel aliquo priuatus est omnino, non potest eo magis, aut iterum priuari.

Respondeo enim cum D. Thom. ibidem ad 2. Excommunicationem non esse ipsammet priuationem, sed esse illius causam, & priuationem, quamuis non recipiat magis & minus secundum se, quando est priuatio totius formæ: recipere tamen magis & minus secundum causam suam. Et secundum hoc excommunicationem posse iterari, atque multiplicari: & magis esse elongatum à suffragiis Ecclesiæ, qui pluries est excommunicatus, quàm qui semel tantùm. Sicut autem potest quispiam esse pluries excommunicatus multis de causis; ita & pluries suspensus, aut pluries interdictus. Est enim par vtriusque ratio: nimirum quia committit plura peccata, quorum vnicuique annexa est censura eiusdem rationis. Et similiter par est ratio, vt incurrat plures censuras diuersæ rationis, quando committit peccata diuersa, quibus illæ sunt impositæ. Interest autem scire quot, & quibus censuris quisque ligatus sit. Debet enim earum numerus, & qualitas exprimi, quando petitur absolutio, aut facultas absoluendi. Et quò plures sunt excommunicationes, aut aliæ censuræ, eò pluribus eget absolutionibus, aut vna generali ampliori, & pluribus æquiualente.

35. Quomodo multæ censuræ incurrantur ab eodem?

Dico secundò, tot censuras incurri ab vno, & eodem, quot committit peccata numero, aut specie moraliter diuersa contra præceptum, aut legem obligantem sub pœna censuræ. Cùm enim censura sit pœna propter transgressionem imposita, & contumaciam inobedientis erga Ecclesiam; toties debet incurri, quoties frangitur contumaciter lex illius, aut præceptum: ita vt pœna multiplicetur, sicut peccatum. Vnde qui verbi gratia diuersis vicibus moraliter interruptis percutit clericum, toties incurrit excommunicationem Canonis *Si quis suadente diabolo* quia tot sunt diuersæ numero transgressiones illius legis, & peccata moraliter diuersa. Secus autem si in eadem rixa, & vno impetu furoris, ac sine morali interruptione plures ictus inferat. Quia tunc est vnum numero moraliter peccatum. Et si feratur excommunicatio contra furtum, & contra sacrilegium; qui rem sacram furabitur, incurret duplicem excommunicationem: quia peccatum illius, licet physicè sit vnicus actus, est moraliter duplex specie, id est, habet malitiam duplicis illius speciei, furti & sacrilegii, quarum quælibet sufficit ad censuram incurrendam. Et si quis peccet contra Clementinam 1. *de Sepulturis*, quæ quatuor prohibet sub excommunicatione latæ sententiæ: nimirum sepelire scienter in loco sacro aliquem vsurarium manifestum, aut publicum excommunicatum, vel nominatim interdictum, vel tempore interdicti, in casibus non concessis à iure: si quis, inquam, sepeliat in loco sacro aliquem, qui simul sit manifestus vsurarius, & publicus excommunicatus, & nominatim interdictus, aut tempore interdicti; incurret triplicem excommunicationem, quia committit triplicem inobedientiam sub censura prohibitam, & formaliter distinctam. Facit enim contra tres prohibitiones diuersarum rationum. Primò scilicet, violando præceptum ne sepeliatur vsurarius in loco sacro, propter eius indignitatem, & reuerentiam loco sacro debitam. Secundò, peccat insuper contra excommunicationem, sepeliendo excommunicatum, qui vi ipsius excommunicationis priuatur ecclesia-

lib. 3. Clementin. tit. 7. cap. 1.

slica sepultura, & communione fidelium. Tertiò, violat præterea interdictum specie distinctum ab excommunicatione, sepeliendo hominem interdictum, aut tempore interdicti, quorum vtrumque lege interdicti prohibitum est. Quamuis autem vtrumque simul concurrat: quòd nimirum & ille sit nominatim interdictus, & sepeliatur tempore interdicti generalis: non multiplicatur censura ex eo capite: quia ille actus non est propterea diuersæ rationis, neque contra prohibitiones formaliter diuersas: vtrumque enim prohibetur ex eodem motiuo proximo: nempe quatenus continet participationem quandam rerum spiritualium.

37. Difficultas verò est in definiendo quando nam sit transgressio vna numero, vel multiplex moraliter: vel vnius, vel diuersæ rationis? Qua de re dico tertiò, transgressionem esse moraliter vnam numero, quando actus vel est physicè vnicus, & eiusdem rationis: vel quando, licet physicè sit multiplex, & eiusdem rationis, sit tamen totus simul, vel etiam successiuè circa eandem personam sine morali interruptione: dummodo actus non habeat certum, & definitum terminum, quo compleatur ex natura sua. Quando verò actus externus fit successiuè circa plures personas, censetur multiplex transgressio, atque etiam, vt probabilius est, quamuis simul totus fiat circa plures personas, in iniuriis saltem corporalibus. Ita Suar. disp. 5. de Censuris, sect. 3. Bonacina disp. 1. de eodem argumento quæst. 1. puncto 5. Et quidem prima pars assertionis, quòd videlicet sit vna numero transgressio, quando est vnicus actus physicè, & vnius, eiusdemque rationis, difficultate caret. Tunc enim nihil est, vnde possit multiplicari huiusmodi transgressio.

Secunda verò, quòd sit vna moraliter, quando licet physicè multiplex, est tamen eiusdem rationis, seu speciei, saltem moralis (id est, quia moraliter pro eadem reputatur) & fit successiuè circa eandem personam, atque continuò, hoc est, sine morali interruptione, probatur quia tale peccatum est vnum numero moraliter, id est, pro vno reputatur, vt patet ex dictis alibi de distinctione peccatorum, & de modo, quo debent singillatim exponi in confessione. Exempli gratia, Qui in eadem rixa continuò plura in eundem iacit conuicia, vel plura maledicta, aut sæpius iurat: censetur moraliter semel se contumeliosus, semel maledixisse, aut iurasse. Qui continuò ex Ecclesia multa expilat, censetur vnum committere sacrilegium: & vnum furtum, qui multa eadem ex domo exportat sine interruptione: & vnam percussionem iniustam, qui continuò sæpius eundem pugnis, aut verberibus excipit. Addidi autem, nisi actus habeat definitum terminum, quo consummetur: quia tunc tempus non continuatur per modum vnius moraliter cum subsequente. Vt quando aliquis, extracto per vim vno reo è loco sacro, deinde sine morali interruptione alium extrahit, vel quando aliquis sæpius cum eadem fornicatur sine mora: vel si sacerdos in die Natalis Domini ter continuò celebret indignè. Nam eiusmodi actus, & similes, habent naturaliter, aut moraliter certum, & definitum terminum, quo complentur: ideoque non continuantur cum alio simili immediatè sequenti, ita vt faciant vnum moraliter cum illo.

38. Actus externus quomodo multiplex.

Tertia pars eiusdem assertionis, quòd actus externus sit numero multiplex, quando exercetur successiuè circa plures personas, probatur, quia distinctio personarum, præcipuè cum successione temporis, sufficit ad distinctionem numericam peccatorum. Atque ita qui, v. g. percutit plures clericos, quamuis sine morali interruptione, aut plures homines occidit, committit plura peccata percussionis iniustæ, vel homicidii. De actione verò quæ simul exercetur, & completur circa diuersas personas, existimant aliqui esse vnam numero moraliter: & consequenter vnam tantùm excommunicationem incurrere, illum v. g. qui vnico ictu bombardæ centum clericos occideret. Sicut, inquiunt, est vnum numero peccatum blasphemiæ, quando aliquis simul blasphemat in duodecim Apostolos; & vnum peccatum detractionis, quando quis simul occultum plurimorum delictum reuelat: & vnum peccatum imprecationis, quando toti ciuitati simul imprecatur: & qui versatur, aut colloquitur cum pluribus excommunicatis simul, non propterea pluries excommunicationem minorem contrahit, quia semel tantùm peccat. Atque hanc sententiam speculatiuè probabilem esse censent Suares sect. cit. n. 11. & Bonac. suprà num. 7. Sed contrarium cũ Suare ibidem num. 12. Nauarro cap. 6. Manual. n. 18. Henriq. lib. 5. cap. 5. num. 4. Vasque quæst. 91. de Pœnit. art. 1. dub. 4. num. 4. & pluribus aliis censeo probabilius esse, & in praxi tenendum. Quia illa simpliciter sunt plura homicidia, adeóque plures transgressiones legis prohibentis homicidium sub censura. Quare, vt valida sit absolutio in tali casu, aut facultas impetrata ad obtinendam absolutionem, necessarium esse puto, exprimere numerum clericorum occisorum. Quamuis id non sit facilè extendendum ad alias iniurias externas non corporales, in quibus multitudo personarum magis per accidens se habere videtur. Vt quando aliquis vno actu furatur depositum multorum, aut multis simul imprecatur aut detrahit, vel cum pluribus excommunicatis vitandis simul colloquitur.

39. Quomodo transgressio multiplicatur specificè.

Dico quartò transgressionem esse multiplicem formaliter, seu specificè, quando, licet actus sit physicè vnicus, habet plures circunstantias mutantes speciem actus moralis: inducereque plures censuras, quando singulæ huiusmodi circunstantiæ sunt prohibitæ sub censura. Secus quando circumstantiæ sunt eiusdem speciei moralis. Ratio

ciens ad peccatum mortale.

41. Latur de vtraque simul.

Quòd igitur huiusmodi ignorantia excuset a censura, probatur generaliter ex cap. *Vt animarum, de Constitutionibus in sexto*, vbi generaliter asseritur ignorantiam, quæ non est crassa, nec supina, excusare ab omnibus sententiis quorumcunq; Ordinariorum, eoque nomine generali comprehendũtur sententiæ latæ sub pœna excommunicationis, aut aliis censuris. Et quamuis specialiter ibi sermo sit de sententiis Ordinariorum: ratio tamen quam reddit Pontifex, vt scilicet vitentur pericula animarum, generalis est: & hæc decisio, cùm sit fauorabilis animabus, debet extendi, quantum rationabiliter fieri potest, ad ignorantiam sententiæ, vel legis, non tolùm quoad præceptum, aut prohibitionem, vel facti sub illa contenti: verùm etiam quoad censuram, quam infligit. Potest autem rationabiliter ad hæc omnia extendi. Nam vox ligandi, qua vtitur Pontifex, dicens se nolle quemquam ignorantem ligare huiusmodi sententiis, rectè cadit in censuras, quibus, vt vinculis spiritualibus ligari dicitur. Et ratio quam affert, vt scilicet periculis animarum obuietur, fauet huic extensioni. Magis enim vitantur animarum pericula, si non ligantur censurâ, qui eam ignorant. Accedit quod Pontifex significat, se aliquid nouũ statuere in gratiam animarum, & salutem earum. Nihil autem noui statueret, si tantùm vellet ignorantes legem, aut factum, non obligari in actu secundo, id est, excusari à transgressione per illius ignorantiam: quod omnino est iuris naturalis.

42. Demonstratur de 1. gulo.

Deinde specialiter quòd ignorantia iuris excuset à censura, probatur, quia excusat à contumacia. Neque enim est contumax cõtra Ecclesiam, qui vel omnino, vel non satis nouit illius præceptum aut prohibitionem: neque grauiter saltem peccat contra illam: quamuis fortè grauiter peccet contra præceptum naturale, vel diuinum, si id quod agit, est iure quoq; naturali, aut diuino prohibitum, & ipse non ignorat ita esse. Quòd verò etiam excuset ignorantia facti, probatur, quia facit, vt actus non sit perfectè, vel omnino non sit in ea specie, quæ sub censura prohibetur ab Ecclesia. Omnino quidem, si penitus ignorat. Qui enim percutit clericum, ignorans talem esse, non est formaliter sacrilegus, sed tantùm percussor iniustus. Non perfectè autem, si ignorantia est leuiter tantùm culpabilis. Quòd denique excuset pariter ignorantia pœnæ, colligitur valde probabiliter ex cap. *Vt animarum*, supra citato, & expenso. Cui adde pœnam debere proportionari delicto, cap. *Felicis, de pœnis in 6. vers. Illud autẽ nõ duximus omittẽdum*, &c. Est autem leuius delictum, quando ignoratur grauitas prohibitionis, & pœna extraordinaria illi iuncta: neque est credibile Ecclesiam velle ferire inscientes, & immonitos pœnis adeò seueris, & extraordinariis. Præsertim cùm censura sit eiusmodi pœna, vt contumaciam præ requirat contra Ecclesiam: quæ non præsumitur esse in illo, qui censuram ignorat, licet præceptum, aut legem non ignoret. Et confirmatur, quia, vt incurratur censura per sententiam, prærequiritur monitio cum comminatione pœnæ, sine qua, semel saltem præmissâ, non censetur esse contumacia. Ergo simil ter vt incurratur per legem aut statutum, debet præhaberi notitia statuti, vel legis censuram infligentis, vt talis. Alioqui enim non maior est contumacia contra legem aut statutum, quàm sit cõtra sententiam. Atque ita docent Navar. Sanch. Henriq. Suar. Co in. aliique p ures, quos refert, & sequitur B. Lucina d isp. 1 de censuris, quæst. 2. puncto 1. num. 6. Addens num. 10. non esse improbabile, quod aliqui ex citatis docent, censuram non incurri quamuis ignorantia sit mortaliter culpabilis, dummodo non sit crassa seu affectata, vel supina eo sque, vt in ea non vitanda fuerit culpa latissima, id est, summa negligentia, & æquiualens affectationi. Sed meliùs alii docent non esse probabile Ecclesiam nunquam punire censurâ ignorantiam mortaliter culpabilem, & contumaciam ignorantis voluntariè contra tam grau m Ecclesiæ prohibitionem.

43. 2. Causa excusans, defectus voluntarij.

Secunda causa excusans est defectus voluntarii sufficientis. Nam perfectè inuoluntarium, quod excusat ab omni culpa, excusat pariter ab omni censura, quippe quæ non incurritur nisi propter culpam. Imperfectum autem voluntarium, & insufficiens ad peccatum mortale, excusat ab illis censuris, quæ non nisi propter culpam mortalem imponuntur: atque etiam ab aliis, quia excusat à contumacia. Item, si lex, aut præceptum postulat directum voluntarium, & præsumptionem, aut contemptum: non satis est quodcunque voluntarium sufficiens ad peccatum mortale; sed tantùm quale per legem designatur. Vt quando dicitur, Qui hoc facere præsumpserit, vel, Qui per contemptum hoc fecerit, sit excommunicatus. Notandum tamen, voluntarium remotum & in causa sufficere posse ad censuram incurrendam. Vt si quis aduertens se in ebrietate committere solere peccatum aliquod, cui censura annexa est, nihilominus inebriatur, & ponit voluntariè causam talis peccati. Non tamen illam incurrit, donec committat actum externum sub censura prohibitum.

44. 3. Impotentia physica vel moralis.

Tertia causa excusans est impotẽtia physica, vel moralis faciendi id quod sub censura præcipitur, vel abstinẽdi ab eo quod prohibetur. Putà, si quis non potest omnino restituere, vel sine grauissimo incommodo, & detrimento boni superioris ordinis; non incurrit censuram latam contra non restituentes. Ratio est, quia talis excusatur à peccato, id est, à culpabili transgressione præcepti Ecclesiastici non obligantis in eo casu, multóque magis à contumacia contra

sententia. Potest tamen dari à sententia declaratoria criminis: quia fieri potest, vt iudex iniustè id declaret: ideoque reus habet ius se defendendi per appellationem legitimam. Sique post appellationem denunciatur, non debet vitari, vt denunciatus: quia appellatio suspendit declarationem, & denunciationem. Vt hæc autem appellatio sit legitima, oportet crimen non esse ita notorium, vt nulla possit excusatione iuris defendi. Dixi denique *cummodo appellatio fiat intra tempus &c.* Quia licet Abbas in cap. *Præterea 2. de Appellat.* velit esse necessarium appellare intra decem dies, quod spatium præscribitur pro omnibus aliis sententiis cap. *Quod ad consultationem, De sententia & re iudicata*: meliùs tamen alii communiter docent sufficere dummodo fiat ante totum tempus conditionis elapsum: in eoque differre hanc sententiam ab aliis. Et quidem in cap. *Præterea*, supra citato, expressè dicitur appellationem posse fieri medio tempore, absque limitatione ad decem dies. Medio, inquam, hoc est, interiecto inter tempus sententiæ, & terminum ab illa præscriptum.

49. Consensus absentis partis.

Octaua causa est voluntas & consensus illius in cuius fauorem censura lata fuit. Vt si verbi gratia, Creditor obtinuerit excommunicationem contra suum debitorem, nisi intra annum restituat: liberum est creditori prorogare illud spatium, & suspendere excommunicationem in tempus diuturnius. Sicut enim posset absolutè condonare debitum, & efficere vt censura non incurratur, tametsi nulla fiat restitutio: ita potest prorogare terminum præfixum, & efficere, vt non teneatur tam breui tempore restituere, adeoque non incurrat censuram. Neque enim potest illam incurrere, nisi peccando, & non faciendo id, ad quod tenetur. Atqui non tenetur restituere intra illud tempus, suppositâ prorogatione: neque est contumax contra Ecclesiam, si non restituit eo tempore, quo non tenetur: quia Ecclesia non intendit ipsum ad hoc obligare. Cùm enim voluntas iudicis ecclesiastici censuram ferentis in fauorem creditoris, non sit alia, quàm obligandi debitorem, & vrgendi vt restituat: Non vult magis illum vrgere; quàm creditor velit. Neque adimit illi potestatem prorogandi terminum, sicut neque debitum condonandi si velit, & liberandi debitorem ab omni onere restituendi. Atque ita docent Abbas, Decius, Sairus, Angelus, & alii quos citant, & sequuntur Suares disput. tertia, sect. sexta, numero octauo, & Bonacina disput. prima, quæst. secunda, puncto 4. propositione prima.

50. Soluitur obiectio.

Nec obest quod in contrarium opponunt aliqui relati à Syluestro v. *Excommunicatio* 2. num. 1. casu 13. Suspendere, & differre censuram, esse actum iurisdictionis, æquè ac illam ferre. Ergo non sufficit consensus partis sine contentu iudicis habentis iurisdictionem. Respondeo enim iudicem consentire hoc ipso quòd sententiam tulit in fauorem duntaxat creditoris, vt supponimus. Aliter enim sentiendum esset, si lata fuisset propter bonum commune, aut alterius tertii, cui non possit creditor derogare. Secundò, ad antecedens respondeo cum Suare citato, esse quidem actum iurisdictionis suspendere censuram directè, & auctoritatiuè, stante illius materia, & causa, in eodem vigore: Secus autem suspendere, vel differre per subtractionem materiæ. Ad hoc enim sufficit dominium circa talem materiam.

Similiter si quis obtineat excommunicationem contra eos, qui damnum aliquod ipsi inferunt, inter quos sint eius filii, quos ipse nolit hac censura comprehendi: sufficit eius voluntas, vt non incurrant excommunicationem. Quia Ecclesia intendens illi gratificari, & censuram ferens in fauorem tantùm illius; non intendit eos punire, quos ipse vult esse exceptos.

SECTIO VI.

Quomodo debeat censura ferri?

§ 1 Non requiritur determinata forma verborum.

REspondeo, & dico primò, nullam certam verborum formam requiri vt censura validè feratur: nulla enim in iure præscribitur veluti substantialis, & planè necessaria: sed ea verba scripta, vel ore prolata sufficere, atque etiam esse necessaria, quæ sufficienter exprimunt talem, aut talem censuram infligi. Oportet enim censuram sensibiliter, & clare exprimi in propria specie: quod per solos nutus, aut gestus sine aliquibus verbis fieri nequit. Si tamen posset, alia signa sufficerent. Item quando fertur ab homine per sententiam particularem in certas personas ob peccatum iam commissum; vt validè feratur, necessarium est præcedere monitionem comminatoriam cap. *Indignè*, duodecima, quæst. secunda, & cap. *Reprehensibilis*, de Appellationib. iuncto cap. *Statutum*, de sentent. excommunnicationis in sexto, sine qua fatentur omnes Doctores, excepto Caiet. excommunicationes fieri inualidè per talem sententiam, vt testatur Sotus in 4. dist. 22. q. 1. a. 2. concl. 4. Idemq; sentiendum esse de quauis alia cẽsura affirmat Aegid. disp. 13. dub. 9. num. 82. post Auilam part. 2. cap. 5. disput. 1. dub. 10. vbi quamuis speciatim loquatur de excõmunicatione: rationes tamen, quibus id probat generales sunt, & concludunt de quacunque censura. Item vt feratur licitè, requiritur trina monitio, vel tribus vicibus diuersis, vel vnica pro tribus, dato interuallo cõpetenti: quod quàtum

Monitio quando, & quomodo necessaria.

esse debeat, prudenter iudicandum est. Et hoc adeo necessarium est, vt qui fert excommunicationem, non præmissa canonica monitione, ecclesiæ ingressu per per mensem interdicatur, cap. *Sacro*, de sententia Excommunicationis, & suspendatur à diuinis Officiis, & si ea exerçet, fiat irregularis, cap. *Cum medicinalis*, eodem titulo in sexto, exceptis tamen Episcopis, qui hac pœna non comprehenduntur, vt patet ex cap. *Quia periculosum*, eodem tit. in sexto. Debet quoque illa monitio fieri cum comminatione censuræ, & nomine ipsius iudicis: & si feratur contra personam particularem, & determinatam, debet fieri ipsimet reo: aut si id nequit, in eius domo: aut si hoc etiam non potest, in loco publico, ex quo eius notitia facilè ad ipsum perueniat: & denique coram testibus idoneis, per quos probari possit: iuxta cap. *Sacro*, de senten. Excom.

§ 2. Dixi autem, si feratur contra aliquam personam particularem & determinatam: quia quando fertur generaliter, verbi gratia, contra omnes furantes in templo, non potest seruari ordo prædictus in faciendа admonitione, cùm ignorentur personæ delinquentes. Tuncque sufficit, fieri in loco publico, putà in Ecclesia coram populo, & tempore concionis, aut Missæ paroecialis. Dixi præterea, quando fertur ab homine per sententiam particularem: quia lata per legem, non prærequirit specialem illam monitionem, sed tantùm cognitionem; cùm ipsa lex continuò moneat. Neque etiam illa, quæ fertur ab homine per sententiam generalem: quia sententia generalis, quoad hoc, æquiualet legi, & statuto, satisque per se admonet, dummodo nota sit. Deque illis iura simili modo loquuntur capite, *A nobis* primò, De sententia excõmunicationis. Dixi denique propter peccatum iam commissum, quia necessitas admonitionis præscribitur solùm pro sententiis latis ab homine propter culpas præteritas, vt liquet ex cap. *Romana*, & aliis iuribus relatis à Suare disput. tertia, sectio. 8. num. 6. In illis verò quæ feruntur pro culpis futuris non requiritur specialis monitio: quia præceptum superioris de illis citandis sub pœna censuræ, satis admonet, æque ac lex aut sententia generalis, dummodo innotescat.

§ 3. Debet ferri determinatè in specie.

Vlteriùs, necessarium est ad valorem censuræ, vt feratur in specie determinatè. Non enim sufficit dicere in genere, Qui hoc fecerit, censuram incurrat: Sed ipsa species censuræ debet exprimi dicendo, Sit excommunicatus, Sit suspensus, Sit interdictus. Ratio est, quia verba, quibus fertur censura, debent esse practica, & efficere id quod significant. Vtque non possunt efficere censuram in genere, sed in particulari; debent illam eodem modo significare. Eandemque ob causam, si species illa censuræ sit subalterna, plures alias species sub se continens: debet exprimi determinatè species atoma, quæ intenditur à iudice, vel à iure. Exempli gratiâ, Quia vna est suspensio totalis ob Officio, & Beneficio, & alia partialis ab Officio tantùm, vel a Beneficio: debet lex, aut sententia exprimere quam intendit. Nisi iam per vsum communem, aut legis dispositionem, nomen commune simpliciter prolatum ad aliquam speciem atomam significandam determinatum sit. Quemadmodum nomen excommunicationis absolutè positum de maiori debet intelligi: iuxta cap. *Siquem*, de sententia Excommunicationis. Vtrum autem censura disjunctiuè lata sub hac forma inusitata, Qui hoc fecerit, sit excommunicatus, vel interdictus, valida esset, vidè apud Suarem disp. 3. sect. 2. num. 10. & seqq.

§ 4. Si per sententiam, debet ferri scripto.

Dico secundò, vt licitè feratur censura ab homine per sententiam, debere ferri scripto exprimente causam, propter quam fertur, & ex scripto recitari: quod scriptum iudex tenetur reo tradere intra mensem, si reus id requirat: ac nisi hoc faciat, suspenditur per mensem ab ingressu Ecclesiæ, & à diuinis Officiis, vt habetur in cap. *Cum medicinalis*, de sent. excommunicationis in 6. iuncto cap. vlt. de sententia, & re iudicata in 6. Ratio autem cur requiratur expressio causæ in scriptis, quæ reo tradatur, est, tum vt censura prudentiùs, & cautiùs feratur à iudice; tum etiam vt reus possit ad superiorem recurrere, & certam illi fidem facere de causa censuræ. Excipiuntur tamen à pœna supradicta primò, Episcopi, quorum in prædicto cap. *Cum Medicinalis*, non fit mentio, & aliundè eximuntur cap. *Qui periculosum*, vt. paulò ante diximus. Secundò, denunciantes tantùm aliquem esse excommunicatum: quia in prædicto cap. *Medicinalis*, non fit mentio denunciantis. Tertiò, eximuntur etiam qui propter instantem necessitatem, & periculum vrgens non possunt censuram scripto ferre, quia res non patitur scribendi moram. Quartò, qui ex ignorantia censuræ, & bona fide id faciunt: quia caput *Medicinalis*, loquitur de violatore temerario, adeoque requirit voluntarium perfectum, & directum. Quintò, Prælati Religiosorum, qui non tenentur seruare hunc ordinem iuris erga suos Religiosos, saltem si habent priuilegium à summo Pontifice: alioquin enim probabilius est illos comprehendi cap. illo *Medicinalis*, loquente generaliter. Nota denique censuram latam sine scripto, & causæ expressione, esse nihilominus, validam, vt habetur eodem c. *Cùm Medicinalis*, vbi statuitur, vt superior, ad quẽ recurritur, talẽ sententiã sine difficultate relaxet. Quod signũ est fuisse validã: alioquin nõ esset opus relaxatione. Ratio est, quia huiusmodi omissio est tantũ alicuius accidẽtalis

non autem formæ substantialis ipsius sententiæ ad eius valorem necessariæ, vt colligitur ex iuribus citatis.

55. Debet sequi denunciatio.

Dico tertiò, statutum esse in iure, vt post censuram illatam sequatur denunciatio. Nam de Excommunicatione sic statuitur in cap. *Curæ sit.* 11. quæst. 3. & de Suspensione, in Clementina 2. *de pœnis*; Et denique de Interdicto in Clement. vlt. *de censibus*. Estque id præcipuè conueniens aut necessarium in Excommunicatione, vt ipsis excommunicatis vbique occludatur aditus ecclesiasticus: & vt causa excusationis omnibus auferatur, teneanturque alii ipsos vitare. Nam post Concilium Constantiense non tenemur vitare excommunicatos, nisi nominatim denunciatos, exceptis manifestis clerici percussoribus. Non est tamen obligatio denunciandi, nisi in casibus iure expressis, & vsitatis: vel quando propter enormem delicti grauitatem, & extraordinariam rei contumaciam prudens iudicium dictabit id esse necessarium. Quod maximè locum habet in Excommunicatione, quæ fertur nominatim & absolutè in aliquem post trinam monitionem, & perfectam contumaciam. Deque illa potissimum sermo est in cap. *Curæ sit*, supra cit. Quia nimirum denunciatio est moraliter necessaria, vt reparetur iniuria facta Ecclesiæ, & scandalum fidelibus datum tollatur: vtque huiusmodi censura dignè tractetur: suumque plenum effectum sortiatur. Quod vtrumque curare pertinet ad officium iudicis illam ferentis.

56. Modus denunciandi.

Modus autem denunciationis relinquitur arbitrio iudicis, exceptis casibus, in quibus ius specialiter illum præscribit. Vt cap. 1. *de Treuga, & pace.* Et cap. *Parochianos, de sententia Excommunicationis*, & Clementina 1. *de furtis*, Clementina 1. *de Priuilegiis*, & Clementina vlt. *de censibus*. Quod verò dicitur in cap. *Curæ sit*, 11. q. 3. Curæ esse debere Episcopis nomina excommunicatorum mittere ad vicinos Episcopos, & ad parochos, atque in celebri loco posita pro foribus Ecclesiæ cunctis conuenientibus inculcari: Hoc, inquam, vel non est præceptum, sed consilium, vt præ se ferunt verba illa, *Curæ sit*; vel vsu contrario abrogatum est. Neque ex natura rei videtur esse necessarium; nisi interdum tanta sit Rei contumacia, tamque graue delictum, & perniciosum aliis, vt ad puniendam illius audaciam, & obstinationem frangendam, auertendumque nocumentum, sit opus tam generali, & accurata denunciatione: putà, si excommunicetur hæresiarcha, & pertinax, atque fraudulentus nouorum dogmatum disseminator, qui alioqui plurimos in fraudem inducturus sit. Alioqui enim sufficit publicè denunciare, & promulgare sententiam: sicut in statutis & legibus præceptisque generalibus sufficit.

57. Potest etiam ac debet interdum fieri denunciatio in censuris à iure latis, quæ contrahuntur ipso facto per violationem legis, ante propriam sententiam declaratoriam. Sed vt bene aduertit Suar. disp. 3. sect. 14. num. 6. minor est in illis obligatio denunciandi; quia, inquit, cùm censura hoc modo incursa, nondum sit iuridicè publicata per sententiam; non ita vrget necessitas deducendi illam in aliorum notitiam: præsertim nunc, quando alii non tenentur vitare excommunicatum donec declaratus, & denunciatus sit. Addit ibidem, priusquam fiat denunciatio huiusmodi censuræ, præcedere debere sententiam declaratoriam criminis, licet aliunde notorium sit: iuxta caput, *Peruenit* 1. & cap. *Consuluit*, *de Appellationibus*. Quia hæc denunciatio est quædam executio pœnæ iniunctæ. Executio autem pœnæ requirit iuridicam declarationem culpæ, quamuis alioqui notoriæ. Hanc verò sententiam non tenetur ferre iudex, nisi vel ad petitionem & instantiam partis; vel quando necessitas boni communis id exigit, cui ex officio tenetur consulere. Tuncque post sententiam declaratoriam, tenetur denunciare censuram latam à iure, eodem modo, quo supra dixi de sententia lata ab homine.

58. Debet illa fieri à Iudice.

Cùm autem hæc denunciatio sit actus iurisdictionis, quia est executio censuræ, & actus potestatis coercitiuæ: non potest fieri nisi à iudice, id est, à superiore habente iurisdictionem circa denunciandum, vel ab eius delegato. Quare falluntur qui putant posse fieri à quolibet, quando crimen est adeo notorium, vt sit penitùs inexcusabile, & hoc ipsum, quòd sit inexcusabile, omnibus innotescit. Sicut enim non propterea quisque ius habet puniendi reum; ita neque censuram denunciandi, quæ, vt supra dixi, est quædam pœnæ iniunctæ executio. Et ex opposito sequeretur magna confusio. Ac denique sicut non obstante quacunque notorietate, prærequiritur sententia declaratoria criminis ante denunciationem: ita & iurisdictio ad illam legitimè faciendam.

59. Quid si sententia fuit iniusta?

Difficultas verò est vtrum quando sententia siue censuram inferens, siue declaratoria, illatæ ab homine, vel à iure, fuit iniusta, possit, aut teneatur iudex, vel ab eo commissus, & delegatus, eam denunciare. Qua de re dico quartò, quæstionem esse posse, vel de iudice principali, id est, qui fuit causæ cognitor: vel de mero executore ab eo cõmisso, vt tantùm denũciet. Itẽ quæstio esse potest vel de sententia formaliter iniusta, id est, lata contra ordinem substantialem iuris: vel de iniusta materialiter, id est, quæ fertur ex causa falsò præsumpta, sed tamen secundum ordinem iuris, & secũdum allegata, & probata in processu legitimo. Si sententia fuit priori modo iniusta, non potest licitè iudex eam denunciare: quia hoc esset continuare iniustitiam ab ipso commissam, & pœnam omni modo iniustam mãdare executioni, ac sine causa proximum

Digitized by Google

infamare, grauique nocumento afficere. Cuius rei signum est, quod Iudex superior, si ad eum appellaretur, cogeret iudicem inferiorem reuocare hanc sententiam, & resarcire iniuriam, quam intulit. Si autem sententia est formaliter iusta, potest ac debet illam, quamuis materialiter iniustam, denunciare iisdem in casibus, in quibus tenetur iudicare secundum allegata, & probata, & condemnare illum, quem scientia priuata innocentem esse cognoscit. Qua de re diximus in tract. de Iustitia, disputando de officio Iudicis. Nimirum quia iudex, siue sententiam ferat, siue denunciet, agit vt persona publica, & ex officio publico, quod non debet regi scientia ipsius priuata, sed notitia publica illi proportionata, quæ habetur per allegata, & probata. Nam alioqui multa sequerentur incommoda, si regimen illius officii permitteretur scientiæ priuatæ iudicis, vt ibidem ostendimus, & docet S. Thom. 2.2.q.67.art.2.

60. Potestne executor illam denunciare?

Similiterque potest merus executor talem sententiam denunciare, licet ipsi constet per scientiam priuatam reum esse innocentem, & falsò accusatum, quamuis iuridicè conuictum, si superior ei præcipiat denunciare, & non possit ipse declinare eius imperium: vt colligitur ex cap. *Pastoralis, de officio delegati, §. Quia verò*: vbi Innocentius III. sic loquitur: *Attendentes itaque quod non cognitio, sed executio tantùm demandatur eidem, respondemus, quòd cum ordinarius obsequi teneatur delegato, etsi sciat*, (scientia priuata) *sententiam illam iniustam; exequi nihilominus tenetur eandem, nisi apud eundem efficere possit, vt ab hoc onere ipsum absoluat.* Ratio est, quia executor agit vt minister publicus denunciando, & exequendo pœnam. Ergo debet pariter agere ex scientia publica, quæ habetur per allegata, & probata iuridicè. Qua consideratione occurritur obiectioni, quæ in contrarium fieri posset de illo, qui per sententiam iuridicè latam, & formaliter iustam, cogitur habitare cum fœmina quam certissime scit non esse suam coniugem. Putà, quia cum alia contraxit, quod probare non potuit: & nihilominus non potest licitè illi copulari. Ratio enim discriminis est, quia actus coniugalis est actus priuatus, qui debet regi priuatâ coniugum notitiâ. Quare si nouit coniux scientiâ priuatâ illicitum sibi esse, tenetur ab illo abstinere quidquid iudex præcipiat, ex falsa præsumptione. At verò denunciatio censuræ est actus officii publici, notitiâ publicâ regendus.

61. Quid si formaliter iniusta sit?

Si verò sententia sit formaliter iniusta, distinguendum est. Vel enim id ignorat executor, vel dubitat, vel certò scit. In primo casu potest, ac debet iudici parere, eo modo quo iam dixi, quamuis scientiâ priuatâ nouerit illam esse materialiter iniustam. Ratio est, quia in tali casu perinde se habet, ac si sententia non esset formaliter iniusta. In secundo etiam casu, quando dubitat tantùm, potest similiter, ac debet exequi: quia sufficit illi non constare oppositum: neque tenetur ipse inquirere, & acta processus examinare; cùm non incumbat ipsi cognitio causæ, sed executio: & in dubio num Superior legitimus iustum aliquid præcipiat, iudicare debeat inferior in fauorem illius, quâdiu non constat oppositum. In tertio casu, quando scilicet certò nouit innocentem non damnari iustè formaliter, id est, secundum allegata & probata à Iudice iuxta causæ qualitatem, non tenetur, neque potest licitè denunciare, vt docet communior sententia, teste Suare disp. 3. sect. 15. num. 9. Quia tunc sententia est omni modo iniusta, & illius iniustitia formalis nota est per scientiam publicam, nimirum per defectum procedendi iuridicè, quâ scientiâ debet executor regere actum publicum denunciandi.

62. Soluitur obiectio.

Nec verum est quod obiiciunt aliqui contrarium sentientes: Notitiam quidèm publicam iudicis sumi à probationibus: executoris verò non inde sumi: quia ad illum non pertinet acta processus examinare: sed sumi tantùm ex publica sententia, quam iustam esse præsumere debet. Respondeo enim primò, fieri posse vt ipsa sententia manifestam iniustitiam formalem contineat. Secundò, licet non exprimat iniustitiam, si tamen de illa constat publicè ex actis, & processu iudiciali: notitia publica executoris potest, ac debet ex illa sumi, & non ex solis verbis sententiæ. Quod nisi fieret multa sequerentur absurda, & incommoda. Sequeretur enim v. g. licitè potuisse carnifices occidere Martyres, & Christum ipsum, quamuis euidenter cognoscerent processum contra illos esse omnino iniustum: & posse milites licitè ad bellum accedere; quod manifestè scirent esse iniustum, dummodo sententia, per quam indicitur, iniustitiam non exprimat. Quod tamen negant omnes, & meritò, licet hæc actio, quæ est pœnæ executio, & sententiæ supremi principis, non minùs debeat regi publicâ notitiâ, quàm denunciatio censuræ. Neque par est ratio, vt sicut iudex debet regi publicâ notitiâ ex allegatis & probatis, non priuatâ scientiâ contrariâ: debeat similiter executor regi solâ sententiâ iudicis, contra notitiam publicam, quam habet de illius iniustitia. Quia si iudex ageret secundum scientiam suam priuatam, de qua non potest constare reip. post posita notitia publica, de qua illi constat ex allegatis, & probatis: nimia iudici daretur licentia, ex qua multa incommoda, & scandala, magnaque perturbatio reip. sequerentur. At verò nihil tale sequitur ex eo quòd executor agat secundum notitiam publicam, quæ constat ex actis iudicialibus. Nec vlla ratio postulat debere tantum deferri auctoritati iudicis, vt sufficere debeat executori sola illius sententia, quamuis nota euidenter iniusta omni modo, publicéque nota vt talis. Non obest etiam quòd executori non sit mandata causæ cognitio, sed executio: quia non propterea negatur illi quod est connaturale, &

rationi planè conueniens, vt nimirum in officio suo exequendo regatur notitiâ illi proportionatâ, & reipublicæ, cuius auctoritate fungitur, hoc est, publicâ scientiâ, quæ non haberur ex sola sententia iudicis, sed & præcipuè ex legitimo, & iuridico processu.

SECTIO VII.

De modo tollendi Censuram, & à quo tolli possit?

63. Tolli potest sine vllis verbis.

CIrca primum Dico primò, formam absoluendi à Censuris nullam determinatè esse essentialem, sed sufficere quæcunque signa sensibilia, quæ explicent intentionem absoluentis, etiam sine vllis verbis: vt de summo Pontifice dicitur Clement. vlt. de Sentent. excommun. De Episcopo verò id negant plerique cum Suare disp. 7. sect. 5. num. 13. & Glossa Clementinæ citatæ v. *Velle*, & in cap. *Cum desideres*, de Sentent. excommun. Verùm argumenta illorum probant dumtaxat, Episcopum id non posse licitè facere sine causa rationabili, sed non probant, absolutionem esse nullam. Imò probabilius est esse validam. Quia quidquid potest circa censuras summus Pontifex in tota Ecclesia, idem potest Episcopus in sua Diœcesi circa sibi subditos, dummodo id non sit expressè reseruatum summo Pontifici, vt fatentur ipsimet aduersarii, & communiter docent Theologi. Istud autem nusquam inuenitur illi reseruatum. Omnino tamen opus est aliquo signo sensibili, quo sufficienter exprimatur intentio absoluentis: quia hæc actio, cùm fiat inter homines, & ad humanos vsus, debet sensibili modo fieri, æquè ac ipsa censuræ impositio. Neque tollitur vnquam, omnino saltem, & perfectè censura, nisi per talem actionem. Non enim cessat per mortem eius, à quo fuit imposita per legem, aut per sententiam: quia non pendet ab illo in conseruari: & postquam semel incursa est, transit in rem iudicatam, cap. *Si Episcopus*, 11. quæst. 3. Neque etiã tollitur omnino per mortem ipsius Rei: quia manent aliqui eius effectus, donec mortuus quodammodo absoluatur: nimirum priuatio sepulturæ ecclesiasticæ, & suffragiorum Ecclesiæ, cap. *A nobis*, 2. de Sentent. excommunic. Nec denique per solam emendationem Rei: quia licet censura ferri nequeat, nisi propter culpam, & contumaciã; non cessat tamen depositâ contumaciâ, vt colligitur ex cap. *Cum desideres*, de Sentent. excommun. Quod tamen intellige de censura lata indefinitè, & absolutè. Potest enim saltem validè ferri in aliquem sub illa conditione, vt cùm primùm contumaciam deposuerit, aut satisfecerit, sit hoc ipso absolutus à censura. Quanquam ne tunc quidem tollitur sine absolutione: sed iudex tali modo censuram ferens simul absoluit sub conditione; quæ absolutio conditionata transit in absolutam, posita conditione. Cõmuniter tamen Episcopi non intendunt absoluere his verbis, sed tantùm apponere conditionem necessariam vt absoluatur: vel concedere facultatem absoluendi cuilibet confessario post satisfactionem. Ideoque quando aliquis excommunicatur donec satisfecerit, requiritur absolutio post satisfactionem. Si tamen expressè diceret Episcopus, Eò ipso quòd satisfeceris, excommunicatio erit nulla: tunc non esset opus alia absolutione: vt de Papa concedunt omnes: & de aliis generaliter docet Layman lib. 1. tract. 5. part. 1. cap. 7. num. 1. post Couarruuiam, Siluestrum, Suarem, & Aegid. Con. quos citat.

64. Potest tolli absolutè, vel sub cõditione.

Variis autem modis solet tolli censura. Primò simpliciter, & absolutè in hunc modum, Absoluo te à vinculo excommunicationis (aut suspensionis, aut interdicti) quã incurristi propter talem causam. Secundò, sub conditione pendente in futurum: Absoluo te &c. si satisfeceris: quanquam, vt modò dixi, non solet per hæc verba dari in præsens absolutio, sed tantùm facultas cuilibet confessario absoluendi parte satisfacta. Tertiò, sub conditione de præterito, vel ad cautelam, quando dubium est num aliquis censuram incurrerit, dicendo v. g. Absoluo te à tali censura, si eam incurristi, vel si indiges: aut etiam licet non sit tale dubium, ad reuerentiam sacramenti recipiendi, vel ad maiorem securitatem gratiæ alicuius conferendæ: quo pacto absolutioni sacramentali præmitti solet, Absoluo te imprimis ab omni vinculo excommunicationis &c. inquantum possum, & indiges: & ante collationem Ordinum idem fieri solet, ad vitandam irregularitatem ordinati. Necnon ante electionem ad Beneficium ecclesiasticum, aut collationem alicuius priuilegii, vel gratiæ Apostolicæ, ad præcauendã eius inualiditatem. Quartò denique datur etiam interdum ad reincidentiam: idque dupliciter. Vel nimirum ad certum aliquem effectum, putà, vt excommunicatus testimonium ferre possit super aliquo negotio: & tunc est potiùs suspensio censuræ, quàm absolutio, & vera illius ablatio. Secundò, tollitur verè, & propriè ad reincidentiam, quando absoluens apponit certam conditionem, quam nisi absolutus impleuerit, incurret similem censuram ipso facto: modò tamen sua culpa, siue ex defectu culpabili implere prætermiserit. Cùm enim hæc sit noua censura, distincta à priori sublata, & extincta, requirit nouum peccatum, & nouam contumaciam: vt rectè docent Henriq. lib. 13. cap. 29. num. 2. Sanchez lib. 2. Moralium, cap. 13. n. 28. Suar. disp. 7. sect. 8. n. 26, Auila parte 2. cap. 7. dub. 14. Layman lib. 1. tract. 5. cap. 7. num. 8.

Et ad reincidentiam.

65. Et vel in foro interno tantùm, vel in vtroque.

Rursus interdum absolutio à censura datur solùm in foro interno, & tunc non prodest pro foro externo, seu contentioso, nisi

iudex velit illam acceptare. Sique censura fuit publica & notoria, debet absolutus se gerere publicè perinde ac si non esset absolutus, quamdiu legitimâ ipsius absolutio non est publicè nota. Et si secus faciat, poterit puniri à iudice ecclesiastico, tanquam censuræ contemptor, & violator, si nolit absolutionem datam in foro interno acceptare. Si autem censura est occulta, perinde agere potest, ac si censuram non incurrisset, obtenta eius absolutione in foro interno. Sique postea detegatur, non debet puniri tanquam eius violator: quia licitè fecit: deberque iudex credere testimonio confessarii, qui in foro interno eum absoluit.

Quid sit absolutionem dari in foro conscientiæ?

Porrò, vt rectè notat Layman supra cit. nu. 6. post Ludouic. Mirandam in Manuali Prælat. quæst. 46. art. 7. Absolutio dicitur dari in foro conscientiæ, non quòd necessariò debeat dari in secreta, & sacramentali confessione: sed quòd fiat sine strepitu iudicii, & sine derogatione iuris alterius, ac denique dumtaxat vt anima, quæ excommunicationis, vel alterius censuræ vinculo ligata erat, absoluta maneat coram Deo, saluo iure cognoscendi de illius delicto in foro exteriori, & de eo pœnam, & satisfactionem imponendi: vt etiam docent Suar. disput. 7. sect. 5. num. 30. Rodrig. Sanchez, Auila, Henriq. Medin. & alii, quos citat, & sequitur Bonac. disp. 1. quæst. 3. punct. 10. Præterea sicut potest aliquis simul esse obstrictus pluribus censuris tum eiusdem, tum etiam diuersæ rationis, vt dixi sect. 4. Ita potest absolui ab vna, & non ab alia, eiusdem, aut diuersæ speciei: quia non habent necessariam inter se connexionem, aut dependentiam: ita vt vnâ sublatâ non possint aliæ remanere. Atque ita potest aliquis v. g. absolui ab excõmunicatione incursa propter hæresim, & non ab incursa propter percussionem clerici: vel absolui à suspensione, & non ab interdicto.

Potest vna tolli sine alia.

661

Circa secundum in titulo sectionis propositum, à quo possint tolli censuræ, præmitto ex dictis sect. 2. censuram aliam esse à iure, id est, à Canone, seu lege, vel statuto: aliam ab homine, siue per sententiam iudicis. Et hanc iterum diuidi in eam, quæ fertur per sententiam generalem, & eam quæ fertur per sententiam particularem. Qua distinctione præmissa, Dico secundò, A censura iuris non reseruata potest absoluere quilibet habens potestatem absoluendi à peccato, propter quod inflicta fuit. Sed à reseruata non potest nisi auctor legis, vel statuti, aut eius successor, vel superior, vel delegatus: iuxta cap. *Nuper*, de sententia Excommunic. Similiterque à censura lata ab homine per sententiam generalem, si auctor eam sibi reseruauit, non potest nisi ipse absoluere, vel eius successor, aut superior, aut delegatus. Si autem non reseruauit, absoluere potest omnis ille, qui vel iure ordinario, vel ex priuilegio facultatem habet absoluendi à similibus censuris iure, seu statuto impositis. Quia eiusmodi sententia generalis non tam continet sententiam iudicialem, quã alius rescindere nequeat sine violatione iurisdictionis, quam præceptum generale sub tali pœna impositum: ideóque æquiparatur hac in parte censuræ iuris seu statuti, vt bene ait Laym. sup. n. 3. & probat ex eodem cap. *Nuper*, de sententia Excommunicationis.

Quis potest à censura iuris absoluere?

67.

Quis à censura lata ab homine?

A censura verò lata per sententiam particularem potest solùm absoluere vel ipsemet, qui eam tulit, quamdiu durat eius iurisdictio, & non est extincta per depositionem, vel impedita per censuram Excommunicationis, aut Suspensionis: vel eius successor, parem habens cum illo potestatem, durantem similiter, & non impeditam: vel eius superior, quo nomine intellige solummodo illum, qui plenam habet iurisdictionem in eos, qui censura ligati sunt: vt habet Papa in omnes Christianos, & Generalis Ordinis in omnes eius religiosos, & Episcopus in omnes fideles suæ diœcesis non exemptos. At non Archiepiscopus in subditos Suffraganeorum, quos absoluere nequit, nisi ad ipsum appellatum sit. Vel denique delegatus ab aliquo ex prædictis, qui id possunt iure ordinario nisi tempus delegationis finitum sit: iuxta caput *Quærenti*, de officio Delegati: vel nisi per sententiam definitiuam latam à Delegato super certa causa ipsi commissa, vel per sententiam confirmatiuam superioris ex certa scientia, Superior illam sibi propriam faciat, & consequenter sibi reseruet absolutionem censuræ. Ratio generalis, cur alii non possint absoluere, est quia, cùm iudicialis causa, per Rei citationem, quæ necessariò sententiam censuræ præcedere debet, coram proprio iudice cœpta sit: si alius iudex quicunque præter superiorem, successorem, vel delegatum se ingerat, & reum absoluere tentet, manifestè eius iurisdictionem violat, & interturbat, vt bene ait Laym. loco suprà cit. addens posse tamen interdum, in casu videlicet necessitatis, absolui ab inferiore excommunicatum siue à iure, siue ab homine, si longissimè distet ab eo cui absolutio reseruata est, dummodo sit paratus satisfacere, & cautionem præster, quòd quamprimum poterit, sistet se superiori ad quem iure ordinario pertinet absolutio: vt colligitur ex cap. *Quæ fronte*, de Appellationibus. Ob eandem rationem si ille qui ab Episcopo fuit excommunicatus per sententiam particularem, transit in aliam Diœcesim, non potest absolui ab Episcopo loci in quem suum domicilium transtulit, vt bene docet Suares disp. 7. sect. 2. num. 26. Quia, inquit, causa iam cœpta fuit coram alio iudice, qui proinde quasi permanentem iurisdictionem acquisiuit in tali causa, & in iis quæ ad illam spectant, inter quæ sunt censura, & absolutio ab illa. Iurisdictio autem sic confirmata non aufertur propter translationem domicilii, vt constat ex cap. *Proposuisti*, de foro compe-

Digitized by Google

uenti, cum eius gloſſa. Vbi hanc differentiam ſubindicat inter ſententiam generalem & particularem: quòd iſta fertur ad petitionem partis coram proprio iudice, & ita præcedit propria citatio Rei, vel in particulari, vel confusè per monitionem, vt intra certum terminum ſatisfaciat: ideóque neceſſe eſt, vt talis cauſa inchoata ſub vno iudice, coram illo terminetur, ne detur occaſio fraudibus, & tergiuerſationibus. Quæ cùm non ita ſe habeant in ſententia generali, poteſt alius Epiſcopus abſoluere à cenſura per illam impoſita, æquè ac ab illis quæ ipſo iure, ſeu vi canonis, & legis aut ſtatuti incurruntur.

68. Notandum etiam ex Bonacina diſp. 1. de cenſuris q. 3. punct. 6. poſt Sanchem, Suarem, & alios, quos citat, cum qui confitetur alicui ſacerdoti habenti facultatem abſoluendi à cenſuris ex officio, vel ex priuilegio, manere abſolutum à cenſuris, etiam reſeruatis, quas tacuit ex obliuione: modò generalem obtinuerit abſolutionem ab omnibus, vt ſit per illa verba præmitti ſolita abſolutioni à peccatis, Abſoluo te ab omni vinculo excommunicat. in quantum poſſum, & tu indiges. Ratio eſt, quia talis confeſſarius habet poteſtatem abſoluendi ab illis, vt ſupponimus: & vtitur ſua poteſtate vt patet ex verbis modò relatis. Vnde ſi pœnitens meminerit poſtea alicuius peccati non illi confeſſi, & habentis cenſuram annexam; ſufficit de peccato confiteri, cuicunque valenti ab illo abſoluere. Excipitur tamen excommunicatio, à qua non poteſt confeſſarius licitè abſoluere parte non ſatisfacta. Neque formula illa generali intendit abſoluere à tali cenſura ſibi ignota, à qua ſi manifeſta ſibi eſſet, non poteſt abſque graui peccato abſoluere. Et hîc locum habet regula iuris, Quòd in generali conceſſione non veniunt ea, quæ non eſſet quis in ſpecie verisimiliter conceſſurus, De Regulis iuris in 6. Cur autem peccatum ſit poſtea confitendum neceſſariò, & tamen cenſura non ſit neceſſariò detegenda, ratio eſt, quia iure diuino tenemur cõfiteri ſigillatim omnia mortalia: ſecus autem detegere cenſuras peccatis annexas. Nulla enim eſt obligatio eas detegendi niſi quantum, & quatenus neceſſarium eſt, vt tollantur.

Notanda pro cenſuris obliti in confeſſione.

70. Item quando alicui datur facultas abſoluendi in foro interno ex delegatione, aut ex priuilegio, poteſt abſoluere non modò in confeſſione ſacramentali, ſed etiam extra, & abſque eo quòd abſoluat eum à peccatis: niſi verba conceſſionis exprimant hanc limitationem. Nam alioqui ſi abſoluta ſunt, debent abſolutè, & generaliter intelligi. Quin etiam non pauci affirmant, quando in conceſſione facultatis ſic dicitur, Audita confeſſione abſoluatur à peccatis, & cenſuris annexis, particulam illam, *Audita confeſſione*, referri tantùm ad abſolutionẽ peccatorum, & ſine illa poſſe dari, vi talis conceſſionis, abſolutionem à cenſuris. Quãdo etiam in conceſſione datur ſolèm poteſtas abſoluendi, ſatisfacta parte; intelligendum eſt, ſi Reus poteſt, & tenetur ſatisfacere. Neque enim ſuperior intendit illum obligare ad impoſſibile phyſicè, vel moraliter. Intelligendum etiam, ſi obligatio ſatisfaciendi certa eſt. Nam ſi adhibita ſufficienti inquiſitione, manet dubia, etiam iudicio ipſius confeſſarii; poteſt abſoluere. In dubiis enim Reo fauendum eſt, & melior eſt conditio poſſidentis. Præterea ſi non ſtat per Reum quin ſatisfaciat, ſed per læſum, qui non vult ſatisfactionem acceptare; poteſt abſolui: neque enim debet alterius malitia ei nocere. Idemque dico, ſi det in præſens confeſſario, vel alteri perſonæ tutæ pecuniam v. g. reſtituendam ad ſatisfaciendum: hoc enim ſufficit, vt in præſens abſoluatur. Imò etiam, ſi ſatisfactio non poteſt niſi poſt longum tẽpus exhiberi, vel tota vel ex parte, ſufficit nunc præſtare quod poteſt, & pro cætero dare cautionem pignoratitiam, vel fideiuſſoriam, ſi alioquin abſolutio ſine graui damno ſpirituali, vel temporali, in tam longum tempus differri nequit.

Notanda pro delegatis à cenſuris abſoluẽdis.

71. Præterea quando virtute Iubilæi abſoluitur aliquis à cenſura reſeruata, poſteaque non lucratur Indulgentiam, quia non facit reliqua omnia in eius conceſſione præſcripta, v. g. non ſumit Euchariſtiam, quod tamen inter alia, neceſſariũ eſt: valet nihilominus, & tenet abſolutio: neque propterea reincidit in ſimilem cenſuram, quia abſolutio non fuit data ad reincidentiã, neq; ſolùm ad effectũ lucrandi Indulgen. cùm verba Iubilæi id non exprimant, ſed ſimpliciter, & abſolutè dant facultatẽ abſoluendi. Supponimus autem pœnitentem non acceſſiſſe ficto animo, ſed cum intentione præſtandi reliqua ad Iubilæum neceſſaria, licet poſtea ſententiam mutet: alioquin accederet indiſpoſitus, & incapax abſolutionis à peccatis, & cenſuris illi annexis: facultas enim abſoluendi ab illis non datur niſi in ordine ad Iubilæum, petentibus ſcilicet abſolutionem ex animo ſaltem illud lucrandi, ſeque ad id diſponendi per huiuſmodi abſolutionem.

Abſolutio virtute Iubilæi quomodo valeat?

72. Vlteriùs in articulo, vel probabili periculo mortis poteſt quilibet ſacerdos abſoluere à quibuſlibet cenſuris, & peccatis reſeruatis. Nam vt ait Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. Ne occaſione reſeruationis cenſurarum, & peccatorum aliquis pereat, *in Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis: atque ideò omnes ſacerdotes, quoſlibet pœnitentes à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſunt.* Vbi nota particulam generalem, *Omnes ſacerdotes*, comprehendere etiam excommunicatos, non toleratos, ſuſpenſos, irregulares, depoſitos, aut degradatos, imò etiam hæreticos, aut apoſtatas. Retinent enim illi omnes Ordinem & characterem ſacerdotalem, atque in eo caſu iuriſdictionem accipiunt ab Eccleſia in fauorem extremæ neceſſitatis fidelium, qui verſantur in tanto ſalutis æternæ periculo.

Quilibet poteſt abſoluere in periculo mortis.

Digitized by Google

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA NONA,

De Censuris in particulari, & primò de Excommunicatione.

Sectio I. *Quid, & quotuplex sit excommunicatio, quinæ sint illius effectus?*

Sectio II. *De primo effectu excommunicationis, qui est priuatio passiuæ communicationis sacramentorum.*

Sectio III. *De secundo effectu, qui est priuatio actiuæ administrationis sacramentorum.*

Sectio IV. *De tertio effectu, qui est priuare suffragiis Ecclesiæ.*

Sectio V. *De quarto effectu, qui est priuatio diuinorum officiorum ita vt excommunicatus non possit illis interesse, nec illa celebrare.*

Sectio VI. *De quinto effectu, qui est priuatio ecclesiasticæ sepulturæ.*

Sectio VII. *De sexto effectu, qui est inhabilitas ad Beneficia ecclesiastica.*

Sectio VIII. *De septimo effectu, qui est reddere irrita rescripta Apostolica ab excommunicato impetrata.*

Sectio IX. *De octauo effectu, qui est priuatio iurisdictionis ecclesiastica.*

Sectio X. *De nono effectu, qui est priuare communicatione forensi.*

Sectio XI. *De decimo effectu, qui est priuare omni communicatione ciuili cum fidelibus.*

Sectio XII. *De aliis duobus effectibus maioris excommunicationis: & quantum sit peccatum communicare cum illis?*

Sectio XIII. *De causis maioris excommunicationis.*

Sectio XIV. *Quæ causæ excusent ab excommunicatione incurrenda, illa præsertim quæ fertur ad finem reuelationis?*

Sectio XV. *Quomodo tollatur excommunicatio, & quid præstandum sit confessario circa pœnitentem excommunicatum?*

Sectio XVI. *De excommunicationibus in particulari, & primò de illis quæ solent ferri ab homine propter aliquod damnum temporale.*

Sectio XVII. *De excommunicatione lata in percussores Clericorum.*

Sectio XVIII. *De excõmunicatione propter hæresim, & lectionem librorum prohibitorum.*

Digitized by Google

causas, & tunc tot sunt principales excommunicationes, quot causæ pro quibus aliquis excommunicatur. Septimò, Licere fidelibus communicare in purè corporalibus cum excommunicato minori excommunicatione: secus autem cum illo qui maiori excommunicatione ligatus est: nisi vel hoc ipsum vinculum ignoretur, vel aliqua spiritualis commodi, vel legis, aut necessitatis ratio ad hoc impulerit. Octauo, Participantem cum excommunicato incurrere excommunicationem aliquando minorem, & nonnumquam maiorem. Potest enim tripliciter ferri in aliquẽ excommunicatio. Aut ita vt ipse sit excommunicatus cum omnibus ei participantibus: & tunc non est dubium, quòd quicunque participat ei, est excommunicatus maiori excõmunicatione. Aut est excommunicatus simpliciter: & tunc vel participat aliquis ei in crimine, præbendo ei consilium, auxilium, aut fauorem: & sic incurrit maiorem excommunicationem. Vel participat in aliis, sicut in verbo, vel in osculo, vel in mensa: & sic incurrit minorem tantùm excommunicationem. Nonò, Participare cum excommunicato non semper esse peccatum mortale: sed solùm quando participatur in crimine, vel in diuinis, vel in contẽptum Ecclesiæ. Decimò, A minori excommunicatione posse absoluere, quicunque potest à peccato participationis absoluere. Si autem sit maior: aut est lata à iudice, & sic ille qui tulit, vel eius superior potest absoluere: vel est lata à iure, & tunc Episcopus, vel etiam sacerdos potest absoluere, exceptis casibus, quos sibi iuris conditor, Papa scilicet, reseruauit. Vndecimò, Non modò volentem, sed etiam inuitum absolui posse ab excõmunicatione: quia excommunicatio non est culpa, sed pœna, quæ sicut in aliquem inuitum ferri potest, ita & tolli. Non enim requiritur ad pœnã quòd sit voluntaria: imò magis de ratione pœnæ est, quòd sit contra voluntatem. In quo differt à culpa, cuius principium semper in nobis est, quia omne peccatũ voluntariũ est. Duodecimò, Posse quẽpiam pluribus ligatũ excommunicationibus absolui ab vna sine alia, quia excõmunicationes non habent cõnexionem in aliquo, propter quod nequeãt seperatim tolli. Sed quãdo aliquis est excõmunicatus pluribus excõmunicationibus ab vno, eodemque iudice: tunc si absoluitur ab vna, intelligitur ab omnibus absolui, nisi contrariũ exprimatur, vel nisi aliquis absolutionẽ impetret de vno tantum casu excommunicationis, cùm tamen pluribus excommunicatus sit. Quando autem est excommunicatus pluribus excommunicationibus à diuersis iudicibus: tunc absolutus ab vna, non continuò est absolutus ab altera, nisi omnes alii ad petitionem eius, absolutionem illius confirmauerint, vel nisi omnes demandent vni absolutionem. Hæc D. Thomas, quorum aliqua præcedenti disputatione fuerunt explicata, reliqua sequentibus sectionibus exponentur.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex, sit excommunicatio: Quinue sint illius effectus?

EXcommunicatio est censura ecclesiastica, quæ priuat externa communione fidelium: nimirum vel omni, vt maior: vel aliqua tantùm, vt minor. Est enim duplex excõmunicatio: maior, & minor, vt habetur ex cap. penult. de sententia excommunic. Sed minor est tantùm impropriè excommunicatio. Quare cùm Canon aliquis loquitur de excommunicatione absolutè, & simpliciter, intelligitur maior, iuxta caput citatum, *de sent. excomm.* vt expresè docent Tolet. lib. 1. cap. 5. Couarruuias in cap. *Alma mater*, 1. parte. §. 8. num. 5. Suar. disp. 8. sect. 3. n. 3. Conink. disp. 14. dub. 1. n. 5. Auila parte 2. cap. 1. disp. 2. Bonacina disp. 2. de Censuris q. 2. punct. 2. n. 2. & plures alii. Quia nimirum verba absolutè prolata accipiuntur in sua significatione simpliciter, vt dicitur l. *Non aliter*, ff. *de legatis*. Neque obijcias in pœnis benigniorem partem esse accipiendam, *de regulis iuris in 6*. Respõdeo enim id intelligendum esse saluâ verborum proprietate; Et nisi ius, aut consuetudo contrarium declarauerit. Quamuis autem in iuribus antiquioribus vox excõm. simpliciter dicta de minori etiam intelligeretur, vt patet ex Concilio Carthaginẽsi IV. can. 24. cuius verba referuntur *de consecratione*, dict. 1. c. 63. & ex c. 18. Causa 11. q. 3. Nam vox excõm. ibi simpliciter vsurpata, de minori sine dubio intelligenda est: tamen à tẽpore Gregorii IX. aliter fert consuetudo, & sic ab illo statutũ est c. penultimo de sententia excõm. cuius verba sunt: *Si quem sub hac forma verborum, Illum excõmunico, vel simili, a iudice suo excõmunicari contingat; dicendũ est eum nõ tantùm minori, sed etiam maiori excõm. ligatum esse.* Ac licet specialiter loquatur ibi Põtifex de sententia ab homine: extẽditur tamen à Doctoribus communiter illa decisio ad excommunicationes à iure latas, ob paritatẽ rationis, nisi vel ex materia, vel ex adiunctis satis constet sermonem esse de minori excommunicatione.

1. Definitio & diuisio excommunicationis.

Dixi Excomm. esse censuram ecclesiasticam: quæ particula est loco generis: & priuare externa cõmunione fidelium, vt tali scilicet: in quo differt ab aliis speciebus cẽsuræ nimirũ à Suspẽsione, & interdicto: quę si priuãt interdum iisdẽ rebus, quibus excõmunicatio: non tamen prout habent rationẽ communicationis cum fidelibus; sed prout sunt res quædã sacræ. Addidi, priuare cõmunione externâ, quia nõ priuat internâ, vt dicã paulò post: &, vel omni, vt maior, vel aliqua, vt minor: Quâ particulâ insinuatur diuisio excomm. in maiorẽ, & minorẽ; & differẽtia inter vtráq;. Nam minor excõm. prout nũc, & iamdiu est in vsu, priuat solùm duobus. Vnũ est passiua communicatio, siue susceptio sacramentorum: ita vt peccet grauiter, qui sine præuia eius absolutione recipit aliquod sacramentum, nisi excuset ignorãtia, vel necessitas. Nam can. finali, *Extra, de cleric. excommunicato*, dicitur talem grauiter peccare. Recipit, inquam, non autem qui solùm dat. Constat enim dantem, seu conferẽtem sacramenta in minori excõmunicatione, nõ peccare mortaliter: dummodo non sit Eucharistia, vel Ordo, in quibus celebrandis etiam ipse aliquod sacramẽtum recipiat. Ratio est, quia vi minoris excommunicationis nõ prohibetur administrare sacramenta, sed tãtùm recipere. Propter quod etiam Nauar. c. vlt. Manual. num. 24. Suar. disp. 24. de Censuris sect. 2. num. 12. & plures alij existimant talem non peccare venialiter. Quorum sentẽtia probabilior esse mihi videtur. Nam talis dicitur tãtùm à sacramẽtorum participatione remotus *Extra, de exceptionibus, cap. A nobis.* Et cũ dicitur in c. vlt. de Clerico excõm. talem peccare conferendo sacramenta, de iis sacramentis intelligendum est, quæ in collatione habent adiunctam sumptionem: cuiusmodi sunt Eucharistia, & Ordo, vt paulò ante diximus. Nõ incurrit etiam irregularitatem, qui celebrat cum hac cẽsura: quia huiusmodi irregularitas non est in iure expressa. Imò cõtrarium traditur expresè cap. vlt. de clerico excommunicato ministrante.

2. Explicatur.

Quibusnã bonis priuet excommunicatio.

Alterum, quo priuat excommunicatio minor, est electio passiua ad Beneficiũ, aut Officiũ ecclesiasticũ. Putant q; multi talem electionem esse ipso iure irritam, si sciẽter fiat, hoc est, si eligentes sciant electũ esse innodatũ minori excomm. Probabilius tamen est non esse irritam, sed irritandam: vt habetur cap. illo finali, *de clerico excommunicato*, licet in foro externo possit censeri irrita, iuxta interpretationem Panormitani ibidem.

Potestne aliis priuari?

Dixi minorem excommunic. prout in vsu iamdiu est, his duobus tantùm priuare: quia non est dubium multiplicem alium modum excõmunicationis minoris posse excogitari, pluribus aliis priuantis, nec tamen iis omnibus, quibus priuat maior excommunicatio: cũmq; res pendeat à voluntate, & institutione summi Pontificis, ac Prælatorũ Ecclesiæ: potuit alius institui, & fortè olim in vsu fuit. Nam cap. *Placuit* 2. dist. 18. statuitur vt Episcopi, qui negligunt ad Concilium Prouinciale venire; neque Primati rationem impedimenti reddunt, Ecclesiæ suæ communione debeant esse contenti: ita vt priuentur communione Episcoporum comprouincialiũ: & aliquatenus excõmunicẽtur, non maiori excommunicatione, quæ priuat cõmunione omniũ fidelium; sed minore, aliqua priuãte solũ cõmunione extra propriam diœcesim, & permittente intra illam cõmunicare tã in sacramentorũ receptione, quàm in aliis, qui modus excõmunicandi lõgè differt ab vsu iam recepto. Alia quædam exẽpla ex iure Canonico refert Suar. disp. 24. sect. 1. n. 2. quæ apud ipsũ videri possunt, existimãs tamen illa fuisse potiùs aliud genus pœ-

ræ, quàm censuram propriè dictam.

4. Cur incurratur minor excom.

Causa propter quam incurritur excõmunicatio minor, est vnica: nempe communicatio illicita cum excõmunicato maiori excommunicatione, cap. *Nuper*, de sent. excommunic. & cap. *Statuimus*, eod. tit. in 6. Potestque incurri etiamsi in tali communicat. venialiter tantummodo peccatũ fuerit. Omnino tamẽ debet esse culpabilis, & extra casus, in quibus licitum est communicare cum excommunicato: quia excõmunicatio, cùm sit propriè pœna, non incurritur nisi propter culpam; imo nec nisi propter aliquã contumaciam contra præceptũ ecclesiasticũ. Qua de causa si peccatum est veniale, & leue, non solùm ratione materiæ, quia est leuis cõmunicatio cum excõmunicato; sed formaliter, ob imperfectam deliberationem & aduertẽtiam; existimo cum Suare disp. cit. sect. 3. n. 3. non incurri excõmunicationẽ, quia deest cõtumacia in actu illo imperfectè humano.

Quis ab illa potest absoluere?

Ab illa potest absoluere, quicunque habet potestatem absoluẽdi à peccatis mortalibus: quia in cap. *Nuper*, de sentent. excõm. dicitur quemlibet proprium sacerdotẽ posse ab hac excõmunic. absoluere. Nomine autem proprii sacerdotis in foro interno intelligitur quicunq; iure ordinario potest absoluere à mortalibus, Argumento cap. *Omnis vtriusque sexus*, *De Pœnit. & remiss.* Et quisquis ab illis delegatur, censetur eandem potestatem accipere. Addunt aliqui, etiam quicunque potest absoluere à venialibus, posse ab illa absoluere, quando fuit incursa ob peccatũ veniale tãtùm. Sed cõmunis fere sentẽtia Doctorũ contraria est, vt testatur Argid. Con. disp. 14. d. 17. num. 365. Quia, inquit, sicut hęc absolutio distincta est à Sacramẽtali. Ita ad eam requiritur distincta iurisdictio, quæ nullibi conceditur generaliter õnibus sacerdotibus Et hæc sufficiant de minori excõm.

5. Quibus priuet maior excõmunicatio?

Maior excommunicatio priuat omni externa communicatione fidelium. Externa, inquam, Nam duplex est communicatio inter fideles. Vna interior, per fidem, spem, & charitatẽ, & per orationes priuatas, vel merita de congruo, & satisfactiones Deo pro aliis oblatas, ex intẽtione priuata cuiusque vt illis aliquo modo prosint ad consequendum aliquod beneficium spirituale, vel temporale, aut liberationem à pœna temporali restante ex peccatis remissis quoad culpam. Et hac communicatione nemo priuari potest, nisi per seipsum. Alia est exterior, quæ consistit in participatione sacramentorum, & orationum publicarum, seu communium suffragiorum Ecclesiæ, atque in conuersatione ciuili cum aliis fidelibus. Et hac omni priuat Ecclesia per maiorem excommunicationem. Vnde collige maiorem excommunicationem includere minorem, & ad illam comparari vt totum ad partem. Priuat enim participatione sacramentorum, sicut minor, & passiua ejectione ad Beneficium, aut Officium ecclesiasticum: & insuper aliis iam dictis, fusiúsque recensendis paulò post. Collige præterea maiorem excommunicationẽ priuare illis omnibus, quibus potestas ecclesiastica priuare potest: adeoque esse omnium maximam. Nec obest, quòd aliquando anathema in iure Canonico distinguitur ab excommunicatione, tanquam aliquid maius, vt cap. *Nemo Episcoporum*, 11. q. 3. & cap. *Cum non ab homine*, de Iudiciis, & cap. *Engeltrudam*, 3. q. 4. Respondeo enim distingui vt aliquid maius non quoad substantiam, sed quoad solemnitatem accidentalem, quæ maior in eo adhibetur, qualis describitur cap. *Debent*, 11. q. 3. Nimirum cum quibusdam cerimoniis, maiorem damnationem, & terrorem præ se ferentibus.

6. Multiplex diuisio maioris excõmunic.

Variè autem diuiditur excommunicatio maior, sed præcipuè sextupliciter. Primò enim, vna fertur à iure; alia fertur ab homine, seu per sententiam. Illa vocatur excommunicatio iuris: ista excommunicatio ab homine. Lata à iure dicitur, quando fertur lege, vel statuto perpetuo: siue statutum illud contineatur in iure communi, siue in particularibus statutis prouincialibus, aut Synodalibus. Et hæc ferri non potest, nisi ab iis, qui habent ius condendi leges, & statuta perpetua. Lata verò ab homine dicitur, quando fertur à iudice per sententiam tem poralem, seu per modum præcepti. Inter vramque hoc discrimen est, quòd prior durat etiam legislatore mortuo, ita vt contra legem facientes, illam deinceps semper incurrant, quamdiu lex non reuocabitur. Posterior verò non incurritur post mortem, vel amotionem iudicis; licet qui eam iam incurrerunt, maneant ligati donec absoluantur. Secundò, excommunicatio ab homine diuiditur in generalẽ, & particularem. Prior est, quę fertur generaliter contra omnes, qui committunt aliquod peccatum, non nominando illos. Posterior, quæ contra certam personam, vnam aut plures, quæ nominãtur vel proprio nomine, vel nomine Officii sui, dicunturq; idcirco nominatim excõmunicari. Tertiò, quædam est tãtum cõminatoria, siue, vt vocant, sententiæ ferendæ; quæ non incurritur ipso facto, nec nisi accedat iudicis sententia. Alia vocatur latæ sententiæ, quæ ipso facto incurritur, id est, eo ipso, quòd tale peccatum committitur, non expectatâ aliâ sententiâ Nunquam autem est excõm. latæ sententiæ, nisi id expresè dicatur in ipsa sententia, vel in Canone: & in dubio censeri debet esse comminatoria, non latæ sententiæ: quia in pœnis benignior est interpretatio faciẽda. Quartò, quædam est excõmunic. quæ nulli reseruatur: alia, quæ Papæ, vel Episcopo, aut alteri superiori. Quintò, vna est iusta tã ex parte ferentis, qui zelo iustitiæ, & non ex prauo affectu excõmunicat: quàm ex parte materiæ, & formæ; id est, quia fertur pro peccato verè commisso, & digno tali pœna; & seruato iuris ordine. Altera est iniusta, quæ in aliquo istorum, aut in omnibus deficit. Prior est valida,

vt rectè ait D. Thom. quæst. 21. art. 4. Secus autem posterior, quando sententia continet defectum substantialem, aut in falsa præsumptione fundatur: id est, quando non seruatur forma iuris necessaria ad valorem sententiæ, adeoque substantialis (secus autè, si deficiat tantùm in aliquo accidentali) vel quando excommunicatur aliquis pro peccato quod reipsa non fecit, licet ex allegatis, & probatis iuridicè damnetur. Sextò denique, maiori excommunicatione ligati diuiduntur in toleratos, seu non vitandos: & in non toleratos, seu vitandos. Quæ distinctio quia sæpius recurret, fusiùs exponenda est.

7. Excommunicati vitandi quinam sint?

Nota igitur primò, cùm olim vitandi essent omnes ligati maiori excommunicatione, rigorem illum temperatum fuisse ante ducentos & aliquot amplius annos, per Extrauagantem, *Ad vitanda*, quæ sic habet: *Ad vitanda scandala, & multa pericula, subueniendumque conscientiis timoratis, statuit* (Concilium scilicet) *quòd nemo deinceps à communione alicuius in sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscunque diuinis, vel extra, prætextu cuiuscunque sententiæ, aut censuræ ecclesiasticæ, seu suspensionis, aut prohibitionis, ab homine vel a iure generaliter promulgatæ: teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut Interdictum ecclesiasticum obseruare, nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura huiusmodi, fuerit in vel contra personam, Collegium, vniuersitatem, Ecclesiam, aut locum certum, aut certam, à iudice publicata vel denunciata specialiter, & expressè: aut si aliquem ita notoriè excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quòd nulla possit tergiuersatione celari, aut aliquo modo iuris suffragio excusari. Nam à communione illius abstinere vult iuxta canonicas sanctiones. Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos, non intendit in aliquo relaxare, nec eis quomodolibet suffragari.*

8. Constitutio *Ad vitanda* à quo edita?

Nota secundò, hanc cõstitutionem referri communiter ex Concilio Constantiensi, celebrari cœpto anno Domini 1415. in cuius tamen actis, quæ nunc extant, non reperitur, sed in Basileẽsi celebrato sexdecim post annis, hoc est, anno Domini 1431. sess. 20. sub finem. Refertur tamen à S. Antonino part. 3. tit. 25. cap. 3. velut ex Concilio Cõstantiensi, cuius etiam nomine solet ab aliis citari. Siue autẽ edita fuerit à Constantiensi, siue à Basileẽsi, difficultas est, quomodo vim habuerit derogandi iuri antiquo, quãdoquidem neutrũ fuit, quoad omnia approbatum à summo Põtifice, neq; speciatim quoad hoc, quãtùm apparet ex illorum actis, & ex Bullis Martini V. & Nicolai V. quidquid dicãt Couarruuias in cap. *Alma mater*, 1. part. §. 2. num. 7. & Vgolinus tabula 1. cap. 13. §. 7. initio. Sed respondendum est hanc vim habere saltem ex eo quòd ab Ecclesia vniuersa fuit recepta, & vsu approbata, consentiente summo Pontifice, à quo etiam fortassis emanauit, vt dicemus paulò post.

9. Diuersimode refertur.

Nota tertiò eandem constitutionẽ aliter referri in fine sessionis vigesimæ Cõcilii Basileẽsis, & aliter, à S. Antonino, quasi ex Cõcilio Constantiensi, cap. supra cit. Nam iuxta priorem relationem duo genera excommunicatorum præcipiuntur vitari. Vnum eorum, qui fuerunt specialiter, & expressè denunciati. Alterum eorum, qui tam notoriè in excommunicationis sententiam inciderunt, vt nulla id possit tergiuersatione celari, aut aliquo modo iuris suffragio excusari. Quod secundum non ita refertur ab Antonino, neque tam amplè: sed cum limitatione ad solos clerici percussores notorios: sic enim habet: *Saluo, si quem pro sacrilega manuum iniectione in clericum, sententiam latam à Canone adeo notoriè constiterit incidisse, quòd factum non possit aliqua tergiuersatione celari, neque aliquo suffragio excusari. Nam à communione illius, si et denunciatus non fuerit, volumus abstineri iuxta Canonicas sanctiones.*

10. Vtra lectio melior?

Ex qua lectionum varietate orta est dissẽsio inter Doctores, vtri potius adhærendum sit? Basileensem sequendam esse docent Abbas in Clement. 2. de sent. Excõm. unic. Nauarr. in cap. 1. de Pœnit. dist. 6. §. *Laboret*, num. 10. Couarruuias, & Vgolinus locis supra cit. Siluester v. *Excõmunicatio* 5. num. 9. & pauci alii. Ratio præcipua illorũ est, quia prior lectio certò habetur ex Concilio Basilien si, & approbatur à Leone X. in Concilio Laterã. sess. 11. Posterior verò habetur solũ ex relatione S. Antonini, quæ minùs certa est: & licet talis edita fuisset à Concilio Cõstantiensi: Basileense tamen, & Lateran. sub Leone X. quæ sunt posteriora, illi derogassent. Cõtrariũ tamẽ sentiunt plures alii, quos refert, & sequitur Suar. disp. 9. sect. 2. n. 5. Tum quia satis constat auctoritate S. Antonini, qui ex pluribus testimoniis fide dignis refert constitutionẽ illã, prout ipse eam cõsignauit, fuisse editam ab ipso Martino V. in Concilio Constan. ipsumq; hac de re interrogatum sic respondisse: *Illa est vna de Cõcordatis, & volo quòd semper duret.* Tũ etiã, & præcipuè, quia vsu cõmuni Ecclesiæ ita recepta est: Neq; enim in Gallia, Germania, Italia, aliisque locis vitantur alii excommunicati. Tum denique quia sic aptior est, & vtilior ad finem intentum à Concilio, subueniendi conscientiis timoratis, vitandique animarũ pericula, & scandala. Neque illi derogarunt Basileense, & Lateranense supra cit. tata. Nam Basileense non habet auctoritatem, nisi quoad ea quæ approbantur in Bulla Nicolai V. id est, quoad causas quasdam beneficiales, & facta quædam particularia: Leo vero X. in Concilio Lateranensi Constitutionem illam Basileensis non confirmauit, sed tantùm inseruit Concordatis inter Papam & Regem Galliæ, ipso ita volente. Non obest etiam quòd aliqua Concilia Prouincialia Cõstitutionem Basileẽsem receperunt: vt Moguntinum c. 104. & Biturice ẽse teste Nauarr. supra cit. Nã huiusmodi Cõcilia non potuerũt iuri Pontificio vel Cõcilio generali derogare: & praxis vtriusq;

Digitized by Google

Prouinciæ fuit contraria.

Nota denique hanc clausulam, *Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos seu prohibitos, non intendit in aliquo relaxare, nec his quomodolibet suffragari*, non referrià S. Antonino, sed ab omnibus tamen admitti. Patetque ex initio eiusdem constitutionis, prout ab auctore supradicto, atque etiam in Basileen. si retertur, intentionem Concilii fuisse tantùm præcauere piarũ animarum pericula, & scandala quæ poterant ab excommunicatis contingere.

12. Duo tantũ genera excommunicatorum vitanda.

Hoc supposito, Duo tantùm sunt genera excommunicatorum, qui non tolerantur, seu qui debent vitari. Vnum eorum, qui sunt nominatim excõmunicati, atque etiam denunciati, siue nomine proprio, siue nomine officii proprii, & cum iis circumstantiis, vt designetur sufficienter, & distincte talis persona. Adeò vt non sufficiat fuisse nominatim excommunicatos, nisi etiam sint denunciati. Multóque minùs sufficiat, constare publicè quòd aliquis censuram incurrerit: nisi sequatur denunciatio illius, vt nominatim excommunicati. Non sufficit etiam denunciatio confusa sub aliqua generali clausula: vt si dicat sententia, *Excõmunicamus Paulum, & complices in tali crimine.* Nam Paulus quidem in eo casu, qui expressè & nominatim excommunicatur, ac denunciatur, erit vitandus; sed non complices. Non sufficit quoque decretam esse sententiam declaratoriam contra excommunicatum, donec actu fiat denunciatio. Idcóque Parochus, illam apud se habens, non tenetur eum vitare, donec promulget, & denunciet in loco publico, tempore præscripto, & auctoritate iudicis competentis: putà in Ecclesia tempore missæ solemnis, aut affixâ schedulâ in loco publico, iuxta morem receptum. Præterea non sufficit sententia excommunicationis de futuro pendente sub conditione, quamuis contra certam personã nominatim lata, & publicata fuerit iuridicè: sed oportet impletâ esse conditionem, & iam ferri sententiam absolutè, atque vt talem publicari, & nominatim denunciari personã excommunicatam: quia tunc solùm propriè dicitur persona nominatim excommunicari, & denunciari vt excõmunicata: neque antea vitari debet: multóq; minùs si appellauerit ante impletionem conditionis, vel ante denunciationem. Existimo tamen cum Domin. Soto, Henrique, Couar. Nauarro, Auila, & aliis quos citat, & sequitur Bonac. disp. 2. quæst. 2. punct. 1. §. 1. n. 2. & Suares disp. 9. sect. 2. num. 10. Satis esse, vt aliquis censeatur nominatim excommunicatus, & denunciatus, quòd in eum lata sit, & publicata sententia declaratoria criminis commissi, cui iure ipso manifestè annexa est excõmunicatio. Quia tunc perinde est declarare illum cõmisisse tale crimen, & declarare incurrisse censuram illi crimini annexam. Atque ita qui v.g. declaratur iuridicè incidisse in hæresim, statim vitari debet: quia hoc ipso quòd denunciatur nominatim esse hæreticus, denunciatur simul esse excõmunicatus, cùm certò, & euidenter constet, omnem hæreticum esse ipso iure excommunicatum.

Alterum genus excommunicatorum qui non tolerantur, est eorum, qui clericum iniustè percusserunt, si crimẽ est notoriũ notorietate seu euidentia facti, hoc est, commissum in præsentia multorũ; & ita vt iniusta percussio non possit vlla tergiuersatione celari, aut excusatione iuris defendi, probabili scilicet, & quæ meritò rem dubiã faciat: alioquin inutilis esset illa exceptio, cũ eiusmodi percussores nunquã careant futili, & improbabili excusatione. Itaq; non sufficit notorietas iuris, id est, quòd crimen possit per testes sufficientes probari in iudicio, aut quòd percussor in illo fuerit confessus, aut conuictus de crimine: Neque etiam quòd publicâ solùm infamiâ laboret, absq; facti euidentia: quia istud non tã notoriũ facti dicitur, quàm famosum: quæ duo distinguũtur cap. *Tuæ nos*, de cohabitatione cleric. & mulier. Sed debet crimen esse patratum coram multis testibus, & eorum testimonio tã esse diuulgatũ, factũq; publicè notum, vt nulla possit tergiuersatione celari, neque etiã vllo iuris suffragio probabiliter excusari. Quantus autẽ requiratur numerus testium, & quãta publicatio, prudenter iudicandum est, habita ratione magnitudinis loci, & qualitatis testium, aliarumq; circũstantiarũ. Neq; opus est crimẽ esse diuulgatũ in tota ciuitate, aut cõmunitate, sed sufficit quòd in magna eius parte. Donec autẽ sit ita publicatum, existimo ne illos quidem, qui viderunt cõmitti crimen, obligari ad vitandũ percussorem: quia nondũ adest conditio requisita à Concilio, quòd videlicet sit notorium notorietate facti: ad quod non sufficit esse notũ illis tantùm, qui viderunt, nisi coram magna parte ciuitatis, aut cõmunitatis factũ sit: vt bene docent Auila, & Aragon. quos citat, & sequitur Bonac. disp. 2. q. 2 punct. 1. §. 1. n. 7. contra Suarem disp. 9. sect. 2. n. 12. Rectè etiam notat Aegid. Con. disp. 14. dub. 2. n. 11. dupliciter posse crimen dici, & esse notoriũ: nimirum vel absolutè, quando plurimis in ciuitate notum est: & tunc per totam ciuitatẽ debet vitari percussor ita notorius. Vel secundò, respectiuè, quando notũ est maiori parti collegii, seu cõmunitatis in qua habitat, modò saltẽ decẽ personis constet: tuncq; in illa cõmunitate debet vitari, sed non extra, donec magis publicetur. Non desunt tamen qui existiment non vrgere obligationem eum vitandi, ante sententiam Iudicis: quia eo vsq; non satis constat crimen nulla posse tergiuersatione celari, vel suffragio iuris excusari. Et hactenus de diuisionibus maioris excommunicationis.

13. Percussores Clericorum vitandi.

Iam quod attinet ad illius effectus, plures illi sunt, quos modò breuiter recensebimus, posteaque fusiùs, & singillatim exponemus. Primus est priuare excõmunicatum cõmuni-

13. Effectus maioris excõmunicationis.

catione passiua, seu receptione sacramentorum, Cap. *Cum illorum*, & cap. *Si quem*, de sentent. excommunication. Secundus, priuare communicatione actiua eorundem, siue facultate illa administrandi, cap. *Latores*, & cap. *Si celebrat*, de clerico excommunicato ministrante. Tertius, priuare Ecclesiæ suffragiis, siue fructu, qui prouenit fidelibus ex publicis ministrorum Ecclesiæ precibus, officiisque diuinis, & sacrificiis, ipsius nomine factis, quæ etiam non possunt licitè pro illis offerri publica intentione, cap. *Arabus* 2. & cap. *Sacris*, de sentent. excommunicationis. Quartus, non potest excommunicatus licitè celebrare publicè diuina officia, neque eorum celebrationi interesse: & si non sit toleratus, debet expelli ab Ecclesia, quia non possunt alii eo præsente, & assistente celebrare, cap *Significauit*, cap. *Nuper*, cap. *Responso*, de sentent. excommunic. & cap. *Alma mater*, eodem tit. in 6. Sique nō parer, & non potest expelli; debet omitti diuinum officium, ipsumque etiam Missæ sacrificium, dum modo Canon nondum sit inchoatus. Quintus effectus est priuatio sepulturæ ecclesiasticæ: ita vt excommunicatus non possit in loco sacro sepeliri, neque à clero deduci, neque funebre officium pro illo recitari: nisi prius absolutus fuerit, cap. *Sacris*, de Sepulturis: & cap. *Arabis* 2. cap. *Sacris*, de sentent. excommunic. Sextus est, inhabilitas ad quoduis ecclesiasticum Beneficium accipiendum. Ita vt electio excommunicati, vel præsentatio, itemque institutio, aut confirmatio, vel collatio beneficii, sit ipso iure irrita, cap. *Postulastis*, de clerico excommunicato. Quod verum est, etiam si excommunicatus sit toleratus: atque etiam, licet ignoret suam excommunicationem: vt putà, quia oblitus est se eam incurrisse, aut falsò putat se validè absolutum esse. Septimus, excommunicatio reddit irritum ipso iure, quodcūque rescriptum Apostolicum ab excommunicato impetratum, cap. 1. de rescript. in 6. Nisi in rescriptis Pontificis inseratur, vt communiter fieri solet, absolutio ad cautelam ad illum effectum obtinendum.

Octauus, priuat omni vsu iurisdictionis ecclesiasticæ cap. primo de Officio Vicarii in 6. cap *Audiuimus*, 24. q. 1. aliisque pluribus: ita vt omnes actus iurisdictionis Ecclesiasticæ inualidè fiant ab excommunicato non tolerato. Qui verò fiunt à toleratо, sunt validi in vtroque foro, quandiu ab eo repellitur. Nonus, priuat communicatione rei: si sit siue impedit excommunicatum, re ipsa esse iudex, aduocatus, procurator, tabellio, actor, aut testis, etiam in causis ciuilibus, cap. *Ad probandum*, de sententia & re iudicata, & cap. *Decernimus*, de sent. excōmunic. in 6. Decimus, priuat excommunicatum omni ciuili, seu politica communicatione cum fidelibus: id est, prohibet illi omnem ciuilem, & humanam conuersationem cum illis, famulque aliis prohibet cum ipso conuersari; vt colligitur ex cap. 2. de Exceptionibus, & cap. *Nuper*, cap. *Si quem*, de sententia excommunic. & cap. *Si nos Apostoli*, cum pluribus sequent. & cap. *Admonsam*, 11. q. 3. Quod tamen est intelligendum de excommunicatis non toleratis vt dicemus inferiùs. Vndecimus, qui cum excommunicato non tolerato communicat extra casus permissos, incurrit minorem excommunicationem cap. *Statuimus*, de sentent. excommunicationis, in textо. Et interdum etiam maiorē: si minorum cum illo communicat in crimine, cap. *Nuper*, & cap. *Si concubinæ*, de sen. excōmun. Vel si clericus sponte admittit ad diuina excommunicatum à Papa, & denunciatum, cap. *Significauit*, eodem titulo, vel etiam, si communicat cum nominatim excommunicato post particularem prohibitionem sub pœna excommunicationis iuridicè factam, cap. *Constitutionem*, de sent. excōm. in 6. Duodecimus, & vltimus effectus est, quòd contra eum, qui per annum in excōmunicatione maiori obduratus fuerit, neque monitus resipiscere voluerit, tanquam contra suspectum de hæresi procedi potest: cap. *Cum contumacia*, eodem tit. in 6. Ita communi cum Scholasticis & Doctorum: & clarissimè in Trident. sess. 25. c. 3. de Reformatione. De quibus omnibus effectibus plura sequentibus sectionibus dicenda sunt.

SECTIO II.

De primo effectu maioris excommunicationis, qui est priuatio passiuæ communicationis Sacramentorum.

CIrca hunc effectum tria explicanda sunt: 1. An & quomodo peccet, tam excommunicatus recipiens sacramenta, quàm qui illi ministrat? 2. Vtrum sacramenta non modò illicitè, sed etiam inualidè illi administrentur? 3. Quam pœnam incurrant excommunicati percipientes sacramenta, quique illis administrant? 151

Dico primò, excommunicatum maiori excommunicatione peccare grauiter recipiendo quodcunque sacramentum. Ita Doctores cōmuniter in 4. dist. 18. & alii, quos refert, & sequitur Suar. disp. 10. sect. 1. Et patet à fortiori: quia si grauiter peccat recipiendo sacramenta ille qui est ligatus minori excommunicatione, vt supra diximus, & probauimus ex cap. finali de clerico excommunicato; multò magis cui sit iniecta maiori excommunicatione: de quo etiam id habetur ex cap. *Cum illorum*, & cap. *Si quem*, de sentent. excōm. & cap. *Illud*, cap. *Si celebrat*, de clerico excommunicato ministrante. Ratio est, quia Ecclesia grauiter id prohibet, vt patet ex iuribus citatis, & materia est de se grauis, atque in specie sacrilegii, quod

Excommunicatus peccat grauiter recipiendo sacramenta.

ex suo genere est peccatum mortale.

16. Etiamsi sit tolleratus.

Dixi autem, excommunicatum maiori excommunicatione simpliciter, siue sit nominatim excommunicatus, aut manifestus percussor clerici, siue non. Quia licet post Concilium Constantiense, & Extrauagantem, *Ad vitanda*, soli illi excommunicati sint vitandi. Tamen quoad perceptionem sacramentorum manet ius antiquum in suo vigore, respectu aliorum, impeditque ne licitè accedant. Noluit enim Concilium fauere per hanc suam Constitutionem excommunicatis: sed aliorum tantùm saluti prospicere. Adde, quòd si non tenerentur abstinere à participatione Sacramentorum: pari, aut maiori ratione non tenerentur abstinere ab aliis, quibus priuantur per maiorem excommunicationem: quippe quæ fere omnia sunt minoris momenti, quàm receptio Sacramentorum. Atque ita essent tantùm nomine tenus excommunicati, essetque respectu illorum excommunicatio inutilis, & deluforia: quod est absurdum, & plane contra intentionem Ecclesiæ.

Dixi præterea peccare illum grauiter recipiendo quodcunque sacramentum: quia prohibitio Ecclesia facta excommunicatis, seu priuatio sacramentorum inducta per excommunicationem, generalis est: vt patet ex iuribus supra citatis, & communi interpretatione Doctorum. Hoc tamen peccatum grauius est, quò maior est sanctitas, & maiestas sacramenti recepti: quia eò maior est indignitas, & irreuerentia recipientis. Sed tota hæc assertio intelligenda est regulariter, & per se; id est, nisi excuset ignorantia, vel inaduertentia; vel etiam necessitas ad vitandum ingens damnum, vel infamiam, aut aliud graue malum. Quia Ecclesia non obligat cum tanto rigore, & incommodo.

17. Liceatne dare sacramenta excommunicatis?

Dico secundò: Ante Concilium Constantiense tenebantur ministri Ecclesiæ, vi censuræ maioris excommunicationis, & prohibitionis Ecclesiæ, non præbere sacramenta vlli excommunicato. Ab illo verò tempore obligantur solùm vi eiusdem non dare excommunicatis nominatim denunciatis, aut manifestis clerici percussoribus. Prima pars huius assertionis patet ex cap. *Episcoporum*, de Priuilegiis in 6, & cap. *Significauit*, cap. *Cùm desideres*, de sent. excomm. & pluribus aliis, causa 1. quæst. 3. prohibentibus generaliter communicationem cum quibuslibet excommunicatis, præcipuèque in rebus sacris. Secunda verò expresè traditur in Extrauagãte *Ad vitanda*, sup. cit. vbi generalis illa prohibitio iuris antiqui restricta fuit ad nominatim denũciatos, & manifestos clerici percussores, quos solos vitari præcipit. Quare qui aliis administrat, non peccat contra præceptum ecclesiasticum, adeoque nullam incurrit censuram: tametsi peccet contra ius naturale, & diuinum, si absque necessitate, & sufficiẽte causa excusationis id faciat sciẽter & liberè. Tenetur enim iure naturali, & diuino non ministrare sacramenta indignis, & indignè petentibus: quam obligationem non sustulit Ecclesia, neque tollere potuit. Omnes autem excommunicati sunt indigni, & indignè petunt, peccant enim mortaliter si recipiunt, vt patet ex 1. conclusione: Ergo non potest illis administrare scienter, & liberè, id est, sciens illos esse excommunicatos; nisi vel necessitas recipientis, vel alia grauis causa excuset.

18. Quid in casu necessitatis?

Quod addo quia, si necessitas recipientis excusat illum ab indigna petitione, excusat pariter ministrum ab indigna collatione. Nam prohibitio Ecclesiæ magis directè cadit in ipsum excommunicatum, quàm in alios: & quando ille ius habet petendi, inducendique alios ad præbendum, habent isti facultatem dandi ex charitate, vel etiam debitum, si sunt pastores animarum. Item si ex negatione sacramenti timeatur graue scandalum actiuum, putà, quia si excommunicato occulto publicè petenti negetur, ex eo sequetur peccati secreti manifestatio, & petentis infamia: potest licitè minister, & tenetur illi dare. Quia præceptum istud naturale non infamandi proximum, præponderat ecclesiastico non dandi sacramentum excommunicato.

Et in vniuersum, quotiescunque licitè petit sacramentũ excõmunicatus, potest minister licitè dare, exceptis 2. casibus. Vnus est, si excommunicatus ignarus, aut immemor sui status, aut sui debiti sacramentum petat. Tunc enim minister tenetur eum admonere, vt non det sacramentum indigno. Et quidem si ille est excommunicatus nominatim, & denunciatus, aut manifestus percussor clerici; debet ministro constare certò de ipsius absolutione. In aliis sufficit testimonium ipsius petentis sacramentum, si fide dignus videatur, aut alterius fide digni, vel iusta ratio id præsumendi. Imò eò ipso quòd petit humiliter, & reuerenter; potest, & debet id præsumi, nisi aliunde constet oppositum, vel timeatur scandalum, aut aliud incommodum. Alter casus est, quando existens in necessitate recipiendi sacramẽtum, verbi gratia Pœnitentiæ, ad illud accedit, postulatque priùs absolui ab excommunicatione. Nam si minister, qui potest eam dare, non vult; potest nihilominus pœnitens ab illo petere, vt saltem à peccatis absoluat. Et tunc necessitas recipiendi absolutionem à peccatis, cum impotentia accipiendi absolutionem ab excommunicatione, tempore, vel natura priùs, excusat recipientem: sed non excusat ministrum, qui tenetur non dare sacramentum excommunicato, nisi priùs sublata excommunicatione, quoad fieri potest. Atqui potest, si velit, eam tollere, vel distincta absolutione, vel vnâ & eadem in hunc modum conceptâ, si necessitas vrgeat: *Absoluo te ab omnibus censuris, & peccatis tuis*: vel tantùm, *Absoluo te*, cum intentione absoluẽdi ab vtrisque. Quam tamen formulam non puto esse vsurpandam, nisi quando necessitas non patitur alia verba supra dicta

catione passiua, seu receptione sacramentorum, Cap. *Cum illorum*, & cap. *Si quem*, de sentent. excommunication. Secundus, priuare communicatione actiua eorundem, siue facultate illa administrandi, cap. *Latores*, & cap. *Si celebrat*, de clerico excommunicato ministrante. Tertius, priuare Ecclesiæ suffragiis, siue fructu, qui prouenit fidelibus ex publicis ministrorum Ecclesiæ precibus, officiisque diuinis, & sacrificiis, ipsius nomine factis, quæ cum non possunt licitè pro illis offerri publica intentione, cap. *Arcbis* 2. & cap. *Sacris*, de sentent. excommunicationis. Quartus, non potest excommunicatus licitè celebrare publicè diuina officia, neque eorum celebrationi interesse: & si non sit toleratus, debet expelli ab Ecclesia, quia non possunt alii eo præsente, & assistente celebrare, cap *Significauit*, cap. *Nuper*, cap. *Responso*, de sentent. excommunic. & cap. *Alma mater*, eodem tit. in 6. Sique pœnitet, & non potest expelli; debet omitti diuinum officium, ipsumque etiam Missæ sacrificium, dum modo Canon nondum sit inchoatus. Quintus effectus est priuatio sepulturæ ecclesiasticæ; ita vt excommunicatus non possit in loco sacro tepeliri, neque à clero deduci, neque funebre officium pro illo recitari: nisi priùs absolutus fuerit, cap. *Sacris*, de Sepulturis: & cap. *Archis* 2. cap. *Sacris*, de sentent. excommunic. Sextus est, inhabilitas ad quoduis ecclesiasticum Beneficium accipiendum. Ita vt electio excommunicati, vel præsentatio, itemque institutio, aut confirmatio, vel collatio beneficii, sit ipso iure irrita, cap. *Postulasti*, de clerico excommunicato. Quod verum est, etiam si excommunicatus sit toleratus: atque etiam, licet ignoret suam excommunicationem: vt putà, quia oblitus est se eam incurrisse, aut falsò putat se validè absolutum esse. Septimus, excommunicatio reddit irritum ipso iure, quodcũque rescriptum Apostolicum ab excommunicato impetratum, cap. 1. de rescript. in 6. Nisi in rescriptis Pontificiis inseratur, vt communiter fieri solet, absolutio ad cautelam ad illum effectum obtinendum.

Octauus, priuat omni vtu iurisdictionis ecclesiasticæ cap. primo de Officio Vicarii in 6. cap *Audiuimus*, 24. q. 1. aliisque pluribus: ita vt omnes actus iurisdictionis Ecclesiasticæ inualidè fiant ab excommunicato non tolerato. Qui verò fiunt à tolerato, sunt validi in vtroque foro, quandiu non repellitur. Nonus, priuat communicatione fori siue impedit excommunicatum, ne possit esse iudex, aduocatus, procurator, tabellio, actor, aut testis, etiam in causis ciuilibus, cap. *Ad probandum*, de sententia & re iudicata, & cap. *Decernimus*, de sent. excõmunic. in 6. Decimus, priuat excommunicatum omni ciuili, seu politica communicatione cum fidelibus: id est, prohibet illi omnem ciuilem, & humanam conuersationem cum illis, simulque aliis prohibet cum ipso conuersari; vt colligitur ex cap. 2. de Exceptionibus, & cap. *Nuper*, cap. *Si quem*, de sententia excommunic. & cap. *Sicut Apostoli*, cum pluribus sequent. & cap. *Ad mensam*, 11. q. 3. Quod tamen est intelligendum de excommunicatis non toleratis vt dicemus inferiùs. Vndecimus, qui cum excommunicato non tolerato communicat extra casus permissos, incurrit minorem excommunicationem cap. *Statuimus*, de sentent. excommunicationis, in textu. Et interdum etiam maiorem: si nimirum cum illo communicat in crimine, cap. *Nuper*, & cap. *Si concubinæ*, de sen. excõmun. Vel si clericus sponte admittit ad diuina excommunicatum à Papa, & denunciatum, cap. *Significauit*, eodem titulo. vel etiam, si communicat cum nominatim excommunicato post particularem prohibitionem sub pœna excommunicationis iuridicè factam, cap. *Constitutionem*, de sent. excõm. in 6. Duodecimus, & vltimus effectus est, quòd contra eum, qui per annum in excõmunicatione maiori obduratus fuerit, neque monitus respicere voluerit, tacquam contra suspectum de hæresi procedi potest: cap. *Cum contumacia*, eodem tit. in 6. Ita communi expositione Doctorum: & clarissimè in Trident. sess. 25. c. 3. de Reformatione. De quibus omnibus effectibus plura sequentibus sectionibus dicenda sunt.

SECTIO II.

De primo effectu maioris excommunicationis, qui est priuatio passiuæ communicationis Sacramentorum.

CIrca hunc effectum tria explicanda sunt: 157
1. An & quomodo peccet, tam excommunicatus recipiens sacramenta, quàm qui illi ministrat? 2. Vtrum sacramenta non modò illicitè, sed etiam inualidè illi administrentur? 3. Quam pœnam incurrant excommunicati percipientes sacramenta, quique illis administrant?

Dico primò, excommunicatum maiori excommunicatione peccare grauiter recipiendo quodcunque sacramentum. Ita Doctores cõmuniter in 4. dist. 18. & alii, quos refert, & sequitur Suar. disp. 10. sect. 1. Et patet à fortiori: quia si grauiter peccat recipiendo sacramenta ille qui est ligatus minori excommunicatione, vt supra diximus, & probauimus ex cap. finali de clerico excommunicato; multò magis cui sit iacet maiori excommunicationi: de quo etiam id habetur ex cap. *Cum illorum*, & cap. *Si quem*, de sentent. excõm. & cap. *Illud*, cap. *Si celebrat*, de clerico excommunicato ministrante. Ratio est, quia Ecclesia grauiter id prohibet, vt patet ex iuribus citatis, & materia est de se grauis, atque in specie sacrilegii, quod

Excommunicatus peccat grauiter recipiendo sacramenta.

ex suo genere est peccatum mortale.

16. Dixi autem, excommunicatum maiori excommunicatione simpliciter, siue sit nominatim excommunicatus, aut manifestus percussor clerici, siue non. Quia licet post Concilium Constantiense, & Extrauagantem, *Ad vitanda*, soli illi excommunicati sint vitandi. Tamen quoad perceptionem sacramentorum manet ius antiquum in suo vigore, respectu aliorum, impeditque ne licitè accedant. Noluit enim Concilium fauere per hanc suam Constitutionem excommunicatis: sed aliorum tantùm saluti prospicere. Adde, quòd si non tenerentur abstinere à participatione Sacramentorum: pari, aut maiori ratione non tenerentur abstinere ab aliis, quibus priuantur per maiorem excommunicationem: quippe quæ fere omnia sunt minoris momenti, quàm receptio Sacramentorum. Atque ita essent tantùm nomine tenus excommunicati, esseque respectu illorum excommunicatio inutilis, & deluforia: quod est absurdum, & plane contra intentionem Ecclesiæ.

Etiamsi sit toleratus.

Dixi præterea peccare illum grauiter recipiendo quodcunque sacramentum: quia prohibitio Ecclesiæ facta excommunicatis, seu priuatio sacramentorum inducta per excommunicationem, generalis est: vt patet ex iuribus supra citatis, & communi interpretatione Doctorum. Hoc tamen peccatum grauius est, quò maior est sanctitas, & maiestas sacramenti recepti: quia eò maior est indignitas, & irreuerentia recipientis. Sed tota hæc assertio intelligenda est regulariter, & per se; id est, nisi excuset ignorantia, vel inaduertentia; vel etiam necessitas ad vitandum ictum datum, vel infamiam, aut aliud graue malum. Quia Ecclesia non obligat cum tanto rigore, & incommodo.

17. Dico secundò: Ante Concilium Constantiense tenebantur ministri Ecclesiæ, vi censuræ maioris excommunicationis, & prohibitionis Ecclesiæ, non præbere sacramenta vlli excommunicato. Ab illo verò tempore obligantur solùm vi eiusdem non dare excommunicatis nominatim denunciatis, aut manifestis clerici percussoribus. Prima pars huius assertionis patet ex cap. *Episcoporum*, de Priuilegiis in 6, & cap. *Significauit*, cap. *Cùm desideres*, de sent. excomm. & pluribus aliis, causa 1. quæst. 3. prohibentibus generaliter communicationem cum quibuslibet excommunicatis, præcipuèque in rebus sacris. Secunda verò expressè traditur in Extrauagante *Ad vitanda*, sup. cit. vbi generalis illa prohibitio iuris antiqui restricta fuit ad nominatim denũciatos, & manifestos clerici percussores, quos solos vitari præcipit. Quare qui aliis administrat, non peccat contra præceptum ecclesiasticum, adeoque nullam incurrit censuram: tametsi peccet contra ius naturale, & diuinum, si absque necessitate, & sufficiẽte causa excusationis id faciat sciẽter & liberè. Tenetur enim iure naturali, & diuino non ministrare sacramenta indignis, & indignè petentibus: quam obligationem non sustulit Ecclesia, neque tollere potuit. Omnes autem excommunicati sunt indigni, & indignè petunt, peccant enim mortaliter si recipiunt, vt patet ex 1. conclusione: Ergo non potest illis administrare scienter, & liberè, id est, sciens illos esse excommunicatos; nisi vel necessitas recipientis, vel alia grauis causa excuset.

Licèatne dare sacramenta excõmunicatis?

18. Quod addo quia, si necessitas recipientis excusat illum ab indigna petitione, excusat pariter ministrum ab indigna collatione. Nam prohibitio Ecclesiæ magis directè cadit in ipsum excommunicatum, quàm in alios: & quando ille ius habet petendi, inducendique alios ad præbendum, habent isti facultatem dandi ex charitate, vel etiam debitum, si sunt pastores animarum. Item si ex negatione sacramenti timeatur graue scandalum actiuum, putà, quia si excommunicato occulto publicè petenti negetur, ex eo sequetur peccati secreti manifestatio, & petentis infamia: potest licitè minister, & tenetur illi dare. Quia præceptum istud naturale non infamandi proximum, præponderat ecclesiastico non dandi sacramentum excommunicato.

Quid in casu necessitatis?

Et in vniuersum, quotiescunque licitè petit sacramentũ excõmunicatus, potest minister licitè dare, exceptis 2. casibus. Vnus est, si excommunicatus ignarus, aut immemor sui status, aut sui debiti sacramentum petat. Tunc enim minister tenetur eum admonere, vt non det sacramentum indigno. Et quidem si ille est excommunicatus nominatim, & denunciatus, aut manifestus percussor clerici; debet ministro constare certò de ipsius absolutione. In aliis sufficit testimonium ipsius petentis sacramentum, si fide dignus videatur, aut alterius fide digni, vel iusta ratio id præsumendi. Imò eò ipso quòd petit humiliter, & reuerenter; potest, & debet id præsumi, nisi aliunde constet oppositum, vel timeatur scandalum, aut aliud incommodum. Alter casus est, quando existens in necessitate recipiendi sacramentum, verbi gratia Pœnitentiæ, ad illud accedit, postulatque priùs absolui ab excommunicatione. Nam si minister, qui potest eam dare, non vult; potest nihilominus pœnitens ab illo petere, vt saltem à peccatis absoluat. Et tunc necessitas recipiendi absolutionem à peccatis, cum impotentia accipiendi absolutionem ab excommunicatione, tempore, vel natura priùs, excusat recipientem: sed non excusat ministrum, qui tenetur non dare sacramentum excommunicato, nisi priùs sublata excommunicatione, quoad fieri potest. Atqui potest, si velit, eam tollere, vel distincta absolutione, vel vnâ & eadem in hunc modum conceptâ, si necessitas vrgeat: *Absoluo te ab omnibus censuris, & peccatis tuis*: vel tantùm, *Absoluo te*, cum intentione absoluẽdi ab vtrisque. Quam tamen formulam non puto esse vsurpandam, nisi quando necessitas non patitur alia verba supra dicta

Digitized by Google

proferet: quia fortè non sufficit ad absoluendum à peccatis, vt diximus alibi, disputando de forma sacramenti Pœnitentiæ.

19. Valide recipiuntur ab excommunicato, exceptâ Pœnitentiâ.

Dico tertiò, Sacramenta recepta ab excommunicato esse valida, excepto sacramento Pœnitentiæ, quando excommunicatus illud recipit, non ignarus sui status, & debiti, nullaque necessitate adactus. Prima pars est communis Theologorum. Et probatur, quia ad valorem sacramenti non aliud requiritur, quàm debita materia, & forma cum intentione ministri, & capacitate subiecti, atque etiam consensu, si est capax vsus rationis: quibus positis Ecclesia non potest impedire ne sit sacramentum: quippe cuius substantia, seu essentia nō pendet ab ipsius voluntate, sed à Christi institutione. At hæc omnia reperiuntur in casu de quo loquimur: ergo &c. Nec obest quòd excommunicatus indignè accedit, & contra grauem Ecclesiæ prohibitionem, adeoque peccat mortaliter, nisi necessitas excuset. Hoc enim non facit sacramenta esse irrita, & inualida; sed tantùm esse inefficacia in actu secundo, quoad effectum gratiæ sanctificantis, & alia quæ illam sequuntur, ab illaque dependent. Tunc enim Ordo v. g. non illam confert, licet imprimat characterem, & det potestatem exercendi sacrum aliquod ministerium, & si quos alios habet effectus non præsupponentes gratiam. Debet autem hæc assertio generaliter intelligi de quocunque excommunicato, etiam denunciato: quia ratio allata æquè de omnibus concludit.

20. Secunda verò pars eiusdem assertionis, qua excepimus sacramentum pœnitentiæ, probatur, quia talis accedit indispositus, & mortaliter peccat in ipsa receptione absolutionis. Ergo caret attritione, vel contritione necessaria ad valorem sacramenti pœnitentiæ; cui hoc peculiare est, vt attritio, seu dispositio necessaria ad illius effectum, sit de eius essentia, ideoque nunquam possit esse validum simul & informe, id est, sine effectu gratiæ, vt suppono ex disp. 48. sect. 2. Dixi autem, si non est ignarus sui status, &c. quia si bona fide accedit nesciens se esse excommunicatum, aut se grauiter obligari ad non accipiendam absolutionem à peccatis, nisi priùs absoluatur ab excommunicatione, vel si necessitas vrgens illum excusat à peccato; validum erit sacramentum, & efficax gratiæ. Neque verum est, quod obiiciunt aliqui, excommunicatum esse extra Ecclesiam, quæ non potest de iis, qui foris sunt iudicare, vt ait Apostolus, 1. Corinth. 5. ideoque sacramentum Pœnitentiæ esse inualidum defectu iurisdictionis in absoluente. Respondeo enim excommunicationem non subtrahere iurisdictioni Ecclesiæ: alioquin excommunicatus nunquā posset absolui ab excommunicatione, ne quidem ab ipso Pontifice: quia absoluere ab excommunicatione est actus iurisdictionis, æquè ac absoluere à peccatis. Neque etiam eo sensu dicitur excommunicatus segregari ab Ecclesia: sed tantùm quatenus prohibetur illi externa communicatio cum fidelibus. Stultum enim foret existimare diœcesanos subire hi per excommunicationem iurisdictioni Episcopi: & quoscunque alios subditos, suis superioribus ecclesiasticis: atque ita denique fieri extra Ecclesiam, vt non amplius illi subiecti sint. Verum quoque non est, quod alii dicunt, excommunicatum esse incapacem sacramenti Pœnitentiæ; ideoque sacramentum fore inualidum defectu capacitatis subiecti. Nam Ecclesia non magis reddit excommunicatum incapacem sacramenti Pœnitentiæ, quàm aliorum sacramentorum. Nulla enim est de illo peculiaris constitutio: neque apparet quomodo possit reddere illius incapacem. Ergo sicut non est incapax aliorum sacramentorum vi excommunicationis, vt fatentur aduersarii: ita neq; istius: quódque istud peculiariter sit inualidum, quando excommunicatus accedit culpabiliter, vt suprà diximus, non prouenit ex peculiari constitutione Ecclesiæ; sed ex natura huius sacramenti, de cuius essentia est attritio, vel contritio supernaturalis, incompatibilis cum peccato mortali actu commisso.

21. Debere priùs absolui ab excomunicatione, quàm à peccatis.

Quando autem excommunicatus accedit ad sacramentum pœnitentiæ, non est necessarium vt absoluatur ab excommunicatione priusquam audiatur ipsius confessio: imò si est occulta, debet potius absolui in ipsa confessione, vel post, ante absolutionem à peccatis. Neque peccat sacerdos cum illo huc vsque communicans in rebus sacris: quia habet iustam causam communicandi, disponendo ipsum ad iustificationem, & consulendo ipsius pudori, & securitati secreti, non obligando eum ad reuelandum peccatum occultum extra confessionem, & forum sacramenti. Nota præterea absolutionem à peccatis non fore inualidam, licet non priùs absolueretur ab excommunicatione, vel quia ignorat se esse excommunicatum, vel non aduertit, nec meminit peccati propter quod illam incurrit: vel quia sacerdos per inaduertentiam, aut per malitiam non absoluit ab illa: vel etiam quia non habet potestatem eam tollendi. Dummodo enim pœnitens integrè confiteatur formaliter cum sufficienti dolore de peccatis, quorum aliqua saltem subiecta sint iurisdictioni confessarii; sacramentum erit validum, & habebit effectum. Nam sola excommunicatio non impedit eius valorem, neque effectum sine aliqua culpa ipsius pœnitentis, aut defectu alicuius essentialiter necessarii. Tunc autem nihil tale deest: neque pœnitens culpabiliter facit, vt supponimus.

22. Pœnæ extra excommunicatos dãtes aut recipientes sacramẽta

Dico quartò, excommunicatum indignè recipientem sacramenta nullam incurrere censuram, aut irregularitatem, aliamue pœnam ecclesiasticam: excepto sacramen-

te Ordinis, de quo speciatim statuitur cap. *Cum illorum*, de sent. excom. vt si excommunicatus pro manuum injectione in clericum scienter receperit ordines; si est clericus sæcularis deponatur: si regularis, maneat suspensus ab executione ordinis. Minister autem, qui absque necessitate, vel alia sufficienti causa, sacramenta ministrat excommunicatis vitandis, id est, nominatim denunciatis, aut manifestis clerici percussoribus, incurrit primò excommunicationem minorem, quia communicat in rebus sacris cum excommunicato vitando. Secundò, interdicitur ab ingressu Ecclesiæ cap. *Episcoporum*, de Priuilegiis in 6. Tertiò, si fautoribus hæreticorum excommunicatis sacramenta præbet, debet officio priuari, ad quod sine Apostolico Indulto non potest restitui, cap. *Excommunicamus* 1. de hæreticis §. *Credentes*: quæ tamen poena non incurritur ipso facto, neque ad alios excommunicatos extendi debet, neque nunc habet locum, nisi in fautoribus nominatim denunciatis. Quartò, in cap. *Significauit*, De sent. excomm. statuitur poena excommunicationis reseruatæ Summo Pontifici contra clericos participantes in diuinis officiis, cum excommunicatis à Papa. Sed vt incurratur, debent adesse hæ quinque conditiones, vt notant Nauar. Caiet. Siluest. & alii, quos citant, & sequuntur Suar. disp. 10. sect. 2. n. 9. & Bonac. disp. 2. q. 2. pũcto 2. propos. 3. Nimirum vt participans sit clericus: & sciat illum cũ quo participat, esse excommunicatum à Papa: & sponte participet, id est, sine metu graui: & participet cum excommunicato nominatim denunciato: nam post Concilium Constantiense non tenetur vitare alios. Imò cum in cap. citato sermo sit tantùm de nominatim excommunicatis, vel denunciatis; non debet extendi hæc poena ad eum, qui publicos clerici percussores admittit ad diuina officia, vt notauit Bonac. ibid. post Coninc. disp. 14. dub. 5. n. 33. Et denique, vt participet recipiendo illum ad diuina officia. Nam si non illum admittat, sed solùm tanquam vnus de populo simul cum illo interfit diuinis officiis: non incurrit maiorem istam excommunicationem Papæ reseruatam; sed tantùm minorem, communem illis omnibus qui communicant illicitè cum excommunicatis.

23. Quid dicendum non vitandis.

Dixi, *excommunicatis vitandis* &c. Quia si det sacramentum excommunicatis non vitandis, nullam incurrit censuram; cùm non peccet contra prohibitionem Ecclesiæ, quæ post Concilium Constantiense istos excepit: tamen si peccet cõtra ius diuinum, & naturale, si dat illis sacramentum absque necessitate, vt paulò antè diximus: quippe qui indignè accedunt: neque enim Ecclesia illis abstulit obligationem non accedendi. Neque obiicias hæc duo stare non posse; quòd scilicet Ecclesia non abstulerit huiusmodi excommunicatis obligationem non recipiendi sacramenta, quamdiu manent in illo statu: & tamen abstulerit ministris obligationem non dandi: Cùm accipere, & dare sint correlatiua, ideoque vnum sine altero prohiberi nequiuerit: sicut non potest vnum sine altero fieri aut existere. Respondeo enim cum Suare supra num. 11. Licet accipere, & dare, sint correlatiua; ex eo tamen quòd vnum prohibeatur, præcisè loquendo, non sequi prohiberi aliud. Nam religioto v. g. prohibitum est accipere aliquid à sæcularibus sine consensu superioris: & tamen sæcularibus non est prohibita donatio. Ratio est, quia cùm personæ sint diuersæ; potest vni imponi prohibitio accipiendi, & non alteri prohibitio donandi. Quare vt prohibitio extendatur ad vtrumque, oportet aut legem prohibentem expresè vtrumque comprehendere: aut ambo esse ita connexa quoad moralem turpitudinem, vt vnum sine alio non possit esse inhonestum, & turpe moraliter; neque vnius turpitudo separari possit à turpitudine alterius. Neutrum autem est in præsenti. Nam lex Ecclesiæ prohibens potiùs ista separat: & non est connexio necessaria, & inseparabilis inter dare, & accipere sacramentum, quoad moralem turpitudinem. Vt ex eo patet quòd nonnunquã licet receptio sit mala, donatio tamen sacramenti nullam habet malitiam, ne quidem contra præceptum diuinum. Vt quando ad vitandum scandalum datur sacramentum excommunicato occulto publicè petenti: vel quando minister bona fide dat excommunicato non ignaro sui status, & sui debiti.

SECTIO III.

De secundo effecto excommunicationis, quæ est priuatio administrationis Sacramentorum.

TRia de illo explicanda sunt. Primò, vtrum excommunicatus non vitandus possit validè, & licitè administrare sacramenta? Secundò, sitne idem sentiendum de excommunicato vitando? Tertiò, quam poenam incurrant excommunicati administrantes sacramenta, & qui ab illis recipiunt? 24.

Dico primò, sacramenta quælibet validè administrari ab excommunicato non vitando, dummodo seruet ritum à Christo institutum, neque sit alius defectus, quàm ex parte censuræ: imò etiam licitè, dummodo non se ingerat, sed petentibus administret, saltem cum aliqua ipsorum necessitate. Prima pars, quòd validè, probatur quia Ecclesia non eum priuat potestate, vel etiam iurisdictione ad valorem sacramenti poenitentiæ necessaria. Quare dummodo materiam, & formã legitimam adhibeat circa subiectum capax, cũ intentione faciendi id quod Christus instituit, sacramenta sunt va- Excommunicatus administrat validè sacramenta.

Digitized by Google

sida, suumque habent effectum, nisi impediat obex ex parte recipientis.

25. Atqui etiam licitè aliis petentibus.

Secunda pars, quòd etiam licitè administret, probatur ex Decreto Concilii Constantiensis, quo ad vitanda animarum pericula permittit fidelibus, vt possint communicare etiam in sacramentis, & aliis diuinis, cum huiusmodi excommunicatis. Ergo possunt fideles ab eis petere licitè, & recipere sacramenta. Ergo & illi possunt licitè administrare. Alioqui petere ab illis sacramentum esset eos inducere ad peccandum: quia esset petere aliquid, quod sine peccato facere non possunt. Dixi autem, *Dummodo non se ingerat* &c. Quia prædicta constitutio Concilii Constantiensis non fuit edita in fauorem excommunicatorum, sed aliorum fidelium, vt expressè Concilium profitetur. Quare non est illis data facultas sponte communicandi cum aliis: sed aliis data est facultas communicandi cum illis. Non debent ergo se ipsi ingerere ad ministranda sacramenta, sed solùm aliis petentibus gratificari. Addidi præterea, *saltè cum aliqua necessitate petentium*: quia fauor ille concessus à Constantiensi debet intelligi rationabiliter, in eo casu, quo fideles egeant aliquatenus sacramento, & non possint facilè recipere ab alio. Sic enim sufficienter consulitur eorum necessitati, & seruatur rigor censuræ iuxta sensum Concilii; quippe quod suo decreto noluit fauere excommunicatis, neque illis adimere necessitatem abstinendi ab administratione sacramentorum, quantum moraliter possunt. Atque ita docent Nauar. cap. 9. Manual. n. 10. Henriq. lib. 13. cap. 6. num. 3. & Suar. disp. 11. sect. 4. n. 12. rectè addens necessitatem illam non debere esse extremam, vel talem vt sufficiat ad petendum sacramentum ab excommunicato vitando. Sed longè minorem sufficere, quàm ad vitandos scrupulos fidelium censeo esse latè extendendam.

26. An etiam non petentibus?

Quin etiam sunt qui existiment hanc limitationem non esse necessariam, vt Dominic. Sotus. Ledesm. Sanch. & alii, quos refert, & sequitur Bonacina disp. supra cit. Quia, inquit, Concilium Constantiense facultatem dedit fidelibus communicandi in sacramentis, & quibuscunque diuinis, cum excommunicatis, suspensis, interdictis, & irregularibus toleratis, ad vitanda scandala, scrupulos, & animarum pericula. Ergo fideles possunt petere sacramenta ab excommunicatis toleratis, siue sint proprii sacerdotes, siue alii: & siue adsit necessitas, siue non. Alioqui non dicerentur habere facultatem communicandi cum excommunicatis toleratis in quibuscunque diuinis: neque vitarentur scandala, scrupuli, & animarum pericula, cùm petens fere semper dubitare possit, vtrum adsit necessitas petendi sacramenta. Sed huic argumento facile est respondere ex dictis, negando sequelam. Non enim sequitur ex nostra limitatione Concilium non dedisse facultatem rationabiliter intelligendam: & non vitari sufficienter scandala, scrupulos, & animarum pericula, quando illis permittitur latè extendere hanc facultatem ad necessitatem, quam ipsi bona fide sufficere iudicauerint, qui etiam in dubio poterunt sibi fauere.

27. Hinc collige, posse fideles petere à Parocho, licet excommunicato tolerato, & noto vt tali, vt celebret in die festo, ne ipsi priuentur sacro, quod tenentur audire. Posse quoque ab eodem petere sacramenta, quãdo indigent illius opera: idẽq; censendũ esse de aliis similiter toleratis: qui tamen vt licitè ministrent, debent priùs conteri de peccato, vel confiteri sacramentaliter, si sunt in malo statu; ad quod tenentur non vi excommunicationis, sed ipso iure diuino, iuxta communem Theologorum sententiam, de qua diximus disp. 22. sect. 6. Sique id non faciunt, non propterea peccat qui ab illis sacramentum petit propter suam necessitatem: quamuis præuideat administraturos illicitè. Quia non censetur cooperari peccato alterius, qui ab illo petit, quod potest ab ipso licitè fieri, permittitque illius malitiam propter suam necessitatem, & vtilitatem: vt qui, v. g. petit mutuum ab vsurario, quem scit non esse daturum sine vsura. Maior tamen debet esse necessitas petẽdi in hoc casu: quia tenemur ex charitate vitare peccatum proximi, quantum fieri potest sine nostro incommodo.

28. Quid si ministrans non est tolerat. ?

Dico secundò, sacramentum Poenitentiæ non posse validè administrari ab excommunicato non tolerato, secus autem alia. Ratio est, quia ad sacramentum Poenitentiæ administrandum validè, requiritur iurisdictio, vt patet ex cap. *Omnis vtriusque sexus*, De Poenit. & remiss. & ex Tridentino sess. 14. cap. 7. At excommunicatus non toleratus priuatur omni iurisdictione, vt habetur ex cap. *Ad probandum*, De sententia, & re iudicata, & cap. *Romana*, de officio Vicarii in 6. & cap. *Si is cui*, De officio delegati in 6. & cap. *Audiumus*, 24. q. 1. vbi de iurisdictione fori cõtentiosi sermo est: & denique ex cap. *Si celebrat*, De clerico excommunicato ministrante, vbi specialiter loquitur de iurisdictione sacramentali. In reliquis verò sacramentis requiritur solùm potestas Ordinis, aut facti, ad illorum valorem: qua potestate non priuat excommunicatio, neque priuare potest, cùm ab Ecclesia non pendeat.

29. Baptismus datur validè à non tolerato.

Hinc collige Baptismum esse validum, dummodo baptizans, quamuis excommunicatus vitandus, adhibeat materiam, & formam necessariam, cum intentione faciendi id quod Christus instituit: ad quod non requiritur alia potestas, quàm facti, seu physica vis absoluendi, & proferendi verba essentialia formæ, cum prædicta intentione. Similiterque sacramenta Confirmationis, Extremæ vnctionis, & Ordinis validè fieri ab Episcopo, vel sacerdote excommunicato vitando: quia ad illorum va-

Digitized by Google

lorem ſufficit poteſtas Ordinis Epiſcopalis, aut ſacerdotalis, reſpectiuè. Canones autem, qui videntur affirmare ordinationes factas ab hæreticis, aut excommunicatis eſſe irritas, intelligendi ſunt, vel de ordinationibus, in quibus non ſeruata fuerant ſubſtantialia materiæ, vel formæ, ex ignorantia, aut ex malitia: vel quòd eſſent irritæ quoad executionem, ſiue vſum ordinis accepti, & non approbatæ ab Eccleſia, vt fuſiùs oſtendit Suar. diſp. 11. ſect. 2. num. 4. & ſequentibus. Addunt aliqui, multò magis validum eſſe matrimonium cõtractum coram parocho excommunicato non tolerato, quippe, qui non eſt illius miniſter, ſed teſtis duntaxat ſpecialis, & qualificatus; cuius aſſiſtentia non eſt propriè actus iuriſdictionis, ita vt non poſſit valide ab excommunicato vitando exerceri. Nam parochus non requiritur à Concilio, vt tabellio contractus, ſed vt teſtis qualificatus, deputatus ab Eccleſia ad videndum quid fiat à contrahentibus, cauendumque ne inualidè, aut illicitè contrahant propter aliquod impedimentum: & Tridentinum requirit tantùm abſolutè, vt matrimonium cõtrahatur coram parocho, vel alio ſacerdote, de illius licẽtia, & duobus, aut trib. teſtibus. Parochus autem, quamuis excommunicatus non toleratus, nõ definit eſſe verè parochus. Habet igitur qualitatem à Trident. requiſitam, ſiue vt aſſiſtat per ſeipſum ſiue vt alteri licentiam det.

Valetne matrimonium coram Parocho non tolerato?

30. Contrarium verò ſentiunt alii, quos refert, & ſequitur Auila 2. part. cap. 6. diſput. 3. dub. 1. concluſ. 5. Primò quia actus, quos excommunicatus non toleratus exercet ratione publici officii, ſunt inualidi. Parochus autem aſſiſtit ratione publici officii in quantum ſcilicet parochus eſt, & in quantum habet iuriſdictionem: nam vt fatentur aduerſarii ſufficit illum eſſe parochum, licet nondum ſit ordinatus ſacerdos. Vnde liquet hãc aſſiſtentiam non eſſe actum ordinis, ſed iuriſdictionis, adeoque eſſe inualidum in caſu, de quo loquimur. Secundò, contractus, in quibus ſecundum ius requiritur ad eorum ſubſtantiam præſentia tabellionis, ſunt inualidi, & nulli, ſi tabellio ſit excommunicatus non toleratus. Ad ſubſtantiam verò contractus matrimonii, poſt Tridentinum, requiritur præſentia parochi, tanquam notarii publici excipientis & approbantis nomine Eccleſiæ id quod fit à contrahentibus. Hoc enim munus illi committitur ab Eccleſia ex officio parochi: vnde ſufficit eſſe parochum officio & iuriſdictione, quamuis non ſit Sacerdos: ergo &c.

Reſolutio quæſtionis?

Vtraque ſententia non caret probabilitate, per ſe loquendo, & attendendo ſolum ad rationes, quibus nititur. Sed hanc controuerſiam iam deciſam eſſe video auctoritate Congregationis Cardin. ſuper Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. de Reform. matrimon. in cuius declarationibus cum textu Concilii impreſſis Lugd. ſic habet vna num. 4. *Matrimonium valet, ſi fuerit contractum coram Parocho notorio fornicatore, non tamen adhuc in iudicio condemnato, & confeſſo.* Altera, circa illa verba, *Qui aliàs quàm præſente Parocho*, data 5. Martii ann. 1594. ſic habet: *Congregatio Concilii cenſuit matrimonium factum coram Parocho denunciato excommunicato, vtique valere.* Iuxta quæ dicendum eſt, vel aſſiſtẽtiam Parochi non eſſe propriè actum iuriſdictionis, & officii publici in rigore: ſed tantùm latè, & minùs propriè: vel Eccleſiam hunc actum excipere à lege generali irritante actus publicos factos ab excommunicatis ex officio, & poteſtate iuriſdictionis: ſicut è contrario pœnâ inhabilitatis ad hoc munus punit Parochũ de fornicatione in iudicio cõuictum.

31. Verùm quidquid dicendum ſit de Parocho, certum eſt non obeſſe valori Sacramenti matrimonii, quòd coniuges, qui ſunt ipſius miniſtri, ſint excõmunicati vitandi. Nam excommunicatio non priuat illos poteſtate contrahendi: & ex cap. *Significaſti*, De eo qui duxit &c. habetur, matrimonium inter excommunicatos validum eſſe, adeoque eſſe Sacramentum, dummodo contrahant ex intentione faciẽdi id quod Chriſtus inſtituit. Nam ad valorem Sacramẽti huius non aliud requiritur, quàm contractus validus, cum intentione contrahentium, qui ſunt eius miniſtri.

Quid ſi contrahentes ſunt excõmunicati?

Manet ergo probatum id quod diximus, ſacramenta poſſe validè adminiſtrari ab excommunicato non tolerato, excepto vnico ſacramento Pœnitentiæ, quod inualidum eſt defectu iuriſdictionis, exceptis duobus caſibus. Vnus eſt, extrema neceſſitas in articulo mortis: nam Eccleſia illi dat in eo caſu iuriſdictionem abſoluendi à quibuſcunque peccatis, & cuicunque reſeruatis, vt docet Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. eſtque illa communis, & indubitata Doctorum omnium ſententia. Alter eſt, quando ignoratur excommunicatio, & ſacerdos ex communi errore, publicaque exiſtimatione, & titulo colorato, habetur pro nõ excommunicato vitando, & pro legitimo iudice in foro interno. Tunc enim ius ſupplet iuriſdictionem, iuxta legem *Barbarius*, ff. *De officio Prætoris*: & Eccleſia ob bonum commune eam illi confert: quippe quæ non minus prouidet vtilitati fidelium, quàm ciuilis poteſtas bono ſubditorum. Ideoq; Gratian. cap. *Infames* §. *Veruntamen*, 3. q. 7. & omnes alii Doctores legem illam accommodant ad res eccleſiaſticas, vt teſtatur Suar. diſputatione 14. ſect. 1. num. 9. Secus autem, ſi ignorantia, licet inuincibilis, procedat ex errore particulari. Quamuis enim excuſet à culpa: non tamen reddit ſacramentum validum: quia ceſſat hîc ratio boni communis, ſeu publicæ exiſtimationis: ideoque Eccleſia, quæ ad bonum commune attendit in ſuis legibus & ordinationibus, non ad incõmoda particularia; non ſupplet hunc defectum. Vnde collige primò huiuſmodi confeſſiones eſſe iterandas, vtpote irritas & nullas. Collige 2. idem ſentiendum eſſe de quibuſlibet aliis actibus, ad quorum

valorem requiritur iurisdictio: cuiusmodi est delegare alium ad audiendas confessiones: talis enim delegatio facta à Parocho, vel ab alio superiore excõmunicato non tolerato, nulla est. Secus autem de benedictionibus, consecrationibus, & aliis cerimoniis ab Ecclesia introductis, siue in sacramentorum administratione, siue alibi: atque etiam de sacrificio Missæ. Cùm enim istud, iuxta Christi institutionem; & alia prædicta, iuxta Ecclesiæ ordinationem, non aliud requirant, quàm potestatem ordinis sacerdotalis, aut Episcopalis; non fiunt irrita propter excommunicationem, & defectum iurisdictionis, à qua non pendent.

32. Non toleratus ministrans graviter peccat.

Dico tertiò, excommunicatum administrantem sacramenta graviter peccare, nisi excuset ignorantia, vel extrema, aut grauissima necessitas. Quòd graviter peccet, manifestum est ex cap. *Si celebrat*, de clerico excommunicato ministrante, & pluribus aliis eod. tit. Quod ius non fuit abrogatum per constitutionem, *Ad vitanda*, nisi quoad excommunicatos toleratos. Quòd etiam possit excusari à peccato per ignorantiam inuincibilem patet ex cap. *Apostolicæ*, eod. titulo: & ex regula generali, communi omnibus actibus humanis, quòd videlicet nihil sit culpabile, nisi voluntarium & liberum: neque sit quicquam voluntarium, & liberum, nisi cognitum. Quòd denique necessitas extrema, vel grauissima excuset à peccato, quantum est ex parte censuræ, probatur, quia prohibitio ecclesiastica facta excommunicato vitando, non obligat cum tanto rigore, sed benignius interpretanda est.

33. Quæ necessitas excuset.

Potest autem necessitas ista contingere ex triplici capite. Primò scilicet, ex parte ipsius excommunicati: putà, si per metum cadentem in virum constantem cogitur administrare, citra contemptum religionis, aut virtutis: vel si id necessarium est, ne se ipsum infamet, suumque peccatum manifestet eo in loco, vbi occultum est, quamuis sit alibi notorium: aut si versetur in articulo mortis, possitque sibimetipsi Eucharistiam administrare; nec alium habeat, à quo accipiat: grauiterque illâ indigeat, tum vt præcepto diuino satisfaciat: tum etiam vt saluti suæ æternæ prospiciat, fiatque vi Sacramenti de attrito contritus, si fortè verum actum perfectæ contritionis non habet. Secundò, ex parte recipientis sacramentum; vt si infans versetur in periculo mortis, & non sit alius, à quo baptizari queat, præter excommunicatum non toleratum: potest enim licitè, ac debet ab illo baptizari. Idemque dico de adulto constituto in eodem periculo, quem posse licitè ab illo petere ac recipere Baptismum, & vicissim posse istum licitè dare, patet, ex cap. *Si quem fortè*, 24. q. 1. & ex Vrbano II. in epistola, quam refert Gratianus, dist. 32. post caput *Præter*, §. *Adhoc verò*. Idem quoque dicendum est de sacramento Pœnitentiæ respectu adulti illo indigentis in articulo mortis; quo in casu posse omnes sacerdotes absoluere à quibusuis peccatis, & censuris affirmat Trident. sess. 14. cap. 7. Ab illa verò generali propositione Tridentini sicut nullus pœnitens, neque vllus casus reseruatus excipiendus est; ita nec vllus sacerdos, quamuis non toleratus, vel suspensus, interdictus, depositus, aut degradatus, aut etiam hæreticus. Idem quoque dicendum censeo de sacramento Eucharistiæ in casu extremæ, aut grauissimæ necessitatis, cum Nauar. cap. 22. Manual. num. 4. & Suare disput. 11. sect. 1. num. 17. Putà, si moribundus egeat viatico, præsertim si desit copia confessarii, & timeat ne verè contritus non sit, speretque per hoc sacramentum supplere defectum contritionis, & obtinere iustificationem. Idem etiam censendũ de Extrema vnctione in simili casu: tametsi hoc sacramentum est per se minùs necessarium. Ordinis verò, & Matrimonii vix potest contingere grauissima, vel extrema necessitas ex parte recipientis. Si tamen contingeret, par de illis iudicium ferendum esset. Vt si moribũdo necessarium esset ad salutem animæ ipsius, ducere in matrimonũ concubinam, quâ huc vsque vsus est, promisso illi matrimonio. Tertiò denique oriri potest supradicta necessitas ex parte aliorũ, seu tertiæ personæ quod tamẽ vix potest cõtingere nisi in sacramẽtis Ordinis & Matrimonii. Vt si propter magnum commodum temporale filiorũ, vel pacem reipublicæ, necessarium foret excõmunicato versãti in periculo mortis ducere in vxorem illorum matrem, vt pro legitimis habeantur, veriſque successoribus & heredibus amplissimi Dominii. Vel si in regione infidelium esset grauissima necessitas, & summa penuria sacerdotum; nec alius esset Episcopus, à quo possent ordinari, præter excommunicatum non toleratum: qui casus metaphysicus potiùs, quàm moralis est.

34. Dixi autem in illis casibus excommunicatum non toleratum administrare sacramenta licitè, quantum est ex parte censuræ: quia fieri potest, vt aliũde ministret illicitè: nimirum quia id facit indecenter, & sine aliqua dispositione necessaria ex præcepto. Quod, tametsi præuideat ille qui eget graviter Sacramento, & illius operà: potest nihilominus ab eo petere & accipere, quod ipse potest licitè præstare, si velit; vtique ipsius malitiâ propter suum cõmodum, & bonum valde necessarium. Debet tamen esse necessaria illius opera: quia si adsit alius, qui velit, & possit: illicitè postulat istius operam: imò etiam inutiliter, (vt probabilius mihi videtur) quoad sacramentum Pœnitentiæ; quia Ecclesia non dat illi iurisdictionem, nisi in casu necessitatis propter articulum mortis: quæ necessitas non est, quando est alius, qui possit, & velit. Vitandum etiam est scandalum, quoad fieri potest, in vsu operæ huiusmodi excommunicatorum; & vtendum potius excommunicato catholico, quàm hæretico: & sacerdote tantùm excommunicato potius,

potius, quàm suspenso simul, aut interdicto, vel etiam degradato.

35. Incurrit etiam irregularitatē.

Dico quartò, excommunicatum, siue toleratum, siue non, administrantem aliquod sacramentum ex officio, aut celebrantem Missæ sacrificium, incurrere irregularitatem ipso facto, exceptis casibus, in quibus licitè ministrat, vel cum causa, quæ saltem excuset à peccato mortali contra censuram. Prima pars probatur ex c. *Apostolicæ*, &c. *Si celebrat*, De Clerico excommunicato ministrante: Quibus iuribus non fuit derogatum per Constitutionem Conc. Constantiensis, *Ad vitanda*, quoad excommunicatos toleratos. Nam ipsismet eius verbis id cauetur, quatenus Concilium diserte profitetur se non interdere, *in aliquo eos releuare*, *nec eis quomodolibet suffragari*. Ideoque incurrunt irregularitatem, quando ponte se ingerunt ad sacramenta ministranda, fauoremque aliis fidelibus concessum sibi vsurpant. Secūda verò pars est communis omnium Doctorum, æque ac prior; & sumitur ex cap. *Apostolicæ*, de clerico excommunicato ministrante, vbi diserte excipitur qui ministrat ex ignorātia inculpabili: quia, inquit, *Vos reddit ignorantia probabilis excusatos*. Par autem est ratio, vt excuset quælibet alia causa æquiualens ignorantiæ probabili, aut sufficiens ad excusandum à peccato graui, contra præceptum ecclesiæ, propter quod solum hæc irregularitas, tanquam poena imponitur, in vltionem inobedientiæ & contumaciæ contra ecclesiam: vt patet ex verbis, quibus vtuntur iura, quæ illam statuunt: poena enim tam grauis culpam graue & proportionatā præsupponit. Præterea in cap. *Clerici*, cap. *Illud*, & c. *Fraternitati*, eod. tit. statuitur poena depositionis ab officio & beneficio cōtra celebrantem officia diuina in excommunicatione: Si deliquisse constiterit, aut ea celebrare præsumpserint.

36. Licet non in forti solemniter.

Ad hāc verò poenam incurrendam nō est opus sacramētum ministrari solemniter, sed sufficit ita conferri, vt ad illud ministrādum validè aut licitè, necessarius sit aliquis Ordo. Sufficit etiam attentari ex animo illius effectionem, licet ex aliquo alio defectu irritum sit: vt si aliquis det absolutionē sacramentalem indisposito. Si autem non intenderet efficere sacramentum, sed fingere, non incurreret irregularitatem, vt bene docet Suarez disput. 11. de Censuris sect. 3. num. 14. quia fingere duntaxat, non est exercere actum ordinis: & censura, vel irregularitas non incurritur, nisi propter actum prohibitum completum, nisi lex aliud significet. Quam etiam ob causam, si quis administret sacramētum, putans se esse excommunicatum, cùm non sit, non incurrit irregularitatem: quia verè non exercet actū lege prohibitum, sed præsumptiuè tantùm. De illo autem qui dubitat, an sit excommunicatus, & verè talis est, distinguendum esse puto cum Suare disp. 11. sect. 2. num. 8 & 9. Vel enim ministrans cum tali dubio peccat mortaliter cōtra cēturæ prohibitionem, ob grauē negligentiam inquirendi, vel non. Si primū: incurrit irregularitatē. Si secūdum: non incurrit, quia, vt supra diximus, nō infligitur tā grauis poena per Canones, nisi pro graui culpa cōtra Ecclesiam, ipsi proportionatā. Priusquam tamen administret, aut celebret, debet absolui ad cautelam, si fieri potest. Debet etiam deponere dubiū practicū, & iudicare sibi licitū esse, quod facit, nō obstāte dubio speculatiuo: quia est in possessione exercitii tuorū Ordinum, quo nō debet se priuare propter tale dubium, facta tamen diligenti inquisitione veritatis. Melior enim est cōditio possidentis: & in obscuris sequendū est id quod minimum est: & poenæ sunt benignius interpretandæ: odiaque potius restringēda, quàm ampliāda, De regulis iuris in 6.

37. Atque etiā si exerceat alios actus Ordinis.

Addo præterea non tolùm incurrere excommunicatis irregularitatem per effectionem sacramentorum: sed etiam per alios actus, qui ex Christi, vel Ecclesiæ institutione sunt actus alicuius Ordinis. Vt si sacerdos, aut Diaconus excommunicatus dispenset sacramentum Eucharistiæ, vel deferat ad ægrotos, vel circumferat in Processionibus. Si Episcopus excommunicatus templum cōsecret, aut vasa altaris. Si parochus nuptiis benedicat; secus autem si tantùm assistat contractui; quia hæc assistentia non est actus Ordinis: & æquè validè assisteret Parochus nondum ordinatus. Imò licet ille, qui à Parocho deputatur, vt suo loco assistat, debeat esse sacerdos, ex Trident. sess. 24. cap. 1. De reformatione Matrimonii: eius tamen assistentia non est actus Ordinis sacerdotalis, neque sacerdotium in illo requiritur, nisi vt qualitas assistentis. Ab hac autem irregularitate dispensat solus Papa iure communi: nisi proueniat ex occulto delicto: nunc enim dispensare potest Episcopus ex Tridentino sess. 24. cap. 6. Decreti secundi De reformatione: id est, si vel celebratio, aut administratio est occulta, quamuis excommunicatio sit publica: vel è contrario, si excommunicatio est occulta, quamuis celebratio sit publica: multóque magis si vtrumque occultum est.

38. Peccantne qui ab illis sacramenta recipiunt.

Denique quod attinet ad recipientes sacramenta ab excōmunicatis extra casus permissos: illi quidem grauiter peccant si recipiunt à non toleratis, propter illicitam communicationem cum illis in rebus sacris, quæ grauiter prohibita est, vt colligitur ex cap. *Sacris*, De iis, quæ vi metusque causa fiunt, verbis illis, *Cum pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere*: non tamen aliam poenam ecclesiasticam subeunt, nisi minorē excommunicationem, per se loquēdo: & si ordinem recipiunt, incurrunt præterea suspensionem ab executione Ordinis in acceptis, vt de excommunicatis ob percussionē Clericorū dicitur cap. *Cum illorum*, De sent. excommunic. Dixi autem, *per se loquēdo*: quia incurrunt aliquando maiorem excōmunicationē: vt quando clericus spōte cōmunicat

in diuinis cum excommunicatis à Papa, nominatim denunciatis, recipiendo illos ad diuina officia: iuxta caput *Significauit*, De sentent. Excommunic. vbi sine dubio sermo est de maiori excommunicatione: quandoquidem reseruatur Papæ illius absolutio. Qua de re plura vide apud Suar. disp. 10. sect. 2. num. 9. Item quando aliquis communicat in crimine, cum alio propter quod iste anteafuit excõmunicatus, illud ipsum cum eo perpetrans, vel in eo perpetrando, ipsi consilium, auxilium, aut fauorem impendens, cap. *Nuper*, & cap. *Sicut ubinæ*, De sentent. excommunic. Item etiam si quis communicat cum nominatim excommunicato, post particularem prohibitionem legitimè factam sub pœna excommunicationis, ne cum illo communicet, cap. *Constitutionem*, De sentent. excommunic. in 6.

SECTIO IV.

De tertio effectu Excommunicationis, qui est priuare suffragiis Ecclesiæ.

39. Quibus suffragiis priuet?

CErtum est, & omniũ cõsensu receptum, maiorẽ excõmunicationẽ priuare communibus suffragiis Ecclesiæ, id est, subsidiis spiritualibus, quæ ex publicis ministrorum Ecclesiæ Officiis, sacrificiis, & orationibus ipsius nomine factis, solent prouenire fidelibus: atq; etiam fructu satisfactionum, qui ex communi thesauro Ecclesiæ, per Indulgentias, ab eius Prælatis applicatur. Cùm enim Ecclesia sit horũ bonorũ communium domina, vel dispensatrix: potest sine dubio dignis ea distribuere, & indignis negare, si velit, propter bonũ publicum, & ipsorum conuersionẽ. Voluisse autẽ reipsa negare illa excõmunicatis, patet ex cap. *Anobis* 2. & cap. *Sacris*, De sentent. excommunic. Idemq; docet S. Greg. lib. 2. Dialog. c. 25. Ex quo sequitur peccare grauiter ministros Ecclesiæ, si illis applicent eiusmodi suffragia: quia faciũt cõtra prohibitionẽ Ecclesiæ in re graui. Nã quãdo Ecclesia priuat suis suffragiis excommunicatos; simul prohibet, ne ministri Ecclesiæ pro illis offerant: quia non potest aliter illos priuare efficaciter; neq; alio modo loquuntur iura citata, caput *Anobis*, & cap. *Sacris*, De sent. excommunic.

40. Excipitur dies Parasceues.

Excipitur tamen dies Parasceues, in quo Ecclesia ad exẽplum Christi patientis imitãdum pro omnibus orantis, seq; Patri æterno offerentis in sacrificium pro salute omnium; necnon ad ostendendam efficaciam passionis eius, ad totius generis humani redẽptionem sufficientis, statuit orari in officio publico pro hæreticis, & schismaticis, quamuis excõmunicatis. Extra quem casum grauiter prohibitum est pro illis orare directè, vt publicũ Ecclesiæ ministrum, & ipsius nomine: Directè inquam, & per se primò: Nam indirectè potest licitè pro illis orari, petendo directè, & per se dilatationẽ, vel pacẽ, & concordiã Ecclesiæ, quæ sequetur ex eorũ cõuersione. Potest etiam minister vt priuata persona pro illis orare priuata oratione, & intẽtione; simili modo, quo quilibet priuatus potest idem facere: atq; etiam pro illis offerre actionẽ recitandi officiũ publicũ, & offerẽdi Missæ sacrificiũ, prout sunt opus operãtis, & habent vim merẽdi de cõgruo, vel impetrãdi, aut satisfaciendi: quia sic agit, vt priuata persona, non vt publicus minister Ecclesiæ. Imò etiã in ipso *Memento*, potest orare propria intẽtione, & vt persona priuata pro iisdem; eadẽ ratione, quã reliqui astãtes sacrificio, possunt pro illis precari, & offerre; vt bene docet Aegid. Con. disp. 14. dub. 6. n. 37. post Siluestrũ, Nauarrũ, Couarruuiam, & alios, quorũ sentẽtiam fere communem esse testatur. Nec obest quod *Memẽto* sit pars publici officii. Hoc enim non impedit quò minùs possit in eo sacerdos priuata intentione pro aliquo orare; & sacrificium mox futurum Deo offerre.

41. An soli non tolerati?

His præsuppositis, dubiũ est primò, an soli excõmunicati non tolerati priuentur Ecclesiæ suffragiis? Affirmãt Nauar. c. 27. Man. n. 36. ad 2. Dubium. Henriq. lib. 13. c. 11. n. 2. Sayrus lib. 2. c. 4. n. 6. & alii, quos sequitur Aegid. Con. dubio cit. n. 40. Fundamẽtum illorũ præcipuũ est, quia Concilium Constantiense in Extrauagante. *Ad vitanda*, permittit communicare cum toleratis in omnibus diuinis officiis: quâ generali clausulâ comprehẽditur communicatio, & applicatio suffragiorum. Cùm enim sit fauorabilis, debet extendi, quantum potest salua verborum proprietate. Atqui verborum proprietas id patitur, imò etiam postulat. Nam Ecclesia semper hæc duo pro eodem accepit, Nos cum aliquo cõmunicare, &, Orationes publicas pro eo facere, vt patet ex cap. *Sacris*, & cap. *Anobis* 2. suprà citatis. Adde quòd Ecclesia permittit excõmunicatis toleratis sepulturam ecclesiasticam, quæ iuxta Ecclesiæ consuetudinem, fieri nequit, nisi pro defuncto celebrentur diuina officia. Ergo permittit pro illis celebrari. Adde etiam quod non esset cõueniens Ecclesiã permittere externã aliam cõmunicationẽ cum excõmunic. toleratis, & nõ permittere cõmunicationẽ suffragiorũ, quibus neminẽ priuat primò, & per se (hoc enim pugnaret cũ fine excõmunicationis, quę est medicina ad Rei cõuersionẽ instituta) sed tãtũ secũdariò quatenus id est necessariũ, vt excõmunicati cõmunionem perfectè vitemus. Ergo nõ est verisimile Ecclesiam permittere, vt cõmunicemus cum excõmunicatis toleratis, & tamen prohibere, ne suffragia pro illis offeramus. His præcipuè rationibus hanc sententiã confirmat Aegidius Coninc. loco suprà citato.

Contrarium verò sentiunt Suar. disp. 9. sect. 2. n. 17. Auila 2. part. c. 6. disp. 4. dub. 1. conclus. 3. Bonac. disp. 2. q. 2. punct. 1. §. 1. Filiuc. tract. 12. cap. 2. quæstio 4. num. 40. Ratio illorum præcipua est, quia standũ est iuri antiquo, nisi aliud decernatur iure nouo.

Digitized by Google

atqui iure antiquo priuabãtur excõmunicati nunc tolerati suffragiis Ecclesiæ: & Cõstitutio *Ad vitanda*, qua nituntur auctores alterius sententiæ, nõ fecit contrariũ: tum quia permisit tantùm cõmunicationẽ externam in audienda Missa, recitandis publicè Horis Canonicis, & aliis similibus; non autẽ internam suffragiorũ applicationẽ: tũ etiam quia nihil statuit in fauorẽ excommunicatorũ, vt diserte affirmat: magnus autem fauor esset, si posset participare suffragiis Ecclesiæ. Et deniq; alioqui destrueretur præcipua ratio excommunicationis maioris, quæ est ita præscindere peccatorem ab Ecclesia, vt iam non sit membrum illius ad participandum bonis eius communibus. Qua etiam de causa dicitur excommunicatus tradi Satanæ, & haberi tanquam ethnicus, & Publicanus.

43. Resolutio. quæst.

Vtraq; sententia probabilis est. Prior tamẽ firmioribus argumẽtis niti mihi videtur. Ad fundamẽtum ergo posterioris opinionis respõdeo negãdo minorẽ: quia verba Cõstitutionis, *Ad vitanda*, sunt generalia, & sine causa sufficienti ab illis excipitur cõmunicatio suffragiorũ: cum sit euidẽs illam cõprehendi cõmunione in diuinis generaliter sumptã: & Constitutio prædicta generaliter permittat cum illis cõmunicare in sacramentorũ administratione, & receptione, *& aliis quibuscũq; diuinis*: Quamuis autẽ nõ immẽdat directè illis fauere, aut suffragari: tamẽ indirectè illis fauet hac in parte, æq; ac in externa cõmunicatione, quatenus directè permittit fidelib. pro illis offerre suffragia, æquè ac permittit iisdẽ directè, cum illis cõuersari, petereq; ab illis sacramenta, vt fatentur aduersarii. Quatenus enim concedit aliis facultatẽ cum illis cõmunicandi, consequenter istis quoq; aliquã dat: alioqui non possent alii licitè cum eis cõmunicare. Ratio autẽ præcipua excõmunicationis respectu toleratorũ in eo cõsistit, quòd ipsi non possunt licitè se ingerere ad petenda, & participanda suffragia cõmunia: sicuti neq; ad administrationẽ Sacramẽtorum, & communicationem in aliis, præsertim sacris, & diuinis. Notandũ tamen vitandum esse scãdalum in hac communicatione, si illius periculũ occurrat: putà, quia fideles offendentur, si publicè oretur pro hæreticis: aut excommunicatus inde sumet ansam superbiendi, & persistendi in sua contumacia.

44. Non sufficit esse contritos vt oretur pro excommunicatis.

Dubitatur secundò, liceatne offerre suffragia publica pro supradictis excommunicatis, iam contritis, & cum Deo recõciliatis, sed nondũ absolutis ab excommunicatione? Respõdeo negatiuè, cũ Domini. Soto, Adriano, Alano, Garcia, & aliis quos citant & sequuntur Suarez disp. 9. sect. 3. n. 2. Vasquez tract. de excommunic. dubio. 2. n. 2. Conin. disp. 14. dub. 6. n. 49. Filiucius tract. 2. c. 22. quæsito 6. Bonac. disp. 2. de cẽsuris q. 2. pũct. 1. §. 2. Layman lib. 1. tract. 5. parte 2. cap. 2. n. 4. Et probatur efficaciter ex cap. *A nobis* 2. De sent. excommunic. vbi Innocentius III. interrogatus vtrum si aliqui sit excommunicatus, in quo indicia fuerint pœnitentiæ manifesta, nec per eum steterit, quò minùs reconciliaretur Ecclesiasticæ vnitati non suscepto beneficio absolutionis ab excommunicatione decesserit, pro absoluto ab Ecclesia sit habẽdus: & vtrum pro tali recipienda sit eleemosyna, & à fidelibus sit orandum? Respondet negatiuè: quia quantacumque pœnitentiæ signa præcesserint, si tamen morte præuentus absolutionis non potuerit beneficium obtinere, quamuis absolutus apud Deum fuisse credatur, nõdum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus. Addit autem, posse tamen, ac debere Ecclesiam illi subuenire, & intuitu pœnitentiæ beneficiũ absolutionis illi impertiri: ac tum scilicet permittere, vt pro illo eleemosynæ siue oblationes, & orationes publica offerantur. Porrò si non possunt priùs offerri pro defunctis, quorũ maior est necessitas, quippe qui sibi ipsis succurrere non possunt, & pœnas tam acerbas patiuntur: multò minùs possunt offerri pro viuentibus, de quibus etiã idem Pontifex id expressè affirmat cap. *sacris*, eod. tit. vbi respondet excommunicatum, licet ad cor redierit, nõ esse habendum pro absoluto, priusquam absolutionis gratiam perceperit, ab excommunicatione scilicet: & si in eo statu moriatur, non esse oblationes pro eo recipiendas, neque orationes Domino porrigendas; donec, vbi constiterit de ipsius viuẽtis pœnitentia, beneficium absolutionis defuncto impendatur. Ratio est, quia excõmunic. est pœna per publicam Ecclesiæ auctoritatem imposita, quæ non tollitur priuata cuiusq; voluntate, per ipsius pœnitentiam; sed per eandem auctoritatem, quã fuit iniuncta: adeo vt post mortẽ etiam duret quoad hunc effectum, donec Ecclesia relaxet. Nec obest quòd culpa sit remissa per contritionem. Potest enim durare pœna post remissionẽ culpæ, meritóq; retinet illam Ecclesia, donec ipsa iudicet de Rei conuersione, & cõueniẽti satisfactione. Cõfirmatur quia alioqui posset excommunicatus, post cõtritionẽ, recipere occultè sacramẽta, & secretò celebrare Missæ sacrificiũ: quod tamen est absurdũ, & à nemine conceditur. Si autẽ Ecclesia nõ obstante contritione, priuat excommunicatũ facultate celebrandi occultè & recipiendi sacramenta: à fortiori priuat eundem cõmunicatione suffragiorum, quod multò minus bonũ est, minúsq; necessarium.

45. Contraria sententia.

Contrarium sentiũt Ricard. in 4. dist. 18. art. 7. q. 2. Nauar. cap. 27. manual. num. 18. & alii, quorum præcipuum fundamẽtum est, quia videtur esse contra pietatem Ecclesiæ velle priuare suis suffragiis, & insidiis Satanæ relictũ exponere illum, quem nouit iam esse contritum, & Deo gratum, sibiq; obedientẽ, per quẽ non stat, quò minùs absoluatur: quique cũ sit in charitate, & viuũ Ecclesiæ mẽbrũ, nõ potest nõ esse particeps cõmunionis sanctorum, seu communicationis cum aliis fidelibus, fundatæ in charitate.

Respondeo primò, Si non est contra pietatem quòd Ecclesia priuet excõmunicatum

Digitized by Google

facultate recipiendi sacramẽta, & celebrandi Missæ sacrificium, vt fateri debent aduersarij: nõ est pariter quòd eundem priuet publicis suffragiis. Secundò, pium, & conueniẽs esse, vt ecclesia ita se gerat propter bonum commune; & ipsiusmet excommunicati vtilitatem: vt scilicet magis auertantur fideles à criminibus, quibus tam grauis pœna imponitur: intelligantque Rei quantum malum incurrant, & quanto versentur in periculo, donec sunt in statu excommunicationis, magisque satagant absolutionẽ illius impetrare: Ex eo verò quòd Deo reconcilientur per contritionem, fiunt quidem participes illius communionis, quæ fundatur solùm in fide viua, & charitate, per priuatas orationes, aliaq; suffragia, & per specialem Dei prouidentiam, bonorum communitati magis inuigilantem: at non illius quæ pendet ab intentione Ecclesiæ per suffragia communia, ipsius nomine à publicis eius ministris facta.

46. Prosintne illis communia suffragia, si pro eis offerantur?

Dubitatur tertio, vtrum suffragia communia, pro excommunicatis nõ toleratis oblata, illis prosint, quamuis offerens peccet, offerendo pro illis? Respondeo neque sacrificium Missæ, neq; publicas orationes, & alia eiusmodi, prout sunt Ecclesiæ suffragia, eius nomine, & intentione ab ipsius ministris facta, quidquam prodesse excommunicatis vitandis. Probatur, quia Ecclesia nõ vult vt illis prosint; & minister nõ est dominus, sed dispensator huiusmodi bonorum, prout ad Ecclesiã pertinent. Dispensator autẽ, qui cõtra Domini voluntatem dispensat, non modò illicitè, sed etiã inualidè id facit. Irẽ Ecclesia, quæ prohibet sacrificari, aut orari nomine suo pro talibus excommunicatis, non interponit pro illis suam intercessionem, aut fauorem apud Deum, neque ministrum suum ad hoc deputat, vt hunc pro illis offerat: quare non potest ille validè id facere.

47. Divi autẽ, prout sũt Ecclesiæ suffragia, &c. quia possunt alia cõsideratione iis prodesse. Notandũ enim est sacrificiũ Missæ posse triplici intentione offerri à sacerdote celebrante. Primò, quatenus nomine Christi offert, tanquã eius minister, immediatè ab ipso deputatus per sacramẽtum Ordinis sacerdotalis. Secundò, quatenus offert nomine Ecclesiæ, tanquã minister eius publicus, ab ea deputatus, vt pro fidelibus offerat sacrificium, eiusq; fructũ iuxta ipsius intẽtionẽ dispẽser. Tertiò, quatenus offert nomine proprio, velut priuata, & particularis persona, simili modo, quo quicũq; alij assistentes Missæ sacrificio, possũt pro se, vel pro aliis illud Deo offerre ad aliquid impetrandũ, vel ad Deum placandũ, & pro peccatis propitiandum. Similiterq; officiũ diuinũ, & aliæ publicæ orationes possunt offerri Deo à ministris Ecclesiæ vel ipsius nomine, prout eius ministri sũt: vel priuata solùm intentione illis applicari, simili modo quo alij, qui non sunt ministri Ecclesiæ, neq; illius nomine, aut in eius persona orare possunt, suas tamen orationes, & eleemosynas, aliaq; bona opera possunt aliis applicare.

Hoc supposito, dico sacrificiũ Missæ, licet non prosit excõmunic. vitandis, vt oblatum nomine Ecclesiæ, & prout eius fructus pẽdet ab ipsius intẽtione, cui intẽtioni sacerdos nõ potest derogare: prodesse tamẽ posse quatenus offertur à sacerdote, vt ministro Christi, & ex sua ipsius intẽtione vt talis est. Quia licet illicitè id faciat, propter Ecclesiæ prohibitionẽ, quæ nõ vult publicos ministros pro illis offerre: hoc tamẽ non impedit valorẽ sacrificii, & cõsequẽter neq; illius effectum ex opere operato, si subiectũ nõ est indispositũ. Nõ est autẽ indispositũ ratione solius excõmunic. de quo impedimẽto loquimur in præsenti: præsertim si per contritionẽ gratiã recuperauit, neq; per eũ stat quòminùs absoluatur. Quemadmodũ licet ministrans sacramẽtũ excõmunicato nõdũ absoluto, peccet, quia Ecclesia prohibet illi ministrare; hoc tamẽ nõ impedit valorẽ sacramẽti, quod nomine Christi administrat, neq; effectũ illius, si nõ est obex ex parte recipiẽtis. Ratio est, quia quando aliquis operatur, vt minister alterius, malitia ministri non impedit valorem operis, illiusque effectum, dummodo adhibeat quidquid auctor operis, seu causa principalis requirit.

48. Quomodo illis prosit Sacrificium Missæ?

Similiterq; potest illis prodesse; si pro illis Sacerdos offerat, vt priuati possũt, suâ peculiari intẽtione, suoque ipsius nomine. Quod nõ modò validè, sed etiã licitè facere potest, vt rectè docẽt S. Thom. Ricard. Palud. Durand. Gabr. aliiq; veteres Scholastici, quos citant, aut sequũtur Sotus in 4. dist. 22. q. 1. art. 1. Nauar. c. 27. Manual. n. 36. Henriq. lib. 13. cap. 12. n. 3. Suar. disp. 9. sect. 5. Coninc. disp. 14. dub. 6. n. 37. Bonac. disp. 2. q. 2. punct. 1. §. 3. propos. 3. & plures alij. Ratio est, quia Ecclesia id nõ prohibet, neq; aliũde malum est; ac si licet orare etiam pro Ethnicis, & priuata intẽtione offerre pro illis ipsum Missæ sacrificiũ, vt ostendimus suo loco: æquũ est vt possit etiã offerri licitè pro fidelibus excõmunic. Quare non solùm priuatæ orationes, sed etiã illæ ipsę quę fiũt nomine Ecclesiæ, putà Horæ Canonicæ, & alia diuina officia, ipsumq; Missæ sacrificiũ possunt salua ipsius intẽtione publica, offerri licitè pro illis à ministris Ecclesiæ, intentione priuata: & consequẽter possunt illi prodesse, nisi aliunde ipsi ponant impedimentum fructui ex illis prouenienti, vt rectè docent Silnest. Angel. Nauar. & alij, quos citat & sequitur Suar. sup. num. 4. & 6.

Vide tom. 4 dist. 39. sect. 3.

Neque dicas Ecclesiam prohibere omnem communicationem cum excommunicatis non toleratis, præcipuè in diuinis. Offerre autem, vel orare pro illis est aliqua communicatio, & quidem maior, quàm eos salutare, vel cum ipsis colloqui, vel donum aliquod illis mittere. Respondeo enim id non esse propriè communicationem, sed speciem eleemosynæ spiritualis, & opus misericordiæ, quod non magis prohibetur ab Ecclesia, vi excommunicationis

Digitized by Google

quàm eleemosyna corporalis facta iisdem indigentibus.

SECTIO V.

De quarto effectu Excommunicationis, qui est privatio Diuinorum officiorum, ita vt excommunicatus non possit illis interesse, neque illa celebrare.

50. Excommunicati non possunt adesse Missæ sacrificio.

Dico primò, Excommunicatum maiori excommunicatione non posse licitè interesse Missæ sacrificio, multóque minùs illi ministrare. Probatur ex cap. *Responso*, de Sēt. excomm. & cap. *Alma mater*, eod. tit. in 6. vbi expressè id prohibetur. Cúmq; hæc prohibitio sit grauis, quia in re graui; peccant mortaliter excommunicati, si assistunt, vt docent cōmuniter Theologi & Canonistę locis infra citandis. Estque id intelligendū de excōmunicatis etiam toleratis: quippe quibus non fit fauor per constitutionē *Ad vitanda*, neque quicquam conceditur directè in ipsorum cōmodum, sed tantùm in aliorum fidelium necessitatem, vel vtilitatem: quâ semotâ, relinquit illos intra terminos iuris antiqui, quo id omnibus excōmunicatis maiori excommunicatione prohibetur. Excutaretur tamen à peccato excommunicatus toleratus, qui sacerdoti id postulāti inseruiret, defectu alterius: vt bene aduertit Suar. disp. 12. sect. 1. n. 3. Quia hoc faceret in fauorem sacerdotis, & non directè in suum commodum.

51. Qui autem illicitè assistunt, non propterea incurrunt irregularitatem, quia in nullo iure exprimitur: excepto Episcopo, vel quouis alio sacerdote excōmunicato, qui sua auctoritate, vel aliter, est causa, & curat, vt sacrificiū Missæ, vel alia diuina officia celebrētur in sua præsentia. Incurrit enim irregularitatem, iuxta cōmunem Doctorum sententiam in caput *Tanta*, de Excessibus Prælatorum, & cap. *Illud*, de Clerico excommunic. ministrante, & Glossam in Clement. 2. de Priuil. v. *Celebrari*. Tunc enim se gerit virtualiter, & moraliter, perinde ac si celebraret: quia qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsū, reg. 72. de Regulis iuris in 6. Sacerdos autē celebrans in excōmunicatione, incurrit irregularitatem, vt patet ex toto titulo de Clerico excommunicato ministrante, & cap. de Sententia, & re iudic. in 6. & cap. *Is qui*, de sententia excomm. in 6. Cúmque hæc ratio non habeat locum in aliis excommunicatis, non sacerdotibus, non debet hæc irregularitas ad illos extendi.

52. Non celebrandum coram non toleratis.

Peccant etiam grauiter sacerdotes si celebrant coram excommunicatis non toleratis, vt patet ex cap. *Is qui*, De senten. excomm. & colligitur ex Clementina 2. eodem titul. Iidemque incurrunt excommunicationem minorem propter illicitam communionem cum excōmunicatis: at non irregularitatem, quia in iure non exprimitur, sed potiùs contrarium affirmatur cap. cit. Statuitur tamen pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ cōtra eos qui publicè excommunicatos admittunt ad officia diuina, seu ecclesiastica sacramenta. Dixi autem, si celebrant coram excommunicatis non toleratis: quia non tenentur vitare alios, post constitutionem Constantiensis sæpius citatam. At verò si non tolerati accedant priusquam inchoetur Missæ sacrificium, debet potiùs omitti. Si iam est inchoatum, debent moneri vt exeant: & si non parent, incurrunt aliam excommunicationem Papæ reseruatam, vt habetur in Clement. 2. de Sent. excomm. Ac si fieri potest, debent expelli, etiam vi adhibita, ad defendendam Ecclesiæ immunitatem, cui ipsi vim, & iniuriam inferunt. Denique si expelli nequeunt, debet interrumpi Missæ sacrificium, si canon nondum est inchoatus, vt colligitur ex Clementina citata. Sin autem inchoatus est, potest sacerdos, vt volet, continuare, vel abrumpere, iuxta varias, & probabiles Doctorum sententias, nisi peruenerit ad verba ipsa consecrationis. Tunc enim ex omnium consensu, sacrificium iam essentialiter inchoatum debet continuari vsque ad consummationem, quæ fit per communionem sacerdotis. Quâ peractâ, debet cætera quæ sequuntur recitare in sacristia; vel omittere, si non sit locus, vbi cōmodè peragat. Quicunque autem assistunt sacrificio, tenentur exire, excepto ministrante sacerdoti: ne illicitè communicent cum excommunicato non tolerato, absque sufficienti necessitate: cùm sine illis possit sacrificium continuari, & consummari. Et peccant grauiter, si absque necessitate assistunt sacrificio cum excommunicato non tolerato: quia communicant cum illo in rebus diuinis.

53. Si illi moraliter assistunt.

Notandum tamen hæc debere intelligi, si excommunicatus ille sit ita in templo, vt moraliter dici possit assistere tali Missæ sacrificio. Nam alioqui non communicat cum celebrante, neque cum assistentibus: putà si sit in alio sacello, vbi aliud sacrum audiat: vel si tantùm assistat concioni, quæ interea fit: vel ad Ecclesiam, vt azylum confugerit, aut in ea de negotiis suis tractet, vel etiam oret priuatim eo in loco, vnde nullam habet communicationem cum sacro, quod fit: nec visu, nec auditu, nec voluntate assistendi, signo aliquo externo declaratâ: vt rectè docent Suares sectione citata, Coninc disputatione 14. dubio 7. Bonacina disputatione 2. quæstione 2. puncto 3. §. 1. numero 16. & alii, quos isti citant: qui etiam in omnibus supradictis conueniunt. Vnum verò plerique illorū addunt, quòd licet propter eorum auctoritatē probabile sit, difficile tamen esse mihi videtur: excōmunicatum negligentem petere, & obtinere absolutionē, non peccare cōtra præceptū Ecclesiæ, non audiendo Missam diebus festis. Quia, inquiunt, quandiu est excommunicatus, non potest licitè Missæ assistere:

& præceptum ecclesiasticum de illa audiendâ non est tanti momenti, vt ipsum obliget ad tam remotam dispositionem. Sicut incarceratus propter debita, quæ potest soluere, si velit, non peccat tamen non audiendo sacrum, neque ideo tenetur citius soluere, vt possit sacro interesse. Et similiter ægrotus non obligatur eo nomine ad procurandum, vt citiùs conualescat.

54. Tenentur ne procurare absolutionem vt assistant diebus festis?

Hoc, inquam, difficile esse mihi videtur, quia probabilius, & rationi magis consentaneum per se apparet, eodem præcepto, quo obligamur ad sacrum audiendum diebus festis, obligari nos ad tollenda impedimenta implendi hoc præceptum, si pendent à nostra libertate, possuntque non adeo difficilè, aut incommodè tolli. Alioqui ligatus funibus, quos potest facilè abrumpere, aut detentus domo, quâ posset facilè egredi, non peccaret contra præceptum audiêdi sacrum die festo. Cõfirmatur, quia in eo quisq; peccat, quod illi potest meritò exprobrari. Atqui meritò exprobraretur alicui quòd per solam ipsius negligentiã stet, quò minùs sacro assistat die Paschatis, si velit è carcere liberari, vti commodè potest. Confirmatur secundò, quia, vt fatentur illi auctores, peccat excommunicatus contra præceptum cõfessionis, & communionis annuæ, si eius negligentia in absolutione procuranda sit causa cur ad vtramque non accedat. Neque satisfacit ratio differentiæ ab illis assignata: quòd scilicet præceptum confessionis, & communionis annuæ sit maioris momenti, neque admittat tam faciles excusationes: quódque præceptum confessionis directè obliget peccatorem, vt procuret sibi solutionem omnis vinculi, quod eum diuidit ab vnione Dei, vel Ecclesiæ: & consequenter vt procuret absolutionem ab excommunicatione; si eâ ligatus sit. Similiterque præceptum communionis, institutæ vt perfectiùs Christo eiusque corpori vniamur, obligare nos vt tollamus ea omnia, quæ talem vnionem impediunt. Hæc, inquam, minùs satisfaciunt. Primum enim non aliud probat, nisi maiorem debere esse causam, grauius scilicet incommodum, grauioremque difficultatem, illam quę excusat à præcepto confessionis, & communionis annuæ, vtpote grauiori. Ad secundum respõdeo, sicut præceptum confessionis, & communionis eo ipso, quòd obligat ad vnionem cum Christo & Ecclesia, obligat pariter ad tollendum impedimẽtum huius vnionis dependens à nostra libertate, quod est excommunicatio: par est ratio vt præceptum audiendi Missam die festo obliget similiter ad tollendum impedimentum assistendi, æque pendens à nostra libertate; adeoque peccari non tollendo, nisi causa sufficiens, & præcepto proportionata excuset. Præsertim cùm hoc etiam præceptum tendat ad communicationem, & vnionem aliquam cum fidelibus in externo illo cultu, & professione Christianæ religionis, adeoq; obliget ad tollendũ impedimentum huius vnionis, iuxta rationem aduersariorum.

55. Prohibita illis est cõmunicatio in alijs officijs diuinis.

Dico secundò esse quoque prohibitam excommunicatis, non modò vitandis, verùm etiam toleratis, communicationem, seu participationem in aliis diuinis officiis: vt patet ex cap. *Excommunicatos*, 11. q. 3. & aliis iuribus supra citatis, communique sententia Doctorum: qui pariter affirmant eos peccare grauiter, si secus faciant, nisi excusset ignorantia, vel necessitas, aut leuitas materiæ, quando scilicet exigua est communicatio. Et confirmatur, quia si quælibet communicatio est illis prohibita cap. *Illud. De clerico excommunicato*, & cap. *Cum desideres*, cap. *Nuper*, *de sent. excommunicationis*: multò magis prohibita est communicatio in diuinis officiis, & aliis rebus sacris. Neque toleratos excusat constitutio, *Ad vitanda*: quia per eam non fit illis fauor, neque conceditur facultas communicandi cum aliis fidelibus; licet istis concedatur priuilegium communicandi cum illis in sacris, & quibuscunque diuinis.

56. Quæ vocẽtur officia diuina?

Nomine autem diuinorum Officiorum intelligũtur Horę Canonicæ, & aliæ orationes publicæ, supplicationes, seu Processiones, solemnis benedictio candelarum die Purificationis, aut Ramorũ in die Dominica Palmarum, dedicatio, & cõsecratio tẽplorum, Chrismatis confectio, olei sancti benedictio, & aliæ huiusmodi cerimoniæ ecclesiasticæ, quæ solemniter fiunt, & nomine totius populi Christiani. Non tamen concio sacra, quæ manifestè distinguitur à diuinis Officiis cap. *Responso*, De sent. excommunic. vbi permittitur excõmunicatis assistere concioni, *dũmodo eis nullum diuinũ Officium celebretur*. Multóq; minùs eo nomine cõprehenditur lectio sacra in Scholis, siue Scripturę, siue Theologiæ Scholasticæ, aut Moralis. Quare illis assistere non est communicare in diuinis officiis. Aliunde tamen hoc postremum prohibetur, quatenus scilicet vi excommunicationis arcentur ab omni alia communicatione cum fidelibus, exceptis casibus explicandis sect. 11. Sed non arcentur à concione audienda: quia directè tendit ad salutem, & emendationem auditorum (quod nõ facit lectio Theologica, Positiua, Scholastica, vel Moralis, tendens directè ad illorum instructionem) non prohibetur autem excommunicatis illa communicatio, quę directè tendit ad ipsorum resipiscẽtiam. Eodem quoquę nomine intelligitur recitatio Horarum Canonicarum, priuatim licet, & extra chorum facta. In qua recitatione non licet excõmunicato communicare cum aliis, id est, simul cum illis recitare. Hoc tamen peccatum censetur esse tantùm veniale, propter leuitatem materiæ: quia talis cõmunicatio leuis esse iudicatur, præsertim verò si herus famulum, aut capellanum suum sibi adiungat ad recitandum. Excusat enim illum præterea ratio famulatus, quâ non priuat excommunicatio: ideóque ne venialiter

Digitized by Google

quidem peccat, vt patebit ex dicendis infrà sect. 11.

Porro si inchoato Officio diuino superuenit excõmunicatus, idem faciẽdum est celebrantibus, & assistentibus, quod supra diximus de sacrificio Missæ. Nam de vtroque iura supra citata simili modo loquuntur, & Clementina 2. de sententia excommunicat. cum Glossa ibid. v. *Inexpleta*. Nisi quòd, si non possit expelli excommunicatus vitandus, debent non solùm assistentes, sed etiam celebrantes omnes semper exire, & officium interrumpere, posteaque perficere alibi publicè, & solemniter, si fieri possit; sin minùs, priuatim, & submissa voce: quia reliqua officia diuina non sunt tantæ cõsiderationis, ac sacrificium substantialiter inchoatum, quod semper debet perfici.

§ 8. Grauiter peccant si iubent ea coram se fieri.

Multò verò magis peccant excõmunicati, si non modò assistunt Officiis diuinis, verùm etiam curant, aut iubent coram se fieri; iuxta cap. *Illud, De clerico excommunicato ministr.* & cap. *Alma mater*, De sententia Excomm. in 6. & cap. *Episcoporum*, de priuilegiis in 6. Incurruntque Episcopi, & sacerdotes irregularitatem, si hoc faciunt: vt suprà diximus de iisdem iubentibus, aut procurantibus Missam celebrari in sua præsentia. Nam iura ibi citata æquè loquuntur de aliis diuinis Officiis. Magis quoque peccant excommunicati, si solemniter exercent diuina Officia, vel cooperantur celebrantibus. Quod peccatum esse mortale docẽt cõmuniter Theologi in 4. dist. 18. cum D. Thom. ibid. quæst. 2. art. 4. quæstiuncula. 3. ad 1. Couarruuias, Nauarr. Adrian. aliique plures, quos refert, & sequitur Suarez disp. 12. sect. 2. num. 6. rectè addens hoc peccatum esse grauius in clerico ministrante solemniter, quàm in laico, vel in clerico, qui more laici priuatim ministrat, aut concurrit. Nimirum quia indecentiùs se gerit in re per se grauiter prohibita. Ex quo etiam fit, vt si exerceat solemniter aliquod sacrum ministerium Ordini suo annexum, non more tantùm laicorum, & vt ipsi facere solent, aut possunt licitè; sed modo proprio eorum, qui sunt in tali Ordine constituti, incurrat pœnam irregularitatis, cap. 1. de sent. & re iudicata in 6. & cap. 1. de sentent. excommunic. in 6. iunctâ Glossâ ibid. v. *Si ut priùs*, & cap. *Is cui*, cod. tit. vt fusiùs ostendit Suar. sect. cit. num. 7. & sequentibus.

§ 9. Possunt tamen priuatim orare, etiã in templo.

Non tamen prohibetur excommunicatus priuatim orare domi, vel etiam in templo, mensam benedicere ante cibum, & similia. Neque salutare crucem, aut Sacram Eucharistiam adorare, etiam coram aliis, vel vti sacris imaginibus, Rosariis, & rebus similibus quatenus inseruiunt propriæ ipsius deuotioni, vt priuatæ personæ. Per hæc enim non dicitur excommunicatus propriè communicare cum aliis in diuinis. Sacramentalia verò quæ habent tantùm vim ex meritis, & suffragiis, vel applicatione Ecclesiæ, vt aqua Lustralis, & sacræ icunculæ habentes annexam indulgentiam, & similis, non possunt licitè ab ipso vsurpari vt talia: quia excommunicatus priuatur meritis, & suffragiis Ecclesiæ: vt rectè docent Nauarr. Couarr. Henriq. & alii, quos citat, & sequitur Bonac. quæst. cit. §. 2. num. 8. & fusiùs Suar. disp. 12. sect. 3. num. 6. & sequentibus. Item si excommunicatus tenebatur Horas Canonicas recitare ratione Ordinis sacri, vel Beneficii; potest, & tenetur eas priuatim recitare: neque enim liberatur hoc debito per excommunicationem, sed perinde obligatur, ac priùs, etiamsi fructibus Beneficii interim priuetur: quia ipsius culpâ id accidit, & per eum stat, quò minùs fructus recipiat. Damnum autem, quod quis suâ culpâ sentit, sibi debet, non aliis imputare, vt dicitur regula 86. De Regulis iuris in 6. Non tamen debet eas recitare, vt publicus Ecclesiæ minister. Neque licitè potest inter recitandum dicere, *Dominus vobiscum*: quia hæc est communicatio quædam cum aliis: censentque nonnulli Diaconum, aut Sacerdotem secus facientem, incurrere irregularitatem, propterea quòd exercent actum proprium sui Ordinis in statu excommunicationis. Sed hoc nimis durum, & improbabile mihi videtur: quia irregularitas in pœnam imposita non incurritur nisi propter peccatum mortale: hæc autem communicatio leuis est, & ad summum peccatum veniale: certumque est irregularitatem ex malo vsu Ordinis imponi in pœnam. Quapropter meritò contrarium sentiunt Bonac. suprà num. 6. & plures alii, quos citat. Imò non desunt, qui nullum in eo peccatum esse dicant, nullamque communicationem cum aliis, non magis ac quãdo dicitur priuatim recitando officium, *Venite Adoremus, Benedicamus Domino, Iube Domine benedicere*, & alia huiusmodi, quæ omnes fatentur posse licitè dici priuatim ab excommunicato. In quam sententiam propendet Aegid. Con. disp. 14. dub. 7. num. 54.

Non liberatur ab onere recitandi officium, si recentur aliunde.

SECTIO VI.

De quinto effectu Excommunicationis, qui est priuatio sepulturæ ecclesiasticæ.

60. Excommunicati priuantur sepultura ecclesiastica.

Dico primò, excommunicatum morientem sine absolutione nõ posse licitè donari sepultura ecclesiastica. Patet ex cap. *Sacris*, De sepulturis, vbi dicitur sacris esse Canonibus institutum, vt quibus non communicamus viuis, non communicemus defunctis; & vt careant ecclesiastica sepultura, qui priùs erant ab ecclesiastica vnitate præcisi, nec in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerint. Quod intelligendum est, licet excõmunicatus dederit ante mortem signa pœnitentiæ, neque per illum steterit, quò minùs absolueretur. Nam ne tunc quidem sepeliri potest in loco sacro, nisi postquam fuerit absolutus: debetque illi impẽdi beneficium ab-

solutionis intuitu finalis pœnitentiæ, si eius signa manifesta dedit, cap. *Ambis* 2. & cap. *Sacris*, De sentent. excommunic. Sufficit tamen quòd à quocunq; sacerdote validè fuerit absolutus in articulo mortis, propter necessitatem. Tunc enim sicut potest frui suffragiis Ecclesiæ, ita & sepultura ecclesiastica, absque alia absolutione, vt habetur cap. vlt. De sepulturis.

61. Quid cum illis agendum si in loco sacro sepulti fuerint.

Quòd si contingat excommunicatorum corpora per violentiam, vel alio casu, in cœmeterio ecclesiastico, vel alio loco sacro tumulari: si ab aliorum corporibus discerni poterunt, exhumari debent, & procul ab ecclesiastica sepultura iactari. Sin autem discerni non possunt, debent relinqui: quia non expedit vt cum excommunicatorum ossibus corpora extumulentur fidelium, neque triticum cum zizaniis eradicandũ est: cùm, licet non obsit iustis sepultura vlla, vel vilis; impiis tamen celebris, vel speciosa non prosit, vt dicitur cap. *Sacris*, De sepulturis, cuius priora verba sunt Clementis III. postrema ab eodem relata, sunt D. Augustini libro de cura pro mortuis agenda c. 2. Præterea non solùm debent corpora excommunicatorum exhumari, & eiici è loco sacro, si fieri potest: verùm etiam locùs debet expurgari, & per aspersionem aquæ solemniter benedictæ reconciliari, sicut in dedicationibus Ecclesiarum fieri consuevit, cap. *Consuluisti*, De consecratione Ecclesiæ, vel altaris: quia nimirum fuit pollutus, seu violatus; Neq; prius debent, aut possunt licitè ibidem sepeliri fideles, vel officia diuina celebrari, quàm facta sit huiusmodi reconciliatio, extracto corpore excommunicati, si fieri potest: argumẽto capitis vnici De consecratione Ecclesiæ, vel altaris, in 6. vbi quidem sermo est de violatione per effusionem sanguinis; aut seminis: sed par est ratio de quacunq; alia violatione loci sacri. Quòd si nequit extrahi, quia non potest ab aliis corporibus discerni, sufficit locum reconciliari modo supradicto, ne Ecclesia in perpetuum illo priuetur, quod magnum foret incommodum: & defectus ille occultus, ac remedio carens, deinceps pro nihilo reputatur: censeturque sublata violatio seu profanatio, quæ per primam inhumationem defuncti fuerat inducta.

62. Priuantur etiam officio & honore funebri.

Dico secundò, excommunicatũ mortuum sine absolutione, priuari quoque officio funebri, & omni honore ecclesiastico propter fidelium communionem: eiusmodi est, quòd Clerus eius corpus ad sepulturã deducat cum psalmis, & canticis spiritualibus; quòd clerici pro illo accipiant oblationes seu eleemosynas, & his similia. Hæc enim ordinantur ad sepulturam ecclesiasticam, & consequẽter priuatur illis excommunicatus eò ipso quòd priuatur ecclesiastica sepultura: esset que valde indecens hunc honorem exhibere excommunicato sepeliendo sepulturã asini, vt loquitur Scriptura; & cum pompa funebri deferri illius corpus, & deduci à clericis ad locũ profanum; & sepulturam communem cum bestiis. Vnde licet possit aliquis priuari pompa funebri ecclesiastica, quamuis non priuetur ecclesiastica sepultura, vt patet ex cap. *Super eo*, De raptoribus: nunquam tamen priuatur quis sepultura ecclesiastica, quin priuetur consequenter honore si pradicto. Specialiter etiam in cap. *Annalis* 2. & cap. *Sacris*, De sentent. excommunic. prohibetur Clericis accipere oblationes, & eleemosynas pro excommunicatis sine absolutione defunctis, & pro illis orationes ad Deum facere. Adde quòd hic habet locum ratio allata in priori conclusione ex cap. *Sacris*, De sepulturis: Quia scilicet quibus nõ communicamus viuis, non debemus communicare defunctis. Nam sepelire corpus defuncti cum officio funebri, & pompa ecclesiastica, est communicare cum illo. Qua de causa non solùm clericis, verùm etiam laicis prohibitum est hunc honorem illis exhibere comitando funus, aut procurando, vel deferendo ad sepulturam, vel assistendo sacrificio, & officio, si pro illo celebretur.

63. Intellige q non sint tolerati.

Dico tertiò, duas præcedentes assertiones esse intelligendas de excommunicatis non toleratis, saltem quoad prohibitionem Ecclesiæ: vt bene docent Nauarr. cap. 27. Manual. num. 137. Henriq. lib. 13. cap. 11. num. 3. Suar. disp. 12. sect. 4. num. 5. Coninck. disp. 14. dub. 8. num. 63. & sequentibus, Bonac. disp. 2. q. æst. 2. punct. 3. §. 3. propos. 2. Ratio est, quia post Cõcilium Constantiense non prohibet Ecclesia fidelibus communicationem nisi cum excommunicatis nominatim denunciatis, & cum manifestis clerici percussoribus; id est, cum non toleratis: & prohibitio sepulturæ Ecclesiasticæ, horum quæ funebris, non fit ipsi mortuo, qui iam est incapax præcepti, & prohibitionis: sed ipsis fidelibus, qui post Cõstantiense decretũ non prohibẽtur cõmunicare cum toleratis. Confirmatur, quia possumus iisdẽ communicare mortuis, quibus possumus cõmunicare viuis, argumento cap. *Sacris*, De sepulturis. Neque excipiendi sunt hæretici, nisi fuerint nominatim denunciati per sententiam: de quibus etiam solis loquitur cap. *Quicunque* De hæreticis in 6. sed illi non sunt modò tolerati.

64. Quid si tolleratus mortuus est impœnitens?

Dixi autem, *Saltem quoad prohibitionem Ecclesiæ*: quia licet fideles non peccent cõtra illam, post Constitutionem *Ad vitanda*: existimo tamen cum Aegidio Coninc, aliisque plurimis, cum qui sepelit in loco sacro excommunicatum, etiam toleratum, quem publicè constat mortuum esse impœnitentem, peccare contra reuerentiam loci, & contra finem ad quem institutus est. Ratio ex eodem est, quia prorsus dedecet terræ sacræ mandare eum, quem moraliter, & publicè constat esse damnatum; eiusque cadauer miscere cum fidelium reliquiis, quos probabiliter præsumimus in pace Christi requiescere, proque illis, vt talibus oramus. Cúmque locus sacer sit destinatus sepulturæ fideliũ, præcipuè vt fruantur suffragiis, & orationi-

bus, quæ in eo fiũt, vt ait S. August. in lib de cura pro mort. is agen da cap. 4. & seqq. sepelire talem in loco sacro, est in actu exercito significare dignum esse fidelium suffragiis, & ipsius Ecclesiæ solemniter pro defunctis orantis in funebri officio; posseque illis iuuari cum, quem moraliter, & publicè constat indignum esse, & incapacem talis auxilii. Quare debent Prælati, & pastores impedire, quoad fieri potest, ne tales fruantur sepultura ecclesiastica. Si tamen constet eorum aliquem ante mortem signa pœnitentiæ, potest illa donari licitè, & suffragiis Ecclesiæ iuuari: quia nequaquam iure diuino, neque ecclesiastico id prohibitum est. Imò etiam in dubio rationabiliter bene de illis præsumendum est, vitandaq; parentum, & proximorum infamia. Vellem tamen si fieri posset, prius illi absolutionem ab excommunicatione iuxta cap. *Asobis* 2. & cap. *Sicut*, supra citato.

65. Qui eos sepeliunt in loco sacro, excommunicantur.

Dico tertiò, eum qui sepelit in loco sacro excommunicatum vitandum, incurrere maiorem excõmunicationem, à qua nequit absolui, nisi priùs ad arbitriũ diœcesani Episcopi eis, quibus per id iniuria fuerit irrogata, satisfactionem exhibuerit competentem: vt dicitur in Clementina 1. De sepulturis, vbi eadem pœna statuitur contra sepelientem interdictos, vel manifestos vsurarios. Sed ad huiusmodi excommunicationem incurrendam, requiritur primo vt sepeliens sciat omnino talem mortuũ esse excommunicatum: nam ignorantia, etiam culpabilis, modò non fit crassa, & prorsus affectata, excusat: cùm in prafata Clementina dicatur, *Qui scienter præsumunt*. Item requiritur vt non metu graui ad hoc adigatur: quia Clementina sic ait: *Qui propriæ temeritatis audaciâ in cœmeteriis excommunicato publicè, aut nominatim, sciente sepelire præsumunt*. Quorum omnium verborum proprietas retinenda est, & pœna ad illam restringenda. Nomine tamen cœmeteriorum à fortiori comprehenditur Ecclesia: eodemque nomine intelligendus est omnis locus ad sepulturam Ecclesiasticam aptus, aut deputatus, vt dicemus inferiùs. Requiritur etiam vt excommunicatus ille, quem sepelit, in loco sacro, sit nominatim denunciatus, ob restrictionem antiquo iuri adhibitam à Concilio Constantiensi.

66. Quam incurrant illam excõmunicationem?

Addunt aliqui quos citat & sequitur Bonac. disp. 2. quæst. 2. punct. 3 §. 3 proposit. 3. requiri quartò, vt propriis manibus sepeliat excommunicatum; quia Clementina loquitur tantùm de sepelientibus, & strictè intelligenda est, cùm sit pœnalis, & odiosa. Quapropter, inquit, comitantes cadauer, vel cantantes, vel crucem portantes, vel foueam excauantes, vel mandantes, vel consulentes, non videntur sibi hac censura. Nam cẽsura lata cõtra facientes, nõ cõprehendit mandãtes, vel consulentes. Sed melius Suar. disp. 12. sect. 4. num. 10. Aegid. Con. disp. 14. dub. 8. num. 67. aliique plures affirmant aliam fuisse mentem legislatoris: quia alioqui lex frustra lata fuisset, esseque planè deluseri: cùm illi, qui propriis manibus sepeliunt, sint homines viles, & iuris ignari, putentq; licitum sibi esse id quod ab aliis præciputur, vel graui metu ad id compelli facilè possint, si velint reluctari: adeoque non incurrunt hanc excõmunic. excusante ignorantia, vel graui metu. Quare si ad nullum alium pertinet, neminem feriet. Censeo igitur comprehendere saltem procurantes, qui etiam verè faciunt moraliter id, quod per alium fieri iubent, aut curant, adeoque verè sepeliunt; non autem eos, qui solùm comitantur ad sepulcrum, aut funeri assistunt, neque vllo modo sepulturæ cooperantur: nam illi verè non sepeliunt. Quamuis Sylvest. v. *Excommunicatio* 9. num. 70. putet hos quoq; prædicta excommunicatione affici. Excusat etiam Suarez sect. cit. eos qui cantant, vel crucem, & luminaria deferunt: quia, inquit, illi reuera non sepeliunt proprie loquendo; atque etiam remotè tantùm cooperantes, vt fodientes sepulcrum duntaxat, deferentes corpus ad Ecclesiam, & consulentes, aut fauorem aliquem dantes: multóque magis nõ impedientes: quia isti proprie non possunt dici sepelire. Sed verius existimo comprehendi omnes positiuè saltem ita cooperantes sepulturæ, vt moraliter & vsitato loquendi modo dicantur verè sepelire: vt faciunt sine dubio, qui fodiunt sepulcrum, qui deferũt corpus ad Ecclesiam, vel cœmeteriũ vbi sepelitur, operamue suam ad sepeliendum præstant. Contrahunt etiam, quicunque assistunt, minorem excommunicationem, propter illicitam communicationem cum excõmunicatis vitandis, argumento cap. *Sicut*, *De sepulturis*, verbis illis, *Quibus non communicamus viuis, non communicamus defunctis*.

Illud autem axioma, cui præsipuè nititur contraria sententia Bonacinæ, supra relata, quòd videlicet Censura lata contra facientes, non comprehendit mandantes, vel consulentes; debet intelligi cum hac moderatione, nisi aliunde satis appareat intentio legislatoris, seu ferentis censuram: vt fit si alioqui lex aut statutum reddatur inefficax & ferè inutile. Præsertim verò si iuxta communem loquendi modum vox *faciens*, in tali materia soleat etiam mandantes, & aliis modis cooperantes, comprehendere.

67. Item qui sepelit hæreticum in loco sacro.

Nota præterea eandem excommunicationem maiorem latam esse contra eos, qui hæreticos, vel fautores illorum scienter tradere præsumũt sepulturæ Ecclesiasticæ, can. *Qui vnquc* De hæreticis in 6. Quæ pœna, sicut prior, & cum iisdem limitationibus explicanda est, quia iura vtrobique simili modo loquuntur. Verba capitis citati sunt: *Quicunque hæreticos, credentes, receptores, defensores, vel fautores eorum, scienter præsumpserint eos ecclesiasticæ tradere sepulturæ, usque ad satisfactionem idoneam, excommunicationis sententiæ se nouerint subiacere*. Additurque ad maiorem detestationem hæresis: *nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publicè*.

extumulent, & proiiciant huiusmodi corpora damnatorum. Et locus ille perpetuâ careat sepulturâ: id est, non possit reconciliari, neque ampliùs seruire sepulturæ fidelium. Quod cum Suare, & Aegid. Con. supra citatis intelligendum puto de loco adæquato, & præcisio, in quo fuit sepultus hæreticus; non de toto cœmeterio, Ecclesia, vel alio loco sacro: quia magnum alioqui damnum, & incommodum incurreret Ecclesia: & pœnę restringendæ sunt.

68. Quid si alibi cũ ceremoniis ecclesiast.

Eademque de causa, cùm iura citata loquantur de sepultura ecclesiastica, id est, in loco sacro, non puto incurri hanc Excommunicationem à sepelientibus extra locum sacrum, quamuis adhibitis cerimoniis ecclesiasticis. Quia pœnæ sũt strictè, & benignius interpretandæ: neque illa est propriè, saltem completè, & perfectè sepultura ecclesiastica: censuræ autem non incurruntur, nisi propter actum perfectum, & completum, quem prohibent; nisi ius, aut sententia aliud exprimat. Item qui prædictam maiorem excõmunicationem incurrunt, non simul incidũt in minorem, communem omnibus illicitè communicantibus cum excommunicatis vitandis: quia noluit Ecclesia in iuribus prædictis censuras multiplicare, sed minorem in maiorem conuertere. Debet enim id præsumi, cum aliud ipsa non exprimat, & pœnæ debeant restringi potiùs, quàm ampliari. Falluntur etiam qui putant clericos exhibẽtes excõmunicato vitando honorem funebrem, fieri irregulares cap. *Super eo*, De raptoribus. Nam ibi solùm, & specialiter statuitur de raptoribus, seu violatoribus Ecclesiarum, vt clerici, qui eorum sepulturæ interesse, vel eorum eleemosynas accipere attentauerint, seu huiusmodi rapinæ participes inuenti fuerint, ordinis sui damnum irrecuperabiliter patiantur, & ecclesiastico beneficio careant. Quæ pœna non est propriè irregularitas, sed depositio, vel suspensio perpetua, & priuatio Beneficii per Episcopum imponenda, & exequenda: quodque in huius criminis detestationem specialiter statutum fuit, non debet ad casum præsentem, & vllos alios extendi.

69. Quis dicatur esse locus sacer?

Quæres quid nomine loci sacri, in quo prohibetur sepeliri excommunicatos, intelligendum sit? Respondeo cum Suare disp. cit. sect. 4. num. 6. & aliis communiter, intelligi debere primò cœmeterium, id est, locum extra ecclesiam, qui plerumque est illi contiguus, interdum verò aliquantum diffitus, quique solet ab Episcopo esse benedictus, & ad sepulturam fidelium est omnino deputatus. De quo iura supra citata expressam mentionem faciunt. Secundò & à fortiori debet eodem nomine intelligi Ecclesia, cuius cœmeterium est tantummodo accessorium. Tertiò, locus omnis, in quo Missæ sacrificium celebrari consueuit, quamuis alioqui neque consecratus ab Episcopo, neque benedictus sit: quia sacratur quodammodo ipsa celebratione Missæ, iuxta caput *Ecclesia, De immunitate Ecclesiarum*. Quartò, Debet etiã eo nomine intelligi omnis locus ab Episcopo deputatus, vel ex consuetudine Ecclesiastica destinatus ad hoc, vt corpora fidelium ibi sepeliantur, vel officia diuina celebrentur; quamuis alioqui non sit benedictus, aut sacratus: quia eo ipso fit sacer & veneratione dignus, auctoritate ecclesiastica deputante illum expressè, vel tacitè saltem, quatenus consentit, & approbat consuetudinem.

70. Quid si in loco vicino?

Non tamen verum est quod aliqui addũt, idem sentiendum esse de locis, quę sunt templis, aut cœmeteriis vicina: propterea quòd in cap. *Sacris, de sepulturis*, dicitur corpus excommunicati sepulti in cœmeterio, esse exhumandum, & procul à sepultura ecclesiastica iactandum. Quę particula, *procul*, longam aliquam distantiã significat, tantam scilicet, vt ex eo loco fideles videri nequeant, neque eorum cantus audiri, quando celebrant diuina officia, vel mortuos suos sepeliunt. Verius enim existimo cum Suare supra num. 7. particulam *procul*, ibinõ aliud significare, quàm extra locum sacrum; vt cùm olim clamabant Ethnicorum sacerdotes in suis sacrificiis, *Procul este profani*, iubẽtes dumtaxat vt templo excederent: & adhibitam esse potiùs ad indicandam seueritatem, rigoremque præcepti, quàm ad designandam notabilem loci distantiam. Quapropter qui in via cœmeterio, vel Ecclesiæ vicina sepeliret excommunicatum, vel in alio loco profano, licet immediatè propinquo, non incurreret hanc excommunicationem. Expedit tamen aliunde non permittere, vt hæretici locum suæ sepulturæ designent iuxta Ecclesias, vel cœmeteria, aliaque loca sacra catholicorum; sed longiùs quàm vt scandalo possint esse fidelibus.

SECTIO VII.

De sexto effectu Excommunicationis, qui est inhabilitas ad Beneficia ecclesiastica.

71. Beneficium non confertur validè excommunicato.

CErtum est excommunicatum esse inhabilem ad acquirenda beneficia ecclesiastica, ita vt collatio ei facta in statu excommunicationis, sit omnino inualida. Ita enim tenent constanter, & vnanimiter Doctores Scholastici in 4. dist. 18. & Canonistæ in cap. *Postulastis, De clerico excommunicato ministrante*, quos è recentioribus sequuntur Couarr. in cap. *Alma mater*, part. 1. §. 7. Nauar. c. 27. Manual. num. 21. Suar. disp. 13. sect. 1. num. 2. Coninc. disp. 14. dub. 9. Laym. lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 2. num. 7. Bonac. disp. 1. q. 2. punct. 4. §. 1. proposit. 1. Et habetur expressè in capite *Postulastis*, supra cit. vbi Innocentius III. disertè affirmat clericis excommunicationis vinculo innodatis ecclesiastica Beneficia conferri non posse, nec illos valere ea retinere licite, nisi forsitan cum eis fuerit misericorditer dispensatum;

cum ea non fuerint canonicè consecuti. Et rationem huius rei hanc reddit, eo quod cum excommunicatis communicari non debeat. Addit denique hanc pœnam contra eos, qui scienter Beneficia ecclesiastica talibus contulerint, vt tandiu debeant à Beneficiorum collatione suspendi, donec super hoc veniam consequi mereantur: vt puniantur in hoc, in quo delinquere præsumpserunt.

72. Etiamsi tolerato.

Circa quæ nota 1. hanc Constitutionem habere locum in excommunicatis etiam tolleratis: vt bene aduertunt Suar. sect. cit. n. 25. Coninc. supra num. 70. Bonac. num. 1. Laym. num. 7. & alii communiter. Quia per Extrauagantem *Ad vitanda*, non fit directè fauor excommunicatis. Magnus autem fieret, si per illam redderentur habiles ad acquirenda Beneficia ecclesiastica. Nota secundò non obstare quòd excommunicatus ignoret se talem esse, aut bona fide putet se esse absolutum, cùm non sit. Hoc enim eum quidem excusat à culpa: sed non facit, vt collatio beneficii sit valida: quia ignorantia non dat valorem actui aliunde inualido: neque reddit habilem ad aliquem actum, eum, qui aliũde est inhabilis, & illius incapax. Quam sententiam communẽ esse Doctorum aiunt Couarr. sup. num. 3. & Rebuff. in cap. *Possulasti*, num. 62. Nota tertiò, collationem Beneficii factam excommunicato esse irritam, & nullam, vt clarè significant verba illa capitis citati, *Clericis excommunicationis vinculo innodatis ecclesiastica Beneficia conferri non possunt, neque illi valent ea retinere inuitè, nisi forsitan cum eis fuerit misericorditer dispensatum, iam ea non fuerint canonicè consecuti.* Quæ verba clarè sonant eos non fecisse sua, Beneficia ecclesiastica ipsis collata: quippe quæ *ipsis conferri non possunt*, & ea non fuerunt *canonice consecuti*, nec illa possunt *retinere* licitè, etiam post absolutionem ab excommunicatione, sine dispensatione, id est, noua collatione, vt dicam paulò post. Ex quo sequitur nec fructus etiam Beneficii facere suos, sed teneri ad illos restituendos, & quidem omnes, & integros, nisi ipsi, accepto bona fide Beneficio, illi seruierint: tunc enim possunt licitè retinere, quidquid ad congruã ipsorum sustentationem necessarium fuit; quia id debetur pro ministerio exhibito: atque etiam si quid vlteriùs bona fide consumpserunt, neque inde facti sunt ditiores: quia non tenentur id restituere, neque ratione iniustæ acceptionis, cum bona fide acceperint, putantes suum esse: neque ratione rei acceptæ, quia non extat in seipsa, vel in alia eius loco manente. Si tamẽ excommunicatus per nouam collationem obtineat idem Beneficium, postquam absolutus fuerit, poterit fructus perceptos retinere; quia Beneficium eo vsque vacauit, & fructus debentur ei qui primus illius possessionem legitimè obtinebit. An verò etiam excommunicatus iuuari possit regula triennalis possessionis pacificæ ad Beneficium retinendum, eiusque fructus, patet ex iis, quæ de illa diximus tom. 3. disp. 34. sect. 8. Nota denique hanc inhabilitatem intelligendam esse ad quæcunque Beneficia ecclesiastica, excepto summo Pontificatu. Tum quia caput citatum loquitur generaliter, dicens Beneficia ecclesiastica non posse conferri excommunicatis. Tum etiam quia ratio quam affert, generalis est, & communis omnibus, eò quòd, inquit, cum excõmunicatis communicari non debeat. Assumptio autẽ ad quodcũq; Beneficium ecclesiasticum, est quædam communicatio ecclesiastica, & eò maior, quò Beneficium est maius, quoad officium, & habens curam animarum; vt Episcopatus, vel Patriarchatus. Excepto tamen summo Pontificatu: nam summus Pontifex & suprema dignitas Ecclesiæ, non subest censuris.

Tenetur fructus restituere.

73. An etiam fructus beneficii ante acceptos?

His præmissis, quæritur primò sitne idem sentiendum de Beneficiis acceptis, & possessis ante excõmunicationem; ita vt excommunicatus priuetur illis, & eorum fructibus? Respondeo negatiuè. Nam quòd excommunicatio non priuet Beneficiis antea obtentis legitimè, communis est Doctorum sententia, propterea quòd nullibi in iure Canonico talis pœna statuitur, sed potiùs cõtrarium supponitur pluribus locis. Vt in cap. *Pastoralis*, §. *Verum*, *De appellationibus*, & aliis, quæ priuant, aut potiùs priuari iubent excommunicatum fructibus sui Beneficii: supponendo videlicet manere adhuc illius dominũ, suosque fructus facere, & posse retinere, nisi illis priuetur; & in cap. *Contingit*, De dolo, & cõtumacia, cum Glossis vltimis ibidem vbi (luboscurè tamẽ) iubetur excommunicatus pro crimine, priuari Beneficiis, propter niniam contumaciam, seu perseuerantiam in excommunicatione; vt notauit Siluest. V. *Excommunicatio* 3. num. 1. §. 9. in fine, citans in eandem sententiam caput *Rursus*, 11. quæst. 3.

74. Respondetur negatiuè.

Quod etiam neque ipsis fructibus priuet excommunicatio docent nobiscum Petrus Nauar. lib. 2. de restit. cap. 2. n. 238. Sanch. lib. 3. De Matrim. disp. 51. num. 12. Auila part. 2. disp. 6. dub. 1. concluf. 2. Coninc. disp. 14. dub. 9. num. 81. Laym. lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 2. num. 9. & alii affirmantes excommunicatum posse licitè retinere fructus sui beneficii, dummodo per se, vel per alium inseruiat: Et si non inseruiat, teneri ad restitutionem eodem modo, quo alius teneretur. Ratio præcipua est, quia tam grauis pœna non est admittenda nisi certò probetur fuisse ab Ecclesia statutam. Nulla autem profertur Ecclesiæ lex aut Constitutio super ea re, nisi caput *Pastoralis*, supra citatũ, quod non satis illam probat, imò potiùs nobis fauet, vt videbimus paulò post. Confirmatur, quia vt rectè ait Aegid. supra, excommunicatio immediatè & per se non priuat, nisi communicatione fidelium: aliis verò non nisi consequenter, quatenus cõtinent aliquam communicationem. Ergo non priuat iure percipiendi fructus Beneficii, quod potest facilè retineri absq; vlla cõmunicatione cum

fidelibus. Imò etiam possunt percipi fructus ipsi citra vllam communicationem prohibitam: æque ac fructus agrorum, & prædiorum titulo merè temporali debiti, quibus priuari excommunicatum nemo affirmat. Ergo vt excommunicatus priuaretur fructibus sui Beneficii, opus esset addi excommunicationi hanc pœnam per Canonem, aut statutum, vel sententiam. Deberet ergo proferri ab aduersariis: quod non fit.

75. Contraria sententia.

Contrarium docent Rebuff. in forma nouæ prouisionis, v. *Teque absoluentes*, n. 18. Nauarrus cap. 25. Manual. num. 124. Panormit. in caput *Pastoralis*, paulò post citandum, Couarr. lib. 3. Variar. resolut. cap. 13. n. 12. Innoc. in cap. 1. *De iudiciis*, quos refert, & sequitur Suar. disput. 13. sect. 2. n. 4. Fundamentum illorum est caput *Pastoralis*, §. *Verum*, De appellation. in cuius fine dicitur, *Illi prouentus ecclesiasticos meritò subtrahi, cui Ecclesiæ communio denegatur.* Additurque paulò antea, hunc effectum non impediri per appellationem interpositam ante denunciationem, eò quòd excomunicatio secum trahat executionem. Quibus postremis verbis significat Pontifex hunc effectum esse generalem, & communem omni excommunicationi: non autem duntaxat proprium, & peculiarem illius, quæ feratur per sententiam, in qua expresè cõtineatur priuatio fructuũ Beneficii incurrenda ipso facto, & declaratio illius priuationis: tum quia de huiusmodi sententia nullus in textu sermo est, sed simpliciter de illo, in quem excõmunicationis sententia lata est: tum etiam, quia alioquin ille non esset effectus excommunicationis, vt Pontifex supponit verbis illis, *Cum executionem excommunicatio secum trahat*, inde concludens hunc effectum non suspendi per appellationem ab excommunicatione: sed esset effectus alterius clausulæ additæ in sententia: siue, esset alia pœna concomitanter imposita cum excommunicatione: sicut quando hæreticus excomunicatus priuatur bonis per eandem sententiam, vel legem; priuatio bonorum non est effectus excommunicat. sed alia pœna adiuncta, sine qua posset esse excõmunicatio. Cõfirmatur quia Pontifex illa duo æquiparat, priuationem communionis Ecclesiæ, & priuationem prouentuum ecclesiasticorum. Prior autem priuatio incurritur ipso facto: ergo & posterior: & quoad vtramque ipsa sententia excommunicationis secum fert executionem. Item si excommunicatio tantùm faceret dignum priuatione fructuum, suspenderetur priuatio per interpositam appellationem: quia id solùm non suspẽditur, quod per ipsam excommunicationem fit; vt patet ex ratione illius textus. Deniq; verbum, *Subtrahuntur*, significat priuationem incurri ipso facto: idemq; indicat prima pars illius textus interrogãdo proposita, an interposita appellatione post latam excõmunicationis sententiam, possit iudex denunciare excommunicatum, & ad tempus beneficiis ecclesiasticis spoliare. Respõdet enim Põtifex affirmatiuè ad vtrũq; sentiens eandem esse vtriuq; rationem. Ergo sicut denunciatio non est noua pœna, & ideo mandatur executioni non obstante appellatione; ita priuatio fructuum non est noua pœna, quæ iam in re non sit facta per ipsam excommunicationem. Hæc Suar. loco suprà citato.

76. Sanatur præcipuo illius fundamẽto.

Ad quæ respondeo primò, verba ipsa Põtificis satis clarè ostendere ipsum loqui non de priuatione quæ incurratur ipso facto, sed de spoliatione facienda per iudicẽ. Nam, vt rectè expendit Aegid. supra, num. 82. qui Pontificem interrogauerat, aperrè supponebat excommunicatum non esse priuatum ipso facto, sed priuandũ: alioqui non debuisset interrogare an posset priuari non obstante appellatione: sed an deberet manere priuatus: præsertim cùm ibi sermo sit non de fructibus iam perceptis, sed de percipiendis, & de iure ipso percipiendi, quo non priuamur per externam aliquã executionẽ iudicis, sed per ipsum ius, aut iudicis sententiam. Quare vel Pontifex non respondet quæstioni propositę, quod absurdum est existimare; vel loquitur de subtractione facienda per iudicẽ, vt poenâ adiunctâ excommunicationi. Et quidem Pontifex satis manifestè illam distinguit ab excommunicatione, velut effectum à causa, quando dicit, *Illi prouentus ecclesiasticos meritò subtrahi, cui Ecclesiæ communio denegatur*: non obscurè insinuans excommunicationem esse causam, cur prouentus subtrahantur. Quare textus ille nobis potiùs fauet, quàm contrariæ sententiæ; solúmque docet (quod verùm esse fatemur) excommunicatum dignum esse, cui fructus Beneficii subtrahantur, posseque meritò subtrahi per sententiam, & executionem iudicis, non obstante appellatione à denunciatione excommunicationis.

77. Soluuntur alia eius argumẽta.

Deinde ad primum argumentum à Suare propositum Respõdeo Pontificem, quando dicit in fine capitis, *excõmunicato meritò subtrahi prouentus ecclesiasticos*, non reddere hanc rationem, *quia excommunicatio secum trahit executionem*: sed quia *illi communio Ecclesiæ denegatur*, ideoque merito priuatur fructibus Beneficii: significans hæc duo distingui, & hanc priuationem non includi in ipsa excommunicatione, quæ secum defert executionem: sed esse poenam illi meritoriè adiungendam. Et hoc quidem generale est, & commune omni excommunicationi, quòd illam poenam mereatur, estq; eatenus illius effectus: non tamen incurritur sine sententia iudicis, vi cuius reipsa imponatur. Ad secundum, siue ad confirmationem eiusdem argumenti, Respõdeo Pontificem hæc duo æquiparare, priuationem scilicet cõmunionis ecclesiasticæ, & priuationẽ prouentuum ecclesiasticorum, vel potius ea comparare inter se, non vt necessariò, & inseparabiliter coniuncta; sed solùm quatenus priuatio communionis est causa sufficiens cur priuatio fructuum possit infligi

non

non obstante appellatione.

Ad tertium dico hunc effectum non impediri per interpositam appellationẽ à denunciatione: quia posita validitate excommunicationis, clarum est excommunicatum posse meritò priuari fructibus, velut Ecclesiæ contumacem; ideóque non potest appellari præcisè ab hac priuatione; neque potest ipsa retardari per appellationem, vt Pontifex ibi declarat. Quod totum verum est, licet excommunicatio non secum trahat executionem priuationis fructuum. Ad quartum respondeo verbum, *Subtrahuntur*, significare tantùm hoc loco æquitatem sententiæ iudicis, quem Pontifex dicit meritò subtrahere prouentus ecclesiasticos ei, cui denegatur Ecclesiæ communio per excommunicationem. Nego autem Pontificem eodem modo respondisse ad vtrumque & existimasse eandem esse vtriusque rationem, denunciationis scilicet, & priuationis fructuum. Nam de denunciatione quidem dicit eam non impediri per appellationem, eò quòd excommunicatio secum defert executionem: De priuatione autem fructuum non idem dicit, sed aliam affert rationem: *quia*, inquit, *illi meritò prouentus ecclesiastici subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur.* Non dicit, *inquam*, priuari excommunicatum prouentibus ecclesiasticis ipso facto, vi ipsius excommunicationis, eò quòd excommunicatio secum defert executionem: sed quia dignus est, vt illis spolietur, quandoquidem priuatus est communione Ecclesiæ.

79. Pẽsio multiplex.

Quæritur secundò, vtrum Pensio ecclesiastica validè conferatur excommunicato? Respondeo cum distinctione. Multa enim sunt pensionum genera: quarum aliquæ possunt valide conferri excõmunicato, aliæ non. Vna est perpetua, quæ datur in titulum Beneficii, & fortassis idem est, quod Præstimoniũ: quando scilicet de pingui aliquo Beneficio pars vna extrahitur, nõ in commodum alicuius, & ad tempus; sed vt deinceps conferatur in perpetuum, veluti Beneficium ecclesiasticum: & hæc pensio non potest validè conferri excommunicato, quia est propriè Beneficium ecclesiasticum, illoque nomine intelligi solet, vt rectè docent Abbas, & alii Canonistæ in caput *Conquerente*, De cleric. non resid. & Couarr. in pract. quæst. c. 36. num. 10. in fine. Altera pensio est temporalis: & hæc non est propriè Beneficium, de cuius ratione est, vt sit perpetuum. Subdiuiditur autem in Laicam, & Clericalẽ. Prior est illa quæ datur titulo merè temporali: putà propter officium Ecclesiæ præstitũ in bello gerẽdo pro ipsius libertate, aut pro recuperatione terræ sanctæ. Posterior est, quæ datur vel propter aliquod officiũ ecclesiasticũ, vt quãdo datur pensio Coadiutori Episcopi, vel adiutori Parochi, vel propter munus cõcionandi: aut saltem fundatur in aliquo officio ecclesiastico, vel iure ad illud: vt quando statuitur pẽsio Parochi seni, intuitu seruitii præteriti: vel quando Beneficium permutatur, aut resignatur retenta pensione: aut quãdo componitur lis orta super collatione Beneficii, constituta pensione vni litigantium, pro dubio iure ipsius.

80. Pẽsio temporalis potest dari excommunicato secundum aliquos.

Hoc præsuppositio, sunt qui existiment omnes huiusmodi pensiones tẽporales posse validè cõstitui excõmunicato. Quorum sententiam esse probabilem affirmat Auila part. 2. cap. 6. disp. 5. dub. 5. concluſ. 2. Ratio præcipua illorum est, quia iura tantùm irritant collationem Beneficii factam excommunicato. Huiusmodi autem pensiones non sunt Beneficium, quippe de cuius essentia est perpetuitas, seu ius perpetuum recipiendi fructus, vt paulò ante diximus, & à nemine negatur. Fatentur quoq; omnes in odiis, & in legibus pœnalibus debere verba legis strictè sumi, & in sensu proprio, non autem ampliari, vt etiam dicitur *De regulis iuris in 6.* & confirmatur ex declaratione Congregationis Cardinalium super Tridentinum sess. 14. cap. 7. De reformatione, vbi super illa verba, *Quisua voluntate homicidium perpetrauerit &c. nullo tempore ad sacros Ordines promoueri possit: nec illi aliqua ecclesiastica Beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, õferre liceat, sed omni Ordine, ac Beneficio ecclesiastico perpetuò careat*: affirmat *incapacitatẽ homicidæ ad Beneficia non esse extendendam ad pensiones*: quia scilicet non sunt Beneficia.

81. Alia sẽtẽtia negans.

Alii è contrario docent omnes huiusmodi pensiones inualidè conferri excõmunicato. In quam sententiam inclinat Couarr. cap. *Alma mater*, 1. part. §. 7. n. 2. & omnino eam tenet Hieronymus Gigas quæst. 14. de Pensionibus. Fundamentum illorum est, quia licet pensiones istæ tẽporales non sint Beneficia; sunt tamẽ reditus ecclesiastici, quorum incapaces esse excõmunicatos docet stylus curiæ Romanę. Nam quotiescũq; pensio aliqua cõceditur à summo Pontifice, præmittitur in Literis absolutio ab omni excommunicatione ad hunc effectum. Eidemq; sententiæ videtur accedere Suarez disp. 13. sect. 1. n. 9. nã rationes, quibus vtitur sunt generales, & de omnibus probãt, vel de nulla. Summa illarũ est, quia assignatio pensionis, illiusque receptio, est quædã cõmunicatio cum excõmunicato, & quidẽ ecclesiastica, & spiritualis; bona enim illa sunt per quandã relationẽ moralem quid spirituale, quatenus sunt bona Ecclesiæ. Atqui omnis cõmunicatio spiritualis cum excõmunicatis est prohibita, & illicita: & in hac materia collario illicita est etiam nulla, iuxta cap. *Pastulastis*, De clerico excommunicato ministrante, vbi Innocentius III. respondet Beneficia ecclesiastica non posse cõferri excommunicatis, eò quòd cum illis communicari non debeat.

82. Tertia sententia media.

Alii tertiò distinctione vtũtur. Et Pensionem quidem merè laicam dicunt validè cõferri posse excõmunicato: quia nullo modo est Beneficium, neque ad illius naturam accedit: sed potiùs merces quædam est, seu stipendium obsequiorũ Ecclesiæ præstitorum: secus verò pẽsionem clericalẽ, illam saltem,

quædetur propter aliquod spirituale ministerium, siue officium exhibendum: quia cùm excommunicatus non possit hoc officiũ præstare: ita neque pensionem propter illud præstandum accipere. De illa verò quæ datur titulo spirituali sine obligatione ad officium aliquod spirituale, putà Parocho seni, vel resignanti Beneficiũ, dicunt aliqui idem sentiendum esse: quia nonnihil affinitatis habet cum Beneficio ecclesiastico, iisdemq; fere modis, quibus Beneficiũ, amitti solet, vt docent Garcias de Benef. parte 1. cap. 5. n. 106. & Flaminius Parisius de Resign. Benefic. lib. 3. q. 1. n. 13. Adde quòd vbi constitutio Pij V. recepta est, omnis pẽsio clericalis habet ratione Beneficii: obligat enim ad recitandum parium officium Beatæ Virginis. Sed hæc postrema pars huius sententiæ non leuem patitur difficultatem. Tum quia de illis saltem pensionibus postremo loco memoratis debet intelligi declaratio Cardinalium supra relata; quippe quæ de pensionibus datis propter officium intelligi nequit. Tum etiã quia pensiones istæ nõ habent vllo modo ratione Beneficii ecclesiastici; neq; enim conferuntur propter diuinum officium exhibendum, sed planè alio titulo. Obligatio verò imposita à Pio V. iungitur illis tanquã onus respectu illorum qui non recitant maius officium, non autẽ velut causa propter quam detur pensio: neq; Excommunicatio impedit, quò minùs officium B. Virginis recitare possint, & debeant.

83. Ex his tribus sententiis prima firmioribus rationibus niti mihi videtur, & magis cohærere cum principiis generalibus de modo interpretandi leges pœnales. Quia tamẽ paucorum est, & in huiusmodi rebus moralibus præstat opiniones communiores amplecti; censeo postremã sententiã cum hac moderatione intellectã, cæteris præferendã esse, quã inter recentiores sequitur Laym. lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 2. n. 8. Ad primũ verò argumentũ primæ sententiæ, quatenus nobis aduersatur, respondeo pensionẽ clericalẽ datam propter Officiũ aliquod diuinũ exequẽdũ, tametsi non est propriè Beneficiũ, naturã tamen illius sequi, quia proximè ad illud accedit, nihilq; præter perpetuitatẽ illi deest, & aliunde nõ minorẽ importat cõmunicationẽ cũ fidelibus, quæ est præcipua ratio, cur Ecclesia statuit excõmunicatos esse incapaces acquirendi Beneficii. Quare nõ immeritò cẽsetur à Doctorib. cõmuniter eiusmodi pensiones cõprehendi in cap. *Postulastis*, sup. cit. irritante collationẽ Beneficii factã excommunicato Ad secundũ dico, verba legis pœnalis nõ debere strictiùs sumi, quàm recta ratio patitur, & præsertim quãdo ratio illa exprimitur in ipsa lege, sicut exprimitur in cap. cit. Ad confirmationẽ, respõdeo. Declarationẽ Cardin. intelligendã esse de pẽsionibus in solo titulo spirituali fundatis, quæ nullo modo accedunt ad naturam Beneficii.

Resolutio quæstionis.

Soluuntur argumenta primæ sententiæ.

84. Ad prius fundamentum secundæ sententiæ dico clausulã absolutionis apponi literis constituentibus Pensionẽ quamlibet clericalem, non propterea quòd non possit vlla cõferri excõmunicato; sed quoniam alioqui rescriptum illud à sede Apostolica impetratum, foret nullum, iuxta ea quæ dicemus sect. sequenti. Ad alterum argumentum à Suare propositum. Respondeo primò, communicationem illam, esto per se illicitam, posse tamen licitam fieri multis de causis, putà ob necessitatem Parochi senis indigentis, vel propter bonũ pacis inter litigantes cum scandalo, vel magno grauamine, aut propter necessitatẽ fidelium indigentiũ tali ministro Ecclesiæ. Secundò cõmunicationẽ, quamuis illicitã, non reddere constitutio ẽ pensionis inualidam per se loquendo, & ex natura rei: quia multa fiunt illicitè, quæ tamen facta tenent: neq; etiã iure positiuo a quia caput *Postulastis*, citatũ à Suare, non debet extendi ad ea, quæ nullo modo habent rationẽ Beneficii: neq; sola paritas rationis sufficit ad extendendas pœnas, solo iure positiuo latas, vt Suares ipse ibid. fatetur cum omnibus. Reliqua pro tertia opinione adducta vel nobis fauent, vel ex dictis soluta sunt.

Satisfit argumentis secundæ.

85. Quæritur tertiò, quid nomine collationis intelligendũ sit, quando dicitur collationem Beneficii factã excommunicato esse irritã. Respõdeo, eo nomine cõprehendi quoq; electionẽ, & præsentationẽ, seu nominationẽ: quia cùm ordinentur proximè ad collationẽ, æquè nullæ sunt, atq; ipsa collatio. Qui enim est incapax alicuius Beneficii, consequẽter ex natura rei est inhabilis vt ad illud eligatur, nominetur, aut præsentetur. Atq; ita cẽsent cõmuniter Doctores, vt videre est apud Suarẽ sect. citata, qui ex eo rectè infert primò, resignationẽ Beneficii factã in fauorem excõmunicati esse nullã: siue simpliciter fiat, siue per modum permutationis. Quia per resignationẽ, vel permutationẽ validam, acquiritur nouũ ius ad Beneficiũ. Excõmunicatus autẽ est incapax acquirendi Beneficiũ ecclesiast. aut ius ad illud. Secũdò, impetrationẽ Benefi. factã ab excõmunicato esse inualidã: quia cũ excõmunicatus sit inhabilis ad Beneficiũ obtinẽdũ, est quoq; inhabilis ad illud impetrandũ. Tertiò collationẽ Beneficii factã excõmunicato, non modo à Prælatis inferioribus, sed & ab ipso summo Põtifice, etiã motu proprio, esse nullam, quãdo Pontifex ignorat esse excõmun. nisi per clausulam apponi solitam illum absoluat ad hunc effectum, vt cõmuniter fieri solet. Exceptis tamen duobus casibus, in quibus huiusmodi absolutio generalis non prodest, vt rectè docet Bonac. qua sect. cit. §. 1. propos. 2. n. 6. post plures alios ab eo relatos. Vnus est, excommunicationis ob hæresim contractæ, à qua non præsumitur velle Pontifex absoluere causã incognitã, quamuis in clausula dicatur, *Ab omnibus censuris*. Nã in concessione generali non veniunt ea, quæ superior non esset in specie verisimiliter concessurus, si specialiter peterentur,

Quid intelligendũ nomine collationis Beneficii.

Digitized by Google

De regulis Iuris in 6. Alter est, excommunicationis, in qua aliquis incurrit per annum. Cùm enim ille sit de fide suspectus, iuxta Trident. sess. 25. cap. 3. de Reformat. de illo, vt de hæretico iudicandum est, Pontificem scilicet non eum includere clausula generali. Quartò denique, sequitur ex dictis omnes actus iurisdictionis collatæ vi Officii, seu Beneficii ecclesiastici, inualidè fieri ab eo, qui illud obtinuit in statu excommunicationis. Ratio est, quia talis caret iurisdictione, quæ non datur sine tali Officio, vel Beneficio, cui annexa est. Excipitur tamen, quando aliquis habet titulum coloratum, & communi errore creditur habere legitimè Beneficium, adeóque iurisdictionem. Tunc enim Ius supplet illum defectum, iuxta legem *Barbarius*, ff. De officio Prætoris.

86. Reualidetur ne collatio per absolutionem ab excom.

Quæritur quartò, vtrum quando alicui excommunicato collatum fuit Beneficium, hæc collatio reualidetur postea per absolutionem ab excommunicatione, ita vt noua collatione opus non sit, sed sufficiat tunc illud acceptare? Respondeo negativè cum Nauarro, & Panormit. quos citat & sequitur Less. lib. 2. de Iustitia cap. 34. dub. 22. n. 119. Conin. disp. 14. dub. 9. n. 73. Bonac. disp. 2. q. 2. punct. 4. §. 1. propos. 3. n. 10. & aliis communiter, qui affirmant opus esse noua collatione, neque quemquam posse cum illo dispensare, vt Beneficium retineat post absolutionem, præter eum, ad quem pertinet eiusdem Beneficij collatio, id est, qui adhuc habet ius illud conferendi. Ratio est, quia collatio Beneficij ecclesiastici facta excommunicato, est irrita, vt pote facta inhabili, quemadmodum patet ex dictis quæst. 1. Actus autem irritus perinde est, ac si non esset: &, Non firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit, *De regulis iuris in 6.* Ac sicut matrimonium irritũ ab initio, non fit validum sine nouo consensu de præsenti, per verba vel alia signa expresso: ita neq; collatio ab initio irrita, fit valida sine nouo consensu conferentis exteriùs significato: quippe cuius consensus non minùs est necessarius ad valorem tituli Beneficij; quàm consensus contrahentium ad valorem Matrimonii. Confirmatur, quia alioquin effectus iste excommunicationis frustraneus esset, & delusorius: facilè enim quilibet excommunicatus differret acceptare donec absolueretur, & nunquam collatio per se, & præcisè foret inualida, sed tantùm acceptatio facta ab excõmunicato; collatio verò consequenter tantùm, defectu acceptationis, perinde ac si fieret nolenti acceptare. Inhabilitas, inquã, inducta per excõmunicationem non esset respectu collationis, sed tantùm respectu acceptationis. Quod est falsum. Nam iura potiùs irritant directè ipsam collationem: vt videre est cap. *Postulasti*, de Cleric. excommin. ministr. verbis illis, *Clericis excommunicationis vinculo innodatis Ecclesiast. beneficia cõferri nõ possunt.*

87. Soluitur obiectio.

Dices, voluntatem conferentis Beneficiũ virtualiter, & moraliter perseuerare, donec reuocetur. Ergo si non reuocat priusquam alter absoluatur, censetur adhuc velle illi conferre. Ergo validè confert, dummodo iste absoluatur, & accepter. Quia cùm sit voluntas efficax, operatur sublato impedimento. Respondeo, voluntatem illam non esse verè collationẽ Beneficii, neq; vllo modo esse efficacem, cùm sit circa subiectum incapax, sitque irrita, & nulla moraliter, siue perinde ac si non esset. Quare licet non retractetur, nihil efficiet posita absolutione: neque vi illius solius poterit validè acceptari, & retineri Beneficium; sed erit opus nouo actu voluntatis collatoris, & externa illius manifestatione, procedente ab illo actu valido. Nam in donationibus, & aliis cõtractibus seu pactis humanis, sola voluntas interior non sufficit, nisi exteriùs manifestetur, estque signum illud externum de essentia contractus humani, vt talis. Quemadmodum in exemplo Matrimonii suprà allato non sufficit manere moraliter voluntatem contrahentium, id est, non reuocari, donec tollatur impedimentum irritans: sed quia voluntas illa fuit ab initio irrita & nulla, necessarium est vt denuo consentiant, suumque consensum verbis, aut alio signo sufficienti manifestent: signo, inquã, procedente ex actu voluntatis legitimo, & valido; & constituente cum illo contractum humanum validum, & legitimum.

88. Vtrum excommunic. validè accepet Beneficium prius sibi collatum,

Quæritur quintò, vtrum ille, cui ante suã excommunicationem collatum fuit Beneficiũ ecclesiasticum, postea excommunicatus validè illud acceptet? Affirmant Vgolinus, Couarr. Gomez, Azor, Auila, & plures alii, quos refert, & sequitur Bonacina part. 1. supra cit. propos. 3. n. 9. Probantque primò ex Decisione Rotæ 195. aliisque pluribus, quas citat Couarr. in caput *Alma mater*, 1. part. §. 7. n. 4. & ex vsu communiter recepto. Secundò, quia iura solùm irritant collationem Beneficii, non verò acceptationem: Cúmque versemur in materia odiosa, non debemus illa extendere ad casus non expressos. Et hæc sententia probabilis est propter auctoritatem tam multorum, & grauiũ Doctorum, & propter rationes quibus ipsi nitũtur. Speculatiuè tamen loquendo probabilius mihi videtur esse oppositum, & cohærentius cum supra dictis in quæst. proxime præcedẽti. Quia totum ius circa Beneficium non acquiritur per solam collationẽ, sed ex parte etiam per acceptationẽ, vt patet ex cap. *Si tibi absenti*, de Prabendis in 6. vbi dicitur, quòd si Episcopus absenti Beneficium conferat, ille ius in ipsum non acquirit, neque facit illud suum, donec consentiat, ratamq; habeat huiusmodi collationem. Ergo si est incapax acquirendi ius eo tempore, quo acceptat, non validè acceptat, quoad hunc effectum. Atqui eo tempore, quo est excommunicatus, est incapax acquirendi ius. Ergo eodem tempore est quoque incapax acceptandi validè.

Respondetur negatiuè.

Confirmatur, quia per collationem acquiritur tantùm ius ad rem: per acceptationem verò acquiritur ius in re. Collatio autem

ideo est inualida, quia iura reddunt excommunicatũ incapacem acquirendi ius in Beneficium. Ergo acceptatio facta ab excommunicato est quoque inualida propter eandem rationem. Atque ita docent Cardinalis in caput *Postulastis*, De clerico excommunicato, Alciatus in cap. 1. de Iudiciis, num. 12. & alii, quos è Recentioribus sequuntur Aegidius Coninc disput. 14. dub. 9. num. 78. & Suarez disp. 13. sect. 1. n. 17. vbi affirmat, collationem quidem antea factam validam esse, & dare ius ad rem, quod ius non tollitur per excommunicationem superuenientem: ideóque non potest collator Beneficium alteri conferre, donec iste moriatur, vel elapsum sit tempus præscriptum ad acceptandum, si forte aliquod præscripsit. Verùm per acceptationem factam in statu excommunicationis nihil præterea iuris acquiri: ac nisi ante elapsum tempus præscriptum absoluatur excommunicatus, & acceptet validè, posse deinceps collatorem conferre cui voluerit, iuxta caput *Si tibi absenti*, sup. cit.

Satisfit argumentis contrariæ sent.

Ad primum argumentum prioris sententiæ, Respondeo, Decisionem Rotæ, & vsum communem, si talis est, sequi sententiam fauorabiliorem, & tutam in praxi: sed non propterea adimere probabilitatem nostræ sententiæ speculatiuè maiorem propter rationem allatam. Ad secundum dico, iura irritare acceptationem, æquè ac collationem, eo ipso quòd reddunt excommunicatum incapacem acquirendi Beneficium, siue accipiendi ius ad illud obtinendum.

90. Quale peccatum, dare Beneficium excommunicato, vel accipere?

Quæritur sextò, quale peccatum sit, & quâ pœnâ afficiatur collatio Beneficii facta excommunicato, illiusque acceptatio? Respondeo & dico primò, tam conferentem, quàm acceptantem grauiter peccare: non solùm ob illicitam communicationem cum excommunicato in rebus sacris (quæ ratio non haberet locum in eo, qui confert excommunicato tolerato) sed & generaliùs, propterea quòd grauiter prohibet Ecclesia conferre Beneficia censurâ ligatis, tanquam indignis, vt colligitur ex cap. 1. De postulatione Prælatorum, sub finem. Et grauis est inordinatio facere scienter, & liberè actum irritum in negotio tanti momenti: adeoque est graue peccatum, nisi excuset ignorantia probabilis facti vel iuris. Atque hoc saltem verum est de conferente Beneficium excommunicato, & acceptante collationem ita factam. De illo autem qui post collationem incidit in excommunicationem, & tunc illam acceptat, aliter putat esse dicendum Suarez sect. cit. nu. 22. quia consentit tantùm in collationem de se validam, & iustam, vt supponimus: quod non est malum ex natura rei, neque vi censuræ prohibetur; non enim est aliqua communicatio, sed sola declaratio propriæ voluntatis, quæ non est prohibita excommunicato. Sed probabilius existimo acceptationem istam esse inordinatam, quia prohibetur ab Ecclesia iisdem iuribus, quibus ab illa irritatur. Et vt ofum est exercere scienter, & liberè actum per leges irritum, & prohibitum, præsertim in re graui: & conari, saltem specie tenus, velleque acquirere ius eo tempore, & in eo statu, quo est illius incapax.

91. Quæ pœna puniatur?

Dico secundò, eum qui scienter confert Beneficium excommunicato, mereri pœnam suspensionis à collatione, cap. *Postulastis*, De clerico excommunicato ministrante. Non est tamen hæc suspensio latæ sententiæ, sed ferendæ: quia lex solùm dicit debere tandiu suspendi, donec veniam mereatur. Debet etiam intelligi de excommunicato vitando, vt bene notat Coninc sup. nu. 76. quia non violatur censura excõmunicationis respectu aliorum, cuius violationis intuitu pœna illa statuitur in cap. cit. Item qui confert excommunicato Beneficium habens curam animarum, vel ad illud eum eligit, priuatur pro illa vice, potestate conferendi, aut eligendi, cap. *Cum in cunctis*, §. *Clerici*, De electione, vbi hæc pœna statuitur contra conferentes indigno, vel illum eligentes: excommunicatus autem est indignus. Recipienti verò Beneficium, siue acceptanti, nulla alia pœna in iure imponitur, præter irritationem collationis, & acceptationis, quæ visa est esse pœna ecclesiastica sufficiens.

92. Quid faciendum excommunicato vt retineat Beneficium inualidè collatum.

Quæritur vltrò, quid facere debeat excommunicatus, cui inualidè facta est collatio Beneficii, vt possit illud validè, & licitè retinere? Respondeo, procurandam illi esse nouam collationem, postquam absolutus fuerit ab excommunicatione, & obtinendam ab illo, qui adhuc ius habet conferendi. Nomine autem collationis intelligo, vt supra dixi, etiam electionem, & præsentationem, seu nominationem. Debet, inquam, respectiuè hæc obtinere ab iis, ad quos pertinent. Itaque si collatio spectat ad summum Pontificem, quia illius est propria, vel quia per collationẽ à Pontifice factam manet Beneficium illi affectatum; debet iterum ab ipso impetrari, vel obtineri dispensatio, quæ æquiualet nouæ impetrationi. Si Episcopus, aut Capitulum habet ius conferendi non deuolutum ad alium superiorem; sufficit ab illis obtinere. Si electio, vel præsentatio spectat ad aliquem particularem, vel ad aliquam communitatem; debet ab illis iterum eligi aut præsentari: quod vt validè fiat, non est opus dispensatione, sed sufficit absolutio ab excommunicatione, quæ non impedit, quò minùs eadem persona possit iterum eligi, aut præsentari obtenta absolutione: imò sufficit eos consentire in nouam collationem, & suum consensum signo externo declarare. Si verò ille à quo Beneficium fuit collatum inualidè: fit suspensus ab eius collatione, accedente sententia Iudicis, vel priuatus vsu potestatis conferendi, iuxta iura proximè citata, recurrendum erit ad illius superiorẽ, vel ad alium, ad quem deuoluitur ius eligendi, præsentandi, vel conferendi.

Digitized by Google

SECTIO VIII.

De septimo effectu excommunicationis, qui est irrita reddere rescripta Apostolica.

93. Quænam Rescripta irritet.

SEptimus effectus maioris excommunicationis est reddere irrita ipso iure Rescripta Apostolica, & processus virtute illorum habitos, super quacunque materia, præterquam super causa excommunicationis, vel apellationis: vt patet ex cap. 1. De rescriptis in 6. cuius verba hæc sunt: *Ipso iure rescriptum, vel processus super ipsum habitus non valeat, si ab excommunicato (super alio, quàm excommunicationis, vel appellationis articulo) fuerit impetratum.* Vbi cum Pontifex vtatur simpliciter voce *Rescriptum*, dubitari potest primò, an de solis Pontificiis intelligendus sit, an verò etiã de rescriptis, & gratiis concessis ab Episcopis, & aliis Prælatis summo Pontifice inferioribus? Quam difficultatem mouet Nauarr. lib. 5. Consiliorum, tit. De sentent. excommunic. Cõsil. 28. iuxta primam editionem: & pro ratione dubitandi proponit primò verba ipsa capitis, quæ vt iam dixi, generaliter ita statuunt de Rescriptis, nulla distinctione facta inter rescripta Pontificum, & inferiorum: & verbum Rescripti videtur esse genus ad vtrumq; vt docet Pelin. in rubric. de Rescript. quatenus distinguit rescripta inferiorum à rescriptis Principum. Fauet etiam Glossa eiusdẽ cap. primi De Rescriptis in 6. v. *Processus*, quatenus dicit processum excõmunicati coram Ordinario valere, & coram delegato ab eo non valere: sentiens videlicet rescriptum delegationis impetratum ab Ordinario per excommunicatum, esse ipso iure inualidum, vt ibidem affirmat. Hæc Nauarr.

94. Non alia, quam Pontificia.

Quibus non obstantibus tum ipse immediatè post, tum alii recentiores communiter affirmant caput citatum intelligi debere de rescriptis Summi Pontificis, non autem Prælatorum inferiorum. Quod etiam sensisse antiquiores illius capitis interpretes testatur ibid. Nauarr. n. 5. quippe qui, inquit, nullam faciunt mentionem de nullitate gratiæ, vel rescripti impetrati ab Ordinario propter excommunicationẽ. Fauet etiam stylus Curiæ Romanæ, & vsus cõmunis. Nam ad impediendã nullitatem solet in rescriptis Apostolicis apponi clausula absolutionis generalis ab omnibus censuris, ad effectũ præsentium assequendum: quod non fit in rescriptis Ordinariorum, neq; tamen propterea habẽtur pro inualidis, licet illi, quibus concedantur, sint excommunicati tẽpore cõcessionis. Quare vel nunquam caput illud habuit locum in rescriptis Ordinariorum, vel certè desiit habere locum in illis per desuetudinem, vt rectè ait Nauarr. ibid. n. 4.

95. Accedit quòd lex ista est poenalis, & odiosa, adeóque non amplianda, sed restringenda potiùs, quantum permittit vsus, & proprietas verborum. Nomen autem Rescripti simpliciter in iure positum, non comprehendit nisi rescripta supremorum Principũ, vt affirmat Nauarr. ibid. n. 6. colligiq; ait ex titulis De rescriptis, tam Decretalium, quàm Sexti, & Clementinarum, & ex lege *Rescripta*, & L. *Quoties*, cum aliis multis eorundem titulorũ, & lege vltima C. de precibus Imperatori offerendis, & L. finali Cod. si contra ius, vel vtilitatem publicam: & præsertim ex cap. *Nec damnosa*; & cap. *Rescripta*, 25. q. 2. Ex quibus patet solutio primæ rationis dubitandi supra propositæ. Ad secundam respondeo Glossam duas alias rationes meliores eiusdem rei reddere ibidẽ. Nempe quia iurisdictio ordinaria fauorabilis est, extraordinaria odiosa. Item, quando proceditur coram Ordinario, vel delegato impetrato ante excommunicationem, est in aliquo quod imputetur Reo, qui de excommunicatione debebat excipere, si sciebat; aliàs inuestigare debebat: sed vt plurimum, delegatum impetrat actor absente Reo, & ideo non valet impetratio, nec processus habitus ipsius impetrationis vigore. Huc vsque Glossa: quæ paulò antè rectè asserit contra nonnullos, rescriptum ab excommunicato impetratum, ne post absolutionẽ quidem valere, & prodesse: cùm ab initio fuerit irritum, & tractu temporis non firmetur, quod ab initio non subsistit.

96. Quid sentiendum de Imperialibus & regiis?

Secundò dubitari potest, an saltem de rescriptis etiam Imperialibus, & regiis, aliorũque supremorũ principum sæcularium, intelligendũ sit caput citatũ; & non solùm de Pontificalibus, & ecclesiasticis. Ratio dubitandi oritur ex proximè dictis: quia videlicet in iure Canonico, æquè ac Ciuili, nomẽ Rescripti simpliciter prolatũ intelligitur de rescriptis quorũcũq; supremorũ principum, vt patet ex iuribus relatis. Quibus permotus Nauarr. Consil. cit. respondet affirmatiuè, traditq; n. 2. velut indubitatum, caput illud primũ habere locum in gratiis, seu rescriptis Imperatorũ, æq; ac Pontificũ: necnõ etiã regum, aliorũq; supremorũ principum, iuxta id quod addit inferiùs n. 6. Idemq; videntur sentire Siluest. Angel. & alii Summistæ v. *Rescriptum*. Quia quando loquũtur de illorũ inualiditate propter excõmunicationem impetrantis, videntur loqui generaliter, & indifferenter de rescriptis quorũcũq; principũ.

Sed meliùs Suar. disp. 17. sect. 1. n. 3. docet de solis Pontificalibus intelligendum esse: Primò quia verba illius capitis debent intelligi iuxta Rubricam, seu titulum, sub quo continetur. Titulus autẽ est, de rescriptis, ecclesiasticis scilicet, vt patet tum ex auctore, fine, & discursu illius tituli, & ex aliis titulis similibus iuris Canonici: nam v. g. quãdo Pontifex agit de constitutionibus, tractat solùm de ecclesiasticis, nõ de sæcularibus. Tum etiam ex exceptione, quæ additur in eodem capite, *super alio, quàm excommunicationis, vel appellationis articulo*;

quæ satis indicat sermonem esse de rescripto ecclesiastico. Tum denique quia Glossa ibid. & interpretes,de illo tantùm loquũtur, nullamque faciunt mentionem rescriptorum sæcularium. Adde secundò quòd,vt supra diximus, lex ista pœnalis, & odiosa,debet potiùs restringi, quàm ampliari, quantum rationabiliter fieri potest.Atqui potest valde rationabiliter intelligi de solis rescriptis Apostolicis, vt patet ex rationibus modò allatis. Concludo itaque probabilius esse rescripta sæcularia non irritari vi capitis citati; ac proinde valida esse, quia nullo alio iure Canonico,vel Ciuili irritantur.

98. Pertinet hæc pœna ad excommunicatos etiam occultos.

Tertiò dubitatur, vtrum prædicta irritatio locum habeat solùm in excommunicato publico? Affirmat Nauarr.Consil.supra cit. num.8. motus præcipuè auctoritate Archidiaconi id valdè seriò affirmantis in caput *Illus primum* de Rescriptis in 6. Quamuis inquit, contrarium ibidem teneat communis Doctorum sententia. Adde quòd hæc cõstitutio est pœnalis.Lex autẽ pœnalis, etiamsi ipso iure inducat pœnam, non tamen regulariter ligat quoad forum conscientiæ, vt docent Glossa in cap. *Fraternitas*, 12.quæst. 2. & S. Thom. aliique recentiores 2. 2. q. 62.art. 3.

Sed neque hæc ratio,neq; auctoritas Archidiaconi tanti ponderis est, vt propter illam sit recedendum à communi sententia, affirmante excommunicatum, etiam occultum, hac lege comprehendi: Pro qua Silu. est.v. *Rescriptum*, num. 2.in fine citat Directorium, affirmans valere ad forum conscientiæ,tametsi excommunicatio sit omnino secreta. Additque non modò irritum esse rescriptum,si ille ipse pro quo impetratur est excõmunicatus: verùm etiam si eius procurator sit talis.Quia si non licet principali excõmunicato pro se impetrare: nec pro alio. Ratio præcipua huius sententiæ est,quia lex absolutè loquitur, & sine causa restringitur ad publicam excommunicationem:cũ excõmunicatio,licet occulta,digna sit tali pœna, neque vsquam alibi excipiatur. Non obest quòd lex ista sit pœnalis: quia, vt rectè ait Suar. sup. num. 4. in huiusmodi effectibus priuatiuis, præsertim verò pendentibus à voluntate principis,vt fauores & gratiæ,quę per Rescripta impetrantur, & pertinentibus ad censuras, quæ secum trahunt executionem, si effectus ipso iure imponitur, statim fit, siue irritat,& annullat,etiam in foro cõscientiæ, & absque alia sententia. Quapropter excommunicatus,licet occultus,nõ potest vti tali rescripto.

99. Notandum tamen primò,cum auctore citato, quòd si excommunicatus occultus virtute talis Rescripti aliquid agit titulo publici muneris, validè illud agit; non virtute Rescripti, neque in illius fauorem; sed quia ius,propter bonum commune,supplet illum defectum, posito communi errore, & titulo colorato; iuxta legem *Barbarius*, ff. De Officio Prætoris,quam Gratian.in cap. *Infamis*, 5. *Veruntamen*. 3.quæst.7.& omnes Canonistæ accommodant ad res ecclesiasticas: quia Ecclesia non minùs prouidet bono communi,& vtilitati fidelium,quã respublica ciuilis vtilitati suorum subditorum: neque minora sequerentur incommoda in republica ecclesiastica, si propter defectus occultos irrita forent acta publica; sed eò maiora, quò acta ecclesiastica propiùs spectant ad bonum animarum. Et hoc æquè locum haberet, etiamsi excommunicatus vno in loco notorius, hoc officium obtineret, & exequeretur alio loco, vbi non est nota illius excõmunicatio, vt bene aduertunt Aegid. Con. disp. 14.dub. 10.num.88. & Suar. disp.14. sect. 1. num. 16. vbi dicit esse communem sententiam. Canonistarum.

Nota secundò, effectum prædictum irritationis vix habere locum hoc tempore, propterea quòd ad illum impediendum, & ad effectum Rescripti obtinendum, summus Pontifex solet in literis Apostolicis apponere clausulam,per quam absoluitur impetrans ab omnibus censuris, ad effectum præsentiũ assequendum. Imò, vt ait Nauar.supra num. 5.citans Rebuffum in eandem sententiam, si non ponitur illa clausula, est subintelligenda, aut certè reformari possunt litera cum illa inserta: quia nimium voluntas summi Põtificis est,vt semper apponatur.Non prodest tamen hæc clausula excõmunicatis propter hæresim, vt supra diximus cum Bonac. disp. 2. de censuris, quæst. 2. punct. 4. §. 1. num.6.& punct.vlt.propos.1.num.1.quia Pontifex non præsumitur velle ab illa absoluere, causâ incognitâ, per hanc clausulam generalem. Idemque docet Couarr. in cap. *Alma mater*, 1.parte, §. 11.num.15. referẽs Felinum,& alios pro eadem sentẽtia. Neque etiam prodest illis,qui per annum insorduerũt in excommunicatione, quique eam ob causam habentur suspecti de hæresi iuxta Trident. sess.25.cap.3. De Reformat.in fine, & c. *Contingit*, *De dolo,& contumacia*,iunctâ glossâ, & cõmuni Doctorum interpretatione: si nimirum insordescant ex contumacia, & sua culpa, non autem ex impotentia, vel alia causa excusante, vt docent Bonac. vbi suprà,& Suar. sect. cit.in fine, post Nauarr.in cap. *Ita quorundam*, *De Iudæis*, notab. 11.in Glossam vltimam num.14.vbi refert regulam Cancellarię *De insordescentibus*, recenlentem plures alios casus excommunicationis,in quibus sufficit insordescẽtia quatuor mensium,ad hunc effectum irritationis. Idem etiam quod de excõmunicatione propter hæresim censet Bonac. de omnibus aliis casibus contentis in Bulla Cœnæ: & de quibusdam aliis relatis à Sayro lib. 2. cap.5.n. 13.cuiusmodi sunt casus incendii, violationis Ecclesiarum, & libertatis ecclesiasticæ, Sed non puto hanc clausulam,adeo generalem, esse sine graui fundamento ad tam multos casus restringendam; cùm fauores potiùs ampliandi sint: nec nisi ad eos quos vel ipsi Pontifices ab eo tempore, quo illâ vti so-

100. Non est amplius in vsu.

Excepti certis casibus.

Digitized by Google

lent, vel vsus communis & stylus curiæ Romanæ declararunt fuisse exceptos.

SECTIO IX.

De octauo effectu Excommunicationis, qui est priuatio iurisdictionis ecclesiasticæ.

101. Qua iurisdictione priuet?

OCtauus effectus maioris Excommunicationis est priuare omni vtu iurisdictionis ecclesiasticæ in vtroque foro, interno, siue conscientiæ, & externo siue contentioso; & generaliter cuiuscunque iurisdictionis spiritualis. Vnde excommunicatus non potest validè absoluere à peccatis in sacramento Pœnitentiæ; neque alium delegare ad absoluendum, neque excommunicare, suspendere, interdicere, iudicare, præcipere, leges, aut statuta ferre, dispensare, concedere Indulgentias, conferre Beneficia ecclesiastica, delegare alterum ad quodcunque munus ecclesiasticum, & quæuis alia, quæ sunt propria iudicis, aut superioris ecclesiastici: vt communiter affirmant Doctores, & probatur ex cap. 1. de Officio vicarii in 6. vbi dicitur, substitutum ab Officiali, siue iudice ecclesiastico, eo excommunicato non posse exercere iurisdictionem, quam ab illo acceperat. Nimirum quia iurisdictio Officialis, iam suspensa per excommunicationē, non potest ad alium deriuari vices illius gerentem: & cap. *Audiuimus*, 24. quæst. 1. vbi expressè dicitur excommunicatum non posse excommunicare: & cap. vnico *Ne sede vacante* in 6. vbi significatur excommunicatos maiori excommunicatione esse suspensos à potestate conferendi Beneficia aliisque pluribus, quæ refert, & expendit Suar. disput. 14. sect. 1.

102. Actus illius sunt irriti si fiāt à non-tolerato.

Vt autem distinctiùs hic effectus declarētur, quæritur primò, an actus spiritualis iurisdictionis, facti ab excommunicato, sint non modo illiciti, verum etiam irriti? Respondeo, & dico primò esse irritos, si fiant ab excommunicato non tolerato, id est, post Concilium Constantiense, nominatim denunciato, vel manifesto percussore clerici. Probatur ex cap. *Auiuimus*, 24. quæst. 1. vbi absolutè dicitur, excommunicatum non posse excommunicare: quod olim de quocunque publico excommunicato intelligendum erat: post Constantiense verò de illis solis, qui nunc vocantur non tolerati. Et cap. *Ad probandū, De sententia & re iudicata*, sententia lata à iudice excommunicato dicitur esse cassanda, id est, vt Glossa ibid. exponit, cassa, & irrita declarāda: vtpote sine iurisdictione lata: nam alioqui non esset, cur irritaretur propter culpam iudicis, quæ neque est contra iustitiam, neque aliter defectum essentialem inducit. Excipiendus tamen est casus, quo excommunicatus non toleratus migraret ad locum, vbi eius excommunicatio esset occulta, id est, nō publicè nota: nam ibi propter communem errorē, & titulū coloratū, valerent eius acta, Ecclesia supplēte defectum iurisdictionis, iuxta ea, quæ diximus in fine sect. præcedentis num. 99. Extra verò hunc casum, inualidi sunt omnes actus iurisdictionis facti ab excommunicato non tolerato: adeoque subditi non tenentur parere illorum præceptis, & statutis: neque licitè possunt, quia alioqui communicarent cum illo. Multóque minùs vti possunt dispēsationibus, vel facultatibus ab illo impetratis: quippequæ nullæ sunt. Peccantque dupliciter, si illis vtantur. Nimirum quia communicant illicitè cum excommunicato: & perinde se habent, ac si absque dispensatione, vel licentia facerent: vnde non minùs incurrunt censuras ecclesiasticas, si quæ impositæ sunt agentibus sine dispensatione vel licentia. Ex. gr. Religiosus, qui de licentia Parochi excommunicati non tolerati administraret scienter sacramentū Extremæ vnctionis, non minùs incurreret excommunicationem latam in Clementina 1. *de Priuilegiis*, quàm si absque licentia id faceret: quia cùm dare hāc licentiam sit actus iurisdictionis, non potest dari validè ab excommunicato non tolerato, vt contra Paludanum, Syluestrum, & Armil. rectè docet Suarez sup. num. 7. Idemque dicendum de illo, qui ex commissione, vel facultate obtenta ab excommunicato non tolerato baptizaret, confirmaret, administraret Eucharistiam, audiret confessiones, vel acciperet Ordines cum eius Dimissoriis: quia cùm dare hanc licentiā sit actus iurisdictionis, non potest validè dari ab excommunicato non tolerato, vt addit Suar. ibid. & Coninc disp. 14. dub. 10. in fine.

103. Fiunt validè à tolerato, quamdiu non repellitur.

Dico secundò, actus iurisdictionis exercitos ab excommunicato tolerato, esse validos in vtroq; foro, quādiu nō repellitur: semper tamen esse illicitos, quando sponte ab ipso exercentur, id est, fidelibus nō indigētibus, aut petētibus propter suam necessitatem, aut vtilitatem. Prima pars est communis Doctorum, sumiturque ex Constitutione *Aduitanda*, quæ cùm permittat fidelibus communicare cum huiusmodi excommunicatis; cōsequenter permittit illis vsum iurisdictionis, quoad validitatem actus. Alioquin ex oppositio multa, & grauia sequerentur incommoda, magnaque perturbatio. Cōfirmatur, quia cùm subditi non teneantur eos vitare, possintque ab illis petere iure suo tales actus iuridicos: consequens est illos validos esse debere: alioquin frustranea esset facultas illa data subditis, perperamque concederetur ad petendos actus, qui validi esse non possent. Dixi autem, *quamdiu non repellitur*, quia cùm Ecclesia non iubeat fidelibus, sed tantùm permittat cum illis communicare, si velint; habent ius illos repellēdi per exceptionem. Ex. gr. qui citatur à iudice excommunicato, quāuis tolerato; potest si velit, nō cōparere, & contra illum excipere. Tenetur tamen intra octo dies euidenter probare excommu-

nicationem; illiusque speciem, & auctorem exprimere in sua exceptione, vt statuitur cap. primo De Exceptionibus.

104. Fiunt tamẽ illicitè, si sponte ab ipso exercentur.

Secunda pars eiusdem assertionis probatur, quia constitutio *Ad vitanda*, non intendit releuare in aliquo excommunicatos, nec eis quomodolibet suffragari, vt ipsamet diserte affirmat. Quare tenentur, quantum in ipsis est, vitare communicationem cum fidelibus, sicut iure antiquo tenebantur; neque possunt licitè se ad illam ingerere. At exercitium cuiuscunque actus iurisdictionis spiritualis est aliqua communicatio cum fidelibus, & quidem spiritualis, & in rebus sacris; quæ cõmunicatio magis principaliter, & directè prohibetur per censuram. Ergo non possunt excõmunicati licitè se ingerere ad huiusmodi actus exercendos, neque spõte illos exercere, sed tãtùm exigente necessitate, vel vtilitate fidelium id tacitè, vel expressè postulantium. Et alioqui grauiter peccant, nisi excuset leuitas materiæ, putà, si dent licentiam in re parui momenti; vel inaduertentia, aut necessitas vitandi graue incommodum. Quia materia huius prohibitionis est grauis, & pertinet ad primariam, & præcipuam priuationem excommunicationis, vt paulò ante diximus.

105. Possitne validè excommunicare &c.

Quæritur secundò, Vtrum excommunicatus toleratus possit validè excommunicare, suspendere, vel interdicere? Ratio dubitandi est, quia, vt diximus in præcedenti assertione, actus excommunicati tolerati sunt validi, quandiu contra illum non excipitur. Ergo validè fert huiusmodi censuras, nisi excipiatur. In contrarium verò facit, quia censura non incurritur, nisi propter contumaciam. Non est autem contumax, qui non obedit, si non tenetur obedire. At fideles non tenentur obedire excommunicato tolerato; quia non tenentur ei communicare, sed possunt excipere si velint. Eademque difficultas moueri potest de legibus, & præceptis, & quibuscunque aliis actibus obligationem aliquam imponentibus. Cùm enim fideles non teneantur parere; quomodo possunt illis obligationem parendi imponere?

Respondeo cum Aegid. Con. disp. 14. dub. 10. num. 92. huiusmodi actus excommunicati tolerati esse validos, quandiu contra illum non excipitur. Quia eò vsq; agnoscitur vt verus iudex, & superior: & Ecclesia vel non admittit illi vsum iurisdictionis, vel supplet eius defectum. Ergo donec excipiatur contra illum, tenentur subditi illi parere: & nisi parent, sunt contumaces. Confirmatur, quia excommunicati tolerati eodem modo se habẽt nũc, quoad huiusmodi actus, quo se habebant olim excommunicati occulti: quippe qui similiter habebant impeditum vsum iurisdictionis, ita tamen vt validè exercerent. Atqui tenebantur subditi parere excommunicatis occultis, nisi contra illos excipierent, vt habetur cap. 1. de Exceptionibus in 6. & cap. *Exceptionem* Extra, eodem tit. Ergo etiam nunc tenentur parere toleratis, nisi excipiant.

106. An etiam conferre Beneficia?

Quæritur tertiò, vtrum excommunicatus possit validè conferre Beneficia ecclesiastica, vel eligere, aut præsentare ad illa, vel etiam resignare? Respondeo, & dico primò, collationem factam ab excommunicato non tolerato esse inualidam: vt docent omnes vnanimi consensu, & probant ex cap. vnico *Ne sede vacante*, in 6. cap. *Tanta*, De excessibus Prælatorum, & aliis quæ refert, & expendit Suarez disp. 14. sect. 2. num. 1. Ratio est, quia collatio Beneficii est actus iurisdictionis, cùm manifestum sit non esse actum potestatis Ordinis, quippe qui nõ est necessarius in conferente. Ergo non potest esse validus, si fiat ab excommunicato non tolerato, vt patet ex dictis quæst. 1. conclus. 1. Vnde colligo sic prouisum de Beneficio non esse verum illius possessorem, sed intrusum: tenerique in conscientia, non expectatâ aliâ sententiâ, illud dimittere, & fructus restituere si eos percepit; atque etiam damnum resarcire; si quem alium impediuit à legitima eius consecutione, vel possessione. Notandũ etiam id verũ esse, quãuis non ipse excommunicatus conferat immediatè Beneficium, sed illius vicarius. Nam vt collatio sit irrita, sufficit principalem collatorem esse excommunicatum: cùm iam ab illo non possit deriuari iurisdictio ad vicarium, aut substitutum.

107. Dixi autem si conferatur Beneficium ab excommunicato non tolerato, & scilicet publicè noto vt tali: quia de tolerato aliter sentiendum est, iuxta ea quæ diximus quæst. 1. assert. 2. quippe cuius actus iurisdictionis validi sunt, nisi repellatur. Aliter quoque sentiendum est de excommunicato nõ tolerato, sed occulto: quippe cuius actus iuridici valent, Ecclesia supplente defectum, propter errorem publicum, & titulum coloratum, iuxta ea quæ diximus sect. præcedenti, num. 99. Peccant tamen vtrique, si sponte id faciant, id est, nisi ad hoc inducantur à fidelibus in suum fauorem, & vtilitatem: putà ad instantiam petẽtis, vel propter necessitatem Ecclesiæ indigentis. Quia, vt supradixi, cõmunicatio cum fidelibus est illis prohibita, quantum est ex parte ipsorum. In collatione autem Beneficii, & in omni actu iurisdictionis erga fideles includitur aliqua communicatio cum illis.

Dico secundò omnem electionẽ ad quodcunque Beneficium ecclesiasticum, factam à solis excõmunicatis nõ toleratis, esse inualidam; exceptâ electione summi Pontificis. Prima pars probatur ex cap. 16. De electione, vbi sermo est de electione facta à Suspensis: Omnis autem excommunicatus est suspensus ab officio, vt patet ex dictis sect. 2. & 3. Nec obest quod ibi dicitur hæc electio esse cassanda; sensus enim est, quòd cassa, & irrita sit declaranda, vt Glossa ibid. exponit. Eodem pertinet caput *Cùm dilectus*, De consuetudine, vbi similiter electio cuiusdam Abbatis, facta à suspensis, cassatur, id est, cassa

declaratur. Ratio est, quia electio est actus quidam iurisdictionis, quatenus est actus cuiusdam publicæ potestatis ecclesiasticæ, ad commune bonum, & Ecclesiæ regimen ordinatus. Atqui excommunicatus vitandus est priuatus omni vsu iurisdictionis ecclesiasticæ, vt patet ex dictis initio sectionis. Ergo & vsu potestatis eligendi. Item electio est actus conueniens ratione officii: at excommunicatus vitandus est omnino suspensus ab officio: Ergo, &c.

109. Excipienda electio summi Pontificis.

Secunda pars, quòd electio summi Pontificis sit excipienda, probatur ex Clement. *Ne Romani*, De elect. §. *Cæterum*, vbi sic dicitur: *Cæterum vt circa electionem prædictam* (Summi Pontificis) *eo magis vitentur dissensiones & Schismata, quo minor eligentibus aderit dissidendi facultas: decernimus, vt nullus Cardinalium, cuiuslibet excommunicationis, suspensionis, aut interdicti pretextu, à dicta valeat electione repelli.* Confirmatur ex cap. *Licet*, De electione, & electi potest. vbi dicitur electũ à duabus partibus Cardinalium esse habendũ ab vniuersa Eccles. pro legitimo Pontifice Romano, absque vlla exceptione. Ex quo fit, vt non modò circa eligentes, sed neq, circa ipsum electum dari possit exceptio, si cõtingeret (quod Deus auertat) eligi excommunicatum. Meritóque sic ab Ecclesia statutum fuit propter periculum Schismatis, & nocumenta, quæ oriri possent, si daretur locus exceptionibus, & dilationibus circa huiusmodi electionem, respectu eligentium, aut electi in summum Pontificem.

110. Quid si nõ à solis?

Dixi autem, non valere electionem *factam à solis excommunicatis*, quia contingit aliquãdo electionem pendere & fieri ab vno solo: sique ille sit excommunicatus vitandus, patet ex dictis esse inualidam. Aliquando verò pendet, & fit à pluribus, putà à Capitulo. Et tunc si omnes sunt excommunicati vitandi, constat pariter ex dictis electionem esse nullam. Si verò aliqui tantùm: distinguendum est. Vel enim numerus non excommunicatorum est sufficiens ad eligendum, vel non. Si primum: valet electio, quia Vtile non debet per inutile vitiari, De regulis iuris in 6. Et tunc excommunicati habendi sunt, ac si non interessent electioni, quę, quamuis abessent, validè fieret: neque illorum suffragia sunt numeranda, cùm nullius sint valoris. Si secundum: non valet electio: deficiente scilicet numero necessario suffragiorum. Existimant aliqui, & præsertim Canonistæ, electionem in priori casu non esse validam, si electores, qui alioquin in sufficienti numero sunt, admittunt scienter, & sponte excommunicatos ad ferendum suffragium: quia in cap. finali *de Procuratoribus* dicitur repellendum esse Procuratorem, quem constituit communitas vnà cum suis rectoribus, quos sciebat esse excommunicatos. Quæ Constitutio facta est in odium excommunicationis: non autem ob rationem specialem, quæ in Procuratore constituendo attendatur, & quę non multò maior sit in eligendo, aut constituẽdo Prælato, vel ab alio beneficiario. Ergo omnis electio eodem modo facta debet esse inualida. Confirmatur, quia inhabilitas quæ prouenit ab excommunicatione, non tollitur per hoc, quòd alii cedant iure suo. Actus autem, qui fit à multis, siue à communitate admittente aliquas personas inhabiles ad talem actum, est inualidus, quando inhabilitas est talis, vt non tollatur per hoc, quòd alii cedant iure suo: ergo, &c. Sed hoc tametsi propter auctoritatem tam multorum id asserentium probabile est, & in praxi fortè seruandum, vt bene ait Suar. disp. 14. sect. 2. n. 71. non desunt tamen quibus probabilius videatur non esse propterea irritã, dũmodo fiat à solis habilibus numero sufficiẽti suffragiorum, posthabitis aliorum inhabilium suffragiis, perinde ac si illi abessent. Neque id satis efficaciter probatur ex cap. illo finali de Procuratoribus, sed ad summum posse irritari, siue posse rejici à confirmatore. Nam ibi solùm dicitur talem procuratorem debere repelli. Ad aliud verò argumentum, responderi potest, minorem non esse veram, nisi de actibus essentialiter ab vnoquoque illorum pendentibus, tanquam à causis partialibus, cuiusmodi non est electio de qua loquimur.

111. Vel si à tolleratis?

Dixi præterea in conclusione, *electionem factam ab excommunicatis non toleratis*: quia post Concilium Constantiense, electio facta ab excommunicato tolerato, valida est, id est, dummodo non sit denunciatus nominatim, licet alioqui sit publicus, vel non sit manifestus percussor clerici. Olim etiam secundum ius antiquum necessarium erat ad irritandam collationem, aut electionem, vt excommunicatio esset publica: quia occulta non impedit actus publicos, ne sint validi quoad alios: quamuis impediat ne sint liciti excommunicato sponte illos facienti. Vnde à fortiori collige electionem factam à multis fore validam, quamuis inter electores, etiam necessarios, admittãtur aliqui excommunicati tolerati. Poterit tamen ille ad quem pertinet confirmare electionem, illam rejicere: quia tametsi potest, si velit, non tenetur tamen cum illis communicare, vt post Vasquem & Auilam, rectè notat Aegid. disp. 14. dub. 10. num. 93. in fine. Et hactenus de electione.

112. Præsentatio ad Beneficiũ est duplex.

Iam quod attinet ad præsentationem, suppono duplicem illam esse: vnam, quæ pertinet ad clericum vt talem, ratione Beneficii, seu patronatus clericalis: alteram, quæ pertinet ad laicum per se loquendo, ratione patrimonii, vel alterius tituli temporalis, seu patronatus laici. Dixi, *ad laicum per se loquendo*: quia fieri potest, vt idem, cui ratione patrimonii competit nominatio, seu præsentatio, sit clericus. Sed hoc per accidens se habet respectu talis præsentationis, quæ non illi conuenit vt clerico, & titulo spirituali; sed vt laico, & titulo merè temporali. Vtriq; præsentationi illud commune est, quòd liget collatorem ad non conferendum alteri

Digitized by Google

Beneficium, nisi præsentato, si dignus est: ita vt non possit alteri conferre validè, nisi de consensu Patroni, cui alioqui fieret iniuria. Inter vtramque verò id discriminis est, quòd prior dat præsentato ius aliquod ad Beneficium: ideoque est actus iurisdictionis spiritualis, & ecclesiasticæ: non autem posterior, quia Laicus non potest dare ius ad Beneficium, vt rectè ait Aegid. sup. num. 94. ex communi sententia Doctorum fundata in cap. *Cùm autem*, De iure Patronatus. Tribuit tamen vtraque, si valida est, ius præsentato, vt præsentans non possit mutare præsentationem ab illo acceptatam.

113. Validè fit ab excommunicato tolerato.

His præsuppositis, dico tertiò præsentationem factam ab excommunicato tolerato, siue clerico, siue laïco, validam esse; posseque licitè ab Episcopo, seu collatore acceptari: tametsi potest ab eo repudiari, si velit: neq; dat ius præsentato, vt possit eum cõpellere ad acceptãdum; quia collator non tenetur communicare cum excõmunicato. Quæ omnia satis patent ex dictis num. 111. Si verò fiat præsentatio ab excõmunicato non tolerato, nullum tribuit ius ad Beneficium: quia non potest tribui ius sine aliquo vsu iurisdictionis spiritualis, cuius ille est incapax: neque potest licitè acceptari ab Episcopo, nisi necessitas excuset: quippe qui alioqui cõmunicat illicitè cum excõmunicato vitando. Potest tamen validè acceptari, quia sufficit ad cõsensum patroni declarandum, quo dato potest Episcopus conferre Beneficium personæ ab ipso designatæ, sicut posset cuicunque alteri de illius consensu. Iam enim ius patroni saluum est, ideſt, nulla fit illi iniuria; & si quid aliud ex parte illius desideraretur, potest ab Episcopo suppleri, quippe qui cum ipsius consensu potest dare ius ad Beneficium. Neque puto hanc collationem fore irritam in eo casu, quo Episcopus ignoraret præsentantem esse excommunicatum: quamuis Suari sect. cit. num. 31. & quibusdam aliis contrarium videatur: quia error dans causam contractui, non illum irritat, nisi versetur circa substantiam rei: sed tantùm facit, vt errore detecto possit irritari. Error autem Episcopi circa excommunicationem præsentantis non videtur esse circa rei substantiam.

114. Idem dicẽdum de postulatione, institutione, & resignatione.

Dico quartò, de nominatione, vel postulatione idem sentiendum esse, ac de electione, vel præsentatione: quia illis æquiualent, & nomine magis, quàm reipsa distinguuntur. De institutione verò idem iudicandum esse, ac de collatione Beneficij, à qua non differt, nisi quatenus est collatio Beneficij pendentis à iure patronatus, idéoque fieri debet personæ nominatæ, seu præsentatæ à Patrono. Item de resignatione Beneficij facta in fauorem alterius, idem sentiendum esse, ac de præsentatione: quippe quæ illi æquiualet, & non minùs concurrit ad collationem Beneficij, designando personam, cui soli dari possit. Secus autem de simplici resignatione, quæ à quocunque excommunicato etiam non tolerato potest validè, ac licitè fieri; cùm non sit aliud, quàm simplex dimissio Beneficij in manibus Episcopi. Denique de actu intromittendi aliquem in possessionem Beneficij, distinguẽdum est. Nam vel in illo exercetur aliquis actus iurisdictionis, vel non. Si primum; putà, quando iudex ecclesiasticus vtitur sua potestate ad aliquem intromittendum, datque illi aliquod ius: inualidè fit actus ille ab excommunicato non tolerato: quippe qui caret omni vsu iurisdictionis. Secus autem si secundum, id est, si solùm sit receptio, vel collatio possessionis, absque vlla iurisdictione, prout à priuatis personis fieri potest. Quia excommunicatus non prohibetur vel dare alicui quod suum est, vel rem suam possidere. Ita Suar. disput. 14. sect. 2. n. 33. apud quem plura de his videri possunt.

SECTIO X.

De nono effectu Excommunicationis, qui est priuatio communicationis forensis.

115. Quæ sit illa communicatio?

NOnus effectus maioris Excommunicationis est priuare communicatione forensi, siue impedire ne excommunicatus possit esse iudex, aduocatus, procurator, tabellio, actor, aut testis, etiam in causis ciuilibus. Vt de iudice statuitur in cap. *Ad probandum*. De sententia, & re iudicata: vbi quamuis de iudice ecclesiastico delegato à Papa sermo sit: Doctores tamen communiter ad alios iudices illud extendunt, fauente cõmuni Ecclesiæ consuetudine, atque consensu fidelium: fauente etiam capite penultimo, & vltimo, causâ 15. quæst. 6. quibus subiecti excommunicatorum absoluuntur à fidelitate eis debita, & iuramento super eâ præstito, prohibenturq; illis seruire, & obedire. Adeóque iudices, & alij superiores priuantur iurisdictione, siue suspenduntur ab illa per excommunicationem: hæc enim sunt ita connexa, & correlatiua, vt vnum sine altero manere nequeat. De aliis verò id habetur ex cap. *Decernimus*, De sententia Excommunicationis, in 6. vbi statuitur, vt iudex excommunicatos ab agendo, patrocinando, & testificando teneatur repellere.

116. Quomodo iudex arceatur à ferendo iudicio?

Quæ omnia, vt distinctiùs explicentur, Quæritur primò, quomodo iudex excommunicatus arceatur à ferendo iudicio? Respondeo, & dico primò, illicitè ab illo ferri, etiamsi sit toleratus; nisi excusset necessitas aliqua: quia vi excommunicationis excluditur ab omni humana conuersatione cum fidelibus: estque illud peccatum graue, nisi excusset leuitas materiæ. Validum tamen est iudicium ab illo latum: quia Ecclesia quamdiu eum tolerat, vel non priuat illum vsu iurisdictionis; vel ipsa, aut respublica eum supplet, ne alioqui fidelibus frustra concedatur licentia cum illis communicandi, per Decre-

Digitized by Google

tum Constantiensis *Ad vitanda*, petendique ab illo actus iuridicos, qui absurdè peterentur si validi esse non possent.

117. Dico 2. iudicium latum à iudice excõmunicato nõ tolerato esse inualidum. Probatur quia iudicium latum sine iurisdictione, nullum est. At excommunicatus non toleratus priuatur iurisdictione, siue suspenditur ab illius vsu: vt ostendimus num. præcedenti. Ergo iudicium ab illo latum nullũ est & inualidum. Quod, vt rectè notauit Abbas in dictum cap. *Ad probandum*, & post illum Suarez disp. 16. sect. 1. num. 6. non modò verũ est de sententia lata à iudice Ordinario, verùm etiã de lata à iudice arbitro, si sententiam ferat per vsum iurisdictionis: & non solùm vt vir prudẽs, litem arbitrio suo componens ex consensu partium, qui actus non valet vi iurisdictionis, sed virtute pacti, & conuentionis litigantium: ideoque validus est, licet aliunde sit illicitus propter communicationem illicitam cum excommunicato non tolerato. Rectè quoque addit Suarez ibidem num. 7. quamuis iudicium latum à iudice excommunicato tolerato, sit validum, si partes velint coram eo comparere: libẽrum tamen esse fidelibus illum repellere, & excipere de excommunicatione: quia non tenẽtur cum illo communicare: ac proinde non tenentur coram eo litem agere, illique vt iudici legitimo deferre. Possunt tamen, si velint, vti fauore sibi concesso per decretum Constantiensis *Ad vitanda*. Notandum etiam id quod diximus, iudicium latum à Iudice excommunicato non tolerato, esse inualidum, intelligendum esse de publicè noto vt tali: nam alioqui valent illius acta, republica supplente hunc defectum propter bonum commune, quando error est publicus, & titulus coloratus: iuxta legem *Barbarius, ff. de officio Prætoris.*

118. Possitne excommunicatus eligi in iudicem? Quæritur secundò, vtrum excommunicatus possit in iudicem eligi? Certũ est nõ posse licitè: nam eadem iura, quæ prohibent excõmunicato iudicis officium exercere, prohibent consequenter ne ad tale officium, & ad iurisdictionem exercendam eligatur. Vnde etiam talis electio irritari potest, vt dicitur cap. vlt. De clerico excommunicato ministrãte. Adde quòd indecens est constituere excommunicatum in caput fidelium; & veluti honorare, ac fouere quodammodo illius contumaciam, præficereque muneri iudicis hominem minùs idoneum, cui nemo teneatur obedire. Quæ rationes concludunt generaliter de aliis officiis, & dignitatibus iurisdictionem annexam habentibus: de quibus etiam idem sentiunt Theologi, & Canonistæ. Dissensio tantùm inter illos est, valeatne talis electio, an verò potius ipso iure sit irrita? Affirmant multi Canonistæ esse inualidam: probantque ex cap. *Venerabilem*, De electione, cum Glossa ibid. v. *Electus*: sed non satis efficaciter: quia tantùm ibi dicitur pertinere ad summum Pontificem coronare Imperatorem, & personam electi prius examinare, eamque repellere, & irritare electionem, si contingeret excommunicatum, vel hæreticum fuisse electum. Quare melius alii, quorum sententiam sequuntur Aegid. Con. disp. 14. dub. 11. num. 106. & Suar. disp. 16. sect. 2. dicũt huiusmodi officia posse valide conferri excommunicatis, etiam non-toleratis. Quia tam grauis pœna sine certo iure non est admittẽda: nullum autem profertur ab auctoribus contrariæ sententiæ. Et quidem de toleratis rem certam esse puto cum Aegid. ibidem: quia ne apparenter quidem iura dicũt illorum electionem esse irritam ipso facto, & vsus communi scontrarius est, præsertim iis in locis, vbi tolerantur hæretici.

119. Possitne fungi munere Aduocati? Quæritur tertiò, vtrum excommunicatus possit esse aduocatus in iudicio? Respondeo non posse licitè, posse tamen validè, nisi repellatur, quamuis sit non-toleratus. Prima pars probatur, tum quia id illi prohibetur cap. *Decernimus*, de sentent. excommunic. in 6. Tum etiam quia vi excõmunicationis interdicitur illi communicatio cum fidelibus: non potest autem sine aliqua communicatione officium patroni exercere. Quã etiam de causa repelli potest à parte aduersa, & excipi contra illum: imò si non est toleratus, tenetur iudex eum repellere, quamuis pars aduersa id non postulet: iuxta cap. *Decernimus* sup. citatum. Et confirmatur ex cap. *Intelleximus*, De iudiciis, vbi excommunicato permittitur tantùm vt seipsum defendat, & per alium respondeat in iudicio, non autem vt pro alio patrocinetur.

120. Secunda pars responsi, quòd tamen validè faciat, nisi repellatur, quamuis sit non-toleratus, probatur, quia valor illius actus non est à iurisdictione; sed consistit in ipso facto instruendi iudicem super lite proposita, afferendique iura, & rationes, quæ suæ causæ fauent: ad quod scientia duntaxat, & prudẽtia, atque eloquentia opus est, quæ per excommunicationem non tolluntur, nec impediuntur. Similiter autem scripta, quæ à patronis dari solent, eorumque nomine subscribi, valida sunt, nisi repellantur: possunt autem, vel debent repelli eodem modo, quo patrocinium viuæ vocis. Potest etiam aduocatus accipere licitè stipendium laboris sui patrocinando voce, aut scripto: nisi in eo casu, quo litigans eius operã vsus est, ignorans esse excommunicatum, possetque repelli; & cuius opera fuit illi inutilis propter exceptionem. Secus autem, si id non ignorauit: quia tunc non fuit deceptus, sed libens, volensque huic periculo se exposuit.

121. Aut munere Procuratoris? Quæritur quartò, vtrum excommunicatus possit fungi in iudicio munere procuratoris; & vtrum possit in procuratorem eligi? Respondeo & dico primò, De procuratore idem ac de aduocato sentiendum esse: posse quidem validè fungi suo officio, nisi repellatur; quamuis non possit licitè sine aliqua necessitate. Hoc secundum probatur, quia non potest munus suum exercere sine com-

Digitized by Google

municatione cum fidelibus, quæ illi prohibita est; & hæc specialiter illi prohibetur, vt colligitur ex cap. *Decernimus*, sup. cit. vbi arcentur excommunicati ab agendo, patrocinando, & testificando. Procurator autem vel agit partes rei: & tunc habet rationem patrocinantis, tenetur enim vi sui muneris illum defendere verbo, & scripto: atque ita includitur verbo *patrocinandi*, in prædicto cap. Vel agit partes actoris contra reum: & tunc ipse non modò patrocinatur, verùm etiam actor quidam est, includiturque vtroque verbo *agendi, & patrocinandi*. Quod tamen validè agat, nisi repellatur per exceptionem à parte aduerta, vel à iudice, docent communiter Canonistæ cap. 1. de exceptionibus in 6. Nimirum quia per excommunicationem non priuatur officio ante accepto; neque potestate agendi validè, cùm illius exercitium non sit actus iurisdictionis, nec vllo iure Canonico, vel Ciuili irritetur. Quod verum etiam est de aliis actibus, qui à procuratoribus exercentur extra iudicium, dummodo non sint actus iuridici.

122. Dico secundò excommunicatum, etiam vitandum, illicitè quidem, sed tamen validè eligi posse in procuratorem tam intra, quàm extra forense iudicium. Probatur, quia nullo iure irritatur talis electio. Si quo enim, maximè cap. *Postulationem*, de Probationibus, vbi Pontifex sic loquitur: *Cum nobis constiterit, quòd excommunicatus erat, cùm procurationis officium assumpsit, ipsum tanquam procuratorem non duximus admittendum.* Sed hoc probat solùm talem electionem posse repelli, & irritari, veluti factam in iniuriam excommunicationis, & ad actum vi illius prohibitum. Aliunde verò huiusmodi electio est tantùm priuatus quidam contractus inter eligentem, & electum, seu constitutum in procuratorem. Contractus autem iniri cum excommunicatis, non sunt ipso iure irriti. Est tamen illicita electio excommunicati vitandi: tum propter illicitam communicationem cum illo: tum etiam quia eligitur ad actum, quem non potest licitè exercere, si eligatur vt eum exerceat ante absolutionem obtentam. Neque ipse, quamuis sit toleratus potest acceptare, aut exercere sine necessitate, antequam absoluatur. Ex dictis collige quid sentiendum sit de Tutoribus, & aliis ad aliquam temporalem administrationem assumptis: idem scilicet, quod de procuratoribus ad negotia forensia, vel alia constitutis. Qua de re plura videri possunt apud Suar. disp. 16. sect. 7. & 8.

123. Quæritur 5. vtrum excommunicatus po. A officio sit fungi officio tabellionis? Respondeo tabellionis. constare ex dictis illicitè fungi, quia communicatio cum fidelibus est illi prohibita: validè tamen, saltem si est occultus, aut toleratus, vt de iudice tolerato, aut occulto supra diximus n. 116. & 117. quia nimirum quod attinet ad toleratos, non tenemur eos vitare, possumusque ab illis tales actus exigere vi Decreti Constantiensis, *Ad vitanda*. Qui fauor frustra fieret, maléque concederetur, nisi illi validè fieri possent. At verò quoad occultos, respublica supplet illorum defectum iuxta legem, *Barbarius*, ff. de officio Prætoris. Superest ergo difficultas de Tabellione manifestè excommunicato, & non tolerato: de quo variæ sunt sententiæ. Existimant enim Canonistæ instrumenta publica ab ipso facta esse inualida, nulliusque fidei, & roboris. Quod præcipuè probant ex cap. *Nullus* 3. q. 4. vbi Stephanus Papa sic loquitur: *Nullus anathematizatorum suscipiatur, nec à quoquam credantur quæ ab eis dicuntur, vel conscribuntur.* Vbi ponderant illa verba, *Nec à quoquam credantur*, quæ clarè indicant eiusmodi instrumenta esse prorsus inualida: cùm totus illorum valor in eo consistat, quòd fides ipsis haberi possit, ac debeat. Addunt caput *Ad probandum, De sententia, & re iudicata*: sed ibi tantùm de iudice ecclesiastico sermo est: quod illi tamen ad omne aliud publicum officium extendi volunt. Addunt etiam caput *Si celebrat, De clerico excommunicato ministrante*, ex quo hanc regulam generalem sumunt, inualidam esse collationem officii ad actum prohibitum ordinati. Indéque inferunt, excommunicatum vitandum non fuisse validè constitutum tabellionem: ideóque actus omnes ab illo exercitos, siue antè absolutionem, siue post, esse planè inualidos.

Sed iura citata non id satis efficaciter pro- 124.
bant. Nam caput *Nullus*, loquitur generaliter de quocunque anathematizato, & non de solo tabellione. Ergo non plus probat de illo, quàm de aliis, putà de procuratore, vel de aduocato, vel de teste, aut reo. Atqui istorum dicta, & scripta non sunt ipso iure irrita, sed ad summum possunt irritari, & repelli. Ergo similiter instrumenta publica tabellionis excommunicati non sunt ipso iure inualida, sed tantùm possunt repelli. Idque significant verba illa capitis citati, *Nullus anathematizatorum suscipiatur*: tantum enim prohibent suscipi. Nec obest quod additur ibidē, *Nec à quoquam credantur* &c. Nā intelligi potest de foro externo suppositā repulsā, siue exceptione propter excommunicationem. Vel etiam, vt exponit Suar. disp. 16. sect. 5. n. 4. si nitantur sola excommunicati auctoritate: id est, si partes ignorent esse excommunicatum vitandum, & non consentiant in instrumentum velut à tali factum. Alioquin enim sufficiunt, saltem in foro conscientiæ, ad obligandum contrahentes: licet in foro externo seruanda sit consuetudo, quæ pluribus saltem in locis sequitur sententiam Canonistarum, quòd acta à publico excommunicato, id est non tolerato, ratione publici Officii, sunt ipso iure nulla: munus autem tabellionis est sine dubio publicum officium. Caput verò *Ad probandum*, nimis facilè, &

sine

fine sufficienti fundamento extenditur ad officia, in quibus nulla exercetur iurisdictio: imò illius extensio ad iudices politicos magna laborat difficultate, vt eruditè ostendit auctor proximè citatus sectione 1. numero 3. & 4. Denique caput, *Si celebrat*, non amplius probat, quàm talem collationem posse irritari. Ex quo non sequitur collationem officii Tabellionis factam excommunicato nullam esse ipso iure; multóque minùs instrumenta publica ab illo facta, etiam post absolutionem, esse inualida, cùm ne quidem illicita iam sint.

125. Possitne esse actor in iudicio?

Quæritur sextò, vtrum excommunicatus possit esse actor in iudicio? Respondeo non posse, neque in foro ecclesiastico, neque in ciuili: exceptâ causâ propriæ excommunicationis, quando vult probare illam fuisse inualidam, vel postulat tolli Prima pars responsi probatur ex capite *Decernimus*, De sententia excommunicationis in 6. vbi statuitur, vt iudex excommunicatos repellat ab agendo. Teneturque vi huius capitis eos repellere, si sunt non tolerati, quamuis pars non excipiat. Secus autem non tenetur, nisi parte id postulante. Potest tamen tum ipse, tum pars aduersa excipere, si velit, & repellere. Idem statuitur in cap. *Exceptionem*, tit. De exceptionibus, in cuius fine dicitur, excommunicatum publicè (id est post Constantiense, non toleratum) etsi aduersæ partis exceptio non opponatur, nihilominus esse officio iudicis repellendum. Et paulò ante declarat Pontifex hanc exceptionem opponi posse in quacunque parte litis, id est, vsque ad latam tententiam. Quod, inquit, est in hac exceptione specialiter obseruandum, ne quisquam in periculum animæ suæ excommunicato communicare cogatur. Quæ ratio probat idem esse sentiendum de exceptione iudicis, aduocati, procuratoris, & aliorum excommunicatorum: verbumque illud, *Specialiter*, non dici, nisi ad exclusionem earum exceptionum, quæ non fiunt excommunicationis causâ. De ista verò specialis est ratio, cur fieri possit in quacunque parte litis: quia scilicet causa huius exceptionis, nempe actoris, aut iudicis, & aliorum excommunicatio, tractum successiuum habet, ita vt continuò peccet excommunicatus, si communicet cum fidelibus absque necessitate, quamuis sit toleratus. Quia per Constitutionem *Ad vitanda*, non fit illi fauor, sed aliis fidelibus. Si verò non est toleratus, peccant etiam fideles illi communicando: multóque magis possunt contra illum excipere. Et cap. 1. de Exceptionibus in 6. vbi alia quædam circa actoris exceptionem statuuntur, dicitur prope finem: Quòd si post rem iudicatam talis exceptio proponatur, executionem impediet, sed sententia, quæ præcessit, non minùs robur debitum obtinebit: eorumen saluo, vt si actor excommunicatus sit publicè, & hoc iudex nouerit, quandocunque (etsi de hoc reus non excipiat) iudex ex officio suo actorem repellere non postponat.

Estque notandum, non modò actorem excommunicatum, verùm etiam eius procuratorem non excommunicatum posse excipi. Quia procurator nihil agit, nisi actoris authoritate, quam iste maiorem dare non potest, quam habeat. Actor autem excommunicatus non habet authoritatem, vel potestatem agendi in iudicio sine periculo repulsæ. Quin etiam licet actor non esset excommunicatus, quando litem intentauit, & procuratorem sibi constituit: tamen excommunicatio superueniens facit, vt tum ipse, tum procurator repelli possit. Quia potestas vtriusque ad litigandum sine repulsæ periculo, vim suam amittit per excommunicationem actoris. Notandum præterea, si actor excommunicatus non repellatur, aut eius procurator, valida fore, quæ fient in iudicio. Nam excommunicatio non impedit illorum valorem, vt manifestè patet ex cap. 1. De exceptionibus in 6. vbi in fine dicitur, sententiam, quæ præcessit exceptionem, non minùs robur debitum obtinere: non minùs scilicet, quàm si actor non fuisset excommunicatus, vt Glossa ibid. & Canonistæ communiter exponunt: quamuis excommunicatio faciat processum esse illicitum ex parte actoris, cui prohibetur communicatio cum fidelibus, nisi excuset illum necessitas res suas obtinendi. Meritò tamen Suar. disp. 16. sect. 3. n. 9. & alii putant actorem non peccare grauiter, quamuis sine necessitate ius suum petat, & prosequatur sine dolo, & fraude, aliisque malis artibus, ac sine contemptu censuræ, neque desistat, donec per exceptionem repellatur. Imò necessitas tanta esse potest, ob graue nocumentum imminens, & non patiens moram expectandi absolutionem, vt iudex illum debeat admittere, & malo imminenti eripere.

126. Potest eius procurator excommunicatus agere.

Secunda pars responsi, quâ diximus posse actorem in iudicio conuenire in causa propriæ excommunicationis, ad probandum scilicet se non esse validè excommunicatum: vel ad obtinendam absolutionem, Probatur ex cap. *Cum contingat*, De officio Delegati, & cap. *Per tuas*, De sentent. excommunic. vbi dicitur excommunicatum debere admitti, quando asserit, & probare intendit, se inualidè esse excommunicatum, eò quòd sententia contineat patenter expressum errorem intolerabilem: vel eò quòd ante illam legitimè appellauerit. In quibus casibus (inquit Canon postremò citatus) ad probationem eorum, etiamsi absolutionem non petat, debet admitti. Additurque nihilominus etiam tunc sedem Apostolicam solere præmittere absolutionem ad cautelam, quamuis non sit necessaria. In aliis verò non debere audiri, nisi gratiam absolutionis imploret, ne sententiam ecclesiasticam

127. Potest agere in causa propriæ excommunicationis.

Digitized by Google

contemnere videatur, & per hoc ampliùs ex suo contemptu ligetur. Ratio verò cur in prædictis casibus debeat audiri eius petitio, est quia, vel potiùs habet rationem iustæ defensionis: ius autem naturale eam permittit, & Ecclesia non prohibet: vel tendit ad legitimè soluendam excommunicationem, quod Ecclesia non impedit, sed potiùs quam primùm tolli desiderat, & permittit communicationem ad hunc finem ordinatam, vt videbimus sectione sequenti.

128. Quæritur septimò, verum excommunicatus possit, aut debeat admitti ad ferendum testimonium in iudicio? Respondeo, non posse licitè se ingerere ad ferendum testimonium: posseque à parte aduersa repelli: atque omnino debere repelli à iudice, si non est toleratus, vt statuitur in cap. *Decernimus*, De sententia excommunicationis, in 6. vel si pars contra illum excipiat, & sufficienter probet exceptionem, quamuis toleratus sit. Confirmatur ex dictis suprà de actore, & ex capite *Veniens*, secundo, De testibus, in fine, vbi de quibusdam excommunicatis ad testimonium ferendum vocatis Pontifex ita respondet: *Volumus vt ad cautelam absoluatis eosdem, vt vocati ad testimonium liberè valeant pro vtraque parte testari.* Excipitur tamen causa hæresis. Nam capite *In fidei*, De hæreticis in sexto, statuitur vt testes, quamuis excommunicati admittantur ad probandum contra hæreticos eorumque fautores, receptatores, & defensores; in fauorem scilicet fidei, & detestationem hæresis.

Potestne aut debet admitti in testem?

129. Dixi, non posse licitè se ingerere &c. quia potest in casu necessitatis, exigente actore, cui aliunde probationes deficiunt, in re grauis momenti. Tuncque, atque etiam alias, si non repellatur per exceptionem, validum erit illius testimonium. Non tenetur autem pars aduersa, neque iudex eum repellere, si est toleratus: quia Constitutio *Ad vitanda*, permittit communicare cum toleratis: adeoque permittit testimonium illorum admittere: neque dubitandum est validum esse posse, accedente saltem expresso partium consensu, & iudicis. Imò licet excommunicatio sit ignota iudici, & partibus, ideoque non expressè consentiant, puto sufficere ad valorem sententiæ, quòd testis ante illam non fuerit repulsus, argumento capitis 1. De exceptionibus in sexto, cuius verba retulimus paulò ante numero 126. Secus autem si repellatur ante latam sententiam, vel si locus sit appellationi: nam poterit adhuc in ordine ad illam irritari testimonium per exceptionem excommunicationis iam notæ: argumento capitis, *Exceptionem*, De exceptione, & capitis primi, De exceptionibus in 6. cuius vtriusque verba paulò antea retulimus.

Non potest licitè se ingerere.

130. Sicut autem non potest excommunicatus validè, aut licitè testari in iudicio, nisi ne-

Idem dicē.

do supra dicto: ita neque in testamentis aliisue contractibus, & publicis instrumentis extraiudicialibus, vt docet Innocent. in capite primo, De exceptionibus in sexto, & colligitur ex cap. *Licet*, de Sententia excommunicat. in sexto, vbi dicitur excommunicatum esse à legitimis actibus remouendum. Et lege *Qui testamento*, §. *Eum qui*, ff. *De testamentis*, dicitur eum, qui in iudicio testis esse non potest, non posse esse in testamentis. Hæc autē & superiora sunt intelligenda, si est excommunicatus eo tempore quo in testem assumitur, quòue testimonium fert. Nam quòd fuerit excommunicatus eo tempore, quo vidit crimen committi, non impedit, quin æquè verè, perfectéque viderit; neque obstat, quò minùs post absolutionem possit communicare cum fidelibus, testificando in iudicio, vel extra: vel quò minùs possit nunc verè, & sine mendacij suspicione testificari.

dum de actibus publicis extraiudicialibus.

131. Quæritur vltimò, an & quomodo reus teneatur, aut possit comparere in iudicio? Respondeo posse, & teneri, quandocitatur in iudicio, seu postulatur vt reus, siue in causa propriæ excōmunicationis, siue in quauis alia: vt patet ex cap. *Intelleximus*, De iudicijs: quia non debet commodum ex sua contumacia, & excommunicatione reportare, vt dicitur eodem cap. Vnde consequens est, vt possit facere ea omnia, quæ Rei licitè facere possunt ad sui defensionem, & vti iuris remedijs, excipiendo contra actorem, aut iudicem, aut testes, si suspecti sunt. Appellando etiam à sententia contra se lata: nam appellatio est vnum de medijs iustæ defensionis, & non negatur excommunicato, exceptà illà, quæ fit ab ipsamet sententia excommunicationis, tanquam iniquè lata, licet alioqui valida: Quod postremum liquet ex cap. *Per tuas*, De sententia excommunicat. Priora verò constant ex cap. *Cum inter*, cap. *Dilecti filij*, cap. *Venerabilem*, De exceptionibus, & cap. *Reuera* 3. q. 9.

Possitne aut teneatur comparere in iudicio.

132. Hæc autem omnia intelligenda sunt de reo necessario, id est, qui per citationem generalem, aut specialem, compellitur venire in iudicium: non autem de reo voluntario, id est, qui sponte, & in suum commodum vult sisti in iudicio, ad quod non compellitur, sed actorem potiùs ipse compellit, & prouocat ad litem mouendam. Quia caput *Intelleximus*, supra citatum loquitur tantum de reo prioris generis, deque illo solo procedit ratio eodem cap. allata, Ne videlicet excommunicatus reportet commodum ex sua contumacia. Atque ita docent Abbas, & alij Canonistæ ad caput *Intelleximus*, caput *Cùm inter*, & cap. *Dilecti filij*, titulis supra citatis. Addunt aliqui, vt refert Felinus in cap. *Intelleximus*, debere etiam hæc intelligi de reo; qui non est in mora culpabili petendæ, & impetrandæ absolutionis. Nam si potest cōmodè absolui, non est priùs admittendus in iudicio ad sui

defensionem. Sed cùm iura citata permittant absolutè reo citato, & compulso, sui defensionem: non debemus hanc restrictionem addere, & scrupulum reo iniicere, illique imponere onus probandi se non esse in mora culpabili: quod interdum esset illi difficile, & periculum, aut incommodum pareret. Rectè tamen notat Suares disput. 16. sectione quarta, numero decimo. Si reus citetur apud iudicem, à quo antea fuit excommunicatus, quique habet potestatem eum absoluendi; posse à tali iudice compelli, vt priùs de excommunicatione respondeat, & Ecclesiæ satisfaciat. Iura enim quæ permittunt reo excommunicato se defendere, non adimunt iudici potestatem eum compellendi hac via ad satisfaciendum, priusque illum super excommunicatione conueniendi. Non tenetur tamen iudex ita procedere, quia nullo iure ad id obligatur.

133. Potestne et am per sei sũ cõparere

Affirmant etiam plerique, reum excommunicatum non posse per seipsum comparere in iudicio, quia in capite *Intelleximus*, De iudiciis, dicitur debere per alium in iudicio respondere. Ita Felinus, Decius, & alii ibidem, cum Glossa in caput *Pastoralis*, eodem titulo; qui tamen, & meritò, excipiunt casum, in quo non potest sine incommodo comparere, & respondere per alium. Alii verò, vt Panormitanus, & Glossa in caput citatum, Innocentius, Abbas, Ostiensis &c. quos è Recentioribus sequuntur Suares disputatione 16. sectione 4. numero 7. & Conine disputatione 14. dubio 11. numero 117. docent absolutè posse per seipsum comparere, & respondere: quia alia iura illi permittunt absolutè, vt possit seipsum defendere in iudicio: vt caput octauum & vltimum de Exceptionibus: & caput *Intelleximus*, id non prohibet. Nam verbum *Debet*, refertur ad verbum *Respondere*, de quo directè Pontifex fuerat interrogatus: particula verò *Per alium*, tantùm addita est ad indicandum modum sufficientem, & per se magis conuenientem, vt magis vitetur, quoad fieri potest, communicatio cum excommunicato. Et in capite *Decernimus*, De sententia excommunicationis in 6. statuitur quidem excommunicatum repellendum esse ab agendo, patrocinando, & testificando: sed de comparendo, & respondendo per seipsum, seque defendendo, nihil tale dicitur. Et capite secundo de Procuratoribus, dicitur in grauibus causis neminem cogendum esse procuratorem constituere. Quare probabilius censeo, cum auctoribus citatis, reum non esse cogendum ad comparendum, & respondendum per alium, quoties id facere potest sine incommodo: & ad probandum, priusquàm admittatur, se non posse respondere per alium: quod sæpe illi foret difficile, & moras necteret inutiles, iudiciumque retardaret. Et denique vix vnquam per alium negotia æquè fideliter tractantur, ac per seipsum.

SECTIO XI.

De decimo effectu Excommunicationis, qui est priuatio ciuilis, seu politicæ communicationis.

134. Quibus prohibeatur ciuilis cõmunicatio

Ciuilem communicationem cum fidelibus prohibitam esse excommunicatis maiori excommunicatione patet ex cap. 2. de Exceptionib. & cap. *Nuper*, cap. *Si aut quando*, cap. *Si quem*, de Sent. Excom. cap. *Sicut Apostoli*, & sequentibus, cap. *Ad mensam*, cap. *Si quis laicus*, 11. q. 3. & cap. *Excommunicatos*, aliisque multis 24. q. 1. Idem affirmant communi consensu Theologi in 4. dist. 18. & Canonistæ in caput *Nuper*, aliaque iura citata. Nomine fidelium intelligendi sunt quicunque baptizati; qui scilicet vel de facto sunt fideles, vel esse debent titulo Baptismi accepti, quamuis, sint excommunicati, hæretici, vel apostatæ: vt ex communi sententia docet Suar. disp. 15. sect. 1. num. 12. contra Glossam in caput *Deuotam*, 27. q. 1. & probat ex cap. *Sicut Apostoli*, cum sequentibus, 11. q. 3. vbi simpliciter prohibetur, ne quis cum excommunicato communicet: quæ verba omnes Ecclesiæ subditos comprehendunt, adeóque excommunicatos, & hæreticos, vel apostatas: qui tametsi per excommunicationem, aut hæresim, vel apostasiam sint ab Ecclesia separati, subsunt tamen illius legibus, ex iurisdictioni, cui per Baptismum fuerunt subiecti: neque ex suo delicto reportant commodum, vt cum illis communicare possint, quibuscum antea non poterant. Nomine autem communicationis ciuilis comprehenditur omnis humana societas per salutationem, colloquium, cohabitationem, conuictum, commercium, & alia, quæ hoc versu comprehenduntur vnà cum communicatione in sacris, & diuinis:

135. Quibus & quo pro hibeatur?

Os, orare, vale, communio, mensa, negatur.

Per *Os*, intelligitur osculum pacis, olim in Ecclesia magis vsitatum: & quodlibet signum specialis beneuolentiæ, & amicitiæ: itemque mutuum colloquium, publicum, aut priuatum, & attentio ad eius sermones, & allocutio per literas, nutus, gestus, aut internuncium: & denique omnis communicatio per linguam, vel aliud conceptuum explicandorũ instrumentum. Per *Orare*, intelligitur communicatio in rebus sacris, de qua sufficiunt quæ diximus sect. 2. & sex contequentibus. Altera particula *vale*, significat omnem salutationem honorificam, seu verbo fiat, seu quouis alio signo, vt capitis apertione, inclinatione corporis, manus deosculatione, genuflexione, & similibus, vt bene docent Nauarr. cap. 27. Manual. n. 20. Suar. suprà n. 3. Auila 2. part. cap. 6.

disp. 9. dub. 9. Layman cap. 2. num. 16. & alii recentiores: contra Antoninum, Angelum, & paucos alios affirmantes prohiberi tantùm salutationem per vocem. Verùm honorifica salutatio non minùs aliis signis, imò magis, ac sæpius, quàm vocibus exhiberi solet: & excommunicatus non minùs illâ indignus est; & lex Ecclesiastica intendit simpliciter illum hoc honore priuare: quemadmodum per primam particulam supra explicatam intendit eum priuare omni colloquio, etiam per scripta, & nutus, & non tantùm illo, quod per voces & verba fit: vt fatentur ipsimet aduersarii. Non est tamen prohibitum compellare excommunicatum verbis deprecatoriis, aut exhortatoriis, quibus resipiscentiam ipsi optemus à Deo, vel ad eam inducere conemur. Licet enim eum iuuare ad conuersionem, vt patebit ex dicendi paulò post. Addit Henriquez lib. 13. c. 7. n. 3 licere priùs salutantem retalutare: quia est quædam debiti solutio. Sed si hoc verum esset, liceret etiam loquenti respondere, & scribenti rescribere: quod verum esse non puto.

136. Per vocem *Communio*, prohibetur omnis societas, & cooperatio in negotiis: contractus tamen cum illis initi sunt validi, quamuis illiciti, vt patet ex cap. vlt. §. *Verùm*, De pœnis in 6. & aliis citandis num. 146. Item eadem voce prohibetur omnis cohabitatio, & consociatio in eadem domo, lecto, itinere, naui, balneo &c. Quæ tamen omnia intelligenda sunt formaliter, vt bene aduertunt Layman suprà, & Suares num. 8. & 9. Si nimirum fiant per modum societatis, & communicationis: secus autem si tantùm materialiter, & præter intentionem communicandi, ac per accidens concurrant ambo in eandem viam, eandem nauim, eandem domum, idem hospitium, eundem lectum &c. Denique per vocem *Mensa*, prohibetur omnis societas in humano cœnuictu: vt inuitare ad conuiuium, vel inuitari cum excommunicatis: eidem mensæ accumbere, aut etiam in diuersis, sed per modum vnius cibum sumendo cum illis. Secus si casu id fiat, & concursus sit purè materialis, sine intentione communicandi, & societatis ineundæ: vt quando iter faciendo plures concurrunt in idem hospitium, simulque accumbunt; aut quando in diuersis cubiculis eiusdem domus plures edunt, aut habitant sine societate inter se.

137. Non attingit nisi nominatim excõmunicatos,

Notandum autem est primò, hæc non habere locum nisi respectu eorum, qui sunt nominatim excommunicati, publicèque denunciati à iudice, vel manifesti percussores clericorum. Nam post Decretum Constantiense non tenemur vitare alios. Tametsi fatior iste se tenet solùm ex parte fidelium non excommunicatorum. Nam vt alibi diximus, Concilium reliquit alios in statu eodem, quo erant antea, nolens eos releuare, aut in aliquo eis suffragari: quare tenentur ipsi vitare fideles vt antea, quantùm est ex parte ipsorum, peccantque si eorum communicationi se ingerunt. Nota secundò, communicare in humanis suprà dictis, cum excommunicatis vitandis, non esse regulariter, nisi peccatum veniale, vt docent S. Thomas in 4. dist. 18. quæst. 2. artic. 4. quæstiuncula 3. & alii Scholastici ibidem, & Canonistæ communiter in caput *Sacris*, De iis, quæ vi metusue causâ fiunt, & De sententia excommunicationis, Caietanus, & alii Summistæ v. *Excommunicatio*, Suarez disput. 15. sect. 2. Coninc disput 14. num. 149. & alii recentiores. Regulariter, inquam, id est, nisi quis intendat simul longo tempore cum illis conuersari, & totum hoc obiectum per modum vnius amplectatur. Tunc enim tota illa materia, quæ est vnum obiectum voluntatis, censetur esse materia grauis, & sufficiens ad peccatum mortale. Vel nisi ex tali communicatione sequatur graue scandalum, aut detur excommunicato magna occasio persistendi in sua contumacia. Vel si fiat, ex contemptu formali Clauium. Vel si communicet in crimine, propter quod alter est excommunicatus. Vel si talis communicatio sit specialiter prohibita sub pœna maioris excommunicationis. Sed hæc omnia per accidens se habent respectu primæ excommunicationis, & prohibitionis communicandi, per illam inductæ. Nota tertiò, aliquos esse casus, in quibus licita est communicatio cum excommunicatis etiam denunciatis, & non toleratis. Qui casus hoc versiculo comprehenduntur:

Vtile, lex, humilis, res ignorata, necesse.

138. Excæsat 1. vtilitas corporalis, aut spirit.

Per *Vtile*, intelligitur notabilis vtilitas spiritualis, aut corporalis, siue nostra, siue ipsius excommunicati. Quare licet ab excommunicato petere, & accipere eleemosynam, si quis indigeat; vel consilium, & auxilium, si non est alius, qui æquè bene dare possit, aut velit: vel emere necessaria; vel vti medico excommunicato, si magis idoneus reputetur. Licet etiam excommunicatis, quamuis non toleratis, petere, & accipere à fidelibus subsidium corporale; multóque magis spirituale, per consilium, aut exhortationem: audire conciones; at non ita lectiones, etiam theologicas, quia non ordinantur directè ad emendationem auditorum, vt conciones; sed ad instructionem dumtaxat. Non sunt etiam ipsi permittendi concionari, quia nimis grauis, & ecclesiastica est illa communicatio, valdeque indecens excommunicatis. Neque eorum conciones, vel lectiones, etiam sacras, & Theologicas audire licitum est.

139. 2. Lex matrimonii.

Per *Legem*, intelligitur lex matrimonialis. Licet enim coniugi cohabitare cum coniuge excommunicato, & cum illo communicare in gubernatione familiæ, mensa, colloquio, lecto, vsu coniugii, & aliis actionibus ciuilibus: vt patet ex capite *Quoniam multos*, 11. quæstione tertia,

Digitized by Google

vbi Pontifex nullam limitationem apponit. Idque non minùs verum est de marito respectu vxoris excommunicatæ, quàm de vxore respectu mariti excommunicati. Quamuis enim maritus sit caput vxoris, teneaturque illam corrigere; non tenetur tamen cum tanto suo incommodo. Et quamuis teneretur, peccaret solùm contra legem charitatis non corrigendo, & non vtendo tali medio, vt cogat illam citiùs resipiscere: sed non idcirco peccaret contra censuram, & prohibitionem Ecclesiæ, neque minorem excommunicationem incurreret: quia non tenetur eam vitare vi censuræ, & præcepti Ecclesiæ, quæ potiùs permittit illi cum ea communicare capite supra citato. Nam maritus, & vxor in negotio matrimonii non ad imparia iudicantur, vt dicitur in capite *Gaudemus*, De diuortiis: & ratio propter quam in capite *Inter alia*, De sententia excommunicationis, dicitur permissum esse vxori communicare cum marito excommunicato, est communis marito, respectu vxoris excommunicatæ: eò quòd scilicet durat adhuc debitum per vinculum matrimonii contractum. Idem quoque sentiendum est, licet vterque coniugum sit excommunicatus: quia in capite *Quoniam multos*, suprà citato hic casus non excipitur: & excommunicatio non plus operatur in singulis, eò quòd ab vtroque contracta sit. Existimo tamen hæc omnino debere intelligi excepto casu, quo matrimonium incertum est, quoad valorem, & excommunicatio lata fuit in causa matrimonii, quia lis est, an sit validè, & legitimè initum. Nam tunc non possunt verè, & absolutè dici coniuges, adeóque non comprehenduntur capite *Quoniam*, supra citato: neque vllum debitum ex tali matrimonio contractum est, estque illius vsus illicitus, & cohabitatio, debentq; tales separari. Excepto etiam casu, quo matrimoniũ contractum fuit scienter, & liberè cum excommunicato denunciato: Quia Innocent. III. in cap. *Inter alia*, de Sentent. excomm. insinuat personas, quibus permittitur communicatio cum alio, non obstante ipsius excommunicatione, propter aliquod debitum adhuc manens, debere tales esse, vt debitum illud contraxerint ante excommunicationem: quemadmodum Glossa ibid. rectè aduertit: & alioquí commodum reportarent ex sua iniquitate. Licet contrarium sentiant Vgolin. tab. 2. de Censuris cap. 23. §. 6. & Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 14. numero 3.

140. 3 Subiectio & reuerentia erga Dominos, & parentes.

Per *Humile*, intelligitur necessitas subiectionis, & reuerentiæ quam habent liberi erga parentes: serui, famuli, seu mancipia, & villici erga dominos: Religiosi erga superiores: clerici erga Episcopos, & Prælatos suos, quamuis excommunicatos non toleratos. Nam præter coniuges, de quibus modò diximus, excipiuntur cap. *Quoniam*, supra citato, *Filii, serui, ancillæ, seu mancipia, & rustici seruientes, & omnes alii, qui non adeo curiales sunt, vt eorum consilio scelera perpetrentur*: tum ad euitanda pericula animarum, agendi scilicet frequenter contra excommunicationem: tum etiam quia non decebat, neque expediebat aliquos eorum subtrahi debito subiectionis: vt filios honori, & obsequio naturaliter parentibus debito. Quod verum etiam esse iudico cum Paludano in 4. distinctione decima octaua, & Suare disputatione decima quinta, sectione quinta, numero quarto, de filiis emancipatis: quippe qui adhuc retinent naturale debitum honorandi parentes, illisque obediendi, & subueniendi, quod debitum non tollit excommunicatio: & caput *Quoniam multos*, absolutè excipit filios, debetque potiùs ampliari, quàm restringi. Quare quod D. Thomas dist. cit. cit. quæst. 2. art. 4. q. æstiunc. 1. & alii plerique docent, filium emancipatum non posse communicare cum parente excommunicato: intelligendum est, exceptis iis, quæ sunt propria filii, vt filius est: vel de maiori communicatione quàm antea: putà si antea non vtebatur eadem domo, non debet iam incipere cohabitare cum illo. Idem quoque dicendum est de filiis naturalibus, siue illegitimis: quippe qui non minùs habent debitum naturale obsequendi parentibus: & filii nomine propriè sumpto comprehenduntur, ideóque non minùs excipiuntur cap. *Quoniam multos* sup. citato. Idemque etiam censendum est de filiis adoptiuis: nam illi quoque nomine filiorum absolutè sumpto, solent in iure comprehendi, præcipuè in fauorabilibus, vt colligitur ex lege *Adoptiuũ*, ff. De *in ius vocando*. Modò tamen non sint emancipati: nam tunc inter filios nullo modo censentur, vt habetur in §. *Adoptiui*, De exhæredatione liberorum: neque retinent vinculum naturale obsequendi parentibus, vt filii naturales, aut legitimi. Idem denique iudicandum de genero, & de nuru respectu soceri, & socrus: deque priuigno, & priuigna respectu nouercæ, & vitrici: & de pupillo respectu curatoris, aut tutoris. Quippequi respectu illorum sunt, & habentur filiorum loco, atque ita nominari solent: debetque ad illos extendi fauor concessus cap. supra cit. quandiu saltem cohabitant cum illis, & quasi emancipati non sunt. Secus autem de filiis dumtaxat per cognationem spiritualem, ratione Baptismi, aut Confirmationis; vel propter regimen spirituale, vt inter subditum, & Prælatum ecclesiasticum: poenitentem, & confessarium. Nam caput citatum de illis non loquitur, vt ex verbis ipsius satis patet: neque ex eo titulo præcisè oritur aliqua necessitas communicationis ciuilis, de qua nunc sermo nobis est.

Similiterque mancipia, seu serui, & famuli, sub potestate, & vsu Dominorum constituti, possunt cum illis cõmunicare, & 141

rusti i seruientes, id est, villici & domestici, non autem extranei conducticii, *& alii non adeo curiales*, *vt eorum consilio se iuuare perpetrentur*, id est, qui non sint reipsa participes criminis, propter quod lata fuit excommunicatio, siue consilio, siue auxilio, vel quauis alia cooperatione. Noluit enim Pontifex fauorem istis, vt aliis famulis concedere: quippe qui potiùs debent esse participes poenæ, atque censuræ: & si post incursam à domino excommunicationem, communicant cum illo in eodem crimine propter quod fuit excommunicatus, incurrunt eandem excommunicationem: quod omnibus aliis commune est, iuxta caput *Nuper*, & cap. *Si concubinæ*, De sent. Excommunicat. Notandum autem, prædictos omnes posse cum Dominis, & cum superioribus communicare, non modò in ciuilibus, verùm etiam in sacris, quantum conditio illorum exigit. Quare possunt licitè famuli comitari herum euntem ad sacrum, & sacellanus potest inseruire domino celebranti, vel recitare cum illo preces Canonicas, & sic de aliis quoad officia Dominis suis debita ante excommunicationem. Nam caput sup. citatum *Quoniam multos*, nullum tale officium excipit, & non debet restringi; vt bene docent Henriq. Sanch. Em. Sa, & alii, quos sequitur Aegid. Coninc disp. 14. dub. 12. n. 132.

142. Possunt vicissim parentes & Domini cõmunicare cum filiis & seruis excommunicatis.

Aduerte præterea, posse similiter communicare parentes cum filiis excommunicatis, & dominos cum seruis: quia disposita de vno correlatiuo, debent de altero quoque intelligi, iuxta regulam Iurisconsultorũ, si non sit ratio specialis, cur de vno potiùs sic disponatur, quàm de alio: quæ nulla in præsenti est. Possunt quoque inferiores eiusdem domus, aut familiæ inter se communicare in iis, quæ moraliter vitari non possunt, quamuis vnus illorum sit excommunicatus, putà vnus fratrum, aut famulorum, vel etiam plures. Licet enim caput *Quoniam multos*, de illis non loquatur: tamen concesso principali, videtur simul concedi id quod consequens, & accessorium est: & vix possunt illi communicare vni tertio, parenti scilicet, vel Domino, quin communicent inter se: debetque potiùs hic fauor, & libertas communicandi latè intelligi, ne fideles onerentur scrupulis, & frequentibus peccandi periculis exponantur. De subiectis autem temporali solùm, aut spirituali iurisdictioni alicuius excommunicati sitne idem sentiendum, videri potest apud Suarem disp. 15. sect. 6. & 7

143. Quid si famuli post excõmunicationem cũ his cõtraxerint?

Difficultas verò est, vtrum, vt famuli, & alii supradicti possint cum Domino excommunicato communicare licitè, necessarium sit debitum cum illo fuisse contractum ante ipsius excommunicationem. Affirmant generaliter D. Thom. in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4. quæstiunc. 4. Angelus v. *Excommunicatio* 8. num. 11. & Armilla eodem verbo, num. 48. quia in cap. *Inter alia*, de Sentent. excommunic. dicitur, tales obligari ad familiare obsequium excõmunicati, eò quòd ante excommunicationem obligabantur, & hoc debitum adhuc durat. Quæ ratio deficit in illis qui debitum contrahunt post excommunicationem. Alii contra absolutè negant: quia, inquiunt, Pontifex in cap. citato non loquitur de illis qui possunt licitè non vitare excommunicatum: sed de iis qui tenentur non vitare: & huiusmodi dicit esse illos qui ante excommunicationem, hanc obligationem contraxerunt, quâ non sunt liberati per excommunicationem: Alii verò, quamuis non teneantur communicare cum illis, possunt tamen si velint.

Sed melius Siluester v. *Excommunicatio* 5. §. *Tertiò*, Suar. disp. 15. sect. 5. n. 17. & sequentibus, Coninc. disp. 14. dub. 12. n. 127. Auila parte. 2. cap. 6. disp. 11. dub. 6. Layman cap. 2. n. 17 & plures alii distinctione vtuntur. Vel enim personæ illæ contraxerunt scienter, & liberè debitum seruiendi post excommunicationem Domini, cum aliqua ipsorum culpa: vel non. Si primum, non possunt licitè communicare cum Domino excommunicato, quia non debent referre commodum ex sua culpa. Ideoque tenentur illum vitare, & deserere, si possunt absque graui incommodo. Si secundum: possunt cum illo communicare: putà si quis famulatum suum illi elocauit, quia non poterat aliter victum lucrari: vel quia ipse tali famulatu grauiter indigebat, ita vt ratione tantæ necessitatis potuerit licitè id facere: vel quia ignorabat esse excommunicatum: vel quia licet iam esset excommunicatus, nondum tamen erat nominatim denunciatus, adeoque non tenebatur eum vitare: vel denique quia bona fide existimauit esse iam absolutum, vel id non esse prohibitum. 144.

Sequitur 4. causa excusans, significata per hanc vocem, *Resignorata*: quæ intelligenda est de ignorantia siue iuris, siue facti: quia caput *Quoniam multos*, de illa loquitur absolutè, & sine distinctione. Vtque excusset, saltem à minori excommunicatione, sufficit non esse affectatam. Non debet etiam vitari ille, cuius excommunicatio est dubia. Nam in dubio melior est conditio possidentis: neque potest vitari sine insius iniuria. Exceptis casibus, in quibus periculum est ne actiones ab illo factæ sint inualidæ, si reipsa est excommunicatus non toleratus: Ex. gr. si periculum est, ne absolutio sacramentalis sit irrita, & nulla, defectu iurisdictionis. Nec obest quòd ille qui dubius est de sua ipsius excommunicatione, teneatur alios vitare cap. *Cùm desideres*, de sent. Excommunic. quia iura meritò id speciliter de illo statuerunt, & priuarunt facultate communicandi etiam in casu dubii, propterea quòd culpa, seu causa excõmunicationis, penes ipsum residet, & tali pœna digna est. At de aliis non est par ratio, neque de illis id statutum fuit. Quan- 145. 4. Excusat ignorantia iuris vel facti.

Digitized by Google

do autem certò constat aliquem contraxisse excommunicationem, & dubitatur vtrum obtinuerit absolutionem, vitari debet, præsertim in rebus sacris, donec probabiliter constet de illius absolutione, iuxta regulā sumptam ex Glossa cap. *Proposuit*, De clerico excommunicato, & communiter receptam à Doctoribus. Sufficit autem quòd publica fama id constet, vel quòd vnus, aut plures fide digni id asserant: vel etiam testimonium ipsius excommunicati, si non est ratio suspicandi ipsum mentiri: vel si longum tempus effluxit à contracta excommunicatione, & habita ratione conditionis personæ (quia nimirum est vir timens Deum) non est probabile tamdiu hæsisse in statu excommunicationis. Nota præterea cum, qui sciret aliquem fuisse alibi excommunicatum denunciatum, non debere aliis id significare, vbi res est occulta, neque vitare illum publicè, sed tantùm occultè, sine famæ ipsius detrimento.

146. §. Periculum grauis damni spiritualis aut corporalis.

Quinta & vltima causa est, necessitas vitandi aliquod graue damnium, siue ad animam pertinens, siue ad corpus, siue ad famam, & honorem, siue ad bona temporalia: & siue ab intrinseco oriatur hæc necessitas, siue ab extrinseco, etiam per vim, & iniuriam. Dummodo enim grauis sit, reddit licitam communicationem non modò in ciuilibus, sed etiam in rebus sacris, & in omnibus negotiis per se licitis. Ex eodemque capite necessitatis licitum est creditori exigere debitum ab excommunicato. Et vice versa creditor excommunicatus potest licitè exigere debitum à nō excōmunicato, tenenturque iste in foro cōscientiæ reddere, quamuis in foro externo possit eū repellere per exceptionem de excōmunicatione, vt diximus sect. 10. Nec obest caput *Nos sanctorum*, 15. q. 6. vbi Gregorius VII. absoluit subditos à debito, & fidelitate, etiam iuramento firmata, erga dominos aut principes excōmunicatos. Nam hoc ideo facit, quia excōmunicatio priuat vsu iurisdictionis: sed non priuat vsu dominii rerum suarum, aut iure petendi debitum ex legitimo contractu: possunt autem excommunicati validè, & legitimè contrahere, etiam in statu excommunicationis, vt patet ex cap. *Felicis*, §. *Verum*, de Pœnis in 6. vbi absolutis ab excōmunicatione conceditur facultas repetendi debita, quæ alii tempore excommunicationis erga illos contraxerunt: & cap. *Significasti, de eo qui duxit* &c. vbi dicitur legitimum esse matrimonium ab excommunicato contractum: & cap. *Inter dilectos De donationibus*, vbi habetur, excommunicatos validè donare. Possunt etiam validè testari, aut hæredes instituí; exceptis quibusdam, qui speciatim hac poena mulctantur, vt neque testari, neque hæredes instituí possint, in detestationem criminis adeo nefandi, & abominandi: cuiusmodi sunt percussores Cardinalium cap. vlt. de poenis in 6. & hæretici, eorumque fautores, receptatores, & defensiores, cap. *Excommunicamus*, §. *Credentes*, d Hæretici.

SECTIO XII.

De aliis duobus effectibus maioris Excommunicationis.

VNdecimus effectus Excommunicationis maioris est, quòd ille qui cum excommunicato non tolerato communicat extra casus permissos, incurrit minorem excommunicationem: vt habetur in cap. *Statuimus*, De sent. Excommunic. in 6. Exceptis tribus casibus, in quibus incurrit maiorem. Vnus est, quando aliquis communicat in crimine propter quod ille fuit excommunicatus; tunc enim incidit in eandem excommunicationem, vt habetur in cap. *Nuper*, de sentent. Excommunicationis, vbi dicitur cum qui nominatim excommunicato communicat in crimine criminoso, ei consilium, auxilium, aut fauorem impendendo, incurrere excommunicationem, quæ non potest nisi ab eodem, vel ab eius superiore tolli: cùm facientem, & consentientem par poena constringat, id est, eadem excommunicatione ambo ligentur. Et in cap. *Si concubinæ*, eod. tit. dicitur, Si concubinæ publicæ clericorum ecclesiasticæ censuræ districtione notentur, eosdem concubinarios sine dubio inuolui sententia maioris excommunicationis, qui post latam sententiam communicant in eodem crimine criminoso. Et cap. *Statuimus*, De sent. Excommunic. in 6. confirmātur iura modò citata, statuiturque vt nullus iudicum participantes cum excommunicatis ab ipso in locutione, & aliis prohibitis, ante monitionem canonicam excommunicatione maiori excommunicare præsumat: saluis tamen constitutionibus contra illos legitimè promulgatis, qui in crimine præsumunt participare damnato.

147. Quibus in casibus excommunicatus incurrit minorem, aut aliā maiorem?

Ad incurrendam autem hanc excommunicationem, necessarium est, vt ille, cum quo communicatur in crimine, fuerit iam antea excommunicatus propter illud crimen. Nam iura citata loquuntur de communicatione cum excommunicato: quæ verba formaliter, & propriè intelligenda sunt. Et in cap. *Si concubinæ* sup. cit. dicitur expresè, *qui post latam sententiam communicant in eodem crimine*. Itaque necessariū est, vt is cum quo communicatur, sit iam de præsenti excommunicatus. Requiritur etiam vt communicans hoc sciat: alioquin, excusabitur per ignorantiam à contumacia, & consequenter à censura. Qualis autem debeat esse ignorantia vt excuset, patet ex dictis de censuris in communi disp. 58. sect. 5. Item requiritur, vt excommunicatus ille sit nominatim denunciatus, aut ma-

148. Primus casus quo inducit aliam maiorem

nifestus percussor clerici. Nam licet iure naturali, & diuino teneamur non communicare cum vllis aliis in crimine: tamen præceptum Ecclesiæ, & censura illi annexa non obligant ad vitandos, nisi prædictos excommunicatos non toleratos, post Decretum Constantiense, aut Basileense, vt rectè affirmant Nauar. cap. 27. Manual. n. 112. & Suar. disp. 17. sect. 2. n. 5. Requiritur etiam vt communicatio sit in illo ipso crimine propter quod alter fuit excommunicatus: alioqui non est iniuriosa excommunicationi, in cuius defensionem, & vltionem contemptus circa illam, fertur hæc censura: & iura citata loquuntur expressè de participatione in eodem crimine, pœnâ excommunicationis iam damnato. Qua etiam de causa absolutio ab hac censura pertinet ad eundem, ad quem spectat excommunicatio illius cum quo participatur in crimine, vt dicitur cap. *Nuper* sup. citato. Quod ideo statutum fuisse videtur, vt ita satisfiat excommunicatori, in cuius contemptum, & iniuriam cedit huiusmodi participatio in crimine ab illo iam damnato, & pœna excommunicationis affecto. Ad eundem, inquam, vel ad eius successorem, aut superiorem, aut delegatum: iuxta ea quæ diximus de absolutione à censuris in genere. Hinc fit, vt si quis fuerit excommunicatus propter clerici percussionem v. g. & alter ei participet in crimine detractionis, non incurrat maiorem excommunicationem vi huius participationis. Imò si fuit excommunicatus propter incendium particulare huius domus, aut Ecclesiæ, non sufficit concurrere ad aliud incendium propter quod lata non fuit excommunicatio. Secus autem si generaliter propter incendium fuit excommunicatus, id est, quia incendiarius absolutè. Denique, vt rectè notat Suar. sup. n. 6. post Ricardum in 4. dist. 18. art. 9. quæst. 2. requiritur vt verè communicet in tali crimine, id est, verè in illud influat physicè aut moraliter: in illud, inquam, coniunctim cum altero, & prout crimen alterius est, talique censura damnatum: siue physicè illi cooperando, & partialiter concurrendo ad eundem effectum, siue moraliter tantùm præbendo illi consilium efficax, aut mandatum, aut fauorem directè circa illud crimen continuandum: non autem faciendo aliquid aliud circa personam, vel aliquod illius opus, ex quo per accidens & indirectè sequatur excommunicatum fieri proniorem, vel audaciorem ad perseuerandum in eodem crimine perpetrando.

149. Secundus casus.

Alter casus, in quo incurritur excommunicatio maior propter communicationem cum excommunicato non tolerato, est, quando aliquis cum illo communicat post specialem prohibitionem legitimè factam, & canonicam monitionem de non communicando cum illo sub pœna excommunicationis: vt habetur in cap. *Constitutionem*, De sent. excom. in 6. & cap. *Statuimus*, eod. tit. vbi etiam expressè dicitur huiusmodi excommunicationem non posse ferri per sententiam generalem, sed dumtaxat per specialem circa personam determinatam, & nominatam; nec nisi canonica monitione præuia, id est, trinâ, vel vnâ pro tribus cum sufficiente interuallo, nisi facti necessitas interuallum contrahere cogat: additurque, nisi hæc omnia seruentur, excommunicationem huiusmodi fore nullam.

150. Tertius casus.

Tertius casus est, quando clericus scienter, & sponte admittit ad diuina excommunicatum à Papa, nominatim denunciatum. Incurrit enim similem excommunicationem, eidemque summo Pontifici reseruatam, vt dicitur cap. *Significauit*, De sent. excommun. Sed ad illam incurrendam quinque conditiones requiruntur, in textu citato satis expressæ, vt notarunt Caiet. v. *Excommunicatio*. 7. casu 6. Nauarr. cap. 27. Manual. n. 93. Suar. disp. 10. s. 2. n. 9. Auila 2. part. cap. 6. disp. 10. dub. 2. Coninc disp. 14. dub. 5. n. 33. Bonacina disp. 2. q. 2. punct. 6. §. 1. n. 9. & plures alii. Primò scilicet, quòd communicans cum excommunicato sit clericus. Secundò, quòd scienter, & sponte communicet, id est, sciens esse excommunicatum, & sine metu ad id adigente. Tertiò, quòd excommunicatus ille sit nominatim denunciatus. Quartò, quòd idem sit excommunicatus Papali excommunicatione. Quintò denique, quòd clericus cum illo participet, illum admittendo ad diuina officia. Non enim sufficit, quòd cum illo tantùm, velut vnus de populo, simul interfit officiis diuinis: quo in casu incurret tantùm minorem excommunicationem, vt alii qui cum illo communicant in rebus sacris.

151. Insordescens per annũ fit suspectus de hæresi.

Duodecimus, & vltimus effectus est, quòd si quis suâ culpâ insorduerit per annum in statu excommunicationis, neque post legitimas monitiones resipuerit, habetur suspectus de hæresi, & contra illum vt talem procedi potest. Sic enim statuit Trident. sess. 25. cap. 3. Decreti de Reformatione in fine: idemque affirmant Canonistæ communiter, in cap. *Contingit*, De dolo & contumacia, cum Glossa ibid. & Directorium inquisitorum 2. part. q. 47. In illo tamen cap. non est sermo de excommunicato insordescente per annum in sua contumacia: sed de Actore, cui propter contumaciam aduersæ partis adiudicata est (causâ rei seruandæ) possessio: quique propter illius potentiam, aut dolum, rem custodiendam nanciscì nequit, vel acquisitam amittit: & sic iuxta multorum opinionem, non efficitur verus post annum elapsum rei possessor: atque ita reus commodum reportat de sua malitia. Quod ne amplius contingat, neue contumax melioris, quàm obediens, conditionis existat, statuit Pontifex vt in casu prædicto actor anno elapso constituatur verus rei possessor. Ex quo non

Digitized by Google

videō qua ratione colligi possit id de quo est quæstio.

152. Aptiùs verò ad idem probandum adduci potest caput *Cum contumacia*, de hæreticis in 6. vbi tamen non est sermo de quolibet excommunicato; sed specialiter de illo, qui vocatus vt de fide respondeat, seque purget de hæresi, de qua erat suspectus, obedire subterfugit, aut contumaciter se absentat: & eapropter excommunicationis vinculo innodatur: quam si per annum animo pertinaci sustineat, ex tunc velut hæreticus condemnandus est. Inde verò Doctores eandem poenam extenderunt ad quoscunque alios insordescentes culpabiliter, & contumaciter in excommunicatione per annum: eò quòd videantur contemnere sacramenta quorum vsu priuantur, & suffragia, & claues Ecclesiæ, maléque sentire de fide.

153. Huic poenæ affinis est alia, statuta in cap. *Rursus*, 11. q. 3. vbi dicitur clericos excommunicatos, qui se purgare suamque innocentiam probare voluerint, debere intra annum excommunicationis id facere: quòd si facere contempserint, *nulla eorum vox postea penitùs audiatur*. Et cap. proxime sequenti, generaliùs de quibuscunque excommunicatis sancitur, vt quicunque intra anni spatium ciuiliter, siue publicè causam suam coram suis excommunicatoribus non peregerint, *ipsi sibi aditum audientiæ clausisse videantur*. Addunt Innocent. & quidam alii Canonistæ in cap. *Rursus* sup. cit. vel cap. *Cùm bonæ memoriæ*, De ætate, & qualitate, & ordine præficiendorum, clericum insordescentem culpabiliter per annum in excommunicatione, priuari iure ipso Beneficiis si quæ possidet. Sed hoc nullo textu probant, sine quo tamen poena tam grauis non est admittenda. Nam caput *Rursus*, nihil tale affirmat, vt iam vidimus. Neque vi illius capitis probari potest quempiam priuari, aut priuandum esse Beneficiis post insordescentiam vnius anni, nisi in casu, quo sit excommunicatus propter crimen, cui talis poena fuerit aliunde imposita. De quo crimine conuictus habetur vi illius textus, nisi intra annum se purgauerit: potestque tunc propter illud puniri.

Debet intra annū se purgare.

154. Caput autem *Cùm bonæ*, tantùm affirmat manentes triēnium in suspensione non posse licitè retinere Beneficia, quæ priùs habuerunt, vel quæ post modum sunt adepti: & pro tanta pertinacia, & contemptu sedis Apostolicæ, Beneficiis, quæ habent, debere statim spoliari. Ex quo non sequitur excommunicatos insordescentes (qui quandiu sunt excommunicati, sunt pariter suspensi ab officio) esse post annum iure ipso illis priuatos: sed ad summum debere priuari post triēnium, vt ibidem Pontifex fieri præcipit, ideóque iudicibus ecclesiasticis incumbit obligatio id faciendi: antea verò non tenentur eos spoliare: tametsi possunt, quando prudens ratio dictabit causam excommunicationis, & contumaciam talem esse, vt hanc poenam mereatur. Quo sensu debet intelligi, vt verum sit, id quod ait Glossa eiusdem capitis *Cùm bonæ*: Ex quo per annum, & vltra quis permanet in excommunicatione, debere priuari Beneficiis. His denique addi potest insordescentes contumaciter per annum in excommunicatione, non gaudere beneficio generalis absolutionis, quæ datur per rescripta Apostolica in ordine ad illorum valorem, & effectū consequendum, vt cum Rebuffo, Bonacina, Suare, & aliis notauimus in fine sectionis 8. n. 100.

Sitne, priuatus Beneficio?

SECTIO XIII.

De causis maioris excommunicationis.

155. QVatuor sunt causæ maioris excommunicationis. Efficiens, finalis, materialis, & formalis. Efficiens est duplex: ius scilicet, respectu earum excommunicationum, quæ dicuntur esse latæ à iure: & homo, seu iudex ecclesiasticus, respectu earum, quæ dicuntur ferri ab homine per sententiam, siue generalem, siue particularem. Hic autem iudex debet esse talis, vt habeat iurisdictionē in foro contentioso: cuiusmodi sunt Papa, & Episcopi iure ordinario, & quicunque participant iurisdictionem Episcopalem ex speciali institutione, vel priuilegio, aut consuetudine, vt cum communi sententia affirmat Suar. disp. 18. sect. 1. n. 3. Nimirum Legati à latere summi Pontificis, Cardinales etiam non presbyteri, in ecclesiis suorum titulorum, Vicarii Generales Episcoporum, & Capitulum eiusque Vicarii sede vacante, Prælati regulares in suos subditos, Abbates quidam, & Ecclesiæ Collegiatæ, habentes iura Episcopalia. At verò parochi non possunt excommunicare præcisè ex vi sui officii, quod nullam eis dat iurisdictionem in foro contentioso: sed si alicubi, & in quibusdam casibus hoc ius exercent, debent id facere ex tacita, vel expressa commissione Episcoporum, vel ex consuetudine legitimè præscripta, quæ sufficit ad dandam iurisdictionem. Licet Ostiensis & Siluester v. *Excommunicatio* 1. n. 5. & quidam alii, plus tribuere videantur parochis: & Glossa in cap. *Miramur*, 24. q. 1. §. *Cùm ergo*, dicat absolutè sacerdotem posse excommunicare: sed planè improbabiliter, & sine vllo textu, si generaliter hoc intelligit de quolibet sacerdote.

Causa efficiens maioris excommunicationis

156. Cùm autem vno in loco excommunicati ab homine teneantur vbique abstinere à communicatione fidelium, ipsique fideles vbique terrarū obligentur abstinere ab illorum communione; difficultas est, quomodo possint hanc obligationem inducere Episcopi, & iudices ecclesiastici summo Pontifice inferiores, qui non habent iurisdictio-

Quomodo potest Episcopalis vbique ligare

nem extra suum territorium? Cui difficultati, omissis aliorum solutionibus, respondeo cum Suar. sect. cit. n. 8. duo in excommunicatione consideranda esse: videlicet institutionem talis censuræ, & illius impositionem tali personæ. Primum non potuit fieri auctoritate cuiusquam Prælati particularis, & propria illius iurisdictione, vt bene probat ratio dubitandi allata: nec enim potuit tam vniuersalem imponere obligationem, quantam secum fert excommunicatio. At verò posita institutione censuræ, facta ab Ecclesia per summum Pontificem, aut Concilium generale, possunt Episcopi illam ferre circa suos subditos, quæ secum trahat obligationem, qualem Ecclesia instituit, & quam inseparabiliter alligauit tali censuræ, id est, quæ sequatur vbique excommunicatum, donec absoluatur, & vbique obliget illum ad vitandam communicationem fidelium; & hos pariter vbique obliget ad ipsum vitandum, si est nominatim denunciatus, vbicunque notus erit vt talis.

157. Causa finalis excommunicationis est quoque duplex; emendatio rei, & vltio iniuriæ factæ Ecclesiæ per contumaciam inobedientis, cap. *Cùm medicinalis*, De sentent. excomm. in 6. Cuius vtriusque finis respectu excommunicatio dicitur esse poena medicinalis, seu medicina simul & poena. Eandemque ob causam excommunicatio non est de se perpetua, sed tolli debet sublatâ contumaciâ, exhibitâque sufficienti Ecclesiæ satisfactione, iuxta caput, *Quæ fronte*, De appellationibus, & cap. *Ex literis*, De constitutionibus. Neque potest imponi non modò in perpetuum, sed neque ad tempus definitum, vt scilicet toto illo duret. Pœna enim, quæ sic fertur, durare debet vsque ad tempus præfixum, quidquid reus agat; neque potest antea iure ordinario reus ab ea liberari. At excommunicatio non debet ita durare vsque ad certum tempus definitum, sed vt statuunt, aut declarant iura supra citata, debet tolli per absolutionē cessante rei contumacia, & statim atque illa cessauerit, Ecclesiæque & parti læsæ reus satisfecerit.

Causa finalis.

158. Causa materialis excommunicationis est duplex. Vna quasi subiectiua, & in quâ, id est, persona, quæ potest excōmunicari. Altera obiectiua, & circa quam, id est, culpa propter quam potest excommunicari. De priori dico primò, quamcunq; personam iurisdictioni ecclesiasticæ subiectam esse capacem excommunicationis, id est, quamcunque personam viuentem, baptizatam, & summo Pontifice inferiorem: vt patet ex dictis de censuris in genere, vbi etiam exposuimus quo sensu dicantur interdum defuncti, & bruta excommunicari. Debet autem quisquis excōmunicatur, esse persona particularis: quia communitas non potest excommunicari, vt expressè cauetur cap. *Romana*, §. *In vniuersitatem*, De sent. excommunic. in 6. Cuius constitutionis ratio potissima hæc est, quia rarò contingit omnia membra communitatis committere peccatum propter quod fertur excommunicatio: & non vult Ecclesia innoxios cum noxiis hac censura irretiri, vt dicitur in fine capitis citati. Fieri tamen potest vt omnia membra communitatis alicuius subiaceāt excommunicationi, si sententia generalis, vel lex, aut statutum comprehendat omnes, qui tale crimen commiserint, & contingat omnia communitatis illius membra in illud incidisse. Præterea licet in cap. *Quia periculosum*, De sent. excommunicat. in 6. statuatur vt Episcopi non comprehendantur sententiis generalibus, quibus suspensio, vel interdictum ipso facto imponitur: nihil tamen huiusmodi circa excommunicationem statutum fuit, sed rigor excommunicationis quoad illos, est integrè seruatus. Quare sententiæ, aut leges excommunicatoriæ illos comprehendunt, quando feruntur à superiore iurisdictionem in illos habente. Ex gr. Non minùs excommunicatur Episcopus percussor clerici, quàm quilibet alius, virtute Canonis, *Si quis suadente Diabolo*, generaliter id statuentis.

Causa materialis, seu quinā possunt excōmunicare?

159. Dico 2. causam propter quam potest, aut debet ferri maior excommunicatio, non esse aliam, quàm peccatum mortale, cum inobedientia, & contumacia erga Ecclesiam commissum, vt habetur cap. *Episcopi*, cap. *Nemo Episcoporum*, cap. *Nullus*, 11. q. 3. & cap. *Reficandæ*; cap. *Corripiantur*, aliisque pluribus, 24. q. 3. & cap. *Sacro*, De sentent. excommunic. cap. *Romana*, eod. tit. in 6. Idemque statuit Tridentinum sess. 25. cap. 3. Decreti de reformatione, vbi sapienter monet gladium excommunicationis sobriè, magnaque circumspectione exerendum esse, cùm experientia doceat, si temerè, aut leuibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quàm formidari; & perniciem potiùs parere, quàm salutem. Statuitque vt excommunicationes illæ, quæ monitionibus præmissis, ad finem reuelationis, vt aiunt, aut pro deperditis, seu subtractis rebus ferri solent, à nemine prorsus, præterquam ab Episcopo decernantur: Et tunc non aliàs, quàm ex re non vulgari, causâque diligenter, ac magna maturitate per Episcopum examinatâ, quæ eius animum moueat. Confirmatur ex Scriptura. Nam vbicunque loquitur de excommunicatione ferenda, vel illata, præsupponit semper graue peccatum; vt Matth. 18. vbi cùm dicit, *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*; supponit illum periisse per peccatum, de quo corripitur, & propter quod excommunicandus est, nisi resipiscat: adeóq; fuisse illud graue, & mortale, vt expendit August. serm. 16. de Verbis Domini. Et Act. 8. vbi Simon magus excommunicatur propter peccatum Simoniæ. Et 1. Corinth. 5. vbi Corinthius excommuni-

Causa propter quam.

Digitized by Google

catur propter inceſtum cum nouerca. Et 1. Timot. 1. v. vlt. Alexander, & Hymenæus excommunicantur propter blaſphemiam: & 2. Ioan. 1. v. 10. & ſequentibus præcipitur vt pro excommunicatis habeantur hæretici, qui veram Chriſti doctrinam non afferunt, ſed praua dogmata fraudulenter diſſeminant. Confirmatur ſecundò, quia excommunicatio maior eſt grauiſſima pœna eccleſiaſtica, quæ non poteſt niſi pro culpa graui, & proportionata infligi. Item excommunicatio illa eſt ſeparatio ab Eccleſia, à qua non debent excludi, niſi qui meruerunt excludi à regno cœlorum. Nemo autem id meretur, niſi per mortale peccatum. Et denique quòd poena mortis eſt in temporalibus, idem eſt poena maioris excommunicationis in ſpiritualibus. Poena verò mortis non imponitur, neque iure imponi poteſt, niſi propter grauia crimina. Propter quæ Suar. diſp. 18. ſect. 3. meritò affirmat non modò Epiſcopos, & Prælatos inferiores, ſed neque ipſum ſummum Pontificem poſſe aliter facere; quia Eccleſia non accepit maiorem à Deo poteſtatem: eſſeque nullam maiorem excommunicationem, à quocunque feratur, ſi pro culpa non mortali lata ſit: & quæcunque excuſant à mortali, excuſare pariter ab illius incurſu.

160. Debet peccatum eſſe graue & nocēs aliis.

Addo, non quodcunque peccatum mortale eſſe materiam ſufficientem excommunicationis, ſed debere eſſe graue, & nocium aliis. Poena enim adeo grauis, & tam multa ſecum ferens incommoda, priuationis ſacramentorum, ſuffragiorum Eccleſiæ, & communionis fidelium, non debet imponi, niſi pro culpis grauioribus. Sicut non debet pro quolibet morbo fieri membri abſciſſio, ſed tantùm in caſu neceſſitatis: neque pro quolibet peccato contra rempublicam ciuilem infligitur pœna mortis, ſed dumtaxat pro maioribus, & magis aduerſantibus bono illius ſtatui. Debet preterea peccatum illud eſſe externum, quia de internis non iudicat Eccleſia: & coniunctum cum aliqua contumacia contra ipſam: non quidem ita vt ſit neceſſarius contemptus formalis, & voluntas expreſſa reſiſtendi contumaciter in contemptum Eccleſiæ: ſufficit enim Eccleſiam præcipere cum cenſuræ comminatione, & non obſtante vtriuſque notitia, fieri contra præceptum ſine cauſa excuſante: in hoc enim eſt ſufficiēs contumacia, inobedientiæ coniuncta, quam meritò Eccleſia vlciſci poteſt per excommunicationem.

161. In contrarium obiici poteſt, quòd antiqui Canones pro leuibus cauſis excommunicent: vt Canon 24. Concilii Carthagin. IV. relatus in iure Canonico de Conſecrat. diſt. 1. cap. *Sacerdote*, vbi ſtatuitur, vt excommunicetur, qui egreſſus fuerit de auditorio, ſacerdote verbum faciēte in Eccleſia: & cap. 4. *De vita, & honeſtate clericorum*, ſancitur, vt ſi quis ex clericis comam relaxauerit, anathema ſit: & cap. *Si quis Apoſtoli*, 11. q. 3. decernitur, vt qui communicat cum excommunicatis, etiam in humanis: in eandem incurrat excommunicationem, dicitur que hanc eſſe inſtitutionem apoſtolicam: Et cap. *Peruenit*, de Sentent. excommun. dicitur moderatam & leuem clerici percuſſionem ſufficere ad contrahendam maiorem excommunicationem latam contra percuſſores clericorum.

Ad primum Reſpondeo primò, Verbum *Excommunicetur*, poſſe intelligi de minori excommunicatione: nam olim latiſſimè tunc temporis vtebatur, quàm nunc ab eo tempore, quo iura declararunt illud abſolutè poſitum deinceps de maiori excommunicatione intelligendum eſſe, atque eo ſenſu vtrpandum, cap. penult. De ſententt excommunicat. Secundò, poſſe etiam intelligi de ſola priuatione communionis, iuxta morem & modum loquendi illius temporis. Tertiò, iubere tantùm vt excommunicetur, cauſa videlicet examinata, & comperto quòd tali poena dignus ſit. Fieri autem potuit, vt propter multitudinem egredientium, neceſſitatem inſtructionis, & corroborationis contra vigentes fidei perſecutiones, aliaſque circumſtantias, magna inde oriretur Eccleſiæ perturbatio, & graue ſcandalum, inconſtantiæque in fide periculum, quod non vacaret culpa mortali. Solumtur obiecta contraria.

Ad ſecundum dico, caput illud quartum de vita & honeſtate clericorum, eſſe intelligendum de clerico ita laxante comam, vt nullum in ea ferat indicium ſtatus clericalis, quique monitus à Prælato contumaciter perſtiterit. Quod vt ait Turrecrem. ibidem, eſt quædam apoſtaſia à clericatu, & graue peccatum, propter quod in cap. *Contingit*, 2. De ſentent. excommunic. priuatur clericus priuilegio Canonis *Si quis ſuadente Diabolo* &c. ſi in modo tonſuræ de clerico quicquam non offendit, & tertiò admonitus non emendatur. 162.

Ad tertium Reſpondeo primò, in exemplarib. Gratiani correctis non ita legi, ſed *Si quis cum excommunicatis ſcienter pallam in domo, aut ſimul locutus fuerit, vel orauerit, ille communione priuetur*. Secundò, dato quòd textus habeat vt refertur, dico ſermonem ibi eſſe de minori excōmunicatione, quæ vocatur *eadem*, non propter veram identitatem, aut æqualitatem: ſed propter ſimilitudinem. Eſt autem aliqua ſimilitudo inter maiorem, & minorem excommunicationem in eo quòd veraque priuat communicatione paſſiua ſacramentorum. Cui expoſitioni fauet caput proximè citatum, ſic dicens: *Qui unque cum eo communicauerit, ſimiliter ſe ſciat eſſe excommunicatum*: & cap. *Excommunicatos* 11. q. 3. vbi Calliſtus eandem Apoſtolicam inſtitutionem ſic refert. *Quicunque in his, vel aliis prohibitis, ſcienter excommunicatis communicauerit, iuxta Apoſtolorum inſtitutionem, & ipſe ſimili excommunicationi ſubiacebit*. Poteſt autem eſſe ſimilis, tametſi

minor & inæqualis. Et iura deinceps secuta sufficienter declarauerunt, Constitutionem illam debere intelligi de minori excommunicatione, quæ ipso facto incurritur per communicationem illicitam cum excommunicatis.

163. Ad quartum dico percussionem ibi vocari leuem respectu mediocris, & enormis, quamuis absolutè talis sit, vt ad peccatum mortale sufficiat: iuxta ea quæ dicemus sect. 17. Vel potiùs, & magis ad rem nostram, sermo ibi est de percussione leui physicè quoad nocumentum corporale: sed moraliter graui propter circumstantiam personæ, vel rationem modi inferendi.

Causa formalis scilicet modus, quo ferri debet.

Iam quod ad causam formalem attinet, id est, ad modum quo ferri debet, dico ad substantiam, & valorem illius requiri, ac necessarium esse, vt feratur verbis sufficienter illam exprimentibus, siue à iure imponatur, siue ab homine. Cuiusmodi verba sunt, Excommunicamus maiori excommunicatione, quamquam etiam sufficit dicere simpliciter, excommunicamus, propter caput penultimum de sententia excommunicationis: Separamus ab Ecclesia: Præscindimus à communione fidelium: Priuamus participatione sacramentorum, & communione fidelium: Nemo cum illis communicet: Nouerint se excommunicatos: Denunciamus esse excommunicatos, practicè scilicet, & effectiuè, vt si Rex iudicem constituendo diceret, Denuncio te esse iudicem. Debent autem cùm iura, tum sententiæ quibus ab homine fertur excommunicatio, satis clarè id exprimere, & sine ambiguitate. Nam alioqui non habebunt effectum, cùm pœnæ sint benignius interpretandæ, & in mitiorem partem accipiendæ, vt dicitur Reg. 49. *De regulis iuris in 6.*

164. Debet præcedere monitio, si fertur ab homine.

Præterea si sententia fertur ab homine pro crimine commisso, necessarium est ad illius valorem, vt præcedat vna saltem monitio Canonica: ad illam verò quæ fertur à iure, vel per sententiam generalem, sufficit ipsa legis, vel sententiæ promulgatio, quæ omnes satis admonet per notitiam prohibitionis, & censuræ incurrendæ, si tale crimen committatur. Vt autem licitè feratur excommunicatio, ab homine, non sufficit vnica monitio, sed trina præmitti debet, aut vna pro tribus, dato interuallo competenti si fieri potest, & causâ scripto expressâ, reóque ipsi tradita intra mensem, si id requirat, vt præscribitur in cap. *Cum medicinalis*, De sent. excommunic. in 6. Quædam etiam ad solemnitatem excommunicationis adhiberi solent, & ad maiorem terrorem incutiendum, quę tamen ad illius essentiam, & valorem non requiruntur, habenturque in cap. *Debet*, 11. q. 3. Quamquam omnia, quæ ibi præscribuntur, iam in vsu non sunt. Debet autem vbique hac in parte consuetudo recepta seruari: quæ multis in locis talis est, vt illum sententia excommunicationis denunciatur solemniter, vnus ministrorum Ecclesiæ teneat cereum accensum, quem in fine extinguat, & tintinnabulum pulset, quo signo dato pulsentur per vrbẽ aut oppidum maiores campanæ in omnibus aut pluribus eius Ecclesiis, vt denunciatio omnibus innotescat.

SECTIO XIV.

Quæ causæ excusent à maiori Excommunicatione, & specialim absolutæ, quæ ferunt ad finem vocationis?

165. MVlta sunt quæ excusent ab excommunicatione maiori, siue iuris, siue ab homine. Primò quidquid excusat operantem aut non parentem Ecclesiæ præcepto, à peccato mortali: vt impotentia, ignorantia, inaduertentia, defectus sufficientis deliberationis, seu libertatis. Quia excommunicatio maior non incurritur, nisi ob peccatum mortale, vt præcedenti sect. probauimus. Secundò, excusat defectus contumaciæ, quia maior excommunicatio non debet imponi nisi contumaci, qui aliter non potest corrigi, vt ibid. ostendimus. Tertiò, excusat ignorantia siue facti, siue iuris, communis, aut particularis, non modò inuincibilis, & inculpabilis, verùm etiam negligenter non vitata, dummodo non sit affectata, vel crassa, & sufficiens ad peccatum mortale, vt diximus disp. 58. sect. vlt.

1. Quidquid excusat à peccato mortali.

2. Defectus cõtumaciæ.

3. Ignorãtia iuris, aut facti.

Quartò, excommunicatio à iure non obligat, vbi lex non est debitè promulgata. Quare defectus promulgationis canonis, aut legis, excusat etiam ab excommunicatione. Indeque fit, vt excommunicationes latæ in Bulla Cœnæ non habeant locum in regno Galliæ, aliæque multæ, de quibus vide Stephanum Bauuyum in Summa cap. 34. & 35. Quintò, si actus externus non sit completus, non incurritur excommunicatio propter illum simpliciter lata: completus inquam, etiam tali modo, vt sufficienter ostendat actum interiorem esse peccatum mortale. Quare v. g. non incurrit excommunicationem latam in hæreticos, & legentes eorum libros, ille qui animo hæretico legit paucula verba libri hæretici: quia iste actus externus non sufficienter, ostendit actum internum hæreseos. Sextò, excusat contraria consuetudo rationabilis & legitimè præscripta, quæ iuri positiuo derogat, vt habetur Extra, *De consuetudine cap. vlt.* hoc est, si contra Papalem excommunicationem duraverit quadraginta annis: vel contra Episcopalem, decem annis: vt habet communis sententia. Ratio est, quia consuetudo potest id omne abrogare, quod est iuris humani. Omnis autem pœna excommunicationis est iuris tantùm humani.

4. Defectus promulgationis.

5. Imperfectus actus.

6. Consuetudo præscripta.

166. Falsa præsumptio

Septimò, excusat etiam falsa præsumptio, id est, si lex, aut sententia procedat ex sola præsumptione, & non veritate. Itemque

que si cessat totus finis legis, aut saltem principalis, propter quem lata est excommunicatio. Octauò quando trãsgressor legis non est causa principalis, sed cooperans tantùm, seu participans, & excommunicatio fertur simpliciter contra facientem aliquod peccatum: excusatur ab illa incurrenda cooperans. Quia generalis regula est, quòd quando excommunicatio fertur contra facientem aliquod peccatum: hanc non incurrit, nisi causa principalis: hoc est, ille qui actu, & velut auctor operis, hoc facit: non autem ille qui participat, aut cooperatur, nisi id expresè dicatur in illa ipsa excommunicatione, vel in aliquo alio canone, vel nisi aliunde satis appareat intentio legislatoris: putà si alioqui lex inefficax & fere inutilis futura sit. Et præterea quando id expresè dicitur de cooperantibus, intelligendum est, quòd cooperans sit causa efficax peccati, ita vt effectus verè, & reipsa sequatur vi illius: nisi specialiter ius aliter disponat: sicut in cap. 1. *De homicidio*, in 6. §. *Sacri*, statutum est vt mandans occidere per Assassinum sit statim excommunicatus, quamuis non sequatur effectus. Et in Clementina *Cupientes*, De poenis §. 1. excommunicantur Regulares, qui concionantur animo retrahendi fideles à solutione Decimarum, licet reipsa non retrahant.

167. 9. Tenera ætas.

Nonò, excusat ab excommunicatione tenera ætas. Nam communis sententia est, quòd nemo ante octauum annum incurrat excommunicationem vllam, quamtumuis videatur doli capax. Et ante annnos pubertatis, hoc est, ante annum decimum quartum nemo incurrit excommunicationem ab homine, vt colligitur ex cap. 2. *De delictis puerorum*: sed quando est excommunicatio iuris, incurritur etiam ante annos pubertatis, vt habetur cap. finali de sent. excomm. Quod tamen est intelligendum, quando puer ante pubertatem est capax doli, ita vt possit peccare mortaliter, & esse contumax. Decimò, excusat etiam ab excommunicatione omnis metus grauis, qui dicitur cadere in virum constantem. Itemque casus fortuitus, quando aliquis casu, & non ex proposito, seu voluntate planè deliberata peccat contra legem: quia tunc abest contumacia.

168. Quæ causæ excusent à reuelando.

Quia verò frequenter occurrit excommunicatio lata ab homine ad finem reuelationis, de illa speciatim aliqua notanda sunt. Dico igitur multas esse causas, quæ ab illa excusent. Prima est, quando res quæ inquiritur, & declarari iubetur, ab vno solo cognoscitur. Excepta hæresi, vel alio crimine ad reipublicæ ruinam tendente. Secunda, quando ille qui rem nouit, non potest eam sufficienter probare. Ratio vtriusq; est quia Ecclesia non obligat ad reuelandum cum periculo infamiæ. Atqui denunciatores, qui non possunt probare crimen quod deferunt, habentur pro calumniatoribus. Excipiendus tamen est casus, quo iubetur tantum deferre vt testis: aut quando agitur de impedimento Matrimonii declarando. Cognoscitur autem iudex præcipere tantùm ferri testimonium, quando vel hoc exprimit, vel coniecturæ sufficientes hoc indicant, vt si causa iam est coepta discuti, in qua de crimine agitur: quippe quæ ab accusatione debuit inchoari.

169.

Tertiò, excusantur consanguinei vsque ad quartum gradum inclusiuè, excepta hæresi, & crimine læsæ maiestatis. Quartò, excusat graue, ac notabile incommodum in vita, honore, vel bonis. Quare excusantur domestici, serui, amici intimi, qui non possunt sine notabili incommodo perdere beneuolentiam dominorum, vel tam arctam amicitiam, & necessitudinem. Ratio vtriusque est, quia leges Ecclesiæ sunt suaues, ideóque non obligant cum tãto detrimento. Quintò, excusantur etiam qui rem non cognouerunt, nisi ab ipsis auctoribus, instructionis, aut consilii petendi causa. Ad bonum enim commune spectat, vt possint homines securè petere consilium sine timore reuelationis. Ab hac tamen regula excipiendus esset, qui vellet vti secreto in perniciem reipublicæ, aut graue damnum alterius, quod alia via impediri non posset. Sextò, excusantur etiam qui rem nesciunt, nisi relatu aliorum non fide dignorũ. Quia periculum est ne frustra infament eum, quem tam leuiter deferunt. Septimò, quando monitorium in falsa præsumptione fundatur. Vt quando agitur de restituendo eo, quod non iniustè detinetur. Item quando intentio petentis monitorium, vel dantis, non est vt talis reueletur: putà si vxor, aut filii acceperint id quod restituendum est.

170. Ad duo capita reducuntur illæ omnes.

Aliæ multæ causæ excusantes numerantur à Suar. disp. 20. de censuris sect. 3. & à pluribus aliis; quæ, & omnes præcedentes ad duo capita reuocari possunt. Vnum est, quando reuelatio esset contra ordinem iuris, aut charitatis: vt quando reuelandum foret peccatum omnino occultum, vel quod reuelans probare nequit, vel peccatum iam est emendatũ: vel si delatio esset contra ordinem fraternæ correctionis, qui exigit vt proximus secretò corrigatur, antequam deferatur, quando spes est emendationis; vel si deferendus sit consanguineus, aut benefactor, & amicus insignis. Alterum est, quando ex parte deferentis est impedimentum aliquod legitimum, quod illum excusat vel à peccato mortali, vel saltem à contumacia contra Ecclesiam. Cuiusmodi est omnis causa, quæ bona fide videtur non reuelanti sufficere, quamuis reuera non sit legitima, dummodo alioqui sit paratus deferre. Vt ex. gr. si ex reuelatione timeatur probabiliter graue aliquod damnum reuelantis. Curare tamen debet ille, qui non reuelat hac de causa crimen, quod aliunde non reuelatur, conferre, si potest,

alia ratione indemnitati illius, qui iniuriam passus est. Non tenetur tamen ad restitutionem, si id non facit: quia non tenetur reuelare ex iustitia erga læsum, sed tantùm ex charitate, & ex obedientia erga superiorem.

SECTIO XV.

Quomodo tollatur excommunicatio: & quid præstandum sit confessario circa poenitentem excommunicatum?

171. Poenitens est priùs absoluendus ab excóm. quàm à peccatis.

MVlta ad quæstionem propositam pertinentia fuerunt exposita disputatione 58. de censuris in genere sect. vlt. quæ nũc excõmunicationi breuiter applicanda sunt, & addenda quæ sunt illius propria. Dico igitur primò, poenitentem excommunicatione ligatum, priùs ab illa absoluendum esse, quàm absoluatur à peccatis. Ratio est, quia quælibet excommunicatio priuat licita susceptione sacramentorum. Vnde priùs tolli debet, vt vsus sacramenti Poenitentiæ fiat licitus. Aliæ verò censuræ, suspensionis videlicet, & interdicti, non impediunt liciram sacramenti Poenitentiæ receptionem, vt patebit ex dicendis inferiùs suis locis, vbi de illis disputabimus: ideóque non priùs necessariò tolli debent. Hinc collige suspensum, & interdictum posse absolui ab eo, qui non potest tollere suspensionem, & interdictum, modò casus non sit alioqui reseruatus. Secus autem excommunicatum, citra casum necessitatis iunctæ cum impossibilitate recurrendi ad superiorem, cui reseruatur excommunicatio.

172. Quis potest absoluere à minori excõ. vel à maiori non reseruata.

Dico secundò: quicunque potest absoluere à peccatis mortalibus, potest etiam absoluere ab excõmunicatione minori; atque etiam à quacunque maiori non reseruata, à iure lata, seu per canonem, aut statutum. Ita Doctores communiter, & colligitur ex cap. *Nuper*, De sent. excomm. vbi dicitur quẽuis proprium sacerdotem posse ab huiusmodi excõmunicatione basoluere. Qui autem à proprio delegantur cum facultate absoluendi suos à peccatis mortalibus, censentur eo ipso habere eandem potestatem à iure sibi concessam, quia subeunt locum proprii sacerdotis.

173. Et à reseruata à iure.

Ab excommunicatione verò maiori reseruata, & à iure lata, per se loquendo, non potest absoluere, nisi ille, cui reseruatur, aut eius in officio successor, aut absolutè superior, aut ab his delegatus ad absoluẽdum. Patet, quia reseruatio aufert aliis potestatem absoluendi. Per accidens tamen id possunt alii quibusdam in casibus, quamquam id non fit sine iuris concessione, & aliqua Ecclesiæ delegatione. Primò enim, in articulo mortis potest quiuis sacerdos, etiam excommunicatus, & non toleratus, absoluere à quacunque excommunicatione, tam à iure, quàm ab homine latâ, ex Trident. sess. 14. cap. 7. Addunt aliqui posse tunc etiam quemuis clericum idem facere, vt Henriquez lib. 6. cap. 9. §. 3. litera T. & V. qui multos alios citat pro hac sententia: sed nos alibi eam reiecimus disp. 58. sect. vlt. vbi etiam quid intelligendum sit per articulum mortis exposuimus, & alia quæ pertinent ad hanc facultatem pro tali necessitate concessam. Secundò, mulieres, & impuberes, qui propter clerici percussionem incurrerunt excommunicationem Pacæ reseruatam, possunt absolui ab Episcopo. Quod extenditur ad alios casus, aliasque personas, quæ non possunt adire summum Pontificem, propter aliquod legitimum impedimentum, cap. *Ea noscitur*, & cap. *Quamuis*, de sententia excommunicationis. Neque tenentur ad eum mittere, vt facultatem obtineant, quia iura id non exigunt. Si tamen impedimentum est temporaneum, debent absoluentes iniungere sub iuramento (exceptis pueris) vt eo cessante adeant summum Pontificem, aut eius legatum, vel aliũ à quo ex eius cõcessione & delegatione, aut priuilegio absolui poterant, cap. *Quamuis*, sup. cit. Quod si non faciunt, reincidunt in eandem excommunicationem cap. *Eos qui*, De sent. excomm. in 6.

174. Episcopi possunt absoluere à casib. occultis.

Tertiò Episcopi possunt in foro cosciẽtiæ subditos suos absoluere ab omnibus censuris occultis, etiam sedi Apostolicæ reseruatis, per se, vel per vicariũ ad id specialiter deputatum: excepta hæresi à qua per se tantùm possunt absoluere ex Trident. sess. 24. cap. 6. de reformatione. Quæ tamen exceptio quomodo sit intelligenda dicemus infra sect. 18. Possunt etiam dispensare in irregularitate ex delicto occulto proueniente, excepto homicidio voluntario. Quartò, per Bullas Indulgentias, & Iubilæa, & per varia priuilegia conceditur Religiosis, & aliis inferioribus, vt possint absoluere ab excommunicationibus, aliisque censuris superiori reseruatis. Vbi nota 1. videndum esse quantum ferat concessio, & priuilegium, quia nihil ampliùs possunt. 2. Quando solum generalibus verbis fit concessio, non comprehendi casus in Bulla Cœnæ reseruatos, vt communiter Doctores affirmant: quia illi sunt specialiter reseruati: & in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verosimiliter in specie concessurus, vt dicitur regula 81. in 6. Vnde etiam Papa, quando concedit facultatem absoluendi à casibus in Bulla Coenæ reseruatis, id nominatim exprimit. 3. Quando summus Pontifex concedit generaliter facultatem absoluendi à casibus sibi reseruatis, censeri etiam dare facultatem absoluendi à casibus reseruatis Episcopo, & omnibus aliis inferioribus se: quia hæc concessio facilior est, quàm illa. 4. Nullum casum reseruari summo Pontifici, nisi

Digitized by Google

propter annexam excommunicationem, aut aliam censuram: nam è duobus solis, qui proferuntur ab aliquibus contrarium sentientibus, primus non est reseruatus, secundus habet annexam suspensionem, vt bene ostendit Aegid. Con. disp. 8. num. 82. Quare si excommunicatio, aut alia censura Papalis non fuit incursa propter ignorantiam, vel iam fuit sublata, peccatum non est reseruatum.

175. Absolutio per Iubilæum valetne pro vtroque foro?

Nota quintò, absolutionem ab excommunicatione datam in foro interno ratione Iubilæi, valere pro vtroque foro, si in priuilegio datur facultas absoluendi pro vtroque foro: & contra valere tantùm pro foro conscientiæ, si facultas ad hoc restringatur. Si verò detur absolutè sine vlla expressione, probabile est valere pro vtroque foro, modò parti satisfactum sit, & id constet iuridicè: vt docet Suar. disp. 7. de censuris sect. 5. num. 21. colligiturque ex Iubilæo Pij V. anni 1568. Illi autem qui possunt vi eiusmodi Bullarum, aut priuilegiorum absoluere ab excommunicatione, non solùm id possunt in sacramento Pœnitentiæ, verùm etiàm extra, quando in concessione facultatis non additur, *audita confessione*, nisi hæc particula referenda sit potiùs ad absolutionem à peccatis, vt alibi diximus. Addit Auila 2. part. cap. septimo, disputatione tertia, dubio decimo tertio, sæpe expedire vt ita fiat: vt si reus non sit paratus ad confessionem, & adsit ratio, propter quam expediat eum statim absolui. Item si confessario non vacat audire confessionem integram, potest audire solos casus qui habent annexam excommunicationem, & ab illa absoluere, tumque pœnitentem ad alium mittere, qui audita confessione absoluat à peccatis. Licet autem quando absolutio data est pro solo foro conscientiæ, iudex possit contra reum procedere perinde ac si non esset absolutus: Potest tamen eam acceptare, si velit nisi cedat in detrimentum partis, cui non sit satisfactum. Et si excommunicatio est omnino secreta, reus potest se gerere vt absolutum in vtroque foro: quia neque periculum scandali est, neque iudex contra illum agere potest, quando delictum est occultùm.

176. Exigenda satisfactio, si debeatur.

Sextò denique, quando absoluendus ab excommunicatione tenetur manifestè ad aliquam satisfactionem, non est absoluendus, antequam satisfecerit, quantum potest, vt habetur capit. secundo de Sententia Excommunicat. in 6. & cap. *Ex parte*, de Verborum significatione. Et confessarius aliter absoluens grauiter peccat: non secus ac iudex: qui citra necessitatem dimittit captiuum debitorem potentem soluere, inuito creditore. Si verò debitum satisfaciendi dubium est, aut si excommunicatus est imporens ad satisfaciendum: sufficit dare cautionem, aut pignoratitiam, aut fideiussoriam. Vel si non potest, iuret se satisfacturum quamprimum poterit. Quod etiam verum est de iis, qui absoluunt virtute priuilegii, aut Bullæ, in qua expressè dicitur vt detur absolutio satisfacta parte. Intelligitur enim, quando id fieri potest: vt recte docet Henriq. libro decimo tertio, capite vigesimo octauo, numero primo. Ac si absolutio petitur pro solo foro conscientiæ, credendum est reo affirmanti se non posse satisfacere: in foro autem externo id necessariò probari debet. Causæ verò excusantes à restitutione, excusant pariter à reali satisfactione. Cæterùm absolutio data ante satisfactionem ei qui potest satisfacere, non modò est illicita, sed & inualida, si detur tantùm à delegato, in cuius delegatione dicitur, vt absoluat parte satisfacta: vt colligitur ex cap. *Cum ad ea*, De rescriptis, & cap. *Venerabilis*, De officio Legati, affirmanteque Caiet. Henriq. Sanchez, Suarez, Aegidius, & alii communiter: licet nonnulli contrarium opinentur. Ratio præcipua est, quia delegatus non habet hanc potestatem, nisi à superiore delegante ei detur. Cùm autem non possit eam dare sine peccato, non est censendus eam dare nisi id constet: quia nemo præsumi debet velle peccatum, nisi probetur.

177. Quo in casu non possunt absolutè priuilegiati.

Vlteriùs, quando aliquis est nominatim denunciatus, & causa fuit deducta ad forum contentiosum, non debet reus absolui in foro conscientiæ ab iis, qui possunt per priuilegia supradicta: quia id iuris ordinem perturbaret. Nisi incumbat notabilis aliqua necessitas ita absoluendi, aut pars consentiat, aut reus sit in loco distanti, vbi eius excommunicatio nota non sit: vt docet Henriq. lib. 13. cap. 28. nu. 2. Huc vsque de excomunicatione à iure.

Quis possit tollere excommunicationem ab homine.

Quoad excommunicationem verò latam ab homine, Dico tertiò, si lata sit per sententiam generalem, possunt ab ea absoluere quicumque possunt absoluere ab excommunicatione lata à iure: siue feratur à Papa, siue ab inferiori. Secus autem si lata sit per sententiam particularem. Tunc enim ordinariè solus ille potest tollere, qui tulit, aut eius successor, aut absolutè superior, aut cui ille concessit. Ita Henriq. supra numero quinto, & alii communiter, teste Aegidio Coninck disputatione decima quarta, dubitatione decima sexta, numero 254. & 257. Ratio eius est, quia sententia generalis iuri æquiparatur, & non differt à iure, nisi quoad durationem: ius enim est perpetuum, & sententia generalis fertur ad tempus. Vnde par est vt eodè modo tolli possit post emendationem Rei. Secus autem est de censura lata per sententiam particularem, quâ aliqui nominatim excommunicantur: quia cùm ad hoc opus sit vt tales ante excommunicationem citentur à iudice: eorum causa debuit necessariò ad ipsius tribunal deduci. Quare si alius absolueret, illius iudicium perturbaret.

Digitized by Google

& alios. Quando excommunicatio fertur in fauorem partis, si excommunicatus satisfaciat parti, non esse opus accedere ad alium: quia tunc satisfit menti legislatoris. Quin etiam si absolutus omiserit postea accedere ad illum, cui alioquin excommunicatio est reseruata, ex metu, vel timore, aut verecundia, vel quacunque alia de causa, quæ ei videbitur rationabilis, vel denique ex quacunque ignorantia, etiam crassa, dummodo id non fecerit ex contemptu, existimant aliqui non reincidere in excommunicationem: quia in capone citato expresse dicitur *Qui contempserit id facere*: & confessarium non teneri admonere pœnitentem hac de re, nisi probabiliter putet illum id facturum: vel nisi putet fore vt non satisfaciat parti, nisi admoneatur. Nam alioqui melius est pœnitentem relinquere in illa sua ignorantia. Sed existimo pœnitentem non esse tam facilè à reincidentia excusandum, vel ab onere satisfactionis, & in praxi sequendam esse communem sententiam; neque pœnitentem debere in dubio stare suo ipsius iudicio, sed Confessarii, aut Doctorum.

183. Cerimoniæ absolutionis solemnis.

Denique quod attinet ad solemnitatem accidentalem absolutionis, quatuor sunt præcipuæ illius cerimoniæ. Prima habetur in cap. *Extenore*, & cap. *De cætero*, de Sententia excommunicationis, vbi præcipitur vt ab excommunicato exigatur prius iuramentum de non transgrediendo ampliùs tali præcepto Ecclesiæ, propter quod maiorem excommunicationem incurrerat. Quod tamen, vt nos supra notauimus, & Caietan. diserte affirmat in Summa v. *Absolutio ab excommunicatione*, initio, non nisi in magnis criminibus locum habet, vt in incendiariis, & manifestis clerici percussoribus, de quibus sermo est in capitibus supra citatis. Secunda est, vt si peccatum propter quod aliquis fuit excommunicatus, specialem requirat satisfactionem, illaque nondum exhiberi possit, neque etiam cautio sufficiens dari: exigatur à reo solenne iuramentum, quòd quamprimum fieri poterit satisfaciet. Tertia, vt ante absolutionem Psalmus aliquis pœnitentialis super absoluendum recitetur, & oratio Dominica, vt præscribitur in cap. *A nobis*, de Sentent. excommun. in fine: qui psalmus solet esse quinquagesimus: Itemque vt pœnitens genibus flexis, & nudatis scapulis, (nisi fœmina sit) flagello percutiatur interea dum psalmus prædictus recitatur: Absoluens autem sit indutus veste sacra, saltem Superpelliceo, & stola. Hæc tamen non seruantur nisi in solemniori, & publica absolutione; neque vllo iure præscribuntur, sed habentur tantùm ex consuetudine. Quarta est, vt pœnitens absolutionem petat ad ianuam Ecclesiæ, & in illam introducatur cum recitatione psalmorum Pœnitentiæ, versiculo *Saluum fac seruum tuum*, & oratione, *Deus, cui proprium est misereri*, &c. Et in Ecclesiam introductus, ibi absoluatur cap. *Cum aliquis* 11. quæstione tertia. Quæ omnia non sunt necessaria ad valorem absolutionis, neque seruari debent, nisi iuxta receptam consuetudinem. Non possunt tamen omitti licitè, nisi consuetudine, vel alia causa rationabili excusante: peccareteque grauiter, qui sine causa omitteret, in publica saltem, & solenni absolutione, necessariò adhibenda ad satisfaciendum Ecclesiæ. Sicut è contrario peccaret ille, qui in priuata absolutione ab excommunicatione occulta, reuelaret peccatum secretum pœnitentis inuiti, per aliquas huiusmodi externas cerimonias. Et hactenus de Excommunicatione in communi: sequitur vt de variis eius speciebus dicamus in particulari.

SECTIO XVI.

De excommunicationibus quæ solent ferri ab homine propter aliquod damnum temporale.

184. DE singulis speciebus excommunicationum, quæ feruntur ab homine disputare, res infiniti laboris esset, cùm illæ possint sine fine multiplicari: & inutilis, cùm vix quicquam habeant speciali consideratione dignum, præter eas, quæ ob damnum aliquod temporale ferri solent, de quibus ideirco dicere aggredimur. Quarum autem de illis explicanda sunt: A quo, & quam ob causam, quo modo, & quo fine ferri possint? Siue quænam sit illarum causa efficiens, materialis, formalis, & finalis: additis deinde causis ab illarum incursu excusantibus.

Non possunt ferri nisi ab Episcopo.

Circa primum Dico primò, speciale esse his excommunicationibus, vt non nisi ab Episcopo ferri possint. Sic enim statuitur in Trident. sess. 25. cap. 3. decreti de Reformatione, cuius verba hæc sunt: *Excommunicationes istæ, quæ monitionibus præmissis, ad finem reuelationis, vt aiunt, aut pro deperditis, seu subtractis rebus fieri solent, à nemine prorsus, præterquam ab Episcopo decernantur.* Nomine tamen Episcopi intelligi debet hoc loco etiam Vicarius generalis, cuius est vnum, & idem tribunal cum Episcopo, vnde ab illo ad Episcopum non appellatur, vt dicitur cap 2. De consuetudine in 6. Nam quando non expresse dicitur, vt Episcopus per se solum aliquid faciat, intelligitur id posse facere per Vicarium. Idque confirmat vsus communiter receptus, multis saltem in locis. Eodem quoque nomine puto intelligi posse capitulum, Sede vacante, aut eius vicarios, ad quos deuoluitur episcopalis iurisdictio in rebus necessariis, & quoscumque alios, qui habent iura episcopalia. Ratio verò cur Tridentinũ restrinxerit ad Episcopos

Digitized by Google

potestatem ferendi huiusmodi excommunicationes, fuit, vt tolleret nimis facilem illarum vsum, aut abusum: vtque maiori circumspectione, & maturiori iudicio decernerentur. Quapropter præcipit ibidem vt causa diligenter, ac magna maturitate per Episcopum examinetur, sitque non vulgaris, sed talis, vt meritò eius animum moueat: nec ad eas concedendas cuiusquam sæcularis, etiam magistratus, auctoritate adducatur: sed totum hoc in eius arbitrio & conscientia sit positum: quando ipse pro re, loco, persona, aut tempore eas decernendas esse iudicauerit.

185. Nec nisi pro re magni momenti.

Circa secundum dico 1. Materiam huiusmodi excommunicationum debere esse aliquid magni momenti: graue scilicet aliquod damnum temporale, ad quod vitandum, aut reparandum necessarium sit hoc remedium adhibere. Patet ex Trident. cap. cit. vbi statuit vt *non aliàs quàm ex re non vulgari* decernantur, ne si temerè, aut leuibus ex rebus incutiantur, magis contemptui, quàm formidini sint, & perniciem potius pariant quàm salutem, vt ait paulò ante. Quanti verò momenti damnum illud esse debeat, vt sufficiat ad monitorium ab Episcopo impetrandum non cõsentiunt Doctores. Existimant aliqui debere saltem valorem 50. aureorum excedere: illumque esse stylum curiæ Romanæ affirmant Riccius resolut. 238. & Barbosa De officio Episcopi, Allegatione 96. num. 30. Alii dicunt sufficere valorem 20. aut 30. aureorum obtinendis vbique monitoriis, saltem in fauorem paup rum. Melius verò censent, qui dicunt id non posse vna regula generali definiri, sed in singulis casibus spectandas esse circumstantias loci, temporis, personarum, & rerum, prudentique iudicio definiendum, quid in talibus circumstantiis graue, aut leue sit. Tametsi enim quædam sunt per se grauia, adeóque respectu omnium: plurima tamen sunt tantùm per accidens talia, & respectu aliquorum: ita vt quod respectu vnius, aut in talibus circumstantiis graue iudicandum est, sit leue respectu alterius, aut in aliis circumstantiis. Qua de causa Trident. suprà dixit rem diligenter, ac magna maturitate, per Episcopum examinandam esse. Ex. g. quando plures vineam pauperis deprædati sunt, singuli parum accipiendo, sine communi consilio, & notitiâ grauis detrimenti: quod quisque abstulit, exiguum est, & per se solum non obligaret ad restitutionem sub mortali: in hac tamen circumstantia propter magnum damnum ab omnibus simul illatum res est grauis, & materia sufficiens excommunicationis obligantis vnumquemque ad restituendum.

186. An pro causis criminalibus?

Sunt qui affirmant huiusmodi monitoria, & excommunicationes non posse dari pro causis criminalibus. Sic enim docent Riccius in Praxi decisione 278. & resolutione 240. Barbosa in allegatione 96. n. 32. vbi alios citat, & Baunyus disp. 4. de Censuris quæst. 1. addens stylum curiæ Romanæ esse vt hæc clausula monitoriis interatur: *Nolumus autem quòd ex reuelatione huiusmodi, si eam fieri contingat, nisi pro ciuili interesse, & ciuiliter tantùm agi possit: aliàs reuelatio ipsa nec in iudicio, nec extra fidem faciat.* Ex quo infert paulò post, reuelationes super his factas Parocho non esse dandas iudici, quando aliquid continent, ex quo criminalis actio sequi possit, & poena mortis, aut mutilatio: sicut neque quando vergunt in infamiam tertii, vel scandalum allaturæ sunt. Sed hoc dubium mihi facit constitutio Tridentini cap. sup. cit. post medium, vbi permittit, vt non modò in causis ciuilibus, quando deest aliud remedium, istud adhibeatur: verùm etiam in criminalibus. Sic enim habet: *In causis quoque criminalibus, vbi executio realis, vel personalis, vt supra (in causis ciuilibus) fieri poterit: erit à censuris abstinendum: sed si dictæ excutioni facilè locus esse non possit, si ob eiusdem loci spirituale gloria delinquentes vti, si tamen delicti qualitas, præcedente luna saltem monitione, etiam per edictum, id postulet.*

187. semper supponant grauem culpam?

Sunt etiam qui dicunt, Episcopos non posse ferre hanc excommunicationem, nisi præsuppositâ aliqua graui culpa in eo, contra quem fertur. Quod dictum potest habere duplicem sensum. Vnus est, non posse in curri hanc excommunicationem, nisi ab illo qui grauiter deliquerit, priusquàm illam contrahat. Et hic sensus est verus: quia excommunicatio maior non contrahitur nisi ob peccatum mortale, vt probauimus sect. 13. Alter est, quòd culpa mortalis debeat antecedere non modò incursum excommunicationis, verùm etiam monitorium, seu præceptum ecclesiasticum de reuelando v. g. aut de restituendo sub pœna excommunicationis. Et hic sensus est falsus. Potest enim Episcopus obligare ad aliquid non aliunde necessarium ex sola rei natura, vel ex Dei præcepto: putà ad reuelandum aliquid in fauorem alterius propter magnum aliquod bonum; & pœnam excommunicationis minari, vt efficaciùs moueat ad obediendum: quemadmodum Principes, & magistratus ciuilis possunt aliqua præcipere propter bonum commune, non aliunde necessaria, pœnisque vrgere executionem, vt suppono ex tractatu de Legibus. Nec obest cap. *Romana*, De senten. excomm. in 6. §. *Caueant*, vbi videtur prohiberi, ne tales sententiæ excommunicationis ferantur, siue specialiter, siue generaliter in aliquos, pro futuris culpis, videlicet, si tale quid fecerint; vel etiam pro iam commissis sub hac forma, Si de illis intra tale tempus non satisfecerint, nisi mora in exhibenda satisfactione, vel culpa, seu offensa præcesserit. Nam in eodem capite additur paulò post, *Aut alia rationabilis (quam in sententiis suis exprimant) causa subsit.* Quæ particula significat non tantùm ferri posse pro culpa iam commissa ante præceptum, & comminatio-

Digitized by Google

nem Ecclesiæ: sed etiam pro re, quæ tale præceptum, & comminationem censuræ mereatur.

188. Duplicitèr imponi potest grauis obligatio.

Duobus autem modis potest ecclesiasticum præceptum imponere grauem obligationem, cùm antea non esset. Vno scilicet, præcipiendo, vt modò dixi, aliquid ex natura rei indifferens, & non aliunde præceptum, sed valde conducens ad bonum aliquod magni momenti, præsertim verò publicum. Altero, declarando materiam grauis obligationis, quæ alioqui non vigebat, neque in actu secundo erat perfecta obligatio. Vt quando v. g. fertur excommunicatio contra deprædatores vineæ alicuius, nisi restituant. Nam, vt paulò ante dixi, fieri potest vt illi plurimi fuerint, qui merè per accidens, & sine notitia furti aliorum, grauisque damni parum singuli acceperint, ac leuiter tantùm peccauerint accipiendo, existimentque se non teneri nisi leuiter ad restitutionem. Accedente autem præcepto ecclesiastico de restituendo sub pœna excommunicationis, intelligunt graue damnum esse quod à tam multis fuit illatum, licet per accidens, & sine consilio ad notabilem quantitatem illius concurrentibus; iamque teneri grauiter vnumquemque pro rata damnum illud resarcire.

189. Modus ferendi huiusmodi excó-

Circa tertium de forma, seu modo ferendi huiusmodi excommunicationes pro rebus temporalibus, Dico tertiò non debere ferri contra personas quando illæ notæ sunt, & facilè possunt aliâ viâ compelli per iudicem ad damnum temporale reparandum, aut impediendum. Nam Trident. id prohibet cap. sup. cit. mandans omnibus iudicibus ecclesiasticis, cuiuscunque dignitatis existant, vt in causis iudicialibus, quandocunque executio realis vel personalis in quacunque parte iudicii propria auctoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se tam in procedendo, quàm definiendo, à censuris ecclesiasticis. Idemque præcipit paulò post de causis criminalibus. Et quidem in regno Galliæ consuetudo recepta est, vt Episcopi non concedant monitoria, nisi attestante iudice, non satis constare de auctore facti, seu de persona compellenda: neque alia via constare posse: ideoque opus esse subsidio Ecclesiæ per comminationem censuræ. Excipiunt Suar. disp. 20. sect. 1. n. 13. & Auila parte. 2. cap. 5. disp. 2. dub. 1. casum in quo agitur de bonis ecclesiasticis, aut de negotiis inter personas ecclesiasticas tractatis. Nam cùm hæc bona, vel personæ directè pertineant ad forum ecclesiasticum, licet in illis vti coactione ecclesiastica, quæ maximè sit spirituali gladio, & frequenter non potest fieri alio modo. Verumtamen puto etiam in eo casu non esse vtendum censuris, quando facilè suppetunt alia media quibus personæ cogi possint. Id enim satis aperè statuit Trident. verbis suprà relatis. Tametsi maior est ratio cur in negotiis purè sæcularibus non agatur censuris contra personas notas. Quia si debitor, aut reus in tali causa, notus est, potest coram sæculari iudice conueniri, ad quem per se & directè spectat huius causæ cognitio, vtpote merè temporalis: ideóque non licet iudici ecclesiastico causam illam ad se trahere, illiusque iudicium præoccupare, & procedere per censuras ecclesiasticas. Intellige autem quando persona talis nota est. Nam si opus sit testibus vt conuincatur, & non possint aliter haberi, possunt compelli per Monitorium. Si etiam reus, tametsi notus, ita lateret, au abesset, aut talis esset, vt potestas sæcularis non posset illum compellere: tunc potestas ecclesiastica potest censuris in illum agere, & compellere vt parti lædæ satisfaciat, & de statu peccati exeat.

190. Non debet ferri nisi ad instantiam partis.

Præterea, non debent dari hæc monitoria, pro rebus temporalibus perditis, aut subtractis, vel ad finem reuelationis, nisi ad instantiam eorum, quorum interest: nec nisi rei valore, quoad fieri potest expresso: sique non potest exprimi præcisè, saltem debet significari verisimiliter rem esse magni momenti, iuxta ordinationem Pii V. relatam à Baunyo disput. cit. quæst. 2. in hæc verba: Sanctissimus in Christo Pater & D. N. D. Pius diuina prouidentia Papa V. præsenti, quod perpetuò obseruari vult, scripto ordinat, vt mandata pro restitutione, seu reuelatione huiusmodi dentur ad eorum dumtaxat instantiam, quorum ciuiliter interest: quæ supplicationis rem ipsam de qua agitur, reique valorem nominatim, & specificè exprimant, nisi fortè sint pro ecclesiis, locis pijs, communitatibus, vniuersitatibus, collegiis, aut vniuersalibus successoribus, quos verisimile est, certam rerum notitiam non habere. Tunc enim hæc ipsa personarum qualitate expressa, ita demùm fieri poterit quædam in genere designatio rerum, sine qua nimis vaga & incerta, & inuerisimilis sit, & tamen ostendat res ipsas minimè vulgares existere.

191. Deber referri ad bonum spirituale.

Quod denique spectat ad causam finalem eiusmodi excommunicationum, Dico quartò non posse illas ferri pro solis bonis temporalibus sine vlla relatione ad bonum aliquod spirituale, ac sine aliquo spirituali titulo antecedente, ad præceptum ecclesiasticum, quique sit ratio moriua ob quam fertur excommunicatio pro huiusmodi bonis, aut commodis temporalibus. Ita Suar. disp. 20. sect. 1. n. 8. vbi testatur hanc esse vnanimem omnium Doctorum sententiam, qui dicunt excommunicationem non ferri pro damno temporali, nisi quatenus ibi intercedit aliqua ratio spiritualis; Probatur, quia potestas ecclesiastica, vi cuius feruntur censuræ, & præcepta sub pœna excommunicationis, non versatur directè circa huiusmodi bona temporalia, sed tantùm indirectè ad illa extenditur, quantum est necessarium ad bonum spirituale fidelium. Potestas, inquam ecclesiastica, & spiritualis

Digitized by Google

pam in retinente, v. gr. si feratur contra eos, qui retinent scripturas alienas, vel qui contra conscientiam retinent, vel qui sine Dei timore celant veritatem: non obligentur tali præcepto, qui sine culpa, iustisque de causis eas detinent, vel qui aliunde non tenentur proferre, aut reuelare. Secus autem si præceptum sit absolutum proferendi talem scripturam, vt veritas in tali causa possit certò comperiri: non distinguendo sitne scriptum illud proprium, an alienum, & iustè, vel iniustè celatum. Tunc enim obligat ad proferendum, tametsi antea nulla præcesserit obligatio; nisi excusset aliqua ex causis loco antea citato commemoratis.

SECTIO XVII.

De excommunicatione latæ in percussores Clericorum.

195. Fundamentum huius excomm.

HAbetur hæc excommunicatio in Decreto, causa 17. q. 4. Can. *Si quis suadente Diabolo*, vbi Innocentius II. excommunicat ipso facto eos omnes, qui manus violentas in clericum, vel monachum iniiciunt: statuitque vt non nisi à summo Pontifice, excepto mortis articulo, absolui possint. Verba Canonis hæc sunt: *Si quis suadente Diabolo huius sacrilegii reatum incurrerit, quòd in Clericum, vel Monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat. Et nullus Episcoporum illum præsmat absoluere (nisi mortis vrgente periculo) donec Apostolico conspectui præsentetur, & eius mandatum suscipiat.*

196. Quid significet particula *Si quis, suadente Diabolo.*

Prima particula, *Si quis*, generalissima est, comprehenditque omnes capaces excommunicationis, id est, omnes baptizatos, excepto summo Pontifice, siue viros, siue fœminas, clericos, aut laicos, sæculares, aut regulares, cuiuscunque ordinis, dignitatis, aut conditionis, vt Glossa ibid. notauit; & de clericis, ac regularibus id expresse affirmatur cap. *Cum illorum*, De sent. excomm. & cap. proximè sequenti idem dicitur de Monialibus.

Secunda particula, *Suadente Diabolo*, significat ad incurrendam hanc excommunicationem requiri grauem iniuriam, vel ipsi clerico percusso, vel Ordini clericali factam, adeóque requiri mortale peccatum, quod communiter instinctui Diaboli tribui solet. Grauem, inquam, tam quoad affectum internum, quàm quoad effectum, siue actum externum. Quia non sufficit affectum graviter malum esse, seu voluntatem nocendi graviter, nisi reipsa fiat grauis læsio. Non sufficit etiam grauis læsio, si fiat præter, aut contra intentionem.

197. Quid intelligatur nomine Clerici.

Tertia particula, *Clericum*, comprehendit eos omnes, qui saltem primâ tonsurâ initiati sunt, quamuis sint coniugati, vt colligitur ex cap. *Cum contingat*, De ætate, & qualitate Ordinandorum, & cap. vnico De clericis coniugatis in 6. modò tamen non sint priuati Canonis priuilegio: sicut ibidem priuatur illo clerici coniugati, quandiu non ferunt tonsuram, & habitum clericalem: & bigami cap. vnico De bigamis in 6. & illi, qui licet maioribus Ordinibus initiati, dimisso habitu, & tonsura clericali, vacant negotiis sæcularibus, si post trinam monitionem Episcopi non resipuerint, cap. *In audientia*, & cap. *Contingit* 2. De sent. Excomm. Imo *si tyranniai, & enormitati*, id est, seditionibus, vel latrociniis, & iniquis bellis se immiscent, priuantur canonis priuilegio ante monitionem Episcopi, cap. *Cum non ab homine*, & cap. *Perpendimus*, eod. tit. Item clerici, qui per annum exercent artem ignominiosam histrionis, mimi, scurræ, aut parasiti, perdunt ipso iure omnia priuilegia clericalia: atque etiam ante annum, si ter moniti ab Episcopo non resipiscunt, cap. vnico, De vita, & honestate clericorum in 6. Et qui publicè exercent officium lanionis, aut cauponis, si coniugati sunt, vel habitum clericalem non ferunt, terque admoniti ab Episcopo non desistunt, aut postquam desiterint, redeunt ad idem officium, vt habetur in Clementina 1. de vita, & honestate clericorum. Et qui realiter fuerunt degradati, cap. *Degradatio*, de poenis in 6. Addunt Bañez 2. 2. q. 12. art. 1. difficult. 3. dicto vlt. Suar. disp. 22. sect. 1. num. 11. Conine disp. 14. dub. 15. num. 163. & Layman lib. 1. tract. 5. parte 2. cap. 5. n. 3. hoc priuilegio priuari clericos in Minoribus constitutos, qui nec vllum habent Beneficium ecclesiasticum, nec clericalem habitum, & tonsuram gestantes, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inseruiunt, vel in seminario clericorum, aut aliqua schola, vel vniuersitate de licentia Episcopi, quasi in via ad maiores Ordines suscipiendos, versantur. Quia Trident. sess. 23. cap. 6. De reformatione, statuit vt nullus eorum gaudeat fori priuilegio: priuilegium autem Canonis comprehenditur in priuilegio fori: vnde ex istius amissione bene infertur amissio alterius.

198. Et nomine Monachi

Quinta particula, *Monachum*, complectitur omnes Religiosos, & Religiosas, eorumque Conuersos, & Conuersas, atque etiã Nouitios, qui in fauorabilibus censentur nomine Religiosorum, gaudentque illorum priuilegiis, cap. *Monachi*, cap. *Non dubium*, cap. *De Monialibus*, De sent. excomm. & cap. *Religioso*, eod. tit. in 6. Itemque Tertiarios, id est, qui tertiam regulam S. Dominici, vel S. Francisci susceperunt, & editis tribus votis essentialibus verè religiosi sunt, viuuntque sub regula, & iurisdictione Ordinis Mendicantium, ex concessione Sixti IV. quam refert Rodrigues tom. 3. quæst. Regul. Quæst. 72. art. 1. concluſ. 3. Alij verò Tertiarii, qui religiosi

Qua de causa vocatur leuis, respectu enormis scilicet: quamuis aliequi sit mortale peccatum: aliter enim non incurreretur hæc excommunicatio, vt antea notauimus. Mediocris denique dicitur illa, quæ media est inter grauem, & leuem: quæ quousque procedere possit, certâ regulâ definiri nequit, sed prudenti iudicio discernendum est, siue Episcopi, vt docet Ostiens. in cap. *Peruenit*, De sent. excomm. siue etiam sacerdotis, qui habet absoluendi potestatem, vt ait Siluest. V. *Absolutio*, 4. §. 3.

202. Potest Episcopus absilla interdū absoluere,

His præmissis dico primò, Episcopum posse absoluere à leui læsione, tam clericos, quàm alios, cap. *Peruenit*, cit. Secundò, posse etiam à læsione mediocri absoluere clericos viuentes collegialiter, quorum vnus alterum percusserit: sed non ab enormi: cap. *Quoniam*, de vita & honestate clericorum. Tertiò, si vnus Monachorum, aut religiosorum alterum læsit eiusdem Monasterij, potest absolui ab illius superiore. Si diuersi, potest, & debet absolui à duobus superioribus vtriusque monasterij, vel à communi vtriusque superiore mediato. Nisi læsio sit enormis; quia tunc à Papa absoluendus est, cap. *Cum illorum*, de Sent. excõmunicatio. Si autem Monachus clericum sæcularem percussit, non potest absolui à proprio superiore, sed ab Episcopo, si læsio est leuis: si mediocris, aut enormis, à Papa: vt habetur eodem cap. & cap. *Religioso*, de sent. excommunicat. in 6. Moniales etiam ab Episcopo Dioecesano absoluendæ sunt: cap. *De Monialibus*, De sentent. excommunicaionis. Et pueri ante annos pubertatis, id est, ante annum 14. neque facti grandiores tenentur postea adire summum Pontificem, capite *Quamuis*, eodem tit. Itemque mulieres cujuscunque ætatis & conditionis, cap. *Mulieres*, eodem tit. & impotentes ad iter faciendum; siue physicè, vt cæci, claudi, senes, infirmi, & delicati: siue moraliter vt pauperes qui non sunt assueti mendicando viuere, cap. *Ea nostri*, cap. *Quamuis*, & cap. *Mulieres* eodem tit. Quo etiam nomine excusantur Monachi non mendicantes, quibus monasterium ob paupertatem non potest suppeditare viaticum. Itemque illi, qui propter aliquod impedimentum temporale, putà, propter inimicitias periculosas, vel necessitatem familiæ, non possunt adire Pontificem, possunt absolui ab Episcopo cũ iuramento illum adeundi cessante impedimento. Præterea ostiarij, qui turbæ submouendæ causâ clericum percutiunt leuiter, aut mediocriter, possunt absolui ab Episcopo. Si enormiter, non nisi à Papa: cap. *Si verò*, 1. De sent. excommunicat. Serui quoque, seu mancipia, possunt absolui ab Episcopo, si percusserunt in fraudem, vt ea ratione seruituti se eximerent: vel si Dominus magnum inde subeat detrimentum, & ipsius culpâ læsio facta non fuerit. Nisi læsio adeo foret enormis, vt ad tollendum scandalum, vitandumque mali exempli periculum necessarium esset illos ad sedem Apostolicam mittere, cap. *Latum*, De sent. excommunic. Denique Trident. sess. 24. cap. 6. De reformatione, permittit Episcopis absoluere à quibuscunque casibus occultis Sedi Apostolicæ reseruatis, quotcunque sibi subditos in sua dioecesi, adeoque à quacunque clerici percussione occulta. Habent etiam Legati à latere summi Pontificis iure communi potestatem absoluendi à quacunque excommunicatione ob violentam percussionem clerici, cap. *Ad eminentiam*, De sent. excommunication.

203. Et vicesimo alteri committere.

Notandum autem Episcopum in ijs casibus quibus potest ab illa absoluere per seipsum, posse etiam per simplicem sacerdotem cui id commiserit, vt docet Glossa in cap. *De cætero*, eodem tit. Et eos qui in supradictis casibus absoluuntur ab Episcopo cum iuramento sistendi se summo Pontifici, quãdo commodè poterunt cessante impedimento, non modò committere peccatum periurij, si id non faciunt; sed etiam in eandem excommunicationem incidere, id est, nouã similem contrahere, cap. *Eos qui* de sententia excommunicat. in sexto. Notandum præterea ex Navarro, quem citat, & sequitur Layman cap. 6. num. 6. locorum etiam consuetudinem spectandam esse. Nam inquit, Episcopi in regionibus ab vrbe Roma remotioribus in quibus nullus adest Legatus sedis Apostolicæ, præscripsisse possunt iurisdictionem absoluendi à quibusdam casibus Papalibus frequenter contingentibus, v. g. notoria clerici percussione, hæresi, &c. sine onere, quod reo imponi debeat, comparendi coram Romano Pontifice, eiusue Legato: præsertim si reus Ecclesiæ, & parti læsæ sufficienter satisfecit, vel satisfacere paratus sit. Neque tenentur eos mittere ad alios priuilegiatos intra, vel extra dioecesim in eiusmodi casibus frequentibus, quamuis id tutius sit.

204. Quinam ab illa excusantur.

Ab hac excommunicatione incurrenda excusantur 1. qui ioco percutiunt, quamuis modum excedant, cap. 1. De sent. Excommunicat. Secundò, qui fortuitò percutiunt, puta submouendo turbam irruentem, cui immixtus est clericus, si de industria id non faciunt, cap. *Si verò* 1. eodem tit. Tertiò, vim vi repellendo sibi aut rebus suis illatam, vel etiam alteri innocenti; cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ. Quartò, qui percutiunt ignorantes esse clericum, quia noctu, vel quia non ferebat habitum clericalem, cap. *Si verò* 2. tit. cit. Quintò, qui percutiunt clericum inuentum turpiter agentem cum vxore, vel matre, sorore, vel filia: cap. *Si verò* 1. De sentent. excommunicat. Nomine vxoris, intelligitur etiam sponsa de præsenti: & nomine matris, & filiæ intelliguntur omnes ascendentes, & descendentes, vt ait Innoc. in caput proximè citatum, licet alij multi contrarium sentiant. Nomine autem turpiter agentis, intellige etiam si tantùm verbis sollicitet,

sed adeo importunis, vt verbis repelli non possit. Quin etiam vt Nauarr. addit cap. 27. n. 84. sufficit solum cum sola reperire loco, & tempore suspectis: aut suspectum, & monitum per maritum, inuenire domi cum vxore sedentem, & confabulantem, etsi non turpiter conuersantem, vt ait Siluest. V. Excommunicatio 6. num 6. §. *Decimo*, quia scilicet præsumitur turpia tractare: idque licet maritus se occultauerit de industria, vt eos deprehenderet. Multoque magis excusatur mulier ipsa, quæ ad tuendam pudicitiam, Clericum inuadentem facto, aut sollicitantem verbis importunis, verberat quando verbis repellere facilè nequit. Quibus in casibus magis innocentibus, pudori suo, aut suorum consulentibus fauendum est, quàm nefariis illis morum corruptoribus, & probris Ordinis clericalis.

205. 5. Excusatur etiam Prælatus, qui correctionis causâ clericum sibi subiectum verberat, aut in carcerem coniicit, cap. *Vniuersitatis*, De sent. excomm. siue per seipsum siue per alium id faciat, modò non per laicum, nisi necessitas cogat. Potest tamen iubere clericum rapi per laicos, vt dicitur cap. *Vt famæ*, De sent. excomm. & cap. *Si clericos*, eod. tit. in 6. Potest etiam, quando est opus clericum torquere per laicos, quia dedecet torturam dari per clericos. Potest denique minister iustitiæ sæcularis capere laicum deprehensum in flagranti delicto, vt eum sistat superiori; quia præsumitur tacitus eius consensus, & hoc expedit ad commune bonum reipub. Porro non debet Episcopus per seipsum verberare, quia id non decet, vt dicitur cap. *Non licet Episcopo*, dist. 86. Prælati tamen inferiores, possunt vel per se, vel per alium. Sextò, excusantur etiam ludimagistri, qui discipulos, & patres qui filios pro merito castigant, quamuis in sacris constitutos: & qui ratione officii, quod in Ecclesia obtinent, leuiter percutiunt minores clericos turbantes diuinum officium; & patresfamilias, qui correctionis causâ idem faciunt circa clericos de sua familia, vel sibi propinquos eorum curæ commissos: argumento cap. *Ex tenore*, & cap. *Cum voluntate*, De sent. excomm. Septimò denique excusantur etiam quicunque percutiunt clericum non gaudentem priuilegio Canonis ob causas supra enumeratas: & qui percutiunt ex subita cholera, sine sufficienti aduertentia, & deliberatione. Quæcunque enim excusant percussionem à peccato mortali, excusant pariter ab hac censura.

SECTIO XVIII.

De excommunicatione propter hæresim & lectionem librorum prohibitorum.

206. Dico primò hæreticum, qui signo aliquo externo sufficienter manifestat hæresim internam, incurrere ipso iure excommunicationem Papæ reseruatam. Quòd incurrat, patet ex Bulla Coenæ, cuius primus articulus est contra hæreticos cuiuscunque sectæ: patet etiam ex iure canonico, cap. *Excommunicamus* 1. & 2. de hæreticis, & cap. *Cuicunque*, eod. tit. in 6. Verba capitis *Excommunicamus*, 2. quod est Gregorii IX. hæc sunt: *Excommunicamus, & anathematizamus vniuersos hæreticos, Catharos, Patharenos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Tossepinos, Arnaldistas, Speronistas, & alios quibuscunque nominibus censeantur, facies quidem habentes diuersas, sed caudas adinuicem colligatas, quia de vanitate conueniunt in idipsum. Damnatis verò per Ecclesiam, secundum iudicio relinquantur, animaduersione debita puniendi, clericis prius à suis ordinibus degradatis. Si qui autem de prædictis, postquam fuerint deprehensi, reuixerint aut agendam cognam pœnitentiam: in perpetuo carcere detrudantur. Credentes autem eorum erroribus, hæreticos similiter iudicamus.* Hæretici excommunicantur ipso iure.

Ad hanc autem excommunicationem incurrendam duo requiruntur. Error scilicet internus, aut dubium voluntarium circa fidem cum pertinacia, in quo formaliter consistit peccatum hæresis: & signum externum, quo sufficienter prodatur: quodque ab interna hæresi proueniat. Cuiusmodi signa sunt assertio alicuius propositionis hæreticæ, blasphemia hæreticalis, amphibologia verborum hæresim sapiens, & talibus circumstantiis munita, vt satis illam manifestet, omissio alicuius cerimoniæ adeo necessariæ, vt omittens sit meritò suspectus de hæresi: putà, si numquam ingrediatur templum Catholicorum; vel non aperiat caput, quando sanctissimum Sacramentum eleuatur, aut circumfertur in processione, aut fertur ad ægrotos. Ratio autem cur actus internus contra fidem requiratur, est quia sine illo nullus est verè hæreticus: hæc autem excommunicatio non fertur nisi contra hæreticos, verè scilicet, & propriè tales. Cur verò etiam actus externus requiratur, ratio est, quia nulla censura incurritur propter actum merè internum. Est enim pœna ecclesiastica: De internis autem, & per se occultis non iudicat Ecclesia. Duo requiruntur ad illâ exeúa.

207. Deinde quod huiusmodi excommunicatio sit Papæ reseruata, liquet ex Bulla Coenæ in fine, vbi adimitur potestas quibuslibet aliis absoluendi ab illa, & ab omnibus aliis casibus in eadem Bulla contentis, quamuis Episcopali, aut maiori dignitate ecclesiastica præditi sint. Quibus verbis derogare videtur facultati concessæ Episcopis in Trident. sess. 24. cap. 6. De Reformatione, absoluendi in foro conscientiæ subditos suos, à quibuscunque casibus occultis: & reipsa derogasse affirmat Tolet. lib. 1. cap. 41. Suar. disp. 21. sect. 3. num. 5. Barbosa ad caput Trident. citatum, vbi plurimos alios refert, & Bonac. disp. 2. de censuris q. 5. punct. 2. propos. 1. §. Est reseruata Papæ.

sed

Sed contrariam sententiam, hanc rationem addit: quia idem Concilium sess. 25. cap. 21. declarat omnia, & singula, quæ sub quibuscunque clausulis, & verbis à se statuta sunt, debere intelligi ita decreta fuisse, vt in his salua semper auctoritas sedis Apostolicæ & sit, & esse intelligatur. Quam etiam sententiam veluti probabiliorem secuti sumus disp. 53. sect. 10. num. 134.

208. Possunt Episcopi ab illa absolucre?

Contrarium tamen non sine probabilitate sentiunt Bannes 2. 2. q. 11. art. 4. post secundam conclusionē, Rodrig. tom. 1. Quæst. Regul. q. 10. a. 10. Henriq. lib. 6. cap. 14. n. 7. Sanchez lib. 2. in Decalogum cap. 11. n. 27. vbi plures alios citat: quorum sententiam tutam esse, præsertim in regionibus ab vrbe remotioribus, ob difficultatem adeundi summum Pontificem, affirmat Layman cap. 5. n. 2. citans Marium Alterinum Romanū scriptorem, & Nauarrum doctorem Pontificium. Additque, id quod Trident. ait ibidē, facultatem absoluēdi ab hæresi occulta, Episcopis tantùm committi, non verò eorum Vicariis generalibus, debere intelligi de iure ordinario, ac veluti ex officio; sed non ita vt non possit Episcopus Vicario suo, vel alteri idoneo, hanc facultatem specialiter committere; argumento cap. vltimi De officio Ordinari, iuncta Glossa. Idemque docent Rodrig. quæst. cit. art. 11. & Suar. tom. 4. in 3. partem, disp. 30. sect. 2. n. 9. & 15.

209. Saltem vt inquisitores.

Possunt etiam Episcopi, tanquam inquisitores nati, vbi non sunt alii inquisitores à sede Apostolica delegati absoluere ab hæresi manifesta in foro externo, iuxta caput *Vt officium*, §. *Si verò*, de Hæreticis in 6. vt docet Layman. capit. 6. num. 6. post plures alios quos citat. Prodestque hæc absolutio in foro conscientiæ, in quo postea absolui possunt à peccato hæresis, sublata per Episcopum excommunicatione Papali, ratione cuius iste casus erat reseruatus. Possunt etiam ipsi Episcopi in foro interno immediatè absoluere ab hac excommunicatione per seipsos, vel mediatè per alios à se deputatos sine obligatione recurrendi ad summum Pontificem, in partibus Septentrionalibus: propter frequentiam, & multitudinem absoluendorum, ex qua nascitur impedimentum sufficiens, atque perpetuum ipsum adeundi, vt docet Laym. ibidem: addens num. 5. hanc regulam esse communiter receptam, *Quòd casus Papalis, superueniente impedimento, fit Episcopalis*: quia bonum regimen, & congrua suauisque subordinatio inter Ecclesiæ Prælatos id requirere videtur. Accedit quòd quibusdam in locis non est recepta Bulla Cœnæ, vi cuius reseruatur excommunicatio propter hæresim: nam in iure antiquo non erat reseruata.

210. Excommunicantur etiam credentes hæretic.

Dico secundò, eandem excommunicationem, & æquè reseruatā, incurrere credentes, receptatores, fautores, & defensores hæreticorum. Vt constat partim ex cap. *Excōmunicamus* 1. §. *Credentes*, De hæreticis, & cap. *Nouerit*, De sent. Excom. partim ex art. 1. Bullæ Cœnæ, vbi renouatur excommunicatio lata in iuribus citatis, addita eius reseruatione Papali in fine Bullæ. Nomine Credentiū, intelliguntur tum qui fidem habent distinctè ipsorum erroribus: tum etiam qui confusè credunt illorum doctrinam esse veram, quæcunque illa sit: cuiusmodi solent esse personæ rudes, & ignaræ. Vtrique, vt incurrant excommunicationem, debent non solùm interiùs id credere; sed externo signo sufficienti manifestare, ob rationem supra allatam.

211. Et receptatores.

Nomine autem receptatorum, intelliguntur qui hæreticum domi suæ, vel alibi recipiunt, & occultant, ne in manus iudicum veniat, & pœnas meritas propter hæresim luat, vel etiam vt ibi tutò suos errores disseminare possit. Neque assentior quibusdam affirmantibus ad hanc excommunicationem incurrēdam nō sufficere semel recipere, & occultare hæreticum ne capiatur: eò quòd receptatio multitudinē, & frequentiam actuum significet: & vnica receptio non videtur esse peccatum mortale: in pœnis autē benigniori interpretatio facienda est. Contrarium enim tenēdum puto cum Toleto lib. 1. c. 19. nu. 6. post Archidiaconum, Paludanum, & Siluestrum, quos citat, Sanch. tom. 1. in Decal. lib. 2. c. 10. n. 10. Fagund. lib. 1. Decal. cap. 12. n. 9. & pluribus aliis: nisi specialis causa excuset à peccato mortali: Putà, quia patrem, aut filiū occultat, ne ad necem rapiatur, in pedixurus aliunde ne aliis noceat. Omnino tamen ad illam incurrendā necessarium est receptari, & occultari vt hæreticū: non autem vt alterius criminis reum, ex. g. ne capiatur à lictoribus insequentibus propter homicidium, aut furtū. Nam hæc excōmunicatio fertur in pœnā & odiū hæresis, ideoq; tota debet eò referri.

212. Et fautores.

Nomine Fautorum intelligendi sunt non modò illi, qui fauent positiuè verbis, aut factis, laudando hæreticos, vt tales, damnando iudices, qui eos puniūt, aut scriptores, à quibus impugnantur, arma, opes, & alia subsidia eis tribuendo, vt hæresim suam propagēt, aut tueantur: verùm etiam illi, qui fauent priuatiuè: id est, qui cùm ex officio teneantur hæreticos compescere, & carcere, vel alia pœna mulctare, non faciunt: iuxta cap. *Ad abolendam*, De hæreticis. Addunt aliqui etiam eos, qui tenentur ex charitate denunciare, dici fautores, & hanc censuram incurrere si non denunciant. Sed melius Tolet. sup. n. 7. post Siluestrum, affirmat requiri vt saltem ex iuramento ad id teneantur; quales illi sunt, qui Familiares Inquisitionis appellantur.

213. Et defensores.

Denique nomine Defensorum intelliguntur, qui sua potentia, vel opibus, & viribus defendunt hæreticos, ne veniant in manus iudicum, & puniantur: quique pro illis patrocinantur in causa hæresis, aut quouis alio modo, hæreticos, vt tales tuentur. Secus autem, qui hæreticum defendunt à latrone, vel alio iniustè nocere volente: vel qui illi patrocinātur in causis ciuilibus, aut aliis criminalibus, quàm propter hæresim. Notandum enim per defensores, æquè ac per fautores, &

Digitized by Google

receptatores, intelligi hoc loco eos duntaxat, qui recepiant, fouent, aut defendunt hæreticos formaliter vt tales, id est, in causa hæresis, non autem amicitiæ, vel consanguinitatis, aut necessitatis, vel vtilitatis gratiâ extra causam hæresis, in cuius odium statuta fuit hæc censura. Notandum etiam ad incurrendam hanc excommunicationem non esse necessarium, vt hæreticus sit nominatim denunciatus; sed sufficere, vt sit notus præbenti fauorem, defensionem, aut receptaculum: quia hæc omnia non prohibentur vt participatio cum excommunicato, sed vt participatio cum hæretico: ideoque Constitutio *ad vitanda*, non habet hic locum, vt rectè ait Suar. disp. 21. sect. 2. n. 9.

214. Licet non sequatur effectus.

Addit Bonacina disp. 2. q. 5. puncto 3. non incurri hanc excommunicationem per fauorem, receptationem, aut defensionem, nisi sequatur effectus. Quia quando principaliter prohibetur aliquis actus sub pœna Excõmunicationis: & fauor, mandatum, vel auxilium, prohibetur tantùm propter ipsum: non incurritur per hæc excommunicatio, nisi sequatur effectus. In præsenti autem prohibetur principaliter hæresis, & alia consequenter: ergo, &c. Ex quo fit, vt si quis hæreticum occultauit ne caperetur à iudicibus, qui tamen deprehensus punitus fuit, & impeditus ne suos errores disseminaret; non incurrat hanc excommunicationem. Sed hoc verum esse non puto. Quia hæresis non est effectus huiusmodi actuum, qui prohibeantur intuitu illius veluti effectus ex illis secuturi: sed potiùs vetantur vt appendices illius criminis, in cuius detestationem, & vltionem Ecclesia punit non ipsos tantùm hæresi infectos, sed etiam fautores, receptatores, & defensores: qui actus in ipso fauore, receptatione, aut defensione consummantur. Quare non bene illis applicatur regula illa, alioqui verissima, tradita à Caiet. v. *Excommunicatio* initio, & à Suare disp. 21. sect. 2. nu. 16. in hæc verba: Quando excommunicatio non per se fertur in propriam actionem, vt sic, sed solùm vt cooperationem, vel adiutricem alterius: tunc ad incurrendam excommunicationem non satis est actio dantis fauorem, vel auxilium, nisi actio, vel effectus principaliter prohibitus subsequatur: quia in hanc actionem directè & perse lata est excommunicatio, in alias verò quasi per extensionem.

215. Et qui legunt libros hæreticos.

Dico tertiò, in eandem excommunicationem Papæ reseruatam incidere eos, qui libros hæreticorum hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine sedis Apostolicæ auctoritate scienter legunt; aut eosdem libros retinent, aut imprimunt, aut quomodolibet defendunt, quouis causa, publicè, vel occultè, quouis ingenio, vel colore. Patet ex Bulla sup. cit. cuius ipsamet verba retulimus. Circa quæ nota requiri 1. vt hæc scienter fiant, id est, cognoscendo libros esse tales. Nam alioquin excusat ignorantia, etiam culpabilis, modò non sit crassa vel affectata. 2. Oportere libros illos esse hæreticorum. Quare non sufficit esse libros Catholicorum, quibus referuntur errores hæreticorum, refutationis aut historiæ causa; aut quibus interuntur per ignorantiâ aliquot hæreses: aut etiam quibus additæ sunt annotationes hæreticorũ; nisi tã multæ, & magnæ sint, vt merito cõmentarius sit loco libri. Non sufficit quoque esse libros Catechumenorũ, aut Infidelium non baptizatorũ. Nam illi propriè hæretici non sunt. Tertiò, debere libros illos esse tales, vt contineant hæresim, vel tractent de religione: quia non sufficit esse scriptos ab hæreticis, si de Philosophia tractent, vel de historia, & huiusmodi aliis; & nisi vel errores contra fidem contineant, vel nisi tractent de religione ex professo & non obiter tantùm attingant aliquid de Scriptura sacra, vel de articulis fidei, vel de rebus ad cultum Dei, & SS. pertinentibus. Quarrò legere diverbum strictè sumẽdum esse de illo qui per se legit: hic enim solus propriè dicitur legere: debereque intelligi de eo, qui notabiliter legit: alioquin excusat leuitas materiæ. Sufficit autem legere notabiliter prædictos libros, quamuis non legantur ea in parte, quá continent errores. Neque excusatur ab hac censura ille ipse qui talem librum comparauit, si eum legit.

216. Et qui eos retinent, defendunt, imprimunt.

Sufficit etiam ad illam incurrendam retinere eiusmodi libros curiositatis gratiâ, vel ad eos refutandos, si ab que licentia id fiat. Excusat tamen paruitas materiæ, vt si retineantur ad vnum, aut alterum diem, vel expectando commoditatem tradendi superioribus, vt tradi præcipit Iulius III. in Motu proprio, qui incipit, *Cùm meditatio*. Possunt tamen ab vnoquoque comburi propria auctoritate, vel illis tradi, qui legendi facultatem habent, quá licentiam non potest dare alius quàm summus ipse Pontifex, vt liquet ex verbis Bullæ supra relatis, excepto casu magnæ necessitatis, in quo potest ab Episcopo, vel ab Inquisitore concedi. Denique circa particulam, *Imprimunt*, nota per eam excommunicari auctorem libri, & typographum, omnesque in eius officina cooperantes ad eiusmodi librorum editionem. Particula verò, *Defendunt*, comprehendit eos, qui impediunt, ne ab Inquisitoribus reperiantur, aut igni tradantur; qui affirmant non esse comburendos, aut prohibendos; qui dicunt esse bonos quoad res ipsas hæreticorum errorem continentes: secus autem si stylus tantùm laudetur, vel aliqua doctrina vera in eis contenta: Et denique qui res eafdem, prout in libris illis scriptas, vel disputandi gratiâ defendunt: nam Bulla citata dicit, *quouis ingenio vel colore*, id est, quocunque prætextu. Hæc tamen excommunicatio non erat reseruata ante Bullam Cœnæ: imò neque satis clarè habebatur in iure antiquo, quoad hanc partem, quatenus scilicet concernit libros hæreticorum.

Digitized by Google

SECTIO XIX.

De aliis excommunicationibus Papæ reſeruatis in Bulla Coenæ.

217. An qui appellat à Papa ad futurum Cõcilium.

HVc vſque de prima excommunicatione lata & reſeruata in Bulla Coenæ contra hæreticos, eorumque fautores &c. Secunda fertur ibidem contra appellantes ad futurum Concilium ab ordinationibus, ſententiis, ſeu mandatis ſummi Pontificis: & contra dantes auxilium, vel fauorẽ ad appellandum. Vbi nota primò, hanc excommunicationem ferri generaliſſimè in omnes appellantes cuiuſcunq; conditionis, ſiue appellent à ſententia iuſta, ſiue iniuſta, id eſt, tali vt ab illa daretur legitima appellatio, ſi Papa haberet ſuperiorẽ. Non enim ſur datur hæc cenſura in eo quòd ſententia, à qua appellatur, ſit iuſta: ſed in eo quòd fiat iniuria ſummo Pontifici, profitendo per eiuſmodi appellationem, ipſum eſſe Concilio inferiorem: vt recte ait Suar. diſp. 21. ſect. 2. n. 15.

Nota ſecundò, quia fieri poteſt vt tota communitas appeller, & illa non poteſt excommunicari, vt dicitur in cap. *Romana*, De ſent. excõm. in 6. Idcirco verbo *Excommunicamus*, quod cadit in ſingulas perſonas appellãtes; additur ibidem, *Et interdicimus*, quod cadit in cõmunitatem. Nota tertiò hanc cenſurã ferri quoq; contra dantes auxilium vel fauorem ad appellandũ: ita ſcilicet, vt auxilium, vel fauor anteceſſerit appellationem (verba enim Bullæ ſunt, *Quorum auxilio vel fauore appellatum fuerit*) & appellatio vi talis auxilii, vel fauoris facta fit. Nam cùm tantùm prohibeantur propter illum actum, velut illius cooperationes: non incurritur excõmunicatio, niſi ſequatur actus principaliter prohibitus iuxta regulã ſupra traditam n. 214. Nota quartò, eandem excõmunicationem contra eadem tria genera perſonarum fuiſſe priùs latam, & reſeruatam à Pio II. & Iulio II. in conſtitutionibus, quarum mentionẽ faciunt Silueſt. v. *Excommunicatio* 7. n. 93. & Caiet. eodẽ v. cap. 25.

218. An etiam qui dant cõſilium appellandi?

Quòd ſi quæras, an etiam illi, qui cõſilium dant appellandi comprehendantur hac cenſura Bullæ; Reſpondeo negatiuè cum Suare diſp. 21. ſect. 2. n. 17. quia conſilium in rigore ſignificat influxũ diſtinctumà fauore, & auxilio: ordinaturq; ad finem diuerſum: nam conſilium tendit immediatè ad inſtructionem mentis: auxilium verò, & fauor tendunt immediatè ad executionẽ. Et in eadem Bulla, aliiſq; iuribus, quando extenduntur cenſuræ ad conſulentes, fit expreſſa illorum mentio. Et deniq; auctoris Bullæ intentio fuit hac cenſura cohibere potentes, qui efficaciùs iuuant ad appellandũ: de conſulentibus autem, vel inſtruentibus dumtaxat, non voluit tam ſeuerè ſtatuere.

219. Et piratæ in mari Eccleſiaſtico.

Tertia excõmunicatio eiuſdem Bullæ fertur contra omnes Piratas, Curſarios, & latrunculos maritimos diſcurrentes mare Eccleſiæ, præcipuè à monte Argentario vſq; ad Terracinam, & eorum fautores, receptatores, & defenſores. Quæ poſtremæ particulæ explicandæ ſunt, vt ſuprà. Circa reliquas obſerua 1. hanc cenſuram, prout ita refertur in Bulla Clementis VIII. pertinere ſolũ ad infeſtantes mare temporaliter ſubiectum dominio ſummi Pontificis: licet antea Bulla Gregorii XIII. latiùs illam extenderet ad omnes piratas maritimos: ſic enim habebat: *Excommunicamus omnes piratas, & latrunculos maritimos, & illos præcipuè, qui mare noſtrum* &c. Quæ diuerſitas, ſi ſola eſſet inter Bullas huiuſmodi, laborandum eſſet in illa concilianda, vt facit Suar. ſect. cit. n. 18. Verùm tam multas alias eſſe fatetur ipſe mer, vt non dubitẽ hanc quoq; de induſtria à Clemente factam eſſe. Obſeruandum 2. ſufficere vi eiuſdem Bullæ Clementis ad hanc cenſuram incurrendam, quòd piratæ illi, curſarii, & latrunculi maritimi diſcurrant mare eccleſiaſticum. Quod etiam antea ſufficiebat, licet in Bulla Gregorii XIII. additum eſſet, *Et illos præcipuè, qui mare noſtrum à monte Argentario vſque ad Terracinam diſcurrentes, eos qui in illo nauigant, deprædantur, mutilant, interficiunt, rebuſq; & bonis ſpoliant.* Nam quamuis contra iſtos præcipuè lata eſſet hæc excommunicatio, vt habet hæc clauſula: vi tamen prioris excommunicabantur, æquè ac nunc, hoc ipſo, quòd eſſent piratæ, & latrunculi maritimi, hac generali clauſula comprehenſi; *Excommunicamus omnes piratas, & latrunculos maritimos.* Nec immeritò: quia hoc ipſo, quòd tali intentione mare diſcurrunt, captanq; prædandi occaſiones, ſunt digni tali poena: præcipuè verò qui infeſtant mare eccleſiaſticum: propter iniuriam illatam Eccleſiæ, cuius dominio ſubeſt, & ſummo Pontifici maris illius Domino, & tutori.

220. Qui dicantur piratæ?

Obſerua 3. piratas, curſarios, & latrunculos maritimos dici, quicunque veluti ex officio mare diſcurrunt deprædandi animo, ſine titulo belli: ſiue vnius tantùm nationis incolas deprædentur: ſiue indifferenter cuiuſcunque: & ſiue ſolùm, aut principaliter deprædari intendant: ſiue etiam ſimũl, aut principaliùs mercaturam exercere, aut quid aliud: vt bene contra Silueſt. docet Suar. diſp. 21. ſect. 2. num. 24. Abſurdum enim eſt exiſtimare non eſſe verè piratas eos, qui abſque belli titulo diſcurrunt mare Indicum ea intentione, vt Hiſpanos ſolùm, aut Luſitanos vita, & bonis ſpolient: vel vt ſimul etiam mercaturam exerceant. Eo tamen nomine cenſendi non ſunt, qui iter agendo, incidenter tantùm, & caſu aliquo deprædantur aliquando nauigantes: vt ex communi omnium conſenſu docet Nauarr. cap. 27. Manual. num. 59. Cùm autem Bulla generaliter loquatur, probabilius exiſtimo hac excommunicatione comprehendi Chriſtianos, qui circa infideles piraticam exercent,

Nam, vt videbimus inferiùs, hæc Bulla nominat ſpeciatim Chriſtianos, quando de illis ſolis loquitur. Neque obeſt ratio Suaris contrarium ſentientis ſect. cit. num. 21. poſt Toletum lib. 1. cap. 20. n. 6. Quòd videlicet piratæ infideles non excommunicentur exſpoliantes Chriſtianos: ergo neque Chriſtiani ſpoliantes ſolùm infideles: maximè verò, quia, inquit, iniuſtitia illa eſt quodammodo extra terminos Eccleſiæ, ſicut & iniuſtitia, quam ipſi infideles exercent in Chriſtianos.

221. Quid ſi tantum prædentur infideles?

Reſpondeo enim cauſam cur infideles deprædantes Chriſtianos non comprehendantur hac excommunicatione, eſſe, quia non ſunt ſubditi Eccleſiæ, cùm non ſint baptizati: ideoque non poſſunt ab ea puniri per cenſuras: ſecus autem piratæ Chriſtiani: quorum etiam iniuſtitia, prout eſt culpa, & digna poena, eſt omnino intra terminos Eccleſiæ, licet illius obiectum ſit extra. Sicut peccata blaſphemiæ verbi gratia in Deum & Sanctos, ſunt omnino ſubiecta Eccleſiæ iudicio: licet Deus & Sancti cum Deo regnantes in coelo, qui ſunt obiecta huiuſmodi blaſphemiarum, ſint extra terminos iuriſdictionis Eccleſiæ. Quare niſi aliquis titulus iuſtus excuſet, vt eſt, quòd v.g. Turcæ detinent iniuſtè terras Chriſtianorum, illoſque hoſtiliter inuadunt vbicunque poſſunt; incurrunt hanc cenſuram quicunq; piraticam erga infideles exercent. Confirmatur, quia quando fertur excommunicatio in fauorem Chriſtianorum tantùm, ſolet id exprimi: vt patet ex alia excommunicatione antiqua, ſed non reſeruata, quæ habetur in cap. *Excommunicationi*, De raptoribus: vbi expreſſa fit mentio Chriſtianorum exſpoliatorum, in quorum dumtaxat fauorem lata erat, in hæc verba: *Excommunicationi ſubdantur, qui Romanos, aut Chriſtianos nauigio vectos pro negotiatione, vel aliis honeſtis cauſis capere, aut bonis ſuis ſpoliare præſumunt.* Porro ab hac cenſura excuſantur Chriſtiani remiges, ſeruientes piratis infidelibus, qui metu tormentorum, & mortis adacti coguntur illis obſequi in inſequendis nauibus Chriſtianorum, & infeſtando mari eccleſiaſtico. Siue enim excuſentur à peccato, ſiue non, de quo diximus alibi: ſaltem excuſantur communiter à contumacia contra præceptum Eccleſiæ non obligans cum tanto rigore, & conſequenter excuſantur à cenſura.

222. Et rapientes bona naufragantium.

Quarto fertur cõtra omnes, & ſingulos, qui Chriſtianorum quorumcunque nauibus tempeſtate iactatis, ſeu quoquo modo naufragium paſſis, ſiue in ipſis nauibus, ſiue ex eiſdem eiecta, in mari, vel in littore inuenta cuiuſcunque generis bona, in cuiuſcunque maris regionibus, & littoribus ſurripiunt. Additurque clauſula derogans cuicunq; priuilegio, conſuetudini, aut poſſeſſioni, & prætextui in contrarium: ita vt contra hanc excommunicationem, nec priuilegium, nec conſuetudo aliqua, etiam longiſſimi temporis, & immemorialis, nec poſſeſſio, aliuſue prætextus aliquid operetur, quò minùs talia bona ſurripientes eam contrahant. Similis excommunicatio, ſed non reſeruata, & contra quoſcunq; piratas non ſolùm maritimos, ſed etiam fluuiales, lata erat in cap. *Excommunicationi*, De raptoribus, in hæc verba: *Qui Chriſtianos naufragium patientes damnata cupiditate ſpoliant rebus ſuis, niſi ablata reddiderint, excommunicationi ſe nouerint ſubiacere.* Vtraque autẽ loquitur de acceptione iniuſta. Nã qui naufragantium bona caperet animo reſtituendi veris eorum dominis, non incurreret has cẽſuras, ſed actum charitatis exerceret. Eſt autem inter vtramq; differentia. Nam ad priorem incurrendã ſufficit bona naufragantium ſurripere, hoc eſt, iniuſtè accipere: ita vt quãuis poſtea mutato animo reſtituantur, fuerit tamẽ incurſa excommunicatio, neque propterea ceſſet. Ad poſteriorem verò neceſſarium eſt, vt non reſtituantur datâ opportunitate. Quia licet aliquis iniuſta cupiditate, & animo retinendi acceperit, non incurrit hanc excommunicationem, quamdiu non eſt in mora culpabili reſtituendi.

223. Sed dubitari poteſt, vtrum qui accepit animo reſtituendi vero domino comperto, poſteaque mutata voluntate non reſtituit, incurrat excommunicationem. Bullæ? Videtur enim non incurrere, quia nõ iniuſtè accepit. Exiſtimo tamen incurrere, & ad rationẽ dubitandi reſpondeo, tunc iniuſtè accipere, quando primùm vt propria detinet, ſibiq; arrogat: ideoque tunc incurrit excommunicationem. Similiter ille qui eiuſmodi bona, neſciens eſſe naufragantium acciperet, poſteaque cõperta veritate nollet reſtituere; non incurreret quidem excõmunicationem Bullæ, quãdo primùm accepit: debet enim ſcienter fieri id quod prohibet cenſura, ita ſcilicet, vt ſciantur eſſe bona naufragantium: ſed incurreret, quando propria ſibi faceret. Poſteriorem verò cenſuram latam cap. *Excommunicationi*, vterque tunc ſolùm incurreret, quando eſſet in mora culpabili reſtituendi: quia tunc ſolùm impletur peccatum hac cenſura prohibitum.

224. Et qui nouas peagias vel gabellas ſuper imponunt.

Quinta fertur in eos omnes, qui in terris ſuis noua pedagia, ſeu gabellas, præterquam in caſibus ſibi à iure, ſeu priuilegio ſpeciali Sedis Apoſtolicæ permiſſis, imponunt, vel augent: ſeu imponi, vel augeri prohibita exigunt. Quibus verbis duo genera perſonarum excommunicantur: videlicet imponentes pedagia, ſeu gabellas, ſine iure, vel ſine priuilegio ſpeciali Sedis Apoſtolicæ: & exigentes eiuſmodi gabellas ſine iure, aut ſine priuilegio impoſitas. Dicitur autem proprie Pedagiũ, id quod ſoluitur pro mercibus inuectis, aut pro viæ tranſitu: differtque à Guidagio, quod ſoluitur pro viæ ducatu. Gabella verò latius hîc ſumitur pro eo quod exigitur ſiue pro mercibus vehendis, aut vendendis, & emendis, ſiue pro viæ tranſitu, aut ducatu, ſiue pro quauis alia cauſa: ita vt comprehendat omne genus exactionis, & tributi. Ius illas exigendi habent ſupremi Principes, & ciuitates, quæ mixtum ha-

Digitized by Google

bent imperium, aut sunt sui iuris. Potest & aliis concedi vel à supremis principibus, quibus illi subsunt: vel à sede Apostolica, quando ad bonum spirituale alicuius communitatis id omnino necessarium est, per potestatẽ indirectam, quam ad hunc finem habet summus Pontifex circa bona temporalia: vt hæc Bulla præsupponit.

225. Actus prohibitus per hanc censurã triplex est. Impositio huiusmodi tributorum sine potestate: augmentum illorum supra potestatẽ, quãdo videlicet supremi Principes supra modum augent, id est, plusquã exigat necessitas boni communis: & exactio eiusmodi tributorum malè impositorum: ita vt non solùm imponentes, sed etiam exigentes excõmunicentur. Dicuntur autem exigere, qui curant, aut postulant ea solui tãquam debita, ab illis qui alioqui non soluerent: quamuis non alia vtantur coactione, vt solutionẽ extorqueant. Cæterùm in dubio de iustitia, & necessitate tributi, pro Principe præsumendum est. Et ad hanc censuram incurrendam non sufficit esse iniustũ cò quòd imponatur Clericis, aut aliis personis exemptis: nisi secundum se sit iniustum, id est, sine potestate impositum, aut excedens mensurã necessitatis: vt rectè affirmat Suarez disp. 21. sect. 2. n. 40.

226. Et falsarii literarum Apostolic. Sexta fertur contra omnes, & quoscunque falsarios literarum Apostolicarum, etiam in forma Breuis, ac supplicationum gratiam, vel iustitiam concernentium, per Romanũ Pontificẽ, vel S. R. E. Vice-Cancellarium, seu gerentes vices eorum: aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum. Necnon falsò fabricantes literas Apostolicas, etiã in forma Breuis, aut etiam falsò signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vicecãcellarii, aut gerentis vices prædictorum. Quibus verbis significatur per literas Apostolicas intelligi quęcunq; nomine Romani Pontificis, siue S. Sedis Apostolicæ expediuntur; vt Bullas, & Breuia Apostolica: secus autem literas Legatorum, vel Nunciorum, vel summorum Pœnitentiariorum, vel Prælatorum quorumlibet summo Pontifice inferiorum, vt post Paludanum rectè notauit Tolet. lib. 1. cap. 22. Duo autem actus circa literas Apostolicas prohibentur hac censura. Vnus est, earum falsificatio, id est, earũ à sincera veritate immutatio, vel etiã applicatio sigilli, seu signi Apostolici ad falsas literas concinnandas, vt dicitur in cap. *Licet*, *De crimine falsi*, vel aliqua eorum quæ in illis continentur correctio. Non sufficit autem obtinere literas Apostolicas per narrationem falsi: nam illæ sunt verè literæ Apostolicæ, quãuis falso prætextu impetratæ. Alter est, fabricatio falsarum literarum, seu confictio tã sigilli, quàm scripti in illis cõtenti. Quæ culpa est grauior præcedẽte, & semper est mortalis: adeoque semper habet hanc censuram annexam. Prior verò in re leui à mortali excusari potest, quando est leuis mutatio, retento sensu necessario, aut non contra voluntatem summi Pontificis: putà, si certum sit dispensasse in tertio gradu, & per errorem scribæ quartus positus fuerit. Quamquam huiusmodi mutationes sunt cauendæ, quia periculosæ, & mali exempli.

Vterque actus prohibitus antea fuerat sub pœna excommunicationis non reseruatæ in cap. *Ad falsariorum*, De crimine falsi: Et in cap. *Dura*, eod. tit. extenditur hæc excommunicatio ad eos, qui literas falsas se habere cognoscentes, non eas destruunt, aut resignant intra viginti dies, licet eas non ipsi falsauerint, aut fabricauerint. Est tamen ibi, sicut in iuribus ante citatis, sermo de literis tantùm Apostolicis: vt patet ex præcedentibus in textu: neque fertur ipso iure antiquo hac excommunicatio, sed ferri præcipitur, & promulgari per singulas parochias: Et postquam lata fuerit, manet reseruata summo Pontifici. Adduntur etiam in cap. sup. citato *Ad falsariorum*, quædam aliæ pœnæ contra clericos literis falsis vtentes, nimirum scienter, & liberè, vel eas falsificantes: vt scilicet priuentur officiis omnibus, & Beneficiis, si illis vtuntur: si autem per seipsos falsificant, Officiis, & Beneficiis priuati degradentur, & brachio sæculari poenis legitimis afficiendi tradantur. 227.

228. Et deferẽtia arma infidelibus. Septima fertur contra duo genera personarum. Primò scilicet, contra eos omnes, qui deferunt infidelibus, vt Saracenis, & Turcis, atque etiam hæreticis per Romanam Sedem expressè declaratis, & generatim omnibus Christiani nominis hostibus, & inimicis, equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta: lignamina (armis, vel nauibus conficiendis, & vsui bellico apta) funes ex quacunque materia, atque ipsam funium materiam, aliaque huiusmodi, quibus Christianos, & Catholicos impugnant: cuiusmodi sunt naues, currus, animalia deferentia personas aut res militum, & alia quæ pertinent ad bellicas actiones, & ad arma tam offensiua, quàm defensiua. Secus autem victualia, & alias merces, vt vestimenta: nisi eo tempore, vel occasione ferãtur, vt meritò censeri possint esse auxilia, & instrumenta belli, sicut & pecuniæ eodem tempore, vel occasione ad illos missę.

229. Simile quid circa Saracenos prohibitum erat cap. *Ita quorundam*, *de Iudæis*, vbi excõmunicantur ab Alexandro III. additis aliis poenis, deferentes arma, ferrũ, & lignamina Galearum, id est, Triremium, ad Saracenos, hoc est, ad omnes, qui impiam Mahometis sectam profitentur: & qui regimen, vel curam gubernationis gerunt in Galeis, & nauibus piraticis: & qui subministrant eisdem Saracenis necessaria ad impugnandos Christianos. Et cap. *Quod olim*, *de Iudæis*, vbi Clemens III. excõmunicat illos, qui tẽpore belli mercaturam exercent cum Saracenis: & eos qui per se, vel per alios, nauibus, seu quouis alio ingenio, aliqua rerum subsidia, vel consilia duxerint impendenda, etiam tempore belli

da est altera pars censuræ de commorantibus in Romana curia: de illis videlicet, qui ratione curiæ Pontificiæ ibi sunt, non autem de ciuibus Romanis, & aliis, qui ibi essent, quamuis abesset Pontifex, & curia. Notandum verò discrimen esse inter vtramque partem huius censuræ. Quia ad priorem sufficit, quocunque modo facere actiones ibi prohibitas. Ad posteriorem requiritur vt fiant auctoritate, & iurisdictione vsurpata. Vnde non incurrunt hanc excommunicationem fures, qui spoliant commorantes in curia: vel qui rixando aliquem eorum interficiunt, aut mutilant.

234. Vel peregrinos ad Vrbem.

Decima fertur contra omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes Romipetas, seu pergrinos ad Vrbem causá deuotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, & ab ipsa recedentes: & in his dantes auxilium, consilium, & fauorem. Differt autem à præcedente, primò, quia annexa est specialiter vrbi Romæ, non autem sedi Apostolicæ. Vnde quamuis sedes Apostolica alibi esset, non minùs excommunicarentur, qui Romanos peregrinos modis supra dictis vexarent. Secundò, quia restringitur ad eos, qui deuotionis causá Romanam peregrinationem suscipiunt. Prior autem complectebatur omnes accedentes ad sedem Apostolicam ob quæcunque negocia ad eam pertinentia. Tertiò quia non distinguit inter accedentes, aut recedentes, & inter commorantes, vt prior: neque respectu istorum requirit prætextum iurisdictionis vsurpatæ in malè ipsos afficientibus: sed æqualiter omnes comprehendit in omnibus. Quartò denique, non extenditur hæc excommunicatio ad eos, qui consilium, auxilium, aut fauorem præbent ad actiones hic prohibitas. Similis excommunicatio olim lata erat in fauorem peregrinorum Terræ sanctæ, vt refert Tabiena v. *Excommunicatio*, 6. in fine.

235. Et insequentes Cardinales Archiepiscopos &c.

Vndecima fertur in omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, incarcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios. Extenditurque ad eiicientes eosdem ex suis diœcesibus, territoriis, terris, seu dominiis: & ad mandantes, vel ratum habentes, seu præstantes auxilium, consilium, aut fauorem in aliqua prædictarum actionum. Similis excommunicatio Papalis lata erat in Clementina *Si quis suadente*, De pœnis, contra offensores personæ Episcoporum: & cap. *Felicis*, eod. tit. in 6. contra offensores Cardinalium. Sunt autem hæc omnia intelligenda de actionibus iniuriosis, & adeo grauibus, vt peccatum mortale constituant, sciencerque & liberè factis contra personas suprà dictas, notis vt tales. Et per Episcopos intelligendi hic sunt, qui verè, & perfectè sunt tales, id est, consecrati, non autem nominati solùm, aut confirmati. Reliquæ particulæ *Rata habentes, supræstantes auxilium, consilium, aut fauorem*, fuerunt superiùs alia occasione explicatæ.

236. Vel recurrentes ad Curiam Romanã.

Duodecima fertur in eos, qui occasione causarum, vel negotiorum occidunt, seu quoquo modo percutiunt, aut bonis spoliant per se, vel per alios, omnes ecclesiasticos, vel sæculares ad Romanam curiam super eorum causis, & negotiis recurrentes, ac illa in eadem curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumque gestores, aduocatos, procuratores, & agentes: seu etiam auditores vel iudices super dictis causis, vel negotiis deputatos. Extenditurque postea ad eos qui per se, vel per alios, directè, vel indirectè, delicta huiusmodi committere, exequi, vel procurare, aut in iisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscunque præeminentiæ, & dignitatis fuerint. Quibus verbis satis perspicuè exprimuntur, tum personæ in quas fertur hæc excommunicatio: tum actiones, propter quas. Solùm aduerte debere has iniurias fieri occasione causarum, aut negotiorum huiusmodi, vt expressè dicitur initio verborum Bullæ hanc censuram concernentium. Nimirum quia, vt rectè ait Suar. num. 73. non tam fertur in fauorem personarum, quam causarum, & negotiorum, ne eorum cursus, aut expeditio, vel executio impediatur. Nullum autem excipit hæc prohibitio, sed omnes siue laicos, siue ecclesiasticos summo Pontifice inferiores comprehendit.

237. Et appellantes à literis Apost. ad laicam potestatem.

Decima tertia fertur in eos omnes, qui prætextu friuolæ appellationis à grauamine, vel futura exequutione literarum Apostolicarum, ad curias sæculares & laicam potestatem recurrunt, in causis Ecclesiasticis, ad impediendam exequutionem aliquarum literarum Apostolicarum, quouis modo à prædicta sede emanantium. Simile quid statutum erat in cap. *Quoniam*, De immunitate Ecclesiarum, in 6. sed hic multò latius expositum, in toto censuræ tenore, quem integrè relatum, vide apud Tolet. lib. 1. cap. 26. n. 3.

238. Et qui causas auocãt à iudicibus eccles.

Decima quarta, similis præcedenti, fertur in omnes & singulos, qui per se vel per alios, authoritate propria, & de facto, quarumcumque exceptionum, vel aliarum gratiarum & literarum Apostolicarum prætextu, beneficiales, & decimarum, ac alias causas spirituales, & spiritualibus annexas, ab auditoribus & commissariis Pontificis, aliisque iudicibus ecclesiasticis auocant, illarumúe cursum, & audientiam, ac quoscunque prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tanquam iudices interponunt &c. de quibus vide Tolet. cap. 27. num. 1. Nauarrum cap. 27. Manualis num. 69. Caiet. V. *Excommunicatio*, cap. 29. & Suar. disp. 21. sect. 2. n. 75. & 76.

239. Decima quinta fertur contra duo genera personarum, 1. contra eos qui ex præten-

Digitized by Google

etiam qui ſuper ipſis Clericis nullum habentibus beneficium, hæc tributa imponunt. Intellige tamen, niſi mercaturam, aut alia negotia ſæcularia exerceant: tunc enim licet illis, æquè ac aliis mercatoribus, & negotiatoribus imponere. Canones autem, quorum in fine verborum Bullæ iam relatorum fit mentio, per quos aliquid ſimile ſtatuti erat, ſunt C. *Non minùs*, de immunitate Eccleſiarum, ex Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. C. *Aduerſus*, eodem tit. ex Concilio Lateran. ſub Innocentio III. & cap. *Clericis*, eodem tit. in 6. vbi Bonifacius VIII. addidit excommunicationi poenam interdicti, eiuſque decretum renouauit, & confirmauit Benedictus XI. in Extrauagante *Quod olim*, de immunit. Eccleſ. Sed Clemens V. in Clementina *Quoniam*, eodem tit. has duas poſtremas conſtitutiones reuocauit, voluitque ſeruari tantùm ea, quæ ſtatuta erant in C. *Non minùs*, & C. *Aduerſus*, ſupra citatis. Bulla verò tandem hæc omnia innouat, & excommunicat etiam accipientes à ſponte dantibus, non quidem omnino abſolutâ & liberâ voluntate donandi: id enim non eſt malum, neque cenſurâ dignum: ſed ſponte, id eſt, ſine alia vi & coactione, præter ipſam impoſitionem, & exactionem.

244. Vel omnia per eas ſtant ſine licentia S. ſedis.

Decima nona, & vigeſima feruntur contra eos, qui ſe interponunt quomodolibet in cauſis capitalibus ſeu criminalibus, contra perſonas eccleſiaſticas, illas proceſſando, banniendo, capiendo, ſeu ſententias contra illas proferendo, ſine ſpeciali, ſpecifica, & expreſſa, Sanctæ ſedis Apoſtolicæ licentia: & contra eos qui per ſe, vel per alios, directè vel indirectè, ſub quocunque titulo, vel colore, inuadere, deſtruere, occupare, aut detinere præſumpſerint in totum, vel in partem, Almam Vrbem, aliaſque ciuitates, & terras, Eccleſiæ Romanæ dominio temporali ſubiectas: culpabiliter ſcilicet, & ſine iuſto titulo.

245. Non ceſſant hæ cenſuræ per mortem Pontificis.

Poſt hæc addunt ſummi Pontifices à tempore Pii V. verba quæ ſequuntur: *Volentes præſentes noſtros proceſſus, ac omnia & quæcunque his literis contenta, quouſque alii huiuſmodi proceſſus a nobis, aut à Romano Pontifice pro tempore exiſtente, fiant aut publicentur, durare, ſuoſque effectus omnino ſortiri.* Quæ clauſula facit vt hæ cenſuræ non ceſſent per mortem Pontificis, ſicut cenſuræ latæ ab homine: ſed perpetuò durent, donec placeat ſummis Pontificibus aliquid aliud circa hanc bullam ſtatuere. Quam ob cauſam Nauarrus cap. 27. Manualis n. 74. affirmat has cenſuras iam eſſe dicendas latas à iure. Deficit tamen hæc Bulla, à natura legis in eo quòd lex non ceſſat, niſi per poſteriorem expreſsè reuocetur, aut aliquid ei contrarium ſtatuatur. At hæc bulla ceſſat ſtatim atque ſubſequens publicatur: & ſi quid in iſta omittitur (vt aliquando factum eſſe ſupra notauimus) deſinit præcedens eo ipſo obligare, quamuis expreſsè non reuocetur: vt ſignificant verba illa, *quouſque alii ſimiles proceſſus* &c.

246. Reſeruatur Papæ.

Reſeruat etiam ſummus Pontifex in fine eiuſdem bullæ, abſolutionem omnium caſuum, & excõmunicationum in ea contentarum, Sedi Apoſtolicæ, excepto mortis articulo; quam ne tunc quidem dari permittit, niſi facta priùs ſatisfactione, vel præſtita cautione de ſtando mandatis ſummi Pontificis, & de ſatisfaciendo, cautione ſcilicet pignoratitia, ſi fieri poſſit: ſin minùs, fideiuſſoriâ; ſin minus, ſaltem iuratoria. Reuocatque omnia priuilegia, à quocumque data, etiam à Conciliis generalibus, per quæ dari poterat hæc abſolutio, ab vllo alio extra mortis articulum. Additâ poenâ excommunicationis, ipſo facto incurrendæ (non tamen reſeruatæ) contra eos, qui præſumpſerint abſoluere aliquem ex prædictis caſibus, aliter quàm per bullam ſtatutum eſt. Ac tandem præcipit omnibus Prælatis, vt quotannis ſemel ad minus eam ſolemniter publicent: & omnibus confeſſariis, tam ſæcularibus, quàm Regularibus, vt tranſſumptum harum literarum penes ſe habeant, eaſque diligenter legere, & percipere ſtudeant.

247. Et quidem valde ſtrictè.

Circa quæ nota reſeruationem horum caſuum adeo ſtrictam eſſe, vt facultas ab illis abſoluendi non cenſeatur eſſe comprehenſa in conceſſione generali, & priuilegiis abſoluendi ab omnibus caſibus Papæ reſeruatis, niſi in illis expreſſa fiat mentio caſuum Bullæ coeræ. Sic enim cauet Bulla Clementis VIII. cùm ait, Niſi in eis etiam caſus præſentibus literis expreſſi cõprehendantur. Reuocanturque eatenus, aut reſtringuntur huiuſmodi priuilegia generalia priùs conceſſa, per annuam promulgationem huius Bullæ, cum hac clauſula expreſsè inſerta. Cuius occaſione dubitari poteſt an illa deroget facultati conceſſæ Epiſcopis à Trident. ſeſſ. 24. cap. 6. de Reformat. vt in foro conſcientiæ poſſint ſubditos ſuos abſoluere à quibuſcunque caſibus occultis, etiam ſedi Apoſtolicæ reſeruatis? Reſpondent negatiuè Henriq. lib. 6. cap. 14. n. 7. Bannez 2. 2. quæſt. 11. art. 4. poſt 2. concluſionem, Sanch. lib. 2. Moralium cap. 11. n. 27. Auila 2. part. cap. 7. diſp. 1. dub. 6. Rodrigues tom. 1. Quæſtionum Regularium. q. 20. a. 10. Quia Bulla non derogat priuilegiis, in quibus fit expreſſa mentio caſuum in ea contentorum: vt patet ex verbis Clementis VIII. proximè relatis. Atqui in priuilegio conceſſo à Tridentino fit expreſſa mentio hæreſis per hæc verba, *Idem & in hæreſis crimine in foro conſcientiæ tantùm, non eorum vicarii ſit permiſſum*: & hæreſis eſt caſus in Bulla expreſſus, & quidem primus, ac præcipuus. Ergo facultas ab illo abſoluendi non eſt reuocata per Bullam: cùm expreſsè dicat nolle ſe reuocare facultates, in quibus caſus Cœnæ in ſpecie conceduntur. Et conſequenter non reuocauit facultatem abſoluendi ab alijs ca-

Poſſintne ab illis alij ſoluere Epiſcopis caſibus occultis.

sibus occultis in ea contentis. Absurdum enim esset existimare concessionem illam non fuisse reuocatam quoad hæresim, & fuisse reuocatam quoad alios casus. Sufficitque vt priuilegium non reuocetur, mentionem specialem, & expressam in eo fieri alicuius casus in Bulla Cœnæ contenti. Et hæc sententia non caret probabilitate propter auctoritates, & rationes allatas.

248. Vera sentétia.

Contrarium tamen censent Tolet. lib. 1. cap. 41. Suar. disp. 21. sect. 3. n. 5. & alii quamplurimi relati à Barbosa in Trident. sess. 24. c. 6. de Reformat. quibus magis adhærendum censeo, non tam propter verba Bullæ, quæ, vt ostendimus: non satis id euincunt: quàm propter stylum Romanæ Curiæ, & S. Inquisitionis generalis, quæ, vt ait Suar. loco cit. sæpius pronunciauit non posse, nec debere Episcopos ampliùs virtute concilii Tridentini absoluere hæreticos occultos in foro conscientiæ. Idipsumque expresse declarauisse Piũ V. & Gregorium XIII. testatur Nauarr. cap. 27. Manual. n. 275. Sed quia huic declarationi respondeti facilè potest datam illam fuisse iuxta tenorem Bullæ, quæ tunc erat; non autem prout à tempore Clementis VIII. promulgatur cum supradicta clausula exceptiua, *Nisi in eis* &c. atque etiam responsum illud Inquisitionis Romanæ fuisse datum ante Clementem VIII. ideoque non obesse priori sententiæ in Bulla Clementis VIII. fundatæ: Addo eundem Clementem VIII. non obstante sua Bulla, ita declarauisse, vt à viro docto, & fide digno se accepisse testatur Azor parte 1. lib. 8. cap. 10. q. 10. & hodierno etiam stylo Curiæ Romanæ, praxique S. Inquisitionis hanc sententiam conformiorem esse: ac denique inter declarationes Sacræ Congregationis Cardinalium nuper editas an. 1640. hanc haberi ad sess. 24. Tridentini Decreto 2. de Reformat. cap. 6. n. 7. quòd Episcopi absoluere iam non possint hominem hæreticum in foro conscientiæ, licet hæc facultas à Concilio sit ipsis tradita. Et hactenus de excommunicationibus in Bulla Coenæ contentis: quæ tametsi non est in Gallia recepta: quia tamen non soli Galliæ scribimus, sed aliis quoque seruire cupimus, non inutile visum fuit breuem eius expositionem hoc loco tradere. Fusior autem videri poterit apud Nauarr. cap. 27. Manual. n. 49. & sequentib. Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerd. cap. 18. & sequentibus, & Suarem disp. 21. de Censuris.

SECTIO XX.

De aliis excommunicationibus in iure reseruatis, vel extra corpus iuris.

249. Præter supradictas excommunicationes Bullæ, aliæ multæ sunt, quæ similiter ipso facto incurruntur & reseruantur summo Pontifici, contentæ partim in decreto, partim in Decretalibus, partim in libro 6. Decretalium, partim in Clementinis, & in Extrauagantibus: partim denique in Tridentino, & nouis summorum Pontificum constitutionibus. De quibus omnibus breuiter dicendum est.

Percussores clericorum.

In decreto vnica tantùm est iure ipso lata & reseruata contra percussores Clericorum, de qua sufficiunt quæ diximus sect. 16. Ex libris verò Decretaliũ, plures recensentur à Toleto lib. 1. cap. 35. Nauarro, Caietano, & aliis. Prima est, quando excommunicatus à delegato Papæ, manet in excommunicatione vltra annum: Tunc enim non potest absolui nisi ab ipso Papa, vt habetur cap. *Quærenti*, de officio & potestate iudicis delegati. Verùm, vt bene aduertit Suares disp. 22. sect. 2. n. 2. non est hæc noua excommunicatio à iure, sed cessatio iurisdictionis in delegato, propter quam non potest vltra annum absoluere ab excommunicatione ab homine, quam ipse tulit: ideoque manet penes solum summum Pontificem potestas absoluendi.

250. Detinétes falsas literas Apostolicas.

Secunda est contra illos qui scienter detinent falsas literas Apostolicas. Sed hæc non incurritur nisi viginti diebus post promulgatam excommunicationem generalem ab Episcopo contra illos, qui tales habent literas, nisi eas intra illud tempus destruant, aut resignent; vt habetur in capite *Dura*, De crimine falsi, §. *Adiicientes*. Altera verò quæ fertur in capite *Ad falsariorum*, eodem tit. non est reseruata summo Pontifici vi illius capitis, sed tantùm vi bullæ Coenæ, in qua renouatur cum reseruatione Papali.

Clerici cõmunicãtes in sacris cũ excõmunic.

Tertia est contra Clericos sponte communicantes in sacris cum excommunicato nominatim à Papa & denunciato, capite *Significauit*, De sentent. excommunicat. De qua sufficiunt quæ diximus sect. 12. n. 150. vbi conditiones ad illam incurrendam necessarias exposuimus.

251. Incẽdiarii.

Quarta est contra incendiarios: qui postquam fuerunt per Ecclesiæ sententiam publicati, mittendi sunt ad sedem Apostolicã pro beneficio absolutionis obtinendo, vt dicitur cap. *Tua nos*, De sententia excomm. Verùm illi non sunt excommunicati ipso iure, sed excommunicandi per sententiam, vt significant illa verba, *Ex quo sunt per Ecclesiæ sententiam publicati* &c. Sunt enim conditionaliter intelligenda, iuxta communem Doctorum interpretationem: id est, si iam sunt, vel postquam fuerint ab homine excommunicati. Vbi autem fuerunt excommunicati, & denunciati, potestas absoluendi manet penes solum summum Pontificem. Neque id tantùm verum est de incendiariis Ecclesiarum, & locorum sacrorum, vt aliqui malè affirmant: quia caput citatum loquitur generaliter de incendiariis. Debet tamen intelligi de illis qui ex certa scientia, & praua voluntate incendunt: Secus autem de illis, qui casu & contra voluntatem in-

Digitized by Google

cendunt sine culpa, vel ex negligentia culpabili. Sufficit autem quòd vel semel incendant malitiosè: quia sunt verè incendiarii: sicut verè sunt homicidæ qui vel semel occidunt iniustè. Sufficit etiam quòd generaliter ab Episcopo denuntientur nomine incendiariorum, vt excommunicatio maneat deinceps Papæ reseruata.

252. Spoliantes Ecclesias. Quinta est contra effringentes & spoliantes Ecclesias, id est, rapientes, aut destruentes res Ecclesiæ, vel cuiuslibet loci pii, cum violentia, & effractione illius, portarum scilicet, aut serarum, vel murorum, aut tecti. Qui enim hoc faciunt, sunt ipso iure excommunicati: & postquam fuerint denunciati, non possunt nisi à Papa absolui. cap. *Conquesti*, De sentent. excomm. Ante denuntiationem verò possunt absolui ab Episcopo. Neque est necesse vt omnia auferant: sufficit enim inferre damnum in aliquo notabili, quod auferatur aut destruatur, ita vt Ecclesia illo priuetur: hoc enim sufficit vt dicatur verè spoliari. Debet tamen vtraque actio coniungi ad hanc censuram incurrendam: fractio scilicet, & spoliatio. Et hactenus excommunicationes contentæ in libris Decretalium.

253. Eligentes Romanum Gubernatorem &c. In sexto autem aliæ quinque continentur. Prima habetur in capite *Fundamenta*, de Electione in 6. contra eos qui eligunt certas personas in Senatorẽ, Capitaneum, Patricium, aut Rectorẽ, vel in aliquod officiũ Gubernationis vrbis Romæ: & eos qui electioni consentiunt, quique ad talem electionem dant consilium, auxilium, vel fauorem, qui omnes excommunicantur ipso facto, & absolutio reseruatur summo Pontifici.

Secunda habetur in cap. *Clericis*, de immunitate Ecclesiarum, in 6. vbi excommunicantur imponentes taleas Clericis, & Clerici eas soluentes, sine sedis Apostolicæ licentia. Sed quoad Clericos soluentes reuocata illa fuit à Clemente V. per Clementinam *Quoniam*, eodem tit. Similis constitutio contra exigentes habetur in cap. *Aduersus*, & cap. *Non minùs*, eodem titulo, & cap. *Quanquam*, de Censibus in 6.

254. Tertia habetur in cap. *Felicis*, de poenis in 6. vbi excommunicantur ipso facto, insequentes hostiliter Cardinales, capientes, vulnerantes, occidentes, socii eorumdem, fieri mandantes, ratum habentes nomine suo factum, dantes etiam consilium, vel fauorem, & prædictorum aliquem receptantes vel defensantes.

Grauantes propter censuram. Quarta habetur in cap. *Quicunque*, De sententia excommunicationis in 6. contra eos, qui in personis, aut bonis suis, aut suorum, eos grauant, qui sententiam excommunicationis, suspensionis, aut interdicti in aliquem tulerunt: quique dant licentiam eos grauandi: nisi re infectâ licentiam reuocauerint. Si tamen in bonis dumtaxat eos grauant, non excommunicantur: dummodo intra octo dies restituant omnia, & satisfaciant.

Quinta denique habetur in cap. *Eos qui*, De sententia excommunicationis in 6. vbi duo statuuntur. Primum est, vt qui à sententia canonis, vel hominis (cùm ad illum à quo aliàs de iure fuerant absoluendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum, pro absolutionis beneficio habere recursum) ab alio absoluuntur: si cessante postea periculo, vel impedimento huiusmodi, se illi, à quo his cessantibus absolui debebant, quàm citò commodè poterunt, contempserint præsentare, mandatum ipsius super illis, pro quibus excommunicati fuerunt, humiliter recepturi, & satisfacturi; in eandem sententiam reincidant ipso iure. Et hoc, vt ex textu liquet, commune est omnibus excommunicationibus cuicunque reseruatis: quippe quæ soluuntur tantum ad reincidentiam in tali casu necessitatis. Alterum est, quòd ibidem eadem censura statuitur contra eos, quibus (cùm à sede Apostolica, vel à Legatis ipsius, absolutionis beneficium, à quibus suis sententiis consequuntur) iniungitur vt se repræsentent competenti Ordinariorum suorum, vel aliorum quorumlibet, suscepturi poenitentiam ab eisdem; & passis iniuriam, seu his quibus propter hoc obligati existunt, satisfactionem exhibeant competentem: hæc cùm primùm commodè poterunt non curauerint adimplere. Et hæc secunda pars canonis est specialis absolutioni datæ à Papa, vel ab eius Legato: neque debet extendi ad eos, qui absoluuntur à Prælatis inferioribus cum simili obligatione, quòd scilicet isti reincidant in excommunicationem eidem reseruatam cui antea erat, siue Pontifici, siue alteri. Potest enim Pontifex absoluere per se, vel per legatum ab excommunicationibus, non modò sibi reseruatis, sed etiam à reseruatis cuilibet alteri: tuncque defectus implendi conditionem supradictam restituit excommunicationem, eidem, cui antea, reseruatam.

255. Non reuocantes ad superiorẽ.

In Clementinis reseruãtur aliæ quinque. Prima habetur in Clement. 1. de Hæreticis, §. *Verum*, contra Episcopos, & Inquisito res, vel substitutos ab Episcopis, aut Inquisitoribus, in officium Inquisitionis, *qui odii gratia vel amoris, lucri aut commodi temporalis obtentu, contra iustitiam & conscientiam omiserint contra quemquam procedere, vbi fuerit procedendum super huiusmodi prauitate*, hæretica scilicet: *aut obtentu eadem prauitatem ipsam vel impedimentum officii alias imponendo, eam super hoc præsumpserint quomodolibet ve are.* Additurque, vt qui hoc fecerint, si Episcopi sunt, aut illis superiores, per triennium ab officio suo suspendantur: alii verò excommunicationis sententiam ipso facto incurrant, à qua nequeant absolui, nisi per ipsum Romanum Pontificem, præterquam in mortis periculo, & tunc satisfactione præmissa, si fieri potest: nullo hac in parte

256. Inquisitores hæreticæ prauitatis procedentes.

priuilegio ſuffragante.

257. Regulares dantes ſacramenta ſine facultate.

Secunda habetur in Clement. 1. de Priuilegiis, contra Religioſos *qui ſacramentum Extremæ vnctionis, vel Euchariſtiæ miniſtrare, aut matrimonia ſolemnizare, ſine Parochialis presbyteri licentia ſpeciali, aut qui excommunicatos à canone præterquam in caſibus à Iure expreſſis, vel priuilegiis ſedis Apoſtolicæ conceſſis eiſdem, vel à ſententijs per ſtatuta ſynodalia, aut prouincialia promulgatis, ſeu à pœna & culpa (vt aiunt) abſoluere quemquam præſumpſerint.* Vbi nota primò, hac cenſura non comprehendi clericos ſæculares, hanc poteſtatem vſurpantes: neque Religioſorum Nouitios, neque Conuerſos, qui tria vota non emittunt: quippe qui non ſunt verè, & propriè Religioſi, neque eo nomine comprehenduntur in odioſis & poenalibus.

Nota ſecundò, eandem cenſuram intelligendam eſſe de Religioſis non habentibus facultatem prædicta faciendi, ſiue à Parocho (qui poteſt eam dare, licet Presbyter nondum ſit, per vſum poteſtatis iuriſdictionis) ſiue ab Epiſcopo, aut alio ſuperiore Parochi, qui à fortiori poteſt eam concedere: ſiue virtute priuilegij à ſede Apoſtolica obtenti: ſiue etiam ratione officij, ſi Religioſus ipſe Parochus ſit; ſiue denique ratione conſuetudinis receptæ, & approbatæ, quæ poteſt dare ius in rebus eiuſmodi.

258. Nota tertiò, ſufficere expreſſam facultatem, illamque nomine *Specialis* in textu cit. intelligendam eſſe, ſiue ab ipſo Parocho concedatur, ſiue ab alio eius ſuperiore. Sed neque illa neceſſaria eſt in caſu extremæ neceſſitatis: ſi non ſit alius v. g. qui morientem abſoluat ab excommunicatione, illique ſacramenta adminiſtret, & ad Parochum, aliumue ſuperiorem recurri nequeat, à quo facultas obtineatur.

Nota quartò, actiones in textu expreſſas prohiberi Religioſis reſpectu ſæcularium dumtaxat: vt ne ſcilicet vſurpent poteſtatem Parochorum, quibus illi ſubſunt. At non reſpectu Religioſorum inter ſe, ſiue eiuſdem familiæ, aut Ordinis, ſiue diuerſæ, qui non ſubſunt Parochis, ſed ſuis ſuperioribus, ſeu Prælatis regularibus.

259. Et ſolẽnizantes matrimonia.

Quoad actiones verò prohibitas ſub poena excommunicationis in capite citato, nota quintò, cum Suare diſp. 12. ſect. 4. num. 12. per matrimonii ſolemnizationem, intelligendam eſſe benedictionem ſacerdotalem, quàm ſponſi poſt matrimonium ritè contractum, publicè ac ſolemniter in Eccleſia recipiunt: non autem aſſiſtentiam Parochi dum matrimonium eſſentialiter contrahitur, iuxta decretum Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. de Reformatione matrimonii. Per excommunicatos verò à Canone, intelligendi ſunt illi qui ſubſunt cuicunque maiori excommunicationi latæ à iure, & reſeruatæ. Nam alioqui, dummodo Religioſi habeant facultatem abſoluendi à mortalibus, poſſunt abſoluere à quacunque minori excommunicatione, & à maioribus non reſeruatis, vt patet ex dictis ſect. 15. Non incurrunt etiam hanc cenſuram ſi abſoluant excommunicatos tantùm ab homine: quamuis grauiter peccent, ſi hoc attentant in caſibus non permiſſis. Per ſententias autem promulgatas ſtatutis ſynodalibus aut prouincialibus, intelligendæ ſunt quæcunque aliæ cenſuræ ipſo iure latæ & reſeruatæ. Ita vt vi huius clauſulæ incurrant hanc cenſuram non modò qui abſoluunt ab excommunicatione iure latâ & reſeruatâ; verùm etiam qui à ſuſpenſione, vel interdicto lato per ſtatuta particularia: Vox enim *ſententiæ*, eſt communis his omnibus cenſuris. Denique per abſolutionem à culpa & poena, non eſt intelligendum ſolum miniſterium ſacramenti Poenitentiæ, ſed iunctum conceſſioni indulgentiæ plenariæ, quæ ita vocari ſolet, ſiue ſola, ſiue etiam ſacramento Pœnitentiæ coniuncta. Tametſi enim peccet Religioſus, qui indebitè ſacramentũ illud adminiſtrat; non tamen incurrit hanc cenſuram, niſi poteſtatem concedendi indulgentiam plenariam ſibi vſurpet, vt poſt Sylueſtrum, & alios, exponit Suarez ſect. citata num. 19. & 20.

260. Nota præterea, ad incurrendam hanc cenſuram propter actiones ſupradictas, requiri præſumptionem: quia canon vtitur expreſsè verbo *Præſumpſerint*. Quare excuſat ignorantia, etiam culpabilis. Non tamen fictio, id eſt, ſi quis animo ficto has actiones exerceat, & fideles decipiat. Exiſtimo enim hunc canonem ſtatutum eſſe ad compeſcendos Regulares hanc poteſtatem quoquo modo vſurpantes, & decipientes fideles. Quamuis Suarez ſect. citata num. 23. putet fictionem excuſare circa ſacramentorum adminiſtrationem, non autem circa conceſſionem Indulgentiæ.

Tertia habetur in Clement. *Si quis ſuadente*, de Pœnis, vbi ſpecialiter excommunicantur, qui manus violenter iniiciunt in Epiſcopum, & alia quædam genera perſonarum. De qua ſufficiunt quæ diximus ſectione 17. explicando excommunicationem latam, in percuſſores Clericorum.

261. Et nundinantes ſepulturas.

Quarta habetur in Clementina *Cupientes*, eodem tit. §. *Sanè*, vbi excommunicantur Religioſi, & Clerici ſæculares, violantes conſtitutionem Bonifacij VIII. cap. 1. de Sepulturis in 6. prohibentis ne aliquis Clericus ſæcularis, aut Religioſus, inducat quempiam, ad vouendum, iurandum, vel fide interpoſita, ſeu aliàs promittendum, vt apud ipſorum Eccleſias ſepulturam eligant, vel iam electam vlteriùs non immutent. Vbi aduerte 1. non ſatis eſſe inducere ad eligendum, vel non mutandum; niſi addatur votum, aut iuramentum, aut interpoſitio fidei, vel promiſſio, id eſt, niſi inducatur ad vouendum &c. Sufficit tamen inducere, quamuis perſuaſio & effectus non ſequatur. Licet multi probabiliter contrarium ſentiant: quia, inquiunt, actus prohibitus

Digitized by Google

non eſt conſummatus, niſi effectu ſequuto. Sed cùm talis inductio per ſe prohibeatur à Pontifice, cõtra illam prohibitionẽ conſummatè agit, qui inducit; ſiue alius vocet, aut promittat, ſiue non. Nota 3. non ſufficere quoq; inducere, niſi inductio fiat in fauorem inducentis ad ſepulturam in ipſius Eccleſia. Hoc enim ſignificant verba illa, *In ipſorũ Eccleſiis*. Quare ſi vnius Eccleſiæ clericus, inducat ad eligendam ſepulturã in Eccleſia alterius, non incurrit hanc cenſurã. Nota 4. ignorantiã, etiam culpabilem, huius prohibitionis excuſare ab hac cenſura: quia Clemẽs expreſsè ait, *Temerarios violatores*.

262. Et cogentes celebrare in loco interdicto.

Quinta habetur in Clementina *Grauis*, de Sent. excomm. vbi excommunicantur quicumque in loco interdicto, quemquam quomodolibet cogunt (non autem rogant tantùm, aut ſuauiter inducunt) celebrare diuina officia: quique euocant aliquos, præſertim excommunicatos, vel interdicti cenſurã ligatos, ad prædicta officia audienda, in loco ſcilicet interdicto: ſiue nunc hos aut illos vocando, ſiue compellendo; ſiue campanis aut voce præconis euocando: item, qui prohibent ne excommunicati publici, aut interdicti, ab Eccleſiis exeant, dum in ipſis Miſſarum ſolemnia (non alia tamen officia diuina) celebrantur, etiam à celebrantibus nominatim admoniti: in Eccleſiis videlicet interdictis, vt pater ex verbis antecedentibus in textu, quibus hæc limitantur. Quæ poſtrema clauſula omnes comprehendit nominatim excommunicatos, aut interdictos, & denuncia os, vel manifeſtos Clerici percuſſores, poſt Concilium Conſtantienſe: qui ſi nominatim admoniti à celebrante miſſam, exire, non paruerint, & remanere præſumpſerint, incurrunt hanc excommunicationem Papæ reſeruatam. Prior verò clauſula, iuxta probabilem multorum expoſitionem, attingit ſolùm Dominos temporales, qui per viam iuriſdictionis præſumunt facere actiones ibi prohibitas. Nam initio textus citati ſermo eſt de huiuſmodi dominis, diciturque eos in ſuis terris, eccleſiaſtico interdicto ſuppoſitis, hæc delicta committere, præſumereque interdictum violare. Verbum enim præſumendi, in fine poſitum, cadit in vtrãque clauſulam, & eodem modo, quo ſuprà, explicari debet.

263. Exenterantes cadauera.

In Extrauagantibus ſeptem habentur reſeruatæ. Prima eſt Bonifacii VIII. in extrauagante 1. *De ſepulturis*, quæ incipit, *Deteſtandæ*, vbi excommunicantur illi qui cadauera hominum exenterant, concidunt in fruſta, elixant, carnes ab oſſibus ſeparant, & excutiunt, vt prædicta oſſa in ſepulturam diſtantem aſportent. Limitatur autem ad eos qui hæc faciunt in terris fidelium, per hæc verba, *Cum quis in ciuitatibus, ſeu locis in quibus Catholicæ fidei cultus viget*: quique hæc faciunt, vt oſſa aliò tranſportent ad ſepulturam. Quare non incurrunt hanc cenſuram, qui exenterant v. g. vt cadauer diutiùs conſeruetur, vel anatomiæ cauſa. Additur verò excommunicationi Papali eorum, qui hoc faciunt, altera pœna; vt videlicet corpus ipſum, ita tractatum, careat eccleſiaſtica ſepultura: poſt ſententiam ſcilicet iudicis eccleſiaſtici, & ſuppoſito quòd ille, cuius corpus exenteratur, conſenſerit ante mortem; vt ſignificant illa verba, *Electa ſepultura*. Nam alioqui non eſt credibile, voluiſſe Pontificem tam graui pœna & infamia punire innoxium, propter culpam aliorum.

264. Subornantes in curia Rom.

Secunda eſt eiuſdem Bonifacii VIII. extrauag. 1. De ſent. excomm. vbi excommunicat eos omnes qui in Romana curia dant aliquid, vel promittunt, vt obtineant quod prætendunt, tam in gratiæ, quàm iuſtitiæ negotiis; atque etiam quocumque modo intercedentes dando fauorem, auxilium, &c. virtute ſcilicet huius donationis, vel pacti. Quam conſtitutionem renouauit, & auxit Gregorius XIII. extrauag. num. 28. inter eius conſtitutiones: deque illa plura videri poſſunt apud Nauarrum in Commentario ſuper eam edito.

265. Dantes, vel accipientes pecunias pro ingreſſu Relig.

Tertia eſt Vrbani IV. Extrauag. 1. de Simonia, vbi excommunicantur tam dantes, quàm accipientes ex pacto pecunias, vel aliquid aliud propter ingreſſum Religionis, ſeu virorum, ſeu Monialium. Quod tamen, vt rectè notarunt Caietanus v. *Excommunicatio*, cap. 73. & Nauarr. cap. 27 Manual. n. 106. non habet locum quando propter paupertatem Monaſterii accipitur aliquid in ſuſtentationem Monialis. Et vt refert Sylueſter V. *Excommunicatio*, 7. §. 8. Martinus V. declarauit vniuerſaliter hanc Extrauagantem non habere locum in paciſcentibus pro doribus Monialium, vt ſe à viris fide dignis audiuiſſe teſtatur S. Antonin. 3. parte, tit. 24. cap. 67. Notandum etiam eſt verbum illud, *Ex pacto*: quia non prohibetur donatio ſpontanea, ſed pactio ſimoniaca tacita, vel expreſſa.

266. Regulares tranſeuntes ad alias Relig.

Quarta eſt Martini IV. Extrauag. 1. de Regularibus, quæ incipit, *Viam ambitioſè*, vbi excommunicantur Fratres cuiuſcumque Ordinis Mendicantium tranſeuntes ad aliam religionem, quàm ad Chartuſianam, ſine licẽtia Sedis Apoſtol. Excommunicantur, inquam, Papali excommunicatione, ipſo iure, tam ipſi, quàm qui eos recipiunt. Per Mendicantes autem intellige alios etiam qui eorum priuilegiis gaudent. Quod enim vnius Ordinis Religioſi tranſire non poſſint ad alium ſine licentia, eſt fauor & priuilegium Ordini conceſſum.

267. Simoniaci in Ordine, vel beneficio.

Quinta eſt Pauli II. Extrauag. 2. de ſimonia, inter communes, quæ incipit, *Cùm de teſtabile*: vbi excommunicantur tria genera perſonarum. 1. Simoniaci in ordine, vel beneficio. 2. Intermedii & procuratores ſimoniæ. 3. Scientes prædictorum aliquem, & non quamprimùm fieri poteſt manifeſtantes Summo Pontifici, vel Camerario, vel locum tenenti. Sed quoad iſtos non reuelantes,

non est ampliùs in vsu, vt post Syluestrum, Armillam, & Tabienam, notat Tolet. lib. 1. cap. 36. num. 8. vel non obligat nisi Curiales Romanos, vt dicunt Nauarrus, Syluest. & Sanctus Antonin. apud Suar. sup. num. 27. Quoad alios etiam non incurritur hæc censura nisi per realem simoniam, & consummatam: quia leges pœnales & censuræ punientes actum aliquem, debent intelligi de consummato & perfecto in illa specie, nisi aliud exprimant. Sola verò simonia realis est consummata & perfecta in sua specie; non autem mentalis tantùm, aut conuentionalis, vt post Nauarrum & alios docet Suarez disput. 22. sect. 5. numero 26.

268. Male absoluens certa genera personarum.

Sexta est Sixti IV. in Extrauag. *Ad Dominici gregis*, de Pœnitentiis & Remissionib. vbi excommunicantur omnes qui prætextu confessionalium, vel gratiarum ab ipsomet Sixto concessarum, præsumunt absoluere simoniacos, mutilatores vel occisores existentium in sacris, violatores Ecclesiasticæ libertatis, & casus alios reseruatos in Bulla Coenæ: Quique eosdem prætextu dispensant in votis castitatis perpetuæ, Religionis, peregrinationum Ierosolymitanæ, Compostellanæ, & Romanæ ad S. Petri. Hæc autem excommunicatio nunc locum non habet, nisi in illis qui adhuc conseruauerint aliquod priuilegium Sixti IV. vi cuius id facere præsumant. Quod vix puto contingere.

269. Circa concessionem B. V.

Septima est eiusdem Pontificis in Extrauag. *Grauis nimis*, De reliquiis & veneratione Sanctorum, vbi excommunicantur ipso iure quicumque ausu temerario, & post scientiam huius constitutionis, affirmare præsumunt peccare mortaliter, vel esse hæreticos, qui defendunt B. V. Dei Matrem conceptam esse sine peccato originali: & peccare (mortaliter aut venialiter) eos qui officium Conceptionis celebrant, vel Conciones audiunt illorum, qui eam sine macula peccati conceptam esse prædicant; quique libros talem doctrinam continentes pro veris legunt, tenent, aut habent. Vel qui contrariam opinionem tenentes, hæresim, vel peccatum incurrere mortale, ausi fuerint asserere. Quam censuram renouarunt & confirmarunt Trident. sess. quinta in fine decreti de Peccato originali, & Pius quintus in Motu proprio *Super speculam*. Actiones autem per illam prohibitæ sunt in textu satis perspicuæ, & ad rigorem verborum intelligendæ.

270. Alienantes bona Eccles. sine

Vltra prædictas excommunicationes aliæ quædam sunt extr. Corpus iuris, reseruatæ Summo Pontifici: quarum præcipuas breuiter recensebimus. Prima est Pauli secundi Extrauagan. *Cum in omnibus*, contra commissarios, & delegatos Sedis Apostolicæ, Episcopis inferiores, qui contra suam conscientiam, in grauamen aut detrimentum Ecclesiæ, per gratiam, vel timorem, aut sordes, alienationi rerum Ecclesiasticarum consenserint, aut decretum, vel authoritatem interposuerint. Quique dolo, vel fraude, aut scienter, in detrimentum Ecclesiarum alienationem fieri procurauerit: aut per sordes, vel impressionem (id est, per iniquas donationes, aut promissiones, aut importunam persuasionem, similemue inductionem) alienationis decretum extorserit. Et hæc sola secunda pars est Papæ reseruata.

271. Officiales S. Pontif. accipientes munera.

Secunda est eiusdem Pauli secundi in sua Extrauag. tertia quæ incipit, *Munera*, & habetur in Bullario: vbi præcipit sub pœna excommunicationis, Summo Pontifici reseruatæ, ne Romanæ Curiæ, aut Summi Pontificis officiales in ipsius terris accipiant aliquod genus muneris, præter esculenta in moderata quantitate, quæ scilicet possint consumi intra biduum.

Cardinales male eligentes Pontif.

Tertia est Leonis Decimi in Concilio Lateranensi, sessione quinta, vbi excommunicantur Cardinales qui in electione Pontificis aliquid contra ibi statuta facere, seu attentare præsumpserint, quocumque exquisito colore, vel cauta. Quam excommunicationem ipso facto incurrant: & ab illa non nisi per Romanum Pontificem electum absolui possint, nisi in mortis articulo.

272. Prædicatores male ex po enes verbum Dei, &c.

Quarta est eiusdem Leonis X. in Concilio Lateranensi, sessione 11. contra Prædicatores verbi Dei qui peccauerint contra hæc præcepta ibidem lata. 1. Vt Euangelicam veritatem, & S. Scripturam, iuxta Doctorum Ecclesiæ declarationem pertractent: nihilque adiiciant contrarium, aut dissonum vero sensui Scripturæ, eiusque verbis ritè & sanè intellectis, iuxta prædictorum Doctorum interpretationem. 2. Vt tempus præfixum futurorum malorum, vel aduentus Antichristi, aut certum iudicii diem prædicere non præsumant. 3. Ne alia similiter futura, quasi sibi specialiter reuelata dicant, aut alienas, inanesque diuinationes asseuerent, aut alio quocumque modo tractanda assumant. 4. Vt à Prælatorum, aliorumque Superiorum, eorumque statu scandalosa detractione abstineant. Sed hanc & alias excommunicationes ibi latas non fuisse vsu receptas affirmat Nauarrus capite 27. Manual. num. 110. post Caietanum, & Bartholom. Garranzam, ab eo citatos.

273. Mulieres ingredientes viros Monasteria

Quinta est Pii V. in Motu proprio qui incipit *Regularium personarum*, vbi excommunicat omnes fœminas ingredientes monasteria Chartusianorum, & aliorum virorum regularem vitam agentium: illamq; excõmunicationem sibi reseruat: quam postea renouauit Gregor. XIII. & extendit ad ipsos religiosos, eorũque superiores, qui eiusmodi fœminas in sua Monasteria ingredi permittunt, prætextu facultatum sibi concessarum: quæ particula pertinet etiam ad ingredientes. Extendit præterea ad Monasteria Monialium; reuocando omnes facultates in illa ingrediendi, quibuscumque personis

Digitized by Google

concessas,& excommunicationem Papalem imponendo ipso facto tam viris, quàm foeminis vtentibus his facultatibus : ipsíque Superioribus Religionum, vel aliis earum personis illas admittentibus.

274. Simoniaca confidentia.

Sexta est eiusdem Pii V. Constit. 87. quæ incipit *Intolerabilis*, contra committentes crimen simoniacæ confidentiæ in Beneficiis ecclesiasticis, modis in eadem constitut. fusè,& dilucidè expositis.

Septima eiusdem Pii V. Constit. 58. quæ incipit *Quanta*, contra violantes subpersionem contractam per indebitam admissionem resignationis Beneficii.

Octaua habetur in Tridentino, sessione 22. capite 11. de Reformatione, contra Clericos, & Laicos, cuiuscumque dignitatis, qui aliquos Ecclesiæ, seu cuiuscumque æcularis, vel regularis Beneficii, Montium Pietatis, aliorumue piorum locorum iurisdictiones, bona, census, ac iura, etiam feudalia, & emphyteotica, fructus, emolumenta, seu quæcumque obuentiones, quæ ministrorum, & pauperum necessitatem conuerti debent, per se, vel per alios, vi, vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum, aut laicorum, seu quacumque arte, aut quocumque quæsito colore, in proprios vsus conuertere, illoíque vsurpare præsumpserint, seu impedire, ne ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur.

275. Duellantes

Nona est eiusdem Trid. sess. 25. cap. 19. Decreti de Refor mat. vbi fertur excommunicatio ipso facto contra Dominos temporales cuiuscumque dignitatis, qui locum ad duellum in terris suis inter Christianos concedunt : contraque ipsos duellantes, & eorum patrinos ac denique contra illos etiam, qui consilium in causa duelli, tam in iure, quàm facto dederint, aut alia ratione ad id quemquam suaserint : necnon spectatores ipsos : non obstante quocumque priuilegio, seu prauæ consuetudine, etiam immemorabili. Vbi nota 1. eandem excommunicationem ferri in variis Pontificum constitutionibus Iulii II. Leonis X. Clementis VII. Iulii III. Pii IV. Gregorii XIII. & Clementis VIII. vt videre est apud Bonac. quæst. 6. punct. 2. prop. 2. Nota 2. Tridentinum loqui de duello solemni, vt vocant, quod fit patrimis adhibitis, & loco duelli à Principe aut Domino loci concesso, & designato, & coram spectatoribus : neque Summo Pontifici reseruare hanc excommunicationem. Sed Gregorius XIII. in Bulla quæ incipit *Ad euitandam detestabilem*, illam extendit ad duellum priuatum, vt fecit etiam Clemens VIII. qui postremus eam Summo Pontifici reseruauit, vt mox dicemus. Nota 3. sufficere ad hanc censuram incurrendam acceptare duellum : & acceptantem esse statim ipso facto excommunicatum : sicut etiam & consulentem, & sese quomodolibet intromittentem; etiamsi effectus pugnæ non sequatur, aut aperta prouocatio, vt patet ex eadem Bulla Clementis VIII. vbi etiam eâdem pœnâ ligat comitantes ad duellum, nisi eo animo comitentur vt impediant : & spectatores, ex composito scilicet, & de industria. Secus autem si quis fortuitò præsens, aut transiens, duellum inspiciat. Multóque magis sufficit accessisse duellantes ad locum pugnæ, quamuis impediti fuerint, aut sponte resipuerint. Nota 4. ab hac excommunicatione solum Summum Pontificem absoluere posse, vt patet ex eadem bulla Clementis, qui eam sibi reseruauit. Quare vbi eius bulla fuit recepta, nullus alius potest ab illa absoluere. Excepto casu, quo delictum est occultum, vel nondum est deductum ad forum contentiosum : nam tunc potest ab Episcopo absolui ex Trident. sess. 24. cap. 6. de Reformat. Excepto etiam casu, quo pœnitens iustum habet impedimentum non adeundi Summum Pontificem : nam tunc quoque potest ab Episcopo absolui, vt colligitur à pari ex cap. *Mulieres*, de sent. Excommunicat. Exceptis denique priuilegiis à Sede Apostolica concessis, siue Regularibus, siue aliis. Nota præterea Clementem VIII. statuere vt duellantes in pugna morientes priuentur Ecclesiasticâ sepulturâ : & ciuitates, terræ, oppida, & castra Dominorum tacitè aut expressè permittentium, aut tolerantium, subiiciantur interdicto : à quibus pœnis æquè ac ab excommunicatione, absolui nequeant nisi à Summo Pontifice. Aliæ pœnæ statuuntur contra eosdem in Trid. cap. cit. quæ ibi legi possunt.

SECTIO XXI.

De Excommunicationibus à iure non reseruatis Summo Pontifici.

276. Sintne in iure excommunicationes reseruatæ Episcopis.

QVæritur 1. sintne aliquæ excommunicationes ipso iure latæ & reseruatæ speciatim Episcopis? Affirmant aliqui, quibus fauet Siluester v. *Excommunicatio* 8. Primò quia, inquiunt, in cap. *Nuper*, de sent. Excommunicat. Episcopo reseruatur omnis excõmunicatio, quam ipse suo statuto, fert sibique reseruat. Secundò, ex eodem cap. *Nuper*, quicumque communicat in crimine cum excõmunicato ab Episcopo, incurrit excõmunicationẽ reseruatam ipsi Episcopo. Tertiò, in cap. *Mulieres* cap. *De cætero*, cap. *Quod de his*, cap. *Quamuis*, cap. *Pueris*, de sent. Excom. dicitur Episcopum posse absoluere à percussione Clerici in casibus quibus nõ potest recurri ad Summum Pontificem, vel ad eius legatum. Quartò, in cap. *Si vero* 1. can. *Monachi*, cap. *Cum illorum*, cap. *Peruenit*, eodem tit. & cap. *Quoniam*, De vita & honest. Clericorũ, & cap. *Religioso*, de sent. Excom. in 6. & aliis quibusdam iuribus dicitur posse Episcopum absoluere ab eadem excommunicatione Papali in certis aliis casibus, rameti

posset recurri ad Pontificem. Quintò in capite *Eos qui*, de Sententia excommunicationis in 6. statuitur, vt qui absoluitur in casu necessitatis ab inferiori, cum obligatione sistendi se superiori, incidat postea in eandem excommunicationem, si non se sistat. Ergo vi illius capitis, excommunicatus ab Episcopo, excommunicatione ipsi reseruata, reincidit in excommunicationem ei reseruatam à iure. Sextò, in Clementina, *Cum ex eo*, excommunicantur Fratres Minores qui tempore interdicti admittunt in suis Ecclesiis ad audienda diuina officia Fratres & Sorores tertii Ordinis: à qua excommunicatione per alium, quàm summum Pontificem, absolutionis beneficium nequeant obtinere: vel satisfactione præmissa, per locorum Episcopos.

277. Contrarium, & meliùs sentiunt Suares tomo quarto in 3. partem, disputatione 29. sectione 3. numero 6. & tomo 5. disput. 23. sectione 1, Filiucius tomo 1. tractatu 15. capite 10. Gordonus lib. 7. quæst. 13. capite 7. & alii. Probatur, quia vt aliqua excommunicatio verè & propriè dicatur esse à iure lata, & reseruata specialiter Episcopis, oportet esse aliquem Canonem, vel constitutionem Pontificiam, quâ feratur talis excommunicatio, & per quam reseruetur specialiter Episcopis. Atqui nullus est talis canon, vel talis constitutio, vt patebit respondendo fundamentis aduersariorum.

Conclusio negatiua.

Nam quod ad primum attinet: in capite *Nuper*, non fertur vlla excommunicatio: sed tantùm dicitur generaliter eos, qui possunt ferre excommunicationes per legem, aut statutum, posse easdem sibi reseruare, si velint. Nimirum quia quicumque habet potestatem ferendi censuram, potest etiam illius absolutionem sibi reseruare. Non fertur, inquam, ibi excommunicatio: sed declaratur tantùm ius excommunicantis, & potestas reseruandi sibimet ipsi excommunicationem à se latam, si velit: quod commune est omnibus excõmunicandi potestatem habentibus.

Soluuntur argumenta contraria.

278. Ad secundum Aduersariorum fundamentum, sumptum ex eodem capite *Nuper*, Respondeo, nihil etiam specialiter ibi statui de Episcopis; sed generaliter, vt quisquis participat in crimine cum excommunicato ab aliquo superiore, siue per sententiam, siue per legem, aut statutum, incidat in excommunicationem eidem reseruatam. Idque tam verum est de excommunicatis à Papa, & quibuscumque aliis iudicibus, quàm de iis qui fuerunt excommunicati ab Episcopis.

Ad tertium, & quartum, Dico absolutionem ab excommunicatione ob percussionem Clerici, non ibi propriè reseruari Episcopis: sed illis concedi, vt ab illa, quamuis Papæ reseruata, possint absoluere, quando non potest recurri ad summum Pontificem, & in certis aliis casibus. Sicut etiam cap. *Monachi*, suprà citato, conceditur Abbatibus, & superioribus Regularium, vt possint in certo casu ab illa subditos absoluere: neque tamen propterea dicitur verè ac propriè illis reseruari: vt neq; etiam Priuilegiatis, quibus datur facultas ab illa absoluendi.

279. Ad quintum Respondeo, non esse ibi sermonem de excommunicatione specialiter reseruata Episcopis; sed generaliter statui, vt excommunicatus à quocumque superiore, siue Papa, siue Episcopo, aut alio inferiore, debeat illi se sistere postquam in casu necessitatis absolutionem ab alio obtinuit: & si non faciat, reincidat vi huius canonis in similem excommunicationem, similiterque reseruatam, ita vt absoluatur tantùm ad reincidentiam.

Ad sextum Respondeo, verba immediatè sequentia satis ostendere, non reseruari Episcopis illam excommunicationem: sed tantùm illis committi, tanquam Papæ delegatis, vt, præmissa satisfactione, possint ab illa absoluere. Sic enim habet textus integer: *A qua* (excommunicatione) *per alium, quam per Romanum Pontificem absolutionis beneficium nequeant obtinere: vel satisfactione præmissa, per locorum Episcopos, quos authoritate Apostolica* (sibi videlicet delegata) *fungi volumus hac in parte.*

280. Obiici potest vlteriùs in capite, *Si Episcopus*, de Pœnit. & remiss. in 6. dici aliquos esse casus qui Episcopo specialiter reseruantur. Vbi Glossa v. *Reseruntur*, affert octo huiusmodi casus. 1. Omnia publica crimina enormia. 2. Oppressiones & suffocationes infantium, ex proposito, vel casu: vt matribus, & nutricibus interdum contingit. 3. Quodcumque homicidium. 4. Falsum testimonium, vel falsum instrumentum. 5. Periurium. 6. Incestum. 7. Corruptionem Monialium. 8. Coitum cum brutis. Ex quibus casibus aliqui habent annexam excommunicationem, quæ proinde reseruatur Episcopis ipso iure. Confirmatur ex Glossa Extrauag. *Super cathedram.* de Sepult. editam à Bonifacio VIII. vbi super verbo *à iure*, affirmat esse peccata quædã reseruata à iure ipsis Episcopis, & probat ex cap. *Si Episc.* sup. cit.

Satisfit aliis obiect.

281. Respondeo ad primum, non ibi exprimi, sintne illi casus reseruati Episcopis à iure, vel à consuetudine tantùm, nimirum quia solent ipsi communiter aliquos casus sibi reseruare, quorum aliqui sunt vbique communes, quia in illis sibi reseruandis omnes conueniunt, & iam longa consuetudine rationabili sunt illis reseruati. Glossa quidem illius capitis v. *Reseruantur*, significat esse ex consuetudine: dicit enim, *Solent Episcopis reseruari.* Clariùs autem id asserit Benedictus XII. in Extrauaganti *Inter cunctas*, de Priuilegiis, §. *Obseruent*, vbi referuntur quidem casus aliqui reseruati Episcopis; non iure tamen, sed consuetudine: *quos*, inquit, *rationabilis consuetudo præscripta canonicè in Episcopatibus aliquibus reseruauit Episcopis.*

282. Ad secundum dico Extrauagantem illam

Bonifacii, in qua Glossa fundatur, fuisse reuocatam à Clemente V. in Clement. *Dudum*, de Sepult. his verbis, quæ habentur ipso fere initio, *Nos eam omnino cessantes*, &c. Caput verò, *Episcopus*, aliter explicatur ab ipsamet Glossa ibidem, affirmante hos casus reseruari Episcopis tantùm ex consuetudine. Quare sententia Glossatoris, tam malè fundata, non admit nostræ maiorem probabilitatem.

Quæritur 2. quænam sint excommunicationes à iure latæ, & non reseruatæ? Respondeo multas esse, quas breuiter tantùm recensebimus: neque enim est quòd de illis debeamus esse multùm solliciti, cùm à quolibet tolli possint, habente potestatem absoluendi à peccato mortali. Fusiùs autem explicatæ videri poterunt apud Tolet. lib. 1. cap. 37. & seqq. Cajet. v. *Excommunicatio*, Nauar. cap. 27. Manual. Suarem disp. 23. sect. 2. & seqq. vbi hoc ordine eas recenset.

283. Excõmunicationes non reseruatæ in Decreto.

In Decreto sunt duæ. Prima habetur in cap. *Administratores* 23. q. 5. contra Principes, & potestates sæculares, si post primam monitionem non audiunt querimonias Episcoporum, & aliorum Ecclesiasticorum iurisdictionem habentium, easque, prout necessitas exigit, diligenter non examinant, & remedium afferunt. Secunda habetur in cap. *Nulli fas*, dist. 19. ōtra omnes Eccl sia Romanæ inobedientes, qui A ostolicis decretis contraire audent, per hæresim scilicet, vel schisma. De qua sufficiunt quæ diximus explicando bullam Cœnæ, in qua renouatur hæc excommunicatio, & Papæ reseruatur.

284. In Decretalibus.

In libris Decretalium tres sunt alicuius vsus, & dignæ consideratione. Prima habetur in cap. 1. *De schismaticis*, contra illos qui varias habent actiones quasdam schismaticorum ibi recensitas: videlicet ordinatione, factas à schismaticis, vel ab ordinatis ab illis: collationem Beneficii vel dignitatis Ecclesiasticæ ab iisdem factam, & alienationem rerum Ecclesiasticarum factam etiam à schismaticis, vel à laicis fultis authoritate schismaticorum. Secunda habetur in cap. *Non magnopere*, Ne Clerici vel Monachi, contra Religiosos, qui ad audiendam Iurisprudentiam vel Medicinam, extra claustra exeunt: nisi ad claustrum, intra spatium duorum mensium redierint. Quam censuram Honorius III. in cap. *Super specula*, eodem tit. extendit ad omnes Presbyteros, & Archidiaconos, Decanos, Plebanos, Præpositos, Cantores, & alios personatus habentes. Tertia habetur in cap. *Clericis*, Ne Clerici vel Monachi, contra Sacerdotes officium Vicecomitis, seu Præpositi sæcularis accipientes. Statuit enim vt si id facere præsumpserint, & commoniti emendari noluerint, excommunicationi subiaceant. Per officium autem Vicecomitis, intellige officium aut vsum officii gubernationis sæcularis, habentis iurisdictionem temporalem annexam, quando Sacerdos loco alterius, seu tanquam minister alicuius Principis illud exercet: vt exponit Suarez disput. citat. sect. 3. num. 21. Non comprehendit tamen hæc excommunicatio eos qui suæ dignitati Ecclesiasticæ iurisdictionem temporalem annexam habentes, illam exercent per ieiptos: sed eos tantùm, qui vt ministri Principis id faciunt: vt bene ait Tolet. lib. primo, cap. 37. num. septimo.

285. In sexto Decretal.

In sexto Decretalium plures sunt, quarum aliquæ coincidunt cum explicatis suprà in Bulla Cœnæ, vel aliis reseruatis. Prima fertur contra eos, qui ad Cardinales, in Conclaue inclusos ad eligendum Summum Pontificem, scripturam miserint, vel nuncium, vel cum aliquo ipsorum secretè locuti fuerint, cap. *Vbi periculum*, §. *Hoc sacro*, versu, *Nulli ergo fas sit*, de Electione in 6. Secunda fertur eodem cap. §. *Præterea*, contra Domanos, aliosue Rectores, & Officiales Ciuitatis, in qua moritur Summus Pontifex, si non obtemperent diligenter quæ ibi præscribuntur: vel si fraudem in eis, aut circa ea commiserint. Tertia, contra illos, qui grauant personas Ecclesiasticas (ad quas in aliquibus Ecclesiis, Monasteriis, & piis locis spectat electio) pro eo quòd rogati, seu aliàs inducti, eum, pro quo rogabantur, aut inducebantur, eligere noluerunt, cap. *Sciant cuncti*, de Electione in 6. Quarta habetur in cap. *Generali*, eodem tit. contra eos, qui in Ecclesiis, Monasteriis, aut piis locis, titulum defensionis, aut similem de nouo vsurpare conantes, iura quæ pertinent ad talia loca, vel eorum bona, quando vacant, occupare præsumunt. Vbi notanda sunt hæc verba, *De nouo vsurpare conantes*: ita scilicet vt id de nouo fiat, & absque iusto titulo; cuiusmodi est ius, quod dicitur *Regale* in Gallia.

286. Circa electiones Monialium.

Quinta habetur in cap. *Ad monasteria*, §. *Postremo*, *quos ad dirigendas*, de Electione in 6. contra Prælatos, vel alios, qui vocantur vt intersint electionibus Monialium, si aliquid faciunt vnde possit inter eas oriri discordia super electione. Sexta habetur in capite vltimo de Officio delegati in 6. vbi excommunicantur ipso iure procurantes vt iudices conseruatores sibi dati, sese intromittant ad alia, quàm ad manifestas iniurias, & violentias, extendantque suam potestatem ad ea, quæ iudicialem exigunt discussionem. Septima habetur in cap. vnico *De his quæ vi*, in 6. contra extorquentes per vim aut metum, absolutionem, aut reuocationem excommunicationis, suspensionis, vel interdicti: effectu nimirum secuto: siue excommunicatus ipse vim, aut metum inferat, vt absoluatur; siue alius in illius gratiam. Octaua habetur in cap. *Mulieres*, de Iudiciis, in 6. contra eos, qui per fictionem, vel fraudem, faciunt, vt iudex veniat personaliter ad domum alicuius mulieris, vt eius testimonium accipiat; cùm personaliter ad iudicium inuitæ mulieres trahi non possint. Quod similiter

intellige, effectu secuto; & ita vt Iudex re ipsa veniat personaliter, ac non solùm alium mittat, quod non prohibetur.

287. Alienantes bona à iure ecclesiæ.

Nona habetur in cap. *Hoc consultissimo*, de rebus Ecclesiæ non alienandis, in 6. vbi excommunicantur ipso iure duo genera personarum. 1. Qui compellunt Prælatos, aut alias personas Ecclesiasticas, vt submittant Ecclesias laicis, extra casus scilicet iure permissos: vel subiiciant eis bona immobilia Ecclesiarum, tanquam sua scilicet, aut sine consensu capituli, & licentia sedis Apostolicæ: vel eis supponunt sua ipsorum iura, recognoscendo, seu profitendo se ab illis tenere, tanquam à superioribus; nimirum sine iusto titulo: vel statuendo eos tanquam aduocatos, vel patronos Ecclesiarum, seu bonorum ipsarum in perpetuum, vel ad tempus non modicum, quod Glossa ibidem exponit tempus decem annorum. Secundò, ibidem excommunicantur omnes laici, qui de licentia Summi Pontificis, & consensu Capituli, contractus ineunt de bonis Ecclesiasticis immobilibus, si aliquid vsurpauerint plus quam permittat contractus: & legitimè moniti (id est, canonica monitione, trina, vel vna pro tribus, cum intervallo competenti) non desinunt vsurpare, ablataque non restituunt. Decima habetur in cap. vnico §. *Confirmatur*, de Religiosis domibus, in 6. contra quosdam Religiosos Mendicantes extra quatuor ordines approbatos, qui iam amplius non extant, ideoque hæc excommunicatio non habet amplius locum. Prohibebantur autem illi sub pœna excommunicationis à iure. 1. Ne aliquem ad suam professionem de nouo admitterent: vt scilicet mox desinerent. 2 Ne nouam domum, vel locum acquirerent. 3. Ne iam habita sine sedis Apostolicæ licentia speciali alienarent: vt scilicet bona illa manerent in iure Ecclesiæ, ipsis extinctis.

288. Exigentes tributa ab Eccles.

Vndecima habetur in cap. *Quamquam*, de Censibus, in 5. Contra eos, qui per se, vel per alios, proprio nomine, vel alieno, exigunt ab Ecclesiis, aut à personis Ecclesiasticis, Pedagia, vel Guidagia, pro personis, aut pro rebus quas deferunt, vel deferri faciunt non causa negotiationis. Duodecima habetur in cap. *Quoniam*, de Immunit. Eccles. in 6. contra impedientes iurisdictionem Ecclesiasticam, vel iudices ecclesiasticos illam exercentes. De qua sufficiunt quæ diximus explicantes excommunicationem 13. & 14. Bullæ Cœnæ, vbi ista renouatur & reseruatur. Decima tertia habetur in cap. vltimo eodem tit. quæ etiam fere eadem est cum 15. Bullæ Cœnæ: ferturque contra Dominos temporales, qui subditis præcipiunt ne personis Ecclesiasticis exhibeant officia communia reipublicæ: videlicet ne coquant illis panem, ne molant triticum, & similia. Decima quarta habetur in cap. *Vt periculosa*, Ne Clerici vel Monachi, in 6. vbi excommunicantur. 1. Professi in aliqua religione approbata, tacitè vel expressè, Religionis suæ habitum temerè dimittentes, siue in scholis siue alibi: sine causa scilicet rationabili, vel apparente necessitate. 2. Iidem professi accedentes ad quæcunque studia (extra claustrum videlicet) absque licentia Prælati cum consilio Conuentus, vel maioris partis. 3. Doctores & Magistri, qui religiosos, habitu dimisso, leges vel physicam, id est, Medicinam, audientes retinere præsumunt. Decima quinta habetur in cap. 2. *De hæreticis in 6.* vbi excommunicantur *qui scienter præsumunt corpora hæreticorum, credentium, receptatorum, & defensorum eorum, Ecclesiasticæ tradere sepulturæ.* Pro cuius expositione vide quæ diximus sect. 6. de Sepultura Ecclesiast. & sect. 18. n. 206. & sequent bus, de hæreticis, eorumque credentibus, receptatoribus, & defensoribus.

289. Seculares cognoscentes de crimine hæresis,

Decima sexta habetur in cap. *Vt inquisitionis*, de Hæreticis in 6. contra Dominos temporales, aut eorum officiales, qui de crimine hæresis cognoscunt vel iudicant: vel non ferunt auxilium Inquisitoribus ab eis requisitum ad hæreticorum capturam: vel non puniunt hæreticos damnatos ab Inquisitoribus, & eorum iurisdictioni commissos: vel Inquisitorum, an Diœcesanorum iudicium, sententiam, seu processum directè vel indirectè impedire præsumunt: vel qui denique in prædictis auxilium, consilium, aut fauorem præbuerint. Decima septima habetur in cap. 1. *D homicidio in 6.* contra eos, qui mandant aliquem Christianum interfici per Assassinos: qui ipso iure excommunicantur, siue mors sequatur, siue non: Itemque contra eos, qui ipsos receptauerint, defenderint, vel occultauerint. Vbi tamen, quantum ex textu apparet, nomine Assassinorum non intelliguntur quales hodie vocamus: sed certæ nationis infideles, qui ex præcepto sui Domini hoc officium assumebant interficiendi alios: quales esse quosdam Syriæ homines scribit Volaterranus lib. 11. Histor. cap. de Sectis Syriæ. Excommunicantur ergo Christiani qui vtebantur operâ huiusmodi infidelium ad aliquem Christianum interficiendum: Ex quo fiebat vt nonnulli magnates, taliter perire formidantes, cogerentur securitatem ab huiusmodi Assassinorum Domino impetrare; sicque ab eo, non absque dignitatis Christianæ opprobrio vitam suam quodammodo redimere, vt dicitur cap. cit. Ab hoc autem hominum genere videtur traductum fuisse nomen illud ad eos, qui nunc Assassini vocantur: eò quòd pecuniâ suam conducunt operam ad homines proditoriè interficiendos: & ad latrones viarum, qui viatores bonis, & vita spoliant.

Et qui occidunt per Assassinos.

290. Vsurariis domum locantes.

Decima octaua habetur in cap. 1. de Vsuris, in 6. contra eos qui vsurariis alienigenis domum suam locant, aut quouis alio titulo habitationem concedunt ad fœnus exercendum. Excommunicantur enim ipso iure omnes Episcopi inferiores, qui hoc faciunt, nisi intra tres menses eos expellant. Ipsi verò Episcopi, & alii Prælati eis supe-

riores, suspensionis pœnam incurrunt. Dicuntur autem alienigenæ, qui non sunt de illo dominio, in quo habitant, licet eidem Domino subsint multa dominia possidenti. Decima nona habetur in cap. vnico de Iniuriis, in 6. vbi excommunicantur qui contra personas Ecclesiasticas, vel eorum bona, concedunt represalias: & qui generaliter concessas extendunt ad præfatas personas, nisi concessionem, vel extensionem intra mensem reuocauerint, re scilicet adhuc integra. Vigesima habetur in cap. *Foelicis*, de Pœnis, in 6. contra eos qui audent inuadere personas Cardinalium, & circa illas faciunt quædam alia, quæ ibi prohibentur: de quibus sufficiunt quæ diximus sect. 17. & 19. Et hactenus excommunicationes contentæ in 6. Decretalium.

291. Non seruatæ in Clementinis.

Iam ex Clementinis numerantur decem aliæ. Prima sumitur ex Clementina vnica de Sequestratione possess. vbi excommunicantur omnes, qui in sequestratione, facta per Ordinarium loci, de Beneficio ecclesiastico nondum pacificè possesso per triennium, præsumunt impedire sententiam definitiuam contra possessorem apud sedem Apostolicam, dumtaxat in possessorio, vel petitorio promulgatam: vel fructus sequestratos quoquo modo occupare. A qua excommunicatione non possunt absolui, nisi vsurpata restituant, & impedimentum remoueant. Secunda sumitur ex Clementina 1. de Sepulturis, contra eos qui scienter, tempore interdicti, sepeliunt mortuos in loco sacro, extra casus in iure permissos. Itemque contra, eos qui sepeliunt in loco sacro publicè excommunicatos, & nimirum non toleratos: vel nominatim interdictos, à diuinis scilicet, & à participatione sacramentorum: vel manifestos vsurarios, notorietate scilicet facti, vel iuris.

292.

Tertia sumitur ex Clementina 1. de Decimis, contra Religiosos, qui Noualia, vel alias Decimas Ecclesiis debitas, ad eos ex aliqua causa legitima non spectantes, appropriare sibi præsumpserint, aut vsurpare: quique Decimarum solutionem impediuerint in casibus ibi expressis, & prohibitis; nisi post requisitionem super his factam ab illis, quorum interest, intra mensem destiterint. Ac si quid contra prædicta vsurpare, vel retinere præsumpserint, & intra duos menses Ecclesiis læsis damnum non resarcierint, nullatenus absolui poterunt ante condignam satisfactionem. Quarta sumitur ex Clementina *Ne in agro*, de Statu Monach. §. *Quia verò*, Contra Monachos, & clericos regulares, qui ad damnum suis Prælatis, aut Monasteriis inferendum, ad Principum curias se inferre præsumpserint. Et contra Monachos, qui sine Abbatum tuorum licentia, tenent arma intra septa Monasterii. Quinta sumitur ex Clementina, *Attendentes*, §. finali, de statu Monachorum, Contra impedientes visitatores Monialium in iis, quæ pertinent ad officium visitationis earum. Quæ tamen excommunicatio vt incurratur ipso facto, tria requiruntur. 1. Vt actu impedimentum præstetur. 2. Vt impediens admoneatur à desistendo. 3. Vt hæc admonitio fiat per ipsum visitatorem.

293. Sexta sumitur ex Clementina 1. de Religiosis domibus, Contra mulieres professentes statum Beguinarum, siue illum assumentes, siue in illo perseuerantes: & contra Religiosos, qui prædictis Beguinis fauent quoad illum statum assumendum, aut continuandum, consilium, auxilium, aut fauorem illis directè, vel indirectè præbendo. Sed hæc excõmunicatio non est amplius in vsu, quia tales religiosæ iãdiu sunt extinctæ. Septima sumitur ex Clement. vnic. de Consãguinit. & affinit. Cõtra eos qui sciẽter, id est, sine ignorantia culpabili facti, aut ignorantia affectata iuris, contrahunt matrimonium in gradu prohibito consanguinitatis, aut affinitatis: nimirum absque dispẽsatione. Et contra eos, qui contrahunt cum Monialibus, professis scilicet; necnon contra easdem Moniales, & contra Religiosos professos, qui contrahunt matrimoniũ. Octaua sumitur ex Clementina *Nolentes*, De hæreticis, vbi excommunicantur ipso facto Inquisitores, eorumque, vel Episcoporum, vel Capituli sede vacante, commissarii, super causas hæresis deputati, qui prætextu Officii Inquisitionis extorquent ab aliquo pecunias modis illicitis: vel ob Clericorum delictum, scienter attentant, eiusdem officii occasiõne, bona Ecclesiarum fisco, etiam ecclesiastico, applicare. Additurque ibidem vt extra mortis articulũ non possint absolui, donec plenè satisfecerint illis, à quibus pecunias extorserunt. Nona sumitur ex Clementina 1. de Vsuris, contra Potestates, iudices, consiliarios, & quosuis officiales quarumcunque communitatum, qui præsumpserint facere, scribere, vel dictare statuta præcipientia vt soluantur vsuræ, vel impedientia vt non repetantur: vel etiam qui præsumpserint scienter iudicare, quòd solutæ, cùm repetuntur, non restituantur plenè, ac liberè.

294. Decima sumitur ex Clementina *Cupientes*, de Poenis, vbi excommunicantur Religiosi mendicantes, qui sine licentia Papæ loca de nouo accipiunt ad habitandum, vel accepta mutant, vel alio quouis alienationis titulo transferunt. Itemque Religiosi, qui à soluendis decimis retrahunt, vel sua negligentia sunt causa vt fideles eas non soluant. Vndecimam addit Tolet. lib. 1. cap. 39. in fine, ex Clementina 1. de Sentent. Excommunic. contra Religiosos, qui non seruant Interdictum impositum auctoritate sedis Apostolicæ, vel Ordinariorum, postquam sciunt illud seruari à Metropolitana, vel Cathedrali, vel Parochiali Ecclesia loci. Idemque statuitur ibidem de Interdictis Conciliorum Prouincialium auctoritate latis: & de cessatione à diuinis generali ciuitatum, terrarum, aut aliorum locorum,

Digitized by Google

latura à Collegio sæcularium, aut regularium ex consuetudine. Et hactenus de excommunicationibus sexti Decretalium.

295. Iam in Extrauagantibus aliæ quatuor habentur. Quarum prima sumitur ex vlt. Extrauagante, De sent. excommun. vbi excommunicantur ipso facto, qui impugnant literas concessas à Papa electo, antequam coronetur. Secunda habetur in Extrauagante vnica, De rebus Ecclesiæ non alienandis, vbi excommunicantur quicunque alienant bona ecclesiastica contra prohibitionem ibi factam. Quam tamen vel nullibi, vel paucis in locis esse in vsu affirmat Suar. sect. 6. post Nauarrum, Siluestrum, & Caietanum. Tertia habetur in extrauagante vnica De consuetudine, contra impedientes Legatos summi Pontificis ab executione sui muneris, vel non recipientes illos. Quæ censura renouata fuit, & reseruata in Bulla Cœnæ, vt patet ex dictis sect. 19. n. 235. Quarta habetur in Extrauagante, *Sancta Romana*, De religiosis domibus, contra professentes fictam religionem Beguinorum, siue de nouo profiteantur, siue in facta professione perseuerent. Itemque contra Episcopos, & Prælatos, qui eos admittunt sine speciali facultate, & approbatione summi Pontificis. Quæ censura iam non habet locum, quia tales ficti religiosi non amplius existunt.

296. Denique extra corpus iuris octo aliæ numerantur. Prima sumitur ex Concilio Lateran. sub Leone X. sess. 10. Decreto 3. eiusdem Leonis, contra omnes, qui librum, vel scripturam imprimunt, vel imprimere faciunt, absque approbatione, & aliis ibi requisitis. Verùm censuræ huius Concilii non sunt vsu receptæ, vt post Nauarrum, & Caiet. affirmat Suar. disp. 23. sect. 7. n. 1. Hanc tamen quoad libros de rebus sacris tractantes renouauit Trident. sess. 4. in Decreto De editione, & vsu sacrorum librorum, vbi statuit, vt nulli liceat imprimere, vel imprimi facere, quosuis libros de rebus sacris, sine nomine auctoris; neq; illos in futurum vendere, nisi primùm examinati, probatique fuerint ab Ordinario, sub poena anathematis, & pecuniæ, in Canone Concilii nouissimi Lateranensis apposità. Et, si Regulares fuerint, vltra examinationem, & probationem huiusmodi, licentiam quoque à suis superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris, iuxta formam suarum ordinationum. Ipsa verò huiusmodi librorum probatio in scriptis detur, atque ideo in fronte libri, vel scripti, vel impressi authenticè appareat. Notandum autem cum Suare suprà, in aliquibus regnis vt Galliæ, & Castellæ, vsum obtinuisse, vt libri per consilium regium examinentur, & probentur, illaque approbatio sufficiat.

Non reseruatæ extra corpus iuris.

297. Secunda habetur in Tridentino sess. 13. can. 11. contra docentes, prædicantes, vel affirmantes pertinaciter, non esse necessarium præmittere confessionem sacramentalem volenti communicare, & sibi conscio peccati mortalis, habentique copiam confessarii. Tertia ex eodem Concilio sess. 24. cap. 6. De reformatione Matrimonii, contra raptores fœminæ, & consilium, auxilium, aut fauorem præbentes. Quarta ibid. cap. 9. contra eos qui quouis modo directè, vel indirectè subditos suos, vel quoscunque alios cogunt, quò minus liberè matrimonium contrahant. Comprehenditque etiam Principes, & Magnates. Quinta ex eodem Concilio sess. 23. cap. 5. De regularibus, contra magistratus, qui requisiti à Prælatis ecclesiasticis, non ferunt auxilium ad clausuram Monialium instaurandam. Itemque contra eos, qui intra septa Monialium ingrediuntur absque licentia Episcopi, aut superioris, legitimè obtenta, & scriptis expressa.

298. Sexta eadem sess. cap. 18. contra cogentes quomodocunque aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcunque mulierem inuitam, præterquam in casibus in iure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscunque religionis, vel ad emittendam professionem: quiq; consilium, vel fauorem dederint: quiq; scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint. Fertur autem huiusmodi excommunicatio in omnes, & singulas personas cuiuscunque qualitatis, vel conditionis fuerint, tam clericos, quàm laicos, sæculares, vel regulares, atq; etiam qualibet dignitate fungentes, vt patet ex initio capitis citati. Sufficitque ad illam incurrendam qualibet figillatim ex tribus actionibus in ea prohibitis. Et in fine extenditur ad eos, qui sanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo sine iusta causa impedierint.

Cogentes ingredi religionem Monialis.

Septima habetur in ead. sess. 25. cap. 19. De reformatione, contra Duellantes: quam, quia fuit reseruata à Clemente VIII. retulimus, & exposuimus in fine sect. præcedentis. Octaua, & vltima habetur in Bulla confirmationis Concilii Tridentini, edita à Pio IV. contra edentes commentarios, aut interpretationes suas in decreta Concilii Tridentini, sine auctoritate summi Pontificis. Excommunicat enim ipso facto omnes Prælatis inferiores, qui hoc fecerint. Quod tamè est intelligendū de commentariis, aut interpretationibus ex professo editis super illud Concilium: non de Doctorum explicationibus, quas suis libris theologicis, vel aliis scriptis inserunt, ad suæ doctrinæ confirmationem, aut alienæ refutationem: vt sapienter monet Suar. disp. 23. in fine. Et hactenus de Excommunicatione.

299.

DISPVTATIO SEXAGESIMA.

De Suspensione, Depositione, & Degradatione.

Sectio I. *Quid, & quotuplex sit Suspensio?*

Sectio II. *De causis, & effectibus Suspensionis, & quomodo tollatur?*

Sectio III. *Quomodo differat à Depositione, & Degradatione?*

Sectio IV. *De Suspensionibus in particulari, ipso iure latis: ac primò contra clericos generaliter, propter peccatum circa Ordines.*

Sectio V. *De Suspensionibus latis in clericos contra alias obligationes eorum proprias.*

Sectio VI. *De Suspensionibus in eosdem latis propter alia peccata illis communia cum laicis.*

Sectio VII. *De Suspensionibus à iure latis contra Episcopos, & Capitula.*

Sectio VIII. *De Suspensionibus à iure latis contra Regulares.*

SVSPENSIO hîc sumitur non pro pœna corporis, & certo supplicii genere, vt sumitur apud Iurisperitos: neque pro suspensione animi, hoc est, pro dubia expectatione alicuius euentus futuri, vt accipitur apud auctores linguæ Latinæ: vel etiam pro dilatione interposita in executione, vel prosecutione alicuius negotii: quo sensu dicuntur lites suspendi, quando desistitur ab earum prosecutione; & suspendi sententia, quando differtur illius executio. Sed pro specie Censuræ distincta ab Excommunicatione, & Interdicto, quæ cuiusmodi sit, & quotuplex, quæue sint illius causæ, & effectus, moduſqueillam ferendi, & tollendi, & quomodo differat à Depositione, & Degradatione, explicare nunc aggredimur. De illa verò tractant præcipuè S. Anton. 3. part. tit. 27. Henriquez lib. 13. cap. 31 & sequentib. Nauarr. cap. 27. Manual. à num. 151. Siluest. & Angelus v. *Suspensio*, Tolet. lib. 1. cap. 42. & sequentibus, Auila tota 3. parte tract. de Censuris. Suar. disp. 25. & sequentibus, Coninc disp. 15 Bonacina disp. 3. de Censuris. Layman lib. 1. tract. 5. parte 3. Gordon. lib. 7. quæst. 15. Filiuc. tom. 1. tract. 17.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex sit suspensio.

1. Suspensio est cēsura.

Circa primum in titulo sectionis propositum, dico primò, Suspensionem definiri sic posse: Est Cēsura ecclesiastica, quâ Clericus priuatur vsu potestatis, quæ illi ratione officii clericalis, aut Beneficii competit. Dicitur primò, *Censura ecclesiastica*, loco generis. Quia in præsenti non loquimur de suspensione generaliùs sumpta, prout etiam comprehendit priuationem vsus officii secularis: sed tantùm de illa, quæ ad Ecclesiam pertinet, vt poena medicinalis, & ecclesiastica, priuans vsu officii, aut Beneficii ecclesiastici. Per eãdemque particulam excluditur ab hac definitione peccatum mortale, priuans vsu potestatis administrandi sacramenta, non per modum poenæ ecclesiasticæ, sed iure diuino, & ex natura rei. Excluditur item Suspensio ecclesiastica per modum poenæ solùm imposita, quæque tantùm est poena, & non censura, imponiturque solùm propter peccatum, & non propter contumaciam erga Ecclesiam. Cuius mentio fit in capite *Tam veteris, De iudiciis*, & Clement. 1 De hæreticis, §. penult. aliisque locis, vt notant Canonistæ ibid. & Suar. disp. 25. sect. 1. num. 2.

2. Solos Clericos afficit.

Dicitur secundò, *Quâ clericus priuatur*: ad designandum subiectum capax huius censuræ, qui est solus clericus. In quo differt ab excommunicatione, & interdicto, quæ possunt etiam ferri in laicos. Ratio verò est, quia soli clerici sunt capaces Officii aut Beneficii ecclesiastici. Ergo soli illi possunt priuari vsu Officii, aut Beneficii ecclesiastici, seu potestatis ex illo prouenientis.

Dicitur tertiò: *Vsu potestatis*, &c. quâ particulâ significatur effectus primarius huius censuræ, qui est priuare, non ipso quidem Officio, aut Beneficio; sic enim esset Depositio, aut Degradatio: sed vsu tantùm illius, id est, exercitio potestatis ab illo prouenientis. Et vsum quidem potestatis Ordinis reddit illicitum, sed non inualidum. Vsum verò iurisdictionis facit etiam inualidum, & nullius roboris, quando aliquis est nominatim suspensus, & denunciatus, & non toleratus ab Ecclesia, vt supra diximus de Excommunicatione. At si est tantùm suspensus ab Ordine, & audit confessiones: peccat quidem, sed tamen validè absoluit; quemadmodum & ille, qui est personaliter interdictus ne audiat confessiones: quia neque suspensio, neque interdictum, vel excommunicatio tollunt characterem, & potestatem Ordinis, neque faciunt vsum illius esse irritum, suppositâ iurisdictione, quoad eos actus, quibus illa est necessaria; cuiusmodi est actus absoluendi à peccatis, & à censuris.

Per hanc autem particulam, quæ loco differentiæ ponitur, distinguitur suspensio ab aliis speciebus censuræ, quæ non priuant vsu potestatis ecclesiasticæ, conuenientis ratione Officii clericalis, aut Beneficii, vt tali: sed excommunicatio minor priuat tantùm licitè vsu receptionis sacramentorum. Maior verò priuat quidem iisdem omnibus, quibus Suspensio, & ad illam comparatur vt includens, ad inclusum: quia priuat omni licita functione ecclesiastica, tam circa Officium, quàm circa Beneficium, & multis aliis, vt patet ex dictis disp. præcedenti. Verumtamen non priuat illis eadem ratione, qua Suspensio, prout sunt vsus potestatis ecclesiasticæ &c. Sed prout habent rationem communicationis cum fidelibus, quâ directè, & per se vt tali, priuat maior excommunicatio. Ab Interdicto autem differt, quia istud priuat vsu passiuo sacramentorum, sepulturæ ecclesiasticæ, & assistentiæ in diuinis officiis; quo vsu non priuat suspensio, sed tantùm vsu potestatis ecclesiasticæ. Quòd si Interdictum priuat etiam aliquo vsu talis potestatis: id facit dumtaxat quatenus necessarium est, vt Officio cuipiam diuino intersit ille, qui eam exercet: & interdictis prohibetur interesse huiusmodi sacris functionibus, & diuinis officiis. Denique Interdictum priuat tantùm rebus quibusdam sacris, vt sacræ sunt, non autem formaliter prout habent rationem potestatis cuiusdam ecclesiasticæ, vt facit Suspensio.

3. Quomodo differt ab aliis censuris.

Dico secundò, Suspensionem multipliciter diuidi, iuxta varios modos, quibus ferri potest. Primò enim ex parte causæ efficientis diuiditur in eam, quæ est à iure, & eam quæ est ab homine. Quæ diuisio patet ex dictis suprà de Censuris in genere. Moneo tantùm, quod supra etiam dixi de Excommunicatione, Episcopos nunquam incurrere Suspensionem à iure latam generaliter, nisi illorum fiat expressa mentio: vt habetur in cap. *Quia periculosum*, De sentent. excomm. in 6. Quod etiam verum est de Episcopo electo, & confirmato, licet nondũ consecrato: quia fundatur hoc priuilegium in dignitate Episcopali: & in iure per nomen Episcopi intelligi solent illi etiam, qui iam habent Beneficium Episcopale, licet nondum Ordinem habeant: qui possunt quoque ratione Beneficii exercere actus iurisdictionis Episcopalis, à quibus periculosum esset illos suspendi, quia pertinent ad executionem Episcopalis officii, quod frequenter incumbit. Quare ratio propter quam datur Episcopis hoc priuilegium, ad illos se extendit.

4. Vna est à iure, altera ab homine.

Secundò, ex parte obiecti, vel effectus, diuiditur Suspensio in totalem, & partialem. Totalis est, quâ clericus suspenditur à toto vsu Officii, & Beneficii simul. Partialis, quâ suspenditur tantùm ab vsu officii, vel tantùm ab vsu Beneficii. Et rursus, vel à

5. Item vna est totalis, alia partialis.

Digitized by Google

toto vsu officii, vel à parte tantùm: Itemq; vel à toto vsu Beneficii, vel à parte dumtaxat. Dicitur autem suspendi à toto officio, quando priuatur vsu cuiuscunque Ordinis & simul vsu iurisdictionis. Nam per Officium intelligitur hic tam officium Ordinis, quàm officium iurisdictionis Ecclesiasticæ. Dicitur verò suspendi à parte officii tantùm, qui suspenditur à solo Ordine, vel à sola iurisdictione: vel à parte iurisdictionis, v. g. ab Episcopali tantùm: vel ab aliquo tantùm Ordine, puta à Sacerdotio, aut etiam ab eius parte, putà à celebrando Sacro, vel ab audiendis confessionibus. Similiter dicitur ille suspendi à toto Beneficio, qui priuatur omni vsu potestatis sibi prouenientis ratione Beneficii. A parte verò tantùm, qui vel priuatur solùm fructibus, vel illius administratione temporali, aut aliquo alio ad ipsum pertinente.

6. Modus cognoscendi.

In quibus omnibus duæ regulæ generales obseruandæ sunt. Prima: Quando Suspensio fertur absolutè sine vlla determinatione ad hoc aut illud, quæ ex modo ferendi, aut materiâ subiecta colligi possit; censetur esse totalis, tam ab officio, quàm à Beneficio. Quia nulla est ratio cur magis de vno intelligatur, quàm de alio, neque vlla circunstantia, cur ad vnam partem restringatur. Talis Suspensio fertur in Extrauag. *Diuina*, De priuilegiis, & Clementina 1. eod. tit. §. *Quibus etiam*, & in Trident. sess. 25. cap. 14. de Reformatione. Secunda regula: Quãdo fertur Suspensio determinatè ad aliquid nõ suspendit nisi ab eo, quod exprimitur in sententia, vel in Canon. & ab eo quod necessariò includitur in illo expresso. Quare suspensus ab Officio tantùm, non est suspensus à Beneficio: nec contra. Et suspensus ab Ordine superiori, non est suspensus ab inferiori. Nec suspensus ab inferiori, est suspensus à superiori, nisi sit necessaria connexio, vt bene probat Suar. disp. 26. de Censuris, sect. 4. n. 11. 15. & seqq. quia pœnæ non sunt extendendæ vltra significationem verborum legis poenalis.

7. Itẽ vna est ad tempus determinatũ alia nõ.

Tertiò diuidi solet ratione temporis pro quo fertur suspensio, in eam, quæ fertur ad tempus determinatum, & in eam quæ fertur sine temporis limitatione, quæ dicitur hoc ipso esse perpetua. Sed hoc non debet ita intelligi, vt posita emendatione Rei non debeat tolli: quia illud est de ratione censuræ, vt in eius definitione suprà diximus. Cum qua non video quomodo cohæreat id, quod nonnulli dicunt, aliquam Suspensionem esse de se perpetuã, & posse aliquem suspendi in perpetuum à parte Officii, aut Beneficii; licet non à toto Officio, aut Beneficio; quia tunc esset potiùs Depositio, vel Degradatio. Imo neque bene conuenit cum natura suspensionis & cuiusuis alterius censuræ, vt feratur ad certum tempus, ita vt ante illud non possit tolli, quamuis reus emendetur, & satisfaciat Ecclesiæ. Quare hæc diuisio debet potiùs intelligi de Suspensione, quæ non fertur per modum medicinæ, & veræ propriæque censuræ, sed dumtaxat per modum poenæ.

Notandum enim est præter censuram suspensionis, aliam esse purè poenalem, quæ fertur pro culpa præterita, absque vlla contumacia contra Ecclesiam. Inter quam, & censuram multiplex est differentia. Primò, quòd illa quæ censura est, cùm sit medicinalis, tendensque ad Rei emendationem, & ad frangendam illius contumaciam, debet tolli quandocunque deponitur contumacia, & Reus emendatur, vt diximus disp. 58. sect. 2. n. 16. At verò illa, quæ est purè pœnalis, ferri potest ad tempus determinatum maius, aut minus, aut etiam perpetuum, prout culpa maior, aut minor est, & digna tam longa priuatione vsus potestatis ecclesiasticæ. Secundò, differunt in eo quòd suspensio poenalis quando fertur ad tẽpus determinatum, cessat hoc ipso quòd totũ illud tempus elapsum est, sine alia absolutione. Quia prohibitio facta ad certũ tempus, non obligat vltra illud. At verò quæ censura est, eget absolutione, vt dicemus sect. 4. Differunt tertiò, quia suspensio, quæ est purè poena, non prærequirit monitionẽ fertur enim ob culpam præteritam, etiamsi non habeat tractum successiuum, id est, non continuetur vllo modo, neque qui peccauit, pergat esse contumax, aut iniuriosus, vel inobediens. At verò illa, quæ censura est, semper requirit monitionem præuiam, saltem illam, quæ includitur in hac conditione. Si hoc feceris, vel, Nisi satisfeceris, eris suspensus ipso facto. Quartò denique differunt, quia quisquis violat quamcunque suspensionem habentem rationem censuræ, incurrit Irregularitatem. At verò aliquæ purè pœnales non inducunt hunc effectum, vt patebit ex dicendis inferiùs de suspensionibus in particulari.

5. Non omnis suspensio est censura.

Quartò, Suspensio, tam quæ fertur ab homine per sententiam, quàm quæ à iure imponitur, multiplex est. Prior non potest cognosci nisi ex sententia iudicis eam ferentis: potestque hæc interdum infligi pro veniali tantùm, modò sit à re leui, & ad breue tempus, vt dicemus sect. sequenti. Alia verò, quæ à iure communi fertur, non imponitur de facto, nisi propter aliquod peccatum mortale. De numero autem huiusmodi Suspensionum, quæ à iure feruntur, non conseniunt Theologi: quidam enim plures, alii pauciores enumerant: & ex illis aliquæ non sunt receptæ in Gallia, vt illæ octo, quas ex Concilio Tridentino recenset Tolet. lib. 1. cap. 49. Aliæ quædam non sunt ampliùs in vsu. Nos de illis omnibus in particulari dicemus. Vbi priùs cætera, quæ pertinent ad Suspensionem in communi, exposuerimus.

9. Suspensio à iure, & ab homine est multiplex.

SECTIO II.

De causis, & effectibus Suspensionis, & modo eam tollendi.

10. Causa efficiens suspensionis, & subiectiua.

CAusa efficiens Suspensionis est quicunque potest excommunicare, vt notant Siluest. & Angel. v. *Suspensio*, & alii communiter. Eadem enim iurisdictio est sufficiens ad vtrumq; actum. Materialis remota, id est, ille, qui suspendi potest, non est nisi clericus, vt paulò ante diximus. Alii enim non habent Officia, vel Beneficia ecclesiastica, quorum vsu priuari possint. Nec obest quòd Extrauagante vnica de Censibus, suspenduntur laici à communione Eucharistiæ. Nam Suspensio ibi sumitur impropriè pro simplici prohibitione, vel pro parte quadam minoris excommunicationis. Notandum autem non solùm clericos singulos, sed etiam totam aliquam communitatem, seu collegium clericorum suspendi posse. In quo differt suspensio ab excommunicatione, quæ non potest ferri in communitatem. Materia proxima, id est, causa propter quam fertur suspensio, est peccatum. Cùm enim sit poena ecclesiastica propriè dicta, non potest nisi propter peccatum infligi, vt asseritur cap. *Satis peruersum.* dist. 56. Quare si quando iura significant suspendi aliquem propter defectum non culpabilem, vt propter lepram, aut defectum ætatis, sumunt latè, & impropriè Suspensionem pro Irregularitate.

21. Quale peccatum sit causa propter quam fertur?

Probabilius quoque videtur debere peccatum illud esse proprium, ita vt nemo suspendatur ob peccatum alienum. Quare quando communitas aliqua suspenditur, non suspenduntur innocentes ab exercitio sibi proprio, id est, non facto per communitatem, aut eius nomine; vt colligitur ex cap. *Quia sæpe*, De electione in 6. vbi Pontifex suspendens ab Officio, & Beneficio Capitula, & personas particulares, quæ sibi vsurpant bona Episcopi defuncti, restringit suspensionẽ ad eos, ad quos aliquid ex bonis defuncti prouenit: significans alios innocentes non debere poenâ suspensionis affici. Requiritur etiam vt peccatum sit mortale, saltem ad incurrendas suspensiones à iure latas, vt paulò ante diximus. Quia cùm sint pœnæ graues, non possunt iustè infligi, nisi propter graue delictum. Potest tamen leuis aliqua suspensio imponi ab homine propter culpam venialem illi proportionatam: putà suspensio ab vnico actu suffragii, seu vocis actiuæ, in eligendo ab Beneficium ecclesiasticum; vel ab vnica distributione modica: sed tales non sunt, quæ à iure imponuntur. Dicunt aliqui non requiri tamen contumaciam, & inobedientiam, vt feratur suspensio ab homine, sicut requiritur in excommunicatione: posseque ferri contra delinquentem non contumacem, in pœnam solùm peccati commissi. Sed hoc tantùm est verum de suspensione lata per modum pœnæ, non autem per modum censuræ, vt paulò ante diximus, & fusiùs disp. 58. de Censuris in communi, sect. 3. num. 32. vbi etiam probauimus peccatum capax censuræ debere esse externum: quia Ecclesia non punit actus purè internos.

11. Forma seu modus quo fertur.

Forma denique Suspensionis, seu modus quo fertur, nullus determinatè est essentialis, aut à iure præscriptus: sed sufficiunt quæcunque signa, quibus superior intentionem suam significet. Et quidem si fertur à iure, necessarium est, vt verba legis sufficienter & determinatè declarent speciem suspensionis, & modum, quo illam imponunt; quia lex non plus operatur, quàm verbis exprimit: & si poenalis est, debet in dubio explicari benignius. Quando autem fertur ab homine, debet præcedere monitio canonica, loquendo de illa, quæ propriè est censura. Alia enim, quæ tantùm est pœna, potest ferri sine monitione prauia, vt constat ex cap. *Tam literis*, *De testibus*, vbi Pontifex suspendit aliquos propter culpam præteritam, licet neque monitio præcessisset, neque lex suspensionem comminans. Ad hanc verò censuram imponendam sufficiunt quæcunque verba, quibus species Suspensionis satis declaretur. Solet autem ferri vel absolutè, & generaliter in hæc verba, Suspendo te, vel, Sit ipso facto suspensus: & tunc est totalis suspensio, vt antea notauimus. Vel exprimendo magis id, à quo suspenditur: vt, Suspendo te ab Officio, & Beneficio: Sit suspensus ab Officio ipso facto: Suspendo te à iurisdictione, à celebratione Missæ, ab audiendis confessionibus. Si autem iudex diceret, Suspendo te ab Officio, vel Beneficio, suspensio esset nulla: quia incerta, & indeterminata: vt bene docet Azor. tom. 1. lib. 2. cap. 11. in fine, post Siluestrum, quem citat, & alios communiter. Finis denique suspensionis est emendatio Rei, & vtilitas Ecclesiæ.

13. Effectus suspensionis.

Effectus suspensionis sunt quatuor. Primus est priuare vsu potestatis ecclesiasticæ, vel ex toto, si est totalis; vel exparte, si est partialis, vt suprà exposuimus. Secundus est inducere peccatum mortale, quando quis scienter, & volens facit illud, à quo suspenditur, sine causa rationabili, vera, vel præsumpta, cuiusmodi est causa vitandi periculum mortis, vel infamiæ. Et similiter peccat mortaliter ille, qui inducit alium ad transgressionem Suspensionis, quando iste est nominatim suspensus, denunciatus, & non toleratus. Inducens tamen nullam incurrit censuram. Et si nominatim suspensus esset sua sponte paratus, neque alius illum induceret, nullum foret peccatum communicare cum illo in illis, quæ spectant tantùm ad Ordinem, & non ad iurisdictionem, cuiusmodi est audire sacrum suspensi. Imo, si suspensus vel nondum est denunciatus, vel saltem

saltem toleratur publicè ab Ecclesia; tunc licet illum etiam inducere ex causa rationabili: & qui ita inductus exercet officium aliorum causâ tantùm, non peccat, neque fit irregularis, vt rectè docet Henriq. lib. 13. cap. 5. n. 5. litera H. & cap. 33. in fine.

14. Tertius effectus est, quòd suspensus ab Ordine, vel ab aliquo includente Suspensionem Ordinis, non solùm peccat, si exerceat actum talis Ordinis, sed etiam fit irregularis, cap. 1. de Sentent. Excomm. in 6. Hoc tamen intellige si exerceat vt actum Ordinis, & non eo solùm modo, quo à laicis exerceri solet: vt baptizare sine solemnitate in casu necessitatis, & facere actus minorum Ordinum, vel canere in choro more laicorum. Multóque minùs prohibetur suspenso receptio Sacramentorum: quia illa non est vsus potestatis proenientis ex officio, vel Beneficio ecclesiastico.

Quartus effectus est, quòd Suspensio reddit inhabilem ad Beneficium, aut certè dignum, qui eo priuetur, cap. *Cum dilectus, de consuetudine*, adiunctâ Glossâ. Et quidem multi censent collationem Beneficii factam illi qui est suspensus ab officio, non modò esse illicitam (quod manifestum est, quia cùm Beneficium detur propter Officium, illicitè datur ei, qui ab officio clericali prohibetur) verùm etiam esse nullam & irritam. Probantque ex cap. citato, & cap. vlt. de clerico excommunicato, & cap. *Quia diuersitatem*, De concessione Præbendæ. Sed hæc iura vel ad rem nou faciunt, vel ex illis colligitur solùm esse irritandam, vt bene aduertunt Suar. disp. 27. sect. 1. n. 26. & Aegid. Con. disp. 15. dub. 2. n. 7.

15. Quomodo tollatur.

Quod denique attinet ad modum, quo Suspensio tolli potest: si lata fuit ad certum tempus, desinit tempore expleto, neque eget absolutione, vt docent Suar Nauar. Tolet. & alii quos refert, & sequitur Bonacina disp. 3. de Censuris, puncto vlt. n. 1. idemque habet Glossa Clementinæ *Religiosi, de decimis*. v. *Donec*. Quæ tamen ita fertur ad tempus determinatum, non est propriè censura, sed pœna duntaxat, vt diximus sect. 1. Debet autem tempus illud computari ab instante, quo peccatum contra legem commissum fuit, si est suspensio à iure: vel quo sententia lata fuit, si est suspensio ab homine. Debet etiam totum illud tempus esse finitum, & completum, neque sufficit diem, vel annum definitum inchoari. Si tamen fertur ad mensem, probabile est sufficere triginta dies, quamuis aliqui vno superent: si ad annum, sufficere trecentos sexaginta quinque dies, etiam in anno Bissextili: quia communiter menses, & anni pro illo spatio dierum accipiuntur: & in huiusmodi pœnalibus, & odiosis verba strictiùs intelligenda sunt: eoque finito, non tenetur ampliùs suspensus abstinere, quamuis toto illo non abstinuerit, peccaueritque interdum contra censuram. Similiter illa quæ fertur cum hac conditione, *Donec satisfeceris*, desinit implerâ conditione, si est purè pœnalis: secus autem, si est propriè censura: tunc enim probabilius censeo egere adhuc absolutione, non minùs quàm egeat Excommunicatio simili modo lata. Par enim est vtriusque ratio: vt nimirum constet Ecclesiæ de satisfactione, reddaturque illi hæc obedientia, pro contumacia præterita. Neque contrarium bene colligitur ex cap. *Ex literis, De constitutionibus*, vt bene ostendit Suarez disp. 29. sect. 2. num. 10. & seqq. Licet multi contrarium sentiant, quorum sententia non est improbabilis, præsertim vbi fauet illi consuetudo. Sufficeretque talem esse intentionem suspendentis: sed talem fuisse non constat vllo iure: neque satis efficaciter ab vllo probatur.

16. An desinat sine absolutione?

Omnino autem certum est, & extra controuersiam, Suspensionem ante tempus, aut conditionem impletam, & illam quæ fertur sine limitatione, esque propriè censura, siue à iure feratur, siue ab homine, non desinere sine absolutione: quæ dari nequit nisi vel ab eo, qui suspendit, vel à successore, & æquali, vel à Superiore, aut ab his delegato per priuilegium, aut commissionem: eodem modo, quo de Excommunicatione alibi diximus. Quando tamen est à iure, nisi expressè reseruetur Papæ, potest semper Episcopus absoluere. Reseruetur, inquam, vel absolutè, vel saltem ad tempus: quia tunc intra tempus præscriptum à Papa non potest Episcopus absoluere: vt docent Henriquez libro decimo tertio capite 35. §. 2. lit. S. & alii ab eo citati. Item Episcopi per Tridentinum sess. 24. cap. 6. possunt ordinariè absoluere à suspensione, excommunicatione, & irregularitate qualibet Papæ reseruata, si ex delicto occulto proueniat: exceptâ eâ, quæ prouenit ex homicidio voluntario, & iis, quæ ad forum contentiosum sunt deductæ. Aliqui etiam religiosi possunt ex priuilegiis sibi cõcessis absoluere à Suspẽsionibus Papæ reseruatis iure cõmuni: sed non possunt absoluere nominatim suspensos ab homine: neque regulares alterius Ordinis, qui non habuerint licentiâ cõfitendi extra suũ Ordinẽ.

17. Forma absoluendi ab illa.

Forma absoluendi nulla determinatè essẽtialis est. Hæc verò esse solet: Absoluo te à vinculo suspensionis, quam incurristi propter N. & restituo te pristinæ executioni Ordinis, vel Beneficii (vel vtriusque, prout ferebat suspensio) in nomine Patris, &c. Non est tamen necessarium ex natura absolutionis, vel ex præcepto ecclesiastico, exprimere causam, vel speciem suspẽsionis: aut proferre omnia verba prædicta, vel illis æquiualentia: sed sufficit intentio absoluentis cum verbis generalibus significãtibus absolutionem à suspensione: vt si quis dicat, Absoluo te ab omni suspensione: quæ particula *Omnis* aut æquiualens addenda est, quando aliquis plures incurrit suspensiones. In criminibus autem grauioribus exigendum est iuramentum obediendi Ecclesiæ. Exigenda etiam est priùs satisfactio, vel cautio, vt supra dictum est de Excommunicatione.

SECTIO III.

Quomodo differat Suspensio à Depositione, & Degradatione?

18. Triplex discrimen inter illas.

SVspensio conuenit cum Depositione, & Degradatione in eo quòd illæ quoque sunt pœnæ ecclesiasticæ, quæ solis clericis imponi possunt: ideoque in iure Canonico nonnunquã promiscuè vsurpãtur, vt notauit Suar. disp. 30. sect. 1. n. 10. post Glosã cap. *Si quis Episcopus*, dist. 83. Differunt tamen, quia suspensio, propriè loquendo, est censura ecclesiastica: depositio autem, & degradatio non sunt censuræ, sed pœnæ dumtaxat. Item suspensio strictè, & propriè sumpta pro censura ecclesiastica, non est de se perpetua, sed posita Rei emendatione debet tolli. At depositio, & degradatio est de se perpetua, atque irremissibilis, amotio ab Ordine, Officio, aut Beneficio: vt colligitur ex cap. *Et si clerici*, *De iudiciis*. Item Suspensio priuat tantùm vsu potestatis Ecclesiasticæ, non autem ipsa potestate. At Depositio, & Degradatio tollunt omnem potestatem ecclesiasticam, in quantum tolli potest, id est, in quantum pendet ab Ecclesia. Quod addo propter potestatem Ordinis, quæ tolli nequit auctoritate Ecclesiæ; cũ Character sit indelebilis: ideoque Sacerdos depositus, aut degradatus potest validè consecrare: & Episcopus potest confirmare, & Ordinare. At verò potestas iurisdictionis, & ius omne, & potestas circa Beneficium, proueniens ab Officio, non ab Ordine, tollitur omnino per Depositionem, si est Depositio ab Officio, & Beneficio: necnon per Degradationem: & per vtramque redditur homo inhabilis ad omne Beneficium consequendum, si est degradatus, vel absolutè depositus à Beneficiis.

19. Depositio est duplex.

Quæ vt meliùs intelligantur, nota primò, duplicem esse Depositionem. Vnam absolutam, & totalem ab Ordine, Officio, & Beneficio simul: alteram partialem, ab Ordine tantùm, vel ab Officio, vel à Beneficio. Depositio ab Ordine est priuatio perpetua vsus liciti potestatis Ordinis, sine spe restitutionis, saltem ordinariè: tametsi extraordinariè potest restitui à Papa, & in certis casibus ab Episcopo: qui tamen est realiter depositus, seu degradatus, nunquam solet restitui. Depositio ab Officio, vel à Beneficio, est priuatio ipsiusmet Officii vel Beneficii, & iuris atque potestatis vi illorum competentis, siue ad actus iurisdictionis, siue ad fructus Beneficii: ita tamen vt executio non sit per rem ipsam faciendo, præsertim si crimen illius occultum est: sed expectari possit sententia declaratoria criminis, & executio iudicis, quæ tamen vsque ad diem criminis retrotrahetur, ita vt Officium, vel Beneficium censeatur ab eo die vacasse. Neque tantùm Depositio ab Officio, vel à Beneficio priuat eo quod iam habetur: sed etiam reddit inhabilem ad omne aliud obtinendum, si est absoluta Depositio ab Officiis, aut Beneficiis. Possunt autem hæ depositiones partiales separari: ita vt vna sit ab Ordine, non ab Officio, vel à Beneficio: aut è cõtrario sit depositio ab Officio, vel à Beneficio & non ab Ordine. Potest etiam esse, depositio ab Officio, non à Beneficio vel contra. Quare si in iure fertur depositio ab Officio propter aliquod crimen, non sequitur Reum esse depositum à Beneficio: ita vt Beneficium vacet ipso iure. Quamuis postea priuari eo possit, ac debeat à iudice: quia cum Beneficium detur propter Officium: indignus illo est quicunque est priuatus in perpetuum legitima illius administratione. Vix tamen vnquam in iure Canonico statuitur depositio ab Officio, cui non sit adiuncta depositio à Beneficio, vt recte notat Aegid. Con. disp. 10. n. 5.

20. Depositio simplex differt à degradatione,

Nota secundò, depositionem simplicem in eo differre à degradatione, quòd ista sẽper est totalis ab Ordine simul, ab Officio, & Beneficio, si reus illa possidet: secus autem depositio, quæ interdum est partialis, vt supra diximus. Item degradatio priuat omni priuilegio clericali. At depositio non priuat Canonis, & fori priuilegio, vt colligitur ex capite, *Cum non ab homine*, De iudiciis: ideoque non priuat etiam onere clericali, putà recitatione precum canonicarum, si est clericus in sacris; vt docent omnes Summistæ. Idcirco etiam tenetur Ecclesia ministrare alimenta depositio, æquè ac suspenso à Beneficiis, ne in opprobrium clericalis ordinis mendicare cogatur: nisi persistat contumaciter in crimine, propter quod suspensus, aut depositus fuit. Quia tunc potest illi Ecclesia negare alimenta, vt magis cogat resipiscere: Quin etiam si hoc non sufficit ad frangendam illius contumaciam, potest illum excommunicare, & anathematizare solemniter, ad maiorem terrorem incutiendum. Ac si ne his quidem mouetur, potest eum tradere potestati sæculari, vt exilio, vel aliis pœnis conuenientibus eum cõprimat: iuxta caput, *Cum non ab homine*, supra citatum. An verò possit iudex sæcularis in eum animaduertere, antequam ab Ecclesia ipsi tradatur, variæ sunt sententiæ. Affirmãt Siluester v. *Degradatio*, quæst. 6. Auila 4. parte, dubio 1. & Toletus libro 1. capite 50. num. 3. §. *Aduerte*, dicens sufficere quòd per iudicem ecclesiasticum lata sit sententia declaratoria super qualitate incorrigibilitatis: pro quo citat etiam Felin. in cap. *Cum non ab homine*, De iudiciis, affirmantem hanc esse communem sententiam. Suar. tamen disp. 30. sect. 2. numero octauo, & quidam alii sentiunt traditionẽ vel degradationem actualem esse necessariã.

21.

Hinc colligo, Degradationem definiri sic posse: est pœna ecclesiastica, quâ clericus

ab ordine, & ab omni officio, Beneficioque eccleſiaſtico depoſitus, priuatur vlteriùs omni priuilegio clericali, per ſolemnem ſententiam, in perpetuum, & ſine ſpe reſtitutionis. Ideoque dicitur degradari, hoc eſt, de ſtatu ordinis clericalis deiici, quantum fieri poteſt, redigique in ordinem laicorum. Et quia dupliciter id fieri poteſt, verbaliter ſcilicet, aut realiter: idcirco degradatio in verbalem, & realem diuiditur: vt habetur capite 2. *De pœnis*, in 6. Verbalis eſt, quando fit tantùm per ſolemnem ſententiam: ideoque vocatur etiam ſententionalis, & reſpectiua, eò quòd ordinetur ad realem, quæ ſolet illam ſubſequi, vt mox dicemus. Realis verò, ſiue actualis, & ſolemnis, vt appellatur à Tridentino ſeſſione 13. capite 4. *De reformatione*, eſt quando clericus non tantùm verbaliter degradatur, ſed vlteriùs cum ſolemnitate ſpoliatur veſtibus, & ſignis clericalibus, traditurque brachio ſæculari. Quam ob cauſam fieri debet præſente iudice ſæculari, cui denunciatur vt reum in ſuum forum recipiat, veluti laicum, & priuatum omni priuilegio clericali, cum deprecatione tamen efficaci, id eſt, ſeriò facta, & ex animo, *Vt citra mortis periculum ſententiam in eum moderari velit*: ne videlicet Eccleſia mortem illius deſiderare, aut procurare videatur.

22. Quæ ſolemnitas ad eã requiratur?

Porrò ſolemnitas requiſita ad degradationem verbalem, aut realem, deſcribitur in capite ſecundo *De pœnis*, in 6. vbi ſtatuitur, vt verbalis degradatio fiat à proprio Epiſcopo, ſibi aſſiſtente in degradatione clericorum in ſacris conſtitutorum ordinibus, certo Epiſcoporum numero, definito per ſacros Canones: quamuis proprii Epiſcopi ſententia, ſine aliorum Epiſcoporum præſentia ſufficiat in degradatione eorum, qui minores tantùm ordines receperunt. Poſteaque additur, in reali degradatione debere ſiſti degradandum Epiſcopo ſacris veſtibus indutum, & inſignibus ad eius officium ſpectantibus; eiſdemque ſpoliari per Epiſcopum, non eodem ordine quo fuerunt ei tradita in ordinatione, ſed retrogrado: ita vt ſacerdos v. g. primò ſpolietur Caſula, tum Stola, Manipulo, Cingulo, Alba, & Amictu. Et in ablatione cuiuſlibet indumentorũ dicat Epiſcopus ſe illi hanc dignitatem auferre, atque in vltimi ſpoliatione addat: Auctoritate omnipotentis Dei, Patris, & Filii, & Spiritus S. ac noſtra, tibi auferimus habitum clericalẽ, & deponimus, degradamus, ſpoliamus, & exuimus te omni Ordine, Beneficio, & priuilegio clericali. Debet etiam caput eius ita tonderi, vel abradi, vt nullum coronæ veſtigium appareat.

23. Quot Epiſcopi?

Quod verò attinet ad numerum Epiſcoporum per Canones requiſitorum in degradatione verbali, communis ſententia eſt, ad degradationem Epiſcopi (quæ non poteſt fieri niſi à Metropolitano) requiri vt illi aſſiſtant duodecim Epiſcopi, ſimul cum illo cauſam cognituri, & iudicaturi. Ad degradationem verò aliorum, quæ à proprio Epiſcopo fieri poteſt, requiri, vt ſex alii Epiſcopi illi aſſiſtant, ſi Presbyter degradandus eſt: tres autem ſi Diaconus, aut Subdiaconus. Vt verò clerici minorum Ordinum degradentur, ſufficit aliquos de Capitulo ipſum repræſentantes aſſiſtere Epiſcopo: vt colligitur ex cap. *Siquis*, cap. *Falix*, & cap. *Si autem Presbyteri*. 15. quæſt. 7. Quoniam autem difficile eſt tot Epiſcopos conuenire: ſtatuit Trident. ſeſſ. 13. cap. 4. de Reformat. vt ad Presbyteri (& à fortiori ad Diaconi vel Subdiaconi) degradationem verbalem, vel actualem, ſufficiat Epiſcopus à quo faciẽda eſt degradatio, abſque numero aliorum Epiſcoporum à canonibus definito: adhibitis tamen, & in hoc ſibi aſſiſtentibus totidem Abbatibus vſum Mitræ & Baculi ex priuilegio Apoſtolico habentibus, ſi in ciuitate, aut Diœceſi reperiri, & commodè intereſſe poſſint. Alioquin, aliis perſonis in eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, quæ ætate graues, ac iuris ſcientiâ commendabiles exiſtant. De degradatione verò Epiſcoporum nihil noui ſtatuit: ideoque ius antiquum circa illos ſeruari debet. Poſſuntque tantùm Epiſcopi de cauſa Epiſcopi degradandi cognoſcere: non autem ſententiam ferre definitiuam, niſi priùs rem ad Summum Pontificem detulerint, cuireſeruantur omnes cauſæ grauiores, vt dicitur in capite *Maiores*, De baptiſmo. Quando autem facta eſt verbalis degradatio maiorum etiam clericorum; & deinde, vt ſolet, Epiſcopus procedit ad realem: poteſt ad illam procedere ſine aliis Epiſcopis, aut Prælatis: ſicut vſu communi receptum eſſe teſtatur Suarez diſputatione trigeſima, ſectione ſecunda, numero ſexto. Tuncque illum veſtibus, & ſignis clericalibus exuit modo præſcripto in capite proximè citato, vel declarat ſolenniter fuiſſe antea illis exutum.

24. Quomodò differunt degradatio realis, & verbalis?

Eſt autem differentia inter verbalem & realem degradationem: quòd realis eſt quædam executio verbalis. Nam per verbalem profertur ſententia, quæ etiam circa abſentem proferri poteſt. Per realem autem mandatur executioni quoad aliquos effectus, qui per ipſam ſententiam abſque Rei præſentia, & iudicis actione fieri non poſſunt. Item verbalis degradatio eſt actus iuriſdictionis tantùm: ideoque poteſt fieri ab Epiſcopo non conſecrato. Poteſt etiam Vicario generali committi. At realis, quia eſt actus Ordinis, non poteſt fieri niſi ab Epiſcopo conſecrato, vt colligitur ex Tridentino, ſeſſione decimatertia, capite quarto, De reformatione, vbi decernit, Epiſcopum poſſe verbalem degradationem facere per ſuum Vicarium: realem autem nonniſi per ſeipſum, neque poſſe alteri committere, præterquam Epiſcopo conſecrato. Nota præterea aſſiſtentiam illam Epiſcoporum non requiri

in simplici depositione; sed in verbali degradatione propriè dicta, quæ scilicet fit in ordine ad realem degradationem: quia hæc grauior est, & maiori deliberatione digna, vt post alios Doctores grauissimos affirmat Suar. disp. 30. sect. 1. n. 18. & sect. 2. n. 6. sauttque Trident. sess. 13. cap. 4. de Reformat. vbi hoc satis insinuat.

25. Causa propter quã degradationis.

Causa proxima materialis depositionis, & degradationis, seu propter quam clericus deponi, aut degradari potest, non est alia, quàm graue & enorme crimen: sed grauius pro degradatione, quæ maior pœna est, & specialem, ac longè maiorem infamiam adiunctã habet. Cuiusmodi sunt hæresis manifesta cum pertinacia, præsertim post relapsum, cap. *Ad abolendam*, De hæret. & cap. *Excommunicamus*, 2. eod. tit. Falsatio literarum Apostolicarum, cap. *Ad falsariorum*, de crimine falsi. Calũnia, & contumelia grauis proprio Episcopo illata, cap. *Si qui Sacerdotum*, 11. q. 1. Sodomia, homicidiũ, præsertim qualificatum, furtum, sacrilegiũ, & omne aliud crimen pœnâ dignum in laicis, iteratò cõmissum, præsertim si Reipub. sit valde perniciosum: vt docet Leyman cap. 5. n. 6. cum plurimis ab eo citatis: addẽs in fine, quando clericus degradatus traditur iudici sæculari, non posse ipsum cognoscere de causa hæresis, vel alia purè ecclesiastica: sed tãtùm exequi sententiam declaratoriam latam à iudice ecclesiastico: iuxta cap. *Vt inquisitionis*, §. *Prohibemus*, de Hæret. in 6. In aliis verò causis posse à iudice ecclesiastico petere processum, vt eius iustitiam cognoscat, posteaque reum sibi traditum, suique fori effectum puniat.

SECTIO IV.

De suspensionibus in particulari, quæ ipso iure latæ sunt: ac primò, de latis contra clericos generaliter propter peccata circa Ordines.

26. Suspensiones ab homine vnde dignoscendæ.

OMissis Suspensionibus ab homine, quæ certo numero definiri nequeunt, nihilq; habent speciali consideratione dignũ, præterea, quæ de Suspensione in communi dicta sunt: & cum debeant ferri per sententiam, satis per illam innotescunt: debet enim exprimere speciem, & qualitatem Suspensionis, quam fert: sitne simpliciter, & totaliter ab Ordine, Officio, & Beneficio: an specialiter ab hoc, aut illo, vel ab aliqua eius parte: quia pendet à voluntate Suspendentis, vt, suppositâ causâ sufficienti, Suspensionem ad hoc, aut illud determinet. In quo differt Suspensio ab excõmunicatione; quæ habet in iure suos effectus statos, & determinatos, statim consequentes ipsam excommunicationem: ita vt non sit in potestate excommunicantis eos separare, & dicere, verbi gratia, Excommunico te maiori excommunicatione, vt priueris tantùm sepultura ecclesiastica: Suspensio verò nullum habet effectum determinatum necessariò sibi annexum in iure; sed est in potestate suspendentis suspendere ab hoc aut illo, v.g. à celebratione tantùm, vel ab audiendis cõfessionibus.

27. Diuisio suspensionum à iure.

Omissis, inquam, eiusmodi suspensionibus ab homine, quæ pendent à ferentis arbitrio; multæ aliæ sunt à iure, siue propriè dictæ Suspensiones, siue tantùm pœnales: quarum aliquæ statuuntur contra clericos generaliter cuiuscunque ordinis aut dignitatis: aliæ specialiter contra Episcopos, aliæ contra Capitula, & Conuentus; aliæ contra Religiosos. Quas eodem ordine recensebimus: dicemusque primò de illis, quæ statutæ sunt contra clericos propter malam susceptionem Ordinum. Sunt autem illæ numero duodecim.

1. Contra ordinatos ab Episcopo qui renunciauit.

Prima est contra illos, qui recipiunt ordines ab Episcopo non habente potestatẽ licitè dandi, eò quòd iam renunciauerit episcopatui, cap. 1. *De ordinat. ab Episc. qui renunciauit episcopatui*. Dupliciter autem Episcopus potest illi renunciare, vt dicitur eodem cap. Nimirum vel loco tantùm, id est, officio, & potestati iurisdictionis: vel etiam dignitati, id est potestari ordinis episcopalis, priuando se illius vsu licito, cum consensu, & acceptatione summi Pontificis, sine quo non potest valide fieri renũciatio. Si ergo loco tantùm renunciauit, potest licitè dare ordines, rogatus ab alio Episcopo. Sin autem renunciauit etiã dignitati, potest adhuc dare minores ordines: quippe qui nõ sunt proprii ordinis Episcopalis, cùm possint etiã dari à non Episcopis, & renunciatio dignitatis Episcopalis nõ ad illos extẽditur. Sed maiores dare non potest: quique illos ab eo accipit, manet suspẽsus ab executione ordinis accepti: atque si hoc sciens fecerit, id est, absque vlla ignorantia, non potest nisi summus Pontifex cum illo dispensare. Si verò ex ignorantia, licet culpabili, potest dispẽsare Episcopus, nisi crassa, & supina fuerit. Quæ omnia habentur expressè in cap. citato.

2. Contra ordinatos ab alieno sine licentia proprii.

Secunda fertur contra eos, qui sacros ordines recipiunt ab alieno Episcopo sine licentia proprii: Extrauagante *Cum ex sacrorum*, quæ est secunda inter Extrauagantes Pii II. in Bullario. Intellige autem si scienter id fecerint: nam Pontifex vtitur verbo *præsumpserit*: &, si extra casus, in quibus licitè possunt ordines accipi ab alieno Episcopo sine licentia proprii: vt in casu quo, proprius Episcopus est suspensus propter peccatum ordinandi alienos absque licentia proprii, & eius suspensio manifesta est: iuxta cap. *Eos qui*, De tempor. ordinat. in 6. vel quando aliquis per triennium habitauit cum alieno Episcopo, velut illius familiaris: tunc enim potest ab illo accipere ordines sine licentia proprii, ex Trident. sess. 23. cap. 9. de Reformat. nisi Episcopus ille sit merè titularis, iuxta limitationem additam ab eodẽ

Concilio ſeſſ. 14. cap. 2. de Reform. vel quando Epiſcopus alienus ordinat ſub ſpe ratihabitionis proprii Epiſcopi. Tametſi enim hæc ratihabitio non eſt facilè admittenda, ſitque periculis & incommodis expoſita: quando tamen prudenter præſumitur, ſufficere exiſtimatur à pleriſque Doctoribus, quibus fauet caput vltimum, Cauſa 9. quæſtione 2. vbi refertur exemplum Sancti Epiphanii ordinantis quoidam Clericos ex Diœceſi S. Ioannis Chryſoſtomi, abſque expreſſa illius licentia. Notandum etiam, hanc ſuſpenſionem non incurri per ſuſceptionem minorum ordinum ab Epiſcopo alieno ſine licentia proprii: quia Pius II. manifeſtè eam reſtrinxit ad ordines ſacros. Tametſi peccant grauiter, qui hoc faciunt: neque poſſunt tali ordine vti, niſi poſtea proprius Epiſcopus ordinationem illam ratam habeat, & facultatem vtendi concedat.

29. 3. Contra ordinatos infra annũ à Sede vacante.

Tertia fertur contra eos, qui ſede vacante, infra annum à die vacationis, ſacros ordines accipiunt cum literis dimiſſoriis à Capitulo datis: niſi arctati fuerint occaſione Beneficii eccleſiaſtici recepti, vel recipiendi. Manent enim ab executione Ordinum ipſo iure ſuſpenſi ad beneplacitum futuri Epiſcopi, vt ſtatuit Trident. ſeſſ. 7. cap. 10. De reformat. vbi hanc pœnam ſuſpenſionis ad maiores ordines reſtringit. Pro minoribus verò aliam pœnam ibidem conſtituit: vt ſcilicet ſic ad illos promoti nullo priuilegio clericali, præſertim in criminalibus, gaudeant.

30. 4. Contra ordinatos ſine licentia Diœceſani.

Quarta fertur contra illos qui in aliena Diœceſi accipiunt ordines etiam à proprio Epiſcopo, ſine licentia Diœceſani, cap. *Epiſcopum*, 9. quæſt. 2. vbi talis ordinatio dicitur eſſe irrita: quo loquendi modo ſuſpenſio ab executione Ordinis in iure ſignificari ſolet. Clariùs verò exprimitur à Tridentino ſeſſione ſexta, capite quinto, de Reformatione, vbi ſtatuitur vt nulli Epiſcopo liceat, cuiuſuis priuilegii prærextu, Pontificalia iura in alterius diœceſi exercere, niſi de Ordinarii loci expreſſa licentia, & in perſonas eidem Ordinario ſubiectas tantùm. Si ſecus factum fuerit, Epiſcopus ab exercitio Pontificalium, & ſic ordinati ab executione ordinum ſint ipſo iure ſuſpenſi. Eſt autem hæc ſuſpenſio diuerſa à ſecunda ſupra explicata: poſſuntque ambæ ſimul incurri, ſi quis ſine licentia proprii Epiſcopi accipiat ordines in aliena Diœceſi, ab alio Epiſcopo ordinante ibi ſine licentia Epiſc. talis loci.

31. 5. Contra ordinatos ante ætatẽ legitimam.

Quinta fertur contra ſuſcipientes aliquẽ ſacrum ordinem ante ætatem legitimam: id eſt, Subdiaconatum ante annum vigeſimum ſecundum: Diaconatum ante vigeſimum tertium: Presbyteratum ante vigeſimũ quintum inchoatos, vt ſtatuit Trident. ſeſſ. 23. cap. 12. de Reform. Hæc autem ſuſpenſio non incurrebatur ipſo facto vi iuris antiqui: nam neque caput *Subdiaconus*, diſt. 77. ſatis efficaciter illud probat: cùm in illo tantùm dicatur, vt ſi quis in aliquo Ordine ſacerdotali præter conſtituta tempora (ætatis requiſita) ordinatus fuerit, deponatur: quæ vox ſignificat requiri ſententiam ad hanc depoſitionem, ſiue ſuſpenſionem. Neque etiam caput *Vel non eſt tempus*, de tempor. ordin. vbi Pontifex quidè interrogatus de quodam puero 13. annorum ordinato in Diaconum, ſic reſpondet: *Ipſum ab executione officii Diaconi vſq; ad ætatem legitimã ſuſpendimus*: verũtamen non loquitur vt legislator, ſtatuens aliquod ius: ſed vt iudex exequens ſuſpenſionem ſecundum Canones imponendam, & dans exemplum aliis iudicibus idem faciendi: alioqui debebat potiùs dicere, Suſpenſum ipſo iure declaramus: tamen quatenus vi iuris antiqui prohibitum erat ordinari ante talem ætatem, conſequenter prohibitum erat exercere ordinem vſque ad talem ætatem: & eatenus erat ſuſpenſus ipſo iure, ſeu potiùs prohibitus miniſtrare in ſuſcepto ordine, qui illum ante legitimam ætatem acceperat. Nunc autem iure nouo indubitatè incurritur ipſo facto ſuſpenſio propriè dicta, propter Extrauagantem Pii II. ſupra citatam, confirmatam, & auctam à Sixto V. quæ tamen expreſsè requirit, vt id ſcienter fiat, quia vtitur verbo *Præſumpſit*, Vnde excuſat ignorantia facti, ſi quis putet ſe ætatem requiſitam attigiſſe: vel iuris, ſi neſciat id eſſe prohibitum, aut talem pœnam eſſe appoſitam, vt addit Gordon. lib. 7. q. 15. cap. 2. n. 15. Neque incurrunt hanc ſuſpenſionem Epiſcopi ante ætatem triginta annorum, aut 27. in Gallia, ordinati: quia conſtitutio Pii II. ſupradicta de illis expreſsè non loquitur: & ex cap. *Quia periculoſum*, De ſententia excom. ſuſpenſio generatim lata non comprehendit Epiſc. niſi eorum mentio ſpecialis fiat.

32. 6. Contra ordinatos extra tempora.

Sexta fertur contra eos, qui ſine legitima diſpenſatione ſacros Ordines accipiunt extra tempora ſtatuta ab Eccleſia. Nam licet iure antiquo non incurreretur ipſo facto, ſed potiùs imponenda eſſet, cap. 2. De Temporibus Ordinationum, & can. *Cum quidam*, eod. tit. Iure tamen nouo per Extrauagantem Pii II. *Cum ex Sacrorum*, ipſo iure imponitur. Loquitur autem de præſumente, hoc eſt, ſcienter id faciente, & cum graui culpa: cumque dicit talem eſſe ſuſpenſum à ſuis Ordinibus, intelligendus eſt de illis quos ita ſuſcipit: vt indicant verba ſequentia, *Si ſuſpenſione durante in eiſdem Ordinibus miniſtrauerint, irregulares fiant.* Quare non ſuſpenditur ab executione aliorum Ordinum inferiorum, iam antea legitimè ſuſceptorum. Poteſt autem hæc ſuſpenſio tolli ab Epiſcopo poſt emendationem, & pœnam congruentem: cum ſit indefinitè lata à iure, ſine ſpeciali reſeruatione.

33. 7. Vel ficto titulo.

Septima fertur contra eos qui ficto titulo promouentur ad Ordines, cap. *Neminem*, & cap. *Sanctorum*, diſt. 70. Niſi promotus habeat ſufficiens patrimonium: iuxta Concilium Lateran. ſub Alexandro III. parte 1. cap. quinto, & Trident. ſeſſ. 21.

cap. 2. de Reform. vbi tituli Ordinandorum dicuntur esse Beneficium, & Patrimonium. Exceptis etiam Religiosis, qui ordinantur titulo paupertatis voluntariæ. Dixi autem, *Ficto titulo*, id est, ementito: quia si quis ingenuè fateatur Episcopo volenti ipsum ordinare, nullum se titulum habere, non incurrit tunc suspensionem: sed Episcopus tenetur illum alere, donec per ipsum assequatur aliquod Beneficium ecclesiasticum, iuxta caput, *Cum secundum Apostolum*, De præbendis, & caput *Si Episcopus*, eod. tit. in 6.

34. Dupliciter autem potest aliquis fingere se titulum habere. Primò, si fictum titulum conficiat, aut falsò probet se habere sufficientem, cùm non habeat. Et hic suspenditur ipso iure vi antiquorum Canonum *Neminem*, & *Sanctorum*, dist. 70. qui non sunt abrogati ab Innocentio III. per capu. *Cum secundum Apostolum*, De Presbyteris, vt benè docent Nauar. Consil. 46. de temporibus ordinationum, & alii Canonistæ quos sequitur Suar. disp. 31. sect. 1. num. 35. quia non loquitur de Ordinatis cum titulo ficto: neque enim rationabiliter obligaret Episcopum ad illos alendos, cùm absque sua culpa eos ordinet, ab illis deceptus: neque illorum fraus debet ipsis prodesse, & nocere Episcopo: ita vt ipsi non sint suspensi, sed Episcopus teneatur eos alere. Secundò, potest quis fingere titulum, accipiendo illum titulo donationis fictæ, vel cui renunciet, promittendo se nunquam illa vsurum, neque alimenta à donatore petiturum. Et hic suspenditur ab Ordine recepto, donec à summo Pontifice absoluatur, cap. penult. De Simonia, iunctis aliis supra citatis ex dist. 70. Neque excusat ignorantia iuris cap. *Per tuas nobis*, eod. tit. nisi sit ignorantia probabilis, argumento cap. *Si qui à Simoniacis*, 1. q. 1.

35. Iisdemque iuribus suspenditur ille, qui paciscitur cum Episcopo ordinante, aut alio, qui ipsum præsentat ad Ordines, se nunquam ab illis petiturum sustentationem, aut Beneficium, quo ali possit. Nam cap. penult. de Simonia, dicitur talem manere suspensum ab executione Ordinis sic suscepti, donec dispensationem à Sede Apostolica obtinere mereatur. Neque verò ab illa excusatur, qui ficto titulo literas dimissorias obtinet à proprio Episcopo, & vi illarum ordinatur ab alieno: sed potiùs duplicem suspensionem incurrit. Vnam, quia ordinatur ab alieno fine Dimissoriis: cùm literæ illæ subreptitiæ, falsoque titulo impetratæ, reuera nullæ sint. Alteram, quia ordinatur sine titulo.

36. Illam quoque incurrit, qui habet quidem sufficiens patrimonium, sed illi renunciat ante ordinationem, si renunciatio valida est: de cuius valore iudicare pertinet ad Iurisconsultos. Ratio est, quia talis quoque ordinatur ficto titulo. Idemque sentiendum est de renunciante Beneficio ecclesiastico ante ordinationem, si validè renunciauit: secus autem si postea: quia iure antiquo non suspenditur, qui post renunciat: iure autem nouo Tridentinum sess. 21. cap. 2. De Reformatione, statuit solùm, vt qui promotus fuit ad Ordines titulo Beneficii, nequeat illud resignare, nisi facta mentione, quòd ad illius Beneficii titulum sit promotus: neque hæc resignatio admittatur, nisi constito, quòd aliunde viuere commodè possit; & aliter facta resignatio nulla sit. Si quis autem fuit ordinatus titulo patrimonii, vel pensionis, non possint illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti, donec Beneficium ecclesiasticum sufficiens sit adeptus; vel aliunde habeat, vnde viuere possit. Antiquorumque Canonum pœnas innouat contra secus facientes, sed nullam aliam de nouo statuit.

37. Non sufficit etiam ad vitandam suspensionem, quòd aliquis sine titulo promotus ad Subdiaconatum, obtinuerit dispensationem à suspensione incursa, & accedat ad Diaconatum, aut Presbyteratum sine titulo. Nam iura citata prohibent sub pœna suspensionis accedere sine titulo ad Ordines, id est, ad quemlibet Ordinem, & non tantùm ad Subdiaconatum: neque Subdiaconatus dat ius accedendi ad alios, nisi modo debito, & secundum Canones. Idque declarauit Congregatio Cardinalium relata à Suare, sect. cit. num. 39. quando respondit promotum ad Subdiaconatum sine titulo, posse vlteriùs ascendere, modò ad titulum patrimonii promoueatur. Denique Sixtus V. in Motu proprio, qui incipit, *Sanctum, & salutare*, generaliter contra quoscunq; ad quëcunq; Ordinë sine titulo Beneficii, vel patrimonii sufficientis promoueri se facientes, ita pronunciauit. *Eosdem clericos posthac malè promotos, ab executione Ordinũ susceptorũ, & ab omni spe, & facultate ascendendi ad alios superiores perpetuò suspensos declaramus.* Quam suspensionem ibidem sibi reseruat. Sed hæc constitutio reuocata fuit per Motum proprium Clementis VIII. anno 1595. reducentis constitutionem Sixti V. contra malè promotos, ad terminos iuris communis, & constitutionem Pii II.

38. Octaua fertur in eos, qui Ordines recipiunt non seruatis temporum interstitiis. Quod multipliciter fieri potest. Primò, recipiendo plures Ordines sacros eodem die; siue naturaliter vno, siue fictione canonica, secundum quam vespera diei Sabbati, & mane diei Dominicæ continuato ieiunio computatur pro vno die, cap. *Quod à Patribus*, dist. 75. Et qui sic ordinatur, suspensus manet non ab Ordine quidem, quem primum illo die recipit, sed ab aliis posterius receptis: eoque sensu intelligendum est quod dicitur cap. Literas, De temporibus ordinationum, *Ab executione sacerdotalis officii tamdiu volumus manere suspensos, donec de illis aliter disponamus.* Excepto tamen episcopatu, cuius in illo Canone non fit mentio, neque alibi vspiam, cùm sermo est de ista suspensione: & ex cap. *Quia peri-*

8 Vel non seruatis temporum interstitiis.

culosum, De sentent. Excommun. in 6. haebetur non comprehendi Episcopos suspensione generali, nisi eorum fiat expressa mentio. Quamuis autem non desint, qui putent hanc suspensionem non incurri ipso iure; quia neque ex cap. *Literas* supra cit. neque ex cap. *Innotuit*, De eo qui furtiuè Ordines suscepit, id satis efficaciter probatur: existimo contrarium probabilius esse, cum Navarro & aliis quos sequitur Suarez disp. 31. sect. 1. n. 41. Clariùs verò ferebatur ipso iure hæc suspensio per Bullam Sixti V. contra malè promotos, sed illa, vt supra dixi, reuocata fuit.

39. Possintne eodem die recipi minores cum Subdiaconatu?

Secundò fieri potest, vt quis eodem die recipiat plures minores Ordines, & vnum sacrum, nempe Subdiaconatum. Et hoc etiam prohibetur sub poena suspensionis à subdiaconatu cap. 2. De eo qui furtiuè Ordines suscepit, verbis illis, *Mandamus quatenus eum in minoribus dumtaxat ordinibus celebrare permittas.* Quæ verba magis significant hanc suspensionem esse latæ sententiæ licet nonnulli contrarium sentiant: præsertim cùm statim addatur, posse Abatem cum tali dispensare si religionem intrauerit. Sed non derogant contrariæ consuetudini aliquot locis receptæ: quia nullam eius mentionem faciunt: Non reuocatur autem consuetudo, nisi exprimatur, iuxta cap. 1. De constitutionibus in 6. Quapropter Congregatio Cardinalium super Trident. sess. 23. cap. 13. De Reform. ita respondit: *Qui ex consuetudine illius regionis quatuor minores Ordines, & Subdiaconatum, eodem die susceperunt, non sunt suspensi*: vt alii scilicet qui recipiunt vbi non est talis consuetudo: vnde confirmatur quod paulò ante diximus, hanc suspensionem incurri ipso iure.

40. Tertiò, fieri potest vt quis suscipiat plures Ordines sacros, non seruatis interstitiis. Et hoc si fiat extra tempora assignata, putà duobus, aut tribus diebus festis consequentibus, incurritur suspensio sexto loco superiùs enumerata. Sin autem fiat temporibus assignatis, sed non expectato interuallo requisito inter vtramque ordinationem, hoc est, ex Trident. sess. 23. cap. 13. & 14. de Reform. anno integro inter vnum Ordinem sacrum, & alterum: peccatur quidem contra prohibitionem Tridentini, nisi dispensset Episcopus ex causa rationabili, cuius iudicio, & arbitrio Concilium id relinquit; sed non incurritur suspensio, quia Concilium nullam imponit. Constitutio autem Sixti V. per quam imponebatur, reuocata fuit. Dixi autem, *sacros Ordines*: quia pro minoribus non sunt necessaria certa interstitia, sed possunt eodem die licitè omnes simul accipi, præsertim vbi consuetudo talis est. Olim tamen cap. *In singulis*, dist. 77. longa quædam interualla requirebantur. Sed hoc ius contraria consuetudine abrogatum est. Tridentinũ autem sess. 23. cap. 11 de Reform. solùm statuit vt hi ordines per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo videatur, conferantur. Sique de illius arbitrio, & consensu id fiat, nullum peccatum est. Si furtiuè contra illius voluntatem, peccatur quidem, sed nulla censura incurritur.

41. 9. Contra promotos per saltum.

Nona fertur in eos, qui promouentur per saltum, id est, accipiunt ordinem superiorem, non accepto priùs inferiori: puta Sacerdotium, non accepto Diaconatu: vel fiunt Exorcistæ, aut Acoluthi, priusquam Ostiarii, & Lectores. Quæ suspensio habetur in cap. *Sollicitudo*, dist. 52. & cap. vnic. De clerico per saltum promoto. Sunt tamen qui existiment non esse latam ipso iure, quia in priori cap. dicitur tantùm *Abbatem sacerdotali eum prohibeas*: & in posteriori solùm dicitur, vt clerico per saltum promoto imponatur pœna, & Ordine malè prætermisso initietur, & tunc permittatur ei ministrare in superiore iam accepto. Quod autem talis non possit exercere Ordinem malè acceptum, aut promoueri ad vlteriorem, non prouenire ex suspensione, quam incurrerit ipso facto: sed ex naturali subordinatione inter Ordines, eorumque exercitia, & ministeria, posità Christi institutione: quia inferior est dispositio ad superiorem, & ad conueniens illius exercitium.

42. Imponetur ipso iure.

Sed alii meliùs, quos refert, & sequitur Suar. disp. 31. sect. 1. n. 45. censent imponi ipso iure: probantq; præcipuè ex Trid. sess. 23. cap. 14. De reform. in fine, vbi dicit, Episcopum posse ex causa legitima dispensare cum promotis per saltum, si non ministrauerint. Dispensare scilicet ad hoc, vt prætermissum ordinem recipiant, & eo accepto ministrent in Ordine superiori, quem per saltum acceperant; atque ad alios vlteriores promoueri possint. Neque enim dici potest ad quid aliud dispensare valeat: cùm certum sit non posse dispensare Episcopum, vt malè promotus ministret in Ordine superiore malè accepto, vel possit accipere vlteriores, nisi priùs accepto Ordine malè prætermisso: cùm vtrumq; sit contra diuinã institutionem, & subordinationem naturalem horum Ordinum, vt fatentur Aduersarii. Neque etiam dispensat vt ministrent in Ordinibus legitimè acceptis: quia non egent dispensatione, vt in illis ministrent. Non enim suspensio cadit in illos, sed in eum, quem per saltum acceperunt: cùm iura non aliud exprimant, & in materia pœnali non sint amplianda. Probant 2. quia fatentur aduersarii taliter promotum fore irregularem si ministret in Ordine malè suscepto, vel si recipiat nouum Ordinem superiorem, aut inferiorem. Ergo signum est suspensum fuisse: quia hæc irregularitas non potest aliunde prouenire, nisi ex eo quòd suspensus ministrauerit, vel Ordines acceperit.

43. Possitne Episcopus ab illa dispensare?

Ab hac suspensione dispensare potest Episcopus, ex Trident. supra cit. Dũmodo promotus per saltum non ministrauerit in Ordine malè accepto, vel in prætermisso, siue ante illum susceptum, siue etiam post susceptum sine legitima dispensatione;

quia, vt rectè ait Suar. sup. n. 51. cùm ille fit suspensus à receptione talis Ordinis, postquam illum accepit sine dispensatione, manet adhuc suspensus ab illius executione: ideóque si in illo ministret, iam non poterit Episcopus cum eo dispensare: tum quia suspensio fit minùs dispensabilis: tum etiam propter impedimentum Irregularitatis superueniens ex tali ministerio. Hoc autem ipso, quòd dispensat Episcopus cum clerico per saltum promoto, vt possit Ordinem omissum suscipere, manet ille liber, vt possit tam in eo, quàm in altero per saltum accepto ministrare: argumento capitis vnici De clerico per saltum promoto, vbi dicitur, vt post poenitentiam, & ordinationem prætermissam, permittatur in suscepto ministrare. Similiterque si dispensetur vt ministret in Ordine malè accepto, hoc ipso dispensatur, vt accipiat prætermissum: quippe sine quo non potest exercere ministerium superioris per saltum accepti. Et ex vi eiusdem dispensationis potest ad Ordines vlteriores ascendere: quia hoc non prohibetur nisi propter suspesionē in omissione Ordinis inferioris contractā: quā sublatā cessat hæc prohibitio. Nota deniq; non incurri hanc censuram ab eo, qui per saltum promoueretur ad Episcopatum: quia non fit expressa illius mentio; &, vt supra dixi, non comprehenduntur Episcopi suspensione generali, sine expressa eorum mentione. Si tamen promoueretur ad Episcopatum omisso sacerdotio, nulla foret ordinatio seu consecratio: quia Episcopalis Ordo includit, aut supponit essentialiter Presbyteratū, vt dicemus tractatu sequenti, disputando de Ordine.

44. Contra cōiugatos qui ordinātur.

Decima fertur in eos, qui matrimonio ligati, quamuis nondū consummato, promouentur ad sacros Ordines, aliter quàm permittunt sacri Canones, Extrauagante *Antiquæ, de voto*, quæ est Ioannis XXII. Hæc autem suspensio contrahitur ipso facto: & est tantùm ab Ordine accepto post Matrimonium, vt significant illa verba Ioannis XXII. *In Ordine sic suscepto*. Quare si antea suscepit alium sacrum Ordinem, non est ab illo suspensus: sed tantùm ex præcepto ecclesiastico tenetur abstinere ab illius vsu, propter indecentiam. Dixi autem *Sacros Ordines*; quia si tantùm minores accipiat post Matrimonium, non manet ab illis suspensus: nullo enim iure id statuitur: imò neque repugnat vsui Ecclesiæ, vt coniugatus, habens minores Ordines, in illis aliquando ministret. Dixi etiā aliter quā permittunt sacri Canones; quia duobus in casibus id permissum est. Primò scilicet quando coniux ingreditur religionem ex mutuo consensu, ibique profitetur, cap. *Episcopus benedictionem*, Dist. 77. Secundò, quando vxor, emisso voto castitatis in manibus Episcopi, permittit marito suscipere sacros Ordines, cap. *Coniugatus*, De conuersione coniugatorum. An verò in eiusmodi casibus dissoluatur vinculum Matrimonium dicemus tractatu sequenti. Præterea quia Pontifex vtitur verbo *Præsumat*, excusat ignorantia ab hac censura: vt si quis bona fide existimet vxorem suam esse mortuam: aut nesciat hoc impedimentum canonicum. Teneretur nihilominus hic abstinere ab Ordinis vsu, cognita veritate; propter indecentiam, & præceptum Ecclesiæ: quamuis non esset proprie suspensus, neque fieret irregularis si ministraret. Certum verò est prædictam suspensionem manere etiam matrimonio soluto: quia verba constitutionis supra citatæ id expresè habent. Quare malè ordinatus post Matrimonium, manet suspensus vxore mortua: neque potest alius, quàm summus Pontifex, cum illo dispensare: exceptis priuilegiis: excepto etiam casu, quo post Ordinem suscep-

45. Contra excōmunicatos qui ordinantur.

tum solueretur Matrimonium ratum, per professionem in Religione approbata; tunc enim potest Episcopus diœcesanus absolue-re, vt habetur in prædicta Extrauagante.

Vndecima fertur contra eos, qui ordinantur in statu maioris excommunicationis, vel suspensionis ab Ordine, vel interdicti: cap. *Cum illorum*, De sentent. Excomm. vbi speciatim agitur de percussore clerici: & ad alios extenditur à Doctoribus, quia Pontificis intentio videtur referri generaliter ad quoscunque alios excommunicatos recipientes Ordinem. Quod tamen quomodo cohæreat cum illo generali axiomate, *Non est admittenda irregularitas nisi in iure expressa*, non video. Loquitur autem Canon ille simpliciter de Ordinibus: adeoque de omnibus, siue sacris, sine non. Hæc tamen suspensio est tantùm ab Ordine malè suscepto, vt satis apertè significatur eodē cap. Quare non suspendit ab inferioribus: tametsi impedit ne suspensus possit vlteriùs ascendere. Notandum etiam hac suspensione generaliter lata non comprehendi ordinatum ad Episcopatum: quia non fit illius mentio expressa in prædicto cap. Neque illum, qui inculpabiliter ignorat suum impedimentum: quia quod dicitur eodem cap. in casu ignorantiæ iuris, aut facti necessariam esse dispensationem, intelligitur de ignorantia culpabili: alia enim non minùs excusat à poena, & à censura, quàm à culpa. Nec denique illum, qui metu cadente in constantem virum cogeretur sic ordinari, periclitans alioqui de vita, vel de fama, aut bonorum spoliatione. Nam prohibitio Ecclesiæ non obligat cum tam graui incommodo; & qui excusatur à culpa contra illius prohibitionem, excusatur pariter à censura.

46. Contra ordinatos ab excōmunicato vel suspenso.

Duodecima fertur contra ordinatos ab Episcopo excommunicato, vel suspenso, vt habetur ex multis capitibus Causa 9. q. 1. vbi statuitur huiusmodi ordinationes nullius esse valoris: quoad exercitium scilicet: nam quoad characterem, & potestatem, certum est esse validas. Debentque hi Canones restringi ad ordinatos ab Episco-

po excommunicato, vel suspenso non tolerato, id est, per sententiam nominatim declarato, aut manifesto percussore clerici: quia per cõstitutionem Constantiensis *Ad vitanda*, non tenemur alios vitare.

47. Ab hac censura, vt à præcedenti, excusat ignorantia, & metus cadens in constantem virum, vt docent Abbas, Innocentius, & plures alii, quos refert Couarr. in cap. *Alma mater*, parte 1. §. 6. n. 6. quibus faueut caput *Si qui à Simoniacis*, 1. quæst. 1. & cap. *Ordinationes*, 9. quæst. 1. vbi dicitur ordinatos à Simoniacis esse recipiendos in suis gradibus, & Ordinibus, si probare potuerint ex ignorantia id fecisse, seque cùm ordinarentur, nescisse eos esse damnatos. Contrarium tamen vt probabilius docent Couar. ibid. & alii, quos citat, sequiturque Suar. disp. 31. sect. 1. n. 62.: quia cùm ordinans sit suspensus ab executione Ordinum, non potest illam dare: & hæc censura non fertur solùm propter culpam ordinati; sed etiam in iniuriam ordinãtis, sine culpa ordinati. Vnde infert incurri quoque ab eo qui ordinaretur Episcopus ab Episcopis excommunicatis, aut suspensis non toleratis: quia ratio allata æquè de illis concludit. Sed prior sententia probabilior, & cum supradictis cohærentior esse mihi videtur, firmiorique fundamento niti. Ad argumentum autem posterioris respondeo, ad dandam executionem Ordinum non esse necessarium illam habere: sed sufficere habere potestatem illam dandi: sicut ad dandã gratiam per sacramenta, non est necesse habere gratiam, sed sufficit habere potestatem illam dandi faciendo sacramentum. Et quamuis hæc suspensio feratur in iniuriam ordinantis; non tamen sine aliqua culpa ordinati, vt docent iura supra citata, quæ excusant ab illa ignorantes. Ac nisi feratur propter illius culpam, non est proprie censura, vt patet ex dictis sect. 2. num. 10. & 11.

48. Incurrũtur etiã propter peccata occulta.

Supereſt notare ſuſpenſiones huc vſque explicatas incurri propter peccata externa, etiam occulta; nulliuſque momenti eſſe rationem, quâ mouetur in contrarium Alfonſus à Caſtro lib. 2. de Lege pœnali cap. vlt. concluſ. 3. quia ſcilicet Eccleſia non iudicat de occultis. Quod axioma malè hîc applicatur. Senſus enim illius eſſe debet, Eccleſiam non iudicare in foro externo, & contentioſo de occultis per ſe, vt ſunt actus purè interni. Secus autem de occultis per accidens tantùm, vt ſunt omnes actus externi. Nam quòd de illis iudicare, & cenſuras ferre poſſit Eccleſia, patet ex Tridentino ſeſſ. 24. cap. 6. De Reform. vbi dat Epiſcopis facultatem abſoluendi à ſuſpenſione, aliiſque cenſuris contractis propter delicta occulta.

49. Fiuntne irregulares qui malè exercẽt ordinem iſ ipſa eius acceptione.

Quoniam autem quiſquis exercet miniſterium Ordinis, à quo ſuſpenſus eſt, contrahit irregularitatem, vt patet ex Extrauag. Pii II. ſup. cit. aliiſque dicendis inferiùs diſp. 62. ſect. 2. Sæpeque contingit: vt qui malè ordinantur, & ideo ſuſpenſionem incurrunt modis ſupradictis, exerceant in ipſa ordinatione aliquem illius actum: nam vnus Subdiaconorum retens ordinatorum cantat ſolemniter Epiſtolam, & vnus Diaconorum Euangelium, & omnes noui Preſbyteri cum Epiſcopo conſecrant: Dubitari poteſt vtrum per huiuſmodi exercitium Ordinis fiant irregulares?

Reſpondeo negatiuè, cũ Suare diſp. 31. ſect. 1. n. 71. Quia, vt ipſe rectè ait, miniſterium illud non cenſetur, moraliter loquendo, actus diſtinctus ab ipſa ordinatione: tota enim actio Epiſcopi, à principio officii vſque ad finem, eſt vnus actus moralis, ad quem reliqui ordinantur, aut ſunt aliquæ illius circumſtantiæ. Ergo cùm ratione illius incurratur ipſa ſuſpenſio, non debet ſimul incurri Irregularitas: quia iura, non puniunt hoc peccatum hac duplici pœna: ſed quando imponunt Irregularitatem exercenti Ordinem à quo eſt ſuſpenſus, loquuntur de exercente per actum diſtinctum ab ordinatione ſua, illamque præſupponente integram, & perfectam, quoad adiuncta, & circumſtantias. Id enim ſonant illa verba capitis *Is cui*, de Sentent. excomm. in 6. *In ſuo agens officio ſicut prius*: & iſta capitis 1. De ſententia, & re iudicata in 6. *Si ſuſpenſione durante damnabiliter ingeſſerit ſe diuinis*: & iſta Pii II Extrauag. cit. *A ſuorum Ordinũ executione ipſo iure ſuſpenſi ſint: & ſi huiuſmodi ſuſpenſione durante miniſtrare præſumpſerint, eoipſo Irregularitatem incurrant.* Vbi notanda ſunt hæc verba, *Si huiuſmodi ſuſpenſione durante* &c. Quibus manifeſtè diſtinguitur miniſterium, propter quod incurritur Irregularitas, ab ipſa ordinatione: ſupponiturque duraſſe aliquamdiu ſuſpenſio, moraliter ſcilicet, & iuxta communem modum loquendi; ſecundum quem non dicitur res durare, quando fit: Quodque fit in ipſa rei generatione, non dicitur fieri ipſa durante. Vt autem ſupra diximus, tota actio Epiſcopi à principio ad finem Officii, eſt vnus actus moraliter, & effectiua ordinationis. Ergo ſuſpenſio quæ per eam contrahitur, nondum dicitur durare. Notandum etiam verbum, *Præſumpſerint*, quod non obſcurè ſignificat diſtinctam audaciam, & temeritatem, ab illa quæ committitur in ordinatione ipſa, & ſuſpenſione tunc incurſa, diſtinctumque miniſterium, & ſeparabile moraliter, nouaque voluntate ſuſceptum: cuiuſmodi non eſt concelebratio Neomyſtarum cum Epiſcopo; neque miniſterium alicuius Subdiaconorum, & Diaconorum, in cantandis ſolemniter Epiſtola, & Euangelio: debent enim hæc fieri neceſſariò in eorũ ordinatione, iuxta ritum ab Eccleſia præſcriptum, Epiſcopo celebrante ſolemniter: neque cenſentur eſſe diſtinctum miniſterium à tota ordinandi cerimonia. Accedit denique quòd in Romana curia tales non cenſentur eſſe irregulares,

Digitized by Google

nam cum illis non diſpenſat tanquã irregularibus, ſed tantùm eos abſoluit à ſuſpenſione.

50. Aliæ ſuſpenſiones male probatæ reiiciuntur.

Præter has duodecim ſuſpenſiones, quæ incurri poſſunt à clericis generaliter, propter malam ordinationem, aliæ tres numerantur à pleriſque impoſitæ ipſo iure propter malum vſum Ordinis. Prima eſt contra eos, qui ſolemniter exercent miniſterium Ordinis in loco interdicto, præter modum iure conceſſum. cap. *Tanta*, De exceſſibus Prælatorum, cap. *Poſtulaſtis*, §. *Quæſiuiſtis*, de clerico excomm. miniſtrante, cap. *Is cui*, §. *Is verò*, de ſent. Excomm. in 6. cap. 1. De poſtulat. Prælat. cap. *Epiſcoporum*, De priuilegiis in ſexto, & cap. *Quia diuerſitatem*, De conceſſione Prębendæ. Sed hæc omnia non ſatis probant ſuſpenſionem ipſo iure latam. Nam capite *Tanta*, iubentur tantum ſuſpendi: *Omnes*, inquit, *alios, qui præfatum Interdictum damnabiliter violarunt, ſuſpensas auctoritate Apoſt. ab Officio, & Beneficio.* Cap. *Poſtulaſtis*, dicitur ſolùm huiuſmodi violatores interdicti eſſe Beneficiis ſpoliandos, ſi ſunt clerici ſæculares: ſi Monachi, eſſe detrudendos in arctius monaſterium, vbi ſeueriorem poenitentiam agant. In capite *Is cui*, imponitur quidem illis ipſo facto irregularitas Papæ reſeruata; ſed non ſuſpenſio. Cap. 1. De poſtulat. Prælat. dicitur tantùm violator interdicti eſſe indignus vt eius poſtulatio admittatur; ſed hæc indignitas non eſt propriè ſuſpenſio. Cap. *Epiſcoporum*, ſuſpenditur quidam ab ingreſſu Eccleſiæ propter violationem Interdicti: ſed hoc eſt potiùs nouum Interdictum, conueniens etiam laicis, quàm ſuſpenſio, quæ ſolis clericis conuenit, & priuat aliquo proprio clericorum. Denique in cap. *Quia diuerſitatem*, dicitur dumtaxat Epiſcopum ſuſpenſum ab Officio non poſſe conferre Beneficium: ſed non dicitur Epiſcopum illum fuiſſe ab Officio ſuſpenſum propter violationem Interdicti. Quare cùm nulla ſuſpenſio à iure admittenda ſit niſi in illo expreſsè contineatur: concludo iſtam non eſſe admittendam, quia nullo iure exprimitur.

51. Secunda eſt contra clericos celebrantes coram excommunicato, vel interdicto, vel qui eos admittunt ad diuina, vel ad ſepulturam eccleſiaſticam, cap. *Epiſcoporum*, De priuilegiis in 6. Sed neque iſta ſatis efficaciter probatur, quia non ibi ſtatuitur poena ſuſpenſionis clericorum propriæ, ſed interdicti communis laicis, vt rectè notat Suar. diſp. 31. ſect. 2. n. 5. addens poenam illam debere, quoad excommunicatos, intelligi de vitandis, iuxta decretum Conſtantienſis, *Ad vitanda*: quod ſatis patet ex dictis præcedenti diſp. ſect. 1.

52. Sepelientes vſurarium ſuſpendantur.

Tertia & vera eſt contra clericos tradentes ſepulturæ corpus vſurarii publici, mortui in eo ſtatu: vel accipientes oblationes ab vſurario manifeſto. Suſpenduntur enim hoc ipſo ab Officio, cap. *Quia in omnibus*, De vſuris, his verbis: Qui *autem acceperit* (oblationes huiuſmodi) *vel Chriſtianæ tradiderit ſepulturæ; & quæ acceperit reddere compellatur, & donec ad arbitrium Epiſcopi ſatisfecerit, ab Officii ſui maneat executione ſuſpenſus.* Vbi per *oblationes*, intellige ea, quæ à fidelibus offeruntur Deo præcipuè, ſiue in Offertorio Miſſæ, ſiue extra, gratis, & non per modum ſtipendii, vel ex debito erga miniſtros Eccleſiæ. Per vſurarios autem publicos intellige ſpecialiter, & nominatim per ſententiam condemnatos, vel ſaltem declaratos: quia alioqui non præcipit Eccleſia eos vitare, poſt decretum Conſtantienſis: ideoque non peccatur circa illos contra prohibitionem Eccleſiæ, neque incurritur cenſura, vt rectè notat Suar. ſect. cit. n. 10. Et hactenus de Suſpenſionibus latis in clericos propter Ordines.

SECTIO V.

De ſuſpenſionibus latis in clericos peccantes contra alias obligationes eorum proprias.

53. Suſpenduntur Clerici laici veſtiti.

SExdecim huiuſmodi ſuſpenſiones numerantur, & accuratè exponuntur à Suare diſp. 31. ſect. 3. quarum prima fertur in Clementina 2. *De vita, & honeſtate clericorum*, contra Beneficiarios qui vtuntur formâ veſtium clericis prohibitâ, & ibi deſcriptâ. Suſpenduntur enim per ſex menſes à Beneficio. Intellige ſi vtantur communiter, & non ſemel tantùm, aut extraordinariè, vt rectè ait Suar. ſup. n. 1. poſt Nauar. cap. 27. Manual. num. 157. & niſi excuſet conſuetudo loci, vel leuitas materiæ nõ ſufficientis ad peccatũ mortale, adeoque nec ad tam grauem cenſuram. Neque attingit hæc ſuſpenſio clericos nullum habentes Beneficium: quippe qui ſuſpendi non poſſunt à Beneficio, quod non habent.

54. Grauantes Eccleſiam debitis, & obligatos.

Secunda fertur cap. 2. *De ſolutionibus*: vbi ſuſpenduntur ipſo iure ab adminiſtratione ſpiritualium, & temporalium rerum, illi, qui habentes curam alicuius Eccleſiæ, debitis alienis eam grauant, aut literas, ſeu ſigilla concedunt, quibus Eccleſia poſſit obligari. Quæ tamen ſuſpenſio quia non eſt Papæ reſeruata, poteſt Epiſcopus ab illa abſoluere etiam ſi ſatisfactum nondum fuerit immunitati Eccleſiæ: quidquid dicant Angel. v. *Suſpenſio* 2. & Sylueſt. eodem verbo num. 6. Ad illam verò incurrendam requiritur præſumptio: quia Canon expreſsè dicit, *Ne quis præſumat.* Et Epiſcopi ab illa eximuntur iuxta caput: *Quia periculoſum*, quia fertur generaliter ſine expreſſa illorum mentione. Quod ne ſæpius repetere cogamur, ſemel pro omnibus ſimilibus deinceps occurrentibus notandum eſt.

55. Tertia habetur in cap. *Quia ſæpe*, De elect. in 6. vbi ſuſpenduntur qui, ſede vacante alicuius Eccleſiæ Cathedralis, aut

Occupãres bona prælati defuncti.

Collegiatæ, vel Regularis, *occupant, inter ſe diuidunt, ſurripiunt, dilapidant, diſſipant, & conſumunt in earum grauem diſpendium & iacturam, bona quæ ad Prælatum defunctum ſpectant, vel quæ tempore vacationis obueniunt, & in vtilitatem Eccleſiæ expenda, vt futuris debeant ſucceſſoribus fideliter reſeruari.* Suſpenduntur inquam, *ab Officio, & Beneficiis quibuſcunque, donec plenè reſtituerint quicquid ac prædictis bonis acceperint.* Neque tantum ſuſpenduntur ſingulares perſonæ, verum etiam Capitulum, & Collegia ipſa, quæ huiuſmodi bona, ſiue mobilia, ſiue immobilia *occupant, inter ſe diuidunt, ſurripiunt, dilapidant, diſſipant, & conſumunt.* Similis conſtitutio habetur in cap. vlt. *De Officio Ordinarii* in 6. vbi prohibetur ne Epiſcopi, vel eorum ſuperiores, aut Abbates, ſeu quiuis alii regulares, vel ſæculares Prælati, aut eccleſiaſticæ quæcunque perſonæ, vacantibus dignitatibus, Perſonatibus, Prioratibus, vel Eccleſiis quibuſcunque ſibi ſubiectis, ſeu ad collationem, ordinationem, præſentationem, vel cuſtodiam ipſorum pertinentibus, eorumdem bona (morientibus eorum rectoribus, vel miniſtris) in ipſis inuenta, ſiue vacationis ipſorum tempore obuenientia, quæ in vtilitatem eorumdem expendi, vel futuris debent ſucceſſoribus fideliter reſeruari, occupare, aut in vſus ſuos conuertere quoquo modo præſumant: Niſi de ſpeciali priuilegio, vel conſuetudine iam præſcripta legitimè, ſeu alia cauſa rationabili, hoc eiſdem competere dignoſcatur. Alioquin Epiſcopi, & eorum ſuperiores ab ingreſſu Eccleſiæ, cæteri verò ab officio, & Beneficio tamdiu eo ipſo nouerint ſe ſuſpenſos, quouſque reſtitutionem fecerint de prædictis,

56. Non exigentes iuramentum à Graduatis.

Quarta habetur in Clementina 2. *De Magiſtris*, vbi Cancellarius Vniuerſitatis ſuſpenditur per ſex menſes ab eo munere, ſi cuipiam gradum magiſterii dederit, non exacto priùs iuramento ab illo, quòd vltra certam pecuniæ ſummam ibi taxatam nihil ampliùs expenderit. Sed illa neque eſt propriè ſuſpenſio, cùm munus Cancellarii non ſit Officium clericale: neque eſt vſu recepta, plurimis ſaltem in locis, vbi nullum tale iuramentum exigitur, & multò plus expenditur ſine metu cenſuræ: quæ conſuetudo poteſt licitè ſeruari.

57. Electores Epiſcopi non eum monentes.

Quinta habetur in Cap. *Cupientes*, §. *Caterum*, De electione in 6. vbi ſuſpenduntur electores Epiſcoporum, ſi infra octo dies, dum commodè poſſunt, electionem factam non præſentauerint electo, & in eo culpabiles extiterint. Suſpenduntur, inquam per, triennũ ab omnibus Beneficiis, quæ habent in illa Eccleſia, de cuius Prælato eligendo agitur: Et ſi intra illud tempus ad illa temerè ſe ingeſſerint, priuantur ipſis in perpetuum. Eademque poena extenditur ibidem ad eligentes, vel opponentes ſe electioni, qui tempore, & modo ibi præſcripto, non informant per ſeipſos, vel procuratores, ſedem Apoſtolicam de totius rei negotio. Sed huiuſmodi electiones Epiſcoporum vix ſunt ampliùs in vſu extra Germaniam: vnde ſuſpenſio hæc nullum ferè locum iam habet.

58. Sexta habetur in cap. *Si compromiſſarius*, De elect. in 6. vbi Compromiſſarius, qui ſciens indignum eligit ad Epiſcopatum, vel ad ſuperiorem dignitatem, ſuſpenditur ipſo iure per triennium à Beneficiis eccleſiaſticis, quæ obtinet in illa Eccleſia, quam per talem electionem ſpecialiter offendit. Extenditurque ibidem, vt multi putant, hæc ſuſpenſio ad Compromittentes, ſi talem electionem ratam habuerint, ſcientes eſſe indignum: & ad eos, qui alicuius electionem, poſtulationem, aut prouiſionem impugnantes, deficiunt in probatione eius quod obiiciunt contra perſonam. Exceptis tamen Epiſcopis, qui hac ſuſpenſione generaliter lata non comprehenduntur, non ſolùm propter caput, *Quia periculoſum*, ſed etiam, quia nominatim ibidem excipiuntur. Quod verò attinet ad Compromittentes, probabilius arbitror cum Suare ſect. cit. num. 9. non incurrere prædictam ſuſpenſionem, ſi tantùm ratam habent electionem indigni: ſed dumtaxat priuationem poteſtatis iterum eligendi, vel compromittendi, de qua priùs ſermo ibi eſt §. *Si verò*, & ad quam referri poteſt verbum *puniuntur*, poſitum in ſequenti §. *Porrò eo caſu* &c. potiùs quàm ad id, quod poſtea additur de Compromiſſario, *Ipſe (vt pœna ſuum auctorem teneat) à Beneficiis eccleſiaſticis triennio iuxta Lateran. Concilium ſuſpenditur ipſo iure.* Senſuſque eſt, quòd in eo caſu, quo indignus eligitur à Compromiſſario, Compromittentes priuantur illa poteſtate, ſi ſcienter approbant talem electionem: ſin minùs, non incurrunt hanc pœnam, ſed punitur ſolus ipſe Compromiſſarius pœnâ ſuſpenſionis à Beneficiis per triennium.

Compromiſſarii eligentes indignum.

59. Vel contra formã præſcriptam.

Septima habetur capite *Cum in cunctis*, §. *Clerici*, De electione, vbi qui contra formam ibi præſcriptam eligunt aliquem ad Epiſcopatum, vel ad alia Beneficia inferiora, curam animarum habentia, priuantur poteſtate eligendi pro ea vice, & ſuſpenduntur per triennium à Beneficiis eccleſiaſticis, quæ habent in illa Eccleſia, quam per talem electionem ſpecialiter offendunt. Forma verò ibi præſcripta eſt, vt non eligantur ad Epiſcopatum, niſi qui trigeſimum ætatis annum exegerint, vel, vt alii legunt, egerint, id eſt, attigerint, & ex legitimo matrimonio nati ſint, viraque & ſcientia commendabiles demonſtrentur. Ad Decanatum verò, Archidiaconatum, & alias Præbendas inferiores, habentes curam animarum annexam, vel ad Beneficium Parochiale non eligantur, niſi qui vigeſimum quintum ætatis annum attigerint, ſcientia, & moribus commendati. Excipiuntur eodem cap. ab hac cenſura Epiſcopi, quibus alia pœna imponitur, nimirum priuatio poteſtatis con-

Digitized by Google

ferendi huiusmodi officia, & beneficia.

60. Vel ante ætatem. Octaua habetur in Extrauagante vnica inter communes, *De postul. Prælat.* vbi priuantur potestate eligendi, & postulandi pro hac vice, & suspenduntur per triennium à Beneficiis, qui postulant ad Cathedralem Ecclesiam eum, qui non attigit 27. annum ætatis: vel Religiosum Mendicantem ad Ecclesiam Cathedrali inferiorem. Quæ suspensio magna ex parte similis est præcedenti, & explicanda eodem modo.

61. Vel qui malè opponunt aliquid personæ electi. Nona habetur in cap. 1. De electione in 6. §. *Adiicientes*: vbi per triennium suspenduntur à Beneficiis, qui in personam electi aliquid opponunt, posteaque in probatione deficiunt. Additurque, vt si intra illud tempus, ad sua beneficia, propria temeritate se ingesserint, eis ipso iure perpetuò sint priuati, nullam super hoc de misericordia spem aut fiduciam habituri. Nisi manifestissimis constiterit documentis quòd ipsos à calumniæ vitio causa probabilis & sufficiens excusaret. Vbi nota 1. non incurrere hanc censurâ, qui deficiunt in probatione oppositionis contra modũ eligendi, seu formâ electionis: sed contra personam: in quo gratuitus peccatum est, propter calumniam. Nota 2. sermonem ibi tantùm esse de electis ad dignitates, Personatus, & Canonicatus, vt liquet ex §. *Sed si pars*. Verùm in cap. *Si Compromissarius* eod. titulo, extenditur ad Episcopatus. Nec immeritò: quia maior est calumnia, quò maior est personæ dignitas. Extenditur quoque ibidem ad eos qui alicuius postulationem, & quamcunque prouisionem impugnant, & in probatione deficiunt. Et iuxta idem caput, particula *A Beneficiis*, restringenda est ad Beneficia possessa in illa Ecclesia, de cuius electione, postulatione, aut prouisione agitur. Vtrobique autem sermo tantùm est de obiectione circa personam. Quare qui tantum obiiceret circa formam eligendi, postulandi, aut prouidendi, deficeretque in probatione; non incurreret suspensionem, sed ad expensas tantùm condemnaretur. Excusandus etiam ab illa est, qui non grauiter peccauit in eiusmodi obiectione, propter certam, aut probabilem, & rationabiliter præsumptam spem probandi sufficienter id quod obiecit: neque enim in conscientia illam incurrit.

62. Eligentes per sæcularem potestatem. Decima habetur in cap. *Quisquis*, De electione: vbi statuitur, vt clerici eligentes aliquem ad Beneficium ecclesiasticum per sæcularem potestatem, suspendantur ab Officiis, & Beneficiis per triennium: & eligendi potestate tunc sint priuati. Quæ priuatio suspensio quædam est à potestate eligendi ad vnum actum, ipsoque iure incurritur. Suspensio verò ab Officiis, & Beneficiis non incurritur ipso facto, sed imponi iubetur, vt significat verbum *Suspendantur*. Statuitur præterea, vt quisquis sic eligitur, electionis commodo careat, & ineligibilis fiat; nec absque dispensatione ad aliquam valeat eligi dignitatem: id est, electio sit irrita, & insuper incurratur inhabilitas ad idem Beneficium, & ad quamcunque aliam dignitatem ecclesiasticam. Ad has verò pœnas incurrendas debent clerici admittere se voluntariè, & sine graui coactione, abusum illum sæcularis potestatis: nam alioqui grauis metus, & cadens in constantem virum excusat. Putà, si Princeps sæcularis per vim se intromittat electioni, assistendo illi, aut munus aliquod circa illam exercendo: neque possit repelli aut impediri absque graui incommodo. Cùm autem verba Canonis generalia sint, comprehendunt quoscunque clericos electores, & quoscunque electos, ad quæcunque Beneficia ecclesiastica; saluo tamen priuilegio Episcoporum quoad suspensionem, qui, vt sæpius diximus, non comprehenduntur suspensione generaliter lata, nisi fiat specialis eorum mentio.

63. Recipientes munera pro visitatione aut procuratione. Vndecima habetur in cap. *Exigit*, de Censibus. in 6. vbi suspenduntur ab Officio, & Beneficio quicunq; visitatores Ecclesiarum inferiores Episcopis, & eorum familiares, qui pecunias, aut munera recipiunt pro visitatione, aut debita procuratione; nisi infra mensem duplum restituant: statuiturque vt maneant suspensi, donec illam restitutionem faciant ipsismet Ecclesiis, à quibus aliquid acceperunt: iuxta constitutionem Innocentii IV. cap. *Romana*, eod. titulo, §. *Procurationes*.

Occupantes beneficia Curialium Rom. Duodecima habetur in Extrauagante 3. de Priuilegiis, inter communes: vbi suspenduntur indefinitè, & absque vlla limitatione, quæ ex textu, vel ex materia subiecta colligi possit, atq; adeo ab officio, & beneficio, quicunque conferunt, vel accipiunt beneficia eorum, qui pro suis negotiis Romanam Curiam adiuerunt, vel in illa fungũtur aliquo officio. Additâ pœnâ excommunicationis, & interdicti ipso facto incurrẽda, à qua, sicut & à suspensione, non possint absolui nisi ab ipso Papa, vel ab eo deputatis, excepto mortis articulo.

64. Iudices propter sordes aut gratiam malè iudicantes. Decima tertia habetur cap. 1. de Sententia, & re iudicata, in 6. vbi suspenduntur per annum ab executione Officii iudices ecclesiastici, siue ordinarii, siue delegati, qui per gratiam, vel sordes faciunt aliquid in iudicio contra conscientiam, in grauamen, & damnum alterius partis. Quæ duo sunt copulatiuè intelligenda: ita vt iudex simul faciat contra conscientiam, & iustitiam, neque sufficiat facere contra alterutrum. Suspenduntur, inquam, ab executione officii non modò iudicandi, sed simpliciter cuiuscunque tam Ordinis, quàm iurisdictionis: vt significant verba præcedentibus addita in cap. citato: *si suspensione durante, damnabiliter se ingesserit diuinis, irregularitatis laqueo se inuoluet*. Nam suspensio ab officio iudicandi tantùm, non impedit celebrationem diuinorum, neque inducit irregularitatem.

Decima quarta habetur in cap. vltim. de Officio

officio delegati, in 6. §. *Vt autem conseruatores*, vbi suspenduntur ab officio per annum iudices conseruatores, qui de aliis, quàm de manifestis iniuriis, & violentiis scienter se intromiserint, seu ad alia, quæ iudicialem indaginem exigunt, suam extenderint potestatem. Quæ suspensio, vt præcedens, intelligẽda est de omni officio clericali, non tamen de Beneficio: deque personis inferioribus Episcopo, propter caput, *Quia periculosum*, sciẽter, id est, sine ignorantia excedentibus suam potestatem in duobus illis actibus ibi prohibitis, & satis clarè in textu expressis.

Conseruatores qui suam potestatem excedunt.

66. Decima quinta habetur in Trident. sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrimonii, post medium, vbi statuitur, vt si quis Parochus, vel alius sacerdos, siue regularis, siue sæcularis sit: etiamsi id sibi ex priuilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponsos, sine illorum parochi licentia, matrimonio coniungere, aut benedicere ausus fuerit: ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario eius parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absoluatur. Notat autem Suarez disp. 31. sect. 3. num. 18. hæc intelligenda esse de suspensione ab Officio, vel à munere sacerdotali tantùm: non autem de suspensione ab omni officio, & Beneficio: quia licet verba indefinita sint; tamen iuxta communem intelligentiam Canonum, pœna debet determinari ex materia subiecta, ita vt in eo puniatur quis, in quo peccauit: Et quando Sacerdos propter abusum sacerdotalis muneris suspenditur, rectè intelligitur suspendi formaliter, quatenus sacerdos est: atque adeo à sacerdotali munere. Sed iuxta hæc principia dicendum potiùs est incurrere suspensionem ab officio, vi cuius actum illum exercet. Alioqui parochus, qui nondum est sacerdos, peccans contra prohibitionem Concilii, non incurreret hanc pœnam. Actus autem illi, de quibus loquitur Concilium, non sunt actus Sacerdotis dumtaxat; verùm etiam, & multò magis, Parochi: sufficitque ad illos exercendos per se, vel per alium, Parochum habere beneficium, & Officium, licet nondum habeat Ordinem sacerdotalem. Potest enim per se assistere aut benedicere, vel alium delegare, qui sit sacerdos. Quare verius censeo cum, qui exercet actiones prohibitas à Concilio, incurrere indeterminatè Suspensionem ab Officio, vi cuius præsumit illas exercere: parochi videlicet, si præsumit id sibi competere, quia parochus est, & veluti ex officio: vel sacerdotis, si vt sacerdos, & veluti legitimè delegatus, vel ex priuilegio, aut alio titulo.

Matrimonio iungẽtes aut benedicentes

67. Decima sexta habebatur olim in fine Bullæ Cœnæ, vbi interdicebantur, id est, suspendebantur à Prædicationis, lectionis, administrationis Sacramentorum, & audiendi confessiones officio, quicumque sine facultate absoluunt transgressores, à casibus in ea reseruatis. Sed hæc clausula omissa fuit à Gregorio XIII. eiusque successoribus. Ideoque non ampliùs incurritur hæc cẽsura: quia, vt notauimus disp. præcedenti sect. 19. cessant obligare clausulæ huius Bullæ eò ipso, quòd in noua illius promulgatione prætermittuntur.

Absoluentes à reseruatis in bulla Cœnæ.

SECTIO VI.

De Suspensionibus latis in clericos propter alia peccata illis communia cum laicis.

68. OCto à nonnullis numerantur huiusmodi suspensiones. Quarum prima dicitur esse lata contra clericum publicè notatum graui aliquo crimine cap. vlt. De temporib. Ordinat. vbi statuitur sacerdotem nomtum peccato adulterii, periurii, aut falsi testimonii, non esse impediendum ab Ordinibus post peractam poenitentiam, nisi talia crimina fuerint notoria. Ex quo inferri posse videtur, quòd si eiusmodi crimina fuerint notoria, est impediendus ab Ordinibus, exercendis scilicet: ac proinde est ab illis suspensus. Quodque dicitur de peccatis adulterii, periurii, aut falsi testimonii, debet intelligi de quouis alio peccato graui, & scandaloso. Verùm, vt melius docet Suar. disp. 31. sect. 4. num. 1. 2. & 3. neque in illo capite, neque in vllo alio habetur talis suspensio iure lata: sed tantùm præcipitur, vt huiusmodi peccatores, si sint occulti, non impediantur à suscipiendis, aut à susceptis Ordinibus post peractam conuenientem poenitentiam. Si autem sunt publici, prohibeantur à superioribus ab accessu ad Ordines, vel ab eorum iam susceptorum ministerio: non propter suspensionem iam incursam ipso facto, sed propter indecentiam, & indignitatem talium personarum: conformiter ad ordinationem Tridentini sess. 22. in decreto De obseruandis in celebratione Missæ, vbi decernit, vt Episcopi neminem, qui publicè, & notoriè criminosus sit, aut sancto altari ministrare, aut sacris interesse permittant. Quod verò aliqui dicunt peccatores, etiam occultos, esse suspensos quoad se, quia non possunt in tali statu celebrare, & sacramenta ministrare: valde impropriè dictum est: quia id non oritur ex suspensione, & poena, vel censura Ecclesiastica: sed ex natura peccati mortalis reddentis indignum illis ministeriis: & laici, quamuis incapaces suspensionis, non minùs prohibentur accedere ad communionem Eucharisticam, & ad alia sacramenta viuorum, quamdiu sunt in statu peccati mortalis.

Clerici publicè notati graui crimine.

69. Secunda dicitur esse lata contra clericum publicè seu notoriè cõcubinarium, c. vlt. De cohabitatione clericorum, & mulierum: vbi tamen de sacerdote concubinario sermo tantùm est: de quo Pontifex consultus vtrum in

Vel concubinatij.

Digitized by Google

diuinis officiis vitari debeat? Respondet non debere, si crimen est occultum: quia licet sit suspensus quoad se, non est tamen quoad alios: *nisi peccatum huiusmodi sit notorium per sententiam, seu per confessionem factam in iure, aut per euidentiam rei, quæ tergiuersatione aliqua celari non possit*: quia nimirum tunc temporis est suspêsus etiam quoad alios. Et cap. *Nullus*, cap. *Præter*, dist. 32. precipitur vt nullus Missam audiat Presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere, vel subintroductam mulierem: vtque sacerdos, diaconus, subdiaconus, qui concubinam palam duxerit, vel ductam non reliquerit, Missas non cantet, nec Euangelium, aut Epistolam ad Missam legat, neque in presbyterio ad diuina officia maneat, neque partem ab Ecclesia suscipiat. Et cap. *Si quis sunt Presbyteri*, Dist. 81. interdicitur illis ingressus in Ecclesiam: aliis autem prohibetur audire ab illis diuina officia. Et deniq; cap. *Sacerdotes*, dist. 50. dicitur tales non posse habere honorem sacerdotis secundum canonicæ institutionis auctoritatem. Propter quæ omnia clericos concubinarios suspensos esse ipso iure docent Hostiensis, Abbas, Anton. Palud. Couarr. Nauarr. Siluest. & plures alii, quos refert Suar. disp. 31. sect. 4. Qui licet omnes in eo conueniant, differunt tamen in eo quòd aliqui volunt talem sacerdotem, si in eo statu celebret, fieri irregularem, posseque à solo Papa dispensari: alii negant, quia hæc suspensio est tantùm propter indecentiam; & non omnis suspensio inducit irregularitatem, sed illa tantùm, quæ fertur in pœnam propter contumaciam. Item aliqui eorum affirmant, cessare hanc suspensionem peractâ pœnitentiâ conueniente, absque alia absolutione, vel dispensatione: alii negant, & requirunt vlteriùs dispensationem Episcopi. Item aliqui eorum extendunt hanc suspensionem ad omnes clericos, etiam minores: alii tantùm ad maiores clericos, id est, sacris ordinibus initiatos.

70. Sitne ipsa suspêsi

Probabilius mihi esse videtur id quod affirmat Suar. sect. cit. num. 10, & sequentibus, non fuisse suspensionem iure antiquo latam in tales clericos, tametsi non solùm illâ, sed & pœnis longè grauioribus digni sunt. Probatur 1. quia Tridentinum sess. 25. cap. 14. *De reform.* id non obscurè significat, quando prohibens quibuscunque clericis, ne cõcubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra detinere, aut cum iis vllam consuetudinem habere audeant: alioqui pœnis à sacris canonibus, vel statutis ecclesiarum impositis puniantur: addit, Quòd si à superioribus moniti, ab iis se non abstinuerint; tertia parte fructuum, ac prouentuum Beneficiorum suorum quorumcunque, & pensionum ipso facto sint priuati, quæ fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco arbitrio Episcopi applicetur. Sin verò in delicto eodẽ, cum eadem, aut alia fœmina perseuerãtes, secundæ monitioni adhuc non paruerint; non tantùm fructus omnes, ac prouentus suorum Beneficiorum, & pensiones eo ipso amittant, qui prædictis locis applicetur, sed etiam à beneficiorum ipsorũ administratione, quoad ordinarius, etiam vti tedis Apostolicæ delegatus arbitrabitur, suspendantur: & si ita suspensi, nihilominus eas non expellãt, aut cum iis etiam versentur: tunc beneficiis, portionibus, ac officiis, & pensionibus quibuscunque ecclesiasticis perpetuò priuetur, atque inhabiles, & indigni quibuscunq; honoribus, dignitatibus, beneficiis, & officiis, in posterum reddãtur, donec post manifestã vitæ emendationem ab eorum superioribus, cum iis ex causa visum fuerit dispensandum. Sique postquã eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias eiusmodi scandalosas mulieres sibi adiungere ausi fuerint, præter prædictas pœnas, excõmunicationis gladio plectantur. Clerici verò beneficia ecclesiastica, aut pensiones non habẽtes iuxta delicti, & contumaciæ perseuerantiã, & qualitatẽ, ab ipso Episcopo carceris pœna, suspensione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis iuxta sacros Canones puniantur. Episcopi quoque, quod absit, si ab huiusmodi crimine non abstinuerint, & à Synodo prouinciali admoniti se non emẽdauerint, ipso facto sint suspẽsi: & si perseuerent, etiam ad sanctissimum Romanum Pontificem, ab eadem synodo deferantur, qui pro qualitate culpæ, etiam per priuationem, si opus erit, in eos animaduertat. Hæc Trident. Vbi nota, quòd si tales fuissent ipso facto suspensi iure antiquo, non debuisset Concilium dicere, vt post monitionem, & alias poenas supradictas, *Suspendantur, etiam ab Ordine, si opus sit, iuxta sacros Canones*: Vtq; ipsi etiã Episc. si à synodo moniti non se emẽdauerint, sint ipso facto suspensi.

Probatur secundò ex cap. 3. 4. & 5. *De cohabitatione clericorum, & mulierum*. Nam c. 3. dicitur tales esse cogendos ab Episcopo per sententiam suspensionis, vt huiusmodi foeminas à se ablegent. Et cap. 4. additur esse cogendos per suspensionem à beneficio: ac, si fuerint pertinaces, esse illo priuandos. In 5. denique dicitur clericum quendã concubinarium fuisse ab officio suspensum, per Episcopũ scilicet, vt significant verba sequẽtia, & Glossa ibidem diserte affirmat. Probatur tertiò, quia nulla suspensio ipso iure est admittenda, nisi sit in iure expressa. At ista nullibi exprimitur, vt patebit respondendo iuribus in contrarium allegatis. 71.

Ad primum enim dico, cap. illo vlt. de Cohabitatione clericorum, & mulierũ, sermonẽ esse de suspensione impropriè sumpta, pro obligatione quadam orta ex ipsa natura talis peccati: propter quod tenetur cõcubinarius licet occultus, abstinere à celebrando; dicturque hoc sensu esse suspẽsus quoad se, non quoad alios, quia alii non tenẽtur vitare, ne assistant eius celebrationi. Si autem est publicus, & notorius, tenentur etiam alii eum vitare propter scandalum, & indecentiam, 72. Respondetur argum. contrarii

quam ſecum fert tale peccatum. Cap. verò *Nullus*, cap. *Præter*, & cap. *Si qui ſunt Preſbyteri*, ſermo eſt de ſimili prohibitione aliis facta, ne aſſiſtant diuinis officiis, quando ab illis celebrantur; adhibita pœna interdicti in celebrantes, cap. illo, *Si qui ſunt Preſbyteri*, & prohibitione iisdem facta, *Vt Miſſas non cantent, nec Euangelium, aut Epiſtolam ad Miſſam legant, neque in Presbyterio ad diuina Officia maneant, nec partem ab Eccleſia ſuſcipiant.* Quæ tamen pœna non imponitur ipſo facto, quia verba relata id non exprimunt. Et non eſt ibi ſermo de quocunque ſacerdote concubinario: ſed de eo, qui concubinam palam duxerit, aut ductam non reliquerit. Quod peccatum longè grauius eſt propter coniugium ſacrilegum. Denique caput *Sacerdotes*, non ſatis aperte ſignificat ſuſpenſionem ipſo facto imponi: quia verba illa, *Non poteſt ſacerdotis habere honorē*, rectè poſſunt intelligi de indignitate talis honoris: ita vt ſenſus ſit, talem eſſe indignū honore ſacerdotii, mereriquè illius priuationem. Et hunc ſenſum magis indicant verba ſequentia, *Secundum canonicæ inſtitutionis auctoritatem*: iam enim oſtendimus alios Canones nō imponere hanc priuationē ipſo facto.

71. Sodomiæ. Tertia dicitur eſſe lata propter nefandum peccatum Sodomię. Sed neque illa ſatis probatur fuiſſe lata iure antiquo, velut ipſo facto incurrenda, propter enorme illud crimē flammis vltricibus dignum, ſiue occultum, ſiue etiam publicum. Nam caput vltimum De temporibus ordinationum, non loquitur de hac ſpecie peccati. Alii verò canones ab aſſertoribus huius ſententiæ prolati ſolùm probant ſuſpenſionem eſſe ferendam. Iure autem nouo ſtatuitur hæc pœna per Conſtitutionem Pii V. numero ſeptuageſimā, quæ ſic habet: *Omnes, & quoſcunque Presbyteros, & alios clericos ſæculares, & regulares, cuiuſcunque gradus & dignitatis tam diu nefas exercentes, omni priuilegio clericali, omnique Officio, Dignitate, & Beneficio eccleſiaſtico, præſentis Canonis auctoritate priuamus.* Vbi nota primò, hanc pœnam non eſſe propriè ſuſpenſionem, ſed verbalem depoſitionem. Ideoque comprehendi etiam Epiſcopos, ſi (quod abſit) in tale crimen incidere: licet illorum non fiat mentio ſpecialis, ſed generalis ſub illis verbis, *Cuiuſcunque gradus, & dignitatis*. Secundò, ad illam incurrendam requiri actum Sodomiæ conſummatum: iuxta id quod ſæpius diximus, cenſuras, & leges pœnales prohibentes aliquem actum debere intelligi de perfecto, & conſummato in illa ſpecie, niſi aliud exprimant. Tertiò, addunt Nauarr. cap. 27. Manual. nu. 249. & plerique alii particulam illam *Exercentes*, ſignificare in rigore aliquā frequētationem actuum. Tametſi vel vnicus actus peccati adeo nefarii & abominādi non ſuſpenſione tātùm, vel depoſitione, ſed morte quoque dignum eſt. Quartò denique notandum reos huius criminis, præſertim occultos, non teneri ad executionem pœnæ ſupradictæ priuationis officii, &c. ante ſententiam iudicis, iuxta ea quæ diximus tom. 2. in tract. de Legibus diſputando de lege pœnali, & tom. 3. in tract. de Iuſtitia diſputando de Beneficus.

Quarta fertur propter vitium Simoniæ cōmiſſum in Ordine. Nam conferens Ordines Simoniacè, ſiue Epiſcopus, ſiue alius habens facultatem conferendi aliquos, non ſolùm excommunicatur per Extrauagantem Pauli II. De Simonia, verùm etiam contrahit ipſo facto ſuſpenſionem à collatione Ordinum ſimpliciter, per triennium, cap. penult. *De Simonia*. Ille verò, qui per Simoniam, aliquē præſentat ad Ordines, incurrit ſuſpenſionem triennalem ab executione Ordinum, ibidē. Ille denique qui Ordines recipit Simoniacè, ſuſpenditur ab Ordine ſuſcepto, eodem cap. penult. Imò & ab omnibus ſuſceptis, iure nouo ſuſpenſus manet per Extrauagantem Pauli II. ſup. citatam. Item qui recipit Ordines ab Epiſcopo Simoniaco, incurrit ſuſpenſionem ab Ordine recepto, quamuis non Simoniacè acciperit, in deteſtationē videlicet Ordinantis, cap. *Si quis à Simoniacis*, 1. q. 1. vbi ſtatuitur vt talis Ordinatio ſit irrita, nimirū quoad vtum. Excuſat tamen ab hac ſuſpenſione ignorantia facti, vt dicitur in cap. proximè cit. & cap. *Per tuas* 2. De Simonia: atq; etiam ignorantia iuris, ſaltem inculpabilis: ſufficit enim ad hoc vt non incurratur in foro conſcientiæ, quidquid ſit de foro externo ſequente præſumptionem. Nam in cap. cit. *Si qui à Simoniacis*, dicitur Ordinatos nō incurrere hanc ſuſpenſionem, niſi ſciuerint Ordinantem eſſe Simoniacum, ſcienterq; permiſerint ſe à Simoniacis conſecrari, participando videlicet eorum temeritati. Sufficit quoq; illam ignorantiam iuris, aut facti antecediſſe Ordinationem: ita vt quamuis poſtea vitium ordinationis ſuæ aduertāt, non teneātur tamen ab illius exercitio abſtinere. Excuſatur quoq; poſt decretum Concilii Cōſtantienſis *Ad vitanda*, ille qui promouetur à ſuo Epiſcopo Simoniaco occulto. Nam quamdiu nō eſt de tali crimine publicè, & nominatim declaratus, ac denunciatus, non tenetur eum vitare in Ordinum collatione, quamuis ſciat priuatim eſſe propter illud excommunicatum, & ſuſpenſum.

Excuſatur denique ille qui abſque proprio peccato ordinatur Simoniacè, putà quia eius parentes, aut amici, ipſo inſcio, dederunt pecuniam Epiſcopo, cap. *De Simoniacè*, tit. De Simonia, vbi ſic habetur: *Qui ipſis ignorantibus Simoniacè ordinantur, poſſunt, quia Simoniaci non ſunt, in ſuis Ordinibus manere.* Nimirum quia hæc ſuſpenſio eſt pœna quā non incurrit, qui culpā vacat. Addūt aliqui non ſolùm incurri ſuſpēſionem per Simoniam in Ordine, modo iam dicto: verùm etiam per Simoniam in Beneficio conferendo, vel accipiendo. Sed iura, quæ proferunt ad id probandum, loquuntur tātùm de Simonia in Ordine, vel de ſuſpēſione ab Ordine non latâ ipſo iure, ſed ferenda. Quare licet cōferens Simoniacè Beneficium, ſit excommunicatus ipſo facto per Conſtitutionē Martini V. in Cōcilio Conſt. ſeſſ. 43.

73. Simoniaci in Ordine.

74.

75.

& si celebret in eo statu, fiat irregularis: non incurrit tamen suspensionem propriè dictam & distinctam ab excommunicatione. Quamuis etiam talis collatio sit irrita, & accipiens simoniacè Beneficium non faciat fructus suos, iuxta prædictam Constitutionem Martini V. & alteram Pauli II. de Simonia: à qua irritatione non excusat ignorantia recipientis Beneficium, nisi non modò non consenserit, sed etiam expresè contradixerit, vt habetur cap. *Sicut tuis*, De Simonia: non tamen incurrit ipso iure suspensionem propriè dictam, & distinctam ab Excommunicatione, quia in iure nullibi habetur expressa: vt fusius ostendit Suar. disp. 31. sect. 4. n. 42. & seqq.

76. Schismatici iurati.

Quinta fertur contra eum, qui sponte iurat de tenendo Schismate. Incurrit enim ipso iure Suspensionem à Sacris Ordinibus, & à Dignitate, cap. 1. de Schismaticis. Vbi nota ad eam incurrendam non sufficere tenere Schisma, nisi iuramentum accedat: & hoc non vi, aut metu, vel ex ignorantia, sed sponte, & scienter præstetur.

Disputantes de conceptione immaculata B. V.

Sexta habetur in Constitutione Pii V. quę incipit, *Super speculą*, nu. 116. confirmata à Paulo V. in Constitutione quæ incipit, *Regis pacifici*, data anno 1616. die 19. Iulii: vbi suspenduntur ipso iure à diuinis, si sint constituti in sacris; & omni gradu, & dignitate priuantur, perpetuóque inhabiles ad eadem, vel similia redduntur, quicumque disputant in concionibus popularibus, vel vbicunque promiscua virorum, ac mulierum multitudo conuenire solet, de controuersia immaculatæ Conceptionis, asserendo alterutram sententiam, & contrariam refellendo, aut impugnando. Itemque qui scribunt vel dictant vulgari sermone de ea ipsa quæstione, cuiusuis pietatis, vel necessitatis prætextu.

77. Raptores.

Septima habetur in Trident. sess. 24. cap. 6. De reform. Matrimonii, vbi statuitur, vt raptor, ac omnes illi consilium, auxilium, & fauorem præbentes, sint ipso iure excommunicati; & perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces: & si clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Quæ postrema verba significant pœnam Suspensionis, iuxta modum loquendi iuris Canonici, & connectenda esse videntur cum illis præcedentibus *ipso iure*.

78. Duellantes

Octaua denique habetur cap. 1. de clericis pugnantibus in duello, vbi clericus ad duellum prouocans, vel oblatum acceptans, dicitur de rigore iuris esse meritò deponendus: ita tamen, vt Episcopus possit cum illo misericorditer dispensare, nisi ex duello secutum fuerit homicidium, vel membrorum mutilatio: quia tunc incurritur irregularitas à solo Papa dispensabilis. Vbi verum quidem est verbum *Deponendi* sumi impropriè pro suspensione: nam Episcopus non posset dispensare, si esset propriè dicta Depositio. Attamen ibi non imponitur Suspensio ipso iure, sed statuitur imponenda, posito quòd clericus reipsa pugnauerit in duello: dicitur enim esse deponendus si duellum susceperit, siue victor, siue victus euadat. Iure autem nouo puniuntur clerici, sicut, & alii duellantes, excommunicatione, & aliis pœnis statutis à Trident. sess. 25. cap. 19. De Reform. & à Gregorio XIII. & Clemente VIII. De quibus diximus disp. præcedenti, sect. 20. in fine.

SECTIO VII.

De Suspensionibus à iure latis contra Episcopos, & Capitula.

SVspensiones à iure latæ cõtra Episcopos, & ipso facto incurrendæ, quædam spectant ad illicitam collationẽ Ordinum: aliæ ad prauum vsum muneris pastoralis: aliæ ad quædam alia peccata, de quibus eodem ordine dicendum est. 79.

Episcopus simoniacè ordinans.

Ad primum caput pertinent decem suspẽsiones: quarum prima est illa, quâ Episcopus per triennium suspenditur à collatione Ordinum, si ordinet aliquem sub promissione de non petenda ab ipso prouisione sibi ad victũ necessaria, cap. penult. de Simonia. Secunda habetur cap. *Eos qui*, De temporibus ordinat. vbi suspendũtur per annum à collatione Ordinum Episcopi qui clericos alienæ parœciæ, absque superioris ordinandorum licentia, scienter, seu affectatâ ignorantiâ, vel quocunque alio figmẽto quæsito præsumpserint ordinare. Tertia habetur cap. *Nullus*, dist. 55. vbi Episcopus ordinans eum, qui publicam, & solemnem pœnitentiam egit, vel bigamũ, suspenditur per annum à celebratione Missę: additâ pœnâ excommunicationis, si celebrare præsumpserit. Quarta habetur cap. *Literas*, De temporib. Ordinat. vbi Episcopus ordinans aliquem eodem die, vel duobus instar vnius, continuato ieiunio, duobus sacris Ordinibus, suspenditur à collatione amborum, donec à Papa dispensationẽ obtineat. Quinta habetur in Trid. sess. 23. c. 8. de Reform. vbi Episcopus ordinans alienum sine dimissoriis, suspenditur per annum à collatione Ordinum. Sexta habetur cap. vlt. De tempor. Ordinat. in 6. vbi Episcopus suspenditur à collatione tonsuræ per annum, si det tonsuram infanti, vel illiterato, vel coniugato: nisi infans intret in religionem, vt olim fieri solebat: vel coniugatus ingrediatur quoque in aliquem Ordinem religiosum, aut recipiat Ordines sacros in cæbibus iure permissis.

Septima habetur in Trident. sess. 6. c. 5. de Reform. vbi Episcopus suspenditur ipso iure ab exercitio Pontificalium, si ordinet in aliena Diœcesi absque licentia Ordinarii loci: vel si in aliena Diœcesi, etiam cum licentia Ordinarii, ordinet personas, nec illi, nec sibi subiectas. Octaua habetur in eodem Concilio, sess. 15. cap. 2. De Reform. vbi specialiter suspenduntur per annum ab exercitio Pontificalium Episcopi titulares, qui aliquem initiant Tonsurâ, vel aliquo Ordine, sine proprii Prælati expresso consensu, aut literis dimissoriis. Nona habetur in eodem Concilio, sess. 23. cap. 8. De Reformatione, vbi 80.

Vel in aliena diœcesi sine licentia.

suspenditur per annum à collatione Ordinum Episcopus, qui alienum ordinat, nisi eius probitas, & mores, Ordinarii sui testimonio commendentur; nimirum per literas dimissorias ab ipso obtentas. Decima habetur in Constitutione Pii V. num. 74. quæ incipit *Romanus Pontifex*: vbi Episcopus ordinans Religiosum non professum, suspenditur per annum à collatione eorum Ordinum ad quos illum promouit. Exceptis tamen Religiosis Societatis Iesu, per Constitutionem Gregor. XIII. Habetur quoque in cap. 2. distinctionis 58. vt si quis Episcopus monachum ordinauerit sine licentia Abbatis, maneat suspensus à communione aliorum Episcoporum. Verùm hæc pœna non est propriè suspensio, sed species quædam minoris Excommunicationis, de qua diximus alibi.

81. Non promulgantes statuta Cōcilii Prouinc.

Ad secundum caput pertinent aliæ septem. Quarum prima habetur in cap. vlt. dist. 18. vbi duorum mensium excommunicatio, id est, vt Glossa bene exponit, suspensio duorū mensium, ferrur contra Episcopum non promulgantem intra sex menses statuta edita in Concilio Prouinciali: sed hæc iam non est in vsu. Secunda habetur cap. *Prouida*, De Elect. in 6. vbi Episcopi suspenduntur per annum à Confirmatione, & consecratione Episcoporum, si non seruauerint Constitutionem ed tam à Concilio Lugdunensi, & relatam in cap. *Quamuis*, eodem tit. prohibentem ne Episcopi, & quicunque alii Papa inferiores, se intromittant in causis pertinentibus ad electionem Episcoporum, postquam ad Sedem Apostolicam appellatum fuit; quātuis partes voluntariè recedant ab appellatione, nisi priùs constiterit nullam in hoc negotio fraudem interceſſisse. Tertia habetur in cap. *Hoc consultissimo*, De rebus Ecclesiæ non alienandis, in 6. vbi suspenduntur Episcopi, & Prælati, qui bona immobilia Ecclesiarum sibi commissarum subiiciunt laicis, sine consensu Capituli, & licētia speciali Sedis Apostolicæ, nisi modo, & casibus à iure permissis. Suspenduntur, inquam, ipso facto ab officio, & administratione earum Ecclesiarum, quas sic grauant. Statuiturque ibidem vt tales cōtractus sint irriti, & vt clerici inferiores suspendantur per triennium à perceptione Beneficiorum, (id est, fructuum) quę in tali Ecclesia obtinent, si scientes aliquid contra hanc constitutionem attentari, superiori id non denunciauerint.

82. Occupātes bona Ecclesiarum vacantium.

Quarta habetur cap. *Præsenti*, de Officio Ordinarii in 6. & Extrauag. vnica inter cōmunes, De reb. Eccles. non alienandis, vbi Episcopi, & Prælati occupantes bona Ecclesiarum vacantium, ad ipsorum prouisionem pertinentium, suspenduntur, seu potiùs interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ donec restituant: siquè in illo interdicto per sex menses perseuerauerint, suspenduntur absolutè ab administratione suæ Ecclesiæ in temporalibus, & spiritualibus, vt additur in Extrauag. cit. Quinta habetur in eadem Extrauag. vbi eadem omnino pœna statuitur contra Episcopos alienantes bona Ecclesiæ vltra triennium. Sexta habetur in Extrauagante Paulī II. quæ incipit, *Cum in omnibus*; vbi suspenditur per annum ab Officio, & si durante suspensione ingerunt se diuinis, contrahunt irregularitatem à solo Papa dispensabilē, Episcopi, qui delegati siue commissi in causa alienationis Ecclesiarum, per gratiam, timorem, aut sordes abutūtur in damnum Ecclesiæ potestate sibi data. Septima habetur in Constitutione Pii V. num. 58. quæ incipit, *Quanta*: vbi fertur Suspensio primò in Episcopos, posteaque extenditur ad quoscunque alios Beneficiorum collatores, siue singulares personæ sint, siue Capitula, si admittant resignationes Beneficiorum contra formam ibi præscriptam. Suspenduntur autem à collatione, vel institutione illius Beneficii, cuius resignationem admittunt.

83. Foucntes vsurarios alienigenas.

Ad tertium caput spectant aliæ sex. Quarum prima habetur capite primo *De vsuris*, in 6. vbi statuitur, vt neque communitas, neque vlla singularis persona cuiuscunque dignitatis, conditionis, aut status, alienigenas, & alios non oriundos de terris ipsorum, publicè fœnebrem pecuniam exercentes, aut exercere volentes, ad hoc domos in terris suis conducere, vel conductas habere, aut aliàs habitare permittant: sed huiusmodi vsurarios manifestos omnes intra tres menses de terris suis expellant: vtque nemo illis ad fœnus exercendum domos locet, vel sub alio titulo quocunque concedat. Qui verò contra fecerint, si personæ fuerint ecclesiasticæ, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi inuperionisminores verò personę, singulares excōmunicationis; si autem collegium, seu alia vniuersitas, interdicti sententiam, ipso facto se nouerint incursuros. Vbi nota sermonem tantùm ibi esse de vsuariis ex officio publicè vsuram exercentibus aut exercere volentibus. Secundò, non de omnibus, sed de alienigenis. Tertiò, præcipi vt Episcopi, & alii Prælati, aut cōmunitates, non solùm domos suas non locent huiusmodi vsuariis alienigenis, sed ne quidem in suis terris habitare patiantur, nisi velint pœnas suprà dictas incurrere.

84. Inquisitores præualicantes.

Secunda habetur in Clementina prima, §. *Verum*, De hæreticis: vbi suspenduntur ab officio, per triennium, Episcopi, aliique Prælati eis superiores, qui odii, gratiæ, vel amoris, lucri aut commodi temporalis obtētu, contra iustitiam, & conscientiam suam omiserint contra quemquam procedere, vbi fuerit procedendum super hæresis prauitate aut obtentu eodem prauitatē ipsam, vel impedimentum officii sui (videlicet inquisitionis) alicui imposuerint. Inquisitores verò Episcopis inferiores, peccantes in eo genere, incurrunt excommunicationem, ibidem. Tertia habetur in Clementina 2. *De pœnis*, vbi Episcopi suspenduntur per triennium à perceptione fructuum suarum Ecclesiarum, si procurant, vt clerici capiantur à Dominis

temporalibus, vt Beneficio suo renuncient, vel vt citati ad Sedem Apostolicam ab homine, vel à iure, non possint illam adire. Quamuis autem nomen Episcoporum non ibi exprimatur, intelligitur tamen sufficienter nomine *Prælati*, quod nomen conuenit primò, & antonomasticè Episcopis. Quare non eximuntur ab hac Suspensione per cap. *Quia periculosum*, De Sentent. Excomm. Vt verò incurratur, debet actus prohibitus esse completus, ita vt sequatur captura clerici, & resignatio Beneficii; vel impediatur recursus ad Sedem Apostolicam. Neque ab illa excusatur Episcopus, aut alius Prælatus, qui simul est Dominus teporalis. Quia licet non procuret, vt alius Dominus tèporalis capiat clericũ; tamen procurat ipse vt capiatur, & capitur reipsa à Domino temporali, quãdo ipsius iussu capitur. Quarta habetur in Extrauagante 2. de Electione inter Communes Ioannis XXII. titulo *Ne Sede vacante*, vbi suspenditur à Pontificalibus, & ab ingressu Ecclesiæ Episcopus, qui non seruat ea, quæ ibi statuuntur circa perceptionem fructuum primi & secundi anni sui Episcopatus: donec integrè restituerit quæcunque malè percepit. Quinta habetur in Extrauagante 1. *De electione*, inter communes, contra eos, qui promoti à Sede Apostolica ad aliquam Ecclesiam, accipiunt illius administrationem sine literis authenticis eiusdem Sedis. Suspenduntur enim à perceptione fructuum eiusdem Ecclesiæ. Et Capitulum talem Episcopum recipiens suspenditur à Beneficiis, donec à Sede Apostolica gratiam recipiat. Sexta habetur in Trident. sess. 25. cap. 14. De Reform. vbi Episcopus concubinarius, qui à Synodo prouinciali admonitus non se emendauerit, suspenditur absolutè, id est, ab Officio, & Beneficio.

85. Suspensiones latæ contra Capitula & Conuentus.

Denique contra Capitula & Conuentus feruntur aliæ quatuor, quarum prima habetur cap. *Quia sæpe*, De electione in 6. vbi suspenditur Capitulum ab Officio, & Beneficio, si defuncto Prælato Cathedralis Ecclesiæ, occupet, diuidat, surripiat, dilapidet, dissipet, & consumat bona relicta, vel obuenientia tempore vacationis. Secunda habetur in Extrauag. 1. *De Electione*, vbi suspenduntur à Beneficiis Capitula, si recipiant Prælatos promotos in Romana curia, sine literis Summi Pontificis de huiusmodi promotione. Tertia habetur in Extrauag. *Sanè*, De Simonia, contra Capitula Religiosorum, quæ petunt, vel exigunt ex pacto, in receptione ad religionem, aut post illam, quoscunque pastus, prandia, seu cœnas, aut pecunias, iocalia, &c. Quarta habetur in Bulla Pii V. num. 58. quæ incipit, *Quanta*, contra Capitula, quæ non seruant aliqua ibi statuta. Estque suspensio à diuinis Papæ reseruata.

SECTIO VIII.

De Suspensionibus à iure latis contra Regulares.

SEptem huiusmodi suspensiones numerantur à Suar. disp. 51. sect. 6. præter modò explicatam contra Capitula Religiosorum, quæ aliquid exigunt ex pacto, pro ingressu & alias quasdam communes Religiosis cum aliis Clericis, de quibus diximus sect. 4. 5. & 6. 86. Apostatæ ab ordine religioso.

Prima illarum sumitur ex cap. vlt. *De Apostatis*, vbi religiosi Apostatæ, qui durante apostasia aliquem sacrum ordinem recipiunt, suspenduntur ab illo: ibidemque hæc Suspensio reseruatur Summo Pontifici. Notandum verò est primò, nomine Apostatarum à Religione intelligendos esse non solùm eos, qui extra quamcunque religionem vagantur in sæculo: sed etiam illos, qui ad aliam transierunt illicitè, & inualidè, ita vt non possint in ea profiteri, sique profiteantur, irrita sit, & nulla professio. Quia vt rectè ait Suar. sup. n. 4. Ille est verus Apostata, qui relinquens statum suum religiosum, nullum alium validè assumit. Dimittit enim absolutè, & simpliciter statum religiosum. Quare nullum est fundamentum Canonistarum contrarium sentientium: quòd scilicet tales non sint verè, & propriè Apostatæ: ideoque verba legis pœnalis non debeant ad illos extendi. Nota secundò, cùm Canon citatus dicat expresè *aliquem sacrum Ordinem*, non debet extendi hæc suspensio ad Apostatam suscipientem minores tantùm Ordines, vt malè aliqui existimant. Nec vllus alius est Canon, quo extendatur. Nam caput *Placuit*, dist. 50. non loquitur de Apostatis, sed de illis qui publicam, & solemnem egerunt pœnitentiam, quos dicit non esse admittendos ad clerum, nisi in casu necessitatis ad minores Ordines. Caput verò vltimum eiusdem distinctionis dicit tantùm, *Iubemus Apostatas ad clericatus officium non admitti*: quæ verba pœnam ferendam significant, non suspensionem latæ Sententiæ. Nota tertiò, cùm idem Canon dicat, *in apostasia*, id est, durante illius statu; non incurri hanc suspensionem ab eo, qui resipuit, & in Ordinem religiosum, à quo defecerat, se recepit, posteaque ad Sacros Ordines accedit: quia iam non illos recipit in apostasia. Neque obstant verba illa Canonis citati, *Quantumlibet suo fuerit reconciliatus Abbati, & receperit pœnitentiam.* Nam illorum sensus est, quòd ille qui durante apostasia recipit sacros Ordines, manet suspensus, egetque dispensatione, quamuis postea reconcilietur Abbati, & agat pœnitentiam. Non autem sensus est, quòd si ordinetur post reconciliationem, non incurrat Suspensionem. Nota denique ad illam incurrendam non esse

necessarium præcessisse Excommunicationē: quia non imponitur in pœnā illius, sed precisè propter vitium apostasiæ. Ex quo fit, vt si Apostata sit aliunde excōmunicatus, vel quia dimisit habitum, iuxta cap. 2. *Nec clerici*, vel Monachi, in 6. vel propter aliquod priuilegium Ordinis à quo defecit; incurrat duplicem suspensionem: vnam, quia ordinatur in apostasia, vi capitis vlt. *De Apostatis*: alteram, quia ordinatur in statu excommunicationis, vi capitis *Cum illorum*, De sent. excommun.

87. Admittētes ante tēpus ad professionem.

Secunda habetur in cap. *Non solum*, De Regularibus in 6. vbi Religiosi Ordinum SS. Dominici, & Francisci suspenduntur à receptione quorumcunque ad professionem suæ religionis, si aliquem ad illam admittant ante completum annum probationis. Et cap. *Constitutionem*, eod. tit. extenditur hæc suspensio ad omnes alios mendicantes Religiosos. Debetque intelligi de ordinibus Mendicantium generaliter, etiam de illis qui post instituti fuerūt. Nam leges obligant non solùm præsentes, sed etiam futuros postea, quamdiu ipsæ durant. Debet etiam intelligi de omnibus admittentibus, siue sint Prælati, & Superiores ordinis, siue alii religiosi ius admittendi habentes: ita vt si ius admittendi sit penes capitulum, vt est in plerisque Religiosis ordinibus, non solùm capitulum suspendatur, sed & singuli qui in illo ius habuerunt suffragii ad admittendum: vt significant verba illa Canonis *Vosque à receptione*, &c. & pœna excommunicationis paulò ante ibidem appositæ, quæ in capitulum per se cadere non potest, sed in singulas personas, ex quibus constat.

88. Alienātes bona eccle-siastica.

Tertia habetur in Clementina 1. *De rebus Ecclesiæ non alienandis*, vbi prohibetur ne quis religiosus Monasterio, Prioratui, Ecclesiæ, seu administrationi cuiuis præsidens, iura, reditus, aut possessiones eiusdem alicui ad vitam eius, seu aliud certum tempus, pecuniā etiam inde receptā, quouis modo concedat: nisi necessitas, vel vtilitas Monasterii, prioratus, ecclesiæ, vel administrationis huiusmodi hoc exposcat: Conuentus sui, aut, si conuentum non habeat, Prælati proprii assensu ad hoc nihilominus accedente. Si quis autem contra hoc fecerit, pœnam suspensionis ab officio, eo ipso incurrat, nec ex concessione ipsius recipienti ius aliquod acquiratur. Ita tamen vt hæc constitutio, eiusque pœna nullatenus extendatur ad locationes, vel etiam reditum, aut fructuum venditiones, ad tempus modicum faciendas.

89. Vsurpantes desinant.

Quarta habetur in Clementina 1. *De decimis*, contra Religiosos qui præsumpserint vsurpare decimas ad se non pertinentes, vel in eo defraudantes ecclesias aliquo ex modis ibi enumeratis, si intra bimestre non satisfaciant. Suspenduntur enim ab administratione officii, & beneficii, donec desiterint, ac satisfecerint. Et si officium, vel beneficium non habent, excommunicantur ipso facto, ita vt absolui non possint donec condignè satisfaciant. Vbi nota 1. Ad has pœnas incurrendas requiri præsumptionem: quia Pontifex vtitur verbo *præsumpserint*. Vnde excusat ignorantia, vel probabilis opinio fundata in priuilegio, aut consuetudine iamdiu introducta. Secundò, requiri præterea monitionem, seu requisitionem præuiam: nam Pontifex apponit hanc conditionem, *Nisi intra mensem per requisitionem eorum, quorum interest, factam, non satisfecerint*. Sufficit autem vt semel fiat, quia non est monitio canonica. Tertiò denique hac censura comprehendi religiosos cuiuscunque ordinis, etiam militarium, & Monialium. Quia lex est fauorabilis eorum ecclesiis, ideoque extendi debet, quantùm proprietas verbi permittit.

90. Non gestātes habitū.

Quinta habetur in Clementina 1. *De statuta Monachorum*, §. *Si quis autem*, contra Monachos nigros, id est, Ordinis S. Benedicti, qui non vtuntur habitu iuxta formam ibi præscriptam. Et si Abbates sunt, vel Priores non habentes Abbatem, suspenduntur per annum à collatione Beneficiorum: si inferiores, aliquam administrationem habentes, priuantur illā per annum: Si verò nullam administrationem habent, fiunt inhabiles ad illam habendam, & ad quodcunque Beneficium recipiendum intra annum. Vbi nota requiri etiam præsumptionem, vt hæ pœnæ incurrantur, quia Pontifex dicit, *si præsumpserit portare*. Extenduntur que ibidem ad Religiosos eiusdem Ordinis, qui venationi, vel aucupationi clamorosæ, aut aliàs cum canibus, aut auibus, ex proposito interfuerint.

91. Accipiētes aliquid occasione ex-cessuum prohibitorū.

Sexta habetur in Clementina 1. *De priuilegiis* §. *Quibus*, contra Prælatos religionum, ad quos occasione excessuum suorum Religiosorum, peruenerit aliquid in casibus ibi enumeratis: nisi postquam hac de re fuerint requisiti, intra mensem satisfecerint Ecclesiis, aut personis damnificatis. Vbi nota primò, hanc suspensionem, cùm simpliciter feratur, esse ab omni officio, & administratione: quia neque in textu, neque ratione materiæ subiectæ vllum est fundamentum limitandi. Secundò, eam ferri solùm in Prælatos Religiosorū, non autem in singulos religiosos, vt male putant Siluest. & Angel. v. *Suspensio*. Nam isti solùm excommunicantur ibidem, si tale damnum inferant. Tertiò, ad illam incurrendam quatuor requiri. 1. Vt Prælati Religionum aliquid acceperint, siue pro monasterio, siue pro se, aut pro aliis. 2. Vt id, quod acceperint, detur occasione excessuum ibi prohibitorum suis religiosis: cuiusmodi sunt, non quando confectionibus testamentorum intererunt, à restitutionibus debitis, aut à legatis matricibus Ecclesiis faciendis retrahunt testatores. Nec legata, vel debita incerta, sibi, aut aliis singularibus sui Ordinis fratribus, vel Conuentibus in aliorum præiudicium, fieri, seu erogari procurent

Digitized by Google

&c. 3. Vt Prælati qui aliquid tale acceperint, requirantur super hoc à personis, quarum interest. 4. Vt sint in mora culpabili restituendi vltra mensem: quo elapso incurrunt suspensionem donec satisfecerint. Nota denique, hanc suspensionem ipso facto incurri, & durare vsque ad expletam satisfactionem debitam, ante quam non debet tolli.

92. Non obligantes suos Pœnitentes ad soluendas decimas.

Septima habetur in Clementina *Cupientes*, De poenis, contra Religiosos, qui non faciunt conscientiam poenitentibus de soluendis Decimis, postquam à Rectoribus Ecclesiarum, vel eorum vicariis fuerint de hoc requisiti. Qui si in concionibus scienter id omiserint, debent puniri à Prælatis. Si autem in audiendis confessionibus, suspenduntur ipso facto ab officio prædicationis, donec confitentibus eisdem conscientiam circa hoc fecerint, si commodè potuerint. Vbi aduerte primò, hanc suspensionem non ferri contra concionatores, sed contra confessarios. 2. Vt incurratur prærequiri requisitionem à Rectoribus Ecclesiarum, vel eorum vicariis. 3. Requiri etiam vt scienter id facere omittant, & circa confitentes: siue quando pœnitentes in confessione dant aliquam huius rei notitiam, siue etiam extra Rectore id requirente, nisi iusta sit causa existimandi poenitentem excusari in certis casibus ab obligatione, quam Rector malè prætendit. 4. Hac censura non comprehendi Religiosos Monasteriorum decimas percipientium; quia cùm peccent in causa propria contra seipsos, noluit Pontifex eos ampliùs punire. 5. Denique Religiosum suspensum ob causam prædictam, incurrere excommunicationem ipso facto, si durante suspensione concionari audeat. Et hactenus de Suspensione.

DISPVTATIO SEXAGESIMA PRIMA.

De Interdicto & Cessatione à diuinis.

Sectio I.	*Quid, & quotuplex sit Interdictum?*
Sectio II.	*De causis & effectibus interdicti; & quomodo tollatur?*
Sectio III.	*De interdictis à iure latis.*
Sectio IV.	*Quomodo differat interdictum, & cessatio à diuinis?*
Sectio V.	*De relaxatione interdicti.*

DE interdicto disputant præcipuè S. Antonin. 3. p. tit. 26. Paludan. & alii Scholast. in 2. dist. 18. Summistæ V. *Interdictum*, Couarr. in cap. *Alma mater*, parte 2. Nauarr. cap. 27. Manual. num. 164. & seqq. Henriquez lib. 13. à cap. 41. Tolet. lib. 1. Instruct. Sacerdot. cap. 51. & sequentibus, Suar. disp. 32. de Censuris vsque ad 39. Coninc disp. 17. Auila parte 5. tract. de Censuris, Bonacina disput. 5. de iisdem, Layman lib. 1. tract. 5. parte 4. Filiuc. tom. 1. tract. 18. Gordon. lib. 7. quæst. 16. Bauny tract. 9. de Censuris. Quorumdoctrina ad hæc capita sequentibus sectionibus explicanda reuocari potest: Quid, & quotuplex sit Interdictum: quæue sint illius causæ, effectus, modus desinendi: quomodoue differat à Cessatione à diuinis: Quæ denique interdicta sint à iure constituta?

SECTIO I.

Quid, & quotuplex sit Interdictum?

1. Definitio Interdicti.

INterdictum est censura ecclesiastica, quâ prohibentur diuina officia, tam quoad auditionem, quàm quoad celebrationem; & ecclesiastica sepultura, atque administratio quorundam sacramentorum; sed non omnium: neque enim Baptismi, & Confirmationis: neque Pœnitentiæ, siue infirmis, siue etiam sanis: neque Eucharistiæ dandæ moribundis per modum viatici, vt diximus disput. 58. sect. 2. vbi definitionem Interdicti fusiùs exposuimus, ostendimusque quomodo differat ab aliis speciebus censuræ.

2. Eius diuisio.

Diuiditur autem in locale: quod immediatè afficit ipsum locum, prohibendo ne in illo supradicta fiant: personale, quod personas immediatè afficit, interdicendo illis participationem prædictorum, vbiuis locorum: & mixtum, quod vtrumque continet: quando v. g. & populus alicuius ciuitatis, & ciuitas ipsa immediatè interdicuntur. Vel, vt ait Toletus lib. 1. cap. 51. quando persona interdicitur, & locus vbi illa fuerit, quocunque perrexerit: ita vt secum ferat interdictum loci, quod ideo Canonistæ vocant interdictum deambulatorium. Item aliud est speciale, seu particulare, quo locus aliquis particularis, puta vna aliqua Ecclesia, vel vnum Monasterium: aut aliqua persona particularis, vt talis interdicitur, siue illa sit vnica, siue etiam plures, quæ singillatim, & non per modum vnius totius communitatis interdicantur. Aliud verò est generale, quo plura loca interdicuntur, aut plures personæ vnam communitatem constituentes: vt totum Regnum, tota Prouincia, tota ciuitas, & omnes Ecclesiæ in ea contentæ, aut omnes incolæ illius ciuitatis, aut Clerus, vel populus vniuersus, vel tota aliqua parœcia, id est non tantùm illius Ecclesia, sed & omnes personæ sub illa contentæ: siue in eadem ciuitate sint plures huiusmodi parœciæ, siue non. Cui generalitati non obstat, quòd excipiantur aliqui, siue ex voluntate ferentis interdictum, siue ex priuilegio.

3. Populo interdicto Clerus nõ interdicitur: & vice versa.

Vbi nota 1. quando populus interdicitur, Clerum non censeri interdictum, nisi exprimatur: & vice versa, quando clerus interdicitur, populum non censeri interdictum, sed posse aduocaris aliis clericis celebrare officia, & facere alia interdictis prohibita, cap. *Si sententia*, De sent. excomm. in 6. Ratio est, quia clerus & populus distinguuntur secundum vsum Ecclesiæ, & iuris canonici, & iste solet pro laico tantùm accipi, licet nomen populi, quantùm est de se, possit latiùs extendi ad totam multitudinem loci, ex clericis, & laicis constitutam. Item nomine cleri, quando interdicitur, non intelliguntur Religiosi, vt contra Toletum, & Conarruuiam bene docent Siluester verb. *Interdictum* 2. n. 17. Armilla eod. n. 10. Henriq. lib. 13. cap. 42. n. 3. & Aegid. Con. disp. 17. dub. 1. n. 9. Quia in odiosis & strictè interpretandis non comprehenduntur Religiosi nomine clericorum.

4. Neq; Personæ, quando ocurrentur.

Nota secundò quando locus tantùm interdicitur, personas non censeri interdictas; quare possunt alibi audire, vel celebrare diuina Officia, dare, vel recipere sacramenta, & mandari sepulturæ ecclesiasticæ: exceptis ijs qui causam dederunt interdicto; nam illi semper censentur esse personaliter interdicti. Et vice versa, quando personæ tantùm interdicuntur, locus non censetur esse interdictus. Vnde peregrini possunt ibi celebrare, & audire diuinum Officium, aliaque facere prohibita personis interdictis.

Interdictũ geo tale cõprehendit innocẽtes.

Nota 3. quando interdictum generale fertur in communitatem, illo comprehendi etiam innocentes, quamdiu sunt membra illius communitatis: ita vt nullibi diuinis interesse possint: vt colligitur ex c. proximè citato. Hoc autem fit non per modum pœnæ respectu illorum; sed propter bonum publicum; & vt ipsi excitentur contra eos, qui sunt causa interdicti: qui etiam censentur semper esse speciatim interdicti, quamuis interdictum sit generale, vt habetur cap. *Si sententia*, De sentent. excomm. in 6. & neque in loco, in quo tunc existunt, neque vspiam alibi possunt licitè interesse diuinis, vt expresè dicitur eod. cap.

5. Cõprehendũne peregrinos.

Nota 4. quando totus populus alicuius ciuitatis interdicitur, non comprehendi illos, qui non sunt illius ciues, quamuis studiorum, aut negotiorum causâ diutius ibi commorentur. Innocentes quoque desinunt ligari interdicto statim atque desinunt esse pars illius communitatis. Contra verò, qui post interdictum latum incipiunt esse pars illius communitatis, ligantur interdicto: quippe quod, quandiu durat, ligat totam illam communitatem. Si quis autem habet duo domicilia, vnum in loco, vbi totus populus est generaliter interdictus; alterum in loco non interdicto: debet seruare interdictum, quandiu habitat in priori loco, & est actu pars populi interdicti: secus autem in posteriori. Infantes etiam, & amentes non comprehenduntur interdicto generali personali, neque propter illud sunt priuandi sepultura ecclesiastica: secus autem si interdictum est locale. Cuius differentiæ ratio est, quia interdictum personale non inhabilitat locum, sed tantùm personas, quas ligat: non ligat autem infantes, & amentes, censuræ incapaces: ergo non impedit quò minùs sepeliantur in loco sacro non inhabili ad sepulturam ecclesiasticam. At verò interdictum locale inhabilitat locum ad omnem sepulturam ecclesiasticam. Quarè ne infantes qui

Et infantes vel amentes

Digitized by Google

dem, vel amentes possunt ibi illam habere. Loquor autem de infantibus, quandiu tales sunt. Nam quando attingunt sufficientem vsum rationis, incipiunt ligari interdicto personali generali lato in communitatem, cuius membra sunt, quamuis antea latum fuerit. Quandiu enim durat sententia, æquè influit in communitatem, ac si continuò ferretur. Propter quod etiam incipit ligare eos, qui de nouo fiunt membra illius communitatis, vt paulò ante diximus.

6. Interdict. si vrbis comprehendit suburbia.

Nota 5. quando interdicitur ciuitas, aut oppidum, interdici quoque illius suburbia, vt habetur cap. *si ciuitas*, De sentent. excommunic. in 6. Etiam si in alia sint dioecesi: quia ius hoc permittit Episcopo, ne frustretur eius interdictum, vt fieret, si possent incolæ illius participare commodè sacris in loco vicino. Interdicuntur etiam concomitanter Ecclesiæ Regularium exemptæ Vnde Trident. sess. 25. cap. 12. *Decreti De Regularibus, & Monialibus*, præcipit vt Religiosi, quamuis exempti, seruent in suis Ecclesiis interdicta ab Episcopis lata in loca, in quibus versantur. Non est autem necesse, vt quando ciuitas interdicitur, interdictum significetur in singulis Ecclesiis, sed sufficit promulgari in Ecclesia matrice: deberque tunc ab aliis seruari, etiam à Regularibus, iuxta Clement. 1. De senten. excommunic.

7. Non debet esse vaga sententia interdicti.

Nota 6. Quando propter delictum Domini terra illius interdicitur, & ille plures habet terras suæ ditioni subiectas, quæ plurali nomine non designantur, saltè confusè, & generaliter; sententiam esse nullam, quia vaga, & incerta est: nisi ex adiunctis illius, vel ratione materiæ, possit, ac debeat ad vnam præ aliis determinari. Putà, si vna ex illis est principalior, quæ soleat nomine terræ illius Domini antonomasticè intelligi: vel si in illa vna delictum commisit, & causam interdicti dedit: vel si illa vnica propriissimè illius est; quippe cuius est absolutè Dominus, & in reliquas habet tantùm Dominium emphiteusis, vel vsus fructus, aut pignoris tantùm loco eas possidet. Non est autem verum quod addit Silues. v. *Interdictum* 2. n. 4. Quando interdicitur terra alicuius, interdici eo ipso terram alterius, qui fauit illius crimini. Nam pœna non debet extendi vltra terminos iuris, aut sententiæ. Ac sicut quando censura fertur in aliquem delinquentem, non comprehendit eius fautores, aut cooperatores, nisi exprimantur: Ita neque interdictum latum in terram aliquam, extenditur ad alium fauentem, aut cooperantem crimini, nisi hoc exprimatur. Et hactenus de prima, & secunda diuisione Interdicti in locale, personale, & mixtum: generale, vel particulare.

8. Interd. Ab. aliud est à iure, aliud ab homine.

Iam verò tertiò Interdictum aliud est à iure, aliud ab homine. Istud cognoscitur per sententiam iudicis, per quam fertur. Illud autem multiplex est. Multi enim sunt casus in iure, quibus ipso facto incurritur Interdictum, de quibus dicemus sect. 3. Aduertendum verò est, nullum interdictum iure communi latum habere iam locum in Gallia, nisi post denunciationem: propter statutum, quod habetur in Concordatis, titulo de excommunicatis non vitandis: & neminem posse in Gallia interdictum ponere, nisi ex speciali mandato summi Pontificis, vt videre est in Stylo supremæ Curiæ Parlamenti Parisiensis, edito à Carolo Molinæo parte 3. tit. 44. §. 2. & 6. vbi refert duas Bullas summorum Pontificum, quibus datur, & confirmatur hoc priuilegium Regi Franciæ concessum.

Notanda pro regno Galliæ.

Addit Imbertus lib. 3. Practicæ Iudiciariæ cap. 9. n. 18. ex Priuilegio eidem Regi Christianissimo concesso à summo Pontifice, non posse vrbes & communitates huius regni supponi interdicto. Quem in locum Petrus Guenois eius commentator, citat Bullas Martini III. & IV. Gregorii VIII. IX. X. & XI. Alexandri IV. Clementis IV. & V. Nicolai III. Vrbani V. & Bonifacii VII. quas in thesauro Chartarum regiarum seruari affirmat. Aitque specialiter notandum esse Carolum V. Regem Francorum, hoc nimirum priuilegio Pontificio nixum, & veluti eius executioni incumbentem, per literas patentes anni 1369. inhibuisse omnibus Prælatis regni, eorumque ministris, ferre, aut pronunciare interdictum in vrbibus, & locis suæ dominationis. Et Carolum VII. per alias patentes anni 1440. die 2. Septembris mandasse Senatui, & Præposito Parisiensi, aliisque omnibus iudicibus, vt ne permitterent id fieri, punirentque transgressores huius ordinationis, veluti perturbatores pacis, & quietis publicæ. Extant quoque in Conuentu Burdegalensi Reuerendorum Patrum Recollectorum literæ patentes Francisci primi datæ 21. Maii, an. 1523. contra Prælatos, qui ferunt interdictum sine commissione Regis, & Parlamentorum. Cúmque Archiepiscopus Burdigalensis conuentum quendam Religiosorum interdixisset, contentione cum illis exorta super eorum priuilegiis, coactus fuit auctoritate eiusdem Regis Francisci primi tollere Interdictum, id est, sententiam suam retractare: citatusque Parisios personaliter, damnatus ibi fuit per Commissarium Apostolicum ipsi datum, sententiâ latâ in iudicè, anno 1523. die 13. Octobris: vt patet ex literis authenticis apud eosdem Patres Recollectos seruatis.

9. Et pro Regularibus exemptis.

Quamquam, quod attinet ad Regulares, alia specialis est ratio cur ipsi, eorumue loca ex empta non possint interdici ab Episcopis, & aliis locorum Ordinariis: quia scilicet carent Episcopi, aliique Ordinarii iurisdictione circa illos ad id necessariâ: estq; specialiter hoc illis prohibitum à summis Pontificibus per priuilegia concessa Regularibus, quorum nonnulla subiiciam. Et quidem in fauorem Reuerendorum Patrum

Ordinis Prædicatorum, & consequenter aliorum, qui participant eorum priuilegiis, ita statutũ fuit per Bullam Sixti IV. quæ incipit, *Regimini vniuersalis Ecclesiæ*, vbi etiam confirmatur altera constitutio Gregorii XI. priùs edita eadem de re: in hæc verba: *Et ne Diœcesani locorum, & alii Ordinarii, in personas, & loca Fratrum Prædicatorum contra eiusdem Gregorii prædecessoris ordinationem sibi quamcunque iurisdictionem, & superioritatem vendicare præsumant, districtiùs inhibemus, ne quisquam absque aucta sedis speciali commissione, & auctoritate, in personas, domos, & loca dicti Ordinis Prædicatorum, vtpote prorsus exempta, aliquas excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, specialiter, vel generaliter, quomodolibet promulgare, aut aliquam præeminentiam, superioritatem, & iurisdictionem quomodolibet exercere præsumat.* Cui constitutioni, & similibus non derogari per Tridentinum, declarauit Pius V. eius interpres irrefragabilis, in Bulla, quæ incipit, *Romanus Pontifex*, data anno 1568. Idem autem priuilegium Nicolaus IV. in Bulla, *Etsi sanctorum*, &c. concessit Fratribus Minoribus addità pœnâ excommunicationis ipso facto incurrendæ à transgressoribus huius priuilegii. Et Clemens VI. Religiosis S. Augustini, per Bullam, quæ incipit *Ad fructus vberes*. Et Cœlestinus Eugenius IV. per Bullam, quæ incipit, *Ad decorem*. Et Trinitariis Clemens V. per Bullam *Sacer Ordo*. Et Carmelitis Sixtus IV. per Bullam, *Dum attenta*: quâ confirmat etiam Bullam *Sacer Ordo*, Ioannis XXII. idem priuilegium illis concedentis. Quod etiam Paulus III. specialiter concessit Religiosis Societatis Iesu, addens ne quidem sæculares eorum causâ posse Censuris subiicii ab Ordinariis: vt est in Bulla *Licet debitum*, datâ anno 1549. cuius verba sunt; *Societatem, & vniuersos illius socios, & personas, illorumque bona quæcunque ab omni superioritate, iurisdictione, & correctione quorumcunque Ordinariorum eximimus, & liberamus, ac sub nostra & Sedis Apostolicæ protectione suscipimus.* Et paulò post: *Nec vllis Prælatis contra aliquem de prædicta societate, vel contra alios eorum causâ, aliquam excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententiam, contra eiusdem Societatis Priuilegia per nos concessa (quorum interpretationem nobis, & Apostolicæ Sedi reseruamus) ferre liceat; & si tulerint, eo ipso irrita, nullius que roboris, vel momenti sint, & censeantur.* Hanc verò Bullam, & alias præcedentes integrè relatas vide apud Rodericum in collectione priuilegiorum Apostolicorum Regularium sub iisdem Pontificibus.

10. Interdictũ aliud est totale, aliud partiale.

Quartò diuiditur interdictum in totale, & partiale, quæ diuisio cadit in omnia, & singula membra suprà explicata. Nam interdictum locale, vnum est totale, aliud partiale. Similiterque personale in totale, & partiale subdiuiditur: & sic de cæteris. Totale dicitur illud quod fertur absolutè quoad omnes effectus interdicti. Partiale verò, quando fertur solùm quoad vnum, vel aliquos: vt si quis tantùm interdicatur ab ingressu Ecclesiæ, vel ab ecclesiastica sepultura. Nam interdictum in eo differt ab excommunicatione, & conuenit cum suspensione, quod potest pro ferentis arbitrio limitari ad hunc, aut alterum effectum, & non necessariò extenditur ad omnes, sicut excommunicatio.

Item aliud est censura, & aliud pœna

Quintò denique sicut suspensio latè sumpta diuiditur in eam, quæ tantùm est pœna, pro delicto præterito, & eam quæ fertur propter contumaciam adhuc perseuerantem, estque propriè censura: & hæc non cessat sine absolutione: secus autem illa si feratur ad certum tempus. Sic interdictum latiùs sumptum duplex est, vnum, quod est purè pœna propter delictum omnino præteritum: alterum, quod est censura propriè dicta, ob præsentem contumaciam. Quorum illud cessat per seipsum elapso tempore, vel conditione, sub qua latum est: istud verò indiget absolutione ab eo qui potestatem habet: vt rectè cum pluribus aliis notat Layman lib. 1. tract. 5. parte 4. cap. 5. initio. Quæ differentia cognoscitur ex materia subiecta, & verbis canonis, aut sententiæ, quibus fertur interdictum; vt si dicat, Donec resipuerit: Quousque satisfecerit, aut restituerit, & similia, quæ significant tractum successiuum, id est, aliquam peccati continuationem, & contumaciam, propter quam corrigendam censuræ infliguntur.

SECTIO II.

De *causis, & effectibus Interdicti.*

11. Causa efficiens.

CAusa efficiens interdicti est quicunque potest excommunicare. Quilquis enim habet potestatem excommunicandi, habet etiam potestatẽ interdicendi: vt colligitur excap. *Cum ab Ecclesiarum*, De officio Ordinarii, vbi quoad hoc æquiparantur interdictum, & excõm. Itaq; quicunq; habent potestatẽ condendi Can. aut statuta, obligantia sub poena excommunicationis: habẽt etiam potestatem ferendi interdictum à iure. Et qui potest ferre sententiam excommunicationis, potest similiter ferre interdictum ab homine. Est autem duplex hæc potestas. Vna ordinaria, seu competens ratione officii: cuiusmodi est in Episcopis, & Prælatis superioribus, & aliis habentibus Episcopalem iurisdictionem. Altera delegata, quæ competit ex commissione, vel ex priuilegio: vt in aliis. Quamuis autem Episcopus, & alii ferentes interdictum, non possint seipsos interdicere: tenentur tamen seruare interdictum à se latum: neque possunt in locis à se interdictis celebrare, aut personas interdictas admittere ad sacra, nisi priùs interdictum tollant, aut suspendant; & si cons-

tra faciunt, incurrunt poenas à iure statutas. Quæ omnia intellige excepto summo Pontifice.

12. Causa materialis remota & proxima.

Causa materialis remota, id est, quæ potest interdici, latiùs patet, quàm materia excommunicationis, & suspensionis. Nam soli clerici possunt suspendi: at laici etiam possunt interdici. Item loca, & communitates, non possunt excommunicari, quæ tamen possunt interdici. Debent autem personæ vel loca, quæ interdicuntur, subesse iurisdictioni interdicentis. Excepto casu, quo per iuris concessionem interdictum extenditur vlteriùs, vt diximus num. 6. Materia verò proxima interdicti, seu causa, propter quam fertur, est peccatum aliquod grauissimum, & contumacia contra Ecclesiam, præsertim si est interdictum generale. Sunt tamen, qui affirmant posse pro peccato veniali ferri leue aliquod interdictum personale: vt si quis interdicatur ad breue tempus ab vsu communionis, vel ab ingressu Ecclesiæ. Quod verum esse existimo. Nam hæc pœna non est grauior, quàm excommunicatio minor, quæ tamen ferri potest ob peccatum veniale. Porrò interdictum personale speciale non potest ferri in aliquem sine propria ipsius culpa. Generale verò non nisi pro peccato magnæ partis cõmunitatis, vel capitis illius; ita vt moraliter ad totam illam pertineat; quamuis etiam innocentes comprehendat. Ratio est, quia poena debet esse proportionata culpæ. Atqui poena communis non est proportionata culpæ vnius, aut alterius priuatæ personæ: neque enim æquum est vt propter illius delictum tota communitas patiatur. Idemque sentiendum est de interdicto locali generali, quia redundat in grauamen communitatis. Imo etiam locale particulare requirit causam aliquo modo communem: quia redundat in grauamen plurium personarum, etiam innocentium.

13. Causa formalis.

Forma verò, seu modus ponendi interdictum, hic solet esse, quando fertur ab homine; Interdicimus talem locum, aut ciuitatem, clerum, populum, talem personam &c. Debetque ferri scripto post trinam monitionem, aut vnam pro tribus cum interuallo competenti: monitionem, inquam, illius, cuius causâ interdictum ponitur, vt dicitur partim in cap. *Cum medicinalis*, De sentent. excommunic. in 6. & partim in cap. *Reprehensibilis*, De appellationibus. Quod intellige de interdicto lato per modum censuræ ad reprimendam contumaciam. Nam quando fertur per modum poenæ dumtaxat, propter delictum præteritum, non est necessaria monitio: sicut neque quando fertur à iure. Finis denique est defensio Ecclesiæ, & correctio delinquentis.

14. Per interdictũ prohibetur celebratio officij diuini.

Iam verò effectus interdicti sunt sex. Primus est prohibere celebrationem, & auditionem Officii diuini, cap. *Si sententia*, De sentent. excommunic. in 6. Per Officium diuinum intellige sacrificium Missæ, & preces ecclesiasticas, prout solemniter à clericis, vel à Monialibus recitari solent. At non prædicationem. Nam tempore interdicti licet publicè prædicare, & prædicationi assistere. Hæc autem prohibitione non comprehenduntur infantes, & carentes vsu rationis. Et in cap. *Alma mater*, De sentent. excommunic. in 6. permittitur clericis non interdictis, vt tempore interdicti generalis possint in Ecclesiis, & monasteriis celebrare Missas, & officia diuina, sicut priùs, sed voce submissa, vt exteriùs audiri nequeant, sine pulsu campanæ, ianuis clausis, & exclusis excommunicatis, & interdictis, etiam innocentibus, imò & peregrinis, qui in terris interdicti existunt, & non habent priuilegium vt sacris interfint. Ac si clerici sunt beneficiati, non modò possunt, sed etiam tenentur interesse diuinis officiis, cap. *Alma*, citato. Nomine autem clericorum intelliguntur hic etiam Religiosi, & Moniales (vt in fauorabilibus) & omnes initiati primâ tonsurâ, dummodo sint cœlibes, & non bigami, & vestem, atque tonsuram clericalem ferentes, inseruiant ex mandato Episcopi alicui Ecclesiæ, audeant operam studijs cum intentione disponendi se ad maiores ordines recipiendos: necnon etiam clerici coniugati, qui iuxta decretum Tridentini sess. 23. cap. 6. De Reform. ex mandato Episcopi, alicui Ecclesiæ seruiunt: vt post Auilam, Sotum, & Rodriguez docet Aegid. Con. disp. 17. dub. 2. n. 30. Item nomine Ecclesiarum, & monasteriorum, in quibus cap. *Alma*, permittitur celebrari, comprehenduntur hospitalia, & oratoria priuata ab Ordinariis designata.

15. Permittitur tamen in quibusdam festis solemnitatibus.

Eodem cap *Alma*, conceditur vt in festiuitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis B. Virginis (quibus Martinus V. & Eugenius IV. addiderunt festum Corporis Christi cum octaua, & festum Conceptionis etiam cum octaua, sed in illis tantùm Ecclesiis in quibus recitatur illud Officium, quod incipit *Egredimini*) liceat sacrum, & officia diuina celebrare, vt priùs; exclusis solùm excommunicatis; & iis qui interdicto causam dederunt, ab altaris accessu prohibitis: id est, vt exponit Aegid. supra n. 35. prohibitis à sacra communione, & oblationibus. Per festum verò Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes, intelligunt aliqui tempus, quod excurrit à primis vesperis vsque ad secundas, & Completorium inclusiuè. Alii festum Paschæ, & Pentecostes inchoant à sacro vigiliæ, quia illud per anticipationem fit de ipso festo. Alii etiam nomine festi Natalis, Paschæ, & Pentecostes comprehendunt duos, vel tres dies post: quia hæc festa singula per tres, aut quatuor dies celebrantur: qui omnes vocantur festiuitas Natalis Domini, vel Paschæ, aut Pentecostes: & cap. *Alma*. cit. dicitur Officia diuina esse in his festiuitatibus celebranda, more consueto extra tempus interdicti.

Secundus

16. Prohibetur etiam vſus quorundã ſacramentorum.

Secundus effectus eſt prohibere adminiſtrationem, & ſuſceptionem quorundam ſacramentorum: exceptis ſcilicet ſacramentis Baptiſmi tam pro adultis, quàm pro infantibus, etiam ſolemniter, & cum cerimoniis ordinariis, itemque Confirmationis, & Pœnitentiæ. Euchariſtia verò conceditur ſolùm conſtitutis in articulo mortis. Extrema vnctio ne illis quidem. Matrimonium etiam, ſecundum aliquos, eſt abſolutè prohibitum, & omnino illicitum tempore interdicti. Secundum alios non eſt illicitum, modò fiat abſque ſolemni benedictione.

Non tamẽ Baptiſmi.

Circa quæ nota 1. Baptiſmum tempore interdicti dari licitè poſſe non ſolùm infantibus, verùm etiam adultis, propter periculum mortis, vt dicitur cap. *Quoniam*, De ſententia excom. in 6. Neque ſolùm priuatim, ſed etiã ſolemniter in loco interdicto, vt colligitur ex eodem cap. vbi ſupponitur dandum eſſe cum vnctione Chriſmatis, quæ vnctio pertinet ad ſolemnitatem Baptiſmi, & non eſt maior ratio de hac cerimonia, quàm de aliis: quare ſimiliter omnes aliæ poſſunt æquè adhiberi. Item, quia Baptiſmus ſolemnis non debet dari niſi in Eccleſia, vel alio loco ſacro ad id deſtinato, colligitur ex eodem cap. licitè dari in iis locis, quamuis interdictis. Si tamen eſſet alius locus ſimilis non interdictus, qui facilè poſſet adiri, conſultius id eſſet. Sed niſi ſcandalum timeatur, non teneretur parochus adire aliam Eccleſiam ſua relicta, vt ſuos baptizet, quamuis commodè poſſit: quia interdictum ad id non obligat, cùm locus non ſit quoad hoc interdictus. Poteſt etiam qui perſonaliter eſt interdictus, licitè baptizare ſolemniter, niſi ſpecialiter ſit interdictus, directè, aut virtualiter eò quòd interdicto generali perſonali, aut locali cauſam dederit. Nam iſte non poteſt, niſi priuatim, & in caſu neceſſitatis; vt fuſiùs docet Suar. diſp. 33. ſect. 1. n. 5. & 6.

17. Neque Confirmationis.

Nota 2. de Confirmatione idem ſentiendũ eſſe, ac de Baptiſmo, quippe cui æquiparatur quoad hoc, in cap. *Reſponſo*, De ſentent. Excommun. & cap. *Quoniam* eod. tit. in 6. poſſe videlicet dari cum omni ſua ſolemnitate tẽpore interdicti, & in loco interdicto, perſonis etiam interdictis: exceptis illis, qui interdicti cauſam dederunt, argumento capitis *Alma mater*, De ſentent. Excommun. in 6. & conſequenter licere ſuo tempore confice re Chriſma huic ſacramento miniſtrando neceſſarium. Pœnitentia verò expreſsè conceditur eod. cap. *Alma*, non ſolùm omnibus in periculo mortis, verùm etiam extra, præterquam illis, quorum culpa fuit cauſa Interdicti; qui non ſunt abſoluendi ſacramentaliter, donec ſatisfecerint, modo ibi præſcripto. Exceptis etiam excommunicatis, vt ibidem dicitur, excommunicatione videlicet reſeruata, vel ſolemniter abſoluendis. Et denique poteſt dari in Eccleſia, licet interdicta, & à quolibet habente alioqui ius abſoluendi, exceptis ſpecialiter interdictis directè, aut virtualiter, qui non poſſunt abſolue-

Neque Pœnitentiæ.

re, niſi in caſu neceſſitatis, vt ſuprà dixi de Baptiſmo.

18. Neque Euchariſtiæ per modũ Viatici.

Euchariſtia quoque per modum Viatici conceditur eo ipſo, quòd pœnitentia morientibus non negatur, vt dicitur cap. *Quod in te*, De pœnitentiis & remiſſionibus: poteſtque ſimiliter dari à quolibet non ſpecialiter interdicto, & habente alioqui ius. Poteſt etiam, ac debet deferri ad ægro os cum honore conſueto, & debito, iuxta cap. *Sanè*, De celebratione Miſſarum: dato etiam ſigno cãpanæ, vt moneatur populus, ad comitandum, & venerandum ſanctiſſimum Sacramentum. Extra hunc verò caſum non permittitur interdictis, aut in loco interdicto communicare: exceptis illis, qui ex reſtrictione iuris, vel ex priuilegio facultatem habent. Exiſtimo autem cum Suare ſectione citata, numero trigeſimo quinto. Sufficere ad communicandum, habere facultatem aſſiſtendi Miſſæ ſacrificio: quia communio aſſiſtentium eſt valde conſentanea inſtitutioni, & celebrationi huius ſacrificii, & olim omnes adſtantes communicabant: velletque Eccleſia nunc etiam id fieri, vt fideles melius ſacrificio participarent, quemadmodum ait Trident. ſeſſ. 22. cap. 6. Vnde etiam quia in cap. *Alma* cit. permittitur fidelibus tempore interdicti aſſiſtere Miſſæ ſacrificio, & diuinis Officiis in feſtis Natalis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & Aſſumptionis Beatæ Virginis: permittitur conſequenter, vt iiſdem diebus poſſint communicare. Quod etiam ſignificant hæc eiuſdem capitis verba, *Participationem permittimus diuinorum*. Exceptis tamen illis, propter quorũ exceſſum interdictũ fuit latum, quos ibid. prohibet altari tunc appropinquare, id eſt, ad oblationem, & communionem accedere. Si tamen eſſet alicubi contraria Eccleſiæ conſuetudo, debet in praxi ſeruari. Suppoſito autem, quòd interdictum non impediat communicare in Paſcha, conſequens eſt fideles, non modò poſſe, verùm etiam debere, vt ſatisfaciant præcepto Eccleſiæ.

19. Prohibetur Extrema vnctio.

At verò Extrema vnctio expreſsè prohibetur: vt patet ex cap. *Quod in te*, de Pœnitent. & Remiſſionib. cuius verba ſunt: *Licet per generale interdictum dengetur omnibus tam vnctio, quàm eccleſiaſtica ſepultura*, &c. Vbi nota particulam *Omnibus*, omnes tam clericos, quàm laicos comprehendere; & regulares, æquè ac ſæculares, quorum nulli dare licet Extremam vnctionem: vt confirmat exceptio, quâ paulò poſt permittitur ibidem vt clerici, & religioſi donari poſſint eccleſiaſticâ ſepulturâ. Et quamuis caput citatum loquatur ſolùm de interdicto generali loci: de aliis tamen cum proportione idem ſentiendum eſt: quia de illis eſt eadem, vel maior ratio: & de illis procedit generalis prohibitio Sacramentorum, tempore interdicti, excepris caſibus, & Sacramentis iure expreſſis. Ob eandemque cauſam nemini

Et sacramentũ Ordinis, ac Matrim.

potest conferri sacramẽtum Ordinis tempore interdicti, & personis interdictis, non modò laicis, sed neque etiam personis ecclesiasticis: vt perperam existimauit Innocentius in cap. *Non est vobis*, De spontalibus; quia in nullo iure habetur hæc exceptio. Idemque probabilius censeo de sacramento Matrimonii: quia neque in cap. *Alma mater*, neque alibi ius illud excipit. Nisi fortè contraria consuetudo hanc exceptionem alicubi introduxerit. Alioquin etiam probabilius est, & cõformius supradictis, illicitum esse matrimonium interdictis, non modò quoad solemnitatem benedictionis nuptiarum, quæ fit cum Missæ sacrificio, & sine dubio comprehenditur nomine diuinorum officiorum prohibitorum generaliter tempore interdicti; verùm etiam quoad substantiam ipsam sacramenti Matrimonii. Secus autem quoad sponsalia tantùm, quæ non sunt sacramentum, neque cum officio diuino contrahuntur.

20. Interdicti tantùm ab ingressu Ecclesiæ, possunt extra recipere sacramenta.

Nota tertiò: Quando interdictum est tantùm partiale ab ingressu Ecclesiæ, (quod in interdicto personali solùm contingi, nam locale nunquam prohibet ingressum Ecclesiæ absolutè, sed dumtaxat ad participanda sacramenta, vel audienda officia diuina: & vbique tempore interdicti localis, siue generalis, siue particularis, permittitur fidelibus ingredi Ecclesiam ad priuatim orandum, vel audiendam concionem) Quando, inquam, interdicitur solùm aliquis ab ingressu Ecclesiæ, non prohibetur illi recipere sacramenta extra Ecclesiam, vel assistere Missæ in oratorio priuato: sed tantùm in Ecclesia, id est, in Templo publicè deputato auctoritate Episcopi ad Sacra facienda, siue illud sit consecratum, aut benedictum, siue non. Nam censura non plus prohibet, quàm contineant verba legis, aut sententiæ, propriè, & strictè sumpta. Cùm ergo Canon, aut sententia tale interdictum ferens, prohibeat solummodò ingressum Ecclesiæ, permittit interdictis, vt faciant extra Ecclesiam quæ illis antea licebant, vt celebrare, vel audire Sacrum in priuato sacello approbato, communicare ibidem, & sacramentum Extremæ vnctionis domi recipere in ægritudine mortali, vt post Nauarrum, Siluest. & alios rectè affirmat Suares disput. 35. sect. 4. num. 6. addens num. 16. in supradicta prohibitione nomine Ecclesiæ non comprehendi cœmeterium, licet Ecclesiæ contiguum: quia cœmeterium non est Ecclesia propriè, neque illius pars, sicut Capellæ intra ipsum ædificatæ, aut immediatè adiunctæ, & verba legis pœnalis sunt propriè, & strictè interpretanda.

21. Nec obstat quod dicitur cap. *Si ciuitas*, De sentent. excomm. in 6. interdictâ ecclesiâ, cœmeterium contiguum esse consequenter interdictum: videlicet, quia accessoriũ sequitur principale, aut sub illo comprehenditur: vnde pariter qui prohibetur ab ingressu Ecclesiæ, consequenter prohibetur ab ingressu cœmeterii contigui. Respondeo enim axioma illud, *Accessorium sequitur principale*, non habere locum in pœnalibus, & odiosis: neque in illo fundari resolutionem capitis, *Si ciuitas*, sed in ratione ab ipso reddita, *Ne vilipendi valeat Interdicti sententia*. Vilesceret enim, si in loco sacro, Ecclesiæ interdictæ contiguo, liceret facere, quæ in ea fieri prohibentur. Quæ ratio non habet locum in interdicto personali, quod afficit personam, solùm in ordine ad talem locum, permittens illi vt extra, putà in oratorio domus suæ, quamuis contiguo, Sacrum audire, vel celebrare possit.

22. Non possunt tamẽ sepeliri in cœmeterio.

Non obest etiam, quòd interdictus ab ingressu ecclesiæ, si moriatur in eo statu, non potest sepeliri, ne quidem in cœmeterio: Respondeo enim ita esse, non quia nomine Ecclesiæ, quæ interdicitur, intelligi debet cœmeterium: sed quia specialiter ita statuitur capite *Is cui*, De sententia excommunicationis in 6. cuius verba sunt: *Is, cui est Ecclesiæ interdictus ingressus (cùm sibi per consequens censeatur in ipsa diuinorum celebratio interdicta) irregularis efficitur, si contra interdictum huiusmodi, diuinis in ea se ingerat, in suo agens officio, sicut prius. Talis quoque si hoc interdicto durante decedat: non debet in Ecclesia, vel cœmeterio ecclesiastico (nisi pœnituerit) sepeliri.* Vbi nota quod ait, *in ecclesia, vel cœmeterio*, significans hæc duo distingui, & neutrum sub altero comprehendi: alioqui frustra secundum addidisset. Nota etiam verba illa, *Cùm sibi per consequens, &c.* quæ manifestè significant duo prohiberi per interdictum ab ingressu ecclesiæ. Primò scilicet, & directè, ac per se simpliciter, ingressum ipsum. Secundò, & consequenter celebrationem, vel participationem diuinorum in illa. Contra Couarruuiam in cap. *Alma mater*, parte 2. §. 1. numero 3. Nauarrum capite 25. Manualis, numero 75. & plures alios Canonistas, quos isti citant, quibus accedunt Angelus verb. *Suspensio* 3. numero 6. & Siluester eodem verbo, quæstione 5. propè finem, affirmantes prohiberi solummodo ingressum ecclesiæ ad celebranda, audienda, vel accipienda diuina: non autem ad priuatim orandum. Quæ sententia potest amplius refutari ex capite *Latorem*, 33. quæstione 2. vbi Matricida quidam interdicitur his verbis ab ingressu ecclesiæ: *Per annum integrum ecclesiam non ingrediatur, sed ante fores Basilicæ stans, orans, & deprecans Dominum, perseueret*: priuata scilicet oratione, vt manifestum est: neque enim inde potest officia diuina celebrare licitè cum aliis, vt fatentur ipsi aduersarii. Excipiendus est tamen ingressus ad audiendam concionem, quæ nunquam prohibetur per interdictum, tametsi in loco sacro habeatur. Quoad alia verò licet cõtraria sentẽtia, sit practicè probabilis,

Digitized by Google

propter fauorabilem interpretationem tam multorum, grauiumque Doctorum, quibus placet: non videtur tamen habere sufficiens fundamentum in iure, quod potiùs illi resistit.

Prohibetur sepultura ecclesiastica.

Tertius effectus est prohibere sepulturam ecclesiasticam, id est, in loco sacro, aut cum officiis ecclesiasticis circa corpus defuncti, cap. *Quod in te*, De pœnit. & remissionibus. Possunt tamen in Ecclesia celebrari pro defuncto, cum moderatione quam supra diximus ex cap. *Alma*, Et quidem nullus siue infans, siue adultus potest tumuliri ecclesiasticâ sepulturâ in loco interdicto; quia prohibitio capitis citati, *Quod in te*, est generalis, & omnes comprehendit, exceptis clericis, qui ibidem excipiuntur, vt mox dicemus: & quæuis corpora baptizatorum, siue infantium, siue adultorum, sunt æquè capacia huius interdicti, quia vtrorumque sepultura in loco sacro, vel cum officio diuino, est verè sepultura ecclesiastica; & hæc prohibitio non requirit vsum rationis in sepultis, sed in sepelientibus, ad quos directè fertur. In quo differt hic effectus interdicti ab altero, de quo sup. quo prohibentur officia diuina: hic enim ex parte audientium, aut celebrantium, requirit vsum rationis, idcóq; non comprehendit infantes, nec amentes. Nullus etiam personaliter, & nominatim interdictus potest vllibi sepeliri in loco sacro, vt habetur in Clement. *De sepult.* At verò qui generaliter tantùm interdictus fuit, si causam interdicto non dederunt, possunt sepeliri in loco sacro non interdicto, vt bene docent Suar. disp. 35. de Censuris, sect. 3. n. 2. & Con. disp. 1. dub. 2. n. 56. Item in cap. *Quod in te*, De pœnitentiis, & remiss. permittitur, vt in generali interdicto, clerici, qui causam illi non dederunt, & illud seruarunt, sepeliri possint in loco sacro cum silentio, & sine pulsu campanarum. Potest tamen circa corpus mortuum ipsorum celebrari diuinum officium cum moderatione capitis *Alma*, sup. cit. id est, in ipsa ecclesia clausis ianuis, &c. Et si clericus moriatur diebus festis solemnioribus supra nominatis, poterit cum omni celebritate sepeliri. Secus autem laici, quibus ne sepultura quidem ecclesiastica tunc conceditur per caput *Alma*, vel aliud ius Canonicum: vt contra Couarruuiam rectè probat Suarez disputatione 35. sectione 1. numero 13. Notandum tamen, clericos coniugatos non gaudere hoc priuilegio, neque degradatos, aut realiter depositos; sed eos tantùm, qui gaudent communibus priuilegiis clericorum, iuxta caput vnicum *De clericis coniugatis* in 6. & Tridentinum sessione 23. capite 6. de Reformatione, qui sicut licitè possunt admitti ad diuina tempore interdicti; ita & in loco sacro possunt tunc sepeliri. Secus autem illi, qui solùm gaudent priuilegio clericali fori, & Canonis *Si quis suadente*, vt clerici coniugati: vel nullis planè, vt degradati, & realiter depositi.

241

Clerici violantes testinterdictum peccant mortaliter.

Quartus effectus: Clerici violantes interdictum peccant mortaliter, nisi excusset inaduertentia, vel leuis negligentia, vel paruitas materiæ, vel grauis aliqua necessitas excusans ab obligatione præcepti ecclesiastici. Ratio est, quia ipsis præcipuè obseruatio interdicti præcipitur. Laici quoque personaliter interdicti peccant mortaliter, si recipiant sacramenta ipsis prohibita, præsertim illi, qui specialiter sunt interdicti directè, aut virtualiter: vel se ingerant diuinis Officiis. Item que illi, qui cum scandalo violant interdictum, aut violenter se ingerunt Officio diuino priuatim celebrato à clericis iuxta caput *Alma*: vel clericos inducunt, vt coram se in loco interdicto celebrent illicitè diuina officia: vel etiam si ipsimet celebrant more clericorum: vt rectè docet Aegidius Coninck d. b. o citato, numero 66 post Nauarrum, Aulam & Henriquem quos citat. Si tamen laicus sine vi, fraude, vel scandalo audit sacrum in loco interdicto, peccat tantùm venialiter secundum multos, aut nullo modo secundum alios. Excusant etiam aliqui à peccato mortali eos, qui sine violentia, per fraudem, aut mendacium dumtaxat, obtinent priuilegium vt interfint diuinis, fingentes se esse clericos, aut quid simile. Porrò qui habet verè priuilegium, potest diuinis Officiis interesse, etiam cum sua familia, id est, cum vxore, liberis, famulis, comitatu: modò inter illos non sit qui dedit causam interdicto, vel qui in fraudem illius sit admissus in familiam. Existimo autem tales obligari ad Sacrum audiendum diebus festis; quia possunt, & tenentur, si possunt absque graui incommodo, parere communi Ecclesiæ præcepto. Licet nonnulli contrarium sentiant; quia, inquiunt, non tenentur vti suo priuilegio, sed possunt seruare præceptum generale.

242

Et incurrunt irregularitatem in casibus.

Quintus effectus: Clericus violans interdictum in administratione sacramentorum, vel per actum Ordinis eo modo, quo à laicis exerceri nõ potest, fit irregularis: cap. *Is ui*, & ea, *Inqui*, §. *Is verò*, De sẽt. excõ. in 6. Et si celebret in locis interdictis, aut coram excõmunicatis, vel interdictis nõ toleratis, interdicitur ab ingressu ecclesiæ donec competẽter satisfecerit illi, cuius sententiam contempsit, cap. *Episcoporum*, De priuileg. in 6. Præterea quicunque clericus interdictum violat fit actiuè, & passiuè incapax electionis, & postulationis ad dignitates ecclesiasticas, & priuatur ecclesiastica sepultura: vt colligitur ex capp. supra citatis De sent. excom. & cap. 1. de Postulatione. Videatur Suarez disp. 33. sect. 3. & disp. 34. sect. 4. n. 14. & seqq. vbi fusè de hoc effectu disputat. Notatque 1. ab his pœnis excusare casũ necessitatis propriæ, vel alienæ, puta si casus sit occultus, & clericus non possit à suo officio abstinere sine periculo infamiæ. Vel si Episcopus interdictus exerceat aliquem actum sui Ordinis propter

Digitized by Google

vrgentem neceſſitatem Eccleſiæ. Quia leges, & prohibitiones eccleſiaſticæ non obligant cum tanto rigore, quin propter grauem neceſſitatem ceſſet, aut veluti ſuſpendatur earum obligatio. Secundò, ad illas incurrendas requiri, vt interdictum violetur ſcienter, & cum præſumptione, quia in cap. *Is qui*, §. *Is verò*, additur particula *ſcienter*: & cap. *Epiſcoporum*, De priuilegiis in 6. additur eadem particula *ſcienter*, & verbum *præſumpſerint*, & *contempſerint*. Quare excuſat ignorantia, licet culpabilis, modò non ſit adeò craſſa, & affectata, vt æquiualeat præſumptioni: excuſat etiam grauis metus, vt alibi diximus de Excommunicatione, & de Cenſuris in genere. Tertiò iiſdem pœnis nõ ligari qui cum priuilegio, vel conceſſione iuris exercent actus Ordinis tempore interdicti: quia non illud violant, & diſertè excipiuntur cap. *Is qui*, ſupra cit. §. *Is verò*, verbis illis: *Niſi ſuper hoc priuilegiatus exiſtat, aut à iure conceſſum ſit eidem*: & cap. *Epiſcopus*, vbi dicitur, *Nisi quatenus eis à iure conceditur*. Quartò, non incurri quoque per adminiſtrationem ſacramentorum, aut alios actus eo modo factos, quo à laicis licitè fieri poſſunt in caſu neceſſitatis, vel extra. Qua de cauſa dixi, *eo modo quo à laicis exerceri non poſſunt*: eadem que de cauſa capite *Is cui*, dicitur, *Si in ſuo gens officio*, &c. quod omnes intelligunt de Officio clericali pertinente ad aliquem Ordinem. Nimirum quia non ſunt alioqui propriè actus ordinis: & ex communi Doctorum ſententia, ad incurrendam irregularitatem propter malum vſum ordinis, tria requiruntur. Primò, vt is qui miniſtrat, ordinatus ſit. Secundò, vt actus, quem exercet, requirat ordinem, veluti neceſſarium, vt validè, aut licitè ita fiat. Tertiò, vt talis actus ſub interdicto comprehendatur. Quare clericus miniſtrans baptiſmum non ſolemniter in caſu neceſſitatis, non incurrit irregularitatem, quamuis ſit interdictus: neque exercens tantùm actus minorum ordinum.

26. Religioſi qui non illud ſeruant excommunicantur.

Sextus effectus: Religioſi, quamuis exẽpti, non ſeruantes interdictum Eccleſiæ Matricis, aut Parochialis loci, in quo ſunt, excommunicantur Clementina 1. de Sentẽt. excommunic. Et in 2. Clementina eod. tit. excommunicatur ipſo iure, excommunicatione reſeruata Papæ, interdictus nominatim, nolens iuſſus egredi tempore diuini officii: & Dominus loci impediens ne talis egrediatur, aut compellens clericum publicè, & ſolemniter celebrare diuina officia in loco interdicto, vel præſumens pulſu campanæ, aut voce tubæ conuocare populum ad diuina officia in eodem loco.

Sepelientes in loco interdicto excommunicantur.

Septimus effectus: Quicunque in loco interdicto aliquem ſepeliunt, excommunicantur ipſo iure, Clement. 1. de Sepult. Quod ſignum eſt grauiter eos peccare. Non tamen propterea exhumanda ſunt corpora defunctorum quorum nulla eſt culpa, vt bene docent Angel. v. *Interdictum* 6. num. 33. & alii Summiſtæ eodem verbo: & Suarez diſp. 35. ſect. 1. n. 20. quia Eccleſia prohibet tantum, & punit hac pœna ipſum ſepeliendi actum, non autem effectum, ſeu terminum illius, poſtquam iam factus eſt. Niſi perſona ipſa fuerit excommunicata non tolerata, vel ſpecialiter, & nominatim interdicta, ac denunciata: iuxta ea quæ diximus alibi de Excommunic. In eadem Clement. extenditur ſupradicta excommunicatio ad eos, qui perſonas nominatim interdictas ſciẽter ſepelire præſumunt. Quod intellige, ſi per iudicẽ ſpecialiter, & nominatim ſint interdictæ, ſeu declaratæ, vt dicitur eodem loco, & confirmatur ex Decreto Conſtantienſis, *Adriandæ*, vi cuius ne culpa quidem vlla incurritur ſepeliendo tolleratos, quia omnem obligationem abſtulit.

SECTIO III.

De Interdictis iure impoſitis.

27. Interdicta perſonalia.

INterdicta à iure lata quædam ſunt perſonalia, & quædam localia; & ex vtroque aliqua ſunt generalia, alia particularia: de quibus eodem ordine dicendum eſt.

Interdicta igitur generalia perſonalia quinque ſunt digna conſideratione; quorum primum habetur in cap. *Quamquam*, De cenſibus in 6. contra communitates exigentes à perſonis eccleſiaſticis pedagia, vel guidagia pro rebus ſuis propriis, quas non causâ negotiandi deferunt, vel tranſmittunt, ſeu deferri faciunt. Quam tamen pœnam dicunt aliqui non fuiſſe conſuetudine receptam, vt teſtatur Suares diſp. 37. ſect. 1. num. 14. Secundum habetur in capite 1. de Vſuris in 6. vbi interdicuntur collegia, & communitates, quæ vſurariis alienigenis habitationem concedunt. Tertium ſumitur ex capite vnico De iniuriis, in 6. contra communitates concedentes, vel extendentes repreſalias contra clericos, aut ipſorum bona, niſi intra menſem efficaciter conceſſionem, aut extenſionem reuocauerint. Tertium habetur in Extrauagante vnica, *Ne ſede vacante aliquid innouetur*, contra Capitula, Vniuerſitates, vel Collegia, quæ non obſeruant Conſtitutionem Ioannis XXII. circa fructus Beneficiorum vacantium. Quartum fertur in Bulla Cœnæ, vbi interdicũtur Vniuerſitates, Collegia, & Capitula quocunque nomine nuncupentur, quæ ab ordinationibus, ſententiis, ſeu mandatis Romani Pontificis, pro tempore exiſtentis, ad futurum Concilium appellant. Quintum denique habetur in Trident. ſeſſ. 7. cap. 10. de Reform. vbi eccleſiaſtico interdicto ſubiicitur Capitulum dans infra annum à ſede vacante, literas dimiſſorias ad ordines recipiendos iis, qui Beneficii accepti, vel accipiendi occaſione non arctãtur.

Interdicta verò perſonalia ſpecialia, vndecim recenſentur ab auctore ſupra cit. diſp. 28.

Digitized by Google

Interdicta personalia specialia.

37. sect. 1. n. 2. & sequentibus. Quorum primum habetur in cap. 1. de Sentent. excom. in 6. vbi iudex ecclesiasticus, qui temerariè (id est, ex certa scientia, & directa voluntate, vel ex negligentia tanta, vt moraliter æquiualeat) violat formam ibi præscriptam in ferēdis iudiciis, suspenditur, hoc est, interdicitur, per mensem ab ingressu ecclesiæ, & à diuinis officiis: exceptis scilicet Episcopis propter caput *Quia periculosum*, De sententia excomm. in 6. Secundum habetur cap. *Sacro*, De sententia excomm. vbi per mensem interdicitur ab ingressu ecclesiæ, qui præsumpserit excommunicationis sententiam in aliquem proferre sine præuia monitione competente, & præsentibus idoneis testibus per quos probari possit. Tertium habetur in cap. *Præsenti*, De officio Ordinarii in 6. vbi Episcopi, & alii Prælati illis superiores, qui vsurpāt bona ecclesiarum, aut beneficiorum vacantium, vel eorum prouentus ad ipsorum vtilitatē pertinētes, vel ad successorē legitimum in talibus Beneficiis, interdicūtur ab ingressu ecclesiæ, quousq; malè vsurpata restituerint.

29. Quartum habetur in cap. *Episcoporum*, De priuilegiis in 6. vbi interdicuntur ab ingressu ecclesiæ omnes, quantumuis exempti à iurisdictione ordinaria Episcoporum, qui violant interdictum locale ab homine, vel à iure latum *scienter celebrando, vel faciendo celebrare diuina*, in ciuitatibus, castris, villis, seu locis aliis interdictis, nisi quatenus eis à iure conceditur: atque etiam quicunque excommunicatos publicè (& non toleratos) vel interdictos, ad diuina officia, seu ecclesiastica sacramēta, vel ecclesiasticam sepulturam admittunt. Quintum habetur in c. *Exigit*, De censibus in 6. vbi similiter ab ingressu ecclesiæ interdicuntur Episcopi, & superiores Prælati, qui ob procurationem sibi debitam ratione visitationis, recipiunt aliquid contra constitutionem Innocentii IV. cap. *Romana*, tit. & lib. citatis, *si intra mensem duplum eius, quod receperunt, non restituerint*: vel intra duos menses, iuxta Extrauag. vnicam de Censibus, inter cōmunes, vbi eadem pœna extēditur ad eos omnes, qui sunt de familia visitatoris, recipientes aliquid à visitandis, per se, vel per alios vltra id quod ius permittit. Sextum habetur Extrauagante 3. de Priuilegiis, vbi absolutè, & sine restrictione interdicuntur iudices ecclesiastici, quacunque dignitate præfulgeant, qui officiales Romanæ curiæ, vel alios eò profectos pro suis negotiis, priuant suis Beneficiis, illaque aliis conferunt.

30. Septimum habetur in cap. *Si quis deinceps*, 16. q. 7. vbi interdicitur ab ingressu Ecclesiæ, quicunque Episcopatum, vel Abbatiam, vel quamcunque inferiorem dignitatem ecclesiasticam de manu laici susceperit: quousque locum (id est Beneficium sic occupatum, & possessum) resipiscendo non deseruerit. Octauum habetur in Extrauagante, *Ambitiosæ*, De rebus Eccles. non alienandis: vbi interdicitur ab ingressu Ecclesiæ Episcopus, vel Abbas, qui bona Ecclesiæ alienauerit inconsulto Summo Pontifice, aut non seruatâ formâ ibi præscriptâ. Nonum habetur in Extrauagante vnica, *Ne Sede vacante aliquid innouetur*, vbi pariter interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ, & suspendūtur à Pontificalibus officiis Episcopi, & superiores Prælati, qui contra præceptum ibi latum vsurpant bona Beneficiorum vacantium, nisi intra mensem ea restituant. Decimum habetur in cap. *Si qui sunt*, dist. 81. vbi interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ clerici iacentes in peccato fornicationis, vsque dum pœniteant, & emendent. Et denique vndecimum in Bulla Pii IV. super confirmatione Concilii Tridentini, contra Prælatos edentes commentaria in illud Concilium. De quo & pluribus aliis hic enumeratis diximus plura agendo de Excommunicatione, vel de Suspensione: quia plerique istorum casuum habent vltra interdictum annexam pœnam Excommunicationis, aut Suspensionis. Et hactenus de Interdictis personalibus.

31. Interdicta verò localia generalia ipso iure lata sunt præcipuè sex: quorum primum habetur in cap. *Felicis*, de Pœnis in 6. vbi interdicuntur quæcunque ciuitates (exceptâ Romanâ) quæ hostiliter insequentibus Cardinales S. R. E. dederint auxilium, aut fauorem: vel intra mensem saltem taliter delinquentes (prout tanti facinoris enormitas exegerit, & facultas adfuerit) non duxerint puniendos. Secundum habetur in cap. *Vbi periculum*, De elect. in 6. Vbi præscribitur quomodo fieri debeat electio Sum. Pontif. morientis in ea ciuitate in qua cum sua curia residebat: & grauibus censuris mulctantur Domini, & Rectores, aliiq; officiales illius ciuitatis, si modum prescriptū non seruauerint: statuiturq; vt Ciuitas ipsa *non solùm sit interdicto supposita: sed & Pontificali dignitate priuata* propter peccatum Dominorum, & aliorū prædictorum, §. *Præterea*, in fine. Tertium fertur in cap. 1. De vsuris in 6. vbi pluribus censuris innodantur illi qui admiserunt vsurarios alienigenas, ad habitandum, & exercendum vsuras in terris suis: statuiturque vt si per mensem manserint animo indurato, terræ ipsorum ex tunc Ecclesiastico subiaceāt interdicto, quādiu vsurarii in terris illis cōmorantur. Quartum fertur in Clement. 1. *De pœnis*, vbi locorum Domini, efficientes aliqua iniuria corporali Episcopos, anathemati subiiciuntur: & eorum terra, seu dominium (dummodo vltra vnam diœcesim non se extendat) interdicitur vsque ad condignam satisfactionem. Statuitur præterea vt locus, in quo captus detinebitur Episcopus, subiectus sit interdicto, quamdiu in eodem detentio durabit. Nomine autem loci, quo captus detinetur, non intelligitur solus carcer, aut domus quâ includitur: sed pagus, aut ciuitas, vel similis locus, in cuius aliqua parte detentus manet. Additur ibidem §. *Ciuitas*, quintum interdictum simile

Interdicta localia generalia.

præcedenti, contra ciuitatem, quæ simile crimen in Episcopum suum commiserit. In eo differens dumtaxat à priori, quòd illud fertur contra crimen ciuitatis: illud contra peccatum Rectoris, seu Domini loci. Sextum habetur in Extranagante, *Super gentes*, De cõsuetudine, inter communes: vbi excommunicantur quicunque prætextu alicuius consuetudinis Legatos summi Pontificis terras aliquas ingredi non permittunt: Regna verò, & terræ, & loca quælibet subiecta eisdem, ecclesiastico supponuntur Interdicto, quamdiu in huiusmodi contumacia duxerint perstendum.

32. Interdicta localia particularia.

Denique quod attinet ad Interdicta localia particularia: vltra nonnulla ex iam explicatis, quæ sunt particularia, quando locus, in quo committitur crimen sub poena interdicti prohibitum, est particularis, putà Ecclesia aliqua, vel castrum: generalia verò, quando locus ille est generalis, vt ciuitas, aut prouincia: Vnum habetur in cap. 1. De sepulturis in 6. vbi Clerici, & Religiosi, qui inducunt fideles ad iurandum, vel promittendum, eligere sepulturam in ipsorum Ecclesiis, vel non mutare electionem iam factam, si inciuntur excommunicationi, iubenturque tales non tepelire: & si sepeliuerint,, restituere corpora, si petantur, intra decem dies, omniaque emolumenta, quæ inde ad eos peruenerint. Quam restitutionem si non fecerint, Ecclesia ipsæ ad quas sepulti illi fuerint, necnon & cœmeteria earumdem, ex tunc eo ipso sint, & tandiu maneant ecclesiastico supposita interdicto, donec ab eis facta fuerit restitutio plenaria omnium prædictorum. Quæ postrema verba notanda sunt: significant enim sufficere ad hoc interdictum, quòd vel vnus inter eos non restituat summam notabilem, & sufficientem ad peccatum mortale, licet alii participes criminis & lucri restituerint, quidquid ad ipsos peruenit. Notandum etiam ad hanc pœnam incurrendam requiri præsumptionem, iuxta illa verba capitis citati, *Si præsumpserint sepelire*. Quare si vnus clã, & priuatim induxit ad iurandum, aut promittendum; & alii Clerici, & Religiosi huius rei ignari, bona fide sepelierunt, non incurritur hoc interdictum. Alia quædam interdicta localia particularia, velut à iure lata addunt Siluest. Armil. & alii Summistæ v. *Interdictum*, quę expendit, & reiicit Suar. disp. 37. sect. 1. n. 27. & 28. apud quem plura de his videri possunt.

33. Obligerne interdictũ à iure latum ante denunciationem.

Quòd si quæras, vtrum interdictum à iure latum obliget ante denunciationem? Respondeo cum auctore citato, si est locale, non obligare: quia post decretum Constantiense *Ad vitanda*, non tenemur vitare non denunciatos: Si verò est personale, non obligat quidem alios ad vitandum personas interdictas, antequam denuncientur; propter idem decretum: sed tamen obligat ipsos interdictos ad abstinendum, & seruandum interdictum, quantum in se est: quia Decretum Constantiense non illis fauorem per se affert, aut leuamen. Verùm si feratur in totam aliquam communitatem, requiritur publica quædam notitia, quæ ad singulos facile peruenire possit: sine qua neminem ligat. Potest autem hæc haberi, vel per denunciationem in loco, & conuentu publico; vel per euidentiam facti.

SECTIO IV.

Quomodo differant Interdictum, & cessatio à Diuinis

REspondeo differre primò, quia cessatio à diuinis non est censura, imò neque propriè poena; sed est simplex prohibitio ecclesiastica, propter quam Clerici debent in certo aliquo loco cessare à diuinis officiis, & à sacramentorum administratione (excepto casu grauis necessitatis) in signum grauissimi mœroris ab Ecclesia cõcepti propter atrocissimam iniuriam sibi, vel honori diuino illatam: vt hac ratione cogatur iniurioius desistere, & Ecclesiæ læsæ satisfacere: quemadmodum colligitur ex Clementina 1. De sentent. excommunic. Differunt 2. quia cessatio à diuinis nunquam fertur directè, & absolutè in personas, sed in loca tantùm, vt docent omnes Summistæ. Vnde personæ possunt alibi extra hæc loca celebrare diuina officia. At interdictum fertur etiam quandoque in personas, & eas vbique comitatur. Imo semper interdictum afficit aliquam personam, vnam aut plures, quæ interdicti causam dederunt: secus autem cessatio à diuinis. Tertiò differunt, quia violans interdictum per exercitium sui Ordinis incurrit Irregularitatem: secus autem qui violat cessationem à diuinis, licet grauiter peccet. Quartò differunt, quia cessatio à diuinis nunquam est à iure. Interdictum verò aliquando fertur à iure, aliquando ab homine. Quintò differunt, quia cessatio à diuinis extensiuè maior est, quàm interdictũ: ideoque nonnunquam interdicto iam lato additur cessatio à diuinis, tanquam aliquid grauius. Et qui habet facultatem, aut priuilegium speciale vt sacris interfit, aut celebret tempore interdicti, non censetur habere pro tempore cessationis à diuinis, vt docent omnes communiter. Priuilegia quoque generalia concessa circa interdictum, vt v. g. quòd clerici possint quotidie celebrare diuina officia cum moderatione capitis *Alma mater*, non extenduntur ad cessationem à diuinis, vt docent Couarr. in cap. cit. 2. parte Relect. §. 4. num. 7. Nauar. cap. 27. Man. n. 188. Suar. disp. 39. sect. 2. num. 11. & alii communiter, contra Ioan. Andream, & quosdam alios Canonistas.

34. Cessatio à diuinis non est censura.

Non fertur in personas sed in loca tantùm.

Est grauior interdicto.

Idemque seruato rigore iuris dicendum

Digitized by Google

est de concessione facta eodem cap. *Alma mater*, celebrandi officia diuina in Natali Domini, Pascha, Pentecoste, & Assumptione B. V. Datur enim specialiter pro tempore interdicti: & ab vno ad aliud diuersum non valet extensio, seu illatio in pœnis, aut priuilegiis. Nihilominus tamen ex consuetudine, vel æquitate quadam, seu benignitate interpretationis Doctorum, probabile est ad illam extendi: quia videtur esse absolutè, & generaliter data propter reuerentiam illarum festiuitatum, & propter incommoda cessandi tamdiu à diuinis. Idem quæque dicendum est de administratione sacramentorum, quæ seruato rigore iuris non fuit tam ample concessa pro tempore cessationis à diuinis, sed tantùm vrgente graui necessitate: cùm in cap. *Non est vobis*, De sponsalibus, expressè statuatur, vt eo tempore *Nulla diuina officia, præter baptismum parvulorum, & pœnitentiam morientium*, adiuncto etiam viatico, *celebrari permittantur*: tametsi iuxta benigniorem plurium Doctorum interpretationem legis probabile sit, sacramenta ministrari posse iisdem in casibus, in quibus tempore interdicti generalis possunt dari personis nõ interdictis specialiter.

36. Nõ priuat sepulturâ ecclesiasticâ!

Vnum est in quo cessatio à diuinis mitior est, quàm interdictum. Nam tempore interdicti prohibita est sepultura ecclesiastica omnibus laicis: & clericis tantùm ita permissa vt fiat in silentio, id est, sine funebri officio. At tempore cessationis à diuinis laicis æquè permittitur, ac clericis, sepeliri in loco sacro, sine officio funebri. Quia neque in cap. *Non est vobis*, sup. citato, neque alibi vspiam id prohibetur, sed tantùm præcipitur, vt eo tempore non celebrentur diuina officia, comprehendendo hoc nomine generali etiam sacramenta, vt indicant verba sequentia eodem cap. & bene expendit Panormit. ibidem, planéque manifestum est ex illa exceptione, *Nulla diuina officia præter baptismum parvulorum, & pœnitentiam morientium*. Extensio autem, siue illatio ab interdicto ad cessationem à diuinis non valet, vt suprà diximus. Qua de re plura videri possunt apud Suarem disp. 39. sect. 2. num. 31. & seq. vbi fusiùs probat simplicem cessationem à diuinis non prohibere sepulturam in loco sacro.

37. Prohibet officia diuina.

Conueniunt autem primò, quia cessatio à diuinis est prohibitio celebrationis officiorum diuinorum, æquèac interdictum: publicorum scilicet: nam priuatæ orationes, & recitatio priuata officii, etiam in templis, & locis sacris, non est illicita vi huius prohibitionis. Tenenturque horas Canonicas tunc recitare, qui ratione ordinis, aut beneficii, vel aliunde ad illas obligantur. Non prohibentur etiam clerici dicere simul bini officium diuinum priuatim in ecclesia eodem modo, quo extra facere solent alternatim recitando. Porro quamuis hæc prohibitio fiat directè immediatè personis ecclesiasticis, vt ne celebrent officia diuina publicè: consequenter tamen attingit alios, vt ne intersint, si illi celebrent illicitè, ne cooperentur eorum peccato. Item licet illa prohibitio communiter fiat generaliter, & in iure nullum sit exemplum cessationis partialis à diuinis, sed totalis duntaxat: non repugnat tamen fieri partialiter, ita vt præcipiatur cessari ab aliquo officio diuino, non ab omnibus. Neque id excedit potestatem Prælatorum summo Pontifice inferiorem, vt bene docet Suar. disp. 39. sect. 2. num. 16. Non prohibetur etiam tunc pulsatio campanarum, nisi quatenus conuocant ad diuinum officium publicè faciendum, vel audiendum.

38. Permittit data quæ sacramenta.

Conueniunt secundò in eo quòd tempore vtriusque permittitur dare aliqua sacramenta. Nam tempore cessationis à diuinis licet dare baptismum paruulis: & pœnitentiam morientibus: ac consequenter viaticum: quia quotiescunque statuitur in iure, vt morientibus non negetur pœnitentia, comprehenditur etiam viaticum, quemadmodum habetur in cap. *Quod inter*, De pœnit. & remissionibus. Ex quo etiam fit, vt liceat semel in hebdomada celebrare sacrum, ad renouandum sanctissimum Sacramentum, vt seruetur pro necessitate morientium: sicut ob eãdem causam permittitur semel in hebdomada celebrare tempore interdicti, cap. *Permittimus*, De sent. excomm. Sique contingeret, non fuisse celebratum: liceret celebrare ad dandum moribundo viaticum. Quia Ecclesia permittens dari pœnitentiam & viaticum morientibus, permittit ea quæ sunt moraliter necessaria vt detur. Ita tamen, vt fiat tantùm præcisè id, quod necessarium est, & de reliquo seruetur cessatio, quoad fieri potest: quippe quæ per se obligat, & tantùm relaxatur, aut veluti suspenditur, propter necessitatem. Quare debet tunc secretò celebrari, sine populi conuocatione. Deber tamen ferri ægrotis Eucharistia pro viatico cum veneratione, & pompa conueniente eius maiestati, accensis cereis, & populo per campanæ pulsum ad venerationem illius excitato: nullum tamen recitando diuinum Officium, sed tacitè precando. Item si contingat moribundum nondum esse baptizatum, & petere Baptismum, non est dubium quin ei dare liceat: quia non minùs est illi necessarius iure diuino, quàm Poenitẽtia, & Eucharistia baptizato; neque minùs illo indiget. Est etiam probabile posse extra huiusmodi casum dari Baptismum adultis, & paruulis, propter huius sacramenti necessitatem, & vitæ incertitudinem, frequentiaque moriendi pericula, quibus non modò tenellula ætas infantium exposita est, verùm etiam firmior adultorum. Quod intelligo de Baptismo etiam solemni ritu administrato, & cum cerimoniis illi per se conuenientibus, vt suprà diximus de Interdicto. Ex quo sequitur, licitam esse suo tempore confectionem Chrismatis, non obstante cessatione à

diuinis: quippe quod ad Baptismum solemnem adhiberi debet. Atque inde inferunt nonnulli licitum esse quoque dare Cõfirmationem, quæ est appendix, & veluti perfectio, ac consummatio Baptismi, atque olim simul cum illo dabatur.

39. Conueniunt tertiò, in eo quòd quisquis potest ferre interdictum, potest etiam imponere cessationem à diuinis; vt post Siluestrum, Angelum, Dominic. Sotum, & Couarr. docet Suar. disp. 39. sect. 3. num. 2. Quòdque feratur vt rebelles, & iniurioſi Ecclesiæ desistant à contumacia; priuetque in eum finem bonis quibusdam spiritualibus. Qua etiam de causa non potest ferri nisi propter delictum, & quidem valde graue. Quia contumacia contra Ecclesiam non potest esse absque peccato: neque remedium tam acerbum adhiberi debet, nisi pro causa grauissima. Non est tamen necessarium delictum illud committi ab omnibus, qui ligantur cessatione à diuinis: quæ in hoc etiam similis est interdicto, quod potest imponi communitati propter peccatum Rectoris, aut aliquorum eius membrorum enorme, & valde iniuriosum bono communi Ecclesiæ: vt toti ciuitati, toti prouinciæ, toti regno, aut etiam pluribus simul. Nunquam tamen imponitur toti Ecclesiæ, quamuis absolutè non repugnet imponi auctoritate summi Pontificis, si occurreret causa id postulans, quod vix moraliter potest contingere.

Conuenit cum interdicto in causis & modo quo fertur.

40. Quartò, conuenit etiam cessatio cum interdicto, & aliis censuris, in modo, quo fertur. Eodem enim modo ferri solet ex consuetudine, licet iura id expresse non præscribant. Requiritur autem primò, vt antequam feratur, causa illius ferendæ tradatur publico, & authentico instrumento à publico tabellione confecto, vel per patentes literas authentico sigillo munitas: quod instrumentum tradatur ei propter quem fertur cessatio, iuxta cap. *Si Canonici*, De Officio Ordinarii in 6. Secundò, requiritur vt causa sit canonica, id est, manifesta, & rationabilis cap. *Quamuis super*, eod. titulo. Quia cùm cessatio à diuinis sit publicum grauamen; non potest ferri, nisi pro causa publica, & manifesta, & tanto grauamini proportionata. Tertiò vt feratur ab eo, qui à iure, vel à consuetudine, vel ex priuilegio habet auctoritatem legitimam ferendi: cuiusmodi sunt non modò Prælati aut Concilium Prouinciale; verùm etiam Capitula, vel Collegia, quæ hanc consuetudinem legitimè præscripserunt, iuxta Clementin. 1. De sentent. excommun. & cap. *Si Canonici*, cap. *Quamuis*, De Officio Ordinarii in 6. Quartò, vt quando fertur à Collegio, vel à Capitulo, ad illam ferendam vocentur omnes, qui ius habent suffragii, sicut vocari solent, ac debent, pro electionis negotio, vt dicitur cap. proximè citato: Diligenterque & maturè de illa deliberetur, ferunturque suffragia, & pro maiori parte concludatur. Quintò, vt post deliberationem de cessando habitam, moneatur qui est causa cessationis ferendæ, vt reparet iniuriam, & desistat à contumacia: & si pareat, non vltro procedatur: ibidem. Sextò, si posita cessatione partes intra mensem non conueniant, & illa non tollatur; tenentur ad summum Pontificem per se, vel per procuratores idoneos accedere, cum actis ad negotium spectantibus, illique rem totam exponere: nisi malint etiam tunc in concordiã redire, vt tollatur cessatio. Quòd si pars, quæ cessationem posuit, nolit post mensem ad summum Pontificem accedere; desinit hoc ipso cessatio, vt dicitur eodem cap. *Quamuis*, De officio Ordinarii in 6.

Secunda in eã indicendã.

41. Porrò si Capitulum sine causa legitima imposuit cessationem à diuinis, tenentur Canonici restituere quidquid de fructibus illius Ecclesiæ perceperunt tempore cessationis: aut refundere in bonum Ecclesiæ quidquid ex illis sibi prouenire debuit. Tenentur etiam satisfacere de damno ei propter quem cessatio fuit imposita, cap. *Si Canonici*, De Officio Ordinarii, in 6. Quæ posterior obligatio, quia naturalis est, ligat quoscunque alios ferentes cessationem à diuinis sine causa. Prior verò, quia est iuris positiui, & specialiter imposita Capitulis, non ligat alios: contra quos etiam nulla alia pœna statuitur in iure Canonico.

Quid si iniustè feratur?

42. Qui autem iustam dedit causam cessationis à diuinis, tenetur de damno personis Ecclesiæ, cui debitum Officium eius culpâ subtractum fuit: & arbitrio superioris damnandus est ad aliquam summam pecuniæ conuertendam in augmentum diuini cultus. Contra eos verò, qui violant cessationem à diuinis non alia pœna statuitur in iure Canonico, nisi quòd in Clementina 1. De sentent. excomm. excommunicantur ipso facto Regulares tam exempti, quàm non exempti cuiuscunque ordinis, & conditionis existant, non seruantes cessationem generalem, quando sciuerint Cathedralem Matricem, vel Parochialem Ecclesiam illius loci, tã seruare. Vbi sermo est de cessatione generali à quocunq; lata, vt satis patet ex ipso textu, & contra Paludanum affirmant Couarruu. in cap. *Alma mater*, parte 2. §. 2. num. 3. & Suar. disp. 39. sect. 2. num. 36. Nam cessatione particulari non possunt ipsi ligari ab Ordinario, cuius iurisdictioni exempti sunt.

43. De modo autem eam tollendi nihil specialiter notandum est, nisi quod paulò ante diximus, cessare ipso iure, quando post tollatur. mensem non vult, qui tulit, comparere coram summo Pontifice, per se, aut per procuratorem idoneum. De cætero enim tolli potest, & debet eodem modo, quo alibi diximus generatim de censuris latis ab homine: nimirum per relaxationem eius, qui eam imposuit, vel successoris, vel superioris, vel eorum, quos isti delegauerint. Potest similiter æquè ac censuræ, suspendi, seu potiùs impediri per appellationem, an-

Quomodo

Digitized by Google

tèquam feratur sententia: secus autem postea: quia sententia fert secum executionè. Potest tamen tunc suspendi ad tempus, & velut ad reincidentiam tolli; aut etiam restringi, seu limitari ad aliquos effectus, vel personas, ab eo qui habet potestatem omnino tollendi: quia ius Pontificium id non prohibet, & potest causa rationabilis id exigere, aut permittere.

SECTIO V.

De relaxatione interdicti.

44. Interdictũ quod est censura nõ desinit sine relaxatione.

QVod denique attinet ad modum quo tollitur interdictum (quod solum de illo explicandum superest) Dico, si fuit latum ad tempus determinatum pro peccato præterito, per modum pœnæ dumtaxat, cessare expleto tempore designato. Ante verò, aut latum sine limitatione, non tolli absque relaxatione. Vt neque illud quod fertur per modum censuræ propriè dictæ, ad frangendam contumaciam, & contra peccatum habens tractum successiuum: quidquid nonnulli dicant in contrarium, existimantes istud quoque cessare hoc ipso quòd effluxit tempus definitum, vel impleta est cõditio apposita. Verius enim puto de censura interdicti idem sentiendum esse, ac de excõmunicatione, quæ posita licet Rei emendatione, non cessat, nisi tollatur per absolutionem. Idque conformius est capiti *Cum desideres*, De sentent. excommunic. vbi huius rei redditur hæc ratio: *Quia licet reus, ei, quem læsit, satisfecisse taliter videatur: Ecclesiæ tamen, quam offendit, ex hoc non satisfecisse dignoscitur.* Et nimirum debet eius minister de eo iudicare, neque satis compertâ eum absoluere à censura. Et capiti *A nobis* 2. eod. tit. vbi generaliter sic dicitur: *Vinculum quo peccator ligatus est apud Deum, in culpæ remissione dissoluitur. Illud autem quo ligatus est apud Ecclesiam, quum sententia remittitur, relaxatur.* Et capiti *Quamquam*, De censibus, vbi de quibusdam excõmunicatis, & interdictis, sic statuit Pontifex: *Nec ab excommunicatione huiusmodi absolutionem, vel interdicti relaxationem obtineant, donec exacta plenariè restituerint, & de trãgressione satisfecerint competenter.* Quibus verbis perspicuè significatur non cessare interdictum, vt neque excommunicationem, eo solo, quòd reus satisfecerit, aut plenè restituerit: siquidem vlteriùs debet relaxari.

45. A quonam tolli possit?

Porrò si interdictum est personale particulare, absolutè latum sine reseruatione, potest tolli à quouis confessario habente potestatem absoluendi à peccato mortali propter quod latum fuit, vel ab excommunicatione non reseruata, illi annexa, vt rectè docet Suar. disp. 38. sect. 2. num. 9. Potest etiam, si casus est occultus, quamuis reseruatus Sum. Pontif. tolli per Episcopum, facultate illi concessa à Trident. sess. 24. cap. 6. de Reformat. Si verò est locale, aut generale personale, non potest tolli nisi per summum Pontificem, aut etiam per Episcopum, si non reseruatur expresè Pontifici, aut per alium habentem Episcopalem iurisdictionem in dictum locum, aut communitatem. Non autem per inferiorem: quia id fieri debet per actum iurisdictionis fori externi, quæ aliis non competit. Potest tamen aliis delegari.

46. Potest desinere defectu subiecti.

Quando autem dicimus interdictum latum per modum censuræ, non tolli sine relaxatione, intelligimus manente subiecto capace interdicti, vel alicuius effectus illius. Nam si moriatur persona interdicta; non manet interdictum personale particulare, quo ligabatur, nisi quoad priuationem ecclesiasticæ sepulturæ, cuius adhuc capax est, & quàdonari nõ potest, nisi præuia relaxatione, argumento capitis *A nobis* 2. De sentent. excommunic. vbi de excommunicato id expresè affirmatur: interdictum autem, & excommunicatio, quoad hoc æquiparantur, vt suprà ostendimus. Neque obstat caput *Is cui*, De sentent. excommin 6. vbi sic dicitur; *Talis quoque si hoc interdicto durante decedat, non debet in Ecclesia, vel coemeterio ecclesiastico, nisi pœnituerit, sepeliri.* Sensus enim est, quòd si pœnituerit, debet cum illo misericorditer agi, & interdictum relaxari, posteaque sepultura concedi: sicut magis expresè dicitur de excommunicato pœnitente ante mortem cap. *A nobis* sup. cit.

47. Similiter si tota communitas interdicto personali generali subiecta periret, vel physicè per mortem omnium illius membrorum, vel moraliter per dissolutionem illius: desineret hoc ipso interdictum, quod illam per se ligabat; particulares autem, non nisi quatenus erant illius membra corpus illud morale constituentia. Quare hoc ipso, quòd desinunt esse illius membra, desinunt eo ligari. Et quia omnes penitùs desinunt esse illius membra, vt supponimus; soluto plane vinculo societatis, & coniunctionis moralis, nulli amplius ligantur hoc interdicto. Quod tamen intellige de illis, qui causam interdicto non dederunt. Nam isti sunt specialiter interdicti, & non tantùm ratione communitatis, sed potiùs communitas propter illos. Quare eâ destructâ manent adhuc ligati interdicto, non ratione communitatis, sed prout est particulare respectu ipsorum: propter quod etiam non desinunt eo ligari, quando relicta illa communitate ad aliam se transferunt, secus ac alii, qui non suâ culpâ, sed ratione solius communitatis sunt interdicti.

48. Idem quoque dicendum esset de interdicto locali generali, aut particulari, si locus in quem directè cadit, penitus desineret. Quia neque illud potest subsistere sine subiecto quod afficiat, & non potest ligare,

Digitized by Google

quod non est. Sed non planè desinit locus interdictus, quamuis desinat templũ v. g. aut castrum, vel ciuitas, quoad ædificia, quamdiu manet solum in quo extructa erant, quod certè semper manet. Nam illud quoque directè, & per se afficitur interdicto locali, prohibente in eo fieri Officia diuina, & extrui altare v. g. in solo templi destructi, ibique Missam celebrari: ac si loco templi destructi, aliud ædificaretur, illud ratione soli subesset interdicto. Non sufficit etiam mutatio moralis loci, vt interdictum locale desinat, putà quòd ciuitas, aut terra interdicta ob peccatum domini, cui subest, transeat in dominium alterius innocentis; aut quòd pars loci generaliter interdicti separetur moraliter ab illo, & non amplius censeatur esse illius pars: vt si regni alicuius interdicti generaliter ciuitas aliqua fieret pars regni alterius, regique alteri subesse incipiens, moraliter à toto suo auelleretur. Hoc inquam, non sufficit, propterea quòd interdictum est quoddam onus loci interdicti, & bona quando alienantur, transeunt cum suo onere.

Locale non desinit per mutationé moralem loci.

49. Nec obest quòd terra illa non fuit interdicta, nisi quia erat talis domini. Nam interdictum iam semel latum ea de causa, non pendet ab illa in conseruari. Non obest etiam, quòd talis ciuitas non fuerit per se interdicta, sed tantùm prout erat pars illius regni generaliter interdicti. Nam etiam nunc manet physicè pars illius regni, seu terræ totius antea interdictæ secundum se adæquatè, quamuis Dominum mutauerit, & moraliter ad alterum regnum, seu potiùs regem pertineat, ad quem etiam debuit cum suo onere transire.

50. Quæri vlteriùs potest vtrum interdictum possit tolli ad cautelam, æquè ac excommunicatio: vel etiam suspendi ad aliquod tempus? Respondeo, & dico primò, in interdicto locali generali non habere locum beneficium relaxationis ad cautelam, vt expressè dicitur cap. *Præsenti*, De sentent. excommun. in 6. cuius verba sunt: *Præsenti generali declaramus edicto, beneficium relaxationis ad cautelam, quoad interdicti sententias in ciuitates, castra, vel quælibet alia loca, siue terras aliquas, generaliter promulgatas, locum aliquatenus non habere.* In aliis verò interdictis, siue locali particulari, siue personalibus, relaxationem locum habere posse. Quia cũ de illis nullibi in iure Canonico id negetur, censeri debet concedi etiam pro illis hoc beneficium, quod generaliter pro omnibus censuris concessum est. Cùm enim denegatio, vel limitatio huius beneficii rigorem contineat, restringi debet potiùs, quàm ampliari: & verba capitis citati, quibus negatur, debent strictè accipi, vt sonant, pro interdicto solùm generali locali. Ratio verò huius differentiæ cur isti soli, non aliis negetur, esse potest grauitas huius censuræ, quæ quia valdè publica est, & valdè incommoda, voluit ius, vt quando de illius valore rationabiliter contenditur, nulla potiùs esse declaretur.

Potestne tolli ad cautelam, vel suspéndi ad tempus?

51. Dico secundò, interdictum suspendi posse, siue potiùs impediri per appellationem ante sententiam latam: secus autem si appelletur à sententia iam lata. Ratio primæ partis est, quia appellatio legitima ligat potestatem iudicis subalterni, & deuoluit causam ad superiorem. Secunda verò expressè traditur in cap. *Is cui*, De sentent. excommun. vbi interdictum ab ingressu Ecclesiæ (significatum nomine suspensionis) æquiparatur excommunicationi quoad hoc: & cap. *Ad hæc quoniam*, De appellationibus, idem generaliter affirmatur de omnibus interdictis. Ratio illius est, quia in excommunicatione, & aliis censuris sententia fert secum executionem, id est, eo ipso, quòd profertur, illas actu infligit per seipsam, vt dicitur cap. *Pastoralis*, §. *Verum*, De appellationibus.

Suspéditur per appellationé ante sententiã.

52. Dico tertiò, quodcunque interdictum, postquam latum fuit validè, & licitè, posse nihilominus suspendi ad aliquod tempus, auctoritate illius à quo latum est, & à quo tolli potest. Ita de personali interdicto particulari docet Suarez disp. 38. sect. 3. n. 8. citans Nauarrum & Couarr. De aliis verò est hæc communis sententia Canonistarum in caput *Ad hæc*, sup. cit. Ratio generalis est, quia vt rectè ait Suar. nullo iure id prohibetur, & alioquì velut ex natura rei continuatio effectus sententiæ de se non perpetui, & irreuocabilis pendet à voluntate ferentis sententiam: qui sicut potest eam reuocare, & effectum illum tollere in perpetuum: ita & illam potest ad tempus suspendere. Confirmatur ex cap. *Dilectis filiis*, De appellationibus, vbi dicitur Decanus Altisiodorensis suspendisse ad tempus effectus interdicti à se lati; neque id improbatur, sed tantùm quòd sententiam interdicti tulisset post appellationem ad superiorem. Nec obest quòd excommunicatio non possit suspendi ad tempus, sed vel omnino auferenda est, vel effectum suum semper habet. Nam id de illa specialiter statutum est cap. *Cum desideres*, De sentent. excõm. ex qua non debet rigor ille iuris ad alias censuras extendi: præsertim cùm de interdictõ contrarium significetur cap. *Dilectis* supra citato.

Potest suspendi ad tempus ab eo qui tulit.

Digitized by Google

DISPVTATIO SEXAGESIMA SECVNDA,

De Irregularitate,

Sectio I. *Quid, & quotuplex sit Irregularitas?*
Sectio II. *De irregularitatibus ex delicto?*
Sectio III. *Soluuntur aliquæ dubitationes circa irregularitatem ex homicidio culpabili, & mutilatione.*
Sectio IV. *Tres aliæ quæstiones circa eandem irregularitatem explicantur.*
Sectio V. *De sex prioribus irregularitatibus ex defectu.*
Sectio VI. *De tribus aliis irregularitatibus ex defectu sacramenti, lenitatis, & famæ.*
Sectio VII. *De causis & effectibus irregularitatis.*
Sectio VIII. *A quibus, & quomodo tolli potest irregularitas?*

LICET Irregularitas non sit censura: quia tamen est actus Clauium, eiusque notitia valde vtilis est, aut necessaria confessariis, & habentibus iurisdictionem in foro externo ecclesiastico: operæ prætium fuerit, & necessarium ad complementum huius tractatus de illa differere, præcipuaque & scitu magis necessaria explicare: de quibus fusiùs & accuratiùs disputant Couarr. in Clement. *Si furiosus*, Nauarr. cap. 27. Manual. à num. 191. vsque ad 250. Tolet. lib. 1. cap. 57. & seqq. Auila part. 7. tract. de Censuris, Suar. disp. 40. & seqq. Coninc disp. 18. de Pœnit. Layman lib. 1. tract. 5. part. 5. Bonacina disp. 7. de Censuris, Filiuc. tract. 19. & 20. Gordon. lib. 7. q. 17. & 18. Nos ea quæ ab illis fusè tractantur ad quinque capita reuocabimus: Quid sit irregularitas, & quotuplex, quæue sint causæ illius, & effectus, & quomodo tollatur?

SECTIO I.

Quid, & quotuplex sit irregularitas?

1. TIrca primum in titulo sect. propositum, Irregularitas definiri sic potest: vt sit quædam inhabilitas iure Canonico inducta, & à solo iure prouueniens, directè, & immediatè impediens susceptionem Ordinum, & consequenter vsum susceptorum. Quæ definitio vt clarior euadat, singulæ illius particulæ explicandæ sunt.

Irregularitas est inhabilitas quædam.

Dicitur primò, *quædam inhabilitas*: quia non omnis inhabilitas est irregularitas, sed illa solùm, quæ est respectu Ordinum, vltra quam sunt aliæ quædam iuris inhabilitates ad prælaturas, ad dignitates, & ad Beneficia. Vt v. g. intrusus est inhabilis ad Officium in quod se intrusit: & Simoniacus, etiam factâ pœnitentiâ est inhabilis ad illud Beneficium, super quo Simonia fuit commi-

Digitized by Google

ssa. Per hanc autem particulam *Inhabilitas*, distinguitur Irregularitas à suspensione, aliisque censuris: eò quòd istæ solùm impediunt directè, & immediatè vsum alicuius potestatis. Irregularitas verò tollit quantum fieri potest ipsam potestatem seu capacitatem recipiendi Ordines, reddendo inhabilem ad eos recipiendos, & constituendo hominem extra ordinem illorum qui possunt in Clerũ cooptari. A depositione verò, & degradatione differt, quia istæ directè, & per se respiciunt Ordinem susceptum, ideóque clericos solos afficere possunt. At irregularitas respicit atque impedit directè, & immediatè Ordinem recipiendum, potestque incurri à non clerico. Præterquam quòd omnis depositio, & degradatio est pœna essentialiter. At Irregularitas generaliter sumpta abstrahit à pœna, potestque incurri sine culpa, vt dicemus in fine sectionis.

2. Inducitur iure Canonico.

Dicitur 2. *Iure Canoni o inducta*: quia non omnis inhabilitas respectu Ordinũ est Irregularitas: sed illa solùm, quæ iure Canonico, id est, iure positiuo ecclesiastico inducta est. Vltra quam est alia inhabilitas iuris diuini. Nam fœminæ, & non baptizati, sunt inhabiles ad Ordines, non modò licitè, sed etiam validè recipiendos. Fœminæ quidem ratione sexus incapacis Ordinis: non-baptizati verò, defectu Baptismi, sine quo nullum aliud Sacramentum potest validè recipi.

3. Et à solo iure prouenit.

Dicitur tertiò, *à solo iure proueniens*: quia Irregularitas in eo differt à censuris, quòd istæ possunt tam ab homine per sententiam, quàm à iure per Canones, & statuta infligi: at Irregularitas à solo iure Canonico prouenit: neque contrahitur nisi sit in iure expressa, ita vt per aliquem Canonem manifestè inducatur, vt dicitur cap. *Is qui*. De sentent. excomm. in 6. Ideóque consentiunt Theologi, neminem esse censendum irregularem in dubio iuris, id est, quando dubitatur num in iure statuta sit Irregularitas: Ex. gr. vtrum qui hoc, vel illud facit, sit irregularis: quia nulla est introducenda irregularitas, præter eas, quæ expressè habentur in iure. At quando constat de iure, & dubitatur tantùm de facto, id est, dubitatur num quis hoc aut illud fecerit, propter quod constat inductam esse in iure Irregularitatem, existimant multi censendum esse irregularem saltem in foro pœnitentiæ: sed alii meliùs negant, quos citat, & sequitur Aegid. Con. disp. 18. dub. 2. num. 22. Tum quia sicut Iudex neminem debet condemnare, nisi probetur reus: ita nemo debet seipsum condemnare, nisi sibi probetur reus. Semper enim in casu dubii reus potius absoluendus, quàm damnandus est. Tum etiam, quia in dubiis melior est conditio possidentis suam libertatem, & immunitatem à pœna, Regula 1. & 65. *De Regulis Iuris* in 6. Tum denique quia nulla est introducenda Irregularitas sine expresso Canone, vt habetur cap. *Is qui*, sup. cit. Atqui ex nullo Canone probari potest quòd in dubio facti incurratur Irregularitas.

Non incurritur in dubio iuris.

4. Neque in dubio facti.

Duo enim sunt Canones ex quibus alii id præcipuè probare conantur. Nimirum Canon *Ad audientiam*, De homicidio, & Canon *Significasti* 1. cod. tit. Sed hi Canon. nihil probant: quia non loquuntur de Irregularitate propriè dicta, quæ ipso iure incurritur, vt bene probat Suar. disp. 40. de Censuris, sect. 6. n. 10. Sed loquuntur de Suspensione, vel Interdicto quodam personali à celebranda Missa. Quod non fertur nisi per sententiam superioris, neque obligat, nisi post sententiam secundum omnes. Nam isti Canones non diriguntur ad reos, sed ad eorum superiores, præcipiendo, vt suspendant, vel interdicant. Sic enim Clemens III. loquitur cuidam Episcopo, cit. Canone *Ad audientiam*: Te conuenit iniungere Presbytero, vt in sacris Ordinibus non ministret, sed sit contentus minoribus Ordinibus, iniunctâ pœnitentiâ congruenti. Quod sapienter factum est ad vitandum scandalũ. Nam vtrumq; homicidium, de quo in his Canon. sermo est, non tantùm erat dubium, sed etiã publicũ. Tunc autẽ vix potest sacerdos celebrare sine scandalo: quia populus solet hæc dubia in deteriorem partem interpretari. Ideóque meritò summus Pontifex iubet inhiberi tali sacerdoti, vt celebret, donec res meliùs examinetur, & de illa feratur sententia. Solet etiam summus Pontifex propter aliquam mali speciem imponere pœnitentiam ad cautelam, etiam illis, qui alioquin in conscientia nõ tenerentur ad huiusmodi pœnam. Sicut cap. *Significasti* 1. de Homicidio, Innocent. III. præcipit Episcopo Paduano, vt competentem pœnitentiam iniungat Presbytero, qui homicidium casuale commiserat, dans operam rei licitæ, illâque peractâ ad Ordines eum admittat: qui tamen secundum omnes in eo casu, neque peccauerat, neque erat irregularis. Quod autem addit Clemens Põtifex in capite *Ad audientiam*, sup. cit. in dubio tutiorem partem eligendam esse, locum habet quidem in foro externo, in quo iudex, aut superior potest iniungere id quod tutius est in pœnam, vel ad cautelam potiùs, quàm ad necessitatem. Sed in foro conscientiæ sufficit tutam eligere, vt ostendimus in tract. de Actibus humanis. Concludo itaque neminem teneri in dubio siue iuris, siue facti, habere se pro irregulari: Sed dubio tali occurrente rationabiliter, debere quidem inquirere veritatem antequam Ordines recipiat, vel exerceat: si verò facta sufficienti inquisitione dubium adhuc manet, posse illud deponere practicè, & se gerere pro non irregulari. Quæ autem diligentia sit adhibenda in eiusmodi dubiis moralibus, patet ex dictis alibi de Regulis conscientiæ, in tractatu De actibus humanis.

5. Impeditur susceptione Ordinum.

Dicitur quartò in definitione supra tradita, *Directè, & immediatè impediens susceptionem Ordinum, & consequenter vsum susceptorum*

ptorum: quia irregularitas facit tantùm inhabilem respectu Ordinis. Et quamuis aliquando irregularis sit inhabilis ad beneficium; id tantum fit quatenus irregularitas facit inhabilem ad Ordinem, & ad vsum illius: & cõsequenter ad Beneficium, quod non debet, neque potest licitè dari, nisi propter Officium. Imò neq; valide potest dari irregulari iuxta cõmuniorem sententiã, vt videre est apud Suar. disp. 40. sect. 2. n. 30. Licet Silvest. & alii quidam contrarium sentiant.

6. Etiam primæ Tonsuræ.

Nomen autem Ordinis latè hic sumitur, prout etiam comprehendit primam tonsurã, totumque statum clericalem. Nam irregularis, qui nondum tonsurã, aut ordines accepit, non potest licitè accipere. Validè tamen, quãuis illicitè accipit: præterim ordines verè sacramẽtales. Sed nõ potest licitè exercere actus maiorum ordinum, nisi aliquos, qui possunt fieri à laicis, & eo modo quo fiunt à laicis: vt cantare epistolam sine dalmatica, & manipulo. Eademque de causa potest exercere actus minorum ordinum; quippe qui possunt, & solent exerceri à laicis.

7. Idque immediatè.

Per eandem particulam, *Immediatè impediens receptionem ordinum*, distinguitur irregularitas à suspẽsione ab ordine, & à depositione. Nam suspensio non impedit susceptionẽ ordinũ, etiam primæ tonsuræ, & ingressũ in statũ clericalẽ: cùm potius supponat primã tonsuram suisse acceptam, neq; possit imponi, nisi clericis. Depositio verò non impedit solùm receptionẽ ordinũ sed tollit acceptos quantũ fieri potest: quod grauius est, & ignominiosius, quàm fieri irregularẽ. Degradatio quoq; multò magis distinguitur ab irregularitate: quippe quæ deiicit omnino de statu clericali, priuatque quantùm fieri potest omni potestate ecclesiastica, & omnibus priuilegiis clericorum.

8. Impedit consequenter vsum ordinum susceptorũ.

Dicitur 5. directè, & immediatè impedire receptionem ordinũ, & consequenter vsum susceptorum: ad significandũ, irregularitatẽ non æquè 1. respicere vtrumq; effectum sed priùs, & immediatè facere subiectũ inhabile ad recipiendos quoscunq; ordines, & ad totũ clericalem statum: Intellige, quantum est de se, & si subiectum est adhuc capax illius effectus, id est, si adhuc statum clericalem non assumpsit, nec vllos ordines accepit; consequẽter verò facere inhabilem ad vsum ordinum: quia qui prohibetur accipere ordines, multò magis prohibetur illis vti. Et hunc effectũ habet irregularitas in illis etiã, quos actu impedire nequit à susceptione ordinũ, quia iam illos receperunt. Sicut affinitas dirimens matrimoniũ, quantum est de se, adueniens ex copula illicita post matrimonium contractũ, non potest quidem impedire, ne contrahatur, quia iam contractum est: impedit tamen illius vsum, quem illicitum facit.

9. Vna est ex delicto, altera ex defectu.

Circa secundum in titulo sectionis propositum: Diuiditur primò irregularitas in eam, quæ est ex delicto, & in eam, quæ est ex defectu. Prior est illa, quæ contrahitur immediatè ex aliquo peccato proprio illius qui fit irregularis. Posterior est, quæ oritur immediatè ex aliquo illius defectu sine peccato. Immediatè, i. quam, ex defectu. Nam spurius v.g. non est irregularis ex delicto, quia eius irregularitas non oritur immediatè ex peccato parentum: alioqui deberent potiùs ipsi esse irregulares: sed ex defectu prolis, quæ habet natiuitatem infectam, & propter indecentiam arcetur ab ordinibus. Similiter Bigamus non est irregularis ex proprio delicto, imò neque ex alieno. Potest enim aliquis esse bigamus sine culpa cuiusquam. In quo differt irregularitas à censura: quoniam hæc non potest infligi sine peccato, cùm sit propriè pœna, adeóque supponat culpam, eius saltem, qui illi causam dedit. Vtraque irregularitas multipliciter subdiuiditur: Nã irregularitas ex delicto, quatuor habet species: altera verò quæ est ex defectu, nouem sub se continet, vt patebit ex sequentibus sectionibus, in quibus singillatim exponentur.

10. Item vna est totalis, alia partialis.

Diuiditur 2. irregularitas in totalem, & partialem. Prior est, quæ perpetuò excludit à quolibet ordine suscipiendo, aut exercendo. Posterior, quæ vel non impedit omne exercitium cuiuscunque ordinis, sed alicuius tantùm: vel non in perpetuum. Ex. gr. sacerdos, qui absque sua culpa perdidit pollicem, est irregularis, quoad celebrationem Missæ; sed non quoad alia munia sacerdotalia. Et qui ante ætatem ordines receperunt, censentur à multis esse irregulares ad tempus dumtaxat, donec ætatem idoneam attingant, qua de re dicemus sect. 4.

Diuidunt etiam aliqui irregularitatem in eam, quæ est iuris diuini, & illam quæ est iuris humani. Sed hæc diuisio repugnat huic particulæ definitionis, *A iure solo proueniens*, ecclesiastico scilicet: & latè, atque impropriè sumit nomen irregularitatis, pro quacunque inhabilitate ad ordines, & ad illorũ vsum. Quo sensu fatemur aliquos esse iure diuino irregulares, id est, inhabiles, vt fœminas, & non-baptizatos.

SECTIO II.

De Irregularitatibus ex delicto.

11. Irregularitas ex delicto est quadruplex.

IRregularitas ex delicto est quadruplex. Prima nascitur ex peccato graui, & manifesto, & tali vt reddat hominem infamem: iuxta cap. *Infames*, 6. q. 1. & cap. *Quinali quo*, dist. 51. Secunda oritur exmutilatione vel homicidio iniustis, & mortaliter culpabilibus: vt patet ex multis capitib. dist. 50. & 51 & toto ferè titulo De homicidio voluntario. Tertia nascitur ex iteratione baptismi, id est, quando aliquis baptizatur bis scienter, & liberè, cap. *Quibis*, De consec. dist. 4. & cap. 2. de Apostatis. Quarta nascitur ex mala susceptione, vel malo vsu ordinis, cap. *Cum illorum*, De sent. excom. & cap. 1. & 2. de Clerico non ordinato minist. Quæ 4. species cõprehenduntur hoc versu,

Digitized by Google

Infamis, mutilans, duplex baptismus, & ordo.

11. Nō incurritur nisi ob P.M.

Circa eadem verò notandum est 1. nunquam illas incurri nisi ex peccato mortali, secundum communem sententiam. Ita enim docent Scotus lib. 5. de Iustitia, q. 1. art. 9. prope finem, Suarez disp. 40. de Censuris, sect. 3. n. 17. & 18. Azorius tom. 1. libro 5. cap. 6. quæst. 5. in fine, Auila de Centur. part. 7. disp. 2. dub. 3. Coninc disp. 18. dub. 2. n. 13. & plures alii. Nimirum quia peccatum veniale non est tam graui pœnæ proportionatum. Imò debet esse tale peccatum mortale, vt non modò secundum affectum internum, sed etiam secundum quantitatem operis externi, sit mortale. Et denique debet esse coniunctum cum aliqua contumacia, & pertinacia. Vnde ignorantia, & alia quæ supra diximus excusare à maiori excommunicatione, excusant etiam ab istis irregularitatibus ex delicto, quæ sunt propriè poena, & quidem grauior quàm excommunicatio, quia sunt quædam veluti depositio clericalis. Atque ita docent Sanchez lib. 9. de Matrimonio, disp. 32. n. 17. Nauarrus Consil. 15. de Temporibus ordinationum in fine, vbi dicit, irregularitatem non contrahi, nisi adsit contemptus, & Aegidius Coninc disput. 18. dub. 4. num. 29. & sequentibus: vbi addit excusare ab illis non solùm ignorantiam iuris ecclesiastici prohibentis tale peccatum: verùm etiã ignorantiam istius poenæ: quia in cap. *Propositi*, dist. 82. dicitur clericos impurè viuẽtes, ignorantes legem Syricii Papæ, de positionis pœnam contra eos statuentis, non esse illà plectendos, sed esse venia dignos: tametsi aliqua alia pœna ibidem illos afficit, propter peccatum quod admiserunt. Irregularitas autem, vt supra dixi, est veluti quædã depositio clericalis. Ergo, &c. Confirmatur, quia irregularitas ex delicto, quæ est poena, in eo est similis censuris, quòd nõ fertur nisi propter contumaciã contra Ecclesiã, & reus æquè tenetur illam exequi in seipso. Ergo ignorantia iuris, aut poenæ extraordinariæ non minùs excusat ab irregularitate, quàm à censuris. Quare non assentior Suari disp. 40. sect. 5. n. 9. & seq. generaliter affirmanti, ignorantiam irregularitatis non impedire quò minùs incurratur.

13. Debeatne illud habere infamiã annexam?

Nota 2. iuxta Glossam in cap. vltim. de Temporibus ordinationum, A Castro lib. 1. de Lege poenali cap. vlt. conclus. 2. & quorũdam aliorum sententiam, nullum esse tam graue peccatum, quod solius enormitatis suę titulo inducat irregularitatem, nisi generet infamiam, propterea quòd delictum sit publicum: exceptis duobus, nempe homicidio voluntario, & peccato cui annexa est censura: vt quando occultus excommunicatus, aut suspensus celebrat. Qua de re videri potest Henriq. lib. 14. c. 3. n. 2. Contrarium tamẽ docet Nauar. c. 27. Man. n. 194. vbi alios citat, affi marq; esse cõmunem sentẽtiã, & conformem vsui Ecclesiæ huc vsque seruato: cui fauet Tridentinum sess. 24. cap. 6. de Reform. concedens Episcopis, vt possint dispensare in quibuscunque irregularitatibus prouenientibus ex occulto delicto, exceptis ea, quæ oritur ex homicidio voluntario. Quibus verbis Trident. supponit delicta occulta inducere irregularitatem. Sed responderi potest hoc satis verificari de peccatis occultis censuram sibi annexam ferentibus, à quibus æquè ac ab homicidio voluntario induci irregularitatẽ fatetur altera sententia, quæ confirmari potest ex cap. vlt. de Temporibus ordinationum, vbi dicitur, periuros, adulteros, falsosque testes posse initiari sacris Ordinibus, & illos exercere, quandiu crimen manet occultum.

14. Vera sententia.

Probabilius existimo cum Aegidio Con. dub. supra cit. n. 16. distinctione vtendum esse. Quædam enim sunt peccata, quibus per se annexa est irregularitas. Alia quibus nonnisi per accidens ratione infamiæ. Priora licet occulta sint, inducunt irregularitatem, vt videtur supponere Trident. verbis supra relatis. Et confirmari potest ex multis Canonibus imponentibus irregularitatem pro variis criminibus, nulla facta mentione notorietatis. Secus autem posteriora; quia cùm non pariant infamiã, quãdiu manent occulta, deest integrũ fundamentũ irregularitatis. Et hoc solùm probat cap. vlt. de temporib. ordin. adductum pro prima sentẽtia.

15. Infamia est duplex.

Nota 3. circa primam ex his quatuor speciebus, quæ oritur ex infamia culpabiliter contracta, duplicem esse infamiam. Vna est infamia facti, quæ oritur ex aliquo crimine notorio propter quod delinquens apud graues, & bonos malè audit. Notorio, inquam, vel notorietate iuris, quando accessit sentẽtia iudicis, aut reus in iudicio crimen confessus est: vel notorietate facti, quãdo in tota vicinia notum est, aut publicè factum, & nulla potest tergiuersatione celari. Secunda est infamia iuris, quæ scilicet incurritur in casibus propter quos ius, siue Canonicum, siue Ciuile, infamiæ pœnam infligit: de quibus casibus vide caput *Infames*, 6. qu. 1. & ius Ciuile ff. *De iis qui infamia notantur*. Et hæc aliquando incurritur propter crimen, vt propter Sodomiam notoriam, adulterium manifestum, sacrilegium, vsuram publicam, coniugium cum duabus vxoribus simul: aliquando propter factum, aut officium inhonestũ: quo pacto sunt infames histriones, & qui scenis ex officio intersunt, tortores, carnifices, aliique multi. Vocatur autem hæc infamia ciuilis, quando iure tantùm ciuili statuitur. Canonica verò, quando iure Canonico imponitur, aut acceptatur: Diciturque acceptari tacitè, quæcunque est iure Ciuili statuta, & per ius Canonicum non improbata. Vtraque aliquando imponitur ipso iure; ita vt ipso facto incurratur: aliquando verò iubetur imponi per sententiam iudicis, vt bene notat Layman libro 1. tract. 5. part. 5. cap. 4. n. 1. vbi figillatim recenset crimina, quibus hoc, aut illo modo incurritur. Addunt aliqui tertiò infamiam legalem, seu potiùs iudicialem, quæ incurritur per definitiuam iudicis sentẽtiam,

qua quispiam de aliquo graui crimine damnatur, etiam extra casus infames in iure expresses vt ex. gr. qui de furto, vel de calumnia per sententiam damnatus est. Sed hæc infamia comprehenditur in priori membro diuisionis supra traditæ, vt patet ex dictis in eius explicatione.

16. Irregularitas ex delicto infami, ex quali peccato contrahatur?

Nos hic loquimur de sola infamia ex delicto contracta: alia enim pertinet ad alteram subdiuisionem irregularitatis ex defectu, de qua dicemus sect. 4. Potrò delicta, quæ ratione infamiæ pariunt irregularitatem, debent habere infamiam iuris sibi annexam, & esse publica: vt post Nauarrum notat Aegid. Con. disp. 18. num. 57. Quia si non sunt publica, non pariunt infamiam: & alia crimina, quæ non habent annexam iuris infamiam, etsi publica sunt: non tamen inducunt irregularitatem propriè dictam, sed impedimentum aliquod indecentiæ, propter quam tales prohibentur ordinari, cap. vlt. de Temporibus Ordinat. donec infamiam eluant per pœnitentiam: quâ peractâ, cessat hoc impedimentum, neque eget dispensatione. Secus autem infamia à iure inducta, vel ipso facto, vel etiam accedente sententia iudicis, per quam iubet inferri. Ratio est, quia tunc est legalis pœna in perpetuum imposita, id est, sine temporis limitatione; auctoritate Principis, sine qua proinde relaxari nequit: & hæc relaxatio fit per dispensationem ecclesiasticam vel expresse, vel saltè virtualiter & implicitè, quãdo à Principe laico tollitur infamia ciuilis, vt mox dicemus.

17. Infamia debet esse canonica.

Præterea infamia pariens irregularitatem debet esse Canonica, id est, iure Canonico statuta, vel approbata, vt bene docet Suar. disp. 48. sect. 2. n. 2. Tum quia, cùm hæc irregularitas sit impedimentum Canonicum, non potest per infamiam nisi canonicam incurri. Tum etiam quia omnis irregularitas debet esse expressa in iure Canonico. Ergo vt irregularitas oriatur ex infamia, debet esse illi annexa per ius Canonicum. Ergo debet vel ab illo esse statuta, vel saltem non improbata, ideoque tacitè acceptata, & eatenus saltem Canonica. Cæterùm inter infamiam hoc duplici modo staturam differentia est, quia quando iure Ciuili statuta fuit, & ab ecclesiastico solùm acceptata, potest non modò Summus Pontifex eam tollere, verùm etiam Princeps, à quo statuta est: eáque sublatá, tollitur irregularitas in illa fundata, indirectè vi ciuilis iurisdictionis famam restituentis: Directè autem vi potestatis ecclesiasticæ approbantis illam restitutionem. Quia ius Canonicum non appoluit nouam infamiam, sed tantùm propter eam quæ iure Ciuili statuta est, excludit tales personas ab Ordinibus, & ab illorum vsu; indecens iudicans, & indignum ita ciuiliter infamem ad illos accedere. Secus autem est, quando infamia iure ipso Canonico constituta fuit directè, & in particulari, vt hæresi, Sodomiæ, vsuræ, & similibus: tunc enim nisi ecclesiastica potestate tolli nequit.

Est etiam alia differentia notabilis inter infamiam facti, & infamiam iuris: quòd prior tollitur per Baptismum, aut per sufficientem pœnitentiam. Secus autem iuris infamia. Nam qui ante Baptismum contraxit infamiam iuris Ciuilis; manet illi subiectus; cum Baptismus non liberet à pœnis ciuilibus. Et licet non contraxerit infamiam Canonicam, quia nondum subserat legibus, & iurisdictioni Ecclesiæ: si tamen Ecclesia approbat ciuilem, quam incurrit, iam post baptismum incipit eâ ligari, vt Canonicâ, & impeditur vi illius ab Ordinibus. Approbat autem Ecclesia, vt suprà dixi, quamcunque infamiam iure ciuili statutam, quam non reprobat. Quod intellige de iure ciuili Christianorum, quod solum respicit, & curat Ecclesia. Quid enim illi cum iis, qui foris sunt? inquit Apostolus, id est, cum Infidelibus, quorum leges sæpe iniquæ sunt, & infamia per eas statuta, frequenter est malè fundata, planéque irrationabilis.

18. Infamia iuris & facti differunt.

1. Corinth. 5.

19. Irregularitas ex homicidio vel mutilatione.

Nota quartò, circa secundam speciem quæ oritur ex mutilatione, vel homicidio iniusto, talem mutilationem, aut occisionem debere esse mortaliter culpabilem, vel in se, vel in causa, ex qua secuta est: ita vt ignorantia, vel inaduertentia, vel negligentia vitandi periculum sit grauiter culpabilis. Vnde qui occideret, aut mutilaret alterum in amentia, vel ebrietate, non præuiso hoc effectu, vel casu planè fortuito, vel cum moderamine inculpatæ tutelæ, vel sanandi causa, vt chirurgi, & medici, non ideo forent irregularis. Vt neque etiam ille, qui volenti occidere, consuleret, vt mutilet potiùs, cùm aliter mortem non posset impedire: vel qui mortem illi mitiorem impetraret à volente crudeliùs occidere, quem aliter ab ea voluntate non posset auertere. Debet præterea esse occisio, aut mutilatio hominis viui: quare qui dat pharmacum ad impediendum conceptum, aut procurandum aborsum fœtus nondum animati anima rationali, tametsi grauiter & mortaliter peccet, non est irregularis: quia non committit homicidium: vt dicitur cap. *Si ut ex literarum*, De homicidio: neque etiam ille, qui corpus mortuũ inimici mutilaret. Debent etiam tale homicidiũ, aut mutilatio fuisse commissa post baptismũ occisoris, aut mutilatoris: vt colligitur ex c. *Si quis viduam*, dist. 50. & c. *Si qui post baptismũ*, dist. 51. Nihil tan ẽ refert quòd occisus, aut mutilatus nondum sit baptizatus, vt constat ex c. *Clericum*, dist. 50. vbi occidens paganũ dicitur fieri irregularis. Non obest etiã quòd sit excõmunicatus: quamuis in cap. *Excommunicatorum*, 23. q. 5. dicatur non esse homicidas eos qui bono zelo excõmunicatos occiderint: illud enim est intelligendũ, vt rectè exponit Suar. dis. 44. sect. 3. n. 4. de illis qui in iusto bello tales personas interfecerint: & de irregularitate incursa ex delicto: quicquid sit de altera, quæ cõtrahitur ex defectu lenitatis, de qua dicemus sect. 4. Præterea nõ

ſufficit conatus occidendi, aut mutilandi, niſi reipſa ſequatur mors, aut mutilatio, ſiue abſciſſio vel membri alicuius, vel notabilis eius partis, vt explicabimus ſect. 3.

20. Quis dicatur occidere, aut mutilare?

Dicitur autem mutilare, vel occidere, non ſolùm ille, qui phyſicè hoc facit; verùm etiã quiſquis mortaliter influit conſilio, auxilio, ſuaſione, præcepto, & quocunque alio modo poſitiuè cooperatur: quique eſt cauſa, vt alter ſe ſine iuſta occaſione exponat probabili periculo vitæ, vnde mors ſecuta ſit: putà, ſi mandat vt alium aperta vi aggrediatur armatum, & potentem reſiſtere, atque aggreſſorem interficere. Tunc enim mors aggreſſoris eſt ſatis volũtaria præcipienti cum tali periculo. Eſt etiam communis ſententia Doctorum, non modò cauſas poſitiuè cooperãtes ad mortem, aut mutilationem iniuſtam, incurrere hanc irregularitatem: verùm etiã cooperantes priuatiuè, id eſt, qui non impediunt, cùm poſſint, & teneantur impedire ex iuſtitia. Secus autem ſi tolùm ex charitate: vel ſi tantùm poſt factũ ratum habeant: quia ratihabitio ſubſequens non influit in occiſionem, aut mutilationem præteritam. Neque tantũ ille qui aliũ mutilat, vel occidit, eſt irregularis: verùm etiam qui ſeipſum mutilat, vel eſt ſibi cauſa mutilationis ſcienter, & liberè, id eſt, qui ſponte ſibi abſcindit, aut abſcindi facit aliquod membrum: imò etiam ſi notabilem partem digiti ſponte ſibi abſcindit, aut abſcindi facit ſine neceſſitate, morbi depellendi cauſa, vel mortis vitanda, aut alterius mali grauis: vt dicitur cap. 6. diſt. 55. vbi ſic habetur: *Qui partem membri abſcidit digiti ipſi ſponte ſibi abſcindit, hunc ad clerum Canones non admittunt.* Vnde colligo minùs requiri, ad contrahendam irregularitatem lædendo ſeipſum, quàm lædendo alium: nam læſio tam modica erga alium non ſufficeret, vt dicemus ſect. ſeq. Sunt tamen qui dicunt eum, qui ſponte ſibi abſcindit membrum occultum, non eſſe irregularem, niſi delictum ſit manifeſtum: fiuntque irregularem, non ratione delicti, ſed ratione infamiæ, vel ſcandali. Ita Henriq. lib. 14. cap. 8. n. 4. litera Z. & alii, quos citat.

21. Irregularitas ex duplici baptiſmo.

Nota 5. circa tertiam ſpeciem, quæ oritur ex baptiſmo duplici, ſiue iterato, non modò eum qui pluries baptizatur, fieri irregularem, vt habetur cap. *Quibis*, De conſecrat. diſtinct. 4. verùm etiam eum, qui iteratò baptizat, vt dicitur capite 2. de Apoſtatis: atque etiam eum, qui ex officio miniſtrat rebaptizanti, *ibidem*. Secus autem Patrimos, & alios præſentes; quia ius nullibi eos exprimit: & irregularitas non eſt admittenda, niſi ſit in iure expreſſa, vt ſæpiùs diximus. Sed neque ex iterato baptiſmo naſcitur irregularitas, niſi quis ſciens, & volens, ac de induſtria det, vel recipiat ſecundò baptiſmum, peccando mortaliter. Quare excuſat ignorantia, vel negligentia non latæ culpæ. Imò etiam excuſat metus cadens in conſtantem virum: quia excuſat à contumacia contra præceptum Eccleſiæ, etiamſi non excuſet à peccato mortali, quia incutitur in contemptum religionis. Addit Toletus libro 1. cap. 70. numero 4. rebaptizantem ſcienter, & liberè non fieri irregularem, niſi crimen illius ſit notum & publicum. Et quidem caput 2. de Apoſtatis, in quo ſolo fundatur hæc irregularitas, loquitur tantùm de crimine publico eius, qui miniſtrat rebaptizanti: ex quo colligunt Doctores communiter idem à fortiori ſentiendum eſſe de miniſtrante ipſo. Sed non video quàm aptè ex eo colligant, miniſtrantem incurrere irregularitatem, in eo caſu etiam, quo peccatum ipſius eſt occultum; propterea quòd interuiens rebaptizanti, eam incurrit, ſi eius peccatum eſt notorium.

22. Si prudenter, aut fidè rebaptizat, eſt irregularis.

Addunt præterea Tolet. ibid. num. 6. Nauarr. cap. 27. Manual. n. 246. & Suarez diſp. 42. ſect. 1. num. 1. excuſari ab irregularitate eum, qui recipit baptiſmum ſub intentione conditionata, ſi forte prior baptiſmus non fuit validus; licet contingat id fieri imprudenter, & ſine ſufficienti ratione dubitandi, ac denique cum culpa mortali: quia, inquiunt, talis non poteſt dici ſimpliciter rebaptizari, cùm illa intentio tollat animum rebaptizandi. Sed contrarium meritò cenſent Dominicus Sotus in 4. diſtinct. 3. quæſt. vnica, articulo 9 §. *Circa hanc igitur ſolutionem*, & plures alii affirmantes, irregularitatem incurri non obſtante tali conditione, ſi ignorantia, vel negligentia, vel imprudentia fuit grauiter culpabilis. Quia conditio appoſita non obſtat quòminùs talis ſimpliciter dicatur rebaptizari, vt patet ex capite 2. de Baptiſmo, & eius effectu: & in Catechiſmo Romano Pii V. expreſsè id affirmatur. Idemque puto dicendum de illo, qui ſecundò baptizatur fictè, id eſt, ſine intentione recipiendi ſacramentum, quamuis exteriùs id præ ſe ferat, & ſeriò videatur agere: quem Suarez loco citato excuſat ab irregularitate: propterea quòd, inquit, ille qui non habet intentionem recipiendi Sacramentum, non rebaptizatur formaliter: & hæc pœna eſt reſtringenda ad formalem rebaptizationem: ſicut pœna impoſita hæretico ipſo iure, eſt reſtringenda ad formalem hæreticum exteriorem, hoc eſt, qui ita ſignificat exteriùs ſe negare fidem, vt interiùs etiã neget. Probabilius enim arbitror, Eccleſiam intendere punire hac pœna grauem irreuerentiam exteriorem contra baptiſmum præcedentem, verè ſuſceptum, commiſſam in quacunque iterata ſuſceptione illius, velut ſacramentali, quantùm exteriùs apparet. Quæ irreuerentia non eſt minor in eiuſmodi fictè rebaptizatis, quàm in aliis Sacramentum intendentibus. Cúmque hæc intentio recipiendi iterum ſacramentũ Baptiſmi non poſſit eſſe ſine hæreſi materiali, vel formali, ſine qua nemo poteſt exiſtimare ſe poſſe bis verè baptizari, idq; intendere velut poſſibile; Siqueretur exſent. Suaris vix vllum præter hæreticos Anabaptiſt. hac pœna affici. Ac ne

illi quidem secundum baptismum, vt verum intẽderent, si priorem in infantia acceptum pro valido haberent.

23. Sæpius rebaptizatus fit toties irregularis.

Porrò quisquis sæpius baptizatur, incurrit toties nouam irregularitatem: quia quoties multiplicatur culpa, cui ius pœnam apposuit de se multiplicabilem; toties iteratur poena. Neque dubium est, quin si aliquis semel rebaptizatus, rursus post actam poenitentiam, & obtentam dispensationem ab irregularitate baptizatur; iterum fiat irregularis. Potest autem aliquis fieri irregularis multipliciter, simulque pluribus irregularitatibus esse obstrictus: sicut & contrahere plures excommunicationes propter varia peccata, nõ solùm diuersæ, sed etiam eiusdem rationis: illisque simul esse irretitus. Vt tamen hæc irregularitas incurratur, necessarium est Baptismum iam semel fuisse validè acceptum. Nam si quis falsò putet se fuisse baptizatum antea, & re vera non ita sit: non fit irregularis iterando baptismum præsumptiuè: tametsi grauiter peccat.

Quòd si quæras, an similiter ex iteratione aliorum Sacramentorum interabilium, Cõfirmationis videlicet, & Ordinis, oriatur irregularitas? Respõdeo negatiuè cum communi sententia: quia de tali irregularitate nullus extat Canon: & in pœnis à iure statutis, argumentum à simili locum non habet: multóque minùs in irregularitatibus, quæ non sunt admittendæ, nisi sint expressæ in iure. Atque ita docent speciatim Tolet. cap. cit. n. 3. Henriq. lib. 14. c. 4. n. 5. l. x. Azor tom. 1. lib. 2. c. 11. Suar. disp. 40. de Censuris, sect. 4. n. 16. Auila part. 7. disp. 7. dub. 5. & plures alii, quos isti citant.

24. Baptizatus scienter ab hæretico est irregularis.

Extra hunc casum rebaptizationis contrahitur alio modo irregularitas per baptismũ, quando adultus scienter illum accipit ab hæretico. Nam hoc ipso impeditur recipere ordines, vt habetur cap. *Ventum est*, 1. q. 1. & cap. *Qui in quslibet*, 1. q. 7. iuncto cap. *Placuit*, & cap. *Quia apud*, 1. q. 4. in quibus requiritur ætas adulta, & discretionis, ad contrahendam hanc irregularitatem: & per duo postrema capita explicanda sunt duo priora, quæ loquũtur absolutè: quia rigor legis pœnalis est temperandus, & benigniùs interpretandus, quoad fieri potest: debentq; iura conciliari inter se, quantum possunt: & lex poenalis debet intelligi de illis, qui sunt in culpa. Propter quod etiam debet talis esse in culpa suscipiendo baptismum scienter & liberè ab hæretico, noto vt tali. Præterea in Concilio Neocæsariensi cap. 12. & refertur dist. 57. cap. 1. qui differt baptismum vsque ad mortis periculum, & tunc necessitate compulsus baptizatur, ordinari non debet, nisi purgauerit suspicionem per ostensionem fidei & religionis: id est, nisi postea Christianè viuendo satis probauerit se verè fidelem esse, animoque sincero baptismum suscepisse. Et in Concilio Eliberino canone 24. relato à Gratiano, capite *Omnes*, distinctione 98. statutum habetur, vt omnes, qui peregrè fuerint baptizati, eò quòd eorum minimè sit cognita vita, ad clerum non promoueantur in alienis Prouinciis. Sed hæc non pertinent ad irregularitatem ex delicto, de qua nunc loquimur; neque propter culpam in baptismo commissam statuuntur, sed propter dubium de fide, & religione, vel de bonis moribus taliter baptizatorum: spectantque potiùs ad irregularitatem ex defectu mentis, similem illi, quæ dicitur Neophytorum, de qua inferiùs agemus sect. 5.

25. Et excommunicatus recipiẽs ordinẽ sacrũ.

Nota sextò, circa quartam & vltimam speciem, quæ oritur ex mala susceptione, vel malo vsu Ordinis, irregularitatem incurri dupliciter in eius susceptione. 1. Quando quis Ordinem sacrum recipit in excommunicatione cap. *Cum illorum*, De sentent. excommun. Secus autem si in Suspensione tantùm; vel si accipiat solùm minores Ordines. Vt bene docent Auila part. 7. de Censuris. disp. 9. dub. 6. conclus. 4. & Emanuel Rodrigues in summa Casuum part. 1. cap. 167. num. 4. quia nullus est Canon, qui infligat talem irregularitatem. Secundò quando quis suscipit Ordinem sacrum post Matrimonium ratum, etsi non consummatum, alter quàm permittunt sacri canones, vt habetur in Extrauag. vnica de Voto, Ioannis XXII. Præter hæc, qui accipit Ordinem sacrum sine titulo, erat olim irregularis, iuxta Canones. Iam verò secundum ius nouum non est irregularis, vt bene probat Nauarrus Consilio 15. de temporibus ordinationum. Item qui accipit eodem die quatuor Minores, & Subdiaconatum, vbi est talis consuetudo, non est irregularis, neque suspensus: vt de Suspensione declarauit Congregatio Cardinalium circa caput 14. sessionis 23. Tridentini, verbo *Duos sacri Ordines*. Irregularitas autem est maior poena, quàm suspensio, illamque includit. Imò neque est ille irregularis, qui eodem die accipit duos Ordines sacros: sed tantùm est suspensus, vt bene probat Suarez disp. 31. de Censuris, sect. 1. num. 41. in fine contra Nauarrum: idque solùm ab vltimo ordine, quem suscepit, vt multi affirmant, & nos alibi diximus.

26.

Addunt plerique alios duos casus, in quibus incurritur irregularitas per malam susceptionem ordinum. Vnus est, quando quis ordinatur à denunciato excommunicato, suspenso, interdicto, simoniaco, vel hæretico; nisi excusat ignorantia, vel metus. Alter est, quando quis furtiuè ordinatur, id est, dolo se obtrudit Episcopo ordinanti, persuadendo se esse alium, quàm sit: aut priùs, dum vocatur ad examen, curat alium suo nomine examinari, & postea nominatus obtrudit se pro eo qui fuit examinatus: aut quacunque alia ratione efficit, vt Episcopus ipsum, ex errore personæ, loco alterius ordiner. Sed illi has irregularitates, non satis probant, cùm nullum ius afferant, in quo expressè contineantur.

sufficit conatus occidendi, aut mutilandi, nisi rei ipsa sequatur mors, aut mutilatio, siue abscissio vel membri alicuius, vel notabilis eius partis, vt explicabimus sect. 3.

20. Quis dicatur occidere, aut mutilare?

Dicitur autem mutilare, vel occidere, non solùm ille, qui physicè hoc facit; verùm etiã quisquis mortaliter influit consilio, auxilio, suasione, præcepto, & quocunque alio modo positiuè cooperatus: quique est causa, vt alter se sine iusta occasione exponat probabili periculo vitæ, vnde mors secuta sit: putà, si mandat vt alium aperta vi aggrediatur armatum, & potentem resistere, atque aggressorem interficere. Tunc enim mors aggressoris est satis volũtaria præcipienti cum tali periculo. Est etiam communis sententia Doctorum, non modò causas positiuè cooperãtes ad mortem, aut mutilationem iniustam, incurrere hanc irregularitatem: verùm etiã cooperantes priuatiuè, id est, qui non impediunt, cùm possint, & teneantur impedire ex iustitia. Secus autem si tolùm ex charitate: vel si tantùm post factũ ratum habeant: quia ratihabitio subsequens non influit in occisionem, aut mutilationem præteritam. Neque tantũ ille qui aliũ mutilat, vel occidi, est irregularis: verùm etiam qui seipsum mutilat, vel est sibi causa mutilationis scienter, & liberè, id est, qui sponte sibi abscindit, aut abscindi facit aliquod membrum: imò etiam si notabilem partem digiti sponte sibi abscindit, aut abscindi facit sine necessitate, morbi depellendi causa, vel mortis vitandæ, aut alterius mali grauis: vt dicitur cap. 6. dist. 55. vbi sic habetur: *Qui partem cuiuslibet digiti sibi ipsi non ex infirmitate abscidit, hunc ad clerum Canones non admittunt.* Vnde colligo minùs requiri, ad contrahendam irregularitatem lædendo seipsum, quàm lædendo alium: nam læsio tam modica erga alium non sufficeret, vt dicemus sect. 3. seq. Sunt tamen qui dicunt eum, qui sponte sibi abscindit membrum occultum, non esse irregularem, nisi delictum sit manifestum: fierique irregularem, non ratione delicti, sed ratione infamiæ, vel scandali. Ita Henriq. lib. 14. cap. 8. n. 4. litera Z. & alii, quos citat.

21. Irregularitas ex duplici baptismo.

Nota 5. circa tertiam speciem, quæ oritur ex baptismo duplici, siue iterato, non modò eum qui pluries baptizatur, fieri irregularem, vt habetur cap. *Quibus*, De consecrat. distinct. 4. verùm etiam eum, qui iteratò baptizat, vt dicitur capite 2. de Apostatis: atque etiam eum, qui ex officio ministrat rebaptizanti, *ibidem*. Secus autem Patrimos, & alios præsentes; quia ius nullibi eos exorimit: & irregularitas non est admittenda, nisi sit in iure expressa, vt sæpiùs diximus. Sed neque ex iterato baptismo nascitur irregularitas, nisi quis sciens, & volens, ac de industria det, vel recipiat secundò baptismum, peccando mortaliter. Quare excusat ignorantia, vel negligentia non latæ culpæ. Imò etiam excusat metus cadens in constantem virum: quia excusat à contumacia contra præceptum Ecclesiæ, etiamsi non excuset à peccato mortali, quia incutitur in contemptum religionis. Audit Toletus libro 1. capite 70. numero 4. rebaptizantem scienter, & liberè non fieri irregularem, nisi crimen illius sit notum & publicum. Et quidem caput 2. de Apostatis, in quo solo fundatur hæc irregularitas, loquitur tantùm de crimine publico eius, qui ministrat rebaptizanti: ex quo colligunt Doctores communiter idem à fortiori sentiendum esse de ministrante ipso. Sed non video quàm aptè ex eo colligant, ministrantem incurrere irregularitatem, in eo casu etiam, quo peccatum ipsius est occultum; propterea quòd interuiens rebaptizanti, eam incurrit, si eius peccatum est notorium.

22. Imprudenter, aut fidè rebaptizatus non incurrit irregularitatem.

Addunt præterea Tolet. ibid. n. 6. Nauarr. cap. 27. Manual. n. 246. & Suarez disp. 42. sect. 1. num. 1. excusari ab irregularitate eum, qui recipit baptismum in bona intentione conditionata, si forte prior baptismus non fuit validus; licet contingat id fieri imprudenter, & sine sufficienti ratione dubitandi, ac denique cum culpa mortali: quia, inquiunt, talis non potest dici simpliciter rebaptizari, cùm illa intentio tollat animum rebaptizandi. Sed contrarium merito docent Dominicus Sotus in 4. distinct. 3. quæst. vnica, articulo 9 §. *Circa hanc igitur solutionem*, & plures alii affirmantes, irregularitatem incurri non obstante tali conditione, si ignorantia, vel negligentia, vel imprudentia fuit grauiter culpabilis. Quia conditio apposita non obstat quòminus talis simpliciter dicatur rebaptizari, vt patet ex capite 2. de Baptismo, & eius effectu: & in Catechismo Romano Pii V. expressè id affirmatur. Idemque puto dicendum de illo, qui secundò baptizatur fictè, id est, sine intentione recipiendi sacramentum, quamuis exteriùs id præ se ferat, & seriò videatur agere: quem Suarez loco citato excusat ab irregularitate: propterea quòd, inquit, ille qui non habet intentionem recipiendi Sacramentum, non rebaptizatur formaliter: & hæc pœna est restringenda ad formalem rebaptizationem: sicut pœna imposita hæretico ipso iure, est restringenda ad formalem hæresim exteriorem, hoc est, qui ita significat exteriùs se negare fidem, vt interiùs etiã neget. Probabilius enim arbitror, Ecclesiam intendere punire hac pœna grauem irreuerentiam exteriorem contra baptismum præcedentem, verè susceptum, commissam in quacunque iterata susceptione illius, velut sacramentali, quantùm exteriùs apparet. Quæ irreuerentia non est minor in eiusmodi fictè rebaptizatis, quàm in aliis Sacramentum intendentibus. Cúmque hæc intentio recipiendi iterum sacramentũ Baptismi non possit esse sine hæresi materiali, vel formali, sine qua nemo potest existimare se posse bis verè baptizari, idque intendere velut possibile; Sequeretur ex sent. Suaris vix vllum præter hæreticos Anabaptist. hac pœna affici. Ac ne

illi quidem secundum baptismum, vt verum intêderent, si priorem in infantia acceptum pro valido haberent.

23. Sæpius rebaptizatus fit toties irregularis.

Porrò quisquis sæpius baptizatur, incurrit toties nouam irregularitatem: quia quoties multiplicatur culpa, cui ius pœnam apposuit de se multiplicabilem; toties iteratur poena. Neque dubium est, quin si aliquis semel rebaptizatus, rursus post actam poenitentiam, & obtentam dispensationem ab irregularitate baptizatur; iterum fiat irregularis. Potest autem aliquis fieri irregularis multipliciter, simulque pluribus irregularitatibus esse obstrictus: sicut & contrahere plures excommunicationes propter varia peccata, nõ solùm diuersæ, sed etiam eiusdem rationis: illisque simul esse irretitus. Vt tamen hæc irregularitas incurratur, necessarium est Baptismum iam semel fuisse validè acceptum. Nam si quis falsò putet se fuisse baptizatum antea, & re vera non ita sit: non fit irregularis iterando baptismum præsumptiuè: tametsi grauiter peccat.

Quòd si quæras, an similiter ex iteratione aliorum Sacramentorum iterabilium, Cõfirmationis videlicet, & Ordinis, oriatur irregularitas? Respõdeo negatiuè cum communi sententia: quia de tali irregularitate nullus extat Canon: & in pœnis à iure statutis, argumentum à simili locum non habet: multóque minùs in irregularitatibus, quæ non sunt admittendæ, nisi sint expressæ in iure. Atque ita docent speciatim Tolet. cap. cit. n. 3. Henriq. lib. 14. c. 4. n. 5. l. x. Azor tom. 1. lib. 2. c. 11. Suar. disp. 40. de Censuris, sect. 4. n. 16. Auila part. 7. disp. 7. dub. 5. & plures alii, quos isti citant.

24. Baptizatus scienter ab hæretico est irregularis.

Extra hunc casum rebaptizationis contrahitur alio modo irregularitas per baptismũ, quando adultus scienter illum accipit ab hæretico. Nam hoc ipso impeditur recipere ordines, vt habetur cap. *Ventum est*, 1. q. 1. & cap. *Qui in quslibet*, 1. q. 7. iuncto cap. *Placuit*, & cap. *Qui apud*, 1. q. 4. in quibus requiritur ætas adulta, & discretionis, ad contrahendam hanc irregularitatem: & per duo postrema capita explicanda sunt duo priora, quæ loquũtur absolutè: quia rigor legis pœnalis est temperandus, & benigniùs interpretandus, quoad fieri potest: debentq; iura conciliari inter se, quantum possunt: & lex poenalis debet intelligi de illis, qui sunt in culpa. Propter quod etiam debet talis esse in culpa suscipiendo baptismum scienter & libere ab hæretico, noto vt tali. Præterea in Concilio Neocæsarienſi cap. 12. & refertur dist. 57. cap. 1. qui differt baptismum vsque ad mortis periculum, & tunc necessitate compulsus baptizatur, ordinari non debet, nisi purgauerit suspicionem per ostensionem fidei & religionis: id est, nisi postea Christianè viuendo satis probauerit se verè fidelem esse, animoque sincero baptismum suscepisse. Et in Concilio Eliberino canone 24. relato à Gratiano, capite *Omnes*, distinctione 98. statutum habetur, vt omnes, qui peregrè fuerint baptizati, eò quòd eorum minimè sit cognita vita, ad clerum non promoueantur in alienis Prouinciis. Sed hæc non pertinent ad irregularitatem ex delicto, de qua nunc loquimur; neque propter culpam in baptismo commissam statuuntur, sed propter dubium de fide, & religione, vel de bonis moribus taliter baptizatorum: spectantque potiùs ad irregularitatem ex defectu mentis, similem illi, quæ dicitur Neophytorum, de qua inferiùs agemus sect. 5.

25. Et excommunicatus recipiés ordinẽ sacrũ.

Nota sextò, circa quartam & vltimam speciem, quæ oritur ex mala susceptione, vel malo vsu Ordinis, irregularitatem incurri dupliciter in eius susceptione. 1. Quando quis Ordinem sacrum recipit in excommunicatione cap. *Cum illorum*, De sentent. excommun. Secus autem si in Suspensione tantùm; vel si accipi tsolùm minores Ordines. Vt bene docent Auila part. 7. de Censuris. disp. 9. dub. 6. concluſ. 4. & Emanuel Rodrigues in summa Casuum part. 1. cap. 167. num. 4. quia nullus est Canon, qui infligat talem irregularitatem. Secundò quando quis suscipit Ordinem sacrum post Matrimonium ratum, etsi non consummatum, alter quàm permittunt sacri canones, vt habetur in Extrauag. vnica de Voto, Ioannis XXII. Præter hæc, qui accipit Ordinem sacrum sine titulo, erat olim irregularis, iuxta Canones. Iam verò secundum ius nouum non est irregularis, vt bene probat Nauarrus Consilio 15. de temporibus ordinationum. Item qui accipit eodem die quatuor Minores, & Subdiaconatum, vbi est talis consuetudo, non est irregularis, neque suspensus: vt de Suspensione declarauit Congregatio Cardinalium circa caput 14. sessionis 23. Tridentini, verbo *Duos sacri Ordines*. Irregularitas autem est maior poena, quàm suspensio, illamque includit. Imò neque est ille irregularis, qui eodem die accipit duos Ordines sacros: sed tantùm est suspensus, vt bene probat Suarez disp. 31. de Censuris, sect. 1. num. 41. in fine contra Nauarrum: idque solùm ab vltimo ordine, quem suscepit, vt multi affirmant, & nos alibi diximus.

26.

Addunt plerique alios duos casus, in quibus incurritur irregularitas per malam susceptionem ordinum. Vnus est, quando quis ordinatur à denunciato excommunicato, suspenso, interdicto, simoniaco, vel hæretico; nisi excuset ignorantia, vel metus. Alter est, quando quis furtiuè ordinatur, id est, dolo se obtrudit Episcopo ordinanti, persuadendo se esse alium, quàm sit aut priùs, dum vocatur ad examen, curat alium suo nomine examinari, & postea nominatus obtrudit se pro eo qui fuit examinatus: aut quacunque alia ratione efficit, vt Episcopus ipsum, ex errore personæ, loco alterius ordiner. Sed illi has irregularitates, non satis probant, cùm nullum ius afferant, in quo expressè contineantur.

27. Per vsum verò malum Ordinis dupliciter quoque incurritur irregularitas. Primò, ante susceptos Ordines, si clericus exerceat solemniter actum Ordinis sacri, quem non habet. Solemniter, inquam, & velut actum Ordinis: non autem eo solùm modo, quo à laicis interdum exercetur, cap. 1. & 2. De Clerico non ordinato ministrante: de quo plura vide apud Henriq. lib. 14. cap. 6. num. 1. vbi rectè notat laicum exercentem sacrum Ordinem non incurrere hanc irregularitatem, sed clericum dumtaxat: quia titulus iurium citatorum est, De clerico non ordinato ministrante; non autem, De laico non ordinato: quod etiam priùs notauerat Angel. v. *Irregularitas* 1. numero trigesimo octauo: licet plerique alii contrarium sentiant, quos citat, & sequitur Suar. tom. 3. in tertiam partem, disputatione trigesima prima, sect. 4. in fine.

Et exercés actum ordinis sine ordine.

28. Secundò, incurritur irregularitas per malum vsum Ordinis, quando aliquis post susceptos Ordines, existens excommunicatus, suspensus, aut interdictus, vel in loco interdicto, exercet Ordinem sacrum, à quo est suspensus, vel interdictus, aut qui in loco illo est prohibitus, cap. 1. de Sententia & re iudicata, & cap. *Is qui*, & *Is qui*, De sentent. excomm. in 6. Illi tamen, qui exercet tantùm minores Ordines in excommunicatione, non est irregularis, vt bene probat Nauarr. Cons. 44. De sentent. excomm. ad qu. 2. iuxta 2. editionem, vel Consilio 28. iuxta primam: quem sequuntur Vivaldus cap. de Excommunicatione, & alii recentiores. Plures alios addit Miolus lib. 3. cap. 18. & seqq. quas recenset, meritóque reiicit Suarez disp. 42. sect. 5. num. 2. & seqq. apud quem legi poterunt.

Vel excom. suspensus, aut interdictus.

SECTIO III.

Soluuntur aliquæ dubitationes circa irregularitatem ex delicto homicidii, aut mutilationis.

29. VT aliqua præcedenti sectione breuiter dicta circa huiusmodi Irregularitatem meliùs explicentur, Quæritur 1. An irregularitas contracta ex homicidio voluntario, & ex mutilatione culpabili, sit vnica irregularitas, siue eiusdem rationis: ita vt differant tantùm ex parte causæ, & in omnibus aliis conueniant? Respondeo negatiuè, sed esse planè distinctas irregularitates: ita vt iura, quæ loquuntur de irregularitate ex homicidio voluntario, & pertinent ad rigorem, non debeant extendi ad irregularitatem ex mutilatione. Ex. gr. constitutio Tridētini sess. 24 cap. 6. de Reform. quâ dispensatio super irregularitate homicidii voluntarii, quātuis occulti, reseruatur summo Pontifici, non debet extendi ad dispensationem super irregularitate ex mutilatione voluntaria occulta, vt declarauit Congregatio Cardin. super eadem sessione cap cit. num. 3. circa illa verba *homicidii voluntarii* quæ decl. ratio habetur in nouis editionibus Concilii, anni 1640. Eandemque meminit Suarez disp. 44. sect. 2. n. 4. vb hanc regulam generalem tradit: Ea quæ iura disponunt de irregularitate pro homicidio, si ad lenitatem, vel aliquam pœnæ diminutionem pertineant, extendi debent ad irregularitatem mutilationis: quia fauores sunt ampliandi, & à fortiori constat hanc fuisse mentem Legislatoris. Si verò pertineant ad rigorem, non est admittenda extensio ad mutilationem, nisi ipso iure fiat: quia mutilatio minùs grauis, & odiosa est, quàm occisio. Addit idem Auctor disp. 45. sect. 1. num. 2. cùm homicidium casuale, licet culpabile, differant in iure, vt est communis sententia, & patet ex Trident. sess. 14. cap. 7. de Reform. & pluribus aliis quæ refert Couarr. initio partis 2. relectionis de homicidio: eandem moderationem, quàm supra diximus circa reseruationem, adhibendam esse homicidio casuali; ita vt si occultum sit, possit Episcopus dispensare super irregularitate ex eo contracta. Quia cùm Tridentinum solummodo excipiat homicidium voluntarium, omne aliud concedit. Casuale autem non est voluntarium simpliciter, neque eo nomine intelligitur in iure.

Voluntarium, & homicidii.

30. Quod vt meliùs declaretur, nota homicidium distingui in voluntarium simpliciter, id est, quod directè intenditur: & in casuale, id est, quod euenit præter intentionem operantis: idque vel casu merè fortuito, ita vt sit planè inuoluntariū: vel cum aliqua negligentia in cauendo periculo, adeo vt voluntarium sit secundum quid. Quæ distinctio sumitur ex multis capitibus toto titulo de homicidio, & clariùs ex Trident. sess. 14. cap. 7. de Reformatione, vbi homicidium voluntarium exprimitur his verbis, *Qui sua voluntate homicidium perpetrauerit*: casuale verò istis, *Si verò homicidium non ex proposito, sed casu*, &c. proposito scilicet occidendi: de illo enim ibi sermo est: quare homicidium quod fit sine tali proposito non est simpliciter voluntarium, sed casuale. Sufficit tamen hanc voluntatem esse confusam: vt est quando aliquis absolutè vult percutere ense, & vulnerare in quacunque parte potest; vel directa voluntate infert vulnus, ex quo moraliter mors contingere solet. Quia velle directè talem causam, perinde est ac velle directè effectum. Secus autem si velit tantùm vulnerare cum proposito non occidendi, & cauens ne lethaliter vulneret, aut in parte periculosa. Tunc enim si mors contingat, non habebit rationem perfecti voluntarii, sed homicidii casualis. Similique modo philosophandum est de cooperantibus ad mortem, aut mutilationem, quibus aliquando homicidium est directè, & perfectè voluntarium: aliquando casuale tantùm. Nā si quis directè intendat homicidū, siue persequendo, siue impediendo alium

Homicidiū distinguitur in voluntarium, & casuale.

Quo modo differant Irregularitas ex homicidio, & ex mutilatione?

Digitized by Google

ne se defendat, siue detinendo ne fugiat, siue animando, vel defendendo principalem occitorem suâ solâ præsentiâ ad illum finem exhibitâ, censendus est homicida voluntarius. Si autem non intendit homicidium, neque distinctè, neque confusè, & velut in actu exercito, inferendo lethale vulnus, neque scit alium, quem iuuat, intendere mortem alterius, & ad illum finem cum aggredi; censeri debet esse casuale respectu illius, nisi in calore rixæ voluntatem mutauerit; vt bene ait Suar. disp. 44. sect. 3. num. 31.

31. Quomodo casuale exeat irregularem?

Quæritur secundò, Quid requiratur vt homicidium casuale imputetur ad Irregularitatem? Respondeo, & dico primò, necessarium esse vt sit indirectè volitum in causa, id est, fuerit aliquo modo præuisum, tanquam fortè secuturum ex tali actione, & fuerit aliqua negligentia culpabilis in vitando periculo. Probatur ex cap. *Hi qui* dist. 50. his verbis, *Si verò aliquâ culpâ eorum, vel negligentiâ, mortis hominis interitus cognoscuntur eis accessisse; abiciendi sunt à gradu, & in sacro ordine nullatenus suscipiendi.* Et cap. *Quæsitum*, De pœnitentiis & remission. vbi parentes, qui dormientes in eodem lectulo cum infante, illum suffocauerant, dicuntur non incurrisse irregularitatem, nisi studiosâ, id est, voluntaria eorum negligentiâ id euenerit. Et in Clement. vnica De homicidio, dicitur infantes, furiosos, & dormientes non fieri irregulares, si occidant: quia scilicet, absque sua culpa id faciunt. Nâ si dormiens præuidisset periculum, & non satis diligenter vitasset, incurreret irregularitatem, vt constat ex cap. *Quæsitum*, suprà citato. Probatur 2. ratione. Quia irregularitas ex delicto homicidii est pœna. Ergo necessariò præsupponit culpam in homicidio committendo, aut non satis vitando. Non est autem culpa sine voluntario. Et non est voluntarium, quod est planè incognitum, aut sufficienti diligentia vitatum. Nam talis diligentia tollit omnino voluntarium. Ergo &c. Atque hinc sequitur vlteriùs, negligentiam istam debere esse grauem, & mortalem, seu latæ culpæ, vt vocant, non autem leuis, aut leuissimæ. Nam irregularitas cùm sit grauis pœna, & depositio quædam, grauiorque ipsa maiori excommunicatione, vt supra diximus, non potest imponi nisi propter culpam mortalem, pœnæ tam graui proportionatam.

32. Quid, si sequatur ex actione illicita?

Dico secundò id esse verum, siue qui occidit casualiter, det operam rei licitæ, siue etiam rei illicitæ. Primum admittitur communi consensu Theologorum, & Canonistarum, patetque ex cap. *Latar*, cap. *Dilectus*, cap. *Literis* 1. & 2. cap. *Significasti*, cap. *Ioannes*, & capite finali De homicidio. Secundum verò docent cum Henrique lib. 14. cap. 15. n. 1. Auila parte 7. disp. 6. sect. 1. dub. 1. Aegid. Coninc disp. 18. dub. 9. num. 80. Diana parte 4. tract. 2. resolutione 20. & 21. & pluribus aliis, quos isti citant. Probatur, quia quòd aliquis det operam rei illicitæ, non facit, vt homicidium sit vllo modo voluntarium, si nullo modo præuisum fuit: vel si adhibita est sufficiens diligentia ad cauendum illius periculum. Deinde nulla est admittenda irregularitas, nisi sit in iure expressa, vt habetur in cap. *Is qui*, De sententia excom. in 6. Atqui nullibi exprimitur in iure dantem operam rei illicitæ, fieri irregularem, si ex eius actione sequatur homicidium planè fortuitum, id est, non præuisum vllo modo, aut sufficienti diligentia vitatum. Ergo, &c. Maior conceditur ab omnibus. Minor autem constabit respondendo argumentis aduersariorum. Tertiò, ex sententia opposita multa sequuntur absurda: vt v. g. esse irregularem, qui ensem furto sublatum vendidit eo tempore, & loco, quo nullum erat prudenter timendum periculum homicidii; si postea rixâ subortâ contingat. Itemque illum qui ad furâdum murum conscenderet, & decidens aliquem fortè obuiũ casu suo opprimeret. Itemque illum, qui alienam arborem succidens, casu illius aliquem interficeret, non minore diligentia adhibita ad cauendum periculum, quàm si propriam excidisset, quo in casu non fòret irregularis, vt fatentur aduersarii. Itemque illum qui loco, aut tempore prohibito dans operam venationi, hominem loco feræ occideret, nullo præuiso periculo, nec minori præcautione, quàm si modo licito venationem exercuisset. Item eum qui pulsat campanam tempore indebito, fore irregularem, si illa cadens aliquem opprimat, secus autem, si tempore debito eam pulsaret, nihilò magis vitando periculum. Et alia id genus, quæ per se satis apparent à ratione aliena, neque sine textu expresso Canonum admittenda sunt. Nullus autem profertur ab aduersariis, vt mox patebit.

33. Refellitur prima sententia contraria.

Propter hæc nonnulli aduersariorum restringunt suam assertionem ad eas actiones illicitas, quæ ex se habent aliquod periculũ occisionis; id est, quando opus, quod exercent, est illicitum ratione periculi occidendi aliquem, quod per se illi coniunctum est. Secus autem si aliunde tantùm sit illicitum. Ita Sotus lib. 5. De iustitia q. 1. art. vlt. Sairus lib. 7. cap. 5. n. 13. & Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 32. num. 25. Sed contra: quia vel præuidetur tale periculum, & sufficienti cautione vitatur: vel non. Si primum; habemus intentum. Si secundum; quòd opus tale sit per se, non facit, vt homicidium sit voluntarium, & culpabile, si nullo modo præuisum fuit, vel nulla fuit negligentia culpabilis in præuidendo, & cauendo illius periculo. Et consequenter non facit, vt homicidium possit ad pœnam tam grauem imputari.

34. Alii dicunt, Irregularitatem non incurri quidem generaliter per homicidium casuale secutum ex actione illicita: sed tantùm specialiter in quibusdam casibus satis expressis

Digitized by Google

in iure: censentur autem satis expressi in iure, quando ius Canonicum prohibet huiusmodi actiones sub poena Irregularitatis: cuiusmodi casus duos proferunt. Vnum ex cap. vlt. De homicidio in 6. vbi mandans iniustè alium percuti, dicitur fieri irregularis si mandatarius excedens mandatum, occidat; licet mandans prohibuerit, omnemque adhibuerit diligentiam ne occideret. Alterum ex cap. *Tua nos* De homicidio, vbi Monachus Sacerdos exercens artem chiurgicam, sibi illicitam, in apertione tumoris cuiusdam fœminæ, ex qua mors secuta est sine illius culpa, damnatur Irregularitatis, quamuis peritè id fecisset, & pietatis causá, omnemque diligentiam adhibuisset, ne mors ex apertione, vel aliunde contingeret. Ita Suar. disp. 45. sect. 6. num. 9. & seqq. addens num. 16. non obstare quòd tale homicidium non sit voluntarium, ne indirectè quidem: quia nihilominus potuit ius punire hac poena talem actionem illicitam, in casu quo sequitur ex illa occisio, & nō aliter. Diciturque illa Irregularitas incurri ex delicto homicidii: quia non incurritur propter talem actionem illicitam, nisi adiūcto homicidio casualiter ex ea secuto.

35. Refutatur secunda.

Sed, vt omittā valde impropriè vocari illud delictum homicidii, quod plane inuoluntarium est, & inculpabile: non satis efficaciter probat Suar. quod intendit. Nam in cap. vlt. De homicidio in 6. non dicitur mandans adhibuisse omnem diligentiam vitandi periculum homicidii: sed è contrario dicitur malè fecisse mandando: *Cùm mandando*, inquit, *in culpa fuerit, & hoc euenire posse debuerit cogitare*: & nimirum facilè aduerterit periculum esse ne aggressor excederet, alio resistente, & conante vim vi repellere. Vnde mors aut mutilatio alterutrius facilè cōtingit, si armatus aggreditur armatum. Estque sine dubio ibi sermo de percussione graui, & periculosa de se. Leuis enim, & periculo carens, non est proportionata poenæ irregularitatis, cùm non sit peccatum mortale. In c. verò *Tua nos*, Monachus non declaratur fuisse irregularis, nisi ex suppositione, quòd negligēs fuerit in cauendo homicidio, & si temerè, & imperitè tumorem aperuit: vt significatur per illa verba finalia, *Alioquin interdicenda est ei sacerdotalis Ordinis executio de rigore*. Quod autem paulò antea dicitur talem, si peritus erat chirurgiæ, omnemq; diligentiā adhibuit non ita esse in probandū, quin peractâ poenitentiâ possit cum ec misericorditer agi, vt valeat diuina celebrare: significat tantùm, vt rectè exponit Aegid. Coninc dub. cit. n. 87. poenitentiam, quæ illi propter vsurpatum chirurgiæ efficium, extra casum grauissimæ necessitatis sibi illicitum, iniungenda erat, posse contrahi: vel de rigore posse diutius ob eam culpam ab altariarceri. Simili modo quo cap. 1. *De corpore vitiatis*, dicitur cum clerico qui in duello partem digiti amiserat, posse misericorditer agi, & peractâ poenitentiâ permitti ministrare. Cùm tamen talis, præsertim ante Trident. non fuerit irregularis, vt clarè ibid. significatur, & clariùs cap. 1. *De clericis pugnantib. in duello*. quam expositionem approbat auctor ipse, quem modò impugnamus, disp. 51. de Censuris, sect. 2. n. 7.

Alia quoque iura, quibus auctores primæ sententiæ illam stabilire conantur, non probant efficaciter quod intendunt. Nam quod obiiciunt 1. iura affirmare generaliter mutilantem, aut occidentem iniustè, fieri irregularem, cap. *Mitor*, cap. *Clericum*, cap. *Si quis viduam*, c. *Clerico iaciente*, cap. *Eos verò*, disp. 50. cap. *De cætero*, aliisque pluribus *De homicidio*: & non posse nos ab illa regula generali excipere, nisi quos iura excipiunt: Atqui excipiunt tantùm homicidium secutum ex actione licita cum sufficienti diligentia vitandi periculum, vt patet ex cap. *Ioannes*, cap. *Dilectus*, & cap. vlt. De homicidio, verbis illis, *Attendentes igitur quod Sacerdos ipse dabat operam rei licitæ*: & è contrario damnant irregularitatis homicidium secutum ex actione illicita, non obstante tali diligentia, vt constat ex capitibus pro Suaris opinione relatis, quibus adde caput *Sicut*, De homicidio, vbi clericus zonā arripiens ludendo mulierem prægnantem, dicitur incurrisse irregularitatem propter aborsum secutum ex actione illa ludicra clerico illicita, & indecente. 36.

Ad hoc, inquam, Respondeo iura prohibere tantùm generaliter sub poena Irregularitatis ex delicto, homicidium culpabile, id est, voluntate directa, vel indirecta admissum, cum graui saltem negligentiá vitandi periculum. Vt patet ex cap. *Quæsitum*, De Pœnitentiis, & remissionibus, vbi, quemadmodum supra notauimus, parentes suffocantes in lecto infantem, dormiendo cum illo, excusantur ab Irregularitate, nisi *studiosâ negligentiâ*, id est, valde culpabili, id fecerint: adeo vt leuis præuisio periculi, & negligentia modica non sufficiat, quam parentes illi manifestè supponuntur habuisse cap. cit. quia dicuntur incuriam poenitentiâ mulctandam commisisse. Et cap. *Ad aures*, *de ætate & qualitate Ordinandorum*, Pontifex cōsultus à medico, qui verebatur ne multis fuisset causa mortis, putans, & studens afferre sanitatem, & medicinas fortè periculosas adhibens; consultus, inquam, posset ne ad sacros Ordines promoueri: respondet in hæc verba: *Si super præmissis conscientia te remordeat* (id est, si culpabiliter fecisti dando temerè medicamenta periculosa *ad maiores Ordines de nostro consilio non ascendas*. Quibus postremis verbis, *Ad maiores Ordines* &c. significare videtur, medicum illum fuisse clericum, & in minoribus constitutum, adeóque dedisse operam rei sibi illicitæ, exercendo medicinam. Alioquin enim dixisset Pontifex absolutè non debere ipsum ad Ordines accedere, ne quidem ad minores, si iudicabat ipsum esse ir-

Soluuntur eius argumenta.

Digitized by Google

regularem propter periculosas & temerarias curationes.

37. Deinde ad minorem respondeo, quando iura citata dicunt tales dedisse operam rei licitæ, non id dicere excipiendo: sed afferendo rationem, quæ veritatem resolutionis indubitatam faceret: de cætero relinquendo disputationi Theologorum, vtrum si vacassent rei illicitæ, fuissent irregulares in casibus ibi propositis: cuius difficultatis decisio sumi potest, vel ex ratione resolutionis Pontificum ibidem subiecta, vel ex aliis iuribus, quæ pro nostra sententia retulimus, vel ex principiis generalibus de lege pœnali, & de natura peccati, cùm hæc irregularitas non incurratur nisi propter peccatum, & per Ecclesiæ constitutionem. Neque verum est, quod additur in secunda parte eiusdem minoris, iura damnare irregularitatis homicidium secutum ex actione illicita, quacunque licet diligentia, & præcautione adhibita. Nam iura prolata à Suare id non probant, vt supra ostendimus. Neque etiam caput *Sicut* 2. *De homicidio*: quia clericus ille zona arripiens mulierem prægnantem, eamque fortiter trahens, aut comprimens, vt necessarium fuit ad abortum; manifestè exponebat se tali periculo, & ratione illius facilè præuisi, fuit grauiter culpabilis.

38. Obiiciunt 2. argumentum à contrario sensu multum habere roboris apud Iuristas, vt colligitur ex cap. *Cum Apostolica*, De his quæ fiunt à Prælatis, vbi Pontifex vtitur illo genere argumentandi, & ex lege 1. ff. De officio eius, cui mandata est iurisdictio. Ex eo autem quòd iura excusant aliquos ab irregularitate in casibus propositis, eò quòd dabant operâ rei licitæ, possumus à contrario argumentari, quòd si non vacassent rei licitæ, fuissent irregulares: ergo &c. Minor patet ex cap. *Ioannes* cap. *Dilectus*, & cap. vlt. De homicidio.

Altera obiectio dilui tur.

Respondeo, cum Aegidio disput. 18. dub. 9. num. 81. argumentum à contrario sensu valere quidem apud Iuristas in fauorabilibus, quæ ampliandа sunt: secus autem in pœnalibus, & odiosis, quæ potiùs restringi debent, multóque minùs in irregularitate, quæ non debet admitti, nisi sit in iure expressa. Non est autem expressum in iure, quod tantum à contrario sensu colligitur, præcipuè si collectio sit incerta, & inefficax. In cap. autem citato *Cum Apostolica*, dicitur dumtaxat, ex eo quòd Religiosi prohibentur accipere Decimas de manu laici sine consensu Episcopi: sequi quòd possint cum illius consensu: alioqui frustra adderetur illa conditio prohibitioni. Ex quo nihil contra nos inferri potest, quia hæc illatio est in materia fauorabili. Lex verò illa de officio &c. non argumentatur à contrario sensu; sed tantùm affirmat ex eo quòd quippiam specialiter conceditur alicui, bene inferri, tam hoc, quàm alia similia ipsi esse illicita sine tali concessione: quia frustra speciatim conceduntur, quæ sunt per se licita. Cætera quæ obiciunt sunt minoris momenti, & ex dictis facilè solui poterunt.

39. Ex his collige clericum in venatione prohibita casualiter interficientem non esse irregularem, si adhibuit diligentiam debitam, ne hominem feræ loco occideret, aut mutilaret. Neque adulterum, qui adhibuit sufficientem cautelam ne adulteræ mors inferretur à marito, sic occultando adulterium, vt moraliter periculum timere non debuerit. Nec qui se inebriando inuincibiliter ignorauit fore vt in ebrietate mutilaret, aut occideret. Nec qui in ludicra actione bellica, quamuis prohibita, idem faceret cum sufficienti cautela. Nec qui luctando, indecenter licet, ioci tantùm causa, & sine periculo probabili, fuit causa homicidii casualis. Quo pacto in cap. *Lator*, *De homicidio*, excusatur ab irregularitate clericus luctans cum alio, & habens ad latus cultellum, ex cuius vulnere alter super clericum cadens mortuus fuerat.

Collectaria ex dictis.

40. Quæritur tertiò, quibus modis homicidium casuale imputetur ad culpam, & irregularitatem? Respondeo plures illos esse, quos recensct, & fusè exponit Suar. disp. 45. sect. 2. & seqq. Primus est, si quis non intendens directè mortem, neque expresè, neque confusè modo supra dicto num. 30. tamen exerceat immediatè actionem, ex qua mors tandem secuta sit, & culpabiliter, grauiterque negligens fuerit in tali actione vitanda. Hoc enim sufficit vt homicidium sit illi indirectè voluntarium, siue daret operam rei licitæ, in tali actione exercenda, siue rei illicitæ. Quia neutrum impedit quò minùs eam vitare teneretur præuiso homicidii periculo. Secundus est, si causa mortis materialiter tantùm applicetur, id est non cognita vt talis, sed cum ignorantia virtutis illius, aut cum spe, & proposito impediendi effectum: ignorantiâ, inquam, vel temeritate culpabili, & reddente effectum eatenus voluntarium. Vel si solùm fuit intenta leuis aliqua percussio, minimèque mortalis, ex qua tamen contra intentionem mors secuta sit, cum aliqua culpa in non præuidendo talem euentũ fortuitum: nam alioqui non incurreretur irregularitas ex delicto, sed alia ex defectu lenitatis, de qua dicemus alibi. Tertius est, si quis mandauerit alterum percutere iniustè, non intendens vt occidatur, aut mutiletur, sed potiùs expresè id prohibens; qui nihilominus fit irregularis, si alter mandatum excedit: quia periculum facilè præuidit. Hoc autem homicidiũ eò magis est casuale, quò plus ipse curæ adhibuit ne contingeret: ac si periculum sufficienter vitasset, non incurreret in conscientia irregularitatem: quia homicidium ne indirectè quidem esset illi voluntarium, & præsertim si percussionem valde leuem præcepisset. Quartus est, si quis simili modo consilium dederit percutiendi

Varij modi quibus homicidium casuale fit irregularem.

Vide infra sect. 6. n. 94. & seq.

Digitized by Google

in iure: censentur autem satis expressi in iure, quando ius Canonicum prohibet huiusmodi actiones sub poena Irregularitatis: cuiusmodi casus duos proferunt. Vnum ex cap. vlt. De homicidio in 6. vbi mandans iniustè alium percuti, dicitur fieri irregularis si mandatarius excedens mandatum, occidat; licet mandans prohibuerit, omnemque adhibuerit diligentiam ne occideret. Alterum ex cap. *Tua nos* De homicidio, vbi Monachus Sacerdos exercens artem chirurgicam, sibi illicitam, in apertione tumoris cuiusdam fœminæ, ex qua mors secuta est sine illius culpa, damnatur Irregularitatis, quamuis peritè id fecisset, & pietatis causâ, omnemque diligentiam adhibuisset, ne mors ex apertione, vel aliunde contingeret. Ita Suar. disp. 45. sect. 6. num. 9. & seqq. addens num. 16. non obstare quòd tale homicidium non sit voluntarium, ne indirectè quidem: quia nihilominus potuit ius punire hac poena talem actionem illicitam, in casu quo sequitur ex illa occisio, & nõ aliter. Dicitur que illa Irregularitas incurri ex delicto homicidii: quia non incurritur propter talem actionem illicitam, nisi adiũcto homicidio casualiter ex ea secuto.

35. Refutatur secunda.

Sed, vt omittã valde impropriè vocari illud delictum homicidii, quod plane inuoluntarium est, & inculpabile: non satis efficaciter probat Suar. quod intendit. Nam in cap. vlt. De homicidio in 6. non dicitur mandans adhibuisse omnem diligentiam vitandi periculum homicidii: sed è contrario dicitur malè fecisse mandando: *Cùm mandando*, inquit, *in culpa fuerit, & hoc euenire posse debuerit cogitare*: & nimirum facilè aduerterit periculum esse ne aggressor excederet, alio resistente, & conante vim vi repellere. Vnde mors aut mutilatio alterverius facilè cõtingit, si armatus aggreditur armatum. Estque sine dubio ibi sermo de percussione graui, & periculosa de se. Leuis enim, & periculo carens, non est proportionata poenæ irregularitatis, cùm non sit peccatum mortale. In c. verò *Tua nos*, Monachus non declaratur fuisse irregularis, nisi ex suppositione, quòd negligẽs fuerit in cauendo homicidio, & si temerè, & imperitè tumorem aperuit: vt significatur per illa verba finalia, *Alioquin interdicenda esset ei sacerdotalis Ordinis executio de rigore*. Quod autem paulò antea dicitur talem, si peritus erat chirurgiæ, omnemq; diligentiã adhibuit non ita esse in probandũ, quin peractâ poenitentiâ possit cum ec misericorditer agi, vt valeat diuina celebrare: significat tantùm, vt rectè exponit Aegid. Coninc dub. cit. n. 87. poenitentiam, quæ illi propter vsurpatum chirurgiæ efficium, extra casum grauissimæ necessitatis sibi illicitum, iniungenda erat, posse contrahi: vel de rigore posse diutius ob eam culpam ab altari arceri. Simili modo quo cap. 1. *De corpore vitiatis*, dicitur cum clerico qui in duello partem digiti amiserat, posse misericorditer agi, & peractâ poenitentiâ permitti ministrare. Cùm tamen talis, præsertim ante Trident. non fuerit irregularis, vt clarè ibid. significatur, & clariùs cap. 1. *De clericis pugnantib. in duello*. quam expositionem approbat auctor ipse, quem modò impugnamus, disp. 51. de Censuris, sect. 2. n. 7.

36. Alia quoque iura, quibus auctores primæ sententiæ illam stabilire conantur, non probant efficaciter quod intendunt. Nam quod obiiciunt 1. iura affirmare generaliter mutilantem, aut occidentem iniustè, fieri irregularem, cap. *Miror*, cap. *Clerici*, cap. *Si quis viduam*, c. *Clerico iacente*, cap. *Eos verò*, disp. 50. cap. *De cætero*, aliisque pluribus *De homicidio*: & non posse nos ab illa regula generali excipere, nisi quos iura excipiunt: Atqui excipiunt tantùm homicidium secutum ex actione licita cum sufficienti diligentia vitandi periculum, vt patet ex cap. *Ioannes*, cap. *Dilectus*, & cap. vlt. De homicidio, verbis illis, *Attendentes igitur quod Sacerdos ipse dabat operam rei licitæ*: & è contrario damnant irregularitatis homicidium secutum ex actione illicita, non obstante tali diligentia, vt constat ex capitibus pro Suaris opinione relatis, quibus adde caput *Sicut*, De homicidio, vbi clericus zonã arripiens ludendo mulierem prægnantem, dicitur incurrisse irregularitatem propter abortum secutum ex actione illa ludicra clerico illicita, & indecente.

Ad hoc, inquam, Respondeo iura prohibere tantùm generaliter sub poena Irregularitatis ex delicto, homicidium culpabile, id est, voluntate directa, vel indirecta admissum, cum graui saltem negligentiâ vitandi periculum. Vt patet ex cap. *Quæsitum*, De Pœnitentiis, & remissionibus, vbi, quemadmodum supra notauimus, parentes suffocantes in lecto infantem, dormiendo cum illo, excusantur ab Irregularitate, nisi *studiosâ negligentiâ*, id est, valde culpabili, id fecerint: adeo vt leuis præuisio periculi, & negligentia modica non sufficiat, quam parentes illi manifestè supponuntur habuisse cap. cit. quia dicuntur incuriam poenitentiâ mulctandam commisisse. Et cap. *Ad aures, de ætate & qualitate Ordinandorum*, Pontifex cõsultus à medico, qui verebatur ne multis fuisset causa mortis, putans, & studens afferre sanitatem, & medicinas fortè periculosas adhibens; consultus, inquam, posset ne ad sacros Ordines promoueri: respondet in hæc verba: *Si super præmissis conscientia te remordeat* (id est, si culpabiliter fecisti dando temerè medicamenta periculosa *ad maiores Ordines de nostro consilio non ascendas*. Quibus postremis verbis, *Ad maiores Ordines* &c. significare videtur, medicum illum fuisse clericum, & in minoribus constitutum, adeóque dedisse operam rei sibi illicitæ, exercendo medicinam. Alioquin enim dixisset Pontifex absolutè non debere ipsum ad Ordines accedere, ne quidem ad minores, si iudicabat ipsum esse ir-

Soluuntur eius argumenta.

Digitized by Google

regularem propter periculosas & temerarias curationes.

37. Deinde ad minorem respondeo, quando iura citata dicunt tales dedisse operam rei licitæ, non id dicere excipiendo: sed afferendo rationem, quæ veritatem resolutionis indubitatam faceret: de cætero relinquendo disputationi Theologorum, vtrum si vacassent rei illicitæ, fuissent irregulares in casibus ibi propositis: cuius difficultatis decisio sumi potest, vel ex ratione resolutionis Pontificum ibidem subiecta, vel ex aliis iuribus, quæ pro nostra sententia retulimus, vel ex principiis generalibus de lege pœnali, & de natura peccati, cùm hæc irregularitas non incurratur nisi propter peccatum, & per Ecclesiæ constitutionem. Neque verum est, quod additur in secunda parte eiusdem minoris, iura damnare irregularitatis homicidium secutum ex actione illicita, quacunque licet diligentia, & præcautione adhibita. Nam iura prolata à Suare id non probant, vt supra ostendimus. Neque etiam caput *Sicut* 2. *De homicidio*: quia clericus ille zona arripiens mulierem prægnantem, eamque fortiter trahens, aut comprimens, vt necessarium fuit ad abersum; manifestè exponebat se tali periculo, & ratione illius facilè prævisi, fuit grauiter culpabilis.

38. Obiiciunt 2. argumentum à contrario sensu multum habere roboris apud Iuristas, vt colligitur ex cap. *Cum Apostolica*, De his quæ fiunt à Prælatis, vbi Pontifex vtitur illo genere argumentandi, & ex lege 1. ff. De officio eius, cui mandata est iurisdictio. Ex eo autem quòd iura excusant aliquos ab irregularitate in casibus propositis, eò quòd dabant operâ rei licitæ, possumus à contrario argumentari, quòd si non vacassent rei licitæ, fuissent irregulares: ergo &c. Minor patet ex cap. *Ioannes* cap. *Dilectus*, & cap. vlt. De homicidio.

Alteta obiectio diluitur.

Respondeo, cum Aegidio disput. 18. dub. 9. num. 81. argumentum à contrario sensu valere quidem apud Iuristas in fauorabilibus, quæ amplianda sunt: secus autem in pœnalibus, & odiosis, quæ potiùs restringi debent, multóque minùs in irregularitate, quæ non debet admitti, nisi sit in iure expressa. Non est autem expressum in iure, quod tantum à contrario sensu colligitur, præcipuè si collectio sit incerta, & inefficax. In cap. autem citato *Cum Apostolica*, dicitur dumtaxat, ex eo quòd Religiosi prohibentur accipere Decimas de manu laici sine consensu Episcopi: sequi quòd possint cum illius consensu: alioqui frustra adderetur illa conditio prohibitioni. Ex quo nihil contra nos inferri potest, quia hæc illatio est in materia fauorabili. Lex verò illa de officio &c. non argumentatur à contrario sensu; sed tantùm affirmat ex eo quòd quippiam specialiter conceditur alicui, bene inferri, tam hoc, quàm alia similia ipsi esse illicita sine tali concessione: quia frustra specialiter conceduntur, quæ sunt per se licita. Cætera quæ obiiciunt sunt minoris momenti, & ex dictis facilè solui poterunt.

39. Collectanea ex iis cedentibus.

Ex his collige clericum in venatione prohibita casualiter interficientem non esse irregularem, si adhibuit diligentiam debitam, ne hon inem feræ loco occideret, aut mutilaret. Neque adulterum, qui adhibuit sufficientem cautelam ne adulteræ mors inferretur à marito, sic occultando adulterium, vt moraliter periculum timere non debuerit. Nec qui se inebriando inuincibiliter ignorauit fore vt in ebrietate mutilaret, aut occideret. Nec qui in ludicra actione bellica, quamuis prohibita, idem faceret cum sufficienti cautela. Nec qui luctando, indecenter licet, ioci tantùm causa, & sine periculo probabili, fuit causa hon icidii casualis. Quo pacto in cap. *Lator*, *De homicidio*, excusatur ab irregularitate clericus luctans cum alio, & habens ad latus cultellum, ex cuius vulnere alter super clericum cadens mortuus fuerat.

40. Varii modi quibus hoc iudicium casuale fit irregularem.

Quæritur tertiò, quibus modis homicidium casuale imputetur ad culpam, & irregularitatem? Respondeo plures illos esse, quos recensct, & tusè exponit Suar. disp. 45. sect. 2. & seqq. Primus est, si quis non intendens directè mortem, neque expresè, neque confusè modo supra dicto num. 30. tamen exerceat immediatè actionem, ex qua mors tandem secuta sit, & culpabiliter, grauiterque negligens fuerit in tali actione vitanda. Hoc enim sufficit vt homicidium sit illi indirectè voluntarium, siue daret operam rei licitæ, in tali actione exercenda, siue rei illicitæ. Quia neutrum impedit quò minùs eam vitare teneretur prævisso homicidii periculo. Secundus est, si causa mortis materialiter tantùm applicetur, id est non cognita vt talis, sed cum ignorantia virtutis illius, aut cum spe, & proposito impediendi effectum: ignorantiâ, inquam, vel temeritate culpabili, & reddente effectum eatenus voluntarium. Vel si solùm fuit intenta leuis aliqua percussio, minimèque mortalis, ex qua tamen contra intentionem mors secuta sit, cum aliqua culpa in non prævidendo talem euentũ fortuitum: nam alioqui non incurreretur irregularitas ex delicto, sed alia ex defectu lenitatis, de qua dicemus alibi. Tertius est, si quis mandauerit alterum percutere iniustè, non intendens vt occidatur, aut mutiletur, sed potiùs expresè id prohibens; qui nihilominus fit irregularis, si alter mandatum excedit: quia periculum facilè prævidit. Hoc autem homicidiũ eò magis est casuale, quò plus ipse curæ adhibuit ne contingeret: ac si periculum sufficienter vitasset, non incurreret in conscientia irregularitatem: quia homicidium ne indirectè quidem esset illi voluntarium, & præsertim si percussionem valde leuem præcepisset. Quartus est, si quis simili modo consilium dederit percutiendi

Vide infra sect. 6. n. 94. & seq.

Digitized by Google

dumtaxat. Nam de consulente, vt de mandante philosophandum esse docent auctores communiter, & de vtroque loquuntur indifferenter, vt videre est apud Suar. in fine sectionis supra citatæ.

41. Quintus est, si quis percutiat prægnantem, licet non sibi persuadeat inesse periculum abortus, sed non sine aliquo scrupulo, & temeritate. Nam hoc satis est, vt homicidium sit illi voluntarium indirectè, quamuis præter intentionem contingens. Si autem non solùm timeret aliquatenus, sed omnino crederet ex tali actione secuturum abortum, vel esse morale periculum illius, & nihilominus vellet ita percutere: tunc homicidium esset illi voluntarium directè: quia vult absolutè exercere actionem, quam hic & nunc iudicat esse occisiuam; quod est directè velle homicidium. Similique modo de aliis percussionibus isti similibus iudicandum est. Plures verò eiusmodi recensentur à Siluestro *V. Homicidium*, & ab aliis Summistis. Sextus est si quis alteri volenti alium occidere cooperatur, vel eum comitando, vel simul rixando ad aliquam vindictam sumendam, ignorans eius intentionem, & non intendens occidere, neque lethaliter percutiens. Ignorans, inquam, culpabiliter. Et nisi eo solùm animo comitetur, vt pugnam impediat, cum probabili spe impediendi, & ex voluntate cooperandi tantùm ad minus malum, vt impediat maius. Tunc enim homicidium, ne quidem indirectè foret illi voluntarium. Septimus est, quando cooperatio est tantùm indirecta, secluſa intentione directa homicidii. Vel etiam quando cooperatio, quatenus à directa voluntate procedit, non est ad mortem per se sufficiens, & formalis intentio homicidii deest. Dicitur autè cooperatio esse directa, quando coperans percutit reipsa, vel infligit vulnus. Indirecta verò, quando quis detinet alium, ne fugiat, vel assistit tantùm occisori, eum suâ præsentiâ tuendo, vel tacitè animando. Octauus est, si quis priuatiuè tantùm cooperetur occidenti, id est, non impediendo, cùm possit, ac debeat ex iustitia: dummodo omittat ex negligentia, timore humano, auaritia, & similibus affectibus: non autem ex odio, & directa voluntate, vt alius occidatur: nam tunc homicidium esset illi directè voluntarium, & influxus, seu cooperatio moralis ad illud pertineret. Nonus, & vltimus est, quando aliquis dando operam rei licitæ, vel illicitæ, præbet occasionem mortis alicuius, non sine graui culpa in negligentia vitandi periculum, vt diximus quæst. 2.

SECTIO IV.

Tres aliæ quæstiones circa eandem irregularitatem explicantur.

42. QVæritur 4. vtrum qui causam mortis dedit, vitet irregularitatem, si voluntatem mutet, & causam tollere conetur, antequam mors sequatur? Respondeo, & dico primò, non excusari ab irregularitate eum qui v. g. venenum lentum propinauit, nisi efficaciter impediat ne mors sequatur, adhibendo contraria remedia, quamuis eum facti pœniteat. Imò licet conetur impedire quoad potest, sufficit quòd ille veneno tandem moriatur: quia conatus ille non facit, vt verè homicidium iniustum non cõmiserit perfectum & consummatum. Sufficiatne mutatio voluntatis?

Dico secundò, si ille qui mandatum, aut consilium occidendi, vel mutilandi dedit, reuocet efficaciter mandatum, aut consilium, ante homicidium, aut mutilationem; ita vt non amplius influxerit, sed alter suâ malitiâ tantùm id fecerit; mandantem, aut consulentem excusari ab irregularitate: secus autem si adhuc influat: putà, si mandatarius existimet non ex animo reuocari mandatum, vel si consultor ita sit conuictus persuasione, & veritate rationis propositæ, vt animum non mutauerit. Est autem longè facilius reuocari mandatum, quàm consilium, quia mandatum mouet tantùm voluntate mandantis; quam efficaciter reuocat hoc ipso quòd clarè significat se iam amplius id nolle. At consilium mouet ratione; quæ si veritate euidenti nititur, non potest reuocari: & quamuis non sit euidens: tamen frequenter illi sic adhæret animus, vt difficilè ab ea dimoueatur. Quo in casu tenetur ille qui consilium dedit, & efficaciter reuocare non potuit, monere alium vt sibicaueat; & impedire, quantum potest, ne sequatur effectus. Idemque dico de mandãte: Ac si nihilominus sequitur post adhibitam sufficientem diligentiam, videtur ratio postulare vt incurrat irregularitatem, quia verè est causa homicidii iniusti: vt suprà diximus de illo qui veneno peremit. Communis tamen sententia contrarium docet: propterea quòd consilium & mandatum non sunt causæ merè naturales, & physica necessitate operantes, vt venenum: sed sunt causæ tantùm morales, quæ per rationem & voluntatẽ liberam tolli impedirique possunt. Ideóque si mandans aut consulens, qui has causas morales applicauit, facit quicquid moraliter potest ac debet, vt impediat earum influxum; censetur eas tollere, & iam illi non imputatur effectus. Verùm si adhuc reipsa influunt, non video quomodo illi verè & reipsa non sint causa homicidii, non obstante conatu irrito impediendi: & quomodo non sit adhuc voluntarium in causa liberè ab illis posita, & suum influxum continuante, vt supponimus. Neque sufficit impediri potuisse, si reipsa impedita non fuit. Vel consilium aut mandatum reuocasse.

43. Porrò ad mandatum pertinent preces, promissio, comminatio, & alii modi inducendi, qui ad affectum magis, quàm ad intellectum pertinent. Ad consilium verò, persuasiones illæ, quæ directè, vel indirectè faciunt ad inducendum animum vt ali- Quid intelligatur nomine cõsilii vel mãdati?

cuius veritatis illi propositæ. Vt si quis alteri dicat ita læsum fuisse ipsius honorem, vt non possit eum reparare, nisi mortem læsori inferat. Vel si amicus narret amico iniuriam sibi illatam, ea intentione, vt ipsum moueat ad vltionem sumendam, & modo apto ad inducendum. Ac si iste vindictam per mortem, aut mutilationem intendat, & ad id absolutè moueat: sufficit illa intentio, & modus inducendi, vt homicidium dicatur esse voluntarium simpliciter, seu directum & perfectum. Secus autem si leuiorem vindictam, præsertim si rixa non est tanti momenti, vt morte, aut mutilatione vlciscenda fuerit iuxta communem hominum sensum. Tunc enim si sequatur, erit tantùm indirectè volita, & casualis. Sufficit etiam ad contrahendam hanc irregularitatem vi mandati, aut consilii, quod aliquis suo mandato, vel consilio coniecerit alium in morale periculum vitæ, aut mutilationis, & illa ex eo secuta sit. Ex. gr. si consuluit vt duello se exponeret; vel vt palam aggrederetur alterum, non imparatum ad resistendum. Sufficit quoque virtuale mandatum, aut consilium: vt quando in alicuius gratiam fit homicidium, ipso præsente, neque vllo modo contradicente, & saltem exteriùs significante se id nolle. Secus autem si absit, & postea tantùm ratum habeat, quod factum est. Nam voluntas ista, cum sit posterior effectu, non influit in illum. Neque tale homicidium est illi voluntarium causaliter, sed tantùm obiectiuè; quod non sufficit ad irregularitatem: quippe quæ solùm imposita est occidenti, aut mutilanti: iste autem neutrum facit. Et generaliter notandum est, id quod rectè obseruat Suar. disp. 45. sect. 3. n. 24. nullam censuram, aut poenam ipso iure impositam propter aliquod delictum, incurri propter solam ratihabitionem; nisi in casibus à iure expressis. Vnde colligo non fore irregularem eum, qui casu planè fortuito, & inculpabiliter occidisset, posteaque ratum haberet in animo, atque etiam exteriùs id significaret. Nam hæc ratihabitio planè subsequens non influxit causaliter in homicidium antea perpetratum, sed tantùm illud respicit, vt obiectum. Idemque dico de illo, qui homicidâ postea occultaret, vel laudaret, vel etiam munere donaret ob crimen admissum: quia per illos actus non est causa talis homicidii: quamuis grauiter peccet approbando, vel laudando, aut remunerando.

44. Ratihabitio non sufficit.

Neque obstat ratihabitionem mandato æquiparari, vt dicitur cap. *Cum quis*, De sentent. excom. in 6 eaque de causa dicitur ibidem incurrere Excommunicationem latam in percussores clericorum, non modò eum, qui clericum percussit, sed etiam, qui percussionem suo nomine factam ratam habet, quamuis de ea priùs non cogitauerit. Respondeo enim primò, in textu non esse *æquiparari*, sed *comparari*. Secundò, in censuris, & irregularitatibus argumentum à pari, aut à simili non valere, neque in poenis vllis à iure impositis, & ipso facto incurrendis. Quia verba legis quæ de vno casu loquuntur, non debent ampliari, & ad alium, parem licet, aut similem extendi: sed potiùs debent restringi quantum permittit proprietas verborum. Tertiò, ratihabitionem comparari, aut æquiparari mandato, vel in foro interno apud Deum si voluntas sit æqualis: vel etiam in foro externo quoad casus in iure expressos, cuiusmodi est ille, de quo in cap. cit. sermo est. Quartò, comparationem illam significare proportionem quandam, propter quam meritò potest eadem poena ad vtrumque extendi, & propter quam reipsa extenditur ibi in casu percussionis clerici: non autem quòd ex ipsa rei natura extendatur, vel ex generali constitutione, quâ id statuatur, vel supponatur. Nam verba capitis citati non satis id præ se ferunt: sed potiùs continent specialem constitutionem fundatam in proportione supradicta, veluti ratione sic statuendi, & propter quam in aliis posset idem statui, si legislatori placeret, quotiescunque ratihabitio externo aliquo signo manifestatur.

Quæritur quintò, quæ mutilatio sufficiat ad incurrendam Irregularitatem ex delicto? Existimant aliqui requiri vt abscindatur, seu auellatur à corpore membrum aliquod, id est, pars aliqua notabilis, habens officium distinctum in corpore: hoc enim membri nomen significat, iuxta illud Apostoli Rom. 12. *In vno corpore multa membra habemus: omnia autem membra non eundem actum habent*: & illud D. Gregorii relatum dist. 89. cap. 1. *Varietas membrorum per diuersa officia, & robur corporis seruat, & pulchritudinem repræsentat.* Vel, vt definiunt communiter Iuris Ciuilis, & Canonici Doctores, & Summistæ *V. Homicidium*, Membrum est pars notabilis corporis, quæ est integrum instrumentum proximum alicuius operationis, vt manus, pes, oculus; non autem pars aliqua tantùm huiusmodi membrorum. Quocirca ille cui altera manus deest, dicitur quidem esse mutilatus cap. *Expositi*, De corpore vitiatis. Ille verò, cui media palma manus cum duobus digitis abscissa fuerit, dicitur solùm habere membrum deformatum, & debilitatum, non autem simpliciter mutilatum. Ex quo inferunt non sufficere ad irregularitatem abscindi digitum, vel nasum, vel auriculam. Addunt aliqui, neque mammillam fœminæ. Hanc autem sententiam sequuntur è recentioribus Nauarr. cap. 27. Manual. n. 206. Couarruuias in Clementinam *Si furiosus*, Henriq. lib. 14. cap. 8. n. 1. Auila parte 7. disp. 5. dub. 1. Conine disp. 18. dub. 8. n. 63. licet non omnes in omnibus exemplis conueniant.

45. Quæ mutilatio inducat irregularitatem?

Probabilius esse mihi videtur quod docent Caiet. 2. 2. q. 65. a. 1. Sotus lib. 5. De iustitia quæst. 2. art. 1. Suar. disp. 44. sect. 2. n. 8. & plures alii recentiores, su-

46. Sufficit membri in natura notabilis.

Digitized by Google

fficere ad irregularitatem, si membrum aliquod corporis notabiliter minuatur, quamuis non totum abscindatur. Quia iura, quæ illam statuunt, vel non requirunt mutilationem membri, sed absolutè mutilationem, vt videre est in Clementina supra citata; vel si loquuntur de membro, significant illius diminutionem sufficere, vt liquet ex cap. 1. De Clericis pugnantib. in duello, verbis illis, *Vel membrorum diminutio.* Debet tamen hæc diminutio esse notabilis: nam extremum digiti, vel auriculæ abscindere non sufficit iuxta omnes. Quæ verò sit notabilis, iudicandum est secundum moralem æstimationem. Talis autem esse mihi videtur abscissio aliquorum digitorum, saltem præcipuorum, nasi, auriculæ, ac multò magis mammillæ in fœmina. Et in dubio quænam diminutio sit notabilis, & sufficiens; recurrendum est ad Ordinarium, cuius arbitrio id relinquitur, vt docent Innocent. Hostiens. & alii Canonistæ in caput *Cum illorum*, De sentent. excommunic. Omnino quidem non sufficit sola effusio sanguinis per vulnus illatum, vel modicæ carnis detractio: non sufficit etiam membrum ita ladere, vt reddatur inutile suæ functioni, putà oculum excæcare, nisi eruatur; quia hoc solum non est mutilare. Neque etiam quòd ex vulnere fiat aridum, & mortuum. Nam licet tunc desinat esse substantialiter pars corporis viuentis, vt talis: tamen non est mutilatio verè ac propriè, quamdiu non abscinditur, & separatur physicè à corpore,

47. Nec obest quod in contrarium opponit Suar. suprà num. 11. Ex eo sequi posse aliquem iniustè, & culpabiliter mutilare sine cuiusquam irregularitate: putà si vnus aliquod eius membrum ita lædat, vt ex vulnere arescat, & vitâ priuetur: alter verò postea abscindat. Nam prior non fiet irregularis, quia non mutilat, vt nos volumus. Neque etiam posterior: quia mutilare membrum aridum perinde fere est, ac mutilare corpus mortuum, quod manifestè nullam inducit irregularitatem. Resp. enim in tali casu eum qui iniustè membrum licet aridum abscinderet, fore irregularem, quia verè mutilaret. Iam enim verum esset talem hominem esse mutilum, & truncatum, quod antea de illo propriè dici non poterat. Neq; par est ratio de mutilante corpus mortuum. Quia licet membrum illud sit aridum, & mortuum; corpus tamen cui abscinditur, est viuum, & verè mutilatur homo viuens, fitque illi gratis iniuria, in eo quòd priuatur inuitus tali membro, in quod adhuc dominium retinet, estque minùs deformis, & imperfectus, quàm si planè membro illo careret. Ad alia argumenta prioris sententiæ responsio patet ex dictis.

48. Quæ causæ excusẽt ab irregul. ex

Quæritur sextò quæ causæ excusent ab irregularitate ex delicto homicidii, vel mutilationis? Respondeo plures, quas breuiter tantùm hoc loco recensebimus, quia superiùs variis locis fuerunt explicatæ. Possunt autem memoriæ causa his duobus versibus comprehendi. homicidio, vel mutilatione.

Lotus, cordatus, tutus, cum crimine, viuum:
Non casu, iniustè, non sanans, proxima causa.

Quorum verborum sensus hic est. Primò, nondum baptizatus, etiamsi occidat iniustè non incurrit irregularitatem, vt habetur dist. 50. cap. *Si quis viduam.* Secundò, furiosus, infans, aut dormiens, etiamsi occidat, non incurrit irregularitatem, vt habetur in Clementina vnica *De homicidio.* Idemque dicendum est de ebrio, qui caret vsu rationis, & homicidium non præuidit, aut mutilationem. Tertiò qui in sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ interficit, aut mutilat, non est irregularis, vt habetur eadem Clementina. Quartò, nec ille qui interficit sine crimine, hoc est, sine peccato mortali. Quintò, nec ille qui corpus hominis mortuum, quamuis ex odio, mutilat: neque ille qui est causa aborsionis, antequam fœtus animetur, vt dicitur cap. *Sicut* 2. De homicidio; ac neq; ille qui dat venenum sterilitatis, vt notant Glossa, & Doctores in cap. *Si aliquis*, eodem titulo; quia talis non est verè homicida: licet puniri possit, vt talis, in foro externo, sicut habetur eod. cap. Sextò, nec ille qui casu planè fortuito occidit, incurrit hanc irregularitatem. Septimò neque ille, qui tantùm non iuuat innocentem iniustè aggressum, si tantùm ex charitate tenetur eum iuuare; & non ex iustitia, sicut tenẽtur iudices, & alii personæ publicæ, quibus illud incumbit ex officio. Et hic est sensus illius vocis, *Iniuste.* Octauò, Chirurgus qui causa sanitatis abscindit membrum, non fit irregularis; neque ille, qui chirurgum in eo casu adiuuat. Nonò denique, nec ille qui est causa tantùm adeo remota, vt neque præuidere, neque vitare debuerit. Cuiusmodi est quòd aliquis vendat arma eo tempore, quo nullum est periculum iniustæ occisionis, aut mutilationis, iis, qui postea malè vtuntur. Et hactenus de Irregularitatibus ex delicto. Superest dicere de illis quæ oriuntur ex defectu.

SECTIO V.

De sex primis Irregularitatibus ex defectu.

49. IRregularitas, quæ oritur ex defectu, nouem habet species. Prima est ex defectu natalium. Secunda ex defectu libertatis, seu conditionis. Tertia ex defectu sexus. Quarta ex defectu mentis. Quinta ex defectu corporis. Sexta ex defectu ætatis. Septima ex defectu Sacramenti, id est, ex bigamia. Octaua ex defectu lenitatis. Nona

ex

Digitized by Google

ex defectu famæ. Quæ omnia memoriæ iuuandæ causa possunt hoc disticho comprehendi

Ortus, Libertas, Sexus, Mens, Corpus, & ætas:
Non bigamus, lenis, nec mala fama notat.

50. Irregularitas ex defectu natalium.

Prima irregularitas ex defectu natalium, oritur ex duplici capite: nempe ex generatione illegitima; & ex natiuitate à parentibus, aut auis hæreticis. Nam omnes illegitimi sunt irregulares cap. vlt. De filiis Presbyterorum. Illegitimus autem censetur, saltem in ordine ad irregularitatem, etiam ille, qui ex sacrilego concubitu mariti & vxoris oritur, postquam vir iam factus est sacerdos de consensu vxoris: & ipsa vel ingressa est monasterium, vel castitatis votum emisit in manibus Episcopi. Contra verò, si quis nascitur ex soluto & soluta non habentibus impedimentum dirimens matrimonium, & fornicariè copulatis, sed qui postea matrimonium inter se inierunt, centetur legitimus, cap. *Tanta*, Qui filii sint legitimi. Necessarium tamen est, vt tempore conceptionis non habuerint impedimentum validè contrahendi: neque sufficit vt ante tempus natiuitatis ablatum sit: vt contra Couarr. benè docet Suar. disput. 50. sect. prima, numero tertio. Et è contrario, non obest quòd impedimentum aduenerit ante tempus natiuitatis, si conceptionis tempore nullum fuerit. Totum enim hoc negotium pendet à tempore conceptionis, & à turpitudine copulæ illicitæ. Item non est illegitimus ille qui natus est ex parentibus qui bona fide contraxerunt in facie Ecclesiæ: quamuis postea, lite mota, matrimonium declaretur inualidum, & per sententiam separentur: vt dicitur capite *Ex tenore*, Qui filii sint legitimi. Ex quo capite liquet præterea, sufficere bonam fidem alterius coniugum, cum publica existimatione legitimi matrimonii: nam in casu illius capitis, maritus, qui alteram duxerat, non videtur potuisse bona fide agere.

Quinam illegitimi sint irregulares?

51. Nota præterea, filium non teneri credere matri affirmanti esse illegitimum. Potest enim illa faciliùs mentiri, quàm adulterari. Sunt etiam qui docent, illegitimos planè occultos non esse irregulares: quia tunc nulla est infamia: hæc autem irregularitas fundatur ex parte in infamia. Infantes quoque expositi non sunt censendi irregulares, ex eo quòd dubium esse potest, an sint legitimi. Quia defectus non imputatur, nisi probetur: vt bene docet Henriquez libro decimo quarto, capite octauo, §. decimo, & in Glossa litera L. vbi ait, Gregorium IV. in quadam Bulla id statuisse. Et multò minùs credere debet expositus, in causa dubia, suos parentes peccasse mortaliter. Item legitimi censentur ad Ordines quicunque fuerunt legitimati canonicè id est, per ecclesiasticam potestatem à summo Pontifice, vel ab eius Delegato. Nam hæc legitimatio tollit irregularitatem, & omnes illius effectus siue ad Ordines, siue ad quæcunque Beneficia ecclesiastica. Canonicè, inquam, & non tantùm ciusliter: quia ciuilis legitimatio, quæ fieri potest à Principe, non tollit irregularitatem, sed tantùm valet ad tollendos effectus ciuiles.

52. Filii hæreticorum sintne irregulares?

Circa filios verò, & nepotes hæreticorum, id est, vsque ad secundam generationem, sunt qui docent eos non esse irregulares, si modò fuerint semper catholici: nisi fortè ratione infamiæ quibusdam in locis, in quibus est Inquisitio. Ac verò vbi infamia non pertingit ad liberos (vt in Gallia, & Germania, aliisque locis, in quibus rari sunt hæretici) nullam incurri irregularitatem. Ita Gregorius Sayrus in suo Thesauro Casuum, tomo 1. libro 6. capite 10. dubit. 13. & Henriquez libro 14. capite 5. §. 4. Ratio illorum est, quia nullus est canon, qui infligat hanc irregularitatem. Nam canones quibus probari solet, nempe canon *Quicunque*, §. *Hæretici*, & canon *Statuimus* 2. de Hæreticis in 6. nihil habent de Irregularitate. Nulla enim fit in eis mentio ordinum ecclesiasticorum: sed tantùm dicitur, tales non debere admitti *Ad beneficium ecclesiasticum, siue ad publicum officium*. Per officium verò publicum non intelliguntur Ordines, vt alii volunt: sed tantùm officium iudicis, notarii & similium, vt exponit Glossa in canonem *Quicunque*, citatum §. *Hæretici*, v. *Publicum*. Et colligitur ex cap. finali de Pœnis in 6. vbi inter pœnas, quæ infliguntur filiis, & nepotibus eorum, qui persequuntur Cardinales, hæc statuitur: *Sint eis Notariæ, Iudicatus, & quodlibet aliud officium, seu ministerium publicum interdictum*. Et paulò post: *Sint eis ad Ordines accessus prohibitus*. Quibus postremis verbis constituuntur verè irregulares, sed non aliis præcedentibus. Deinde sequitur: *Sint ad Beneficium, vel Officium ecclesiasticum denegatus accessus*. Quibus verbis quatuor diuersæ pœnæ ecclesiasticæ significantur. Prima est inhabilitas ad officia publica. Secunda, ad Ordines. Tertia, ad Beneficia. Quarta, ad Officia ecclesiastica. Quæ pœnæ non sunt confundendæ: quia quando canones infligunt aliquam pœnam, voces sunt proprie sumendæ, & restringendæ potiùs, quàm ampliandæ: cùm in pœnis benignior fit interpretatio facienda, vt dicitur regula 49. de Regulis iuris in 6. Hæc illi: quæ valde probabilia esse mihi videntur, & conformia axiomati ab omnibus recepto, Non esse admittendam irregularitatem, nisi sit in Iure expressa. Hæc autem non exprimitur, vt discursus iam factus satisprobat.

53. Communis tamen Theologorum & Canonistarum sententia est, hæreticorum filios esse irregulares, si parentes moriantur in hæresis statu; qui hoc sensu intelligunt caput 2. de Hæreticis in 6. §. *Hæretici*, & caput *Statuimus* 2. eod. tit. vbi etiam extenditur hæc irregularitas ad filios eorum, qui sunt

credentes, receptatores, defensores, & fautores hæreticorum. Statuiturque, aut declaratur pertinere vsque ad secundam generationem, si descendunt ab hæretico per lineam paternam, secus verò si per maternam tantùm, vel si mater dumtaxat fuit hæretica. Estque id intelligendum de filiis, siue legitimis, siue illegitimis, qui non debent esse melioris conditionis quàm legitimi: & siue ante lapsum parentum in hæresim geniti fuerint, siue post. Nam in capite *Statutum*, citato, nihil aliud requiritur, quàm vt parentes tales esse, aut tales decessisse probentur. Hoc autem satis probari potest, licet post infantum generationem in hæresim inciderint. Si tamen contingeret filium ordinatum fuisse antequam pater hæreticus fieret, & talis esse probaretur, id est, vel de eo conuinceretur in iudicio, vel res esset publica, & omnibus probata ipsâ experientiâ; non propterea filius irregularis fieret, & impeditus ab vsu Ordinum acceptorum: quia iam habet ius acquisitum, quo per culpam solius parentis non debet spoliari. Et cõfirmatur ex cap. 2. de Hæret. in 6. §. *Hæretici*: vbi præcipitur quidem, vt tales non admittantur ad officia, vel beneficia ecclesiastica: sed non præcipitur, vt priuentur acceptis. Similiter autem de ordinibus, & eorum vsu sentiendum est: quia ius nullibi contrarium statuit.

54. Dixi autem, *si parentes moriantur in statu hæresis*: quia ad vitandam irregularitatem filiorum, & nepotum, sufficit eos resipiscere ante mortem: vt habetur cap. *Statutum*, 2. de Hæreticis in 6. nisi fortè excipiendi sint filii & nepotes eorum, qui propter relapsum traduntur brachio sæculari, & morte afficiuntur, quamuis rursus abiurent hæresim, & pœnitentes moriantur. Atque etiam filii & nepotes Hæresiarcharum. Quia istorum tanta est infamia in posteros redũdans, vt propter illam arcendi videantur ab ordinibus. Sed, vt arbitror, pertinet potiùs hæc irregularitas, si verè incurritur, ad vltimam speciem, quæ oritur ex defectu bonæ famæ, de qua dicemus in fine sect. 6.

55. Irreg. 1. ex conditione seruil.

Secunda irregularitas ex defectu libertatis, oritur ex duplici capite. Primo scilicet, ex conditione seruili. Nam serui non debent ordinari, vt habetur tota dist. 54. & cap. 1. *De seruis non ordinandis*, & can. 81. Apostol. Circa quod quatuor notanda sunt. 1. Per seruos intelligi mancipia emptitia more Romano, qui nunc etiam in Hispania, & quibusdam aliis in locis est in vsu. 2. Non modò seruos ipsos esse irregulares, sed & eorum filios. Exceptis illis qui nascuntur ex matre libera, quia *Partus sequitur ventrem*, vt dicitur L. *Partum*, ff. De rei vendicatione. Ideóque filius ex tali matre natus, quamuis ex patre seruo, liber est. 3. Seruum posse promoueri ad ordines, si donetur libertate: sed ante obtentam plenam libertatem, non debet ordinari. 4. Peccare Episcopum qui illũ ordinat, ante obtentam libertatem, atque etiam seruum ipsum. Si tamen sciente Domino, & non contradicente ordinatur, fit statim liber, vt ex precisè dicto cap. *Si seruus*, 2. dist. 54. Ex quo etiam capite liquet, sufficere ad libertatem sic obtinendam, quòd seruus primâ tonsurâ initietur: quia tantum requirit, vt *in Clero fuerit ordinatus*, seu cõstitutus: quod per primam tonsuram fit. Imò si eo contradicente ordinatur in Sacerdotem, ipso facto liber est, cap. *Per venerabilem*, *Qui filii sint legitimi*. Atque etiam si ad Diaconatum, cap. *Si seruus absente*, dist. 54. Imò etiam si fiat Subdiaconus, postquam Subdiaconatus factus est ordo sacer: iam enim quoad hoc æquiparatur Diaconatui: iuxta statutum Alexandri III. cap. *Miramur*, De seruis non ordinandis. Secus autem si tantùm promoueatur ad minores ordines. Quòd si prædicta ordinatio in Presbyterum, Diaconum, aut Subdiaconum fiat Episcopo sciente dominum contradicere: tenetur Episcopus ad duplam satisfactionem, id est, ad duos illi seruos, loco vnius restituendos, vel duplicatum pretium, cap. *Si seruus absente*, suprà cit. Tenetur inquam, in conscientia, & ex iustitia, non expectatâ alia sententiâ: potestque dominus seruum retinere, quoad Episcopus satisfecerit. Quia per legem sic dispositum est; & hæc lex non est merè pœnalis, sed fundata in æquitate iustitiæ commutatiuæ, restituendi quod ablatum est. Si verò Episcopus, ignorans conditionem seruitutis, & domini contradictionem, seruum ordinauerit; obligatio satisfaciendi, modo prædicto, incumbit aliis, qui Episcopum ad ordinandum fraudulenter induxerunt, vt statuitur eodem capite. Ac si nullus, præter seruum ipsum, est in culpa, tenetur ipse satisfacere, propter fraudem, & iniuriam in Dominum commissam. Quòd si non potest, redigitur in seruitutem, si Diaconus tantùm, vel Subdiaconus est, capite *Ex antiquis*, distinctione quinquagesima quarta, & capite *Miramur*, De seruis non ordinandis; manetque irregularis ad exercitium ordinum, nisi domino placeat illum manumittere expressè, vel tacitè: vt facere censetur si intra annum non eum repetit, capite *Si seruus* citato. Et quandiu ille manet seruus, priuatur clericalibus priuilegiis, capite *Ex antiquis*, De seruis non ordinandis, & Glossa ibidem. Si autem est sacerdos, non potest reduci in seruitutem, sed amittit peculium, cogiturque domino illud cedere: vt dicitur eodem capite. Sique peculium non habet, potest obligari, vt domino ministret in officio sacerdotali, celebrando pro ipso, & Capellanum eius agendo, capite *Frequens*, distinctione quinquagesima quarta.

56. Irr gul. ex offi o Curiali, el propter ratiocinia.

Secundò oritur hæc irregularitas ex officio Curiali, aut obligatione ad ratiocinia. Curiali autem officio teneri dicũtur Iudices, aduocati forenses, notarii, milites, & similes ministri. Qui si perpetuò sunt obligati,

perpetuò repelluntur ab ordinibus. Secus verò, possunt ordinari deposita obligatione: nisi ex alio capite repellantur, puta ex defectu ienitatis, si occiderunt, vel ad mortem damnauerunt: aut ex infamia, vt satelli es, carnifices, & alii vile ministerium in curia exercentes. Et hi curiales repelluntur ab ordinibus cap. *Designata*, distinct. 51. & cap. *Curiales*, distinct. 53. Repelluntur quoque tutores, curatores, procuratores, aut administratores publicis ratiociniis obligati: de quibus vide titulum Iuris, *De obligatis ad ratiocinia*, Glossam ibidem, Suarem tom. 51. sect. 3. num. 15. & sequentibus, & Tolet. lib. 1. cap. 54. alias 60.

57. Ratio verò cur prædicti omnes arceantur ab ordinibus, hæc redditur cap. .. distinct. 54. sumpta ex Leone I. epistola prima. Quia *Debet esse immunis ab aliis, qui ciuiz mi itiæ est aggregandus, vt à castris Dominicis, quibus nomen eius adscribitur, nullis necessitatis vinculis abstrahatur.* Notat præterea Suarez suprà, hanc irregularitatem extendi non solùm ad forensia, sed etiam ad quælibet sæcularia ministeria. Vnde in capite secundo & tertio, distinct. 51. illi omnes comprehenduntur, nomine *curialium, qui causas agunt, vel quibuslibet publicis functionibus occupantur.* Sæcularia inquam: nam aliter sentiendum est de illis, qui occupantur circa administrationem bonorum Ecclesiasticorum, quæ censentur spiritualia: iuxta cap. primum. *Ne Clerici vel Monachi.* Excipitur etiam administratio temporalis, suscepta ex causa necessaria, ad pietatem pertinente: putà in fauorem pauperum, aut miserabilium personarum, capite vltimo, distinctione octuagesima sexta, & capite primo, distinctione octuagesima octaua, & causa vigesima prima, quæstione tertia, capite primo. Propter quod etiam possunt clerici in necessitate suscipere officium Tutoris, præsertim verò accedente licentia Episcopi. Vsu quoque receptum est, & tacitè vel expressè concessum ab Ecclesia, vt Clerici possint esse consiliarii Regum, & Iudices in eorum tribunalibus, in quibus de regni negotiis, vel de causis tantùm ciuilibus agitur, non de criminalibus: præsertim si huiusmodi non habent curam animarum, aut aliam specialem obligationem, ratione Beneficii. Licet autem non solùm occupatio in negotiis sæcularibus supra dictis, extra casus iure permissos, impediat ab ordinibus recipiendis aut exercendis, verùm etiam obligatio ad ratiocinia restans ex illa iam dimissa, in iisdem casibus non permissis: secus tamen solum debitum pecuniarium, si nondum planè satisfactum est creditoribus. Quia nullus de eo extat canon. Præsertim vero si consentiat creditor, neque litium perplexarum periculum sit: quòd si iure timeatur, Episcopus non debet illos admittere ad ordines; quia censentur adhuc implicari negotiis sæcularibus, vt post Maiolum docet Suarez suprà, num. 21. nisi datis pignoribus, vel fideiussoribus, immunes te præstent ab hac irregularitate.

Tertia irregularitas ex defectu sexus, ponitur non propter fœminas, quæ iure ipso diuino, sunt inhabiles, & prorsus i capaces ordinis: seu propter hermaphroditos: in quibus si prævaleat sexus fœmineus, sunt irregulares. & secundum multos, etiamsi vterque sexus in illis vigeat. Verùm hermaphroditus, in quo viget dumtaxat, aut magis, sexus virilis, non est irregularis, vt rectè docet Scotus in 4. dist. 25. quæst. 1. artic. 2. §. *Hinc sit hermaphroditum* dummodo tamen res sit occulta: quia si res nota sit, erit irregularis ratione infamiæ, vt post Hugonem, & Turrecremata docet Toletus libro 1. capite 57. alias 63. §. *Vnum superest dubium.* Denique dicendum est, siue quis ab initio sit talis, siue temporis lapsu natura erumpat in sexum virilem, vel omnino, vel maiori ex parte: vt contingere aliquando affirmant Plinius lib. 7. Historiæ naturalis cap. 4. & alii Historici. 58. Irreg. ex defectu sexus.

Quarta irregularitas ex defectu mentis, incurritur vel primò propter morbum animi: quo pacto sunt irregulares Dæmoniaci, amentes, furiosi, & lunatici: cap. *Mentium*, distinct. 33. Irregulares, inquam, perpetuò quidem ad susceptionem ordinum: ad vsum verò iam susceptorum, quam diu durat ille defectus: id est, nondum planè cessantibus possessione Dæmonis, furore, amentia, & morbo lunatico: saltem si præsumantur ex brò talem defectum, fore periculum in exercentia sacramenti, aut alterius exercitii circa illum. Vel secundò defectu scientiæ: vt idiota, et scien legere, & ignorans idioma, in quo officia diuina scripta sunt: cap. *Illiteratos*, dist. 36. Quæ verò peritia ad primam tonsuram, & ad singulos ordines requiratur, vide apud Tridentinum sess. 23. in Decreto de Reformatione, vbi capite 4. ad Tonsuram requirit, vt initiandus fidei rudimenta edoctus, legere sciat & scribere. Et cap. 11. admirores ordines postulat, vt latinam linguam intelligat, nemoque illis initietur, quem non scientiæ signis maioribus ordinibus dignum ostendat. Et cap. 13. ad Subdiaconatum & Diaconatum exigit, vt in iis, quæ ad ordinem exercendum pertinent, sint instructi. Et capite decimo quarto, ad Presbyteratum postulat, vt ad populum docendum ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, & administranda sacramenta, diligenti examine præcedente, idoneus comprobetur. Ad Episcoparum denique, sect. 22. cap. 2. Decreti de reformatione, requirit vt ordinandus eâ scientiâ polleat, vt muneris sibi iniungendi necessitati possit satisfacere. Ideoque antea in Vniuersitate studiorum Magister, siue Doctor aut Licentiatus in Sacra Theologia, vel iure Canonico meritò sit promotus, aut publico alicuius Academiæ testimonio idoneus, ad alios docendos ostendatur. Quod si regularis 59. Irregul. ex defectu mentis.

fuerit, à Superioribus suæ Religionis similem fidem habeat.

60. Addunt aliqui 3. oriri hanc irregularitatem ratione hæresis. Sed ista potiùs est ex delicto, vt recte notat Tolet. lib. 1. c. 58. initio. Ad illam tamen non immeritò pertinet Neophyti, id est, recens conuersi ad fidem Christianam, qui non nisi post aliquam temporis morâ promoueri possunt ad ordines, vt colligitur ex cap. *Quicumque*, dist. 77. & ex Concil. Nicæn. can. 13. qui sic habet: *Nec vatio, nec discipuna petitur vt temerè, velleuiter ordinetur, aut Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui Neophytus est: maximè cum & magister Gentium Beatus Apostolus ne hoc fieret, denunciasse, & prohibuisse videatur.* Et licet canon nõ enumeret ordines inferiores Diaconatu, de illis tamen cum proportione idem sentiendum est: deque illis concludit ratio Apost. *Ne in superbiam elatus &c.* Euehitur enim ad statum altiorem, & superbiæ occasionem accipit, quando ad statũ clericalem, & ad quemcunque illius ordinem promouetur. Quantum autem spatium temporis requiratur vt desinat quis censeri Neophytus, possitque ad ordines promoueri, non potest vna regula generali definiri, sed prudenti iudicio statuendum est: vel summi Pontificis quoad Episcopatum; vel Episcoporum quoad clericos inferiores, & quotcunque ordines infra Episcopatum. Nota præterea filios Neophytorum non esse irregulares, dummodo ante vsum rationis baptismum recipiant: quia irregularitas parentum nullibi in iure ad illos extenditur. Idque siue ante baptismum parentum, siue post nati sint.

61. Irregularitas ex defectu corporis.

Quinta irregularitas, ex defectu corporis, incurritur vel ex defectu membrorum; quo pacto sunt irregulares Eunuchi suâ culpâ, & qui carent aliqua parte corporis, vt oculo dextro, vel sinistro, aut vtroque, vel pollice, indice, &c. Vel ex parte infirmitatis: vt paralytici, epileptici, seu caduco morbo laborantes, aut leprosi: de quibus irregularitatibus ex lepra, & morbo caduco, solus Papa dispensare potest. Vel ex parte notabilis deformitatis: vt claudi baculo nitentes, aut valde deformiter claudicantes; gibbosi notabiliter, oculorum, & faciei deformitatem notabilem habentes. Illi etiã qui stare non possunt ad altare sunt irregulares respectu sacrificii; & qui tremulis manibus, ita vt sit periculum, ne calicem effundant: & absolemni qui tantopere abhorrent à vino, vt periculum sit vomitus. Qua de re plura vide apud Toletum libro 1. capite 57. aliàs 63. & Suarem disputatione 51. sectione secunda, numero sexto, & sequentibus, vbi præterea docet, illum qui habet hos defectus ante susceptum ordinem, non posse ordinari. Si autem postea sine culpa ordinati superueniunt, solùm inducere irregularitatem ad illum vsum ordinis, qui sine scandalo, vel periculo exerceri nequit. Vnde cæcus, verbi gratia, vel manu truncatus, non potest quidem ordinari sacerdos. Si tamen ordinatus est, potest audire confessiones, ad quod neque visus, neque manus sunt necessaria. Et contra, surdus poterit celebrare, sed non audire confessiones. Multòque magis poterit ministrare in Ordinibus inferioribus, ad quorum actus est adhuc idoneus, quamuis non possit ministrare in sacerdotio. Quãdo autem dubium est de qualitate defectus corporis, quoad irregularitatem, iudicium illius est penes Episcopum quoad presbyteratum, & Ordines inferiores; quoad Episcopatum verò pertinet ad summum Pontificem, vel aliquem ab eo delegatum.

62. Irregularis ex defectu ætatis.

Sexta irregularitas est ex defectu ætatis. Et ad suscipiendam quidem tonsuram dicũt aliqui septimum annum requiri; ad acolytatum verò duodecimũ, expletos: sed hoc nullo iure probant. In Trident. tamen sess. 23. cap. 4. & 11. *de Reform.* requiritur ad tonsuram, & ad minores ordines aliquis scientiæ gradus, qui cõmuniter ante nonum, vel 10. annum haberi nequit. Ex eodemq; Concil. cap. 12. decreti cit. nemo promoueri potest ad Subdiaconatum ante vigesimũ secũdum: ad Diaconatum ante 23. ad Presbyteratum ante 25. inchoatos. Ad Episcopatum denique nemo promoueri potest iure communi ante trigesimum expletum: iure verò speciali in Gallia, ante vigesimum septimũ. Quam ætatem pro his ordinibus designatam quicũque nondum attigerunt, habent impedimẽtum canonicum ne ordinari possint: adeóque sunt eoutque irregulares, iuxta communem sententiam Theologorum in 4. dist 25. & Canonistarum in cap. *Vel non est compos*, De temporibus ordinationum, & colligitur ex Clement. vlt. de ætate, & qualitate ordinãdorũ, verbis illis, *Ita non obstante impedimẽto canonico*, & ex plurib. cap. dist inction. 77.

63. Aliqui tamen recentiores negant hanc irregularitatem: propterea quòd, inquiunt, nullus est canon in quo expressè habeatur. Solet enim præcipuè afferri caput *Vel non est compos*, suprà citatum. Sed illud probat potiùs oppositum. Pœna enim, quæ ibi habetur, est imposita ab homine, non à iure. Atqui omnis irregularitas imponitur à iure, nulla ab homine. Deinde frustra summus Pontifex pœnam illam imposuisset ei, de quo in prædicto capite sermo est, si iam antea fuisset irregularis. Frustra enim suspenditur irregularis ab executione ordinis, cùm hæc suspensio sit minor pœna, quàm irregularitas, & in illa includatur. Atqui Summus Pontifex imponit hanc pœnam tãquam maiorem, & extraordinariam, in iniuriam ordinantis. Verùm cùm in eodem capite dicatur Episcopum illum, qui puerum tredecim annorum ordinauerat in Diaconum, contra sacrorum Canonum institutа, inordinatè id fecisse: clarè significatur talem ob defectum ætatis fuisse canonicè impedimentum ne ordinaretur. Et verba suprà relata ex Clementina vnica, De ætate,

Digitized by Google

& qualit. Ordinand. indicant defectum ætatis afferre impedimentum canonicum ad Ordines, id est, iure ecclesiastico inductum, & directè impediens eorum susceptionem: adeoque hoc impedimentum esse veram irregularitatem. Pœna verò duplex eod. cap. statuitur. Vna ab homine imponenda, quæ non respicit ordinatum, sed ordinantem. Altera verò non tam imponitur à Pontifice, quàm declaratur fuisse incursa, velut inclusa in irregularitate: suspensio videlicet ab executione Ordinis accepti, vsque ad ætatem legitimam. Aut verbis illis significat Pontifex velle se, vt illa redundet in iniuriam Ordinantis. Quare licet hæc sententia sit probabilis, malo tamen communi adhærere. Omnino autem certum est quòd vbicunque recepta est Extrauagans *Cum ex sacrorum*, Pii II. contra malè ordinatos, cuius mentionem facit Nauarr. cap. vlt. Enchirid. n. 156. in notis marginalibus, ille qui præsumit accipere sacrum Ordinem ante ætatem, non modò est ipso facto suspensus: verùm etiam si vtatur Ordine accepto in suspensione, est irregularis: debetque ab vtroque absolui, vt adeptus ætatem legitimam possit licitè ministrare in Ordine suscepto.

SECTIO VI.

De tribus aliis irregularitatibus ex defectu Sacramenti, lenitatis, & famæ.

64. Irregularitas ex bigamia.

SEptima irregularitas, quæ dicitur ex defectu Sacramenti, oritur ex bigamia, cap. 1. & 2. de Bigamis, & cap. 9. & pluribus sequentibus dist. 34. & can. 17. & 18. Apostolorum. Distinguitur autem triplex bigamia: vera scilicet, interpretatiua: & similitudinaria, quarum vnaquæque sufficit ad inducendam irregularitatem, vt patet ex iuribus cit. & pluribus aliis relatis, & expensis à Suare disp. 49. sect. 1. & tribus sequentibus. Vera bigamia est, quando quis duas vxores duxit legitimè cum copula vtriusque. Interpretatiua, quando quis duas vxores duxit cõtra ius: vel duxit viduã, aut corruptam ab alio, secus si à se: vel duxit ignoranter pro virgine mulierem ab alio corruptã: vel cognouit vxorem suam post adulterium ab illa commissum. Similitudinaria denique est, quando quis cõtraxit matrimoniũ post solẽne votum castitatis, aut post ordines sacros, & consũmauit.

65. In quibus omnibus notandum est, neminẽ per vllum matrimonium, vllamue speciem bigamiæ fieri irregularem, nisi matrimoniũ fuerit perfectâ copulâ consummatum: iuxta certam & communem sententiã. Quare qui duas vxores duxit, non fit irregularis, nisi matrimonium cum vtraque consummauerit. Neque qui duxit mulierem alteri priùs nuptam, sed ab illo incognitam. Neque qui post votum solemne castitatis attentat matrimonium, nisi illud consummet.

66. Oritur ex vera bigamia.

Inter has bigamiæ species non est æqualis certitudo quoad irregularitatem, neque par difficultas obtinendi dispensationem. Nam quod attinet ad veram bigamiam, certissimũ est, & omnium consensu receptum per illam induci irregularitatem. Idque aperte constat ex cap. 1. & 2. de Bigamis, & can. 17. Apostolorum, cuius verba hæc sunt, *Si quis post baptisma semel nuptiis copulatus, aut concubinam habuerit, non potest esse Episcopus, non Presbyter, aut Diaconus, aut prorsus ex numero eorum, qui ministerio sacro deseruiunt.* Illaque est magis propriè irregularitas ex defectu sacramenti: defectu scilicet perfectæ significationis, qua sacramentum Matrimonii repræsentat coniugium inter vnum Christum, & vnicam Ecclesiam. Habetque aliquam disconuenientiam cum statu clericali, quamuis inculpabilem, propter quam veri bigami ab illo prohibentur: quia, vt rectè ait Ambros. lib. 1. de Offic. cap. vlt. Cùm clericus debeat ad castitatem verbo, & exemplo inducere alios: *quomodo potest esse hortator virginitatis, qui ipse coniugia frequentauerit?* Dispẽsatio quoque super irregularitate per hanc bigamiam contracta valde difficilis est: quia, vt dicitur cap. 2, *de Bigamis*, & cap. *Nuper*, eodem tit. Cum bigamis contra Apostolum dispensare non licet, vt debeant ad sacros Ordines promoueri. Ex quibus verbis colligunt aliqui ne summum quidem Pontificem posse dispensare cum vero bigamo ad sacros Ordines. Sed falluntur, quia cùm hæc irregularitas sit inducta iure tantùm Apostolico; summus Pontifex, qui habet æqualem cum Petro potestatem iurisdictionis, potest dispensare in quocunque iure positiuo ecclesiastico, etiam Apostolico. Sensus autem capitis citati est, non licere pro arbitrio, nec nisi difficilè, & valde graui de causa, vrgentique ratione dispensare. Imò etiam quamuis nonnulli existiment, Episcopum posse cum illo dispensare ad minores ordines, contrarium tamen tenendum est propter caput *Nuper*, & cap. vltimum De bigamis, & cap. *Non confidat quisquam*, dist. 50. vbi hæc potestas negatur Episcopis. Cúmque non possint dispensare in iure Apostolico, aut Pontificio, neque in legibus Conciliorum generalium, nisi in casibus concessis; & ius excludens veros bigamos ab ordinibus sit Apostolicum, vt patet ex can. 17. Apostol. sup. cit. & sit lex Concilii Niceni primi, vt liquet ex cap. *Cognoscamus*, dist. 34. non possunt Episcopi in eo dispensare, cùm id nullibi concessum illis fuerit.

67. Et ex interpretatiua.

Idemque dicendum est de irregularitate orta ex bigamia interpretatiua; quæ similiter est iuris Apostolici, vel Pontificii, vt patet ex can. 18. Apostol. *Si quis viduam, aut eiectam acceperit, aut meretricem*, &c. & ex capite *Si cuius*, cap. *Si laici*, distinctione 34. At verò in similitudinaria possunt Episcopi dispensare, vt dicitur capite primo, *Qui Clerici, vel vouentes*, & capite *Sanè* 2. De clerico coniugato: præsertim verò,

Digitized by Google

fuerit, à Superioribus suæ Religionis similem fidem habeat.

60. Addunt aliqui 3. oriri hanc irregularitatem ratione hæresis. Sed illa potiùs est ex delicto, vt rectè notat Tolet. lib. 1. c. 58. initio. Ad illam tamen non immeritò pertinet Neophyti, id est, recens conuerti ad fidem Christianam, qui non nisi post aliquam temporis morâ promoueri possunt ad ordines, vt colligitur ex cap. *Quicumque*, dist. 77. & ex Concil. Sardicensi can. 13. qui sic habet: *Nec ratio, nec auscipiens patitur vt temerè, vel leuiter ordinetur, aut Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui Neophytus est: maximè cum & magister Gentium Beatus Apostolus ne hoc fieret, denunciasse, & prohibuisse videatur.* Et licet canon nõ enumeret ordines inferiores Diaconatu, de illis tamen cum proportione idem sentiendum est: deque illis concludit ratio Apost. *Ne in superbiam elatus &c.* Euehitur enim ad statum altiorem, & superbiæ occasionem accipit, quando ad statũ clericalem, & ad quemcunque illius ordinem promouetur. Quantum autem spatium temporis requiratur vt definat quis censeri Neophytus, possitque ad ordines promoueri, non potest vna regula generali definiri, sed prudenti iudicio statuendum est: vel summi Pontificis quoad Episcopatum; vel Episcoporum quoad clericos inferiores, & quotcunque ordines infra Episcopatum. Nota præterea filios Neophytorum non esse irregulares, dummodo ante vsum rationis baptismum recipiunt: quia irregularitas parentum nullibi in iure ad illos extenditur. Idque siue ante baptismum parentum, siue post nati sint.

61. Irregularitas ex defectu corporis.

Quinta irregularitas, ex defectu corporis, incurritur vel ex defectu membrorum; quo pacto sunt irregulares Eunuchi sinè culpa, & qui carent aliqua parte corporis, vt oculo dextro, vel sinistro, aut vtroque, vel pollice, indice, &c. Vel ex parte infirmitatis: vt paralytici, epileptici, seu caduco morbo laborantes, aut leprosi: de quibus irregularitatibus ex lepra, & morbo caduco, solus Papa dispensare potest. Vel ex parte notabilis deformitatis: vt claudi baculo nitentes, aut valde deformiter claudicantes; gibbosi notabiliter, oculorum, & faciei deformitatem notabilem habentes. Illi etiã qui stare non possunt ad altare sunt irregulares respectu sacrificii; & qui tremulis manibus, ita vt sit periculum, ne calicem effundant: & abstemii qui tantopere abhorrent à vino, vt periculum sit vomitus. Qua de re plura vide apud Toletum libro 1. capite 57. aliàs 63. & Suarem disputatione 51. sectione secunda, numero sexto, & sequentibus, vbi præterea docet, illum qui habet hos defectus ante susceptum ordinem, non posse ordinari. Si autem postea sine culpa ordinati superueniunt, solùm inducere irregularitatem ad illum vsum ordinis, qui sine scandalo, vel periculo exerceri nequit. Vnde cæcus, verbi gratia, vel manu truncatus, non potest quidem ordinari sacerdos. Si tamen ordinatus est, potest audire confessiones, ad quod neque visus, neque manus sunt necessaria. Et contra, surdus poterit celebrare, sed non audire confessiones. Multòque magis poterit ministrare in Ordinibus inferioribus, ad quorum actus est adhuc idoneus, quamuis non possit ministrare in sacerdotio. Quãdo autem dubium est de qualitate defectus corporis, quoad irregularitatem, iudicium illius est penes Episcopum quoad presbyteratum, & Ordines inferiores; quoad Episcopatum verò pertinet ad summum Pontificem, vel aliquem ab eo delegatum.

62. Irregularis ex defectu ætatis.

Sexta irregularitas est ex defectu ætatis. Et ad suscipiendam quidem tonsuram dicũt aliqui septimum annum requiri; ad acolytatum verò duodecimũ, expletos: sed hoc nullo iure probant. In Trident. tamen sess. 23. cap. 4. & 11. *de Reform.* requiritur ad tonsuram, & ad minores ordines aliquis scientiæ gradus, qui cõmuniter ante nonum, vel 10. annum haberi nequit. Ex eodemq; Concil. cap. 12. decreti cit. nemo promoueri potest ad Subdiaconatum ante vigesimũ secũdum: ad Diaconatum ante 23. ad Presbyteratum ante 25. inchoatos. Ad Episcopatum denique nemo promoueri potest iure communi ante trigesimum expletum: iure verò speciali in Gallia, ante vigesimum septimũ. Quam ætatem pro his ordinibus designatam quicũque nondum attigerunt, habent impedimẽtum canonicum ne ordinari possint: adeóque sunt eousque irregulares, iuxta communem sententiam Theologorum in 4. dist 25. & Canonistarum in cap. *Vel non est compos*, De temporibus ordinationum, & colligitur ex Clement. vlt. de ætate, & qualitate ordinãdorũ, verbis illis, *Aio non obstante impedimẽto canonico*, & ex plurib. cap. distinction. 77.

63. Aliqui tamen recentiores negant hanc irregularitatem: propterea quòd, inquiunt, nullus est canon in quo expressè habeatur. Solet enim præcipuè afferri caput *Vel non est compos*, suprà citatum. Sed illud probat potiùs oppositum. Pœna enim, quæ ibi habetur, est imposita ab homine, non à iure. Atqui omnis irregularitas imponitur à iure, nulla ab homine. Deinde, frustra summus Pontifex pœnam illam imposuisset ei, de quo in prædicto capite sermo est, si iam antea fuisset irregularis. Frustra enim suspenditur irregularis ab executione ordinis, cùm hæc suspensio sit minor pœna, quàm irregularitas, & in illa includatur. Atqui Summus Pontifex imponit hanc pœnam tãquam maiorem, & extraordinariam, in iniuriam ordinantis. Verùm cùm in eodem capite dicatur Episcopum illum, qui puerum tredecim annorum ordinauerat in Diaconum, contra sacrorum Canonum institutа, inordinatè id fecisse: clarè significatur talem ob defectum ætatis fuisse canonicè impedimentum ne ordinaretur. Et verba suprà relata ex Clementina vnica, De ætate,

& qualit. Ordinand. indicant defectum ætatis afferre impedimentum canonicum ad Ordines, id est, iure ecclesiastico inductum, & directè impediens eorum susceptionem: adeoque hoc impedimentum esse veram irregularitatem. Pœna verò duplex eod. cap. statuitur. Vna ab homine imponenda, quæ non respicit ordinatum, sed ordinantem. Altera verò non tam imponitur à Pontifice, quàm declaratur fuisse incursa, velut inclusa in irregularitate: suspensio videlicet ab executione Ordinis accepti, vsque ad ætatem legitimam. Aut verbis illis significat Pontifex velle se, vt illa redundet in iniuriam Ordinantis. Quare licet hæc sententia sit probabilis, malo tamen communi adhærere. Omnino autem certum est quòd vbicunque recepta est Extrauagans *Cum ex sacrorum*, Pii II. contra malè ordinatos, cuius mentionem facit Nauarr. cap. vlt. Enchirid. n. 156. in notis marginalibus, ille qui præsumit accipere sacrum Ordinem ante ætatem, non modò est ipso facto suspensus: verùm etiam si vtatur Ordine accepto in suspensione, est irregularis: debetque ab vtroque absolui, vt adeptus ætatem legitimam possit licitè ministrare in Ordine suscepto.

SECTIO VI.

De tribus aliis irregularitatibus ex defectu Sacramenti, lenitatis, & famæ.

64. Irregularitas ex bigamia.

SEptima irregularitas, quæ dicitur ex defectu Sacramenti, oritur ex bigamia, cap. 1. & 2. de Bigamis, & cap. 9. & pluribus sequentibus dist. 34. & can. 17. & 18. Apostolorum. Distinguitur autem triplex bigamia: vera scilicet, interpretatiua: & similitudinaria, quarum vnaquæque sufficit ad inducendam irregularitatem, vt patet ex iuribus cit. & pluribus aliis relatis, & expensis à Suare disp. 49. sect. 1. & tribus sequentibus. Vera bigamia est, quando quis duas vxores duxit legitimè cum copula vtriusque. Interpretatiua, quando quis duas vxores duxit cõtra ius: vel duxit viduã, aut corruptam ab alio, secus si à se: vel duxit ignoranter pro virgine mulierem ab alio corruptã: vel cognouit vxorem suam post adulterium ab illa commissum. Similitudinaria denique est, quando quis cõtraxit matrimoniũ post solẽne votum castitatis, aut post ordines sacros, & consũmauit.

65. In quibus omnibus notandum est, neminẽ per vllum matrimonium, vllamue speciem bigamiæ fieri irregularem, nisi matrimoniũ fuerit perfectâ copulâ consummatum: iuxta certam & communem sententiã. Quare qui duas vxores duxit, non fit irregularis, nisi matrimonium cum vtraque consummauerit. Neque qui duxit mulierem alteri priùs nuptam, sed ab illo incognitam. Neque qui post votum solemne castitatis attentat matrimonium, nisi illud consummet.

66. Oritur ex vera bigamia.

Inter has bigamiæ species non est æqualis certitudo quoad irregularitatem, neque par difficultas obtinendi dispensationem. Nam quod attinet ad veram bigamiam, certissimũ est, & omnium consensu receptum per illam induci irregularitatem. Idque aperte constat ex cap. 1. & 2. de Bigamis, & can. 17. Apostolorum, cuius verba hæc sunt, *Si quis post baptismate undis fuerit nuptiis copulatus, aut concubinam habuerit, non potest esse Episcopus, non Presbyter, aut Diaconus, aut prorsus ex numero eorum, qui ministerio sacro deseruiunt.* Illaque est magis propriè irregularitas ex defectu sacramenti: defectu scilicet perfectæ significationis, qua sacramentum Matrimonii repræsentat coniugium inter vnum Christum, & vnicam Ecclesiam. Habetque aliquam disconuenientiam cum statu clericali, quamuis inculpabilem, propter quam veri bigami ab illo prohibentur: quia, vt rectè ait Ambros. lib. 1. de Offic. cap. vlt. Cùm clericus debeat ad castitatem verbo, & exemplo inducere alios: *quomodo potest esse hortator virginitatis, qui ipse coniugia frequentauerit?* Dispensatio quoque super irregularitate per hanc bigamiam contracta valde difficilis est: quia, vt dicitur cap. 2, *de Bigamis*, & cap. *Nuper*, eodem tit. Cum bigamis contra Apostolum dispensare non licet, vt debeant ad sacros Ordines promoueri. Ex quibus verbis colligunt aliqui ne summum quidem Pontificem posse dispensare cum vero bigamo ad sacros Ordines. Sed falluntur, quia cùm hæc irregularitas sit inducta iure tantùm Apostolico; summus Pontifex, qui habet æqualem cum Petro potestatem iurisdictionis, potest dispensare in quocunque iure positiuo ecclesiastico, etiam Apostolico. Sensus autem capitis citati est, non licere pro arbitrio, nec nisi difficilè, & valde graui de causa, vrgentique ratione dispensare. Imò etiam quamuis nonnulli existiment, Episcopum posse cum illo dispensare ad minores ordines, contrarium tamen tenendum est propter caput *Nuper*, & cap. vltimum De bigamis, & cap. *Non confidat quisquam*, dist. 50. vbi hæc potestas negatur Episcopis. Cúmque non possint dispensare in iure Apostolico, aut Pontificio, neque in legibus Conciliorum generalium, nisi in casibus concessis; & ius excludens veros bigamos ab ordinibus sit Apostolicum, vt patet ex can. 17. Apostol. sup. cit. & sit lex Concilii Niceni primi, vt liquet ex cap. *Cognoscamus*, dist. 34. non possunt Episcopi in eo dispensare, cùm id nullibi concessum illis fuerit.

67. Et ex interpretatiua.

Idemque dicendum est de irregularitate orta ex bigamia interpretatiua; quæ similiter est iuris Apostolici, vel Pontificii, vt patet ex can. 18. Apostol. *Si quis viduam, aut eiectam acceperit, aut meretricem*, &c. & ex capite *Si cuius*, cap. *Si laici*, distinctione 34. At verò in similitudinaria possunt Episcopi dispensare, vt dicitur capite primo, *Qui Clerici, vel voventes*, & capite *Sanè* 2. De clerico coniugato: præsertim verò,

Digitized by Google

si, qui deliquit, velit ingredi religionem. Quo in casu censent aliqui posse Episcopum in omni bigamia dispensare: sed id non satis probant. Addit etiam Turrecremata in cap. *Lector*, Episcopum posse dispensare in bigamia, quando oritur ex facto naturâ suâ occulto, vt ex accessu ad vxorem propriam postquam illa occultè commisit adulterium: sed nullo iure, nullaue ratione id probat: & contrarium tenendum est, cùm regula negatiua sit generalis, vt idem fatetur cap. vlt. de Bigamis. Neque illi fauet Trident. sess. 24. cap. 6. de Reform. quia solùm ibi concedit Episcopis, vt dispensare possint in irregularitatibus prouenientibus ex delicto, non autem in illis, quæ proueniunt ex defectu sacramenti, aut quouis alio.

68. Etiamsi baptismum præcesserit.

Perinde verò est quoad irregularitatem ortam ex vera bigamia, siue quis ante baptismum secundas nuptias contraxerit, siue post. Nam licet canon supra citatus loqui tantùm videatur de contrahentibus post baptismum: & fortè aliquando tempore Apostolorum non fuerint illi irregulares: constat ex Ambros. supra citato, & ex Innocentio I. epist. 22. cap. 2. sufficere quòd ante baptismum contraxerint, vt incipiant fieri irregulares vi iuris ecclesiastici, quando baptizantur, & legibus Ecclesiæ subesse incipiunt. Quia in baptismo, inquit, peccata dimittuntur, non vxorum numerus aboletur. Vnde concludit non esse contra Apostolum tale aliquid sentiendum, sed fideliter intelligendum, vnius vxoris virum siue ante baptismum esse nominatum, siue post baptismũ. Nec obest, quòd tale matrimonium non fuit sacramentum. Nam adhuc habet significationem coniugii Christi cum Ecclesia. De matrimonio enim, etiam in statu innocentiæ, dictum fuit ab Apostolo *Sacramentum hoc magnum est* &c. à qua significatione deficit matrimonium cum secunda contractum. Et ratio huius irregularitatis superiùs à D. Ambrosio allata, sumpta ex indecentia, æquè hîc locum habet. Huc vsque de Bigamia vera.

69. Contraria sententia.

Iam verò de interpretatiua, non est communi consensu receptum, quòd illa semper inducat irregularitatem. Nam Henriquez lib. 12. cap. 6. §. 9. in fine, lit. X. & Y. multique alii ab eo citati, affirmant nunquã incurri in foro conscientiæ irregularitatem bigamiæ ex vllo matrimonio inualido, sed tantùm quando est validum ex parte vtriusque contrahentis: quia vbi nullum est sacramentum, non potest aliquid fieri contra rationem sacramenti, aut in eius iniuriam. Quare si quæ irregularitas oritur ex secundo matrimonio, illa tantùm est ex delicto, vel ex infamia, quando quis v. g. duxit vxorem secundam, viuente prima, & res nota est, & non excusat ignorantia, & bona fides, quippe quia sciebat priorem adhuc viuere. Addunt irregularitatem, quæ nascitur ex eo quòd aliquis ducat corruptã, vel cognoscat propriã vxorem post eius adulteriũ, non nasci propriè ex eius bigamia, sed ex eo quòd vir ducat, vel cognoscat mulierem infamẽ. Nam ille qui duxit corruptam, vel cognouit adulteram, est eadem ratione irregularis, quâ ille qui accipit in vxorem meretricem, vel actricem fabularum, vel aliam mulierem infamem, vt patet ex cap. *Si quis viduam*, dist. 34. sumpto ex can. 18. Apost. At isti non sunt irregulares ratione bigamiæ secundum communem sententiam. Ergo, &c. Vnde inferunt irregularitatem ex tali bigamia non habere locum in conscientia, nisi quando crimen mulieris est adeò publicum, vt illam reddat infamem.

70. Refutatur.

Sed hæc sententia quoad vtramque partem falsa est. Quòd enim per secundum matrimonium, licet inualidum, incurratur irregularitas, ex bigamia scilicet interpretatiua, patet ex can. 19. Apostol. vbi sic dicitur: *Qui duas in coniugium sorores accepit, vel viduam fratris, vel filiam fratris, clericus esse non potest.* Et ex cap. *Nuper*, De bigamis, vbi declarantur irregulares clerici, qui quãtùm est in ipsis secundas nuptias contraxerunt. Quare nullum est primum fundamentum aduersariorum: quod vlteriùs refutari potest ex cap. vlt. *De Bigamis*, vbi Subdiaconus qui viduam duxit, irregularis esse dicitur propter affectum intentionis cum opere subsecuto: licet matrimonium inter eos nullum fuerit. Ad secundum, nego maiorem propositionem. Nam licet ibi simul hæc omnia enumerentur, non sequitur irregularitatem ex illis ortam, esse vnius & eiusdem rationis.

71. Quod denique attinet ad bigamiam similitudinariam, quæ in eo consistit, quòd post matrimonium spirituale per votum solemne castitatis in ordine sacro, vel in professione religiosa attentetur aliud carnale, sunt qui existiment non esse irregularem clericum in sacris constitutum, si tentat ducere virginẽ. Ita enim docent Panormit. in cap. *Sanè*, 2. de Clericis coniugatis, & nonnulli alii, quibus adstipulatur Henriq. lib. 12. cap. 6. §. 10. lit. H. & I. fauetque Suarez disp. 49. sect. 4. n. 4. 5. & 6. dicens id non esse improbabile: & saltem Episcopum dispensare posse in hac irregularitate, si quæ est, vt habetur in cap. *Sanè*, supra citato. Addunt aliqui recentiores, Religiosum professum nondum in sacris constitutum, si tentet contrahere matrimonium, non esse irregularem ratione solius delicti, quamuis ratione infamiæ possit esse: sed illum dumtaxat, qui simul est professus, & in sacris. Quia nihil habetur in vllo canone de irregularitate solius professi, vt notat Henriq. cap. citato §. 10. littera H. & K. Nam canon *Quotquot*, 27. quæstione prima, qui solet in contrarium citari, loquitur de mulieribus, non de viris: neque enim viri, sed mulieres profitentur virginitatem. Possunt autem tales virgines corruptæ censeri inter bigamos, quia non poterant censeri inter virgines, aut Diaconissas, sicut ibidem no-

tat Glossa. Multóque minùs, inquit, Henriquez. lit. L. efficitur irregularis laicus, qui tentat contrahere Matrimonium cum Moniali professa: quia in nullo canone statuitur talis irregularitas.

72. Oritur quoque ex bigamia similitudinaria.

Verùm quòd clerici in sacris existentes fiant irregulares per attentatum matrimonium accedente corporum mistione (quam ad omnem irregularitatem ex bigamia necessariam esse supràmonuimus) communis est Theologorum, & Canonistarum sententia; quæ satis efficaciter probari mihi videtur, ex cap. *Quotquot*, supra cit. cuius verba sunt: *Quotquot post virginitatem policitam prævaricati sunt, professione contempta, inter bigamos haberi debent.* Vbi notandum est primò aliam versionem habere, *Qui unque virginitatem profitentes*, id est, solemniter eam vouentes, & assumentes statum illius seruandæ, vel castitatis perpetuæ, vt faciunt quicunq; solenniter eâ vouent. Profiteri enim in rigore & proprietate linguæ latinæ significat quemlibet modum solemnem assumendi aliquâ obligatione. Quare meritò Glossa capitis *Super eo, De bigamis*, affirmat bigamum esse, quicunque castitatem solemniter promissam violat: ideoque probat ex isto cap. *Quotquot*. Nota secundò, dubitari non debere, quin caput illud de viris loquatur. Hoc enim manifestum faciunt verba ista, *Quotquot post virginitatem policitam prævaricati sunt*: vel vt habet alia lectio, *Qui unque virginitatem profitentes*. Neque obest, quod opponunt dissentientes, non viros, sed mulieres profiteri virginitatem. Respondeo enim nomen virginitatis ibi positum esse pro castitate perpetua, prout est obiectum voti solemnis: siue nondum lata fuerit, sitque strictè, & propriè dicta virginitas; siue non. Tertiò nota prævaricationem de qua ibi est sermo, debere intelligi de prævaricatione per Matrimonium, vt explicatur in cap. *Monacho* 27. q. 1. verbis istis: *Si postea vxori fuerit sociatus.* Quartò nota particulam generalem *Quotquot*, quæ comprehendit omnes castitatem solemniter professos, siue religiosos, siue clericos in sacris constitutos: adeóque omnes illi fiunt bigami, & irregulares, si attentent, & consumment Matrimonium. Quod de illis amplius confirmari potest ex cap. *Sanè*, 2. De Cleric. coniugat. vbi sacerdos, qui nuptias contraxerat, dicitur posse ad executionem Ordinum restitui per dispensationem Episcopi sui, post longam pœnitentiam, & diuturnam vitam laudabilem. Supponit ergo Pontifex illum esse factum irregularem, & permittit Episcopo, vt dispenset. Quintò, cùm Monachi, licet nondum in sacris constituti, verè profiteantur castitatem, liquet ex eodem cap. *Quotquot*, fieri bigamos, & irregulares vi illius textus, & clariùs vi capitis *Monacho*, 27. q. 1. cuius verba sunt: *Monacho orarium in monasterio, vel zonas habere non liceat. Et si postea vxori fuerit sociatus, tantæ prævaricationis reus, nunquam eccl siastici gradus officium sortiatur.* Vbi nota vtramque prohibitionem generalem esse, & cuilibet Monacho fieri, non autem iis solùm qui sinul professi, & in sacris constituti sunt. Quare falsum est quod dicunt aduersarii, nullibi in iure hanc irregularitatem haberi.

Cæterum, commune illud est omnibus irregularitatibus, ortis ex quacunque bigamia, vt priuent totaliter Ordinum susceptione, eorumque vsu, etiam minorum Ordinum exercitio, vt expresè dicitur cap. *Sanè, De clerico coniugato*, & in Tridentino sess. 23. cap. 17. De reform. vbi dicitur ministeria minorum Ordinum exerceri posse per clericos coniugatos, vbi alii non fuerint, dummodo bigami non sint. Quare si in cap. *Cleri*, dist. 34. & alibi significari vicissim posse illos exercere aliquos actus Ordinis; intelligitur mediante dispensatione, saltem Episcopali. Priuant etiam omni priuilegio clericali ipso facto, vt patet ex cap. vnico de bigamis in 6. excepta bigamia similitudinaria, quæ non potest committi, nisi à personis constitutis in sacris Ordinibus, vel à Religiosis professis. Illi autem non priuantur omni priuilegio clericali, etiam canonis, & fori, neque habitu, & tonsura, donec degradentur; propter reuerentiam sacrorum Ordinum. Et de Religiosis professis idem sentiendum est, præcipiè cùm iura, quæ hanc pœnam statuunt, loquantur tantùm de clericis coniugatis: & nomine clericorum non comprehendantur Religiosi in pœnalibus, & odiosis. Qua de re, deque aliis effectibus irregularitatis plura videri possunt apud Suar. disp. 49. sect. 5.

73. Quibus rebus principi.

Octaua Irregularitas, quæ oritur ex defectu lenitatis, incurritur quando aliquis est causa mutilationis, vel mortis alicuius; quamuis sine culpa; nam alioqui esset ex delicto. Causa, inquam, vel ex officio, vt procurator, & aduocatus accusatoris in causa sanguinis, Iudex, scriba, tortor: vel ex intentione; vt qui ministrat scalam, qui dat gladium ad eum finem, & qui concomitatur auctoritatiuè: vel denique ex actu per se ad hoc ordinato, licet non ex officio; vt testis, accusator sanguinem petens, denunciator, nisi profiteatur se non intendere sanguinem.

74. Irreg. ex defectu lenitatis.

Circa quæ nota primò iudices, & alios supradictos non incurrere irregularitatem, nisi secuto effectu mortis, aut mutilationis: neque sufficere aliam pœnam, flagellationis v.g. triremium, aut carceris, nisi illius rigore vel subtractione alimentorum moraliter ex eo sequatur mors: vt bene contra nonnullos probat Suar. disp. 47. sect. 1. num. 2. & 3. Non sufficit etiam ad illam incurrendam dare alteri officium iudicis, aut delegare iurisdictionem ad iudicandum, etiam in causis criminalibus, siue generaliter, siue in particulari circa aliquod factum; dummodo non fiat determinatè hæc delega-

Quinam illam incurrant.

Digitized by Google

tio ad puniendum per mortem, aut mutilationem, quasi sententiâ ferendo, & executionem dumtaxat alteri committendo: sed indifferenter ad inquirendam, & examinandam causam propositam, & iudicandum secundum æquitatem. Quare non sunt irregulares Domini temporales, aut ecclesiastici, qui habentes iurisdictionem temporalem ratione Beneficii, aut aliunde prouenientem, eam delegant iudicibus auctoritate ipsorum constitutis; quamuis illi officium suum exercendo vsque ad sanguinis effusionem processerint; vt de Episcopis, & aliis clericis expresse dicitur cap. vlt. *Ne clerici vel Monachi*, in 6. De laicis autem par, aut maior est ratio.

75. Verùne inquisitores. Similiter inquisitores, qui conuictos de hæresi, & reos mortis tradunt brachio sæculari, non incurrunt irregularitatem, licet erga clericos munus illud exerceant. Quia non ferunt sententiam sanguinis, sed tantum declarant qualitatem delicti, & de cætero sinunt iudices sæculares animaduertere in reos, vt par est. Qui si clerici sunt, debent priùs degradari, & per degradationem spoliati omni priuilegio clericali, sunt eo ipso subiecti, æquè ac laici, temporali iurisdictioni, à qua proinde apprehendi, & puniri possunt. Præterquam quòd inquisitores id faciunt auctoritate Summi Pontificis, qui eo ipso quòd tale officium illis committit, eximit eos periculo irregularitatis, si quod esset. Debent tamen efficaciter, id est, seriò, pro reo intercedere, vt citra mortis periculum, circa eum sententia moderata feratur: quemadmodum dicitur cap. *Nouimus*, De verborum significatione.

76. Vel legislatores pœnæ mortis statuentes? Non sunt quoque irregulares Domini temporales, qui leges, vel statuta condunt, quibus mors, aut mutilatio certis criminibus imponitur: neque eorum consiliarii in eiusmodi legibus statuendis, vel earum promulgatores: quamuis postea iudices secundum illas reos puniant. Quia vt rectè ait Suar. supra num. 7. post Siluestrum, Maiolum, & plures alios, huiusmodi actio non ordinatur per se ad homicidium, aut mutilationem; sed ad bonam gubernationem, & vt caueantur delicta. Vnde si mors aut mutilatio postea sequitur, est id valde remotum, & per accidens respectu illius: multóque minùs sufficit ad inducendam irregularitatem, quàm delegatio iurisdictionis. Nam illa legum constitutio est de se magis indifferens, magisque vniuersalis.

77. Vel accusatores in causa sanguinis? Nota secundò, non prohiberi sub pœna irregularitatis iustam accusationem, dummodo accusator expresse protestetur se non intendere vindictam, seu pœnam sanguinis, sed tantum petat emendam, id est, recompensationem damni sibi fieri, & prouideri ne contra se talia de cætero præsumantur, vt habetur in cap. 2. De homicidio in 6. Sufficit autem ad vitandam irregularitatem sola exterior protestatio: vt docent Henriq. lib. 14. cap. 11. in fine, Suar. disp. 47. sect. 2. num. 3. & 4. Auila parte 7. De Censur. disp. 5. sect. 2. dub. 9. & alii quos citant. Ratio est, quia protestatio exterior satis declarat in foro externo non esse defectum lenitatis in eo qui accusat: & de interioribus non iudicat Ecclesia. Sufficit etiam si hæc protestatio fiat ante latam sententiam, quamuis aliquis in principio eam omiserit: vt bene docet Suar. sect. cit. n. 2. in fine. Addit Andreas Tiraquellus, quem citat Couar. in Clement. *Si furiosus*, parte 2. §. 5. protestationem hanc non esse necessariam nisi pro foro externo: quia irregularitas ista non incurritur nisi ob defectum lenitatis. Sufficit ergo quòd verè in animo non sit defectus lenitatis, & non intendatur sanguis, sed alius finis. Verùm Couar. ibidem, & alii hoc improbant.

Quamuis autem in cap. suprà cit. de Clericis tantùm sermo sit: communis tamen sententia Doctorum est hanc protestationem æquè necessariam esse laicis ad vitandam irregularitatem, accusando in causa sanguinis. Quia non statuitur tanquam nouum grauamen Clericorum; sed veluti remedium, sine quo illa incurreretur ab iis omnibus, qui accusando forent causa mortis aut mutilationis. Quod remedium fuit ab Ecclesia excogitatum, vt liberum esset omnibus ius suum per accusationem petere, & iniquorum licentiam refrænare sine periculo irregularitatis. Qua etiam de causa cap. 2. De homicidio in 6. permittitur Clericis ipsis accusatio cum protestatione: ne detur occasio malefactoribus eos iniuriis afficiendi, si non possint de illis conqueri apud Iudicem. Estque solùm hæc protestatio necessaria apud Iudicem sæcularem (nam Iudex Ecclesiasticus non fert sententiam sanguinis) & tunc dumtaxat, quando est certitudo, vel periculum mortis, aut mutilationis, quia crimen est tali pœna dignum: non autem in causis leuioribus, pro quibus si excedit Iudex, non imputabitur illud accusatori ius tantùm & æquum postulanti, & modo debito prosequenti. 78.

Nota 3. idem sentiendum esse de accusatione, seu denunciatione, facta in causa aliena. Nisi quòd ad denunciationem sine irregularitate faciendam in causa alterius requiritur vt sit aliquo modo necessaria defensioni patientis iniuriam, & propulsationi damni particularis illi imminentis, aut perseuerantis ex tali iniuria: iuxta communiorem sententiam, & tutiorem in praxi. Licet nonnulli existiment sufficere quòd sit licita defensio, & accusatio in ordine ad illam: quia Ecclesia non intendit impedire opus charitatis erga proximum. Ad testimonium verò ferendum in causa sanguinis sine periculo irregularitatis existimo cum Suar. sect. 3. num. 3. omnino requiri, & necessariam esse aliquam coactionem, & obligationem in conscientia. Quia maior est cooperatio testis: quàm accusatoris, aut denunciatoris: quippe qui magis mouet Iu- 79. Vel denunciatores?

dicem ad ferendam talem sententiam. Sufficit autem quòd cogatur à Iudice, vel alio superiore, sub pœna peccati: vt si Clerico id præcipiat Episcopus sub pœna excommunicationis, propter necessitatem innocentis, aut boni communis: vel si ex charitate, iure naturali, aut diuino teneatur aliquis id facere: vt rectè affirmant Henriq. lib. 14. cap. 12. n. 9. in fine, & Auila parte 7. disp. 5. sect. 2. dubio 12. in fine. Ratio est, quia nunquam incurritur irregularitas, quando quis facit id, quod non potest omittere sine peccato. Siue is qui hoc facit sit laicus, siue clericus. Quod omnino indubitatum esse affirmat Suar. disp. 47. sect. 2. num. 12. idemque docent Molina tom. 1. De Iustitia, tract. 2. disp. 109. conclusione 3. Auila disp. cit. dub. vltimo, & plures alii ab istis relati. Nimirum quia Ecclesia nunquam incitat homines ad peccandum. Incitaret autem si sub pœna irregularitatis prohiberet ne quis faceret id, quod tenetur facere sub peccato. Confirmatur, quia quicunque alium interficit, quando aliter non potest vitare mortem corporalem, non fit irregularis, vt habetur in Clement. vnic. *De homicidio*. Ergo multò minùs qui non potest aliter vitare peccatum mortale: imò etiam veniale, quod morte corporali deterius est. Atque hinc est quòd ille qui defert proditores regni, vel ciuitatis, non fit irregularis, etiamsi occidantur: quia omnes tenentur hoc facere iure naturali: & qui hoc non faceret, grauiter peccaret.

80. Vel Iudices qui tenentur condemnare.

Dices hinc sequi Iudices non fieri irregulares, quia ex officio tenentur condemnare reos, & punire pro meritis. Propter hoc existimant aliqui hanc exceptionem addendam esse, Nisi ex officio aliquo particulari teneatur quispiam: vel addendam esse hanc clausulam, Quando aliquis facit id quod omnes Christiani facere tenentur. Sed non est opus his exceptionibus. Sufficit enim quòd ille qui occidit, necessariò teneatur occidere, ita vt necessariò peccet si non occidat, neq; possit hanc necessitatem vitare. Enim verò Iudices, & alii qui habent eiusmodi officia particularia, possunt ea relinquere, & deponere, si velint. Quare in illis non est absoluta necessitas quæ necessariò cogat ad occidendum; cùm sola abdicatione officii possint vitare occisionem, & irregularitatem, vt bene ait Auila loco cit. Si tamen nullus esset qui posset, vel auderet iudicare, & interea immineret graue nocumentum toti reipublicæ, vel alicui innocenti, nisi reus puniretur: Iudex in eo casu non incurreret irregularitatem: quia iure naturali teneretur id facere sub pœna peccati, neque posset ab illa obligatione se eximere, vt supponimus. Similiter quando ille, qui iustè accusaret proditorem reipublicæ, deficeret in probatione, & consequenter puniretur pœna talionis, nisi iste alius testaretur: non fieret irregularis. Vt neque ille, cuius opera necessaria esset ad liberandum à morte innocentem iniustè accusatum, etiamsi accusator esset morte puniendus: in quo tamen casu moderatio adhibenda esset, vt mors illius non intenderetur, neque plus diceretur, quàm quod ad defensionem innocentis necessarium est. Ratio est, quia in his omnibus casibus tenetur Iudex, aut testis iuuare rempublicam, aut innocentem falsò accusatum.

81. Vel qui coguntur metu graui.

Idem etiam dicendum est de eo, qui metu cadente in constantem virum cogitur iudicare, aut testificari, vel aliud simile officium exercere: præsertim si cogatur metu mortis. Quia nulla potest ab illo incurri irregularitas, nisi ex defectu lenitatis, cùm supponamus alioqui cautam esse iustam, & reum iustè occidi. Atqui non est defectus lenitatis quando aliquis inuitus cogitur metu mortis concurrere ad iustum homicidium, quod alioqui nullomodo faceret. Talis enim non intendit directè occidere, sed tantùm liberare seipsum à morte. Eandemque ob causam excusant omnes ab irregularitate illum qui occidit in defensione propriæ vitæ. Et Auila disp. 5. citata, sect. 3. dub. 5. §. *Tertia opinio*, rectè notat homicidium nunquam inducere irregularitatem, nisi sit adeò liberè volitum, vt non sit coactum. Atque hinc probat illum non esse irregularem, qui occidit ne peccet: nam tunc cogitur occidere. Et confirmatur, quia irregularitas in iusto homicidio non incurritur, nisi quis intendat vindictam. Iste autem non eam intendit, sed vitæ suæ conseruationem. Atque hæc est vera causa, cur ille, qui sponte iudicat, incurrat irregularitatem. Nam iste intendit vindictam, quæ quamuis licita sit in persona publica, tamen aduersatur lenitati & mansuetudini Christi. Confirmatur 2. quia plus est propria manu interficere, quàm testificari, aut iudicare. Sed ille qui etiam propria manu interficit metu mortis, excusatur ab irregularitate, vt habetur expressè in Clement. vnic. De homicidio. Ergo multò magis excusatur ille, qui solùm testificatur, aut iudicat metu mortis. Nam vt habetur de regulis iuris in 6. Reg. 53. Cui licet quod est plus, licet vtique quod est minus. Quòd autem ille qui occidit defendendo vitam propriam, cogatur occidere ab alio, quàm ab illo ipso ad cuius necem concurrit, nihil facit ad propositum. Nam hoc tantùm probat occisionem inuasoris esse iustam, quæ alioquin esset iniusta. Nos autem supponimus iustam esse occisionem, de qua loquimur, quia fit publica auctoritate: & quærimus dumtaxat causam quæ excusset ab irregularitate: quæ causa vtrobique est eadem, nimirum metus mortis. Confirmatur 3. quia omnis obligatio cuiuscunque legis merè Ecclesiasticæ, hoc est, quæ non includit diuinam, cessat quando imminet periculũ mortis, vt fatentur omnes, & patet in præceptis Ecclesiæ de ieiunio, de audienda Missa, & similibus. Ergo in eodem casu ces-

Digitized by Google

ssat obligatio huius legis de irregularitate quæ omnium iudicio est merè Ecclesiastica. Idemque sentiendum est de illo qui occidit ob quemuis metum qui dicitur cadere in constantem virum, propter easdem rationes. Nam talis non eligit homicidium sponte, sed coactè: neque intendit vindictam, sed sui ipsius, aut rerum suarum defensionem: propter quam etiam licitum est propria manu occidere in casu necessitatis, & cum moderamine inculpatæ tutelæ, sine periculo irregularitatis, vt mox dicemus. Ergo multò minùs erit ille irregularis, qui tantùm est testis, vel ludex in causa criminali, cogente eadem necessitate.

82. Vel clerici assistentes supplicio reorum?

Sunt qui dicunt clericos assistentes supplicio reorum fieri irregulares, ob Canonem, *Sententiam sanguinis*, Ne clerici, vel Monachi, vbi illis id prohibetur: & caput *Ex literis*, De excessibus Prælatorum, vbi assistentibus imponitur irregularitas. Verùm hæc prohibitio fit tantùm illis, qui non assistunt causâ pietatis. Et licet Canon absolutè loquatur, restringendus tamen putatur à Nauarro, Siluestro, Angelo, & aliis ad clericos existentes in sacris: in quibus etiam culpa leuis est secluso scandalo: neque vnquam incurrunt irregularitatem, si purè tantùm assistunt, sine vllo genere cooperationis, authoritatẽ præbendo supplicio, vel aliter; nam de solis cooperantibus loquitur caput *Ex literis*, suprà citatum.

83. Vel medici, chirurgi, & similes.

Similiter non est irregularis ex defectu lenitatis, ille, qui mortẽ accelerat ex charitate, per accidens, & contra ipsius intentionem: puta subleuando ægrotum ex commiseratione, & curam illius gerendo ex officio, vel ex misericordia. Neque medici, vel chirurgi, aut qui eos iuuant ad secandum membrum putridum ægroti, etiamsi mors sequatur absque eorum culpa: vt de medicis, & chirurgis dicitur cap. *Ad aures*, De ætate, & qualitate ordinandorum. Cooperatores autem non sunt deterioris conditionis hac in parte, quàm causa principalis. Ratio est, quia non est defectus lenitatis, sed potiùs excessus, & opus misericordiæ. Item neque ille qui cum moderamine inculpatæ tutelæ mutilat, vel occidit, vt vitam suam tueatur, vel res suas magni momenti, vel vt alium innocentem, aut patriam defendat contra iniustos aggressores. Vnde non est irregularis laicus, aut etiam clericus, qui propria manu occidit in bello iusto, dummodo non sit aggressiuum, sed defensiuum, & necessarium: aut qui præest tali bello, vocat milites, & ordinat, dat arma, & per eos occidit iniustos aggressores: vt bene probant Suar. disp. 47. de Censur. sect. 6. initio, post Couarr. in Clementinam *Si furiosus* 2. parte, §. 3. n. 2. in fine, & alios quos citat. Quorum ratio præcipua est, quia his omnibus modis potest iustè defendere causam publicam. Nam si ex omniũ consensu non est irregularis, qui occidit vt vitam suam tueatur contra iniustum inuasorem, cum moderamine inculpatæ tutelæ, aut etiam vt tueatur res suas magni momenti: multò minùs qui pro publica causa defendenda interficit cum simili moderamine, id est, adactus necessitate ad pugnandum pro defensione reip. contra iniustos aggressores.

Vel qui se defendunt, aut occidũt in bello iusto.

84. Neque obest caput *Petitio tua*, De homicidio. Nam loquitur de pugna agressiua, vt bene aduertit Suar. sect. cit. num. 4. Non sunt quoque irregulares, qui in bello iusto, licet offensiuo, seu aggressiuo, hortantur generaliter ad pugnandum, aut etiam vt addit Aegid. Coninc, ad occidendum; modò non excitent ad aliquem in particulari interficiendum. Neque pugnantes in tali bello, quamuis sint Clerici, dummodo non occidant, vel mutilent: vt communiter tenent Doctores, probantque ex cap. *Petitio*, suprà cit. Secus autem si in bello iniusto. Quia tunc cooperantur ad homicidium, aut mutilationem iniustam. Sed hæc irregularitas tam cooperantium, quàm ipsorum occidentium, aut mutilantium, incurritur tunc ex delicto, non autem ex solo defectu lenitatis, de quo nunc loquimur. Notandum etiam hoc homicidium fore casuale, & faciliùs dispensabile, si occidantur tantùm aliqui ex commilitonibus ipsius cooperantis, seu militantis in bello iniusto: directè verò, & perfectè voluntarium, si aliqui ex hostibus: nam illius actio, & cooperatio ad hoc perse tendit.

65. Vel causæ non principales.

Addũt aliqui recentiores Irregularitatem ex defectu lenitatis non incurri non modò ab illis, qui per accidens remotè tantùm concurrunt ad homicidium iustum, vt qui facit, aut vendit funem, aut gladium, quo reus est interficiendus, qui agit equos & rhedam, quâ ducitur ad supplicium, aut confessarius negans reo absolutionem, nisi crimen fateatur iudici: verùm etiam neque ab aliis, qui per se influunt, nisi sint causæ principales, vel exequentes: quia de aliis nullus est canon. Nam ille qui communiter citatur in contrarium, nempe Canon *Si quis viduam*, dist. 50. non loquitur de hoc homicidio, quod est sine peccato, sed de homicidio voluntario cum peccato mortali. Pœnæ autem constitutæ contra homicidium absolutè, numquam intelliguntur nisi de vero, & proprio homicidio, cuiusmodi est illud tantùm quod fit cum peccato mortali, vt post S. Augustinum, & D. Thomam docent communiter Theologi, quorum plurimos citat Henriq. lib. 41. cap. 9. §. vlt. lit. L. & infinita sequerentur absurda, si quidquid dicitur in canonibus de homicidio voluntario, intelligeretur de iusto homicidio. Idem etiam patet ex cap. finali de clericis pugnantibus in duello, vbi repetitur idem canon, est q; fermo de homicidio iniusto cum peccato. Denique ille qui in bello iusto etiam pugnat cum illis, qui multos interficiunt, modò ipse propria manu nullum occidat, aut mutilet, non fit irregularis, vt supra

Digitized by Google

diximus: & tamen talis procul dubio iuuat: & plus est pugnare, & vulnerare, quàm tantùm consulere. Imò illi qui pugnant, solent alios ad pugnam excitare, vel præcipere vt pugnent: & nihilominus non sunt irregulares, si bellum est iustum. Igitur qui tantùm cooperantur iusto homicidio, non sunt irregulares. Hæc illi, quorum sententia non est improbabilis, licet contraria sit communiùs recepta.

86. Irregul ex defectu bonæ famæ.

Superest nona & vltima species irregularitatis, quæ oritur ex defectu bonæ famæ, seu potiùs ex infamia. Nam infames sunt irregulares, & tam à promotione, quàm ab exercitio Ordinum repelluntur cap. *Laici*, dist. 33. cap. *Qui in aliquo*, Dist. 51. & cap. Infames, 6. q. 1. Cùm autem duplex sit infamia, vt supra notauimus sect. 2 num. 15. & vna ex illis oriatur ex delicto infami, alia sine delicto, ex aliquo vili officio: nota irregularitatẽ quæ oritur ex peccato infami pertinere potius ad primam speciem irregularitatis ex delicto, de qua diximus sect. præcedenti. Alias verò, quæ oriuntur ex infami officio, vel facto sine peccato, esse proprias huius loci. Plura de illis videri possunt apud Tolet. lib. 1. cap. 56. aliàs 62. & Suar. tota disp. 48.

SECTIO VII.

De causis, & effectibus Irregularitatis.

87. Causa effi. irregul. est ius canon.

CIrca primum dico primò, causam efficientem Irregularitatis non esse aliam, quàm ius positiuum ecclesiasticum per quod statuitur. Probatur ex cap. *Is qui*, De sentent. Excommunic. in 6. vbi dicitur non incurri irregularitatem, nisi in casibus à iure expressis; estque ibi sermo de jure Canonico, vt omnes exponunt. Patet etiã ex definitione irregularitatis communiter receptâ, quâ dicitur esse *impedimentum canonicum* &c. vel, *inhabilitas iure ecclesiastico introducta* &c. Confirmatur, quia si quæ alia foret illius causa, deberet esse ius naturale, vel diuinum: nam ius ciuile non potest inducere irregularitatem. Quamuis autem iure naturali, siue ex sola rei natura, quædam sint impedimenta ad ministerium sacrorum Ordinum, vt cæcitas, vel ægritudo ad celebrandum Missæ sacrificium; & peccatum mortale ad sacramentorum administrationem: sit etiam quædam indecentia ex natura rei, quòd ad sacros Ordines admittantur homines notabiliter deformes, aut illiterati, & incapaces eos conuenienter exercendi. Hæc tamen omnia non habent rationem irregularitatis, neque penitùs excludunt à susceptione Ordinum, vel ab eorum vsu, nisi accedente constitutione Ecclesiæ. Licet etiam in lege veteri fuerint aliquæ irregularitates iure diuino statutæ: illæ tamen, cùm ad leges cerimoniales pertinuerint, fuerunt æquè ac iudiciales, à Christo abrogatæ. Ac nequidem morales ius naturale explicantes, & confirmantes, obligant Christianos vi illius antiquæ legislationis, vt alibi ostendimus. In lege autem noua Christus non alia præcepta merè positiua dedit, quàm quæ ad fidem, & sacramenta pertinent: cætera permisit prudentiæ Apostolorum, & Prælatorum Ecclesiæ, iuxta illud 1. Corinth. 11. *Cætera autem cum venero disponam.* Quare licet tempore ipso Apostolorum fuerint aliquæ irregularitates, vt colligitur ex epist. 1. ad Timoth. cap. 3. *Vnius vxoris virum*: & ex can. 17. & 18. Apostolorum: & ex cap. 2. De bigamis, illæ tamen non à Christo iure diuino, sed ab Apostolis iure tantùm ecclesiastico institutæ fuerunt,

88. Ius autem ecclesiasticum, quo statuitur irregularitas, non est aliud quàm Canonicum communi totiEcclesiæ: non autem ius alicuius Episcopi, aut Concilii Prouincialis, aut Nationalis; nisi approbetur à Summo Pontifice, & illius authoritate fiat ius Canonicum, & vniuersale, vel à tota Ecclesia recipiatur vt tale. Id enim significant verba cap. *Is qui*, sup. cit. dicentis nullam irregularitatem incurri, quæ in iure non exprimatur. Nam hoc nomen *Ius*, absolutè prolatum, iuxta phrasim Iuris Canonici, non significat ius particulare alicuius Ecclesiæ, vel prouinciæ, aut nationis, quod potius statutum Episcopi, aut Synodale, vel Prouinciale appellat, vt videre est in cap. 2. De constitut. in 6. aliisque locis. Ratio verò cur Summus Pontifex hoc sibi reseruauit, est quia omnis irregularitas statuitur propter quandam indecentiam recipiendi, aut exercendi Ordines, ortam ex delicto, vel aliunde, & propter reuerentiam illis debitam. Quæ res magni momenti est, & ad totam Ecclesiam spectat; ideóque reseruatur Summo Pontifici, iuxta caput *Maiores*, De Baptismo, & eius effectu.

89. Quid intelligendũ nomine iuris Canon.

Nomine autem iuris Canon. intellige Ius Pontificium scriptũ, siue in corpore Iuris Canonici, quod magis propriè vocari solet ius Canonicum: siue in aliis Summorum Pontificum Decretis, aut Conciliis approbatis ad ius commune constituendum, obligans totam Ecclesiam. Sufficit enim irregularitatem in aliquo tali iure esse expressam. Sed vt dicatur in illo esse expressa, debet ferri in propria specie talis casus, vel delicti: neque sufficit inferri solùm per argumentum à pari, vel à simili, vel à consuetudine, aut Doctorum interpretatione, & extensione: vt colligitur ex cap. *Is qui* sup. cit. vbi dicitur non esse irregularem, eum qui celebrat in Ecclesia polluta, quia id non est in iure expressum. Quamuis ille qui celebrat in Ecclesia interdicta sit irregularis, & casus sit valdè similis. Non sufficit quoque probabiliter in eo contineri, si contrarium quoque probabile est, suntque de eo diuersæ auctorum sententiæ, ita vt viri graues, & docti aut negent, aut dubitent. Quid autem in du-

bio iuris, aut facti, circa irregularitatem faciendum sit, siue ante opus, siue post oriatur, patet ex dictis supra, sectione prima, num. 3. & 4. Nimirum non esse habendum pro irregulari eum, de quo post sufficientem inquisitionem id dubium manet: neque debere se quenquam pro irregulari gerere, vel pro tali haberi: siue in foro externo, siue etiam interno, quod non discrepat ab externo, nisi quando istud nititur præsumptione præter rei veritatem secretò notam.

90. Causa finalis irregul.

Dico secundò, causam finalem irregularitatis, siue rationem propter quam fertur, esse reuerentiam Ordinum ecclesiasticorum, & status clericalis; ne quis indecenter ad illos admittatur, vel eorum ministeria exerceat. Quæ indecentia oritur aliquando ex propria culpa ipsius irregularis: aliquando ex aliquo eius defectu inculpabili. Vnde oritur generalis diuisio irregularitatum, in eas, quæ incurruntur ex delicto, & alias quæ ex defectu sine culpa: quæ diuisio quatuor præcedentibus sectionibus explicata fuit. Superest tantùm aduertere circa eas, quæ oriuntur ex delicto, nunquam incurri ob delictum purè mentale, & internum, nisi sequatur opus externum, vt cum D. Thoma 1. 2. quæst. 20. a. 5. ad 4. docent communiter Theologi & Canonistæ; quia nulla lex ecclesiastica id statuit: ac neque statuere potest, propterea quòd actus purè interni non subsunt humanæ iurisdictioni. Et vt ad idem propositum ait Alex. Papa epist. 1. cap. 2. relatus Causâ 15. q. 6. cap. *S quandoque*, *Non potest humano condemnari examine* (neque puniri per irregularitatem, aut censuras ecclesiasticas) *quem Dominus suo reseruauit iudicio.* Item, nisi lex aliud exprimat, debet intelligi de actu externo perfecto, & consummato in sua specie, vt diximus alibi de Censuris in genere: ac quæcunque excusant actum externum à culpa mortali, excusant etiam ab irregularitate ex delicto; vt ignorantia, vel inaduertentia, necessitas vitandi graue aliquod malum præponderans obligationi legis ecclesiasticæ, quæ non obligat cum tanto rigore; & alia similia.

91. Quali ex re casu incurratur?

Addunt aliqui quos refert Suar. disp. 40. sect. 3. num. 19. requiri ad irregularitatem vt peccetur ex contemptu & dolo. Quod non est verùm, nisi per contemptum, & dolum latè sumptum, intelligant contumaciam latæ culpæ. Nam vt sect. 3. ostendimus, irregularitas ex delicto homicidii incurritur propter negligentiam latæ culpæ in vitando illius periculo: quæ tamen non est contemptus, neque dolus formalis, & propriè dictus. Verumtamen, vt ait Abbas in cap. *Quæsitū*, De Pœnitentiis & Remissionibus num. 2. *Quantum ad irregularitatem, lata culpa æquiparatur dolo. Nam studiosa negligentia dolo comparatur, & inducit irregularitatem, quia videtur affectare delictum ex tanta negligentia.* Eodemque sensu fortè loquuntur Nauar. & alii, quos pro contraria sententia allegat Suar. loco cit. ita scilicet vt contemptum, & dolum latè sumant.

Verum quoq; non est quod dicit Alfons. à Castro lib. 2. De lege pœnali cap. vlt. concluſ. 3. requiri ad incurrendam irregularitatem, vt peccatum externum non sit occultum per accidens, sed aliquo modo probabile. Nam contrarium satis apertè traditur cap. *Nisi cum pridem*, De renunciatione, versu *Persona verò irregularitas*, his verbis, *Si tamen & culpa latet*: & non obscurè supponitur à Trident. sess. 24. cap. 6. De Refor. dante facultatem Episcopis dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto. Estque planè voluntaria hæc limitatio, ac sine fundamento; cùm iura loquâtur absolutè, & ius infligens irregularitatem ipso facto, secum ferat executionem, neque egeat probatione delicti, & inquisitione iudiciali, neque sententiâ declaratoriâ criminis, vel executiuâ pœnæ. Loquor autem de delictis, quibus per se annexa est irregularitas, non autem ratione infamiæ, quæ sine aliqua publicatione, & notorietate non incurritur, iuxta ea, quæ diximus sect. 2. num. 14. 92.

93. Causa subiectiua irregularitatis

Dico tertiò, causam materialem Irregularitatis, siue subiectum illius capax, esse quicunque est capax Ordinis, & subiectus legibus Ecclesiæ; id est, quemlibet hominem baptizatum, excepto Summo Pontifice. Ratio primæ partis, est quia irregularitas est impedimentum canonicum, siue inhabilitas iure ecclesiastico inducta suscipiendi Ordines, & exercendi susceptos; nimirum quâ illi, qui licet aliunde iure naturali, vel diuino sunt illorum capaces, fiunt tamen per Ecclesiam inhabiles, & prohibentur ne accipiant, vel acceptis vtantur, propter aliquam indecentiam ex delicto, vel defectu inculpabili prouenientem. Secunda verò liquet ex eo quòd Summus Pontifex non subest iuri Canonico, cùm sit Princeps supremus Ecclesiæ. Quare falluntur qui putant eum fore irregularem, si manu propria quempiam occideret. Nam licet in eo casu deberet abstinere à celebrando, & ab officiis sacris, propter scandalum, donec illud abstulisset, & peccatum expiasset: non tamen esset illud impedimentum vi iuris ecclesiastici, quo non potest constringi, cùm Princeps non subsit virtuti coactiuæ legis à se latæ, vel à suis prædecessoribus. Ac si contingeret fuisse irregularem antequam eligeretur, conscius electoribus, & propterea peccantibus in tali eligendo; desineret tamen esse irregularis statim atque electus esset: quia non ampliùs ligatur iure Pontificio quoad vim coercitiuam: & sicut non potest contrahere nouam irregularitatem, ita neque priùs contractam retinere.

94. Modus quo fertur

Quartò, quod attinet ad causam formalem irregularitatis, siue ad modum, quo fertur, difficultas præcipuè consistit in explicando quibus verbis soleat in iure statui. Qua de re fusè, & accuratè tractat Suarez. disp.

diſp. 40. ſect. 8. vbi docet, Cùm nulla ſit irregularitas, quæ non habeatur in iure expreſſa, duo ad illius expreſſionem ſufficientem neceſſaria eſſe. Primò ſcilicet, vt verba Canonis, aut legis ſignificent pœnam, vel impedimentum canonicum ipſo facto incurrendum, nullâ expectata ſententiâ, ne quidem declaratoriâ criminis: quia irregularitas non aliter imponi ſolet. Secundò, vt verba, quibus tale impedimentum, vel pœna ſtatuitur, ſignificent propriè, & in ſpecie hoc impedimentũ, quatenus ab aliis diſtinguitur. Nam alioqui non ſatis illud exprimunt: & ex omnium cõſenſu, nulla eſt admittenda irregularitas, niſi ſit in iure expreſſa. Dupliciter autem poſſunt illud ſignificare. Vel ſcilicet vtendo proprio nomine irregularitatis: & tunc res caret difficultate: ſed ius antiquum vix illo nomine vtitur. Vel 2. per aliquam circumlocutionẽ: & tunc non eſt adeo facile diſcernere quandonam imponatur, & ſufficienter exprimatur irregularitas: quia ſæpe huiuſmodi verba poſſunt ad aliud impedimentum referri. Ad hoc autem diſcernendum poſſunt hæ regulæ iuuare à Suare traditæ ibidem.

95. Regulæ quib. cognoſci poſſit.

Prima eſt: Quando verba legis non ſignificant pœnam ipſo facto incurrendam, ſed requirunt ſententiam iudicis vt imponatur, non loquuntur de irregularitate: quia, vt iam dixi, hæc nunquam fertur per ſententiam. Quibus autem verbis pœna, vel impedimentum ſignificetur incurri ipſo facto, expoſuimus diſp. 58. ſect. 2. nu. 17. Notandum verò eſt, quod licet irregularitas ipſo facto incurratur; pertinet tamen ad officium Prælati efficere vt non violetur. Quare Canones poſſunt interdum loqui de huiuſmodi executione. Sed tunc ex aliis verbis legis debet cõſtare ſermonẽ ibi eſſe de illa, & vel per eandem legem, vel per alia iura debet eſſe ſtatuta, & expreſſa talis irregularitas.

96. Secunda regula: Quando verba legis ſunt de futuro, non ſatis exprimunt irregularitatem, niſi vel illam diſertè ſignificent, vel aliquid aliud addant ſufficienter determinans ad talem ſignificationem: Vt ſi lex dicat: Quiſquis hoc fecerit, erit irregularis, aut, fiet irregularis: Nemo illum ordinet: Ad clerum non admittatur: qui duo poſtremi loquendi modi, tametſi non vtuntur nomine ipſo irregularitatis, tamen illam ſatis determinãt: ſicut iſte, Si quis hoc fecerit, nemo cum illo communicet, ſufficienter exprimit excommunicationem latæ ſententiæ. Significant enim aliquod impedimentum ipſo facto cõtractum, propter quod alii cum illis communicare nequeunt, vel eos ad Ordines, aut ad Clericatum admittere. Si autẽ nihil tale addatur, non eſt ſufficiens fundamentum exiſtimandi irregularitatẽ in poni potiùs, quàm ſuſpenſionem, vel aliud impedimentum. Vt cap. *Si quis Epiſcopus* 1. q. 1. vbi de Epiſcopo, qui per pecuniam ordinationem fecerit, dicitur, *Proprii gradus periculo ſubiacebit*: quæ verba ad Suſpẽſionem non minùs quàm ad irregularitatem referri poſſunt, debẽtque potiùs de illa intelligi, vt indicant verba Concilii Chalcedon. Act. 15. Can. 2. ex quo caput illud deſumptum eſt, quæ habet: *Si qui hoc attentare probatus fuerit* (in iudicio ſcilicet) *proprio gradu ſpoliabitur*. Quare requirunt ſententiam iudicis, & item declaratoriam criminis: quæ ad irregularitatem incurrendam minimè requiritur. Idem dicendum eſt de aliis canonibus, qui directè ſolum prohibent executionem Ordinum: vt caput 1. *De ordinatis ab Epiſcopo, qui renunciauit epiſcopatui*: vbi de promoto ad ſacros Ordines per talem Epiſcopum, dicitur, *Eccleſiæ non officiet non habebit*: quod in rigore non amplius ſignificat, quàm Suſpenſionem; debetque de illa intelligi, quia in pœnis benignior eſt interpretatio facienda: & legi pœnali non plus concedi debet, quàm verba ſtrictè ſumpta exigunt. Alia exempla profert, & expendit Suar. ſect. cit. nu. 5. & ſeqq. quæ apud ipſum legi poſſunt.

Reg 49. de regulis Iuris in 6.

97. Tertia regula: Quando verba legis ſtatuunt priuationem Ordinum, vel vſus illorum, ipſo iure incurrendam ex vi verborum; non propterea debent intelligi de irregularitate, niſi vel expreſſis verbis, vel aliis ſufficientibus indiciis id ſignificetur. Ratio eſt, quia Suſpenſio perpetua, vel depoſitio, quamuis diſtinguatur ab irregularitate, frequenter tamen in iure vocatur Ordinum priuatio. Quare nomen illud de ſe ambiguum eſt, & per illud ſolum non poteſt dici expreſſa eſſe irregularitas: cúmque in pœnis mitior pars ſequenda ſit, debet potiùs intelligi de Suſpenſione, quæ minor pœna eſt. Exempla huius rei habentur Can. 15. Apoſt. vbi de Presbytero, aut Diacono migrante ad alienam parochiam, vel in ea commorante ſine licentia ſui Epiſcopi, dicitur, *Hunc vlteriùs miniſtrare non patimur*: vel vt habet alia lectio, *Eum non amplius celebrare iubemus*. Et cap. *Tangalum* 11. quæſt. 3. vbi de Epiſcopis communicantibus cum excommunicatis ſic dicitur: *Omni iudicamus ſacerdotii officio penitùs alienos*: quæ verba magis Suſpẽſionem perpetuam, vel depoſitionem, quam irregularitatem ſignificant: idque indicant verba paulò poſt ſequentia, *Præciſis autem depoſitis licentiam concedimus Eccleſiam ingrediendi*, &c.

98. Quarta regula: Quando priuatio Ordinũ, vel vſus illorum imponitur ſine culpa, quamuis non ſine cauſa; ſignum ſufficiens eſt, ſermonem eſſe de irregularitate, cuius propriũ eſt inter omnia impedimenta canonica Ordinum, aut vſus illorum, vt contrahatur ſine culpa. Nam ſuſpenſio, aut depoſitio non incurritur ſine illa: ac ne quidẽ, vt probabilius alibi eſſe diximus, ſuſpenſio ſtatuta contra eos, qui ordinantur ab Epiſcopo excõmunicato, aut ſuſpẽſo, non tolerato; vel ab eo qui renunciauit Epiſcopatui. Quamuis multi cõtrarium ſentiant, iuxta quos hæc vnica exceptio ab hac regula generali faciẽda eſt. Dixi autem, quando priuatio Ordinum, vel vſus illorum imponitur: quia ſunt aliæ quædam in-

habilitates ad Beneficia ecclesiastica, vel ad Prælaturas, quæ possunt etiam sine culpa incurri: vt patet ex cap. 1. *De filiis Presbyterorum*, aliisque pluribus eodem tit. tametsi non sunt propriè irregularitates: quia irregularitas propriè est circa Ordines suscipiendos, aut exercendos, vt diximus sect. 1.

99. Quinta regula: Quando per legem statuitur impedimetum Ordinibus, commune laicis & clericis, signum est esse irregularitatē. Quia non potest esse suspensio, aut depositio, cùm hæ sint propriæ clericorum. Nullum est autem aliud impedimentum canonicum Ordinum præter hæc tria. Adde quòd impedimentum Ordinum commune laicis, perpetuò priuat illorum susceptione. Hoc autem est proprium irregularitatis: nam Suspensio, & Depositio, priuant tantùm illorum vsu. Et hæc regula tunc clarior est, quando verba legis significant directè impedimentum generale susceptionis Ordinum, aut status clericalis: vt quando dicitur can. 17. Apost. *Si quis post baptisma secundis nuptiis fuerit copulatus, aut concubinam habuerit, non potest esse Episcopus, non Presbyter, aut Diaconus, aut prorsus ex numero eorum, qui ministerio sacro deseruiunt.* Et Can. 18. idem dicitur de eo, qui viduam, aut ejectam acceperit. Et can. 19. *Qui duas in conjugium sorores acceperit, &c. clericus esse non potest.* Et can. 22. *Si quis abscidit semetipsum, non fiat clericus.* Et can. 60. vbi de fornicario, vel adultero conuicto, statuitur vt ad clerum non promoueatur. Et can. 78. de Energumenis sic dicitur: *Si quis dæmonem habeat, clericus non efficitor*: nisi postquam mundatus fuerit, si dignus eo gradu inueniatur: vt additur ibidem paulò post. Et cap. 1. *De clerico non ordinato ministrante*, de quocunque non ordinato fictè ministrante statuitur, vt nunquam ordinetur. Et cap. *Curandum*, dist. 34. vbi de eo qui duxit vxorem non virginem dicitur, *Non aspiret ad Ordines*, propter impedimentum scilicet exbigamia contractū. Non sufficeret tamen dicere, *sit sacerdotio præditus*, nisi ex subiecta materia constaret sacerdotium ibi latè sumi pro toto statu clericali, quemadmodū fit in cap. *Minor*, dist. 50. vbi statuitur irregularitas propter homicidium, & aliquot aliis locis. Atque hæc sufficiāt de causis irregularitatis.

100. Effectus irregularitatis. Iam de illius effectibus fusissimè disputat idem auctor qui suprà, disp. 40. sect. 2. Sed summa est, quòd priuet actu Ordinis, & non iurisdictionis: quódque prohibeat susceptionem Ordinum, & vsum susceptorum, vt diximus explicando definitionem irregularitatis. Quare irregularis illicitè quidem recipit Ordines: illicitè quoque facit ea omnia, quæ necessariò requirunt potestatem alicuius Ordinis, vt validè, aut licitè fiant: Secus verò quæcunque illam non requirunt, dummodo nullum aliud impedimentum habeat. Potest itaque licitè suscipere alia sacramenta, præter Ordinem; & exercere actus minorum Ordinum; atque aliquos maiorum eo modo, quo solent exerceri à laicis, quia vt sic non sunt vsus Ordinis; & exercere quoscunque actus iurisdictionis præter absolutionē sacramentalem, & realem degradationem: quarum illa est actus Ordinis sacerdotalis ex institutione Christi: ista ex Ecclesiæ constitutione includit vsum Ordinis Episcopalis, vt diximus disp. 60. sect. 3. Non priuatur etiam beneficio iam adepto, eiusque fructibus, dūmodo per se, vel per alium exequatur officium. Si tamen officium obliget ad aliquos actus ipsi prohibitos, debet eo priuari, cap. *Si celebrat, De clerico excommunicato*, aut illud resignare, nisi breui dispensationem obtineat. Loquor autem de Beneficio iam adepto: non autem de acquirendo: nam collatio Beneficii facta irregulari sine dispensatione, est inualida, vt diximus nu. 5. cum communi sententia, cui pauci refragantur. Quamuis autem irregularis illicitè exerceat actus Ordinis, validè tamen exercet, modò non desit illi iurisdictio respectu actuum, qui illam requirunt. Atque ita parochus v. g. licet irregularis, validè absoluit subditos à peccatis, vt cum aliis communiter rectè docet Suar. disp. 40. sect. 2. n. 45.

SECTIO VIII.

A quibus, & quomodo tolli possit irregularitas?

101. Qædam irregul. desinunt per seipsas. SVpereſt dicere de modo quo tollitur irregularitas. De quo breuiter dico, Irregularitatem per defectum ætatis, tolli & desinere seipsa, hoc ipso quòd ætas legitima superuenit. Quando enim præmaturè ordinatus attingit ætatem debitam, desinit esse irregularis, potestque exercere Ordinem priùs susceptum: nisi tamen antea scienter exercuerit: nam tunc incurrit excommunicationem, aut Suspensionem, vt alibi diximus. Similiter irregularitas ex defectu scientiæ desinit hoc ipso, quòd scientia necessaria acquiritur: & aliæ irregularitates, quæ oriuntur ex aliquo defectu temporaneo, cessante penitùs illo defectu, cessant etiam ipso facto sine vlla dispensatione. Exempli gratiā, si amens recuperet sanitatem; Si energumenus planè liberetur à possessione dæmonis; si tremulus manibus, planè conualescat; si infamia facti penitùs cesset. De quibus vide Tolet. lib. 1. cap. 63. & Suar. disp. 41. sect. 1. num. 6. & 7. vbi addit idem sentiendum esse si lex ferens irregularitatem penitùs abrogetur: puta lex statuens illegitimos esse irregulares. Tunc enim neque fierent irregulares qui deinceps nascerentur ex concubitu illegitimo: neque qui ante abrogationem nati sunt, pergerent esse irregulares, sublata iam legali illa indecentia respectu Ordinum.

102. Aliæ omnes irregularitates vno ex his tribus modis tolluntur: per Baptismum, vel per ingressum Religionis, vel per dispensationem, eamq; vel Papalem, vel Episcopalē:

Digitized by Google

& proximè, vel remotè: id est, vel per ipsosmet Prælatos, vel per alios ab illis delegatos.

Alix tollitur, per baptismum.

Per Baptismum tollitur omnis irregularitas proueniens ex delicto, etiam quæ oritur ex sequela peccati, vt ex infamia: & illa, quæ oritur ex defectu lenitatis, & ex defectu natalium; atque etiam irregularitas bigamiæ interpretatiuæ, quæ nascitur ex copula illicita citra matrimonium verum, aut præsumptum: ac denique illa quæ oritur ex defectu bonæ famæ. Tollitur, inquam, omnis eiusmodi irregularitas, seu potiùs impeditur, & præuenitur, quatenus Baptismus facit, vt culpa, vel defectus existēs in homine antequam baptizetur, non eum reddat irregularem post Baptismū, quando iam subest legibus Ecclesiæ. Et quāuis non omnes Doctores in his omnibus cōtentiant: certum est tamen nullam irregularitatem extendendam esse ad culpas, aut defectus, qui Baptismū præcesserunt, nisi ius id expressè dicat. Nā prohibitio Ecclesiæ non dirigitur ad nō baptizatos: & æquum est, vt non imputentur iis, qui per Baptismum regenerātur, fiuntq; noui homines: præsertim verò defectus illi, qui culpabiles fuēre, aut ratione culpæ cōtrahūtur.

103. Alix per ingressum religionis.

Per ingressum Religionis tollitur etiā irregularitas ex defectu natalium. Imò etiam nunc in omni fere Religione per eius ingressum tollitur omnis irregularitas præter illā, quæ oritur ex homicidio voluntario, aut ex bigamia: idque non tam ex iure communi, quam ex consuetudine, & priuilegiis concessis à Summis Pontificibus, vt testantur Sot. in 4. dist. 25. q. 2. art. 1. a. 3. conclus. 1. in fine, & Nauarr. cap. vl. Enchirid. nu. 254. dicto 10. in fine. Sed hoc intellige quātum ad susceptionem, & vsum Ordinum, etiam sacrorum: non quantum ad prælaturam. Nam illegitimus, etiamsi ingrediatur Religionem, nō potest esse Prælatus absque dispensatione Papæ, vt habetur cap. 1. *De filiis Presbyterorum*. Præterea per ingressum Religionis debet intelligi hoc loco Professo, & non simplex ingressus in Nouiciatum: quia legitimatio ad Ordines, cùm sit ad aliquid perpetuum, non fuit concessa, nisi à sumētibus statum perpetuum per Professionem religiosam. Idque significant verba capitis 1. *De filiis Presbyterorum*, vbi hoc priuilegium conceditur tantùm *Monachis, vel in congregatione canonica regulariter viuentibus*, id est, Canonicis Regularibus. Cuiusmodi non sunt propriè Nouitii, qui sunt tantùm in via ad illum statum.

104. Omnes possūt tolli per dispēsationem Papalem.

Per dispensationem Papalem omnes tolli possunt, quia sunt iuris positiui ecclesiastici. Vt tamen licita sit dispensatio, & non solùm valida, requiritur iusta causa. Episcopi autem non possunt dispensare iure ordinario, nisi in casibus sibi permissis. Quia non possunt dispensare in lege Superioris, nisi eis concedatur: omnis autem irregularitas statuitur per ius superioris respectu Episcoporum, vt diximus sect. 7. Est verò illis concessum à Tridentino sess. 24. cap. 6. *De Reform.* vt possint dispensare in omni irregularitate prouenīente ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario. Circa quod nota 1. nomen Episcopi ibi propriè sumi à Trident. vt declarauit Congregatio Cardinal. ibid. num. 1. v. *Liceat Episcopis*, vbi sic habet: *In hoc decreto non comprehenduntur inferiores, habentes iurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem, seu Episcopi priuatiuè quoad alios.* Quare hæc facultas non extenditur ad eos qui participant tantùm Episcopalem iurisdictionē: quia participatio illa intelligitur in ordinaria iurisdictione; non autem in omni speciali, & extraordinaria facultate concessa Episcopis, circa ea, quæ iure communi reseruata erant Summo Pontifici, cuiusmodi est dispensatio super irregularitate, vt bene ait Suar. disp. 45. sect. 1. nu. 2. Qui disp. 41. sect. 2. nu. 7. hanc aliam rationem addit: quia ista concessio ex ea parte, quā derogat iuri communi, est odiosa: idcoque debet restringi ad proprietatem nominis Episcopus. Sed hæc ratio nimis probat. Nam ex ea sequeretur Episcopum id non posse, nisi sit consecratus; cùm alioqui non sit propriè Episcopus. Hoc autem falsum est. Nam illa dispensatio est actus iurisdictionis: idcóque sufficit quòd sit nominatus, aut electus, & confirmatus, habeatque iurisdictionem Episcopalem, vt fatetur Suar. ibid. Et è contrario non sufficit esse consecratum, nisi habeat subditos, & iurisdictionem erga illos. Nam Trident. non dat Episcopis hanc facultatem, nisi circa suos subditos, vt patebit ex declarationibus infrà citandis.

Occultę possūt tolli ab Episcopis.

105. Vtrumne ab omnibus?

Nota secundò, à Congregatione Cardinalium ad sess. 24. cap. 6. *de Reformat.* num. 1. verbo *Liceat Episcopis*, declaratum etiam fuisse Episcopos illarum regionum, in quibus Trid. Concilium nondum receptum est, non posse vti hac facultate. Quia nimirum nō debent gaudere fauoribus ab eo concessis, qui nolunt subire onera ab ipso imposita. Nota tertiò Concilium excipere irregularitatem prouenientem ex homicidio voluntario, licet occulto: atque etiam quamcunque prouenientem ex quouis alio delicto occulto, si delictum illud ad forum contentiosum iam deductū sit. Quod cum addit, significare videtur se per occultum intelligere non illud solum, quod ita est occultū, vt nullo modo sit probabile: sed illud etiā, quod licet probari queat, nondū tamen est publicum: &, si istud non sit deductum ad forum contentiosum, permittere videtur Episcopis dispensare super irregularitate per illud contracta.

106. Occultum est duplex: per se, & per accidēs

Notandum enim quartò, duplex esse occultum. Vnum per se: vt sunt cogitationes hominum, & alii actus purè interni: quod videlicet ex natura sua, & per se, non potest cognosci ab hominibus: & hoc non subest potestati humanæ ad puniendum per censuras, aut irregularitates: quia de internis Ecclesia non iudicat. Alterum est occultum per accidens: vt sunt verba, & actus externi in occulto facti: quod scilicet potest quidem cognosci, sed tamen de facto non cognosci-

tur. Illudque iterum duplex est. Vnum, quod opponitur probabili; estque adeo latens, vt nullis testibus pateat, per quos probari possit: ideoque nõ subest iudicio humano, quod consistit in causæ cognitione & probatione, & sententia iudiciali. Potest tamen subesse alteri iudicio humano, quod in præcepto, aut prohibitione consistit, & pœnâ in quoscunq; præuaricantes præueniendo imponit. Vt quãdo Prælatus prohibet sub pœna Excõmunicationis ipso facto incurrendę, ne quis vescatur carnibus tempore Quadragesimæ: tũc licet quis vescatur occultè, & sine probatione; subest illi sententiæ, & excommunicatus est. Alterum occultũ per accidens opponitur publicò, siue notorio, siue famoso. Quod enim neque notorium, neque famosum est, censetur occultum, quãuis per aliquos testes probari possit. Et ad istud etiam videtur extendi concessio facta Episcopis à Tridentino, dummodo non sit reipsa delatũ ad forum contentiosum. Alioquin enim, si loquitur tãtùm de casibus ita occultis, vt probari non possint: perperam excipit eos, qui ad forum contentiosum deducti sunt; cùm manifestũ sit illos nõ esse tali modo occultos. Quæ ratio mouit Suarem disp. 41. sect. 2. n. 6. ad affirmandum Concilium non loqui tantũ de casibus prorsus occultis, qui à nemine sciuntur: sed absolutè de occultis, prout à publicis distinguuntur, etiamsi probabiles sint. Additque paulò post, Si crimen contentiosum non probetur sufficiẽter, & delatus, aut accusatus declaretur iuridicè innocẽs, reuocari delictũ ad statum in quo antea erat: ideoq; licet Episcopus dispensare non potuerit, quamdiu crimen in foro contentioso versabatur, posse tamen post sententiam iudicis, præsertim si ne quidem semiplena probatio de illo habita fuerit.

107. Sed his obstant duæ declarationes Cardinalium Congregationis Concilii ad sess. 24. cap. 6. *De Reform.* n. 2. Quarum prior sic habet: Absolutus, vel dispẽsatus à proprio Episcopo in materia delicti perpetrati corã duobus, vel tribus testibus, quod tamen non fuit notorium, non est tutus in conscientia; quia Concilium vtitur verbo *Occulti*: quod propriè loquendo dicitur quod probari non potest. Et verba Concilii secundum proprietatem sunt accipienda. Posterior immediatè post sequens, est huiusmodi: Idem respondit (Cõgregatio) de illis, qui occasione delictorum occultorum ab officio inquisiti, sed quia non potuerunt delicta probari, rei ipsi non fuerunt absoluti, nec definitiuè, nec alio modo, sed simpliciter dimissi, recepta promissione de se præsentando: non posse istos vti huius Canonis beneficio. Quia causa fuit deducta ad forum contentiosum: sicque sufficit sola deductio, quidquid inde sequatur. Hucusque Sacra Congregatio.

108. Episcopi possunt dispẽsare per alium.

Nota quintò, Episcopos posse hanc potestatem dispensandi exercere, vel per seipsos, vel per quoscunque alios idoneos ab ipsis delegatos. Nam Concilium non eam limitauit ad propriam ipsorum personam, neq; illis tãquam à sede Apostolica delegatis eam cõcessit (quod quando facit, solet expresse significare) sed muneri Episcopali, quasi iure ordinario annexuit: ideoq; potest cuicunq; idoneo ab illis delegari, sæpeq; expedit, vt Episcopi per doctos confessarios eam exerceant. Clausula verò Concilii, *Per seipsos, aut vicariũ ad id specialiter deputandum*, non cadit in hanc dispensationem, sed in absolutionẽ à quibuscunq; casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis. Duo enim conceduntur Episcopis in eo capite. Primò, vt liceat eis in irregularitatibus omnibus, & Suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum cõtentiosum, dispensare. Quæ faculas illis sine vlla alia restrictione conceditur. Secũdum est, vt liceat illis in quibuscunque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, delinquentes quoscunque sibi subditos in diœcesi sua per seipsos, aut vicarium ad id specialiter deputandum, in foro cõscientiæ gratis absoluere, imposita pœnitentia salutari. Ita vt prior facultas per Vicarium generalem, vi sui muneris, vel per alium ab Episcopo generaliter delegatum possit exerceri. Posterior non nisi per vicarium specialiter deputatum ad causam examinandam: quæ tamen potest ipsi etiam Vicario generali, aut Pœnitentiario specialiter committi, vt declarauit Congregatio Cardinalium ad caput citatum nu. 6. circa illa verba, *Aut vicarium*, &c.

109. Habẽt potestatem dispensandi omnes sibi subditos.

Nota 6. nomine subditorum circa quos datur hæc facultas Episcopo, intelligi omnes eius dioecesanos, & quoscunq; habentes domicilium in eius dioecesi; etiam regulares, & alios exemptos: quippe qui possunt, si velint, Episcopi iurisdictioni se submittere in fauorabilibus. Potest etiam Archiepiscopus dispensare in tota prouincia, quando actu eam visitat. Quòd si quæras an Episcopus possit vti hac facultate dispensandi cum suo dioecesano absente, in aliena dioecesi legitimè impedito, & commorante? Respondeo negatiuè contra Suarem disp. 41. sect. 2. n. 10. quia Tridentinum expresè habet, *In diœcesi sua*: quod interpretans Congregatio Cardinalium n. 4. respondit quæstioni propositæ, forensem posse quidem absolui in Sacramento Pœnitẽtiæ ab illo Episcopo in cuius dioecesi, vel ciuitate commoratur: non autem ab alio dispẽsari, id est, non à proprio Episcopo, de quo erat quæstio. Quia scilicet Concilium voluit hanc facultatem limitare non solùm ad personas, sed etiam ad territorium. Quod confirmat exemplũ paulò post subiunctum ab eadem Congregatione. Facit, inquit, ad hoc, quòd Nũcii qui possunt absoluere excõmunicatos ob iniectionem manus in clericos, non possint absoluere subditos extra prouinciam. Addit eadem Congregatio n. 1. Episcopo in aliquod delictorum (de quibus loquitur Trid. eo cap.) prolapso, licere ad se absoluendũ propriũ suum cõfessarium deputare, eũ eadẽ auctoritate, quâ ipse potest ex

eodem hoc capite in sibi subditos exercere, ex quo datur intelligi idem etiam posse quoad dispensationem, quæ non minùs est delegabilis: neque debet Episcopus esse conditionis deterioris, quàm sint illius subditi.

110. Possunt dispensare in homicidio non voluntario, & mutilatione pura.

Vlteriùs possunt etiam Episcopi dispensare in homicidio non voluntario, & illicita mutilatione, id est, membri alicuius abscissione, dummodo non sequatur mors: quia non comprehenditur nomine homicidii voluntarii à Tridentino excepti, vt supra dicta Congregatio declarauit num. 3. Itemque in homicidio voluntario licito, cum eo qui est clericus; non quidem ad ordines, sed ad beneficium simplex, vt docet Emmanuel Sa v. *Irregularitas ex deformatione licita*, num. 5. post Nauarrum & alios. Dispensant etiam in defectu natalium: sed ad minores ordines tantùm, & ad simplex beneficium, quod neque est dignitas, neque personatus. Nam ad maiores ordines, & ad curatum beneficium dispensat solus Papa, vt habetur capite finali *De filiis Presbyterorum*, & in 6. cap. 1. eodem tit. Idque intellige quamuis illegitimatio sit occulta. Quia Trident. sess. 24. cap. 6. De Reform. dans Episcopis facultatem dispensandi super irregularitate occulta, loquitur expressè de irregularitatibus contractis ex delicto occulto: non autem de contractis ex defectu; cuiusmodi est illa, quæ contrahitur ex defectu natalium. Quòd si interroges an Episcopus debeat esse consecratus vt dispensare possit in defectu natalium? Respondeo negatiuè, sed sufficere quòd sit electus, & confirmatus, habens scilicet iurisdictionem episcopalem. Idem etiam possunt Capitulum sede vacãte, & Prælati inferiores exempti, qui habẽt iurisdictionem episcopalem, quia illi omnes participant ordinariam iurisdictionem Episcoporum; vt post Nauarr. & alios rectè docet Suar. disp. 50. sect. 5. n. 6. non obstante declaratione Congregationis suprà relatâ n. 104. quia non loquitur de hac dispẽsatione, sed de irregularitatibus ex delicto.

Et in defectu natalium ad minores ordines

111. Et cum clerico reuertente ab hæresi.

Possunt etiam Episcopi dispensare cũ clerico reuertẽte ab hæresi, vt ministret in Ordine ante accepto, præsertim si delictum fuit occultum: sed non vt possit ad Ordines vlteriores ascendere. Excepto etiam ministerio sacerdotii, & vsu Pontificalium, ad quæ solus Papa restituere potest sacerdotes, vel Episcopos in hæresim lapsos. Qua de re plura videri possunt apud Suar. disp. 43. sect. 1. & 2. Item si clericus iam peruenit ad ætatem legitimam, potest Episcopus cum eo dispensare, tam super irregularitate, quàm super Suspẽsione, ex delicto tamen occulto proueniente, quia se fecit promoueri in ætate nõ legitima, vt respondit Congregatio Cardinal. ad caput sup. citatum nu. 2. §. *Item Congregatio*. Notat præterea Suar. disp. 41. sect. 2. n. 14. Collegium Cardinaliũ eligens Summum Pontificẽ habere facultatem dispẽsandi cum eo quem eligit, si contingeret esse irregularem. Quia qui dat potestatẽ adaliquem actũ, dat etiam ad accessoria, quæ ad illum ordinãtur. Debet autem ille prius absolui, vt licitè possit eligi. Quare hoc ipso, quòd datur potestas Cardinalibus eligendi Summum Pontificem, datur & hæc facultas dispensandi in casu necessitatis, cum non sit tunc superior ad quem possint recurrere. Et quamuis non dispensarent, cessaret irregularitas eo ipso quòd esset electus, vt diximus n. 93.

112. Exceptio homicidii voluntarii quid significet

Denique, quod ad eos spectat, qui dispensandi facultatem habent ex delegatione, vel priuilegio, notãdum est: Quando sum. Pontifex in facultate concessa ad dispensandum super irregularitate, excipit tantùm homicidium voluntarium: qui habet talem facultatem potest dispensare in omni homicidio, quod non oritur ex delicto, sed tãtùm ex defectu lenitatis, vt docent Caiet. v. *Irregularitas*, in fine, & alii communiter: quia homicidium voluntarium absolutè dictum intelligitur de iniusto, & culpabili. Imò etiam potest dispensare in homicidio, quod oritur ex delicto, dummodo homicidiũ non fuerit intentum: vt quando quis intendit tantùm percutere leuiter, & occidit: vt diximus sect. 3. & expressè affirmant Nauarr. capite vlt. Enchir. n. 240. Henriq. lib. 14. c. 14. §. 1. lit. N. & §. 2. lit. S. & alii, quos ille citat: quibus etiam astipulatur Caiet. 2. 2. q. 64. art. vlt. in fine, & Reginald. loco infra citando. Ratio est, quia homicidium illud non dicitur simpliciter voluntarium, sed casuale. Item qui habet facultatem dispensandi super homicidio casuali, & non super voluntario; potest dispensare cum iudicibus, & aliis ministris iustitiæ, qui voluntariè interficiunt, sed iustè, & secundum leges. Nam per casuale homicidium intelligitur omne homicidium, quod non est voluntarium directè cum peccato mortali: vt alibi notauimus post Couar. in Clement. *Si furiosus*, part. 2. §. 3. n. 5. & Caiet. in Summa v. *Irregularitas*, in fine.

113. Vel exceptio homicidii simpliciter.

Addunt aliqui, quando in priuilegio datur facultas absoluendi super super omni irregularitate, excepto homicidio, intelligendum esse de homicidio facto cum peccato mortali. Tum quia omne homicidium propriè dictum est peccatum mortale, prohibitũ quinto Decalogi præcepto. Tum etiam quia irregularitas contracta ex homicidio facto sine peccato mortali, nõ vocatur irregularitas ex homicidio, sed ex defectu lenitatis. Ita Viuald. in suo Candelab. tract. de Irregularitate n. 327. iuxta editionẽ anni 1602. & iuxta editionem anni 1606. part. 3. De irregularitate, cap. *De Dispensatione quoad Fratres*, nu. 3. vbi affirmat ita definitum fuisse in Pœnitentiaria Romana; Caiet. v. *Irregularitas*, in fine, & Reginald. tom. 3. lib. 30. tract. 2. nu. 23. aliique plurimi. Et hactenus de potestate Clauium circa Censuras, & Irregularitates.

DISPVTATIO SEXAGESIMA TERTIA.

De potestate Clauium ad concedendas Indulgentias.

Sectio I. *An satisfactio vnius possit alteri prodesse? & de Suffragiis.*

Sectio II. *Vtrum satisfactio pro altero oblata prosit illi infallibiliter?*

Sectio III. *Quæ conditiones requirantur vt vnius satisfactio prosit alijs?*

Sectio IV. *Sitne in Ecclesia thesaurus superabundantium Christi satisfactionum, & Sanctorum, qui per Indulgentias dispensari possit, & applicari fidelibus?*

Sectio V. *Sitne in Ecclesia potestas dispensandi thesaurum illum per Indulgentias?*

Sectio VI. *A quonam, & quibus Indulgentiæ concedi possint?*

Sectio VII. *Vtrum ad valorem Indulgentiarum requiratur causa legitima?*

Sectio VIII. *De modo concedendi Indulgentias, deque illarum effectu.*

DE Indulgentiis disputat S. Thom. quæst. 25. 26. & 27. Supplementi. In quarum prima docet Indulgentias satisfactionis loco valere ad remittendam pœnam temporalem siue hac in vita, siue in futura Deo pebitã pro peccatis remissis: quia vnius satisfactio potest alteri prodesse. Et satisfactiones superabundantes Christi, & Sanctorum in thesauro Ecclesiæ seruatas applicari nobis ad illum finem per Indulgentias. Tantum autem illas valere, quantum sonant: dummodo ex parte dantis non desit auctoritas: & ex parte recipientis, charitas: & ex parte causæ, pietas, quæ comprehendit honorem Dei, proximique vtilitatem. Et quamuis pro temporali subsidio simpliciter non debeat fieri indulgentia, quod esset simoniacum: secus tamen si ad spirituale quippiam ordinetur: sicut est repressio inimicorum Ecclesiæ, qui pacem eius turbant, vel constructio Ecclesiarum.

In secunda affirmat non posse quemlibet Indulgentias dare: sed tantùm Ecclesiæ Prælatos. Summum quidem Pontificem plenarias, ob plenitudinem potestatis, existente tamen causa legitima: reliquos verò Episcopos, secundum eius ordinationem, & mensuram ab illo

Digitized by Google

poſitam. Neque requiri in conferente Ordinem ſacerdotalem: ſed poteſtatem iuriſdictionis ſufficere: quæ cùm non tollatur per peccatum mortale, poteſt Prælatus exiſtens in peccato mortali indulgentias concedere: neque illæ minùs operantur: cùm non agant virtute meritorum conferentis; ſed ex vi meritorum reconditorum in theſauro Eccleſiæ.

In tertia dicit Indulgentias non prodeſſe exiſtentibus in peccato mortali: quia non remittitur pœna, niſi dimiſſâ culpâ. Neque etiam illis, qui non implent conditiones, ſub quibus conceduntur. Prodeſſe verò quibuſcunque implentibus, & in charitate exiſtentibus: etiam illi ipſi, qui Indulgentiam conceſſit: quia non eſt peioris conditionis cæteris hominibus, poteſtque ſibi applicare bonum, quod aliis diſpenſat. Huc vſque D. Thomas, cuius doctrina ſequentibus ſectionibus fuſiùs exponenda eſt.

SECTIO I.

Vtrum ſatisfactio vnius poſſit alteri prodeſſe? Et de fidelium ſuffragiis.

1. Fundamentum quadruplex Indulgentiarum.

INdulgentiarum conceſſio quatuor fundamentis innititur. Primum eſt, non omnem poenam ſemper cum culpa remitti, ſicut in Baptiſmo fit: ſed ſæpiſſimè poenam æternam mutari tantùm in temporalem, aut maiorem in minorem, quæ luenda ſuperſit. Tum quia ratio diuinæ iuſtitiæ exigit, vt aliter à Deo in gratiam recipiantur, qui ante Baptiſmum per ignorantiam deliquerint: aliter verò qui ſemel à peccati, & Dæmonis ſeruitute liberati, & accepto Spiritus ſancti dono, ſcientes templum Dei violare, & Spiritum ſanctum contriſtare non formidauerint. Tum etiam, quia diuinam clementiam decet, vt ne ita nobis abſque vlla ſatisfactione peccata dimittantur, vt occaſione acceptâ, peccata leuiora putantes, in grauiora labamur, aut frequentiora, quemadmodum ait Trident. ſeſſ. 14. cap. 8. Secundum fundamentum eſt, poenam illam redimi poſſe non modò noſtris ſatisfactionibus, ſed etiam alienis nobis applicatis. Ita vt ſatisfactio vnius poſſit alteri applicari, illiq; prodeſſe ad ſolutionem poenæ temporalis debitæ ipſius peccatis. Tertium, eſſe in Eccleſia theſaurum ſatisfactionum Chriſti, atque Sanctorum, quæ poſſint fidelibus applicari, & prodeſſe in illum finem. Quartum, eſſe in Eccleſia poteſtatem hunc theſaurum diſpenſandi, applicando fidelibus ſatisfactiones Chriſti & Sanctorum, vt fit per conceſſionem Indulgentiarum.

Proponitur prima quæſtio.

De primo fundamento ſufficiunt quæ diximus diſp. 44. ſect. 9. & diſput. 51. ſect. 1. De tribus aliis nunc ſigillatim dicendum eſt: & imprimis quærendum, an ſatisfactio vnius poſſit alteri prodeſſe inter fideles? Quamuis enim ſufficeret ad fundamentum Indulgentiarum ſatisfactiones Chriſti poſſe nobis applicari, & prodeſſe ad extinguendum reatum pœnæ temporalis, reſtantis ex peccatis remiſſis: quippe quæ ſunt infiniti, & inexhauſti valoris, & plusquàm ſatis ſuperque ſufficiunt ad extinguendum omnem huiuſmodi reatum, ſi ad hunc finem efficaciter applicentur, ita vt non egeant ſuperadditis aliorum ſatisfactionibus: Quia tamen infrà dicturi ſumus, theſaurum Eccleſiæ conſtare non modò Chriſti ſatisfactionibus, ſed etiam Sanctorum: & quia perfectio doctrinæ de Indulgentiis poſtulat vt more aliorum Theologorum dicamus etiam de ſuffragiis, id eſt, de modo quo fideles poſſunt alii aliis prodeſſe, & pro illis ſatisfacere: idcirco hanc quæſtionem præmittimus aliis, quas de conceſſione indulgentiarū explicare propoſuimus.

2. Satisfactio vnius poteſt alii prodeſſe.

Vt autem certa ab incertis ſeparemus: indubitatum quidem eſt apud omnes Theologos ſatisfactionem vnius prodeſſe aliis aliquo modo poſſe. Sicut enim poſſunt fideles ſe inuicem iuuare ſuis orationibus, iuxta illud Iacob. 5. *Orate pro inuicem, vt ſaluemini, multum enim valet deprecatio iuſti aſſidua apud Deum*: & 2. Corinth. 1. *Adiuuantibus vobis in oratione pro nobis* &c. ita & aliis piis operibus quæ pro ſe inuicem Deo offerunt, ſiue ad pœnam expiandam, ſiue ad alios effectus. Idque poſtulat vnitas corporis Eccleſiæ, vt membra ſe inuicem iuuare poſſint: quemadmodum membra corporis humani alia aliis proſunt: & eandem ob cauſam Prælati in Eccleſia primitiua remittebant lapſis aliquid pœnæ, intuitu precum & pœnarum eorum qui in carcere & vinculis pro Chriſto detinebantur, mortemque pro fide opperiebantur: vt colligitur ex Tertull. lib. ad Martyres cap. 1. & Cypriano lib. 3. epiſt. 15. Plura ad huius veritatis confirmationem Scripturæ & Patrum teſtimonia referunt, & expendunt Suar. diſp. 48. de Pœnit. ſect. 1. & Bellar. lib. 1. De Indulgentiis,

cap. 2. Videri etiam potest Pammel, ad locum citatum Tertulliani, num 12.

3. Sentiunt aliqui ero desse tamũ per modũ impetrationis.

De modo tamẽ quo prosun, dissensio est. Nam aliqui Recentiores putant satisfactionem vnius (excepto Christo, de quo aliter sentiendum esse nemo ambigit) non prodesse alteri satisfaciendo pro illo, & soluendo poenam ab illo debitam: sed tantùm merendo de congruo, aut impetrando vt Deus poenam illam remittat: siue immediatè, purè eo donando: siue mediatè, dando illi auxilium, quo ad usus ipse possit suis bonis operibus reatum illum extinguere. Indeque inferunt satisfactionem pro alio oblatam Deo, non minùs prodesse offerenti ad satisfaciendum pro seipso: quia non est solutio pro alio, sed pro seipso, sicut quando iustus per aliquod opus charitatis impetrat aliquid alteri, non minùs pro seipso meretur de condigno, quàm si nihil illi impetraret: quia sibi soli meretur de condigno, exhibendo suum opus tanquam pretium mercedis illi propositæ.

4. Arguũtũ huius sententiæ ex Scrip.

Probant primò ex Scriptura: *Vnusquisque onus suum portabit*, Galat. 6. &, *Vnusquisq; propriam mercedem accipiet secundum suum laborem* 1. Cor. 3. Si autem vnus pro alio satisfaceret, soluendo poenam, quam promeruit; non vnusquisque onus suum portaret: neque reciperet secundum suum laborem, id est, prout gessit in corpore suo, siue bonum, siue malum, vt ait idem Apost. 2. Cor. 5. Sed hoc argumentũ nimis probat: quia æquè militat contra Christi satisfactionem, & contra modum quo aduersarii fatentur satisfactionem vnius posse prodesse alteri: impetrando illi immediatè remissionem pœnæ debitæ. Quis autem sit verus sensus Apostoli dicemus sect. 4. in fine, vbi idem argumentum recurret.

Alia eiusdẽ argumẽta.

Probant secundò, quia nemo potest mereri alteri gratiam de condigno. Ergo neque potest satisfacere pro poena debita eius peccatis. Quia satisfactio non minùs est opus personale, quàm meritum. Sicut enim esse dignum præmio supponit aliquam dignitatem intrinsecam, & ideo nemo potest fieri dignus præmio per opus alterius sibi extrinsecum: ita non potest fieri per illud dignus vel indignus poenâ: quia dignitas vel indignitas poenæ est aliquid intrinsecum, fundatum aut in propria culpa, per quam solam fit quisque dignus poenâ: aut in immunitate à culpa, sine qua nullus potest esse indignus poenâ. Confirmatur secundò, quia debitum poenæ est debitum personale, id est, debitum pœnæ soluendæ in seipso, non in alio: nam per peccatum quisque fit dignus poena in seipso soluenda, non in alio. Ergo non potest solui per aliũ. Et quemadmodum tale debitum non potest contrahi per opus alienum, sed per proprium: ita neque solui potest, nisi per opus proprium.

5. Refutatur.

Sed hoc argumentum æquè pugnat contra satisfactionem Christi, quem tamen certum est pro peccatis nostris satisfeciſſe. Ad primam verò eius partem Respondeo, si loquatur de possibili, posse vnum alteri mereri de condigno augmentum gratiæ, æquè ac satisfacere pro poena temporali debita illius peccatis, si Deus ita ordinasset. Sicut re ipsa Christus meruit hominibus de condigno gratiam, & pro eorum poenis non modò temporalibus, sed etiam æternis, proque ipsis peccatis satisfecit. Dixi *augmentum gratiæ*: quia gratiam primam, & remissionem peccati mortalis non potest homo purus de condigno mereri sibi vel alteri, vt ostendimus disp. 2. de Incar. sect. 4. & 5. De facto tamen secundum legem & ordinationem à Deo positam non possunt homines mereri alteri de condigno, quamuis possint pro aliis satisfacere. Quia cùm meritum bonorum operum sit in ordine ad gratiam & gloriã, id est, ad sanctitatem hominis intrinsecam: debet intrinsecè disponere hominem ad illam. Satisfactio verò tendit solùm ad liberationem à poena, quæ non requirit novam sanctitatẽ intrinsecam, neque illam auget. Quare Deus conuenienter statuit vt possint iusti satisfacere pro poena ab aliis debita, licet non possint illis mereri de condigno augmentum gratiæ & gloriæ. Est & alia ratio conuenientiæ huius institutionis. Quia rectus ordo charitatis postulat vt nemo priuet se præmio meritorum de condigno, quod est beatitudo essentialis, vt illud det alteri, exhibendo sua opera: tanquam pretium illius emendæ pro aliis potiùs, quàm pro se. At non est contra rectum ordinem charitatis, quòd quis pro alio poenam subeat: maximè cùm illam subeundo ex charitate, mereatur sibi de condigno augmentum gratiæ & gloriæ.

6.

Ad primam confirmationem, Dico satisfactionem, & meritum non ita esse opera personalia ipsius merentis & satisfacientis, vt non possint aliis communicari: quemadmodum patet de meritis & satisfactionibus Christi. Cùm autem quis meretur alteri, non facit illum præmio dignum intrinsecè, sed ipse est dignus vt aliquid illi tribuatur in mercedem operis à se facti, & illi applicati. Similique modo satisfactio vnius oblata pro altero potest esse digna vt illius intuitu tollatur reatus poenæ, quâ intrinsecè dignus erat ob culpã à se cõmissam. Extincto autẽ illo reatu, non est amplius dignus poena intrinsecè: quia dignitas illa intrinseca moralis in eo solùm consistebat, quòd Deus adhuc retineret eius peccatum in ordine ad poenam aliquam exigendam: id est, retineret ius illud puniendi. Postquam autem alius plenè soluit pro illo, Deus non amplius peccatum illud retinet, vt poenam exigat.

Ad secundam confirmationẽ Respondeo similiter debitum poenæ non esse eo rigore personale, vt non possit per alium solui: sed per peccatum quemlibet fieri reum poenæ in seipso soluendę, nisi alius velit pro eo

ſoluere, & Deus velit ſolutionem illius acceptare. Et quanquam non eſt verum, abſolutè loquendo, non poſſe contrahi debitum poenæ per opus alienum, ſed per proprium: nam peccatum Adæ conſtituit omnes poſteros debitores poenæ. Maior tamen eſt ratio, vt vni ignoſcatur propter ſatisfactionē alterius, quàm vt vnus puniatur propter peccatum alterius.

7. Probatur prodeſſe per modū ſatisfactionis.

Hac igitur ſententia reiecta, dicendum eſt ſatisfactionem vnius poſſe aliis prodeſſe, etiam per modum ſatisfactionis, ita vt vnus pro alio verè & propriè ſatisfaciat, id eſt, ſoluat poenam temporalem debitam ipſius peccatis. Ita D. Thom. in 4. diſt. 20. q. 1. a. 2. quæſt. 3. Bonauentura ibidem 2. parte diſtinctionis, a. 1. quæſt. 1. Richardus art. 1. q. 3. Durandus q. 2. Paludan. q. 3. concluſ. 3. Gabriel diſt. 16. quæſt. 2. art. 3. dub. 8. Sotus diſt. 19. quæſt. 2. art. 4. concl. 1. Medina tract. 3. De ſatisfactione, quæſt. 2. Caiet. to. 1. opuſc. tract. 16. q. 1. & 5. Bellarm. lib. 1. de Indulg. cap. 2. propoſ. 2. Suarez diſp. 48. De Pœnit. ſect. 2. Aegid. Con. diſp. 10. dub. 7. Delugo diſp. 26. ſect. 1. & alii communiter. Quibus accedit catechiſmus Pii V. in fine diſcurſus de ſacram. Poenit. Vbi ſic habet: *In eo ſumma Dei bonitas & clementia maximis laudibus, & gratiarum actionibus prædicanda eſt, qui humanæ imbecillitati hoc condonauit, vt vnus poſſit pro alio ſatisfacere.* Intelligit autem ſatisfacere verè & propriè, id eſt, poenam ab alio debitam ſoluere. Tum quia vox ipſa ſatisfaciendi id ſonat, ideóque non dicūtur Beati ſatisfacere pro nobis, quamuis multa nobis impetrent, & mereantur de congruo, eóque magis, quò ſunt Deo gratiores. Tum etiam quia ibidem addit paulò poſt, declarans modum quo vnus poteſt ſatisfacere pro alio: *Qui diuina gratia præditi ſunt, alterius nomine poſſunt quod Deo debetur perſoluere. Quare fit vt quodam pacto alter alterius onera portare videatur.* Ac denique aſſerit hanc rem adeo certam eſſe, vt in dubium reuocari non debeat: *Neque verò*, inquit, *de hoc cuiquam fidelium ambigendi locus relictus eſt, qui in Apoſtolorum ſymbolo, ſanctorum communionem profitemur.*

8. Cōmunicatio inter fideles.

Quibus poſtremis verbis attingit præcipuum fundamentum huius ſententiæ: nempe communicationem quæ debet eſſe in Eccleſia inter fideles, velut inter membra vnius corporis myſtici, quanta conuenienter eſſe poteſt. Eſt autem valde conueniens, & conſentaneum ordini charitatis, cuius vinculo maximè vniuntur fideles, vt vnus poſſit pro alio ſatisfacere: id eſt, vnius poenæ & afflictiones oblatæ pro alio à poenis liberando, poſſint ad illum finem illi prodeſſe, Deo acceptante. Neque dubium eſt potuiſſe Deum ſic acceptare, & conſtituere in Eccleſia hunc ordinem, & modum communionis, mutuique auxilii inter fideles. De facto autem inſtituiſſe colligitur ex communi ſenſu Doctorum omnium Catholicorum, exceptis paucis Scholaſticis recentioribus, ita vt ille communis ſenſus Eccleſiæ meritò dici poſſit. Et confirmatur ex alio dogmate fidei, quòd ſcilicet ſatisfactiones Chriſti & Sanctorum poſſint fidelibus defunctis applicari per modum ſuffragii, vt fit per indulgentias, atque ita poſſint animæ fidelium à poenis relaxari. Item ex eo quòd ſenſus communis fidelium eſt, non modò preces, & ſacrificium, ſed etiam eleemoſynas & alia pia opera fidelium, poenaſque ab illis voluntariè ſuſceptas, prodeſſe defunctis ad poenarum relaxationem. Si enim poſſunt prodeſſe per modum impetrationis, aut meriti de congruo: quidni etiam per modum ſolutionis? cùm facilius ſit relaxare debitum intuitu ſolutionis conſignæ, aut æqualis, per alium exhibitæ; quàm purè illud condonare intuitu precum alterius, aut deſiderii vt id fiat.

6. Probatur etiam prodeſſe defunctis.

Quòd autem profint orationes & pia opera fidelium defunctis, non modò conſtat communi ſenſu fidelium, ſed eſt fidei dogma ſumptum ex Scriptura 2. Machab. 12. in fine, Tobiæ 4. v. 18. & 1. Cor. 15. v. 29. traditumque à Concilio Carthaginenſi 4. cap. 79. Lateran. ſub Innocentio III. cap. 66. Trident. ſeſſ. 25. in Decreto de Purgatorio, initio, & Florentino in Lit. vnionis, vbi dicitur, *Defunctis, vt à poenis relcuentur, prodeſſe viuorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, & eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri conſueuerunt.* Si autem poſſunt prodeſſe mortuis, par eſt ratio vt poſſint etiam prodeſſe viuis, ſi pro illis offerantur: quia maiorem habent cum illis coniunctionem, cùm ſint membra eiuſdem Eccleſiæ militantis, & viſibilis Reipublicæ Chriſtianæ.

10.

Hue pertinet illud Apoſtoli Coloſſ. 1. *Gaudeo in paſſionibus meis pro vobis, & adimpleo quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore eius quod eſt Eccleſia.* Cuius loci ſenſus eſt, non tantùm quòd Paulus multa pateretur pro applicandis Chriſti paſſionibus corpori Eccleſiæ, quam in fide inſtruebat, & in virtutibus Chriſtianis promouere conabatur: ſed etiam quòd ipſe *adimpleret paſſiones Chriſti in carne ſua*, id eſt, Chriſtus in ipſo, velut ſuo membro, multa pateretur, ſuiſque paſſionibus adderet Pauli paſſiones, *pro corpore eius quod eſt Eccleſia*: hoc eſt, vt illæ paſſiones prodeſſent Eccleſiæ, & ad communem vtilitatem conferrentur. Quia licet paſſiones Chriſti ſatis ſuperque ſufficerent: voluit tamen ſanctorū quoque & fidelium ſatisfactiones ad hunc finem adiungi, & prodeſſe. Quem ſecundum ſenſum huius loci agnoſcunt D. Thomas, & Anſelmus in locum Apoſt. cit. & S. Auguſt. in pſal. 61. vbi inter alia ſic ait aliquantò poſt initium: *Patitur Chriſtus in membris ſuis, id eſt, in nobis ipſis, ad communem hanc quæſtionem publicam: nam quiſque pro modulo noſtro exoluimus quod debemus: & pro poſſe virium noſtra-*

ssat obligatio huius legis de irregularitate quæ omnium iudicio est merè Ecclesiastica. Idemque sentiendum est de illo qui occidit ob quemuis metum qui dicitur cadere in constantem virum, propter easdem rationes. Nam talis non eligit homicidium sponte, sed coactè: neque intendit vindictam, sed sui ipsius, aut rerum suarum defensionem: propter quam etiam licitum est propria manu occidere in casu necessitatis, & cum moderamine inculpatæ tutelæ, sine periculo irregularitatis, vt mox dicemus. Ergo multò minùs erit ille irregularis, qui tantùm est testis, vel ludex in causa criminali, cogente eadem necessitate.

82. Vel clerici assistentes supplicio reorum?

Sunt qui dicunt clericos assistentes supplicio reorum fieri irregulares, ob Canonem, *Sententiam sanguinis*, Ne clerici, vel Monachi, vbi illis id prohibetur: & caput *Ex literis*, De excessibus Prælatorum, vbi assistentibus imponitur irregularitas. Verùm hæc prohibitio sit tantùm illis, qui non assistunt causâ pietatis. Et licet Canon absolutè loquatur, restringendus tamen putatur à Nauarro, Siluestro, Angelo, & aliis ad clericos existentes in sacris: in quibus etiam culpa leuis est secluso scandalo: neque vnquam incurrunt irregularitatem, si purè tantùm assistunt, sine vllo genere cooperationis, authoritatè præbendo supplicio, vel aliter; nam de solis cooperantibus loquitur caput *Ex literis*, suprà citatum.

83. Vel medici, chirurgi, & similes.

Similiter non est irregularis ex defectu lenitatis, ille, qui mortè accelerat ex charitate, per accidens, & contra ipsius intentionem: puta subleuando ægrotum ex commiseratione, & curam illius gerendo ex officio, vel ex misericordia. Neque medici, vel chirurgi, aut qui eos iuuant ad secandum membrum putridum ægroti, etiamsi mors sequatur absque eorum culpa: vt de medicis, & chirurgis dicitur cap. *Ad aures*, De ætate, & qualitate ordinandorum. Cooperatores autem non sunt deterioris conditionis hac in parte, quàm causa principalis. Ratio est, quia non est defectus lenitatis, sed potiùs excessus, & opus misericordiæ. Item neque ille qui cum moderamine inculpatæ tutelæ mutilat, vel occidit, vt vitam suam tueatur, vel res suas magni momenti, vel vt alium innocentem, aut patriam defendat contra iniustos aggressores. Vnde non est irregularis laicus, aut etiam clericus, qui propria manu occidit in bello iusto, dummodo non sit aggressiuum, sed defensiuum, & necessarium: aut qui præest tali bello, vocat milites, & ordinat, dat arma, & per eos occidit iniustos aggressores: vt bene probant Suar. disp. 47. de Censur. sect. 6. initio, post Couarr. in Clementinam *Si furiosus* 2. parte, §. 3. n. 2. in fine, & alios quos citat. Quorum ratio præcipua est, quia his omnibus modis potest iustè defendere causam publicam. Nam si ex omniũ consensu non est irregularis, qui occidit vt vitam suam tueatur contra iniustum inuasorem, cum moderamine inculpatæ tutelæ, aut etiam vt tueatur res suas magni momenti: multò minùs qui pro publica causa defendenda interficit cum simili moderamine, id est, adactus necessitate ad pugnandum pro defensione reip. contra iniustos aggressores.

Vel qui se defendunt, aut occidũt in bello iusto.

84. Neque obest caput *Petitio tua*, De homicidio. Nam loquitur de pugna agressiua, vt bene aduertit Suar. sect. cit. num. 4. Non sunt quoque irregulares, qui in bello iusto, licet offensiuo, seu aggressiuo, hortantur generaliter ad pugnandum, aut etiam vt addit Aegid. Coninc, ad occidendum; modò non excitent ad aliquem in particulari interficiendum. Neque pugnantes in tali bello, quamuis sint Clerici, dummodo non occidant, vel mutilent: vt communiter tenent Doctores, probantque ex cap. *Petitio*, suprà cit. Secus autem si in bello iniusto. Quia tunc cooperantur ad homicidium, aut mutilationem iniustam. Sed hæc irregularitas tam cooperantium, quàm ipsorum occidentium, aut mutilantium, incurritur tunc ex delicto, non autem ex solo defectu lenitatis, de quo nunc loquimur. Notandum etiam hoc homicidium fore casuale, & faciliùs dispensabile, si occidantur tantùm aliqui ex commilitonibus ipsius cooperantis, seu militantis in bello iniusto: directè verò, & perfectè voluntarium, si aliqui ex hostibus: nam illius actio, & cooperatio ad hoc per se tendit.

85. Vel causæ non principales.

Addũt aliqui recentiores Irregularitatem ex defectu lenitatis non incurri non modò ab illis, qui per accidens remotè tantùm concurrunt ad homicidium iustum, vt qui facit, aut vendit funem, aut gladium, quo reus est interficiendus, qui agit equos & rhedam, quâ ducitur ad supplicium, aut confessarius negans reo absolutionem, nisi crimen fateatur iudici: verùm etiam neque ab aliis, qui per se influunt, nisi sint causæ principales, vel exequentes: quia de aliis nullus est canon. Nam ille qui communiter citatur in contrarium, nempe Canon *Si quis viduam*, dist. 50. non loquitur de hoc homicidio, quod est sine peccato, sed de homicidio voluntario cum peccato mortali. Pœnæ autem constitutæ contra homicidium absolutè, nunquam intelliguntur nisi de vero, & proprio homicidio, cuiusmodi est illud tantùm quod fit cum peccato mortali, vt post S. Augustinum, & D. Thomam docent communiter Theologi, quorum plurimos citat Henriq. lib. 41. cap. 9. §. vlt. lit. L. & in finita sequerentur absurda, si quidquid dicitur in canonibus de homicidio voluntario, intelligeretur de iusto homicidio. Idem etiam patet ex cap. finali de clericis pugnantibus in duello, vbi repetitur idem canon, est q; sermo de homicidio iniusto cum peccato. Denique ille qui in bello iusto etiam pugnat cum illis, qui multos interficiunt, modò ipse propria manu nullum occidit, aut mutilet, non fit irregularis, vt supra

diximus: & tamen talis procul dubio iuuat: & plus est pugnare, & vulnerare, quàm tantùm consulere. Imò illi qui pugnant, solent alios ad pugnam excitare, vel præcipere vt pugnent: & nihilominus non sunt irregulares, si bellum est iustum. Igitur qui tantùm cooperantur iusto homicidio, non sunt irregulares. Hæc illi, quorum sententia non est improbabilis, licet contraria sit communiùs recepta.

86. Irregul ex defectu bonæ famæ.

Superest nona & vltima species irregularitatis, quæ oritur ex defectu bonæ famæ, seu potiùs ex infamia. Nam infames sunt irregulares, & tam à promotione, quàm ab exercitio Ordinum repelluntur cap. *Laici*, dist. 33. cap. *Qui in aliquo*, Dist. 51. & cap. Infames, 6. q. 1. Cùm autem duplex sit infamia, vt supra notauimus sect. 2 num. 15. & vna ex illis oriatur ex delicto infami, alia sine delicto, ex aliquo vili officio: nota irregularitatẽ quæ oritur ex peccato infami pertinere potius ad primam speciem irregularitatis ex delicto, de qua diximus sect. præcedenti. Alias verò, quæ oriuntur ex infami officio, vel facto sine peccato, esse proprias huius loci. Plura de illis videri possunt apud Tolet. lib. 1. cap. 56. aliàs 62. & Suar. tota disp. 48.

SECTIO VII.

De causis, & effectibus Irregularitatis.

87. Causa efficiens irregul. est ius canon.

CIrca primum dico primò, causam efficientem Irregularitatis non esse aliam, quàm ius positiuum ecclesiasticum per quod statuitur. Probatur ex cap. *Is qui*, De sentent. Excommunic. in 6. vbi dicitur non incurri irregularitatem, nisi in casibus à iure expressis; eiique ibi sermo de jure Canonico, vt omnes exponunt. Patet etiá ex definitione irregularitatis communiter receptâ, quâ dicitur esse *impedimentum canonicum* &c. vel, *inhabilitas iure ecclesiastico introducta* &c. Confirmatur, quia si quæ alia foret illius causa, deberet esse ius naturale, vel diuinum: nam ius ciuile non potest inducere irregularitatem. Quamuis autem iure naturali, siue ex sola rei natura, quædam sint impedimenta ad ministerium sacrorum Ordinum, vt cæcitas, vel ægritudo ad celebrandum Missæ sacrificium; & peccatum mortale ad sacramentorum administrationem: sit etiam quædam indecentia ex natura rei, quòd ad sacros Ordines admittantur homines notabiliter deformes, aut illiterati, & incapaces eos conuenienter exercendi. Hæc tamen omnia non habent rationem irregularitatis, neque penitùs excludunt à susceptione Ordinum, vel ab eorum vsu, nisi accedente constitutione Ecclesiæ. Licet etiam in lege veteri fuerint aliquæ irregularitates iure diuino statutæ: illæ tamen, cùm ad leges cerimoniales pertinuerint, fuerunt æquè ac iudiciales, à Christo abrogatæ. Ac nequidem morales ius naturale explicantes, & confirmantes, obligant Christianos vi illius antiquæ legislationis, vt alibi ostendimus. In lege autem noua Christus non alia præcepta merè positiua dedit, quàm quæ ad fidem, & sacramenta pertinent: cætera permisit prudentiæ Apostolorum, & Prælatorum Ecclesiæ, iuxta illud 1. Corinth. 11. *Cætera autem cum venero disponam.* Quare licet tempore ipso Apostolorum fuerint aliquæ irregularitates, vt colligitur ex epist. 1. ad Timoth. cap. 3. *Vnius vxoris virum*: & ex can. 17. & 18. Apostolorum: & ex cap. 2. De bigamis, illæ tamen non à Christo iure diuino, sed ab Apostolis iure tantùm ecclesiastico institutæ fuerunt,

88. Ius autem ecclesiasticum, quo statuitur irregularitas, non est aliud quàm Canonicum commune toti Ecclesiæ: non autem ius alicuius Episcopi, aut Concilii Prouincialis, aut Nationalis; nisi approbetur à Summo Pontifice, & illius authoritate fiat ius Canonicum, & vniuersale, vel à tota Ecclesia recipiatur vt tale. Id enim significant verba cap. *Is qui*, sup. cit. dicentis nullam irregularitatem incurri, quæ in iure non exprimatur. Nam hoc nomen *Ius*, absolutè prolatum, iuxta phrasim Iuris Canonici, non significat ius particulare alicuius Ecclesiæ, vel prouinciæ, aut nationis, quod potius statutum Episcopi, aut Synodale, vel Prouinciale appellat, vt videre est in cap. 2. De constitut. in 6. aliisque locis. Ratio verò cur Summus Pontifex hoc sibi reseruauit, est quia omnis irregularitas statuitur propter quandam indecentiam recipiendi, aut exercendi Ordines, ortam ex delicto, vel aliunde, & propter reuerentiam illis debitam. Quæ res magni momenti est, & ad totam Ecclesiam spectat; ideóque reseruatur Summo Pontifici, iuxta caput *Maiores*, De Baptismo, & eius effectu.

89. Quid intelligendũ nomine iuris Canon.

Nomine autem iuris Canon. intellige Ius Pontificium scriptũ, siue in corpore Iuris Canonici, quod magis propriè vocari solet ius Canonicum: siue in aliis Summorum Pontificum Decretis, aut Conciliis approbatis ad ius commune constituendum, obligans totam Ecclesiam. Sufficit enim irregularitatem in aliquo tali iure esse expressam. Sed vt dicatur in illo esse expressa, debet ferri in propria specie talis casus, vel delicti: neque sufficit inferri solùm per argumentum à pari, vel à simili, vel à consuetudine, aut Doctorum interpretatione, & extensione: vt colligitur ex cap. *Is qui* sup. cit. vbi dicitur non esse irregularem, eum qui celebrat in Ecclesia polluta, quia id non est in iure expressum. Quamuis ille qui celebrat in Ecclesia interdicta sit irregularis, & casus sit valdè similis. Non sufficit quoque probabiliter in eo contineri, si contrarium quoque probabile est, suntque de eo diuersæ auctorum sententiæ, ita vt viri graues, & docti aut negent, aut dubitent. Quid autem in du-

bio iuris, aut facti, circa irregularitatem faciendum sit, siue ante opus, siue post oriatur, patet ex dictis supra, sectione prima, num. 3. & 4. Nimirum non esse habendum pro irregulari eum, de quo post sufficientem inquisitionem id dubium manet: neque debere se quemquam pro irregulari gerere, vel pro tali haberi: siue in foro externo, siue etiam interno, quod non discrepat ab externo, nisi quando istud nititur præsumptione præter rei veritatem secretò notam.

90. Causa finalis irregul.

Dico secundò, causam finalem irregularitatis, siue rationem propter quam fertur, esse reuerentiam Ordinum ecclesiasticorum, & status clericalis; ne quis indecenter ad illos admittatur, vel eorum ministeria exerceat. Quæ indecentia oritur aliquando ex propria culpa ipsius irregularis: aliquando ex aliquo eius defectu inculpabili. Vnde oritur generalis diuisio irregularitatum, in eas, quæ incurruntur ex delicto, & alias quæ ex defectu sine culpa: quæ diuisio quatuor præcedentibus sectionibus explicata fuit. Supereſt tantùm aduertere circa eas, quæ oriuntur ex delicto, nunquam incurri ob delictum purè mentale, & internum, nisi sequatur opus externum, vt cum D. Thoma 1. 2. quæst. 20. a. 5. ad 4. docent communiter Theologi & Canonistæ; quia nulla lex ecclesiastica id statuit: ac neque statuere potest, propterea quòd actus purè interni non subsunt humanæ iurisdictioni. Et vt ad idem propositum ait Alex. Papa epist. 1. cap. 2. relatus Causâ 15. q. 6. cap. *S quandoque*, *Non potest humano condemnari examine* (neque puniri per irregularitatem, aut censuras ecclesiasticas) *quem Dominus suo reseruauit iudicio*. Item, nisi lex aliud exprimat, debet intelligi de actu externo perfecto, & consummato in sua specie, vt diximus alibi de Censuris in genere: ac quæcunque excusant actum externum à culpa mortali, excusant etiam ab irregularitate ex delicto; vt ignorantia, vel inaduertentia, necessitas vitandi graue aliquod malum præponderans obligationi legis ecclesiasticæ, quæ non obligat cum tanto rigore; & alia similia.

91. Quali ex re cato incurratur?

Addunt aliqui quos refert Suar. disp. 40. sect. 3. num. 19. requiri ad irregularitatem vt peccetur ex contemptu & dolo. Quod non est verùm, nisi per contemptum, & dolum latè sumptum, intelligant contumaciam latæ culpæ. Nam vt sect. 3. ostendimus, irregularitas ex delicto homicidii incurritur propter negligentiam latæ culpæ in vitando illius periculo: quæ tamen non est contemptus, neque dolus formalis, & proprièdictus. Verumtamen, vt ait Abbas in cap. *Quæsitū*, De Pœnitentiis & Remissionibus num. 2. *Quantum ad irregularitatem, lata culpa æquiparatur dolo. Nam studiosa negligentia dolo comparatur, & inducit irregularitatem, quia videtur affectare delictum ex tanta negligentia.* Eodemque sensu fortè loquuntur Nauar. & alii, quos pro contraria sententia allegat Suar. loco cit. ita scilicet vt contemptum, & dolum latè sumant.

92. Verum quoq; non est quod dicit Alfons. à Castro lib. 2. De lege pœnali cap. vlt. concluſ. 3. requiri ad incurrendam irregularitatem, vt peccatum externum non sit occultum per accidens, sed aliquo modo probabile. Nam contrarium satis apertè traditur cap. *Nisi cum pridem*, De renunciatione, versu *Personæ verò irregularitas*, his verbis. *Si tamen culpa latet*: & non obscurè supponitur à Trident. sess. 24. cap. 6. De Refor. dante facultatem Episcopis dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto. Estque planè voluntaria hæc limitatio, ac sine fundamento; cùm iura loquátur absolutè, & ius infligens irregularitatem ipso facto, secum ferat executionem, neque egeat probatione delicti, & inquisitione iudiciali, neque sententiá declaratoriá criminis, vel executiuá pœnæ. Loquor autem de delictis, quibus per se annexa est irregularitas, non autem ratione infamiæ, quæ sine aliqua publicatione, & notorietate non incurritur, iuxta ea, quæ diximus sect. 2. num. 14.

93. Causa subiectiua irregularitatis

Dico tertiò, causam materialem Irregularitatis, siue subiectum illius capax, esse quicunque est capax Ordinis, & subiectus legibus Ecclesiæ; id est, quemlibet hominem baptizatum, excepto Summo Pontifice. Ratio primæ partis, est quia irregularitas est impedimentum canonicum, siue inhabilitas iure ecclesiastico inducta suscipiendi Ordines, & exercendi susceptos; nimirum quá illi, qui licet aliunde iure naturali, vel diuino sunt illorum capaces, fiunt tamen per Ecclesiam inhabiles, & prohibentur ne accipiant, vel acceptis vtantur, propter aliquam indecentiam ex delicto, vel defectu inculpabili prouenientem. Secunda verò liquet ex eo quòd Summus Pontifex non subest iuri Canonico, cùm sit Princeps supremus Ecclesiæ. Quare falluntur qui putant eum fore irregularem, si manu propria quempiam occideret. Nam licet in eo casu deberet abstinere à celebrando, & ab officiis sacris, propter scandalum, donec illud abstulisset, & peccatum expiasset: non tamen esset illud impedimentum vi iuris ecclesiastici, quo non potest constringi, cùm Princeps non subsit virtuti coactiuæ legis à se latæ, vel à suis prædecessoribus. Ac si contingeret fuisse irregularem antequam eligeretur, conscius electoribus, & propterea peccantibus in tali eligendo; desineret tamen esse irregularis statim atque electus esset: quia non ampliùs ligatur iure Pontificio quoad vim coercitiuam: & sicut non potest contrahere nouam irregularitatem, ita neque priùs contractam retinere.

94. Modus quo fertur

Quartò, quod attinet ad causam formalem irregularitatis, siue ad modum, quo fertur, difficultas præcipuè consistit in explicando quibus verbis soleat in iure statui. Qua de re fusè, & accuratè tractat Suarez. disp.

disp. 40. sect. 8. vbi docet, Cùm nulla sit irregularitas, quæ non habeatur in iure expressa, duo ad illius expressionem sufficientem necessaria esse. Primò scilicet, vt verba Canonis, aut legis significent pœnam, vel impedimentum canonicum ipso facto incurrendum, nullâ expectata sententiâ, ne quidem declaratoriâ criminis: quia irregularitas non aliter imponi solet. Secundò, vt verba, quibus tale impedimentum, vel pœna statuitur, significent propriè, & in specie hoc impedimentũ, quatenus ab aliis distinguitur. Nam alioqui non satis illud exprimunt: & ex omnium cõsensu, nulla est admittenda irregularitas, nisi sit in iure expressa. Dupliciter autem possunt illud significare. Vel scilicet vtendo proprio nomine irregularitatis: & tunc res caret difficultate: sed ius antiquum vix illo non inevtitur. Vel 2. per aliquam circumlocutionẽ: & tunc non est adeo facile discernere quando nam imponatur, & sufficienter exprimatur irregularitas: quia sæpe huiusmodi verba possunt ad aliud impedimentum referri. Ad hoc autem discernendum possunt hæ regulæ iuuare à Suare traditæ ibidem.

95. Regulæ quib. cognosci possit.

Prima est: Quando verba legis non significant pœnam ipso facto incurrendam, sed requirunt sententiam iudicis vt imponatur, non loquuntur de irregularitate: quia, vt iam dixi, hæc nunquam fertur per sententiam. Quibus autem verbis pœna, vel impedimentum significetur incurri ipso facto, expoſuimus disp. 58. sect. 2. nu. 17. Notandum verò est, quod licet irregularitas ipso facto incurratur; pertinet tamen ad officium Prælati efficere vt non violetur. Quare Canones possunt interdum loqui de huiusmodi executione. Sed tunc ex aliis verbis legis debet cõstare sermonẽ ibi esse de illa, & vel per eandem legem, vel per alia iura debet esse statuta, & expressa talis irregularitas.

96. Secunda regula: Quando verba legis sunt de futuro, non satis exprimunt irregularitatem, nisi vel illam diserte significent, vel aliquid aliud addant sufficienter determinans ad talem significationem: Vt si lex dicat: Quisquis hoc fecerit, erit irregularis, aut, fiet irregularis: Nemo illum ordinet: Ad clerum non admittatur: qui duo postremi loquendi modi, tametsi non vtuntur nomine ipso irregularitatis, tamen illam satis determinãt: sicut iste, Si quis hoc fecerit, nemo cum illo communicet, sufficienter exprimit excommunicationem latæ sententiæ. Significant enim aliquod impedimentum ipso facto cõtractum, propter quod alii cum illis communicare nequeunt, vel eos ad Ordines, aut ad Clericatum admittere. Si autẽ nihil tale addatur, non est sufficiens fundamentum existimandi irregularitatẽ in poni potiùs, quàm suspensionem, vel aliud impedimentum. Vt cap. *Si quis Episcopus* 1. q. 1. vbi de Episcopo, qui per pecuniam ordinationem fecerit, dicitur, *Proprii gradus periculo subiacebit*: quæ verba ad Suspẽsionem non minùs quam ad irregularitatem referri possunt, debẽtque potiùs de illa intelligi, vt indicant verba Concilii Chalcedon. Act. 15. Can. 2. ex quo caput illud desumptum est, quæ ita habet: *Is qui hoc attentare probatur fuerit (in indebito scilicet) proprij gradus periculo subiacebit.* Quare requirunt iterũ etiam iudicis, & item declaratoriam criminis: quæ ad irregularitatem incurrendam minimè requiruntur. Item dicendum est de aliis canonibus, qui directè tolum prohibent executionem Ordinum: vt caput 1. *De ordinatis ab Episcopo, qui renunciauit episcopatui*: vbi de promoto ad sacros Ordines per talem Episcopum, dicitur, *Ecclesiasticum officium non habebit*: quod in rigore non amplius significat, quàm Suspensionem; debetque ita illa intelligi, quia in pœnis benignior est interpretatio facienda: & legi pœnali non plus concedi debet, quàm verba strictè sumpta exigunt. Alia exempla profert, & expendit Suar. sect. cit. nu. 5. & seqq. quæ apud ipsum legi possunt. *Reg 49. de regulis Iuris in 6.*

97. Tertia regula: Quando verba legis statuunt priuationem Ordinum, vel vsus illorum, ipso iure incurrendam ex vi verborum; non propterea debent intelligi de irregularitate, nisi vel expressis verbis, vel aliis sufficientibus indiciis id significetur. Ratio est, quia Suspensio perpetua, vel depositio, quamuis distinguatur ab irregularitate, frequenter tamen in iure vocatur Ordinum priuatio. Quare nomen illud de se ambiguum est, & per illud solum non potest dici expressa esse irregularitas: cùmque in pœnis mitior pars sequenda sit, debet potiùs intelligi de Suspensione, quæ minor pœna est. Exempla huius rei habentur Can. 15. Apost. vbi de Presbytero, aut Diacono migrante ad alienam parochiam, vel in ea commorante sine licentia sui Episcopi, dicitur, *Hunc vlteriùs ministrare non patimur*: vel vt habet alia lectio, *Eum non amplius celebrare iubemus.* Et cap. *Tongalum* 11. quæst. 3. vbi de Episcopis communicantibus cum excommunicatis sic dicitur: *Omnimodis iubemus sacerdotii officio penitùs alienos*: quæ verba magis Suspẽsionem perpetuam, vel depositionem, quàm irregularitatem significant: idque indicant verba paulò post sequentia, *Prædictis autem depositis licentiam concedimus Ecclesiam ingrediendi*, &c.

98. Quarta regula: Quando priuatio Ordinũ, vel vsus illorum imponitur sine culpa, quamuis non sine causa; signum sufficiens est, sermonem esse de irregularitate, cuius propriũ est inter omnia impedimenta canonica Ordinum, aut vsus illorum, vt contrahatur sine culpa. Nam suspensio, aut depositio non incurritur sine illa: ac ne quidẽ, vt probabilius alibi esse diximus, suspensio statuta contra eos, qui ordinantur ab Episcopo excõmunicato, aut suspẽso, non tolerato; vel ab eo qui renunciauit Episcopatui. Quamuis multi cõtrarium sentiant, iuxta quos hæc vnica exceptio ab hac regula generali faciẽda est. Dixi autem, quando priuatio Ordinum, vel vsus illorum imponitur: quia sunt aliæ quædam in-

habilitates ad Beneficia ecclesiastica, vel ad Prælaturas, quæ possunt etiam sine culpa incurri: vt patet ex cap. 1. *De filiis Presbyterorum*, aliisque pluribus eodem tit. tametsi non sunt propriè irregularitates: quia irregularitas propriè est circa Ordines suscipiendos, aut exercendos, vt diximus sect. 1.

99. Quinta regula: Quando per legem statuitur impedimetum Ordinibus, commune laicis & clericis, signum est esse irregularitatē. Quia non potest esse suspensio, aut depositio, cùm hæ sint propriæ clericorum. Nullum est autem aliud impedimentum canonicum Ordinum præter hæc tria. Adde quòd impedimentum Ordinum commune laicis, perpetuò priuat illorum susceptione. Hoc autem est proprium irregularitatis: nam Suspensio, & Depositio, priuant tantùm illorum vsu. Et hæc regula tunc clarior est, quando verba legis significant directè impedimentum generale susceptionis Ordinum, aut status clericalis: vt quando dicitur can. 17. Apost. *Si quis post baptisma secundis nuptiis fuerit copulatus, aut concubinam habuerit, non potest esse Episcopus, non Presbyter, aut Diaconus, aut prorsus ex numero eorum, qui ministerio sacro deseruiunt.* Et Can. 18. idem dicitur de eo, qui viduam, aut eiectam acceperit. Et can. 19. *Qui duas in coniugium sorores acceperit, &c. clericus esse non potest.* Et can. 22. *Si quis abscidit semetipsum, non fiat clericus.* Et can. 60. vbi de fornicario, vel adultero conuicto, statuitur vt ad clerum non promoueatur. Et can. 78. de Energumenis sic dicitur: *Si quis dæmonem habeat, clericus non efficitor*: nisi postquam mundatus fuerit, si dignus eo gradu inueniatur: vt additur ibidem paulò post. Et cap. 1. *De clerico non ordinato ministrante*, de quocunque non ordinato fictè ministrante statuitur, vt nunquam ordinetur. Et cap. *Curandum*, dist. 34. vbi de eo qui duxit vxorem non virginem dicitur, *Non aspiret ad Ordines*, propter impedimentum scilicet exbigamia contractū. Non sufficeret tamen dicere, *sit sacerdotio priuatus*, nisi ex subiecta materia constaret sacerdotium ibi latè sumi pro toto statu clericali, quemadmodū fit in cap. *Mi or*, dist. 50. vbi statuitur irregularitas propter homicidium, & aliquot aliis locis. Atque hæc sufficiāt de causis irregularitatis.

100. Effectus irregularitatis. Iam de illius effectibus fusissimè disputat idem auctor qui suprà, disp. 40. sect. 2. Sed summa est, quòd priuet actu Ordinis, & non iurisdictionis: quódque prohibeat susceptionem Ordinum, & vsum susceptorum, vt diximus explicando definitionem irregularitatis. Quare irregularis illicitè quidem recipit Ordines: illicitè quoque facit ea omnia, quæ necessariò requirunt potestatem alicuius Ordinis, vt validè, aut licitè fiant: Secus verò quæcunque illam non requirunt, dummodo nullum aliud impedimentum habeat. Potest itaque licitè suscipere alia sacramenta, præter Ordinem; & exercere actus minorum Ordinum; atque aliquos maiorum eo modo, quo solent exerceri à laicis, quia vt sic non sunt vsus Ordinis; & exercere quoscunque actus iurisdictionis præter absolutionē sacramentalem, & realem degradationem: quarum illa est actus Ordinis sacerdotalis ex institutione Christi: ista ex Ecclesiæ constitutione includit vsum Ordinis Episcopalis, vt diximus disp. 60. sect. 3. Non priuatur etiam beneficio iam adepto, eiusq; fructibus, dūmodo per se, vel per alium exequatur officium. Si tamen officium obliget ad aliquos actus ipsi prohibitos, debet eo priuari, cap. *Si celebrat, De clerico excommunicato*, aut illud resignare, nisi breui dispensationem obtineat. Loquor autem de Beneficio iam adepto: non autem de acquirendo: nam collatio Beneficii facta irregulari sine dispensatione, est inualida, vt diximus nu. 5. cum communi sententia, cui pauci refragantur. Quamuis autem irregularis illicitè exerceat actus Ordinis, valide tamen exercet, modò non desit illi iurisdictio respectu actuum, qui illam requirunt. Atque ita parochus v. g. licet irregularis, validè absoluit subditos à peccatis, vt cum aliis communiter rectè docet Suar. disp. 40. sect. 2. n. 45.

SECTIO VIII.

A quibus, & quomodo tolli potest irregularitas?

SVperest dicere de modo quo tollitur irregularitas. De quo breuiter dico, Irregularitatem per defectum ætatis, tolli & desinere seipsa, hoc ipso quòd ætas legitima superuenit. Quando enim præmaturè ordinatus attingit ætatem debitam, desinit esse irregularis, potestque exercere Ordinem priùs susceptum: nisi tamen antea scienter exercuerit: nam tunc incurrit excommunicationem, aut Suspensionem, vt alibi diximus. Similiter irregularitas ex defectu scientiæ desinit hoc ipso, quòd scientia necessaria acquiritur: & aliæ irregularitates, quæ oriuntur ex aliquo defectu temporaneo, cessante penitùs illo defectu, cessant etiam ipso facto sine vlla dispensatione. Exempli gratiā, si amens recuperet sanitatem; Si energumenus planè liberetur à possessione dæmonis; si tremulus manibus, planè conualescat; si infamia facti penitùs cesset. De quibus vide Tolet. lib. 1. cap. 63. & Suar. disp. 41. sect. 1. num. 6. & 7. vbi addit idem sentiendum esse si lex ferens irregularitatem penitùs abrogetur: puta lex statuens illegitimos esse irregulares. Tunc enim neque fierent irregulares qui deinceps nascerentur ex concubitu illegitimo: neque qui ante abrogationem nati sunt, pergerent esse irregulares, sublata iam legali illa indecentia respectu Ordinum.

101. Quædam irregul. desinunt per seipsas.

102. Aliæ omnes irregularitates vno ex his tribus modis tolluntur: per Baptismum, vel per ingressum Religionis, vel per dispensationem, eamq; vel Papalem, vel Episcopalē:

Digitized by Google

& proximè, vel remotè: id eſt, vel per ipſoſmet Prælatos, vel per alios ab illis delegatos.

Alix tollũtur, per baptiſmum.

Per Baptiſmum tollitur omnis irregularitas proueniens ex delicto, etiam quæ oritur ex ſequela peccati, vt ex infamia: & illa, quæ oritur ex defectu lenitatis, & ex defectu natalium; atque etiam irregularitas bigamiæ interpretatiuæ, quæ naſcitur ex copula illicita citra matrimonium verum, aut præſumptum: ac denique illa quæ oritur ex defectu bonæ famæ. Tollitur, inquam, omnis eiuſmodi irregularitas, ſeu potiùs impeditur, & præuenitur, quatenus Baptiſmus facit, vt culpa, vel defectus exiſtẽs in homine antequam baptizetur, non eum reddat irregularem poſt Baptiſmũ, quando iam ſubeſt legibus Eccleſiæ. Et quãuis non omnes Doctores in his omnibus cõueniant: certum eſt tamen nullam irregularitatem extendendam eſſe ad culpas, aut defectus, qui Baptiſmũ præceſſerunt, niſi ius id expreſſe dicat. Nã prohibitio Eccleſiæ non dirigitur ad nõ baptizatos: & æquum eſt, vt non imputentur iis, qui per Baptiſmum regenerãtur, fiuntq; noui homines: præſertim verò defectus illi, qui culpabiles fũt, aut ratione culpæ cõtrahũtur.

103. Aliæ per ingreſſum religionis.

Per ingreſſum Religionis tollitur etiã irregularitas ex defectu natalium. Imò etiam nunc in omni fere Religione per eius ingreſſum tollitur omnis irregularitas præter illã, quæ oritur ex homicidio voluntario, aut ex bigamia: idque non tam ex iure communi, quam ex conſuetudine, & priuilegiis conceſſis à Summis Pontificibus, vt teſtantur Sot. in 4. diſt. 25. q. 2. art. 1. a. 3. concluſ. 1. in fine, & Nauarr. cap. vlt. Ench. rid. nu. 254. dicto 10. in fine. Sed hoc intellige quãtum ad ſuſceptionem, & vſum Ordinum, etiam ſacrorum: non quantum ad prælaturam. Nam illegitimus, etiamſi ingrediatur Religionem, nõ poteſt eſſe Prælatus abſque diſpenſatione Papæ, vt habetur cap. 1. *De filiis Presbyterorum*. Præterea per ingreſſum Religionis debet intelligi hoc loco Profeſſio, & non ſimplex ingreſſus in Nouiciatum: quia legitimatio ad Ordines, cùm ſit ad aliquid perpetuum, non fuit conceſſa, niſi à ſumẽtibus ſtatum perpetuum per Profeſſionem religioſam. Idque ſignificant verba capitis 1. *De filiis Presbyterorum*, vbi hoc priuilegium conceditur tantùm *Monachis, vel in congregatione canonica regulariter viuentibus*, id eſt, Canonicis Regularibus. Cuiuſmodi non ſunt propriè Nouitii, qui ſunt tantùm in via ad illum ſtatum.

104. Omnes poſſũt tolli per diſpenſationem Papalem.

Per diſpenſationem Papalem omnes tolli poſſunt, quia ſunt iuris poſitiui eccleſiaſtici. Vt tamen licita ſit diſpenſatio, & non ſolùm valida, requiritur iuſta cauſa. Epiſcopi autem non poſſunt diſpenſare iure ordinario, niſi in caſibus ſibi permiſſis. Quia non poſſunt diſpenſare in lege Superioris, niſi eis concedatur: omnis autem irregularitas ſtatuitur per ius ſuperioris reſpectu Epiſcoporum, vt diximus ſect. 7. Eſt verò illis conceſſum à Tridentino ſeſſ. 24. cap. 6. *De Reform.* vt poſſint diſpenſare in omni irregularitate proueniente ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario. Circa quod nota 1. nomen Epiſcopi ibi propriè ſumi à Trident. vt declarauit Congregatio Cardinal. ibid. num. 1. v. *Liceat Epiſcopis*, vbi ſic habet: *In hoc decreto non comprehenduntur inferiores, habentes iuriſdictionem monachalem, & quaſi Epiſcopalem, ſeu Epiſcopi priuatiuè quoad alios.* Quare hæc facultas non extenditur ad eos qui participant tantùm Epiſcopalem iuriſdictionẽ: quia participatio illa intelligitur in ordinaria iuriſdictione; non autem in omni ſpeciali, & extraordinaria facultate conceſſa Epiſcopis, circa ea, quæ iure communi reſeruata erant Summo Pontifici, cuiuſmodi eſt diſpenſatio ſuper irregularitate, vt bene ait Suar. diſp. 45. ſect. 1. nu. 2. Qui diſp. 41. ſect. 2. nu. 7. hanc aliam rationem addit: quia iſta conceſſio ex ea parte, quá derogat iuri communi, eſt odioſa; ideoque debet reſtringi ad proprietatem nominis Epiſcopus. Sed hæc ratio nimis probat. Nam ex ea ſequeretur Epiſcopum id non poſſe, niſi ſit conſecratus; cùm alioqui non ſit propriè Epiſcopus. Hoc autem falſum eſt. Nam illa diſpenſatio eſt actus iuriſdictionis: ideóque ſufficit quòd ſit nominatus, aut electus, & confirmatus, habeatque iuriſdictionem Epiſcopalem, vt fatetur Suar. ibid. Et è contrario non ſufficit eſſe conſecratum, niſi habeat ſubditos, & iuriſdictionem erga illos. Nam Trident. non dat Epiſcopis hanc facultatem, niſi circa ſuos ſubditos, vt patebit ex declarationibus infrà citandis.

Occultę poſſũt tolli ab Epiſcopis.

105. Vtrumne ab omnibus?

Nota ſecundò, à Congregatione Cardinalium ad ſeſſ. 24. cap. 6. *de Reformat.* num. 1. verbo *Liceat Epiſcopis*, declaratum etiam fuiſſe Epiſcopos illarum regionum, in quibus Trid. Concilium nondum receptum eſt, non poſſe vti hac facultate. Quia nimirum nõ debent gaudere fauoribus ab eo conceſſis, qui nolunt ſubire onera ab ipſo impoſita. Nota tertiò Concilium excipere irregularitatem prouenientem ex homicidio voluntario, licet occulto: atque etiam quamcunque prouenientem ex quouis alio delicto occulto, ſi delictum illud ad forum contentioſum iam deductũ ſit. Quod cum addit, ſignificare videtur ſe per occultum intelligere non illud ſolum, quod ita eſt occultũ, vt nullo modo ſit probabile: ſed illud etiã, quod licet probari queat, nondũ tamen eſt publicum: & ſi iſtud non ſit deductum ad forum contentioſum, permittere videtur Epiſcopis diſpenſare ſuper irregularitate per illud contracta.

106. Occultum eſt duplex: per ſe, & per accidẽs

Notandum enim quartò, duplex eſſe occultum. Vnum per ſe: vt ſunt cogitationes hominum, & alii actus purè interni: quod videlicet ex natura ſua, & per ſe, non poteſt cognoſci ab hominibus: & hoc non ſubeſt poteſtati humanæ ad puniendum per cenſuras, aut irregularitates: quia de internis Eccleſia non iudicat. Alterum eſt occultum per accidens: vt ſunt verba, & actus externi in occulto facti: quod ſcilicet poteſt quidem cognoſci, ſed tamen de facto non cognoſci-

Digitized by Google

eodem hoc capite in sibi subditos exercere, ex quo datur intelligi idem etiam posse quoad dispensationem, quæ non minùs est delegabilis: neque debet Episcopus esse conditionis deterioris, quàm sint illius subditi.

110. Possunt dispensare in homicidio non voluntario, & mutilatione pura.

Vlteriùs possunt etiam Episcopi dispensare in homicidio non voluntario, & illicita mutilatione, id est, membri alicuius abscissione, dummodo non sequatur mors: quia non comprehenditur nomine homicidii voluntarii à Tridentino excepti, vt supra dicta Congregatio declarauit num. 3. Itemque in homicidio voluntario licito, cum eo qui est clericus; non quidem ad ordines, sed ad beneficium simplex, vt docet Emmanuel Sa v. *Irregularitas ex deformatione licita*, num. 5. post Nauarrum & alios. Dispensant etiam in defectu natalium: sed ad minores ordines tantùm, & ad simplex beneficium, quod neque est dignitas, neque personatus. Nam ad maiores ordines, & ad curatum beneficium dispensat solus Papa, vt habetur capite finali *D. filiis Presbyterorum*, & in 6. cap. 1. eodem tit. Idque intellige quamuis illegitimatio sit occulta. Quia Trident. sess. 24. cap. 6. De Reform. dans Episcopis facultatem dispensandi super irregularitate occulta, loquitur expressè de irregularitatibus contractis ex delicto occulto: non autem de contractis ex defectu; cuiusmodi est illa, quæ contrahitur ex defectu natalium. Quòd si interrogas an Episcopus debeat esse consecratus vt dispensare possit in defectu natalium? Respondeo negatiuè, sed sufficere quòd sit electus, & confirmatus, habens scilicet iurisdictionem episcopalem. Idem etiam possunt Capitulum sede vacãte, & Prælati inferiores exempti, qui habẽt iurisdictionem episcopalem, quia illi omnes participant ordinariam iurisdictionem Episcoporum; vt post Nauarr. & alios rectè docet Suar. disp. 50. sect. 5. n. 6. non obstante declaratione Congregationis suprà relatâ n. 104. quia non loquitur de hac dispẽsatione, sed de irregularitatibus ex delicto.

Et in defectu natalium ad minores ordines

111. Et cum clerico reuertẽte ab hæresi.

Possunt etiam Episcopi dispensare cũ clerico reuertẽte ab hæresi, vt ministret in Ordine ante accepto, præsertim si delictum fuit occultum: sed non vt possit ad Ordines vlteriores ascendere. Excepto etiam ministerio sacerdotii, & vsu Pontificalium, ad quæ solus Papa restituere potest sacerdotes, vel Episcopos in hæresim lapsos. Qua de re plura videri possunt apud Suar. disp. 43. sect. 1. & 2. Item si clericus iam peruenit ad ætatem legitimam, potest Episcopus cum eo dispensare, tam super irregularitate, quàm super Suspẽsione, ex delicto tamen occulto proueniente, quia se fecit promoueri in ætate nõ legitima, vt respondit Congregatio Cardinal. ad caput sup. citatum nu. 2. §. *Item Congregatio*. Notat præterea Suar. disp. 41. sect. 2. n. 14. Collegium Cardinalium eligens Summum Pontificẽ habere facultatem dispẽsandi cum eo quem eligit, si contingeret esse irregularem. Quia qui dat potestatẽ adaliquem actũ, dat etiam ad accessoria, quæ ad illum ordinãtur. Debet autem ille prius absolui, vt licitè possit eligi. Quare hoc ipso, quòd datur potestas Cardinalibus eligendi Summum Pontificem, datur & hæc facultas dispensandi in casu necessitatis, cum non sit tunc superior ad quem possint recurrere. Et quamuis non dispensarent, cessaret irregularitas eo ipso quòd esset electus, vt diximus n. 93.

112. Exceptio homicidii voluntarii quid significet.

Denique, quod ad eos spectat, qui dispensandi facultatem habent ex delegatione, vel priuilegio, notãdum est: Quando sum. Pontifex in facultate concessa ad dispensandum super irregularitate, excipit tantùm homicidium voluntarium: qui habet talem facultatem potest dispensare in omni homicidio, quod non oritur ex delicto, sed tãtùm ex defectu lenitatis, vt docent Caiet. v. *Irregularitas*, in fine, & alii communiter: quia homicidium voluntarium absolutè dictum intelligitur de iniusto, & culpabili. Imò etiam potest dispensare in homicidio, quod oritur ex delicto, dummodo homicidiũ non fuerit intentum: vt quando quis intendit tantùm percutere leuiter, & occidit: vt diximus sect. 3. & expressè affirmant Nauarr. capite vlt. Enchir. n. 240. Henriq. lib. 14. c. 14. §. 2. lit. N. & §. 2. lit. S. & alii, quos ille citat: quibus etiam astipulatur Caiet. 2. 2. q. 64. art. vlt. in fine, & Reginald. loco infra citando. Ratio est, quia homicidium illud non dicitur simpliciter voluntarium, sed casuale. Item qui habet facultatem dispensandi super homicidio casuali, & non super voluntario; potest dispensare cum iudicibus, & aliis ministris iustitiæ, qui voluntariè interficiunt, sed iustè, & secundum leges. Nam per casuale homicidium intelligitur omne homicidium, quod non est voluntarium directè cum peccato mortali: vt alibi notauimus post Couar. in Clement. *Si furiosus*, part. 2. §. 3. n. 5. & Caiet. in Summa v. *Irregularitas*, in fine.

113. Vel exceptio homicidii simpliciter.

Addunt aliqui, quando in priuilegio datur facultas absoluendi super super omni irregularitate, excepto homicidio, intelligendum esse de homicidio facto cum peccato mortali. Tum quia omne homicidium propriè dictum est peccatum mortale, prohibitũ quinto Decalogi præcepto. Tum etiam quia irregularitas contracta ex homicidio facto sine peccato mortali, nõ vocatur irregularitas ex homicidio, sed ex defectu lenitatis. Ita Viuald. in suo Candelab. tract. de Irregularitate n. 327. iuxta editionẽ anni 1602. & iuxta editionem anni 1606. part. 3. De irregularitate, cap. *De Dispensatione quoad Fratres*, nu. 3. vbi affirmat ita definitum fuisse in Pœnitentiaria Romana: Caiet. v. *Irregularitas*, in fine, & Reginald. tom. 3. lib. 30. tract. 2. nu. 23. aliique plurimi. Et hactenus de potestate Clauium circa Censuras, & Irregularitates.

positam. Neque requiri in conferente Ordinem sacerdotalem: sed potestatem iurisdictionis sufficere: quæ cùm non tollatur per peccatum mortale, potest Prælatus existens in peccato mortali indulgentias concedere: neque illæ minùs operantur: cùm non agant virtute meritorum conferentis; sed ex vi meritorum reconditorum in thesauro Ecclesiæ.

In tertia dicit Indulgentias non prodesse existentibus in peccato mortali: quia non remittitur pœna, nisi dimissâ culpâ. Neque etiam illis, qui non implent conditiones, sub quibus conceduntur. Prodesse verò quibuscunque implentibus, & in charitate existentibus: etiam illi ipsi, qui Indulgentiam concessit: quia non est peioris conditionis cæteris hominibus, potestque sibi applicare bonum, quod aliis dispensat. Huc vsque D. Thomas, cuius doctrina sequentibus sectionibus fusiùs exponenda est.

SECTIO I.

Vtrum satisfactio vnius possit alteri prodesse? Et de fidelium suffragiis.

1. Fundamentum quadruplex Indulgentiarum.

INdulgentiarum concessio quatuor fundamentis innititur. Primum est, non omnem poenam semper cum culpa remitti, sicut in Baptismo fit: sed sæpissimè poenam æternam mutari tantùm in temporalem, aut maiorem in minorem, quæ luenda superfit. Tum quia ratio diuinæ iustitiæ exigit, vt aliter à Deo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint: aliter verò qui semel à peccati, & Dæmonis seruitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono, scientes templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidauerint. Tum etiam, quia diuinam clementiam decet, vt ne ita nobis absque vlla satisfactione peccata dimittantur, vt occasione acceptâ, peccata leuiora putantes, in grauiora labamur, aut frequentiora, quemamodum ait Trident. sess. 14. cap. 8. Secundum fundamentum est, poenam illam redimi posse non modò nostris satisfactionibus, sed etiam alienis nobis applicatis. Ita vt satisfactio vnius possit alteri applicari, illiq; prodesse ad solutionem poenæ temporalis debitæ ipsius peccatis. Tertium, esse in Ecclesia thesaurum satisfactionum Christi, atque Sanctorum, quæ possint fidelibus applicari, & prodesse in illum finem. Quartum, esse in Ecclesia potestatem hunc thesaurum dispensandi, applicando fidelibus satisfactiones Christi & Sanctorum, vt fit per concessionem Indulgentiarum.

Proponitur prima quæstio.

De primo fundamento sufficiunt quæ diximus disp. 44. sect. 9. & disput. 51. sect. 1. De tribus aliis nunc figillatim dicendum est: & imprimis quærendum, an satisfactio vnius possit alteri prodesse inter fideles? Quamuis enim sufficeret ad fundamentum Indulgentiarum satisfactiones Christi posse nobis applicari, & prodesse ad extinguendum reatum pœnæ temporalis, restantis ex peccatis remissis: quippe quæ sunt infiniti, & inexhausti valoris, & pluriquàm satis superque sufficiunt ad extinguendum omnem huiusmodi reatum, si ad hunc finem efficaciter applicentur, ita vt non egeant superadditis aliorum satisfactionibus: Quia tamen infrà dicturi sumus, thesaurum Ecclesiæ constare non modò Christi satisfactionibus, sed etiam Sanctorum: & quia perfectio doctrinæ de Indulgentiis postulat vt more aliorum Theologorum dicamus etiam de suffragiis, id est, de modo quo fideles possunt alii aliis prodesse, & pro illis satisfacere: idcirco hanc quæstionem præmittimus aliis, quas de concessione indulgentiarū explicare proposuimus.

2. Satisfactio vnius potest alii prodesse.

Vt autem certa ab incertis separemus: indubitatum quidem est apud omnes Theologos satisfactionem vnius prodesse aliis aliquo modo posse. Sicut enim possunt fideles se inuicem iuuare suis orationibus, iuxta illud Iacob. 5. *Orate pro inuicem, vt saluemini, multum enim valet deprecatio iusti assidua apud Deum*: & 2. Corinth. 1. *Adiuuantibus vobis in oratione pro nobis* &c. ita & aliis piis operibus quæ pro se inuicem Deo offerunt, siue ad pœnam expiandam, siue ad alios effectus. Idque postulat vnitas corporis Ecclesiæ, vt membra se inuicem iuuare possint: quemadmodum membra corporis humani alia aliis prosunt: & eandem ob causam Prælati in Ecclesia primitiua remittebant lapsis aliquid pœnæ, intuitu precum & pœnarum eorum qui in carcere & vinculis pro Christo detinebantur, mortemque pro fide opperiebantur: vt colligitur ex Tertull. lib. ad Martyres cap. 1. & Cypriano lib. 3. epist. 15. Plura ad huius veritatis confirmationem Scripturæ & Patrum testimonia referunt, & expendunt Suar. disp. 48. de Pœnit. sect. 1. & Bellar. lib. 1. De Indulgentiis,

soluere, & Deus velit solutionem illius acceptare. Et quanquam non est verum, absolutè loquendo, non posse contrahi debitum poenæ per opus alienum, sed per proprium: nam peccatum Adæ constituit omnes posteros debitores poenæ. Maior tamen est ratio, vt vni ignoscatur propter satisfactionē alterius, quàm vt vnus puniatur propter peccatum alterius.

7. Probatur prodesse per modū satisfactionis.

Hac igitur sententia reiecta, dicendum est satisfactionem vnius posse aliis prodesse, etiam per modum satisfactionis, ita vt vnus pro alio verè & propriè satisfaciat, id est, soluat poenam temporalem debitam ipsius peccatis. Ita D. Thom. in 4. dist. 20. q. 1. a. 2. quæst. 3. Bonauentura ibidem 2. parte distinctionis, a. 1. quæst. 1. Richardus art. 1. q. 3. Durandus q. 2. Paludan. q. 3. concluſ. 3. Gabriel dist. 16. quæst. 2. art. 3. dub. 8. Sotus dist. 19. quæst. 2. art. 4. concl. 1. Medina tract. 3. De satisfactione, quæst. 2. Caiet. to. 1. opusc. tract. 16. q. 1. & 5. Bellarm. lib. 1. de Indulg. cap. 2. propos. 2. Suarez disp. 48. De Pœnit. sect. 2. Aegid. Con. disp. 10. dub. 7. Delugo disp. 26. sect. 1. & alii communiter. Quibus accedit catechismus Pii V. in fine discursus de sacram. Poenit. Vbi sic habet: *In eo summa Dei bonitas & clementia maximis laudibus, & gratiarum actionibus prædicanda est, qui humanæ imbecillitati hoc condonauit, vt vnus posſit pro alio satisfacere.* Intelligit autem satisfacere verè & propriè, id est, poenam ab alio debitam soluere. Tum quia vox ipsa satisfaciendi id sonat, ideóque non dicūtur Beati satisfacere pro nobis, quamuis multa nobis impetrent, & mereantur de congruo, eóque magis, quòd sunt Deo gratiores. Tum etiam quia ibidem addit paulò post, declarans modum quo vnus potest satisfacere pro alio: *Qui diuina gratia præditi sunt, alterius nomine posſunt quod Deo debetur persoluere. Quare fit vt quodam pacto alter alterius onera portare videatur.* Ac denique asserit hanc rem adeo certam esse, vt in dubium reuocari non debeat: *Neque verò, inquit, de hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus est, qui in Apostolorum symbolo, sanctorum communionem profitemur.*

8. Cōmunicatio inter fideles.

Quibus postremis verbis attingit præcipuum fundamentum huius sententiæ: nempe communicationem quæ debet esse in Ecclesia inter fideles, velut inter membra vnius corporis mystici, quanta conuenienter esse potest. Est autem valde conueniens, & consentaneum ordini charitatis, cuius vinculo maximè vniuntur fideles, vt vnus possit pro alio satisfacere: id est, vnius poenæ & afflictiones oblatæ pro alio à poenis liberando, possint ad illum finem illi prodesse, Deo acceptante. Neque dubium est potuisse Deum sic acceptare, & constituere in Ecclesia hunc ordinem, & modum communionis, mutuique auxilii inter fideles. De facto autem instituisse colligitur ex communi sensu Doctorum omnium Catholicorum, exceptis paucis Scholasticis recentioribus, ita vt ille communis sensus Ecclesiæ meritò dici possit. Et confirmatur ex alio dogmate fidei, quòd scilicet satisfactiones Christi & Sanctorum possint fidelibus defunctis applicari per modum suffragii, vt fit per indulgentias, atque ita possint animæ fidelium à poenis relaxari. Item ex eo quòd sensus communis fidelium est, non modò preces, & sacrificium, sed etiam eleemosynas & alia pia opera fidelium, poenasque ab illis voluntariè susceptas, prodesse defunctis ad poenarum relaxationem. Si enim possunt prodesse per modum impetrationis, aut meriti de congruo: quidni etiam per modum solutionis? cum facilius sit relaxare debitum intuitu solutionis condignæ, aut æqualis, per alium exhibitæ; quàm purè illud condonare intuitu precum alterius, aut desiderii vt id fiat.

6. Probatur etiam prodesse defunctis.

Quòd autem prosint orationes & pia opera fidelium defunctis, non modò constat communi sensu fidelium, sed est fidei dogma sumptum ex Scriptura 2. Machab. 12. in fine, Tobiæ 4. v. 18. & 1. Cor. 15. v. 29. traditum que à Concilio Carthaginensi 4. cap. 79. Lateran. sub Innocentio III. cap. 66. Trident. sess. 25. in Decreto de Purgatorio, initio, & Florentino in Lit. vnionis, vbi dicitur, *Defunctis, vt à poenis relcuentur, prodesse viuorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueuerunt.* Si autem possunt prodesse mortuis, par est ratio vt possint etiam prodesse viuis, si pro illis offerantur: quia maiorem habent cum illis coniunctionem, cùm sint membra eiusdem Ecclesiæ militantis, & visibilis Reipublicæ Christianæ.

10.

Huc pertinet illud Apostoli Coloss. 1. *Gaudeo in passionibus meis pro vobis, & adimpleo quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius quod est Ecclesia.* Cuius loci sensus est, non tantùm quòd Paulus multa pateretur pro applicandis Christi passionibus corpori Ecclesiæ, quam in fide instruebat, & in virtutibus Christianis promouere conabatur: sed etiam quòd ipse *adimpleret passiones Christi in carne sua*, id est, Christus in ipso, velut suo membro, multa pateretur, suisque passionibus adderet Pauli passiones, *pro corpore eius quod est Ecclesia*: hoc est, vt illæ passiones prodessent Ecclesiæ, & ad communem vtilitatem conferrentur. Quia licet passiones Christi satis superque sufficerent: voluit tamen sanctorū quoque & fidelium satisfactiones ad hunc finem adiungi, & prodesse. Quem secundum sensum huius loci agnoscunt D. Thomas, & Anselmus in locum Apost. cit. & S. August. in psal. 61. vbi inter alia sic ait aliquantò post initium: *Patitur Christus in membris suis, id est, in nobis ipsis, ad communem hanc quæstionem publicam: nam quisque pro modulo nostro exoluimus quod debemus: & pro posse virium nostra-*

rum, quaſi canonem paſſionum inferimus, paritoriâ plenariâ. Eſt autem paritoria, inquit, D. Tho. in locum Pauli cit. vas vel domus, vbi pariter multa inferuntur. Significat ergo D. Auguſtinus fidelium paſſiones in vnum veluti theſaurum communem colligi, aut publicum ærarium, ex quo depromi poſſint in vtilitatem indigentium.

SECTIO II.

An ſatisfactio pro altero oblata proſit illi infallibiliter.

11. Variæ ſententiæ.

HVcuſque oſtendimus poſſe fideles pro ſe inuicem ſatisfacere apud Deum, & ſoluere poenam reſtantem ex peccatis remiſſis. Iam circa modum, quo id facere poſſunt duo explicanda ſunt. Primum ſcilicet, Vtrum ſatisfactio pro aliis ſeu viuis ſeu defunctis oblata, proſit illis infallibiliter, ſemperque à Deo acceptetur in eum finem? Secundum, Quæ conditiones requirantur vt acceptari, & aliis prodeſſe poſſit? Circa primum, Negant Ioan. Medina tract. 3. de ſatisfact. quæſt. 2. §. *Sunt alii*, & Corduba lib. 5. de Indulg. q. 5. ad 8. ſatisfactiones pro aliis oblatas acceptari infallibiliter. Contra verò affirmant plures alii.

Concluditur rem eſſe incertam.

Exiſtimo cum Suare diſp. 48. ſect. 3. n. 9. & 10. & Aegid. Con. diſp. 10. dub 7. in fine rē eſſe incertam. Quia vt hoc eſſet infallibile oporteret legem à Deo latam eſſe de huiuſmodi ſatisfactionibus ſemper acceptandis pro aliis, quotieſcunque pro illis offeruntur, poſitis conditionibus neceſſariis ex parte offerentis, & illius pro quo offeruntur, de quibus conditionibus dicemus paulò poſt. At non conſtat de illa lege, neque ex Scriptura, neque ex Conciliis, aut traditione Patrum, neque ex communi ſenſu Eccleſiæ. Neque par eſt ratio de ſatisfactionibus propriis cuiuſque oblatis pro ſeipſo, & de oblatis pro alio. Deus enim frequenter nos hortatur in Scriptura ad opera poenitentiæ obeunda, & obeuntibus promittit veniam peccatorum pro culpa, & pro pœna. Maiorque eſt ratio vt poena relaxetur illi, qui ſeipſum ſponte punit, & retractando quod male fecit, reparat ius diuinum à ſe læſum, ſeipſum illi per poenam ſubiiciendo. Quanquam, vt diximus diſp. 51. ſect. 4. neque propriæ ſatisfactiones acceptantur infallibiliter, & vniuerſaliter ad extinguendum quodcunque debitum poenæ, ſed Deus aliquam interdum ſibi reſeruat, quam vult inferre infallibiliter. Sicut Dauidem puniuit morte filioli 2. Reg. 12. neque ipſius afflictiones voluntarias voluit acceptare, quibus conatus eſt Dauid talem pœnam auertere.

12. Non vrget etiam quod ait cathechiſmus Romanus ſuprà citatus, fideles poſſe perſoluere &c. hoc enim in rigore verum eſt, licet non poſſint infallibiliter quotieſcunque volunt. Non obeſt etiam quòd indulgentiæ defunctis applicatæ claue non errante, id eſt, cū iuſta proportione, & ſufficienti cauſa, proſint illis infallibiliter. Quia Chriſtus promiſit Petro & ſucceſſoribus vniuerſaliter, *Quodcunque ſolueris* &c. Math. 16. in qua generali promiſſione fundatur hæc infallibilitas, vt oſtendemus diſp. ſeq. At nulla talis promiſſio facta eſt particularibus offerentibus pro alio ſuas ſatisfactiones. Quare licet quiſque ſit magis dominus ſuorum operum & ſatisfactionum, quàm Eccleſia: non tamen habet parem poteſtatem applicandi illas infallibiliter aliis, ad relaxandas eorum poenas.

Poteſt eſſe de cō digno.

Notandum verò eſt, quòd licet ſatisfactio vnius pro alio non acceptetur à Deo ſemper & infallibiliter: quando tamen acceptatur, non definit eſſe de cōdigno, id eſt, eſſe concondigna, & æqualis ſolutio debiti pœnæ quod tollit: Atque etiam ex iuſtitia, quatenus poſita miſericordi, & liberali acceptatione Dei, ſatisfit ex æqualitate ipſius iuri, ſoluendo quantum illi debitum erat, & exhibendo ſatisfactionem æqualem poenæ debitæ. Sicut quamuis non teneatur aliquis vendere domum ſuam, & acceptare pretium æquale: poſito tamen quòd velit vendere, & acceptare æquale pretium, emptio fit ex rigore iuſtitiæ.

13.

Nota ſecundò: quando vnius ſatisfactio offertur pro alio, & à Deo acceptatur, non prodeſt offerenti vt ſatisfactio eſt, licet illi prodeſſe poſſit, vt eſt actio meritoria; quia cùm ſit ſolutio finita, & exhauriatur per debitum alterius, quod ſoluit, cuique ad æqualitatem ſatisfacit; non poteſt ſimul proprio debito ſatisfacere.

Tantū pro alio valet, quantū pro ſeipſo.

Nota tertiò, cùm in hac ſolutione habeatur tantùm ratio æqualitatis inter ſatisfactionē oblatam, & debitum poenæ quod extinguit: quæ æqualitas eadem eſt, ſiue debitum proprium ſit, ſiue alienum: non minus debiti alieni extingui per ſatisfactionem oblatam pro alio, quàm extingueretur debiti proprii per eandem oblatam pro ſeipſo, cæteris paribus. Siue ille pro quo offertur plus habeat gratiæ, quàm offerens, ſiue minus. Quia valor ſatisfactionis non attenditur ex dignitate eius pro quo offertur, ſed ex dignitate offerentis, qua de cauſa, eadem ſatisfactio materialiter, v. g. idem ieiunium, vel eadem caſtigatio voluntaria corporis, exhibita à viro magis iuſto, & ſancto, eſt maior formaliter, & maioris valoris, quàm ſi exhiberetur à viro minùs iuſto. Quia maioris æſtimationis eſt, virum adeo ſanctū & Deo gratum ita ſe humiliare & affligere. Ex quo etiam fit, vt ſatisfactio eadem materialiter poſſit magis prodeſſe ei pro quo offertur, quàm ſi ab ipſo exhiberetur: quia ipſe eſt minùs Deo gratus; ideóque eius ieiunium minoris eſſet æſtimationis apud Deum. Vel è contrario, magis illi prodeſſet, ſi ipſe Deo gratior

Digitized by Google

est, quàm alter à quo exhibetur. Sed tunc non est eadem planè satisfactio. Quippe quæ debet non tantùm physicè & materialiter, sed etiam formaliter & moraliter considerari, cum omnibus adiunctis, ex quibus potest crescere illius valor. Similiterque debitum poenæ, quod extinguitur per satisfactionem, debet formaliter & moraliter considerari secundum adiuncta, propter quæ maius aut minus esse potest. Sic autem spectando satisfactionem & debitum, cæteris omnibus paribus, verum est quod diximus, tantundem debiti extingui per satisfactionem eandem, siue satisfaciens illam offerat pro seipso, siue offerat pro alio.

SECTIO III.

Quæ conditiones requirantur vt vnius satisfactio prosit aliis?

14. Satisfaciés pro alio ex opere operantis debet esse in gratia.

CIrca secundum, initio sectionis præcedentis propositum, quæ videlicet conditiones requirantur siue ex parte offerentis, siue ex parte eius pro quo offertur, vt vnius satisfactio possit alteri prodesse? Respondeo, & dico primò tres conditiones requiri ex parte offerentis. Prima est, vt sit in statu gratiæ, si satisfacit ex opere operantis. Nam sicut nemo potest satisfacere ex opere operantis pro seipso nisi sit in statu gratiæ, vt ostendimus disp. 51. sect. 2. ita non potest satisfacere pro alio. Ratio est quia satisfactio peccatoris non acceptatur à Deo, propter indignitatem personæ: iuxta illud 1. Corinth. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.*

15. Quid si ratũ ex opere operato?

Dixi, si satisfacit ex opere operantis: quia si vnus pro alio satisfacit ex opere operato, acceptando loco ipsius, & implendo satisfactionem sacramentalem, non requiritur status gratiæ ad valorem & effectum huius satisfactionis, quæ non trahit vim suam à dignitate operantis, sed à sacramento & institutione Christi, vt ostendimus sect. citata. Similiter, vt vnus prosit alteri per sacrificium pro ipso oblatum, aut per publica Ecclesiæ suffragia ipsi applicata; non est opus vt sit in gratia. Quia sacrificium operatur remissionem poenæ ex opere operato. Suffragia verò publica Ecclesiæ, id est, preces, & alia huiusmodi, nomine ipsius oblata Deo ab eius ministris, ex ipsius præcepto vel institutione, acceptantur à Deo intuitu Ecclesiæ, quæ est principalis offerens: licet ministri eius nomine offerentes immediatè, non sint Deo grati. Quia in huiusmodi acceptatione non habetur ratio indignitatis ministrorum, sed dignitatis & sanctitatis Ecclesiæ Deo gratæ & dilectæ. Sicut quando Rex postulat aliquid per legatum à Summo Pontifice: habetur ratio in acceptandis eius petitionibus dignitatis & maiestatis Regis, non vilitatis & indignitatis legati, qui potest esse indignus illo beneficio. Idcóque impetratio, & effectus, qui datur per huiusmodi suffragia Ecclesiæ: datur propriè ex opere operantis, respectu ipsius Ecclesiæ: licet aliqui dicant dari ex opere operato, intuitu ministri: quatenus non habetur ratio dignitatis illius veluti necessariò prærequisitæ ad hunc effectum, sed datur licet minister sit illo indignus.

16. Prosintne suffragia Ecclesiæ per modũ satisfactionis?

An verò eiusmodi suffragia Ecclesiæ prosint per modum satisfactionis, vel tantùm per modum impetrationis & meriti de congruo, parum interest. Existimant multi non prodesse per modum satisfactionis. Quia opus est satisfactorium, quatenus est pœnale, adeóque personale, & proprium personæ, quæ per illud patitur. At hæc suffragia non sunt opera poenalia ipsius Ecclesiæ: neque Ecclesia ista propriè, & per se, ac personaliter operatur & elicit, sed imperat aut instituit fieri per suos ministros.

Verùm huic argumento responderi facilè potest, satisfactionem non ita esse opus personale, vt non possit fieri per alium nomine nostro patientem, alioqui non posset vnus satisfacere pro alio. Sicut ergo minister Ecclesiæ potest nomine illius orare: ita & nomine illius satisfacere, sustinendo aliquam poenam illius nomine. Tuncque etiam ipsa Ecclesia patitur ex aliqua sui parte, in ministro qui ipsius membrum est: & potest hæc passio acceptari à Deo intuitu Ecclesiæ, cuius ille membrum est, & cuius nomine patitur, pœnamque illam offert. Neque est ratio cur non possit à Deo acceptari passio personæ ingratæ patientis nomine Ecclesiæ: sicut potest acceptari oratio personæ ingratæ orantis nomine Ecclesiæ. Vtrouis enim modo est æquè minister & instrumentum Ecclesiæ, & æquè personaliter operatur illius nomine, imperantis tantùm aut instituentis. Quòd si orans nomine Ecclesiæ repræsentat Deo illius desiderium, quæ quatenus est corpus mysticum, potest per hunc aut illum orare, & voluntatem suam Deo significare: ita satisfaciens ipsius nomine, repræsentat Deo voluntatem eius efficacem satisfaciendi, & offert aliquem effectum illius voluntatis, acceptabilem intuitu Ecclesiæ, quæ velut corpus quoddam mysticum potest per hunc aut per illum satisfactionem exhibere.

17. Addunt aliqui, quod si Ecclesia per suffragia sua à peccatore oblata solum impetraret; non esset discrimen inter illa, & priuata cuiusque suffragia: nam etiam peccatores, pro aliis orando, interdum aliquid illis impetrant æquè ac sibiipsis. Sed hoc argumentum nullius est momenti. Quia licet iuxta communem sententiam valeant tantùm ad impetrandum: efficaciùs tamen & frequentiùs id faciunt, ob dignitatem &

Digitized by Google

sanctitatem corporis Ecclesiæ, cuius nomine offeruntur. Quanquam neque semper & infallibiliter impetrant. Nam Ecclesia sæpe iubet orari suo nomine pro conuersione infidelium & peccatorum, qui tamen non conuertuntur.

18. Satisfactorium opus debet esse proportionatum debito.

Secunda conditio requisita ex parte offerentis est, vt opus, quo satisfacit, sit proportionatum debito cui satisfacit, proportione æqualitatis. Satisfactio enim fit soluendo æquale pro æquali. Hæc autem proportio sumitur tum ex interno affectu satisfacientis: tum ex opere externo illi adiuncto, & vnum actum moralem constituente cum illo. Quod verum est de actu externo etiam per alium executioni tradito: vt quando herus vtitur opera famuli ad dãdam eleemosynam, vel ad faciendam restitutionem. Dummodo tamen ille, qui vtitur opera alterius, sit in statu in quo possit satisfacere, quando alter opus ab ipso inchoatum & mandatũ exequitur. Qua de causa non satisfacit per illud ex opere operantis, si dum illud impletur, ipse est in peccato mortali. Qua etiam de causa censeo cum Delugo disp. 26. sect. 3. num. 31. eleemosynas & restituriones, aliaque pia opera facta iussu defunctorum, qui ante mortem dum essent in statu gratiæ iusserunt ea fieri, idque suo testamento, vt solet, vel aliter statuerunt; non illis prodesse per modum satisfactionis propriæ. Quia iam illi non sunt in statu satisfaciendi, ideóque non possunt per illa opera, velut à se moraliter procedentia, satisfacere. Quare non sunt satisfactoria, nisi per modum satisfactionis alienæ, quatenus sunt opera poenalia exequentium voluntatem defuncti, facta ab illis in statu gratiæ, & defuncto applicata vt illi prosint. Quæ satisfactiones defunctis applicatæ eò faciliùs acceptantur à Deo, quòd illi iam non possunt proseipsis satisfacere. Putoque illam esse intentionem præcipientium huiusmodi opera: quippe qui volunt meliori modo ea sibi prodesse. Quanquam non possunt præcipere vt fiant ab hæredibus in statu gratiæ: satisfaciuntque hæredes, & alii executores, dummodo præstent opus externum quod iniungitur: nisi ad plus se sponte sua obligauerint.

Satisfactiones alienæ quomodo prosint defunctis?

19. Hinc sequitur pia eiusmodi opera à defunctis ante mortem præcepta, non illis prodesse per modum satisfactionis alienæ, si executores nõ ea exequũtur in statu gratiæ. Possunt tamen etiam tunc aliter illis prodesse. Tum quia illi quibus fiunt eleemosynæ, vel in quorum gratiam fiunt alia pia opera, excitantur ad orandum pro illis: vnde præstat ea facere personis piis & magis Deo gratis, quæ ex gratitudine magis orabunt, & propter sanctitatem faciliùs exaudientur. Tum etiam quia Deus citiùs & faciliùs acceptat preces, & satisfactiones alienas pro illis oblatas, facta restitutione, & aliis piis operibus. Qua de causa diutiùs detinentur dum hæc non fiunt: interdumque apparuisse narrantur vt hæc fieri postularent, quo citiùs à poenis liberarentur. Soluto tamen planè reatu poenæ restantis ex peccatis hac in vita commissis, non retinentur ampliùs, licet restitutio aliorum culpâ vel impotentiâ non fiat: quia Deus neminem punit, nisi quantum & quandiu poenæ debitor est. Quod certius est, quàm aliquæ reuelationes particulares quæ in contrarium adducuntur. Plura vide authores cit. & apud Suar. disp. 48. sect. 8. n. 11. & seq.

20. Satisfaciẽs pro altero debet illi applicare suam intentionem.

Tertia conditio ex parte offerentis requisita, est eius intentio circa eum, cui vult applicare suam satisfactionem. Nam satisfactio vniuscuiusque, cùm sit opus ipsius proprium, prodest ipsi, & pro eo solo satisfacit, si ipse indiget: vel si non indiget, reponitur in thesauro Ecclesiæ; nisi per eius intentionem alteri applicetur. Sufficit autem ad hanc applicationem intentio virtualis, atque etiam habitualis, id est, ante habita & non retractata, vt alibi diximus de voluntate applicandi sacrificium Eucharistiæ. Debet tamen hæc intentio antecedere opus satisfactorium. Tum quia valor & effectus satisfactionis non potest à nobis suspendi, & diu postquam exhibita est applicari nobis aut alteri. Tum etiam quia satisfactio nostra non potest à nobis applicari cui volumus, nisi quãdo est in nostro dominio vt ponatur, aut non ponatur hoc aut illo fine. Postquã autẽ exhibita est, non est ampliùs in nostro dominio & libera potestate eã ponere vel nõ ponere. Ob eãdemque causam nõ possumus applicare quibus volumus satisfactiones, & suffragia, vel sacrificia ab aliis facta, & pro nobis oblata: quia non sumus ipsorum domini, ita vt pendeat à libera nostra potestate vt fiant hoc aut illo fine, postquam determinatè facta sunt, & nobis determinatè applicata ab intentione operantis.

21. Confirmatur, quia alioqui posset quisque sibi reseruare suas satisfactiones, vt prosint sibi postea quando peccauerit, & illis indigebit. Quod est falsum, & licentiam peccandi præberet, vt dicemus paulò post. Item possent etiam nunc Beati & damnati, applicare quibus vellent suas satisfactiones, vel superabundantes, vel in suspenso relictas, vt pro suo arbitrio applicarent quando vellent. Consentit Delugo disp. 26. sect. 3. n. 28. vbi addit idem esse dicendum de sacrificio Eucharistiæ, quod debet quoque antecedenter applicari cui volumus, alioqui reponitur in thesauro Ecclesiæ.

22. Is pro quo satisfit, debet esse in gratia.

Dico secundò, tres alias conditiones requiri ex parte eius pro quo offertur satisfactio profutura ex opere operantis. Prima est, vt sit in statu gratiæ. Quia quisquis est in statu peccati mortalis, est indignus ob peccatum mortale, vt satisfactio siue propria, siue aliena, pro ipso acceptetur: & satisfactio puri hominis ex opere operantis non habet valorem sufficientem ad satisfaciendum pro illa indignitate, & pœna illi adiuncta. Neque dicas acceptari ad eum finem,

finem, vt sublata indignitate prosit illi cùm à peccati statu surrexerit: sicut sacramenta prosunt recipienti cum obice peccati, quando remouetur obex. Nam peccator est indignus vt etiam hoc modo acceptetur. Neque constat, aut probabile est, vel authoritate Patrum, vel ratione, Deum id statuisse de satisfactionibus, sicut statuit de Sacram. Sine fundamento autem non debet præsumi.

23. Debet peccatum pro cuius pœna satisfit esse remissum.

Secunda conditio requisita ex parte illius, pro quo offertur satisfactio, est vt peccatum pro cuius debito satisfit, sit iam remissum quoad culpam. Quod de mortalibus manifestum est. Nam alioqui pœna illis debita est æterna, pro qua non potest purus homo satisfacere, neque pro se, neque pro alio. Et, vt iam diximus, status peccati mortalis habet adiunctam indignitatem superantem valorẽ satisfactionis puræ creaturæ. De venialibus verò idem docent communiter Theologi. Quia, sicut valde conueniens est, Deus vult priùs placari pro offensa, quàm vel condonare pœnam, vel satisfactionem siue propriam, siue alienam acceptare pro illa. Alioqui enim quandiu manet offensa & auersio, peccator est indignus illâ gratiâ & indulgentiâ, quæ fit, quando Deus satisfactionem acceptat pro pœna illi debita.

24. Tertia conditio est, vt ille, pro quo offertur satisfactio, habeat reatum pœnæ temporalis ex culpa remissa superstitem, ad quem reatum extinguendum applicari possit satisfactio per modum solutionis illius debiti. Cuius conditionis defectu non possumus satisfacere pro Beatis, nec pro iustis habentibus tantùm venialia non remissa, & reatum pœnæ illis debitæ. Ratio est, quia non habemus ius suspendendi effectum nostrarum satisfactionum in futurum, & illas efficaciter applicandi nobis aut aliis, vt prosint in futurum, quando illis indigebimus: sed statim atque illas exhibemus, vel nobis ipsis prosunt, si illis indigemus, & eas alteri non applicamus: vel prosunt alteri cui applicamus, si indiget. Sin minùs, reponũtur in thesauro Ecclesiæ, cuius authoritate possint, cùm opus erit, per indulgentias dispensari.

25. Nõ potest antecedẽter satisfieri pro culpa cõmittenda.

Similiterque non habemus ius satisfaciendi antecedenter pro pœna culpæ nostræ, vel alienæ, post committendæ. Quod ius si concessum nobis esset, pareret maiorem peccandi libertatem, sublato metu poenæ pro qua iam satisfactum esset. Et quidem in nulla Republica bene constituta, lex est vt antecedenter acceptetur satisfactio, & promittatur certa impunitas hoc aut illud agenti. Quamuis si quis post præclara in Rempublicam merita peccauerit, soleat mitiùs tractari, habita ratione meritorum antecedentium. Quo etiam pacto Deus mitiùs punit resurgentes à lapsu post eximia merita, saltem quatenus eadem satisfactio vel poena materialiter sumpta plus illis prodest: quia propter gratiam & sanctitatem eximiam respondentem præcedentibus meritis, quam totam recuperant per pœnitentiam, satisfactio illa, vel pœna est maioris apud Deum æstimationis. Quia quò persona est dignior, eò plus æstimatur illius satisfactio vel afflictio. Plus enim est personam adeo sanctam se submittere voluntariè satisfaciendo, vel affligi & pati talem ac tantam pœnam: sicut in humanis plus æstimatur pœna exilii in Principe, quàm pœna capitis in plebeio.

26. Sitne opus consensu eius pro quo satisfit?

Addunt aliqui quartam conditionem, vt is pro quo offertur satisfactio, consentiat, & velit eam sibi applicari & prodesse. Sed hoc non est necessarium. Cùm enim merè passiuè se habeat: non requiritur eius intentio: sed sufficit agentis & satisfacientis applicatio. Et sicut oratio pro altero facta, potest illi prodesse, quamuis id non intendenti, imò etiam nolenti & repugnanti: ira & satisfactio, & sacrificium, aliaque suffragia publica, vel priuata. Quare ne quidem necessaria est voluntas interpretatiua, quam communiter quisque habet, vt pœna, cuius debitor est, tollatur quoquo modo: aut voluntas participandi communibus & priuatis aliorũ suffragiis. Quia licet quis habeat voluntatem contrariam: possunt nihilominus illi prodesse, nisi aliunde indignum se reddat eorum participatione.

Vel vt sit baptizatus.

Non est etiam necessariũ vt is, pro quo offertur satisfactio, sit baptizatus. Licet enim communia Ecclesiæ suffragia non possint ab eius ministris, & ex publica ipsius intẽtione, applicari non baptizatis, ac nec etiam excõmunicatis maiori excõmunicatione, pro quibus ecclesia nõ vult offerri: potest tamẽ vnusquisq; priuata intẽtione applicare quibuslibet suas satisfactiones, & alia suffragia.

SECTIO IV.

Sitne in Ecclesia thesaurus superabundantium satisfactionum Christi & SS. qui per indulgẽtias dispensari possit, & applicari fidelibus?

27. Conclusio affirmatiua.

Dico 1. esse repositũ ecclesiæ thesaurum infinitum satisfactionum & meritorum Christi, qui per indulgentias applicari & dispensari possit, si aliunde facultas ita dispensandi non desit. Hæc assertio traditur à Clẽ. VI. extrauag. *vnigenitus*, De pœnit. & remiss. Vbi postquã affirmauit Pontifex tanti valoris fuisse Christi merita, & satisfactiones propter vnionem humanitatis ad Verbum diuinum, vt vel vna sanguinis gutta sufficiẽtissima fuerit ad totius generis humani redẽptionem, subdit: *Quantum ergo exinde, vt nec superuacua, aut superflua tantæ effusionis miseratio redderetur, thesauro militantis Ecclesiæ acquisiuit, volens suis thesaurizare filiis pius pater, vt sic sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui vsi sunt, Dei amicitiæ participes sunt effecti*, &c.

In quibus verbis continẽtur duo præcipua veritatis istius fundamenta. Primũ est, singula Christi merita & satisfactiones fuisse per se infiniti valoris, ob vnionẽ hypost. humanitatis cum Verbo, infinitã dignitatem moralem eius operibus cõmunicante. Nam sicut quodlibet peccatũ mortale trahit moralẽ infinitatem ratione personæ infinitæ grauiter

offensæ: sic & multò magis singula Christi merita & satisfactiones infinitũ valorem cõtrahebant, ob infinitam excellentiam suppositi operantis: quia non minùs satisfactionis dignitas mensuram accipit à dignitate personæ satisfacientis: quàm grauitas offensæ, à dignitate personæ læsæ: imò eo magis, quo suppositum satisfaciens magis intrinsecum, & connexum est actui, quo satisfacit; quàm peccator, personæ quam offendit.

28. Secundum est, quæcunque Christus meritoriè fecit, aut passus est, hominũ causa fecisse, aut passum esse. Propterea enim Verbum diuinũ carnem passibilẽ induit, *vt Ecclesiam sibi acquireret sanguine suo*, Act. 20. v. 28. & *daret semetipsum pro peccatis nostris, vt nos eriperet de isto præsenti sæculo nequam*, ad Galat. 1. v. 4. eóque se suaque retulit, quæ morte tandẽ in eum finem obità consũmauit. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitũ daret*, &c. Ioan. 3. *Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Rom. 8. v. 32.

Probatur ex infinito valore meritorum Christi.

Ex his duobus sequitur euidenter conclusio proposita. Cùm enim Christi merita fuerint singula infiniti valoris, & infinitè excesserint pretium necessariũ redemptioni hominum: cúmque Christus seipsum, & sua nobis omnia dederit, cunctaq; fecerit & assumpserit velut redẽptor hominũ in bonum nostrum, & salutem: sequitur vt thesaurũ illum infinitum & superabundantem, ex eius meritis & pœnis resultantem, non tam sibi quàm nobis acquisierit. Ergo habet Ecclesia thesaurum illum infinitum sibi repositum. Atque hæ sunt abundantes illæ diuitiæ gratiæ, quas Deus in bonitate super nos ostendit in Christo Iesu, vt ait Apost. ad Ephes. 2. quas mox cap. 3. inuestigabiles diuitias Christi appellat, & dispensationem sacramenti à sæculis in Deo, græcè μυστηρίου, id est, rei sacræ occultæ & recõditæ, quæ cùm alioqui sit maximi & inuestigabilis pretii, vt supra dixit, thesaurus meritò dicitur metaphoricè. Est enim thesaurus cumulus latés & occultus, in quo pecuniæ, vel res aliæ magni pretii asseruantur.

29. Probatur amplius secundò hæc superabũdantia & excellentia meritorũ & satisfactionum Christi, quia de fide est, merita Christi & satisfactiones sufficere ad multò plura, quàm reipsa efficiãt. Nam vt habetur 1. Cor. 5. *Pro omnibus mortuus est Christus*: & *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*, 1. Tim. 2. & 1. Ioan. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi*: ita vt quantùm ad abundantiam pretii à Christo præparati, abundãtissima sit ipsius passio, ad omnia omnium peccata expianda, & ad omnes saluandos. Certũ est autem perire plurimos, *Multi enim vocati, pauci verò electi*, Matth. 20. Ergo quamuis pretiũ illud non esset infinitum, vt esse ostendimus: adhuc tamen multum illius supereſſet, nimirum quantum non fuit applicatum iis omnibus, qui defectu applicationis, remissionem peccatorum & salutem æternam consecuti non sunt. Extat igitur in Ecclesia, seu apud Deum, Ecclesiæ repositus thesaurus ingẽs, in quo sint merita & satisfactiones plurimę pro talibus oblatæ, quibus applicatæ non sunt. Confirmatur, quia si merita Christi iam essent omnino ad æqualitatem remunerata, & exhausta, nihil esset amplius quod de iustitia deberet nobis dari propter illa, neque per fidem (vt dari fatentur ipsimet hæretici) neq; per sacramenta, sacrificia, & alia media, quibus Christus nobis est, semperq; erit, *iustitia, sanctificatio, redemptio, & propitiatio* 1. Cor. 1. v. 30. Ergo ex variis vsibus, & applicationibus meritorum Christi, euidenter cõuincitur esse in Ecclesia thesaurum eorum, qui inter alios modos dispensari & applicari queat per concessionem indulgentiarum, si aliunde facultas ita dispensandi non desit.

30. Vbi ille thesaurus?

Ineptè verò sectarii quærunt vbinam sit ille thesaurus meritorum Christi? Nam hoc in ipsos retorqueri potest, qui propter Christi merita iustificari se putant. Dicendum ergo est esse moraliter; id est, retineri in memoria & acceptatione diuina in ordine ad vsus morales, ad quos valent. Simili modo quo alii actus humani retinentur & manent moraliter in hominum memoria & æstimatione, ad varios vsus & effectus: ita vt illorum habeatur ratio, quamuis iamdiu præteritorum, perinde ac si nunc existerent: vt diximus disput. 44. sect. 11. nu. 104. Neque alio loco indigent res illæ morales eo modo quo moraliter remanent.

Ineptè quoque obiiciunt Deum Christi meritis sufficiens præmium in ipso reddidisse, cum propter illa Christum hominẽ exaltauit, & dedit illi nomẽ quod est super omne nomen. Nam hoc etiam in ipsos retorqueri potest. Si enim Christus recepit sufficiens præmium: non est quòd propter eius merita debeatur nobis iustificatio. Deinde falsum est Christum in sua humanitate recepisse præmium adæquatum suis meritis. Illa enim gloria, & exaltatio, quamuis sit magnæ æstimationis, non tamen comparanda cum infinito valore meritorum eius. Tertiò, quamuis sufficiens præmium meritorum suorum in seipso recepisset, atque ita bona ipsius opera, quatenus meritoria, fuissent in ipso satis remunerata: non tamen quatenus satisfactoria sunt, qua ratione illi prodesse nequiuerunt, *qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius*, 1. Petri 2. Et tamen vt talia sunt infiniti valoris.

31. Satisfactio Christi excedit peccata.

Instant, quia culpa quælibet mortalis est offensa infinita. Ergo eget satisfactione infinita: ergo exhaurit totam Christi satisfactionem, quamuis infinitam. Respondeo sequelam illam non esse bonam: alioqui vel vnius culpæ mortalis remissio adæquaretur satisfactioni Christi: Atque ita non posset omnes alias numero pene infinitas remittere. Et tamen Christus est *propitiatio pro peccatis nostris, nec pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi*, 1. Ioan. 2. Et *Sicut in Adam*

omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. 1. Cor. 15. Vna denique sanguinis gutta sufficiebat ad totius mundi, aliorumq; infinitorũ peccata expianda. Quamuis ergo quælibet culpa mortalis sit mor. liter infinita in suo genere, & illius remissio sit effectus infinitus, non tamen in eo gradu infinitatis, quo Christi satisfactio: vnde nec illi æquiualet, neque illam exhaurit, nec exhauriet vnquam, sed semper supererit, vnde propter Christi merita & satisfactiones iustificentur accedentes ad Iesum: & *saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum*, vt ait Apost. Heb. 7. v. 25.

32. Thesaurus ille constat etiam satisfactionibus Sanctorũ.

Dico 2. Thesaurum Ecclesiæ non tantùm constare meritis & satisfactionibus Christi, sed etiam Sanctorũ. Id expressè docet Clemens VI. Extrauag. suprà cit. & confirmat Leo X. in bulla contra Lutheri errores, & in decreto ad Caietanũ misso, quod ipse refert 3. parte, q. 48. a. 5. §. *Ad hoc dicitur.* Ad illius probationem suppono 1. opera bona in charitate facta duplicem habere valorem: nempe valorem meriti æternæ vitæ, inquantũ sunt opera Deo grata, & vnius Christi membris, filiisque Dei adoptiuis, in charitate, vel ex charitate facta, quibus vita æterna fuit promissa, & in mercedem à Deo proposita: & valorem satisfactionis pro pœnis Deo debitis propter peccata, quem valorem habent quatenus sunt opera quædam pœnalia & laboriosa, quæ Deus acceptat loco pœnæ à se alioquin infligendæ in vindictam peccatorum. Deus enim pro sua benignitate & clementia statuit, vt is qui laudabiliter & sponte pœnam susceperit, liberet se à debito pœnæ, quam alioqui cogeretur pati. Horum autem valorum neuter alterum impedit: Neq; propterea Deus minus mercedis & gloriæ tribuit, ex eo quòd simul propter idem opus aliquid pœnæ remittit. Sicut ex eo quòd oratio facta in charitate, aliquid impetret alteri, aut mereatur illi de congruo: non minùs oranti meretur de condigno.

Opera bona valent ad merendum, & ad satisfaciendum.

33. De eleemosyna, v. gr. testatur id Scriptura, cui valorem priorem tribuit Matth. 25. v. 34. *Possidete paratum vobis regnum* &c. *Esurui enim* &c. & Matth. 19. v. 21. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo.* Posteriorem Tob. 4. v. 11. *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat.* Et Danielis 4. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Ieiunio quoque primus valor tribuitur Matth. 6. *Tu autem cum ieiunas*, &c. Posterior Ionæ vltimo, vbi Niniuitæ triduano ieiunio placant Deum. Denique generatim de quibusuis pœnitentiæ operibus S. Cyprianus in fine libri de lapsis sic ait: *Qui sic Deo satisfecerit, qui pœnitentiâ facti sui, qui pudore delicti, plus & virtutis, & fidei, de ipso lapsus sui dolore conceperit, exauditus, & adiutus à Domino, quàm contristauerat nuper, lætam faciet Ecclesiam, nec iam solam Dei veniam merebitur, sed coronam.*

34. Neque respondeas, valorem vtrumque non eidem bono operi conuenire simul, sed diuisim, ita vt alia eleemosyna v. gr. sit meritoria tantùm, alia tantùm satisfactoria. Primò enim id minùs conuenit verbis extremis Cypriani, *Non iam solam Dei veniam merebitur, sed coronam.* Secundò, neque Scripturæ loca citata, vel vlla alia, alterum ex his valoribus excludunt: neque illi naturâ suâ sunt inter se pugnantes, vt eidem simul conuenire non possint. Quin potiùs sicut eadem eleemosyna vtrumque habet, vt simul sit Deo grata, & aliquatenus laboriosa: sic valorem vtrumque simul habere potest. Et quemadmodum oratio facta in charitate simul oranti meritoria est, & ei pro quo oratur, impetratoria: neque quòd sit impetratoria alteri, impedit quò minùs sit æquè meritoria ipsi oranti: sic eadem eleemosyna potest simul esse meritoria, & impetratoria remissionis pœnæ, vel aliter satisfactoria. Sic etiam eadem contritio, quâ peccator iustificatur, simul gratiam primam obtinet, & remissionem pœnæ æternæ, & aliquatenus etiam temporalis, pro ratione excessus supra id quod necessarium erat ad iustificationem. Sic denique ipsimet hæretici vni & eidem actui fidei tribuunt, quòd non modò iustitiam & vnionem cum Christo obtineat, statumque filii Dei, & hæredis vitæ æternæ, ac cohæredis Christi: sed etiã totius pœnæ remissionem. Quare inepti planè sunt, cùm vtrumq; illũ valorem figmentũ vocãt, & actibus ex fide & charitate procedẽtibus negant quod ipsi vnico actui fidei tribuunt.

Valent cõiunctim ad vtrumque.

35. Sancti habuerunt satisfactiones superabundantes.

Suppono 2. plures Sanctorum plus operum bonorum & satisfactoriorum fecisse, quàm præcisè ad satisfaciendum pro ipsorũ peccatis necessarium esset secũdum diuinam ordinationem, quæ taxauit mensuram satisfactionum nostrarum Christi sanguine imbutarum. Sicut, quod non negant hæretici, taxauit mensuram & modum mediorum ad iustificationem necessariorum. Neque enim omnia exigit vt necessaria, quæcunque à nobis præstari possunt: sed fidẽ, & vsum sacramentorum, & similia. Id quidem Iob cap. 6. de seipso testatur dicens: *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui* &c. *quasi arena maris hæc grauior appareret.* Idemq; de seipsis alii plurimi, Naturæ legis, & Mosaicæ, viri sanctissimi dicere potuissent, qui vitæ innocentissimæ, grauissimas tamen afflictiones ad necem vsque passi sunt, *lapidati sunt, scẽdi sunt*, &c. Hebr. 11. Idem de B. Virgine Dei matre, ab omni labe peccati vacua, & tamen grauissimas tribulationes perpessa, & iuxta Simeonis vaticinium Luc. 2. gladio doloris transfixa. Idem de S. Ioan. Bapt. cuius vita ad fluporẽ vsque innocentissima simul, & seuerissima Matth. 3. Idem de omnibus Apost. de quibus Paulus 1. Cor. 4. *Puto quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit: tanquam mortis destinatos*: & paulò post: *Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris: maledicimur &*

illi dedisset. Quia hæres non plus habet iuris in bona defuncti, quàm ille cui succedit.

Non egent ullo Christi satisfactione.

Nota secundò, quod dicimus, Christi meritis & satisfactionibus adiungi satisfactiones sanctorum, atque ex his, quamuis minùs præcipuè, constare thesaurum Ecclesiæ: non eo sensu intelligendum esse, quasi Christi satisfactiones egeant huiusmodi adiunctione, & non per se sufficiant ad indulgentias: sed adiungi tantùm ex superabundanti. Quia æquum est vt satisfactiones superabundantes sanctorum non sint inanes & otiosæ, sed indigentibus applicari possint, prout exigit natura charitatis, & ratio membrorum vnius & eiusdem corporis.

39.

Viuorum satisfactiones superabundantes ad thesaurũ illum pertinent.

Nota tertiò, satisfactiones quoque superabundantes iustorum adhuc viuentium contineri hoc thesauro, & applicari per indulgẽtias. Secus autem illorum qui sunt in peccato mortali, aut in illo decesserunt. Quia satisfactiones superabundantes, si quas habuerunt, mortificantur per peccatũ mortale superueniens, æquè ac merita: ideoque non possunt habere effectũ satisfaciendi: & extinguuntur penitus per decessum in peccato mortali: quia non amplius retinentur moraliter in memoria Dei vt illarum habeatur ratio in ordine ad vsus & effectus morales, sicut alibi diximus extingui merita eius qui moritur in peccato mortali.

Obiiciunt sectarii primò, Quidquid sancti bene operati aut passi sunt, suprà condignum fuisse remuneratum: iuxta illud Luc. 6. *Mensuram bonam & cõfertam, & coagitatem & superefluentem dabunt in sinum vestrum.* Et Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Addunt secundò, sanctos nihil fecisse, aut pertulisse, quod facere vel ferre non tenerentur, Luc. 17. v. 10. *Cum feceritis hæc omnia, dicite serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.* Tertiò, si sanctorum opera vobis applicari possent ad expianda nostra delicta, essẽt ipsi ex parte redemptores nostri. At hoc detrahit gloriæ Christi, qui solus noster redẽptor est: & vt ait Apostolus 1. Cor. 1. v. 30. *Factus est nobis iustitia, & redẽptio.* & versu 13. *Nunquid pro vobis Paulus crucifixus est?* Denique si vnius satisfactio posset alteri prodesse, non esset verum quod ait Paulus ad Galat. 6. *Vnusquisque onus suum portabit*: neque prudentes virgines dicerent fatuis Matth. 25. *Ne forte non sufficiat nobis & vobis*, &c.

40.

Soluuntur argum. hæreticorum in contrarium.

Ad primum Respondeo Sanctorum opera, vt meritoria, fuisse cumulatè remunerata, iuxta locum Scripturæ citatum: at non vt satisfactoria, cùm tanta ipsi satisfactione non egerint pro suis peccatis expiandis. Et quidem Abraham, Isaac, & Iacob, aliique Patres veteris Testamenti habebant etiam apud Deum repositam mercedem sufficientẽ operum suorum: & tamen Deus eorum intuitu plurima bona posteris conferebat, vt multis locis Scriptura prædicat. Ac do multa esse satisfactoria, quæ nõ sunt meritoria. Nam passio externa est satisfactoria supra actum internum, quamuis vt sic non sit meritoria. Et labores ac pœnæ susceptæ à iustis non ex motiuo charitatis, sed alio honesto, sunt satisfactoria, quamuis non sint meritoria. Quia vt diximus, in tract. de Merito, illa solum opera meritoria sunt, quæ eliciuntur aut imperantur à charitate erga Deum.

Ad secundum Respondeo primò, sermonem esse Luc. 17. de iis quæ fiunt ex præcepto diuino: vltra quæ multa fieri possunt à sanctis, quæ sunt consilii tantùm, maiorisque perfectionis, & vt vocant, supererogationis: cuiusmodi sunt, omnia bona sua vendere, & dare pauperibus, Matth. 19. seruare virginitatem, 1. Cor. 7. Verba Lucæ cap. cit. sunt: *Nunquid gratiam habet* (herus cœnam sibi parari præcipiens) *seruo illi quia fecit quæ ei imperauerat? sic & vos cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.* Secundò, dico consequentiam non esse bonam. Quia illa ipsa quæ fiunt ex præcepto, quatenus bona sunt, & fiunt ex charitate, merentur vitæ æternæ mercedem. Sicut seruus meretur apud herum pactam sibi mercedem, seruiendo & obtemperando præceptis heri: quatenus autem eadem opera sunt simul laboriosa & pœnalia, habent vim satisfaciendi, vt suprà ostendimus. 41.

Ad tertium Respondeo cum Bellarm. lib. 1. de Indulgent. c. 4. in fine, si propriè & absolutè sumatur nomen redemptoris, solum Christum esse redẽptorem. Is namque propriè & absolutè redemptor dicitur, qui redimit à captiuitate: non qui pro alio debitum aliquod exiguũ soluit, vel iuuat aliquatenus ad soluendum & applicãdum pretium. Captiuitas autem nostra propriè est peccatum mortale, per quod laqueis Diaboli vincti tenemur, & venundati, vt loquitur Scriptura: à qua seruitute & captiuitate solo Christi sanguine vt pretio sufficiẽti redimimur: ac proinde solus Christus propriè & absolutè redẽptor noster dici debet. Præter quem tamen, alios licet minùs propriè, & secundum quid, eo nomine dici posse constat ex Danielis 4. vbi Propheta sic ait Nabuchodonosori, *Peccata tua eleemosynis redime.* Cur enim simili loquendi modo dici non possint viri sancti aliquo modo passionibus suis tum sua, tum nostra delicta redimere? Et sicut Paulus de se scripsit 1. Cor. 9. *Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos*: Cur non etiam scribere potuit, vt omnes redimerem? Hæc enim in idem coincidunt respectu eorum qui peccato mortali sunt infecti. Et nomen Saluatoris non est minùs proprium Christi Domini, quàm nomen Redemptoris. Frustra verò instant, Christum sufficiẽter satisfeciſſe pro omnibus. Respondeo enim, quoad prætii solutionem sufficienter quidem satisfeciſſe: tamen ad eius applicationem, sine qua nihil fit, tum nostram, tum aliorum cooperationem vtilem, aut necessariam esse. Et quidem etiã si sufficienter pro nobis orauit: & tamẽ dicitur Iacob. 5. *Orate pro inuicem, vt saluemini*, &c. 42.

Solus Christus est absolutè redemptor: alii tantùm secundum quid.

Digitized by Google

Satisfecit, inquam, Christus, & orauit sufficienter vt causa vniuersalis & prima, non excludens tamen instrumentales & subordinatas. Idque ad Christi gloriam facit, vt vim mererendi, & satisfaciendi, & impetrandi, membris suis communicauerit: sicut ad Dei potentiã facit vim agendi aliis impertiuisse.

43. Quod autẽ dicitur ad Galat. 6. *Vnusquisque onus suum portabit*, de extremo iudicio intelligendum est, vt Hieron. & alii Patres apud Cornelium ibidem exponunt, in quo neque aliorũ preces, neque satisfactiones proderunt. Quo non obstante possumus hac in vita alter alterius onera portare aliquo modo, vt ait Paulus ibidem. Et sicut possumus iuuari inuicem orationibus, quidni & satisfactionibus? Sed & tunc etiam onus suum quisque portabit, quatenus per sola alterius opera nemo saluatur, nisi ipse simul, si possit, efficiat per propria opera, vt sit capax auxilii, quod alii possunt ipsi præstare. Virgines denique prudẽtes non loquuntur de satisfactione, sed de oleo gratiæ & charitatis, quod vnusquisq; sibi retinet, neque in alios effundere potest: cùm hoc sit opus solius Dei physicè, Christi autem meritoriè: tametsi homines aliqua ratione, quà precibus, quà sacramentorum applicatione, ad id possunt cooperari.

SECTIO V.

Sitne in Ecclesia potestas dispensandi thesaurum illum per Indulgentias?

44. Conclusio affirmatiua

DIco tertiò, esse in Prælatis Ecclesiæ potestatem dispensandi thesaurum suprà dictum, per concessionem indulgentiarum. Ita Clemens VI. Extrauag. cit. & Leo X. in bulla & decreto suprà relatis: vbi sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, sic teneri, atque doceri præcipit. Probatur assertio ex Scriptura. Primò quidem ex generali Christi promissione Petro facta Matt. 16. *Tibi dabo claues*, &c. & *Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Et iterum eidem cæterisque Apostolis Matth. 18. *Quæcunque solueritis*, &c. Quæ verba per se generalia, & fauorabilia, extendi debent ad omnem modum soluendi conuenientem Dei gloriæ, & Ecclesiæ vtilitati, quæ est finis omnis ecclesiastici ministerii. Talis autem est indulgentiarum vsus discretus, seu recta dispensatio thesauri ecclesiastici, vt inferiùs apparebit, & contrarium nunquam sectarii demonstrarunt, siue Scripturæ, siue SS. Patrum, aut Doctorum testimonio, vt patebit ex solutionibus argumentorum: ergo, &c.

45. Probatur ex Script.

Confirmatur, quia nisi generaliter Christi verba intelligantur de omni modo ad Dei gloriam, & Ecclesiæ bonum conueniente, nullus modus determinatus ex illis verbis colligi poterit, ne ille quidem quem prætendunt hæretici, prædicando scilicet, & proponendo Christum mediatorem, quem per fidem auditores apprehendant, eiusque iustit â per fidem apprehensa, sibique imputatâ iustificentur, & eximantur ab omni culpa & pœna. Patet, quia verba illa apparenter generalia, & indeterminata, non magis exprimunt id fieri debere per prædicationẽ, vt hæretici volunt; quàm per indulgentias. Ergo ab illis, æquè ac à nobis, non alia ratione concludi potest, cõcessum esse quod vtrique intendimus, nisi quia modus ille soluendi est vnus quidam modus, qui ad Ecclesiæ vtilitatem, & ad Dei gloriam expedit. Adde quòd modus soluendi prædicando tantùm, vt volunt hæretici, leue quid est, & impropriè dictum. Nam habere potestatem prædicandi, non est habere potestatem soluendi propriè; sicut prædicare non est soluere, sed tantùm indicare per quid possint auditores solui: quod illi quoque qui non sunt Prælati Ecclesiæ, neque successores Apostolorum, imò & muti codices, & Dæmones quoque præstare possunt: *Exibant enim a multis Dæmonia clamantia, & dicentia: Quia tu es filius Dei*, Luc. 4. v. 41. Ergo illa Nouatorum interpretatio & impropria est, & mirè deiicit mirabilem illam potestatem Petro eximiè concessam, propter illam confessionem eximiã, *Tu es Christus filius Dei viui*: cæterisque Apostolis deinde communicatam, & à SS. Patribus mirabiliter commendatam. Denique vsus & traditio Ecclesiæ à primis vsque temporibus meliùs indicant sensum verborum prædictorum, & determinationem, si quæ sit, quàm temeraria Nouatorum imaginatio. Atqui vsus indulgentiarum in Ecclesia antiquissimus est, & ab ipsis Apostolis vt mox ostendam: ergo, &c. Videri potest Valentia quæst. 20. puncto 2. col. 1. 2. & 3. vbi hoc argumentum fusiùs prosequitur.

46. Confirmatur exemplo Apostoli.

Probatur secundò, ex facto Pauli Apostoli 2. Cor. 2. vbi partem pœnarum, iudicio Dei debitarum, Corinthio incestuoso remisit aliorum Corinthiorum rogatu, Christi authoritate: idque non mediante sacramento, aut sacrificio: Nam nihil tale ex contextu colligi potest. Pauli verba sunt: *Cui autem aliquid donastis*, id est, donari petistis, *& ego*, supple donaui. *Nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi*, subaudi, donaui.

Respondent hæretici, Paulum dumtaxat remisisse Corinthio pœnam in foro externo ecclesiastico debitam, disciplinæ causa ad aliorum ædificationem impositam, non autem pœnam in foro Dei, siue iudicio diuino debitam. Quod probant primò, quia Ecclesia Corinthi simul cum Paulo pœnam illam condonauit: indulgentia verò nonnisi à Pastoribus concedi potest secundum nos. Secundò, quia pœna illa publica erat, & Ecclesiæ iudicio imposita, vt patet 1. Cor. 5. v. 3. & 4. Addit tertiò Kemnitius, si locus iste indulgentias Pontificias probat, ostendendum nobis esse Corinthium illum per aliquam bullam indulgentiam obtinuisse,

Digitized by Google

datâ aliquâ pecuniæ ſummâ, vel peregrinatione ſuſcepta.

47. Refutatur cauillatio hæreticorũ.

Sed vt ab hoc incipiamus, ineptus eſt Kemnicius, & ignarus fidei noſtræ, ſi nos credere exiſtimat bullam Pontificiam, & alia quæ recenſet, ad conceſſionem indulgentiarum neceſſaria eſſe. Sufficit enim vt quomodocunque condonatio fiat, aliqua iuſta & pia de cauſa, propter quam indulgẽtia ad Dei gloriam, & ad Eccleſiæ vtilitatem cedat: qualem cauſam defuiſſe Apoſtolo nefas eſt dubitare. Secundò, quòd Paulus loquatur de pœna etiam apud Deum debita, ſiue in foro diuino, probatur, quia ſermo ibi eſt de pœna illa, quam 1. Cor. 5. dixerat ſe nomine, & loco Chriſti impoſuiſſe Corinthio: *Abſẽs*, inquit, *corpore, præſens autẽ ſpiritu, iam iudicaui vt præſens, cum quiſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, congregatis vobis & meo ſpiritu, cum virtute Domini noſtri Ieſu, tradere huiuſmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat in die Domini.* Nota, *in nomine Domini noſtri*, non in nomine Eccleſiæ, & *congregatis vobis & meo ſpiritu, cum virtute Domini noſtri Ieſu Chriſti*: Ex his enim verbis perſpicuum eſt, quod ex iiſdem colligunt Ambroſii commentarius, Anſelmus, Theophylactus, Theodoret. & alii ibidem, Chriſtum ſimul ſententiam illam cum Apoſtolo tuliſſe, & poenam illam impoſuiſſe, quod etiam miraculum vexationis Sathanæ confirmauit. Nota præterea, quod ait Apoſtolus, *vt Spiritus ſaluus fiat in die Domini*, quibus verbis ſignificat pœnã impoſitam ad diem Domini pertinere, & non tantùm ad iudicium Eccleſiaſticum, & regimen externum. Deinde Paulus 2. Cor. 2. affirmat ſe id quod Corinthio condonauit, donaſſe in perſona Chriſti, non autem in perſona ſua, aut in perſona Eccleſiæ. Ergo id quod donauit debitum erat Chriſto, ſeu iudicio Chriſti; & non tantùm diſciplinæ cauſâ, vel ſecundum iudicium Eccleſiæ: alioqui poenas ſibi ſoli, aut Eccleſiæ debitas, donaſſet potiùs ex ſua vel Eccleſiæ perſona, quàm ex perſona Chriſti.

48. De peruerſio hæret.

Malitiosè autem Geneuenſia Biblia hunc locum deprauarunt, quando loco verborum illorum, *Donãui in perſona Chriſti*, verterunt *in conſpectu Chriſti*, id eſt, vt explicant in notis marginalibus, *ex animo & verè*. Quæ corruptio repugnat primò ipſiſmet Bibliis Geneuenſibus cap. 1. eiuſdem epiſtolæ v. 11. vbi quod eſt ſimiliter in græco ἐν προσώπῳ, vertunt, *in perſona*, vt etiam vertitur alibi paſſim tam in ſacris, quàm in prophanis libris. Secundò, repugnat verſioni ſyriacæ, quæ noſtræ Vulgatæ conſentit. Tertiò, repugnat etiam lectioni aut quæ Hieronymi, Ambroſii, & aliorum Patrum; & interpretationi Theodoreti & Theophylacti, qui inde colligunt Paulum fuiſſe ἀντιπρόσωπον, id eſt, perſonam Chriſti. Quartò repugnat pariter rationi: quid enim oportebat affirmare Paulum ſe condonare verè & ex animo, coram Deo: cùm condonatio, & liberatio à Diaboli vexatione, futura eſſe indubitata, ſenſuque ipſo notiſſima? Addẽ quòd, vt liberatio impoſitioni retponderet, ſicut poena illa 1. Cor. 5. in nomine & virtute Chriſti iniuncta fuerat: ſic in nomine & virtute eiuſdẽ tolli debuit. Cúmque pœna illa grauiſſima fuerit, & aptiſſima ad Deo ipſi ſatisfaciendum, vnde habent hæretici fuiſſe tantùm in ſatisfactionem Eccleſiæ, maximè cùm Pauli verba ſupra expenſa contrarium ſatis apertè oſtendant? An quia fortè omnis poena Deo debita ſimul cum culpa ſemper tollitur? At hoc contra Scripturam eſſe alibi demonſtrauimus, & contrarium ſemper fuiſſe ſenſum & vſum Eccleſiæ teſtantur innumera ſanctorum Patrum teſtimonia, quæ ſunt adeo manifeſta, vt ne Caluinus quidem id potuerit diffiteri. Sic enim ſcribit lib. 3. Inſtit. c. 4. §. 38. *Parum*, inquit, *me mouent quæ in veterum ſcriptis de ſatisfactione paſſim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos (diam ſimpliciter) omnes fere, quorum libri extant, in hac parte lapſos eſſe.* At quem non minùs moueat impudentis Nouatoris temeritas, quàm tot doctiſſimorum, & Apoſtolis proximorum Patrum auctoritas?

49. Soluũtur argumenta contraria.

Neque valet coniectura hæreticorum allata num. 26. quæ poteſt primò in ipſos retorqueri. Nam ſecundum nos, & iuxta rei veritatem, poenæ quoque ad Eccleſiæ regimen, & diſciplinæ cauſâ impoſitæ, non niſi à Prælatis & paſtoribus relaxari poſſunt: ab illis ſcilicet quorum eſt Eccleſiam regere. Quare ſi hæc coniectura valeret, ne quidem ſermo ibi eſſet de relaxatione poenarum impoſitarum ad regimen Eccleſiæ. Secundò, falſum eſt Eccleſiam totam, pœnam illam impoſuiſſe. Nam Paulus ſolus impoſuit 1. Cor. 5. Atque ita etiam ſolus propriè remiſit, etſi rogatu & conſenſu Corinthiorum, ſicè Prælatorum tantùm, ſiue omnium, quorum conſenſus ratio haberi iure potuit in peccato publico & ſcandaloſo, idcóque ad omnes aliquo modo pertinentes: ſicut etiam poena illa ad omnium quoque ſatisfactionem & ædificationem aliquatenus pertinebat. Denique Paulus id quod donauit, donauit in perſona Chriſti. Nemo autem poteſt quicquam alicui donare ex perſona Principis, aut Dei, ſiue tanquam agens illorum nomine, & diſponens de aliquo ad ipſos pertinente, niſi hoc ipſum quod donat, illis debitum ſit. Ideoque Anſelmus hunc Pauli locum explicans, ſic inquit, *Vt ratum ei eſſet donauit oſtenderet apud Deum, ait in perſona Chriſti ſe donaſſe id quod donauit, id eſt, vice Chriſti qui ait, Quorum remiſeritis peccata &c.* Et Ambroſius lib. 1. De Pœnit. cap. 6. Epiphan. hæreſi 59. aliique Patres ex eo loco Apoſtoli probant vſum illius poteſtatis remittendi peccata conceſſæ Ioan 20. v. 23. *Quorum remiſeritis peccata &c.* quæ ſine dubio ad forum Dei pertinent. Videri poteſt Bellarm. lib. 2. de Indulgent. cap. 12. vbi alia refellit hæreti-

corum effugia circa textum Apostoli citatum.

50. Vsus indulgentiarũ in antiqua Ecclesia.

Tertia probatio efficax sumitur ex vsu Ecclesiæ vniuersæ ab Apostolis hucvsque, contra quem vsum disputare insolentissimæ esse insaniæ affirmat D. Augustinus epist. 118. ad Ianuar. Et quidem factum illud Pauli imitatos esse primitiuæ Ecclesiæ Prælatos, rogatu Martyrum, id est, Christianorum in carceribus ob fidem Christi detentorum, poenas publicis poenitentibus remittentes, testantur Tertull. qui secundò sæculo vixit, in lib. ad Martyres cap. 1. & S. Cyprian. qui vixit tertio sæculo lib. 3. epist. 15. alias 11. vbi Martyres rogat vt cum delectu commendent Episcopis lapsos, & ponderent delictorum genera, & desideria postulantium, in eoque sequantur antiquorum Martyrum consuetudinem. Quodque loquantur de poena debita coram Deo, & non tantùm in foro externo Ecclesiæ ad ipsius ædificationem, patet ex iisdem Doctoribus. Nam Tertull. lib. De Poenit. præsertim cap. 9. describens publicam poenitentiam, quam rogatu Martyrum dimitti solitam dixit lib. ad Martyres cap. 1. ait poenitentiam illam in peccatorem pronunciantem pro Dei indignatione fungi, & temporali afflictione æterna supplicia expungere. Quibus verbis nihil clarius dici potest ad ostendendum poenas illas ad Deum pertinere, illique deberi, atque etiam satisfacere. Cyprianus verò lib. de Lapsis, poenitentiam eandem describens, dicit debere poenitentes stratos solo adhærere cineri, in cilicio & sordibus volutari &c. iustis operibus incumbere, quibus peccata purgantur, eleemosynis insistere, quibus à morte animæ liberantur. Atqui purgatio peccatorum, & animæ liberatio, apud Deum fit, & ad forum internum pertinet. Ergo poenitentiæ quæ ab antiquis relaxabantur, censebantur impositæ non tantùm ad externum Ecclesiæ regimen & ædificationem, sed & multò magis ad satisfaciendum Deo. Similiterque non solùm relaxabantur coram Ecclesia, ita vt poenitentes apud eam solam essent ab illis obeundis liberi, & æquè rei poenæ manerent corã Deo: sed ita vt intuitu precum, & passionum Martyrum, apud Deum quoque reatus poenæ extingueretur. Idcóque Cyprian. epist. 14. dicit hanc relaxationem fuisse factam per intercessionem Martyrum, eo quòd poenitentes *auxilio eorum adiuuari apud Dominum in delictis suis possent*. Et certè alioqui non tam profuisset poenitentibus, quàm nocuisset huiusmodi relaxatio in foro tantùm externo facta. Plura contra istam euasionem vide apud Valent. loco supra cit.

51. Eundem vsum testantur sæculo 4. Concilium Ancyranum can. 5. & Nicænum primum can. 11. & sæculo 5. Basilius relatus à Photio in Nomocanone can. 73. Sæculo autem 6. & deinceps à temporibus S. Gregori magni, adeo celebris fuit indulgentiarum vsus, adeóque perspicuus, vt ne id quidem hæretici negare audeant. Sanctus ipse Gregorius indulgentias in diebus stationum populo Romano concessit, vt testantur D. Thomas in 4. dist. 20. q. 1. a. 3. quæst. 2. & qui eum præcessit Alfisiodor. lib. 4. Sum. cap. De relaxationibus quæ fiunt per claues, De Paschali II. Leone III. Sergio II. Vrbano II. & aliis consequentibus affirmant testes omni exceptione maiores, relati à Valent. q. 20. p. 2. §. *Secundo loco*, & à Bellarmin. lib. 1. de Indulgent. cap. 3. Eadem potestas & vsus in Conciliis generalibus apertissimè cernitur. In Claromontano generali, teste S. Antonino parte 2. histor. tit. 16. cap. 1. §. 23. an. 1096. & paulò post in Lateran. an. 1115. sub Paschali II. & in altero Lateran. magno an. 1215. vbi cap. 62. emendantur abusus, qui circa vsum Indulgentiarum irrepserant. De Conc. generali Lugdunẽsi idem habetur in 6. De Poenit. & remiss. cap. 1. Tridentinum denique sess. 25. in Decreto de Indulgentiis contra Lutherum & sectarios, probat vsum prudentem & bene ordinatum indulgentiarum, emendatque abusus. Nouatores autem cùm tot Concilia generalia spernunt, imitantur, nisi potius peruicaciâ & superbiâ vincunt, antiquiores hæreticos; Arianos, qui Nicænum primum; Macedonianos, qui Constantinopolitanum primum; Nestorianos, qui Ephesinum primum; Eutychianos, qui Calcedonense; & alios qui alia suos errores damnãtia spreuerunt. Sed quidquid obstrepant, *semper fuit, & semper erit in Ecclesia plenariorum Conciliorum salubberrima authoritas*, vt ait S. August. epist. 118. ad Ianuarium.

SECTIO VI.

A quo, & quibus Indulgentiæ concedi possint?

52. Potestas illa primò & præcipuè conuenit S. Pontifici.

CIrca primum: certum est potestatem concedendi Indulgentias esse præcipuè in capite visibili Ecclesiæ Summo Pontifice. Patet quia Petro & successoribus dictum est singulariter, *Quodcunque solueris*. Constat etiam ex cap. *Cum ex eo*, De Poenit. & remiss. in Summo Pontifice ad indulgentias concedendas plenitudinem potestatis inesse. Idem confirmat vsus ipse. Nam ille præcipuè, imò solus plenarias concedit. Fauet etiam ratio: quia potestas distribuendi bona publica præcipuè conuenit Summo Principi, qui in Ecclesia visibili est Summus Pontifex. An verò cæteris Episcopis insit iure diuino, an solùm per concessionem Summi Pontificis potestate ab illo in ipsos deriuata, controuertunt Scholastici. Existimo cum Bellarm. lib. 1. cap. 11. §. *Altera dubitatio*, Suare disp. 49. sect. 1. num. 13. Aegid. Conine disp. 12. dub. 1. num. 8.

Digitized by Google

idem censendum ac de potestate iurisdictionis vniuersim diximus disp. 56. sect. 4. num. 42. Nam hæc etiam maxima ex parte iurisdictionis potestas est, vt paulò post videbimus num. 57. & sequentibus. Nimirum Apostolos cum D. Petro, eiusque successoribus, iure diuino & immediatè à Christo illam accepisse: cæteros verò à Summo Pontifice, à quo etiam augeri, minui, limitari, & adimi potest, vt vsu communi receptum est, & habetur cap. *Cum ex eo*, de Poenit. & remiss. & cap. *Romana* eod. tit. in 6. idque status Monarchici perfectioni conuenientius est, vt citra priuilegium, quale cæteris à Petro Apostolis concessum, potestas distribuendi bona communia reipublicæ, per se tantùm Principi supremo conueniat; aliis verò magistratibus, dependenter ab ipso.

53. Quomodo conuenit etiã Episcopis?

Quid autem & quantum hac in parte iure cõmuni possint Episcopi & alii, vide apud Bellarm. lib. 1. cap. 11. vbi docet Episcopos in tota sua dioecesi, & Metropolitanos in tota Prouincia, posse concedere indulgentias vnius anni in dedicatione Ecclesiæ. aliis verò temporibus 40. dierum tantùm, cap. *Cum ex eo*, supra cit. & cap. *Nostro*, ibidem. Legatos quoque Apostolicos posse concedere indulgentias iis in locis, ad quos eorum legatio se extendit, necnon summos Poenitentiarios, & Cardinales ad 100. dies, teste Nauarro, Palud. & aliis. Quod intellige de Episcopis & Metropolitanis aliisque supradictis, etiam nondum ordinatis. Nã hæc potestas non est potestas Ordinis, neque Ordinem supponit. Ideóque tum Summus Pontifex electus tantùm, seu nominatus, illam habet, tum aliis nondum ordinatis illam communicare potest, & exercere per se, & per alios nondum sacris ordinibus initiatos: vt contra Durandum docent D. Thomas, Palud. Sotus, Siluester, & alii, quos sequitur & citat Suarez disp. 49. sect. 3. num. 3.

Quid requiratur ad illius vsũ?

Ad vsum quoque huius potestatis, neque status gratiæ in concedente necessarius est, vt rectè ait D. Thom. 26. supplem. a. 4. neque certa formula verborum, aut certa cerimonia. Sufficiunt enim quæcunque verba, vel alia signa, quibus earum concessio sufficienter innotescat. Quæ verba, aut signa, si sunt clara, prout sonant accipienda sunt: si obscura & dubia, latè potiùs quàm strictè accipi debent: quia sunt fauor Principis: & odia restringi, fauores conuenit ampliari, *De regulis iuris in 6.*

54. Diluitur obiectio hæreticor

Ineptè verò faciunt hæretici, quando interrogant, Vnde Pontifici potestas illa includendi bullis suis thesaurum Christi meritorum: cùm nec Scribæ, nec Pharizæi legis Mosaicæ tale quicquam præsumpserint? Neque enim dicimus thesaurum Christi satisfactionum includi bullis Pontificis; quæ cùm adhibentur, sunt tantùm instrumenta publica, quibus innotescit Pontificis voluntas: quæ vt alio quouis signo innotescere potest, ita bullæ necessariæ non sunt. Satis autem constat ex sectione superiori Christum hanc potestatem dedisse Summo Pontifici, & aliis, quos vt loquitur Paulus 1. Cor. 4. constituit ministros & dispensatores mysteriorum Dei: quibus etiam dedit potestatem cœlum ipsum aperiendi, & soluendi eius ingrediendi impedimenta, id est, reatum culpæ & poenæ: quæ solutio, & apertio non fit sine applicatione meritorum Christi, vt non negant ipsimet hæretici. Quare neque negare possunt applicationem meritorum Christi subesse potestati Petri, & aliorũ qui Petro successerunt: quos iniquissimè comparant Scribis, & Pharizæis, legis antiquæ sacerdotibus: cùm teste Paulo Hebr. 8. v. 6. & alibi passim, nouum Testamentum longè melioribus promissionibus sancitum sit. Cur autem Christus hoc priuilegiũ legi gratiæ reseruauerit, ratio reddi potest tum ex perfectione eiusdem legis, in qua abundantiùs communicatur Dei gratia, & liberalior fit remissio: tum etiam ex eo quòd ante Christi mortem nõdum erat thesaurus ille consũmatus quoad Christi merita, à quibus omne aliud meritum virtutem accipit: vt recte ait Suarez disp. 51. De pœnit. sect. 2. nu. 20. Addi tertiò potest, quia sicut potestas sacramentorum, sacrificiorum, & sacerdotum legis antiquæ, non se extendebat ad veram culpæ remissionem, sed vt loquitur Paulus ad Galat. 4. v. 9. erant infirma & egena elementa: ita neque ad remissionem poenæ. Neque ideo tamen, vt sapienter addit auctor supra citatus, huius thesauri inchoatio ante tempus legis gratiæ inutiliter facta fuit ex superabundantibus satisfactionibus Sanctorũ legis naturæ, & Mosaicæ: quia futurum erat vt suo tempore dispensaretur ab Euangelico patrefamilias, qui prolaturus erat de thesauro suo noua & vetera: iuxta Christi parabolam Matth. 13.

55. Possunt indulgentiæ applicari defunctis.

Circa secundum: dico secundò, Indulgentias non modò viuis concedi, sed & defunctis applicari posse. De quo postremo licet olim dubitarint nonnulli è Doctoribus Catholicis; dubium tamen omne sustuliisse debuit, tum vsus Ecclesiæ antiquissimus, nam ante annos 700. Paschalis I. hac potestate vsus est, vt refert Bellarm. lib. 1. cap. 14. q. 1. in fine. Itemque Sixtus IV. Innocentius VIII. Pius II. & alii teste Gabriele in additione ad lectionem 57. in can. Tum definitio expressa Leonis X. in bulla contra Lutherum. Tum etiam quia defunctorum animæ, Purgatorii poenis obnoxiæ, sunt capaces talis subsidii: ac si possint etiam à priuatis satisfactiones sue illis applicari, vt posse constat ex 1. Cor. 15. v. 29. *Alioquin si mortui non resurgunt, quid faciunt qui baptizantur pro mortuis?* & 2. Mach. 12. v. 46. *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur*: & ex D. Augustin. serm. 32. de ver-

Digitized by Google

bis Apostoli, alias 34. vbi dicit, *Orationibus sanctæ Ecclesiæ, sacrificio salutari, & eleemosynis quæ pro mortuorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari:* sed, vt addit paulo post, *qui ita vixerunt ante mortem, vt possint eis vtilis esse post mortem. Nam qui sine fide quæ per dilectionem operatur, eiusque sacramentis, de corporibus exierunt, frustra illis à suis huiusmodi pietatis impenduntur officia.* Si, inquam, possunt priuati satisfactiones suas, eleemosynas, ieiunia, orationes & sacrificia pro defunctis offerre Deo, atque illis ita prodesse, quidni possit Ecclesia iisdem applicare satisfactiones Christi & sanctorum, existentibus omnibus aliis conditionibus, quæ ad iustam Ecclesiastici thesauri dispensationem requiri possunt? Neque enim, vt ait S. August. lib. 20. de Ciuit. cap. 9. piorum animæ defunctorum ab Ecclesia separantur, quæ est regnum Christi, alioqui nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Christi: sed potiùs coniunctæ manent fidelibus eiusdem vinculo fidei & charitatis: quæ vnio est fundamentum istius communicationis, vt diximus num. 8.

56. Nec refert quòd illæ iam sunt extra iurisdictionem Ecclesiæ visibilis, vt docet Gelasius Papa epist. ad Paustum, & epist. ad Episcopos Dardaniæ, relatis in corpore Iuris canonici, causâ 24. q. 2. can. *Legatur*, & can. *Nec quisquam*, vbi disertè ait homines mortuos, quia sunt in diuino iudicio constituti, non posse ab Ecclesia iudicari. Hoc inquam, non obest, quia tantùm impedit ne illis dari possint per modum absolutionis, at non per modum suffragii, qua de re paulò post. Non item obest quod præcipuè obiiciunt aduersarii, Petro dictum fuisse Matth. 16. *Quodcunque solueris super terram*, non autem, *extra terram*. Respondeo enim cum Suar. disp. 53. sect. 2. num. 2. Particulam, *super terram*, referri ad actum solutionis qui super terram fit, non autem ad obiectum solutionis, quasi necesse sit rem pro qua fit solutio, aut per quam fit, super terram existere. Sicut etiam quod additur, *Solutum erit & in cœlis*, de solutione ipsa, non de obiecto intelligendum est, ita vt sensus sit, solutionem factam in terra, ratam fore in cœlo. Sanè satisfactiones Christi Domini & Sanctorum, ex quibus fit solutio, in terra iam non sunt, sed aliàs fuerunt. Sicque personæ quæ soluuntur, aut reatus à quo liberantur non est necesse in terra existant, sed sufficit aliàs fuisse, maximè cum delinquens soleat incurrere forum loci in quo deliquit.

57. Aliter tamen confertur viuis indulgentia, & aliter applicatur defunctis. Viuis enim conceditur per potestatem iurisdictionis, absoluendo iudiciariè à reatu pœnæ: ita vt Pontifex non solùm Deo pretium offerat solutionis ex thesauro Ecclesiæ depromptum; sed etiam directè, vt iudex, liberet à debito pœnæ illum, cui concedit indulgentiam, iuridicéque & authenticè eũ absoluat: sicut in sacramento Poenit. sacerdos non solùm offert Deo, & poenitenti applicat merita Christi, quibus abundè satisfecit pro culpa poenitentis: sed etiam vt iudex absoluit ab eadem culpa. Vel simili modo ac si Princeps, aut Iudex solueret debitum alicuius priuati ex publico ærario, & simul eum iuridicè liberaret à tali debito, & ex carcere educeret, adiuncta sua authoritate suprà simplicem solutionem. Probatur ex cap. *Quod autem consuluisti*, De Poenit. & remiss. vbi Alexander III. ab Episcopo Cantuariensi consultus vtrum indulgentiæ concessæ ab Episcopis in dedicationibus Ecclesiarum, prosint aliis quàm eorum subditis: respondet non prodesse. Et rationem reddit: quia non potest nisi proprius Iudex absoluere vel ligare. Quæ responsio supponit indulgentiam viuis concessam, de quibus ibi sermo est, iudiciariam absolutionem esse. Et Leo X. in decretali missa ad Caietanum, dicit Summum Pontificem posse viuis & defunctis tollere impedimentum peccatorum, & aperire regnum cœlorum, concedendo indulgentias, Apostolica authoritate thesaurum Iesu Christi & sanctorum dispensando: & per modum absolutionis indulgentiam ipsam concedendo (viuis scilicet: nam de mortuis subiungit immediatè post) vel per modum suffragii illam transferendo: nimirum in defunctos, quos non potest iuridicè absoluere. Eodem verbo absolutionis non rarò vtuntur Sum. Pontifices, quando indulgentias viuis concedunt: vt Martinus V. in fine Concilii Constantiensis, vbi plenariam indulgentiam concedens, ait se plenariam absolutionem concedere: & Gregorius VII. in epistolis variis indulgentiam largiens, eodem nomine absolutionis passim vtitur.

58. At verò quòd defuncti non ita possint per indulgentias iuridicè à poena absolui, probatur quia, vt rectè pronunciauit Alexander tertius, capite *Quod autem*, suprà citato, non potest nisi proprius iudex absoluere vel ligare sibi subditos. At defuncti non sunt Pontificis subditi, quorum neque Pastor amplius est, neque iudex: vt patet ex dictis num. 56. Est enim Pastor & caput dumtaxat Ecclesiæ visibilis. Mortui autem non sunt amplius illius membra. Conceduntur itaque, seu applicantur potius per modum suffragii, offerendo Deo satisfactiones Christi, & sanctorum, quasi pretium quo defunctorum animæ redimantur à poena, quam Deus solus immediatè remittit, non autem Summus Pontifex, qui soluit tantùm, non absoluit: sed offert solummodo pretium de thesauro Ecclesiæ: Deus verò acceptat, & poenam remittit, vel misericorditer tantùm, & ex congruo & benignitate quadam, non autem ex condigno & lege infallibili, vt Caiet. tom. 1. opusc. tract. 15. q. 5. & 6. Bellarm. lib. 1. c. 14. q. 4. & alii multi putant: Quèadmodum preces viuentium, ieiunia, & eleemo-

Aliter tamẽ quàm viuis: & per modum solutionis tantùm.

Non enim per modũ absolutionis.

ſynæ noſtræ, non proſunt illis, quibus applicamus, niſi quibus, quando, & quantum Deus voluerit: quia vim tantùm impetratiuam habent ex miſericordia Dei. Siue potiùs vt Aegid. & Suar. poſt D. Thomam, Alenſem, Bonauent. Gabr. & alios, exiſtimant, ex condigno & infallibiliter, propter pactum cum Chriſto initum, & promiſſionem abſolutè Petro factam, *Quodcunque ſolueris* &c. Nomine enim ſolutionis non intelligitur ibi tantùm abſolutio iudiciaria: ſed etiam omnis diſpenſatio, imò & omnis fauor, & gratia ex vi illius poteſtatis facta; quæ debet ſemper valida eſſe, & rata apud Deum, ſi fiat ex rationabili cauſa, ſeu claue non errante. Nam clauis ſemper aperit ſi non errat, id eſt, ſi rationabiliter id intendat: alioquin inepta eſſet clauis, & ſolùm ex illius defectu, & inefficacia non ſequeretur effectus, quod planè repugnat Chriſti verbis, *quodcunque ſolueris* &c. Confirmatur ex Decretali Leonis X. miſſa ad Cardinalem Caietanum, vbi dicit Omnes tam viuos quàm defunctos, qui veraciter omnes indulgentias huiuſmodi conſecuti fuerint, à tanta temporali poena ſecundum diuinam inſtitutionem pro peccatis ſuis debita liberari, quanta conceſſæ & acquiſitæ indulgentiæ æquiualet. Quorum verborum ſenſus non eſt, liberari ſi à Deo acceptetur: hoc enim eſſet dicere, liberari ſi liberetur: ſed liberari infallibiliter, ſi rite fiat id, quod præſcribitur ad lucrandam indulgentiam rationabiliter datam.

Profintne infallibiliter?

59. Poteſtas iſta non eſt iuriſdictionis adæquatè.

Ex dictis collige, poteſtatem cõcedendi indulgentias, non eſſe vniuerſim poteſtatem iuriſdictionis, ſed authoritatis cuiuſdam diſpenſatiuæ theſauri eccleſiaſtici: quæ circa viuos quidem adiunctam habet rationem iuriſdictionis, & abſolutionis: circa defunctos verò, diſpenſationis tantùm, & ſolutionis factæ per modũ ſuffragii. Vtraque verò commune id habet, quòd fiat diſpenſatio theſauri eccleſiaſtici, & ſolutio ex Chriſti Domini & ſanctorum ſatisfactionibus aplicatis, vt docet Clemens VI. Extrauag. *Vnigenitus*. Et ratio eſt: Quia Prælati Eccleſiæ non ſunt abſoluti domini, vt poſſint pro arbitrio, ſine vlla compenſatione, cõdonare hominibus culpas aut poenas quibus obnoxii ſunt in foro Dei: ſed ita vt aliqua ratione iuſtitiæ Dei ſatisfiat. Vnde ne quidem per ſacramenta, aut per ſacrificium remittitur culpa, vel poena, ſeu æterna, ſeu temporalis, ſine compenſatione: ſed applicatur pretium ſanguinis Chriſti, vt ſatisfiat iuſtitiæ diuinæ, iuxta illud ad Hebr. 9. *Sine ſanguinis effuſione non fit remiſſio*. At verò differunt in eo quòd reſpectu defunctorum, ſit ſolutio tantùm & applicatio ſatisfactionum à Deo acceptanda: reſpectu autem viuorum, præter ſolutionem pretii æquiualentis, abſolutio vera & iudiciaria ſit: quæ abſolutio non eſt ſuperflua, ſed nonnum potius beneficium eſt, ſeu differentia ſolutionis perfectiua, cùm illa non quomodocunque, ſed iuridicè & authenticè fiat. Vt ſi quis v. g. à triremibus liberaretur, non merâ pretii ſolutione, ſed iuridica & authoritatiua. Porro hæc differentia & perfectio non eſt inſeparabilis abſolutè à conceſſione indulgentiarum reſpectu viuorum. Nam vt rectè, ait Bellar. lib. 1. cap. 5. propoſ. 2. poſſet viuis æquè ac defunctis indulgentia dari per meram ſolutionem, ſine abſolutione: id tamen non fieri communiter, ſed neque ab Epiſcopis Summo Pontifice inferioribus poſſe fieri ſecundum poteſtatem ipſis de facto conceſſam, patet ex can. *Quod autem*, ſupra cit.

69. Alteta explicati illius differentiæ, inter viuos & defunctos.

Aliter hanc differentiam exponit vnus è Recentioribus diſp 27. de Poenit. ſect. 5. Vbi primò contendit non poſſe Summum Pontificem ſoluere ex theſauro pro defunctis. Quia, inquit, poteſtas diſpenſandi theſaurum, cùm ſit authoritas Apoſtolica & Pontificia, debet fundari, & includi in poteſtate, & munere Sum. Pontificis, quod accepit per illa Chriſti verba, *Paſce oues meas*. Ergo nõ poteſt diſtribuere niſi ouibus ſibi commiſſis. At defuncti non ſunt ampliùs oues ei commiſſæ, id eſt, non ſubſunt ampliùs eius regimini: quia non ſunt membra viſibilis Eccleſiæ, cuius ſolius ipſe eſt caput & Paſtor. Item ſi Pontifex poſſet aperire theſaurum ad ſoluendum pro defuncto: poſſet concedere indulgentiam immediatè per modum ſolutionis aut ſuffragii ipſi defuncto, abſque interuentu alterius viui, cuius orationes vel pia opera requirat, vt acquiratur indulgentia pro defuncto. Solutio enim ſecundum ſe non requirit interuentum tertii, per cuius manus deferatur. Hoc autem eſt inauditum, & inuſitatum in Eccleſia. Ergo non agnouerunt in ſe Pontifices talem poteſtatem, quâ nunquam vſi ſunt. Neque dicas ideo requiri interuentum viuorum, quia ad concedendum indulgentiam, requiritur cauſa iuſta & proportionata, quæ cauſa eſt oratio, vel opera pia alicuius viui, oblata pro defuncto. Contra enim, non ſemper requiritur pro iuſta cauſa opus faciendum; ſed ſæpe dantur indulgentiæ pro deuotione & operibus præteritis. Sicut paſſim datur indulgentia plenaria in articulo mortis perſonis de Eccleſia bene meritis, propter merita præcedentia: & Religioſis ob vitam religioſè ante actam. Quidni ergo poſſet ſimiliter Pontifex dare indulgentiam immediatè defuncto de Eccleſia bene merito, propter merita & bona opera vitæ præteritæ?

Secundò, refutatâ eorum opinione, qui exiſtimarent indulgentiam tunc temporis dari directè & immediatè viuenti, cum facultate vt poſſit illam transferre in defunctum, per modum ſuffragii, ſimili modo quo poteſt ſuas illi ſatisfactiones applicare addit numero 70. Pontificem tunc non concedere indulgentiam, immediatè viuenti, neque etiam defuncto: ſed ſolùm ex theſauro Eccleſiæ eleuare pia opera fidelium

Digitized by Google

viuentium, ita vt non solùm sint satisfactoria ex opere operantis, sed etiam ex opere operato, si pro defunctis offerantur. Quod non aliter probat, nisi quia ille modus possibilis est, & per illum vitantur inconuenientia contra præcedentes allata.

61. Non satisfacit.

Sed contra: Primò, illa potestas Summi Pontificis eleuandi opera fidelium ad satisfaciendum ex opere operato, mihi videtur fuisse hucusque incognita Theologis, & inaudita in scholis, quæ hactenus nullam agnouerunt satisfactionem ex opere operato, præter sacramentales habentes illam vim ex institutione sacramenti Poenitentiæ. Secundò, sicut sacerdos in sacramento Poenitentiæ non concedit indulgentiam proprie loquendo, quando eleuat opera iniuncta pœnitenti ad satisfaciendum ex opere operato: ita neque Summus Pontifex concedit indulgentiam proprie loquendo, quando tantùm eleuat opera pia viuentium vt sint satisfactiones ex opere operato. Et tamen communis sensus fidelium est, & Leo X. in decreto supra cit. affirmat indulgentias pro defunctis, æquè ac pro viuis concedi. Tertiò, vel Summus Pontifex applicat defunctis auctoritate Pontificia eiusmodi satisfactiones, quas eleuat; vel applicantur solùm ab eo, à quo fiunt. Si primum: ergo Summus Pontifex exercet potestatem suam & authoritatem circa non oues, quod Auctor ille negat fieri posse, & propter quod discedit à communi sententia. Si secundum: ergo æquè incertum est illas satisfactiones fidelium prodesse defunctis, & applicari infallibiliter, quàm est incertum suffragia & satisfactiones vnius viuentis prodesse infallibiliter alteri. Quod falsum esse puto, propter ea quæ paulò ante diximus, iterumque dicemus sect. 8. initio.

62. Refutatur illius fundamentum.

Ad primum eius argumentum Respondeo, sicut ad officium Summi Pontificis, datum per illa verba, *Pasce oues meas*, pertinet non modò docere fideles, qui sunt membra Ecclesiæ visibilis: sed etiam infideles, & mittere ad illos prædicatores, per quos ad fidem Christi conuertantur, atque ita illis, quamuis sibi non subditis, & non ouibus, dispensare verbum Dei: sic ad eiusdem officium pertinere, vt possit authoritate publica succurrere defunctis per modum suffragii ex communi thesauro Ecclesiæ. Præsertim cùm etiam vnusquisque fidelis possit priuata authoritate illis succurrere suis satisfactionibus per modum suffragii: quod vt Pontifex faciat, non est opus vt habeat iurisdictionem in defunctos: sed vt habeat potestatem in thesaurum Ecclesiæ, ex quo possit non solùm ouibus, sed & aliis indigentibus dispensare. Sicut in ciuili Republica potest is, qui illi præest, habere potestatem dispensandi ærarium publicum non modò in ciuium necessitates, sed etiam aliorum, quando id expedire iudicauerit.

Ad secundum Respondeo cum Suare disp. 53. sect. 3. n. 14. ideo Pontifices non vti illa potestate, quia in concedendis indulgentiis, etiam pro defunctis, respiciunt semper vtilitatem & ædificationem militantis & visibilis Ecclesiæ, quæ subest immediatè ipsorum regimini: quam vtilitatem procurant iniungendo aliqua pia opera viuentibus, quorum interuentu indulgentias pro defunctis concedunt: neque enim possunt defunctis ipsis tale opus iniungere & intimare. Absolutè verò loquendo, possent sine viuentium interuentu concedere defunctis indulgentiam per modum solutionis, exhibendo Deo de thesauro Ecclesiæ satisfactionem Christi & Sanctorum, quantum est opus ad soluendum debitum pœnæ.

SECTIO VII.

Vtrum ad valorem Indulgentiarum requiratur causa legitima?

63. Conclusio affirmat.

Respondeo, præter authoritatem in concedente, necessariam, requiri piam causam & iustã ac proportionatã effectui, sine qua licet rata esse possit indulgentia, quoad ea quæ pendent ex solo iure Ecclesiastico, & mera voluntate Pontificis: qualia sunt, priuilegia eligendi confessarium qui possit etiam à peccatis reseruatis, & à Censuris absoluere, facultas obtinendi dispensationẽ in voti sub huiusmodi cõfessariis, & alia id genus: non tamen quoad expiationem reatus pœnæ coram Deo, vel in hac vita vel in futura debitæ, siue in foro pœnitentiæ iniunctæ, siue aliter necessariæ. Ita Suares disp. 54. sect. 2. & 3. Bellarm. lib. 1. de Indulg. c. 12. Aegid. Con. disp. 12. dub. 6. post Dominicum Sotum, Bonauent. Richard. & alios antiq. Probatur primò, quia ipsimet Summi Pontifices fatentur se non habere potestatem concedendi indulgentias nisi ex causa rationabili, vt videre est in Clement. *Vnigenitus*, & in epist. decretali Leonis X. ad Caiet. Nec aliud exigit Constantiense à suspectis de hæresi, quàm vt credant habere Pontificem potestatem ad concedendas indulgentias ex causa rationabili. Non est autem rationabilis, si non est proportionata: nam recta ratio vitat quicquid est imporportionatũ: & manifestè contra rectam rationem est, si quis ad vulgarem captiuum redimendum effundat ingentem thesaurum: & si de alienis diuitiis sibi commissis ad dispensandum id faciat, non id facit vt fidelis dispensator, sed vt indiscretus dilapidator, & prodigus.

64. Probatur ex Script.

Secundò, potestas concedendi indulgentias data est in ædificationem, non in destructionem, 1. Cor. 4. & 2. Cor. 10. Ergo ad finem illius potestatis necessarium est vt indulgentiæ non concedantur sine causa rationabili: alioqui enim eneruaretur Ecclesiastica disciplina, vt dicitur in cap. *Cum ex eo*, De Pœnitent. & remission. atque ita cederent

cederent in destructionem Ecclesiæ. Probo consequentiam, quia conditio quæ est omnino necessaria ad finem principalem propter quem conceditur potestas, necessaria est ad valorem & substantiam actus talis potestatis, alioqui illa potestas esset imprudèter & inordinatè concessa. Ergo si causa rationabilis est omnino necessaria, vt verè est, ad finem huius potestatis, quæ est ædificatio, non destructio Ecclesiæ; necessaria pariter est ad substantiam & valorem actus eiusdem potestatis. Confirmatur, quia absurdũ est existimare, fore vt omnes animæ defunctorum liberentur statim à Purgatorio, aut omnes etiá viuentes à pœnis debitis, si summus Pontifex sine causa rationabili velit, & iubeat omnes liberari.

65. Confirmatur ratione.

Confirmatur secundò, quia vt rectè argumentatur Suarez sect. 2. disputationis supra citatæ, quoties potestas est ad dispensandum, siue immutandum aliquo modo ius ab ipsomet superiore constitutum; de substantia, & valore actus est, vt non fiat sine iusta & rationabili causa. Neque enim potest irrationabilis voluntas inferioris irritare rationabilem voluntatem superioris, neque est verisimile superiorem, præsertim prudentem, talem dedisse potestatem: & alioqui nullius fere momenti esset superioris lex, si posset inferior sine causa rationabili eius obligationem tollere. Atqui Pontifex per indulgentias dispensat quodammodo in iure diuino, quo Deus statuit, vt qui peccauit, & non plenè satisfecit, satispatiatur vel hac in vita, vel in futura. Ergo ad substantiam & valorem actus huius potestatis causa iusta & rationabilis necessaria est. Non est autem iusta & rationabilis, si non habet proportionem cum effectu: ergo, &c. Denique sicut Deus ita est summè misericors, vt sit etiam summè iustus: & post primam Baptismi regenerationem, & fidem Christo datam, peccantibus non simul omnem pœnam cum culpa remittit, sed in hoc seruat iustitiæ ordinem: sic, vt eius ministri siue per sacramenta, siue aliter pœnas remittant, debent iustitiæ & æquitatis rationem habere. Denique sicut dispensatio in votis, & iuramentis non valet sine iusta causâ, & rationabili: sic neque in relaxatione pœnæ Deo debitæ, quæ fit per indulgentias.

66. Quæ causa sit proportionata?

Per causam autem proportionatam non intelligo hoc loco talem, vt sit per se tantopere satisfactoria, quantum est debitum pœnæ, quod per indulgentiam tollitur: sic enim nulla fieret liberalis remissio, sed mera compensatio, & æqualis satisfactio, quod est contra naturam indulgentiarum: sed requiritur vt sit proportio inter causam & indulgentiam: ita vt illa sit occasio sufficiens istius concedendæ, & quæuis non sufficiat pro quauis indulgentia, sed proportione quadam pro maiori maior necessaria sit. Cuius proportionis exemplum habet Diuus Thomas in 4. distinct. 20. quæst. 1. artic. 3. quæst. 2. ad 4. vbi testatur suo tempore venientibus ad limina Apostolorum ex regionibus vltramontanis propositam fuisse indulgentiam quinque annorum: aliis intra montes, sed remotioribus, trium annorũ: vicinioribus, vnius anni dumtaxat.

67. Quæ ad illam requirantur?

Porrò, vt rectè Bellarm. notat lib. 1. de Indulgentiis, cap. 12. ad causam iustam & proportionatam duo requiruntur. Primò, finis aliquis pius, ac Deo gratus, cuius assecutio magis placeat Deo, quàm pœna, vel satisfactio pœnitentialis, quæ per indulgentiam relaxatur. Is enim fidelis & prudens est dispensator cœlestis thesauri, qui fideliter agit causam Domini tui, & iuxta eius voluntatem operatur ad ipsius bonum. Secundò, opus aliquod, per quod probabiliter finis ille obtineri possit, cuius operis vtilitas & proportio ad finem consequendum non est solùm spectanda ex efficacia particularis cuiusque operis, quando indulgentiæ conceduntur magnæ, vel toti communitati fidelium: sed prout est coniunctum cum operibus omnium aliorum. Vnde contingit, vt quod in se exiguum est, & parum ad finem propositum conducit; ex illa tamen coniunctione magnum euadat, & fini satis proportionatum. Huiusmodi fines esse solent, promotio cultus Dei, vel propagatio fidei, hostium Ecclesiæ subactio vel conuersio, aut alterius necessitatis ecclesiasticæ subleuatio, maior Sedis Apostolicæ reuerentia, vnio Principum Christianorum, & pax Ecclesiæ, Templorum, & piorum locorum extructio, subuentio pauperum, & his similia.

68. Respondet instantiis hæreticorum.

Vnde collige primò, iniustè conqueri Sectarios, quòd indulgentiæ leui de causa concedantur: cùm secundum veram Catholicorum sententiam, non nisi ex causa proportionata concedi possint. Quæ eorum querela tantò ineptior est, quòd ipsi vnico actui fidei indulgentiam plenissimam tribuant, videlicet plenam remissionem culpæ, & pœnæ totius: at nos pro leuibus indulgentiis, & fidem, & aliud præterea requirimus, vt proportio causæ existat.

Collige secundò, eosdem ineptè interrogare cur summus Pontifex pro ea charitate, quâ in oues sibi commissas flagrare debet, non euacuet quàm citissimè Purgatorium? Quasi possit sine causa sufficienti defunctorum pœnas ad arbitrium relaxare. Tertiò, falsò eosdem obiicere, fideles vsu indulgentiarum ab exercitio bonorum operum auocari, spe veniæ facilè consequendæ. Cùm & communiter iniungantur bona opera, ad earum consecutionem: & vsu ipso constet, quàm inde crescat confessionum, communionum, eleemosynarum, peregrinationum, prædicationum, & aliorum piorum operum exercitiũ. Præterquam quòd valde imprudenter hoc obiiciunt, qui ab illo prætextu hæresim auspicati, alios errores ex aliis texẽtes, cò tãdẽ venerũt, vt sine vllo labore pœnitẽtię, sine

vllis operibus bonis culpas omnes & pœnas sola fide remitti, solâ illâ nos iustificari, & cœlum consequi asseruerint.

69. Causa debet esse pia

Collige tertiò, parum cohærenter loqui aliquos Doctores Catholicos: qui tametsi negant ad valorem indulgentiarum requiri causam piam (hoc enim nullus Theologorum inficiatur, vt testatur Suarez disp. 54. sect. 1. n. 2. propter rationes superiùs allatas, n. 63. & seqq.) volunt tamen sufficere causam improportionatam, ad hoc vt validè quàuis illicitè concedantur. Hoc inquam, parum cohærenter ab illis dicitur. Nam si causa necessariò requiritur ex natura huius potestatis ac ministerii: ergo maior ad maiorem effectum: alioquin idem erit minores indulgentias sine vlla causa concedere, ac maiores sine causa quæ proportionem habeat. Sic enim totus excessus maiorum carebit causâ: quia quantum concessio indulgentiæ excedit causam, tantum in illa conceditur sine causa, aut supra vim causæ, pro sola voluntate concedentis. Ergo vt integrè habeat causam, requiritur causa ipsi toti proportionata. Confirmatur, quia perinde est bona maxima leui ex causa & insufficienti prodigere, atque exigua sine vlla causa: imò magis prodigus esset qui magna bona sine causa proportionata expenderet, quàm qui parua sine vlla causa.

70. Argumenta contra necessitatem proportionis.

Neque magni sunt momenti quæ in contrarium obiiciunt. Aiunt primò, ex vsu Ecclesiæ indulgentias magnas leui de causa concedi: vt cùm datur indulgentia plenaria omnibus adstantibus ante fores Basilicæ Romanæ S. Petri, dum Summus Pontifex in die Paschatis solemniter populo benedicit. Secundò, pro eadem causa concedi inæquales, modò maiores, modò minores: quod non fieret, si proportio æqualitatis requireretur. Tertiò, ex communi axiomate indulgentias tantum valere, quantum sonant: alioqui fideles decipi. Quartò, indulgentias non niti iustâ causâ operis iniuncti, sed infinitis Christi satisfactionibus, quæ est causa sufficiens, imò transcendens omnem indulgentiæ condonationem. Quintò, Dei honorem, etsi minimum, maioris esse æstimationis, quàm remissionem pœnæ quamcunque, & sanctos pluris illum æstimare, quàm omnes suas satisfactiones: ergo quælibet causa pia ad Dei honorem pertinens sufficit vt quæuis maxima indulgentia concedi possit.

71. Diluitur primum.

Ad primum Respondeo primò, causam plerumque per se leuem, ex adiunctis magnam existere. Vt illa assistentia præ foribus Basilicæ Romanæ S. Petri, prout est cuiusque seorsim, & singillatim spectata, leue quid est: magna tamen illa populi frequentia his indulgentiis inuitata, magnũ quid est, & aptum atque vtile ad protestationem fidei de capite Ecclesiæ, & ad honorem Sedis Apostolicæ, qui est finis illius indulgentiæ. Respondeo secundò, quamuis non facilè damnandi sint Prælati, præsertim ab iis quorum non est causæ iustitiam examinare: non esse tamen existimandum excessum nullum posse contingere. Nam Lateranense sub Innocentio III. capite 62. non quemuis vsum indulgentiarum approbauit, sed indiscretas & superfluas, id est, causam excedentes quorundam Episcoporum indulgentias reprehendit, vt habetur cap. *Cùm ex eo*, De poenit. & remiss. Tridentinum quoque sessione vigesima quinta, initio Decreti de Indulgentiis, in earum concessione moderationem, iuxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit. Veteres autem in illis concedendis parcissimos fuisse notissimum est. Nam Innocentius III. cap. citato testatur Apostolicam Sedem solitam esse ordinariè non extendere indulgentias vltra condonationem pœnitentiæ vnius anni: & Innocentio antiquiores Sergius II. & Paschalis II. hic 40. dierum, ille trium tantùm annorum indulgentias concesserunt. De venientibus ad limina Apostolorum diximus antea, tempore D. Thomæ remotioribus fuisse datam indulgentiam quinque tantùm annorum: vicinioribus, trium: proximis, vnius tantùm. Lateran.

72. Soluitur secundum.

Ad secundum Respondeo cum Bellarm. quòd propter eandem causam dentur indulgentiæ inæquales, contingere posse, vel quia minores non adæquabant vim causæ, potest enim in causa esse excessus inæqualitatis: vel quia formaliter causa diuersa est ex variis adiunctis. Fieri enim potest vt idem opus bonum, sit modò magis, modò minùs proportionatum fini indulgentiæ, & magis vtile vel necessarium. Exempli gratiâ vrgente magna necessitate eadem eleemosyna plus confert ad subsidium pauperum: & instante magno periculo, eadem eleemosyna cum ieiunio magis est necessaria ad Deum placandum.

Satisfit rectio argum.

Ad tertium Dico axioma illud, *Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant*, intelligendum esse de iis quæ habent conditiones requisitas: quando scilicet non deest in causa pietas, & æquitas: in suscipiente, charitas: & in concedente, authoritas. Neque propterea decipiuntur fideles: tum quia non credunt infallibilem esse huius potestatis vsum: tum quia si defectus causæ contingit, lucrantur tantum, quantum fert causæ proportio. Nam quando indulgentiæ, propter defectum inæqualitatis causæ, conceduntur inualidè quoad tantum effectum; valent nihilominus pro minori proportionato: quia diuisibiles sunt, & vt sic habent causam proportionatam, atque ea debet esse concedentis intentio.

73. Refutatur quartum, & quintum.

Ad quartum Respondeo, indulgentias niti quidem, veluti fundamento, thesauro meritorum Christi, sed qui tamen non possit sine causa rationabili per Ministros dispensari, propter rationes allatas num. 63. & seqq. Quintum verò & vltimum argumentum aduersariorum nimis probat. Nam ex eo sequeretur huiusmodi dispensationem non solùm esse validam, sed etiam prudentem & rationabilem: quod tamen negant aduersa-

rii. Deinde dico cum Suare disp. 54. sect. 3. in fine, non esse hic considerandum diuinum honorem secundum se, sed vt intentum & quæsitum per tale medium. Sic autem non pertinet ad diuinum honorem, etiam minimum, vt talis finis quęratur per tale medium ipsi improportionatum. Quia etiam satisfactio pro pœna, & vindicta delictorum pertinet ad diuinum honorem: & hic longè maior est, quàm ille qui redundare posset ex causa pia leui, & improportionata maiori Dei gloriæ, quæ per aliud medium efficacius & proportionatum quærenda esset. Oportet ergo vt, omnibus pensatis, concessio indulgentiæ Deo maiorem gloriam afferat, quàm sine illa sperari possit ex rigida exactione pœnæ debitæ.

SECTIO VIII.

De modo concedendi indulgentias: deque earum effectu.

74. Modus duplex, absolutionis, & solutionis siue suffragii.

CIrca primum, de modo ipso concessionis, dictum est suprà, indulgentias viuis concedi per modum absolutionis: defunctis, tantùm per modum solutionis, seu suffragii, quæ tamen differt plurimùm à priuata satisfactione, quâ vnus pro alio satisfacit. Primò, quia illa fit publica authoritate, hæc priuata. Secundò, quia illa fit per dispensationem boni communis, vnde requirit causam iustam: hæc per applicationem boni priuati, ad quam sufficit voluntas applicantis. Tertiò, illa legitimè facta certiorem habet effectum: quia magis certa & expressa promissione nititur: nempe illa Petro factâ Matth. 16. *Quodcunque solueris*, &c. quam ad defunctos quoque extendi disertis verbis affirmat Innocentius III. cap. *A nobis* 2. De sentent. excom. §. *Nec obstat.*

75. Ad lucrandas indulgentias oportet esse in gratia.

Quoad modum verò, seu dispositionem requisitam in eo qui lucratur indulgentias, Duo præcipuè requiruntur. Primò, vt sit in gratia, eo saltem instâti, quo remissio pœnæ ipsi facienda est, seu quando ponitur vltima dispositio ad obtinendam remissionem: quia indulgentia est paterna quædam facilitas in filios, quæ non debet esse communis cum seruis, maximè fugitiuis, qui Deo deserto adhærêt Diabolo: neque decet tale beneficium præstari perseuerantibus in Dei inimicitia.

Et implere opus iniunctum.

Secundò, vt si quod opus iniunctum fuit, integrè fiat: quia ex communi sententia Doctorum, indulgentię concessio est vnica, & quasi in indiuisibili sub tali determinata conditione. Ideóque qui totum opus positum non implet, nihil consequitur; quia simpliciter non implet. Non est tamen necesse totum opus in gratia fieri, vt patet ex vsu Ecclesiæ. Nam in Iubilæis ieiunia, & alia quædam opera bona præmitti solent confessioni peccatorum. Nec obest quòd debeat opus esse proportionatũ finis: potest enim esse vtile & satis proportionatum, licet non fiat in gratia. Consultius tamen, & vtilius est, si in gratia fiat. Norant præterea Suarez & alii, quando in formula iniungitur confessio, & communio; confessionem esse intelligendam respectu eorum qui sunt in peccato mortali, quia confessio non solet requiri nisi ad illius expiationem.

Dixi, *Si quod opus iniungatur*: quia non semper iniungitur. Nam & olim propter Martyres dabantur indulgentiæ sine opere nouo iniuncto, quantum colligi potest ex Cypriano, Tertullian. & aliis citatis sect. 5. quia Ecclesia iudicabat satis magnã causam esse petitionem Martyrum: vt videlicet homines ad Martyrium accenderentur, cùm scirent tanti fieri Martyrum preces. Et nunc etiam non rarò piis hominibus in mortis articulo conceduntur plenariæ, quia ipsa necessitas extrema præcedentibus eorum meritis iuncta videtur esse causa sufficiens, quæ si tamen reipsa non iuuet non habebit tantũ effectum, iuxta ea quæ generatim diximus in superioris difficultatis explicatione. Vlteriùs, opus iniunctum debet honestè fieri. Nam si tantùm ob vanam gloriam, vel quid simile fiat; non est aptum vt propter illud applicentur Christi merita. Non tamen obest peccatum veniale, quod in opere alioqui pio & honesto exercendo admisceri potest intentioni & executioni aliunde bonæ: sicut neque sacramentis obest. Alioqui vix vnquam opus aptum exequeremur.

76. Semper ne iniungatur?

77.

Cùm autem inter alia opera iniungũtur eleemosynæ, id non fit quasi negotiatione quadam emantur indulgentiæ, vt hæretici calumniosè fingunt: sed vt illo pio opere, & similibus adhibitis, iusta suppetat causa indulgentiam concedendi. Notandum etiam, quando propter idem opus dantur diuersæ indulgentiæ, diuersis ver. gra. icunculis applicatæ; non sufficere semel id opus exequi, ad lucrandas diuersas indulgentias diuersarum icuncularum: quia opera hæc præscribuntur singulà pro singulis indulgentiis, & alioqui communiter non sunt proportionata. Quando etiam semel datur & pro semel aliqua indulgentia, vt fit in iubilæis: non potest idem bis eam lucrari, siue in eodẽ loco, siue in diuersis. Certum etiam est, eam quæ datur ad longũ tempus, non expirare morte concedentis. Quia indulgentia est fauor & gratia. Gratiæ autem non expirant per mortem eorum à quibus fuerunt concessæ.

78. Effectus indulgent. liberatio à pœna.

Circa secundum in titulo sectionis propositum, de effectu indulgentiarum, dico per eas nos liberari, non quidem à culpis, quæ aliunde remissæ supponuntur, sed à pœnis ex peccatorum remissione restantibus, siue in foro pœnitentiæ iniunctis, siue aliter debitis. Exceptis tamen pœnis naturalibus, aut pœnalitatibus, quæ consequuntur originale peccatũ, qualis est mors, ignorantia, concupiscentia. Itemq; personalibus quas Deus absolutè inferre decreuit, qualis fuit mors infãtis ex Dauidis adulterio. Addũt

ſolent pœnitentibus aliquæ ſatisfactiones leuiores. Nam quando imponitur, illi nondum indulgentiam conſecuti ſunt, ſed ſe diſponunt ad illam conſequendam, & inter eiuſmodi diſpoſitiones vna eſt leuior illa ſatisfactio implenda ante aſſecutionem Iubilæi, ex intentione ſummi Pontificis, prout ordinariè fit. Ordinariè, inquam: nam aliquando aliter factum eſt. Refert enim Gloſ. extrauag. *Antiquorum*, De pœnit. & remiſſ. Bonifacium VIII. noluiſſe vt confeſſarii imponerent vllas poenitentias iis qui iubilæum anni Sancti, quod ſub ipſo contigit, lucrabantur; ægrèque tuliſſe quòd fuiſſent ab aliquibus impoſitæ.

83. Concluditur affirmatiuè.

Hinc ſequitur, poenitentes, quibus ex præcedentibus quibuſcunq; confeſſionibus ſuperſunt multæ poenitentiæ implendæ, iuuari poſſe, & leuari hoc onere per indulgentias plenarias. Poſſunt enim confeſſarii eos ab illis liberare, iniungendo, vt earum loco lucrentur aliquam indulgentiam plenariam: vel conſulendo, vt eam lucrentur. Quod præceptum, aut conſilium dari poteſt non auditis peccatis pro quibus illæ fuerunt iniunctæ, atque etiam extra confeſſionẽ ſacramentalẽ: poſſunt quoque ipſi poenitentes, ſine conſilio, vel præcepto confeſſarii, id facere: quia hæc non eſt commutatio iuridica, ad quam neceſſaria ſit poteſtas iuriſdictionis, & cognitio cauſæ: vt quando poenitentia iniuncta ab vno confeſſario mutatur ab alio: ſed eſt ſimplex obligationis ceſſatio per ſubtractionem materiæ, quæ ſubtractio fit à Summo Pontifice concedente indulgentiam, & condonationem poenæ, quâ condonatâ ceſſat obligatio ſatisfaciendi.

84.

Dices, ergo pari ratione qui eſſet obligatus ad facienda multa ſacrificia pro anima vnius defuncti, liberaretur ab illa obligatione, lucrando indulgentiam plenariam, quæ poſſet illi applicari per modum ſuffragii.

Non ſatisfit per indulg. plen. pro miſſis debitis pro defunctis.

Reſpondeo negatiuè. Quia ille qui iubet, aut curat offerri, vult illius animæ conſulere optimo, & tutiſſimo modo. Eſt autem incertum, num ſacerdos lucretur illam indulgentiam plenariam totam & integram pro anima defuncti. Propter quod melius & conſultius eſt, neminem omittere ſatisfactiones iniunctas in ſacramento Poenitentiæ, non obſtantibus indulgentiis. Quia licet quiſque exponere ſeipſum poſſit periculo non extinguendi illud debitum per indulgentiam, & patiendi in purgatorio, niſi aliter prouideat: melius tamen ſibi conſulit, & tutius facit, ſi viam ſacramenti certiorem adhibet, & prouidet periculo non obtinendi quod ſperat per indulgentias. Adde, quòd intentio obligantis eſt determinatè vt fiant omnino illa ſacrificia ad cultum Dei: &, ſi animæ illi non proſunt, aliis proſint indigentibus, quibus ipſi ſecundo loco prodeſſe volunt: vel proſint aliis fidelibus viuis & defunctis, iuxta Eccleſiæ intentionem.

Non omnis indulgentia eſt plenaria

Porro non omnis indulgentia plenaria eſt: ſed vt ex vſu conſtat, & ex variis formulis, interdum conceduntur aliquot dies, vel anni indulgentiæ, id eſt, poenitentiæ quæ peragenda eſſet tot diebus, vel annis, ſecundum Canones, & antiquum Eccleſiæ ritum, quo vel vni peccato mortali plures anni poenitentiæ interdum imponebantur, quorum numerus, ſæpiſſime peccantibus, in immenſum creſcebat. Eóque ſenſu puto intelligendum eſſe quod dicitur in quibuſdam bullis Pontificiis, concedi indulgentiam *de iniunctis poenitentiis*. Non enim exiſtimo hac particula reſtringi indulgentiam ad poenitentias nunc re ipſa iniunctas à confeſſariis, quæ breues & exiguæ eſſe ſolent: licet fortè de illis ſolis intelligeretur olim, quando imponebantur poenitentiæ ſecundum canones, & tepiditas poenitentium in illis implendis, cauſa erat, cur ab Eccleſia per conceſſionem indulgentiarum relaxarentur. Aliquando verò conceditur indulgentia pro tertia vel quarta parte peccatorum. Aliquando denique datur plenaria, vel plena, plenior, & pleniſſima. Quæ verba licet nonnulli diſtinguere conentur; exiſtimo tamen cum Bellarmino lib. 1. de Indulgentiis, cap. 9. & Aegidio Coninc, diſp. 12. dub. 5. num. 28. non diſtingui, ſed Bonifacium VIII. in extrauag. *Antiquorum*, De poenit. & remiſſ. & alios Pontifices illis vti formulis, vt oſtendant ſe abſolutè dare, quantas poſſunt maximas. Similiter indulgentia plenaria, & iubilæum, non differunt in ratione indulgentiæ, niſi accidentaliter ratione adiuncti: quia in Iubilæo concedi ſolet maior poteſtas abſoluendi à caſibus reſeruatis, vel à cenſuris, & diſpenſandi in quibuſdam votis. Quæ, & ſimilia indulgentiæ formaliter ſumptæ accidentalia ſunt. Plura de Indulgentiarum varietate, & effectibus vide apud auctores citatos.

Digitized by Google

cœlo regnantibus: sed illis solùm, qui in Purgatorio detinentur. Quia pœna Purgatorii est in supplementum satisfactionis, quæ non fuit plenè in corpore consummata: & potest suppleri per alios, quia vnius satisfactio potest alteri prodesse. 6. Prodesse illis orationes Ecclesiæ, sacrificium altaris, eleemosynas, Indulgentias illis applicabiles, & cultum exequiarum, non ad solatium viuorum dumtaxat institutum: sed & ad excitandam compassionem, & studium orandi pro mortuis: vel etiam inquantum ex sumptibus sepulturæ pauperes fructum capiunt, aut Ecclesia decoratur. 7. Suffragia pro vno defuncto facta, prodesse aliis ratione charitatis, per quam bona fiunt inter bonos communia. Ratione verò intentionis magis ei prodesse, pro quo fiunt specialiter: imò illi soli, si tantùm habeatur ratio dimissionis pœnæ: nimirum quia pro illo solo offertur, & acceptatur satisfactio. 8. Suffragia, inquantum sunt satisfactiones, ex intentione facientis tradatæ in mortuos, magis prodesse illi, pro quo singulariter fiunt; quàm quæ fiunt pro eo, & communiter pro aliis: inquantum verò accipiuntur vt valent ex virtute charitatis, tantundem singulis prodesse, ac si pro vno tantùm fierent: quia charitas non minuitur, si distribuatur effectus in multos: imò magis augetur. 9. Denique plus iuuari suffragiis eos, pro quibus fiunt specialia, & communia: quàm eos, pro quibus fiunt tantùm communia. Quia suffragia magis prosunt ei, pro quo specialiter fiunt ex intentione operantis. Hæc D. Thomas, quorum aliqua fuerunt explicata partim disput. præcedenti sect. 1. 2. & 3. partim etiam disput. 39. de sacrificio Missæ, sect. 7. Reliqua in præsenti exponentur.

SECTIO I.

Veritas catholica proponitur, & probatur ex Scriptura veteris Testamenti.

1. Aliquæ animæ post hanc vitã purgantur.

Indulgentiæ quæ defunctis applicantur duo supponunt, quæ quia ab hæreticis huius temporis acriter impugnantur, ampliùs explicanda & confirmanda sunt. Primum est, præter eas animas, quæ cùm primùm à corpore separantur, sortiuntur statum æternæ beatitudinis, vel damnationis, alias esse, quæ licet à reatu culpæ mortalis liberæ, nondum tamen ab omni culpa veniali, vel à toto reatu pœnæ solutæ, differuntur ad tempus, donec omnino expiatæ ad regnum illud admittantur, in quod nihil coinquinatum ingreditur Apocal. 21. Et hanc expiationem Purgatorii nomine intelligimus. In eaque sola consistit tota fidei catholicæ doctrina de Purgatorio. Cætera enim de loco, & de genere poenarum, & similia, an scilicet torqueantur in loco separato, propinquo inferis damnatorum, an alibi, eodemque aut diuersis in locis? an puniantur pœnâ ignis physicè & propriè sumpti, an alio pœnæ genere per ignem interdum metaphoricè significato? an torqueantur operâ Dæmonum, an sine illa? hæc, inquam, & similia, fidei dogmata non sunt, sed inter ipsos Doctores catholicos controuersa saluo fidei dogmate. Quod diligenter contra hæreticos norandum est: quippe qui, vt declinent controuersiæ statum, diuagantur ad impugnandas aliquorum Scholasticorum opiniones minùs probabiles circa prædicta: de quibus quid probabilius videatur dicemus in fine disputationis.

2. Iuuari possunt viuorum precibus & suffragiis.

Secundum est, animas illas, dum expiantur, iuuari posse viuorum precibus, atque suffragiis, quoad poenæ diminutionem aut liberationem. Siue id fiat per modum impetrationis, Deo misericorditer intuitu precum & suffragiorum nostrorum poenam remittente: siue alio modo? de quo cum hæreticis litigandum non est, cùm neuter sit de fide: vter verò probabilior sit, diximus disp. præcedenti. Quod ergo contra sectarios probandum nobis incumbit, tanquam dogma fidei Catholicæ, istud est: Animas aliquas separatas à corpore, purgari à peccatis venialibus, vel à reatu poenæ expiari, & precibus atque suffragiis viuorum

posse iuuari.

3. Probatur ex Script.

Probatur autem primò ex Scriptura, 2. Machab. 12. v. 43. & seq. vbi dicitur Iudas Machabæus, facta collatione, duodecim millia drachmarum argenti misisse Hierosolimam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene & religiosè de resurrectione cogitans. Et paulò post, *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Quibus verbis manifestè asseruntur duo illa quæ intendimus. Primò scilicet, posse mortuos post hanc vitam à peccatis solui: non quidem à mortalibus quoad culpam, in quo hæretici nobiscum sentiunt: sed quoad poenam superstitem: vel à peccatis venialibus, quoad verumque: ac proinde esse Purgatorium eo sensu quo de fide id esse asserimus. Secundò, sacrificia & orationes viuorum ad hunc finem illis prodesse posse. Alioqui enim non sanctum & salubre; sed vanum & inutile foret, ne dicam impium, & superstitiosum, pro defunctis orare vt à peccatis soluantur.

4. Refellitur euasio hæreticorum.

Respondent hæretici primò, hunc librum non esse canonicum. Sed hoc effugium miserum est. Eâdem enim authoritate, quâ nobis constat infallibiliter aliquos libros esse canonicos: eâdem constat hunc librum esse inter illos censendum: nempe infallibili iudicio & authoritate Ecclesiæ illum vt talem agnoscentis. Nam licet de illo nonnulli antiquorum dubitauerint, vt de quibusdam aliis quos ipsimet hæretici pro canonicis nobiscum habent: vt de Epistola ad Hebr. de Apocalypsi, de Epistola D. Iacobi, & de quibusdã aliis epistolis catholicis: Certum est iampridem inter canonicos indubitanter ab Ecclesia receptum fuisse, teste D. August. lib. 18. de Ciuit. c. 36. vbi sic ait; *Libros Machabæorum non Iudæi, sed Ecclesia pro canonicis habet.* Et D. Hieron. in prologo librorum eorumdem; *Machabæorum*, inquit, *libri, licet non habeantur in Hebræorum canone, tamen ab Ecclesia inter diuinorum voluminum annotantur historias.* Eosdemque in canone diuinorum librorum expressè ponunt, & numerant cum aliis, Concilium Carthaginense tertium can. 47. Innocentius I. in epist. ad Exuperium, & D. August. lib. 2. de doctrina Christ. c. 8. Quæ autem ab hæreticis obiiciuntur ad infirmandam eorum authoritatem, soluta vide apud Serarium in eosdem libros, Bellar. tom. 1. lib. 1. de Verbo Dei, cap. 15. Barrault. tom. 1. Clypei, cap. 14. §. 33. & Regord. in Demonstrationibus catholicis, demonstrat. 3. §. 5. qui duo plenius & accuratius omnibus eorum argumentis responderunt: & prior nodum difficillimum de morte Anthiochi, in quo scriptores alii diu multumque laborauerant, fœliciter dissoluit.

5. Diluitur altera oppositio.

Secundò obiiciunt, authorem eius libri in fine petere veniam, si qua in re errauerit. Ergo, inquiunt, danda est illi venia quòd errauerit, quando suffragia pro defunctis laudauit. Respondeo antecedens esse falsum. Nam author tantùm concedendum, hoc est, permittendum sibi esse ait, si quid minùs dignè elocutus est. Quod non ad historiæ veritatem, vel ad res ipsas, sed ad sermonis elegantiam referendum esse, patet ex verbis quæ subiungit: *Legentibus enim*, inquit, *si semper exactus est sermo, non erit gratus* &c. Ex quo etiam liquet, concedendi verbum non ibi sumi pro veniam errati dare, sed pro permittere aliquid, aut tolerare.

Non obest quòd scip. de se dimisse loquatur.

Ineptè verò inde inferunt scriptorem non esse canonicum: quasi scriptori canonico repugnet scribere minùs eleganter, & imperitiam sermonis excusare. Cùm tamen Paulus, spiritu Dei fine dubio loquens & scribens, imperitè nihilominus se loqui profiteatur, 2. Cor. 11. v. 6. *Nam etsi imperitus sermone, sed non scientiâ.* Et versu 1. eiusdem capitis, supportari se postulat, id est, aliquid sibi concedi, seu permitti: *vtinam sustineretis*, inquit, *modicum quid insipientiæ meæ: sed & supportate me:* & cap. 12. v. 11. narratis quibusdam de seipso mirabilibus, *factus sum insipiens*, inquit, *vos me coegistis.* Non repugnat ergo Spiritum sanctum permittere scriptorem canonicum de seipso suisque scriptis humiliter sentire & loqui, & aliquid sibi in ipsis concedi postulare: alioqui tota illa Pauli narratio vt non canonica reiicienda esset, cæteraque, quæ à se dicta imperitè fuisse profitetur.

6. 3. Oppositio.

Obiiciunt tertiò, in illo ipso loco Machabæor. multa contineri apertè falsa, & Purgatorio aduersantia. Primò enim, orationes illæ & sacrificia dicuntur fieri pro mortuis in peccato mortali, nimirum pro militibus in bello interfectis, sub quorum tunicis inuenta sunt quædam de donariis Idolorum, quæ ipsi rapuerant, contra legem id expressè prohibentem Deuteron. 7. v. vlt. ideóque permisserant corruere in poenam illius peccati, vt habetur eodem cap. Mach. 12. v. 40. & 41. Ergo vel Iudas non orauit vt animæ illæ soluerentur à peccatis: vel credidit animas defunctorum solui posse à peccatis mortalibus, quod omnium consensu falsum est. Secundò, quod ibidem dicitur, milites illos cum pietate dormitionem accepisse, optimamque gratiam repositam habuisse, repugnat dictis versu 40. de donariis Idolorum inuentis post mortem sub eorum tunicis: vel supponit morientes in peccato mortali, moti nihilominus cum pietate & gratia, quod est falsum. Tertiò, quod ibidem additur versu 44. *Bene & religiosè de resurrectione cogitans: nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum orare pro mortuis*: ostendit Iudam id fecisse intuitu resurrectionis, non autem Purgatorii. Imò planè repugnat Purgatorio. Nam licet corpora non resurgerent; si tamen animæ torquerentur in Purgatorio, non foret vanum & superfluum pro illis orare, vt à pœ-

nis liberentur. Quartò, conclusio illa, *sancta ergo & salubris est cogitatio* &c. non videtur textui cohærere, sed ex margine irrepsisse. Quintò, demus, vera esse quæ narrantur: potuit Iudas errare in hac parte, & eius exemplum non facit legem, aut dogma fidei. Nec obest quòd factum eius laudatur: nam laudatur pariter factum Rasiæ, qui seipsum occidit 2. Mach. 7. Potuit etiam Iudas pro illis orare, non vt à pœnis liberaret, sed vt pium affectum erga illos ostenderet.

7. Soluuntur eius argu.

Ad primum Respondeo, vel ignorantiam militum, vel materiæ leuitatem, plurimos eorum à peccato mortali excusare potuisse: & tum istos, tum alios qui grauiùs deliquerant, in articulo mortis conuerti ad Deum potuisse: idque meritò Iudam sibi persuasisse, cùm milites illi pro patria & religione tam fortiter pugnassent, vitamque tot periculis exposuissent. Aequum enim est sentire, Deum tunc illis adfuisse, & ad salutarem poenitentiam conuertisse: præsertim cùm, ad exemplum aliorum, temporali morte eos puniret. Aequum est etiam existimare, plerosque illorum lethaliter saucios Deum inuocasse, iuxta illud Psal. 77. v. 34. *Cum occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur.* Cúmque saltem id dubium foret, & de quibusdam plusquam probabile, potuit meritò Iudas pro illis orare: sicut nos oramus pro fidelibus quos paulò ante mortem peccasse constat, licet eorum conuersio sit ignota, vel dubia.

Ad secundum Respondeo, non repugnare milites illos priùs peccasse, & postea fuisse conuersos ad poenitentiam: atque ita cum pietate dormitionem, id est, mortem accepisse, optimamque habuisse repositam gratiam. Quod meritò Iudam sibi persuasisse iam ostendimus. Hinc verò manifestè conuincitur cõtra sectarios, posse hominem sanctè & piè mori, adeóque cum vera fide: & tamen habere debitum aliquod soluendum, vel propter peccata venialia non remissa hac in vita, vel propter satisfactionem pro mortalibus remissis non plenè expletam. Nam Scriptura ibi affirmat iussisse Iudam orari pro militibus, qui cum pietate dormitionem acceperant: idque eo fine, vt à peccatis soluerentur: & hoc tanquam pium, religiosum, & salutare laudat.

8. Quæstiones de resurrectione & de immortalitate animæ erat connexæ apud Iudæos.

Ad tertium Respondeo vsitatissimum fuisse apud Iudæos quæstiones de resurrectione, & de animæ immortalitate pro eodem accipere. Tum quia, qui inter eos vnam negabant, alteram pariter negabant, vt Saducæi Actor. 23. v. 8. Tum etiam quia ex ordine diuinæ prouidentiæ cõnexæ sunt, vt anima non sit perpetuò sine corpore: & vnusquisque recipiat in anima & corpore, prout gessit in vita. Quod ex aliis Scripturæ locis euidenter liquet: vt ex 1. Cor. 15. v. 32. *Quid mihi prodest si mortui non resurgunt? Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* Et ex Matth. 22. v. 32. vbi Christus probat resurrectionem mortuorum ex illo Scripturæ testimonio, *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob*: subiungens. *Non est Deus mortuorum, sed viuentium*: quæ illationes non valerent, nisi supponeretur, quæstiones prædictas pro eodem sumi. Alioquin enim responderi facile posset Apostolo, profuturum animæ, licet corpus non resurgeret: & Christo, viuos esse Abraham, Isaac, & Iacob, secundum meliorem sui partem, nempe animam, quamuis corpora non essent resurrectura. Sic ergo in præsenti dicitur, vanum fore orare pro mortuis si non resurgerent, id est, si non viuerent secundum animam, sed in morte penitus interirent.

Ad quartum Respondeo primò, eâdem facilitate, & libertate, quidlibet aliud quod displiceat, ex Scriptura expungi posse, tanquam subrepticium, & illapsum ex margine in textum: atque ita nihil certum fore. Secundò, non rarò historicos ex rebus gestis colligere aliquid ad mores pertinens, & graues sententias narrationi suæ conuenienter inserere. Tertiò, in textu græco id non haberi per modum conclusionis, sed cohærenter in hunc modum: *Deinde considerans, iis qui cum pietate obdormierant optimam repositam gratiam, quæ sancta & pia consideratio fuit, ideo pro mortuis expiationem fecit, vt à peccatis soluerentur.* 9.

Ad quintum Respondeo, non Iudam solum, sed multitudinem vniuersam id fecisse, pecuniam contribuentem ad duodecim millia drachmarum: vt patet ex his verbis, *facta collatione* &c. v. 43. In qua multitudine fuisse aliquos legis & fidei peritos dubitari nequit: & tamen nullus reclamauit, neque rem nouam, & à fide alienam esse dixit. Quin potiùs Scriptura hoc Iudæ factum singulariter laudat, vocatque pium, religiosum, sanctum, & salubre. Quare dubitari non debet quin Iudas rectè, & secundum fidem id fecerit. Rasias verò laudatur solùm quòd fortiter & viriliter egit: non autem quòd piè & sanctè: vt iampridem respondit D. Augustin. lib. 1. contra Epistolam Gaudentii cap. 31. & epist. 61. ad Dulcitium. Quamquam etiam piè & sanctè id facere potuit ex speciali instinctu diuino: vt de Samsone idem Augustinus ait lib. 1. de Ciuit. cap. 21. Quòd autem Iudas pro illis orauerit tantùm ad suum affectum ostendendum, & non vt à peccatis soluerentur, est manifestè contra textum, asserentem orasse, vel vt in græco est, expiationem fecisse, vt à peccatis soluerentur.

SECTIO II.

Probatur eadem veritas ex nouo Testamento.

OMissis, quia minùs vrgent, aliis pluribus veteris Testamenti locis: quæ 10.

apud Bellarm. præcipuè videri possunt lib. 1. de Purgat. cap. 3. probari potest efficaciter eadem veritas ex nouo Testamento tribus præcipuè locis. Primus habetur Math. 12. v. 32. *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei. Qui unque autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Quibus verbis Christus significat peccatum contra Spiritum sanctum adeo esse graue, vt neque quoad culpam, neque quoad pœnam remittatur, neque in hac vita, neque etiam in futura: in qua nisi esset locus remissioni quoad culpam, vel quoad poenam aliquorum peccatorum, superfluè Christus addidisset, *neque in futuro.* Nam prius membrum illud includeret: & idem esset dicere, non remitteretur in hoc sæculo: ac dicere, nunquam remittetur, nec in hoc sæculo nec in futuro, aut, non remittetur in æternum. Adde quòd Christus ita loquitur ad exaggerandum & ostendendum maiorem esse difficultatem remittendi peccatum contra Spiritum sanctum, quàm alia. Atqui si nullum peccatum remitti potest, nisi in hoc sæculo: ineptè Christus ad exaggerandum adderet, neque in futuro. Quemadmodum si quis haberet à Principe potestatem iudiciariam pro vno tantum anno: ineptè diceret ad ostendendam maiorem difficultatem remittendi aliquod crimen, Non remittam neque hoc anno, neque alio. Quia nullum ne leuissimũ quidem posset remittere alio anno.

Aliqua peccata remittuntur in vita futura

11. Si verò aliqua remissio fit in vita futura, vt Christus significat verbis suprà relatis: certè in inferno non fit, quia in inferno nulla est redemptio. Superest ergo vt fiat in Purgatorio: hoc est, vt præter animas Damnatorum, aliæ sint quæ à peccatis quoad reatum aliquem culpæ venialis, aut quoad pœnam expiantur, vt intendimus. Posse verò à nobis iuuari ad expiationem probabitur infrà ex loco sequenti Scripturæ. Confirmatur interea quod diximus ex D. August. lib. 21. de Ciuit. cap. 24. vbi circa locum Matthæi cit. sic ait: *Non veraciter de quibusdam diceretur, quòd non eis remittatur neque in hoc sæculo, neque in futuro: nisi essent quibus, etsi non in isto, tamen remitteretur in futuro sæculo.* & D. Gregor. 4. dialog. cap. 39. *De quibusdam*, inquit, *culpis leuibus esse ante iudicium Purgatorius ignis credendus est, pro eo quod veritas dicit, quia si quis in Spiritum sanctum blasphemiam dixerit, neque in hoc sæculo remittetur, neque in futuro. In qua sententia datur intelligi quasdam in hoc sæculo, quasdam verò in futuro posse relaxari. Quod enim de nonnullis negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur.* Similimodo ex illo loco argumentantur alii.

Nouum in Purgatorio.

12. Obiiciunt sectarii, Christum nihil aliud significare voluisse, quàm peccatum illud nunquam remissum iri: vt Marcus, velut Matthæi interpres, ostendit Christi verba sic referens: c. 3. v. 29. *Qui autem blasphemauerit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.* Vel etiam sensus est, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro, id est, punietur & in hoc sæculo, & in futuro, hoc est, in die Iudicii, qui futurum sæculum appellatur Luc. 20. v. 35. Purgatorium verò cùm iam præsens esse dicatur, atque fuisse eo tempore, quò Christus loquebatur, non potuit ab illo futurum sæculum vocari. Addunt secundò, ex negatione non sequi affirmationem in bona Dialectica. Ergo ex eo quòd peccatum contra Spiritum sanctum non remittitur in futuro sæculo, non sequitur, alia quædam in eo remitti; sicut ex eo quòd aliquis dicat, Rex Ludouicus non est Rex Allobrogum, non sequitur, ergo aliquis alius est Rex Allobrogum. Confirmatur, quia simili modo Christus dicere potuit, non remittetur neque in hoc sæculo, neque in inferno: vnde malè inferretur, aliqua alia remitti in inferno. Deinde Christus alioqui significaret leuiora peccata remitti in hoc sæculo, grauiora verò in futuro: hoc enim necessarium est vt oratio crescat, & maior difficultas remissionis ostendatur. Secus enim, dicendum fuisset, non remittetur ei neque in sæculo futuro, neque in isto. Denique licet peccata quædam remitterentur in sæculo futuro, non sequitur remitti per ignem purgatorium.

Obiectiones hæreticorum.

13. Ad primum Respondeo, Marcum, qui Matthæi abbreuiator est, esse potiùs explicandum per Matthæum qui fusiùs scripsit. Etsi licet Christus reipsa affirmet peccatum illud non remissum iri in æternum, esseque puniendum, tùm in hac vita, tum in die iudicii, hæc enim omnia sequuntur ex Christi propositione Matth. 12. modus tamen ille loquendi aliquid ampliùs significat. Nam vel importat locum esse remissioni in sæculo futuro, vel omninò superfluus est, imò etiam ineptus, vt initio ostendimus. Nomine autem huius sæculi intelligitur vita præsens: & nomine sæculi futuri intelligitur altera vita, quæ post hanc superest, & quæ respectu cuiusque dum viuit, est futura, etiam respectu Christi tunc loquentis. Eodemque modo Luc. 20. v. 35. intelligitur vita beata post resurrectionem futura, potiùs quàm dies iudicii, verbis istis: *Illi verò qui digni habebuntur sæculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent vxores: neque enim vltrà mori poterunt.*

Refutatur.

14. Ad secundum Respondeo sequelam istam non fundari præcisè in regulis Dialecticorum, sed in regula prudentiæ, ne Christus, quod absit, ineptè fit loquutus, & superfluè, atque impertinenter ad ostendendam peccati illius grauitatem præ aliis, maiorem q; difficultatem obtinendi eius remissionem. Nã ineptè & superfluè addidisset, *neq; in futuro*, si in futuro nullũ remittitur, & non remitti in hoc sæculo, est idem atque, non remitti penitùs, neque in hoc sæculo neque in futuro: & sine re est maior difficultas ex eo quòd non possit remitti in sæculo futuro,

quàm sit ex eo quòd non possit remitti in hoc sæculo. Quemadmodum ad ostendendam absolutionis difficultatem, ineptè quis diceret de iudice, vnum tantùm tribunal habente Burdegalæ, in quo possit absoluere: Ille non te absoluet nec Burdegalæ, nec Tolosæ. Exemplum verò allatum de rege Allobrogum, non est simile, cùm loquendi modus & inferendi sit valde diuersus. Altera quoque locutio quæ in confirmatione adducitur, non remittetur, scilicet, neque in hoc sæculo, neque in inferno, est apertè inepta, & Christo indigna, atque auxesi, quam Christus intendit, aduersa.

15. Ad tertium Respondeo auxesim, siue incrementum orationis Christi non in eo consistere, quòd leuiora peccata remittantur in hoc sæculo quoad culpam, & grauiora in sæculo futuro quoad culpam similiter: sed quòd peccati in Spiritum sanctum remissio nunquam facienda sit, neque vnquam finienda eius poena, ne quidem in sæculo futuro, quamuis longioris & infinitæ durationis: cùm tamen cæterorum peccatorum mortalium, quippe remissibilium, & hac in vita remitti solitorum quoad culpam, remissio integra, & pœnæ liberatio, saltem in sæculo futuro perficiatur.

Ad quartum Respondeo, ex eo quòd peccata quædam remittantur in sæculo futuro, sequitur esse post hanc vitam locum remissioni siue expiationi peccatorum: quod solum hic intendimus, & intelligimus nomine Purgatorii: de igne verò dicetur inferiùs sect. 6. n. 45. & sequentibus.

SECTIO III.

Confirmatur eadem veritas aliis duobus Scripturæ testimoniis.

16. Baptismus pro mortuis. SEcundus locus quo efficaciter confirmatur eadem veritas in nouo Testamento, habetur 1. Cor. 15. v. 29. & sequent. vbi Paulus sic loquitur: *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Vt quid & baptizantur pro illis? Vt quid & nos periclitamur omni hora? Quotidie morior per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro. Si secundum hominem ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt?* Huc vsque Paulus: In cuius verbis obserua primò, pro eodem hic sumere resurrectionem corporis, & immortalitatem animorum, alioquin eius argumentatio non esset efficax, neque legitima. Secundò non improbat morem illum baptizandi pro mortuis, tanquam superstitiosum & inutilem: sed potiùs tanquam bonum & receptum supponit, ex illoque deducit argumentum resurrectionis. Tertiò, non intelligit baptismum sacramentalem, quasi aliqui mortuorum loco baptizarentur, vt eis sacramentum ad resurrectionem prodesset: hoc enim superstitiosum & inutile fuisset: sed, vt colligitur ex verbis sequentibus, loquitur de baptismo lacrymarum, id est, de afflictionibus, vel pœnis, quas illi sponte suscipiebant, vel patiebantur, ea intentione vt mortuis prodessent: nempe ad expiationem peccatorum, & leuamen pœnarum: nam aliter prodesse illis verè non poterant. Subiungit enim Paulus, *Vt quid & nos periclitamur omni hora?* &, *Si secundum hominem ad bestias pugnaui Eph. si* &c. comparans scilicet, & coniungens huiusmodi baptismum, siue afflictiones aliorum, cum suis.

17. Opera pœnalia pro mortuis suscepta. Intelligit ergo Paulus metaphoricè, nomine baptismi, afflictiones, & opera pœnalia, quæ ipsi pro defunctis assumebant. Quæ baptismi acceptio pro pœnis & afflictionibus in Scriptura non infrequens est: vt Marc. 10. v. 38. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Et Luc. 12. v. 50. *Baptismo autem habeo baptizari, & quomodo coarctor vsque dum perficiatur?* Et alibi sæpissime tribulationes, & afflictiones, nomine aquæ significantur, & aquis immergi seu baptizari idem est ac affligi: vt Psalmo 68. v. 1. *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi & non est substantia*, id est, locus subsistendi. *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me*: & Psal. 123. v. 5. *Torrentem pertransiuit anima nostra, forsit an pertransisset aquam intolerabilem.* Et psal. 143. v. 7. *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis, de manu filiorum alienorum.*

18. Possent etiam nomine baptismi intelligi ablutiones, quæ à Iudæis fieri solebant ante sacrificium, & consequenter sacrificia ipsa: qui ritus nondum erat abolitus, neque inutilis aut superstitiosus: ita vt sensus sit, quid faciunt qui sacrificant pro mortuis, si mortui non resurgunt? Poterat etiam baptismus sacramentalis cum fide & pietate suscipi ab illis, de quibus loquitur Apostolus, ea intentione, vt ad defunctos aliquo modo dirigeretur, illisque prodesset per modum suffragii: quatenus suam in Deum fidem, & pietatem, ac subiectionem in Baptismo, eò quoque referebant, vt mortuis aliquid remissionis impetrarent, adhibitis etiam precibus: ad eum modum, quo Dauid 2. Reg. 12. vitam infanti, & aliis alii piis suis operibus aliquid impetrare conantur. Sed prima expositio magis literalis & propria videtur. Quæcunque autem ex his tribus eligatur à Nouatoribus, duo ex illo Pauli loco apertè colliguntur. Nempe animas defunctorum iuuari posse bonis viuorum operibus: & bona illa opera illis prodesse ad aliquam expiationem peccatorum, & leuamen pœnarum, quia ad nihil aliud iuuare possunt, & quidquid aliud intenderetur, superstitiosum foret.

19. Respondent Nouatores, afflictiones illas, & lacrymas, atque ieiunia pro mortuis,

Hæreticorũ cauilo refellitur.

fuisse tantùm luctus significandi causâ susceptа; non autem vt mortuos à poenis liberarent: cuius rei exempla habentur in Scriptura, Genes. 50. v. 10. vbi Ioseph per septem dies planctu magno celebrauit exequias patris sui: & 2. Reg. 3. v. 31. iussit Dauid faccis accingi populum, & cum eo ieiunans vsque ad vesperam, sicut pro Abner occiso.

Sed hæc responsio inepta est, & Pauli verbis manifestè aduersa. Sic enim sensus esset: Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt, vt quid & baptizantur pro illis? id est, Quid facient qui dolent de morte suorum, & dolorem suum de illorum morte testantur per lacrymas, ieiunia, & alias afflictiones, si omnino mortui non resurgunt? vt quid & dolent de morte ipsorum, & luctum suum ostendunt, doloremque testantur? Atqui si omnino mortui non resurgunt, & nimirum, vt Paulus pro eodem supponit, in morte penitùs intereunt, maior esset causa dolendi, & luctum suum doloremque testandi, quippe qui non parum leuatur spe resurrectionis, & immortalitatis animæ persuasione: vt per se patet, & docet idem Apostolus 1. Thessal. 4. v. 12. Quare expositio Nouatorum Pauli ratiocinationem ineptissimam facit. Sed & responsum Dauidis in simili casu, 2. Reg. 12. v. 22. & 23. satis ostendit ipsum & alios, locis supra relatis, non luctus tantùm causâ ieiunasse, & se afflixisse pro illis, quorum causâ ieiunia, & afflictiones illas subibant: potiúsque illas ad Deum placandum, & aliquid ab eo impetrandum retulisse: *Quis scit si forte* [*forsitan*] *donet eum mihi Dominus*? &c.

20. Altera solutio.

Respondent secundò, baptizari pro mortuis idem esse, ac baptizari pro peccatis quæ sunt opera mortua. Vel pro mortuis, id est, pro spe resurrectionis, cuius mentio fit in symbolo Apostolorum, à Catechumenis ante baptismum recitari solito. Vel pro mortuis, id est, baptismo Christi, mortem ipsius repræsentante, iuxta illud Pauli Rom. 6. v. 4. *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem.* Vel pro mortuis, id est, morte imminente: vt Clinici olim, id est, lecto affixi & moribundi baptizabantur, teste Epiphanio hæresi 28.

At hæc omnia inepta sunt. Nam iuxta primam expositionem, oporteret peccata resurgere, & sensus esset: Quid facient qui baptizantur pro peccatis, si peccata non resurgunt? Iuxta secundam, æquè dici possent baptizari pro Deo Patre, Filio, & Spiritu sancto, qui etiam proponuntur in symbolo: & pro B. Virgine, pro Incarnatione, aliisque mysteriis in eo contentis. Deinde Paulus de quibusdam speciatim loqui videtur, qui pro mortuis baptizabantur, non autem de omnibus Christianis: sicut quando subiungit immediatè post, *Vt quid & nos* &c. de seipso, & aliis cum ipso periclitantibus omni hora, non de omnibus fidelibus loquitur. Ergo per illa verba, *baptizantur pro mortuis*, non intelligit baptizari pro spe resurrectionis. Nam istud non est speciale quibusdam Christianis, sed omnibus commune. Omnes enim illi baptizantur pro spe resurrectionis. Vlteriùs inauditum est, & improprium, vt nomine mortuorum intelligatur spes resurrectionis: & verba illa Pauli, *Si mortui non resurgunt, vt quid baptizantur pro illis*, manifestè ostendunt, ipsum nomine mortuorum intelligere homines mortuos, pro quibus illi baptizabãtur: vnde etiam in græco est τῶν in masculino. Aliæ duæ expositiones satis apparent per se ineptæ & impropriæ, atque à loquendi vsu remotæ, & ex dictis satis manent refutatæ.

21. Saluantur aliqui quasi per ignem.

Tertius locus habetur 1. Cor. 3. v. 11. & seqq. vbi Apostolus affirmat diem Domini, id est, diem iudicii generalis aut particularis cuiusque, manifestaturum vniuscuiusque opus per ignem: & fore vt tum saluentur aliqui, *sic tamen quasi per ignem*, in quo detrimentum patientur, vel vt in græco est, punientur & mulctabuntur, comburenturque ligna, fœnum, stipula, id est, leuia peccata hac in vita admissa. Loquitur enim ibi de illis qui ita peccãt, vt tamen Christo fundamento vero semper adhæreant per fidẽ & charitatem, atque super illud ædificent, vt patet ex versu 12.

Verùm, quia ad huius loci expositionem & confirmationem contra varias Nouatorum obiectiones nihil occurrit addendum iis quę Doctores Catholici abundè iam & accuratè scripserunt, fat erit eos indicare qui copiosiùs exactiúsque id præstiterunt: & addere non interpretes tantùm, sed & sanctos Patres communiter ex hoc Pauli loco inferre id quod intendimus, quodque intelligimus nomine Purgatorii: aliquos scilicet post hanc vitam pati poenas temporales pro peccatis, vel ab aliquibus etiã culpis venialibus expiari, priusquam ad gloriam æternam admittantur. Videantur ergo Bellarm. lib. 1. de Purgat. cap. 4. Valentia tomo 4. disp. 11. quæst. 1. punct. 1. §. 6. Suares to. 4. in 3. partem, disp. 45. sect. 1. num. 14. & seq. Aegid. Con. disp. 11. dub. 1. num. 6. & Barrault tom. 2. Clypei cap. 8. §. 36. & sequentibus. Ex Patribus verò Augustinus præcipuè in psal. 37. Hieron. in cap. 4. Amos, ad illa verba versus 11. *Facti estis sicut torris raptus de incendio*: Ambrosius in locum Pauli citatum, & Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 39. Augustini verba sunt: *In hac vita purges me, & talem me reddas, cui iam emendatorio igne opus non sit*: & paulò post: *Dicitur, saluus erit quasi per ignem: & quia dicitur, saluus erit, contemnitur ille ignis. Ità planè, quamuis saluus per ignem, grauior tamen est ille ignis, quàm quidquid potest homo pati in hac vita.*

SECTIO

SECTIO IV.

Probatur eadem veritas ex Patribus, & perpetuo sensu Ecclesiæ.

22. TErtium huius veritatis fundamentũ, & quidem efficaciſſimum ſumitur ex teſtimonio ſanctorum Patrum, & perpetuo ſenſu Eccleſiæ, quam eſſe columnam & firmamentum veritatis teſtatur Paulus 1. Timoth. 3. Conſtat enim ex liturgiis antiquiſſimis Petri, Iacobi, Mathæi, Marci, Baſilii, Chryſoſtomi, & teſtimonio Patrum Chriſto & Apoſtolis proximorum, & deinceps, qui de ſenſu & vſu Eccleſiæ ſuorum temporum ſcripſerunt, ſemper illam conſueuiſſe pro defunctis orare, & ſacrificium offerre, ad veniam illis impetrandam, & remiſſionẽ pœnæ. Huiuſmodi plurima teſtimonia ſole clariora referuntur à Bellarm. lib. 1. de Purgat. cap. 5. & 6. ſed multò plura per ſingula ſæcula digeſſit Gauterius in tabulis Chronographicis Veritate 10. ex quibus pauca illuſtriora ſeligam.

23. Sæculo primo Dionyſius de Eccleſiaſtica hierarchia cap. 7. parte 3. deſcribens ritus eccleſiaſticos ſui temporis, ſic ait: *Accedens deinde diuinus Antiſtes, precem ſacram ſuper mortuum peragit &c. precatur oratio illa diuinam bonitatem, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanam admiſſa peccata defuncto, eumq; in lucẽ ſtatuat & regione viuorum.* Sæculo 2. Tertull. lib. de Corona militis cap. 3. *Oblationes pro defunctis annua die facimus.* & lib. de Monogamia cap 10. loquens de officio viduæ erga mariti vita functum: *Enimuero*, inquit, *& pro anima eius orat, & refrigerium interim adpoſtulat ei, & in prima reſurrectione conſortium, & offert annuis diebus dormitionis eius.* Sæculo 3. Cypri. l. 1. epiſt. 9. aliàs epiſt. 66. *Epiſcopi anteceſſores noſtri cenſuerant, ne quis frater excedens ad tuelam, vel curam, Clerum nominaret: ac ſi quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec ſacrificium pro dormitione eius celebraretur.* Sæculo 4. Cyrillus Hieroſolimit. Cateh. 5. Myſtag. Liturgiam deſcribens: *Deinde pro omnibus oramus qui inter nos vita functi ſunt, maximum credentes eſſe animarum iuuamen, pro quibus offertur obſecratio ſancti illius & tremendi, quod in altari poſitũ eſt, ſacrificii.* Poſteaque explicare pergit quomodo illis proſit hæc obſecratio, vt Deus illis propitius reddatur.

24. Eodem ſæculo Ambroſ. in orat. de obitu Satyri fratris, ſic pro eius anima Deum orat: *Tibi nunc omnipotens Deus innoxiam commendo animam, tibi loſiam meam offero: cape propitius ac ſereuus fraterni muneris ſacrificiũ ſacerdotis.* Et in oratione de obitu Theodoſii, dicit ſe eum proſecuturum, neque deſerturum *donec fletu, & precibus inducat virum quò ſua merita vocant, in montem Domini ſanctum, vbi perennis vita* &c. Sæculo 5. Chryſoſtomus homil. 69. ad pop. *Non temere ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, vt in tremendis myſteriis defunctorum agatur commemoratio: ſciunt enim inde multum illis contingere lucrum, vtilitatem multam.* S. Auguſtinus tract. 84. in Ioan. *Ideò ad ipſam menſam non ſic Martyres commemoramus, quemadmodum alios defunctos qui in pace requieſcunt, vt pro eis oremus; ſed magis, vt orent ipſi pro nobis.* Et lib. de Cura pro mortuis cap. 1. *In Machabæorum libro legimus oblatum pro mortuis ſacrificium. Sed etſi nuſquam in ſcripturis veteribus legeretur, non parua eſt vniuerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret, authoritas: vbi in precibus ſacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum.* Et lib. de Hæreſibus, hæreſ. 53. Inter hæreſes Aerii numerat quòd pro mortuis orandum eſſe negaret. Notum etiam eſt quod refert lib. 9 Confeſſion. de matre ſua Monica.

Hæc & ſimilia cogunt, inuitos licet hæreticos, fateri antiquam Eccleſiam pro defunctis oraſſe. *Solet* (inquit Petrus Martyr in caput 3. epiſt. 1. ad Corinth.) *nobis obiici Eccleſiam ſemper pro defunctis oraſſe: quod equidem non inficior.* Et Caluinus 3. Inſtit. capite 5. numero 10. *Ante mille & trecentos annos vſu receptum fuit, vt precationes fierent pro defunctis.* Et paulò poſt: *Certè quiſquis mediocri prudentia pollet, facilè agnoſcit quicquid de hac re legitur apud veteres, publico more, & vulgi imperitiæ fuiſſe datum. Abſorpti etiam ipſi, fateor, in errorem fuerunt: nempe vt inconſiderata credulitas priuare iudicio ſolet hominum mentes.* At quis ſanæ mentis non potius credat iudicio priuatum fuiſſe, & erraſſe Caluinum, quàm Eccleſiam columnam & firmamentum veritatis, idque iam ſupra mille trecentos annos, nullo ex antiquis reclamante, præter Aerium, quem Caluiniſtæ nobiſcum pro hæretico infami habent.

25. Euaſiones hæretic.

Secundò reſpondent, id ſine verbo Dei ſcripto factum eſſe. At oppoſitum conſtat ex dictis ſectione prima, 2. & 3. Deinde quamuis ita eſſet, ſufficeret verbum Dei non ſcriptum, ab Apoſtolis trãditum, cuius ſunt teſtes Chryſoſtomus, & alii antiqui, vſuſque ipſe continuus ab Apoſtolis huc vſque. Sufficeret etiam Eccleſiæ vniuerſæ authoritas, vt ait Sanctus Auguſtinus citato capite primo de Cura pro mortuis, verbis ſupra relatis numero vigeſimo quarto.

26. Reſpondent tertiò, Veteres oraſſe pro defunctis vt ſuum erga illos affectum oſtenderẽt, eorumque memoriam conſeruarent, & ſeipſos conſolarentur: non verò vt à Purgatorio liberarent. At contrarium apertè liquet ex verbis relatis Dionyſii, *vt peccata dimittat* &c. Tertulliani, *Refrigerium adpoſtulat ei*: Cyrilli, *Maximum eſſe credentes animarum iuuamen* &c. Ambroſii, *Donec fletu & precibus inducam virum quò ſua merita vocant*: Chryſoſtomi, *Multum illis contingere lucrum* &c.

Respondent quartò, id factum esse ex falsa opinione de igne quodam purgatorio in die iudicii, per quem omnes, etiam sanctissimi, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, adeoque ipsa Beata Virgo, transituri essent: Vel de dormitione animarum post mortem: Vel quòd alii citiùs aliis resurrecturi essent. Hanc enim causam orationum pro defunctis olim fieri solitarum fuisse ait Minister recentissimus part. 1. Clypei sect. 84. primæ editionis, infine.

27. Cur orauerit antiqua Eccle. pro mortuis.

Verùm prima euasio repugnat manifestè verbis relatis Diui Augustini ex tract. 84. in Ioan. affirmantis non orari pro Martyribus, sicut pro aliis defunctis. Nam cùm ignis ille communis omnibus futurus dicatur ab eius assertoribus, orandum fuisset pro omnibus, etiam pro Apostolis & Martyribus, si propter illum orasset antiqua Ecclesia. Cyrillus quoque catechesi 11. differentiam fuisse ostendit inter Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Martyres &c. aliosque defunctos: nam pro istis orabatur vt leuarentur suppliciis: illorum verò, inquit, mentio fit, vt Deus illorum orationibus & deprecationibus suscipiat preces nostras. Secunda euasio repugnat præterea verbis illis Tertulliani, *Refrigerium adpostulat ei*, patienti scilicet: & Dionysii, *vt peccata dimittat*: & Cyrilli, aliorumque affirmantium id fuisse factum ad Deum defunctis propitiandum. Tertiò denique, præter superiora, reficitur apertè verbis illis Ambrosii de obitu Theodosii, *Prosequar eum vsque ad regionem viuorum, nec deseram donec fletu, & precibus inducam viuum quò sua merita vocant, in montem Domini sanctum, vbi perennis vita* &c. Si enim Ambrosius id fecisset vt Theodosius citiùs resurgeret; orandum illi, & flendum fuisset vsque ad diē resurrectionis, quod absurdissimū est. Quare intentio propter quam antiqua Ecclesia pro defunctis orauit, tam claré liquet ex veterum scriptis, vt nulla tergiuersatione dissimulari possit: nimirum ad animas eorum à peccatis vel à pœnis expiandas, Deū illis propitiando, & in cœlum inducendas. Purgationis quoque & purgatorii ignis expresè sub his terminis mentionem faciunt Gregor. Nyssen. Ambros. Hieron. August. aliique plures locis relatis à Bellar. lib. 2. de Purgat. c. 7. post mediū

SECTIO V.

Confirmatur eadem veritas ratione Theologica.

28. Sunt aliqua peccata venialia iustorum.

PRobatur quartò eadem veritas ratione Theologicâ, ex aliis duobus fidei principiis deductâ. Primum principium est, esse in hominibus etiam iustis quædam peccata, quæ quia leuia sunt, gratiam non tollunt, nec hominem Dei inimicum aut reum pœnæ æternæ constituunt: & ideo venialia vocantur. Patet ex illo Prouerb. 24. v. 16. *Septies enim cadet iustus, & resurget: impii autem corruent in malum.* Nam illi casus iustorum sunt aliqua peccata, sed non huiusmodi vt iustitiam auferant, alioqui iustus corrueret in malum. Et Matth. 5. v. 22. *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo, raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Quibus verbis Christus ostendit leuia quædam peccata esse, quæ non sunt digna poenâ æternâ, non tantùm quia non imputantur ad poenam æternam; sed quia per se leuia sunt: de quibus etiam intelligendū est quod Iacobus c. 3. v. 2. de se quoque, aliisque Apostolis affirmat: *In multis offendimus omnes.* Quis enim credat Apostolos in multis offendisse mortaliter? Quoue pacto Apostolus verè affirmasset Rom. 8. v. 38. se in omnibus superare & nulla re posse separari à charitate Dei? Nā si in multis offendebat mortaliter, separabatur à charitate, & non in omnibus superabat, id est, superuincebat. Eódem pertinet illud 1. Ioan. 1. v. 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*: quod propter venialia dictū esse affirmat August. lib. 2. de Peccatorum meritis, cap. 7. Quia ne iusti quidem, & sancti, ab illis sunt immunes. Ideóque epist. 108. in fine, vocat illa, *peccata leuia iustorum, quæ ordinariis remediis tolluntur.* Et serm. 41. de Sanctis, eadē vocat *minuta peccata*, à quibus in hac vita sancti non sunt immunes, quæ animam non occidunt, licet deforment.

29. Id etiam ratio naturalis suadet. Quia prudens & perfecta amicitia nō dissoluitur propter leuem aliquam negligentiam. Estque omnino incredibile quodlibet peccatum leuissimum, putà, verbum otiosum non mala intentione dictum, reddere hominem dignū odio diuino, æternoque ignis supplicio. Quis enim inter homines stultissimus hō haberetur, quia ob leuissimam offensionē nollet amplius esse amicus, imò ad necem vsq; amicum persequeretur? Licet autem eiusmodi peccata leuia tantam pœnam non mereantur; tamen eo ipso quòd sunt peccata, & offensæ Dei, digna sunt aliquâ pœnâ proportionatâ. Quia cuilibet culpæ, iuxta ipsius qualitatem, respondet aliquis modus pœnæ secundum rectum iustitiæ ordinem. Deus autem iustissimus est: ideóque hæc etiam peccata non finit esse impunita.

30. Non semper remittitur pœna cum culpa.

Alterum fidei principium est, quando peccata seu venialia seu mortalia remittuntur, non semper cum remissione culpæ totū pœnæ reatum abolet. Vt patet ex multis Scripturæ locis & exemplis, vbi remisso peccato, adhuc tamen aliqua poena luenda superfuit. Nam Adam, licet ex delicto suo eductus fuerit, Sapient. 10. v. 2. poena tamen mortis illi subeunda fuit. Et Numer. 12. Mariæ Moysis sorori, cùm murmurasset contra Dominum, dimissa quidem fuit culpa, orante Moyse: voluit tamen Dominus vt poenam lueret per vnam hebdomadam. Et alibro 2. Regum capite 12. Dauidi contrito, & dicenti, *Peccaui Domino*,

responsum statim fuit à Nathan Propheta, *Deus quoque transtulit peccatum tuum. Verumtamen quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur.* Quam poenam Dauid lacrymis & ieiuniis non potuit auertere.

Neque respondeant Caluinistæ, duo esse pœnarum genera. Vnas esse castigatorias, quæ infliguntur ad emendationem, ne quis iterum peccet, paternè admonitus illo Dei flagello: & has pœnas ad amicos etiam pertinere, neque repugnare remissioni peccati. Alias pœnas esse satisfactorias, & propriè pœnas, quæ infliguntur à Deo vt iudice in vindictam peccati: & has tantùm ad inimicos pertinere, & repugnare remissioni peccati.

31. Contra enim; mors Adami non potuit illi prodesse ad emendationem, vt non amplius peccaret, poenâ illâ castigatus, & paternè admonitus: quia iusti post mortem non possunt amplius peccare: & ad hunc finem inutilis fuisset illa correctio. Neque post mortem potest esse emendatio, iuxta Caluinistas. Ergo poena illa non fuit Adæ inflicta ad castigationem, sed in vindictam. Nathan quoque, Dei nomine imponens Dauidi poenam supradictam, non dixit, *Ne amplius pecces*; sed, *quia blasphemare fecisti* &c. Denique Deus respectu iustorum, non tantùm Pater, sed etiam Iudex est, vt reddat illis iuxta ipsorum opera, 2. Timoth. 4. v. 8. *Quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex* &c. Quare vindicta aliqua non repugnat respectu etiam iustorum, & amicorum.

Quia merita Christi non eo fine applicatur.

Ratio à priori huius rei est, quia licet Christus ex se sufficienter & copiosè omnes homines redemerit, & pro omnibus satisfecerit in actu primo, id est, quantum ad sufficientiam pretii & satisfactionis: nihilominus non omnes saluat reipsa, neque à culpa ac poena liberat: sed tantùm eos quibus ipsius meritum & satisfactio applicatur efficaciter per aliquid quod ipsi agunt, vel quod in eis fit, quo meritum & satisfactio Christi illis applicetur. Nam existente licet merito infinito Christi pro omnibus oblati, & volentis saluare omnes homines, vt ait Paulus 1. Tim. 2. v. 4. *Quique seipsum dedit redemptionem pro omnibus*, ib. v. 6. & est propitiatio pro peccatis totius mundi, 1. Ioan. 2. v. 2. Multi tamen, & longè plures non saluantur: alii verò fruuntur eius beneficio. Quæ differentia non aliunde prouenire potest, quàm ex eo quòd præter actiones, & passiones, quas Christus ipse exhibuit, necessarium est aliquid fieri ex parte nostra, quo infinita Christi redemptio nobis applicetur.

32. Hæc autem applicatio non fit, vt somniant hæretici, per fidem, quâ homo firmiter credat peccata sibi non imputari propter Christum, neq; quoad culpam, neq; quoad poenam vllam. Quia fides illa commentitia est, & rationi manifestè contraria. Scriptura enim nullibi docet, firma fide & diuina (qualis debet esse fides iustificans) vnicuique credendum esse peccata sibi non imputari, & eo ipso non imputari quòd ita credat: sed Paulus Hebr. 11. v. 6. affirmat quidem fidem ad placendum Deo necessariam esse; non tamen fidem non imputationis, sed fidem dogmatum reuelatorum, quam hæretici vocant fidem historicam, aut fidem generalem. *Sine fide*, inquit, *impossibile est placere Deo. Accedentem enim ad Deum oportet credere, quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit* &c. Cui fidei adiungitur Baptismus, Marci vlt. & obseruatio mandatorum, Matth. vlt. & operatio charitatis, Galat. 5. Non enim qui se iustum reputat, sed, *Qui facit iustitiam, iustus est*, 1. Ioan. 3. &, *Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Per se quoque absurdum est & incredibile peccata, quamuis reipsa committantur trãsgrediendo legem diuinam & naturalem, eo ipso remitti à Deo, vel tanquam nihilum reputari, quòd is qui illa committit, ita credit, & cum illa fiducia delinquit. Nam, vt rectè ait Suares lib. 2. Defens. fidei cap. 15. n. 7. Quid hoc aliud esset, nisi dare hominibus liberam licentiam peccandi? Quid iustitiæ Dei, & sapientissimæ prouidentiæ magis contrarium? Quid etiam Christi redẽptioni magis repugnans? Sic enim Christus non veniisset ad dissoluenda opera Diaboli 1. Ioan. 3. sed ad ea fouenda, & multiplicanda.

Non applicantur per fidẽ nõ-imputationis.

33. Non igitur fit applicatio meritorum Christi per illam fidem commenticiam, & à recta ratione alienam: sed per veram fidem operantem per charitatem; vel per sacramenta, in eum finem à Christo instituta, & debitè recepta. Quæ non applicant Christi D. merita quantumcunque absolutè applicari possunt: sed secundum mensuram diuinæ ordinationis, modò magis, modò minùs, pro varietate sacramentorum, vel dispositionum, quibus mediantibus applicatio fit. Quòd enim Christi merita possint inæqualiter applicari & participari, liquet ex eo quòd electi sunt futuri inæquales in gloria, primæ Corinthiorum decimo quinto, versu quadragesimo primo. Gloria autem datur propter Christi merita participata, æquè ac gratia & remissio peccatorum. Sacramenta verò non habent vim applicandi, nisi quantam Christus instituit. Idemque dico de actibus nostris vel dispositionibus, quæ quò sunt maiores & meliores, eò sunt aptiores ad magis applicanda Christi merita.

Sed per verã fidem & per sacramenta.

Cùm igitur tum ex parte meritorum Christi, tum ex parte mediorum possit esse inæqualitas applicationis: non est temerè definiendum, quantum & quatenus applicentur, sed mensura applicationis ex Scripturâ, & reuelatione diuina per Eccle. traditâ

sumi debet. Atqui Scriptura, & Ecclesia docent non ita semper applicari Christi merita, vt tollant omnem pœnam simul cum reatu culpæ, quotiescunque peccata remittuntur, vt alibi ostendimus exemplo Adæ, Mariæ sororis Moysi, & Dauidis: eádemq; fuisse Ecclesiæ antiquæ fidem, & communem sanctorum Patrum doctrinam fatentur ipsimet Nouatores, Caluin. 3. Inst. c. 4. n. 38. & Kemnitius in examine sess. 25. Concilii Trident. Ergo &c.

34. Efficaciter probatur dari Purgatorium.

Ex his duobus principiis fidei sic argumentor: Fieri potest, ac sæpe fit, vt aliqui iusti cum solis peccatis venialibus decedant, à quibus antequam in cœlum admittantur, omnino expiandi sunt. Ergo necesse est supersesse locum expiationi Peccatorum post hanc vitam, quam Purgatorii nomine intelligimus. Antecedens patet ipsá experientiá: nec enim dubium est aliquos mori iustos, & Deo gratos. Cùmque peccata venialia tam frequenter incurrantur, vt septies in die cadat iustus, atque in multis offendamus omnes: quomodo credibile est non mori aliquos cum peccato veniali, vel quia morte repentina præueniuntur, vel quia morbum aut mortem tolerant cum leui impatientia? Consequentia verò manifesta est. Quia tales non possunt in perpetuum priuari regno cœlesti, cùm sint filii & hæredes: neque etiam possunt in illud ingredi, nisi prius expientur à peccatis venialibus, quia nihil coinquinatum in ciuitatem illam coelestem intrabit, Apocal. 21. v. vlt. Necesse igitur est, vt expientur à peccatis illis. Secundò, fieri potest, & plusquam credibile est reipsa fieri, vt aliqui decedant in gratia, nondum remissa tota poena temporali. Vel quia post multa & grauia peccata conuertuntur tantùm in fine vitæ: vel quia licet priùs conuertantur, tepidiores sunt, minúsque diligentes ad opera poenitentiæ, misericordiæ, & aliarum virtutum exercenda, præstandamque Deo satisfactionem debitá. Ergo necessariò admittendum est Purgatorium, quo soluatur poena temporalis quæ restat, & iustitiæ diuinæ satisfiat.

35. Occurritur obiectioni.

Neque respondeant Nouatores, poenam omnem in morte tolli. Tum quia mors est poena peccati originalis, siue non remissi, siue etiam remissi: ideóque infantibus etiam baptizatis communis est. Ergo pro peccatis actualibus alia poena est imponenda. Tum etiam quia ordo iustitiæ, & prouidentiæ diuinæ non seruaretur, si peccata valde imparia numero & quantitate, vnâ eademque naturali morte punirentur, siue parua siue magna, siue multa vel pauca fuerint. Ergo alia poena fuit peccatis constituta, adeóque post mortem luenda, si antea non fuit.

SECTIO VI.

Obiectiones Hæreticorum soluuntur: & explicantur nonnulla de statu, & loco animarum Purgatorii.

36. Prima obiectio.

OBiiciunt primò, In Leuitico, vbi pro singulis rebus instituuntur sacrificia, nullum institui pro defunctis: & 1. Thessal. 4. vbi Apostolus agit ex professo de mortuis, nullam fieri mentionem Purgatorii, aut sacrificii pro defunctis, sed tantùm resurrectionis.

Respondeo cum Bellarm. lib. 1. de Purgat. cap. 11. §. *Ad id de Leuitico*, sacrificia pro defunctis peculiariter non fuisse instituenda: quia sacrificia propitiatoria, quæ in Leuitico sunt instituta pro peccatis: intelligebantur pro peccatis tam viuorum, quàm mortuorum, vt patet ex 2. Machab. 12. v. 3. & seqq. Addo Leuit. 16. v. 16. & 34. institutum fuisse vt semel in anno celebraretur solenne sacrificium ad expianda peccata toto illo anno commissa à filiis Israel: quorum multi, qui peccauerant, sine dubio defuncti erant. Paulus autem cap. cit. suscepérat tantũ consolari Christianos super morte suorum, vt patet ex initio & fine discursus. Initium enim est, *Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini.* Conclusio verò est, *Itaque consolamini inuicem in verbis istis.* Ad consolandum autem pertinébat mentio Purgatorii, æquè ac Inferni. Ideóque Paulus mentionem facit tantùm resurrectionis & gloriæ, quam speramus, volens ibi consolari Christianos super morte suorum, & hortari vt non contristentur, *sicut & cæteri, quispem non habent.*

37. Secunda obiectio.

Obiiciunt secundò quædam Scripturæ & Patrum loca, in quibus duo tantùm commemorantur status futuri animarum: beatitudinis scilicet, & damnationis: vt Matth. 25. Ibunt hi in vitam æternam, illi autem in supplicium sempiternum. Et D. August. lib. 1. de Peccatorum meritis, cap. 28. fere initio, & libr. 5. Hypognost. cap. 5. vltra medium, & lib. 13. de Ciuit. cap. 8. & sermon. 18. de verbis Apostoli, & sermon. 232. De tempore, aliisque locis, videtur planè affirmare nullum locum esse medium post hanc vitam, præter regnum cœlorum, & infernum damnatorum.

Respondeo Matth. 25. sermonem esse de locis post extremum iudicium futuris in perpetuum pro iis quorum opera digna vita vel morte æterna in iudicio examinabuntur. Alibi quoq; sæpe fit solùm mentio de locis, seu statibus illis perpetuis, quorum commemoratio plus momenti habet ad hominum animos deterrendos à peccatis, & ad virtutẽ incitandos. August. similiter loquitur apertè de locis perpetuis, præcipuè l. 5. Hypog. cit. (si tamen huius libri auctor est) cũ ait, *Tertium penitùs ignoramus præter regnũ*

cœlorum, & gehennam. Disputat enim ibi contra Pelagium, qui tertium locum excogitauerat, in quo infantes futuri essent in perpetuum beati naturali quadam beatitudine, imò & vitam æternam habituri, quam Augustinus meritò negat extra regnum cælorum haberi posse. Infantes verò non baptizatos collocat ipse in inferno damnatorũ, poenis licet disparibus cruciandos: vt videre est serm. 14. de verbis Apost. cap. 3. vbi affirmat paruulos sine baptismo decedentes, ituros in ignem æternum, iuxta sententiam Domini Matth. 25. *Ite maledicti*, &c. In quo ad alterum extremum deflexit, & à Gregorio Nazianzeno, aliisque Patribus dissensit, atque à veritate aberrauit, vt ostendimus tom. 2. disputando de poena peccati originalis. Quare iuxta rei veritatem alius erit locus in perpetuum pro decedentibus cum solo originali, & sine alio mortali peccato. Neque etiam negare potuit Augustinus alicubi extra regnum coelorum, & infernum, fuisse animas sanctorum Patrum veteris Testamenti, quando nondum erat propalata Sanctorum via, vt loquitur Apostolus Hebr. 9. Verùm, vt iam suprà dixi, non loquitur de locis, seu statibus ad tempus constitutis, sed de æternis, quos duos tantùm esse voluit.

32. Tertia obiectio.

Obiiciunt tertiò, alia Scripturæ, & Patrum loca, quibus asseritur, iustos ex hac vita decedentes statim admitti ad æternam beatitudinem, & nullo tangi tormento. Cuiusmodi est illud Apocal. 14. *Beati mortui qui in Domino moriuntur: amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis.* Et Sapientiæ 9. vers. 6. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum.* Et Augustinus tract. 49. in Ioannem, *Requiem quæ continuò post mortem datur, si eâ dignus est, tunc accipit quisque, cùm moritur.*

Respondeo, sermonem ibi esse de iustis per se consideratis, & quantùm est ex parte iustitiæ, modò alioqui nullum habeant impedimentum, & causam differendi: vel de iis qui perfectè, & absolutè digni sunt illa requie: vel quòd illos non afficiat tormentum mortis æternæ, quod antonomasticè tormẽtum appellatur: neque tormentum vllum aliud, si vndequaque iusti, & absoluti sunt, nullius culpæ venialis, aut poenæ rei.

39. Quarta oppositio.

Obiiciunt quartò quædam alia Scripturæ & Patrum loca, quibus asseritur lignum perpetuò mansurum vbi ceciderit, Ecclesiastæ 11. v. 3. Non fore locum poenitentiæ post hanc vitam, Ecclesiastæ 9. v. 10. & vnumquemque recepturũ prout gesserit in corpore, siue bonum, siue malum, 2. Cor. 5. Neque futurum post mortem locum indulgentiæ, iuxta illud Cypriani in lib. contra Demetrianum in fine: *Quando isthinc excessum fuerit, nullus iam poenitentiæ locus est, nullus satisfactionis effectus.* Et Chrysost. hom. 2. de Lazaro: *Cum hinc discesserimus, non est in nobis situm poenitere, neque commissa diluere*, &c. *neque enim qui in præsenti vita peccata non abluerunt, postea consolationem aliquam inuenturi sunt.*

Respondeo, in primo loco sensum literalem esse, quòd sicut arbor posiquam ceciderit, ibi manet, neque potest vi propria resurgere: sic homo mortuus non potest se suscitare. Allegoricè verò significari statum æternæ salutis vel damnationis. In eo enim quisq; manet perpetuò, in quo moritur: neq; ab vno ad alium transire potest: quamuis ad tempus possessio gloriæ quibusdam differatur, vt de Patribus veteris Testamenti negare non possunt hæretici, contra quos disputamus.

In secundo loco Ecclesiastæ 9. v. 10. significatur tantùm, quòd apud inferos non sit locus merendi. Vel sermo est de damnatis: vel de conuersione à peccatis mortalibus, de qua manifestè loquũtur Cypri. & Chrysost. Addit enim Cyprianus ibid. *Hic vita aut amittitur, aut tenetur.* Et præterea loquitur speciatim de Poenitentia sacramentali, cui certè post hanc vitam nullus est locus. Chrysost. autẽ, exemplo Epulonis qui in Gehenna torquebatur, monet ne illum imitantes, conuersionem & poenitentiam in aliam vitam differamus. Ad locum verò Pauli secundæ Corinthiorum quinto, rectè respondet Sanctus Augustinus in Enchiridio cap. 110. his verbis: *Hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quisquam, vel grauari. Nemo autem se speret, quod hic neglexerit, cùm obierit, apud Dominum promereri. Non igitur ista, quæ pro defunctis emendandis frequentat Ecclesia, illi Apostolicæ sunt aduersa sententiæ, quâ dictum est, Omnes stabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque secundum ea, quæ per corpus gessit, siue bonum, siue malum. Quia etiam hoc meritum sibi quisque, cùm in corpore viueret, comparauit, vt ei possent tunc ista prodesse. Non enim omnibus prosunt. Et quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitæ, quam quisque gessit in corpore?*

40.

41. Quinta obiectio.

Obiiciunt quintò illud Ezech. 18. *Cùm conuersus fuerit impius ab impietate sua, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius.* At quomodo non recordaretur, si eas seuerè in Purgatorio puniret? & Rom. 8. v. 11. *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu*: ergo & nihil pœnæ restantis ex peccatis.

Respondeo, sensum prioris loci non esse, quòd impietates sint penitùs delendæ è memoria diuina: hoc enim penitùs repugnat fieri, quia cognitio Dei nec augetur, nec minuitur: sed sensus est quòd Deus non sit earum recordaturus in ordine ad dãnationem æternam: sicut ibidem ait se non recordaturum iustitiarum iusti labentis in peccatum; in ordine scilicet ad vitam æternam propter illa reddendam: quamuis alioqui bona iustorum opera, imò & iniustorũ, non careant mercede aliqua temporali, iuxta illud Luc. 16. *Recepisti bona in vita tua*: similiterque iustorum mala opera, per

sumi debet. Atqui Scriptura, & Ecclesia docent non ita semper applicari Christi merita, vt tollant omnem pœnam simul cum reatu culpæ, quotiescunque peccata remittuntur, vt alibi ostendimus exemplo Adæ, Mariæ sororis Moysi, & Dauidis: eãdemq; fuisse Ecclesiæ antiquæ fidem, & communem sanctorum Patrum doctrinam fatentur ipsimet Nouatores, Caluin. 3. Inst. c. 4. n. 38. & Kemnitius in examine sess. 25. Concilii Trident. Ergo &c.

34. Efficaciter probatur dari Purgatorium.

Ex his duobus principiis fidei sic argumentor: Fieri potest, ac sæpe fit, vt aliqui iusti cum solis peccatis venialibus decedant, à quibus antequam in cœlum admittantur, omnino expiandi sunt. Ergo necesse est supereſſe locum expiationi Peccatorum post hanc vitam, quam Purgatorii nomine intelligimus. Antecedens patet ipsâ experientiâ: nec enim dubium est aliquos mori iustos, & Deo gratos. Cùmque peccata venialia tam frequenter incurrantur, vt septies in die cadat iustus, atque in multis offendamus omnes: quomodo credibile est non mori aliquos cum peccato veniali, vel quia morte repentina præueniuntur, vel quia morbum aut mortem tolerant cum leui impatientia? Consequentia verò manifesta est. Quia tales non possunt in perpetuum priuari regno cœlesti, cùm sint filii & hæredes: neque etiam possunt in illud ingredi, nisi prius expientur à peccatis venialibus, quia nihil coinquinatum in ciuitatem illam coelestem intrabit, Apocal. 21. v. vlt. Necesse igitur est, vt expientur à peccatis illis. Secundò, fieri potest, & plusquam credibile est reipsa fieri, vt aliqui decedant in gratia, nondum remissa tota poena temporali. Vel quia post multa & grauia peccata conuertuntur tantùm in fine vitæ: vel quia licet priùs conuertantur, tepidiores sunt, minúsque diligentes ad opera poenitentiæ, misericordiæ, & aliarum virtutum exercenda, præstandamque Deo satisfactionem debitã. Ergo necessariò admittendum est Purgatorium, quo soluatur poena temporalis quæ restat, & iustitiæ diuinæ satisfiat.

35. Occurritur obiectioni.

Neque respondeant Nouatores, poenam omnem in morte tolli. Tum quia mors est poena peccati originalis, siue non remissi, siue etiam remissi: ideóque infantibus etiam baptizatis communis est. Ergo pro peccatis actualibus alia poena est imponenda. Tum etiam quia ordo iustitiæ, & prouidentiæ diuinæ non seruaretur, si peccata valde impari numero & quantitate, vnâ eademque naturali morte punirentur, siue parua siue magna, siue multa vel pauca fuerint. Ergo alia poena fuit peccatis constituta, adeóque post mortem luenda, si antea non fuit.

SECTIO VI.

Obiectiones Hæreticorum soluuntur: & explicantur nonnulla de statu, & loco animarum Purgatorii.

36. Prima obiectio.

OBiiciunt primò, In Leuitico, vbi pro singulis rebus instituuntur sacrificia, nullum institui pro defunctis: & 1. Thessal. 4. vbi Apostolus agit ex professo de mortuis, nullam fieri mentionem Purgatorii, aut sacrificii pro defunctis, sed tantùm resurrectionis.

Respondeo cum Bellarm. lib. 1. de Purgat. cap. 11. §. *Ad id quod de Leuitico*, sacrificia pro defunctis peculiariter non fuisse instituta: quia sacrificia propitiatoria, quæ in Leuitico fuerint instituta pro peccatis: intelligebantur pro peccatis tam viuorum, quàm mortuorum, vt patet ex 2. Machab. 12. v. 3. & seqq. Addo Leuit. 16. v. 16. & 34. institutum fuisse vt semel in anno celebraretur solenne sacrificium ad expianda peccata toto illo anno commissa à filiis Israel: quorum multi, qui peccauerant, sine dubio defuncti erant. Paulus autem cap. cit. susceperat tantũ consolari Christianos super morte suorum, vt patet ex initio & fine discursus. Initium enim est, *Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini.* Conclusio verò est, *Itaque consolamini inuicem in verbis istis.* Ad consolandum autem impertinēs erat mentio Purgatorii, æquè ac Inferni. Ideóque Paulus mentionem facit tantùm resurrectionis & gloriæ, quam speramus, volens ibi consolari Christianos super morte suorum, & hortari vt non contristentur, *sicut & cæteri, quispem non habent.*

37. Secunda obiectio.

Obiiciunt secundò quædam Scripturæ & Patrum loca, in quibus duo tantùm commemorantur status futuri animarum: beatitudinis scilicet, & damnationis: vt Matth. 25. Ibunt hi in vitam æternam, illi autem in supplicium sempiternum. Et D. August. lib. 1. de Peccatorum meritis, cap. 28. fere initio, & libr. 5. Hypognost. cap. 5. vltra medium, & lib. 13. de Ciuit. cap. 8. & sermon. 18. de verbis Apostoli, & sermon. 232. De tempore, aliisque locis, videtur planè affirmare nullum locum esse medium post hanc vitam, præter regnum cœlorum, & infernum damnatorum.

Respondeo Matth. 25. sermonem esse de locis post extremum iudicium futuris in perpetuum pro iis quorum opera digna vita vel morte æterna in iudicio examinabuntur. Alibi quoq; sæpe fit solùm mentio de locis, seu statibus illis perpetuis, quorum commemoratio plus momenti habet ad hominum animos deterrendos à peccatis, & ad virtutẽ incitandos. August. similiter loquitur apertè de locis perpetuis, præcipuè l. 5. Hypog. cit. (si tamen huius libri auctor est) cũ ait. *Tertium penitus ignoramus præter regnũ*

Digitized by Google

cælorum, & gehennam. Disputat enim ibi contra Pelagium, qui tertium locum excogitauerat, in quo infantes futuri essent in perpetuum beati naturali quadam beatitudine, imò & vitam æternam habituri, quam Augustinus meritò negat extra regnum cælorum haberi posse. Infantes verò non baptizatos collocat ipse in inferno damnatorũ, poenis licet disparibus cruciandos: vt videre est serm. 14. de verbis Apost. cap. 3. vbi affirmat paruulos sine baptismo decedentes, ituros in ignem æternum, iuxta sententiam Domini Matth. 25. *Ite maledicti*, &c. In quo ad alterum extremum deflexit, & à Gregorio Nazianzeno, alijsque Patribus dissensit, atque à veritate aberrauit, vt ostendimus tom. 2. disputando de poena peccati originalis. Quare iuxta dei veritatem alius erit locus in perpetuum pro decedentibus cum solo originali, & sine alio mortali peccato. Neque etiam negare potuit Augustinus alicubi extra regnum coelorum, & infernum, fuisse animas sanctorum Patrum veteris Testamenti, quando nondum erat propalata Sanctorum via, vt loquitur Apostolus Hebr. 9. Verùm, vt iam suprà dixi, non loquitur de locis, seu statibus ad tempus constitutis, sed de æternis, quos duos tantùm esse voluit.

38. Tertia obiectio.

Obiiciunt tertiò, alia Scripturæ, & Patrum loca, quibus asseritur, iustos ex hac vita decedentes statim admitti ad æternam beatitudinem, & nullo tangi tormento. Cuiusmodi est illud Apocal. 14. *Beati mortui qui in Domino moriuntur: amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis.* Et Sapientiæ 9. vers. 6. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum.* Et Augustinus tract. 49. in Ioannem, *Requiem quæ continuò post mortem datur, si eâ dignus est, tunc accipit quisque, cùm moritur.*

Respondeo, sermonem ibi esse de iustis per se consideratis, & quantùm est ex parte iustitiæ, modò alioqui nullum habeant impedimentum, & causam differendi: vel de iis qui perfectè, & absolutè digni sunt illa requie: vel quòd illos non afficiat tormentum mortis æternæ, quod antonomasticè tormẽtum appellatur: neque tormentum vllum aliud, si vndequaque iusti, & absoluti sunt, nullius culpæ venialis, aut poenæ rei.

39. Quarta obiectio.

Obiiciunt quartò quædam alia Scripturæ & Patrum loca, quibus asseritur lignum perpetuò mansurum vbi ceciderit, Ecclesiastæ 11. v. 3. Non fore locum poenitentiæ post hanc vitam, Ecclesiastæ 9. v. 10. & vnumquemque recepturũ prout gesserit in corpore, siue bonum, siue malum, 2. Cor. 5. Neque futurum post mortem locum indulgentiæ, iuxta illud Cypriani in lib. contra Demetrianum in fine: *Quando istinc excessum fuerit, nullius iam poenitentiæ locus est, nullius satisfactionis effectus.* Et Chrysost. hom. 2. de Lazaro: *Cum hinc discesserimus, non est in nobis situm poenitere, neque commissa diluere*, &c. *neque enim qui in præsenti vita peccata non abluerunt, postea consolationem aliquam inuenturi sunt.*

Respondeo, in primo loco sensum literalem esse, quòd sicut arbor postquam ceciderit, ibi manet, neque potest vi propria resurgere: sic homo mortuus non potest se suscitare. Allegoricè verò significari statum æternæ salutis vel damnationis. In eo enim quisq; manet perpetuò, in quo moritur: neq; ab vno ad alium transire potest: quamuis ad tempus possessio gloriæ quibusdam differatur, vt de Patribus veteris Testamenti negare non possunt hæretici, contra quos disputamus.

40.

In secundo loco Ecclesiastæ 9. v. 10. significatur tantùm, quòd apud inferos non sit locus merendi. Vel sermo est de damnatis: vel de conuersione à peccatis mortalibus, de qua manifestè loquũtur Cypri. & Chrysost. Addit enim Cyprianus ibid. *Hic vita aut amittitur, aut tenetur.* Et præterea loquitur speciatim de Poenitentia sacramentali, cui certè post hanc vitam nullus est locus. Chrysost. autẽ, exemplo Epulonis qui in Gehenna torquebatur, monet ne illum imitantes, conuersionem & poenitentiam in aliam vitam differamus. Ad locum verò Pauli secundæ Corinthiorum quinto, rectè respondet Sanctus Augustinus in Enchiridio cap. 110. his verbis: *Hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam, vel grauari. Nemo autem se speret, quod hic neglexerit, cùm exierit, apud Dominum promereri. Non igitur ista, quæ pro defunctis cõmendandis frequentat Ecclesia, illi Apostolicæ sunt aduersa sententiæ, quâ dictum est, Omnes stabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque secundum ea, quæ per corpus gessit, siue bonum, siue malum. Quia etiam hoc meritum sibi quisque, cùm in corpore viueret, comparauit, vt ei possent tunc ista prodesse. Non enim omnibus prosunt. Et quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitæ, quam quisque gessit in corpore?*

41. Quinta obiectio.

Obiiciunt quintò illud Ezech. 18. *Cùm conuersus fuerit impius ab impietate sua, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius*, At quomodo non recordaretur, si eas fleuerit in Purgatorio puniret? & Rom. 8. v. 11. *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu*: ergo & nihil pœnæ restantis ex peccatis.

Respondeo, sensum prioris loci non esse, quòd impietates sint penitùs delendæ è memoria diuina: hoc enim penitùs repugnat fieri, quia cognitio Dei nec augetur, nec minuitur: sed sensus est quòd Deus non sit earum recordaturus in ordine ad dãnationem æternam: sicut ibidem ait se non recordaturum iustitiarum iusti labentis in peccatum; in ordine scilicet ad vitam æternam propter illa reddendam: quamuis alioqui bona iustorum opera, imò & iniustorũ, non careant mercede aliqua temporali, iuxta illud Luc. 16. *Recepisti bona in vita tua*: similiterque iustorum mala opera, per

pœnitentiam remissa puniatur aliqua pœna temporali, vt exemplo Adæ, Mariæ, & Dauidis supra ostendimus. In posteriori loco Pauli, sermo etiam est de æterna damnatione, ad quam non pertinet pœna temporalis soluenda pro peccatis, quæ potiùs pertinet ad saluationem, & ad remissionem peccatorum, quorum pœna æterna commutatur misericorditer in temporalem, quando culpa remittitur.

42. Obiiciunt sextò, Christum abundè pro peccatis nostris satisfeciſſe: & remissâ culpâ, omnem pœnam simul remitti: & pietati paternæ repugnare, vt Deus eos puniat, quos in filios adoptauerit, malitque eos punire, quàm liberaliter cum Christo agere, eius satisfactionem abundantissimam, tóque fine exhibitam, acceptando, vt eos tam à culpa, quàm ab omni pœna liberet. Sed his omnibus superiùs sufficienter occursum fuit in 4. probatione. Addunt, iuxta nostram sententiam, duplicem fore satisfactionem Christi scilicet, & nostram: Deumque duplicem solutionem eiusdem debiti acceptaturum: cùm tamen Christi solutio plusquam sufficiens sit. Item nullum esse fundamentum in Scriptura, quòd in Baptismo tota pœna remittatur, & non deinceps: cùm tamen semper iustificatio fiat per fidem non-imputationis, quâ quisque sibi Christi iustitiam applicat, creditque firmiter peccata sibi propter ipsum non imputari. Denique multa nobis affingunt, aut circa nonnullas Scholasticorum quorundam opiniones minùs probabiles diuagantur.

Sexta oppositio.

In Purgatorio est aliqua satisfactio.

Respondeo primò, in Purgatorio non esse satisfactionem, vt neque meritum: sed tantùm satisfactionem: quia tempus merendi, & satisfaciendi ad spatium huius vitæ definitum est: iuxta illud Christi Ioann. 9. v. 4. *Venit nox quando nemo potest operari*: vbi per noctem, mortem intelligit. Et Eccles. 9. *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare*, &c. Et 1. Corinth. 8. *Tempus breue est* &c. Et ad Galat. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Secundò, dico Christi satisfactionem, licet de se sufficientissimam, nobis tamen cum mensura applicari per media à Deo constituta, inter quæ sunt satisfactiones nostræ, & satispassiones pro peccatis post baptismum commissis. Neque repugnare, duplicem esse satisfactionem in remissione peccati integra & perfecta. Vnam Christi generalem: alteram pœnitentis, tanquam medium quo applicatur generalis, quæque illi subordinatur, & propter illam acceptatur à Deo; ex quibus constat integra pœnæ solutio. Tertiò, ex Scriptura secundum sensum sanctorum Patrum, & Ecclesiæ primitiuæ intellecta, satis constat peccata plenius remitti in baptismo, quàm in sacramento Pœnitentiæ, vel per alia media, quibus remittuntur peccata post Baptismum commissa, vt suis locis agendo de Baptismo, & de Pœnitentia ostensum fuit. Fides verò illa non-imputationis valens ad omnem culpam & pœnam simul abolendam non tantùm eorum quæ iam fuerunt commissa, sed & quæ committuntur reipsa, aut tota vita committentur imposterum, vt somniant hæretici, est planè commentitia, & Scripturæ, ac rationi naturali aduersa, vt paulò antea demonstrauimus.

Quartò denique fides Catholica de Purgatorio nihil aliud docet, præter illa duo quæ hactenus explicata, & probata fuerunt. Reliqua verò vel finguntur ab hæreticis, & fidei catholicæ falsò tribuuntur: vel pertinent ad Scholasticorum controuersias circa modum, de quo non est cum hæreticis litigandum, modò de summa, seu substantia rei, & dogmate fidei conueniat. Vt autem breuiter aperiam, quid de illis probabilius videatur, & simul viam hæreticorum obiectionibus obstruam: 43.

Dico breuiter primò, quod attinet ad locum, certum quidem esse, animas quæ purgantur, alicubi purgari. Quia quidquid fit, alicubi fit: Estque tam impossibile aliquid esse, aut fieri, & nullibi esse aut fieri: quâ est impossibile aliquid esse, & nunquâ esse: aut aliquid fieri, & nunquâ fieri. Non est tamen ita certũ aliquẽ locum destinatũ esse huiusmodi animabus purigandis, vnum & eundem omnibus. Quidam enim Catholicorum existimant variis locis deputari ex diuina voluntate, iuxta occurrentes circunstantias: vt Hugo de Sancto Victore lib. 2. de Sacram. parte 16. cap. 4. & S. Bonauent. in 4. dist. 45. art. 1. quæst. 2. id probabile iudicat: fauentque nonnullæ apparitiones à S. Gregorio Magno lib. 4. Dialog. Venerabili Beda in Hist. Anglor. & aliis fide dignis relatæ. Locus Purgatorii. 44.

Communior tamen, & probabilior sententia est, certum aliquem locum illis, cõmuniter saltem, destinatum esse: eumque subterraneum, quanquam de hoc quoque Catholici aliqui dubitant, teste D. Thoma in 4. dist. 21. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 2. & aliis Scholasticis ibidem, qui potiùs medium quendam locum inter coelum & terram illis tribuunt, sicut earum status medius est inter gloriam & damnationem. Probatur, quia sicut animabus beandis, & dãnandis certus aliquis locus destinatus est, in quo simul beentur, vel damnentur: sic & istis, in quo simul purgentur. Hunc verò subterraneum esse, colligitur ex Apocal. 5. v. 13. vbi dicitur, aliquas esse animas iustas sub terra, quæ Deum laudant, & benedicunt, quæ non sunt animæ Patrum in Limbo: nam illæ iam tum in coelum receptæ erant: neque animæ infantium decedentium sine Baptismo, quia illæ iustæ non sunt. Fauet quoque illud Actorum secundo, v. 24. *Solutis infernidoloribus*, ex quo probabiliter colligitur Christum descendendo ad inferos, etiam ad Purgatorium descendisse & ab illo eiusque doloribus aliquas animas liberasse. Nam quòd hæc verba referantur

ad animas à Christo liberatas & solutas Inferni doloribus, docet S. Aug. epist. 59. ad Euodium. Fauent etiam historiæ relatæ à Beda lib. 5. historiæ Anglorum cap. 13. & à Gregor. Magno lib. 4. dialogor. plurib. locis.

Ineptè verò Caluinus lib. 2. Instit. cap. 16. num. 9. Limbum Patrum impugnans, dicit, Concludere in carcere mortuorum animas puerile esse. Nam hoc infernum damnatorum æquè impugnat: & ex falsa imaginatione procedit, quòd spiritus non sint in loco: cùm tamen æquè impossibile sit spiritus esse, & nusquam esse; ac corpora esse, & nusquam esse. Posito autem quòd ali cubi sint; ad hoc vt eo loco veluti carcere contineantur & concludantur, oportet tantùm Deum negare concursum ad motum localem, qui est illis necessarius, vt inde se dimoueant. Quanquam aliter possunt eo cohiberi, vt diximus 1 parte, disp. 44. de pœna Dæmonum sect. 4.

Secundò, quòd attinet ad genus pœnarum, dico animas illas de sua quidem salute certas esse. Norunt enim euidenter se esse in statu longè diuerso à statu damnatorum, seque Deum amare, & illi adhærere, & per illius sententiam in articulo mortis latam, pœnæ tantùm temporali esse addictas, quam etiam ferunt patienter, & æquo animo, ac probabiliter non carent consolatione Angelorum ad locum pœnarum eas ducentium, & identidem visitantium. Denique in condemnatione articulorum Lutheri per Leonem X. damnatur iste numero 38. *Animæ in Purgatorio non sunt securæ de sua salute, saltem omnes.* Quare res hæc apud Catholicos indubitata esse debet. Non torquentur ergo per anxietatem & incertitudinem de sua salute: sed per dilationem visionis beatificæ, quæ aliqua pœna damni est: & vlteriùs per tormentum aliquod positiuum, quod per ignem inferri significat Scriptura 1. Cor. 3. v. 15. *Saluus erit, sic tamen quasi per ignem*: & sancti Patres declariùs docent communiter, quorum plurimos refert Bellarmin. lib. 1. cap. 6. post medium, & cap. 4. §. *Est igitur communis Theologorum sententia.*

Non est tamen id omnino definitum, neque fide certum. Vnde in Concilio Florentino Patres Græci dissidentes in eo à consensu omnium Latinorum, non fuerunt damnati, fatentes tamen Purgatorium esse, & in eo animas pati aliquas pœnas. Quare mentitur Petrus Martyr in caput 3. epistolæ 1. ad Corint. cùm ait Ecclesiam græcam, quæ est altera pars Ecclesiæ, diu restitisse dogmati de Purgatorio in Concilio Florentino. Nam Patres Græci sess. 1. & iterum in vltima eiusdem Concilii, sine vlla difficultate affirmauerunt se perpetuò Purgatorium credidisse, & orationem pro defunctis: solúmque ambigere de qualitate pœnæ: an sit videlicet ignis, an aliquid aliud. Quod ergo iactatur ab hæreticis, Græcos non credere Purgatorium, de aliquibus particularibus schismaticis intelligendum est. Nam Eccl. Græca illud credit, tũ recentior huius temporis, vt patet ex Florent. tum antiqua, vt patet ex Dionysio Areop. Origene, Athanasio, Basilio, Chrysostomo, Nazianzeno, Cyrillo, Gregorio Nysseno, Epiphanio, Theodoreto, & aliis à Bellarmino vbi suprà relatis, & à Gaulterio in tabulis Chronolog. veritate 10.

46. An per ignem.

Quomodo autem ignis corporeus possit torquere animas separatas à corpore, non plus habet difficultatis, quàm quomodo possit torquere dæmones in Inferno: qua de re diximus 1. parte, disp. 44. de Angelis. Quæque ab hæreticis obiiciuntur contra ignem Purgat. a quibus possunt opponi contra ignem Inferni, de quo frequenter & constanter in Scripturis mentio fit. Quanquam ne illum quidem physicum esse, & proprium, est de fide, vt diximus loco citato. Certum quoque non est quod plerique affirmant, animas illas magis torqueri dilatione Beatitudinis, quàm vlla pœnâ sensus: & pœnam sensus minimâ Purgatorii superare quamcunque pœnam grauissimam, huius vitæ. Vtrumque enim parum esse probabile restè ostendit Cardin. Bellarm. lib. 2. de Purgat. cap. 14. & contrarium expresse docet inter alios D. Bonauent. in 4. dist. 20. parte 1. art. 1. quæst. 2.

47.

Tertiò, an torqueatur per Dæmones, an sine illis, incertum pariter est. D. Thom. in 4. dist. 21. quæst. 1. artic. 1. in fine §. *Ad quintam quæstionem*, & alii Scholastici docent nec torqueri ab Angelis, nec à Dæmonibus, sed à solo igne. Non ab Angelis: quia id non decet Sanctos Angelos, sed potiùs illis solatium afferre. Non etiam à Dæmonibus: quia non conuenit animas illas subiici Diabolo, quem finaliter vicerunt. In contrarium tamen sunt quædam apparitiones apud Bedam lib. 3. Historiæ cap. 19. & lib. 1. vitæ S. Bernardi cap. 10. & in vitâ Sancti Odilonis apud Surium 1. Ianuarii, aliisque locis. Sed per huiusmodi fortè apparitiones significatur non quid communiter, sed quid extraordinariè fiat. Nam sic etiam referunt aliqui non in igne, sed in aquis interdum apparuisse aliquas animas tempore purgationis.

48. Torquentur ne per Dæmones.

Tempus quoque quo torquentur incertum nobis est, & varium pro varietate pœnarum quæ luendæ supersunt. Constat tamen ex Ecclesiæ sensu aliquas diu torqueri posse: cùm more iam pridem sæculo Tertulliani recepto, annuis diebus oblationes & sacrificia pro mortuis facere consueuerit: & nunc etiam ad multos annos sacrificia illa & orationes protogentur: etiam vltra plures annorum centurias. Contra quem morem disputare, insolentissimæ esset insaniæ iuxta D. Aug. epist. 118. ad Ianuarium. Communiterque reiicitur ab aliis Theologis quod ait Sot. in 4. dist. 19. q. 3. a. 2. in fine, nullam animam in Purgatorio detineri vltra

49. Quamdiu torqueantur?

Ex his ergo quæ dicta sunt, manifestum est, quòd
quæ in pulsu, & quæ in urina, & quæ in alijs
signis, quæ ad ipsum pertinent, ostendunt, ea
omnia ostendunt & in ventre. Quæ autem in
ventre, non omnia & in pulsu, & in urina, &
in alijs signis, quæ ad ipsum pertinent, ostendunt.
Quæ enim in ventre, ea quidem in ventre
solo ostendunt, quæ autem in pulsu, & in urina,
& in alijs signis, quæ ad ipsum pertinent, ea
quidem in his solis ostendunt, quæ autem in
ventre, & in pulsu, & in urina, & in alijs signis,
quæ ad ipsum pertinent, ea quidem in his
omnibus ostendunt. Quæ autem in pulsu, &
in urina, & in alijs signis, quæ ad ipsum pertinent,
ostendunt, ea omnia ostendunt & in
ventre. Quæ autem in ventre, non omnia &
in pulsu, & in urina, & in alijs signis, quæ ad
ipsum pertinent, ostendunt. Quæ enim in ventre,
ea quidem in ventre solo ostendunt, quæ autem
in pulsu, & in urina, & in alijs signis, quæ ad
ipsum pertinent, ea quidem in his solis ostendunt,
quæ autem in ventre, & in pulsu, & in urina,
& in alijs signis, quæ ad ipsum pertinent, ea
quidem in his omnibus ostendunt.

TRACTATVS SEXTVS.

DE TRIBVS VLTIMIS SACRAMENTIS.

EXTREMA VNCTIONE, Ordine, & Matrimonio.

QVÆ de illis præcipuè ſpectant ad Scholaſticam conſiderationem, ſexdecim diſputationibus comprehendi poterunt. Prima erit de Sacramento Extremæ vnctionis, cuius explicatio meritò ſuccedit diſputationibus de Sacramento Pœnitentiæ, & eius annexis: quia illius conſummatiua eſt, vt ex antiquis Patribus notauit Tridentinum, ſeſſ. 14. cap. 1. de Extrema vnctione. Secunda erit de eſſentia, & effectibus ſacramenti Ordinis. Tertia, de ſubiecto, & miniſtro eiuſdem ſacramenti. Quarta, de annexis Ordini, & de variis Eccleſiæ miniſtris in particulari. Quinta, de Sacramento Matrimonii, eiuſque inſtitutione, præcepto, & fine. Sexta, de Sponſalibus, & aliis ad matrimonium prærequiſitis. Septima de conſenſu, & verbis, vel aliis ſignis ad eſſentiam matrimonii neceſſariis. Octaua de bonis, & effectibus, aut proprietatibus matrimonii: præcipuéque de vnitate,

& insolubilitate. Nona de impedimentis matrimonii in genere: & speciatim de prohibentibus. Decima, de impedimentis dirimentibus in particulari: ac primò de quinque prioribus, Erroris, Conditionis, Voti, Cognationis, & Criminis. Vndecima, de quinque aliis impedimentis dirimentibus, Disparis cultus, Coactionis, Ordinis, Ligaminis, & Honestatis. Duodecima, de quatuor postremis impedimentis, Affinitatis, Impotentiæ, Clandestinitatis, & Raptus. Decima tertia, de Dispensatione super impedimentis matrimonii. Decima quarta, de Debito coniugali, & illius vsu licito. Decima quinta, de Diuortio. Decima sexta, de Filiis illegitimis, eorumque legitimatione, præcipuè per matrimonium.

De quo sacramento licet tam eruditè, fusè, & perspicuè scripserit vir doctissimus P. Thomas Sanchez tribus integris voluminibus, vt nullam difficultatem intactam reliquerit: nullam diligenter, & exactè, subtiliterque non discusserit: ne tamen explicationem de Sacramentis imperfectam relinquamus, complectemur paucis præcipua quæque, & scitu magis necessaria, vel ad Theologum potiùs, quàm ad Iurisperitum spectantia, quæ ab illo fusissimè explicata fuerunt. Tum vt seruiamus vtilitati eorum, quibus non vacat, aut molestum est longioribus scriptis perlegendis incumbere. Tum etiam quia, vt sunt diuersa hominum iudicia, non omnibus eius sententiis assentimur: & Lectoribus nostris coharentem vbique doctrinam, quoad fieri potest, dare satagimus. Tum denique quia, vt verè ait, qui non ita pridem de eodem sacramento copiosè, & accuratè scripsit, Basil. Pontius: Sedulus ille messor, cuius labor, & diligentia omnibus eruditis admirationem pariunt, spicas colligendas aliis reliquit: sicut & cæteri, qui post ipsum de eodem argumento scripserunt.

Quoniam autem à nonnullis maleuolis, aut inuidis, vel iniquis rerum æstimatoribus, de tanti viri fama detrahitur, illique perperam imputatur, quòd curiosis, & inutilibus quæstionibus, parúmque pudicis, sanctitatem huius sacramenti violauerit: hoc vnum addam ad eius commendationem, iustamque defensionem, omissis aliis præclaris Basilii Pontii in præfatione operis suprà memorati, Petri Arcudii lib. 7. de Sacram. cap.

Digitized by Google

1. *Ægidii Coninc in præfatione disput.* 21. *de Matrimonio, & aliorum Doctorum elogiis: Clementem VIII. pium, prudentem, & doctum Pontificem, de illo pronunciasse, neminem meliùs, & accuratiùs, solidiúsque de hoc argumento scripsisse. Cùm enim, vt constanti fama, & multorum fide dignorum testimonio compertum habetur, grauis aliqua difficultas Romæ agitaretur, fusè, & eruditè, vt solet, à Sanche tractata, eiusque liber inspiciendus summo Pontifici suprà nominato fuisset oblatus: ille tota quæstione studiosè, & attentè perlecta, miratus hominis ingenium subtile, acre iudicium, singularem perspicuitatem, facilem methodum, solertiam mirabilem, diligentiam in legendis, & citandis auctoribus indefessam, seriò pronunciauit, nullum vnquam auctorem extitisse, qui dubias, atque perplexas de Matrimonio controuersias vberiùs, & accuratiùs enodauerit.*

DISPVTATIO SEXAGESIMA QVINTA.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

Sectio I.	*Vtrum Extrema vnctio sit Sacramentum verè, ac propriè dictum?*
Sectio II.	*Respondetur argumentis contrariis.*
Sectio III.	*Quænam sit huius Sacramenti materia, & forma?*
Sectio IV.	*De effectibus Extremæ vnctionis.*
Sectio V.	*De Subiecto, & Ministro eiusdem Sacramenti.*
Sectio VI.	*De obligatione recipiendi, vel administrandi hoc sacramentum.*

DE Extrema vnctione disputat Sanctus Thomas quæst. 29. Supplem. & quatuor sequentibus. In quarum prima docet vnctionem illam, prout fit ab Ecclesia in remissionem peccatorum, esse Sacramentum: & quidem vnum, licet multis vnctionibus constet, ad vnum quid significandum, & efficiendum ordinatis: fuisseque à Christo institutum, & per Apostolos promulgatum: cuius materia est oleum oliuarum consecratum per Episcopum: forma verò est deprecatiua, *Per hanc sanctam vnctionem*, &c.

In secunda affirmat hoc sacramentum esse principaliter institutum ad sanandam infirmitatem peccati. Vt, sicut Baptismus est quædam spiritualis regeneratio: & Pœnitentia, quædam spiritualis suscitatio: ita Extrema vnctio sit quædam spiritualis sanatio, vel medicatio. Sicut autem, inquit, corporalis medicatio præsupponit vitam corporalem in medicato: ita spiritualis spiritualem. Ideoque hoc sacramentum non datur contra defectus, quibus spiritualis vita tollitur, scilicet contra peccatum Originale, vel actuale mortale: sed contra illos defectus, quibus homo spiritualiter infirmatur, vt non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ, gratiæ, vel gloriæ. Et hic defectus nihil aliud est, quàm quædam debilitas, & ineptitudo, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali, vel Originali contra quam debilitatem homo roboratur per hoc sacramentum. Sed quia hoc robur præstat gratia, quæ secum non compatitur peccatum: ideo ex consequenti,

si inuenit

si inuenit peccatum aliquod, tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis, iuxta illud Iacobi 5. *Si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Addit, habere etiam pro effectu sanationem corporalem, quando expedit ad salutem animæ: sed non imprimere characterem: quia non deputat ad aliquid sacrum agendum, aut suscipiendum.

In tertia dicit hoc Sacramentum non posse nisi per sacerdotes conferri: in eoque differre à Baptismo, qui propter summam eius necessitatem potest validè dari à quolibet. In quarta asserit non posse dari famis, nec quouis morbo laborantibus; sed morti propinquis: quia est vltimum remedium, quod Ecclesia potest conferre, quasi immediatè disponens ad gloriam. Neque etiam dandum esse furiosis, & amentibus, nisi habeant lucida intervalla, in quibus sacramentum recognoscant. Neque etiam infantibus actus deuotionis incapacibus. Illis verò, quibus datur, non debere inungi omnes partes corporis: sed illas solùm, in quibus est radix aliqua spiritualis infirmitatis, id est, quinque sensuum organa, quæ cognitionis nostræ, & peccatorum sunt principia: atque etiam renes, & pedes, propter vim appetitiuam, & motiuam. Quamquã hæ duæ vnct. non semper adhibentur. Qui autẽ aliquo illorum membrorum mutilati sunt, debent, inquit, inungi in parte viciniori: quia licet non habeant membra, habent tamen potentias animæ, quæ illis membris debentur, saltem in radice: & interiùs peccare possunt per ea, ad quæ partes illæ pertinent, quamuis exteriùs peccata huiusmodi consummare non possint.

In quinta & vltima dicit hoc Sacramentum posse iterari: quia non habet effectum perpetuum: nam sanitas mentis, & corporis, quæ est effectus huius sacramenti, potest amitti, postquam fuerit per sacramentum effecta. Neque tantùm in diuersis infirmitatibus periculosis iterari posse: sed etiam in eadem, propter diuersum infirmitatis statum: id est, propter nouum periculum mortis, postquam infirmus aliud præcedens euasit. Hæc D. Thomas, quæ sequentibus sectionibus vberiùs exponenda sunt.

SECTIO I.

Verum extrema vnctio sit verè, ac propriè Sacramentum.

1. Status quæstionis.

EXtremæ vnctionis nomine intelligimus cerimoniam vngẽdi infirmos in periculo, vel articulo mortis constitutos, iuxta Christi institutionem promulgatam à Iacobo Apost. cap. 5. epist. suę Cathol. v. 14. quam verè ac propriè sacramentum nouæ legis esse, negant hæretici huius temporis post Albigenses, VValdẽses, & VVicleffistas. Contrà verò affirmant, & tanquam fide diuina certum tenent omnes catholici. Probaturque 1. hoc discursu theologico fusiùs à Valentia explicato disp. 8. q. 1. punct. 1. Si quæ res continetur in Scriptura; & in ea re declarat Ecclesia Sacramenti verè, ac propriè dicti rationem fuisse à Christo institutam: omnino certa fide tenendum est rem illam esse Sacramentum, verè, ac propriè dictum. Atqui res significata nomine Extremæ vnctionis continetur in Scriptura: & in ea re declarat Ecclesia Sacramenti verè, ac propriè dicti rationem fuisse à Christo institutam. Ergo omnino certa fide tenendum est illam esse verè ac propriè Sacramentum. Conclusio affirmatiua probatur.

Maior patet: nam alioqui neque Baptismum, neque Eucharistiam, neque vllum aliud Sacramentum verè ac propriè dictum nobis esse constaret: quippe quia de nullo in Scriptura expressum habetur quòd sit verè ac propriè dictum legis nouæ sacramentum, potiùs quam actus fidei, spei, & charitatis, oratio, eleemosyna, & alia bona opera, de quibus (sicut de Baptismo, & de Eucharistia)

Scriptura affirmat nos eorum ope conſequi ſalutem, & remiſſionem peccatorum. Neque etiam ex illa ſola, ſine Eccleſiæ declaratione ſatis efficaciter id deduci poteſt, tanquam certiſſimè tenendum fide diuina.

Minor autem eiuſdem argumenti probatur. Nam quòd res ſignificata nomine extremæ vnctionis contineatur in Scriptura, manifeſtũ eſt. Res enim illa non eſt aliud, quàm vnctio infirmorum, ſub forma quadam deprecatoria, ad ſalutem, & leuamen infirmorum, & ad remiſſionem peccatorum ordinata. Hæc autem res apertiſſimè continetur in epiſt. D. Iacobi c. 5. v. 14. & ſeq. quam epiſt. inter libros Scripturæ canonicos iure numerari Caluiniſtę non negãt, ſed expreſsè fatentur art. 3. Confeſſ. ſuæ Gallic. neque id minùs de illa certũ eſt infallibili auctoritate Eccleſiæ, quàm de aliis lib. canon. indubitatis apud aduerſar. Quòd autem declaret, & affirmet Eccleſia in ea ipſa re veri ſacramenti rationem à Chriſto inſtitutã fuiſſe, patet ex eius definitionibus in Cõcilio Trid. can. 1. de ſacramẽtis in genere, & ſeſſ. 14. cap. & can. 1. de ſacramẽto Extremæ vnctionis: & Florent. in decreto Eugenii, §. *Septem ſunt nouæ legis ſacramenta*, & ex aliis Cõciliis, & Patribus, & Doctoribus infra citandis: Ergo, &c.

2. Probatur ex ſcript.

Probatur ſecũdò, ex ipſis verbis D. Iacobi, quæ, ſi rectè perpẽdantur, inſinuant quatuor quæ ad veri ſacramenti rationem requiruntur & ſufficiunt ex communi ſententia. Sic autẽ habent: *Infirmatur quis in vobis, inducat Preſbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngẽtes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* In quibus verbis habemus primò ſignum externũ & ſenſibile, cùm dicitur, *Vngentes eum oleo in nomine Domini*. Secundò, promiſſionem gratiæ, cùm dicitur, *Oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit remittentur ei*. Tertiò, inſtitutionem conſtantem ac permanentem: quando abſolutè dicitur: *Infirmetur quis in vobis*, quæ verba ſine temporis limitatione Chriſtianis omnibus cuiuſq; ſexus dicta eſſe patet ex antecedẽtibus & conſequẽtibus, quæ generaliter ad omnes pertinent, & ex vſu Eccleſiæ, quæ deinceps eandem cerimoniam conſtanter vſurpauit. Quartò denique, effectum gratiæ ex opere operato. Nam remiſſio peccatorum, vt certiſſimè futura promittitur, tribuiturq; non merito vngentis aut vncti, ſed orationi fidei, id eſt, illi cerimoniæ de qua ante dixit, *Orent ſuper eum vngentes oleo in nomine Domini*.

3. Probatur ex Patrib.

Probatur tertiò authoritate & traditione veterum Patrum, & Conciliorum, & Doctorum, qui partim Extremæ vnctionis vſum & effectũ commendant, partim etiam expreſsè ſacramentum vocant, & cæteris Eccleſiæ ſacramentis verè ac propriè dictis annumerãt. Innocentius I. Auguſtini contemporaneus, & ab eodem, necnon ab Hieronymo & Chryſoſtomo mirificè commẽdatus, interrogatus à Decentio Eugubino Epiſcopo, vtrum Extrema vnctio danda eſſet pœnitentibus, quibus cætera Eccleſiæ ſacramenta negabantur, ſic reſpõdet in epiſtola ad ipſum ſcripta cap. 8. *Pœnitentibus iſtud infundi non poteſt* (oleum ſcilicet extr. vnctionis) *qui gratiæ ſunt ſacramenti: Nam quibus reliqua ſacramẽta negantur, quomodo putatur poſſe concedi?* D. Auguſt. tom. 10. ſerm. 251. de tempore circa medium, Extremæ vnctionis vſum & effectũ ſacramentalem commẽdat his verbis: *Quoties aliqua infirmitas ſuperuenit, corpus & ſanguinẽ Chriſti ille qui ægrotat, accipiat: & inde corpuſculum ſuum vngat* (per Presbyteros ſcilicet) *vt illud quod ſcriptum eſt impleatur in eo, Infirmatur aliquis*, &c. *Vigilate fratres, quia qui in infirmitate ad Eccleſiam non venerit, & corporis ſanitatem recipere, & peccatorum indulgentiam interebur obtinere.* D. Chryſoſt. lib. 3. de ſacerdotio cap. 6. de ſacerdotibus loquens, *Non modò*, inquit, *dum nos Deo regenerãt, ſed & poſtea cõdonandorum peccatorum habent poteſtatem. Infirmatur enim quis in vobis? Aduocet Presbyteros*, &c. Vbi iterum nota vſum Extremæ vnctionis, & effectum remiſſionis peccatorũ ipſi, æquè ac regenerationi Baptiſmi tribui. Petrus Damian. ſerm. 1. in dedicatione Eccleſiæ, *Tertium*, inquit, *ſacramentum eſt vnctio infirmorum*. Quod ibidem confirmat verbis Iacobi ſæpiùs citatis. D. Bernardus in vita ſancti Malachiæ, recitans ingẽti miraculo de muliere mortua in gratiam ſacramenti Extremæ vnctionis ab ipſo ſuſcitata, *Malachias*, inquit, *gratias agens benedixit Domino, & vnxit eam nihilominus, ſciens in hoc ſacramento remitti peccata, & quoi oratio fidei ſanet infirmum.*

4. Similia habẽt Origenes homil. 2. in Leuit. Concilium Nicenum 1. can. 69. Arabico, vbi expreſsè fit mentio olei infirmorum, diſtingui vrque à Chriſmate, & oleo Catechumenorum: Author libri 2. de viſitatione infirmorum, cap. 4. apud S. Auguſt. tom. 9. qui ſi forte Auguſtinus non eſt, antiquus tamen & doctus eſt: Beda in locum Iacobi cit. Theophylact. in cap. Marci 6. Concilium VVormatienſe can. 72. vbi verba Innocẽtii I. paulò ante cit. referuntur, & decretum eius confirmatur: Concilium Cabilonenſe ſub Carolo magno can. 48. Innocentius III. relatus in Iure canonico, tit. De ſacra vnctione, cap. vnico, Hugo Victor. lib. 2. de ſacram. cap. 2. & 3. Magiſter ſentent. Alenſis, D. Thom. D. Bonauent. & omnes alii Doctores Scholaſt. in 4. diſt. 23. quorum aliqui ante annos 400. floruerunt, omnes autem ſine vlla dubitatione Extremam vnctionem ſacramentis propriè dictis annumerarunt, neque eius inſtitutionem poſteriori Eccleſiæ adſcripſerunt, vt faciunt hæretici, ſed à principio Eccleſiæ deduxerunt: tametſi Hugo & Magiſter in eo errauerunt, & ab aliis reprehenſi ſunt, quòd exiſtimauerint extremam vnctionem à Iacobo Apoſt. inſtitutam eſſe: cum tamẽ ab eo non inſtituta, ſed promulgata fuerit per epiſtolam, vt ait Trident. ſeſſ. 14. cap. & can. 1. *de Extrema vnctione*. Neque tamen neceſſe eſt fuiſſe ſolum à Iacobo Apoſt. promulga-

tam: nam ab aliis quoque Apostolis ore promulgata fuit, & vsitata iuxta diuinam institutionem.

5. Probatur ex Concil. Idem deniq; ex Ecclesiæ Cathol. consensu declararunt Concilium Florent. ex vtraque Ecclesia Græca & Latina coactum, in decreto Eugenii, §. *Quintum sacramentum est Extrema vnctio*, & Trident. sess. 7. can. 1. & sess. 14. cap. & can. 1. *de Extrema vnctione*. Cúmque ex authoribus suprà cit. & multò pluribus à Coccio relatis tom. 2. lib. 7. art. 6. clarè liqueat Extremá vnctionẽ iam olim vsu fuisse apud Græcos, æquè ac apud Latinos receptá, & ab omnibus in sacramentis habitam: nec eo qua fronte Nouatores doctrinâ hanc iuniori Ecclesiæ adscripserint: cùm ipsi potiùs importunè, post VVicleffistas, Valdenses, & Albigenses, contrarium somniarint, nec tam apertum lumẽ inuant quorum scriptis aduertere potuerint. Aduerius quos est quoq; grauis hæc coniectura: quòd vnde, aut quando Extrema vnctio à inmoribus Christianis haberi cœperit in sacramentis, nemo potest ostendere. Et tamen eius origo, si alia fuisset, non fuisset ignorata, neque tacita ab antiquis scriptoribus, à quibus rerum leuiorum exordia præterirì non solent. Quare iuxta regulá D. Augustini lib. 4. de Baptismo cap. 24. cõtra hæreticos concludendum est, doctrinam hanc ab ipso Christo per Apostolos nobis fuisse traditam, donec ipsi ostendant quãdo ea in Ecclesiam post Apostolos cœperit introduci. Nam, vt ait August. *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolica authoritate traditum rectissimè creditur.* Mentitur autẽ Kemnitius, cùm ait institutam fuisse à Fœlice IV. Nam Innocentius I. eo longè antiquior mẽtionem expressam illius facit, non tanquam à se primùm institutæ, vt imponit Caluin, sed tanquam antea vsitatæ: respondet enim Eugubino de eius vsu interroganti, vt suprà visum est.

6. Probatur ratione. Superioribus accedit demum ratio congrua, insinuata à Tridentino sess. 14. tit. *Doctrina de sacramento Extremæ vnctionis.* Cùm enim articulus mortis multis & grauibus de causis sit hominibus formidabilis, ac periculosus: nimirum propter conscientiam peccatorum totius vitæ præteritæ, quæ tunc menti occurrere solent, & propter timorem iusti Dei iudicii, & incertitudinem futuri status, & insultus dæmonis, qui quo tempus breuius est, eò magis oppugnat, & vrget vehementiùs, ac demum propter ipsius morbi grauitatem, & mortis imminentis horrorem; si enim corpus quod corrumpitur aggrauat animam, vt ait Apostolus, aggrauat, inquam, etiam tum, cùm à morbo liberum est: quantò magis in ipso actu corruptionis, & dissolutionis, quo tẽpore constat experientiâ vix posse a grotos mentem in Deum attollere? Cum hæc, inquam, sic habeant; omnino decuit diuinam prouidentiam, & curam erga salutem nostram, vt Christus Dominus, qui fideliùs sacramenta in ingressu Ecclesiæ, ac progressu, velut diuina subsidia constituit: hoc etiam adderet quo in exitu tam periculoso recrearentur, & in maiorem spem erigerentur infirmi, opis maximè indigentes, quibusue aliter interdum succurri non potest.

SECTIO II.

Respondetur argumentis contrariis.

OBiiciunt Caluinistæ primò, ritum vngendi, de quo Iacobus, institutum solo nimodo fuisse ad curationem corporis per donum miraculorum, quod tunc erat in Ecclesia, & postea cessauit, vnde consequens est ipsam quoque vnctionem debuisse cessare. Respondeo, antecedens non esse verum. Nam si tantùm loquebatur Apostolus de curatione corporis per donum miraculorum: non erat quòd iuberet induci Presbyteros, sed potiùs eos qui habebant donum curationum. Secundò, Apostolus expressè loquitur de remissione peccatorum, cùm ait, *si in peccatis sit, remitti ei tur.* Ergo non loquitur tantùm de curatione corporis. Tertiò, vsum extremæ vnctionis non cessasse re ipsa, cessãte licet dono miraculorum, testatur antiquitas vniuersa contra Caluinum, & Sectarios, qui certè diuinare meliùs non possunt, quis fuerit sensus primitiuæ Ecclesiæ, & Iacobi Apostoli; quam cognouerint antiqui illi supra citati, quorum aliqui annis mille ducentis & trecentis fuerunt Apostolis viciniores.

7. Vnctio Iacobi non erat tantũ ad curandũ corpus.

8. Vnctio duplex: curatiua & sacramentalis.

Obiiciunt secundò, eandem præscribi vnctionẽ Iacob. 5. cum ea quâ vsi sunt discipuli Marc. 6. Atqui hæc non erat sacramentum: ergo nec illa. Respondeo maiorẽ fallam esse. Tametsi enim quidam Catholicorum, eâ cõcessâ, negent minorẽ: probabilius tamen est, quod alii docent, vnctionem quâ vtebantur discipuli Marc. 6. fuisse diuersam, & non sacramentalem, sed adumbrationem quandam & figurâ sacramentalis: sicut Ioannis Baptismus figura erat Baptismi Christi: vt insinuat Trident. sess. 14. cap. 1. *de Extrema vnctione.* Probatur primò, quia vnctio, de qua loquitur Marcus, videtur passim fuisse collata ægris etiam non baptizatis. Nam ad hoc præcipuè mittebantur tunc discipuli, vt per donum curationum eos ad fidem allicerent: & Discipuli tunc temporis non erãt sacerdotes, sed diu post, pridie mortis Christi, primi sacerdotes euangelici instituti fuerũt. Hoc autem sacramentum, à solis sacerdotibus, cõferri potest: & non aliis dari potest, quàm infirmis baptizatis. Secundò, quia etiam post Apostolos vnctio duplex in vsu fuit. Vna miraculosa, à viris sanctis, etiamsi non sacerdotibus, interdum adhibita: vt de S. Hilarione testatur D. Hieronymus in eius vita: & de Hospitio Gregorius Turonensis lib. 6. Histor. Franc. cap. 7. deque aliis alii. Altera sacramentalis, & à solis sacerdotibus adhibita, vt ex Chrysostomo, & aliis supra cit. liquet. Illius autem prioris aliquot testimonia & exempla refert Coccius loco suprà relato, non satis aptè,

neque ad propositum, cùm de sola sacramẽtali dicere instituerit. Aptiùs verò vtramque distinguit Bellarmin. lib. de Extrema vnctione cap. 6.

9. Obiiciunt tertiò, Vnctionem, de qua loquitur Iacobus Apostolus, longè ab ea differre, quam Romana Ecclesia in sacramẽtis numerat. Nam Apostolus plures requirit Presbyteros: nos vnicum sufficere dicimus. Apostolus tribuit orationi saluationem infirmi: nos autem vnctioni. Apostolus requirit fidem in eo qui inducitur super infirmum: nos dicimus ipsos etiam hæreticos hoc sacramentum posse conferre, dūmodo characterem sacerdotalem habeant. Apostolus absolutè loquitur, *Infirmatur quis in vobis*: nos cū Trident. & Florent. volumus, solis infirmis, de quorum morte timetur, dandam esse.

Vnctio Iacobi est eadem cum nostra sacramentali

Respondeo 1. Iacobum requirere Presbyteros determinatè quoad qualitatem: indefinitè verò quoad numerum, vnum aut plures, vt vsus & Ecclesiæ consensus declarauit. Simili modo loquendi, quo vulgò dicimus, Si quis dubitat de aliquo casu conscientiæ, consulat Moralis Theologiæ peritos: Si quis vult ædificare, vocet Architectos: Si quis ægrotat, vocet medicos: quamuis sufficiat vnum consulere, aut vocare. Secundò, dico Apostolum tribuere effectū vnctioni simul, & orationi; hoc est integro sacramento, sicut & nos. Vtramque enim in hunc finem requirit. Tertiò, orationem fidei illam appellat, non propter fidem ministri: sed quia per se, & propriè conuenit fidei, & pro fidelibus tantùm instituta est, & magnum fidei mysterium continet, & per fidem innotuit, fuitq; accepta ab hominibus, & cū fide cohærer, & requirit intentionem faciẽdi quod Christus instituit: in qua intentione, quamuis fides non necessariò includatur, inest tamen quoddam veluti specimen fidei. 4. Quòd Iacobus per infirmum intelligat nō quemcunque, sed grauiter agrotantẽ, colligi potest primò ex his verbis, *Inducat Presbyteros*. Nisi enim decumberet grauiter, deberet ipse potiùs presbyteros adire, quàm ipsos inducere, & accersere. Secundò, quia vox græca κάμνων, quā Iacobus infirmum denotauit, significat grauiter ægrotantẽ, & moribundū: vnde etiam mortui κεκμηκότες appellantur, & κεκμηκότες. Et quamuis latiùs extendatur, de graui tamen morbo intelligi hoc loco debere, persuadet quod ait, *Oratio fidei saluabit infirmum*, non enim dicitur saluari, nisi qui vel iam periit, vel in periculo salutis versatur: *Et alleuiabit eum Dominus*, Græcè ἐγερεῖ αὐτὸν, id est, excitabit, surgere faciet, graui scilicet morbo decumbentem, & oppressum. Denique si propter quemlibet morbum deberent excurrere sacerdotes ad ægrotos, vix vnquam domi essent: cùm vel leuiter ægrotantium infinitus sit numerus. Neque est credibile voluisse Apostolum vt ad remedia supernaturalia recurrerent passim Christiani, quando facilè possent naturalibus medicamentis curari. Sed potiùs sermo de illis est, quibus remedia supernaturalia sunt quærenda, quando in naturalibus spes nulla supereſt.

10. Obiiciūt quartò, Si Extrema vnctio esset sacramẽtum, haberet effectum infallibilem. At non habet: pauci enim, aut nulli per eam conualescunt, cùm tamen de valetudine corporis loquatur Iacobus, vt ex his verbis liquet, *Infirmatur quis in vobis*: & *Oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus*, græcè, ἐγερεῖ, suscitabit, expergisci faciet. In eumque sensum Iacobi verba intellexerunt Augustinus, aliique Patres, quorum mentio antea facta est.

Habet effectum infallibilem gratiæ.

Respondeo, Extremam vnctionem habere infallibiliter, in non ponentibus obicem, effectum illum respectu cuius sacramentum est: qui non est corporis valetudo. Tametsi enim eam interdum confert, deque illa loquitur ex parte Apostolus: non est tamen effectus primarius, neque ille cuius respectu extrema Vnctio sacramentum est. Nam sacramentum tale est, quatenus est signum & causa rei sacræ sanctificantis homines: qualis non est corporis valetudo. Neq; illa absolutè & simpliciter promissa fuit ab Apostolo: cùm plerumque animæ saluti non expediat: & alioqui de Christianis ægrotantibus non essent mortui, nisi qui Apostoli monitum prætermisissent, qui certè pauci aut nulli fuissent. Verbum autem ἐγείρω, æquè de animo, ac de corpore dicitur communiter, & in sacris literis passim: vt ad Rom. 13. v. 11. ad Ephes. 5. v. 14. Lucæ 3. v. 8. 2. Petri 3. v. 1. aliisque locis. Quare non est necesse verba illa, *Oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus*, de corpore solùm intelligi. Imò de anima multò magis intelligi debere, vt dicemus sect. 4.

11. Illud postremò contra Caluinum, & sectarios obseruandum est. Cùm duo tantùm ex ipsorum sententia requirantur ad sacramentum: nempe symbolum externum à Deo institutum, & promissio diuina, quam Deus nostris conscientiis obsignet, vt ex Caluino patet lib. 4. Institution. cap. 14. num. 1. & cap. 19. n. 20. negari non posse, quin hæc duo Extremæ vnctioni apprimè conueniant: nisi non modò toti antiquitati, sed ipsis quoque verbis D. Iacobi contradicere velint. Nam vnctio, & oratio, symbolū externū est: promissio verò exprimitur his verbis, *Et oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.* Institutio quoque non deest: cùm Iacobus non id ex se, sed ex Christi institutione promittat: neque iis tantùm qui tunc viuebāt, sed omnibus deinceps ad quos hæc verba, æquè ac præcedentia & subsequētia pertinent. Nam vt ipsimet Caluinistæ fatentur, in nullius Apostolorum potestate situm erat, vt effectum remissionis peccatorū signo alicui, vel cerimoniæ infallibiliter alligaret. Quare Iacobus non ita loqueretur, nisi intellexisset talē cerimoniā in eum finem fuisse à Christo institutā. Institutionem autem

Habet quæ requiritur ad rationē sacramenti secundum ipsosmet hæreticos.

Digitized by Goo

illam cum sua promissione ad nos etiam pertinere tum verba ipsa indicant, tum continuus vsus Ecclesiæ, de quo illustria testimonia superiùs allata sunt. Denique cum Extremam vnctionẽ non tantùm à numero sacramẽtorum expurgunt, sed insuper scommatis conuiciisque proscindunt, insolenter insaniunt. Nam vt præclarè D. Augustinus epist. 118. *Si quæ per vniuersum orbem frequentat Ecclesia, de eo, quin rectè fiat, disputare, insolentissimæ insaniæ est.*

SECTIO III.

Quæ sit huius sacramenti materia & forma?

12. Materia remota olei: proxima vnctio.

Conclusio: Materia remota sacramenti huius est oleum ab Episcopo benedictũ: proxima, vnctio. Forma in his, aut æquiualentibus verbis consistit, Per istam sanctam vnctionem, & suam piissimam misericordiã indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per visum &c. Prima pars est Florentini, in Decreto §. *Quintum sacramentum*, & Tridentini sess. 14. cap. 1. *De Extrema vnctione.* Nam vtrobique in materiam assignatur oleũ ab Episcopo benedictum. Nec refert quòd Iacobus oleum simpliciter dixerit, & benedictionis mentionem non fecerit: neque enim opus est, vt omnia expresserit: sicut de nullo alio sacramento, ne de Baptismo quidem, omnia sunt in Scripturis expressa: vt quòd ore sit proferenda forma, & tot verbis exprimenda: quòd baptizari possint etiam infantes: quòd non sint rebaptizandi qui baptizantur ab hæreticis. Illius tamen benedictionis longè antea meminerunt Innocentius I. epist. ad Decentium Egubinum cap. 8. Concilium VVormatiense cap. 72. Aquisgranense sub Ludouico Pio Imperatore tit. 2. cap. 8. Nicæn. I. Oecumen. can. 69. Arabico, Beda in cap. Marc. 6. vbi dicit ab ipsis Apostolis hunc Sanctæ Ecclesiæ morem fuisse traditum, vt ægroti vngantur oleo Pontificali benedictione consecrato. Addit Florentinum debere esse oleum oliuæ, quod est oleum propriè ac simpliciter dictum. Nam sicut aqua Baptismi vera & naturalis esse debet, & solus panis triticeus est materia Eucharistiæ, quippe qui absolutè & simpliciter panis est, cæteri autem in eius defectum substituti: similiterque vinum, materia calicis, debet esse verum & vitigineum: sic, &c. Quàm aptè verò assumpta fuerit hæc materia ad significandos sacramenti huius effectus, cuique manifestum est. Oleum enim dolores mitigat, ægritudines lenit, hilaritatem affert, robur membris cõciliat, luminis pabulum est, & in Scriptura pinguedinem spiritus & gratiæ interdum significat.

13. Secunda pars patet ex simili de Baptismo. Sicut enim aqua ad baptismum non sufficit sine vsu & lotione, quod nomen ipsum Baptismi, & forma verborum, *Ego te baptizo*, satis ostẽdit: sic in Extrema vnctione oleum sine vsu non sufficit; idque nomen vnctionis, & forma verborum, *Per istam sanctam vnctionem*, &c. satis demonstrant. Nam vnctio formaliter & essentialiter est vnguenti vsus & applicatio, quá aliquis inungitur. Præterea sicut in Baptismo forma non respicit aquam simpliciter, & secundum se immediatè; sed aquam vt ad lauandum applicatam: sic in extrema vnctione verba formæ, *Per hanc sanctam vnctionem*, &c. respiciunt & determinant immediatè oleum non secundum se simpliciter, sed vt applicitum ad vngendum, & in vsu vngendi positum.

Forma eiusdem sacramenti.

Tertia pars est Florentini, & Tridentini locis suprà cit. sumiturque ex antiquis Pontificalibus, & Ritualibus; & ex Ecclesiæ vsu & traditione, ex qua magis, quàm ex Scriptura sola, nobis constant sacramentorum essentialia, aliaque permulta, ab ipsis etiam hæreticis pro dogmatis fidei diuinæ habita: quamuis alioqui declamitent nihil credendũ esse fide diuina, quod in Scriptura non habeatur expresè, aut ex ea per consequentiam necessariam deduci nequeat.

14. Oleum est essentialiter necessarium.

Circa tres partes conclusionis propositæ occurrunt aliquot difficultates. Prima est, an oleum sit essentialiter necessarium? Ratio dubitandi est, quia Glossa can. 2. dist. 95. docet Chrisma sufficere. Et Innocentius I. sequenti can. 3. sumpto ex epistola ad Decẽtium cap. 8. significat extremam vnctionem fuisse solitam fieri chrismate. Respondeo oleum esse materiam essentialiter necessariam. Nam Concilia Florent. & Trid. illud assignant vt materiam: & nunquam Ecclesia Græca, vel Latina sine oleo sacramentum hoc confecit. Quare nulla est ratio asserẽdi oleum non esse materiam essentialiter & simpliciter necessariam. Isteque est, & fuit iam olim communis sensus Theologorũ. In assignandis verò materiis, & formis sacramentorum maxima debet haberi ratio vsus Ecclesiæ, & communis consensus, tanquam testis antiquæ traditionis à Christo & Apostolis deriuatæ.

An Chrisma sufficiat?

Ad rationem dubitãdi Respondeo primò, Chrismatis nomen potuisse sumi ab Innocẽtio latiùs pro vnguento, iuxta vim linguæ græcæ: ita vt oleum ab Episcopo benedictũ vocetur Chrisma. Et cùm ait Episcopum posse multò magis, quàm sacerdotes, conferre hoc sacramentũ, quia vngere chrismate potest ille, cuius est chrisma cõficere: Per chrisma potest intelligere oleum benedictũ. Est autem Episcopi illud benedicere: ac proinde Episcopi est chrisma illud conficere, id est, oleum benedictũ applicandum infirmis. 2. Etiam in chrismate strictiùs & frequẽtiùs sic dicto non deest oleum: siquidem ex oleo & balsamo conficitur. Quare nisi nimium balsami admisceatur, sic vt oleum dici non possit, erit sufficiens materia, vt rectè ait Suarez disput. 40. sect. 1. num. 12. Ideoque in casu necessitatis, si alia deesset, deberet

adhiberi. Non est autem improbabile quod ait Glossa in canonem, *Illud superfluum*, dist. 95. vbi refert ex quorundam sententia, Episcopos de quibus loquebatur Innocentius, propter dignitatem solitos fuisse in huius sacramenti administratione miscere oleo balsamum, licet non tanquam essentialiter necessarium. Sed hoc non satis constat, & verba Innocentii alium sensum facilè admittũt. Sanè Concil. Nicænum primũ Innocentio I. antiquius, can. 69. Arabico, apertè distinguit oleum infirmorum à Chrismate, cùm sic ait: *Transacto anno debet sacerdos benedicere aquam & oleum: non sicut fit in Baptismo: neq; sicut benedicitur Chrisma: sed sicut oleum infirmorum.* Consentiunt Dominic. Sotus, Valentia, Suares, Aegidius Con. & alii communiter.

15. Secunda difficultas est, vtrum benedictio Episcopi sit essentialiter necessaria? Ratio dubitandi est, quia Glossa in cap. 2. dist. 95. & Victoria in Summa de sacramentis, num. 215. dicunt tantùm esse necessariam ex præcepto: idque putat esse probabile Caiet. parte tertia, quæst. septuagesima secunda, articulo tertio, vbi loquitur quidem de Confirmatione, sed ratio, quam affert, generalis est, & æquè probat de extrema vnctione. Nimirum quia nulla est maior consecratio eâ, quæ fit in Eucharistia, quam cùm possit simplex sacerdos efficere, omnem aliam non sacramentalem efficere potest: ita vt facta teneat, quamuis peccet faciendo.

Aliqua benedictio Episcopi est de essentialia

Dico primò, esse essentiale huic sacramento vt oleum sit aliquo modo benedictum ab Episcopo. Probatur, quia Concilia Florent. & Trident. expressè dicunt materiam huius sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum, & de illo loquuntur vt de materia simpliciter. Eadem verò Concilia, quando loquuntur de materia Baptismi, non dicunt esse aquam benedictam, sed aquam simpliciter, tametsi aqua ex præcepto Ecclesiæ debeat benedici. Ergo è contrario cùm aiunt materiam extremæ vnctionis esse oleum benedictum ab Episcopo, id velut essentiale accipiendum est, & non tantùm vt necessarium ex præcepto.

16. Nimirum per se, vel per alium.

Dico secundò, sufficere vt oleum sit aliquo modo benedictum ab Episcopo, id est, vel per ipsum, vel per sacerdotẽ ex ipsius cõmissione: qui enim per alium facit, per se facit moraliter. Probatur, quia teste Arcudio lib. 5. De sacrament. cap. 2. Græci sic faciunt ex antiquissima consuetudine, quam Clemens VIII. approbauit, monens in quadam instructione de ritibus Græcorum, non esse cogendos eorum Presbyteros accipere oleum ab Episcopo benedictum, quia ex antiquissima consuetudine orientalis Ecclesiæ, possunt Presbyteri de licentia & commissione Episcopi benedicere oleum infirmorum. Multóque magis id possunt ex commissione ipsius Summi Pontificis, vt docent etiam Victoria De sacram. num. 216. in fine, & Valent. quæst. 1. de Extr. vn. punct. 2. post Palud. Sotum, & Caiet. quos citant. Imò quia opinio Glossæ initio relata videtur nonnullis esse probabilis in praxi, posset sacerdos in casu extremæ necessitatis oleum ipse benedicere, eoque moribundum inungere: aut si neque benedicere liceret, posset vti oleo etiam non benedicto. Sed si ægrotus supervixeret, vngendus esset iterum sub conditione, propter securitatem.

17. Sintne plures vnctiones necessariæ essentialiter

Tertia difficultas est, an plures vnctiones sint essentialiter necessariæ? Pro qua primò notandum est, Concilium Florentin. in decreto 5. *Quintum sacramentum*, requirere septem vnctiones, cùm ait ægrotum esse inungendum in oculis, propter visum: in auribus, propter auditum: in naribus, propter odoratum: in ore, propter gustum: in manibus, propter tactum: in pedibus, propter gressum: in renibus, propter delectationem ibidem vigentem. Quamuis autem vterque oculus sit vngendus; tamen hæ duæ vnctiones pro vna accipiuntur: idemque dico de auribus, manibus, & pedibus: Vnde vulgò septem tantùm vnctiones ad hoc sacramentum requisitæ, & à Florentino expressæ numerantur. Sique infirmus, qui inungitur, est sacerdos; non in palma manus, vt alii, sed infra palmam, vel in exteriori parte manus, vngendus est.

Notandum secundò, sextam & septimam vnctionem non esse essentiales. Septima enim communiter omittitur, præsertim in fœminis, in quibus vix honestè fieri potest. Sexta quoque in Ecclesiis multis non est in vsu. Quare ne quidem ex præcepto necessariæ sũt, nisi fortè ratione cõsuetudinis aliquarũ particularium Ecclesiarũ vbi sunt in vsu.

18. Quæ sint necessariæ ex præcepto.

Notandum tertiò, reliquas quinque sensuum vnctiones esse necessarias saltem ex necessitate præcepti. Etenim nisi adhibeantur, redditur valor sacramenti dubius, vt ex dicendis constabit, quod extra casum vrgentis necessitatis malum & illicitum est. Et in hoc, atque in duobus superioribus Doctores consentiunt. Controuersia verò est, an sint pariter essentiales? Qua de re dico non esse quidem improbabile quòd vnica vnctio ad essentiam sacramẽti sufficiat; probabilius tamen esse plures, nimirum quinque illas vnctiones, esse essentiales. Ratio primæ partis est, quia neque ex Scriptura, neq; ex Conciliis, aut traditione & vsu Ecclesiæ ostẽdi potest plures vnctiones esse de essẽtia. Nam Iacobi verba cap. 5. non requirunt nisi vnctionem, quæ in qualibet vnctione reperitur, dũmodo tantũ olei adhibeatur, quantum ad vnctionem moraliter dictã necessarium est. Ac sicut vna lotione totus homo verè baptizatur: sic vnica vnctione totus verè inungitur: præsertim cùm, vt ait D. Thom. q. 32. Suppl. a. 5. ad 3. minor applicatio materiæ requiratur in hoc sacramento, quàm in Baptismo. Florentinum autem septem quidem vnctiones assignauit, sed inter eas nullum discrimẽ posuit. Quare cùm certò cõstet duas vltimas ex assignatis non esse essentiales, nullum ad alias ex Florentino argumentum validum

ſumi poteſt. Nec refert quòd vniuerſa Eccleſia vtatur pluribus vnctionibus. Nam etiam diu in baptizando vſa eſt pluribus merſionibus, cùm tamen plures merſiones non ſint eſſentiales. Deinde non eſt planè certum Eccleſiam ſemper eſſe vſam quinque vnctionibus: Nam Serarius lib. de Extrema vnctione cap. 10. refert ex variis Theologis aliquando aliter factum fuiſſe. Et Albertus magnus in 4. diſt. 23. art. 16. affirmat in quibuſdam Eccleſiis vngi tantùm extremitates, vt os, & nares, & oculos, & aures. Item Aegid. Coninc profeſſor Louanienſis diſp. 19. de Poenit. dub. 3. ſcribit in Paſtorali Eccleſiæ Mechlinienſis, quòd vnà cum Archiepiſcopo tota Vniuerſitas Louanienſis approbauit anno 1588. can. 9. *De Extremæ vnctione*, expreſsè dici, in morbis contagioſis ſufficere vngere organum ſenſus magis obuium, dicendo, *Per iſtam S. vnctionem, & piiſſimam ſuam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid deliqui per viſum, auditum, odoratum, guſtum, tactum, & greſſum.* Hic tamen canon fuit poſtea ſublatus in poſtremo Concilio an. 1608. Denique ad ſignificandum effectum huius ſacramenti, quo munitur anima, & interiùs vngitur ad vltimũ agonẽ rectè perficiendum, & ad fœliciter exeundum de vita, ſufficit vna vnctio, cum generali forma verborum, qualis à Paſtorali Mechlienſi ſupra relata fuit.

19. Reſolutio quæſtionis.

Atque iſtam ſententiam ſubindicant Scotus in 4. diſt. 23. q. vn. ad 2. Paludan. q. 1. a. 3. conclu. 2. Ioan. Medina cod. de confeſſ. q. 11. §. *Secundo idem*, Summa confeſſorum lib. 3. tit. 24. q. 140. Apertè verò illam tenet Aegid. Coninc diſp. 19. dub. 3. in fine, vbi etiam iuncto num. 10. teſtatur idem ſenſiſſe totam vniuerſitatem Louanien. Paſtorale Mechlinienſe approbantem. Quia tamen contraria ſententia Diuo Thomæ imprimis, q. 29. Supl. a. 2. & cæteris fere communiter placet; ideo ſecurior & probabilior eſt, & omnino in praxi, citra grauem neceſſitatem, ſeruanda. Nam materia dubia, licet probabilis, non eſt adhibenda in ſacramentis, quando certa poteſt adhiberi. In caſu verò neceſſitatis fieri poſſet quod ait Paſtorale Mechlin. In quo caſu ſecurius eſſet vngere celeriter quinque organa ſenſuum in capite, pronunciando formam ibi præſcriptam. Tunc enim tot vntiones ponerentur, quot Authores communiter dicũt eſſe eſſentiales, & forma planè æquiualeret ei quâ Eccleſia communiter vtitur. Quanquam neque expreſſio quinque ſenſuum eſſentialiter neceſſaria eſt, vt paulò poſt videbitur.

20. Poſſitne per alium perfici?

Quarta difficultas eſt, an ſi ſacerdos ante ſacramenti perfectionem moriatur, aut non poſſit vlteriùs pergere, poſſit ſacerdos alius ſine noua inchoatione perficere quod deeſt. ? Reſpondeo affirmatiuè cum Alberto in 4. diſt. 23. art. 18. D. Thom. ibid. q. 1. art. 1. ad quæſt. 2. in ſolut. 3. Ricardo, Durando, Soto, & pluribus aliis quos refert, & ſequitur Suar. d. 43. ſect. 2. & Coninc diſp. 19. dub. 9. concl. 3. Quemadmodum enim ſi ſacerdos poſt conſecrationem panis moreretur, aut impotẽs fieret ad abſoluendum, deberet perfici ſacramentum ab alio ſacerdote, vt præſcribitur in Miſſali Rom. ſine noua inchoatione: ſic, &c. Vnde vnitas Miniſtri ad vnitatem ſacramenti neceſſaria non eſt. Imò in caſu neceſſitatis poſſunt multi ſacerdotes vngere ſimul in diuerſis ſenſibus. Tuncque fit vnum ſacramentum, & perficitur dum omnes ſimul aut ſucceſſiuè perficiunt vltimam vnctionem. Ratio huius eſt, quia neque vnitas Miniſtri neceſſaria eſt, neque vna vnctio eſſentialiter aliam præſupponit, neque ſucceſſio diuerſarum vnctionum eſſentialis eſt. Atque ita docet præter Ricard. & alios ſupra citatos, Henriq. lib. 3. de ſacram. cap. 13. num. 3. In praxi tamen, citra neceſſitatem, ab vſu recepto & communi recedendum non eſt.

21. Sitne forma eſſentialiter deprecatiua?

Quinta difficultas eſt, Vtrum forma neceſſariò & eſſentialiter deprecatiua eſſe debeat? Reſpondeo probabilius id eſſe, cum D. Thom. in 4. diſt. 23. q. 1. art. 4. q. 2. Bonauent. ibidem, art. 1. q. 4. Capreolo, Soto, Suare, Aegidio, & aliis. Primò, quia id verbis Iacobi Apoſt. conformius eſt, *Orent ſuper eum.* Tametſi enim oratio aliunde dici poſſet, quamuis non eſſet deprecatiua: magis tamen propriè & communiter, iuxta ſenſum fidelium, oratio pro precatione ſumitur. Secundò, confirmatur ex vſu Eccleſiæ vniuerſalis, quæ nunquam aliâ formâ eſt vſa niſi deprecatiuâ. Tertiò, talis aſſignatur à Florentino in decreto §. *Quintum ſacramentum.* Quartò, id valde cõueniens eſt: nam ſacamentum hoc confertur moribundis, qui iam quaſi omnibus viribus deſtituti in ſola Dei miſericordia acquieſcunt, quæ oratione imploranda eſt. Notandum tamen efficaciam ſacramentinõ pendere ab oratione ſacerdotis, vt eſt opus operantis, ſed ex vi inſtitutionis & promiſſionis Chriſti: neque tantùm eſſe orationem deprecatiuam; ſed etiam practicam & efficacem eius quod ſignificat, more aliorum ſacramentorum, quæ ſunt ſigna effectiua & practica.

Contrarium ſentiunt aliqui cum Richardo, Paludano, & Durando, in 4. diſt. 23. Fundamentum eorum eſt, quia Eccleſia Mediolanenſis temporibus S. Ambroſii vtebatur formâ indicatiuâ, *Vngo te oleo ſanctificante in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, vt more militis vncti præparatus ad certamen, aereas poſſis ſuperare poteſtates.* In libro quoque ſacramentali Venero, confirmato per Leonem X. forma eſt indicatiua, *Vngo te oleo ſanctificante* &c. vt ſuprà. Sed illud fundamentum infirmum eſt. Nam in forma prædicta facilè poteſt intelligi ineſſe deprecatio, cùm dicitur, *vt more militis vncti præparatus* (Dei ſcilicet ope ac beneficio) *aereas poſſis ſuperare poteſtates.* Po-

test enim hęc propositio intelligi optatiuè: quasi diceret, vngo te oleo sanctificante, optando vt ope diuina possis &c. quâ expositionem confirmat S. Thom. in 4. dist. 23. q. 1. art. 4. quæst. 2. ad 3. Aliqui dicunt deprecationem potiùs significari per illa verba, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, quasi diceret, Inuocando Patrem, Filium & Spiritum Sanctum: sed hæc inuocatio expressa vel tacita inest omnium sacramentorum formis, etiam maximè enunciatiuis, vt est forma absolutionis. Deinde omnium consensu verba illa, In nomine Patris, & filii, & Spiritus sancti, non sunt essentialia formæ Extremæ vnctionis: essent autem si facerent sola sensum deprecatiuum: quia de essentia formæ istius sacramenti est, vt sit deprecatiua. Addunt, verba de se enunciatiua habere aliquando ex circumstantiis sensum deprecatiuum: vt ista, Ioan. 11. *Ecce quem amas, infirmatur*: & Matth. 8. *Domine si vis, potes me mundare.* Et hoc quidem verum est: sed contendo in forma prædicta sensum deprecatiuum contineri in ipsis verbis substantialibus, seu essentialibus formæ: & non tantùm colligi ex circumstantiis extrinsecis, & accidentariis iisdem verbis substantialiter sumptis: perinde ac si diceret quis, *Vngo te oleo sanctificato, vt indulgeat tibi Deus quicquid peccasti per visum &c.*

23. Quæ verba sint essentialia formæ?

Sexta difficultas est, vtrum omnia verba, quæ proferuntur in forma consueta, sint essentialia? Respondeo negatiuè. Nam in forma Ambrosiana, & Veneta paulò ante commemoratis, non fit mentio quinque sensuum, neque etiam peccatorum expressè: omittuntur etiam verba illa, *Et suam pijssimam misericordiam.* Repetitionem quoque harum vocum ad singulos sensus, *Per hanc sanctam vnctionem*, non esse essentialem docet Aegidius disp. 19. dub. 4. Ideoque constaret sacramentum, si quis vnctiones quinque sensuum celeriter perficeret sub hac forma generali, *Per istam sanctam vnctionem, & suam pijssimam misericordiam, dimittat tibi Deus quidquid peccasti per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum.* Non esse quoque essentialia verba illa, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, docet idem Aegidius ex omnium sententia. Necessarium ergo & essentiale solùm esse videtur, vt exprimatur vnctio facta in nomine Domini, cum ordine ad aliquê effectum præcipuum deprecatiuè significatum: tametsi effectus remissionis peccatorum, vt talis, non debeat exprimi necessariò & essentialiter, neque etiam alius à Venetis expressus.

SECTIO IV.

De effectibus Extremæ vnctionis.

24. 1. Effectus gratia sanctificans.

Sicut alia sacamenta pro effectu primario, ad quem per se sunt instituta, habent gratiam sanctificantem in ordine ad fines aliquos & effectus particulares: ita sacramentum Extremæ vnctionis pro effectu primario, propter quem per se primò institutum fuit, habet gratiam sanctificantem in ordine ad remissionem peccatorum, si quæ adhuc expianda supersunt, & ad absterſionem reliquiarum peccati, & infirmi leuamen & corroborationem contra morbi torporem & incommoda, & Dæmonis insultus; ac denique ad ipsius corporis sanitatem, si saluti animæ expedierit. Quæ omnia Florentinum in decreto complectitur his verbis: *Effectus huius sacramenti est mentis sanatio: inquantum autem expedit, ipsius etiam corporis.* Disertiùs verò Tridentinum sess. 14. cap. 2. de Extrema vnctione, *Res*, inquit, *& effectus huius sacramenti illis Iacobi verbis explicatur: Et oratio fidei saluabit infirmum: & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, dimittentur ei. Res etiam hæc est gratia Spiritus sancti, cuius vnctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleuiat & confirmat, magnam in eo diuinæ misericordiæ fiduciam excitando, quâ infirmus sublenatur, & morbi incommoda, ac labores leuius fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit, & sanitatem corporis interdum, vbi saluti animæ expedierit, consequitur.* Hæc Trident. ex quibus facilè intelligitur effectum huius sacramenti esse gratiam sanctificantem in ordine ad varios fines & effectus, qui ad duos sub disiunctione reuocari possunt; nimirum vel ad fœlicem exitum ex hac vita præstandum, si moriendum est: vel ad corporis sanitatem restituendam, si saluti animæ expedit. Quam disiunctionem Concilium Coloniense ann. 1536. parte 7. cap. 49. expressit his verbis: *Restat Extrema vnctio, quæ quoniam in morte extrema lucta est, adhibetur vt vel consolescat ægrotus, vel tum fide & spe corroboratus obdormiat in Domino.*

25. Quæ peccata dimittat?

Ex his duobus finibus & effectibus prior sine dubio magis præcipuus est. Ad quem pertinet, vt vltimò præparet animam, & quantum in se est, eam proximè disponat ad introitum gloriæ: tum remouendo impedimenta ingressus regni cœlorum: tum apponendo ea, quæ ad sanctificationem, & perseuerãtiam vsque ad mortem necessaria sunt. Hoc ergo facit primò abstergendo peccata, si quæ sunt: iuxta illud Iacobi 5. *Si in peccatis sit, remittentur ei*: & iuxta verba formæ, *Indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per visũ*: &c. In qua forma licet mentio tantùm fiat peccatorũ per sensus commissorum: per ea tamen intelliguntur omnia. Quia nimi-

Digitized by Google

rum à sensibus externis oriuntur naturaliter omnes actiones, tam cognitionis internæ, quàm affectus: & per quinque sensus, velut per quinque ostia, proximè vel remotè admittuntur omnia peccata. Est autem hic effectus remissionis peccatorum conditionatus, iuxta illud Iacobi, *Si in peccatis sit.* In eundemque sensum debent intelligi verba illa formæ, *Quicquid peccasti*, id est, *si quid peccasti.* Deinde hic effectus intelligendus est de peccatis tam venialibus, quàm mortalibus. Tum quia verba D. Iacobi generalia sunt: tum etiam quia nomen delictorum, quo Tridentinum vtitur cap. 2. cùm ait, *Delicta, si quæ sunt*, &c. in rigore magis significat mortalia, quàm venialia: & remissio mortalium, si sint in articulo mortis, est multò magis necessaria ad exitum fœlicem, & introitum gloriæ, quàm remissio venialium, id. óque conueniens fuit vt contra illa Extrema vnctio vim haberet. Indeque maximè commendatur Christi bonitas, & prouidentia erga salutem nostram. Cùm enim à momẽto illo pendeat æternitas; & damnum salutis, si tunc incurratur, sit omnino irreparabile: variisque de causis contingere possit, vt vel alia remedia iam applicari nequeant, vel sine effectu fuerint applicata: ideo Christus huic extremo remedio tantam virtutem tribuit, vt hunc defectum supplere valeat, & succurrere homini constituto in tam graui periculo. Inde etiam patet quanti momenti hoc sacramentum sit, & quàm non contemnendum; cùm aliquando fieri possit, vt illius ope saluentur multi, qui alioqui planè damnandi erant. Cæterum hic effectus non tantùm competit Extremæ vnctioni mediatè & remotè, ita vt solùm per auxilia quædam actualia excitet ad actus, qui ad peccati remissionem vim habent: sed per se immediatè, & ex opere operato ea remittit: sicut Baptismus, & alia sacramenta, valent per se immediatè ad extinguẽda peccata vel ex primaria intentione, vel secundariò & per accidens, vt diximus disp. 21. de Sacramentis in genere, sect. 3.

26. Differunt ad fœlicem exitum è vita.

Secundò, disponit Extrema vnctio ad fœlicem exitum vitæ, & introitum gloriæ, abstergendo reliquias peccati, vt Tridentinum dixit verbis supra relatis num. 24. Per reliquias autem peccatorum intelligi possunt tum pœnæ temporales ex peccatis remissis superstites, quas tamen omnes non semper relaxat, sed cum aliqua proportione, iuxta dispositionem recipientis: tum etiam praui habitus & malæ dispositiones ex peccatis relictæ, quas tamen non est necesse vt in seipsis immediatè absergat: neque ita reipsa fit, communiter saltem & ordinariè: siquidem eadem communiter experiuntur qui post Extremam vnctionem conualescunt. Sufficit autem vt per auxilia gratiæ iuuet atque confortet contra malam inclinationem & debilitatem, ex peccatis relictam, contraque illum torporem, anxietatem, & moerorem, qui ex peccato oriri solet, hominemque morti vicinum maximè cruciat; atque ad hæc omnia superanda ægrotũ iuuet, & corroboret, quatenus ad fœliciter moriendum necessarium est. Quod addo, quia licet hæc corroboratio valde vtilis esset tempore sanitatis: non tamen datur, neque sacramentum eò tendit: quia non fuit in eo instituendo spectata qualibet vtilitas, sed specialis necessitas & fragilitas ægrotantis. Ita Suares disp. 41. sect. 1. num. 18. post sanctum Antoninum, Valdensem, Victoriam, Hosium, Syluestrum, & alios, quos citat.

27. Alleuiat animam infirmi.

Tertiò iuuat Extrema vnctio ad fœlicem exitũ vitæ, & ingressum gloriæ, alleuiando animum infirmi: partim magnam in eo misericordiæ diuinæ fiduciam excitando contra Dæmonis insultus, qui tunc omnes suæ vertutiæ nerues intendit ad hominem de fiducia diuinæ misericordiæ deturbandum: partim auxilium suppeditando ad hilaritatem animi concipiendam, quâ infirmus morbi labores & incommoda leuiùs ferat, & contra ægritudinis torporem excitetur: partim denique per auxilia peculiaribus necessitatibus opportuna fortiorem cum reddendo, & promptiorem ad superandas tentationes, quæ tunc solent grauiores occurrere, & infirmi animum auxilio diuino destituturum obruere. 28.

Quòd verò attinet ad alterum effectum, qui est corporis sanitas: ille non est necessarius, neque perpetuus: sed, vt ait Trident. tribuitur interdum, si saluti animæ secundum diuinam prouidentiam expediat. Non expedit autem secundum diuinam prouidentiam, vt semper ordinem rerum turbet, quotiescunque senes v. g. & decrepiti debent mori secundum exigentiam causarum naturalium? quamuis saluti animæ expediret vt diutiùs viuerent ad magis merendum, & plus gratiæ acquirendum, per sacramentorum vsum. Neque vice versa existimandum est quotiescunque conualescit ægrotus, id à virtute sacramenti prouenire, & magis animæ expedire. Potest enim fieri interdũ à causis naturalibus. Effectus verò perpetuus, & infallibilis non ponentibus obicem est gratia sanctificans in ordine ad aliqua auxilia ad infirmum subleuandum conuenientia.

29. Quo instituti gratiam confert?

Quo autem instanti sacramentum Extremæ vnctionis essentialiter perfectum est; eodem gratiam sacramentalem tribuit in ordine ad prædictos effectus. Quod secundum communiorem, & probabiliorem sententiam, fit quando vnctio quinque sensuum perficitur, vnà cum verborum prolatione ex parte formæ essentialiter requisita. Secundum aliam verò sententiam, quam probabilem esse ostendimus, licet minùs communem, quando prima vnctio, cum verbis eam significantibus, & aliquem effectum præcipuum, perficitur. Ratio huius est, quia sacramenta sortiuntur effectum cùm primùm constant essentialiter, si non po-

natur obex: neque per intentionem Ministri, aut per aduentum partium integrantium suspendi possunt aut cohiberi. Ita Aegidius Coninc disp. 19. dub. 6. & Suarez disp. 41. sect. 2. num. 13. post D. Thom. & alios quos citat.

Definitio huius sacramenti.

Ex dictis collige sacramentum Extremæ vnctionis sic definiri posse: Est signum sacrum & efficax gratiæ, in vnctione infirmorum sub præscripta verborum forma, ad sanitatem mentis & corporis à Christo institutum. Quòd si quæras, quid in hoc sacramento sit sacramentum tantùm, res tantùm, & res & sacramentum? Respondeo, sacramentum tantùm esse vnctionem cum verbis: rem tantùm, esse gratiam sanctificantem: rem & sacramentum, esse internam deuotionem quandam, quæ est veluti spiritualis vnctio, vt ait D. Tho. q. 30. Supplementi a. 3. ad 3. & Dom. Sotus in 4. dist. 23. q. 1. a. 2. sub finem.

SECTIO V.

De subiecto, & Ministro Extremæ vnctionis.

30. *Soli adulti & infirmi, & peccatores sunt illius capaces.*

PRima conclusio: Soli baptizati, adulti, & infirmi, sunt capaces sacramenti Extremæ vnctionis. Prima pars de baptizatis, facilis est. Nullus enim non baptizatus est capax vllius alterius sacramenti: cùm Baptismus sit Ecclesiæ ianua, & cæterorum sacramentorum veluti basis & fundamentum, vt fusiùs alibi diximus disp. 25. sect. 1. explicando effectus baptismi. Secunda pars de adultis, est communis Theologorum in 4. dist. 23. excepto Maiore, qui ibidem quæst. 1. vult infantibus dari posse, quod est contra consuetudinem Ecclesiæ, & alienum à verbis D. Iacobi, qui cùm ait de infirmo, *Inducat presbyteros*, significat illum ratione vti, & sacramentum expetere debere. Infantes quoque non egent subsidio, pro quo præcipuè hoc sacramentum institutum fuit; nempe ad conferendum remedium contra peccata, & eorum reliquias, & Dæmonis insultus. Nam paruuli ante rationis vsum peccare non possunt, neque reliquias habent quæ noceant, neque Dæmonum insidias vllas timere debent. Eademq; ratio valet in amentibus qui laborarunt amentiâ perpetuâ. Hi enim licet ætate non sint pueri, tamen sensus & iudicii inopiâ sunt quasi pueri, & eiusdem conditionis censendi. Secus est de amentibus qui aliquando ratione vsi sunt, & sacramenti huius susceptioni sufficientem consensum præstiterunt. Illis enim dari posse fere communis sententia, teste Suare disp. 42. sect. 1. n. 5. in fine idque, confirmat vsus & praxis Ecclesiæ.

31. Addo cum D. Thom. q. 22. Supplem. art. 4. ad 1. & 2. & in 4. dist. 23. q. 2. art. 2. q. 4. ad 1. ne iis quidem adultis qui nunquam actu peccauerunt dari posse. Quod etiam docent Paludan. ibid. q. 3. art. 2. Supplementum Gabrielis q. 1. dub. 3. Francis. Sylueius ad quæst. 22. Supplem. art. 4. Nunnus ibidem art. 2. difficult. 2. Ledesma 2. parte quarti, q. 34. art. 2. Victoria in summa n. 222. & Delugo disp. 13. de Pœnitent. sect. 3. num. 81. qui eandem ob causam negant Beatæ Virgini ministrari potuisse. Fauet etiam Suarez disp. 42. sect. 1. num. 2. & 3. cùm sic probat, non baptizatos & infantes non esse capaces sacramenti huius: Quoniam, inquit, sacramentum hoc est consummatiuum Poenitentiæ, & totius Christianæ vitæ, vt ait Trident. sess. 14. in doctrina de Extrema vnctione. Supponit ergo necessariò Christianam vitam, quæ inchoatur in Baptismo: quare ipsum quoque Baptismum præsupponit. Item sicut infantes non sunt capaces sacramenti Poenitentiæ: ita neque istius sacramenti, quod est consummatiuū Pœnitent. vt dixit Trid. Quę postrema ratio Sua. nō minus concludit de iis, qui nunquā peccauerunt, tametsi de illis dissentit postea idē author sect. 2. num. 8. Fauet etiam modus quo absolutè profertur forma in Latina Ecclesia, *Indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti*: quanquam illius sensus non est absolutus, sed conditionatus, vt dicemus paulò post. Denique vnctio ista medicinalis est. Et sicut nisi infirmis corpore tribui nequit: ita probabilius est non nisi infirmis animo propter peccata vel eorum reliquias. Confirmatur ex vsu Ecclesiæ, quæ, vt constat ex rituali Romano, non dat hoc sacramentum illis, quos certum est nunquam peccasse: sed illis tantùm qui aliquando peccarunt, cuiusmodi sunt illi omnes qui vsum rationis aliquando habuerunt, excepto Christo & Beata Virgine. Cuius non potest alia reddi ratio, nisi quia hoc sacramentum est institutum per modum medicinæ spiritalis supponentis morbum & vulnus peccati, propter quod sit opus vngi oleo sancto ad curandum illud vulnus, & infirmitatem animæ ex eo secutam. Qua etiam de causa fit mentio peccatorum, non modò in forma consueta Ecclesiæ Latinæ, sed etiam in forma Ecclesiæ Græcæ in qua petitur à Deo vt sanet ægrotum ab infirmitate spiritali & corporali, quemadmodum refert Arcudius lib. 5. de Sacramentis cap. 5.

Probatur de peccatoribus.

32. *Probatur de infirmis.*

Tertia pars conclusionis de infirmis, est communis Theologorum in 4. dist. 23. Sumiturque ex verbis D. Iacobi *Infirmatur quis in vobis*, & ex Florentino, ac Tridentino, definientibus infirmum esse subiectum sacramenti huius, eodem modo quo definiunt sacerdotem esse illius Ministrū. Quare sicut nullus alius nisi sacerdos potest esse Minister: ita nec vllus alius nisi infirmus potest esse subiectū. Ratio à priori ex institutione Christi sumenda est: secundum quam, sicut confirmatio & cætera sacramenta dari non possunt nisi baptizatis; & Ordo

Digitized by Google

viris tantùm dari poteſt, non autem fœminis: ſic Extrema vnctio dari poteſt tantùm infirmis: nimirum quia pro ſolis infirmis inſtituta fuit. Nam per cætera ſacramenta ſufficienter ſubuentum eſt hominibus integras habentibus vires corporis pro neceſſitatibus omnibus in decurſu vitæ huius occurrentibus. Idque confirmant materia, & forma, & finis eiuſdem ſacramenti. Nam materia eſt oleum in modum vnctionis medicinalis & curationis: forma verò deprecatiua eſt, qualis ægrotum decet viribus corporis, & opibus humanis deſtitutum, atque ad ſolam Dei miſericordiam confugientem: finis denique eſt vel præparatio infirmi ad exitum foelicem, & confortatio contra morbi torporem & incommoda, & Dæmonis inſultus, & peccati reliquias: vel etiam corporeæ valetudinis reſtitutio, ſi animæ ſaluti, ſecundum Dei prouidentiam, expediat.

33. Infirmitas debet eſſe grauis.

Præterea tam ex verbis D. Iacobi ſecundum græcam ſignificationem, & circunſtantiis expenſis, quàm ex definitionibus Conciliorum citat. intelligitur non ſufficere, quemcunque morbum, ſed grauem & periculoſum ſecundum iudicium prudentum. Itaque eſt vſus Eccleſiæ vniuerſalis, vt non niſi grauiter ac periculosè ægrotantibus adminiſtretur. Inter hos autem cenſendi ſunt ſenes qui ex mera ſenectute decumbunt cum mortis periculo: Nam & ſenectus ipſa morbus eſt grauans corpus & animam. At non illi qui ſani & valentes ſuſpenduntur, plectuntur capite, vel aliter vi extrinſeca & violenter interficiuntur. Nam ſacramentum hoc eſt tantùm inſtitutum ad roborandum hominem corpore deficientem propter ægritudinem. Notandum tamen aliud eſſe hominem ſanum violenter interfici: aliud verò, quòd homo per violentiam in morbum inciderit, in quo iam eſt morti vicinus: vt quando aliquis ex lethali vulnere accepto ægrotat grauiter & periculosè. Hic enim fine dubio vngendus eſt, quia iam verè ægrotat, licet cauſa ægritudinis fuerit extrinſeca, & violenta, quod accidentarium eſt. Ita Suares vbi ſuprà, & alii communiter.

34. Quomodo poteſt iterari?

Vlteriùs, licet hoc ſacramentum non imprimat characterem, ſitque de numero eorum quæ poſſunt iterari: non eſt tamen iterandum niſi in diuerſis infirmitatibus; vel ſi in eadem, poſt valetudinem aliquo modò recuperatam, poſtea per reincidentiam incurratur iterum mortis periculum: vt poſt Scholaſticos in 3. diſt. 23. definit Trident. ſeſſ. 14. cap. 3. *De Extrema vnctione*: vbi aſſerit *Quòd ſi infirmi poſt ſuſceptam hanc vnctionem, conualuerint, iterum huius ſacramenti ſubſidio iuuari poterunt, cùm in aliud ſimile vitæ diſcrimen inciderint.* Quibus verbis Concilium affirmat in ſimili vitæ diſcrimine poſt conualeſcentiam iterum dari poſſe, & inſinuat alioqui non poſſe. Ratio denique ab inſtitutione petenda eſt, ſecundum quam aut Matrimonium non poteſt iterum contrahi inter eoſdem coniuges: ſic neque Extrema vnctio poteſt iterũ dari infirmo conſtituto in eadem vna neceſſitate infirmitatis. Nimirum quia vnico periculo ſufficit vna Extrema vnctio pro remedio: diuerſis autem periculis mortis conuenienter eſt dari diuerſa remedia.

35. Quando cõferendũ ſit

Non eſt autem expectandum donec infirmus ſit ſemimortuus. Nam vt ait Cathechiſ. Rom. grauiter peccant Parochi, qui differunt donec infirmus priuetur ratione & ſenſu. Potiùs enim dari debet quando ratione vtitur, & ſibi præſens eſt, meliúſque diſpoſitus ad ſacramentum, & ad eius effectus: ſatiúſque eſt præuenire tempus aliquantulum, quàm nimium differre. Quaquam non peccant Parochi tunc cùm talibus dant: ſed tantùm peccant in eo quòd tandiu negotium differant. Suppoſita verò dilatione, tenentur dare tunc, licet infirmus ratione & ſenſu ſit deſtitutus. Imò licet dubitaretur num infirmus eſſet viuus aut mortuus, etiam tunc ſub conditione vngendus eſſet. Præſtat enim exponere ſacramentum periculo, quàm animam tali priuare ſubſidio. Ita Paludan. diſp. 23. q. 3. art. 1. in fine, & Suares diſp. 42. ſect. 1. n. 1. vbi teſtatur omnes Summiſtas & Theologos in eo conuenire. Cùm tamen datur ſenſu & ratione deſtitutis, ſupponendum eſt eos tales eſſe vt illud actu vel virtute petierint: quod de hominibus non malæ vitæ, & ſuæ ſalutis non incuriis, & negligentibus, præſumi debet. Qua de re plura vide apud Suar. ſect. cit. n. 6.

36. Recipiens debet eſſe in gratia.

Illud præterea infirmo ad hoc ſacramentum licitè recipiendum, neceſſarium eſt, vt non ſit ſibi conſius peccati mortalis, quod per confeſſionem aut per contritionem non expiauerit. Hoc enim ſacramentum eſt viuorum per ſe loquetdo, licet debilium: ideóque per ſe ſupponit gratiam: neque ex directa intentione inſtitutum eſt ad illam primò conferendam, vt Baptiſmus & Pœnitentia. Quare contra inſtitutionem illius eſt quòd quis ſciens & videns ſe eſſe mortuum, id eſt, in ſtatu peccati mortalis, ad illud accedat, quãtumuis ſit attritus. Si tamen ſui ſtatus ſibi conſcius non ſit, bona fide exiſtimans ſe non eſſe in peccato mortali, aut eſſe contritum, aut cum attritione ſola poſſe licitè recipere: tunc neque de nouo peccabit, neque peccatum mortale reipſa præexiſtens obſtabit ſacramenti efficaciæ, dummodo de illo aliquo modo attritus ſit. Debet etiam priùs abſolui ab excommunicatione, ſi eſt illa ligatus.

37. Qui ſi careat alia qua parte vngenda?

Nota denique: quòd ſi ægrotus careret aliqua parte corporis ex iis quæ inungi debent, vngẽda eſſet pars maximè propinqua. V. g. ſi manibus careat vngenda eſt pars brachii proxima, vt docet S. Thomas q. 32. Supplem. art. 7. & cæteri communiter. Ac ſi careret omnino ſenſu aliquo, vt nonnulli viſu carent, vel auditu; poteſt nihilomi-

nus secundum illos sensus iungi, etiam cum forma absoluta, *Quidquid peccasti* &c. tum quia sensus absolutus non est: tum quia potuit secundum illum ipsum sensum per internum desiderium peccare. Sic Valentia disp. 8. q. 2. pun. 2. Cui malè aliqui obiiciunt non posse nisi inepte dubitari, num per visum peccauerit is quem certò scimus nunquam vidisse. Respondeo enim non propterea dubitari, sed formam consuetam, hypothetice semper veram, non mutari in iis casibus particularibus, & rarò contingentibus: sicut in sacro faciendo, quamuis solus Minister adsit sacrificanti, non propterea mutat ordinarium dicendi modum in plurali, *Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimissis peccatis vestris* &c. *Dominus vobiscum*: *Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio* &c. *Benedicat vos omnipotens Deus* &c. Et hactenus de subiecto. Iam de Ministro sit

38. Solus sacerdos est illius minister.

Secunda conclusio: solus sacerdos est Minister Extremæ vnctionis, neque ab alio potest validè confici. Patet ex Trident. sess. 14. Can. 4 *De Extrema vnctione*, vbi sic interpretatur illud Iacobi, *Inducat Presbyteros*: & definit sub anathemate solum sacerdotem esse Ministrum huius sacramenti. Per hoc tamen non excluditur Episcopus, quippe qui etiam sacerdos est. Ratio vero à priori est institutio Christi, per Iacobū, & Ecclesiæ traditionem & vsum declarata: cuius testis antiquissimus est Innocentius I. epistola da Decentium cap. 8. & alii antiqui sectione 1. relati. Videntur tamen Innocentius & plures alii ibidem citati aliquid ampliùs affirmare, quando dicunt non solùm sacerdotibus, sed omnibus etiam Christianis licere vti oleo sancto ab Episcopo confecto, in sua & suorum necessitate. Sed hoc intelligi debet de vsu passiuo: vt significat Innocent. quando expresè dicit, omnes eo posse inungi: scilicet per presbyteros, sicut immediatè antea probauerat ex verbis D. Iacobi. Vnde statim subiungit, Episcopum vel sacerdotem esse Ministrum istius sacramenti. Institutionis autem ratio congrua esse potest, quia cum Extrema vnctio, iuxta Tridentinum sess. 14. tit. *Doctrina de Extrema vnctione*, sit Pœnitentiæ consummatiua, pertinet enim ad peccatorum dimissionem, non per absolutionem ab illis, sed per appositionem medicinæ, & remedii singularis contra peccata, & ipsorum reliquiis; decuit non ab aliis administrari posse, quàm ab iisdem, quorū est ministrare sacramentum Pœnitentiæ.

39. Et ordinarie solus Pastor.

Licet autem collatio Extremæ vnctionis non sit actus iurisdictionis, & à quouis sacerdote possit conferri validè: licitè tamen extra necessitatem solus Pastor, vel alius de ipsius licentia, eam conferre potest. Et Religiosi quidem, qui sine venia proprii Pastoris, laicis aut Clericis non Religiosis hoc sacramentum conferunt, excommunicantur Clementina 1. de priuilegiis. Alii verò sacerdotes grauiter peccant, sed tamen non excommunicantur, quia in nullo iure habetur talis excommunicatio. Dixi autem, extra necessitatem: nam in casu necessitatis, quando aliàs periculum esset, ne ægrotus moreretur sine hoc sacramento, potest quiuis sacerdos licitè ministrare, tametsi Parochus agrè laturus sit: quia non est intentio Ecclesiæ propter peruersam Pastoris voluntatē velle priuari hominē tali remedio in tam graui periculo. Sic Aegidius Con. disp. 19. dub 9. & Suarez disp. 44. sect. 2. num. 3.

40. Quid requiratur vt Pastor licitè ministret?

Præterea vt Parochus, vel alius licitè hoc sacramentum administret *, debet esse in statu gratiæ, & saltem contritus de peccato mortali nondum confesso. Quia semper ministrat vt sacerdos, & tanquam exercens actum proprium Ordinis sacerdotalis, ac veluti ad hoc munus specialiter consecratus. Constat autem ex dictis alibi eos qui sic administrant sacramenta, teneri iuxta communem sententiam esse in statu gratiæ. Potest tamen Ministrum excusare necessitas infirmi non patiens moram necessariam ad exercendum actum contritionis. Item vt Parochus licitè administret, debet neque suspensus esse ab Ordine, vel ab officio, neq; excommunicatus maiori excommunicatione, & denunciatus, aut manifestus percussor clerici: quia tunc quoque priuatur vsu Ordinis, & iurisdictionis, vt patet ex dictis tract. præcedente. Idcóque non potest tanquam pastor animarum hoc officium illis impendere, neque hoc munus sacerdotale exercere licitè. Ac ne quidem potest alium delegare propriè loquendo: quia hæc delegatio est actus iurisdictionis: quidquid dicant Siluest. & alii Summistæ contrarium sentientes: sed tantùm potest permittere, seu non impedire vt alius necessitati moribundi succurrat.

41. Quid si excōmunicatus, aut suspensus?

Dixi autem, si est suspensus, aut excommunicatus nominatim denunciatus, vel manifestus percussor clerici: quia per decretum Constantiensis *Ad vitanda*, licet fidelibus petere hoc sacramentum ab aliis suspensis, aut excommunicatis toleratis: & illi rogati possunt licitè dare petentibus, & indigentibus. Sunt etiam qui dicunt Parochum non toleratum posse licitè ministrare Extremam vnctionem moribundo, si non sit alius, qui possit, & velit: excusante scilicet necessitate infirmi. Et hoc quidem verum esse existimo, si alioquin infirmus de æterna salute periclitetur. Neque enim censuræ ecclesiasticæ prohibitio obligat cum tanto rigore, & salutis animarum dispendio. Verùm citra talem necessitatem censeo probabilius non posse licitè ab illo dari: sed potius sicut Ecclesia prohibet dari Extremā vnctionē tempore Interdicti, citra prædictam necessitatē: ita non permittit dari ab excommunicato, vel suspenso ab Ordine, & non tolerato: cùm, vt mox dicemus, hoc sacramentū, per se loquendo, non sit ad salutem necessarium.

SECTIO.

SECTIO VI.

De obligatione recipiendi, vel administrandi hoc Sacramentum.

42. Sitne præceptum recipiendi?

CIrca primum, difficultas est, & controuersia inter Theologos, vtrum huius sacramenti receptio sit per se in præcepto: Affirmat enim Magister in 4. dist. 23. lit. B. in fine, vbi dicit, si ex negligentia sacramentum hoc prætermittatur, periculosum esse, & damnabile. Idemque videtur sentire D. Bonauent. ibid. in expositione literæ, quatenus in eo comparat Extremam vnctionem cum Eucharistia: & clarius Petrus Sotus in Institut. sacerdot. lect. 2. de Extrem. vnct. sub finem, affirmãs cum Magist. peccare grauiter eos, qui omittunt ex negligentia: nimirum quia fideles per se loquendo tenẽtur recipere, sufficientemque diligentiam ad recipiendum suo tempore adhibere, vt fruantur tanto Dei beneficio, & adiumento, quo Christus voluit humanæ fragilitati subuenire in extremo vitæ, & salutis æternæ periculo. Eidemque sententiæ fauere videtur Concilium Cabilonense sub Carolo Magno, cap. 48. vbi dicit: Infirmos debere inungi oleo benedicto ab Episcopo, iuxta illud Apostoli Iacobi, *Infirmatur quis in vobis*: vbi nota verbum *Debere*, quod obligationem sonat. Et Concilium Senonense anno 1528. in Decretis fidei, Decreto 10. sic loquens de Extrema vnctione: *Sed ne hic noster vigor nil infirmos vtitur, Christi præceptum, non tam in sacramentum esse vtereturr: si quis infirmatur* (inquit Iacobus) *in vobis, inducat presbyteros*, &c. Et Concilium Coloniense paulò post celebratum anno 1536. parte septima, capite 50. vbi dicit, extremam vnctionem *impendendam esse cum expositione vnctionis, & mandati Apostolici, quod sic habet: Infirmatur aliquis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, vt orent super eum, vngentes oleo in nomine Domini.*

43. Ratio pars affirmantis.

Fauet etiam ratio: quia contra studium salutis propriæ videtur esse, omittere sine alia causa excusante medium ordinarium à Christo institutum, & tantæ efficaciæ, ad resistendum infestationibus Diaboli, quæ in exitu ex hac vita grauiores esse solent; animamque præseruandam ab æternæ damnationis periculo, tunc maximè, quando magis in eo versatur: in illo scilicet momento, ex quo pendet æternitas: & in quo præterea morbi doloribus, angore mortis imminentis, præteritæque malæ vitæ recordatione, & futuri status incertitudine plerumque grauiter vexatur, ac nisi Deus specialiter iuuet, opprimitur. Quam ob causam Aegidius Coninc disputatione 19. dubio 10. & Lyman libro 5. tractatu 8. capite sexto, fatentur esse peccatum veniale, prætermittere sine causa hoc sacramentum per solam negligentiam: quia videtur esse quædam incuria, seu prodigalitas spiritualis boni. In quo conueniunt ex parte cum Magistro, & aliis suprà citatis. Ex parte tamen differunt: quia illi cõtendunt non esse pluriquam veniale peccare contra huiusmodi obligationem, & omittere ex negligentia: Alii verò contendunt hoc peccatum esse graue de se. In quo magis cohærenter philosophari mihi videntur: quia si ex natura, & institutione huius sacramenti, præceptum illi annexum est obligans ad recipiendum; debet illud esse graue, vtpote de re graui, magnique momẽti. Sicut in omnibus aliis sacramentis præceptum illis annexũ ex vi institutionis, graue est. Addi denique potest scandalum pati fideles, si videant aliquem oblatum sibi hoc sacramentũ negligere, & nolle accipere sine vlla causa excusante. Quod signum est, fideles credere non posse sine peccato præermitti.

44. Sententia negans.

Hæc sententia non carer probabilitate: sed tamen non adeo efficaciter probatur, vt planè cogat recedere ab altera communiter recepta. Contrarium enim docent communiter Theologi, & Summistæ, vt testatur Suar. disp. 44. de Pœnit. sect. 1. affirmantes hoc sacramentum non esse in præcepto per se loquendo. Quorum ratio practica hæc est: quia neque ex natura ipsius sacramenti, neq; ex Scriptura, vel ex Cõciliis, aut aliunde tale præceptum colligi potest. Non quidẽ ex ipsa natura sacramenti: quia est tantùm institutum ad melius esse: vt scilicet vel à morbo leuet, vel ad fœlicem exitum è vita meliùs præparet: ad quem non desunt aliunde media sufficientia, per se loquendo. Non etiam ex Scriptura: quia verba Iacobi Apostoli, *Infirmatur qui in vobis*, &c. non significant præceptum, sed admonitionem, & consilium: sicut ista immediatè præcedentia: *Tristatur aliquis vestrum? Oret. Æquoanimo sit? Psallat.* Non etiam ex Conciliis: nam in nullo eorum fertur tale præceptum, vt de Cabilonensi, Senonensi, & Colonensi citatis in contrarium, ostendemus paulò post. Tridentinum verò de hoc sacramẽto agens sess. 14. cap. 3. Doctrinę de Extrema vnctione, in fine, dicit tantùm non posse à fidelibus sine peccato contemni: tantique sacramenti contẽptum absque ingenti scelere, & ipsius Spiritus S. iniuria esse non posse. Canone verò 4. sess. 7. definit non omnia Sacramenta esse singulis necessaria. Non etiam ex consuetudine: quia licet fideles cõmuniter illud vsurpẽt: non tamen velut ex necessitate præcepti; sed vt meliùs saluti sę corporali, aut spirituali prospiciant. Quódque nullum vel ex consuetudine, vel aliunde habeatur tale præceptum, colligitur ex eo quòd Theologi communiter, veteres æquè ac moderni, nullum esse affirmant: quódque Ecclesia tẽpore interdicti prohibet dari moribundis sacramentum Extremæ vnctionis, can. *Quod in te*. De pœnit. & remission. quòd certè non prohiberet, si esset illis necessarium ex præcepto: sicut eam ob causam

non prohibet illis sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ per modum viatici.

45. Soluuntur argumenta contraria.

Ad primum igitur argumentum prioris sententiæ, sumptum ex auctoritate Concilii Cabilonensis, Respondeo, verbum illud, *Debere*, respicere Parochos, qui tenentur vngere infirmos sibi subditos, iuxta ritũ à Christo institutum, & à Iacobo promulgatum, quotiescunque infirmi rationabiliter petunt, vt dicemus concluſ. ſeq. Ad ſecundum dico Senonenſe Concil. immediatè ante verba in obiectione relata, loqui de præcepto vngẽdi infirmos vnctione medicinali, & miraculoſa (non autem ſacramentali) cuius præcepti, & vnctionis mentio fit Marci 6. deque illa intelligendum eſt quod ait, *Ne hic noſter vngendi infirmos ritus Chriſti præceptum, non ſacramentum eſſe videretur*: ita vt ſenſus ſit: Ne Extrema vnctio videretur eſſe vnctio illa medicinalis præcepta Diſcipulis à Chriſto Marci 6. & non eſſe ſacramentum de nouo inſtitutum: Iacobus huius ſacramenti inſtitutionem, & naturam explicauit his verbis: *Infirmatur quis in vobis*, &c. Ad tertium ſumptum ex Concilio Colonienſi, Reſpondeo, vel mandatum ibi latè ſumi pro commendatione, & admonitione: vel potiùs mandatum illud referri non ad ſubſtantiam ſimpliciter, ſed ad modum, quo facienda eſt vnctio. Quamuis enim non ſit præceptum illam recipiendi: eſt tamen Apoſtolicum, imò & diuinum præceptum circa modum, quo fieri debet, & recipi, quotieſcunque adhibetur: nimirum, vt fiat per presbyteros, & ex oleo, in nomine Domini, & cum oratione fidei.

46. Ad quartum Dico, ſtudium propriæ ſalutis non obligare ad id, quod tutius, & melius eſt. Tametſi autem conſultiſſimum eſt, vt quiſque ſibi quamoptimè conſulat, præſertim in negotio tanti momenti: quia tamen non deſunt, per ſe loquendo, alia media ſufficientia, à Chriſto etiam inſtituta, & valde efficacia: videlicet ſacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, auxiliaque illis iure ſpeciali annexa: idcirco ex ſtudio propriæ ſalutis, vel ratione talis periculi, cui aliunde ſatis prouideri poteſt, non colligitur efficaciter obligatio ad hoc medium particulare: ita vt ſine peccato non poſſit prætermitti. Ad quintum & vltimum Reſpondeo, non omnes fideles inde pati ſcandalum: cùm omnes theologi vel negent abſolutè, vel incertam habeant obligationem recipiendi, & negantem ſententiam fateantur eſſe practicè probabilem. Quare ignari tantùm ex eo poſſunt ſcandalizari: propter quos vera, & communis ſententia non eſt deſerenda, ſed illi meliùs inſtruendi ſunt.

47. Obligat interdum per accidens.

Dixi autem receptionem huius ſacramenti non eſſe in præcepto per ſe loquendo: quia nemo negat, poſſe per accidens hominem grauiter ad illam obligari: puta, ſi alioqui verſatur in morali periculo ſalutis: vel ſi dubitet de ſua contritione, & non poteſt aliud ſacramentum recipere, cuius ope fiat ex attrito contritus. Quod tamen vix contingere poteſt, niſi in eo caſu quo iam nequit diſtinctè confiteri de peccatis, & ſacerdos per ignorantiam putat ſe non poſſe, neque vult aliter abſoluere, nec Euchariſtiam adminiſtrare: vel ſi quis propter ſpecialem fragilitatem ſit in graui periculo ſuccumbendi tentationibus, niſi hoc remedio ſe præmuniat. Nemo etiam negat graue peccatũ eſſe illud omittere ex contemptu, vt Trident. ſuprà dixit. Vel cum graui ſcandalo: ex, g. ſi ille qui omittit, & recuſat accipere ſine cauſa, tãtæ ſit auctoritatis, vt eius exemplum magnã huius ſacramenti vilipenſionem apud alios paritura ſit, vel grauem ſuſpicionem hæreſis inductura.

48. Quinam teneantur adminiſtra re?

Circa ſecundum in titulo ſectionis propoſitum, de obligatione adminiſtrandi hoc ſacramentum, diſtinguendum eſt inter eos, qui adminiſtrant ex officio, vt Parochi & alii paſtores animarũ: & eos, qui tantùm ex charitate, vt alii, qui in eorum defectu ſubueniũt neceſſitati indigentium. Priores tenentur ex iuſtitia, & grauiter, adminiſtrare hoc ſacramentum per ſe, vel per alium, ſubditis petentibus. Quia tenentur ex officio miniſtrare fidelibus ſuæ curæ commiſſis remedia ordinaria à Chriſto inſtituta, & ad ſalutem neceſſaria, aut valde vtilia, atque in communi vſu Eccleſiæ poſita, quando ab ipſis petuntur rationabiliter. Poſteriores verò tenentur ſolùm ex charitate adminiſtrare, vel grauiter indigentibus, vt iis, qui iam ſunt incapaces alterius ſacramenti, & probabiliter verſantur in ſtatu peccati: vel etiã iis, qui licet grauiter, & extraordinariè non indigeant, eſſent tamen alioqui ſine hoc ſacramento morituri: dummodo poſſit illis dari ſine graui incõmodo. Quod addo, quia charitas non ad plus eos obligat. Quare non tenentur adminiſtrare ve. g. tempore peſtis cum periculo vitæ, niſi ſit extrema neceſſitas: putà quia nullum aliud ſacramentum dari poteſt alicui, qui ſine iſto non poteſt æternæ damnationis periculum euadere. Tenetur enim quiſque ex charitate ſubuenire extremæ neceſſitati ſalutis ſpiritualis proximi, etiam cum periculo propriæ vitæ corporalis, vt docent communi conſenſu Theologi.

49. Teneanturne Parochi cum periculo vitæ?

De Parochis verò, & aliis curam animarum habentibus dubitari poteſt, an teneantur ex officio non ſolùm in extrema, ſed etiã in graui neceſſitate, non obſtante tali periculo. Ratio dubitandi eſt, quia tenentur ad multò plus, quàm alii, qui ſolùm ex charitate: & ad hoc ſtipendia, vel honorem accipiunt, vt temporibus neceſſariis ſubueniant graui præſertim neceſſitati fidelium, deficientibus aliis, qui ſubuenire velint ex charitate, vt ſolent facere Regulares. Propter hoc præcipuè argumentum exiſtimant aliqui teneri parochos, etiam cum periculo contagionis, & mortis, adminiſtrare hoc ſacramẽtum ſubdito laboranti morbo contagioſo; ſicut & ſacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, quando eſt in graui eorum neceſſitate, quia ſcilicet valde difficilè alioquin æternam

Digitized by Google

damnationem euadere poterit. Quæ difficultas in magna multitudine hominum frequenter contingit,& in ſingulis præſumi debet,niſi contrarium ſatis appareat.

50. Vera ſententia.

Pro hac ſententia citantur à Suare diſp. 44. ſect. 3.nu.6. Supplementum Gabrielis, Eckius,& Claudius Eſpencæus;quā ſibi quoque valde probabilem viſam aliquando fuiſſe affirmat. Sed re meliùs conſiderata docet ibid. num. 20. non eſſe parem neceſſitatem adminiſtrandi cum periculo vitæ ſacramentum Extremæ vnctionis, & ſacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, quæ ſunt in præcepto, & quorum prius eſt præterea neceſſarium ad ſalutem neceſſitate medii, reſpectu eorum,qui peccarunt mortaliter poſt Baptiſmum. Et quamuis Parochus teneatur grauiter non obſtante periculo vitæ,miniſtrare ſacramentum confeſſionis ſubdito grauiter indigenti, & alioqui valde difficilè per contritionis actum iuſtificationem ante mortem aſſecuturo, tum propter actus iſtius difficultatem, & excellentiam; tum etiam propter mentis deiectionem, triſtitiam,angorem, & debilitatem, quam infirmi, & moribundi pati ſolent, quæque illum reddit difficiliorem. Atque etiam, vt probabilius exiſtimo, teneantur quoque dare ſacramentum Euchariſtiæ per modum viatici, quia ſine illo fideles plerumque magno ſalutis periculo manent expoſiti (quamquam, quia longè minus eſt iſtud periculum: minor etiā eſt, & non æquè certa hæc obligatio Parochorum: de qua etiam Theologi non adeò conueniunt) ſecus tamen ſacramentum Extremæ vnctionis, per ſe loquendo: quia non eſt neceſſarium per ſe neceſſitate medii, vel præcepti: & per alia duo ſacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, ſufficienter prouidetur neceſſitati infirmi:ideóque non ſunt obligandi Paſtores ad illud exhibendum, ſi non poſſunt abſque morali vitæ periculo. Tenētur tamen præuenire periculum,ſi poſſunt:& remediis ſe munire, ſi per ea vitari poteſt. Quæ remedia ſi ſint ordinaria & communia, tenentur ipſi ſuis expenſis ea curare: ſi extraordinaria, & magni ſumptus; tenetur communitas, ſeu Magiſtratus ea ſuppeditare. Poſſunt etiam in tali caſu vti virga longiori ad vngendum: & vnam, aut alteram tantùm vnctionem magis obuiam adhibere, eo modo quo diximus ſect. 3. Habenda quoque eſt ratio neceſſitatis aliorum: vt dum Parochus pro vno ſe expenit, prouideatur aliis, vel ab ipſo, vel ab Epiſcopo, aut aliis quorum eſt bonum commune curare: neque enim par eſt, vt dum vni ſuccurritur, plures aut tota communitas ſine ſubſidio neceſſario deſerantur.

§ 1.

Obiicies, maiorem non eſſe obligationem in Parocho adminiſtrandi ſacramenta, quàm ſit in ſubditis recipiendi. Subditi autem non tenentur recipere cum periculo vitæ: ex. gr. nemo tenetur confiteri, vel Euchariſtiam, aut Extremam vnctionem accipere à Parocho laborante morbo contagioſo, cum periculo vitæ propriæ. Ergo neque tenetur Parochus miniſtrare ſubdito, cum periculo ſuæ. Item ſi licet Parochis & Prælatis fugere in perſecutione, iuxta illud Chriſti Matth. 10. *Cùm perſequentur vos in vna ciuitate, fugite in aliam*: & iuxta exemplum Athanaſii, aliorumque Sanctorum: quidni pariter liceat tempore peſtis? Nam perinde eſt ſiue periculum immineat ab hoſtibus fidei, ſiue ab aëris intemperie.

§ 2. Soluuntur obiectiones.

Ad primum Reſpondeo, minorem propoſitionem non eſſe veram in eo caſu, quo aliquis, niſi ab illo ſacramentum accipiat, verſatur in extremo, aut graui periculo ſalutis æternæ: quo etiam in caſu tantùm dicimus obligari Parochum vt ſubditis miniſtret. Quare in eo par eſt vtriuſque obligatio: cum hac tamen differentia, quòd quiſque meliùs noſſe poteſt vtrū verſetur in tali periculo: quàm Parochus, qui alienum periculum, & ſtatum non poteſt adeo facilè cognoſcere. Et quia illud in magna communitate frequenter occurrit, non poteſt ab eiuſmodi obligatione ſeſe eximere circa ſingulos infirmos, niſi ſufficientia habeat indicia quòd non tantopere ope ſua indigeant.

Ad ſecundum, Dico ſimiliter fugam non eſſe licitam ſi fiat cum periculo gregis grauiter indigentis præſentia Paſtoris: ſed tunc ſolùm, quando gregi aliunde ſufficienter prouiſum eſt, & expedit Paſtorem, ad maius Eccleſiæ bonum, vitam ſuam conſeruare.

§ 3. Quomodo adminiſtrandi?

Denique quod attinet ad obligationem miniſtri circa modum adminiſtrandi hoc ſacramentum, dico debere ab eo ſeruari quæ præſcribuntur in Rituali, non tantùm quoad eſſentialia ſacramenti, vel pertinentia ad eius integritatē: verùm etiam quoad cerimonias, vt recitationem pſalmorum,& orationū quæ partim ante, partim etiam poſt vnctiones adhiberi ſolent ex conſuetudine, & præſcripto Ritualis: niſi neceſſitas cogat omittere, quia periculum eſt ne mors infirmi præueniat. Tunc enim poſſunt omitti accidentalia, & poſtea ſuppleri, ſi mortuus nondum ſit. Debet etiam, vbicumque talis conſuetudo eſt, præmitti non ſolùm confeſſio, ſed etiam Viaticum, vt præſcribit Catechiſmus Pii V. ad Parochos, cap. de Extremæ vnctionis ſacramento, & docent communiter Theologi, Tametſi ordo ille non fuit ſemper, & vbique ſeruatus. Vt colligi poteſt ex cap. *Ab infirmis*, 26.q.7. vbi dicitur infirmos poſt confeſſionem ſacra vnctione inunctos, cōmunione viatici eſſe reficiēdos: & ex Bernardo in vita S. Malachiæ, aliquantò ante finem, vbi de illo ſic ait: *Vngitur, & ſumpto viatico fratrum ſe orationibus, & fratres commendans Deo, ad lectum reuertitur*: Et ex vita S. Arnulphi Sueſſionenſis Epiſcopi cap. 50. relata à Surio die 15. Auguſti, ex Liſiardo Arnulphi ſucceſſore, vbi dicitur ipſum priùs fuiſſe inunctum die Sabbati, in peruigilio Aſſumptionis B. V. poſteaque ad veſperam ſumpſiſſe viaticum: & ex aliis quæ refert Suar. diſp. cit. ſect. 1. n. 8. vbi addit ordinem conſuetum ſumen.

di priùs viaticum non esse adeo necessarium, vt illius inuersio facta sine contemptu graue peccatum sit: ac ne leue quidem, si fiat vrgente aliqua necessitate: cùm vnum illorum sacramentorum non sit per se dispositio necessaria ad aliud, neque ex natura sua, neque ex diuina institutione, cuius nullum profertur indicium. Et vtriusque moris congrua reddi potest ratio. Nam conuenienter datur priùs extrema vnctio post Sacramentum Pœnitentiæ, quoniam Eucharistia magnam requirit animæ puritatem, quæ per Pœnitentiam, & extremam vnctionem acquiritur. Meritóque datur vltimo loco viaticum; quia Eucharistia est finis, & perfectio sacramentorum, ad quod cætera referuntur, vt alibi diximus cum D. Thoma 3. parte quæst. 65. art. 3.

Sed neque minùs conuenienter datur vltimo loco extrema vnctio post Eucharistiam: quia videtur hic ordo magis esse consentaneus institutioni vtriusque sacramenti. Nam Eucharistia est instituta per modum cibi ad confortandum in via: ideoque vt detur non est expectandum vltimum vitæ periculum. At verò Extrema vnctio instituta est velut sacramentum exeuntium, & in vltimum eorum subsidium. Aliam rationem addit Catechismus Pii V. loco supra citato, circa quam nota, quod ait, illam fuisse perpetuam Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem, vt ante Extremam vnctionem Pœnitentiæ, & Eucharistiæ sacramentum administretur, intelligendum esse de Ecclesia Catholica maiori ex parte: non autem de omnibus, & singulis Ecclesiis, ac prouinciis: cùm alibi ordo contrarius seruatus fuerit inter Eucharistiam, & Extremam vnctionem, vt paulò antea probauimus. De Pœnitentia verò generalis est, & semper fuit consuetudo Ecclesiæ, vt præmittatur, si fieri possit, Extremæ vnctioni, quæ illius consummatiua est. Quanquam in rigore sufficeret conteri. Quia venerabili Eucharistiæ sacramento speciale illud est, vt nemo sibi conscius peccati mortalis nondum confessi, possit ad illud recipiendum accedere, nisi præmissa confessione, quantumuis sibi contritus esse videatur. Nota præterea posse iterum, ac sæpius administrari Eucharistiam infirmo, si sumpto viatico, & extrema vnctione, diutius eum viuere contingat. Posse quoque iterum recipi Extremam vnctionem, si postquam infirmus euasit periculum vitæ, in eodem morbo diuturno, vel in diuerso, postea in aliud incidat, vt diximus num. 34.

DISPVTATIO SEXAGESIMA SEXTA,

De Sacramento Ordinis: & primò de illius essentia, & effectibus.

Sectio I. *An sit aliquod Sacramentum Ordinis?*

Sectio II. *Quænam, & quotuplex ordinatio sit sacramentum?*

Sectio III. *Refutantur contrariæ sententiæ: ostenditurque Episcopatum esse Ordinem distinctum à sacerdotio.*

Sectio IV. *Quæ sit Ordinum singulorum materia, & forma?*

Sectio V. *Vera sententia, & solutio obiectionum.*

Sectio VI. *De effectibus Sacramenti Ordinis.*

DE essentia huius sacramenti, & effectibus disputat S. Thom. q. 34. 35. & 37. Supplemẽti. In quarũ prima docet oportuisse sacrum aliquem Ordinem esse in Ecclesia, vt quidam aliis sacramenta traderent, eosque perficerent. Definiri autem illum sic posse: Ordo est signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritualis potestas traditur ordinato. Estque sacramentum, quia in eius susceptione consecratur homo per signa visibilia. Et forma quidem illius conuenienter exprimitur verbis imperatoriis significantibus potestatem,

quæ traditur. Materia verò est id, quod adhibetur ad determinandam potestatem, quæ traditur particulariter in quolibet Ordine.

In secunda affirmat gratiam conferri per hoc sacramentum: quia gratia sanctificans est necessaria, vt homo dignè sacramenta dispenset. Quando autem cuipiam datur aliqua potentia diuinitus, dantur etiam ea, per quæ executio illius potentiæ possit congruè fieri. Vltra gratiam quoque imprimi characterem, quo ordinati distinguuntur ab aliis. Istéque character supponit baptismalem: quia qui non habet characterem Baptismi, non potest vllum aliud sacramentum recipere. At non ita necessariò præsupponit characterem Confirmationis, sed tantùm de cõgruitate, vt ordinatus sit magis idoneus ad exercitium Ordinis. Non est quoq; de necessitate superiorum Ordinum quòd aliquis minores Ordines priùs habeat: quia potestates sunt distinctæ: & vna, quantum est de sui ratione, non requirit aliam in eodem subiecto. Et ideo etiam in primitiua Ecclesia aliqui ordinabantur in Presbyteros, qui priùs inferiores Ordines non susceperant: & tamen poterãt omnia, quæ inferiores Ordines possunt: quia inferior potestas cõprehenditur in superiori virtute, sicut sensus in intellectu, & Ducatus in Regno. Sed postea per constitutionem Ecclesiæ determinatum est, vt ad maiores Ordines non se ingerat, qui priùs in minoribus officiis non se humiliauit. Et inde est quòd qui ordinantur per saltum, secundum canones non reordinantur: sed id quod omissum fuerat de præcedentibus Ordinibus, eis confertur.

In tertia denique asserit oportuisse varios esse in Ecclesia Ordines, tum propter Dei sapientiam commendandam, quæ in distinctione rerum ordinata maximè relucet, tam in naturalibus, quàm in spiritualibus: tum etiam ad subueniendum humanæ infirmitati. Quia per vnum non poterant omnia, quæ ad diuina mysteria pertinebant, expleri sine magno grauamine. Tum denique vt via proficiendi hominibus amplior detur: dum pluribus diuersa officia distribuuntur, vt omnes sint Dei cooperatores, quo nihil est diuinius, sicut ait Dionys. cap. 3. Cœl. Hierarch. Iuxta numerum autem ministeriorum, quæ ad sacræ Eucharistiæ consecrationem, decentemque eius tractationem opus erãt, conuenienter fuerunt septem Ordines instituti: videlicet Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolythorum, Lectorum, Exorcistarum, & Ostiariorum. Qui Ordines, tametsi secundum se sunt omnes sacri: rectè tamen ratione materiæ, circa quam versantur (quæ in Sacerdotio, Diaconatu, & Subdiaconatu consecrata est, & non in aliis) distinguuntur in sacros, & non sacros. Illorum autem omnium principalis actus est ille, secundum quem proximè ordinantur ad sacramentum Eucharistiæ. Et secundum hoc etiam vnus est alio eminentior, quòd eius actus propiùs ad sacramentum illud accedit. Cúmque principalis actus sacerdotis sit corpus, & sanguinem Christi consecrare; rectè in ipsa calicis porrectione, ab Episcopo illi facta sub certa verborum formula, imprimitur character sacerdotalis. Huc vsque D. Thomas.

SECTIO I.

Sitne aliquod sacramentum Ordinis?

1. Ordo variè sumitur.

ORdo variè à philosophis, & Theologis sumitur. Primò, pro relatione, siue habitudine vnius rei ad aliam: quæ significatio vulgatissima est. Secundò, pro dispositione, & coordinatione rerum: quo sensu D. Augustin. lib. 19. de Ciuit. cap. 13. *Ordo*, inquit, *est parium, dispariumque rerum, sua cuique loca tribuens dispositio.* Et Arist. 5. Metaph. cap. 19. *Dispositio*, inquit, *est ordo habentis partes aut secundum locum, aut secundum virtutem, siu potestatem, aut secundum formam.* Tertiò, pro quocunque statu, siue ciuili, siue ecclesiastico. Quo sensu vulgò dicitur varios esse in repub. ordines, clericalem, laicum, senatorium, equestrem, plebeium. Similique sensu in cœlesti Hierarchia dicuntur Angeli esse distributi in nouem Ordines. Quartò, strictiùs sumitur pro gradu aliquo eminente supra id quod est infimum. Sicut enim basis seu fundamentum, cui gradus innituntur, non est gradus: sic status plebeiorum in ciuili republica, & clericatus simplex, seu prima tonsura inter personas ecclesiasticas, non est propriè gradus, & Ordo in hoc sensu. Quintò, strictiùs adhuc sumitur pro solo gradu ecclesiastico, in quo nimirum constituuntur clerici, qui post primam tonsuram ad certa quædam ministeria ecclesiastica consecrantur. Quo sensu Tridentinum sess. 23. cap. 2. accipit nomen Ordinis cùm ait, ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina, atque vniuscuiusque eorum propria ministeria, scilicet Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarii, in vsu fuisse. Et cap 4. post medium, *Docet*, inquit *sacrosancta Synodus in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, & cæterorũ Ordinum*, &c. Vbi cum Ordinationem Ordinum dicit, non intelligit per *Ordinem* actionem sacram ministrandi, sed ipsos gradus ministrorum, qui per sacram illam actionem cõstituuntur, & consecrantur. Sextò, denique sumitur pro Ordinatione ipsa, per quam Ecclesiæ ministri fiunt. Quo sensu Tridentinum sess. 23. can. 3. de eo sic definit: *Si quis dixerit Ordinẽ, siue sacram ordinationem non esse verè, & propriè sacramentum*, &c. De hac vltima significatione disputatio præsens instituitur, in qua primò discutiendum est, vtrum Ordo secundum illam acceptus sit verè ac propriè legis nouæ Sacramentum?

2. Sitne verè sacramentum.

Negant plerique Nouatorum, duobus præcipuè argumentis inducti. Vnum est, quia ad sacramentum propriè dictum requiritur verbum, & elementum: iuxta illud D. Augustini tractatu 80. in Ioan. *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Sed huic argumento iam alibi respondimus disp. 41. n. 47. Si per elementum latè sumptum intelligant aliquid sensibile: illud in Ordine, æquè ac in aliis sacramentis non deesse. Si autem intelligant strictè, ac propriè elementum pro aliquo de corporibus simplicibus, ex quibus mixta fiunt: perperam id quod S. August. de Baptismo singulariter dixit, ab illis obiici contra sacramentum Ordinis: posseque similiter opponi contra Eucharistiam, quam tamen ipsi Sacramentum esse non negãt. Alterum est, quia neque ex Scriptura, neque ex antiquis Patribus ostendi potest Ordinẽ esse Sacramentum. Sed hoc quàm sit à veritate alienum, patebit ex sequentibus.

3. Conclusio affirmans probatur ex scripturæ.

Primò enim ex Scriptura facilè colligitur aliquam esse ordinationem sacrorum ministrorum, consistentem in externa cerimonia instituta à Christo, cum promissione gratiæ. Talis est illa, de qua Paulus 1. Tim. 4. loquitur, cũ sic ait: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cũ impositione manuum Presbyterii.* Vel per Presbyterũ intelligit vel cœtum Presbyterorum, qui cum Episcopo imponũt manus supra caput illius, qui ordinatur in Presbyterum. Vel potius cœtum Episcoporum, à quibus Timotheus fuerat ordinatus Episcopus per manus impositionem Presbyterorum, inquam, non ætatæ solùm, vt volunt hæretici, sed potiùs gradu, & officio sacerdotali. Nam Timotheus, ætate licet adolescens, quia tamen officio Presbyter erat, & Episcopus, aliis manus imponendi ius habebat: iuxta eiusdem Pauli verba ad eundem cap. 4. epist. cit. *Adolescentiam tuam nemo contemnat*: & cap. 5. *Manus citò nemini imposueris.* Per Prophetiam autem intelligit Apostolus vel reuelationem sibi factam de ordinando Timotheo in Episcopum: vel potiùs diuinam, & supernaturalem operationẽ, quâ in ordinatione fuit sanctificatus. Simili modo loquendi, quo Scriptura miraculosam operationem vocat prophetiam, Ecclesiastici 48. v. 14. vbi mortuum corpus Elisei dicitur prophetasse, id est, suscitasse hominem mortuum, prout refertur lib. 4. Reg. cap. 13. Potest etiam Prophetiæ nomen significare formam Sacramenti, seu mysticum sermonem, qui cum impositione manuum adhibetur. Solet enim Paulus omnem diuinitus traditum sermonem, aut diuinorum mysteriorũ explicationem, vocare prophetiam: vt patet ex 1. Corinth. 14. v. 3. 24. & 29.

4. Confirmatur.

Eiusdem quoque impositionis manuum fit mentio Act. 14. v. 22. vbi pro eo quod de Paulo & Barnaba legitur in vulgata versione, *Cum constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros*: in textu græco habetur, χειροτονήσαντες αὐτοῖς πρεσβυτέρους. Ex eademque cerimonia imponẽdi vel extendendi manus, ordinatio sacra apud græcos scriptores ecclesiasticos nomẽ accepit χειροτονίας, & χειροθεσίας, id est, manuum extensionis, & manuum impositionis. Itẽ 2. Timoth. 1. v. 6. *Admoneo te*, (inquit Paulus Timotheo) *vt resuscites gratiam quæ in te est per impositionem manuum mearum.* Vbi sermonem esse de gratia sanctificante, patet ex iis quæ subiungit, *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis & dilectionis.*

Eſſe verò illis locis ſermonem de impoſitione manuũ ordinatiua: nõ autẽ de cõfirmatiua, id eſt, de ſacramentò confirmationis, quod Act. 8. v. 17. 18. & 19. dicitur dari per manuum impoſitionem: vel de reconciliatione & abſolutione ſacramentali, quæ interdum à Sanctis Patribus vocatur manus impoſito: patet ex verbis ſuprà relatis ex Act. 14. verſ. 22. vbi pro eo quod latinè dicitur, *Cum conſtituiſſent illis presbyteros*; græcè habetur, χειροτονησαντες αυτοις πρεσβυτερους. Et 1. Timoth. 4. v. 13. & ſequentibus Paulus apertè loquitur Timotheo de ſuo Epiſcopali officio bene gerendo. Quare quod ibi ait, *Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum presbiterii*; intelligit de gratia data per manuum impoſitionem ordinatiuam ad munus Epiſcopale rite & dignè obeundum.

5. Scriptura tribuit Ordini quicquid conuenit ſacramento.

In his ergo & ſimilibus Scripturæ locis inſinuantur omnia quæ ad ſacramentum propriè dictum neceſſaria ſunt. Nam ſymbolum externum, ſeu ritus diuinitus inſtitutus, habetur in illa manuum impoſitione, quâ Paulus & alii in ordinando ſemper vſi ſunt, & cui collationem gratiæ attribuerunt, quòd fieri non poteſt ſine Dei inſtitutione, qui ſolus poteſt ſigna gratiæ efficacia conſtituere. Conſtanter autem & permanenter inſtitutum fuiſſe ritum illum patet ex vſu conſtanti Apoſtolorum locis cit. & continua praxi Eccleſiæ. Gratiæ verò ſignificatio & efficacia eidem ritui tribuitur à Paulo ſimpliciter & abſolutè verbis antea relatis ex 1. Timoth. 4. & 2. Timoth. 1. Cúmque ex omnium conſenſu ſacræ illi cerimoniæ baptizandi, quâ ſimus Chriſtiani, conueniant omnia ad ſacramentum propriè dictum neceſſaria: nuſquam in ſacris literis hæc de Baptiſmo magis inſinuantur, quàm de ordinatione, ſeu ſacra cerimonia, quâ fiunt ſacrorum myſteriorum executores, quod eſt aliquid maius & ſanctius, quàm eſſe Chriſtianum ſimpliciter. Ac ſi decuit ſacramentum inſtitui, quo Chriſtiani fierent & ſanctificarentur: decuit pariter inſtitui quo fierent & ſanctificarentur Eccleſiæ miniſtri.

6. Probatur ex Patrib.

His Scripturæ teſtimoniis accedit ſecundò Patrum antiquorum authoritas, & totius Eccleſiæ cõſenſus. Sanctus quidẽ Dyoniſ. c. 5. de Eccleſiaſt. Hierarch. tã clarè docet ordinationẽ eſſe ſacramentũ, & per eã conferri gratiam, vt Luther. in l. de captiuitate Babilonica cap. *De ordine*, id negare nequierit. Anacletus verò, quintus à Petro Summus Pontifex, epiſt. 2. de vnctione Epiſcoporum ſic loquitur, *Omnis ſanctificatio conſtat in ſpiritu ſancto, cuius virtus inuiſibilis ſancto chriſmati eſt permixta* &c. Quibus verbis ſignificat Epiſcopos ſanctificari per vnctionem Chriſmaticam, quâ conſecrantur. De eadem ordinatione S. Ambroſius lib. de dignitate ſacerdot. cap. 5. prope finem, ſic ait: *Quis dixit, frater, Epiſcopalem gratiam? Deus an homo? Reſponde. Sine dubio, Deus. Sed tamen per hominem dat Deus.* Hieronymus verò in dialogo contra Luciferianos, non lõgè ab initio, cùm Luciferianus dixiſſet laicũ venientẽ ab Arianis, nempe ab ipſis baptizatum, recipiendum eſſe: clericum autem ab illis venientem, hoc eſt, ab eis ordinatum, recipi non poſſe: contendit ipſe ſub nomine orthodoxi, & baptizatũ laicũ, & clericum ordinatum, recipi debere, eo quòd eadem ſit vtriuſque ratio ſacramenti.

S. Auguſtinus quoque lib. 2. contra Parmenianum cap. 13. multoties ordinationem ſacramentum vocat, & cum Baptiſmo comparat: vt quando ſic ait, paulò poſt initium capitis citati: *Vtrumque ſacramentum eſt, & quadam conſecratione vtrumque homini datur. Illud, cùm baptizatur: iſtud, cùm ordinatur.* Et paulò poſt, loquens de iis qui ad Eccleſiæ vnitatem redeunt: *Sicut baptiſmus*, inquit, *in eis, ita ordinatio manſit integra: quia in præciſione fuerat vitium, non in ſacramentis, quæ vbicunque ſunt ipſa, vera ſunt.* Item paulò poſt: *Non eis ipſa ordinationis ſacramenta detrahuntur, ſed manent ſuper eos. Ideoque non eis in populo manus imponitur: ne non homini, ſed ipſi ſacramento fiat iniuria.* Item eodem cap. *Ipſi explicent quomodo ſacramentum baptizati non poſſit amitti: & ſacramentum ordinati poſſit amitti.* Et paulò poſt: *Si enim vtrumq; ſacramentũ eſt, quod nemo dubitat: cur illud non amittitur, & iſtud amittitur? Neutri ſacramento iniuria facienda eſt.* 8.

Simili modo ſacram ordinationem ſacramenti nomine inſigniuit & cum Baptiſmo comparauit Innocentius 1. Auguſtini contemporaneus epiſt. 18. ad Alexand. Epiſc. cap. 3. Vbi etiam oſtendit eodem modo ſacramentum eſſe. Et S. Leo epiſt. 87. ad Epiſcopos Mauritaniæ c. 1. de ordinatione loquens: *Quis*, inquit, *diſſimulare audeat; quod in tanti ſacramenti perpetratur iniuriam?* Et D. Cyprianus, vel quis alius eius contemporaneus, lib. de Cardinalibus Chriſti operibus, cap. de ablutione pedum, initio: *Docemur*, inquit, *quæ ſit Baptiſmi, & aliorum ſacramentorum ſtabilitas.* Et infra: *Nam Baptiſmum reperi Eccleſiaſticæ prohibent regulæ: & ſemel ſanctificatis nulla deinceps manus iterum conſecrans præſumit accedere: nemo ſacros ordines ſemel datos iterum renouat.* Similia habent Anaſtaſius II. in epiſt. ad Anaſtaſium Imperatorem cap 7. & 8. S. Chryſoſt. lib 3. de ſacerdot. cap. 4. & ſequentibus, S. Leo magnus epiſt. 81. ad Dioſcorum cap. 1. S. Gregor. magnus lib. 4. in libros Regum cap. 5. initio, aliique plurimi, de quibus vide Coccium tomo 2. lib. 8. art. 1. Idem deniq; poſt Concilij Calcedon. can. 2. definitũ fuit ab Eccleſia vniuerſa in Concilio Florent. in Decreto Eugenii §. *Nouæ legis ſeptem ſunt ſacramenta*, & in Trident. ſeſſ. 7. can. 1. de Sacram. in genere. 9.

Ex quibus perſpicuè liquet quàm falsò affirmet Lutherus in lib. de captiuitate Babylonica, cap. *De Ordine*, ſolum Dyoniſium citari poſſe ex antiquis ſcriptoribus

Digitized by Google

pro sacramento ordinis. Liquet insuper quàm ineptè dicant Nouatores sacramentum hoc ab Ecclesia iuniori fuisse cæteris annumeratum, cùm Ecclesiæ antiquæ sensus fidei nostræ consentaneus tot antiquorum testimoniis sole clarior sit.

Refutantur effugia hæreticorum.

Neque verò respondeant locutos esse Patres de sacramento impropriè dicto. Cùm ex ipsorum verbis antea relatis manifestum sit ipsos sensisse & affirmasse Ordinationem non minùs esse sacramentum, quàm Baptismum: & vtrique æqualiter tribuisse quòd non possit iterari, neque amitti, quódque sanctificet suscipientem. Neque id Caluinus inficiatur lib. 4. Institut. cap. 14. num. 20. & cap. 19. num. 31. vbi fatetur ordinationem esse verum sacramentum: & quod dixit duo tantùm esse sacramenta, Baptismum & Eucharistiam, intelligendum esse de sacramentis quæ fidelibus omnibus sunt communia. Quare si Galli Caluinistæ id negant art. 35. Confessionis suæ, vbi vafrè, & ambiguè, more suo loquuntur: non tantùm ab Ecclesia catholica, sed ab ipsomet Caluino duce suo hac in parte dissentiunt.

10. Ratio congrua institutionis.

Superioribus accedit duplex ratio congrua. Nam si decuit sacramentum Baptismi instituì, quo fiunt Christiani: decuit pariter istud institui, quo fiunt sacrorum mysteriorum exequutores & Ministri, quod est aliquid maius, quàm esse Christianum simpliciter. Item si, in Baptismo, in quo datur potestas suscipiendi Eucharistiam, & alia sacramenta, datur simul gratia ad illa rite suscipienda, & ad viuendum vt Christiano dignum est: nihilo minùs decuit in ordinatione, in qua datur potestas ad conferenda sacramenta, dari pariter gratiam ad ea rite administranda, & ad viuendum dignè Dei Ministro. Christus quidem Ioan. 20. dans Apost. potestatè remittendi peccata in sacramẽto pœnitentiæ, simul infudit Spiritum sanctũ, & ad hoc nutu eos sanctificauit, dicens *Accipite spiritum sanctum quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Sacerdotes autem in ordinatione sua eandem potestatem accipiunt, atque insuper aliam longè nobiliorem consecrandi corpus Christi. Quare omnino conuenit, vt hoc non fiat nisi per aliquod sacramentum, quo simul gratiam tanto officio conuenientem accipiant. Denique sacerdotium veteris legis conferebatur per aliquam cerimoniam, quæ sanctificabat legaliter. Quare, vt veritas respondeat figuræ, sacerdotium nouæ legis debet conferri per cerimoniã verè sanctificantẽ. Sanctitas enim legalis illius legis, figura erat sanctitatis veræ conferendæ in lege Euangelica, & vmbra futurorum bonorum, vt ait Apost. Hebr. 10.

Definitio sacramenti Ordinis.

Ex dictis collige sacramentum Ordinis definiri sic posse: Est sacra cerimonia, qua traditur potestas spirituale aliquod ministerium exercendi, simulque gratia sanctificans ad illud rite, & conuenienter obeundum. Cuius definitionis singulæ particulæ satis perspicuæ sunt ex dictis, & clariores fient ex sequentibus sectionibus. Quod si quæras quomodo in illo distinguantur illa tria, quæ in quolibet sacramento distinguũt Theologi, sacramentum tantum, res tantum, & res & sacramentum? Dico sacramentum tantum esse externam, & sensibilem cerimoniam. Rem tantum, gratiam sanctificantem. Rem & sacramentum, characterem, iuxta id quod diximus disp. 25. num 29. vbi notionem, & rationem horum terminorum exposuimus.

SECTIO II.

Quænam, & quotuplex ordinatio sit sacramentum?

11. Septem ordines Ecclesiastici.

NOta primò ex Trident. sess. 23. cap. 2. septem esse ordines ecclesiasticos: hoc est, vt idem Concilium interpretatur, septem gradus Clericorum, quibus vel in sacerdotio constituuntur, vel ad ipsum ascendunt, atque ipsi deseruiunt. Nimirum Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acoluthorum, Exorcistarum, Lectorum, & Ostiariorum. Ex quibus tres priores ordines propter excellentiam vocantur maiores: atque etiam sacri, eo quòd votum castitatis annexum habeant. De singulorum autem officiis dicemus inferius disp. 68. sect. 2. de iisdemq; videri possunt præter Pontificale Romanum, Vasques disp. 236. cap. 2. & sequentibus, Aegid. Con. disp. 20. dub. 3. & Bellarm. lib. 1. de Clericis cap. 13. Eosdem ordines vt rem antiquam numerant Concilium Carthagin. IV. cap. 3. & sex consequentibus, cui Concilio D. Augustinus subscripsit: Concilium Roman. sub Syluestro cap. 3. Caius Pontifex Epist. ad Fœlicem, & Cornel. Papa Cypriani contemporaneus, qui in epist. ad Fabianum Antiochen. apud Eusebium lib. 6. cap. 34. scribit in Ecclesia Romana fuisse suo tempore Presbyteros quadraginta sex, Diaconos septem, Subdiaconos septem, Acoluthos quadraginta duos, Exorcistas, Lectores, & Ostiarios, vniuersim quinquaginta duos.

12. Duplex ordo sacerdotum.

Nota secundò, ordinem seu gradum sacerdotum esse duplicem, sunt enim alii maiores sacerdotes, id est Episcopi: alii minores & simplices sacerdotes, qui vulgò dicuntur presbyteri. Tametsi nomen presbyteri olim, etiam in Scriptura, commune fuit Episcopis. Hæc diuisio traditur ab Anacleto, qui fuit quintus post Petrum Summus Pontifex, epist. 3. c. 1, vbi sic ait: *Sacerdotum, fratres, ordo bipartitus est: & sicut Dominus illum constituit, à nullo debet perturbari.* Et paulò post: *Episcopi*, inquit, *Domini Apostolorum, presbyteri autem septuaginta discipulorum locum tenent.* Intimuatur quo-

que hæc diuisio à Dionysio cap. 5. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, & ab aliis antiquis, necnon à Trident. sess. 23. can. 6. & 7.

13. Presbyteratus est ordo vere sacramentalis.

Notatertiò, conuenire inter omnes Catholicos quòd ordinatio Presbyterorum sit verè ac propriè sacramentum: idque vt minimum conficiunt testimonia superiori sectione allata, quæ de illa magna ex parte intelligenda sunt. De reliquis verò controuertitur. Durandus enim & Caiet. volunt nullam ordinationem inferiorem presbyteratu esse verum sacramentum. Ricardus, D. Bonauentura, Scotus, Dominic. Sotus, & quidam alii contendunt ordinationem Episcopi sacramentum non esse. Alii, vt Michael Medina, & Vasques, de maioribus quidem ordinibus concedunt esse sacramenta: de quatuor autem minoribus id negant. Alii denique, vt Valentia Bellarm. Aegid. Con. & è veteribus plurimi quos refert Vasques di p. 237. cap. 1. num. 3. volunt omnes ordines, minores æquè ac maiores, sacramentum esse.

14. Ieiunium Episcopatus.

Dico primo Episcopalem quoque ordinationem sacramentum esse, atque ita duos saltem esse ordines verè sacramentales: presbyteratum, & Episcopatum. Probatur primo ex Scripturæ testimoniis, quibus sect. præcedenti ostendimus ordinationem esse sacramentum. Nam fermè omnia loquuntur de ordinatione Episcopi: vt locus citatus ex 1. Timo h. 4. & ex 2. Timoth 1. Dixi autem, *Fermè omnia*: quia locus Act. 14. v. 22. relatus & expensus eadem sect. loquitur distinctè de presbyteris. Et quamuis ibi non fiat mentio gratiæ dubitari tamen non potest quod si impositio manuum Apostolorum ordinantium ad officia Episcopalia conferebat gratiam, quâ possent conuenienter exerceri: impositio quoque ordinatiua presbyterorum ad sacrificium Corporis & sanguinis Christi offerendum, & ad peccata remittenda, gratiam daret, cuius ope possent hæc munera excellentissima congruenter exerceri.

15. Probatur ex Patribus.

Secundò, plures è Patribus supra citatis ad probandum ordinem esse sacramentum loquuntur de Episcopali ordinatione. Et speciatim Anacletus epist. 2. cap. 1. vbi de vnctione Episcoporum sic loquitur: *Omnis sanctificatio constat in Spiritu sancto, cuius virtus inuisibilis sancto Chrismati est permixta.* Quibus verbis significat Episcopos sanctificari per vnctionem Chrismaticam, quâ consecrantur. Et S. Ambros. lib. de dignitate sacerdotali cap. 5. prope finem, sic de eadem ordinatione dixit: *Quid dat, frater, Episcopalem gratiam? Deus an homo? Responde. Sine dubio Deus. Sed tamen per hominem dat Deus. Homo imponit manus, Deus largitur gratiam.*

16. Probatur ex Trident.

Probatur tertio ex Trident sess. 23. cap. 3. vbi postquam asseruit ordinationem esse sacramentum, statim id probat ex 2. Timoth. 1. v. 6. vbi sermo est de ordinatione Timothei in Episcopum, iuxta interpretationem Chrysost. & aliorum Patrum. Can. vero 3. postquam definiuit sub anathemate sacram ordinationem esse verè & propriè sacramentum à Christo Domino institutum: addit can. 4. *Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere, Accipe Spiritum sanctum &c. anathema sit.* Atqui ex vsu Ecclesiæ in ordinatione Episcoporum proferuntur hæc eadem verba: quibus etiam non minùs significatur conferri gratiam, quàm formis aliorum sacramentorum, & specialiter formâ sacerdotii, de qua tamen nullus Catholicorum dubitat.

Probatur ratione.

Denique in eadem ordinatione confertur potestas confirmandi & ordinandi, quarum functionum cæteri potestatem nullam habent, vt affirmat Trident sess. 23. cap. 4. Hæc autem potestas est valde sacramentalis, & ad officium valde excellens, & supernaturale. Quare omnino decuit illi annecti gratiam, non minùs quam ordinationi simplicium sacerdotum, ad efficienda conuenienter ea sacramenta, quorum conficiendorum ex vi suæ ordinationis potestatem accipiunt.

17. Ordinatio Diaconi est sacramentum.

Dico secundò, ordinationem quoque Diaconi esse sacramentum. Primò quia primi Diaconi fuerunt ab Apostolis ordinati per manuum impositionem Act. 6. v. 6. At manuum impositio ordinatiua Apostolorum conferebat Spiritum sanctum. Nec obest quòd eodem cap. dicuntur fuisse electi septem illi primi Diaconi vt ministrarent mensis. Patet enim ex iis quæ subiiciuntur de Stephano, eorum munus ad alia ministeria nobiliora, & spiritalia se extendisse: propter quæ Apostolus 1. Timoth. 3. easdem fere virtutes requirit in eo qui ordinandus est Diaconus, atque in eo qui ordinandus est Episcopus. Probatur secundò, quia aliqui è Patribus supra citatis id docent. Vt Anastasius II. in epist. 2. ad Anastasium Imperat. cap. 7. vbi asserit per ordinationem sacerdotum, siue Leuitarum secundum canones factam, conferri gratiam Spiritus sancti. Nomen autem Leuitarum apud antiquos latiùs patet, quàm sacerdotum: & solet pro Diaconis accipi. Quem loquendi modum ab Ecclesia seruatum videre est in officio S. Laurentii, & in oratione quam recitat in Octaua S. Stephani. Tridentinum quoque sess. 23. can. 6. de sacramento Ordinis sic ait: *Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse Hierarchiam diuina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & ministris, anathema sit.* Nomine autem ministrorum Diaconi saltem intelligendi sunt, quidquid sit de aliis, quos Concilium Scholæ disputationi reliquerit.

18.

Probatur tertiò, quia in Diaconi ordinatione, vnà cum manuum impositione profert Episcopus hæc verba, *Accipe Spiritum sanctum.* Atqui ex Trident. sess. 23. can. 4. hæc verba non frustra dicuntur ab Episcopo, quasi per ea Spiritus sancti gratia non

verè conferatur, ſicut ipſa ſignificant. Et quidem id officio Diaconi valde conueniens eſt. Ordinatur enim ad officium valde ſacrum, & ſanctum: vt nimirum euangelizet, & ſacerdoti inter celebrandum proximè aſſiſtat, & ex commiſſione eiuſdem Euchariſtiam adminiſtret, & vbi vſus eſt, laicis calicem ſanguinis Chriſti porrigat. Accedit denique conſenſus omnium Theologorum excepto Durand. Caiet. & pauciſſimis aliis.

19. Dubitatur de Subdiaconatu.

De Subdiaconatu autem res obſcurior eſt. Quia neque Scriptura illius meminit, ſicut Diaconatus: neque vllus Patrum antiquorum ſacramentum eſſe ſignificauit: licet alioquin eius mentionem faciant Dionyſius, Clemens, Ignatius, aliique antiquiſſimi. Sed neque olim inter ſacros ordines, id eſt, habentes votum caſtitatis annexum, cõputabatur: vt ex can. *Nullius in Epiſc.* diſt. 60. probat Innocentius III. cap. *A multis*, De ætate & qualitate ordinandorum. Neque ſemper in tota Eccleſia habitus fuit neceſſarius, vt per illum ad maiores ordines, & ad ſupremum, qui eſt Epiſcopatus, aſcenderetur. Nam in Concilio Sardicenſi can. 13. ſic habetur: *Si quis voluerit fieri Epiſc. non prius conſtituatur, quàm lectoris, & diaconi & presbyteri miniſterũ peregerit: & ita per ſingulos gradus, ſi exiſtimatus fuerit dignus aſcendat ad culmen Epiſcopatus* Cuius rei exempla non pauca de S S. Chryſoſt. Euthyc. Cæſario Arelatenſi, & aliis multis ſic ordinatis, non præmiſſo ſubdiaconatu, refert Arcudius lib. 6. de Sacram. cap. 9. col. 10. & ſequentibus. Atqui ſi fuiſſet ordo à Chriſto inſtitutus, non fuiſſet omiſſus ab Eccleſia: Cùm iuxta Chriſti inſtitutionem, per ſacramentales ordines inferiores aſcendendum ſit, quaſi per gradus, ad ſuperiores. Multi quoque Theologorum ſacramentum eſſe non cenſent: vt Hugo Victor. Gratian. Magiſt. Durand. Caiet. & alii quos refert Vaſques diſp. 238. cap. 2. num. 1.

20. Affirmatur vt probabile.

Quia tamen multò pluribus, & in primis D. Thomæ in 4. diſt. 24. contrarium videtur, & argumentis iam allatis reſponderi aliquid poteſt, nolo planè recedere à D. Thoma, & cõmuniori ſententia, in re præſertim, cuius cognitio à traditione pendet, vbi Maiorum, & plurium authoritas magni facienda eſt. Quare illam ſententiam ſuæ probabilitati relinquendam eſſe cenſeo, quam etiam cum eadem modificatione probabilitatis ſequuntur ex noſtris Vaſques diſp. cit. cap. 2. num. 14. Aegid. Con. diſp. 20. dub. 6. num. 46. & Bellarmin. lib. de Ordine, cap. 7.

21. Negatur de aliis inferioribus.

De quatuor autem inferioribus ordinibus abſolutè dicendum eſſe arbitror, non eſſe ſacramenta, cum Nauarro, Mich. Medina, Caietano, Domin. Soto, Durando, Hugone Victorino, Magiſtro, & aliis quos refert & ſequitur Vaſques diſp. 237. cap. 2. num. 10. & ſequentibus. Primò quia, licet ab ipſo Eccleſiæ initio horum ordinum nomina, & vniuſcuiuſque propria miniſteria fuiſſe cognoſcantur, vt meritò ait Trident ſeſſ. 23. cap. 2. deque illis mentio crebra ſit in Patribus antiquis, quorum aliquos initio huius ſectionis retulimus: Nemo tamen illorum eſt, qui vel leuiter ſacramenta eſſe inſinuauerit. Sedè contrario non deſunt grauia teſtimonia, ex quibus conſtat tantam olim fuiſſe in his ordinibus varietatem, vt credibile ſit fuiſſe potiùs ab Eccleſia, quàm à Chriſto ipſo inſtitutos.

22. Exorciſtæ olim non fiebant per ordinationem.

Nam tempore Clementis Romani, Exorciſtæ non fiebant per ordinationem: ſed per gratiam ſanitatum, & donum miraculorum expellendi Dæmones, vt ipſe ſcribit lib. 8. Conſtit. cap. 32. idque confirmat Franciſcus Turrianus in annotationibus & explicationibus eiuſdem loci: vbi vlteriùs addit non fuiſſe factos Exorciſtas per ordinationem, niſi poſtquam donum illud miraculorum ceſſauit: tunc enim Exorciſtis miraculoſis ſucceſſerunt alii ordinatione facti. Atqui ſi ordinatio Exorciſtarum erat ſacramentum, debebat ab initio in vſu eſſe, ſicut & reliqua ſacramenta: vt præter gratiam gratis datam doni miraculorum, haberent illi exorciſtæ gratiam gratum facientem, & ſanctificantem, cum iure, & ordine ad auxilia ſpecialia, quibus rite ſuo munere fungi poſſent.

Lectores olim fiebãt de catechumenis.

Refert etiam ex Socrate Vaſques in fine capitis ſuprà citati, ſuo tempore Alexandriæ in more poſitum fuiſſe vt lectores & pſalmiſtæ indiſcrimìnatim ex Chriſtianis & catechumenis fierent: & ſubdit: *Cùm omnes Eccleſiæ iam fideles in his ordinibus habere videantur.* Quibus verbis ſignificat ſe loqui de lectoribus in ordine Eccleſiæ conſtitutis. Atqui ſi lectorum ordo, & alii minores ſacramenta eſſent, non potuiſſent conferri catechumenis: quia Baptiſmus eſt ianua, & baſis reliquorum ſacramentorum, ſine quo ipſa non poſſunt validè recipi.

23. Cantores ſiue Pſalmiſtæ.

Tertiò, ex eodem Socrate, & Iſidoro lib. 2. De officiis Eccleſiaſticis cap. 12. & Clemente Romano lib. 8. conſtitut. cap. 34. in fine, & can. Apoſtolorum 27. alias 25. credibile eſt cantores, ſiue pſalmiſtas, in ordine Eccleſiaſtico fuiſſe conſtitutos, ſicut Lectores: vt nimirum ſacerdotio deſeruirent & per hunc ordinem, ſicut per alios minores, ad ſacerdotium gradum facerent. Imò id planè colligitur ex can. Apoſt. cit. Nam cùm reliquis Clericis interdicat contrahere matrimonium: excipit cantores ſiue pſalmiſtas, & lectores, quibus hoc permittit. At non erant excipiendi, niſi fuiſſent inter Clericos, & ordines Eccleſiæ. Et tamen iſte ordo Cantorum poſt tempora Concilii Cartagin. IV. planè ſublatus eſſe videtur. Ergo non erat ordo ſacramentalis à Chriſto inſtitutus: quia Eccleſia non poteſt abrogare, neque inſtituere ſacramenta. Confirmatur, quia Ordines verè ſacramentales debent, iure ſaltem ordinario, conferri ab Epiſcopis. Atqui Pſalmiſtæ, ſeu Cantores à ſimplicibus Presbyteris conſtituebantur, vt

patet ex eodem Concilio Carthag. IV. can. 10. cuius verba sunt: *Psalmista, id est, Cantor potest absque scientia Episcopi, sola iussione Presbyteri, officium suscipere cantandi: dicente sibi presbytero: Vide ut quod ore cantas, corde credas: & quod corde credis, operibus comprobes.*

24. Præterea antiquitus erant laborantes, seu fossarii graece κοπιάντες, quos in ordine Clericorum primos, id est infimos ponit auctor epistolæ ad Rusticum Narbonensem apud Hieronymum tom. 9. Sic enim habet cap. 1. *Primus igitur in Christi Fossariorum ordo est, qui, in similitudinem Tobiæ sanctis sepelire mortuos admonetur*: eodemque inter alios ordines Clericorum propriè dictos numerant S. Ignatius in epist. ad Antiochen. & S. Epiphan. in compendiaria doctrina, quæ est post hæresin octuagesimã. Et tamen ille ordo iampridem est suppressus. Item ordines Acoluthorum, Ostiariorum, & Exorcistarum fuerunt olim non rarò prætermissi, tanquam non necessarii, vt per eos ascenderetur ad superiores: quemadmodum supra ostendimus ex can. 13. Concilii Sardicensis, & exẽplis relatis ab Arcud. loco sup. cit. Atqui si essent ex Christi institutione, non fuissent omissi. Voluit enim Christus vt per ordines inferiores à se institutos, ascenderetur quasi per gradus ad superiores.

Fossarii, seu Laborantes.

25. Hæc & alia multa, quæ ex historia Ecclesiastica circa minorum ordinum varietatem commemorari possent, satis ostendunt eorum institutionem fuisse potiùs ab Ecclesia, quàm à Christo. Vnde consequens fit, minores ordines non esse sacramenta. Nam sacramenta omnia à Christo ipso instituta sunt, doctore Trident. sess. 7. can. 1. *de Sacram. in genere*: neque in ea mutanda potestatem habet Ecclesia, nisi quoad cerimonias & accidentia quædam, salua eorum substantiâ, vt docet idem Concilium sess. 21. cap. 2. multóque minùs in ea abroganda, sicut Ecclesia abrogauit ordines cantorum & fossariorum, aut iampridem omisit conferre, & omittere perseuerat, quod moraliter æquiualet abrogationi. Perinde enim est Ecclesiam nunquam vti ampliùs aliquâ cerimoniâ, & eam abrogare. Nam perpetua desuetudo abrogatio quædam est. Et est contra naturam & institutionem sacramentorum nouæ legis, vt non permaneant vsque ad mundi consummationem, id est, non frequententur, & celebrentur quandiu durabit Ecclesia Euangelica, quæ vsque ad mundi finem duratura est.

SECTIO III.

Refutantur contrariæ sententiæ: ostenditurque Episcopatum esse ordinem distinctum à sacerdotio.

26. CONtra doctrinam præcedentem obiiciuntur multa, quæ ad duo capita reuocari possunt. Primum eorum est, quibus contenditur omnes ordines, etiam minores, sacramenta esse. Secundum eorum, quibus contenditur neque Episcopalem ordinationem, neque vllam aliam præter presbyteralem, esse sacramentum. *Duæ sententiæ obiectæ.*

Primi generis argumenta duo præcipua sunt. Vnum est, quia Caius Pontifex vigesimus nonus à Petro, in epist. ad Fœlicem Episcopum, dicit in omnibus eiusmodi ordinibus, etiam minoribus, consecrari ordinatos. Alterum est, quia Trident. sess. 23. cap. 2. & 3. & Florent. in Decreto 5. *Sextum sacramentum*, cùm definiunt ordinationem esse sacramentum, enumerant maiores ordines, & minores: quâ enumeratione significare videtur id, quod de ordinatione definiunt, de illis omnibus intelligendum esse. Patres quoque antiqui, Cyprian. Hieron. August. & alii, quando absolutè docent ordinem esse sacramentum, nullum videntur excipere, neque hos magis quàm illos significant sacramentum esse.

27. Ad primum Respondeo non omnem consecrationem esse sacramentum. Nam Reges etiam, & Abbates, & Virgines, & vestes, & templa ipsa, & vasa, consecrantur; quorum tamen omnium consecratio sacramentum non est. Ad secundum Respondeo Florentinum, & Tridentinum loqui indefinitè, quando dicunt ordinem aut ordinationem esse sacramentum. Quo pacto sæpius ordinationem sumi à Tridentino patet ex can. 4. & 5. sess. 23. Eodemque modo loquuntur interdum Sancti Patres: qui tamen non rarò de Episcopatu, Sacerdotio, & Diaconatu disertè affirmant esse sacramenta, locis suprà relatis: de minoribus nunquam. Vnde patet falsum esse quod in vltima parte obiectionis additur, Patres non magis significasse hos aut illos ordines sacramentum esse. *Soluuntur argumenta primæ.*

28. Secundi generis argumenta hæc præcipua sunt. Primò, si non sola sacerdotis ordinatio est sacramentum: ergo plura sunt sacramenta ordinis: atque ita non sunt tantùm septem nouæ legis sacramenta, contra definitionem Tridentini, sess. 7. can. 1. *de Sacram. in genere*, & Florentini, in Decreto Eugenii, 5. *Nouæ legis septem sunt sacramenta.* Secundò, si Episcopi ordinatio est sacramentum: ergo iure diuino differt à simplici sacerdotio: & Episcopi iure diuino, nempe ratione suæ ordinationis à Christo institutæ, sunt constituti in gradu & ordine superiore presbyteris. Consequens autem non est verum, vt patet ex Hieron. in cap. 1. epist. ad Titum, circa illa verba, *Et constituas per ciuitates presbyteros*: & Augustino epist. 19 ad Hieron. c. 4. in fine, satis apertè significantibus Episcoparum à presbyterio non distingui nisi secundum gradum quendam honoris constitutum ab hominibus: quod etiam docent Anselmus, & Sedulius in eundem locum Pauli, & Ambrosius in caput 4. epist. ad Ephes. circa illa verba, *Argumenta secundæ sententiæ.*

Digitized by Google

Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, &c. In Scriptura quoque presbyteri paſſim & indifferenter vocantur Epiſcopi: vt 1. Timoth. 3. & 4. & Tit. 1. & Philip. 1. vbi Paulus verſu 1. ſalutat omnes ſanctos qui erant Philippis, cum Epiſcopis, & Diaconis. At non omiſiſſet presbyteros, niſi eos Epiſcoporum nomine comprehendiſſet: & in illa vrbe non erant plures Epiſcopi, ſeu primi prælati. Similiterque Act. 20. v. 27. presbyteri Epheſi vocãtur à Paulo Epiſcopi: *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos poſuit Spiritus ſanctus Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.*

29. Præcipuè cõtra Epiſcopatum.

Tertiò, Florentinum in Decreto, §. *Sextum ſacramentum*, de ſingulis ordinibus agens, deque eorum materia & forma, non meminit Epiſcopatus, de quo tamen, ſi erat ordo diſtinctus, meminiſſe præcipuè debebat, vt de omnium ſupremo & nobiliſſimo. Adde quòd iam erunt octo ordines, & non ſeptem dumtaxat iuxta communem loquendi & ſentiendi modum, ſi ſacerdotio, & aliis ſex, Epiſcopatus vt diſtinctus addatur. Quartò, omnis ordo qui eſt ſacramentum, imprimit characterem. At Epiſcopi ordinatio non imprimit characterem: ergo &c. Minor probatur quia ſi Epiſcopi ordinatio imprimeret characterem, haberet effectum etiam in eo, qui nondum eſſet ſacerdos: quod eſt falſum. Deinde character Epiſcopalis eſſet ſuperior ſacerdotali, & illum includeret: ideóque poſito charactere Epiſcopali, non eſſet opus ſacerdotali ad conſecrandum corpus Chriſti.

30. Et contra reliquos ordines.

Quintò denique quidquid de epiſcopatu ſentiendum ſit: S. Anaclet. epiſt. 3. cap. 2. in fine docet Diaconatum, & reliquos ordines inferiores, non fuiſſe à Chriſto inſtitutos: & conſequenter non eſſe ſacramenta. Sic enim ait, de epiſcopatu & ſacerdotio loquens: *Amplius quam iſti duo ordines ſacerdotum nec nobis à Deo collati ſunt, nec Apoſtoli docuerunt.* Vrbanus verò II. in decreto quod refertur cap. *Nullus in Epiſcopum*, diſt. 60. excludit apertè ſubdiaconatum, cùm definit nullum ad epiſcopatum aſſumendum eſſe, niſi fuerit Presbyter, aut Diaconus: quia illi ſoli ſunt in ſacris ordinibus conſtituti. *Hos ſi quidem ſolos primitiua legitur habuiſſe Eccleſia.*

31. Sintne plura ſacramẽta Ordinis.

Ad primum Reſpondeo cum Dominico Soto in 4. diſt. 24. quæſt. 1. art. 3. Maiore ibidem qnæſt. 1. §. 3. Almaino quæſt. vnica art. 3. Vaſq. diſp. 238. cap. 3. num. 26. Bellarm. lib. de Ordine cap. 8. in fine, & Aegid. Con. diſp. 20. dub. 6. num. 51. Sacramentum ordinis eſſe vnum, non ſpecie atoma, ſed ſubalterna & generica: vel eſſe vnum totale conſtitutum ex multis partialibus coordinatis. Diuiditur enim in plures ſpecies, quæ vnum totale ſacramentum ordinis coordinatione quadam conſtituunt, quatenus pertinent ad conſtituendum perfectum Eccleſiæ Miniſtrum. Quemadmodum multi habitus partiales, propter quandam coordinationem, & habitudinem ad vnum obiectum totale, conſtituunt vnum totalem ſcientiam. Quod autem dicitur ſeptem tantùm eſſe ſacramenta, non eſt intelligendum de ſpecie infima: ſed vel infima, vel ſubalterna: eâdê ratione, quâ dicuntur quatuor eſſe virtutes cardinales, quæ ſub ſe plures diuerſas ſpecies continent.

32. Epiſcopatus eſt maior ſacerdotio iure diuino.

Ad ſecundum Reſpondeo primò, poſt Tridentinum dubitari non poſſe quin Epiſcopatus iure diuino ſit maior ſimplici ſacerdotio. Nã Trident. ſeſſ 23. can. 6. ſic ait: *Si quis dixerit in Eccleſia catholica non eſſe Hierarchiam diuinâ ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, presbyteris, & miniſtris, anathema ſit.* Et can. 7. immediatè poſt: *Si quis dixerit Epiſcopos non eſſe presbyteris ſuperiores* (ex diuina ſcilicet ordinatione hierarchica, de qua ſuperiori canone) *vel non habere poteſtatem confirmandi, & ordinandi: vel eam, quam habent, illis eſſe cum presbyteris communem* &c. *anathema ſit.* Idemque fuſiùs docet cap. 4. vbi ordinationem Epiſcoporum diſtinguit ab ordinatione ſimplicium ſacerdotum: aſſeritque Epiſcopos ad ordinem hierarchicum diuinitus inſtitutum præcipuè pertinere, & in locum Apoſtolorum ſucceſſiſſe, & poſitos eſſe à Spiritu ſancto regere Eccleſiam Dei, atque presbyteris eſſe ſuperiores.

33. Probatur ex Patribus.

Eandemque diſtinctionem inter Epiſcopum & ſimplicem ſacerdotem tradunt Clemens Rom. in can. Apoſt. 1. & 2. Ignatius in epiſt. ad Philadelphios, Dionyſ. cap. 5. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, Anaclet. epiſt. 8. cap. 1. vbi ſic ait: *Sacerdotum ordo bipartitus eſt* (in Epiſcopos & presbyteros) *& ſic eum Dominus illum conſtituit, à nullo debet perturbari.* Et infra: *Epiſcopi, Domini Apoſtolorum, presbyteri quoque ſeptuaginta diſcipulorum locum tenent.* Quod iiidem fere verbis dicunt Damaſus Papa epiſt. 5. Hieronym. epiſt. 54. ad Marcellam de erroribus Montani, & Auguſt. in pſalm. 44. circa illa verba, *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii*. Item Epiſcopos tenere in Eccleſia Chriſti eundem locum, quem in ſynagoga tenebat ordo ſummorũ ſacerdotum, nempe Aaronis & ſucceſſorum: presbyteros verò tenere eundem, quem tunc tenebant filii Aaronis viuente patre, id eſt, minores ſacerdotes: ac demum Diaconos tenere locum Leuitarum, docent SS. Patres Hieronym. epiſt. 85. ad Euagrium in fine, Leo epiſt. 88. ad Epiſcopos Germaniæ & Galliæ, & Concilium Hiſpalenſe II. can. 7. Atqui tres illi ordines erant alii aliis ſuperiores in ſynagoga, ipſo iure diuino, & diſtincti conſecratione, officiis, veſtibus, ex diuina inſtitutione, vt patet ex cap. 18. & 40. Exodi, cap. 8. Leuit. & cap. 20. & 34. Numeror. Ergo ſimiliter diſtinguuntur in Eccleſia Epiſcopi, presbyteri, & Diaconi, iuxta mentem illorum Patrum: atque ita ex Chriſti ipſius ordinatione Epiſcopi ſunt ſuperiores Presbyteris, vt Presbyteri Diaconis.

Rurſus,

Rurſus ſancti Patres affirmant ita ad Epiſcopos pertinere conferre ordines, vt ſimplices ſacerdotes id neque licitè, neque valide poſſint: eſſeque reordinandos eos, qui ab aliis, quàm ab Epiſcopis ordinati fuerint. Quod ſignum eſt, poteſtatem ordinis non eſſe datam iure diuino aliis, quàm Epiſcopis. Alioquin Preſbyteri peccarent quidem ſi vellent ordines conferre: ſed tamen validè ordinarent. Quia poteſtas à Chriſto data non poteſt auferri per Eccleſiam, neque impediri, ne valide operetur: vt patet de poteſtate baptizandi verbi gratia, & conſecrandi corpus & ſanguinem Chriſti, quæ manet, & operatur valide in ſacerdotibus licet excommunicatis, interdictis, degradatis. Sic Chryſoſtomus homil. 11. in epiſt. 1. ad Timotheum, Damaſus epiſt. 5. de Chorepiſcopis, Hieron. epiſt. 85. ad Euagrium. Et Epiphan. hæreſi 75. affirmant poteſtatem ordinandi Epiſcoporum eſſe propriam. Verba Chryſoſtomi hom. cit. ipſo initio hæc ſunt: *Quæcunque Epiſcopis Apoſtolus dixit, ea etiam Preſbyteris congruunt: ſola quippe Ordination ſuperiores illi ſunt.* Et Hieron. loco cit. *Quid facit Epiſcopus, excepta ordinatione, quod Presbyter non faciat?* Vbi ſermo eſt de differentia inducta iure diuino: nam iure eccleſiaſtico in multis aliis differre, & multa alia facere Epiſcopos, quæ Presbyteri facere nequeunt, notum erat Chryſoſtomo, & Hieronymo. Vel etiam loquitur Hieronymus *δυνατῶς*, id eſt, in ſenſu potentiali, cum ait, *quod non faciat*, id eſt, quod non poſſit facere: quia cætera munia epiſcopalia poſſunt illi communicari.

35. Hæreſis Aerii.

Ad hæc, Epiphanius loco ſuprà citato, & Auguſtinus hæreſi 53. referunt, Aerium damnatum fuiſſe, velut hæreticum, quòd presbyteros æquaret Epiſcopis. Et ſpeciatim in eo, quòd diceret presbyteros poſſe ordinare. Quæ, inquit Epiphanius, eſt manifeſta inſania. Cùm presbyteri dent Eccleſiæ tantùm filios, cùm baptizant; ſed Epiſcopi dant Eccleſiæ patres, quia ſacerdotes ordinant. *Prior ordo*, inquit, Epiſcoporum ſcilicet, *vim habet gignendi patres Eccleſiæ: poſterior*, nempe presbyterorum, *non patres, ſed filios tantùmper baptiſmum generare poteſt.* Ibidemque cum emphaſi interrogationis ſic affirmat: *Quinam fieri poteſt vt presbyter ordinaret presbyterum?* Præterea Concilium Antiochenum canone nono, & decimo: Ancyranum canone decimo tertio: Leo Papa epiſtola octuageſimâ octaua, affirmant ſolius Epiſcopi eſſe ordinare presbyteros, & diaconos. Et Gregorius III. in epiſtola poſtrema ad Bonifacium decernit, eſſe iterum ordinandos eos, qui non fuerunt ordinati ab Epiſcopis. At quiſi fuiſſent validè ab aliis ordinati, non deberent, neque poſſent reordinari. Et Athanaſius in ſecunda Apologia, Synoduſque Alexandrina ab Athanaſio ibidem relata probat Colluthum, qui cùm eſſet ſimplex ſacerdos, ſe Epiſcopum eſſe ſimulabat, non valide ordinaſſe, neque eſſe verè, presbyteros, ſed purè laicos quotquot ab illo fuerant ordinati. Quia nemo poteſt validè ordinare, niſi verus Epiſcopus. *Hic eſt*, inquit, *ille tortes tumoribus factitius Iſchyras: qui neque ab Eccleſia electus presbyter: neque cum a Melitio conſtitutos presbyteros Alexander in Eccleſiam recipiebat: in eorum numero vnquam habitus fuit. Ita nec illinc quidem conſtitutus eſt. Vnde igitur presbyter eſt Iſchyras? aut à quonam ordinatus? Verum a Colutho hoc. Hoc enim reſtat. Atqui Colluthum in presbyteratu mortuum eſſe, & omnem ab illo factam manuum impoſitionem irritam, omniſque quos in ſchiſmate ordinauerat ille, ad ſanctorum gradum reuocatos, & inter laicos in Eccleſia congregari notum eſt, nec vlo omnino dubium. Quinam ergo priuatus homo, & priuatam domunculam incolens, myſtitum creabitur habere poculum?*

Damaſus quoque epiſtola 5. ſuprà citata dicit, benedictionem, quam dabant quidam non veri Epiſcopi per manus impoſitionem, magis vulnus inferre, quàm ſalutem. *Nam*, inquit, *illi qui Pontificatus apicem non habebant, quomodo ea, quæ non habebant, dare poterant? Cum Pontifices non erant, ea quæ ſolis Pontificibus debentur dare non poterant.* Similia dicit Innocentius I. epiſtola 22. capite 3. Denique eandem differentiam & inæqualitatem inter Epiſcopos, & presbyteros indicat Paulus 1. Timoth. 5. vbi ſignificat, Timotheum Epiſcopum fuiſſe iudicem presbyterorum, ac proinde illis ſuperiorem, cùm ſic ait: *Aduerſus presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus.* Et canones 1. & 2. Apoſtolorum, quibus ſtatuitur, vt Epiſcopus à duobus, vel tribus Epiſcopis ordinetur; presbyter autem ab vno Epiſcopo, & diaconus, & reliqui clerici. 36.

Ad teſtimonia ſanctorum Hieronymi, & Auguſtini citata in contrarium, fuſiùs alibi reſpondebimus diſput. 68. ſect. 3. Nunc breuiter dico, Hieronymum loqui de differentia inter Epiſcopum, & Presbyterum, non quoad ordinem, quo ſuperiorem eſſe Epiſcopum manifeſtè alibi tradit, vt ſuprà oſtendimus num. 32. & 33. ſed quoad iuriſdictionem, & regimen Eccleſiæ, propter quod maximè honorari ſolent, quodque ille cenſet priùs ad commune conſilium, ſeu collegium Epiſcopi, & presbyterorum pertinuiſſe. Poſtea verò, vt vitarentur ſchiſmata, fuiſſe commiſſum Epiſcopis, qui plenam & independentem à presbyteris iuriſdictionem haberent. Quæ verò ex Paulo obiiciuntur, non aliud probant, niſi quod vltrò fatemur, quodque iampridem aduertit D. Chryſoſt. hom. 1. in epiſt. ad Philipp. fuiſſe tunc temporis nomen Epiſcopi commune presbyteris, & Epiſcopis: ſicut, & nomen diaconi commune fuit aliis miniſtris inferioribus. Omnes enim ordines comprehendit Apoſtolus his verbis initio epiſtolæ citatæ, *Paulus, & Timotheus ſeruus Ieſu Chriſti omnibus* 37. Explicantur loca Hieronymi & Auguſt.

Sanctis qui sunt Philippis (id est omnibus Christianis) *cum Episcopis, & Diaconibus*, id est, cum sacerdotibus cuiuscunq; gradus, & reliquis ministris: sic enim per compendium omnes ordinũ gradus complecti voluit. Quo etiam sensu D. August. loco relato in obiectione dicit se differre ab Hieron. illoque superiorẽ esse secundũ vocabula, & rem videlicet significatã nominibus Episcopi, & presbyteri, quam vocabulorũ differentiam vsus iam obtinuit, cùm olim indifferenter pro eodem vsurparẽtur. Anselmus deniq; & Sedul. explicandi sunt, vt Hieron. cuius ferè verba repetũt. Et Ambrof. seu quis alius auctor illius comment. significat tantùm morem olim fuisse, vt primus ordine antiquitatis, sine alia electione (sed non sine consecratione) succederet Episcopo defuncto: sicut nunc Cardinales presbyteri succedunt Cardinalibus Episcopis: postea verò, ne indigni succederent, placuisse digniorem eligi.

38. Ad tertium argumentum propositum num. 29. Respondeo primò, Concilium Florent. non suscepisse definiendum, aut numerandũ quot sint ordines sacramentales: sed tantùm declarare, Ordinem esse vnum ex septem sacramentis nouæ legis, eiusque materiam & formam generaliter tradere, subiectis aliquot exemplis, vt in textu videre est. Tridentinum verò Episcopalis ordinis, tanquam à Christo instituti expressè meminit sess. 23. cap. 4. & can. 6. & 7. Respondeo 2. non esse propterea recedendum à communi modo loquendi, & numerandi septem ordines. Nam Presbyterium & Episcopatus comprehendũtur sub vno ordine sacerdotali, qui in duos subdiuiditur iuxta Anacletum, & alios antiquos suprà citatos.

Soluitur obiectio ex Florent. & Trident.

39. Ad quartũ Respõdeo, in ordinatione Episcopi imprimi characterem: neq; tamen fore propterea vt effectũ sortiretur in eo qui non esset Sacerdos; neque potestatem illi conferret ad consecrandum corpus & sanguinem Christi. Sicut enim reliqua sacramenta præsupponunt Baptismum, sine quo validè conferri nequeunt: ita probabilius est, iuxta cõmunem Theologorum sensum, characterem episcopalem præsupponere sacerdotalem, & sine illo præsuppositio conferri non posse. Quamuis autem character episcopalis sit superior sacerdotali: non propterea debet illum includere, aut illius vim habere. Neque enim semper vnum disparatorum, quamuis nobilius, includit aliud, aut vim illius habet. Vt calor est nobilior humiditate, quam tamẽ non includit, nec illius vim habet. Quin etiã character non est potestas, vt alibi ostendimus: sed nota quædam indelebilis & insigne alicuius status per sacramẽtum collati. Sicq; character episcopalis est dumtaxat insigne ordinis episcopalis: & status illius peculiaris, eminentis supra statũ simplicium sacerdotũ.

Episcopatus supponit sacerdotium.

40. Ad quintum Respondeo, Anacletum non dicere nõ fuisse institutos à Christo nisi duos ordines absolutè: sed, non nisi duos ordines sacerdotum, Episcoporum scilicet & presbyterorum: præter quos duos nulli sunt alii sacerdotes à Christo instituti. Vrbanus verò per ordines sacros, intelligit eos qui habent votum castitatis annexum: qualis non erat subdiaconatus in Ecclesia primitiua. Tunc enim erat inter minores ordines, vt antea notauimus. In eo tamen non contigit ea varietas quæ in aliis minoribus, quos idcirco sacramẽtales esse absolutè negauimus. Vt in ordine Exorcistæ, qui olim non fiebat per ordinationẽ: & Lectoris, qui Alexandriæ dabatur etiam catechumenis: & Acoluthi, qui aliquandiu in Ecclesia ordo non fuit, sed ad Lectorem pertinebat eius officium: & Ostiarii, cuius officium initio pertinebat ad Subdiaconos, vt etiam nunc in oriente fit. De quibus plura videri possunt apud Turrianum in lib. 8. Constitut. cap. 26. Vasq. disp. 237. cap. 2. & Arcudium lib. 6. de Sacram. cap. 9. Quod autem ait Trident. sess. 23. cap. 2. *Ab ipso Ecclesiæ initio horum ordinum nomina, & vnuscuiusq; propria ministeria fuisse cognoscuntur*: debet intelligi de initio moraliter, non autem mathematicè & præcisè sumpto.

Subdiaconatus olim non erat inter sacros ordines.

SECTIO IV.

Quæ sit ordinum singulorum materia, & forma?

41. HAc in re magna varietas est inter Latinam & Græcam Ecclesiam, vt videre est apud Petrum Arcud. lib. 6. de Sacram. cap. 2. & seqq. vbi de his fusè & accuratè disputat: & Cardin. Delug. disp. 2. de Sacrament. sect. 5. à num. 85. vbi breuiùs quidem, sed clariùs & subtiliùs difficultatem expedit.

Quomodo ordinetur Episcopus in ecclesia Latina.

Ac primò, in Ecclesia Latina ordinatur Episcopus duplici cerimonia. Nimirum per impositionem manuum ordinantis supra caput ordinandi, cum prolatione horum verborum, *Accipe Spiritum sanctum*: & per capitis vnctionem chrismaticam, cum prolatione istorum, *Vngatur & consecretur caput tuum cœlesti benedictione in ordine episcopali, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Vtramque autem cerimoniam substantialem esse, & essentialem sacramento probari potest, quia Paulus 1. Timoth. 4. & 2. Timoth. 1. tribuit illi manuum impositioni efficaciam gratiæ quod autem in sacramento est signum gratiæ effectiuum, est sine dubio substantiale sacramento, & non mera cerimonia accidentalis. Tridentinum quoque sess. 23. can. 4. definit verba illa, *Accipe Spiritum sanctum*, non frustra proferri ab Episcopis ordinantibus, sed per illa verè dari Spiritum sanctum. Ac denique Anacletus Papa epistola secunda, tribuit vim sanctificandi vnctioni chrismaticæ, cùm sic ait de vnctione Episcoporum: *Omnis sanctificatio constat in Spiritu sancto, cuius virtus inuisibilis sancto chrismati est permixta*. Eademque optimè significatur verbis vnctioni additis loco formæ, *Vngatur, & consecretur caput tuum cœlesti*

benedictione, &c.

42. Quomodo ecclesia Græca.

At verò in Ecclesia Græca consecratio Episcopi fit per cerimoniam impositionis manuum cum pallio Episcopi ordinantis, & prolationem horum verborum, *Divina gratia, quæ semper infirma sanat, & imperfecta perficit, promouet N. Deo amabilissimum presbyterum in Episcopum à Deo custoditæ ciuitatis N. Oremus igitur pro ipso, vt veniat super eum gratia sanctissimi spiritus.* Tum his dictis, Pontifex aperit librum Euangeliorum, & imponit capiti ac cerui ci illius qui ordinatur in Episcopum, simul vnà tangentibus aliis quoque Pontificibus. Deinde facta trina cruce in capite illius, impositaque manu, recitat longam precationem, quam integram refert Arcudius lib. cit. cap. 2. col. 16. & 17. Capitis autem vnctio chrismatica prorsus a Græcis omittitur in Episcopi ordinatione. Ac nunquam fuisse in vsu apud Græcos probat idem auctor cap. 4. col. 15. authoritate Dionysii Areopagitæ. Concilium quoque Carthagin. IV. can. 2. qui refertur de Consecrat. dist. 25. can. *Episcopus cum ordinatur*, non meminit cerimoniæ vnctionis in ordinatione episcopali. Propter quod Arcudius cap. 4. initio, putat Ecclesiam Africanam ordinasse Episcopos per solam manuum impositionem; æquè ac Græcam Ecclesiam: & cum ea conuenisse in eo quòd ordines hierarchicos, id est Episcopatum, presbyteratum, & Diaconatum, sola manuum impositione tradiderit.

43. Ordinatio sacerdotis in ecclesia Latina.

Secundò, in Ecclesia Latina ordinatur Sacerdos duplici cerimonia. Quarum prima est impositio manuum Episcopi ordinantis, quam post vnctionem manuum ordinandi, sequitur porrectio instrumentorum, id est, patenæ cum hostia superposita, & calicis cum vino; cum hac verborum forma: *Accipe potestatem offerendi sacrificium*, &c. Quâ cerimonia traditur illi potestas consecrandi corpus & sanguinẽ Christi: vt patet tum ex ipsis verbis: tum etiam quia paulò post vnà cũ Episcopo consecrat: tum demum quia Trid. sess. 22. can. 2. definit, Christum verbis illis, *Hoc facite in meam commemorationem*, cõstituisse Apostolos Sacerdotes. Quorum verborum loco in sacerdotis ordinatione, porrũtur hæc, *Accipe potestatem offerendi sacrificium*, &c. Posterior est impositio manuum, quæ postea fit à solo Episcopo, cum prolatione horum verborum, *Accipe spiritum sanctũ, quorũ remiseris peccata remittũtur eis*, &c. Per quę verba verè accipit Spiritum sanctum, & potestatem remittendi peccata, vt patet ex ipsa proprietate verborum, & ex Trid. sess. 23. cap 3. & can. 4. Nam priore loco impositio manuum tribuit sanctificationem, iuxta Pauli verba quę citat ex 2. Timoth. 1. Posteriori verò affirmat per sacram ordinationem verè dari Spiritum sanctum, ac proinde Episcopos non dicere frustra *Accipe Spiritum sanctum*: & sess. 14. cap. 1. post medium definit per illa verba Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata*, &c. datam fuisse Apostolis, & eorum legitimis successoribus, potestatem remittendi peccata. Idemque repetit can. 4.

44. Eadem ordinatio in ecclesia Græca.

At verò in Ecclesia Græca Episcopus tantùm manus imponit cum pallio ei qui in Sacerdotem ordinatur, cum hac verborum forma: *Diuina gratia, quæ semper infirma sanat, & quæ desunt supplet, promouet N. venerabilẽ Diaconum in Presbyterum. Oremus igitur pro eo, vt veniat super ipsum gratia sanctissimi spiritus.* Tum signans eum ter Pontifex, & manum habens impositam, recitat super eum longâ oratione, quam integram refert Arcudius lib. 6 cap. 2. col. 11. & 12. Qui modus ordinandi differt à Latino tripliciter. Primò, quia non fit per porrectionem instrumentorum, neque per eadem verba, quibus vtitur Latina Ecclesia ex parte formæ. Secundò, quia non diuiditur à Græcis ordinatio Sacerdotis in duas partiales, aliquo temporis interuallo discretas: quarum vnâ detur potestas in corpus Christi verum, ad illud consecrandum, & offerendum in sacrificium: alterâ detur potestas in corpus mysticũ, id est, potestas absoluendi fideles à peccatis. Tertiò, omittitur à Græcis vnctio manuum, vt testatur Arcudius lib. 6. cap. 4. col. 15. & ante illum notauerat Francisc. Turrian. in lib. 8. Const. cap. 4. annot. 4. vbi ait Græcos hodie Chrisma sensibile ad ordinationem Presbyterorum & Episcoporũ non adhibere: sed cùm Presbyter ordinatur, tradit ei Episcopus in manus sacram Eucharistiam, inquiens Græcè, Accipe hoc depositum, & custodi ipsum vsque ad aduentum Domini, quando reposcet illud à te. Is verò qui ordinatus est, tenens eam manibus ante altare, capite super manus inclinato, precationem prosę & pro ordinatore, ac pro omnibus clericis & laicis viuis, & defunctis facit. Et hic ritus tenendi sine Christũ manibus est in Ecclesia orientali, ei qui ordinatur, verum chrisma: & iam olim fuisse testatur Simeon Episcopus Thessalonic. lib. 8. de Mysteriis, vbi de illa cerimonia loquens sic ait: ὁ καταχίζων τοῦτο χρῖσμα ἐπὶ τὸν χειροτονούμενον, καὶ τῷ χρίσματι, καὶ τῇ χειρὶ. Eandem vnctionem prætermissam fuisse in ordinatione S. Danielis Stylitę ostat ex Metaphraste in eius vita cap. 25. qui liber extat apud Surium tomo 6. Imò Russi Pontifices tradũt tantummodo panem non consecratum, quę ordinatus consecrat postea cum Episcopo.

Græci tradunt Eucharistiam loco chrismatis.

45. Diaconi ordinatio in Latina Ecclesia.

In Latina Ecclesia ordinatur Diaconus duplici cerimonia. Quarum prior est impositio manuum Episcopi cum hac verborum forma, *Accipe Spiritum sanctum ad robur, & ad resistendum Diabolo, & tentationibus eius.* Posterior est traditio libri Euangeliorum; cum prolatione horum verborum, *Accipe potestatem legendi Euangelium in Ecclesia Dei*, &c. Porro vtramque hanc cerimoniam pertinere ad ordinationem Diaconi, patet de secunda quidem ex Florent. in Decreto Eugenii, §. *Sextum sacramentum*. De prima verò ex Actor. 7. vbi Apostoli septem primos Diaconos manus impositione ordinauerunt

& ex eo quòd Trid. ſeſſ. 23. can. 4. definit hæc verba, *Accipe ſpiritum ſanctum*, non fruſtra proferri ab Epiſcopis ordinantibus. Probatur ſecundò ex Dionyſ. cap. 5. Eccleſiaſt. hierach. vbi perſpicuè docet, Epiſcopum, Sacerdotem, & Diaconũ conſecrari per manus impoſitionem. Quod de ſacerdote confirmat Conciliũ Carthagin. IV. can. 2. relato in Iure canonico, cap. *Presbyter*, diſt. 23. & Gregorius IX. cap. 3. de Sacram. non iterandis, qui affirmat per huiuſmodi manuũ impoſitionem conferri ordinem presbyteratus. Idemque de diaconatu docet Conciliũ Carthag. IV. can. 4. vbi ait Epiſcopum, dum ordinat diaconum, manum ſuper caput illius ponere. Quódque non loquatur de cerimonia merè accidẽtali, ſed de illa per quam diaconus verè ordinatur, patet ex can. 5. vbi dicit, ſubdiacono, dum ordinatur, ideo dari patenam vacuã, & calicem vacuum ab Epiſcopo; quia non accipit manus impoſitionem vt diaconus. Vbi dum aſſignat differentiam inter ordinationem diaconi, & ſubdiaconi, ſignificat eodem modo, ſubſtantiali ſcilicet, ordinari diaconum per impoſitionem manuum, ſicut ordinatur ſubdiaconus per traditionem calicis, & patenæ. Quod tamen non eſt ita intelligendum, quaſi diaconus non etiam ordinetur per traditionem Euangelii. Hoc enim repugnaret Florent. loco ſuprà cit.

Et quatuor minorum Ord.

46. Eiuſdem ordinatio in Græca Eccleſia.

At verò in Eccleſia græca Diaconus ordinatur per manus impoſitionem, & hæc verba: *Diuina gratia quæ ſemper infirma curat, & imperfecta perficit, promouet N. reuerendum ſubdiaconum in diaconum. Oremus igitur pro ipſo, vt veniat ſuper ipſum gratia ſanctiſſimi ſpiritus.* Quo dicto ſignat ter eius caput Epiſcopus, & impoſita manu, ſic precatur: *Domine Deus noſter qui præcognitione tua iis præbes auxilium tui ſancti ſpiritus, qui à tua ineffabili potentia ſunt deſtinati vt fiant miniſtri, & inſeruire debeant immaculatis tuis myſteriis*, & cætera quæ refert Arcudius lib. 6. cap. 2. col. 7. Deinde orationibus peractis, exhibitoque oſculo pacis, porrigit illi Pontifex ſacrum flabellum, dicens, *Dignus*: & ſalutant eum omnes diaconi: Ipſe verò accepto flabello, ſtat à latere altaris à parte dextra, aërem ciens ſuper ſancta myſteria. Quod eſt vnum ex officiis Diaconi in Eccleſia Græca, ad quod ſtatim exercendum accipit flabellum, non autem vt per eius traditionem ordinetur: quippe qui iam ante ordinatus eſt, & ab aliis Diaconis ſalutatus velut in ſuum cœtum admiſſus.

47. Subdiaconi ordinatio in Eccleſia Latina.

Quartò, in Eccleſia Latina, propria materia ordinationis Subdiaconi eſt traditio calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſita. Et ſimiliter in aliis inferioribus ordinibus propria cuiuſque materia, eſt id, per cuius traditionem tanquam ad ſuum miniſterium pertinentis confertur. Forma verò ſunt verba illa, quibus poteſtas & miniſterium cuique tradita ſignificantur: vt ait Florent. in Decreto Eugenij §. *Sextum ſacramentum*. Quid autem vnicuique & quibus verbis tradatur, videri poteſt apud Pontificale Romanum, & Vaſquem diſp. 237. cap. 3. n. 30. & diſp. 238. cap. 5. Nimirum Oſtiariis traduntur claues Eccleſiæ ab Epiſcopo, cum hac verborum formula: *Sic agite, quaſi Deo reddituri rationem pro iis rebus, quæ his clauibus recluduntur.* Reliqua, quæ fiunt ab Archidiacono ducente illos ad fores Eccleſiæ, & campanarum funes tradente, non ſunt materia, quia non traduntur ab Epiſcopo: ſed exercitium quoddam muneris dati Oſtiario. Lectoribus autem traditur liber lectionum, quem *Lectionarium* vocant, ſub hac forma verborum: *Accipite, & eſtote verbi Dei relatores; habituri, ſi fideliter, & vtiliter impleueritis officium veſtrum, partem cum bis, qui verbum Dei bene miniſtrauerunt ab initio.* Exorciſtis datur liber, in quo exorcismi continentur, cum his verbis: *Accipite, & commendate memoriæ, & habete poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos, ſiue baptizatos, ſiue catechumenos.* Acoluthis deniq; datur primò candelabrum cum cereo extincto, ſub hac verborum forma: *Accipite ceroferarium cum cereo, vt ſciatis vos ad accendenda Eccleſiæ lumina mancipatos in nomine Domini*: & poſtea vrceolus, cum his verbis: *Accipite vrceolum ad ſuggerendum vinum, & aquam in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti Domini.* In cuius veriuſque rei traditione, & duabus verborum formulis ſupra dictis, tota, & integra Acoluthi ordinatio conſiſtit.

48. Quomodo iidem ordines dicantur à Græcis.

At verò in Eccleſia Græca Subdiaconatus, & alii Ordines inferiores, quos tamen iam Græci non diſtinguunt, vt Latini: nec alium dant diſtinctè à maioribus, quàm Ordinem Lectoris: ſed officium Exorciſtæ exercetur apud illos à ſacerdotibus: Acoluthi, à Subdiacono, vel à Lectore: Ianitoris, à Subdiacono: vt videre eſt apud Arcudium lib. 6. de Sacram. cap. 9. initio: Ordines, inquam, Subdiaconi, & Lectoris, quos iam ſolos retinet Eccleſia Græca præter alios Maiores ſupra expoſitos, traduntur per manus impoſitionem Epiſcopi, cum aliqua oratione vocali, quâ Epiſcopus illis precatur gratiã, & virtutem tali Ordini, & miniſterio cõuenientes: vt videre eſt apud eundem Arcudium cap. 2. lib. cit. columna 2. 3. & 4. Peracta verò oratione, & ordinatione, tradit Epiſcopus Lectori librum, quo continentur Acta, & Epiſtolæ Apoſtolorum; & ipſe ſtatim incipit legere: pauciſque lectis, accipit à Põtifice pacem, id eſt, finita lectione Pontifex ei dicit, *Pax tibi.* Subdiacono autem iam ordinato imponit Pontifex mantile ſuper ſiniſtrum eius humerum. Simulque præbet illi vas ad infundendam aquam pro lotione manuum. Ille autem vas accipiens, deoſculatur manum ipſius, & aquam infundit ad manus Pontificis. Vbi vides, vt ſuprà diximus de Diacono, dari Lectori, & Subdiacono inſtrumenta eorum Ordini conuenientia, non vt per illa ordinentur, ſed vt ſtatim poſt ordinationem incipiant ſuum officium exercere.

Eſt autem certum validas eſſe tales Græ- 49.

Digitized by Google

Græcorum ord nationes sunt valide.

corum ordinationes. Primò, quia fiunt non modò à Schismaticis; sed etiam ab iis, qui ad vnionem cum Latina Ecclesia accesserunt. Idque etiam Romæ in propria Ecclesia, sciente, & tacitè saltem approbante Summo Pontifice, qui non posset tantum sacrilegium, tamque perniciosum fidelibus, tolerare, aut dissimulare. Secundo, quia ordinati modo supra dicto à Græcis, non reordinantur à Latina Ecclesia, quando ad eam conuertuntur. Ergo pro certo habet fuisse validè ordinatos. Tertiò, quia in Concilio Florentino coacto ex Graca & Latina Ecclesia, Latini hac de re nullum dubium Græcis mouerunt: sed illos pro veris Episcopis & sacerdotibus habuerunt, è quibus etiam Bessarion Nicænus Episcopus in Cardinalem S. R. E. ab Eugenio promotus fuit. Quartò, quia hoc expresè asseritur in cap. te *Quæ translationem*, extra, De temporibus ordinationum.

50. Quomodo seruentur essentialia in vtraque Ecclesia.

50. His præsuppositis, difficultas est quomodo in vtraque Ecclesia seruentur ea, quæ sunt essentialia sacramento ordinis ex parte materiæ & formæ, secundum Christi institutionem? & quomodo tanta diuersitas sit solummodo accidentaria?

Respondent aliqui, inter quos est Arcudius lib. 6. cap. septimo, materiam essentialem huius sacramenti à Christo institutam, esse manus impositionem, quæ ab vtraque Ecclesia tam Latina, quàm Græca adhibetur. Nam porrectio instrumentorum, quâ vtitur Latina Ecclesia in ordinibus conferendis, est quædam manus impositio. Formam verò esse verba, quibus significatur potestas, quæ traditur per sacram ordinationem: quæ verba Christus in specie non determinauit, sed determinationem Ecclesiæ faciendam reliquit, saluo tamen essentiali, nempe vt significetur potestas per ordinem tradita.

51. Impugnatur prima sententia.

51. Sed contra: primò, Gregorius IX. in cap. *Presbyter*, De sacramentis non iterandis, expresè affirmat manus impositionem, quâ Sacerdotes ordinantur, esse ritum introductum ab Apostolis. Ergo non est à Christo institutus, & determinatus tanquam essentialis sacramento. Neque valet quod aliqui respondent, ritum illum dici fuisse ab Apostolis introductum, non quia ipsi illum instituerint: sed quia primi illum in vsum induxerint. Enim verò si ita esset, posset similiter dici, ritum consecrandi Eucharistiam, absoluendi à peccatis, baptizandi, & confirmandi, esse ab Apostolis introductum: quia similiter per illos primos fuit inductus in vsum post Christi institutionem.

52. Secundò, idem Pontifex capite citato respondet, si Presbyter aut Diaconus cum ordinatur, non acceperit manus impositionem, non esse aliquatenus iterandum, sed statuto tempore ad huiusmodi ordines conferendos, cautè supplendum, quod per errorem extitit prætermissum. Atqui si manus impositio esset materia essentialis à Christo determinata, sacramentum nullum esset, neque sufficeret formam solum, vel alias cerimonias post longum tempus adhibere. Loquitur autem ibi Pontifex de prima impositione manuum, quæ fit ante porrectionem patenæ & calicis, cum hostia & vino: vt patet ex his eius verbis immediatè sequentibus: *Suspensio autem manuum debet fieri, cum oratio super caput effunditur ordinandi.* Funditur autem oratio in priori illa impositione manuum, quæ fit ante porrectionem instrumentorum: non autem in posteriori, quæ fit in fine Missæ cum his verbis, *Accipe potestatem remittendi peccata*, &c. vt patet ex Pontificali. Similiter modo loquitur de Subdiacono Innocentius III. cap. *Pastoralis*, eodem titulo. Sed quod addit ibidem, non esse quoque iterandum sacramentum confirmationis datum sine chrismate, obscuriorem reddit vtrumque textum, minusque efficacem ad probandum quod intenditur: vt patet ex dictis disp. 27. sect. 3. num. 28. quem consule.

53. Tertiò, valdè improprie dicitur, quòd porrectio instrumentorum sit quædam impositio manuum. Neque enim quando quippiam alteri tradimus, putà, panem, pecuniam, aut claues, dicimur illi manus in ponere. Deinde Gregorius IX. cap. *Presbyter*, cit. manifestè distinguit porrectionem instrumentorum ab impositione manuum prætermissa, quam ait supplendam esse. Et clariùs Concilium Carthaginen. IV. can. 5. vbi affirmat Subdiacono, cum ordinatur, ideo dari patenam vacuam, & calicem, quia non accipit manus impositionem, vt Diaconus. Vlteriùs sancti Patres, & Concilia dicunt expresè ordinem dari per manus impositionem supra caput ordinandi. At porrectio instrumentorum non est impositio manus super caput ordinandi. Antecedens patet ex Concilio Carthagin. IV. can. 3. Clemente Rom. lib. 8. Constitut. cap. 24. Dionysio cap. 5. de Eccles. Hierarch. parte 2. Damaso epist. 4. Innocent. 1. epist. 22. cap. 3. & August. lib. 5. de Bapt. contra Donat. cap. 20. quorum verba relata vide apud Cardinalem Delugo disp. 2. de Sacram. in genere, sect. 5. num. 93.

SECTIO V.

Vera sententia, & solutio obiectionum.

54. Christus non determinauit specie materiam & formam sacramenti Ordinis.

54. HAc ergo responsione reiecta, dico cum authore proximè citato num. 86. & 98. Christum non determinasse in specie materiam & formam huius sacramenti: sed genericè tantùm instituisse, vt loco materiæ adhiberetur signum aliquod sensibile, significatiuum potestatis quæ traditur: & loco formæ adhiberentur

verba eandem poteſtatem ſufficienter exprimentia. Hoc autem reperitur in vtraque eccleſia. Quare vtraque ſeruat omnia eſſentialia à Chriſto inſtituta. Determinatio verò iſtius ſigni ſenſibilis, & materialis, ad manus impoſitionem, facta eſt ab Apoſtolis: vt indicat Gregorius IX. cap. *Presbyter*, ſuprà relato: patetque eos ſic ordinaſſe Diaconos Actor. 6. & Presbyteros Act. 14. v. 22. iuxta vim textus græci, & Epiſcopos 1. Timoth. 4. & 2. Timoth. 1. quem ritum græca Eccleſia huc vſque ſeruauit, atque etiam latina in iis ordinibus qui certò ſacramentales ſunt, nempe in Epiſcopatu, Presbyteratu, & Diaconatu: de aliis enim incertum eſt, aut potiùs falſum, quòd ſint ſacramentales, & à Chriſto ipſo inſtituti. Sed impoſitioni manuum adiunxit porrectionem inſtrumentorum, ad maiorem expreſſionem poteſtatis per ordinem collatæ: ita tamen vt in rigore alterutra ſufficiat ad valorem ſacramenti. Nam quòd ſufficiat impoſitiò manuum ſine porrectione inſtrumentorum, patet ex ritu Græcorum. Quòd item ſufficiat porrectio inſtrumentorum, ſine manuum impoſitione, ſignificare videtur Gregorius IX. cap. *Presbyter*, ſæpius citato. Et probatur efficaciter contra eos qui tenent, Subdiaconatum, & quatuor minores eſſe ſacramenta. Nam conferuntur per porrectionem inſtrumẽtorum ſine manuum impoſitione. Ex parte verò formæ, liquet vtramque Eccleſiam adhibere verba ſufficienter exprimentia poteſtatem quæ confertur per ordinem. Quare vtraque Eccleſia ſeruat eſſentialia ſacramenti, & tantùm differt penes accidentalem determinationem ſigni ſenſibilis, & verborum. Item Chriſtus non determinauit an vnicâ cerimoniâ, vel multiplici, Epiſcopatus conferri deberet, vel Presbyteratus, aut Diaconatus, vt in Eccleſia latina confertur duplici, vnicâ verò in Eccleſia græca: ſed liberum Eccleſiæ reliquit, vel vnâ cerimoniâ, vel diuerſis ſignificare omnem poteſtatem, quæ ab vnoquoque illorum ordinum confertur.

55. Obiicies primò, Si ſufficit impoſitio manuum: ergo Diaconus ordinatur hoc ipſo, quòd imponuntur illi manus ab Epiſcopo, cum his verbis, *Accipe Spiritum ſanctum ad robur, & ad reſiſtendum Diabolo, & tentatio ibus eius.* Conſequens eſt contra Florentinum in Decreto, §. *ſextum ſacramentum*, vbi ait, Diaconum ordinari per traditionem libri Euangeliorum.

Obiectio prima.

Reſpondeo negando ſequelam: quia nondum ex parte formæ ſatis exprimitur poteſtas data Diacono, donec in porrectione libri ei dicatur, *Accipe poteſtatem legendi Euangelium.* Verba enim illa, Accipe Spiritum ſanctum, ſunt nimis generalia, & confuſa.

56. Inſtabis, quia ex Tridentino ſeſſione 23. canone 4. hæc verba *Accipe Spiritum ſanctum*, non fruſtra proferuntur ab Epiſcopo ordinante, ſed nimirum efficiunt id quod ſignificant. Ergo conferunt gratiam ex opere operato: ac proinde Diaconus per illa ſanctificatur, & ordinatur.

Reſpõdeo verba illa conferre gratiam non ſola, neque eodem inſtanti quo proferuntur, ſed paulò poſt, additis aliis magis determinantibus, & ſufficienter exprimentibus poteſtatem Diacono collatam. Et quidem, iuxta communem ſententiam, verba illa non conferunt gratiam eo inſtanti, quo ſuper omnes Diaconos ordinatos ſimul pronunciat Epiſcopus, *Accipite Spiritum ſanctum*, &c. Sed poſtea, quando tangunt librum Euangeliorum. Tangunt autem ſucceſſiuè alii poſt alios, non ſine aliqua mora temporis, ſed quæ non impedit moralem coniunctionem & continuationem verborum cum contactu. Quia tamen ille contactus, & porrectio inſtrumentorum in rei veritate non eſt ſimpliciter neceſſarius; ſi cum manuum impoſitione proferrentur verba ſufficienter exprimentia poteſtatem Diacono collatam, vt in Eccleſia græca fit, & vt fecerunt Apoſtoli quando ordinabant ſola manuum impoſitione; Diaconus tunc perfectè ordinaretur, & ſanctificaretur. Enimuero antequam liber Euangeliorum ſcriberetur, ſeptem primi Diaconi, & alii deinceps non fuerunt per illius traditionem ordinati. Scribit etiam Durandus in 4. diſt. 24. quæſt. 3. in Eccleſia Anicienſi, cuius erat Epiſcopus, nunquam ad ſua vſque tempora fuiſſe datum librum Euangeliorum in ordinatione Diaconi ſecundum antiquum Pontificale illius Eccleſiæ; ſed Diaconos ibi fuiſſe per manus impoſitionem ordinatos.

57. Obiicies ſecundò, Si prima impoſitio manuum quæ fit in Presbyteri ordinatione ante porrectionem patenæ, & calicis cum pane & vino, eſſet materia ſacramenti; deberet ſimul cum illa adhiberi forma, vt fieri commodè poteſt, & fit in aliis ſacramentis.

Secunda obiectio.

Reſpondeo, non debere propterea ſimul mathematicè adhiberi, ſed ſimul moraliter, id eſt, ſine nimis magna interruptione, & cum morali quadam continuatione: ſicut reipſa fit. Nam poſt illam impoſitionem manuum, vnguntur manus ordinandi, & poſtea reliqua pars materiæ, id eſt, porrectio adhibetur ſimul cum forma, *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium*, &c. Sic in Baptiſmo, & Confirmatione poteſt aliquantulum præcedere materia, & ſubſequi forma: multóque magis in ſacramento Pœnitentiæ, & Matrimonii, iuxta ea quæ diximus diſputatione 19. ſect. 2. in fine.

58. Obiicies tertiò, Concilium Florent. ex vtraque Eccleſia Græca, & Latina coactum, damnaſſe tacitè ritum ordinandi Græcorum, cùm definiuit materiam Ordinis *Eſſe id, per cuius traditionem confertur ordo: ſicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem* &c. Formam verò ſa-

Tertia oppoſitio.

Digitized by Google

cerdotii talem esse, *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Eccl. sia pro vivis & mortuis, in nomine Patris, & Filii, & spiritus sancti.* Vbi nota Græcos huic definitioni non reclamasse, atque ita tacitè saltem consensisse.

Respondeo cum Arcudio lib. 6. cap. 5. initio, Græcos non interfuisse, quando in fine Concilii factum est illud Decretum Eugenii pro instructione, & vnione Armenorum, qui per suos legatos se Romanæ Ecclesiæ tunc adiunxerunt. Quare Eugenius Pontifex, & Concilium per illud decretum nihil definiuit contra Græcos, neque illos corrigere, aut docere intendit: sed tantùm instituere Armenos de modo celebrandi sacramenta iuxta ritum in Ecclesia Romana vsitatum, quem ibi describit. Hoc patet ex ipsiusmet Decreti verbis, præsertim initio, & ex actis Concilii, quæ habentur tom. 4. Conciliorũ veteris editionis. Non potuerunt ergo, neque debuerunt Græci reclamare huic decreto, cùm neque illi conficiendo adessent, neque per illud peterentur: sed tantùm docerentur Armeni ritum, quo vtitur Ecclesia Romana in sacramentorum administratione.

59. Contractus sitne essentialis?

Notandum autem contra eos, qui putant contactum instrumentorum, quæ porriguntur ab Episcopo, esse essentialem sacramento, Concilium Florentinum non dicere materiam esse contactum instrumentorum, sed porrectionem, vel traditionem, quæ potest fieri sine contactu, ex parte ordinandi. Cùmque Episcopi Græci valide ordinent sine illa, imò & sine porrectione instrumentorum: certum esse debet non esse de essentia sacramenti. In praxi tamen omitti non debet à Latinis, quia præscribitur in Pontificali Romano illis, qui ritu Latino ordinantur.

60. Contra tria sententia.

Contra hoc tamen opponit 4. Caiet. tom. 1. opusculorum tract. 26. pro certo habendum esse, quòd cõtactus corporalis sit necessarius in sacramento Ordinis: non solùm quia necessarius est in cæteris sacramentis, in quibus adhibetur extranea materia (Baptismus enim sine contactu aquæ, Confirmatio sine contactu manuum, vel chrismatis, & Extrema vnctio sine contactu olei non fit &c.) verùm etiam quia propria ratio formæ sacramenti Ordinis hoc exigit, vt docet S. Thom. in 4. dist. 24. q. 1. art. 1. quæstiuncula vlt. ad 3. Oportet siquidem verba, in quibus consistit forma Ordinis ita verificari, vt actus significati impleantur: alioquin inefficacia, vanaque sunt. Sed in verbis formæ præcipitur actus susceptionis corporalis: ergo oportet impleri tale præceptum per corporalem acceptionem. Probatur minor: quia cùm dicitur *Accipe*, aut imperatur solus actus interior, aut cum exteriori acceptione. Non interior solus: quia de interioribus solis non iudicat Ecclesia. Ergo iunctus exteriori acceptioni. Hæc ille: quæ si quid momenti habent, probant contactum essentialiter necessarium esse: vtpote sine quo forma non verificatur: neque magis Ordo sine illa validus est, quam Baptismus sine ablutione, vel Confirmatio, & Extrema vnctio sine physica applicatione chrismatis, & olei.

Ad quæ Respondeo 1. eundem Caiet. in Summa v. *Orainanai*, re meliùs considerata, contrarium sensisse, cùm dixit seruandum esse ritum Pontificalium: & quia Pontificalia non omnia concordant ad inuicem, nullum antiquum Pontificale vsu receptum, cuiuscunque Ecclesiæ, damnandum esse. Ac propterea non esse iterandum, aut supplendum alicubi, quod fortè secundum aliud Pontificale iterandum, aut supplendum esset. *Et de horum numero*, inquit, *videtur esse contactus materiæ: vbi diuersa Pontificalia antiqua, & in vsu, diuersa ordinant. Propter quod in Concilio Florentino sub Eugenio IV. cùm traditur materia Ordinis, nunquam fit mentio de tactu ipsius, sed solùm de actu tenente se ex parte ministri: scilicet porrectione, traditione, & assignatione.* Idem cum Caiet. senserunt Albert. in 4. dist. 24. art. 38. ad 2. Victoria in Summa num. 230. Armilla v. *Ordo*, num. 4. Henriq. lib. 10. cap. 10. num. 1. Vasques disp. 246. in 3. partem, num. 19. & 20. Reginald. lib. 30. tract. 1. num. 8. & seqq. Layman lib. 5. tract. 9. cap. 5. n. 4. Diana parte 2. tract. 4. de Sacram. resolut. 185. & plures alii, quos isti citant. In eandemque valde propendet Domin. Sot. in 4. dist. 24. q. 1. art. 2. §. *Vnum hic subnitur dubium*: Licet D. Thomas, S. Antonin. Palud. Siluest. & alii contrarium senserint, relatiã Vasque disp. cit. num. 61.

61. Soluitur quarta opinio.

Respondeo 2. manifestum esse discrimen inter sacramentum Ordinis; & sacramenta Baptismi, Confirmationis, & Extremæ vnctionis. Nam in istis ablutio, & vnctio est materia proxima, & essentialis, diserte significata per verba formæ: ablutio autem, & vnctio non fiunt sine contactu materiæ. Secus verò est in sacramento Ordinis, cuius materia proxima non est cõtactus materiæ, sed signum aliquod sensibile significatiuum potestatis, quæ traditur: siue illud sit impositio manuum, siue porrectio instrumentorum, aut quid aliud ab Ecclesia determinatum: vt diximus num 54. probauimusque ex diuerso ritu Orientalis, & Occidentalis Ecclesiæ. Siue autem adhibeatur impositio manuum, siue porrectio instrumentorum, contactus non est de illarum ratione. Neque enim necessarium est tangi, aut tangere illum, cui manus imponuntur: neque vt porrigantur alicui, vel tradantur instrumenta, necessarium est ab illo tangi: quia potest aliquid exhiberi, & dominium alicuius rei potest alteri dari, sine ipsius contactu, sola oblatione, vel designatione sensibili. Neque plus exigunt verba formæ, quæ non aliud significant, quàm traditionem alicuius potestatis. Hæc autem potest sufficienter tradi absque contactu instru-

mentorum, vel alterius signi: imò & sine consensu recipientis, vt patet in infantibus, quos validè ordinari posse ostendemus sequenti disp. num. 4. & sequentibus. Quare non est verum quod dicitur in obiectione, per verba præcipi actum susceptionis corporalis instrumentorum. Nam in nulla ordinatione verba formæ faciunt mentionem acceptionis instrumentorum, præterquam in forma Acoluthi, cùm dicitur *Accipe ceroferarium* &c. Sed illius ordinatio non est verum sacramentum, vt probauimus sect. 2. In aliis dicitur, *Accipe Spiritum sanctum*, vel, *Accipe potestatem* &c. Quæ potestas, eiusque traditio designatur quidem sensibiliter per instrumenta, vel per manuum impositionem, sed verbum *Accipe*, ad illa non dirigitur.

65. Addo, quamuis verba formæ significarent acceptionem instrumentorum, & verbum *Accipe*, ad illa referretur: tamen vt verificaretur, non foret necessaria corporalis acceptio instrumentorum: sed eorum exhibitio, & traditio ab ordinante facta sufficeret. Quia vt aliquid tradatur, siue donetur alteri, & ab eo accipiatur, acceptetur que donatio: non debet necessariò ab illo manu apprehendi; & si acceptio corporalis necessaria foret ad veritatem verborum formæ: non sufficeret ea solum tangere, vt fit in Latina Ecclesia: nam qui in sacerdotes ordinantur, manibus lintcolo inuolutis, ea dumtaxat digitis tangunt: tangere autem non est accipere corporaliter, ad quod vlterius requiritur stringere quod accipitur: estque manifestum non omnem, qui tangit, accipere. Quare si argumentum Caietani valeret, probaret ne quidem in ordinatione Latinæ Ecclesiæ verificari verba formæ.

64. Quinta obiectio. Opponit 5. idem auctor loco cit. Cùm sacramenta consistant in rebus, & verbis sensibilibus, oportere denunciationes, iussiones que sacramentales ad sensum impleri. Quare sicut quando in forma Eucharistiæ dicitur, *Hoc est corpus meum*, oportet fieri demonstrationem non ad intellectum tantùm, sed ad sensum: ita quando in forma Ordinis dicitur, *Accipe*, oportet fieri iussionem ad sensum. Et sicut ibi oportet demonstrare contentum sub his sensibilibus speciebus panis: ita debet hîc imperari acceptio sensibilis, quæ contactu corporali perficitur. Et hæc ratio, inquit, non solum infert oportere corporalem susceptionem interuenire in illis traditionibus, quibus imperatur explicitè acceptio alicuius rei corporalis, putà, cùm dicitur, *Accipe librum, vel claues* &c. Sed etiam cùm dicitur *Accipe potestatem*, vel, *Accipe Spiritum sanctũ*. Idem enim est vtrobique imperatum: quia quando imperatur acceptio corporalis, imperatur reuera acceptio potestatis spiritualis, pro qua acceptio corporalis fit, vt eam sensibiliter repræsentet.

65. Respondeo, acceptionem potestatis spiritualis, quæ imperatur per verba formæ, fieri sensibiliter eo ipso quòd fit per materiam sensibilem coram exhibitam, & per verba sensibilia, quibus significatur traditio potestatis facta subiecto capaci, & non repugnanti, atque etiam sensibiliter accipianti, & consentienti, si vsum rationis habeat. Quod totum fieri potest sine corporali acceptione instrumentorum. Et quidem verba formæ, quibus dicitur, *Accipe potestatem* &c. cum signo materiali simul exhibito, porrectione videlicet instrumentorum, vel impositione manuum, non minùs demonstrant ad sensum acceptionem illius potestatis à subiecto capaci, & non repugnante, vel etiam positiuè, & sensibiliter consentiente: quàm verba illa, *Hoc est corpus meum*, prolata super materiam præsentem, & capacem consecrationis, demonstrant sensibiliter corpus Christi sub speciebus: sunt enim vtraque æquè practica, & effectiua eius quod significant.

66. Soluitur sexta oppositio. Opponit 6. ad valorem sacramenti non minùs oportere impleri id quod fit in sacramento, quàm id quod dicitur. Sed in sacramento Ordinis, si fit traditio calicis actiuè, & non accipitur, constat quòd non impletur id quod fit. Nulla enim actio impletur sine passione. Respondeo, maiorem esse veram de eo quod fit, aut dicitur, tanquam essentiale sacramento. Deinde ad minorem dico traditionem alicuius rei impleri sufficienter per hoc, quòd res transit in dominium alterius, quamuis non corporaliter ab illo accipiatur: vt patet in rerum plurimarum traditionibus, seu donationibus, ad quarum valorem non requiritur solemnitas acceptionis, siue apprehensionis corporalis. Contra quod frustra obiiciunt aliqui recentiores: Si contactus non requiritur necessariò ad valorem sacramenti Ordinis, sed sufficit porrectio, aut traditio instrumentorum: ex eo sequi non modò contactum physicum non esse necessarium, sed neque moralem: quia traditio, & acceptio fieri potest sine contactu physico, vel morali, vt constat in matrimonio contracto inter absentes, & in donationibus quæ fiunt per testamenta, aliosue contractus. Hoc autem est absurdum, & à nemine asseritur. Sequeretur etiam posse quempiam ordinari per procuratorem, sicut per eum potest accipere sibi vxorem. Quod non minùs absurdum est. Et denique sequeretur formam non verè proferri, quâ dicitur, *Accipe hoc, aut illud*: quia si non tanguntur instrumenta, quæ porriguntur, non possunt verè dici accipi sensibiliter, & physicè, quo sensu verba formæ debent intelligi: sicut ista, Ego te baptizo, Signo te signo crucis, & confirmo chrismate salutis, Per istam sanctam vnctionem &c. intelliguntur de ablutione, consignatione, vnctione sensibili, & physica.

67. Soluuntur aliæ instantiæ. Ad primum enim Respondeo, si per contactum moralem intelligatur realis exhibitio signi sensibilis habentis se per modum materiæ, facta coram ordinando, licet non

tangente, vt reipsa intelligunt aduersarii: sequelam non bene inferri. Quamuis enim ad quamcunque traditionem, & donationem, non requiratur exhibitio rei donatæ coram facta: tamen in omnibus sacramentis, excepto matrimonio, requiritur præsentia sensibilis materiæ, & formæ sacramenti, & subiecti, cui confertur: & in quibusdam traditionibus seu donationibus requiritur ad valorem solemnitas aliqua iure positiuo, quæ ex sola rei natura non foret necessaria. Quid autem in quolibet sacramento requiratur iuxta Christi institutionem, ex vsu, & sensu Ecclesiæ iudicandum est: quæ, vt suprà diximus, non requirit contactum veluti necessarium simpliciter, vt patet ex ordinatione Græcorum: requirit tamen præsentiam sensibilem inter ordinantem, & ordinatum, & inter signa sensibilia, quæ adhibentur vt materia, vel forma sacramenti. Ex quo etiam liquet male deduci sequelam secundi argumenti. Ad tertium verò, constat ex dictis formam sacramenti Ordinis non significare corporalem, & sensibilem acceptionem instrumentorum, sed acceptionem potestatis significatæ sensibiliter per instrumenta, & per verba formæ.

68. Notãda de contactu.

Cæterum, plerique illorum qui volunt, contactum materiæ necessariò requiri ad valorem sacramenti Ordinis, dicunt non esse necessarium tangere proximè singula, quæ pro materia offeruntur: sed sufficere quòd in sacerdotis ordinatione v. gr. tangatur calix suppositus patenæ: neque magis necessarium esse tangi hostiam ipsam patenæ superpositam, quàm vinum in calice contentum, quod certè nullus ordinandorum tangit. Atque hanc sententiam non aliquorum tantùm, sed omnium aduersariorum communem esse affirmat Vasq. disp. 246. in 3. partem, num. 19. Quod propter nonnullos scrupulosiores notare obiter hoc loco volui.

SECTIO VI.

De effectibus sacramenti Ordinis.

69. 1. Effectus, character.

Effectus ordinationis sacramentalis triplex est: character videlicet, & potestas sacrum aliquod ministerium exercendi in ecclesia, & gratia sanctificans in ordine ad auxilia ministerio rectè exercendo conuenientia. Prima pars conclusionis de charactere est Tridentini sess. 23. cap. 4. & Florentini in decreto Eugenii §. *Hæc omnia sacramenta*, vbi docet Baptismum, Confirmationem, & Ordinem imprimere characterem, id est, spiritale quoddam *signum* indelebile: vnde in eadem persona non reiterantur.

70. 2. Potestas ordinis.

Secunda pars de potestate, liquet tum ex fine ordinationis, tum ex forma verborum, quibus conferri solet. Nam Episcopus vi suæ ordinationis, qua constituitur in supremo gradu Ecclesiasticæ Hierarchiæ ad ducendum, & regendum, & in quadam sacræ potestatis perfectione, cui gradui conuenit signare milites, & munire, atque alios duces creare: quorum prius fit per potestatem confirmandi, posteriùs verò, per potestatem ordinandi: Episcopus, inquam, vi suæ ordinationis veramque illam potestatem accipit ordini suo supremo conuenientem: vt docet Tridentinum sess. 23. can. 7. Sacerdos verò accipit potestatem consecrandi corpus Christi, & remittendi peccata: vt significat forma verborum quibus ordinatur. Diaconus, potestatem legendi Euangelium, aliisque in rebus ministrandi primò & proximè sacerdoti.

Tertia denique pars de gratia sanctificante, est Tridentini sess. 7. can. 6. de Sacram. in genere, & sess. 23. cap. 3. & Florentini in Decreto §. *Sextum sacramentum*: vbi in fine dicit effectum huius sacramenti esse augmentum gratiæ, vt quis sit idoneus minister. Dicit autem *augmentum gratiæ*, non quòd primam aliquando non conferat bona fide recipientibus in statu peccati mortalis: sed quia per se, & ex primaria intentione Christi instituentis, prærequirit gratiam in recipiente, cùm sit de numero illorum, quæ sacramenta viuorum appellantur. 71. 3. Gratia sanctificãs.

Circa primam partem conclusionis dubitari potest, an quæuis ordinatio sacramentalis imprimat characterem distinctum: & speciatim num ordinatio Episcopalis imprimat characterẽ distinctũ à sacerdotali? Respondeo affirmatiuè. Tametsi, sicut ex omnibus ordinationibus sacramentalibus existit vnum sacramentum vnitate quadam coordinationis, quatenus omnes referuntur ad constituendum vnum perfectum Ecclesiæ ministrum, siue quatenus ad vnum statum perfectæ consecrationis aliquo modo pertinent, & ad vnam totalem hierarchiam Ecclesiasticam: sic ex omnibus characteribus partialibus existit vnus totalis coordinatione simili, quâ referuntur ad designandum vnum perfectum Ecclesiæ ministrum. Tendunt etiam omnes ordines aliquo modo ad sacrificium Eucharisticum, vt significat Trident. sess. 23. cap. 1. & 2. & de sacerdotio ac reliquis inferioribus pulchrè ostendit Dominicus Sot. in 4. dist. 24. quæst. 1. art. 3. §. *Legitima ergo ratio*: atque inde etiam participant aliquid vnitatis. Quanquam non eò tendunt dumtaxat vt ad finem adæquatum & totalem. Nam potestas confirmandi v. gr. quam vi suæ ordinationis habet Episcopus, non tendit solùm, neque immediatè ad Eucharistiam sed, ad constanter retinendam tuendamque fidem: & vis remittendi peccata per sacramentum Pœnitentiæ, vel Extremæ vnctionis, tendit ad sanctificationem pœnitentis: & alia alios habent fines: & vniuersaliùs omnia tendunt ad hominum salutem, & Dei gloriã. 72. Quilibet ordo sacer. imprimit suum charactẽrem.

Digitized by Google

73. Contrarium sentit Valqu. disp. 240.cap. 5. num. 54. vbi docet characteri sacerdotali per ordinationem Episcopalem nihil accedere nisi relationem destinationis diuinæ, quâ destinatur ad aliud officium. Eodemque modo disp. 239.cap. 6. num. 57. philosophatur de charactere sacerdotali, quatenus respicit duplicem potestatem, & duplicem partialem ordinationem sacerdotis. Vult enim totum illum characterem integrè imprimi in priori ordinatione, posteaque per relationem quandam extendi. Sotus quoque in 4. dist. 24. quæst. 2. art. 3. affirmat per ordinationem Episcopi nullum imprimi characterem, sed characterem sacerdotalem extendi ad actum confirmandi, & ad actum ordinandi. Similique modo loquuntur quidam alii. Sed parum cohærenter. Nam si Diaconatus, & Subdiaconatus imprimunt proprium characterem ab aliis distinctum, vt ipsimet affirmant: nulla est ratio cur noua & maior illa potestas Episcopo data ad confirmandum & ordinandum, non insigniatur, & distinguatur à cæteris proprio aliquo charactere. Ac si character est dispositio, vt Vasques putat, quâ subiectum bene se habeat: certè non minùs talis aliqua dispositio Episcopatui necessaria, vel conueniens est, vt secundum statum suum bene se habeat: quàm Diaconatui, & Subdiaconatui ratione sui gradus.

Refutantur contrariæ sententiæ.

74. Deterius autem est quod ait Sotus, characterem sacerdotalem esse physicam potestatem & vim ad operandum, quæ per ordinationem Episcopalem extendatur, nullo tamen augmento superaddito. Etenim vis ad operandum non potest extendi manens eadem, quæ priùs fuerit determinata ad vnum actum, & deinde ad plures valeat. Quod æquè verum est de vi morali ac de physica. Quamuis enim vna potestas possit adiũgi alteri: aut loco vnius altera amplior possit substitui: fieri tamen nequit, vt potestas per se determinata ad vnũ, extendatur sine vllo additamẽto, vt sit similiter potestas ad plura. Et si, vt verior opinio fert, character non est potestas, sed tantùm signũ indelebile impressũ animę: nihilo magis fieri potest, vt extendatur secundum significationem, posito quòd sit signum essentialiter secundum entitatem physicã. Nam essentiæ rerũ mutari non possunt. Neq; etiam posito quòd character sit signum tantùm ex impositione quæ semel à Deo facta sit. Quandocunque enim imprimetur character, habebit talem significationem: & non debebit extendi, neque poterit sine noua impositione.

75. Neque meliùs censent qui dicunt characterem sacerdotalem extendi per aliquid realiter additum in ordinatione Episcopali, quod tamen non sit nouus character, sed eundem numero cum priore constituat. Nam istud additum cùm differat specie, non potest constituere eundem numero characterem. Differre autem specie probatur, quia si character est potestas ipsa collata per Ordinem: manifestum est potestatem collatam per Ordinationem Episcopalem esse specie diuersam ab ea, quæ confertur in ordinatione sacerdotali. Habent enim obiecta adæquata essentialiter diuersa: cùm illa sit ad confirmandum, & ordinandum: ista ad conficrandum corpus, & sanguinem Christi, & ad peccata remittenda in sacramento pœnitentiæ. Vel si, iuxta probabiliorem sententiam, character est signum naturale potestatis collatæ: cùm habeat significatum essentialiter diuersum, debet habere pariter naturam diuersam, & determinatam essentialiter ad talem significationem. Cúmque vel sit noua potestas, vel nouum signum præcedenti superueniens: debet non minùs esse, & dici character, quàm præcedens.

76. Rectiùs ergo sentiunt, qui cum Bellarm. lib. 1. de Ordine cap. 5. dicunt characterem sacerdotalem augeri physicè, addito partiali altero charactere, Episcopatus proprio, quando sacerdos in Episcopum ordinatur. Quod etiam docent de sacerdote ipso ratione duarum partialium ordinationum, quibus accipit separatim potestatem consecrandi, & remittendi peccata. Cui duplici potestati duplicem gratiam cuique peculiarem adiunctam esse arbitror: ita vt duplici ordinatione partiali, quâ in Latina Ecclesia datur separatim duplex illa potestas, tribuatur quoque separatim duplex gratia, respondens illi duplici potestati, & ad illam exercendam adiuuans. Quod de reliquis ordinibus affererem, si pariter in illis diuersæ potestates ordinis tribuerentur separatim per diuersas ordinationes partiales. At ita fieri non constat, neque apparet.

Duplex character sacerdotalis.

77. Neque absurdum est duplicem illam gratiam, quæ successiuè datur in Latina Ecclesia per duplicem ordinationem partialem, dari simul in Ecclesia Græca per vnicam ordinationem, quâ simul vtraque potestas, & integer ordo sacerdotalis confertur. Sicut non est absurdum dicere gratiam duplicem, quæ per modum cibi & potus datur successiuè, quando sacerdos sumit separatim species, corpus & sanguinem Christi continentes, dari simul sivtramq; speciem simul sumeret.

Duplex ordinatio partialis dat duplicẽ gratiam.

Non est quoque absurdum quòd character sacerdotalis integer non sit simplex, sed compositus ex duobus partialibus: sicut eius potestas ordinis duplex est, & per duplicem ordinationem sacramentalem dari potest, vt fit in Latina Ecclesia. In Græca verò datur vterq; simul character partialis: sicut & duplex gratia, & duplex potestas quam significat.

Character sacerdotalis non est simplex.

78. Circa secundam partem conclusionis considerandum est potestates, quæ conferuntur per ordinationem, alias esse iuris tantùm, & alias facti. Nam potestates quæ dantur per ordinationes inferiores sacerdotio, sunt potestates iuris tantùm, hoc est, ad

Potestas collata per Ord. vna est iuris, altera facti.

faciendum licitè: non autem facti, hoc est, ad faciendum validè, quasi reipsa sine illis non possit quispiam Euangelium recitare, & sacerdoti ministrare cum pompa & celebritate speciali, aut sacra vasa attrectare &c. Potestas verò consecrandi corpus & sanguinem Christi, & remittendi peccata per sacramentum poenitentiæ, & Extremæ vnctionis, quæ potestas confertur per sacerdotalem ordinationem; nec non potestas confirmandi, & ordinandi, quæ datur per Episcopalem; sunt potestates facti, & non tantùm iuris: quia sine illis fieri nequit, id quod per illas potest effici validè. Omnibus autem commune illud est, quòd sint potestates ordinis, non autem iurisdictionis; non subiectæ restrictioni, delegationi, amissioni: neque determinatæ ad certa loca, vel ad certas personas. Nã potestates ordinum sunt perpetuæ, inuariabiles, vniuersales, & per se indifferentes ad quælibet loca, & personas. Vnde cùm aliquis ex vno loco in alium migrat, aut ab his personis, ad alias transi; manet semper eadem numero potestas Ordinis, licet potestas iurisdictionis millies varietur.

Sunt perpetuæ & inuariabiles.

79. Cur autem potestas iurisdictionis non conferatur per ordinationem, & cur aliæ multæ potestates spirituales & Ecclesiasticæ non conferantur per sacramentum aliquod, v. gr. potestas baptizandi, quæ omnibus competit: hoc ad Dei voluntatem & institutionem liberam referendum est, quâ voluit ex potestatibus ecclesiasticis & spiritualibus quasdam conferri per sacramentum aliquod, alias aliter. Præterea licet potestates inferiores sacerdotio sint tantùm iuris, neque earum actus tantæ sint dignitatis, quantæ actus Sacerdotii, & Episcopatus, sacrificare, remittere peccata, confirmare, & ordinare: non tamen deest congruitas & conuenientia, vt ad eos licitè, & dignè decenterque coram Deo cum celebritate & pompa exercendos, illi qui ordinantur, sanctificationẽ recipiant. Rursus eædem potestates sunt iuris tantùm inchoatiuè: quatenus illi qui Diaconi sunt ordinati vel Subdiaconi, debent adhuc applicari, vt licitè exerceant potestatem, quam acceperunt. Alij quidam actus sunt Episcopali ordini, & sacerdotali Ecclesiastico iure adiuncti: cuiusmodi sunt consecrationes multæ & benedictiones templorum, vestium, & vasorum sacrorum, aquæ, salis, olei, chrismatis, &c. Sed hæc ad sacramenti, de quo tantùm hîc agimus, explicationem non pertinent.

DISPVTATIO

SEXAGESIMA SEPTIMA,

De subiecto, & ministro sacramenti Ordinis.

Sectio I.	*Quinam sint capaces huius sacramenti recipiendi? Et de conditionibus necessariis ad licitè recipiendum.*
Sectio II.	*A quibusnam potest validè, aut licitè hoc sacramentum administrari?*
Sectio III.	*De continentia seruanda ab illis, qui maioribus Ordinibus initiantur.*
Sectio IV.	*Respondetur argumentis contrariæ sententiæ.*
Sectio V.	*De Electione, & vocatione, seu missione sacrorum, & legitimorum ministrorum Ecclesiæ.*
Sectio VI.	*Aliæ duæ quæstiones de eadem re.*
Sectio VII.	*Refutantur euasiones hæreticorum.*

Digitized by Google

De argumento proposito disputat S. Thomas quæst. 36. 38. & 39. Supplem. In quarum prima docet, in suscipientibus Ordines requiri bonitatem, & sanctitatem vitæ: non quidem de necessitate sacramenti, validè enim ordinatur malus: sed de necessitate præcepti. Propterea quòd, sicut Dionysius ait cap. 3. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, vt subtiliores, & clariores essentiæ repletæ influxu solarium splendorum, lumen in eis supereminens, ad similitudinem solis, ad alia corpora inuehunt: sic in diuinis nonest dux aliis præficiendus, nisi qui secundum omnem habitum suum factus sit Deiformissimus, & Dei simillimus. Vnde cùm in quolibet Ordine aliquis constituatur dux aliis in rebus diuinis: debet quisquis ad eos promouetur, Deo similis esse per sanctitatem vitæ: peccatque grauiter qui cum conscientia peccati mortalis ad Ordines accedit. Requiritur præterea in vnoquoque Ordinandorum ea scientia quæ necessaria est ad rectam executionem Ordinis, quem recipit. Et quamuis ornamentum virtutis & gratiæ maximè deceat ordinandos, & ordinatos: non constituitur tamen gradus ordinis ex hoc quòd habeant gratiam: sed ex eo, quòd participant aliquod gratiæ sacramentum. Peccat autem mortaliter quisquis indignum promouet: quasi summè Domino infidelis: & præcipuè cùm hoc in detrimentum Ecclesiæ vergat, & honoris diuini, qui per bonos ministros promouetur. Esset enim infidelis terreno Domino, qui in eius officio aliquos inutiles poneret. Cúmque lex præcipiat, vt homo iustè quæ iusta sunt exequatur, & sancta sanctè: quod etiam est de iure naturali, in quo nemo potest dispensare: peccat mortaliter, quicunque in statu peccati mortalis sacrum aliquod officium pertractat, exercens ministerium sui Ordinis.

In secunda affirmat, Quemadmodum officia sæcularia in ciuitatibus distribuuntur ab eo, qui habet excellentiorem potestatem, sicut à Rege: ita ad Episcopum, propter excellentiorem, quam habet, potestatem, pertinere vt in omnibus diuinis ministeriis aliquos collocet. Vnde solus ipse confirmat: quia confirmati in quodam officio continendi fidem constituuntur. Ipse etiam solus virgines benedicit, quæ figuram gerunt Ecclesiæ Christo desponsatæ, cuius cura ipsi principaliter committitur. Ipse etiam in ministeriis Ordinum consecrat ordinandos, & vasa quibus vti debent eis determinat sua consecratione. Cùm autem nullo casu perdi queat potestas data Episcopis in eorum consecratione, quæ semper manet: ideirco licet fiant hæretici, & ab Ecclesia præcisi, validè possunt conferre Ordines, sicut & alia sacramenta. Ordinati tamen ab illis scienter, & liberè contra prohibitionem Ecclesiæ, nullam susceptorum Ordinum executionem accipiunt, aut gratiam.

In tertia asserit mulieres esse incapaces sacramenti Ordinis: quia statum subiectionis habent, & non potest in eis repræsentari significatio huius sacramenti, id est, aliqua eminentia gradus in Ecclesia. Pueros autem, & carentes vsu rationis posse quidem validè ordinari: quia in Ordine nullus actus suscipientis est de necessitate sacramenti, sed

solùm

solùm spiritualis quædam potestas diuinitus in ea datur: omnia autem illa sacramenta, de quorum necessitate non est aliquis actus recipientis, possunt validè ab infantibus recipi, & carentibus vsu rationis. Quod verò attinet ad necessitatem præcepti, distinguendum est. Nam in minoribus Ordinibus requiritur tempus discretionis ex honestate; sed non ex necessitate præcepti. Vnde si necessitas adsit, & spes profectus, possunt ad eos sine peccato promoueri. At in maioribus requiritur tempus discretionis & ex honestate, & ex necessitate præcepti, propter votum continentiæ, & quia eis sacramenta tractanda committuntur: multóque magis, vt quis promoueatur ad Episcopatum, & curam pastoralem animarum. Serui possunt ordinari validè, sed non licitè. Quia libertas non est de sacramenti necessitate: quamuis sit de necessitate præcepti: propterea quòd non possunt licitè se mancipare diuinis officiis, cùm non sint sui iuris. Idemque sentiendum est de omnibus, qui sunt in aliis obligati, vt ratiociniis detenti. Homicidæ quoque arcentur ab Ordinibus ex Ecclesiæ præcepto: quia homicidium maximè contrariatur paci, & Eucharistiæ, quæ sacramentum pacis est, & ad quam omnes Ordines referuntur. Magisque homicidæ conformantur occidentibus Christum, quàm ipsi Christo occiso, cui omnes ministri prædicti sacramenti debent conformari. Illegitimi quoque prohibentur ab Ordinibus: quia cùm ordinati constituantur in quadam dignitate præ aliis, non debent vitiosa origine obscurari: vt neque esse malæ famæ, & vitiosis moribus, aut publicè pœnitentes. Denique remouentur etiam ab Ordinibus, & sunt irregulares, qui aliquem defectum membrorum habent notabiliter turpem; vel qui Ordinis executionem impediat. Huc vsque D. Thomas.

SECTIO I.

Quinam sint capaces huius sacramenti? & de conditionibus requisitis ad licitè recipiendum.

1. Fœmina est illius incapax.

FIrca primum, certum est apud omnes Catholicos subiectum capax Ordinationis sacerdotalis non esse fœminam, neque non-baptizatum. Nam collatio cuiuscunque alterius sacramenti præsupponit Baptismum. Et iampridem explosa est ab Ecclesia hæresis Pepusianorum, qui teste Epiphanio hæresi 49. & Augustin. lib. de Hæresib. hæresi 27. ordinabant mulieres in sacerdotes. Atque etiam, vt addit Epiphanius, in Diaconissas altaris, & Episcopas. De inferioribus tamen Ordinibus dubitari potest, num fœmina possit illis initiari? Respondeo negatiuè: ne illis quidem, qui sacramentales non sunt, si propriè sumantur, & secundum præsentem institutionem, quatenus nimirum per eos veluti gradus initiati ad sacerdotium disponuntur, & tendunt, atque ipsi deseruiunt, obeundo cum potestate certum aliquod munus ecclesiasticum in ordine ad sacrificium. Cùm enim fœminæ sint incapaces sacerdotii, sunt pariter incapaces, vt ad illud disponantur & tendant per inferiores Ordines. Estque inauditum in Ecclesia quòd vnquam fœminæ his Ordinibus initiatæ fuerint.

2. Quæ fuerint olim Diaconissæ, Presbyteræ, & Episcopæ?

Dices fuisse olim in Ecclesia Diaconissas, quibus ordinationem, perinde atque sacerdotibus, & aliis tribuit Clemens Romanus libro octauo Constitut. cap. 26. & Concilium Chalcedon. can. 14. Respondeo, Clementem non vti voce Ordinationis loco citato: tametsi verum est olim ex instituto, & præcepto Ecclesiastico Diaconissas ordinatas fuisse, non sacramentali ordinatione, de qua hic sermo est: sed aliâ latiùs sumptâ, quâ duntaxat deputabantur ad ministerium quoddam externum, vt haberent curam fœminarum, illisque assisterent in diuersis necessitatibus: vt videre est apud Epiphanium hæresi septuagesima nona, & in compendiaria doctrina, quæ habetur post hæresim 80. Eiusdemque ordinationis, & officii erga fœminas illis commissi

Digitized by Google

meminerunt Clemens Roman. pluribus locis à Vaſque citatis diſputat. 243. in tertiam partem cap. 3. Tertullianus lib. de Exhortatione ad caſtitatem cap. vlt. Concil. Epaunenſe can. 21. Chalcedon. can. 14. & Aurelianenſe II. can. 18. Præter has autem Diaconiſſas ordinatione factas, aliæ erant ita dictæ, quòd earum viri in Diaconos ordinati fuiſſent. Quo ſenſu aliquæ dicebantur etiam Presbyteræ, & Epiſcopæ: non ab aliqua eō-ſecratione, aut officio, ſed quòd earum viri in Presbyteros, aut Epiſcopos ordinati fuiſſent: vt patet ex Concilio Altiſſiodorenſi can. 21. vbi ſic ſtatuitur: *Non licet Presbyterò in uno lectio poſt acceptam benedictionem cum Presbytera ſua dormire, neque in peccato carnali commiſceri: neque Diacono, neque Subdiacono*: cum ſua videlicet Diaconiſſa, vel Subdiaconiſſa, id eſt, coniuge ante ordinationem ducta. Et in II. Synodo Turonica ſub Pelagio can. 13. ſtatuitur vt Epiſcopus vxorem, quam antea duxit, habeat tanquam ſororem: additurque can. 14. vt Epiſcopum, non habentem Epiſcopam, nulla ſequatur turba mulierum. Et can. 20. excommunicantur Presbyter, Diaconus, & Subdiaconus, qui inuenti fuerint cum ſua Presbyteriſſa, Diaconiſſa, vel Subdiaconiſſa. Qua de re plura Pammel. annot. 72. in lib. Tertull. De exortatione ad caſtitatem. Michael Medina lib. 4. de Sacrorum hominum continentia, controuerſia 6. cap. 7. & Vaſq. cap. ſup. cit. vbi fusè & eruditè de hoc argumento diſputat.

3. Infantes dum ne capaces Ordinis?

Dubitatur 2. vtrum infantes, & non baptizati, & pueri ante vſum rationis poſſint validè Ordinibus initiari, etiam Sacerdotio? Negare videtur Durandus in 4. diſt. 25. quæſt. 2. n. 8. vbi affirmat rem ſatis dubiam eſſe. Primò quia, inquit, ſatis videtur abſurdum quòd paruulus, carens omnino vſu rationis, poſſit Sacerdos fieri, vel Epiſcopus ordinari. Secundò, quia ad ſuſceptionē cuiuſlibet ſacramenti requiritur propria intentio ſuſcipientis, ſi ſit adultus; vel interpretatiua, ſi ſit paruulus. Sed in tali paruulo, ſi ordinetur de facto, non poteſt eſſe propria voluntas ſuſcipiendi Ordinem, cùm non habeat vſum rationis: nec interpretatiua, quia licet voluntas parentum; vel eorum, qui parentum vicem gerunt, poſſit eſſe interpretatiua voluntatis paruulorum, quantum ad ea, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis ipſorum corporalis, vel ſpiritualis: propter quod intentio parentum eos ad Baptiſmum offerentium, vel Eccleſiæ, ſufficit illis ad ſuſceptionem Baptiſmi ſalutaris: voluntas tamen parentum non videtur ſufficere ad hoc vt paruuli ſuſcipiant Sacramentum Ordinis, quod non eſt de neceſſitate ſalutis, ſed ſupererogationis, & conſtituit hominem in gradu dignitatis: quia quoad hoc non apparet quomodo voluntas parentum, vel quorumcunque aliorum, ſit interpretatiua voluntatis paruulorum, cùm paruuli poſſint licitè talibus diſſentire, poſtquam ad annos diſcretionis peruenerint. Item, quia Baptiſmus ordinatur ad deletionem peccati originalis, quod contrahit paruulus ex actu parentum, congruum eſt quòd voluntas parentum ſufficiat eis ad ſuſcipiendum Baptiſmum. Sed hæc cauſa in aliis Sacramentis non habet locum. Hæc Durandus, in cuius ſententiam inclinat Petr. Sotus lib. de inſtit. Sacerd. lect. 5. de Sacramento Ordinis §. *ſecundò etiam*: addique poteſt ad illius confirmationem formam huius Sacramenti exigere conſenſum recipientis, quando illi dicitur, Accipe poteſtatem, Accipe Spiritum ſanctum, acceptando ſcilicet rem quæ donatur, aut traditur: quod ſine conſenſu non fit. Paruulus autem eſt incapax talis conſenſus, perfecti ſcilicet, & rationabilis, qualis in re tanti momenti eſſe debet.

4. Concluditur affirmatiuè.

Contrarium tamen tenendum eſt cum vera & communi Theologorum ſententia in 4. diſt. 25. & nominatim D. Thomæ quæſt. 2. art. 1. quæſtiuncula 2. D. Bonauenturæ art. 2. quæſt. 2. Scoti quæſt. 2. §. *His breuiter*, Ricardi art. 4. quæſt. 2. Paludani quæſt. 3. poſt 3. concluſionem, num. 8. & ſequentibus, qui tamen conſenſum parentum, aut eorum quorum curæ paruuli ſunt commendati, neceſſarium eſſe exiſtimat: Supplem. Gabrielis q. 1. a. 2. concluſ. 8. Argentinæ q. vnic. a. 3. poſt 1. concluſ. Almaini q. 2. §. *De ætate*, Dom. Soti q. 1. a. 2. concluſ. 3. Idem etiam docent Valentia q. 4. de Ordine puncto 1. Vaſques d. 276. in 3. part. cap. 1. Aegid. Con. diſp. 20. dub. 10. n. 97. Mæratius diſp. 9. de Ordine, ſect. 1 & alii recentiores. Probatur ex cap. vnico. *De clerico per ſaltum promoto*, vbi narratur, aliquem adhuc poſitum infra annos diſcretionis ſuſcepiſſe omnes ordines inferiores diaconatu; & iudicatur validè id factum fuiſſe: cúque poſtea omiſſo diaconatu (de quo neſciebatur, an etiam illum accepiſſet) ad ſacerdotium promotus fuiſſet: Innocentius III. præcipit ibidem, vt pro eiuſmodi omiſſione pœnitentia illi imponatur, & in diaconum ordinetur, ac deinde in ordine ſacerdotis miniſtrare permittatur. Quòd ſi Pontifex exiſtimaſſet ſubdiaconatum & minores ordines ſuſceptos in infantia, fuiſſe inualidè collatos: ſine dubio præcepiſſet iterum accipi, & defectum hunc ſuppleri. Neque verò mentionem vllā facit voluntatis, vel ipſius paruuli, vel parentum, aut aliorum, quorum curæ erat ille commiſſus.

5.

Hoc autem argumentum efficacius concludit contra eos omnes, qui tenent vel quatuor minores ordines, vel ſaltem ſubdiaconatum eſſe verè ſacramentum: quæ communis eſt theologorum ſententia. Quin etiam, quia Innocentius eodem cap. ſignificat diaconatum in eadem ætate validè ſuſcipi potuiſſe, neque fuiſſe repetendum ſi certò conſtitiſſet fuiſſe ante annos diſcretionis ab illo acceptū: ſequitur idem de hoc Ordine ſentiendum eſſe, qui certè verū Sacramentum eſt. Diligenterque notandum eſt per illa verba capitis citati, *Eo quòd tempore, quo Ordines inferiores*

Digitized by Google

ſuſceperat, infra annos diſcretionis fuerat conſtitutus, non intelligi ſolùm quatuor minores ordines, vt malè quidam exiſtimant; ſed omnes ſacerdotio inferiores, vt liquet ex verbis præcedentibus. Hinc autem ſequitur præterea ſacerdotium quoque, & Epiſcopatum poſſe recipi ante annos diſcretionis; quia nulla poteſt afferri ſolida ratio, cur vnus ordo verè ſacramentalis, potiùs quàm alius, poſſit validè recipi ante vſum rationis: & argumenta aduerſariorum, ſi valerent, æquè de vno concluderent, ac de alio.

6. Confirmatur ex D. Thoma.

Confirmatur, quia, vt rectè ait D. Thom. q. 39. Supplem. a. 2. pueri, & carentes vſu rationis ſunt capaces illorum ſacramentorum, de quorum neceſſitate non eſt aliquis actus recipientis, tanquam pars illorum eſſentialis, vel quæ non requirunt eſſentialiter conditionem aliquam ipſorum ſtatui repugnantem. Atque ideirco ſunt capaces recipiendi valide Baptiſmum, Confirmationem, & Euchariſtiam, vt ſuo loco oſtendimus: ſecus autem Pœnitentiam, & Matrimonium, de quorũ eſſentia ſunt aliqui actus recipientis: contritio ſcilicet vel attritio, & confeſſio in ſacramento Pœnitentiæ; & conſenſus internus, & externus in matrimonio. Neque etiam Extremam vnctionem, quia ſupponit recipientem peccaſſe actualiter, vt alibi probauimus: vel ſaltem potuiſſe peccare; quod repugnat infanti carenti adhuc vſu rationis. Atqui Sacramẽtum ordinis nullum actum recipientis requirit eſſentialiter, vt patebit reſpõdendo argumentis Durandi: Ergo, &c. Item ſi Ordo non poſſet validè recipi à paruulis: vel hoc ei repugnaret, quatenus ſacramentum eſt: vel quatenus eſt tale ſacramentũ ſpeciale, & diſtinctum ab aliis, in quo ſcilicet traditur poteſtas aliqua ſpiritualis. Non primum: quia ſacramenta quædam poſſunt à paruulis validè recipi, vt fatentur aduerſarii, & de Baptiſmo ſaltẽ id certiſſimũ eſt. Non etiam ſecundum: quia poteſtas illa non traditur per modum contractus donationis, aut pacti, ad quod requiratur acceptatio: ſed per modum efficacis operationis, reſpectu cuius recipiens merè paſſiuè ſe habet: eodem modo, quo per Baptiſmum confertur gratia, & poteſtas participandi bonis communibus Eccleſiæ, recipiendique alia ſacramenta.

Vide diſp. 65 ſect. 4. num. 31.

7. Poſſintne amentes ordinari valide?

Hinc collige primò, amentem quoque ab infãtia poſſe validè ordinari: quia de illo par, ac de infantibus eſt ratio: cùm ſit perpetuò infans & paruulus ſenſu. De illo autem qui aliquando habuit vſum rationis aliter ſentiendum eſt, niſi quando erat ſui compos, voluerit ordinari, & hanc voluntatem non retractauerit, ſed habitualiter ſaltem in ea permanſerit: iuxta ea quæ diximus alibi de intentione adultis neceſſaria ad recipienda Sacramenta, diſp. 22. de Sacram. in genere ſect. 7. & 8. Collige ſecũdò, non modò ſacerdotium, ſed & Ordinem Epiſcopalem poſſe validè ab illis recipi. Ordinem, inquam, non autem curam paſtoralem, & matrimonium ſpirituale cum Eccleſia, cuius gubernationem ſuſcipiant. Nam illa verè non accipitur ſine conſenſu recipientis: & ordinatus in infantia non tenetur poſtea eam ſuſcipere; ſed liberum illi foret laicalem vitam agere: vel huius, aut alterius Eccleſiæ curam ſuſcipere, poſito quòd inter eccleſiaſticos cenſeri mallet, & Eccleſiæ regimini incũbere. Quo ſenſu intellige D. Thomam, & D. Bonauenturam locis ſupra citatis; quando negant Epiſcopatum poſſe ab infante recipi. Neque enim loquuntur de ipſo ſacramẽto ordinationis Epiſcopalis, quod non agnoſcũt: vt de D. Thoma clarè liquet ex q. 40. Supplem. art. 5. in corp. & in 4. diſt. 24. q. 3. a. 2. q. 2. De Sancto autem Bonauent. patet ex iis quæ tradit circa eandem diſtinctionem 2. parte diſt. art. 2. q. 3. Sed loquuntur de gradu iuriſdictionis, quo ſolùm putant differre Epiſcopum à ſimplici Presbytero.

8. Soluuntur argumenta contraria.

Ad primum autem Durandi argumentum Reſpondeo abſurdum quidem eſſe, & valdè indecens, grauiterque illicitum infantẽ vel amẽtem ordinare in ſacerdotem, vel in Epiſcopum: ſed non eſſe abſurdum illum eſſe verè ſacerdotem, & Epiſcopum quoad Ordinem, ſi Sacramentum illi conferatur. Sicut valde indecens, & abſurdum eſt ordinari in ſacerdotem, vel Epiſcopum hominem publicè infamem, & ſcandalotum, putà manifeſtum cõcubinarium, ebrioſum, homicidam, vſurarium: ſed non eſt abſurdum talem, ſi ordinetur, eſſe verè ſacerdotem, & Epiſcopum. Ad ſecũdum, nego paruulis ad recipienda ſacramenta, quorum ſunt capaces, vt Baptiſmum, Confirmationẽ, & Euchariſtiam, ſimiliterq; Ordinis ſacramentum, neceſſariam eſſe intẽtionem, ſiue ipſorummet, ſiue parentum, aut tutorum, vel Eccleſiæ pro ipſis conſentientis, & cuius voluntas ſit interpretatiuè voluntas ipſorum paruulorum. Neque Baptiſmus illis applicatus ideo validus eſt, quia Eccleſia conſentit ipſorum nomine: ſed quia inſtitutio Chriſti nihil aliud requirit ad ipſius valorem reſpectu paruulorum, niſi vt ipſis applicetur materia, & forma Baptiſmi, cum intentione debita, vt alibi oſtendimus.

9. Quid ſignificent verba formæ, *Accipe poteſtatem*, &c.

Ad tertium Dico, formulas illas loquendi in Ordinatione vſurpatas, Accipe poteſtatẽ, Accipe Spiritum ſanctum, non requirere neceſſariò conſenſum recipientis ea, quæ vi horum verborum conferuntur: quia hæc non donantur per modum pacti & contractus, ad quem conſenſus vtriuſque partis requireretur: ſed per virtutem ipſam, & efficaciam ſacramenti ex opere operato. Neque dicas, ſaltem hunc loquendi modum ſupponere recipientem habere vſum rationis: quia alioquin ineptè inuitaretur ad accipiendum, moraliter ſcilicet, & rationabiliter. Reſpondeo enim primo, ſimili modo dici infanti, quando baptizatur ſolemniter, Accipe ſal ſapientiæ, Accipe ſignum crucis Domini noſtri Ieſu Chriſti: quod tamen ſine inſolenti temeritate dici nequit ineptè fieri, cùm vbique ab Eccleſia fiat: iuxta regulam Diui Auguſtini epiſt.

118. ad Ianuarium. Deinde dico illo etiam verbo non inuitari infantem ad accipiendum moraliter, & rationabiliter (quod non potest) sed significari potestatem dantis, & veram traditionem ex virtute, & efficacia ipsius sacramenti. Neque in Scriptura inusitatum est, simili modo significari aliquem effectum erga res etiam inanimatas, quæ in illum consentire nequeunt: vt quando Iosue cap. 10. vers. 12. dixit ad sistendum solem, *Sta Sol, & Luna super Gabaon ne mouearis*: Et Christus ad ficulneam, Matth. 21. vers. 19. *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum.* Et Lucæ 17. vers. sexto. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori* Moro, *eradicare*, &c. Et Matthæi 17. versu 19. *Dicetis monti huic, Transi hinc illuc, & transibit.*

10. Infans ordinatus ad quid teneretur

Supereſt notare, eum qui in infantia initiatus esset sacris ordinibus, non fore obligatum voto castitatis, aut præcepto ecclesiastico de seruanda continentia, quando ad annos discretionis peruenerit: sed illi fore liberum eligere statum sæcularem, vel ecclesiasticum: & statu sæculari electo, posse licitè vxorem ducere, vt ex communi sententia docet Aegidius Coninc disputatione vigesima, dubio 14. numero 134. Notandum præterea ex capite vnico, De Clerico per saltum promoto, constare, Presbyteratum conferri posse validè, quamuis illicitè, nondum habenti diaconatum. Deque subdiaconatu par est ratio: multóque maior de Ordinibus inferioribus non-sacramentalibus. Episcopatus quoque sine illis conferri potest. Non tamen sine sacerdotio. Nam Ordo sacer Episcopatus, adæquatè sumptus, includit essentialiter sacerdotium: & secundum id quod addit simplici sacerdotio, præsupponit essentialiter Ordinationem sacerdotalem, vt docent communiter Theologi.

Promotio per saltum.

11. Requisita in ordinandis.

Circa secundum in titulo sectionis propositum dubitatur 3. quid requiratur, vt quis suscipiat Ordines non modò validè, de quo huc vsque dictum est, verùm etiam licitè? Respondeo requiri primò, vt sibi conscius non sit peccati mortalis: quod sacramentis omnibus, quæ viuorum appellantur, commune est; vt patet ex dictis in tractatu de Sacramentis in genere. Secundò, vt neque censurâ, aut irregularitate aliqua sit irretitus, vt diximus in tractatu de Censuris, vbi etiam exposuimus singulas irregularitates à D. Thoma recensitas quæst. 39. Supplem. art. 3. & sequentibus. Requiritur 3. vt sit confirmatus, ex Tridentino sessione vigesima tertia, cap. 4. de Reform. vbi prohibet ne non confirmati initientur etiam primâ Tonsurâ. Non tamen videtur id prohibere sub peccato mortali. Quartò, ex eodem Concilio & sess. cit. cap. 12. de Reformatione requiritur vt qui ordinatur in Subdiaconum, attigerit annum ætatis vigesimum secundum, inchoatum scilicet: qui in Diaconum, vigesimum tertium: qui in Presbyterum, vigesimum quintum. Et qui hos sacros Ordines ante legitimam ætatem præsumunt suscipere, id est, scientes tale impedimentum, sunt ipso iure suspensi: & si celebrant, fiunt irregulares à solo Papa dispensabiles, possuntque beneficiis priuari, Extrauagant. *Cùm ex sacrorum*, Pii II. cuius meminit Siluester V. *Irregularitas*, numero duodecimo, quæ tamen in Gallia nondum fuit recepta. Ad Episcopatum iure communi requiritur annus trigesimus expletus: sed in regno Galliæ sufficit annus vigesimus septimus, ex priuilegio dato in Concordatis. Pro minoribus verò Ordinibus determinata ætas requisita non est. Concilium tamen citato cap. quarto, & vndecimo, ad Tonsuram, & minores Ordines requirit aliquem scientiæ gradum, qui communiter ante nonum, vel decimum annum haberi nequit.

12. Requiritur denique certa aliqua scientia, varia, pro variis Ordinibus, & morum probitas, & intentio seruiendi Ecclesiæ. De quibus omnibus vide Tridentinum sessione vigesima tertia, in Decreto de Reformatione, vbi capite quarto, statuit, vt primâ tonsurâ non initientur, qui fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere, & scribere nesciant, & de quibus probabilis coniectura non sit, eos non sæcularis iudicii fugiendi fraude; sed vt Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse. Et cap. 5. requirit vt qui ad minores Ordines promouendi sunt, habeant testimonium bonum à Parocho, & à magistro scholæ, in qua educantur. Et cap. 11. vult vt saltem Latinam linguam intelligant. Et cap. 13. requirit similiter vt ordinandi in Subdiaconos, & Diaconos, habeant bonum testimonium; & in minoribus Ordinibus iam probati, ac literis, & iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi sint. Et denique cap. 14. vult vt qui ad Presbyteratus Ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium: & non modò in Diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiæ vtilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ministrauerint: sed etiam ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac administranda sacramenta diligenti examine præcedenti, idonei comprobentur: atque ita pietate, ac castis moribus conspicui, vt præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eis possint expectari. Verùm quæ pertinent ad modum administrandi sacramenta facilè possunt nosse ex Rituali, dummodo latinè intelligant: De scientia verò necessaria ad audiendas confessiones speciatim interrogandi sunt, quando eis datur audiendi facultas, iuxta præscriptum Trident. eadem sess. 23. cap. 15. Ex his autem facilè colligi potest quanta vitæ probitas, & doctrina ad Ordinem Episcopalem licitè accipiendum necessaria sit.

12.

Idem Concilium sess. 21. cap. 2. de Cleri 13.

Digitized by Google

Nemo ad ſacros ordines promouendus ſine titulo.

reformatione, ſtatuit ne quis deinceps clericus ſæcularis, quàmuis alias ſit idoneus moribus, ſcientia, & ætate, ad ſacros ordines promoueatur, niſi prius legitimè conſtet eum beneficium eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſtè ſufficiat, pacificè poſſidere: Illudque Beneficium reſignare non poſſit, niſi facta mentione quòd ad illius titulum ſit promotus: neque ea reſignatio admittatur, niſi conſtito, quòd aliunde viuere commodè poſſit: & aliter facta nulla ſit. Patrimonium verò, vel penſionem obtinentes ordinari poſthac non poſſint, niſi illi, quos Epiſcopus iudicauerit aſſumendos pro neceſſitate, vel commoditate Eccleſiarum ſuarum, eo quoque priùs perſpecto, patrimonium illud, vel penſionem verè ab eis obtineri, taliaque eſſe, quæ eis ad vitam ſuſtentandam ſatis ſint: atque illa deinceps ſine licentia Epiſcopi alienare, aut extingui, vel remitti nullatenus poſſint, donec Beneficium eccleſiaſticum ſufficiens ſint adepti, vel aliunde habeant vnde viuere poſſint: antiquorum canonum ſtatuta ſuper his innouando. Huc vſque Tridentinum, à quo ſapienter id ſtatutum fuit, ne qui diuino myſterio aſcripti ſunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum aliquem queſtum exercere cogantur, vt ait initio eiuſdem capitis. Notandum autem, Concilium loqui tantùm de clericis ſæcularibus. Nam Regulares ordinari poſſunt, & debent titulo paupertatis voluntariæ. Pœnæ verò Canonum antiquorum quas Tridentinum innouat, habentur canone, *Epiſcopus*, De præbendis, & dignitatibus, vbi ſtatuitur, vt ſi Epiſcopus aliquem ſine iuſto titulo, de quo neceſſaria vitæ percipiat, in diaconum, vel preſbyterum ordinauerit, ei neceſſaria ſubminiſtret, donec in aliqua Eccleſia de neceſſariis ſtipendiis ei prouiderit, niſi talis ordinatus de ſua, vel paterna hæreditate ſubſidium poſſit habere. Et can. *Neminem*, diſt. 70. can. *ſanctorum*, eadem diſt. vbi ſtatuitur, vt ordinatio eius, qui ſine Eccleſia, vel monaſterio (id eſt ſine Beneficio eccleſiaſtico, vel ſine titulo volũtariæ paupertatis) ordinatur, ſit irrita: quoad vſum ſcilicet; id eſt, ſuſpenſus ille ſit ab executione ordinis accepti.

SECTIO II.

A quibuſnam poteſt hoc ſacramentum validè, aut licitè miniſtrari?

14. Miniſter ordinarius eſt Epiſcopus.

DIco 1. ordinarium miniſtrum ſacramẽti Ordinis non eſſe alium, quàm Epiſcopum. Patet ex Florentino in Decreto Eugenii, §. *Sextum Sacramentum*, vbi hæc aſſertio iiſdem fere terminis traditur: & ex Trid. ſeſſ. 23. cã. 7. vbi ſub anathemate definitur Epiſcopos eſſe Presbyteris ſuperiores, & habere poteſtatem confirmandi, & ordinandi, quæ non eſt illis cõmunis cum Presbyteris. Neq; obeſt valori ſacramenti, quòd Epiſcopus ſit excommunicatus, aut hæreticus, vel degradatus, dummodo verè ſit Epiſcopus: vt rectè affirmat D. Thom. in 4. diſt. 25. qu. 1. a. 2. & communis ſententia Theologorum, quam ſatis probat Eccleſiæ conſuetudo: quippe quæ ſacerdotes à Græcis ſchiſmaticis, & hæreticis ordinatos habet pro veris ſacerdotibus. Adde quòd, vt rectè ait D. Thom. 3. p. qu. 64. a. 9. miniſter ſacramentorum operatur virtute, & auctoritate diuina, quam Deus non aufert à miniſtro propter eius peccatum, aut infidelitatem. Sacramenta quoque ipſa non accipiũt vim ſuã à miniſtro, eiuſq; fide, vel bonitate, ſed à Chriſto, eiuſque meritis. Quare vt ſint, & operẽtur, non requiritur neceſſariò fides, aut bonitas miniſtri. Plura in eam ſententiam congerit Bellarmin. lib. 1. de Sacram. cap. 26. ex ſanctis Patribus, & Conciliorum decretis: ſed res iam extra controuerſiam eſt, quippe de qua neque catholici, neque hæretici dubitant.

15. An etiam excom. vel hæreticus?

Quod autem dicunt Innocentius I. Damaſus, Leo I. & Gregor. Magnus verbis relatis à Gratiano cauſa 9. qu. 1. initio, Sacramenta collata ab hæreticis inquinare magis, quàm mundare; & ordinatos ab hæreticis, nullã accipere poteſtatem, &c. Hæc, inquã, ſunt intelligenda, vel de quibuſdam hæreticis, qui formas ſacramento ũ peruertebant: vel quia communiter peccant, & inquinantur, qui ab hæreticis ſacramenta recipiunt, quamuis validè recipiant. Dicũt etiam ordinatos ab hæreticis nullam accipere poteſtatem: legitimam ſcilicet, & quã poſſint vti licitè propter indecentiam, in qua irregularitas fundata fuit, iuxta multorum ſententiam, qui cenſent taliter ordinatos eſſe irregulares. Nam in iure, & moraliter loquẽdo, dicitur quis id nullo modo facere poſſe, quod non poteſt licitè facere. Alia quædam ſuperioribus duriora habent nonnulli ex auctoribus citatis: ſed quæ benignè explicari poſſunt, & communi Eccleſiæ iudicio poſtponenda ſunt.

Vide diſp. 61. ſect. 2. num. 26.

16. Solus Epiſcopus poteſt cõferre ſacerdotium.

Dico 2. Epiſcopum, & Sacerdotem nonniſi ab Epiſcopo conſecrari poſſe. Ita cõmuniter Doctores, quorum auctoritas hac in re, quæ pendet ex traditione, plurimi facienda eſt: & in Eccleſia inauditum eſt, quòd vnquam aliquis ſacerdos vel Epiſcopus à non Epiſcopo fuerit ordinatus. Item, vt vidimus diſp. præced. ſect. 3. antiqui Patres conſtanter aſſerũt nullam eſſe ordinationem Epiſcoporum, & Presbyterorum factam ab illis qui non erant verè Epiſcopi. Quare non aſſentior Vaſqui diſp. 243. cap. 4. & Mæratio diſp. 8. de Ordine, ſect. 2. affirmantibus poſſe ſimplicem ſacerdotem ordinare alios in ſacerdotes ex cõceſſione Romani Põtificis, vel Concilii generalis. Quod maximè probãt ex eo quòd olim Chorepiſcopi ex conceſſione Epiſcoporũ ordinabãt ſacerdotes, vt patet ex can. 10. Cõcilii Antioch. Chorepiſcopi autem erant ſimplices ſacerd. vt Vaſq. probare cõtendit diſp. 238. c. 7. Addi etiã poteſt in Concil. Ancyrano can. 13, ita ſtatutum eſſe: *Chorepiſcopis non licet Presbyteros, aut Diaconos ordinare*

sed neque presbyteris ciuitatis, sine præcepto Episcopi, vel literis in vnaquaque Parochia. Ex quo constat licuisse olim presbyteris ordinare presbyteros cum Episcopi licentia. Item Leonem I. epistola 92. ad Rusticum Narbonensem Episcop. cap. 1. respondesse ratas haberi posse ordinationes factas à falsis Episcopis, & nominatim à duobus, vno presbytero, & altero diacono, de quibus ibi est quæstio, accedente consensu, & iudicio præsidentium, id est, Episcoporum, in quorum diœcesi celebratæ fuerunt,

17. Chorepiscopi ordinantes erant veri Episcopi.

Sed quod ad primũ attinet, dicendum est, Chorepiscopos illos, quibus Concilium hoc permittit, fuisse Episcopos ordinatione: idque verba ipsa canonis citati significant, quę sic habent: *Qui in villis, & vicis constituti sunt Chorepiscopi, tametsi manus impositionem ab Episcopis susceperunt, & vt Episcopi sunt consecrati: tamen placuit sanctæ Synodo scire eos oportere modum proprium retinere.* Et paulò post: *Non autem presbyterum, aut diaconum audeant ordinare præter conscientiam Episcopi ciuitatis, vel ecclesiæ, cui adiacens inuenitur.* Quæ autem affert Vasquez ex Damaso epist. 4. aliàs 5. ad probandum Chorepiscopos non fuisse Episcopos ordine, sed simplices presbyteros; illi magis nocent, quàm fauent. Nam Damasus epist. cit. docet quidem chorepiscopos non fuisse Episcopos (quæ est quæstio facti, non satis fortasse ipsi noti vniuersaliter, & quibusdam in locis verè tales non erant, vt plerisque videtur) sed simul affirmat, perperam fuisse institutos, & semper à suis prædecessoribus improbatos: *esseque vanum, & inane quidquid in præcelso sacerdotis summi egerunt ministerio*, vt ait longè post initium epistolæ citatæ: & col. 5. in fine, *Præsertim*, inquit, *cum Pontifices non erant, ea, quæ solis Pontificibus debentur, dare non poterant. Et propterea magis vulnerabant capita, quæ per manus impositionem tangebant: cum ea, quæ eis collata non erant, per aliquam benedictionem darent. Et ideo quidquid ex supradictis ministeriis Pontificalibus præsumebant, irritum erat, & nihil tactis proficiebat.* Adde argumentum Vasquis nimis probare: Nempe quòd non solùm ex concessione summi Pontificis, aut Concilii generalis, sed etiam Episcoporum, possint simplices Presbyteri conferre sacerdotium: quod est absurdum. Sed & sancti Patres, quorum tempore erat vsus Chorepiscoporum, non tam constanter, & absque vlla distinctione asseruissent nullam esse ordinationem sacerdotum factam ab illis, qui non erant veri Episcopi; si permissũ fuisset aliquibus Chorepiscopis eos ordinare, & tamen illi Chorepiscopi non fuissent veri Episcopi.

18. Explicatur can. Concilii Ancyr. de Corepiscopis.

Ad canonem verò Ancyranum, Respondeo cum Dionysio Petauio lib. 2. de Hierarchia eccles. cap. 11. num. 3. græcè illum sic habere. χορεπισκόπους μὴ ἐξεῖναι πρεσβυτέρους, ἢ διακόνους χειροτονεῖν, ἀλλὰ μηδὲ πρεσβυτέρους πόλεως, χωρὶς τῆς ἐπιτραπείσης αὐτοῖς παρὰ τοῦ. Quæ verba in hunc sensum verti possunt iuxta interpretationem Dionysii Exigui: *Chorepiscopis non licere Presbyteros, aut Diaconos ordinare, sed neque vrbis Presbyteros, nisi cum literis ab Episcopo permissum fuerit, in aliena parochia.* Cuius Canonis sensus est, iuxta Zonaræ, & Balsamonis interpretationem, vt Chorepiscopi, qui in agris, & rusticanis parœciis erant Episcopi, habebantque administros Presbyteros simplices, & Diaconos, tanquam proprium, & peculiarem clerum, non possint nec illos quidem ordinare, iniussu Episcopi ciuitatis, & sine literis illius: multóque minùs Presbyteros vrbicos. Et quamuis aliter legendum esset, sicut in editione Canonum ecclesiasticorum Dionysii Exigui, à Iustello vulgata ante annos fere viginti, Canon iste sic refertur: *Chorepiscopis non licere Presbyteros, aut Diaconos ordinare: sed ne quidem Presbyteris ciuitatis, sine præcepto Episcopi, vel literis in vnaquaque parochia*: cuius versionis auctor legisse videtur, χωρεπισκόπους, & πρεσβυτέρους: pro χωρεπισκόπους, &, πρεσβυτέρους: & ἀλλὰ, pro ἰδίᾳ: nihil hoc nobis obesset, Nam posset facilè intelligi de Presbyteris ciuitatis, non quibuslibet, sed de illis, qui Episcopi fuerant ordinati, & inter Presbyteros ciuitatis aliqua de causa locum habebant, ita vt Presbyterii partem facerent. Quæ causa duplex fuisse colligitur partim ex ipso Concilio Ancyrano Canone decimo septimo, alias decimo octauo, partim ex Nicæno I. celebrato eodem sæculo, quo concilium Ancyranum, Canone octauo. Nam in Ancyrano statuitur, vt si qui Episcopi ordinati sunt, nec recepti ab illa parochia, in qua fuerant denominati, &c. Si voluerint in Presbyterii ordine, vbi priùs fuerant, Presbyteri residere, non abiiciantur propria dignitate. Si autem seditiones commouent ibidem constitutis Episcopis, Presbyterii quoque honor talibus auferatur, fiantque damnatione notabiles. In Nicæno autem sancitur vt Episcopi à Catharorum, id est, Nouatianorum hæresi, ac Schismate reuersi ad Ecclesiam, in eodem, quem habebant gradu reciperentur: ac si quidem nullus in vrbe esset Episcopus, illi ipsi sedem Episcopalem occuparent: sin iam aliquis sedem illam teneret, qui ab Catharorum parte rediret Episcopus, Presbyteri dignitatem haberet, nisi placuerit Episcopo catholico nominis eum honore censeri, id est, titulum Episcopi ei communicare, *si verò*, inquit, *hoc ei minimè placuerit, prouidebit ei, aut Chorepiscopatus, aut presbyterii locum: vt in Clero prorsus esse videatur: ne in vna ciuitate duo Episcopi probentur existere.* Sed neque versio supradicta canonis Ancyrani necessaria est, neque adeo probabilis. Videtur enim illius auctor corruptè legisse, & saltem aliquid supplendum esse, vt rectè Isidorus Mercator, & nouæ versionis auctor Hæuetus notarunt:

quorum prior sic reddit: *sed nec Presbyteris ciuitatis, sine Episcopi præcepto amplius aliquid imperare, vel sine auctoritate literarum eius, in vnaquaque parochia aliquid agere.* Iisdemque verbis refertur Canon ille Ancyranus in Capitulari Aquisgranensi Caroli Magni: *Ancyronense*, inquit, id est, Ancyranum Concilium, statuit supple, *Vicariis Episcoporum, quos Græci Chorepiscopos dicunt, non licere Presbyteros, vel Diaconos ordinare: sed nec Presbyteris ciuitatis, sine Episcopi præcepto, amplius aliquid iubere, vel sine auctoritate literarum eius in vnaquaque parochia aliquid agere.*

19. Quod denique attinet ad testimonium S. Leonis Magni, Respondeo cum auctore supra citato num. 13. sensum illius esse, ratam haberi posse talium ordinationem non quoad characterem, quem non acceperunt: sed quoad gradum, seu dignitatem ecclesiasticam, fructum, aut beneficium, in quo ab Episcopis seu præsidentibus, in quorum dioecesi ordinabantur, constituti erant. Vt in illis scilicet Ecclesiis eundem, cuius ordinationem accepisse visi sunt, gradum adipiscantur. Vbi licet expressè non dicatur, tacitè tamen subintelligitur, priùs vera ordinatione promouendos esse, vt idonei sint, qui locum illum teneant.

20. Possitne sacerdos dare alios ordines inferiores. Dico tertiò, probabile esse simplicem sacerdotem, sicut ex commissione Summi Pontificis potest esse minister sacramenti Confirmationis; sic ex eiusdem commissione ministrum esse posse ordinationis Diaconi & Subdiaconi. Primò, quia Florentinum in Decreto Eugenii non sine causa dixit Episcopum esse ministrum ordinarium huius sacramenti: significans alium quempiam extraordinarium esse posse: iuxta similem loquendi modum quo paulò ante dixerat de sacramento confirmationis, ordinarium eius ministrum esse Episcopum, aliquando tamen simplicem sacerdotem per Apostolicæ Sedis dispensationem illud administrasse. Secundò, Innocentius VIII. anno 1489. concessit Abbati Cistercienſi, vt sui ordinis Monachos posset Diaconos & Subdiaconos ordinare. Cuius bullæ mentionem faciunt Victoria in Summa num. 235. Nauar. lib. 5. consil. 13. & Vasq. disp. 243. num. 39. vbi testatur hoc priuilegium in collegio nostro Complutensi extare. Tertiò de minoribus ordinibus certum omnino est, posse conferri à non Episcopis. Constat enim tum ex praxi Ecclesiæ, tum ex Trident. sess. 23. cap. 10. de Reformat. Abbates quosdam ex priuilegio Summi Pontificis eos suis Religiosis conferre posse, atque etiam primam tonsuram.

Neque repugnat ordinandi potestatem duobus modis conferri posse: ordinariè quidem per sacramentum ordinis Episcopalis: extraordinariè verò per commissionem summi Pontificis. Nam neque Apostolis initio per sacramentum ordinis collata fuit, quo Christum vsum fuisse non apparet: sed potiùs simili quodam modo, quo eosdem sacerdotes constituit sine alia cerimonia, verbis illis Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*: aut quo Petrum Ecclesiæ principé, & pastorem vniuersalem creauit, dicés, *Pasce agnos meos, pasce oues meas*, Ioan. 21.

21. Possitne Episcopus ab vno solo ordinari? Denique licet ordinatores tres Episcopi requirantur ad ordinandum aliquem in Episcopum, vt patet ex epist. Aniceti Papæ ad Episcopos Galliæ, & ex epist. 5. Damasi Papæ contra Chorepiscopos: in quo differt illius ordinatio ab ordinatione sacerdotis, & aliorum Ordinum inferiorum, qui ab vnico Episcopo conferri possunt: Probabilius tamen est vnicum Episcopum, saltem ex commissione Summi Pontificis, sufficere posse. Qua de re vide Turrian. lib. 1. pro Canonibus Apost. cap. 22. ante medium, Vasq. disp. 243. cap. 6. Aegid. Con. disp. 20. dub. 9. num. 92. & Henriq. lib. 10. de Ordine, cap. 24. vbi testatur Gregorium XIII. hanc facultatem concessisse Patriarchæ Aethiopiæ è Societate Iesu: idque in India, & Iaponia sæpe factum esse. Solet etiam ad idem confirmandum adduci exemplum S. Gregorii magni, qui dicitur id permisisse Augustino Cãtuarienſi Episcopo, à se misso in Angliam: prout habetur inter eiusdem Gregorii decreta, in responsionibus ad Augustini interrogationes cap. 8. quæ extant i ter eius opera, lib. 12. Registri epist. 31. Idque significant prima illius responsionis verba, quicquid dicat Aegidius Coninc loco suprà cit. Nam Augustino interroganti, vtrum propter nimiam distantiam, & difficultatem habendi plures Episcopos, posset vnus solus Episcopum ordinare? sic respondet Gregorius: *Et quidem in Anglorum Ecclesia, in qua adhuc solus tu Episcopus inueniris, ordinare Episcopum non aliter, nisi sine Episcopis potes.* Addit verò, vt si aliquando de Galliis Episcopi veniant, illos sibi adiungat: & vt quando in ipsa Anglia Episcopi in locis satis propinquis fuerint constituti: non fiat Episcopalis ordinatio sine agregatis tribus vel quatuor Episcopis.

22. Requisita ad ordinandum licitè. Dico quartò, ad licitè ordinandum necessarium esse vt ordinans sit in statu gratiæ; & non ordinet nisi sibi subditos, vel alienos de licentia proprii. Quique aliter facit, suspenditur per annum à collatione Ordinum. Ordinatus verò suspensus manet ab executione Ordinis accepti, vsque ad beneplacitum proprii Episcopi. Tripliciter autem potest aliquis esse subiectus Episcopi. 1. Ratione originis, quia ex eius dioecesi oriundus est. 2. Ratione domicilii, quod ibi fixit, id est, quia ibi habitat animo perpetuò manendi. 3. Ratione Beneficii, quod in eius dioecesi obtinuit, vt dicitur cap. *Cùm nullus*, de temporibus ordinationum, in 6. Requiritur etiam vt ordinans nullâ censurâ sit irretitus, & non promoueat nisi dignos & habiles, id est, habentes eas conditiones quoad ætatem, scientiam, & probitatem,

quas sacri canones requirunt : idque temporibus ad ordinandum designatis : ac denique seruet omnia alia, quæ iure canonico, vel decretis Conciliorum statuta sunt. Quod nisi faciat, incurrit varias poenas, & censuras, vt patet ex dictis tract. præcedenti, præcipuè disp. 6. sect. 4. Tametsi valet ordinatio à quocunque fiat habente potestatem ordinandi, & quocunque tempore, aut modo, adhibitâ materiâ, & formâ essentiali circa subiectum capax, cum intentione faciendi quod Christus instituit.

SECTIO III.

De continentia seruanda, ab illis, qui maioribus Ordinibus initiantur.

23. Mos diuersus Eccles. Lat. & Græcæ quoad continentiam.

SVppono eos, qui ad maiores Ordines promouentur, obligari ad seruandam continentiam, tam in Græca, quàm in Latina Ecclesia : sed cum aliquo discrimine. Nam in Ecclesia Latina, si aliquis coniugatus initietur sacris Ordinibus, tenetur ab vxore separari : & vxor debet religionem ingredi, & profiteri : vel, si senior est, emittere saltem votum castitatis in manibus Episcopi : iuxta cap. 4. 5. & 6. de Conuersione coniugatorum. Græcis verò coniugatis licet retinere vxorem, & vti coniugio ; vt docent, aut supponunt Stephanus Papa cap. *Aliter*, dist. 31. Clemens III. cap. *Quæsitum*, de Pœnit. & remissionibus, & Innocentius III. cap. *Cùm olim*, De clericis coniugatis, & in fine Concilii Lateranen. Quorum verba relata, & expensa vide apud Arcud. lib. 7. de Sacrament. cap. 33. Commune verò est tam Græcis quam Latinis, vt post sacrum ordinem susceptum non possint amplius contrahere matrimonium, nec licitè, nec validè : peccentque non modò contra castitatem, sed & contra religionem peccato sacrilegii, si deinceps vllam copulam carnalem illicitam exerceant, ratione voti annexi sacrorum ordinum susceptioni.

24. Obligatio ad continentiam est iuris ecclesiastici.

Hoc supposito, difficultas est vnde oriatur hæc obligatio : seu quo iure teneantur Subdiaconi, Diaconi, & Sacerdotes minores, & maiores, id est, Episcopi, ad illâ continentiam seruandam ? Diuino, an solùm Ecclesiastico ?

Respondeo, & dico primò : Iure solùm ecclesiastico tenentur illi, qui maioribus ordinibus sunt initiati in Ecclesia Latina, non vti amplius matrimonio iam ante contracto. Ita communiter Theologi : & probatur primò, quia pauci, qui contrarium sentiunt, nullum proferunt ius diuinum, quo probent eiusmodi obligationem. Secundò, quia alioquin Ecclesia non potuisset dispensare cum Græcis, & permittere vt susceptis ordinibus maioribus maneant in vsu matrimonii antea contracti. Nam Ecclesia non potest dispensare in præceptis diuinis. Gratis autem fingeretur aliter Christum præcepisse respectu Ecclesiæ Græcæ, & aliter respectu Latinæ. Tertiò, quia Gregorius magnus lib. 1. Registri epist. 42. permisit Subdiaconis Siciliæ vti vxoribus ante ordinationem ductis, quamuis in posterum eales ordinari vetuerit, nisi vnà cum vxoribus continentiam promitterent. At hoc non permisisset, si iure diuino prohibitum esse intellexisset.

25. Iuris ecclesiastici est quòd post ordines sacros nō possit cōtrahi matrimonium.

Dico secundò, similiter iure solùm ecclesiastico prohibitum esse contrahere matrimonium iis omnibus, qui maioribus ordinibus initiati sunt. Probatur primò, quia hæc est fere communis sententia, contra quam nihil affertur solidi ad probandum id esse iuris diuini. Secundò, quia Concilium Ancyranum can. 10. permisit olim ordinari Diaconos, qui cum ordinarentur dicebant se non posse continere, velleque vxores ducere : & si vxores duxerint post ordinationem, permisit illis, vt nihilominus manerent in ministerio. Verba canonis sunt : *Diaconi quicunque, cùm ordinantur, si in ipsâ ordinatione protestati sint, dicentes se velle habere vxores, nec posse continere : hi postea si ad nuptias venerint, maneant in ministerio, propterea quòd his Episcopus licentiam dederit. Quicunque sanè tacuerunt, & susceperunt manus impositionem professi continentiam, si postea ad nuptias venerint, à ministerio cessare debebunt.* Tertiò, Concilium Trident. sess. 24. can. 9. satis perspicuè significat hoc tantùm esse iuris Ecclesiastici, cùm sic ait : *Si quis dixerit Clericos in sacris ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto &c. anathema sit.*

26. Est quoad aliquos iur apostolicū.

Dico tertiò, ius Ecclesiasticum prohibens Diaconis & Sacerdotibus iam initiatis contrahere matrimonium, vel vti coniugio antea contracto, fuit ab Apostolis ipsis inductum, & constitutum. Omitto Subdiaconos : quia constat aperte ex Innocentio III. cap. *A multis*, De ætate & qualitate ordinandorum, Subdiaconatum non habuisse semper annexam obligationem continentiæ, & votum seruandæ castitatis. Quando autem cœperit habere, vide apud Vasq. disp. 248. cap. 3. vbi ait cœpisse in Concilio Illiberitano can. 33. aliàs Eliberino, & Elibertino, circa tempora Sylvest. I. & Nicæni Concilii. Non obstante canone 27. Apostol. qui Lectoribus tantùm, cantoribusque permittit vxores accipere, reliquis omnibus ad clerum promotis interdicit : fuisse autem etiam tunc subdiaconos, patet ex can. 43. qui eorum expressè meminit, eosque à lectoribus & cantoribus distinguit. Sed ille canon vel nunquam editus fuit ab Apostolis, vt prætenditur : vel non fuit receptus, & in vsu ac vigore legis positus. Alioqui Ianitoribus quoque, Exorcistis, &

Digitized by Google

Acoluthis iam tum obligatio continentiæ fuiſſet impoſita, ſiquidem ſoli cantores & lectores excipiuntur: quod eſt abſurdum, & à nullo aſſeritur.

27. Probatur de epiſc. Presbyt. & Diac.

De aliis verò ordinibus, nempe Diaconatus & Sacerdotii, ſub quo Epiſcopatum ſemper in hac ſectione comprehendo, quia Epiſcopi ordine, ſunt neceſſariò presbyteri, probatur primò ex 1. Timoth. 5. v. 9. 12. & 13. vbi Paulus ſupponit viduas quæ tempore Apoſtolorum eligebantur, vt velut Diaconiſſæ miniſtrarent Eccleſiæ, fuiſſe obſtrictas voto caſtitatis: ideóque præcipit non eligi iuniores, quia *cùm luxuriatæ fuerint in Chriſto*, id eſt, cùm bonis Eccleſiæ ad proprium vſum abutentes, lautiùs ſe nutriuerint, & quod facilè ex eo ſequitur, ad laſciuiam ſtimulos ſentire cœperint, *nubere volunt: habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*, id eſt, promiſſionem Deo factam de ſeruanda continentia violauerunt. Sicque hunc locum intelligunt Auguſtinus, & alii Patres. Verba D. Auguſtini in pſal. 75. ad illum verſum, *Vouete & reddite Domino Deo veſtro*, hæc ſunt: *Quiſque quod vouere voluerit, voueat: illud attendat, vt quod vouerit, reddat* &c. *Quid autem ait de quibuſdam quæ vouerunt, & non reddiderunt? Habentes, inquit, damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Quid eſt primam fidem irritam fecerunt? Vouerunt, & non reddiderunt.* Similia habent Concilium Carthagin IV. can. 104. Ambroſ. ad virg. lapſam cap. 5. & Epiphan. lib. 2. hæreſi 61. Iam verò ſi à Diaconiſſis exigebatur iam tunc votum continentiæ, nec alia poterat aſſumi, niſi quæ tale votum emiſiſſet: quantò magis à Diaconis, Sacerdotibus, & Epiſcopis, quorum miniſteriſi longè ſanctius eſt?

28. Probatur ſecundò ex Conciliis, & Patribus. Nam in Concilio Carthagin. II. can. 2. ſic dicitur: *Epiſcopos, presbyteros, Diaconos ita placuit, vt condecet ſacroſanctos Antiſtites, & Dei ſacerdotes, nec non & leuitas, vel qui ſacramentis diuinis inſeruiunt, continentes eſſe in omnibus, quò poſſint ſimpliciter quod à Deo poſtulant impetrare. Vt quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſeruauit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus. Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt: Omnibus placet vt Epiſcopi, presbyteri, Diaconi, vel qui ſacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes, etiam ab vxoribus ſe abſtineant.* S. Epiphanius lib. 2 hæreſi 59. longè poſt initium, *Reuera*, inquit, *non ſuſcipit ſancta Dei prædicatio poſt Chriſti aduentum, eos, qui à nuptiis mortuâ eorum vxore, ſecundis nuptiis coniuncti ſunt; propter excellentem ſacerdotii honorem ac dignitatem. Et hæc certè ſancta Dei Eccleſia cum ſinceritate obſeruat. Sed & adhuc viuentem, & liberos gignentem vnius virum non ſuſcipit in Diaconum, presbyterum, & Subdiaconum: ſed eum qui ſe ab vna continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum, presbyterum, & Epiſcopum, & Subdiaconum, maximè vbi ſinceri ſunt canones Eccleſiaſtici.* Quod vltimum putat Epiphanium addere maximè propter Subdiaconos: quibus tamen longè ante ipſum in Concilio Illiberitano impoſitum fuerat præceptum continentiæ, æquè ac ordinibus ſuperioribus: atque etiam in ſynodo Romana ſub Sylueſt. I. can. 8.

29. Euſeb. lib. 1. de Demonſtrat. Euangel. cap. 9. *Nunc*, inquit, id eſt, toto tempore Euangelii, *prædicatores verbi Diuini neceſſariò ſeparationem à coniugio amplectuntur, vt meliori exercitio vacent, dantes operam generationi ſpirituali, non vnius, aut duorum, ſed innumerabilis multitudinis filiorum.* Ex quibus & ſimilibus Scripturæ, Conciliorum, & Patrum teſtimoniis collige vſum Græcorum non eſſe conformem primæ & Apoſtolicæ ordinationi; neque ab initio fuiſſe, cùm ipſi Patres Græci antiqui contrarium teſtentur: ſed poſtea inductum ab illis fuiſſe, & permiſſum ab Eccleſia diſpenſante in iure illo poſitiuo & Eccleſiaſtico, tametſi Apoſtolico.

30. Porro quamuis, vt patet ex dictis, prohibitum fuerit ab initio Diaconis presbyteris, & Epiſcopis iam ordinatis contrahere matrimonium: non tamen conſtat matrimonium ab illis contractum fuiſſe ab initio irritum, ſicut nunc eſt iure Eccleſiaſtico, vt dicemus diſp. 75. ſect. 2. num. 19. Iura enim quæ afferuntur ab aliquibus ad id probandum, ſolùm oſtendunt fuiſſe prohibitum. Quin potius validum fuiſſe matrimonium à Diaconis continentiam profeſſis contractum, colligi facilè poteſt ex canone 10. Concilii Ancyrani ſuprà relato. Vbi in fine dicitur ſolùm Diaconos, qui profeſſi continentiam in ordinatione, poſtea matrimonium duxerint, debere à miniſterio ceſſare: non autem debere ab vxoribus ſeparari, ſiue potius à concubinis, ſi matrimonium fuiſſet inualidum. Iiſdemque permittitur communio laica: quæ ſanè permitti non potuiſſet manentibus in matrimonio inualido, & vero concubinatu. Ita Aegid. Con. diſp. 20. num. 116. Pluraque ad idem confirmandum adducit Baſilius Pontius lib. 7. de Matrimonio, cap. 27.

Fuerit ne ab initio inualidum matrim. poſt factos ordines.

31. Dico quartò, Clericos maioribus ordinibus initiatos obligari ad continentiam non ſolùm ex voto, ſed etiam ex præcepto Eccleſiaſtico immediatè. Probatur, quia ſi Eccleſia tantùm obligaret ad continentiã mediante voto, quod exigit ab iis qui ſacros ordines ſuſcipiunt: ergo qui votum non emitterent, vel quia illud ignorant, vt contingere poteſt, vel quia fictè tantùm & apparenter vouent; peccarent quidem contra præceptum Eccleſiæ non vouendo: ſed non peccarent contra votum quod in tali caſu non eſſet: & ſi vterentur matrimonio ante ordines contracto, non peccarent omnino contra caſtitatem. Si verò contraherent poſt ſuſceptos ordines, matrimonium non foret inualidum, ſi lex prohibens atque irritans matrimonia ſacrorum miniſtrorum eſſet fundata in voto, eoque ſolum mediante obligaret. Vnde neque etiam tales

Sacri ordines obligãt tum ex voto, tũ etiã ex præcepto eccleſiæ.

Digitized by Google

vtentes matrimonio peccarent contra castitatem: quia valeret matrimonium: ac neque contra religionem, quia non facerent contra votum.

32 Quomodo potest continentia præcipi ab Ecclesia?

Dices: Ecclesia non potest obligare ad seruandam continentiam non necessariam iure naturali (qualis est illa, de qua nunc loquimur) sine consensu libero eius qui obligatur. At ille consensus non habetur nisi per votum scienter & liberè emissum ab ordinato. Ergo Ecclesia non potest obligare ad continentiam nisi per votum, adeóque non nisi mediante voto.

Respondeo negando minorem. Potest enim Ecclesia immediatè obligare, vt qui voluerit suscipere sacros ordines, seruet continentiam. Ita vt consensus ordinati requiratur solùm ad ordinem suscipiendum si velit: non autem ad contrahendam illam obligationem, posito quòd ordinari velit. Potest etiam Ecclesia immediatè irritare matrimonia à talibus ordinatis contracta, independenter ab eorum consensu circa talem irritationem: sicut reipsa fecit. Ex quo sumitur nouum argumentum pro conclusione proposita. Nam Ecclesia eo ipso quòd reddit hunc contractũ clericorum irritum, & personas facit inhabiles ad contrahendum matrimonium, propter motiuum virtutis religionis, & reuerentiam ac dignitatem ordinis quem suscipiunt: hoc, inquam, ipso prohibet illis omnem copulam carnalem cum personis, quibuscum validè contrahere non possunt, vi legis irritantis ab Ecclesia latæ: atque eatenus obligat illos ad continentiam: vt rectè post Sanchem lib. 7. de Matrim. disp. 5. num. 7. docet Aegidius Con. sup. num. 130. vbi nobiscum sentit.

SECTIO IV.

Respondetur argumentis contrariis.

33. Prima obiectio ex Patribus.

CONtra doctrinam præcedentem opinatur primò Franciscus Turrian. lib. 2. de dogmaticis characteribus, vbi contendit iure & præcepto diuino obligari eos, qui post contractum matrimonium susceperunt sacros ordines, non vti ampliùs coniugio: multóque magis teneri eodem iure diuino non contrahere matrimonium post sacrum ordinem susceptum. Sed quæ opponit ex Scriptura, ne apparenter quidem probant id quod intendit. Ex patribus, aliquid habent apparentiæ verba quæ refert ex Syricio Papa in epist. 1. ad Himerium Tarraconensem Episcopum cap. 7. & ex Epiphan. Hæresi 59. Verba Syricii hæc sunt: *Vnde & Dominus Iesus cùm suo nos illustrasset aduentu, in Euangelio protestatur, quia legem venerit implere, non soluere. Et ideo Ecclesiam, cuius sponsus est speciosus formâ, castitatis voluit splendore radiare: vt in die iudicii, cùm rursus aduenerit, sine macula & ruga eam possit, sicut per Apostolum suum instituit, reperire. Quarum sanctionum sacerdotes omnes atque Leuitæ insolubili lege constringimur, vt à die ordinationis nostræ, sobrietati ac pudicitiæ, & corda nostra mancipemus, & corpora: dummodo per omnia Deo nostro, in his quæ quotidie offerimus sacrificiis, placeamus.* Epiphanius autem loco citato habet loquens de Catharis, qui cum laicis bigamis communicare nolebant: *Et non intelligentes doctrinæ Dei sinceritatem, ad aliam vitã decepti conuersi sunt, nescientes quòd hæc est diuinæ Scripturæ traditio, ac consequentia. Quæ enim ad sacerdotium tracta sunt, propter eminentiam celebrationis sacrorum, ea ad omnes æqualiter ferri putauerunt, cum audierint quòd oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, continentem: similiter & Diaconum, & Presbyterum. Re vera enim non susipit sancta Dei prædicatio, post Christi aduentum, eos, qui à nuptiis mortuis eorum vxore, secundis nuptiis coniuncti sunt &c. Sed & adhuc viuentem & liberos gignentem vnius vxoris virum non suscipit in Diaconum, Presbyterum, Episcopum &c.*

34. Explicatur Syricius.

Ad quę Respondeo, verba Syricii non plus probare, quàm continentiam ministrorum Ecclesiæ esse secundum Christi voluntatem, & beneplacitum, qui voluit Ecclesiam Euangelicam castitatis splendore radiare: & esse pariter ex institutione, seu constitutione & præcepto Apostolico, lato secundum Christi beneplacitum & intentionem, vt significant verba illa Syricii, *Sicut per Apostolum suum instituit.* Eódemque refertur id quod sequitur, *Quarum sanctionum Sacerdotes omnes atque Leuitæ insolubili lege constringimur* &c. Lege scilicet Apostolica, insolubili, hoc est, quam sacerdotibus ipsis & Leuitis soluere non liceat, ac transgredi: adeóque insolubili respectu ipsorum: quamuis non sit alio sensu insolubilis respectu Ecclesiæ, quasi nequeat in ea dispensare. Similique modo intelligendum est quod Turrianus obiicit ex Eusebio lib. 1. de Demonstrat. Euangel. cap. 9. sub finem, *Ne noui quidem Testamenti legibus* &c. Per leges enim noui Testamenti de continentia sacrorum hominum, intelligit ibi leges ab Apostolis traditas in nouo Testamento, sed non à Christo ipso, vel à Deo immediatè latas.

35. Exponitur Epiphan.

Epiphanius verò per illa verba, *Non intelligentes doctrinæ Dei sinceritatem*, intelligit idem quod illis sequentibus, *Nescientes quòd hæc est Scripturæ diuinæ traditio*: & per vtraque intelligit verba Pauli Apostoli expressa in Scripturæ diuinæ traditione, quæ postea subiungit, *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, continentem.* Ex quo non aliud inferri potest, quàm illud esse præceptum Apostolicum ex mente Epiphanii. Quod ampliùs confirmatur quia Epiphanius ibidem loquitur eodem modo de Bigamis non admittendis ad sacerdotium. At neque Epiphanius, neque vllus

Digitized by Google

alius ſenſit huc vſque præceptum illud de Bigamis non ordinandis eſſe diuinum : ſed omnes docent conſtanter eſſe Eccleſiaſticum, & ab Eccleſia diſpenſabile, ſicut non rarò diſpenſatur. Et hactenus contra Turrianum.

36. Argumenta ſchiſm. & hæretic.

Secundò, Græci ſchiſmatici Eccleſiam latinam reprehendunt, quòd ordinatos poſt coniugium iubeat ab vxoribus ſeparari, & amplius non vacare coniugio. Hæretici verò huius temporis in eo quidem cum Græcis ſchiſmaticis conueniunt; ſed vlteriùs addunt malè & iniuſtè ab Eccleſia ſtatutũ fuiſſe, vt illi ipſi, qui iam ſacris ordinibus initiati ſunt, non poſſint contrahere matrimonium. Argumenta eorum hæc præcipuè ſunt. Primò, quòd Paulus Hebr. 13. dicat connubium eſſe honorabile in omnibus, adeóque in ſacerdotibus. Et 1. Timoth. 3. velit Epiſcopum eſſe vnius vxoris virum. Et cap. 4. eiuſdem epiſtolæ dicat nouiſſimis temporibus aliquos introducturos doctrinam Dæmoniorum prohibentem nubere. Secundò, quòd Apoſtoli ipſi habuerint vxores, eaſque circumduxerint : vt teſtatur idem Apoſtolus 1. Corinth. 9. v. 5. Item in can. 6. Apoſtol. præcipitur ne Epiſcopus vxorem prætextu religionis abiiciat. Et in Concil. Gangrenſi can. 4. prohibetur diſcerni presbyterum coniugatum, quaſi occaſione nuptiarum non debeat offerre. Tertiò, quòd in Concil. Niceno Paphnutius huic legi ſe oppoſuerit, omnibuſque Concilii Patribus perſuaſerit, vt vſum vxorum permitterent. Quòdque in can. 13. Synodi VI. in Trullo apertè damnetur conſuetudo Eccleſiæ Romanæ de voto continentiæ in ordinatione. Quartò, quòd matrimonium ſit iuris naturalis : ideóque ab Eccleſia prohiberi nequiuerit. Quintò, quòd donum continentiæ paucorum ſit, & paucis à Deo donetur, quantumuis poſtulantibus; quia non eſt ad ſalutem neceſſarium : ac neque ſacerdotibus antiquæ legis naturalis, aut ſcriptæ, neque ſanctis illius eximiis, Abrahamo, Moiſi, Dauidi, & ſimilibus conceſſum fuerit. Ergo malè exigitur illius votum paſſim & indifferenter à quibuſlibet ad ſacerdotium accedentibus. Eſtque votum illud irritum : quia votum debet eſſe de meliori bono : *At melius eſt nubere, quàm vri*: Et *vnuſquiſque ſuam vxorem habeat propter fornicationem*, vt ait Paulus Apoſtolus.

37. Quo ſenſu dicitur matrimonium honorabile in omnib.

Sed hæc omnia, & his ſimilia, à pluribus ſcriptoribus Catholicis, præcipuéque à Bellarm. lib. 1. *de Clericis*, Valentia quæſt. 5. de Ordine punct. 5. Barrault. tom. 2. Clypei cap. 11. & ſequentibus, Petro Arcud. lib. 7. de Sacrament. à cap. 36. tam abundè, & tam frequenter ſoluta ſunt, vt operæ pretium fore non putem in his refellendis diutius immorari. Summa reſponſionum hæc eſt. Ad primum : Paulum Hebr. 13. tantùm hortari fideles coniugatos, vt connubium ſuum reddant honorabile in omnibus, id eſt, omni ex parte; & thorum ſuum ſeruent immaculatum. Honorabile, inquá, ex parte fidei mutuo datæ & bene ſeruatæ; ex parte prolis ſuſceptę, & bene educatæ; & ex omnibus aliis ad matrimoniũ pertinentibus. *Fornicatores enim & adulteros iudicabit D us*, vt ibidem addit immediatè Apoſtolus. Manifeſtè verò ineptus eſt ſenſus, quem prætendunt hæretici, nempe honorabile eſſe connubium in omnibus, id eſt, inter omnes, ſiue, inter quoſcunque. Ex quo ſequeretur eſſe quoque honorabile inter fratrem & ſororem, inter patrem & filiam, inter filiũ & matrẽ. Quod vel ipſorummet iudicio falſum & abſurdũ eſt. Sicut autem nõ eſt honorabile inter eos, qui habent impedimentum illud naturale conſanguinitatis : ita neque inter alios habentes aliud legitimum impedimentum : vt de viduis poſt votum caſtitatis nubentibus affirmat idem Apoſtolus 1. Timoth. 5. v. 12. Et 1. Corinth. 7. hortatur fideles coniugatos vt ad tempus abſtineant ab vſu coniugii, vt vacent orationi. Sacerdotes autem Euangelici debent ſemper orationibus & ſacrificiis offerendis incumbere : adeóque ſemper à coniugio abſtinere.

38. Et Epiſc. vnius vxoris vir.

Quod verò ait idem Apoſtolus 1. Timoth. 3. v. 2. debere eſſe Epiſcopum vnius vxoris virum, idem eſt iuxta ſenſum Pauli, ac non debere ad Epiſcopatum eligi Bigamum. At non præcipit Apoſtolus, vt ſi vxorem, quam vnicam duxit, adhuc viuentem habet; eam retineat, & in vſu coniugii perſeueret. Sed potiùs cõſuetudo & lex contraria fuit ab Apoſtolis introducta, vt oſtendimus ſupra variis Antiquorum teſtimoniis. Quibus adde, quod ad præſentem locum attinet, illud Hieronymi lib. 1. contra Vigilant. paulò poſt initium, *Quid facient Orientis Eccleſiæ, quid Ægyptii, aut ſedes Apoſtolicæ, quæ aut virgines, Clericos accipiunt, aut continentes, aut ſi vxores habuerunt, deſinunt eſſe mariti.* Et lib. 1. contra Iouinian. *Certè confiteris non poſſe eſſe Epiſcopum, qui in Epiſcopatu filios faciat. Alioquin ſi deprehenſus fuerit, non quaſi vir tenebitur, ſed quaſi adulter damnabitur.* Ambroſius lib 3. epiſt. 82. quæ eſt ad Vercellenſem Eccleſiam, poſt medium. *Neque iterum vt filios in ſacerdotio creare Apoſtolica imitetur authoritate : habentem enim dixit filios : non, facientem.* Eodemque modo locum citatum Pauli intelligunt S. Leo epiſt. 84. ad Anaſtaſ. cap. 4. & Epiphan. Hæreſi 59.

39. Quæ doctrina dæmõ. prohibet nuptias ?

Illud autem 1. Timoth. 4. v. 1. & 3. de doctrina Dæmoniorum prohibente nubere : intelligendum eſt de hæreticis damnantibus nuptias vt peſſimas, & illicitas ſimpliciter : cuiuſmodi fuerunt Manichæus, Marcion, & Tatianus : vt exponunt Sanctus Auguſt. lib 30. contra Fauſtum cap. 6. Hieron. lib. 1. contra Iouinian. Chryſoſt. Ambroſ. & alii interpretes Pauli ad eundem locum. Nec obeſt quod Paulus ait,

vtentes matrimonio peccarent contra caſtitatem: quia valeret matrimonium: ac neque contra religionem, quia non facerent contra votum.

32 Quomodò poteſt continentia præcipi ab Eccleſia?

Dices: Eccleſia non poteſt oligare ad ſeruandam continentiam non neceſſariam iure naturali (qualis eſt illa, de qua nunc loquimur) ſine conſenſu libero eius qui obligatur. At ille conſenſus non habetur niſi per votum ſcienter & liberè emiſſum ab ordinato. Ergo Eccleſia non poteſt obligare ad continentiam niſi per votum, adeóque non niſi mediante voto.

Reſpondeo negando minorem. Poteſt enim Eccleſia immediatè obligare, vt qui voluerit ſuſcipere ſacros ordines, ſeruet continentiam. Ita vt conſenſus ordinati requiratur ſolùm ad ordinem ſuſcipiendum ſi velit: non autem ad contrahendam illam obligationem, poſito quòd ordinari velit. Poteſt etiam Eccleſia immediatè irritare matrimonia à talibus ordinatis contracta, independenter ab eorum conſenſu circa talem irritationem: ſicut reipſa fecit. Ex quo ſumitur nouum argumentum pro concluſione propoſita. Nam Eccleſia eo ipſo quòd reddit hunc contractũ clericorum irritum, & perſonas facit inhabiles ad contrahendum matrimonium, propter motiuum virtutis religionis, & reuerentiam ac dignitatem ordinis quem ſuſcipiunt: hoc, inquam, ipſo prohibet illis omnem copulam carnalem cum perſonis, quibuſcum validè contrahere non poſſunt, vi legis irritantis ab Eccleſia latæ: atque eatenus obligat illos ad continentiam: vt rectè poſt Sanchem lib. 7. de Matrim. diſp. 5. num. 7. docet Aegidius Con. ſup. num. 130. vbi nobiſcum ſentit.

SECTIO IV.

Reſpondetur argumentis contrariis.

33. Prima obiectio ex Patribus.

CONtra doctrinam præcedentem opinatur primò Franciſc. Turrian. lib. 2. de dogmaticis characteribus, vbi contendit iure & præcepto diuino obligari eos, qui poſt contractum matrimonium ſuſceperunt ſacros ordines, non vti ampliùs coniugio: multóque magis teneri eodem iure diuino non contrahere matrimonium poſt ſacrum ordinem ſuſceptum. Sed quæ opponit ex Scriptura, ne apparenter quidem probant id quod intendit. Ex patribus, aliquid habent apparentiæ verba quæ refert ex Syricio Papa in epiſt. 1. ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum cap. 7. & ex Epiphan. Hæreſi 59. Verba Syricii hæc ſunt: *Vnde & Dominus Ieſus cùm ſuo nos illuſtraſſet aduentu, in Euangelio proteſtatur, quia legem venerit implere, non ſoluere. Et ideo Eccleſiam, cuius ſponſus eſt ſpecioſus formâ, caſtitatis voluit ſplendore radiare: vt in die iudicii, cùm rurſus aduenerit, ſine macula & ruga eam poſſit, ſicut per Apoſtolum ſuum inſtituit, reperire. Quarum ſanctionum ſacerdotes omnes atque Leuitæ inſolubili lege conſtringimur, vt à die ordinationis noſtræ, ſobrietati ac puritati, & corda noſtra mancipemus, & corpora: dummodo per omnia Deo noſtro, in his quæ quotidie offerimus ſacrificiis, placeamus.* Epiphanius autem loco citato ſic habet loquens de Catharis, qui cum laicis bigamis communicare nolebant: *Et non intelligentes doctrinæ Dei ſinceritatem, ad aliam vitã decepti conuerſi ſunt, neſcientes quòd hæc eſt diuinæ Scripturæ traditio, ac conſequentia. Quæ enim ad ſacerdotium tradita ſunt, propter eminentiam celebrationis ſacrorum, ea ad omnes æqualiter ferri putauerunt, cum audierint quòd oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris virum, continentem: ſimiliter & Diaconum, & Presbyterum. Re vera enim non ſuſcipit ſancta Dei prædicatio, poſt Chriſti aduentum, eos, qui à nuptiis mortua eorum vxore, ſecundis nuptiis coniuncti ſunt &c. Sed & adhuc viuentem & liberos gignentem vnius vxoris virum non ſuſcipit in Diaconum, Presbyterum, Epiſcopum &c.*

34. Explicatur Syricius.

Ad quę Reſpondeo, verba Syricii non plus probare, quàm continentiam miniſtrorum Eccleſiæ eſſe ſecundum Chriſti voluntatem, & beneplacitum, qui voluit Eccleſiam Euangelicam caſtitatis ſplendore radiare: & eſſe pariter ex inſtitutione, ſeu conſtitutione & præcepto Apoſtolico, lato ſecundum Chriſti beneplacitum & intentionem, vt ſignificant verba illa Syricii, *Sicut per Apoſtolum ſuum inſtituit.* Eódemque refertur id quod ſequitur, *Quarum ſanctionum Sacerdotes omnes atque Leuitæ inſolubili lege conſtringimur* &c. Lege ſcilicet Apoſtolica, inſolubili, hoc eſt, quam ſacerdotibus ipſis & Leuitis ſoluere non liceat, ac tranſgredi: adeóque inſolubili reſpectu ipſorum: quamuis non ſit alio ſenſu inſolubilis reſpectu Eccleſiæ, quaſi nequeat in ea diſpenſare. Similique modo intelligendum eſt quod Turrianus obiicit ex Euſebio lib. 1. de Demonſtrat. Euangel. cap. 9. ſub finem, *Ne noui quidem Teſtamenti legibus* &c. Per leges enim noui Teſtamenti de continentia ſacrorum hominum, intelligit ibi leges ab Apoſtolis traditas in nouo Teſtamento, ſed non à Chriſto ipſo, vel à Deo immediatè latas.

35. Exponitur Epiphan.

Epiphanius verò per illa verba, *Non intelligentes doctrinæ Dei ſinceritatem*, intelligit idem quod illis ſequentibus, *Neſcientes quòd hæc eſt Scripturæ diuinæ traditio*: & per vtraque intelligit verba Pauli Apoſtoli expreſſa in Scripturæ diuinæ traditione, quæ poſtea ſubiungit, *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris virum, continentem.* Ex quo non aliud inferri poteſt, quàm illud eſſe præceptum Apoſtolicum ex mente Epiphanii. Quod ampliùs confirmatur quia Epiphanius ibidem loquitur eodem modo de Bigamis non admittendis ad ſacerdotium. At neque Epiphanius, neque vllus

alius sensit huc vsque præceptum illud de Bigamis non ordinandis esse diuinum : sed omnes docent constanter esse Ecclesiasticum, & ab Ecclesia dispensabile, sicut non rarò dispensatur. Et hactenus contra Turrianum.

36. Argumenta sch smatic. & hæretic.

Secundò, Græci schismatici Ecclesiam latinam reprehendunt, quòd ordinatos post coniugium iubeat ab vxoribus separari, & amplius non vacare coniugio. Hæretici verò huius temporis in eo quidem cum Græcis schismaticis conueniunt; sed vlteriùs addunt malè & iniustè ab Ecclesia statutũ fuisse, vt illi ipsi, qui iam sacris ordinibus initiati sunt, non possint contrahere matrimonium. Argumenta eorum hæc præcipuè sunt. Primò, quòd Paulus Hebr. 13. dicat connubium esse honorabile in omnibus, adeóque in sacerdotibus. Et 1. Timoth. 3. velit Episcopum esse vnius vxoris virum. Et cap. 4. eiusdem epistolæ dicat nouissimis temporibus aliquos introducturos doctrinam Dæmoniorum prohibentem nubere. Secundò, quòd Apostoli ipsi habuerint vxores, easque circumduxerint : vt testatur idem Apostolus 1. Corinth. 9. v. 5. Item in can. 6. Apostol. præcipitur ne Episcopus vxorem prætextu religionis abiiciat. Et in Concil. Gangrensi can. 4. prohibetur discerni presbyterum coniugatum, quasi occasione nuptiarum non debeat offerre. Tertiò, quòd in Concil. Niceno Paphnutius huic legi se opposuerit, omnibusque Concilii Patribus persuaserit, vt vlum vxorum permitterent. Quòdque in can. 13. Synodi VI. in Trullo apertè damnetur consuetudo Ecclesiæ Romanæ de voto continentiæ in ordinatione. Quartò, quòd matrimonium sit iuris naturalis : ideóque ab Ecclesia prohiberi nequiuerit. Quintò, quòd donum continentiæ paucorum sit, & paucis à Deo donetur, quantumuis postulantibus; quia non est ad salutem necessarium : ac neque sacerdotibus antiquæ legis naturalis, aut scriptæ, neque sanctis illius eximiis, Abrahamo, Moisi, Dauidi, & similibus concessum fuerit. Ergo malè exigitur illius votum passim & indifferenter à quibuslibet ad sacerdotium accedentibus. Estque votum illud irritum : quia votum debet esse de meliori bono : *At melius est nubere, quàm vri*: Et *vnusquisque suam vxorem habeat propter fornicationem*, vt ait Paulus Apostolus.

37.

Sed hæc omnia, & his similia, à pluribus scriptoribus Catholicis, præcipuéque à Bellarm. lib. 1. *de Clericis*, Valentia quæst. 5. de Ordine punct. 5. Barrault. tom. 2. Clypei cap. 11. & sequentibus, Petro Arcud. lib. 7. de Sacrament. à cap. 36. tam abundè, & tam frequenter soluta sunt, vt operæ pretium fore non putem in his refellendis diutius immorari. Summa responsionum hæc est. Ad primum : Paulum Hebr. 13. tantùm hortari fideles coniugatos, vt connubium suum reddant honorabile in omnibus, id est, omni ex parte; & thorum suum seruent immaculatum. Honorabile, inquá, ex parte fidei mutuo datæ & bene seruatæ; ex parte prolis susceptę, & bene educatæ; & ex omnibus aliis ad matrimoniũ pertinentibus. *Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus*, vt ibidem addit immediatè Apostolus. Manifestè verò ineptus est sensus, quem prætendunt hæretici, nempe honorabile esse connubium in omnibus, id est, inter omnes, siue, inter quoscunque. Ex quo sequeretur esse quoque honorabile inter fratrem & sororem, inter patrem & filiam, inter filiũ & matrẽ. Quod vel ipsorummet iudicio falsum & absurdũ est. Sicut autem nõ est honorabile inter eos, qui habent impedimentum illud naturale consanguinitatis : ita neque inter alios habentes aliud legitimum impedimentum : vt de viduis post votum castitatis nubentibus affirmat idem Apostolus 1. Timoth. 5. v. 12. Et 1. Corinth. 7. hortatur fideles coniugatos vt ad tempus abstineant ab vsu coniugii, vt vacent orationi. Sacerdotes autem Euangelici debent semper orationibus & sacrificiis offerendis incumbere : adeóque semper à coniugio abstinere.

Quod verò ait idem Apostolus 1. Timoth. 3. v. 2. debere esse Episcopum vnius vxoris virum, idem est iuxta sensum Pauli, ac non debere ad Episcopatum eligi Bigamum. At non præcipit Apostolus, vt si vxorem, quam vnicam duxit, adhuc viuentem habet; eam retineat, & in vsu coniugii perseueret. Sed potiùs cõsuetudo & lex contraria fuit ab Apostolis introducta, vt ostendimus supra variis Antiquorum testimoniis. Quibus adde, quod ad præsentem locum attinet, illud Hieronymi lib. 1. contra Vigilant. paulò post initium, *Quid facient Orientis Ecclesiæ, quid Aegyptii, aut fides Apostolica, quæ aut virgines, Clericos accipiunt, aut continentes, aut si vxores habuerant, desinunt esse mariti.* Et lib. 1. contra Iouinian. *Certè confiteris non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat. Alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur.* Ambrosius lib 3. epist. 82. quæ est ad Vercellensem Ecclesiam, post medium. *Neque iterum vt filios in sacerdotio creare Apostolica inuitetur authoritate : habentem enim dixit filios : non, facientem.* Eodemque modo locum citatum Pauli intelligunt S. Leo epist. 84. ad Anastas. cap. 4. & Epiphan. Hæresi 59.

38. Et Episc. vnius vxoris vir.

Illud autem 1. Timoth. 4. v. 1. & 3. de doctrina Dæmoniorum prohibente nubere : intelligendum est de hæreticis damnantibus nuptias vt per sem alas, & illicitas simpliciter : cuiusmodi fuerunt Manichæus, Marcion, & Tatianus : vt exponunt Sanctus Augustt. lib 30. contra Faustum cap. 6. Hieron. lib. 1. contra Iouinian. Chrysost. Ambros. & alii interpretes Pauli ad eundem locum. Nec obest quod Paulus ait,

39. Quæ doctrina dæmõ. prohibet nuptias?

Quo sensu dicitur matrimonium honorabile in omnib.

Digitized by Google

Nouiſſimus temporibus. Nam totum tempus Eccleſiæ Chriſtianæ dicitur finis ſæculorum, & nouiſſima hora 1. Corinth. 10. v. 11. & 1. Ioan. 2. v. 18. Et alioqui Sancti Patres non potuiſſent ex eo loco Pauli argumentari contra Manichæos velut à Paulo deſignatos. In textu græco pro *nouiſſimis*, eſt ὑστέροις, id eſt poſteris tribus.

40. Nō omnes Apoſtoli fuerunt cōiugati.

Ad ſecundum: falſum eſt omnes Apoſtolos fuiſſe coniugatos: neque vllum conſtat fuiſſe talem, præter Petrum Apoſtolum. Per ſorores verò mulieres, de quibus Paulus 1. Corinth. 9. v. 5. intelligendæ ſunt, non coniuges, ſed piæ mulieres diſcipulæ Apoſtolorum, quæ eos ſequebantur vt illis neceſſaria vitæ ſubſidia miniſtrarent: cuiuſmodi erant illæ quæ Chriſtum ſequebantur, quarum fit mentio Luc. 8. v. 2. & 3. & Matth. 27. v. 55. vt exponunt S. Hieron. lib. 1. contra Iouin. Auguſt. in lib. de opere Monachorum cap. 4. & 5. Tertull. lib. de Monogamia cap. 8. Chryſoſt. Ambroſ. Theodoret. & alii interpretes in locum Pauli citatum.

41. Epiſc. ad quid teneatur ergo vxorem relictam?

At verò in canone 6. Apoſtolorū non præcipitur, vt Epiſcopus cohabitet cum vxore ſed vt non penitùs eam abiici..., ita vt ei deneget, aut non ei procuret, quantum eſt opus, ea quæ ſunt ad vitam neceſſaria. Quod malum eſt, iuxta illud 1. Timoth. 4. *Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum, curam non habet, fidem negauit, & infideli deterior eſt.* Canon autem quartus Concilii Gangrenſis loquitur de presbytero non adhuc vrente coniugio, ſed qui ante presbyteratum, nuptias contraxiſſet. Loquiturque contra aliquos illius temporis hæreticos, qui nuptias tanquam malas damnabant, & propter illas abhorrebant à precibus & ſacrificiis talium ſacerdotum: vt patet ex præfatione illius Concilii, & ex verſione omnium antiquiſſima illius canonis, quæ eſt Dionyſii exigui, & habetur tom. 1. Conciliorum.

42. Fabula de Paphnu.

Ad tertium: Hiſtoriam illam Paphnutii incertam, aut potiùs fabuloſam eſſe oſtendit conſuetudo contraria, quæ ante, & tunc, ac poſtea viguit in Eccleſia, vt teſtantur SS. Patres, & Concilia locis ſuprà relatis. Et quamuis vera eſſet: probaret dumtaxat præceptum illud eſſe iuris Eccleſiaſtici, in quo Eccleſia tunc diſpenſauerit. Synodus verò Trullana illegitima eſt, & eius canones nullius ſunt momenti.

Matrimonium quomodo eſt iuris naturalis.

Ad quartum dico, matrimonium eſſe iuris naturalis permiſſiuè: at non præceptiuè, reſpectu cuiuſlibet particularis. Poſſunt autem multa prohiberi iure poſitiuo, quæ iure naturali nobis permiſſa ſunt, vt patet ex legibus humanis multa eiuſmodi prohibentibus. At neque Eccleſia prohibet ſimpliciter nuptias: ſed tantùm exigit veluti conditionem oneroſam ab iis, qui ſacros ordines volunt ſuſcipere, vt continentiam profiteantur, propter dignitatem & reuerentiam ordinis. Illis autem liberum eſt ordinari vel non ordinari, & conſequenter profiteri vel non profiteri continentiam.

43.

Ad quintum: ſtatus quidem continentiæ non debet temere, & ſine Dei vocatione ſuſcipi; propter difficultatem, ob quam ſpecialis Dei gratia neceſſaria eſt. Cùm tamen in Scriptura conſilium continentiæ ad omnes dirigatur, qui ſentiunt ſe à Deo vocari, & Paulus eos omnes ad illam hortetur 1. Corinth. 7. v. 7. Deus paratus eſt dare auxilia illi ſeruandæ neceſſaria, omnibus eius vocationem, & Pauli exortationem ſequi volentibus. Atque vt Tridentinum ait ſeſſ. 24. can. 9. Deus nemini rectè petenti donum continentiæ denegat, nec patitur nos, ſupra id quod poſſumus, tentari. Neque deſunt media efficacia, quibus corpus domari, & concupiſcentiæ motus effrænes cohiberi poſſint. Illiſque vti debent, qui votum continentiæ emiſerunt: non autem cauſari ſe non ſentire in ſeipſis donum continentiæ: ideóque matrimonium ſibi licitum eſſe, quia melius eſt nubere, quàm vri. Alia verò eſt ratio hac in parte veteris legis, & nouæ. Nam vt ſapienter ait D. Auguſt. lib. de Bono coniugali cap. 9. circa finem, *Primis temporibus generis humani, maximè propter Dei populum propagandum, per quem prophetaretur & naſceretur princeps & ſaluator omnium populorum, vti debuerunt ſancti iſto, non propter ſe expetendo, ſed propter aliud neceſſario, bono nuptiarum. Nunc verò cùm ad inundam ſanctam & ſinceram ſocietatem vndique ex omnibus gentibus copia ſpiritualis cognationis exuberet: etiam propter filios ſolos connubia copulare cupientes, vt ampliore continentiæ bono potiùs vtantur, admonendi ſunt.* Et Ambroſii commentarius in cap. 3. Epiſt. 1. ad Timoth. *Veteribus idcirco conceſſum eſt leuitis, aut ſacerdotibus vxores ad vſum habere: quia multum temporis otio vacabant à miniſterio, aut ſacerdotio &c.*

Dicere autem quòd votum continentiæ non ſit de meliori bono, eſt apertè contradicere Paulo 1. Corinth. 7. v. 25. & ſequentibus. Nec obeſt illud eiuſdem Apoſtoli, *Melius eſt nubere quàm vri.* Neque enim propterea melius eſt nubere, quàm corpus ieiuniis, vigiliis, ciliciis, & aliis auſteritatibus domare propter Chriſtū, vtſpiritui ſeruiat, & continentiam Deo promiſſam ſeruet. Quòd ſi quis nondum ſe voto, aut lege continentiæ obſtrinxit liberè, neque ſentiat ſe à Deo vocari ad ſtatum continentiæ, aut non velit vti remediis tam duris, & corpori rebelli vim facere: nubat, & vxorem ducat ad vitandam fornicationem: de illo enim intelligendus eſt Apoſtolus locis vltimò relatis in obiectione. Nam de nubentibus poſt votum, idem ait 1. Timoth. 5. v. 2. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.*

44. Votū continētiæ eſt de meliori bono.

SECTIO.

SECTIO V.

De electione, & vocatione, siu missione sacrorum, & legitimorum Ministrorum Ecclesiæ.

45. HAec quæstio magni momenti est contra hæreticos. Nam ex eius decisione constabit nullos prorsus hæreticos, siue recentiores, siue antiquos, habu sse veros & legitimos Ecclesiæ Ministros; sed spurios, falsos, & temerariè intrusos: quales illi, quos Christus Ioan. 10. cõparat lupis rapacibus ouina pelle indutis. Tria verò in creatione legitimorũ Ecclesiæ Ministrorum includuntur: Electio, Ordinatio, & vocatio seu missio: de quibus singillatim dicendum est. Electio est designatio alicuius ad ministerium ecclesiasticũ. Ordinatio est eiusdem consecratio seu constitutio in aliquo gradu ecclesiastico, & collatio potestatis ordinis. Missio seu vocatio, est collatio alicuius potestatis iurisdictionis.

46. Ad quem pertinet eligere ministros ecclesiæ.

Quæritur ergo primum ad quem pertineat necessariò electio legitima Ministrorũ Ecclesiæ: ita vt legitimi nulli sint, nisi ab eo electi? Respondeo, & dico primò, potestatẽ eligendi Ministros Ecclesiæ ad Deum vel ad Christũ ita pertinere, vt nemo sit legitimus, qui ab illo mediatè vel immediatè non sit electus. Probatur ex Scriptura Hebr. 5. v. 4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et Ephes. 4. v. 11. *Ipse* (Christus) *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris.* Quibus duobus Scripturæ locis apertè damnatur hæresis eorum, qui existimarent omnes fideles in Ecclesia esse præditos pari potestate: & clarè docetur eos qui Ecclesiæ præficiuntur, debere assumi, siue eligi à Deo, vel à Christo, aut immediatè vt Aaron, & Christus ipse à Deo fuerunt electi: & Apostoli à Christo: aut mediatè, id est, per eos, qui à Christo vel à Deo potestatem eligendi acceperunt: vt confirmabitur amplius paulò post.

Debent eligi à Deo mediatè, vel immediatè.

Probatur ex Script.

47. Probatur ex Trident.

Probatur secundò ex Tridentino sess. 23. cap. 4. post medium, vbi decernit, eos qui tantummodo à populo, vel à sæculari potestate ac Magistratu vocati, & instituti, ad ministeria Ecclesiastica exercenda accedũt, & qui ea propria temeritate sibi sumunt, eos, inquam, omnes non Ecclesiæ ministros sed fures & latrones, per ostium non ingressos habendos esse. Probatur tertiò ratione manifesta. Nam Ecclesia, quæ est opus Dei supernaturale, & tendens ad finem supernaturalem, id est, ad æternam beatitudinem efficaciter consequendam, debet regi authoritate supernaturali, & ab illa accipere media efficacia ad illum finem. At omnis authoritas supernaturalis est à Deo mediatè, vel immediatè: neque omnibus planè hominibus, aut etiam omnibus fidelibus communicatur; sed iis quibus Deus sua libera electione eam impertitur: vt patet tum ex locis Scripturæ citatis: tum ex primæ Corinth. 4. vbi Paulus tanquam speciale aliquid de se, & aliis Apostolis ait: *sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Et 2. Corinth. 3. *Idoneos nos fecit ministros noui Testamenti, non litera sed spiritu. Litera enim occidit, spiritus autem viuificat. Quod si ministratio mortis literis deformata in lapidibus fuit in gloria, ita vt non possent intendere filii Israel in faciem Moysi, propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur: quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria?* id est, si ministerium legis veteris iam mortuæ, descriptæ in tabulis lapideis, cœpit à Moyse diuinitus electo, & tantâ Dei gloriâ illustrato, vt esset eximiè venerabilis: quantò magis ministerium legis Euangelicæ debuit diuina electione, & authoritate glorificari, & illustrari?

48. Confirmatur ratione Theolog.

Secundò, veri ministri Ecclesiæ Euangelicæ debent habere, simul saltem in Concilium generale coacti, authoritatem infallibilem in rebus fidei, quæque sit medium infallibile fidelibus, vt maneant stabiles in fide, & non fluctuent, & circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominũ, in astutia ad circumuentionem erroris, vt ait Paulus Ephes. 4. At hæc infallibilitas, & authoritas infallibiliter iudicandi de rebus fidei, est aliquid diuinum & supernaturale, quod non potest nisi à Deo manare, & communicari aliis, quibus competit. Neque verò passim & indifferenter communicatur omnibus, vt patet ex verbis relatis Ephes. 4. *Quosdam dedit Apostolos, &c. alios autem Pastores & Doctores, &c. vt iam non simus paruli fluctuantes,* eorum scilicet doctrinâ fundati, & firmati in fide. Et 1. Corinth. 12. v. 29. *Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes Prophetæ? Nunquid omnes Doctores?*

49. Quibus conueniat necessariò?

Dico secundò: Potestas eligendi ministros Ecclesiæ legitimos, præter Deum & Christum Dominum, conuenit solùm necessariò illis, qui à Deo, vel à Christo immediatè eam acceperunt visibiliter & sensibiliter, cum potestate eam cõmunicandi aliis, ac sibi eos substituẽdi, & propagãdi Ecclesiæ ministros (cuiusmodi fuerũt in lege veteri Moyses & Aaron (Moyses enim fuit quoque sacerdos Domini, vt dicitur Ps. 98. v. 6.) & in lege noua Petrus & alii Apostoli, à Christo immediatè electi, & constituti Ecclesiæ suæ pastores)

Digitized by Google

vel illis qui deinceps per istos, aut eorum successores, fuerunt legitimè electi, ita vt potestas eligendi à Christo ad ipsos fuerit sine interruptione continuata, & deriuata.

50. Hæc conclusio sequitur ex præcedenti. Cùm enim omnis electio legitimorũ Ecclesiæ ministrorum debeat necessariò esse à Deo vel à Christo, immediatè vel mediatè, vt iam ostendimus: & Deus aut Christus non eligat per se immediatè omnes Ecclesiæ ministros visibiliter & sensibiliter, sicut necesse est eligi quotquot eliguntur, vt fidelibus cõstet de Pastorum, & Doctorum suorum legitima authoritate, sciantque quos sequi debeant & reuereri: Consequens est, vt alii eligantur per eos, qui potestatem eligẽdi, & alios sibi substituendi, à Deo vel à Christo acceperunt. Cuiusmodi sunt illi, quibus primò commissũ fuit à Deo, vel à Christo Ecclesiæ regimen: & qui deinceps per illos acceperunt potestatẽ regẽdi, sine interruptione. Nam vna pars regiminis Ecclesiæ est eam propagare, & prouidere eius perpetuitati: & Pastoribus, ac Doctoribus morituris, alios substituere.

51. Dixi, *sine interruptione*: quia si ordo illius communicationis & successionis interrumperetur, oporteret denuo ad Deum vel ad Christum immediatè per se ipsum visibiliter & sensibiliter eligentem recurrere. Quia nullus iam esset, quo mediante transfunderetur, & successoribus communicaretur.

Sine necessarius populi cõsensu?

Dixi præterea in principio conclusionis, potestatem eligendi conuenire solùm necessariò illis, &c. id est, ita vt nisi electio fiat per illos, nulla sit. Et quidem manifestum est nullam esse electionẽ nisi fiat per eos, qui habent eligẽdi potestatem, quique illam acceperint ab iis, à quibus solis concedi potest, id est, à Deo, vel à Christo, mediatè, aut immediatè. Sed dissẽsio est inter Catholicos & hæreticos, an solis Ecclesiæ rectoribus communicata fuerit? an verò ad omnes iure diuino pertineat, ita vt nulla sit electio, & vocatio seu missio ministrorum Ecclesiæ, nisi fiat cum consensu populi? Hoc secundum asserũt hæretici cum Luthero in lib. de Instituendis Ministris ad Bohemos, Caluino lib. 4. Instit. cap. 3. num. 15. & Matthia Illyrico in lib. de Electione Episcoporum: quorum argumenta hæc præcipuè sunt.

52. Error & argumenta hæreticorum.

Primò, quia electio Matthiæ in Apostolum, Act. 1. & septem primorum Diaconorum, Act. 6. cum consensu omnium facta est ab Apostolis: & deinceps in Ecclesia fuerunt electi eius ministri exquisito populi consensu, vsque ad tempora Friderici secundi Imperatoris, anno Christi 1300. quod signum est illud à Christo institutum fuisse: ac proinde electionem aliter factam non esse legitimam & validam.

Secundò, quia potestas ligandi & soluendi, & regendi Ecclesiam, data est à Christo immediatè ipsi Ecclesiæ, id est, ipsi multitudini fidelium, & non tãtùm Episcopis: Matth. 18. v. 17. & 18. *Dic Ecclesiæ*, &c. *Quæcunque alligaueritis*, &c. quæ postrema verba referuntur ad eandem Ecclesiam, de qua immediatè antea Christus loquutus erat. Nec obest quod Matth. 16. claues regni cœlorum, & potestas ligandi & soluendi videntur tradi singulariter Petro. Nam illi non traduntur vt singulari personæ, sed vt Ecclesiam repræsentanti: id est Ecclesiæ in illo: vt exponit S. August. tract. 124. in Ioannem.

53. Tertiò, Christus monet omnes fideles vt non audiant vocem alienorum, Ioan. 10. v. 5. falsosque Prophetas & Pseudoapostolos vitent, Matth. 7. v. 15. Ergo non tantùm Prælati, sed omnes fideles habent præceptum diuinum, à Christo latum, eligendi sibi bonos pastores: neque possunt iure illo priuari à Prælatis. Quod cõfirmatur ex Cypriano lib. 1. epist. 4. aliàs epist. 68. vbi sic ait: *Propter quod plebs obsequens præceptis Dominicis, & Deũ metuens, à peccatore præposito separare se debet, nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere: quando ipsa maxime habeat potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi. Quod & ipsum videmus de diuina authoritate descendere, vt sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur.* Huc vsque Cyprianus.

54. Respondetur negatiue.

Verùm hic error damnatur meritò à Tridentino sess. 23. cap. 4. vbi definit in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, & cæterorum ordinũ, nec populi, nec cuiusuis sæcularis potestatis & Magistratus cõsensum, siue vocationem, siue authoritatẽ, ita requiri, vt sine ea irrita sit ordinatio. Et can. 7. anathematizat eos qui dixerint Ordines ab Episcopis collatos sine populi, vel potestatis sæcularis cõsensu, aut vocatione irritos esse: aut eos qui nec ab ecclesiastica, & canonica potestate ritè ordinati nec missi sunt, sed aliunde veniũt, legitimos esse verbi & sacramẽtorum ministros. Neque dicas, Concilium loqui de ordinatione, non de electione. Nam hæretici huius tẽporis, quos damnat, non aliter requirunt consensũ populi & magistratus sæcularis ad ordinationem, quàm vt eligentis expressè, vel taciè tacitè, consentiendo in ipsorum electionem, & eos admittendo ad ordinationem, tanquam iudicatos idoneos suo expresso vel tacito suffragio: quam ordinationem, per manus impositionem fatentur debere solùm à Pastoribus fieri.

55. Probatur ex vsu ecclesiæ.

Porrò cùm Ecclesia non huius solùm temporis, sed ante mille ducentos annos partim contrarium statuerit, partim etiam in vsu habuerit: hoc signum manifestum est non esse iuris & institutionis diuinæ, vt Ecclesiæ ministri non sine populi consensu eligantur. Alioquin Ecclesia, quæ primis illis temporibus vera fuisse agnoscitur ab hæreticis, contrarium non statuisset. Statuit autem in Concilio Laodiceno sub finem Pontificatus Liberii, vel initio pontificatus Damasi Papæ, celebrato circa annum Domini 364. In cuius Concilii canone decimo tertio, statuitur *non esse populis concedendum electionem facere eorum, qui altaris ministerio sunt applicandi.*

Digitized by Google

Quod statutum renouauit sexta, vel, vt alii numerant, octaua Synodus, id est, Concilium IV. Constantinop. actione 2. can. 22. qui refertur in cap. *Nullus Laicorum*, dist. 63. vbi præcipitur, *Vt nemo etiam laicorum Principum vel potentum, semet inferat electioni vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitæ, aut cuiuslibet Episcopi: ne videlicet inordinata hinc & incongrua fiat confusio, vel contentio. Præsertim cum nullam in talibus potestatem, quemquam potestatiuorum, vel cæterorum laicorum habere conueniat.* Qui tamen canones non fuerunt statim vbique recepti. Nam post illos factæ sunt multæ electiones cum populi consensu, vt ex Chrysost. & aliis infra citandis apparebit: Et aliter statutum fuit in Concilio Tolet. IV. c. 18. relato in Iure canonico cap. *Quia in aliquo*, dist. 51. §. *Sed nec illæ*, & cap. *Nulla ratio fuit*, dist. 62. & cap. *Episcopos*, dist. 63.

56. Confirmatur, quia ordinatio sacrorum ministrorum Ecclesiæ pertinet iure diuino ad eos solos, qui possunt ordinis sacramentum conferre. Hoc autem pertinet ad solos Episcopos, iure saltem ordinario: neque omnino vlli alteri conuenire potest, nisi ad summum ex commissione & concessione Summi Pontificis, vt ostendimus sect. 2. Ergo ad eosdem iure diuino pertinere debet electio. Est enim absurdum existimare electionem iure diuino ad eum pertinere, ad quem ordinatio nullo modo pertinet.

57. Confirmatur ex praxi Apostolorum. Confirmatur secundò, quia si Principum, & Magistratus, ac populi consensus requireretur iure diuino ad electionẽ, maximè consensus illius populi, & Principum, ac Magistratus, quibus minister præficiendus est: ne videlicet cogantur recipere ministrum, quẽ neque norunt, neq; habere volũt. At hoc est contra paxim ipsorum Apostolorum. Cùm enim Petrus aliique Apostoli mittebãt Episcopos in diuersas prouincias infidelium, non expectabant earum cõsensum: sed ministros à se idoneos iudicatos, electos, & ordinatos, ad eas mittebant cum potestate prædicandi Euangelium, baptizãdi, & reliqua ministeria ecclesiastica peragendi. Sicut Christus non exequisito populi, vel totius orbis cõsensu, ipsos elegit in Apostolos, cum potestate prædicandi Euangelium omni creaturæ, baptizãdiq; omnes gẽtes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Lucæ 6. vers. 13. & Marc. 16. v. 15. Et quidem Apostolus Titi 1. non præscribit Tito Episcopo, vt ex consensu populi eligat: sed vt ipse pro sua prudẽtia presbyteros cõstituat. *Huius*, inquit, *rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi.* Et Act. 14. Paulus & Barnabas, cùm reuersi essent Lystram, Iconium, & Anthiochiam, constituerunt illis per singulas ciuitates presbyteros. Neq; fit vlla mentio quòd eligẽte populo, aut eius consensu prærequisito, eos constituerint. Nam Græcum, χειροτονήσαντες, nihil ibi aliud significat, quàm, manus extendentes, & imponentes, id est, ordinantes presbyteros, vel vt vulgatus interpres vertit, constituentes. Similique modo loquẽdi Act. 10. v. 41. Apostoli vocãtur testes resurrectionis Christi, prærordinati à Deo. Græcè, προκεχειροτονημένοις, quos tamen manifestum est non fuisse populi suffragiis vel consensu prærequisito electos, vt essent Apostoli; vel vt Christus illis appareret post resurrectionẽ, vt testarẽtur omnibus ipsum resurrexisse.

58. Matthias quomodo electus? Ad primum argumentum Nouatorum respondeo cum Chrysostomo in cap. 1. Actor. Petrum & alios Apostolos sic elegisse Matthiam, non quia non possent per se solos eligere, sed ne viderentur alicui gratificari. *An non licebat*, inquit, *ipsi Petro eligere? licebat, & quidem maximè. Verum id non fecit, ne cui videretur gratificari.* Idemque dico de electione septem primorum Diaconorum: in qua fuit alia ratio specialis cur eligerentur cum consensu populi: quia hæc electio fiebat ad sedandum murmur & tumultum multitudinis altercantis de mala administratione bonorum communium, in ministerio quotidiano. Fateor etiam frequenter electionem olim fuisse factam cum consensu multitudinis: vt patet ex Cypriano supra cit. Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio cap. 15. Leone epist. 84. ad Anastasium Thessalonicensem Episc. cap. 5. Theodoreto lib. 5. Histor. cap. 9. aliquanto ante finem, Gregor. lib. 2. epistolarum cap. 69. aliàs epist. 30. & ex iuribus citatis num. 55. in fine. Sed falsum est semper ita factum fuisse vsque ad tempora Frederici II. id est vsq; ad annum Christi 1300. Cùm ante annos quadringentos electio Alexãdri III. fuerit facta à solis Cardinalibus: & ante annos quingentos electio Gregorii VII. Vt de primo testatur Radeuicus lib. 2. de Rebus gestis Friderici primi cap. 50. & seqq. De secundo, Platina in eius vita, vbi decretum electionis eius refert. Et longè antea, circa annum Christi 364. in Concilio Laodic. statutum erat id quod supra retulimus num. 55.

59. Ex eo autem quòd ita factum fuerit aliquandiu, propter suauius Ecclesiæ regimen, malè infertur fuisse id à Christo institutum, & præscriptum: cùm multa ab initio Ecclesiæ huc vsque seruentur, quæ manifestè sunt tantùm institutionis Ecclesiasticæ: vt quòd bigami non admittantur ad ordines. Malè quoque infertur non potuisse sapienter ab Ecclesia contrarium statui & fieri, postquam crescente fidelium multitudine & refrigescente charitate, ac zelo pacis & boni communis, cœperũt dissensiones & tumultus supra modum inualescere in talibus electionibus, vt quisque facilè potest coniicere, & videre est apud Chrysost. lib. paulò ante citat.

60. Ad secundum respõdeo, verba illa Christi Matth. 18. v. 18. fuisse dicta Apostolis & eorũ successoribus, id est, Ecclesiæ Prælatis, qui ibidem intelligũtur nomine Ecclesiæ ad quã Christus nos mittit v. 17. eiusdem capitis, vt Chrysost. Euthym. & alii ibidem exponũt: vt nimirum prælati corrigãt quos nos priuatim, vel duobus testibus adhibitis, corrigere non

Chrysost. hom 61. in Matth.

Digitized by Google

possumus. Vel si ab illis se corrigi non sinant, eorumque dicto inobedientes se præbeant, habeantur deinceps pro Ethnicis & Publicanis; atque ab illis, si opus est, ligentur vinculo excommunicationis. Manifestum est autem ex textu ipso verba illa Christi Matt. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum*, dici Petro singulariter. Tum quia hoc illi priuilegio speciali donatur in mercedem confessionis, & professionis fidei suæ eximiæ, quâ dixerat, *Tu es Christus filius Dei viui*. Subiungit enim Christus quasi vicem ei reddens: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus*, &c. Tum etiam quia Christus illum singulariter designat nomine proprio, & nomine patris sui: *Beatus es Simon Bar iona*, id est filius Ionæ aut Ioannis, vtrumque enim apud Hebræos idem est. Eundemque manifestè distinguit à reliquo corpore Ecclesiæ, cùm ait: *Tu es Petrus, & super hanc petram*, id est, super te (in hebræo, seu Syriaco est vtrobique *Cepha*, quod est nomen saxi vel rupis: quasi diceret, Tu es rupes, & super hanc rupem) *ædificabo Ecclesiam meam*. Itaque Christus distinguit Petrum ab Ecclesia, vt fundamentum à parietibus superextructis: illique, vt tali, ait, *Tibi dabo claues regni cælorum*, &c. Quod autem Augustin. ait tract. 50. in Ioann. id dictum esse Petro repræsentanti Ecclesiam, debet hoc sensu intelligi, quòd Petrus non in propriũ commodum & vtilitatem, sed ad bonum cõmune Ecclesiæ, claues acceperit: atque ita tota Ecclesia acceperit in illo, vt capite suo eam repræsentante, & ad bonum totius donationi consentiente. Sicut ea quæ fiunt Regi, aut Magistratui, vt capiti totius communitatis, dicuntur fieri communitati in præcipua sui parte, id est, in capite à quo repræsentatur, quotiescunque personam capitis sustinet.

61. Populus non habet ius à Deo eligendi sibi Prælatum.

Ad tertium Respondeo, debere vnumquemque fidelem ex Christi præcepto fugere eos, quos videt prædicare dogmata contraria doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ, & à Prælatis catholicis, vel à Conciliis reprobata. At inde non sequitur vnumquemque habere ius à Deo eligendi sibi Prælatum, aut pastorem. Neque hoc docet Cyprianus verbis relatis. Nam quod ait, plebem habere maximè potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi: potest ac debet intelligi, quòd plebs tunc temporis haberet illam potestatem ex concessione Ecclesiæ, non autem ex iure diuino. Nec obest quod addit Cyprian. *Quod & ipsum videmus de diuina authoritate descendere*, &c. Nam per diuinam authoritatem, non aliud intelligit, quàm exemplum ex Scriptura diuina desumptum de aliquibus coram populo consentiente electis. Cuiusmodi fuit Eleazar Num. 20. Matthias Apostolus Actor. 1. & septem primi Diaconi Actor. 6. Quorum exemplo, inquit, eligendus est Sacerdos, & Episcopus, & Diaconus, coram populo. At non omnia quorum exempla habentur in Scriptura, obligant nos iure diuino ad similiter faciendum: quamuis cum laude possint similiter fieri. Ait autem plebem habere maximè hanc potestatem: non quòd habeat primariò & independenter à concessione Ecclesiæ: sed quia longè maxima pars suffragiorum erat populi. Vnde electio, vel reiectio, maximè ab illo pendebat. Numerantur enim suffragia, non ponderantur, in electionibus, in quibus pluralitas suffragiorum prævalet.

62. Nisi potius hoc solum velit Cyprianus, A diuina auctoritate descendere, vt populus ferat testimonium de vita & moribus eorum, qui in sacerdotes eliguntur, ne indignus admittatur, aut dignus reiiciatur: ideoque præsente illo eligi, & ordinari debere. Sicuti nunc etiam Ecclesia obseruat. Nam antequam ordinentur, Archidiaconus vel Episcopus ipse alta voce denunciat præsenti populo, vt liberè dicat, si quis aliquid habet eis obiiciendum. Id enim voluisse Cyprianum suadent verba quæ sequuntur immediatè post, eâdem epist. 68. *Quod & ipsum*, inquit, *videmus de diuina auctoritate descendere, vt sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur, & dignus, atque idoneus publico iudicio, ac testimonio comprobetur, sicut in Numeris Dominus Moysi præcipit dicens: Apprehende Aaron fratrem tuum, & Eleazarum filium eius, & impones eos in montem coram omni Synagoga. Et exue Aaron stolam eius, & indue Eleazarum filium eius, & Aaron appositus moriatur illic. Coram omni Synagoga iubet Deus constitui sacerdotem, id est, instruit, & ostendit ordinationes sacerdotum non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, vt plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur: & sit ordinatio iusta, & legitima, quæ omnium suffragio, & iudicio fuerit examinata.* Quod postea confirmat exemplo Apostolorum eligentium Matthiam loco Iudæ in medio discipulorum fere centum viginti, Act. 1. Additque non modò in Episcoporum, & sacerdotum, sed etiam in Diaconorum ordinationibus id obseruasse Apostolos, quando ad eos eligendos conuocauerunt totam plebem Discipulorũ, vt habetur Act. 6. *Quod vtique*, inquit, *idcirco tam diligenter, & cautè conuocata plebe tota gerebatur, ne quis ad altaris ministerium, vel ad sacerdotalem locum indignus obreperet.* Et paulò post, *Propter quod diligenter de traditione diuina, & apostolica obseruatione seruandum est, & tenendum, quod apud nos quoque, & fere per prouincias vniuersas tenetur, vt ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi eiusdem Prouinciæ proximi quique conueniant: & Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè nouit, & vniuscuiusque actum de eius conuersatione perspexit.* Hucusque Cyprianus.

SECTIO VI.

Aliæ duæ quæstiones de Ordinatione, & Missione ministrorum Ecclesiæ.

62. Ad quem pertineat ordinare ministros Ecclesiæ?

QVæritur secundò, cuius sit sacros Ecclesiæ ministros ordinare, ita vt ordinatio ab alio facta sit inualida?

Respondeo primam ordinationem ministrorum Ecclesiæ Euangelicæ factam fuisse immediatè à Christo, qui Apostolos per seipsum immediatè instituit sacerdotes, & rectores Ecclesiæ: deinceps verò fieri non posse, nisi per eos, quibus Christus potestatem ordinandi concessit. Cuiusmodi sunt, iure saltem ordinario, soli Episcopi Apostolorum successores: qui ratione suæ ordinationis habent à Christo potestatem ministros Ecclesiæ ordinandi, quam potestatem reliqui inferioris ordinis non habent.

64. Hæc conclusio tota fere sumitur ex Trid. sess. 23. cap. 1. & 4. Probaturque primò ex iis, quæ suprà diximus de electione: nam de ordinatione æquè concludunt. Secundò, accedit ratio specialis. Quia ordinatio sacrorum Ecclesiæ ministrorum est verum sacramentum, vt ostendimus disp. 66. sect. 1. Ergo non potest fieri nisi ab iis, quos Christus eius ministros constituit. Illi autem non sunt alii, quàm Episcopi, iure saltem ordinario, vt ostendimus sect. 2. præsentis disputationis. Dico autem, *iure ordinario*: quia ex commissione Summi Pontificis possunt aliqui ordines per alios conferri, vt ibidem docuimus. Et Nicephor. lib. 11. histor. cap. 20. scribit Amphilochium fuisse ordinatũ Episcopum ab Angelo, eiusque ordinationem ab aliis Episcopis ratam habitã fuisse. Sed huiusmodi ordinationis miraculosæ, & tã extraordinariæ debuerunt exhiberi signa certissima, quę essent argumenta sufficientis credibilitatis in re tanti momenti. Probatur tertiò ex Cõciliis, & Sanctis Patribus, qui, vt vidimus sect. 2. negarunt constanter esse veros sacerdotes eos, qui non essẽt à veris Episcopis ordinati, esseque reordinandos ab Episcopis, si vellẽt esse Sacerdotes. Ita Synodus Alexand. quam refert Athanas. in 2. Apologia, & ipse Athanas. ibidem, & Damas. epist. 5. & Innocent. I. epist. 22. cap. 3. & alii suprà relati.

65. Ad quem pertineat vocatio illius.

Quæritur tertiò, ad quem pertineat vocatio, & missio, seu concessio authoritatis prædicandi verbum Dei, administrandi sacramenta, & alia ministeria ecclesiastica exercendi?

Respondeo illam necessariò debere esse à Deo, siue à Christo, mediatè vel immediatè: & eos, qui sine illa ad hæc munia sese ingerunt, non esse veros & legitimos ministros & pastores: sed fures & latrones, per ostium non ingressos, & ab omnibus fugiendos. Probatur primò ex Apostolo Roman. 10. vers. 15. *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* à Deo scilicet, vt patet ex præcedentibus. Et Ierem. 23. vers. 21. Deus ita conqueritur, *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Probatur secundò ex Sanctis Patribus, qui semper reiecerunt hæresiarchas eo nomine, quòd non essent missi ab Ecclesia, id est ab Apostolis, vel eorum successoribus, adeoque non essent audiendi. Eorum testimonia referemus sectione sequenti, contra hæreticorum effugia.

66. Probatur tertiò ratione: quia authoritas prædicandi verbum Dei, administrandi sacramenta, & regendi Ecclesiam, est authoritas diuina & supernaturalis: quemadmodum & ipsum verbum Dei, & sacramenta, & Ecclesia, sunt aliquid supernaturale. Ergo debet manare à Deo mediatè, vel immediatè. Immediatè quidem, si ipse per seipsum alteri eam conferat, vt Christus Apostolis, & Deus quibusdam Prophetis. Mediatè verò: id est, per eos, quibus Deus concessit potestatem alios sibi substituendi in Ecclesiæ regimine. Cuiusmodi est primò & præcipuè Summus Pontifex: tum alii Episcopi, ab ipso habentes iurisdictionem ordinariam, & in partem regiminis Ecclesiæ assumpti. Quocirca meritò Trident. sess. 23. can. 7. & 8. anathematizat eos qui dixerint legitimos esse verbi, & sacramentorum ministros, eos qui ab Ecclesia, & canonica potestate missi non sunt. Et qui dixerint Episcopos, qui authoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos & veros Episcopos.

67. Electio hæreticorũ est nulla

Ex his sequitur primò, electionem Ministrorum hæreticorum nullam penitùs esse. Quippe quæ neque à Deo, vel à Christo facta est immediatè visibiliter, id est, adhibitis signis externis, & argumentis credibilitatis ad notificandam huiusmodi electionem: neque ab iis qui eligendi potestatem habent iure diuino, id est, à Prælatis & rectoribus Ecclesiæ catholicæ.

Similiterque ordinatio, nisi fiat à veris Episcopis.

Sequitur secundò, ordinationem eorumdem nullam penitùs esse, si non fiat à veris Episcopis, vel ab aliis, quibus Summus Pontifex eam committere potest. Dico autem, si non fiat à veris Episcopis ordinatione; id est, habentibus saltem characterem & ordinem Episcopalem: quamuis fortè non habeant iurisdictionem, quæ ad validè ordinandum nõ est necessaria. Quia nimirum Episcopi hæretici, quales olim multi inter Arianos, & quales hodie sunt inter Græcos schismaticos, & esse potuerunt inter Lutheranos & Caluinistas, si qui Episcopi ad ipsos defecerunt, vt reipsa defecerunt nonnulli: illi, inquam, Episcopi retinent semper potestatem ordinandi: & ordinatio ab illis facta, seruatis sacramenti essentialibus, valida est: sicut valet Baptismus ab hæreticis collatus. Nimirum quia vt ait Sanctus Augustinus in libro De gestis cum Emerito Donatista hæretico, *Inuocatio super caput ipsorum quando ordinantur Episcopi, est inuocatio Dei, & non*

Donati. Et character non est desertoris, sed Imperatoris.

Eorundem missio plerè nulla.

Sequitur tertiò missionem, seu vocationem Ministrorum hæreticorum, nullam penitùs esse. Quippe qui neq; à Deo immediatè illam acceperunt: huius enim missionis immediatæ à Deo nullum sufficiens indicium proferunt: neque mediatè à Prælatis Ecclesiæ, quibus potiùs resistentibus munus prædicandi sua dogmata, & Ecclesiam regendi sibi temerè arrogarunt.

SECTIO VII.

Refutantur euasiones hæreticorum.

68. Triplex illorum effugium.

Ad hæc, tria respondent hæretici huius temporis. Primò scilicet, Prophetas in antiqua lege, & in noua Ioannem Baptistam, & Apostolos fuisse à Deo, & à Christo missos immediatè: similique modo Deũ nostris tẽporibus suscitasse extraordinariè fideles quosdam Ministros, qui Ecclesiam collapsam repararent, & in ruina & desolatione iacentem de nouo ædificarent. Secundò, populũ Christianum habere ius eligẽdi sibi fideles Ministros, si videat Ministros ordinarios nõ fungi fideliter suo officio purè prædicandi verbum Dei, & sacramenta administrandi. Atque ita primos suos ministros fuisse à populo electos, & constitutos: adeoque esse legitimos, dummodo purè prædicẽt verbum Dei, & sacramenta administrẽt vt par est. Tertiò, primos suos Doctores & Ministros, Lutherum & Caluinum, fuisse in Ecclesia Romana ordinatos, & accepisse potestatem prędicandi Euãgelium, & administrãdi sacramenta: quæ potestas datur in ordinatione sacerdotum. Atqs ita ipsos habuisse quidquid boni restabat vocationis ordinariæ: postea verò licuisse illis corrigere id, quod malum erat, & potestatem sibi datam fideliter exercere, prædicãdo purè verbum Dei, & sacramenta debitè administrando, ordinationemque & missionem ad intentionem Christi, primamque suam originem reuocando, & in pristinum nitorem restituendo. Maximè verò, quum iuramento adacti fuissent in ordinatione ad illud munus sincerè & fideliter præstandum. Nam iure diuino tenetur quisque iuramentum seruare.

69. Missio extraordinaria non erat signis sufficientibus.

Contra primum effugium dico primò, illos qui à Christo, vel à Deo missi fuerunt immediatè, non caruisse signis sufficientibus, & argumentis credibilitatis, quibus prudenter cedendum esset, & credendum illos fuisse à Deo missos. Secundò, Prophetas illos longè differre à Ministris hæreticorum. Illi enim, si non erant ordinati sacerdotes modo legitimo, & ordinario, non sibi arrogarunt munus sacerdotale: neque sua successione illud propagare tentarunt, & statum Ecclesiæ Mosaicæ euertere: quæ omnia fecerunt, aut tentarunt hæresiarchæ prædicti. Tertiò, contra Scripturam est dicere Ecclesiam fuisse collapsam, & ex ruina ac desolatione excitatam. Id enim repugnat Christi vaticinio infallibili: *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam*, Matth. 16. & Apostolo ad Ephes. quarto, affirmanti Christum dedisse Ecclesiæ suæ Pastores & Doctores, *donec occurramus omnes*, &c. *vt non simus paruuli fluctuantes omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris.* Vnde sequitur nunquam defuisse, neque ante Lutherum & Caluinum defuisse in Ecclesia Doctores & pastores, quibus populus Christianus adhærens, manere posset stabilis & inconcussus in fide, non obstantibus frequentibus hæreticorum fraudibus & conatibus.

70. Non est populi iudicare de rebus fidei.

Contra secundum, dico populum Christianum non habere ius à Deo iudicandi de dubiis fidei, & de suis pastoribus num in dubiis huiusmodi sequantur veritatem. Hoc enim est contra rationem manifestam: & contra vsum perpetuum Ecclesiæ: & contra Apostolum loco proximè citato, ex quo habetur Christum potiùs instituisse in Ecclesia pastores & Doctores, quos populus sequi teneatur, vt in dubiis fidei non fluctuet, aut non circumueniatur erroribus. Atque ita semper dubia fidei, & religionis, non ad populi decisionem, sed ad Petri successores: vel ad Prælatos in Concilium coactos sunt relecta: exemplo ipsorummet Apostolorum, & fidelium illius temporis, Actor. decimo quinto, versu secundo & sexto.

71. Veri Pastores vnde agnoscẽdi.

Deinde hoc effugium supponit notitiam verorum Ecclesiæ pastorum & ministrorum pendere à notitia veræ doctrinæ, illamque præsupponere: nimirum vt ex veræ doctrinæ cognitione intelligat populus an sui pastores ordinarii fungantur legitimè suo officio prædicandi verbum Dei, & ministrandi sacramenta: Et, si minùs, deponantur, eliganturque ab ipso alii, qui hoc præstent. An verò isti hoc verè præstent, & legitimi sint, ac retinendi & sequendi, pendebit iterum à iudicio populi, id est, à notitia quam ipse habet de vera & pura doctrina fidei. At hoc est manifestè contra Apostoli verba supra relata ex Ephesiorum quarto. Nam ex illis habemus Christum in Ecclesia dedisse populo pastores, & Doctores, tanquam medium vtile, & efficax, atque infallibile reperiendæ & retinendæ veritatis in dubiis fidei: ita vt eos sequendo non fluctuet, neque circumferatur omni vento doctrinæ, inducaturque in astutiam & circumuentionem erroris. Sed si verum est hoc effugium hæreticorum, medium illud erit populo inefficax, & inutile. Inefficax quidem, id est, non sufficiens & infallibile: si verum est, quod dicunt hæretici, pastores ordinarios, à Christo cum perpetua successione institutos, & secundum illam successionem electos, ordinatos, & missos, falli posse aut fallere

Digitized by Google

ita vt oues seu fideles eos sequentes, circũueniantur errore. Inutile: quia medium non est vtile, nisi quatenus valet ad finem obtinendum. Atqui medium illud à Christo institutum non erit vtile ad finem obtinendum, sed necessariò supponet illum esse obtentum. Supponet enim notam iam esse populo veritatem catholicam, vt ex hac cognitione iudicet num Pastores & Doctores sui ordinarij sint legitimi, id est, rectè tangentes suo munere, & purum Dei verbum prædicantes secundum verum eius sensum à Spiritu sancto intentum.

72. Sensus Patrum hac de re.

Secundò, est etiam illud contra sensum sanctorum Patrum, & praxim Ecclesiæ primis sæculi. Nam ab initio reiecti sunt vt illegitimi pastores & ministri, quicunque munus docendi vsurparunt, tanquam non audiendi, eo ipso quòd carerent missione, & successione ordinaria: abstrahendo interim, siue abstinendo ab examine veritatis doctrinæ. Sic Irenæus lib. 4. cap. 43. *Iis*, inquit, *qui sunt in Ecclesia presbyteris obedire oportet, iis qui successionem habent ab Apostolis &c. reliquos verò qui absistunt à principali successione, & quocunque loco colligunt, suspectos habere.* Tertullian. lib. de Præscript. cap. 32. prærequirit ab hæreticis vt, si admitti velint tanquam veri & legitimi pastores, *Edant Origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerint, habuerit authorem & antecessorem.* Et cap. 19. *Etsi non ita euaderet collatio Scripturarum vt vtramque partem parem sisteret: ordo rerum desiderabat illud priùs proponi, quod nunc solum disputandum est: Quibus competat fides ipsa? Cuius sint Scripturæ? A quo, & per quos, & quando, & quibus est tradita disciplina, per quam fiunt Christiani?* Id est, quinã sunt in legitima possessione ordinationis, & successionis ecclesiasticæ? Cyprianus epist. 52. ad Antonianum, *Quod verò*, inquit, *ad Nouatiani personam pertinet, frater charissime, de quo desideraſti tibi scribi quam hæresim introduxisset: scias nos primo in loco nec curiosos esse debere quid ille doceat, cùm foris doceat. Quisquis ille est, & qualisunque est, Christianus non est, qui in Christi Ecclesia non est.*

73. Hieronym. in fine dialogi aduersus Luciferianos: *Breuem tibi, apertamque animi mei sententiam proferam, in illa esse Ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata, vsque ad diem hanc durat. Siquibi audieris eos qui dicuntur Christi, non à Domino Iesu Christo, sed à quodam alio nuncupari, vt puta Marcionitas, Valentinianos, Montenses, siue Campitas: scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam. Ex hoc enim ipso quòd postea instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus prænunciauit. Nec sibi blandiantur, si de Scripturarũ capitulis nitentur sibi affirmare quod dicunt: cum Diabolus de Scripturis aliqua se loquutus: & scripturæ non in legendo consistunt, sed in intelligendo.* Augustin. epist. 56. sub finem: *Porrò illi, qui non in vnitate & cõmunione catholicæ non sint, christiano tamen nomine gloriantur, opponuntur omnibus fere credentibus, & quibusdam imperitos quasi ratione trahere: quanto maximè tum ista medicina Dominus venerit, vt sic populus imperaret. Sed hoc facere cogantur, vt aiunt, qui sibi facere se abiectissimè sentiunt, si eorum authoritas cum authoritate catholica conferatur. Continuò ergo authoritatem stabilissimam fundatissimæ Ecclesiæ, quasi rationis nomine, & politissimæ superare. Omnium enim Hæreticorum quasi regularis est ista temeritas. Sed illi fidei Imperator clementissimus, & per conuentus celeberrimos populorum atque gentium, sedesque ipsas Apostolorum arce authoritatis munivit Ecclesiam: & per pauciores pè doctos, & verè spirituales viros, copiosissimis apparatibus, etiam inuictissimæ rationis, armauit.* Et lib. contra Epistolam fundamẽti cap. 4. *Tenet me in Ecclesia successio sacerdotum in Petri sede* &c. Hæc & similia SS. Patrum oracula planè condemnant effugium illud hæreticorum. Quòd, vt rectè notat S. Augustin. & per se notum est, aperit ianuam omnibus hæresiarchis nouis, & antiquis, qui eodem prorsus effugio aduersus Sanctos Patres hæc obiicientes, & hæresin ac defectionem ab Ecclesia exprobrantes, vti potuissent.

74. Sacerdotes vi ordinationis nõ habent cõpletam potestatẽ prædicandi.

Contra tertium effugium, dico falsò supponi dari in ipsa ordinatione sacerdotum potestatem completam prædicandi verbum Dei, & ministrandi sacramenta. Ad hoc enim, vltra ordinem sacerdotalem, requiritur missio, id est, collatio iurisdictionis ordinariæ, vel delegatæ. Falsum item est iuramentum exigi ab ordinatis de verbo Dei sincerè prædicando. Illud enim non exigitur: sed, vt videre est in Pontificali, admonentur tantùm recens ordinati sacerdotes quæ sint officia sacerdotis, his verbis. *Sacerdotem oportet benedicere, præesse, prædicare, baptizare.* Et paulò post: *Sit doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei: sit odor vitæ vestræ delectamentum Ecclesiæ Christi, vt prædicatione, atque exemplo ædificetis domum Dei.*

75. Deinde Ecclesia quando mittit, id est, quando dat authoritatem prædicandi, non dat aliam authoritatem, quàm prædicandi secundum fidem & intentionem suam. Neque enim dat potestatem & authoritatem destruendi ipsam, impugnandique fidem, quam profitetur, & cui tanquam fundamento nititur. Quare quidquid aliud fit, temerè fit, & sine missione, id est, sine authoritate legitimè accepta. Ideóque Apostoli Act. 15. v. 24. de quibusdam qui contra suam intentionem, & mandatum prædicauerant, sic scribunt Antiochenis, & aliis fidelibus: *Quoniam audiuimus quia quidam ex nobis exeuntes turbauerunt vos verbis, euertentes animas vestras, quibus non mandauimus.* Ergo missio, quam hæretici dicunt suos primos Ministros, Lutherum, & Caluinum, accepisse ab

vtentes matrimonio peccarent contra castitatem: quia valeret matrimonium: ac neque contra religionem, quia non facerent contra votum.

32 Quomodo potest continentia præcipi ab Ecclesia?

Dices: Ecclesia non potest obligare ad seruandam continentiam non necessariam iure naturali (qualis est illa, de qua nunc loquimur) sine consensu libero eius qui obligatur. At ille consensus non habetur nisi per votum scienter & liberè emissum ab ordinato. Ergo Ecclesia non potest obligare ad continentiam nisi per votum, adeóque non nisi mediante voto.

Respondeo negando minorem. Potest enim Ecclesia immediatè obligare, vt qui voluerit suscipere sacros ordines, seruet continentiam. Ita vt consensus ordinati requiratur solùm ad ordinem suscipiendum si velit: non autem ad contrahendam illam obligationem, posito quòd ordinari velit. Potest etiam Ecclesia immediatè irritare matrimonia à talibus ordinatis contracta, independenter ab eorum consensu circa talem irritationem: sicut reipsa fecit. Ex quo sumitur nouum argumentum pro conclusione proposita. Nam Ecclesia eo ipso quòd reddit hunc contractũ clericorum irritum, & personas facit inhabiles ad contrahendum matrimonium, propter motiuum virtutis religionis, & reuerentiam ac dignitatem ordinis quem suscipiunt: hoc, inquam, ipso prohibet illis omnem copulam carnalem cum personis, quibuscum validè contrahere non possunt, vi legis irritantis ab Ecclesia latæ: atque eatenus obligat illos ad continentiam: vt rectè post Sanchem lib. 7. de Matrim. disp. 5. num. 7. docet Aegidius Con. sup. num. 130. vbi nobiscum sentit.

SECTIO IV.

Respondetur argumentis contrariis.

33. Prima obiectio ex Patribus.

CONtra doctrinam præcedentem opinatur primò Francisc. Turrian. lib. 2. de dogmaticis characteribus, vbi contendit iure & præcepto diuino obligari eos, qui post contractum matrimonium susceperunt sacros ordines, non vti ampliùs coniugio: multóque magis teneri eodem iure diuino non contrahere matrimonium post sacrum ordinem susceptum. Sed quæ opponit ex Scriptura, ne apparenter quidem probant id quod intendit. Ex patribus, aliquid habent apparentiæ verba quæ refert ex Syricio Papa in epist. 1. ad Himerium Tarraconensem Episcopum cap. 7. & ex Epiphan. Hæresi 59. Verba Syricii hæc sunt: *Vnde & Dominus Iesus cùm suo nos illustrasset aduentu, in Euangelio protestatur, quia legem venerit implere, non soluere. Et ideo Ecclesiam, cuius sponsus est speciosus formâ, castitatis voluit splendore radiare: vt in die iudicii, cùm rursus aduenerit, sine macula & ruga eam possit, sicut per Apostolum suum instituit, reperire. Quarum sanctionum sacerdotes omnes atque Leuitæ insolubili lege constringimur, vt à die ordinationis nostræ, sobrietati ac puritati, & corda nostra mancipemus, & corpora: dummodo per omnia Deo nostro, in his quæ quotidie offerimus sacrificiis, placeamus.* Epiphanius autem loco citato habet loquens de Catharis, qui cum laicis bigamis communicare nolebant: *Et non intelligentes doctrinæ Dei sinceritatem, ad aliam vitã decepti conuersi sunt, nescientes quòd hæc est diuinæ Scripturæ traditio, ac consequentia. Quæ enim ad sacerdotium tradita sunt, propter eminentiam celebrationis sacrorum, ea ad omnes æqualiter ferri putauerunt, cum audierint quòd oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, continentem: similiter & Diaconum, & Presbyterum. Re vera enim non suscipit sancta Dei prædicatio, post Christi aduentum, eos, qui à nuptiis mortuis eorum vxore, secundis nuptiis coniuncti sunt &c. Sed & adhuc viuentem & liberos gignentem vnius vxoris virum non suscipit in Diaconum, Presbyterum, Episcopum &c.*

34. Explicatur Syricius.

Ad quę Respondeo, verba Syricii non plus probare, quàm continentiam ministrorum Ecclesiæ esse secundum Christi voluntatem, & beneplacitum, qui voluit Ecclesiam Euangelicam castitatis splendore radiare: & esse pariter ex institutione, seu constitutione & præcepto Apostolico, lato secundum Christi beneplacitum & intentionem, vt significant verba illa Syricii, *Sicut per Apostolum suum instituit.* Eódemque refertur id quod sequitur, *Quarum sanctionum Sacerdotes omnes atque Leuitæ insolubili lege constringimur* &c. Lege scilicet Apostolica, insolubili, hoc est, quam sacerdotibus ipsis & Leuitis soluere non liceat, ac transgredi: adeóque insolubili respectu ipsorum: quamuis non sit alio sensu insolubilis respectu Ecclesiæ, quasi nequeat in ea dispensare. Similique modo intelligendum est quod Turrianus obiicit ex Eusebio lib. 1. de Demonstrat. Euangel. cap. 9. sub finem, *Ne noui quidem Testamenti legibus* &c. Per leges enim noui Testamenti de continentia sacrorum hominum, intelligit ibi leges ab Apostolis traditas in nouo Testamento, sed non à Christo ipso, vel à Deo immediatè latas.

35. Exponitur Epiphan.

Epiphanius verò per illa verba, *Non intelligentes doctrinæ Dei sinceritatem*, intelligit idem quod illis sequentibus, *Nescientes quòd hæc est Scripturæ diuinæ traditio*: & per vtraque intelligit verba Pauli Apostoli expressa in Scripturæ diuinæ traditione, quæ postea subiungit, *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, continentem.* Ex quo non aliud inferri potest, quàm illud esse præceptum Apostolicum ex mente Epiphanii. Quod ampliùs confirmatur quia Epiphanius ibidem loquitur eodem modo de Bigamis non admittendis ad sacerdotium. At neque Epiphanius, neque vllus

Digitized by Google

alius ſenſit huc vſque præceptum illud de Bigamis non ordinandis eſſe diuinum : ſed omnes docent conſtanter eſſe Eccleſiaſticum, & ab Eccleſia diſpenſabile, ſicut non rarò diſpenſatur. Et hactenus contra Turrianum.

36. Argumenta ſchiſm. & hæretic.

Secundò, Græci ſchiſmatici Eccleſiam latinam reprehendunt, quòd ordinatos poſt coniugium iubeat ab vxoribus ſeparari, & ampliùs non vacare coniugio. Hæretici verò huius temporis in eo quidem cum Græcis ſchiſmaticis conueniunt; ſed vlteriùs addunt malè & iniuſtè ab Eccleſia ſtatutũ fuiſſe, vt illi ipſi, qui iam ſacris ordinibus initiati ſunt, non poſſint contrahere matrimonium. Argumenta eorum hæc præcipuè ſunt. Primò, quòd Paulus Hebr. 13. dicat connubium eſſe honorabile in omnibus, adcóque in ſacerdotibus. Et 1. Timoth. 3. velit Epiſcopum eſſe vnius vxoris virum. Et cap. 4. eiuſdem epiſtolæ dicat nouiſſimis temporibus aliquos introducturos doctrinam Dæmoniorum prohibentem nubere. Secundò, quòd Apoſtoli ipſi habuerint vxores, eaſque circumduxerint : vt teſtatur idem Apoſtolus 1. Corinth. 9. v. 5. Item in can. 6. Apoſtol. præcipitur ne Epiſcopus vxorem prætextu religionis abiiciat. Et in Concil. Gangrenſi can. 4. prohibetur diſcerni presbyterum coniugatum, quaſi occaſione nuptiarum non debeat offerre. Tertiò, quòd in Concil. Niceno Paphnutius huic legi ſe oppoſuerit, omnibuſque Concilii Patribus perſuaſerit, vt vſum vxorum permitterent. Quódque in can. 13. Synodi VI. in Trullo apertè damnetur conſuetudo Eccleſiæ Romanæ de voto continentiæ in ordinatione. Quartò, quòd matrimonium ſit iuris naturalis : idcóque ab Eccleſia prohiberi nequiuerit. Quintò, quòd donum continentiæ paucorum ſit, & paucis à Deo donetur, quantumuis poſtulantibus; quia non eſt ad ſalutem neceſſarium : ac neque ſacerdotibus antiquæ legis naturalis, aut ſcriptæ, neque ſanctis illius eximiis, Abrahamo, Moiſi, Dauidi, & ſimilibus conceſſum fuerit. Ergo malè exigitur illius votum paſſim & indifferenter à quibuſlibet ad ſacerdotium accedentibus. Eſtque votum illud irritum : quia votum debet eſſe de meliori bono: *At melius eſt nubere, quàm vri:* Et *vnuſquiſque ſuam vxorem habeat propter fornicationem*, vt ait Paulus Apoſtolus.

37. Quo ſenſu dicitur matrimonium honorabile in omnib.

Sed hæc omnia, & his ſimilia, à pluribus ſcriptoribus Catholicis, præcipuéque à Bellarm. lib. 1. *de Clericis*, Valentia quæſt. 5. de Ordine punct. 5. Barrault. tom. 2. Clypei cap. 11. & ſequentibus, Petro Arcud. lib. 7. de Sacrament. à cap. 36. tam abundè, & tam frequenter ſoluta ſunt, vt operæ pretium fore non putem in his refellendis diutius immorari. Summa reſponſionum hæc eſt. Ad primum : Paulum Hebr. 13. tantùm hortari fideles coniugatos, vt connubium ſuum reddant honorabile in omnibus, id eſt, omni ex parte; & thorum ſuum ſeruent immaculatum. Honorabile, inquã, ex parte fidei mutuo datæ & bene ſeruatæ; ex parte prolis ſuſceptę, & bene educatæ; & ex omnibus aliis ad matrimoniũ pertinentibus. *Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus*, vt ibidem addit immediatè Apoſtolus. Manifeſtè verò ineptus eſt ſenſus, quem prætendunt hæretici, nempe honorabile eſſe connubium in omnibus, id eſt, inter omnes, ſiue, inter quoſcunque. Ex quo ſequeretur eſſe quoque honorabile inter fratrem & ſororem, inter patrem & filiam, inter filiũ & matrẽ. Quod vel ipſorummet iudicio falſum & abſurdũ eſt. Sicut autem nõ eſt honorabile inter eos, qui habent impedimentum illud naturale conſanguinitatis : ita neque inter alios habentes aliud legitimum impedimentum : vt de viduis poſt votum caſtitatis nubentibus affirmat idem Apoſtolus 1. Timoth. 5. v. 12. Et 1. Corinth. 7. hortatur fideles coniugatos vt ad tempus abſtineant ab vſu coniugii, vt vacent orationi. Sacerdotes autem Euangelici debent ſemper orationibus & ſacrificiis offerendis incumbere : adcóque ſemper à coniugio abſtinere.

38. Et Epiſc. vnius vxoris vir.

Quod verò ait idem Apoſtolus 1. Timoth. 3. v. 2. debere eſſe Epiſcopum vnius vxoris virum, idem eſt iuxta ſenſum Pauli, ac non debere ad Epiſcopatum eligi Bigamum. At non præcipit Apoſtolus, vt ſi vxorem, quam vnicam duxit, adhuc viuentem habet; eam retineat, & in vſu coniugii perſeueret. Sed potiùs cõſuetudo & lex contraria fuit ab Apoſtolis introducta, vt oſtendimus ſupra variis Antiquorum teſtimoniis. Quibus adde, quod ad præſentem locum attinet, illud Hieronymi lib. 1. contra Vigilant. paulò poſt initium, *Quid facient Orientis Eccleſiæ, quid Aegyptii, aut ſedes Apoſtolicæ, quæ aut Virgines, Clericos accipiunt, aut continentes, aut ſi vxores habuerant, deſinunt eſſe mariti.* Et lib. 1. contra Iouinian. *Certè confiteris non poſſe eſſe Epiſcopum, qui in Epiſcopatu filios faciat. Alioquin ſi deprehenſus fuerit, non quaſi vir tenebitur, ſed quaſi adulter damnabitur.* Ambroſius lib 3. epiſt. 82. quæ eſt ad Vercellenſem Eccleſiam, poſt medium. *Neque iterum vt filios in ſacerdotio creare Apoſtolica imitetur authoritate : habentem enim dixit filios : non, facientem.* Eodemque modo locum citatum Pauli intelligunt S. Leo epiſt. 84. ad Anaſtaſ. cap. 4. & Epiphan. Hæreſi 59.

39. Quæ doctrina dæmõ. prohibet nuptias?

Illud autem 1. Timoth. 4. v. 1. & 3. de doctrina Dæmoniorum prohibente nubere : intelligendum eſt de hæreticis damnantibus nuptias vt per ſemalas, & illicitas ſimpliciter : cuiuſmodi fuerunt Manichæus, Marcion, & Tatianus : vt exponunt Sanctus Auguſt. lib 30. contra Fauſtum cap. 6. Hieron. lib. 1. contra Iouinian. Chryſoſt. Ambroſ. & alii interpretes Pauli ad eundem locum. Nec obeſt quod Paulus ait,

Digitized by Google

Nouiſſimus temporibus. Nam totum tempus Eccleſiæ Chriſtianæ dicitur finis ſæculorum, & nouiſſima hora 1. Corinth. 10. v. 11. & 1. Ioan. 2. v. 18. Et alioqui Sancti Patres non potuiſſent ex eo loco Pauli argumentari contra Manichæos velut à Paulo deſignatos. In textu græco pro *nouiſſimis*, eſt ὑστέροις, id eſt poſteris temporibus.

40. Nō omnes Apoſtoli fuerunt cōiugati.

Ad ſecundum; falſum eſt omnes Apoſtolos fuiſſe coniugatos: neque vllum conſtat fuiſſe talem, præter Petrum Apoſtolum. Per ſorores verò mulieres, de quibus Paulus 1. Corinth. 9. v. 5. intelligendæ ſunt, non coniuges, ſed piæ mulieres diſcipulæ Apoſtolorum, quæ eos ſequebantur vt illis neceſſaria vitæ ſubſidia miniſtrarent: cuiuſmodi erant illæ quæ Chriſtum ſequebantur, quarum fit mentio Luc. 8. v. 2. & 3. & Matth. 27. v. 55. vt exponunt S. Hieron. lib. 1. contra Iouin. Auguſt. in lib. de opere Monachorum cap. 4. & 5. Tertull. lib. de Monogamia cap. 8. Chryſoſt. Ambroſ. Theodoret. & alii interpretes in locum Pauli citatum.

41. Epiſc. ad quid teneatur ergo vxorem relictam?

At verò in canone 6. Apoſtolorū non præcipitur, vt Epiſcopus cohabitet cum vxore ſed vt non penitùs eam abiiciat, ita vt ei deneget, aut non ei procuret, quantum eſt opus, ea quæ ſunt ad vitam neceſſaria. Quod malum eſt, iuxta illud 1. Timoth. 4. *Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum, curam non habet, fidem negauit, & infideli deterior eſt.* Canon autem quartus Concilii Gangrenſis loquitur de presbytero non adhuc vtente coniugio, ſed qui ante presbyteratum, nuptias contraxiſſet. Loquiturque contra aliquos illius temporis hæreticos, qui nuptias tanquam malas damnabant, & propter illas abhorrebant à precibus & ſacrificiis talium ſacerdotum: vt patet ex præfatione illius Concilii, & ex verſione omnium antiquiſſima illius canonis, quæ eſt Dionyſii exigui, & habetur tom. 1. Conciliorum.

42. Fabula de Paphnu.

Ad tertium: Hiſtoriam illam Paphnutii incertam, aut potiùs fabuloſam eſſe oſtendit conſuetudo contraria, quæ ante, & tunc, ac poſtea viguit in Eccleſia, vt teſtantur SS. Patres, & Concilia locis ſuprà relatis. Et quamuis vera eſſet: probaret dumtaxat præceptum illud eſſe iuris Eccleſiaſtici, in quo Eccleſia tunc diſpenſauerit. Synodus verò Trullana illegitima eſt, & eius canones nullius ſunt momenti.

Matrimonium quomodo eſt iuris naturalis.

Ad quartum dico, matrimonium eſſe iuris naturalis permiſſiuè: at non præceptiuè, reſpectu cuiuſlibet particularis. Poſſunt autem multa prohiberi iure poſitiuo, quæ iure naturali nobis permiſſa ſunt, vt patet ex legibus humanis multa eiuſmodi prohibentibus. At neque Eccleſia prohibet ſimpliciter nuptias: ſed tantùm exigit veluti conditionem oneroſam ab iis, qui ſacros ordines volunt ſuſcipere, vt continentiam profiteantur, propter dignitatem & reuerentiam ordinis. Illis autem liberum eſt ordinari vel non ordinari, & conſequenter profiteri vel non profiteri continentiam.

43.

Ad quintum: ſtatus quidem continentiæ non debet temere, & ſine Dei vocatione ſuſcipi: propter difficultatem, ob quam ſpecialis Dei gratia neceſſaria eſt. Cùm tamen in Scriptura conſilium continentiæ ad omnes dirigatur, qui ſentiunt ſe à Deo vocari, & Paulus eos omnes ad illam hortetur 1. Corinth. 7. v. 7. Deus paratus eſt dare auxilia illi ſeruandæ neceſſaria, omnibus eius vocationem, & Pauli exortationem ſequi volentibus. Atque vt Tridentinum ait ſeſſ. 24. can. 9. Deus nemini rectè petenti donum continentiæ denegat, nec patitur nos, ſupra id quod poſſumus, tentari. Neque deſunt media efficacia, quibus corpus domari, & concupiſcentiæ motus effrænes cohiberi poſſint. Illiſque vti debent, qui votum continentiæ emiſerunt: non autem cauſari ſe non ſentire in ſeipſis donum continentiæ: ideóque matrimonium ſibi licitum eſſe, quia melius eſt nubere, quàm vri. Alia verò eſt ratio hac in parte veteris legis, & nouæ. Nam vt ſapienter ait D. Auguſt. lib. de Bono coniugali cap. 9. circa finem, *Primis temporibus generis humani, maximè propter Dei populum propagandum, per quem prophetaretur & naſceretur princeps & ſalnator omnium populorum, vti debuerunt ſancti iſto, non propter ſe expetendo, ſed propter aliud neceſſario, bono nuptiarum. Nunc verò cùm ad inundam ſanctam & ſinceram ſocietatem vndique ex omnibus gentibus copia ſpiritualis cognationis exuberet: etiam propter filios ſolos connubia copulare cupientes, vt ampliore continentiæ bono potiùs vtantur, admonendi ſunt.* Et Ambroſii commentarius in cap. 3. Epiſt. 1. ad Timoth. *Veteribus idcirco conceſſum eſt leuitis, aut ſacerdotibus vxores ad vſum habere: quia multum temporis otio vacabant à miniſterio, aut ſacerdotio &c.*

44. Votū continētiæ eſt de meliori bono.

Dicere autem quòd votum continentiæ non ſit de meliori bono, eſt apertè contradicere Paulo 1. Corinth. 7. v. 25. & ſequentibus. Nec obeſt illud eiuſdem Apoſtoli, *Melius eſt nubere quàm vri.* Neque enim propterea melius eſt nubere, quàm corpus ieiuniis, vigiliis, ciliciis, & aliis auſteritatibus domare propter Chriſtū, vtſpiritui ſeruiat, & continentiam Deo promiſſam ſeruet. Quòd ſi quis nondum ſe voto, aut lege continentiæ obſtrinxit liberè, neque ſentiat ſe à Deo vocari ad ſtatum continentiæ, aut non velit vti remediis tam duris, & corpori rebelli vim facere: nubat, & vxorem ducat ad vitandam fornicationem: de illo enim intelligendus eſt Apoſtolus locis vltimò relatis in obiectione. Nam de nubentibus poſt votum, idem ait 1. Timoth. 5. v. 2. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.*

SECTIO.

Digitized by Google

SECTIO V.

De electione, & vocatione, siue missione sacrorum, & legitimorum Ministrorum Ecclesiæ.

45. HAec quæstio magni momenti est contra hæreticos. Nam ex eius decisione constabit nullos prorsus hæreticos, siue recentiores, siue antiquos, habuisse veros & legitimos Ecclesiæ Ministros; sed spurios, falsos, & temerariè intrusos: quales illi, quos Christus Ioan. 10. cōparat lupis rapacibus ouina pelle indutis. Tria verò in creatione legitimorū Ecclesiæ Ministrorum includuntur: Electio, Ordinatio, & vocatio seu missio: de quibus singillatim dicendum est. Electio est designatio alicuius ad ministerium ecclesiasticū. Ordinatio est eiusdem consecratio seu constitutio in aliquo gradu ecclesiastico, & collatio potestatis ordinis. Missio seu vocatio, est collatio alicuius potestatis iurisdictionis.

46. Ad quem pertinet eligere ministros ecclesiæ.

Quæritur ergo primum ad quem pertineat necessariò electio legitima Ministrorū Ecclesiæ: ita vt legitimi nulli sint, nisi ab eo electi? Respondeo, & dico primò, potestatē eligendi Ministros Ecclesiæ ad Deum vel ad Christū ita pertinere, vt nemo sit legitimus, qui ab illo mediatè vel immediatè non sit electus. Probatur ex Scriptura Hebr. 5. v. 4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et Ephes. 4. v. 11. *Ipse* (Christus) *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: vt iam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris.* Quibus duobus Scripturæ locis apertè damnatur hæresis eorum, qui existimarent omnes fideles in Ecclesia esse præditos pari potestate: & clarè docetur eos qui Ecclesiæ præficiuntur, debere assumi, siue eligi à Deo, vel à Christo, aut immediatè vt Aaron, & Christus ipse à Deo fuerunt electi: & Apostoli à Christo: aut mediatè, id est, per eos, qui à Christo vel à Deo potestatem eligendi acceperunt: vt confirmabitur amplius paulò post.

Debent eligi à Deo mediatè, vel immediatè.

Probatur ex Script.

47. Probatur ex Trident.

Probatur secundò ex Tridentino sess. 23. cap. 4. post medium, vbi decernit, eos qui tantummodo à populo, vel à sæculari potestate ac Magistratu vocati, & instituti, ad ministeria Ecclesiastica exercenda accedūt, & qui ea propria temeritate sibi sumunt, eos, inquam, omnes non Ecclesiæ ministros sed fures & latrones, per ostium non ingressos habendos esse. Probatur tertiò ratione manifesta. Nam Ecclesia, quæ est opus Dei supernaturale, & tendens ad finem supernaturalem, id est, ad æternam beatitudinem efficaciter consequendam, debet regi authoritate supernaturali, & ab illa accipere media efficacia ad illum finem. At omnis authoritas supernaturalis est à Deo mediatè, vel immediatè: neque omnibus planè hominibus, aut etiam omnibus fidelibus communicatur; sed iis quibus Deus sua libera electione eam impertitur: vt patet tum ex locis Scripturæ citatis: tum ex primæ Corinth. 4. vbi Paulus tanquam speciale aliquid de se, & aliis Apostolis ait: *Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Et 2. Corinth. 3. *Idoneos nos fecit ministros noui Testamenti, non literæ sed spiritus. Littera enim occidit, spiritus autem viuificat. Quod si ministratio mortis literis deformata in lapidibus fuit in gloria, ita vt non possent intendere filii Israel in faciem Moysi, propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur: quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloriâ?* id est, si ministerium legis veteris iam mortuæ, descriptæ in tabulis lapideis, cœpit à Moyse diuinitus electo, & tantâ Dei gloriâ illustrato, vt esset eximiè venerabilis: quantò magis ministerium legis Euangelicæ debuit diuina electione, & authoritate glorificari, & illustrari?

48. Confirmatur ratione Theolg.

Secundò, veri ministri Ecclesiæ Euangelicæ debent habere, simul saltem in Concilium generale coacti, authoritatem infallibilem in rebus fidei, quæque sit medium infallibile fidelibus, vt maneant stabiles in fide, & non fluctuent, & circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominū, in astutia ad circumuentionem erroris, vt ait Paulus Ephes. 4. At hæc infallibilitas, & authoritas infallibiliter iudicandi de rebus fidei, est aliquid diuinum & supernaturale, quod non potest nisi à Deo manare, & communicari aliis, quibus competit. Neque verò passim & indifferenter communicatur omnibus, vt patet ex verbis relatis Ephes. 4. *Quosdam dedit Apostolos, &c. alios autem Pastores & Doctores, &c. vt iam non simus parvuli fluctuantes,* eorum scilicet doctrinâ fundati, & firmati in fide. Et 1. Corinth. 12. v. 29. *Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes Prophetæ? Nunquid omnes Doctores?*

49. Quibus conueniat necessariò?

Dico secundò: Potestas eligendi ministros Ecclesiæ legitimos, præter Deum & Christum Dominum, conuenit solùm necessariò illis, qui à Deo, vel à Christo immediatè eam acceperunt visibiliter & sensibiliter, cum potestate eam cōmunicandi aliis, ac sibi eos substituēdi, & propagādi Ecclesiæ ministros (cuiusmodi fuerūt in lege veteri Moyses & Aaron (Moyses enim fuit quoque sacerdos Domini, vt dicitur Ps. 98. v. 6.) & in lege noua Petrus & alii Apostoli, à Christo immediatè electi, & constituti Ecclesiæ suæ pastores)

vel illis qui deinceps per istos, aut eorum successores, fuerunt legitimè electi, ita vt potestas eligendi à Christo ad ipsos fuerit sine interruptione continuata, & deriuata.

50. Hæc conclusio sequitur ex præcedenti. Cùm enim omnis electio legitimorũ Ecclesiæ ministrorum debeat necessariò esse à Deo vel à Christo, immediatè vel mediatè, vt iam ostendimus: & Deus aut Christus non eligat per se immediatè omnes Ecclesiæ ministros visibiliter & sensibiliter, sicut necesse est eligi quotquot eliguntur, vt fidelibus cõstet de Pastorum, & Doctorum suorum legitima authoritate, sciantque quos sequi debeant & reuereri: Consequens est, vt alii eligantur per eos, qui potestatem eligẽdi, & alios sibi substituendi, à Deo vel à Christo acceperunt. Cuiusmodi sunt illi, quibus primò commissũ fuit à Deo, vel à Christo Ecclesiæ regimen: & qui deinceps per illos acceperunt potestatẽ regẽdi, sine interruptione. Nam vna pars regiminis Ecclesiæ est eam propagare, & prouidere eius perpetuitati, & Pastoribus, ac Doctoribus morituris, alios substituere.

51. Dixi, *sine interruptione*: quia si ordo illius communicationis & successionis interrumperetur, oporteret denuo ad Deum vel ad Christum immediatè per se ipsum visibiliter & sensibiliter eligentem recurrere. Quia nullus iam esset, quo mediante transfunderetur, & successoribus communicaretur.

Sitne necessarius populi cõsensus?

Dixi præterea in principio conclusionis, potestatem eligendi conuenire solùm necessariò illis, &c. id est, ita vt nisi electio fiat per illos, nulla sit. Et quidem manifestum est nullam esse electionẽ nisi fiat per eos, qui habent eligẽdi potestatem, quique illam acceperint ab iis, à quibus solis concedi potest, id est, à Deo, vel à Christo, mediatè, aut immediatè. Sed dissẽsio est inter Catholicos & hæreticos, an solis Ecclesiæ rectoribus communicata fuerit? an verò ad omnes iure diuino pertineat, ita vt nulla sit electio, & vocatio seu missio ministrorum Ecclesiæ, nisi fiat cum consensu populi? Hoc secundum asserũt hæretici cum Luthero in lib. de Instituendis Ministris, ad Bohemos, Caluino lib. 4. Instit. cap. 3. num. 15. & Matthia Illyrico in lib. de Electione Episcoporum: quorum argumenta hæc præcipuè sunt.

52. Primò, quia electio Matthiæ in Apostolum, Act. 1. & septem primorum Diaconorum, Act. 6. cum consensu omnium facta est ab Apostolis: & deinceps in Ecclesia fuerunt electi eius ministri exquisito populi consensu, vsque ad tempora Friderici secundi Imperatoris, anno Christi 1300. quod signum est illud à Christo institutum fuisse: ac proinde electionem aliter factam non esse legitimam & validam.

Error & argumenta hæreticorum.

Secundò, quia potestas ligandi & soluendi, & regendi Ecclesiam, data est à Christo immediatè ipsi Ecclesiæ, id est, ipsi multitudini fidelium, & non tãtùm Episcopis: Matth. 18. v. 17. & 18. *Dic Ecclesiæ*, &c. *Quæcunque alligaueritis*, &c. quæ postrema verba referuntur ad eandem Ecclesiam, de qua immediatè antea Christus loquutus erat. Nec obest quod Matth. 16. claues regni cœlorum, & potestas ligandi & soluendi videntur tradi singulariter Petro. Nam illi non traduntur vt singulari personæ, sed vt Ecclesiam repræsentanti: id est Ecclesiæ in illo: vt exponit S. August. tract. 124. in Ioannem.

Tertiò, Christus monet omnes fideles vt non audiant vocem alienorum, Ioan. 10. v. 5. falsosque Prophetas & Pseudoapostolos vitent, Matth. 7. v. 15. Ergo non tantùm Prælati, sed omnes fideles habent præceptum diuinum, à Christo latum, eligendi sibi bonos pastores: neque possunt iure illo priuari à Prælatis. Quod cõfirmatur ex Cyprian. lib. 1. epist. 4. aliàs epist. 68. vbi sic ait: *Propter quod plebs obsequens præceptis Dominicis, & Deum metuens, à peccatore præposito separare se debet, nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere: quando ipsa maxime habeat potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi. Quod & ipsum videmus de diuina authoritate descendere, vt sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur.* Hucvsque Cyprianus. 53.

Verùm hic error damnatur meritò à Tridentino sess. 23. cap. 4. vbi definit in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, & cæterorum ordinũ, nec populi, nec cuiusuis sæcularis potestatis & Magistratus cõsensum, siue vocationem, siue authoritatẽ, ita requiri, vt sine ea irrita sit ordinatio. Et can. 7. anathematizat eos qui dixerint Ordines ab Episcopis collatos sine populi, vel potestatis sæcularis cõsensu, aut vocatione irritos esse: aut eos qui nec ab ecclesiastica, & canonica potestate ritè ordinati nec missi sunt, sed aliunde veniũt, legitimos esse verbi & sacramẽtorum ministros. Neque dicas, Conciliũ loqui de ordinatione, non de electione. Nam hæretici huius tẽporis, quos damnat, non aliter requirunt consensũ populi & magistratus sæcularis ad ordinationem, quàm vt eligentis expressè, vel tacitè saltẽ, consentiendo in ipsorum electionem, & eos admittendo ad ordinationem, tanquam iudicatos idoneos suo expresso vel tacito suffragio: quam ordinationem, per manus impositionem fatentur debere solùm à Pastoribus fieri. 54. Respondetur negatiue.

Porrò cùm Ecclesia non huius solùm temporis, sed ante mille ducentos annos partim contrarium statuerit, partim etiam in vsu habuerit: hoc signum manifestum est non esse iuris & institutionis diuinæ, vt Ecclesiæ ministri non sine populi consensu eligantur. Alioquin Ecclesia, quæ primis illis temporibus vera fuisse agnoscitur ab hæreticis, contrarium non statuisset. Statuit autem in Concilio Laodiceno sub finem Pontificatus Liberii, vel initio pontificatus Damasi Papæ, celebrato circa annum Domini 364. In cuius Concilii canone decimo tertio, statuitur *non esse populis concedendum electionem facere eorum, qui altaris ministerio sunt applicandi.* 55. Probatur ex vsu ecclesiæ.

Quod ſtatutum renouauit ſexta, vel, vt alii numerant, octaua Synodus, id eſt, Concilium IV. Conſtantinop. actione 2. can. 22. qui refertur in cap. *Nullus Laicorum*, diſt. 63. vbi præcipitur, *Vt nemo etiam laicorum Principum vel potentum, ſemet inſerat electioni vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitæ, aut cuiuſlibet Epiſcopi: ne videlicet inordinata hinc & incongrua fiat confuſio, vel contentio. Præſertim cum nullam in talibus poteſtatem, quemquam poteſtatiuorum, vel cæterorum laicorum habere conueniat.* Qui tamen canones non fuerunt ſtatim vbique recepti. Nam poſt illos factæ ſunt multæ electiones cum populi conſenſu, vt ex Chryſoſt. & aliis infra citandis apparebit: Et aliter ſtatutum fuit in Concilio Tolet. IV. c. 18. relato in Iure canonico cap. *Qui in aliquo*, diſt. 51. §. *Sed nec ille*, & cap. *Nulla ratio fuit*, diſt. 62. & cap. *Epiſcopos*, diſt. 63.

56. Confirmatur, quia ordinatio ſacrorum miniſtrorum Eccleſiæ pertinet iure diuino ad eos ſolos, qui poſſunt ordinis ſacramentum conferre. Hoc autem pertinet ad ſolos Epiſcopos, iure ſaltem ordinario: neque omnino vlli alteri conuenire poteſt, niſi ad ſummum ex commiſſione & conceſſione Summi Pontificis, vt oſtendimus ſect. 2. Ergo ad eoſdem iure diuino pertinere debet electio. Eſt enim abſurdum exiſtimare electionem iure diuino ad eum pertinere, ad quem ordinatio nullo modo pertinet.

57. Confirmatur ſecundò, quia ſi Principum, & Magiſtratus, ac populi conſenſus requireretur iure diuino ad electionẽ, maximè conſenſus illius populi, & Principum, ac Magiſtratus, quibus miniſter præficiendus eſt: ne videlicet cogantur recipere miniſtrum, quẽ neque norunt, neq; habere volũt. At hoc eſt contra paxim ipſorum Apoſtolorum. Cùm enim Petrus aliique Apoſtoli mittebãt Epiſcopos in diuerſas prouincias infidelium, non expectabant earum cõſenſum; ſed miniſtros à ſe idoneos iudicatos, electos, & ordinatos, ad eas mittebant cum poteſtate prædicandi Euangelium, baptizãdi, & reliqua miniſteria eccleſiaſtica peragendi. Sicut Chriſtus non exequiſito populi, vel totius orbis cõſenſu, ipſos elegit in Apoſtolos, cum poteſtate prædicandi Euangelium omni creaturæ, baptizãdiq; omnes gẽtes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Lucæ 6. verſ. 13. & Mar. 16. v. 15. Et quidem Apoſtolus Titi 1. non præſcribit Tito Epiſcopo, vt ex conſenſu populi eligat: ſed vt ipſe pro ſua prudẽtia preſbyteros cõſtituat. *Huius*, inquit, *rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.* Et Act. 14. Paulus & Barnabas, cùm reuerſi eſſent Lyſtram, Iconium, & Anthiochiam, conſtituerunt illis per ſingulas ciuitates presbyteros. Neq; fit vlla mentio quòd eligẽte populo, aut eius conſenſu prærequiſito, eos conſtituerint. Nam Græcum, χειροτονήσαντες, nihil ibi aliud ſignificat, quàm, manus extendentes, & imponentes, id eſt, ordinantes presbyteros, vel vt vulgatus interpres vertit, conſtituentes. Similique modo loquẽdi Act. 10. v. 41. Apoſtoli vocãtur teſtes reſurrectionis Chriſti, prærordinati à Deo Græcè, προκεχειροτονημένοις, quos tamen manifeſtum eſt non fuiſſe populi ſuffragiis vel conſenſu prærequiſito electos, vt eſſent Apoſtoli; vel vt Chriſtus illis appareret poſt reſurrectionẽ, vt teſtarẽtur omnibus ipſum reſurrexiſſe.

Confirmatur ex praxi Apoſtolorum.

Ad primum argumentum Nouatorum reſpondeo cum Chryſoſtomo in cap. 1. Actor. Petrum & alios Apoſtolos ſic elegiſſe Matthiam, non quia non poſſent per ſe ſolos eligere, ſed ne viderentur alicui gratificari. *An non licebat*, inquit, *ipſi Petro eligere? licebat, & qui lem maximè. Verum id non fecit, ne cui videretur gratificari.* Idemque dico de electione ſeptem primorum Diaconorum: in qua fuit alia ratio ſpecialis cur eligerentur cum conſenſu populi: quia hæc electio fiebat ad ſedandum murmur & tumultum multitudinis altercantis de mala adminiſtratione bonorum communium, in miniſterio quotidiano. Fateor etiam frequenter electionem olim fuiſſe factam cum conſenſu multitudinis: vt patet ex Cypriano ſupra cit. Chryſoſt. lib. 3. de Sacerdotio cap. 15. Leone epiſt. 84. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſc. cap. 5. Theodoreto lib. 5. Hiſtor. cap. 9. aliquanto ante finem, Gregor. lib. 2. epiſtolarum cap. 69. aliàs epiſt. 30. & ex iuribus citatis num. 55. in fine. Sed falſum eſt ſemper ita factum fuiſſe vſque ad tempora Frederici II. id eſt vſq; ad annum Chriſti 1300. Cùm ante annos quadringentos electio Alexãdri III. fuerit facta à ſolis Cardinalibus: & ante annos quingentos electio Gregorii VII. Vt de primo teſtatur Radeuicus lib. 2. de Rebus geſtis Friderici primi cap. 50. & ſeqq. De ſecundo, Platina in eius vita, vbi decretum electionis eius refert. Et longè antea, circa annum Chriſti 364. in Concilio Laodic. ſtatutum erat id quod ſupra retulimus num. 55.

58. Matthias quomodo electus?

59. Ex eo autem quòd ita factum fuerit aliquandiu, propter ſuauius Eccleſiæ regimen, malè infertur fuiſſe id à Chriſto inſtitutum, & præſcriptum: cùm multa ab initio Eccleſiæ huc vſque ſeruentur, quæ manifeſtè ſunt tantùm inſtitutionis Eccleſiaſticæ: vt quòd bigami non admittantur ad ordines. Malè quoque infertur non potuiſſe ſapienter ab Eccleſia contrarium ſtatui & fieri, poſtquam creſcente fidelium multitudine & refrigeſcente charitate, ac zelo pacis & boni communis, cœperũt diſſenſiones & tumultus ſupra modum inualeſcere in talibus electionibus, vt quiſque facilè poteſt coniicere, & videre eſt apud Chryſoſt. lib. paulò ante citat.

60. Ad ſecundum reſpõdeo, verba illa Chriſti Matth. 18. v. 18. fuiſſe dicta Apoſtolis & eorũ ſucceſſoribus, id eſt, Eccleſiæ Prælatis, qui ibidem intelligũtur nomine Eccleſiæ ad quã Chriſtus nos mittit v. 17. eiuſdem capitis, vt Chryſoſt. Euthym. & alii ibidem exponũt: vt nimirum prælati corrigãt quos nos priuatim, vel duobus teſtibus adhibitis, corrigere non

Chryſoſt. hom 61. in Matth.

poſſumus. Vel ſi ab illis ſe corrigi non ſinant, eorumque dicto inobedientes ſe præbeant, habeantur deinceps pro Ethnicis & Publicanis; atque ab illis, ſi opus eſt, ligentur vinculo excommunicationis. Manifeſtum eſt autem ex textu ipſo verba illa Chriſti Matt. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum*, dici Petro ſingulariter. Tum quia hoc illi priuilegio ſpeciali donatur in mercedem confeſſionis, & profeſſionis fidei ſuæ eximiæ, quâ dixerat, *Tu es Chriſtus filius Dei viui*. Subiungit enim Chriſtus quaſi vicem ei reddens: *Et ego dico tibi, quia tues Petrus*, &c. Tum etiam quia Chriſtus illum ſingulariter deſignat nomine proprio, & nomine patris ſui: *Beatus es Simon Bar iona*, id eſt filius Ionæ aut Ioannis, vtrumque enim apud Hebræos idem eſt. Eundemque manifeſtè diſtinguit à reliquo corpore Eccleſiæ, cùm ait: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram*, id eſt, ſuper te (in hebræo, ſeu ſyriaco eſt vtrobique *Cepha*, quod eſt nomen ſaxi vel rupis: quaſi diceret, Tu es rupes, & ſuper hanc rupem) *ædificabo Eccleſiam meam*. Itaque Chriſtus diſtinguit Petrum ab Eccleſia, vt fundamentum à parietibus ſuperextructis: illique, vt tali, ait, *Tibi dabo claues regni cœlorum*, &c. Quod autem Auguſtin. ait tract. 50. in Ioann. id dictum eſſe Petro repræſentanti Eccleſiam, debet hoc ſenſu intelligi, quòd Petrus non in proprium commodum & vtilitatem, ſed ad bonum cõmune Eccleſiæ, claues acceperit: atque ita tota Eccleſia acceperit in illo, vt capite ſuo eam repræſentante, & ad bonum totius donationi conſentiente. Sicut ea quæ fiunt Regi, aut Magiſtratui, vt capiti totius communitatis, dicuntur fieri communitati in præcipua ſui parte, id eſt, in capite à quo repræſentatur, quotieſcunque perſonam capitis ſuſtinet.

61. Populus non habet ius à Deo eligendi ſibi Prælatum.

Ad tertium Reſpondeo, debere vnumquemque fidelem ex Chriſti præcepto fugere eos, quos videt prædicare dogmata contraria doctrinæ Eccleſiæ Catholicæ, & à Prælatis catholicis, vel à Conciliis reprobata. At inde non ſequitur vnumquemque habere ius à Deo eligendi ſibi Prælatum, aut paſtorem. Neque hoc docet Cyprianus verbis relatis. Nam quod ait, plebem habere maximè poteſtatem vel eligendi dignos ſacerdotes, vel indignos recuſandi: poteſt ac debet intelligi, quòd plebs tunc temporis haberet illam poteſtatem ex conceſſione Eccleſiæ, non autem ex iure diuino. Nec obeſt quod addit Cyprian. *Quod & ipſum videmus de diuina authoritate deſcendere*, &c. Nam per diuinam authoritatem, non aliud intelligit, quàm exemplum ex Scriptura diuina deſumptum de aliquibus coram populo conſentiente electis. Cuiuſmodi fuit Eleazar Num. 20. Matthias Apoſtolus Actor. 1. & ſeptem primi Diaconi Actor. 6. Quorum exemplo, inquit, eligendus eſt Sacerdos, & Epiſcopus, & Diaconus, coram populo. At non omnia quorum exempla habentur in Scriptura, obligant nos iure diuino ad ſimiliter faciendum: quamuis cum laude poſſint ſimiliter fieri. Ait autem plebem habere maximè hanc poteſtatem: non quòd habeat primariò & independenter à conceſſione Eccleſiæ: ſed quia longè maxima pars ſuffragiorum erat populi. Vnde electio, vel reiectio, maximè ab illo pendebat. Numerantur enim ſuffragia, non ponderantur, in electionibus, in quibus pluralitas ſuffragiorum prævalet.

Niſi potius hoc ſolum velit Cyprianus, A diuina auctoritate deſcendere, vt populus ferat teſtimonium de vita & moribus eorum, qui in ſacerdotes eliguntur, ne indignus admittatur, aut dignus reiiciatur: ideoque præſente illo eligi, & ordinari debere. Sicuti nunc etiam Eccleſia obſeruat. Nam antequam ordinentur, Archidiaconus vel Epiſcopus ipſe alta voce denunciat præſenti populo, vt liberè dicat, ſi quis aliquid habet eis obiiciendum. Id enim voluiſſe Cyprianum ſuadent verba quæ ſequuntur immediatè poſt, eâdem epiſt. 68. *Quod & ipſum*, inquit, *videmus de diuina auctoritate deſcendere, vt ſacerdos plebe præſente ſub omnium oculis deligatur, & dignus, atque idoneus publico iudicio, ac teſtimonio comprobetur, ſicut in Numeris Dominus Moyſi præcipit dicens: Apprehende Aaron fratrem tuum, & Eleazarum filium eius, & impones eos in montem coram omni Synagoga. Et exue Aaron ſtolam eius, & induc Eleazarum filium eius, & Aaron appoſitus moriatur illic. Coram omni Synagoga iubet Deus conſtitui ſacerdotem, id eſt, inſtruit, & oſtendit ordinationes ſacerdotum non niſi ſub populi aſſiſtentis conſcientia fieri oportere, vt plebe præſente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur: & ſit ordinatio iuſta, & legitima, quæ omnium ſuffragio, & iudicio fuerit examinata.* Quod poſtea confirmat exemplo Apoſtolorum eligentium Matthiam loco Iudæ in medio diſcipulorum fere centum viginti, Act. 1. Additque non modò in Epiſcoporum, & ſacerdotum, ſed etiam in Diaconorum ordinationibus id obſeruaſſe Apoſtolos, quando ad eos eligendos conuocauerunt totam plebem Diſcipulorũ, vt habetur Act. 6. *Quod vtique*, inquit, *idcirco tam diligenter, & cautè conuocata plebe tota gerebatur, ne quis ad altaris miniſterium, vel ad ſacerdotalem locum indignus obreperet.* Et paulò poſt, *Propter quod diligenter de traditione diuina, & apoſtolica obſeruatione ſeruandum eſt, & tenendum, quod apud nos quoque, & fere per prouincias vniuerſas tenetur, vt ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui Præpoſitus ordinatur, Epiſcopi eiuſdem Prouinciæ proximi quique conueniant: & Epiſcopus deligatur plebe præſente, quæ ſingulorum vitam plenißimè nouit, & vniuſcuiuſque actum de eius conuerſatione perſpexit.* Hucuſque Cyprianus. 62.

SECTIO VI.

Aliæ duæ quæstiones de Ordinatione, & Missione ministrorum Ecclesiæ.

62. Ad quem pertineat ordinare ministros Ecclesiæ?

QVæritur secundò, cuius sit sacros Ecclesiæ ministros ordinare, ita vt ordinatio ab alio facta sit inualida?

Respondeo primam ordinationem ministrorum Ecclesiæ Euangelicæ factam fuisse immediatè à Christo, qui Apostolos per seipsum immediatè instituit sacerdotes, & rectores Ecclesiæ: deinceps verò fieri non potse, nisi per eos, quibus Christus potestatem ordinandi concessit. Cuiusmodi sunt, iure saltem ordinario, soli Episcopi Apostolorum successores: qui ratione suæ ordinationis habent à Christo potestatem ministros Ecclesiæ ordinandi, quam potestatem reliqui inferioris ordinis non habent.

64. Hæc conclusio tota fere sumitur ex Trid. sess. 23. cap. 1. & 4. Probaturque primò ex iis, quæ suprà diximus de electione: nam de ordinatione æquè concludunt. Secundò, accedit ratio specialis. Quia ordinario sacrorum Ecclesiæ ministrorum est verum sacramentum, vt ostendimus disp. 66. sect. 1. Ergo non potest fieri nisi ab iis, quos Christus eius ministros constituit. Illi autem non sunt alii, quàm Episcopi, iure saltem ordinario, vt ostendimus sect. 2. præsentis disputationis. Dico autem, *iure ordinario*: quia ex commissione Summi Pontificis possunt aliqui ordines per alios conferri, vt ibidem docuimus. Et Nicephor. lib. 11. histor. cap. 20. scribit Amphilochium fuisse ordinatũ Episcopum ab Angelo, eiusque ordinationem ab aliis Episcopis ratam habitã fuisse. Sed huiusmodi ordinationis miraculosæ, & tã extraordinariæ debuerunt exhiberi signa certissima, quę essent argumenta sufficientis credibilitatis in re tanti momenti. Probatur tertiò ex Cõciliis, & Sanctis Patribus, qui, vt vidimus sect. 2. negarunt constanter esse veros sacerdotes eos, qui non essẽt à veris Episcopis ordinati, esseque reordinandos ab Episcopis, si vellẽt esse Sacerdotes. Ita Synodus Alexand. quam refert Athanas. in 2. Apologia, & ipse Athanas. ibidem, & Damas. epist. 5. & Innocent. I. epist. 22. cap. 3. & alii suprà relati.

65. Ad quem pertineat vocatio illius.

Quæritur tertiò, ad quem pertineat vocatio, & missio, seu concessio authoritatis prædicandi verbum Dei, administrandi sacramenta, & alia ministeria ecclesiastica exercendi?

Respondeo illam necessariò debere esse à Deo, siue à Christo, mediatè vel immediatè: & eos, qui sine illa ad hæc munia sese ingerunt, non esse veros & legitimos ministros & pastores: sed fures & latrones, per ostium non ingressos, & ab omnibus fugiendos. Probatur primò ex Apostolo Roman. 10. vers. 15. *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* à Deo scilicet, vt patet ex præcedentibus. Et Ierem. 23. vers. 21. Deus ita conqueritur, *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Probatur secundò ex Sanctis Patribus, qui semper reiecerunt hæresiarchas eo nomine, quòd non essent missi ab Ecclesia, id est ab Apostolis, vel eorum successoribus, adeoque non essent audiendi. Eorum testimonia referemus sectione sequenti, contra hæreticorum effugia.

66. Probatur tertiò ratione: quia authoritas prædicandi verbum Dei, administrandi sacramenta, & regendi Ecclesiam, est authoritas diuina & supernaturalis: quemadmodum & ipsum verbum Dei, & sacramenta, & Ecclesia, sunt aliquid supernaturale. Ergo debet manare à Deo mediatè, vel immediatè. Immediatè quidem, si ipse per seipsum alteri eam conferat, vt Christus Apostolis, & Deus quibusdam Prophetis. Mediatè verò: id est, per eos, quibus Deus concessit potestatem alios sibi substituendi in Ecclesiæ regimine. Cuiusmodi est primò & præcipuè Summus Pontifex: tum alii Episcopi, ab ipso habentes iurisdictionem ordinariam, & in partem regiminis Ecclesiæ assumpti. Quocirca meritò Trident. sess. 23. can. 7. & 8. anathematizat eos qui dixerint legitimos esse verbi, & sacramentorum ministros, eos qui ab Ecclesia, & canonica potestate missi non sunt. Et qui dixerint Episcopos, qui authoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos & veros Episcopos.

Ex his sequitur primò, electionem Ministrorum hæreticorum nullam penitùs esse. 67. Electio hæreticorũ est nulla.
Quippe quæ neque à Deo, vel à Christo facta est immediatè visibiliter, id est, adhibitis signis externis, & argumentis credibilitatis ad notificandam huiusmodi electionem: neque ab iis qui eligendi potestatem habent iure diuino, id est, à Prælatis & rectoribus Ecclesiæ catholicæ.

Sequitur secundò, ordinationem eorumdem nullam penitùs esse, si non fiat à veris Episcopis, vel ab aliis, quibus Summus Pontifex eam committere potest. Dico autem, si non fiat à veris Episcopis ordinatione; id est, habentibus saltem characterem & ordinem Episcopalem: quamuis fortè non habeant iurisdictionem, quæ ad validè ordinandum nõ est necessaria. Quia nimirum Episcopi hæretici, quales olim multi inter Arianos, & quales hodie sunt inter Græcos schismaticos, & esse potuerunt inter Lutheranos & Caluinistas, si qui Episcopi ad ipsos defecerunt, vt reipsa defecerunt nonnulli: illi, inquam, Episcopi retinent semper potestatem ordinandi: & ordinatio ab illis facta, seruatis sacramenti essentialibus, valida est: sicut valet Baptismus ab hæreticis collatus. Nimirum quia vt ait Sanctus Augustinus in libro De gestis cum Emerito Donatista hæretico, *Inuocatio super caput ipsorum quando ordinantur Episcopi, est inuocatio Dei, & non* Similiterque ordinatio, nisi fiat à veris Episcopis.

Donati. Et character non est desertoris, sed Imperatoris.

Eorundem missio planè nulla.

Sequitur tertiò missionem, seu vocationem Ministrorum hæreticorum, nullam penitùs esse. Quippe qui neq; à Deo immediatè illam acceperunt: huius enim missionis immediatæ à Deo nullum sufficiens indicium proferunt: neque mediatè à Prælatis Ecclesiæ, quibus potiùs resistentibus munus prædicandi sua dogmata, & Ecclesiam regendi sibi temerè arrogarunt.

SECTIO VII.

Refutantur euasiones hæreticorum.

68. Triplex illorum effugium.

AD hæc, tria respondent hæretici huius temporis. Primò scilicet, Prophetas in antiqua lege, & in noua Ioannem Baptistam, & Apostolos fuisse à Deo, & à Christo missos immediatè: similique modo Deū nostris tēporibus suscitasse extraordinariè fideles quosdam Ministros, qui Ecclesiam collapsam repararent, & in ruina & desolatione iacentem de nouo ædificarent. Secundò, populū Christianum habere ius eligēdi sibi fideles Ministros, si videat Ministros ordinarios nō fungi fideliter suo officio purè prædicandi verbum Dei, & sacramenta administrandi. Atque ita primos suos ministros fuisse à populo electos, & constitutos: adeoque esse legitimos, dummodo purè prædicēt verbum Dei, & sacramenta administrēt vt par est. Tertiò, primos suos Doctores & Ministros, Lutherum & Caluinum, fuisse in Ecclesia Romana ordinatos, & accepisse potestatem prędicandi Euāgelium, & administrādi sacramenta: quæ potestas datur in ordinatione sacerdotum. Atqui ita ipsos habuisse quidquid boni restabat vocationis ordinariæ: postea verò licuisse illis corrigere id, quod malum erat, & potestatem sibi datam fideliter exercere, prædicādo purè verbum Dei, & sacramenta debitè administrando, ordinationemque & missionem ad intentionem Christi, primamque suam originem reuocando, & in pristinum nitorem restituendo. Maximè verò, quum iuramento adacti fuissent in ordinatione ad illud munus sincerè & fideliter præstandum. Nam iure diuino tenetur quisque iuramentum seruare.

69. Missio extraordinaria non caret signis sufficientibus.

Contra primum effugium dico primò, illos qui à Christo, vel à Deo missi fuerunt immediatè, non caruisse signis sufficientibus, & argumentis credibilitatis, quibus prudenter credendum esset, & credendum illos fuisse à Deo missos. Secundò, Prophetas illos longè differre à Ministris hæreticorum. Illi enim, si non erant ordinati sacerdotes modo legitimo, & ordinario, non sibi arrogarunt munus sacerdotale: neque sua successione illud propagare tentarunt, & statum Ecclesiæ Mosaicæ euertere: quæ omnia fecerunt, aut tentarunt hæresiarchæ prædicti. Tertiò, contra Scripturam est dicere Ecclesiam fuisse collapsam, & ex ruina ac desolatione excitatam. Id enim repugnat Christi vaticinio infallibili: *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam*, Matth. 16. & Apostolo ad Ephes. quarto, affirmanti Christum dedisse Ecclesiæ suæ Pastores & Doctores, *donec occurramus omnes*, &c. *vt non simus paruuli fluctuantes omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris.* Vnde sequitur nunquam deesse, neque ante Lutherum & Caluinum defuisse in Ecclesia Doctores & pastores, quibus populus Christianus adhærens, manere posset stabilis & inconcussus in fide, non-obstantibus frequentibus hæreticorum fraudibus & conatibus.

70. Non est populi iudicare de rebus fidei.

Contra secundum, dico populum Christianum non habere ius à Deo iudicandi de dubiis fidei, & de suis pastoribus num in dubiis huiusmodi sequantur veritatem. Hoc enim est contra rationem manifestam: & contra vsum perpetuum Ecclesiæ: & contra Apostolum loco proximè citato, ex quo habetur Christum potiùs instituisse in Ecclesia pastores & Doctores, quos populus sequi teneatur, vt in dubiis fidei non fluctuet, aut non circumueniatur erroribus. Atque ita semper dubia fidei, & religionis, non ad populi decisionem, sed ad Petri successores: vel ad Prælatos in Concilium coactos sunt relecta: exemplo ipsorummet Apostolorum, & fidelium illius temporis, Actor. decimo quinto, versu secundo & sexto.

71. Veri Pastores vnde agnoscendi.

Deinde hoc effugium supponit notitiam verorum Ecclesiæ pastorum & ministrorum pendere à notitia veræ doctrinæ, illamque præsupponere: nimirum vt ex veræ doctrinæ cognitione intelligat populus an sui pastores ordinarii fungantur legitimè suo officio prædicandi verbum Dei, & ministrandi sacramenta: Et, sin minùs, deponantur, eligunturque ab ipso alii, qui hoc præstent. An verò isti hoc verè præstent, & legitimi sint, ac retinendi & sequendi, pendebit iterum à iudicio populi, id est, à notitia quam ipse habet de vera & pura doctrina fidei. At hoc est manifestè contra Apostoli verba supra relata ex Ephesiorum quarto. Nam ex illis habemus Christum in Ecclesia dedisse populo pastores, & Doctores, tanquam medium vtile, & efficax, atque infallibile reperiendæ & retinendæ veritatis in dubiis fidei: ita vt eos sequendo non fluctuet, neque circumferatur omni vento doctrinæ, inducaturque in astutiam & circumuentionem erroris. Sed si verum est hoc effugium hæreticorum, medium illud erit populo inefficax, & inutile. Inefficax quidem, id est, non sufficiens & infallibile: si verum est, quod dicunt hæretici, pastores ordinarios, à Christo cum perpetua successione institutos, & secundum illam successionem electos, ordinatos, & missos, falli posse aut fallere:

Digitized by Google

ita vt oues seu fideles eos sequentes, circũueniantur errore. Inutile: quia medium non est vtile, nisi quatenus valet ad finem obtinendum. Atqui medium illud à Christo institutum non erit vtile ad finem obtinendum, sed necessariò supponet illum esse obtentum. Supponet enim notam iam esse populo veritatem catholicam, vt ex hac cognitione iudicet num Pastores & Doctores sui ordinarij sint legitimi, id est, rectè fungentes suo munere, & purum Dei verbum prædicantes secundum verum eius sensum à Spiritu sancto intentum.

72. Sensus Patrum hac de re.

Secundò, est etiam illud contra sensum sanctorum Patrum, & praxim Ecclesiæ primis saculi. Nam ab initio reiecti sunt vt illegitimi pastores & ministri, quicunque munus docendi vsurparunt, tanquam non audiendi, eo ipso quòd carerent missione, & successione ordinaria: abstrahendo interim, siue abstinendo ab examine veritatis doctrinæ. Sic Irenæus lib. 4. cap. 43. *His*, inquit, *qui sunt in Ecclesia presbyteris obedire oportet, iis qui successionem habent ab Apostolis &c. reliquos verò qui absistunt à principali successione, & quocunque loco colligunt, suspectos habere.* Tertullian. lib. de Præscript. cap. 32. prærequirit ab hæreticis vt, si admitti velint tanquam veri & legitimi pastores, *edant Origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerint, habuerit authorem & antecessorem.* Et cap. 19. *Etsi non ita esset constitutum vt vtramque partem parem sisteret: ordo verum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est: Quibus competat fides ipsa? Cuius sint Scripturæ? A quo, & per quos, & quando, & quibus est tradita disciplina, per quam fiunt Christiani?* Id est, quinã sunt in legitima possessione ordinationis, & successionis ecclesiasticæ? Cyprianus epist. 52. ad Antonianum, *Quod verò*, inquit, *ad Nouatiani personam pertinet, frater charissime, de quo desiderasti tibi scribi quam hæresim introduxisset: scias nos primo in loco nec curiosos esse debere quid ille doceat, cùm foris doceat. Quisquis ille est, & qualisunque est, Christianus non est, qui in Christi Ecclesia non est.*

73. Hieronym. in fine dialogi aduersus Luciferianos: *Breuem tibi, apertamque animi mei sententiam proferam, in illa esse Ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata, vsque ad diem hanc durat. Sicubi audieris eos qui dicuntur Christi, non à Domino Iesu Christo, sed à quodam alio nuncupari, vtputa Marcionitas, Valentinianos, Montenses, siue Campitas: scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam. Ex hoc enim ipso quòd posteà instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus prænunciauit. Nec sibi blandiantur, si de Scripturarũ capitulis videntur sibi affirmare quod dicunt: cum Diabolus de Scripturis aqua sit loquutus: & Scripturæ non in legendo consistunt, sed in intelligendo.* Augustin. epist. 56. sub finem: *Porro illi, qui non in vnitate & cõmunione catholicæ nonsunt, christianum tamen nomine gloriantur, coguntur aduersus credentibus, & cuilibet imperitos quasi ratione tractare: quam o maximè ad hanc medicina Dominus venerit, vt fidem populis imperaret. Sed hoc facere cogũtur, vt ait, qui facere se abscisissimè sentiunt, si eorum authoritas cum authoritate catholica conferatur. Continuo ergo authoritatem stabilissimam fundatissimæ Ecclesiæ, quasi rationis nomine, & politione superare. Omnium enim Hæreticorum quasi regularis est ista temeritas. Sed ille fidei Imperator clementissimus, & per conuentus celeberrimos populorum atque gentium, sedesque ipsas Apostolorum arce authoritatis munuit Ecclesiam: & per pauiores pè doctos, & verè spirituales viros, copiosissimis apparatibus, etiam inuictissimæ rationis, armauit.* Et lib. contra Epistolam fundamẽti cap. 4. *Tenet me in Ecclesia successio sacerdotum in Petri sede* &c. Hæc & similia SS. Patrum oracula planè condemnant effugium illud hæreticorum. Quòd, vt rectè notat S. Augustin. & per se notum est, aperit ianuam omnibus hæresiarchis nouis, & antiquis, qui eodem prorsus effugio aduersus Sanctos Patres hæc obiicientes, & hæresin ac defectionem ab Ecclesia exprobrantes, vti potuissent.

Contra tertium effugium, dico falsò supponi dari in ipsa ordinatione sacerdotum potestatem completam prædicandi verbum Dei, & ministrandi sacramenta. Ad hoc enim, vltra ordinem sacerdotalem, requiritur missio, id est, collatio iurisdictionis ordinariæ, vel delegatæ. Falsum item est iuramentum exigi ab ordinatis de verbo Dei sincerè prædicando. Illud enim non exigitur: sed, vt videre est in Pontificali, admonentur tantùm recens ordinati sacerdotes quæ sint officia sacerdotis, his verbis. *Sacerdotem oportet benedicere, præesse, prædicare, baptizare.* Et paulò post: *Sit doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei: sit odor vitæ vestræ delectamentum Ecclesiæ Christi, vt prædicatione, atque exemplo ædificetis domum Dei.*

74. Sacerdotes vi ordinationis nõ habent cõpletam potestatẽ prædicandi.

Deinde Ecclesia quando mittit, id est, quando dat authoritatem prædicandi, non dat aliam authoritatem, quàm prædicandi secundum fidem & intentionem suam. Neque enim dat potestatem & authoritatem destruendi seipsam, impugnandique fidem, quam profitetur, & cui tanquam fundamento nititur. Quare quidquid aliud fit, temerè fit, & sine missione, id est, sine authoritate legitimè accepta. Ideóque Apostoli Act. 15. v. 24. de quibusdam qui contra suam intentionem, & mandatum prædicauerant, sic scribunt Antiochenis, & aliis fidelibus: *Quoniam audiuimus quia quidam ex nobis exeuntes turbauerunt vos verbis, euertentes animas vestras, quibus non mandauimus.* Ergo missio, quam hæretici dicunt suos primos Ministros, Lutherum, & Caluinum, accepisse ab

75.

Donati. Et character non est desertoris, sed Imperatoris.

Eorundem missio plane nulla.

Sequitur tertiò missionem, seu vocationem Ministrorum hæreticorum, nullam penitùs esse. Quippe qui neq; à Deo immediatè illam acceperunt: huius enim missionis immediatæ à Deo nullum sufficiens indicium proferunt: neque mediatè à Prælatis Ecclesiæ, quibus potiùs resistentibus munus prædicandi sua dogmata, & Ecclesiam regendi sibi temerè arrogarunt.

SECTIO VII.

Refutantur euasiones hæreticorum.

68. Triplex illorum effugium.

AD hæc, tria respondent hæretici huius temporis. Primò scilicet, Prophetas in antiqua lege, & in noua Ioannem Baptistam, & Apostolos fuisse à Deo, & à Christo missos immediatè: similique modo Deũ nostris tẽporibus suscitasse extraordinariè fideles quosdam Ministros, qui Ecclesiam collapsam repararent, & in ruina & desolatione iacentem de nouo ædificarent. Secundò, populũ Christianum habere ius eligẽdi sibi fideles Ministros, si videat Ministros ordinarios nõ fungi fideliter suo officio purè prædicandi verbum Dei, & sacramenta administrandi. Atque ita primos suos ministros fuisse à populo electos, & constitutos: adeoque esse legitimos, dummodo purè prædicẽt verbum Dei, & sacramenta administrẽt vt par est. Tertiò, primos suos Doctores & Ministros, Lutherum & Caluinum, fuisse in Ecclesia Romana ordinatos, & accepisse potestatem prędicandi Euãgelium, & administrãdi sacramenta: quæ potestas datur in ordinatione sacerdotum. Atq; ita ipsos habuisse quidquid boni restabat vocationis ordinariæ: postea verò licuisse illis corrigere id, quod malum erat, & potestatem sibi datam fideliter exercere, prædicãdo purè verbum Dei, & sacramenta debitè administrando, ordinationemque & missionem ad intentionem Christi, primamque suam originem reuocando, & in pristinum nitorem restituendo. Maximè verò, quum iuramento adacti fuissent in ordinatione ad illud munus sincerè & fideliter præstandum. Nam iure diuino tenetur quisque iuramentum seruare.

69. Missio extraordinaria non caret signis sufficientibus.

Contra primum effugium dico primò, illos qui à Christo, vel à Deo missi fuerunt immediatè, non caruisse signis sufficientibus, & argumentis credibilitatis, quibus prudenter credendum esset, & credendum illos fuisse à Deo missos. Secundò, Prophetas illos longè differre à Ministris hæreticorum. Illi enim, si non erant ordinati sacerdotes modo legitimo, & ordinario, non sibi arrogarunt munus sacerdotale: neque sua successione illud propagare tentarunt, & statum Ecclesiæ Mosaicæ euertere: quæ omnia fecerunt, aut tentarunt hæresiarchæ prædicti. Tertiò, contra Scripturam est dicere Ecclesiam fuisse collapsam, & ex ruina ac desolatione excitatam. Id enim repugnat Christi vaticinio infallibili: *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam*, Matth. 16. & Apostolo ad Ephes. quarto, affirmanti Christum dedisse Ecclesiæ suæ Pastores & Doctores, *donec occurramus omnes*, &c. *vt non simus paruuli fluctuantes omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris.* Vnde sequitur nunquam deesse, neque ante Lutherum & Caluinum defuisse in Ecclesia Doctores & pastores, quibus populus Christianus adhærens, manere posset stabilis & inconcussus in fide, non-obstantibus frequentibus hæreticorum fraudibus & conatibus.

70. Non est populi iudicare de rebus fidei.

Contra secundum, dico populum Christianum non habere ius à Deo iudicandi de dubiis fidei, & de suis pastoribus num in dubiis huiusmodi sequantur veritatem. Hoc enim est contra rationem manifestam: & contra vsum perpetuum Ecclesiæ: & contra Apostolum loco proximè citato, ex quo habetur Christum potiùs instituisse in Ecclesia pastores & Doctores, quos populus sequi teneatur, vt in dubiis fidei non fluctuet, aut non circumueniatur erroribus. Atque ita semper dubia fidei, & religionis, non ad populi decisionem, sed ad Petri successores: vel ad Prælatos in Concilium coactos sunt relecta: exemplo ipsorummet Apostolorum, & fidelium illius temporis, Actor. decimo quinto, versu secundo & sexto.

71. Veri Pastores vnde agnoscẽdi.

Deinde hoc effugium supponit notitiam verorum Ecclesiæ pastorum & ministrorum pendere à notitia veræ doctrinæ, illamque præsupponere: nimirum vt ex veræ doctrinæ cognitione intelligat populus an sui pastores ordinarii fungantur legitimè suo officio prædicandi verbum Dei, & ministrandi sacramenta: Et, si minùs, deponantur, eligunturque ab ipso alii, qui hoc præstent. An verò isti hoc verè præstent, & legitimi sint, ac retinendi & sequendi, pendebit iterum à iudicio populi, id est, à notitia quam ipse habet de vera & pura doctrina fidei. At hoc est manifestè contra Apostoli verba supra relata ex Ephesiorum quarto. Nam ex illis habemus Christum in Ecclesia dedisse populo pastores, & Doctores, tanquam medium vtile, & efficax, atque infallibile reperiendæ & retinendæ veritatis in dubiis fidei: ita vt eos sequendo non fluctuet, neque circumferatur omni vento doctrinæ, inducaturque in astutiam & circumuentionem erroris. Sed si verum est hoc effugium hæreticorum, medium illud erit populo inefficax, & inutile. Inefficax quidem, id est, non sufficiens & infallibile: si verum est, quod dicunt hæretici, pastores ordinarios, à Christo cum perpetua successione institutos, & secundum illam successionem electos, ordinatos, & missos, falli posse aut fallere:

Digitized by Google

ita vt oues seu fideles eos sequentes, circũueniantur errore. Inutile: quia medium non est vtile, nisi quatenus valet ad finem obtinendum. Atqui medium illud à Christo institutum non erit vtile ad finem obtinendum, sed necessariò supponet illum esse obtentum. Supponet enim notam iam esse populo veritatem catholicam, vt ex hac cognitione iudicet num Pastores & Doctores ini ordinari: sint legitimi, id est, rectè fungentes suo munere, & purum Dei verbum prædicantes secundum verum eius sensum à Spiritu sancto intentum.

72. Sensus Patrum hac de re.

Secundò, est etiam illud contra sensum sanctorum Patrum, & praxim Ecclesiæ primis saculi. Nam ab initio reiecti sunt vt illegitimi pastores & ministri, quicunque nouus docendi vsurparunt, tanquam non audiendi, eo ipso quòd carerent missione, & successione ordinaria: abstrahendo interim, siue abstinendo ab examine veritatis doctrinæ. Sic Irenæus lib. 4. cap. 43. *Iis*, inquit, *qui sunt in Ecclesia presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis &c. reliquos verò qui absistunt à principali successione, & quocunque loco colligunt, suspectos habere.* Tertullian. lib. de Præscript. cap. 32. prærequirit ab hæreticis vt, si admitti velint tanquam veri & legitimi pastores, *Edant Origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerint, habuerit authorem & antecessorem.* Et cap. 19. *Etsi non ita euaderet collatio Scripturarum vt vtramque partem parem sisteret: ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est: Quibus competat fides ipsa? Cuius sint Scripturæ? A quo, & per quos, & quando, & quibus est tradita disciplina, per quam fiunt Christiani?* Id est, quinã sunt in legitima possessione ordinationis, & successionis ecclesiasticæ? Cyprianus epist. 52. ad Antonianum, *Quod verò*, inquit, *ad Nouatiani personam pertinet, frater charissime, de quo desiderasti tibi scribi quam hæresim introduxisset: scias nos primo in loco nec curiosos esse debere quid ille doceat, cùm foris doceat. Quisquis ille est, & qualisunque est, Christianus non est, qui in Christi Ecclesia non est.*

73. Hieronym. in fine dialogi aduersus Luciferianos: *Breuem tibi, apertamque animi mei sententiam proferam, in illa esse Ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata, vsque ad diem hanc durat. Sicubi audieris eos qui dicuntur Christi, non à Domino Iesu Christo, sed à quodam alio nuncupari, vtputa Marcionitas, Valentinianos, Montenses, siue Campitas: scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam. Ex hoc enim ipso quòd postea instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus prænunciauit. Nec sibi blandiantur, si de Scripturarũ capitulis aliquid sibi affirmare quodlibet: cum Diabolus de Scripturis aliqua sit loquutus: & Scripturæ non in legendo consistunt, sed in intelligendo.* Augustin. epist. 56. sub finem: *Porro illi, qui non in vnitate & cõmunione catholicæ nonsunt, Christiano tamen nomine gloriantur, cogunturaduersari credentibus, & cuidam imperitos quasi ratione trahere: quam o maximè cum ista medicina Dominus venerit, vt suum populum imperaret. Sed hoc facere coguntur, vt taxet, qui facere se abiectissimè sentiunt, si eorum authoritas cum authoritate catholica conferatur. Continuo ergo authoritatem stabilissimam fundatissimæ Ecclesiæ, quasi rationis nomine, & politi ratione superare. Omnium enim Hæreticorum quasi regularis est ista temeritas. Sed illi fidei Imperator clementissimus, & per conuentus celeberrimos populorum atque gentium, sedesque ipsas Apostolorum arce authoritatis munuit Ecclesiam: & per pauiores quidem apostolos, & verè spirituales viros, copiosissimis apparatibus, etiam inuictissimæ rationis, armauit.* Et lib. contra Epistolam fundamẽti cap. 4. *Tenet me in Ecclesia successio sacerdotum in Petri sede* &c. Hæc & similia SS. Patrum oracula planè condemnant effugium illud hæreticorum. Quòd, vt rectè notat S. Augustin. & per se notum est, aperit ianuam omnibus hæresiarchis nouis, & antiquis, qui eodem prorsus effugio aduersus Sanctos Patres hæc obiicientes, & hæresin ac defectionem ab Ecclesia exprobrantes, vti potuissent.

Contra tertium effugium, dico falsò supponi dari in ipsa ordinatione sacerdotum 74.
potestatem completam prædicandi verbum Dei, & ministrandi sacramenta. Ad hoc enim, vltra ordinem sacerdotalem, requiritur missio, id est, collatio iurisdictionis ordinariæ, vel delegatæ. Falsum item est iuramentum exigi ab ordinatis de verbo Dei sincerè prædicando. Illud enim non exigitur: sed, vt videre est in Pontificali, admonentur tantùm recens ordinati sacerdotes quæ sint officia sacerdotis, his verbis. *Sacerdotem oportet benedicere, præesse, prædicare, baptizare.* Et paulò post: *Sit doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei: sit odor vitæ vestræ delectamentum Ecclesiæ Christi, vt prædicatione, atque exemplo ædificetis domum Dei.*

Sacerdotes vi ordinationis nõ habent cõpletam potestatẽ prædicandi.

Deinde Ecclesia quando mittit, id est, 75.
quando dat authoritatem prædicandi, non dat aliam authoritatem, quàm prædicandi secundum fidem & intentionem suam. Neque enim dat potestatem & authoritatem destruendi seipsam, impugnandique fidem, quam profitetur, & cui tanquam fundamento nititur. Quare quidquid aliud fit, temerè fit, & sine missione, id est, sine authoritate legitimè accepta. Ideóque Apostoli Act. 15. v. 24. de quibusdam qui contra suam intentionem, & mandatum prædicauerant, sic scribunt Antiochenis, & aliis fidelibus: *Quoniam audiuimus quia quidam ex nobis exeuntes turbauerunt vos verbis, euertentes animas vestras, quibus non mandauimus.* Ergo missio, quam hæretici dicunt suos primos Ministros, Lutherum, & Caluinum, accepisse ab

Eccleſia Romana viâ ordinariâ, non poteſt illis prodeſſe, contra ipſius fidem & intentionem prædicantibus. Adde, quòd eadem Eccleſia, quæ dedit miſſionem, poteſt eam reuocare, ſi videat aliquem non fungi munere, ad quod ipſa vocauit & miſit.

76. Poteſtas mittendi non eſt niſi in vera Eccleſ.

Vlteriùs poteſtas legitima mittendi non eſt niſi in vera Eccleſia, quæ ſola habet authoritatem diuinam prædicandi: & niſi eam haberet, non poſſet eam alteri communicare. Vel ergo Eccleſia Romana, ad quam illi miſſionem ſuam referunt, erat vera Eccleſia; vel non. Si vera: non debuerunt ab illa ſeparari, & fidem illi contrariam docere. Si non vera: ergo non potuit illis dare poteſtatem legitimam prædicandi verbum Dei: & hoc ipſo quòd aſſerunt falſam fuiſſe, adimunt tum illi, tum ſibi ipſis authoritatem docendi, & regendi fideles, quam ab illa non potuerunt accipere. Quo genere argumentandi, vt efficaciſſimo, vſi ſunt ſancti Patres contra hæreſiarchas ſui temporis. Quorum licet aliqui fuiſſent ordinati Epiſcopi ab Eccleſia, à qua defecerant: contendunt tamen eos non habuiſſe authoritatem legitimam. Quia non poterant eam habere, niſi à vera Eccleſia illam accipiendo, & nihil docendo præter ea dogmata, quæ ab ipſa acceperant prædicanda. Quare hoc ipſo quòd negabant illam eſſe veram Eccleſiam; negabant ſe ab illa potuiſſe accipere authoritatem legitimam. Hoc item ipſo quòd dogmata prædicabant ei contraria, prædicabant ea ſine legitima authoritate, quia non acceperant ab Eccleſia poteſtatem illam prædicandi. Miſſio autem non datur ab Eccleſia, niſi ſimul tradendo dogmata quæ prædicanda cõmittit. Sicut Rex non mittit Legatum, vel Gubernatorem, niſi tradendo, ſeu præſcribendo quæ vult ab ipſo fieri ſuo nomine, per participationem ſuæ authoritatis. Secus ac ordinatio ſacramentalis: ad quam ſufficit ſeruare eſſentialia ſacramento Ordinis, quod poſſunt facere Epiſcopi hæretici.

77. Cõfirmatur ex SS. Patr.

Ita Cyprianus in Epiſt. ad Antonianum. *Qui nec fraternam charitatem, nec Eccleſiaſticam vnitatem tenuit, etiam quod prius fuerat, amiſit.* Et infra: *Epiſcopi nec poteſtatem* (iuriſdictionis (*poteſt habere, nec honorem; qui Epiſcopatus nec vnitatem voluit retinere, nec pacem.* Et Athanaſius in epiſt. de Synodis Arimini, & Seleuciæ, titulo *Concilii ſeleuciæ habiti ordo* &c. poſt medium: *Quo iure*, inquit, *ipſi Epiſcopi* (non tantùm Ordine, ſed & iuriſdictione, id eſt, poteſtate docendi, & regendi) *eſſe poterunt, ſi ab hæreticis, quos ipſi criminantur, conſtituti ſunt?* Et Hilarius in lib. de Synodis aduerſus Arianos, in fine, *Cogitemus tot ſacerdotes ſanctos, & iam quieſcentes. Quid de nobis Dominus iudicabit, ſi nunc anathematizantur à nobis? Quid de nobis erit, qui rem eò deducimus, vt quia Epiſcopi non fuerunt, nos quoque nec ceperimus? Ordinati enim ab his ſumus, & eorum ſumus ſucceſſores. Renunciemus Epiſcopatui, quia efficacem eius ab anathemate ſumpſerimus.* Et Hieron. in dialogo aduerſus Luciferianos, *Epiſcopus*, inquit, *in mundo iam nullus eſt, niſi quos Patres Nicæni ordinauerunt*: ſupple, & conſtituerunt, id eſt, completè Epiſcopos fecerunt, collatâ illis vtraque poteſtate Ordinis, & iuriſdictionis. Ideo autem affirmat nullos eſſe alios, quàm ab illis Patribus conſtitutos: quia nulli alii conſtituere potuerunt. Niſi enim hoc ſupponeret, falsò aſſereret, & gratis non eſſe alios. Et denique Auguſt. lib. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 2. *Si tunc non erat*, inquit, *Eccleſia orthodoxa, & vera, quia ſacrilegi, hæretici ſine Baptiſmo recipiebantur, & hoc vniuerſali conſuetudine tenebatur: vnde apparuit Donatus? De qua terra germinauit? De quo mari emerſit? De quo cœlo cecidit?* Id eſt nullam potuit habere auctoritatem, quam ab Eccleſia orthodoxa non acceperit.

78. Hæretici ſibi facto cõtradicũt.

Addo denique hæreticos in praxi facere quod nos dicimus, ac ſeipſos factis condemnare. Nam ſi qui de ſacerdotibus catholicis ad ipſos deficiunt, non propterea illos habent pro legitimis miniſtris verbi Dei: ſed de nouo manus illis imponunt, ſi fortè in miniſtros eligunt ad prædicanda ſua dogmata: hoc eſt, ad prædicandum verbum Dei iuxta ſenſum, ſiue interpretationem, & intentionem ſuam. Ac ſi contrà faciunt, deponunt illos, priuantque illa qualicumque poteſtate, & auctoritate, quam dederant. Ergo non ſufficit illis ordinatio accepta ab Eccleſia Romana: neque illis prodeſt apud hæreticos effugium, quod impugnamus. Quòd nimirum ſuam ordinationem, & miſſionẽ, ſiue à Romana Eccleſia, ſiue à Caluiniſtica acceptam viâ ordinariâ, reuocent ad Chriſti intentionem, prædicando purum Dei verbum, adeóque non careant auctoritate legitima. Quod effugium, vt ſupra diximus cum S. Auguſtino, aperit viam omnibus hæreſiarchis, prætextu verbi Dei pacem Eccleſiæ turbantibus, & vnitatem ſcindentibus. Manet ergo demonſtratum, quod probandum ſuſcepimus, effugia hæreticorum nulla eſſe, eorumque miniſtros, & Paſtores omnes ſpurios eſſe, & illegitimos. Qui plura volet de quæſtione propoſita conſulat Bellarminum lib. de Clericis cap. 2. & pluribus ſequentibus, Vaſquem diſp. 244. in 3. partem D. Thomæ, Barrault. part. 2. Clypei fidei cap. 28. & Card. Perronium in reſponſione ad Miniſtros ſuper eorum vocatione.

Digitized by Google

DISPVTATIO SEXAGESIMA OCTAVA,

De annexis sacramento Ordinis, & variis Ecclesiæ ministris in particulari.

Sectio I. *De Tonsura clericali.*
Sectio II. *De officiis, seu ministeriis singulorum Ordinum.*
Sectio III. *Vtrum supra sacerdotium debet esse aliqua potestas Episcopalis?*
Sectio IV. *Quid senserint Hieronymus, & Ambrosius de differentia inter Episcopum & Presbyterum?*
Sectio V. *Vtrum supra Episcopos sit aliquis superior in Ecclesia?*
Sectio VI. *De Hierarchia ecclesiastica, & variis eius Ordinibus, ac functionibus.*
Sectio VII. *Potuerintne aliquæ functiones Hierarchicæ committi Regularibus sine præiudicio Hierarchiæ ecclesiasticæ*

DOCTRINA D. Thomæ quæst 40. Supplem. de argumento proposito hæc est. Art. 1. docet conueniens esse, vt ordinati tonsuram deferant in modum coronæ: quia corona est signum regni, & perfectionis: illi autem qui diuinis ministeriis applicantur, adipiscuntur regiam dignitatem, & perfecti in virtute esse debent. Item per rasuram capillorum admonentur ne mentem suam temporalibus occupationibus obuolui, & à contemplatione diuinorum ratardari sinant. 2. Cùm per Tonsuram, seu coronam nulla potestas peculiaris tradatur, sed ad communia quædam Ecclesiæ ministeria deputatio tantùm fiat: non Ordo, sed potiùs ad ipsum est veluti præambulum. 3. Clericos accipiendo coronam non renunciare patrimonio, nec aliis rebus temporalibus: quia terrenorum possessio non contrariatur cultui, ad quem clerici deputantur: sed nimia eorum solicitudo. 4. Oportuisse in Ecclesia esse, supra sacerdotalem Ordinem, potestatem Episcopalem, à qua sacerdos acciperet iurisdictionem, ad ligandum, & soluendum: non autem potestatem consecrandi, quippe quam accepit immediatè à Christo in sua ordinatione. 5. Episcopatum non esse Ordinem, prout Ordo est sacramentum ad Eucharistiam ordinatum: quia quantum ad hoc, non habet Episcopus potestatem superiorem sacerdote: sed tantùm prout est officium quoddam ad sacras, & Hierarchicas actiones, quas habet supra sacerdotem, respectu corporis mystici Ecclesiæ. 6. Ad vnitatem Ecclesiæ conseruandam oportuisse, vt supra potestatem Episco-

Digitized by Google

palem, quâ particulares Ecclesiæ reguntur, esset suprema Summi Pontificis potestas, quâ vniuersa regatur Ecclesia. Vbicunque enim sunt multa regimine ordinata in vnum, oportet esse aliquod vniuersale supra particularia regimina: quia bonum commune est diuinius, quàm bonum speciale, vt ait Philosophus 1. Ethic. cap. 2. Et ideo supra potestatem regendi, quæ spectat bonum particulare, oportet esse potestatem vniuersalem respectu boni communis: alioqui non posset esse colligatio ad vnum. Cùm ergo Ecclesia sit vnum corpus, oportet ad vnitatem eius conseruandam, aliquam esse potestatem regendi vniuersalem, supra Episcopales regentes Ecclesias particulares. Et hæc est potestas Papæ. Ideóque illi, qui hanc potestatem negant, Schismatici dicuntur, quasi diuisores vnitatis Ecclesiæ. Et inter Episcopum simplicem, & Papam sunt alii gradus dignitatum, correspondentes gradibus vnionis, secundum quos vna congregatio, seu communitas includit aliam: sicut Prouincia includit ciuitatem, & regnum includit Prouinciam, & mundus regnum. 7. Denique affirmat omnibus Ecclesiæ ministris ad diuina officia exequenda varias, ac multiplices vestes assignatas fuisse, prout Ecclesia à Spiritu sancto edocta iudicauit vnicuique conuenire. Quarum vestium diuersitatem, & formam, & significationem mysticam fusè, ac perspicuè exponit.

SECTIO I.

De Tonsura Clericali.

1. Eius origo.

TOnsuræ clericalis originem ad Apostolos referunt Beda lib. 5. historiæ Anglorum cap. 22. vbi dicit Petrum Apostolum primum omnium gestasse coronam capillorum, toto reliquo capite detonso: illumque deinceps imitatos esse Clericos omnes, & Monachos: & Isidorus lib. 2. de Diuinis Officiis cap. 4. vbi affirmat tonsuram, & coronam Clericorum, & Monachorum ab Apostolis ipsis fuisse institutam. Eiusdemque meminerunt Anicetus Papa vicinus Apostolorum, epist. 1. cap. 4. relatus cap. *Prohibete*, dist. 23. vbi statuit prohibendum esse ne clerici comâ nutriant, sed desuper caput in modum sphæræ radant: quoniam laicis, & simplicibus, virtutis, honestatis, pudicitiæ, & grauitatis exemplar esse debent. Et Hieronymus in epist. ad August. quæ est 26. inter epistolas D. Aguust. his verbis: *Fratres tuos, Dominum meum Alipium, & Dominum meum Euodium, vt nomine meo salutes precor coronam tuam.* Vbi nomine coronæ non aliam, quàm sacerdotalem intelligit. Et Concil. Tolet. IV. can. 40. vbi præcipit vt omnes clerici, detonso superiùs capite toto, inferiùs solam circuli coronam relinquant: & non sicut aliqui faciunt, in solo capitis apice modicum circulum tondeant. Ex quo liquet coronam Clericorum eo tempore in Hispania similem fuisse coronæ Monachorum, qui huc vsque hanc consuetudinem retinent, licet clerici mutauerint. Et Concilium Triburiense can. 20. vbi dicit, *Clericos in hoc radi, vt solicitudinem coronæ Domini in capitibus suis gerant, quos & seruos suos dici, & esse voluit, sortemque illorum se constituit, sicut de illis scriptum est, Ego hæreditas eorum* &c.

2. Eiusdé ratio, & significatio.

Huius autem cerimoniæ multiplex ratio affertur à Patribus, & antiquis scriptoribus. Ac Dionysius quidem cap. 6. De ecclesiastica Hierarchia dicit hac nudatione capitis significari vitam puram, & apertam, nullaque specie fucatam, qualis Clericorum, & Monachorum vita esse debet. Beda verò lib. 5. Historiæ Anglorum cap. 22. dicit hoc fieri ad exprimendam imaginem spineæ coronæ Christi Domini, & indicandum, debere Clericos illius patientiam imitari, *Vt*, inquit, *se etiam irrisiones & opprobria pro illo libenter ac prompto animo sufferre, ipso etiam frontispicio doceant: & coronam vitæ æternæ, quam repromisit Deus diligentibus se, se semper expectare, proque huius perceptione & ad. uersa se mundi, & prospera contemnere designent.* Similem rationem reddit Germanus Patriarcha Constantinopol. in Theoria rerum ecclesiasticarum, §. *Genu non flectere.* Isidor. verò lib. 2. de Diuin. Offic. cap. 4. tres alias addit. Primam scilicet, vt clerici per eam significent se Deo esse consecratos, eiusque cultui mancipatos: sicut olim Nazaræi tondebantur in die consecrationis suę,

Digitized by Google

vt dicitur numer. 8. ad quorum imitationē putat tonderi Monachos, & Clericos, quando initiantur. Sed hoc postremum meritò improbatur ab eruditis quibusdam recentioribus: quia Nazaræi non tondebantur, nisi quando desinebant esse Nazaræi, & excepto casu, quo propter contactum mortui interdum contingebat pollui caput consecrationis eorum, quod illico tondendum erat. Nam alioqui erat longa cæsaries, & intonsa illorum insigne, vt dicitur Numer. 6. v. 5. & 9. Contra verò, Clerici, & Monachi tondentur ipso initio, quo Deo consecrantur, & per tonsuram distinguuntur ab aliis. Quare potiùs contraria illorum est ratio.

3. Secunda huius cerimoniæ causa, quam affert Isidor. ibidem, est, vt clerici intelligant debere se curas superfluas resecare, quæ per crines significantur (sunt enim capilli superflua quædam capitis excrementa) & vitiosas cupiditates abscindere, vt vertex, id est, animus maneat liber, & apertus diuinis illustrationibus. Quam rationem affert etiam Amalarius lib. 2. de Ecclesiasticis Officiis cap. 5. & confirmat auctoritate Diui Gregorii in Moralibus, dicentis, caput tondere nihil aliud esse quā superfluas cogitationes à mente resecare. Tertia est, v. Clerici intelligant se ad regale sacerdotiū pertinere, & idcirco coronam gestare, quia seruire Deo regnare est. Circulo enim capillorum in modum coronæ relictorum, reliqua parte capitis detonsa, significatur aureus circulus, quo capita Regum cingi olim solebant. Quartam addit Amalarius cap. cit. Ideo circulum capillorum in inferiori parte capitis relinqui, vt denotetur partem inferiorem animæ ad æqualitatem rationis redigi, motusque omnes clericorum compositos & æquabiles, ac rationi consentaneos esse debere. *Circulus capillorum*, inquit, *virtutem, æqualitatis rationi vndique consentientem significat.* Potest denique addi, hoc etiam fieri in signum pœnitentiæ, & conuersionis. Nam olim qui admittebantur ad poenitentiam, tonderi iubebantur, vt constat ex Concil. Agath. can. 11. & Tolet. III. can. 12. Quorum primum iubet non admitti ad poenitentiam eos, qui comam non deposuerint, vel habitum non mutauerint. Posterius idem præcipit, excipiendo mulieres, quæ non tondere, sed velare caput debent.

4. Refellitur hæreticmendacium. Ex his apparet quàm ineptè Caluin. lib. 4. Instit. cap. 19. §. 27. scribat tonsuram clericalem originem cepisse Augustini sæculo, eò quod tunc non alebant comam nisi delicati, & effœminati: & quia mali exemplisesse videbatur si Clericis id permitteretur, iubebantur illi vel tondere caput, vel radere, ne quam effœminati cultus speciem præse ferrent. Deinde verò corruptiore sæculo, cùm prisca omnia instituta vel inuersa forent, vel in superstitionē degenerassent, in rasura olericali excogitata fuisse mysteria. Contrà enim, liquet ex testimoniis Aniceti Papæ, & Dionysii, qui Augustino antiquiores fuerunt, tonturam clericalem vel ipso primo Ecclesiæ sæculo in vsu fuisse: quam & Venerabilis Beda, & Germanus Patriarcha locis sup. cit. ad Petri, & Apostolorum institutum, exemplumque referunt. Patet etiam ex iisdē iam tum mysterio non caruisse hanc cerimoniam, & ad longè alium finem, quàm Caluinus comminiscitur, relatam fuisse. Falsum quoque est, Augustini tēpore molles tantùm, & effœminatos comā nutriisse: cùm apud nationes multas id omnibus bonis, æque ac malis, more communi patriæ solenne & vsitatum esset. Qua de causa sanciuit Ecclesia, quemadmodum suprà retulimus ex Agathensi, & Toletano Concilio, vt comam tonderent, quicunque ad poenitentiam solemnem admittebantur.

5. Neque magni momenti sunt quæ in contrarium sectatores Caluini obiiciunt: quòd videlicet Deus Leuit. 19. v. 27. sic præcipiat Israelitis, *Neque in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam.* Et cap. 21. v. 5. de Sacerdotibus specialiter sic statuat, *Non radent caput, nec barbam.* Et Ierem. 9. v. 26. Deus minetur se visitaturum *super omnes, qui attonsi sunt in comam.* Et Baruch 6. v. 30. Prophera irrideat sacerdotes Idolorum, eò quòd haberent tunicas scissas, & capita, & barbam rasam.

Soluuntur eorum argumenta. Ad primum enim Respondeo, præceptum illud cerimoniale esse, neque ampliùs obligare, cùm per Christum fuerit abrogatum. Deinde dico non prohiberi simpliciter ne coma tondeatur eam radendo, sicut nunc Clerici, aut Monachi faciunt: sed potiùs eam crispando, & in rotundum flectendo, ad captandam venustatem faciei, totiúsque capitis. Quem sensum indicat versio LXX Interpretum, *Non facietis ssoen ex coma*, id est, vt exponit Theodoretus quæst. 27. in Leuitic. non facietis de industria crines intortos & crispos: Vox enim Græca σωὶς, idem est quod κάμωδυς, vt ait Suidas: significatq; capillum plicatum, seu calamistratum, & calamistris in cincinnos reflexum: ita vt sensus sit, non cincinnabitis extremitatem capitis vestri: vel vt legit Cyprian. lib. 3. ad Quirinum, *Non facietis circum extima*: vel vt Aquila vertit, *Non rotundabitis regionem capitis.* Notat etiam Cajet. in hunc locum, sic habere textum hebraicum, *Non facietis circumgyrare angulum capitis vestri*: more inquit, sacerdotum Bacchi caput in gyrum continuò mouentium, dum illi sacrificarent: quam superstitionem Deus ibi prohibebat.

6. Ad secundum Respondeo similiter, præceptū illud datum sacerdotibus esse cerimoniale, & non ampliùs obligare: minúsque hunc morem conuenire sacerdotibus Euangelicis. Nam, vt rectè ait S. Augustin. lib. de Opere Monachorum cap. 31. Sacerdotes, & Patres veteris Testamenti meritò

palem, quâ particulares Ecclesiæ reguntur, esset suprema Summi Pontificis potestas, quâ vniuersa regatur Ecclesia. Vbicunque enim sunt multa regimine ordinata in vnum, oportet esse aliquod vniuersale supra particularia regimina : quia bonum commune est diuinius, quàm bonum speciale, vt ait Philosophus 1. Ethic. cap. 2. Et ideo supra potestatem regendi, quæ spectat bonum particulare, oportet esse potestatem vniuersalem respectu boni communis : alioqui non posset esse colligatio ad vnum. Cùm ergo Ecclesia sit vnum corpus, oportet ad vnitatem eius conseruandam, aliquam esse potestatem regendi vniuersalem, supra Episcopales regentes Ecclesias particulares. Et hæc est potestas Papæ. Ideóque illi, qui hanc potestatem negant, Schismatici dicuntur, quasi diuisores vnitatis Ecclesiæ. Et inter Episcopum simplicem, & Papam sunt alii gradus dignitatum, correspondentes gradibus vnionis, secundum quos vna congregatio, seu communitas includit aliam : sicut Prouincia includit ciuitatem, & regnum includit Prouinciam, & mundus regnum. 7. Denique affirmat omnibus Ecclesiæ ministris ad diuina officia exequenda varias, ac multiplices vestes assignatas fuisse, prout Ecclesia à Spiritu sancto edocta iudicauit vnicuique conuenire. Quarum vestium diuersitatem, & formam, & significationem mysticam fusè, ac perspicuè exponit.

SECTIO I.

De Tonsura Clericali.

1. Eius origo.

TOnsuræ clericalis originem ad Apostolos referunt Beda lib. 5. historiæ Anglorum cap. 22. vbi dicit Petrum Apostolum primum omnium gestasse coronam capillorum, toto reliquo capite detonso : illumque deinceps imitatos esse Clericos omnes, & Monachos : & Isidorus lib. 2. de Diuinis Officiis cap. 4. vbi affirmat tonsuram, & coronam Clericorum, & Monachorum ab Apostolis ipsis fuisse institutam. Eiusdemque meminerunt Anicetus Papa vicinus Apostolorum, epist. 1. cap. 4. relatus cap. *Prohibete*, dist. 23. vbi statuit prohibendum esse ne clerici comâ nutriant, sed desuper caput in modum sphæræ radant : quoniam laicis, & simplicibus, virtutis, honestatis, pudicitiæ, & grauitatis exemplar esse debent. Et Hieronymus in epist. ad August. quæ est 26. inter epistolas D. Aguust. his verbis : *Fratres tuos, Dominum meum Alipium, & Dominum meum Euodium, vt nomine meo salutes prece or coronam tuam.* Vbi nomine coronæ non aliam, quàm sacerdotalem intelligit. Et Concil. Tolet. IV. can. 40. vbi præcipit vt omnes clerici, detonso superiùs capite toto, inferiùs solam circuli coronam relinquant : & non sicut aliqui faciunt, in solo capitis apice modicum circulum tondeant. Ex quo liquet coronam Clericorum eo tempore in Hispania similem fuisse coronæ Monachorum, qui huc vsque hanc consuetudinem retinent, licet clerici mutauerint. Et Concilium Triburiense can. 20. vbi dicit, *Clericos in hoc radi, vt solicitudinem coronæ Domini in capitibus suis gerant, quos & seruos suos dici, & esse voluit, sortemque illorum se constituit, sicut de illis scriptum est, Ego hæreditas eorum* &c.

2. Eiusdé ratio, & significatio.

Huius autem cerimoniæ multiplex ratio affertur à Patribus, & antiquis scriptoribus. Ac Dionysius quidem cap. 6. De ecclesiastica Hierarchia dicit hac nudatione capitis significari vitam puram, & apertam, nullaque specie fucatam, qualis Clericorum, & Monachorum vita esse debet. Beda verò lib. 5. Historiæ Anglorum cap. 22. dicit hoc fieri ad exprimendam imaginem spineæ coronæ Christi Domini, & indicandum, debere Clericos illius patientiam imitari, *vt*, inquit, *se etiam irrisiones & opprobria pro illo libenter ac prompto animo sufferre, ipso etiam frontispicio doceant : & coronam vitæ æternæ, quam repromisit Deus diligentibus se, se semper expectare, proque huius perceptione & aduersa se mundi, & prospera contemnere designent.* Similem rationem reddit Germanus Patriarcha Constantinopol. in Theoria rerum ecclesiasticarum, §. *Genu non flectere.* Isidor. verò lib. 2. de Diuin. Offic. cap. 4. tres alias addit. Primam scilicet, vt clerici per eam significent se Deo esse consecratos, eiusque cultui mancipatos : sicut olim Nazaræi tondebantur in die consecrationis suæ,

Digitized by Google

vt dicitur numer. 8. ad quorum imitationē putat tonderi Monachos, & Clericos, quando initiantur. Sed hoc postremum meritò improbatur ab eruditis quibusdam recentioribus: quia Nazaræi non tondebantur, nisi quando definebant esse Nazaræi, & excepto casu, quo propter contactum mortui interdum contingebat pollui caput consecrationis eorum, quod illico tondendum erat. Nam alioqui erat longa cæsaries, & intonsa illorum insigne, vt dicitur Numer. 6. v. 5. & 9. Contra verò, Clerici, & Monachi tondentur ipso initio, quo Deo consecrantur, & per tonsuram distinguuntur ab aliis. Quare potiùs contrariæ illorum est ratio.

3. Secunda huius cerimoniæ causa, quam affert Isidor. ibidem, est, vt clerici intelligant debere se curas superfluas resecare, quæ per crines significantur (sunt enim capilli superflua quædam capitis excrementa) & vitiosas cupiditates abscindere, vt vertex, id est, animus maneat liber, & apertus diuinis illustrationibus. Quam rationem affert etiam Amalarius lib. 2. de Ecclesiasticis Officiis cap. 5. & confirmat auctoritate Diui Gregorii in Moralibus, dicentis, caput tondere nihil aliud esse quā superfluas cogitationes à mente resecare. Tertia est, vt Clerici intelligant se ad regale sacerdotiū pertinere, & idcirco coronam gestare, quia seruire Deo regnare est. Circulo enim capillorum in modum coronæ relictorum, reliqua parte capitis detonsa, significatur aureus circulus, quo capita Regum cingi olim solebant. Quartam addit Amalarius cap. cit. Ideo circulum capillorum in inferiori parte capitis relinqui, vt denotetur partem inferiorem animæ ad æqualitatem rationis redigi, motusque omnes clericorum compositos & æquabiles, ac rationi consentaneos esse debere. *Circulus capillorum*, inquit, *virtutem, æqualitatis rationi vndique consentientem significat.* Potest denique addi, hoc etiam fieri in signum pœnitentiæ, & conuersionis. Nam olim qui admittebantur ad poenitentiam, tonderi iubebantur, vt constat ex Concil. Agath. can. 11. & Tolet. III. can. 12. Quorum primum iubet non admitti ad poenitentiam eos, qui comam non deposuerint, vel habitum non mutauerint. Posterius idem præcipit, excipiendo mulieres, quæ non tondere, sed velare caput debent.

4. Refellitur hæreticum mendacium. Ex his apparet quàm ineptè Caluin. lib. 4. Instit. cap. 19. §. 27. scribat tonsuram clericalem originem cepisse Augustini sæculo, eò quod tunc non alebant comam nisi delicati, & effœminati: & quia mali exemplo esse videbatur si Clericis id permitteretur, iubebantur illi vel tondere caput, vel radere, ne quam effœminati cultus speciem præse ferrent. Deinde verò corruptiore sæculo, cùm prisca omnia instituta vel inuersa forent, vel in superstitionē degenerassent, in rasura olericali excogitata fuisse mysteria. Contrà enim, liquet ex testimoniis Aniceti Papæ, & Dionysii, qui Augustino antiquiores fuerunt, tonturam clericalem vel ipso primo Ecclesiæ sæculo in vsu fuisse: quam & Venerabilis Beda, & Germanus Patriarcha locis sup. cit. ad Petri, & Apostolorum institutum, exemplumque referunt. Patet etiam ex illdē iam tum mysterio non caruisse hanc cerimoniam, & ad longè alium finem, quàm Caluinus comminiscitur, relatam fuisse. Falsum quoque est, Augustini tēpore molles tantùm, & effœminatos comā nutriisse: cùm apud nationes multas id omnibus bonis, æque ac malis, more communi patriæ solenne & vsitatum esset. Qua de causa sanciuit Ecclesia, quemadmodum suprà retulimus ex Agathensi, & Toletano Concilio, vt comam tonderent, quicunque ad poenitentiam solemnem admittebantur.

5. Neque magni momenti sunt quæ in contrarium sectatores Caluini obiiciunt: quòd videlicet Deus Leuit. 19. v. 27. sic præcipiat Israelitis, *Neque in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam.* Et cap. 21. v. 5. de Sacerdotibus specialiter sic statuat, *Non radent caput, nec barbam.* Et Ierem. 9. v. 26. Deus minetur se visitaturum *super omnes, qui attonsi sunt in comam.* Et Baruch 6. v. 30. Prophetā irrideat sacerdotes Idolorum, eò quòd haberent tunicas scissas, & capita, & barbam rasam.

Soluuntur eorum argumenta. Ad primum enim Respondeo, præceptum illud cerimoniale esse, neque ampliùs obligare, cùm per Christum fuerit abrogatum. Deinde dico non prohiberi simpliciter ne coma tondeatur eam radendo, sicut nunc Clerici, aut Monachi faciunt: sed potiùs eam crispando, & in rotundum flectendo, ad captandam venustatem faciei, totiúsque capitis. Quem sensum indicat versio LXX Interpretum, *Non facietis sfoen ex coma*, id est, vt exponit Theodoretus quæst. 27. in Leuitic. non facietis de industria crines intortos & crispos: Vox enim Græca σφὼν, idem est quod πλόκιον, vt ait Suidas: significatq; capillum plicatum, seu calamistratum, & calamistris in cincinnos reflexum: ita vt sensus sit, non cincinnabitis extremitatem capitis vestri: vel vt legit Cyprian. lib. 3. ad Quirinum, *Non facietis circum extoma*: vel vt Aquila vertit, *Non rotundabitis regionem capitis.* Notat etiam Cajet. in hunc locum, sic habere textum hebraicum, *Non facietis circumgyrare angulum capitis vestri*: more inquit, sacerdotum Bacchi caput in gyrum continuò mouentium, dum illi sacrificarent: quam superstitionem Deus ibi prohibebat.

6. Ad secundum Respondeo similiter, præceptū illud datum sacerdotibus esse cerimoniale, & non ampliùs obligare: minúsque hunc morem conuenire sacerdotibus Euangelicis. Nam, vt rectè ait S. Augustin. lib. de Opere Monachorum cap. 31. Sacerdotes, & Patres veteris Testamenti meritò

geſtabant longam cæſariem, quia myſteria noſtræ redemptionis erant adhuc obuoluta. *Quod enim ſignifi abſit velamen interpoſitum inter faciem Moyſi, & aſpectum populi Iſrael; hoc ſignificabat illis temporibus etiam coma Sanctorum. Nam Apoſtolus etiam comam pro velamento eſſe dixit* 1. Corinth. 11. v. 14. At nunc poſtquam à Chriſto myſteria nobis cœleſtia reuelata fuerunt, conuenit vt qui Chriſto ſunt conſecrati, contrarium ſignificent ablatione capillorum. Addo cum Bellarm. loco infra citando, cauſam cur Deus id tunc prohibuerit, fuiſſe viciniam ſacerdotum Gentilium, ne illis ſimiles viderentur Iudæorum ſacerdotes: quippe qui in honorem Deorum ſuorum radebant pilos, & barbam. Qua fortaſſe de cauſa tempore Ambroſii, & Hieronymi, non raſura, ſed tonſura fuit adhibita quibuſdam in locis, pro corona clericali: quia adhuc extabant ibid. vel non longè aberant ſacerdotes Iſidis, & Serapidis, aliorumque Idololum, qui capita radebant; vt conſtat ex epiſt. 36. Ambroſii, & Hieronymo in cap. 44. Ezechielis, ad illa verba verſus 20. *Caput autem ſuum non radent* &c.

7. Ad tertiũ Reſpondeo locum illum Hieremiæ explicandum eſſe eodem ſenſu, quo primus ex Leuitici 19. expoſitus fuit, de rotundantibus ſcilicet, & criſpantibus circa faciem capillos ſuos: & vt vertunt LXX. *Deattonſis circa faciem ſuam*, ornatus ſcilicet, & venuſtatis captandæ cauſa. Ad quartum reſpondeo cum Bellarm. libro de Monachis cap. 40. in fine, Prophetam non irridere ſacerdotes Gentilium eò ſolùm quòd raderent capu, & barbam: ſed quia id faciebant, & alia ibidem commemorata, in honorem Deorum aureorum, argenteorum, & ligneorum, qui neque bonum, neque malum poterant illis retribuere, neque quicquam præſtare eorum, quæ ab ipſis poſtulabant.

8. Obligatio eã ferendi. Supereſt quærere, teneanturne clerici ſub præcepto & poena peccati, ferre tonſuram clericalem? Reſpondeo, & dico 1. Clericos bigamos non modò non teneri, ſed neque poſſe licitè eam ferre. Id enim illis prohibetur cap. *Altercationis*, de Bigamis in 6. vbi etiam priuantur omni clericali priuilegio. 2. Clericos in minoribus conſtitutos & Beneficio eccleſiaſtico carentes, non teneri ex præcepto, & ſub poena peccati eam ferre, præſertim ſi coniugati ſunt: vt de iſtis habetur cap. *Ioannes*, De clericis coniugatis: & de omnibus affirmant Silueſt. in Summâ v. *Clericus*, 2. num. 2. Angel. v. *Clericus*, 4. num. 1. Fumus eodem v. num. 11. Nauar. cap. 25. Manual num. 110. Sot. in 4. diſt. 24. q. 2. a. 1. §. *Rurſus huiuſmodi*, & Vaſquez diſp. 250. cap. 3. n. 20. contra Panormitanum in caput *Si quis*, De vita, & honeſtate clericorum, affirmantem generaliter, & indifferenter peccare mortaliter ſi non deferunt tonſuram clericalem, ſiue maioribus Ordinibus initiati ſint, ſiue tantùm minoribus: & ſiue Beneficium obtineant, ſiue non. Tertiò, Clericos habentes Beneficium, licet adhuc in minoribus poſitos, teneri ex præcepto eam deferre, vt habetur capite *Ioannes* ſupra citato atque etiam omnes conſtitutos in maioribus; iuxta caput *Si quis*, De vita & honeſtate clericorum, renouatum à Pio V. in Motu proprio ſuper reformatione cleri Rom.

9. Porrò qui deſunt huic obligationi peccant mortaliter iuxta Nauarrum, Angelum, & Fumum locis ſup. relatis. Sed melius Silueſt. quẽ refert, & ſequitur Vaſq. cap. illo 3. n. 22. cenſet venialiter tantùm peccare, niſi excedant notabiliter: qui exceſſus ex diuturnitate temporis expendi debet, & occaſione ſcandali, præſertim accedente contumacia poſt monitionẽ Epiſcopi. De qua intelligendum eſt caput *Si quis*, ſup. cit. vbi damnatur anathemate Clericus ſi comam nutrierit: id eſt, vt exponunt Sot. Caiet. & Vaſq. iubetur excommunicari, ſi poſt admonitionem non paruerit. Et cap. *Contingit* 2. de Sententia excommunicationis, priuatur canonis priuilegio Clericus, qui tonſuræ clericalis nihil præ ſe fert, ſi tertiò admonitus non ſe emendauerit. Et Sixtus V. in Bulla, cuius meminit Emmanuel Sa v. *Clericus* num. 33. priuat officiis, & Beneficiis Clericum habentem Beneficium, aut penſionem clericalem excedentem 60. aureos de Camera, niſi ferat tonſurã, & habitum clericalem. Cætera quæ de tonſura tractat S. Doctor q. 40. Supplem. vel facilia ſunt, vel alibi fuerunt à nobis expoſita.

10. Tonſura nõ eſt ordo. Speciatim verò quod ait art. 2. quæſtionis 40 primam Tonſuram non eſſe Ordinẽ, ſed præambulum quoddam ad ordines, velut illorum fundamentum, & baſim, confirmari poteſt ex Tridentino ſeſſ. 23. cap. 2. vbi manifeſtè primam Tonſuram diſtinguit ab omnibus Ordinibus minoribus, æque ac maioribus, ſtatuens, *vt qui iam clericali Tonſura inſigniti ſunt, per minores Ordines ad maiores aſcendant.* Et cap. 6. eiuſdem ſeſſionis decernit, vt nullus primâ Tonſurâ initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus cõſtitutus, ante decimumquartum annum Beneficium poſſit obtinere. Vbi rurſus diſtinguit primam Tonſuram à minoribus Ordinibus. Eandemque ob cauſam Congregatio Cardinalium ad ſeſſionem 7. Tridentini cap. 10. de Reformat. verbo, *Ordinandi licentiam*, declarauit prohibitionem dandi literas dimiſſorias ad Ordines intra annum à ſede vacante, niſi arctatis ratione Beneficii accepti, vel accipiendi, non comprehendere primam Tonſuram: quia ſcilicet non eſt Ordo: & conſtitutio illa Tridentini derogans iuri antiquo, debet ſtrictè accipi, quantum patitur verborum proprietas.

Nec obeſt, quòd primâ tonſurâ initiati gaudent priuilegiis clericalibus, & ſunt capaces Beneficiorum eccleſiaſticorum: quódque

que in cap. *Cùm contingat*, De ætate, & qualitate ordinandorum, dicitur per primam Tonſuram conferri *Ordo clericalis*: & Sixtus V. in Bulla contra malè promotos, quæ incipit, *Sanctum, & ſalutare*, edita anno 1588. primam Tonſuram vocat *characterem clericalem*: quibus præcipuè argumentis mouentur Canoniſtæ, vt affirment numerari debere inter minores Ordines. Nam ad primum reſpondeo Tonſurâ inſignitos gaudere priuilegiis clericorum, & eſſe capaces Beneficiorum eccleſiaſticorum, quia ſunt Clerici, & à ſtatu laicorũ in eccleſiaſticum tranſlati. Ad ſecundum dico Tonſuram ibi vocari Ordinem clericalem, ſumendo *Ordinem*, pro ſtatu, non autem pro gradu: iuxta ea, quæ diximus diſput. 66. num. 1. Ad tertium reſpondeo Sixtum V. nihil aliud ſibi velle, quàm primam Tonſuram eſſe inſigne ſtatus clericalis: ſiue notam externam, & ſenſibilem, per quam Clerici diſtinguuntur ab allis.

SECTIO II.

De officiis & miniſteriis ſingulorum Ordinum.

11. Oſtiariorum officia.

PRimæ tonſuræ, de qua huc vſque diximus, nullum officium eccleſiaſticum peculiariter annexum eſt: quia non eſt Ordo, ſed Ordinum baſis, & fundamentum, aut veluti præambulum, vt ait S. Thom. q. 40. Suppl. a. 2. Primi autem Ordinis (incipiendo ab infimo, qui eſt Oſtiariorum) officium eſt fores Eccleſiæ claudere, & aperire, ipſiuſque ſeruandæ, & rerum in ea contentarum, ac ſacræ ſupellectilis, curam habere: in cuius rei ſignum dantur illis claues Eccleſiæ in eorum ordinatione. Quam cerimoniam antiquiſſimam eſſe patet ex Concilio Cartagin. IV. can. 9. cuius verba ſunt: *Oſtiarius cum ordinatur, poſtquam ab Archidiacono inſtructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat conuerſari, ad ſuggeſtionem Archidiaconi tradat ei Epiſcopus claues Eccleſiæ de altario, dicens: Sic age, quaſi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clauibus recluduntur.* Ad eundem pertinebat fideles, & dignos admittere, infideles autem & indignos arcere ab ingreſſu Eccleſiæ, vt dicitur cap. *Cleros*, in fine, diſt. 21. & campanas pulſare, in cuius rei ſignum traditur illi tintinnabulum: & hoc munus tanta olim in veneratione erat, vt campanas pulſaturi priùs induerentur ſuperpelliceis, ſicut notauit Durant. lib. 1. de Ritib. Eccleſ. cap. 22. num. 7. ex Concilio Colonienſi parte 3. cap. 31. Itẽ ad eum pertinet cauere ne quis propiùs, quàm par ſit, accedat ad altare, dum Miſſa celebratur, & ſacrificantem interpellet, vt dicitur in Catechiſmo Pii V. tit. de Sacramento ordinis num. 15. addituroue ibidem munus Theſaurarii, ſeu cuſtodis ſupellectilis ſacræ, & theſauri eccleſiæ, olim ad eum pertinuiſſe. Olim etiam Concionatori librum aperiebat, vt habetur in Pontificali Romano: ſed hoc officium iam in vſu non eſt.

12. Lectorum munus.

Secundi Ordinis, id eſt, Lectorum, munus eſt legere ex pulpito in Eccleſia, quæ ſiue ex ſacris literis, ſiue ex hiſtoriis eccleſiaſticis, vel Sanctorum ſcriptis legenda ſunt, præcipuè inter nocturnam pſalmodiam: excepta Epiſtola, & Euangelio Miſſæ, ipſo tempore ſacrificii: hoc enim ad Subdiaconos, & ad Diaconos pertinet, vt dicemus paulò poſt. Extra verò Miſſæ officium, Lectores olim ipſa quoque Euangelia populo legiſſe teſtatur D. Cyprian. lib. 2. epiſt. 5. aliàs epiſt. 33. vbi de Aurelio confeſſore in Lectorem ordinato ſic ait: *Nihil magis congruit voci, quæ Dominum glorioſa prædicatione confeſſa eſt, quàm celebrandis diuinis lectionibus perſonare, & poſt ſublimia verba, quæ Chriſti martyrium prolocuta ſunt, Euangelium legere, vnde martyres fiunt.* In huius autem rei ſignum liber lectionum, quem Lectionarium vocant, eis traditur ab Epiſcopo quãdo ordinantur, vt præſcribitur in Concilio Carthagin. IV. can. 8. Olim etiam Lectoris munus erat tradere baptizandis rudimenta fidei Chriſtianæ, vt ait Catechiſmus Pii V. tit. de Sacramento Ordinis, num. 16. & panem, atque nouos fructus à fidelibus oblatos benedicere.

13. Munus Exorciſtarũ.

Tertii Ordinis, qui eſt Exorciſtarum, munus eſt exorciſmos Eccleſiæ legere ſuper energumenos, & catechumenos, & conari Dæmones ab illis abigere, vel eorum impetum ſiſtere, diſponereque energumenos ad ſacræ Euchariſtiæ participationem, vel catechumenos ad baptiſmum. In cuius rei ſignum traditur eis ab Epiſcopo ordinante liber exorciſmorum more antiquæ Eccleſiæ, cuius teſtis eſt Concilium Carthagin. IV. can. 7. Sic dicens: *Exorciſta cum ordinatur, ac ipſi de manu Epiſcopi libellum in quo ſcripti ſunt Exorciſmi, dicente ſibi Epiſcopo: Accipe, & commenda memoriæ, & habeto poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos ſiue baptizatos, ſiue catechumenos.* De hoc vtroque munere exorciſtarum mentio fit in cap. *Cleros*, diſt. 21. & cap. *Perlectis*, diſtinct. 25. Additur & aliud in Pontificali, nimirum denunciare vt non communicaturi locum cedant aliis communicare volentibus.

14. Officium Acoluthorum.

Quarti, qui eſt Acolythorum, officium eſt ſequi Diaconum, cum cereo accenſo, ad locum Euangeliorum, quando eò recitandi cauſa accedit: vnde Acoluthus dictus eſt, ab ἀκολουθία, id eſt ſequor: & ceroferarius, à ferendo cereo. Eorundem quoque munus eſt accendere luminaria Eccleſiæ: vrceolos ad Miſſæ ſacrificium præparare, porrigereque Subdiacono. In cuius vtriuſque officii ſignũ, accipiunt, quando ordinantur, candelabrum cum cereo, & vrceolum vacuum; ſicut præſcribitur in Concilio Carthagn. IV. can. 6. Horum trium Acoluthi munerum fit mentio in cap. *Cleros*, diſt. 21. cap. *Acolythus*

diſt. 23. & cap. *Perlectis*, diſtinct. 25. Olim etiam aliud eius officium erat Epiſcoporum literas deferre, vt colligitur ex Cypr. epiſt. 42. & 55. Sed ad hoc etiam vtebantur Subdiaconis, vt patet ex iiſdem locis, & ex dicendis paulò poſt, conſtabit hoc officium potiùs ad illos pertinuiſſe, licet interdum vterentur Acoluthis.

15. Subdiaconorum.

Quinti Ordinis, id eſt, Subdiaconorum, munus eſt Diaconis miniſtrare in ſacrificio Miſſæ: in quo peragendo Epiſtolas populo legere ad eos pertinet, vt teſtatur Concilium Rhemenſe ſub Leone III. can. 4. & calicem, ac patenam Diacono miniſtrare: quam ob cauſam in eorum ordinatione datur illis calix vacuus cum patena, vt affirmant Concilia Carthag. IV. can. 5. Toletan. IV. can. 27. & Pontificale Romanum idem præſcribit. Epiſcopo quoque ac Presbytero pro lauandis ante Chriſti altare manibus, aquam præbent, & manutergium. Qua de cauſa Concilium Carthaginen. can. cit. dicit vltra calicem vacuum, & patenam vacuam, quam accipiunt de manu Epiſcopi, dari illis ab Archidiacono vrceolum cum aqua (manibus ſcilicet prædictorum infundenda) & mantile, & manutergium. Patet etiam ex D. Cyprian. officium Subdiaconorum olim fuiſſe ſeruire Epiſcopis in ſcribendis, & perferendis Epiſtolis. Nam lib. 3. epiſt. 2. excuſat ſeipſum, quòd Optatum Confeſſorem in Subdiaconum ordinauerit abſente clero, eò quòd, cùm abeſſent plurimi, & pauci, qui ſupererant, vix ſufficerent miniſterio quotidiano, ſcribereque oporteret per Subdiaconos: neceſſarium fuerit nouos conſtituere, qui hoc munus obirent. Fabianus quoque Papa, Cypriano paulò antiquior, aliud munus eis commiſit. Nam ſeptem creauit Subdiaconos (vt in eius decreto legimus, & in Romano Breuiario) qui res geſtas martyrum à ſeptem notariis ſcriptas colligerent in vrbe Roma, ſeptem in regiones diſtributa, in quarum ſinguli ſinguli illi operam darent huic miniſterio.

16. Diaconorũ

Sexti Ordinis, id eſt, Diaconorum officium eſt ſacerdoti ſacrificanti aſſiſtere, & miniſtrare ad altare, Euangeliumque annunciare: itemque baptizare, & prædicare, vt dicit Romanum Pontificale, titulo *De ordinatione Diaconi*, §. *Prouehendi filii*. Et quidem Diaconos in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio ſacerdotibus aſſiſtere, atque inſeruire debere, patet ex Anacleto epiſt. 1. cuius verba referuntur cap. *Epiſcopus*, De conſecratione diſtinct. 1. Et ex Dionyſio libro de eccleſiaſtica Hierarchia cap. 3. Clemente Romano libro ſecundo Conſtitut. cap. 61. Cypriano ſermone de Lapſis, Ambroſio libro primo de Officiis cap. 41. vbi ſanctum Laurentium ſic loquentem inducit: *Quò ſacerdos ſancte ſine Diacono properas? Tu nunquam ſine miniſtro ſacrificium offerre conſueuerat. Cui commiſiſti conſummandorum conſortium ſacramentorum, huic conſortium tui ſanguinis negas?* Et denique ex Iſidoro libro ſecundo de Eccleſiaſticis officiis capite octauo, & libro ſeptimo Ethymolog. cap. 12. cuius verba referuntur à Gratiano cap. *Cleros*, diſtinctione vigeſima prima, & epiſt. ad Ludifredum, ab eodem relata cap. *Perlectis*, diſtinctione vigeſima quinta; cuius verba ſunt: *Ad Diaconum pertinet aſſiſtere ſacerdotibus, & miniſtrare, in omnibus, quæ aguntur in ſacramentis Chriſti, in Baptiſmo ſcilicet, in chriſmate, & patena, & calice: oblationes quoque inferre, & diſponere in altario: componere etiam menſam Domini, atque veſtire, crucem ferre, & prædicare Euangelium, & Apoſtolum. Nam ſicut Lectoribus vetus Teſtamentum, ita Diaconis nouum prædicare* (id eſt populo legere) *præceptum eſt. Ad ipſum quoque pertinet officium precum, & recitatio nominum: ipſe præmonet aures habere ad Deum: ipſe hortatur clamare: ipſe denat pacem: & ipſe annunciat.* Hæc Iſidor. plura complectens his verbis Diaconorum miniſteria in ſacrificio, & extra.

17. Eorum eſt Euangeliũ legere.

Speciatim autem quòd in ſacrificio Miſſæ Diaconi eſſet Euangelium legere teſtantur, præter Iſidorum iam relatum, Sanctus Gregorius Magnus libro quarto Regiſtri, epiſtola quadrageſima quarta, vbi ſtatuit vt Euangelium inter Miſſarum ſolemnia per Diaconos, reliquæ lectiones per Subdiaconos, vel ſi neceſſitas exigat, per minores Ordines exhibeantur: & Concilium Vaſenſe canone quarto, vbi ſancit, vt ſi Presbyter aliqua infirmitate prohibente per ſeipſum non potuerit prædicare, Sanctorum Patrum homiliæ à Diaconis recitentur. *Si enim*, inquit, *digni ſunt Diaconi, quæ Chriſtus in Euangelio locutus eſt legere: quare indigni iudicentur Sanctorum Patrum expoſitiones publicè recitare?* Et Hieronymus epiſt. 48. ad Sabinianum, vbi eum ſic alloquitur: *Tu exanguis & pallidus, vt ſuſpicione omni careres, Euangelium Chriſti quaſi Diaconus lectitabas.*

Sacramentũ Euchar. diſtribuere

Item quòd in eodem ſacrificio ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum fidelibus olim diſtribuerent Diaconi, patet ex Iuſtino martyre Apologia 2. vbi dicit morem Eccleſiæ illius temporis fuiſſe vt Conſecrata per præpoſitum, panem, & vinum, & aquam, Diaconi præſentibus diſtribuerent, & ad abſentes deferrent: & Cyprianus ſerm. de lapſis ſic dicens: *Solemnibus adimpletis calicem Diaconus præſentibus offerre cœpit:* & Ambroſius libro 1. de Officiis cap. 41. ex quo fere deſumpta ſunt hæc Sancti Laurentii verba ad Sixtum Papam, & martyrem, relata in eius officio: *Quo ſacerdos ſancte ſine Diacono properas? &c. Experire vtrum idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici ſanguinis diſpenſationem.* Scribit autem Ruffinus libro primo hiſtor. capite ſexto, ſancitum poſtea fuiſſe à Synodo Nicæna canone vigeſimo, Ne Diaconi præſentibus Presbyteris

Digitized by Google

Euchariſtiam diuiderent, ſed illis agentibus ſolùm miniſtrarẽt: ſi autem nullus Presbyter præſens eſſet, tunc liceret eis diuidere. Addiditque poſtea Concilium Carthagin. IV. can. 38. vt id etiam eis liceret, ſi neceſſitas exigeret, & iuberent Presbyteri. *Diaconus*, inquit, *præſente Presbytero Euchariſtiam corporis Chriſti, populo, ſi neceſſitas cogat, iuſſus eroget.*

18. Multa alia in Miſſa obire miniſteria.

Præterea quod iidem in ſacrificio Miſſæ alia multa obirent miniſteria, patet ex cap. *Perlectis*, diſt. 25. cuius verba paulò ante retulimus: & ex Clemẽte Romano lib. 2. Conſtitut. cap. 57. aliàs 61. affirmante pertinuiſſe ad Diaconos videre vt quilibet in Eccleſiam ingrediens ſuum in locum ſe reciperet, ac præter decorum ne ſederet: attendereque in populo ne quis murmuraret, conniueret vel nutaret. Et vt ait Iſidor. libro ſecundo de Offic. eccleſ. cap. 8. Diaconi clara voce *in modum præconis admonebant cunctos ſiue in orando, ſiue in flectendo genua, ſiue in pſallendo, ſiue in lectionibus audiendis: ipſi etiam vt aures habeamus ad Dominum, clamant.* Vlterius Diaconi arcebant catechumenos, & pœnitentes publicos à Miſſæ ſacrificio poſt eam partem, cui ſoli poterant licitè intereſſe, vt teſtatur Chryſoſtomus homil. 61. ad populum Antiochenum: & arcebant indignos à communione, clamando *Sancta ſanctis*: vt affirmat idem Chryſoſt. homil. 17. in epiſt. ad Hebræos, & Cyril. Alexand. lib. 12. in Ioan. cap. 50. his verbis: *Accedentibus ad myſticam benedictionem myſterii, miniſtri magna voce clamant, Sancta ſanctis: ſolis Spiritu ſanctificatis, ſalutaris corporis Chriſti tactum, communionem, ſanctificationemque congruere ſignificantes.* Iubebant etiam ante communionem, vt non communicaturi exirent, darentque locum communicantibus, vt ſcribit Greg. Magnus lib. 2. Dialog. cap. vigeſimo tertio.

19. Offerre Chriſto, energumenos.

Item vt refert Clemens Romanus capite ſupra citato, poſt egreſſum catechumenorum, quando ſacerdos conſecrationi appropinquabat, clamabat Diaconus elata voce, *Ne quis contra aliquem, Ne quis in hypocriſi*: id eſt, Nullus huic ſacrificio reconciliationis aſſiſtens gerat aduerſus aliquem inimicitiam. Nullus aſſiſtat ficto animo, ſed ſincero, & fideli. Paulóque poſt conſecrationem, quando ſacerdos commemorationem defunctorum facit, clamabat Diaconus, *Pro his, qui defuncti ſunt in Chriſto*: vt ſcribit Chryſoſtomus homil. 21. in Acta Apoſtol. ſub finem. Solebant etiam Diaconi offerre energumenos Chriſto iam immolato ſuper altari, inter Miſſarum ſolemnia, vt teſtatur idem Chryſoſtom. homil. 3. contra Anomæos in fine, vbi dicit, tempore ſacrificii Diaconum adducere energumenos, & iubere caput inclinare, atque illo corporis geſtu ſupplicare: addens homilia quarta aliquanto ante finem, quòd ſicut tempore inſtante, quo iudex prodire, & pro tribunali ſedere ſolitus eſt, cuſtodes carceris homines, quos in vinculis tenent, omnes carcere educunt, & pro cancellis, ſeptitque fori collocant, ſqualentes, ſordidos, pannis miſerrimè obductos: ſic Patres ſtatuiſſe verſquando breui Chriſtum velut pro tribunali ſedente, in ipſiſque ſacramentis apparere futurum eſſet, homines à Dæmone agitati, illi tanquam vinculis quibuſdam retenti adducerentur: non vt rerum, quas commiſerunt, examen ſubirent, pœnaſue luerent: ſed vt populo præſente communes pro illis ſupplicationes fierent, omneſque à Deo magno clamore contenderent, vt eorum miſereretur. Refert etiam Arcudius libro ſexto de Sacramentis cap. 2. Diaconos in Eccleſia Græca fungi officio ciendi ventum ſacro flabello ſuper ſancta myſteria: in eumque finem accipere flabellum ab Epiſcopo, quando ordinantur, vt vidimus diſput. præced. num. 46.

20. Baptizare & inſtruere catechumenos.

Deinde quod etiam Diaconis committeretur olim munus baptizandi, exemplo Philippi Diaconi, qui Eunuchum reginæ Candacis baptizauit Actor. 8. conſtat ex Tertulliano libro de Baptiſmo capite decimo ſeptimo. *Dandi quidem*, inquit, *Baptiſmum ius habet ſummus ſacerdos, qui eſt Epiſcopus. Dehinc Presbyteri, & Diaconi: non tamen ſine Epiſcopi auctoritate, propter Eccleſiæ honorem.* Et ex Paulo Diacono lib. 5. cap. 10. vbi Sabbato paſchali baptizantium adhuc ſuo tempore Diaconorum mentionem facit. Id tamen non fiebat niſi abſentibus, vel iubentibus Epiſcopis, aut Presbyteris propter neceſſitatem: vt ſignificant Tertullianus verbis ſupra relatis, & Clemens Romanus lib. 3. Conſtit. cap. 11. & Gelaſius Papa relatus cap. Diaconos diſt. 93. cuius verba ſunt: *Diaconos proprium conſtituimus ſeruare menſuram, nec vltra tenorem paternis canonibus deputatum quippiam tentare permittimus*, &c. *Abſque Epiſcopo, vel Presbytero baptizare non audeant, niſi præductis fortaſſis Oratoribus longi ſconſtitutis*, &c. Habemus etiam ex Dionyſio cap. 2. & 5. de Eccleſ. Hierarch. pertinuiſſe ad Diaconos, & miniſtros, initiandos ad ſacra myſteria accedentes, ſanctæ doctrinæ ſcriptura purgare, ſinceroſque omnium aduerſariorum admixtione, ac puros efficere, atque ad ſacra contuenda, ſumendæque pro viribus idoneos: regenerandos antiqua veſte exuere, atque diſcalceare, hortarique vt vitæ prioris amictum integrè deponerent: ad occidentem ſolem eos ſiſtere, rurſuſque ad orientem transferre, & iubere vt obſcuris, & erroris præteriti tenebris abrenunciarent: à ſacerdotibus deinde profanos dirimere: ideoque ſacris eos ianuis pontificali inſtitutione præfectos fuiſſe, ad ſignificandum introitum eorum, qui ad ſancta veniunt, præcipuâ, ſummâque niti debere munditiâ.

21. Prædicare Euangelium.

Præterea, quòd munus quoque prædicandi exercuerint, conſtat ex Theodoreto lib. 5. hiſt. cap. 38. & Niceph. lib. 14. cap. 20. vbi referũt Beniaminum Diaconum fuiſſe a-

cerbiſſimis ſupplicijs occiſum à rege Perſarum, ſub Theodoſio iuniore, eò quòd ab Euãgelij prædicatione nollet deſiſtere: & ex Gregorio Magno lib. 4. Regiſtri epiſt. 44. vbi affirmat Diaconos prædicandi officio, & eleemoſynarum ſtudio vacare debere. Eundemque Gregorium adhuc Diaconum eo munere functum eſſe ſcribit Poſſidius in eius vita, lib. 1. cap. 41. Idemque feciſſe ſanctum Vincentium Diaconum, & martyrem, & loco Valerij Epiſcopi, qui linguæ erat impedicioris, concionari ſolitum fuiſſe, habetur in hiſtoria paſſionis ipſius. Deque ſanctis Stephano, & Philippo Diaconis idem liquet ex Actorum 7. & 8.

Licuiſſe etiam Diaconis reconciliare canonicè publicos pœnitentes in caſu neceſſitatis, & in abſentia Epiſcopi, & ſacerdotis docet Cyprianus libro 3. epiſtola 17. Eoſdemque eleemoſynis & bonis Eccleſiæ in pauperes diſtribuendis præpoſitos fuiſſe conſtat ex Origene tractatu 15. in caput 21. Matthæi, vbi quod dicitur de nummulariis in templo ſedentibus, eorumque menſis à Chriſto ſubuerſis, exponit de diaconis, qui menſis eccleſiaſticarum pecuniarum præſunt, & non bene diſpenſant: ſed eas defraudantes, fiunt diuites de bonis, quæ pauperibus ſubtrahunt. Et Cyprian. libro ſecundo, epiſtola octaua, alias 49. vbi conqueritur Nicoſtratum quendam Diaconio ſanctæ adminiſtrationis amiſſo, pecuniiſque eccleſiaſticis ſacrilega fraude ſubtractis, & viduarum, ac pupillorum depoſitis denegatis, rapinarum, & criminum nefandorum conſcientiâ, in Africam fugiſſe. Et Hieronymus epiſtola octuageſima quinta, ad Euagrium, vbi Diaconos vocat menſarum miniſtros, & viduarum ſucceſſores: alludens ad cap. 6. Actorum, vbi Beato Stephano, aliiſque ſex Diaconis, munus illud antea per viduas exercitum, commiſſum fuit. Et ex Sancto Leone in ſermone de S. Laurentio, vbi dicit ſanctum hunc Leuitam, & Diaconum Eccleſiæ Romanæ, non ſolùm miniſterio ſacramentorum, ſed etiam diſpenſatione eccleſiaſticæ ſubſtantiæ præeminentem fuiſſe.

Bona Eccleſiæ pauperibus diſtribuere.

22. Denique ſacerdotum officium eſt, offerre ſacrificium corporis Chriſti, baptizare, abſoluere à peccatis, & cætera ſacramenta, exceptis duobus Confirmationis, & Ordinis, adminiſtrare, prædicare, & benedicere: exceptis tamen quibuſdam benedictionibus, & conſecrationibus, quæ Epiſcopis reſeruantur: quorum etiam propria ſingulariter eſt poteſtas confirmandi, & ordinandi. Ad eoſdemque propriè, & per ſe primò pertinet concionandi poteſtas: aliis autem ex eorum conceſſione. Sicut Valerius Hipponenſis Epiſcopus conceſſit Auguſtino, quem iam Presbyterum fecerat: eò quòd ipſe, Græcus exiſtens, linguæ populo notæ minùs vſum habebat, vt refert Poſſidius libro de vita Diui Auguſtini capite quinto, Et Concilium Vaſenſe ſub Leone primo celebratum canone quarto, generaliùs eandem facultatem dedit Presbyteris, his verbis: *Hoc etiam pro ædificatione omnium Eccleſiarum, & pro vtilitate totius populi nobis placuit, vt non ſolùm in ciuitatibus, ſed etiam in omnibus parochiis verbum facient clarcanus Presbyteris poteſtatem.* Addirque, vt ſi Presbyter aliqua infirmitate prohibente per ſeipſum non potuerit prædicare, Sanctorum Patrum homiliæ recitentur à Diaconis. Et in Concilio Lateranenſi magno ſub Innocentio tertio, canone decimo, ſtatuitur, vt ſi Epiſcopi per ſeipſos non poſſint, aut non ſufficiant miniſtrare populo verbum Dei, viros idoneos ad ſanctæ prædicationis officium ſalubriter exercendum aſſumant, potentes in opere, & ſermone, qui plebes ſibi commiſſas verbo ædificent, & exemplo.

Officia ſacerdotum, & Epiſcoporum.

SECTIO III.

Vtrum ſupra ſacerdotium debeat eſſe aliqua poteſtas Epiſcopalis?

DVpliciter intelligi poteſt, Epiſcopalem poteſtatem eſſe ſupra ſacerdotium: nimirum vel quoad Ordinem, vel quoad iuriſdictionem. Vtrumque negauit Aerius hæreticus teſte Diuo Auguſtino libro de Hæreſibus, hæreſi quinquageſima tertia, & Epiphanio hæreſi ſeptuageſima quinta, vbi hæc illius verba refert: *Quid eſt Epiſcopus ad Presbyterum? Nihil differt hic ab illo. Vnus enim eſt Ordo, & vnus honor, & vna dignitas. Imponit manus Epiſcopus: ita etiam Presbyter. Lauacrum dat Epiſcopus: ſimiliter, & Presbyter. Diſpenſationem cultus diuini facit Epiſcopus: Presbyter ſimiliter. Sedet Epiſcopus in throno, ſedet etiam Presbyter.* Quia verò negare non poterat differentiam aliquam eſſe re ipſa in vſu & ſenſu Eccleſiæ, inter Epiſcopum, & Presbyterum, & vnum alteri præponi: dicebat hoc diſcrimen per abuſum & ſuperbiam cæſaream introductum fuiſſe. Quod etiam docuit VVicleffus, vt teſtantur Valdenſis, & alii, qui contra eius errores ſcripſerunt. Vterque autem ad hoc aſſerendum inductus fuiſſe narratur partim odio, & indignatione; partim etiam inuidiâ conceptâ ex repulſa, quam in ambiendo Epiſcopatu paſſi erant. Aerius enim contendens de Epiſcopatu cum Euſtathio, fuerat illi poſtpoſitus. VVicleffus autem ab Epiſcopatu Vigornienſi, quem ambibat, fuerat repulſus.

23. *Hæreſis Aerij.*

E catholicis verò, tametſi nullus eſt, qui non agnoſcat aliquam eſſe differentiam legitimam inter Presbyterum, & Epiſcopum, & hunc illo ſuperiorem eſſe: putarunt tamen aliqui iure ſolùm humano, & eccleſiaſtico introductam illam fuiſſe. Sic enim ſenſit Ar-

24. *Sententia quorundã Theol.*

mecanus in Quæstionibus Armenorum lib. 11. cap. 5. & 7. Eandemq; sententiam Mich. Medina lib. 1. de Sacrorum hominum continentia, cap. 4. & 5. tribuit Hieronymo, Theodoreto, & Ambrosio, propter obscura quædam, & difficilia eorum verba ibidem relata, quibus affirmare videntur Episcopatum à Presbyterio non distingui, nisi secundum gradum quendam honoris constitutum ab hominibus. Quod etiam docere videtur August. in epist. 19. ad Hieronym. cap. 4. in fine, sic dicens: *Quamus secundum honoris vocabula, quæ iam Ecclesiæ usus obtinuit, Episcopatus Presbyterio maior sit: tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est.* Hieronymus autem in cap. 1. epist. ad Titum, circa illa verba, *Et constituas per ciuitates Presbyteros*, apertiùs id significat, cùm sic ait: *Idem est Presbyter, qui Episcopus: & antequam Diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, Ego Apollo, Ego verò Cephæ: communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam verò vnusquisque eos, quos baptizauerat, suos esse putabat, non Christi; in toto orbe decretum est, vt vnus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur.* Et inferiùs subiungit. *Hæc adduximus, vt ostenderemus apud veteres eosdem fuisse Presbyteros, & Episcopos. Sicut ergo Presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos: ita Episcopi nouerint se magis consuetudine, quàm dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris esse maiores, & in commune debere Ecclesiam regere.*

25. Similia tradit in dialogo aduersus Luciferianos, & epist. 85. ad Euagrium, vbi adductis pluribus Scripturæ locis conatur id confirmare. Sed hæc Scripturæ loca nihil aliud probant, quàm olim nomen Episcopi fuisse commune Presbyteris, & pro vtriusque sæpe vsurpari in Sacris literis, vt Philip. 1. vers. 1. Actor. 20. v. 28. Titi 1. vers. 5. 6. & 7. aliisque locis. Ambrosius verò in commentario capitis 4. epistolæ ad Ephes. circa illa verba, *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos*, &c. dicit olim primos Presbyteros fuisse appellatos Episcopos, *eò quòd, recedente vno, sequens ei succederet. Sed quia cæperunt sequentes Presbyteri indigni inueniri ad primatus tenendos, immutatam esse rationem, prospiciente Concilio: vt non Ordo sed meritum crearet Episcopum, multorum sacerdotum iudicio constitutũ, ne indignus temerè vsurparet, & esset multis scandalum.* Quibus verbis significare videtur Episcopum olim non alio iure, quàm antiquitatis, fuisse aliis Presbyteris præpositum; postea verò electione, & constitutione Concilii sacerdotum.

26. Vera, & communis sententia Theologorum est. Episcopatum iure diuino superiorem esse simplici sacerdotio, tam quoad Ordinem, quàm quoad potestatem iurisdictionis. Et quidem quòd Episcopatus sit Ordo verè sacramentalis distinctus à sacerdotio, illoque superior, patet ex dictis disputat. 66. sectione tertia. Idque tam expressè definitur à Tridentino, vt iam sine errore negari non possit. Nam sessione vigesima tertia, capite tertio, docet Ordinem esse verè, & propriè vnum ex septem Ecclesiæ Sacramentis: idque probat ex 2. Timoth. 1. vers. 6. *Admoneo te vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Vbi sermo est, de ordinatione Timothei in Episcopum à Paulo facta, vt omnes interpretes catholici docent: sicut & 1. Timoth. 4. vers. 13. & sequentibus, vbi Apostolus exhortans Timotheum ad munus suum episcopale bene gerendum, dicit, *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per impositionem manuum presbyterii.* Deinde capite quarto, eiusdem sessionis declarat eadem sancta Synodus, præter cæteros ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, pertinere præcipuè ad ordinem hierarchicum à Christo Domino nostro institutum, iuxta illud Ephes. 4. *Quosdam quidem dedit Apostolos*, &c. & positos esse, sicut idem Apostolus ait, à Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei, Presbyterisque superiores esse: ac sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent. Et can. 6. definit sub anathemate esse in Ecclesia Hierarchiam, diuina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & ministris. Canone denique 7. damnat, & ferit anathemate eum, qui dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem.

Ex quibus Tridentini verbis duo habentur. Primò scilicet, Episcopos iure diuino, & ex ipsa institutione Christi, esse maiores Presbyteris, habereque gradum superiorem in hierarchia ecclesiastica ab ipso institutam. Secundò, habere potestatem sacramentalem ex vi suæ ordinationis, non communem Presbyteris, qui ex vi suæ ordinationis nullam talem habent: nimirum potestatem confirmandi, & conferendi Ordines: atque adeo Episcopi ordinationem esse diuersam ab ordinatione Presbyteri, & aliquid amplius conferre suora potestatem vi sacerdotalis ordinationis (quam supponit) collatam. 27.

Idem ante Tridentinum docuerunt Dionys. cap. 5. Eccles. Hierarch. parte 3. dicens Episcopo, Sacerdoti, & Diacono *virtutem sacratiorem, habitumque infundi*, per ordinationem scilicet cuiusque illorum, quâ illis datur potestas ordinis, & habitus gratiæ sanctificantis: Et Anacletus, qui fuit quintus à Petro summus Pontifex, epistola secunda, de Vnctione Episcoporum sic loquens: *Omnis sanctificatio constat in Spiritu sancto, cuius virtus inuisibilis sancto chrismati est permixta:* 28.

Confirmatur ex Patribus.

Episcopus est superior quoad ordinem.

ita scilicet, vt Episcopus per illam vnctionem sanctificetur, adeóque illa sit propriè & verè sacramentum. Et epist. 3. cap. 1. sic ait: *Sacerdotum ordo, fratres bipartitus est: & sicut Dominus illum constituit, à nullo debet perturbari.* Posteaque addens vnum esse ordinem Episcoporum, qui Apostolis Domini succedunt, alterum Presbyterorum qui septuaginta Discipulorum locum tenent: subiungit: *Amplius quàm isti duo ordines sacerdotum nec nobis à Deo collati sunt, neque Apostoli docuerunt.* Et Ambros. lib. de Dignit. Sacerdot. cap. 5. prope finē, perspicuè affirmat ordinationem Episcopalem esse verè sacramentum, quandoquidem gratiam conferendi vim illi tribuit: ac proinde fuisse à Christo institutam, à quo sacramenta omnia nouæ legis instituta fuerunt, vt definit Trident. sess. 7. can. 1. de Sacrament. in genere. Vnde sequitur Episcopos quoad Ordinem distingui à Presbyteris ipso iure diuino, & institutione Christi; quādoquidem vi illius sacramenti à Christo instituti constituuntur in alio superiori ordine Hierarchico, accipiuntque potestatem, quam reliqui ministri inferiores non habent vi suæ ordinationis.

29. Est etiam superior iurisdictione. Quod verò etiam differant, & sint superiores potestate iurisdictionis, id est, regendi Ecclesiam, docendi authenticè, & ferendi leges, præcipiendi, prohibendi, puniendique rebelles &c. probatur 1. Quia Episcopi succedunt Apostolis, ex institutione Christi, vt Anacletus, & Tridentinum docent locis supra citatis, & Hieronym. in epist. ad Marcellam. Apostoli autem sine dubio erant omnibus aliis Ecclesiæ ministris superiores in regendi potestate. Secundò, Trident. cap. 4. sess. 23. diserte ait Episcopos positos esse à Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei, eosque Presbyteris superiores esse: nimirum etiam in potestate regendi, quæ præcipuè ad eos pertinet. Tertiò, Apostolus 1. Timoth. 5. vult presbyteros ab Episcopis iudicari, & puniri: cùm sic ait: *Aduersus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus.* Idque sine dubio iuxta Christi institutionem. Nulla enim alia huius subordinationis origo proferri potest, nec vllum aliud ostendi eius initium.

30. Confirmatur. Eandem subordinationem presbyteri ad Episcopum ab ipso initio Ecclesiæ ex Christi institutione inductam agnoscunt Patres antiquissimi: vt Clemens Rom. in canonibus Apostolorum can. 40. *Presbyter*, inquit, *& Diaconi præter Episcopum nihil agere pertentent. Nam Domini populus illi commissus est, & pro animabus eorū hic redditurus est rationem.* Et Dionys. cap. 5. Ecclesiast. Hierarch. *Pontificum*, inquit, *ordo primus, idem summus & vltimus; qui*, vt addit paulò post, *purgat, illuminat, & perficit: sub illo autem sacerdotum purgat, & illuminat; non etiam perficit. Ministrorum verò tantùm purgat.* Quibus verbis maiorem in Episcopis potestatem, & ad plura pertinentem agnoscit, quàm in sacerdotibus, & aliis Ecclesiæ ministris, quos etiam illis inferiores esse affirmat. Et S. Ignatius Martyr in epist. ad Tarsenses, *Presbyteri*, inquit, *Episcopo subditi esse te, Diaconi Presbyteris, populus Presbyteris, & Diaconis.* Et Tertull. lib. de Baptismo cap. 17. *Ius habet*, inquit, *dandi Baptismum Summus Sacerdos, qui est Episcopus, dehinc Presbyteri, & Diaconi: non tamen sine Episcopi auctoritate.*

Ad idem confirmandū valet quod sancti Patres dicunt nouum sacerdotium ita antiquo respondere, vt quod Aaron, & filii eius, & Leuitæ fuerunt: hoc in Ecclesia sint Episcopi, Presbyteri, & Diaconi seu reliqui Ecclesiæ ministri. Ita vt Episcopi respondeant Aaroni: Presbyteri filiis Aaronis, qui minores erant sacerdotes, patri subiecti: Diaconi, & alii ministri, Leuitis, id est, aliis, qui de Tribu Leuitica oriundi erant, quamuis non essent filii Aaronis. Ac sicut illa subordinatio ministrorum legis veteris erat sine dubio ex diuina institutione: sic ad eandem referenda sit subordinatio ministrorum Ecclesiæ. Sicut etiam longè maior erat potestas & iurisdictio Aaronis, quàm reliquorum sacerdotum inferiorum: sic Episcopus in ea præcellat Presbyteris. Patres autem, qui hac comparatione vtuntur, sunt inter alios Anacletus Papa epist 2. Hieron. epist. 85. ad Euagrium, Damasus Papa epist. 4. aliàs 5. de Chorepiscopis, Leo 1. epist. 88. Huc etiam pertinet quòd in historiis ecclesiasticis sæpe videmus, Presbyteros excommunicatos fuisse ab Episcopis, nunquam autem Episcopos à presbyteris: quos etiam iudices esse Presbyterorum, adeóque super illos habere iurisdictionem docet Paulus, verbis supra relatis ex 1. Timoth. 5. v.° 19.

31.

Ad locum autem D. Augustini relatum num. 24. Respondeo sensum illius esse, Augustinum Hieronymo maiorem esse secundum honorum vocabula, quæ iam vsus obtinuit, id est, secundum nomina Episcopi, & Presbyteri, & secundum honores, ac dignitates diuersas, quæ his nominibus iam significantur peculiariter, & distinctè. Cùm enim antea nomina Episcopi, & Presbyteri indifferenter vsurparentur pro eodem, vt patet ex locis ab Hieronymo relatis epist. 85. ad Euagrium, & notauit Chrysost. homil. 1. in epist. ad Philippenses: iā tamen vsus obtinuerat, vt Episcopi nomine intelligeretur supremus ordo sacerdotum: nomine autem Presbyteri, ordo inferior. Modestiæ verò D. Augustini fuit, quòd gradus sui excellentiam super gradum Hieronymi clariùs exprimere noluerit.

32. Soluuntur arg. contrata.

Digitized by Google

SECTIO IV.

Quid senserint Hieronymus & Ambrosius de differentia inter Episcopum, & Presbyterum?

33. Episcopatus includit ordinē, & iurisdict.

AD Hieronymi testimonia adducta nu. 24. & 25. non parum obscura, & difficilia, varii variè respondent, vt videre est apud Bellarm. lib. 1. de Clericis cap. 15. vbi plures refert, & reiicit diuersorum auctorum solutiones. Placet inter omnes expositio Dionysii Petauii viri eruditissimi, & in SS. Patrum lectione optimè versati, lib. 2. de Ecclesiast. Hierarch. cap. 5. cuius summa hæc est: Duo in episcopali nomine, ac dignitate distinguenda esse: quorum vnum est Ordo, & Character, quo ad certos effectus potestatem accipit Episcopus, præsertim ad ordinandos Episcopos alios, & Presbyteros. Alterum est iurisdictio, siue potestas ad regendam Ecclesiam. A quo secundo, licet inferiori, nomen Episcopi desumptum fuit. Nam *episcopus* idem est atque inspector & curator rei cuiuspiam, non sine potestate, ac functione aliqua circa rem illam: quæ si est ratione prædita, tum ad inspectionem auctoritas accedit, & iurisdictio. Et vt ait Hieron. ipse in cap. 1. epist. ad Titum, Episcopus est nomen officii, hoc est curationis, & gubernationis.

34. Hieron. loquitur de iurisdictione.

Secundò, quando Hieronymus verbis in obiectione relatis dixit Episcopum, & Presbyterum eundem esse: solam externam in Episcopo curationem, & iurisdictionem spectasse, hoc est, administrandæ, & gubernandæ Ecclesiæ functionem: non Ordinem, & characterem: quo quidem differre hunc à à Presbytero, eoque superiorem esse non dubitauit: cùm in epist. 85. ad Euagrium, in qua repetit illud ipsum, quod scripserat in cap. 1. epist. ad Titum, & in qua dignitatem Presbyterorum extollit quammaximè potest, sic affirmet: *Quid facit Episcopus, excepta ordinatione, quod non faciat etiam Presbyter?* id est, facere possit. Quippe qui reliqua, quæ spectant ad iurisdictionem, & Ecclesiæ regimen præstare potest, & vt putauit Hieronymus, præstitit reipsa primis Ecclesiæ temporibus, quando Collegium Presbyterorum curabat ea, quæ ad regimen, & disciplinam ecclesiasticam pertinebant. Ita vt nemo tum vnus suo nomine, & auctoritate illa præstaret: sed in communi omnia, deque totius Collegii sententia fierent. Postea verò, cùm in partes, & in contraria studia diuisus esset populus, vti dicerent, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, paulatim vt dissensionum semina reuellerentur, ad vnum omnem solicitudinem esse delatam. Itaque Hieronymus eo loci non aliud in Episcopatu proponit sibi præter externam administrationem, & vsum iurisdictionis: quam penes vnum residere, & ab eo dum-taxat exerceri, non putat iuris esse diuini, sed ecclesiasticæ consuetudinis. Ex quo ita concludit: *Sicut ergo presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine, ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos: ita Episcopi nouerint se magis consuetudine, quam dispositionis dominicæ veritate presbyteris esse maiores, & in commune debere Ecclesiam regere: imitantes Moysem, qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta elegit cum quibus populum iudicaret.* Quibus verbis, & exemplo Moysis, quo vtitur, euidens est agi hîc de Episcopali tantummodo iurisdictione, ac iudiciaria potestate, cuius communicatio nihil detraxit præcellentiæ ordinis, primi & amplissimi Sacerdotii, sicut Moyses per consortium illius iurisdictionis, non destitit esse dux totius populi Israelitici, & superior illis ipsis, quos in collegium regiminis assumpserat.

35. Fuerunt ab initio Episcopi.

Tertiò, constare tamen vel ex ipsomet Hieronymo, hanc consuetudinem non diu viguisse in Ecclesia: cùm ipsis Apostolorum temporibus fuerit vnus nomine, ordine, & officio Episcopus, cæteris præpontus, ad quem suprema Ecclesiæ administratio, & cura pertineret: idque siue post, & propter exortum Schisma, de quo loquitur Hieron. verbis suprà relatis ex commentario capitis 1. epist. ad Titum: siue etiam ante: cùm ipsemet in libro de Script. eccles. referat Iacobum fratrem Domini fuisse statim post passionem Christi ordinatum ab aliis Apostolis Episcopum Hierosolymorum: Illud autem Schisma de quo Apost. 1. Corinth. 1. longè post exortum est. Idem etiam scribit Eusebius lib. 4. Hist. Ecclesiast. cap. 5. vbi affirmat Hierosolymis primò Episcopum præfuisse Iacobum Apostolum, post hunc Simeonem, tum alios, quos à Iacobo ad Adriani vsque tempora quindecim computat. Similiterque Romæ, Petro mortuo, Linum suffectum esse, Lino Anacletum, huic Clementem, & ita deinceps. Alexandriæ primùm Marcum, à Petro illi præpositum; postea Anianum: Antiochiæ primum Euodium, Petro scilicet Romam profecto, post Ignatium, ac sigillatim deinde reliquos, quos aliis locis designat. Et Tertull. lib. de Præscript. cap. 32. affirmat Smyrnæorum ecclesiam habuisse *Polycarpum à Ioanne Apostolo collocatum, sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit, & cætera exhibent quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos, Apostolici seminis tradices habent.* Et denique Irenæus lib. 3. aduersus hæreses cap. 3. dicit se posse annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & successores eorum vsque ad sua tempora: sed quia longum id nimis esset, sufficere sibi ad confundendos hæreticos, enumerare successionem Episcoporum, qui vsque ad suam ætatem tenuerunt sedem maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ Ecclesiæ: quorum seriem postea recenset. Pertinuisse verò ad huiusmodi Episcopos totius Ecclesiæ

Digitized by Google

administrationem, tanquam ad suprem̃um moderatorem, cuius iniussu nihil à presbyteris inferioribusque clericis fieri liceret, patet ex can. 40. Apostolorum, qui sic habet: *Presbyteri, & Diaconi præter Episcopum nihil agere pertentent. Nam Dominipopulus ipsi commissus est: & pro animabus eorum hic redditurus est rationem.*

36. Sed non vbique.

Quartò fieri etiam potuisse (quod fortè significatur ab Hieronymo verbis in obiectione relatis, & non est improbabile) vt primo cuiusque fundatæ Ecclesiæ tempore, Corinthi, Ephesi, & in aliis quibusdam ciuitatibus, nondum aliquis vnus iurisdictione, ac ne quidem ordine, propriéque dictus Episcopus ibi constitutus fuerit: sed Presbyteri simplices, id est, secundi ordinis sacerdotes, tantisper impositi, qui sacramenta ministrarent, exceptis his, quæ primi ordinis antistitem postulabant, ad quæ exercenda Apostoli ipsi identidem accurrebant: vt Petrus, & Ioannes Samariam missi Act. 8. v. 14. quique Ecclesias illas regerent in communi, haberentque simul Episcopalem potestatem regendi: vt nunc etiam habent aliquot Capitula, siue Ecclesiæ Collegiatæ: & eatenus fortasse volt Hieronymus eosdem fuisse Presbyteros, & Episcopos, quoad regendi potestatem: donec iisdem in locis ad vitanda schismata electus fuit vnus, qui potestatem illam iurisdictionis, seu regiminis Ecclesiæ haberet: & simul potestatem ordinis Episcopalis acciperet: sine qua neminem ordinare validè potuisset, & per quam Episcopus differt iure diuino à simplici Presbytero, vt supra ostendimus verbis ipsius Hieronymi epist. 85. ad Euagrium, affirmantis Episcopum hoc differre à Presbytero, quòd ille potest ordinare, non iste. Potestas autem ordinandi cùm sit sacramentalis, & collatiua gratiæ, vt alibi probauimus, debet à Christo esse instituta: neque enim possunt homines gratiam infallibiliter signis sensibilibus alligare. Qua etiam de causa non potest auferri hæc potestas Episcopis hæreticis, excommunicatis, suspensis, depositis, aut degradatis: quia non est ab Ecclesia, sed à Christo. Denique quòd Episcopi illi aliis præpositi, essent Presbyteris superiores non solùm ordine, sed etiam iurisdictione, agnouit ipse Hieronymus epist. citata vbi comparat Episcopos cum Aarone, & presbyteros cum filiis Aaronis. Aaron autem erat illis superior potestate iurisdictionis. Et in epist. ad Marcellam dicit Episcopos succedere Apostolis. Apostoli autem erant cæteris superiores, etiam quoad potestatem iurisdictionis.

37. Summa responsi.

Itaque, vt paucis quæ dixi complectar, Respondeo Hieronymum agnouisse Episcopum, saltem potestate ordinis, esse iure diuino superiorem presbyteris, vt patet ex eius epist. 85. vbi dicit Episcopum hoc differe à presbytero, quòd ille potest ordinare, non iste. Neque negare quòd etiam potestate iurisdictionis fuerint aliqui Episcopi superiores presbyteris temporibus ipsis Apostolorum, vt patet ex his, quæ scribit de Iacobo fratre Domini, *in lib. de Scriptoribus Ecclesiast.* sed tantùm censuisse, & verbis in obiectione relatis significasse, quòd initio, simplices presbyteri simul regerent Ecclesiam, haberentque simul Episcopalem regendi potestatem, & eatenus eosdem fuisse presbyteros, & Episcop. Postea verò ad vitanda schismata electum fuisse vnum, qui potestatem illam iurisdictionis seu regiminis Ecclesiæ haberet: atque ita ex Ecclesiæ consuetudine presbyteros fuisse subiectos Episcopis. Quod idcirco dicit Hieronymus, quia existimauit præeminentiam iurisdictionis, quam Episcopi habent supra Presbyteros, esse tantùm iuris ecclesiastici. Idque saltem ex parte verum est: quatenus scilicet Episcopi non illam acceperunt immediatè à Christo, sicut accepit Petrus, tanquam caput visibilis Ecclesiæ, cæterique Apostoli ex priuilegio Apostolatus; & sicut ab eodem immediatè illam accipiunt Pontifices, velut Petri successores iure ordinario: sed quidquid illi habent iurisdictionis, & potestatis regendi, habent ab ipso summo Pontifice, cuius est eos Ecclesiis præficere, & diœceses illis assignare, ac diuidere, prout ad Ecclesiæ bonum expedire iudicauerit: Qua de re plura diximus in tractatu de Legibus tom. 2. disp. 28. sect. 1.

38. Exponitur locus Amb.

Ad testimonium vltimo loco obiectum ex Ambrosio, Respondeo primò, commentarios illos falsò adscribi Ambrosio. Secundò, Duplicem illius sensum esse posse. Vnus est quod existimauerit Pseudo-Ambrosius, id quod nonnulli quoque recentiores affirmant, & inter eos Petauius lib. 1. Dissertat. ecclesiast. cap. 2. Presbyteros olim eosdem & Episcopos, hoc est, primi ordinis sacerdotes esse factos, ac plures in eadem Ecclesia positos: de quibus mentio fiat Act. 20. v. 27. & 1. Timoth. 3. & 4. & Titi 1. & Philipp. 1. aliisque locis, vbi Apostolus plures eiusdem Ecclesiæ nominat Episcopos. Siue id vbique, non diu tamen factum fuerit: siue quibusdam tantùm in locis: idque ea de causa, vt præstò essent qui ad munia Episcoporum exercenda mitterentur in alia loca, quocunque necessitas eos vocaret tunc temporis, cùm nouæ subinde Ecclesiæ fundabantur, crescente in dies fidelium multitudine, & Euangelio latiùs propagato. Quo supposito, velit Pseudo-Ambrosius ex illa Presbyterorum multitudine primum ordine antiquitatis cæteris præcelluisse in munere gubernandi, & Episcopali iurisdictione: eóque mortuo, proximè sequentem ordine antiquitatis ei successisse iure ordinario, sicut nunc inter Cardinales Episcopos primus ordine antiquitatis est Episcopus Ostiensis, cui mortuo succedit alter antiquitatis ordine proximus. Et hunc modum substituendi Episcopum, fuisse aliquandiu seruatum, donec propter sequentium indignitatem immutata est ratio eligendi, *vt non*

Digitized by Google

ordo antiquitatis, *sed meritum crearet Episcopum, multorum sacerdotum iudicio constitutum: ne unigenitus temerè usurparet, & esset multis scandalum.*

39. Altera expositio.

Alter sensus est quem tradit Petavius lib. 1. de Ecclesiast. Hierarch. cap. 13. n. 13. videlicet, id quod ait Pseudo-Ambrosius, *Primum Presbytero, Episcopos esse appellatos, eo quòd recedente uno sequens ei succederet*: non ita accipiendum esse, vt velit alterum ætatis ordine proximè sequentem priori successisse in munere Episcopali sine electione, & ordinatione; sed tantùm, quòd alter ex ordine Presbyterorum ei suffectus sit: ita vt *sequens* idem sit, atque, *alter*. Vt si quis diceret, ex solo Cardinalium Collegio Pontificem Romanum ita fieri, vt vno recedente, sequens ei succedat, id est, alter Cardinalis ei substituatur. Tunc autem, vt ait Pseudo-Ambrosius, ordo non meritum creabat Episcopum: quia fieri poterat vt nemo esset Episcopatu dignus in ordine Presbyterorum, esset autem in Diaconorum ordine, aut in hoc certè dignior, quàm in illo. Et tamen quia de priori ordine creandus erat, eligebatur interdum indignus, non sine populi scandalo, vel minùs dignus. Quod meritò displicuit, & Concilium impulit, vt modum eligendi mutaret, statueretque vt deinceps non ordo presbyteratus, sed meritum cuiuscunque crearet Episcopum, multorũ sacerdotum iudicio constitutum, id est, non solùm Collegii Presbyterorum, sed plurium etiam Episcoporum, quos à presbyteris distinguit idem Auctor, quique olim sæpius sacerdotes simpliciter appellabantur. Vteruis autem ex his duobus sensibus eligatur, nobis non obest, neque valet ad probandum, Episcopatum non esse ordinem, & gradum superiorem presbyteratu, & simplici sacerdotio.

40. Episcopi debent virtute, vt ætate, præeminere.

Superest notare, sicut Episcopi supereminent presbyteris ordine, & iurisdictione: ita nõ minùs debere omni genere virtutum antecellere. Nam vt rectè dixit Saluianus Massiliensis Episcopus lib. 2. ad Ecclesiam catholicam: *Nihil est turpius, quàm excelentem esse quemlibet culmine, & despicabilem vitiate. Quid enim est aliud principatus sine meritorum sub imitate, nisi honoris titulus sine homine? Aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? Et ideo cunctos, qui sacri altaris suggestu eminent, tantum excellere oportet merito, quantum gradu.* Eamque ob causam Concil. Trident. sess. 25. cap. 1. de R format. Optandum esse dicit, vt ij qui Episcopale ministerium suscipiunt, quæ suæ sint partes agnoscant, ac se non ad propria commoda, non ad diuitias, aut luxum, sed ad labores, & solicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant. Nec enim dubitandum est fideles aliquos ad religionem, innocentiamque facilius inflammandos, si præpositos suos viderint non ea quæ mundi sunt, sed animarum salutem, ac cœlestem patriam cogitantes. Admonetque ibidem Episcopos omnes vt factis ipsis, ac vitæ actionibus, quod est veluti perpetuum quoddam prædicandi genus: se muneri suo conformes ostendant: imprimis verò ita mores suos omnes componant, vt reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac quæ nos tantopere commendat Deo, *SANCTAE HVMILITATIS* exempla petere possint. Idcóque iubet vt iuxta statutum Concilii Carthagin. IV. Episcopi modesta supellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint; vtque in reliquo vitæ genere caueant, ne quid appareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ se ferat. Hæc Trident. Quibus similia tradita olim fuerant à Concilio Carthagin. IV. can. 15. quem Tridentinum renouauit verbis modò relatis, quoue præcipiebatur vt Episcopi vili supellectili, & mensa, victuque paupere contenti, dignitatis suæ auctoritatem, non fastu, & pompa sæculari, sed fide, & vitæ meritis quærant.

41. Quales eligi debeant?

Et can. 1. eiusdem Concilii, Carth. cuius titulus est, *Qualiter debeant Episcopi ordinari*, sic dicitur: Qui Episcopus ordinandus est, antea examinetur, si naturâ sit prudens, si docilis, si moribus temperatus, si vitâ castus, si sobrius, si semper suis negotiis cauens, si humilis, si affabilis, si misericors, si literatus, si in lege Domini instructus, si in Scripturarum sensibus cautus, si in dogmatibus exercitatus, & ante omnia si fidei documenta verbis simplicibus asserat, id est, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum &c. Conformiter scilicet ad ea quæ tradit Paulus Tit. 1. v. 7. *Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: non superbum, non iracundum, non vinolentum non percussorem, non turpis lucri cupidum; sed hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem: vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere.* Conformiter etiam ad monitum Petri Apostoli epist. 1. cap. 5. v. 2. *Pascite qui in vobis est, gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariè, neque vt dominantes in clero, sed formæ facti gregis ex animo.* Et vt addit Hieronymus epist. 62. ad Theophilum in fine: Patres se sciant esse, non dominos: maximè apud eos qui spretis ambitionibus sæculi, nihil quieti, & otio religioso præferunt: Idcirco enim (vt paulò ante ait) & patrias nostras dimisimus, vt quieti, absque vllis simulatibus, in agris, & solitudine viueremus (loquitur de suo monasterio Bethleemitico, quod Ioannes Episcopus Hierosolymitanus malè vexabat) vt Pontifices Christi, qui tamen rectam fidem prædicant, non dominorum nomen, sed patrum honore veneremur: vt deferamus Episcopis, vt Episcopis: & non, sub nomine alterius, aliis, quibus nolumus,

Digitized by Google

, seruire cogamur. Non sumus tam inflati
, cordis, vt ignoremus, quid debeatur sacer-
, dotibus Christi. Qui enim eos recipit, non
, tam eos recipit, quàm illum, cuius Epis-
, copi sunt. Sed contenti sint honore suo: pa-
, tres se sciant esse non dominos &c.

42. Et multò superiùs, aliquantò post initium eiusdem epistolæ, paternam illam mansuetudinem, & benignitatem ampliùs illis commendat veluti admodum necessariam, his verbis: Amari parens, & Episcopus debet non timeri. Antiqua sententia est: Quem metuit quis, odit: quem odit, perisse cupit. Vnde & in nostris literis, cùm initia parvulorum in timore consistant, perfecta dilectio foras mittit timorem. Non quæris Monachos tibi esse subiectos: & ideo magis subiectos habes. Tu offers osculum, illi colla submittunt. Exhibes militem, & ducem impetras. Quasi vnus in pluribus es, si es vnus ex pluribus. Citò indignatur libertas, si opprimitur. Nemo plus impetrat à libero, quàm qui seruire non cogit. Nouimus canones ecclesiasticos; non ignoramus ordines singulorum: & lectione, & quotidianis exemplis vsq; ad hanc ætatẽ multa didicimus, multa experti sumus. Qui scorpionibus cædit, & lumbis patris habere se putat digitos grossiores, citò regnum mansueti Dauid dissipat. Certè Romanus populus ne in rege quidem superbiam tulit. Dux ille Israelitici populi, qui decem plagis afflixerat Aegyptum, & ad cuius imperium cœlum, & terra, & maria seruiebant, inter cunctos homines, quos tunc terra generauit, mansuetissimus prædicatur: & ideo per quadraginta annos obtinuit principatum, quia potestatis superbiam lenitate, & mansuetudine temperabat. Lapidabatur à populo, & pro lapidantibus rogabat: quia potiùs deleri ipse vult de libro Dei, ne commissus sibi grex pereat. Cupiebat enim illum imitari pastorem, quem sciebat etiam errantes oues suis humeris portaturum. Pastor, inquit, bonus ponit animam suam pro ouibus suis. Boni quippe pastoris discipulus optat anathema esse pro fratribus suis, atque cognatis, qui sunt Israelitæ secundum carnem. Et si ille perire cupit, ne perditi pereant: quantò magis bonis parentibus prouidendum est, ne ad iracundiam prouocent filios suos, & nimietate duritiæ, etiam leniissimos, asperos esse compellant? Hæc & alia multa Hieronymus totâ illâ epistolâ, lectione, & consideratione dignissima.

Mansuetudo illis necessaria.

SECTIO V.

Vtrum supra Episcopos sit aliquis superior in Ecclesia?

43. CONclusio affirmatiua D. Thomæ q. 40. Supplem. art. 6. est de fide, vt satis patet ex disp. 56. sect. 1. 2. & 3. & tom. 3. disp. 9. sect. 4. & 5. vbi eam Scripturæ, Conciliorum, & SS. Patrum auctoritate, constantique sensu, & traditione Ecclesiæ abundè confirmauimus. Quare sat erit in præsenti capita probationum ibi fusiùs explicata perstringere, ne tam grauis quæstio hoc loco proposita à D. Thoma, omnino intacta prætereatur.

Cõcl. affir.

Primum sumitur ex Christi verbis Matth. 16. vbi Christus Petro Apostolo totius Ecclesiæ principatum promisit sub duplici metaphora fundamenti, & clauium, verbis illis, *Tues Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claues regni cœlorum*: posteaque hanc promissionem implens Ioan. 21. ducem, & pastorem vniuersalem totius ouilis christiani eundem constituit, munere ordinario, & perpetuò in successoribus duraturo, vt verba ipsa Christi bene expensa significant, quemadmodum locis cit. ostendimus, & docent SS. Patres communi consensu, qui in illis primatum Petri, & successorum eius supra Ecclesiam, cæteraque omnia illius membra, iure diuino, velut ab ipso Christo institutum agnoscunt: vt Origenes homil. 5. in Exodum, & lib. 5. in epist. ad Rom. prope finem, Cyprianus lib. de vnitate Ecclesiæ circa principium, Athanas. in epist. ad Fœlicem Papam, Hilar. can. 16. in Matth. Chrysost. homil 55. in Matt. & homil. 9. de Pœnitentia, Epiphan. in Anchorato, Ambros. serm. 47. & in caput vltimum Lucæ, Hieron. epist. 57. ad Damasum Papam, August. epist. 152. Leo sermone 2. & 3. de Assumptione sua ad Pontificatum, Eusseb. Emiss. in serm. de Natali S. Ioannis Euangelistæ, Eucher. in sermone de vigilia S. Petri Apostoli, Gregor. lib. 4. epist. 32. Theophyl. in cap. 22. Lucæ, & in caput vltimum Ioannis, Bernard. lib. 2. de Considerat. ad Eugenium cap. 8. & alii quorum testimonia retulimus locis supra citatis, & nonnulla referemus paulò post.

Probatur ex Script.

44. Secundum sumitur ex Conciliis generalibus expresè profitentibus primatum Petri, & successorum supra reliquos Episcopos, principatumque super totam Ecclesiam. Vt Concilium Nicenum I. can. 39. ex arabicis, *Ille*, inquit, *qui tenet sedem Romæ, caput est, & princeps omnium Patriarcharum: quandoquidem ipse est primus sicut Petrus, cui data est potestas in omnes principes christianos, & omnes populos eorum, vt qui sit vicarius Christi Domini nostri super cunctos populos, &*

Et ex Concil. general.

vniuerſam Eccleſiam Chriſtianam. Et quicunque contradixerit, à Synodo excommunicatur. Et Concilium Conſtantinopolit. I. in epiſt. ad Damaſum, quæ extat apud Theodoretum lib. 5. hiſtoriæ cap. 9. dicit ſe de mandato literarum Romani Pontificis, per Imperatorem ad ſe miſſarum, conuenisſe apud Conſtantinopolim. Ibidemque profitetur Romanam Eccleſiam eſſe caput, ſe autem membra. Concilium quoque Epheſinum, vt refert Euagrius lib. 1. hiſtoriæ cap. 4. dicit ſe de mandato Cœleſtini Pontificis Romani deponere Neſtorium Conſtantinopolitanum Epiſcopum: & in epiſt. ad eundem Cœleſtinum Papam, affirmat ſe abſtinuiſſe à iudicio ferendo ſuper cauſa Ioannis Patriarchæ Antiocheni, illamque iudicio ipſius reſeruaſſe, eò quòd magis erat dubia, quàm cauſa Neſtorii. Concilium Chalcedonenſe ſub Leone I. celebratum ſæpius eum vocat vniuerſalis Eccleſiæ Pontificem: & in epiſt. ad eundem dicit cuſtodiam vineæ Domini, id eſt, vniuerſæ Eccleſiæ commiſſam illi fuiſſe ab ipſo Chriſto: & paulò poſt ait eundem Leonem per ſuos Legatos huic Concilio præſediſſe tanquam caput membris. Et literæ ſupplices Alexandrinorum oblatæ eidem Synodo act. 3. ſic inſcribuntur, *ſanctiſſimo, & vniuerſali Archiepiſcopo, & Patriarchæ magnæ Romæ, Leoni, & ſancto vniuerſali Concilio.*

45. Nicænum II. Act. 2 approbat epiſtolam Adriani ad Tharaſium, in qua de Romano Pontifice ſic dicitur: *Cuius ſedes per totum terrarum orbem primatum obtinens lucet, omniumque Eccleſiarum Dei caput exiſtit. Vnde & ipſe Beatus Petrus Apoſtolus Dei iuſſu Eccleſiam paſcens, nihil omnino prætermiſit, ſed vbique principatum obtinuit, & obtinet.* Lateranenſe magnum ſub Innocentio III. cap. 5. *Romana Eccleſia*, inquit, *diſponente Domino, ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet principatum, vtpote mater vniuerſorum Chriſti fidelium, & magiſtra.* Concilium generale Lugd. ſub Gregor. X. ex Græcis, & Latinis coactum, cap. *Vbi periculum, De electione, & electi poteſtate in 6.* Romanum pontificem nominat Vicarium Chriſti, ſucceſſorem Petri, Rectorem vniuerſalis Eccleſiæ. Et Florentinum ſub Eugenio IV. in literis vnionis ſic habet: *Definimus ſanctam Apoſtolicam ſedem, & Romanum Pontificem in vniuerſum orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe Beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti vicarium, totius Eccleſiæ caput, & omnium chriſtianorum patrem, ac doctorem exiſtere, & ipſi in Beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam a Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe.*

46. Et denique, vt alia præteream, Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 1. de Reform. in fine affirmat nihil magis eſſe neceſſarium, quàm vt Beatiſſimus Romanus Pontifex, quam ſolicitudinem vniuerſæ Eccleſiæ, ex munere ſui officio debet, eam hic potiſſimum impendat, vt lectiſſimos tantùm ſibi Cardinales aſciſcat, atque idoneos paſtores ſingulis Eccleſiis præficiat: idque eò magis, quòd ouium Chriſti ſanguinem, quæ ex malo negligentium, & ſui officii immemorum paſtorum regimine peribunt, Dominus noſter Ieſus Chriſtus de manibus eius ſit requiſiturus, velut paſtoris ſcilicet vniuerſalis, cui omnium cura incumbit. Et cap. 5. eiuſdem Decreti dicit Romanum Pontificem eſſe ſupremum iudicem Epiſcoporum, & cauſas criminales grauiores contra Epiſcopos, etiam hæreſis, quod abſit, depoſitione, aut priuatione dignas, ab ipſo tantùm Summo Pontifice Romano cognoſci, & terminari debere per ſe, vel alios ab ipſo electos. Et ſeſſ. 25. cap. 14. Decreti de reformat. in fine, ſtatuit, vt Epiſcopi concubinarii, ſi à Synodo prouinciali admoniti non ſe emendauerint, ad ſanctiſſimum Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpæ etiam per priuationem, ſi opus erit, in eos animaduertat. Poſt tot Conciliorum generalium definitiones, aut declarationes, non poteſt ſine hæreſi hac de re dubitari: meritòque à Franciſco primo Rege Chriſtianiſſimo, in eius ordinationibus ſtatutum fuit vt per iudices ſæculares ſtatim in carcerem coniiciantur, & velut hæretici puniantur, quicunque in regno Galliæ huic veritati contradixerint: quòd ſcilicet certum ſit *Vnum eſſe iure diuino ſummum in Eccleſia Chriſti militante Pontificem, cui omnes chriſtiani parere tenentur*: vt videre eſt apud Fontanon tom. 4. ordinationem tit. 4.

47. Et auctoritate SS. Patrum.

Tertium ſumitur ex auctoritate SS. Patrum Græcorum æque ac Latinorum, à primis vſque ſæculis Eccleſiæ, qui primatum Petri, eiuſque ſucceſſorum, principatumque ſupra Epiſcopos, & cætera Eccleſiæ membra à Chriſto inſtitutum communi conſenſu affirmant. Eorum teſtimonia ex ſingulis ſæculis diſtincte collecta videri poſſunt apud Gaulteriũ in Tabulis chronographicis veritate 11. & Bellarminum lib. 2. de Romano Pontifice. Nobis pauca illuſtriora referre ſufficiet. Tertullian. lib. de pudicit. cap. 1. teſtatur iam ſuo tempore, id eſt, ſecundo ſæculo, Romanum Pontificem dictum fuiſſe maximum, & Epiſcopum Epiſcoporum. *Audio*, inquit, *iam edictum eſſe propoſitum, & quidem peremptorium: Pontifex ſcilicet maximus, Epiſcopus Epiſcoporum dicit* &c. & Arnobius in pſal. 138. eundem vocat Epiſcopum Epiſcoporum. & Anacletus, qui fuit quintus à Petro Romanus Pontifex, epiſt. 3. relatâ tom 1. Conciliorum per Binium, *ſacroſancta*, inquit, *Romana, & Apoſtolica Eccleſia non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino noſtro primatum obtinuit, & eminentiam poteſtatis ſuper vniuerſas Eccleſias, ac totum chriſtianum populum gregem aſſumpta eſt.* Athanaſius in epiſt. ad Fœlicem Papam ſic eum compellat: *Tues Petrus*, (ſucceſſione officii) *& ſuper funda-*

, seruire cogamur. Non sumus tam inflati
, cordis, vt ignoremus, quid debeatur sacer-
, dotibus Christi. Qui enim eos recipit, non
, tam eos recipit, quàm illum, cuius Epis-
, copi sunt. Sed contenti sint honore suo: pa-
, tres se sciant esse non dominos &c.

42. Et multò superiùs, aliquantò post initium eiusdem epistolæ, paternam illam mansuetudinem, & benignitatem ampliùs illis commendat veluti admodum necessariam, his verbis: Amari parens, & Episcopus debet non timeri. Antiqua sententia est: Quem metuit quis, odit: quem odit, perisse cupit. Vnde & in nostris literis, cùm initia parvulorum in timore consistant, perfecta dilectio foras mittit timorem. Non quæris Monachos tibi esse subiectos: & ideo magis subiectos habes. Tu offers osculum, illi colla submittunt. Exhibes militem, & ducem impetras. Quasi vnus in pluribus es, si es vnus ex pluribus. Citò indignatur libertas, si opprimitur. Nemo plus impetrat à libero, quàm qui seruire non cogit. Nouimus canones ecclesiasticos; non ignoramus ordines singulorum: & lectione, & quotidianis exemplis vsq; ad hanc ætatẽ multa didicimus, multa experti sumus. Qui scorpionibus cædit, & lumbis patris habere se putat digitos grossiores, cirò regnum mansueti Dauid dissipat. Certè Romanus populus ne in rege quidem superbiam tulit. Dux ille Israelitici populi, qui decem plagis afflixerat Aegyptum, & ad cuius imperium cœlum, & terra, & maria seruiebant, inter cunctos homines, quos tunc terra generauit, mansuetissimus prædicatur: & ideo per quadraginta annos obtinuit principatum, quia potestatis superbiam lenitate, & mansuetudine temperabat. Lapidabatur à populo, & pro lapidantibus rogabat: quia potiùs deleri ipse vult de libro Dei, ne commissus sibi grex pereat. Cupiebat enim illum imitari pastorem, quem sciebat etiam errantes oues suis humeris portaturum. Pastor, inquit, bonus ponit animam suam pro ouibus suis. Boni quippe pastoris discipulus optat anathema esse pro fratribus suis, atque cognatis, qui sunt Israelitæ secundum carnem. Et si ille perire cupit, ne perditi pereant: quantò magis bonis parentibus prouidendum est, ne ad iracundiam prouocent filios suos, & nimietate duritiæ, etiam lenissimos, asperos esse compellant? Hæc & alia multa Hieronymus totâ illâ epistolâ, lectione, & consideratione dignissima.

Mansuetudo illis necessaria.

SECTIO V.

Vtrum supra Episcopos sit aliquis superior in Ecclesia?

43. CONclusio affirmatiua D. Thomæ q. 40. Supplem. art. 6. est de fide, vt satis patet ex disp. 56. sect. 1. 2. & 3. & tom. 3. disp. 9. sect. 4. & 5. vbi eam Scripturæ, Conciliorum, & SS. Patrum auctoritate, constantique sensu, & traditione Ecclesiæ abundè confirmauimus. Quare fat erit in præsenti capita probationum ibi fusiùs explicata perstringere, ne tam grauis quæstio hoc loco proposita à D. Thoma, omnino intacta prætereatur.

Cõcl. affir.

Primum sumitur ex Christi verbis Matth. 16. vbi Christus Petro Apostolo totius Ecclesiæ principatum promisit sub duplici metaphora fundamenti, & clauium, verbis illis, *Tues Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claues regni cælorum*: posteaque hanc promissionem implens Ioan. 21. ducem, & pastorem vniuersalem totius ouilis christiani eundem constituit, munere ordinario, & perpetuò in successoribus duraturo, vt verba ipsa Christi bene expensa significant, quemadmodum locis cit. ostendimus, & docent SS. Patres communi consensu, qui in illis primatum Petri, & successorum eius supra Ecclesiam, cæteraque omnia illius membra, iure diuino, velut ab ipso Christo institutum agnoscunt: vt Origenes homil. 5. in Exodum, & lib. 5. in epist. ad Rom. prope finem, Cyprianus lib. de vnitate Ecclesiæ circa principium, Athanas. in epist. ad Fœlicem Papam, Hilar. can. 16. in Matth. Chrysost. homil 55. in Matt. & homil. 9. de Pœnitentia, Epiphan. in Anchorato, Ambros. serm. 47. & in caput vltimum Lucæ, Hieron. epist. 57. ad Damasum Papam, August. epist. 152. Leo sermone 2. & 3. de Assumptione sua ad Pontificatum, Eusseb. Emiss. in serm. de Natali S. Ioannis Euangelistæ, Eucher. in sermone de vigilia S. Petri Apostoli, Gregor. lib. 4. epist. 32. Theophyl. in cap. 22. Lucæ, & in caput vltimum Ioannis, Bernard. lib. 2. de Considerat. ad Eugenium cap. 8. & alii quorum testimonia retulimus locis supra citatis, & nonnulla referemus paulò post.

Probatur ex Script.

44. Secundum sumitur ex Conciliis generalibus expresè profitentibus primatum Petri, & successorum supra reliquos Episcopos, principatumque super totam Ecclesiam. Vt Concilium Nicenum I. can. 39. ex arabicis, *Ille*, inquit, *qui tenet sedem Romæ, caput est, & princeps omnium Patriarcharum: quandoquidem ipse est primus sicut Petrus, cui data est potestas in omnes principes christianos, & omnes populos eorum, vt qui sit vicarius Christi Domini nostri super cunctos populos, &*

Et ex Concil. general.

vniuerſam Eccleſiam Chriſtianam. Et quicunque contradixerit, à Synodo excommunicetur. Et Concilium Conſtantinopolit. I. in epiſt. ad Damaſum, quæ extat apud Theodoretum lib. 5. hiſtoriæ cap. 9. dicit ſe de mandato literarum Romani Pontificis, per Imperatorem ad ſe miſſarum, conuenisse apud Conſtantinopolim. Ibidemque profitetur Romanam Eccleſiam eſſe caput, ſe autem membra. Concilium quoque Epheſinum, vt refert Euagrius lib. 1. hiſtoriæ cap. 4. dicit ſe de mandato Cœleſtini Pontificis Romani deponere Neſtorium Conſtantinopolitanum Epiſcopum: & in epiſt. ad eundem Cœleſtinum Papam, affirmat ſe abſtinuiſſe à iudicio ferendo ſuper cauſa Ioannis Patriarchæ Antiocheni, illamque iudicio ipſius reſeruaſſe, eò quòd magis erat dubia, quàm cauſa Neſtorii. Concilium Chalcedonenſe ſub Leone I. celebratum ſæpius eum vocat vniuerſalis Eccleſiæ Pontificem: & in epiſt. ad eundem dicit cuſtodiam vineæ Domini, id eſt, vniuerſæ Eccleſiæ commiſſam illi fuiſſe ab ipſo Chriſto: & paulò poſt ait eundem Leonem per ſuos Legatos huic Concilio præſediſſe tanquam caput membris. Et literæ ſupplices Alexandrinorum oblatæ eidem Synodo act. 3. ſic inſcribuntur, *ſanctiſſimo, & vniuerſali Archiepiſcopo, & Patriarchæ magnæ Romæ, Leoni, & ſancto vniuerſali Concilio.*

45. Nicænum II. Act. 2 approbat epiſtolam Adriani ad Tharaſium, in qua de Romano Pontifice ſic dicitur: *Cuius ſedes per totum terrarum orbem primatum obtinens lucet, omniumque Eccleſiarum Dei caput exiſtit. Vnde & ipſe Beatus Petrus Apoſtolus Dei inſſu Eccleſiam paſcens, nihil omnino prætermiſit, ſed vbique principatum obtinuit, & obtinet.* Lateranenſe magnum ſub Innocentio III. cap. 5. *Romana Eccleſia*, inquit, *diſponente Domino, ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet principatum, vtpote mater vniuerſorum Chriſti fidelium, & magiſtra.* Concilium generale Lugd. ſub Gregor. X. ex Græcis, & Latinis coactum, cap. *Vbi periculum, De electione, & electi poteſtate in 6.* Romanum pontificem nominat Vicarium Chriſti, ſucceſſorem Petri, Rectorem vniuerſalis Eccleſiæ. Et Florentinum ſub Eugenio IV. in literis vnionis ſic habet: *Definimus ſanctam Apoſtolicam ſedem, & Romanum Pontificem in vniuerſum orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe Beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti vicarium, totius Eccleſiæ caput, & omnium chriſtianorum patrem, ac doctorem exiſtere, & ipſi in Beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam a Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe.*

46. Et denique, vt alia præteream, Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 1. de Reform. in fine affirmat nihil magis eſſe neceſſarium, quàm vt Beatiſſimus Romanus Pontifex, quam ſolicitudinem vniuerſæ Eccleſiæ, ex muneris ſui officio debet, eam hic potiſſimum impendat, vt lectiſſimos tantùm ſibi Cardinales aſciſcat, atque idoneos paſtores ſingulis Eccleſiis præficiat: idque eò magis, quòd ouium Chriſti ſanguinem, quæ ex malo negligentium, & ſui officii immemorum paſtorum regimine peribunt, Dominus noſter Ieſus Chriſtus de manibus eius ſit requiſiturus, velut paſtoris ſcilicet vniuerſalis, cui omnium cura incumbit. Et cap. 5. eiuſdem Decreti dicit Romanum Pontificem eſſe ſupremum iudicem Epiſcoporum, & cauſas criminales grauiores contra Epiſcopos, etiam hæreſis, quod abſit, depoſitione, aut priuatione dignas, ab ipſo tantùm Summo Pontifice Romano cognoſci, & terminari debere per ſe, vel alios ab ipſo electos. Et ſeſſ. 25. cap. 14. Decreti de reformat. in fine, ſtatuit, vt Epiſcopi concubinarii, ſi à Synodo prouinciali admoniti non ſe emendauerint, ad ſanctiſſimum Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpæ etiam per priuationem, ſi opus erit, in eos animaduertat. Poſt tot Conciliorum generalium definitiones, aut declarationes, non poteſt ſine hæreſi hoc de re dubitari: meritóque à Franciſco primo Rege Chriſtianiſſimo, in eius ordinationibus ſtatutum fuit vt per iudices ſæculares ſtatim in carcerem coniiciantur, & velut hæretici puniantur, quicunque in regno Galliæ huic veritati contradixerint: quòd ſcilicet certum ſit *Vnum eſſe iure diuino ſummum in Eccleſia Chriſti militante Pontificem, cui omnes chriſtiani parere tenentur*: vt videre eſt apud Fontanon tom. 4. ordinationem tit. 4.

47. Et auctoritate SS. Patrum.

Tertium ſumitur ex auctoritate SS. Patrum Græcorum æque ac Latinorum, à primis vſque ſæculis Eccleſiæ, qui primatum Petri, eiuſque ſucceſſorum, principatumque ſupra Epiſcopos, & cætera Eccleſiæ membra à Chriſto inſtitutum communi conſenſu affirmant. Eorum teſtimonia ex ſingulis ſæculis diſtincte collecta videri poſſunt apud Gaulterium in Tabulis chronographicis veritate 11. & Bellarminum lib. 2. de Romano Pontifice. Nobis pauca illuſtriora referre ſufficiet. Tertullian. lib. de pudicit. cap. 1. teſtatur iam ſuo tempore, id eſt, ſecundo ſæculo, Romanum Pontificem dictum fuiſſe maximum, & Epiſcopum Epiſcoporum. *Audio*, inquit, *iam edictum eſſe propoſitum, & quidem peremptorium: Pontifex ſcilicet maximus, Epiſcopus Epiſcoporum dicit* &c. & Arnobius in pſal. 138. eundem vocat Epiſcopum Epiſcoporum. & Anacletus, qui fuit quintus à Petro Romanus Pontifex, epiſt. 3. relatâ tom 1. Conciliorum per Binium, *Sacroſancta*, inquit, *Romana, & Apoſtolica Eccleſia non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino noſtro primatum obtinuit, & eminentiam poteſtatis ſuper vniuerſas Eccleſias, ac totum chriſtianum populum gregem aſſumpta eſt.* Athanaſius in epiſt. ad Fœlicem Papam ſic eum compellat: *Tues Petrus*, (ſucceſſione officii) *& ſuper funda-*

mentum tuum Eccleſiæ columnæ, id eſt, Epiſcopi ſunt confirmatæ. Auguſt. epiſt. 152. *In Romana*, inquit, *Eccleſia ſemper viguit Apoſtolicæ cathedræ principatus.* S. Leo ſerm. 3. de Aſſumptione ſui ad Pontificatum: *De toto mundo*, inquit, *vnus Petrus eligitur; qui & vniuerſalem gentium vocationem, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ patribus præponitur, vt quamuis in populo Dei multi ſacerdotes ſint, multique paſtores: omnes tamen proprie regit Petrus, quos principaliter regit Chriſtus.* Quam poteſtatem, & principatum Petri manere in eius ſucceſſoribus Romanis Pontificibus affirmat ſerm. 2. de eodem argumento, vbi dicit manere adhuc diſpoſitionem veritatis, & Beatum Petrum ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non reliquiſſe: ſed adhuc tenere per ſucceſſores. Simili modo loquuntur Euſeb. Emiſſ. Eucherius, & Bernard. locis ſupra cit. qui ex Chriſti verbis Ioan. 21. v. 15. 16. & 17. colligunt Petrum, eiuſque ſucceſſores fuiſſe à Chriſto conſtitutos Paſtores vniuerſales, & gubernatores totius ouilis Chriſti, ipſorum etiam paſtorum, & Epiſcoporum.

Eccleſiaſtica auctoritas in alios Epiſcopos.

48. Et ex cõtinuo vſu appellationũ vndique ad Papam.

Quartum ſumitur ex multiplici vſu illius poteſtatis, & ſupremæ iuriſdictionis ſpiritualis Romani Pontificis ſuper Epiſcopos, & reliqua membra Eccleſiæ. Vt patet primò ex appellationibus ab aliis ſedibus, etiam Patriarchalibus, ad ipſum, veluti ſupremum iudicem Eccleſiæ, in cauſis ſpiritualibus. Nam Athanaſius Patriarcha Alexandrinus, damnatus ab Arianis, recurrit ad Iulium Papã, vt ipſemet ſcribit in ſecunda apologia de ſua fuga, & Sozomenus l. 4. cap. 15. Et Petrus immediatus eius ſucceſſor recurrit ſimiliter ad Damaſum, teſte Hieronymo epiſt. 16. & Nicephoro lib. 11. cap. 48. Et Ioan. Chryſoſt. damnatus à Theophilo Patriarcha Alexandrino apellauit ad Innocentium, vt conſtat ex duabus eius epiſtolis ad eundem Pontificem. Et hanc fuiſſe generalem conſuetudinem antiquiſſimam teſtatur S. Leo epiſt. 89. ad Epiſcopos Galliæ: idque Concilium Sardicenſe ſtatuerat can. 3. 4. & 7. Ac denique in cauſis grauioribus vndique ad Romanam ſedem, tanquam ad ſupremam apellatum fuiſſe demonſtrant epiſtolæ Decretales ſanctiſſimorũ, & antiquiſſimorum Pontificum Anacleti, Hygini, Victoris, Zephyrini, Melchiadis, & aliorum, quæ habentur tom. 1. Conciliorum. Et Gelaſius Papa epiſt. 13. ad Epiſcopos Dardaniæ, ſic generaliter affirmat: Non reticemus autem quod cuncta per mundum nouit Eccleſia, quoniam quorumlibet ſententiis ligata Pontificum Sedes Beati Petri Apoſtoli ius habeat reſoluendi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio: ſiquidem, ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerint. Ab illa autem nemo ſit appellare permiſſus. Hucuſque Gelas.

49. Patet ſecundò ex auctoritate quam Romanus Pontifex in alios Epiſcopos ſemper exercuit: in illis ſcilicet inſtituendis, confirmandis, reſtituendis, damnandis, puniendis, deponendis. Nam honorem conſecrationis aliorum Epiſcoporum à Romano Pontifice accipi mediatè, vel immediatè docet Iulius I. in epiſt. ad Orientales Epiſcopos pro cauſis Athanaſii, & exceſſibus contra Romanam Eccleſiam, his verbis eos alloquens: *Quam culpam incurrere non potuiſſetis, ſi vnde conſecrationis honores accipitis, inde legem totius obſeruantiæ ſumeretis, & Beati Petri Apoſtoli ſedes, quæ nobis ſacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſet Eccleſiaſticæ magiſtra rationis.* Idemque affirmant Innocentius I. epiſt. 91. & 93. inter epiſtolas D. Auguſtini, Leo epiſt. 89. & ſerm. 3. de ſua aſſumpt. ad Pontif. & Cyprian. lib. 4. epiſt. 8. quorum verba retulimus diſp. 56. ſect. 2. num. 22. Et Agapetus, cum eſſet Conſtantinopoli, Antimum vrbis illius Epiſcopum depoſuit, & Memnam eius loco ſubſtituit, vt videre eſt in Synodo Conſtantinopolitana ſub Memna Act. 1. Et in Concilio Chalcedonenſi Act. 7. dicitur Maximum Antiochenum Patriarcham fuiſſe à S. Leone Papa confirmatum. Idemque S. Leo epiſt. 54. ad Marcianum, affirmat Anatolium Epiſcopum Conſtantinopolitanum ſui fauoris aſſenſu Epiſcopatum tantæ vrbis obtinuiſſe. Et Cyprianus lib. 3. epiſt. 13. ad Stephanum Papam, eum rogat, vt Arelatæ, abſente Marciano, aliquem in locum eius ſubſtituat. Et Athanaſium Alexandrinum, Paulum Conſtantinopolitanum, & Marcellum Ancyranum Epiſcopos à Synodo Orientali depoſitos, Iulius I. reſtituit, vt ſcribit Gelaſius Papa epiſt. 13. ad Epiſcopos Dardaniæ, & refert Sozomenus lib. 3. cap. 7. addens eum id feciſſe, quia propter ſedis eius dignitatem cura omnium ad ipſum ſpectabat. Et Liberius Papa reſtituit Euſtathium Sebaſtes in Armenia Epiſcopum à Synodo Prouinciali Melitinæ depoſitum, vt refert S. Baſil. epiſt. 74. Et Leo I. reſtituit Theodoretum à ſecunda Synodo Epheſina depoſitum, vt patet ex Concilio Chalcedonenſi Act. 1. & Victor Papa circa annum Domini 190. excommunicauit Epiſcopos Aſianos, quòd nollent acquieſcere Decreto Pii ſui prædeceſſoris circa celebrationem Paſchatis, vt refert Euſeb. lib. 5. hiſt. cap. 24. & Vigilius Conſtantinopoli exiſtens, Mennam eius Patriarcham à communione ſuſpendit cum omnibus Epiſcopis ad eius Metropol. pertinentibus, & orientales alios Epiſcopos: Theodorum quoque Cæſarienſem communione, & propria ſede priuauit, vt videre eſt in Vigilii decreto dãnationis Theodori Cæſarienſis, quod habetur tom. 2. Conciliorum. Et Gelaſius Papa in epiſt. ſupra cit. ad Epiſcopos Dardaniæ, *Dioſcorum*, inquit, *ſecundæ ſedis præſulem ſua auctoritate ſedes Appoſtolica damnauit.*

Patet 3. ex poteſtate ferendi leges eccleſiaſticas toto orbe ſeruandas ab omnibus Catholicis: vt patet ex antiquorum Pontificum 50

ficum decretalibus, & ex Hilario Papa in Cõcilio Rom. cap. 1. ſic pronunciante: *Nulli fas ſit ſine ſtatus ſui periculo, vel diuinas cõſtitutiones, vel Apoſtolicæ ſedis decreta temerare.* Et S. Leo epiſtol. 1. ad Epiſcopos Campaniæ, Piceni, Thuſciæ, & per vniuerſas prouincias conſtituros, in fine ſic ait: *Omnia decreta ſua conſtituta tam beatæ recordationis Innocẽtii, quàm omnium prædeceſſorum noſtrorũ, quæ de eccleſiaſticis Ordinibus, & canonum ordinata ſunt diſciplinis, ita veſtram dilectionem cuſtodire debere mandamus, vt ſi quis illa contempſerit, veniam ſibi deinceps nouerit denegari.* Et paulò ante denunciat pœnam priuationis, aut ſuſpenſionis ab officio epiſcopali, iis omnibus, qui ſtatuta contenta in eadem epiſtola violare auſi fuerint.

51. Et conſtituendi vbique Vicarios.

Patet 4. ex eo quòd olim ſummi Põtifices vicarios ſuos, vel ordinarios, vel ad tempus conſtituebant variis in prouinciis remotioribus, vt ibi ſuam auctoritatem exercerent, grauioribus tamen negotiis ſibi reſeruatis. Sic enim S. Leo epiſt. 84. Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicẽſem vicarium ſuum per Orientem conſtituit, exemplo, inquit, ſuorum prædeceſſorum: & epiſt. 87. idem officium Porentio cõmiſit pro regionibus Africæ. Et Gelaſium Acacio Conſtantinopolitano Epiſcopo vices ſuas interdum commiſiſſe teſtatur eius epiſtola 13. ad Epiſcopos Dardaniæ. Et Hormiſda Saluſtium Hiſpalenſem Epiſcopum vicarium ſuum creauit per Bæticam, & Luſitaniam, vt patet ex eius epiſt. 26. ad eundem Saluſtium. Et Cœleſtinus vices ſuas Cyrillo Epiſcopo Alexandrino commiſit in cauſa Neſtorii, vt conſtat ex eius epiſt. ad Cyrillum, & ex epiſtola Cyrilli ad Clerum, & populum Conſtantinopolitanum, quæ vtraque habetur inter ipſius opera. Et Gregorius Virgilium Epiſcopum Arelatenſem per Gallias vicẽ ſui præeſſe voluit lib. 4. Regiſtri epiſt. 52.

52. Et conuocandi, ac confirmandi Concilia.

Patet 5. ex poteſtate conuocandi, & confirmandi, vel reprobandi Concilia generalia. Nam vt rectè cõſeruauit Andr. Du Val in diſput. quadripert. de poteſtate Roman. Pontif. part. 4. q. 2. Nicænum I. non à ſolo Conſtantino, vt malè quidam affirmant, ſed à Silueſtro aut Iulio Papa indictum fuit, vt habetur ex VI. Synodo Act. 16. & teſtatur Ruffinus in hiſtor. vbi expreſsè dicit Conſtantinum illud conuocaſſe ex ſententia Sacerdotum, præſertim Sylueſtri, & Oſii Cordubenſis, eius legati. Synodus quoque II. generalis, nempe Conſtantinopolitana I. indicta fuit à Damaſo, ope Theodoſii Imperatoris, vt referunt Patres VI. Synodi act. 18 Epheſina verò, quæ fuit III generalis, conuocata fuit à Cœleſtino, cuius legatus fuit Cyrillus Alexandrinus, vt liquet ex epiſtola Cœleſtini ad eandem Synodum, vbi affirmat illam ſua voluntate fuiſſe collectam: & ab eodẽ præſcriptam fuiſſe formam Epheſini Concilii teſtatus eſt Firmus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, in eadem Synodo, vt refert Baron. ad ann. Chriſti 430. num. 63.

Quarta denique nempe Chalcedonenſis, à Leone I. vt patet ex epiſt. Marciani Imperatoris ad eundem, vbi gratulatur Leoni, quòd Concilium neceſſarium iudicauerit & ipſe Leo Pontifex idem Concilium à ſe indictum fuiſſe teſtatur his verbis: *Literas dedimus ad fratres, & Coepiſcopos noſtros, iiſque Concilium generale indiximus.* Et Gelaſius Papa epiſt. 13. ad Epiſcopos Dardaniæ, affirmat ſolam Sedem Apoſtolicam decreuiſſe vt Synodus Chalcedon. fieret. Et S. Marcellus Papa, & martyr, in epiſt. ad Epiſcopos Antiochenæ Prouinciæ, prohibet Synodos generales abſque ſua licentia fieri. Et Iulius I. epiſt. 1. ad Orient. Epiſcopos pro cauſis Athanaſii, & exceſſibus contra Rom. Eccleſ. *Ipſi verò*, inquit, *primæ ſedis eccleſiæ conuocandarum generalium Synodorum iura, & indicia Epiſcoporum, ſingulari priuilegio, Euangelicis, & Apoſtolicis, atque canonicis conceſſa ſunt inſtitutis: quia ſemper maiores cauſæ ad Sedem Apoſtolicam multis auctoritatibus, referri præcepta ſunt.* Et denique in Concilio Chalcedonenſi act. 1. dicitur nunquam licuiſſe, nec vnquã contigiſſe, vt Concilium ſine cõſenſu ſummi Pontificis indiceretur. Quare licet Imperatores chriſtiani interdum aliqua conuocauerint, ſeu potiùs opẽ ſuam, & auctoritatem ad ea cogenda contulerint: vt Conſtantinus ad Nicæn. I. & Marcianus ad Chalcedonenſe: id tamen non fecerũt ſine auctoritate, & conſenſu Summorum Pontificũ, vt ſatis liquet ex teſtimoniis iam allatis. Eadem verò Concilia, & quæcunque deinceps fuerunt legitima, confirmationem à Romanis Pontificibus poſtularunt: quæq; Sedes Apoſtolica, & Romana reiecit, fuerunt quoq; reiecta ab Eccleſia; vt videre eſt apud Baroniũ ad ſingulos annos, quibus habita ſunt Concilia, & Bellarmin. lib. 1. de Conciliis, præcipuè c. 12. Ita vt meritò à Gelaſio Papa in epiſt. 13. ad Epiſcopos Dardaniæ dictum ſit, *Prima ſedes vnamquamque Synodũ ſua auctoritate confirmat.* Et à Iulio I. epiſt. ſuprà cit. *Ius conuocandi Synodos primæ ſedi conceſſum fuit ſingulari priuilegio Euangelicis, & Apoſtolicis, atque canonicis inſtitutis.*

53. Et iudicandi de cauſis fidei.

Sextò denique, idem patet ex recurſu ad Romanã Sedem ex toto orbe in cauſis fidei, & morum, velut ad ſupremum iudicem, cuius definitioni ſtandum eſſet. Vt de Polycarpo, & Ireneo teſtatur Hieronymus in lib. de viris Illuſtribus: qui & ipſe epiſt. 57. Damaſum conſuluit ſuper quæſtione de hypoſtaſibus diuinis, velut Piſcatoris ſucceſſorem, & Petram inconcuſſam fundamentalem Eccleſiæ. De Cypriano quoque idem conſtat ex variis eius epiſtolis ad Cornelium Papam: & de Auguſtino ex eius epiſtola 90. 91. & 92. vbi cũ aliis Epiſcopis Africanis recurrit in quæſtionibus fidei ad Innocentium Pontificem Romanum ſui tẽporis: idque Innocentius epiſt. 91. initio affirmat Sedi Apoſtolicæ deberi. Item ex eo quòd ad eoſdẽ Rom. Pontifices ex toto orbe Chriſtiano miſſi fuerũt hæretici, vt vel palinodiam canerent, vel errorũ ſuo-

Digitized by Google

fum damnationē subirent. Sicut de Marcione videre est apud Baronū tom. 2. an. 146. De Valentino an. 155. De Origene ann. 248. & 400. De Africanis an. 254. De Vrtacio, & Valente an. 350. De Vitali an. 373. de Pelagio, & Cœlestio an. 418. & 430. & de aliis, sequentibus sæculis.

54. Confirmatur ratione,

Addo cum D. Thoma q. 40. Supplem. art. 6. ad vnitatem Ecclesiæ conseruādam oportuisse, vt supra potestatem episcopalem, quâ particulares Ecclesiæ reguntur, quæque bonum particulare curat, esset suprema potestas summi Pontificis, quâ vniuersa regatur Ecclesia, quæque bonum illius vniuersale curet, quod est diuinius bono particulari. Cúmque Ecclesia sit vnum corpus, oportere ad vnitatem eius conseruandam, aliquam esse potestatem regendi vniuersalem supra Episcopos regētes Ecclesias particulares: alioqui non posset esse colligatio ad vnum. Et hæc est, inquit, potestas Papæ. Ideoque illi, qui hanc potestatem negant, Schismatici dicuntur, quasi scissores, & diuisores vnitatis Ecclesiæ. Quæ ratio D. Thomæ sumpta est ex D. Cypriano lib. de vnitate Ecclesiæ prope initium, vbi dicit Christum post resurrectionem suam constituisse Petrum vniuersalem Ecclesiæ suæ pastorem, vt vnitatem illius manifestaret, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem auctoritate sua disponeret: & exordium ab vnitate proficisci, vt Ecclesia vna monstretur: & non aliunde oriri schismata, & hæreses, nisi quia ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec magistri cœlestis doctrina seruatur. Quod idem affirmat epist. 55. longè post initium, sic scribens: *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata schismata, quàm inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur* (loquitur de summo Sacerdote) *nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus index vice Christi cogitatur.* Et Hieronymus in dialog. contra Luciferianos, *Ecclesiæ salus*, inquit, *in summi sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quædam, & ab hominibus eminens detur potestas, tot futura sunt schismata, quot sacerdotes.*

55. In antiqua Ecclesia erat vnus summus Sacerdos.

Et verò in antiqua Ecclesia, quæ nouæ vmbra, & figura erat, vnus fuit summus sacerdos, qui toti illi præerat, quemq; omnes cogebantur agnoscere, eiq; parere, vt fatentur ipsimet hæretici, & nominatim Caluinus lib. 4. Instit. cap. 6. nu. 2. Cúmque tota Ecclesia sit vnum corpus, vt ait Apostolus Coloss. 1. v. 24. & vnum regnum, Daniel. 2. v. 44. & vnum ouile, Ioan. 10. vers. 16. & vna domus Dei viuentis, 1. Timoth. 3. v. 15. & nauis vna similis arcæ Noë, per quam Christus saluos facit credentes, 1. Pet. 3. v. 20. & vnus exercitus bene ordinatus, Cantic. 6. v. 3. Oportet vnius corporis visibilis vnum esse caput visibile: & vnius regni vnum supremum principem: & vnius ouilis vnum Pastorem: & vnius domus vnum Patremfamilias: & vnius nauis vnum gubernatorem: & vnius exercitus bene ordinati vnum supremum ducem, generalemque Imperatorem. Plura huius veritatis catholicæ argumenta videri possunt apud Bellarm. lib. 1. & 2. de Romano Pontifice, vbi etiam hæreticorum, & nouorum Schismaticorum obiectionibus accuratè satisfacit: & nos præcipuis respondimus locis citatis initio sectionis.

SECTIO VI.

De Hierarchia Ecclesiastica, & variis eius ordinibus, ac functionibus.

56. Quid sit Hierarchia

Hierarchia idem est atque principatus sacer, seu collectio personarum aliquo modo sacrarum sub aliquo principe, vt Suari lib. 1. de Angelis cap. 13. & aliis grauissimis Theologis videtur, quos in tractatu de Angelis disput. 43. sect. 2. secuti sumus. Vel potiùs, & magis ad mentem S. Dionysii præcipui vtriusque Hierarchiæ, cœlestis, & Ecclesiasticæ interpretis, idem est atque sacrorū præfectura. Dicitur enim Hierarchia, quasi ἱερῶν ἀρχή: sicut τριηραρχία dicitur, quasi τριήρων ἀρχή, id est, nauium præfectura: vt rectè notauit Dionysius Petauius lib. 2. de Angelis cap. 2. num. 2. Cum quo potest conciliari quod alii dicunt Hierarchia idem esse, ac principatum sacrum: dummodo vox *sacrum*, sumatur obiectiuè, pro *sacrorum*. Nomine autem *sacrorum*, non intelliguntur hic necessariò personæ sacræ, quasi Hierarchia sit necessariò præfectura, seu principatus erga personas; & quasi Hierarcha esse ac dici nequeat, nisi qui præest aliquibus personis sacris: sed intelligi debent sacra dogmata, & res sacræ, quarum administratio incumbit Hierarchis. Quod clarè expressit S. Maximus Dionysii cōmentator, initio cōmentarii libri de cœlesti Hierarchia, vbi sic habet: *Sciendū est igitur Hierarchiam esse principatū, ac velut sacram ordinātorum sanctorū hierarcham verò, qui sacris præsit, eaque curet, ac moderatur. Non tamen quilibet sacerdotibus præst:* (id est, non quòd necessariò sacerdotibus præesse debeat, vt dicatur, & sit hierarcha) *sed eum potiùs, qui sacra, & eorum, atque Ecclesia mysteriorumque status constituit. Non tamen vt sit sacerdotii princeps:* hoc est, id non necessariò requiritur ad rationem & nomen Hierarchæ obtinendum: quamuis neque illi repugnet: & reipsa inter Hierarchas sint aliqui, qui præsunt sacerdotibus, vt Episcopi, quos præcipuè D. Dionys. solet appellare Hierarchas, vt notat S. Maximus immediatè ante verba superiùs relata. & vnus etiam illorum præsit ipsis Episcopis, nempe summus Pontifex supremus Hierarcha totius Ecclesiæ, cui omnes alii Hierarchæ iure diuino subiecti sunt, sicut ostendimus sect. præcedēti. Sed vltra istos, & similes, qui præsunt sacerdotibus, aut aliis personis sacris, Hierarchæ, id est, sacrorū præfecti sūt, & verè dicūtur iuxta vim vocis, quicūq; habet aliquā præfecturā erga res sacras: vt sacerdotes ipsi, & Diaconi, & Subdiaconi, & clerici Ordi-

num inferiorum, quibus incumbit ex officio alicuius rei sacræ cura, & administratio: vt rectè obseruauit Petauius cap. cit. n. 4. Quod etiam docet Tridentinum sess. 23. can. 6. dicens, Hierarchiam Ecclesiæ catholicæ, diuina ordinatione institutam, constare Episcopis, Presbyteris, & ministris, quo nomine generali comprehendit omnes Ordines inferiores, quantulacunque sacra potestate præditos vi suæ ordinationis.

57. Explicatur eius definitio.

Definitur autem Hierarchia à D. Dionysio cap. 1. de cœlesti Hierarchia initio, Ordo sacer, & scientia, & actio ad diuinam similitudinem, quoad potest accedens, & pro cõmissarum ipsi diuinitus illustrationum ratione, ad Dei se imitationẽ efferens. Vbi nota pro, *Ordo sacer*, in græco esse τάξις ἱερά. Quæ vox magis ipsam ordinationẽ, & ordinãdi ius, quàm ipsum Ordinem significat. Vt sensus sit, Hierarchiam, seu præfecturam illam sacrorum, esse potestatem, seu ius quoddã, & scientiam, & actionẽ ordinandi, siue curandi, & tractandi res sacras, & diuinas. Quę particula definitionis distinguit Hierarchiã à præfectura ciuili: reliquæ assignant finem Hierarchiæ proprium, qui est, Dei similitudinem in se, & in aliis exprimere, ipsumque imitari quoad fieri potest. Vt enim ait Dionys. eodẽ cap. 3. paulò pòst initium, *Hierarchiæ finis, ac scopus est similitudo cum Deo, & coniunctio, quatenus assequi licet.* Et paulò post, *Quocirca*, inquit, *qui Hierarchiam dicit, sacram quandã vniuersè ordinationẽ significat, quæ diuinæ similitudinis sit imago, in Ordinibus nobilioribus, scientiisque Hierarchiam attingentibus suæ illustrationis mysteria sacrè peragẽs, & ad sui principii similitudinem, quàm potest, proximè accedens. Vnius cuiusque enim eorum qui in Hierarchia cooptati sunt, in eo posita perfectio est, vt prosua quisque virili parte, ad Dei imitationem contendat: & id, quo nihil diuinius est, Dei, vt sacra Scriptura loquitur, fiat adiutor, animamque in se actionem, quantum potest, ostendat.*

58. Hæc autem imitatio, & similitudo Dei in hoc consistit, quemadmodum consequenter exponit Dionys. eod. cap. 3. & cap. 5. & 6. de Ecclesiastica Hierarchia, vt quemadmodum Deus est sũma puritas, & simplicitas; ab omni impuritate, & concretione remotissima, liberaque, vt ita dicã, ab omni dissimilitudine, & æterni luminis plena, & summè perfecta, nec vllius perfectionis indigens: ipseq; alios expiat, illuminat, & perficit; aut potiùs sacra expiatio, & lux, & perfectio est: sic Hierarcha tum in seipso magnã animi puritatẽ, rerum diuinarum cognitionem, & perfectionẽ vitæ conetur habere, pro ratione illustrationis diuinæ, & gratiæ, atque opis sibi cõcessæ: tum etiam in aliis eam procurare. Quia enim (vt dicere pergit S. Dionysius) Ordo Hierarchiæ hoc postulat, vt alii purgentur, alii purgent: quidam luce doctrinæ illustrentur, nonnulli illustrent: & aliqui perficiantur, alii perficiant: vnicuique hæc quidem ratione diuina imitatio accommodabitur.

59. Tres eius actiones.

Hæ verò tres actiones purgandi, illuminãdi, & perficiendi seipsos, & alios, in eo consistunt, vt explicat Dionys. in fine eiusdem capitis, quòd qui purgantur, debent ab omni peccati labe expiari, & omni dissimilium cõcretione liberari. Qui autẽ illuminantur, debent diuino lumine, id est, diuinarum rerum scientiã compleri, castisque mentis oculis ad habitum, vimque contemplandi excitari. Ii verò, qui perficiuntur, ab eo quod in illis minùs absolutum erat, velut in alium ordinem transcripti, debent ad interiora sacra videndã, fruendaque idoneè culti, atque expoliti admitti. Digni videlicet, quibus iam antea bene purgatis, & luce diuinæ cognitionis illustratis, atq; in virtute auctis, & corroboratis, præstantiora quæque religionis christianæ sacra cõmunicentur, cuiusmodi est sacrosanctũ Eucharistiæ mysteriũ, eiusq; participatio, quod Patres græci τέλειον id est, perfectũ appellare solent, vt rectè ait Petauius c. 4. libri sup. cit. n. 2. Vt autẽ hæc rectè præstentur erga alios ab Hierarchis, debent ipsi priùs illam animi puritatem, illustrationẽ mentis, & perfectionem morum esse assecuti, quam deriuent in alios. Quia, sicut dicere pergit Dionys. c. 3. Cœlestis Hierarchiæ, Quibus vis expiandi, & purgandi data est, ii abundantia quadam purgationis, qua valent, aliis debent impertiri puritatem suam. Quorum verò est illustrare, ii vt mentes clariores, & eiusmodi, quæ & lucẽ recipere, & aliis impertiri propriè possint, debent esse ditissimè splendore sacro offusi, & lumen illud, quo vndique circumfusi sunt, in eos, qui illo digni sunt, deriuare. In quibus verò perficiendi vis inest, ii, vt impertiendæ perfectionis arte, ac scientia instructi, debent alios sanctissima sacrorum, quæ inspexerint, initiatione perficere.

60. Versatur circa tria genera personarum.

Iuxta quæ idem S. Doctor cap. 5. & 6. de Eccles. Hierarc. postquam dixit Hierarchiam tria omnino comprehendere τελετὰς, id est, sacra, & cerimonias; μύστας, id est, sacrorum præfectos, sacrisque ordinibus initiatos, vt ea tractent; & τελουμένους, id est, initiandos, atq; ab Hierarchis perficiẽdos. Hos postremos (quos aliqui recẽtiores hierarchizatos vocare malũt) distinguit in tres ordines. Quorũ primus est eorum, qui purgantur; cuiusmodi sunt Catechumeni, Pœnitentes, & Energumeni. Secundus est eorum qui illuminantur, id est, qui iam purgati initiantur, & mysteriorũ clariùs intelligẽdorum participes fiunt. Tertius eorum, qui ad maiorẽ perfectionem adducũtur, strenuéque conantur illam assequi. Inter quos dicit esse præcipuè Monachos, qui ad perfectionem euãgelicam totis viribus aspirant. *Propter quod*, inquit, *& perfectiuã iis gratiam sacra lex impertiit, & nonnullã cõsecratoriã illos inuocatione dignata est*: id est, aliqua specie inuocationis, & consecrationis vtitur in eorũ admissione, & professione religiosa, quam postea Dionys. describit cap. 6. in Theoria: *Non tamen hierarchicã (illæ enim in solis fit sacratis Ordinibus) sed hierurgicã, quæ à sanctis sacerdotibus proximè post hierarchicam initiationem sacris ritibus administratur.*

61. Ac sicut tres illos ordines hierarchizatorũ

Digitized by Google

Tres ordines hierarcharum.

ibi distinguit, ita & ipsos hierarchas in tres alios diuidit, qui ex aduerso illis respondent: primos, medios, & postremos: Quorum isti vim habent alios purgandi, & expiandi: Medii, vim illuminãdi iam expiatos: Primi denique, vim illuminatos perficiendi. Ac primos quidem Hierarchas dicit esse Põtifices, quorum est perficere, & vi perficiente præditos esse. Medios verò esse sacerdotes, quo ũ Ordo, inquit, ad lucem deducit, & ad spectanda diuina mysteria introducit eos, qui initiãtur, subiectus Pontificum Ordini, & cum eo propria sibi munera exequẽs. Postremos deniq; esse, alios ministros Ecclesiæ, quorum est expiare, & dissimilia discernere, dignosque facere sacrorum mysteriorum aspectu, & communicatione.

62. Tria requiruntur ad hierarchiã.

Ex hac doctrina S. Dionysii, primi, atque præcipui vtriusque Hierarchiæ, Cœlestis, & Ecclesiasticæ indagatoris, & Doctoris, colligo primò, ad Hierarchiam formaliter sumptã tria requiri, quæ in quolibet Hierarcha reperiri debent, videlicet potestatem ordinandi seu curandi, vel administrandi res sacras, quod ipsa vox ἱεραρχὴ propriè significat, vt suprà ostendimus: & scientiam, siue peritiam ordinandi, seu curandi, & administrandi res sacras: ac denique actionem, siue exercitium illius potestatis & scientiæ. Quoniam autem potestas curandi sacra duplex esse potest, vna Ordinis, altera iurisdictionis, sine qua nõ possunt aliquæ actiones sacræ validè, aut licite exerceri, vt constat ex dictis alibi; idcirco multi Hierarchiam diuidunt in Hierarchiam Ordinis, complectentem omnes quocunque Ordine initiatos: & Hierarchiam iurisdictionis, in qua sunt illi omnes, & soli, qui habent potestatẽ iurisdictionis in aliqua membra Ecclesiæ. Quæque iterũ duplex est: ordinaria, id est, competens ratione officii: & delegata, siue ex cõmissione. Quapropter ad Hierarchiam iurisdictionis dupliciter potest aliquis pertinere: directè scilicet, & ex officio, vel adscititiè, & ex cõmissione. Falluntur autem qui putant vtramque potestatem esse necessariam cõiunctim ad Hierarchiam propriè dictã: quasi nullus esse possit verè & propriè Hierarcha sine vtraq; potestate. Cõtrariũ enim suprà vidimus ex S. Max. affirmante necessariũ esse tãtùm vt præsit rebus sacri, non autem sacerdotibus, aut aliis personis, circa quas versatur potestas iurisdictionis.

63. Eius subiectum.

Colligo iccũdò, subiectum Hierarchiæ, id est, eos quibus Hierarchia formaliter inest, quique ab ipsa denominãtur Hierarchæ, esse quotquot aliquã præfectura rerum sacrarum præditi sunt, id est, quicunque habent aliquã potestatẽ Ordinis, aut iurisdictionis eas curãdi, & administrandi. Cuiusmodi sunt, Primò & præcipuè Episcopi, & superiores Prælati, qui per antonomasiam solẽt Hierarcharũ nomine simpliciter dicto intelligi: tũ verò etiã Presbyteri, Diaconi, & alii inferiores Ecclesiæ ministri, non minùs Regulares, quàm alii, vt dicam paulò post: ex illis enim, absq; vlla eorũ distinctione inter sæculares & regulares, constare ecclesiasticam hierarchiam diuina ordinatione institutam affirmat Tridentinũ & definit sub anathemate sess. 23. can. 6.

Eiusdem obiectum,

Collige tertiò, obiectum circa quod versatur Hierarchia, esse *sacra*: est enim, vt diximus, sacrorũ præfectura: quo nomine intelligetum doctrinam sacram, & quæ ad illam explicandam pertinent: cuius ope purgamur, illuminamur, & perficimur: tum etiam Sacramenta, & alia ad christianã religionem pertinentia, in eundem finem nobis à Deo suppeditata. Atque etiam personas ipsas, quæ his mediis debẽt ab Hierarchis, pro cuiusq; munere, & ratione potestatis sibi cõcessæ, ad puritatem animi, & scientiam rerum diuinarũ, vitæque christianæ perfectionẽ promoueri.

64. Regulares quomodo ad illã pertinent.

Collige quartò, Regulares, qui Ordinibus initiati sunt, vt sunt iam fere omnes, inter Hierarchas censeri debere, & rectèque ad hierarchiam ordinis pertinere: neque posse de illorum numero excludi saluâ Tridentini definitione can. proximè citato. Præterea verò ad hierarchiam iurisdictionis pertinere eos, qui vltra potestatẽ Ordinis, habent etiam inter illos potestatẽ ordinariã iurisdictionis, ratione sui officii. Cuiusmodi sunt superiores, qui habẽt iurisdictionem ecclesiasticam ordinariam generali lege, & quidem etiam ipso iure cõmuni stabilitam, vt colligitur ex cap. *Nullam* 18. q. 2. vbi Pelagius Papa dicit totã potestatem procurandi ea, quæ vel ad diuini cultus reuerentiam, vel ad vtilitatem monasterii spectant, ad Abbatem pertinere: quemadmodum rectè obseruarunt Emmanuel Rodriguez tom. 1. quæst. Regular. qu. 17. art. 6. & Hieronymus Rodrig. v. *Guardianus*, Resolutione 69. n. 4. & Mart. à S. Ioseph tractatu de potestate Guardiani n. 4. Addeetiã quòd Pontifices, quando Prælatis generaliter priuilegia concedunt, censentur etiam Regularibus ea concedere; ac proinde ab Ecclesia in numero Prælatorum ecclesiasticorum habẽtur, vt rectè aiunt Corduba super cõpendium v. *Guardianus*, ad §. 1. Portell. in dubiis Regularium eodem verbo. §. 1. & Martin. suprà num. 2. Si autem illi sunt verè Prælati, & Superiores spirituales; habent vi sui officii potestatem iurisdictionis in sibi subiectos: quæ potestas, cũ sit sacra obiectiuè, æquè ac formaliter; est verè hierarchica: habet enim idem obiectum, & easdem functiones, quas Dionysius locis suprà relatis assignauit potestati hierarchicæ: & nemo sanæ mentis non videt, de vero proprioque conceptu & amplitudine hierarchiæ philosophandum esse potiùs ex mente sancti illius Doctoris, à quo cæteri hanc doctrinam hauserunt: quàm ex nouis & voluntariis modernorum Anti-regularium placitis.

65. Soluitur obiectio,

Nec obstat quòd Regulares non subordinantur Episcopis, quoad iurisdictionem, sed immediatè Summo Pontifici. Nam hæc subordinatio non requiritur necessariò vt quis pertineat ad Hierarchiã ecclesiasticam. Quãuis enim Cardinales, & Capitula quædam Cathedralia, aut Collegiata non subiiciantur

Digitized by Google

Episcopis, sed Papæ subsint immediatè: non propterea desinunt esse in Hierarchia ecclesiastica: præsertim Cardinales, qui habẽt iurisdictionem aliquatenus maiorẽ Episcopali, & assistunt Summo Pontifici in regimine totius Ecclesiæ: aut Capitula illa, quæ habent iura Episcopalia. Sic ergo Prælati Regulares Papæ subiecti immediatè, non propterea desinunt habere locum directè in ecclesiastica Hierarchia. Potest enim continere varios ordines constitutos ex pluribus eiusdem conditionis hominibus, & à se inuicem independẽtes (sicut neque Episcopi, aut Archiepiscopi, vel Patriarchæ, à se inuicem pendent) quibus sufficit ad supremum caput Hierarchiæ referri, illique mediatè, aut immediatè subordinari.

66. Vlteriùs, Regulares, qui per priuilegia concessa à Sede Apostolica, siue iuri cõmuni inserta, siue Bullis, aut alio modo expressa, & per iurisdictionem illis à sede Apostolica delegatam, possunt audire confessiones sæcularium, & à peccatis, atque censuris eos absoluere, prædicare verbum Dei, aliasque actiones hierarchicas circa fideles exercere, pertinent etiam eo titulo, saltem indirectè, vel tãquam delegati summi Pontificis ad Hierarchiam ecclesiasticã iurisdictionis, licet nullã in suo Ordine prælaturam obtineant. Probatur, quia quicunque participant iurisdictioni ecclesiasticæ, pertinent eatenus ad Hierarchiam iurisdictionis. Atqui Regulares supradicti participant per delegationem iurisdictioni ecclesiasticæ, & quidẽ supremæ in sũmo Pontifice residenti, & ab ipsomet immediatè ipsis aliquatenus cõmunicatę: ergo, &c

67. Altera oppositio diluitur. Nec obstat quod S. Dionys. cap. 6. de Ecclesiastica Hierarch. dicit Monachos nõ esse inter hierarchas, sed inter τελεσίους, id est, initiatos, aut perfectos. Loquitur enim ibi Dionys. de quibusdã Monachis sui temporis, qui nec sacerdotio, nec clericatu initiabantur: adeoque non erant in Hierarchia Ordinis, ac neque etiam capaces erant exercendi munus prædicationis, & alias functiones hierarchicas: neque ad illas tunc deputabantur. Quare inter illos nullus præter superiorẽ censeri iure poterat in Hierarchia, vlla ex parte. Sed alia est ratio eorum Religiosorum, qui, vt nũc ferè omnes, initiantur Ordinibus, & ad functiones hierarchicas deputantur à summis Pontificibus, vel ab aliis Prælatis Ecclesiæ. Neque verò ecclesiastica Hierarchia imitatur cœlestem in omnibus, in qua Angelus ordinis inferioris nunquam exercet officium superioris, vt aliqui existimant. Nam in cœlesti superiores ordines sunt etiam præstantiores in donis naturæ, & gratiæ, & qualitatibus, quibus redduntur magis idonei ad alios sibi inferiores purgandos, illuminandos, & perficiendos. Secus autẽ in hominibus. Vnde non est inconueniens si in Ecclesiastica Hierarchia aliquis inferioris ordinis exerceat aliquod officium ordinis superioris ex eius cõmissione: præsertim cum, vt interdum contingit, sit naturæ, vel gratiæ donis magis ad hoc idoneus, solúmq; desit illi iurisdictio, vel missio, quæ potest à superiore concedi. Esto; omnibus notum religiosos Ordines dedisse permultos Ecclesiæ cõcionãdi facultate eximios, doctrina præstãtes, prudentia insignes, zelo animarum feruẽtes, & omni virtutũ genere, vitæq; sanctitate illustres: quorũ etiam plurimi in Sanctorũ catalogum inscripti fuerunt, & nõ pauci ad dignitates ecclesiasticas, Episcopalẽ, Archiepiscopalem, & Cardinalitiam euectis: nonnulli etiam supremã Ecclesiæ potestatem adepti, vt in primis S. Dionysius, Benedictus I. Pelagius II. S. Gregorius magnus & qui de neeps ex religiosis Ordinibus assumpti Ecclesiam vniuersã magna cũ laude gubernarunt: vt Bonifacius IV. Adeodatus, Agatho, Benedictus II. Gregor. II. Gregor. III. Stephanus III. Paschalis I. Gregorius IV. Leo IV. Leo V. Siluester II. Sergius IV. Ioannes XIX. Stephanus IX. Gregorius VII. Victor III. Vrbanus II. Paschalis II. Gelasius II. Callistus II. Eugenius III. Anastasius IV. Adrianus IV. Cœlestinus V. Benedictus XI. Clemens VI. Vrbanus V. Nicolaus III. Martinus II. Innocentius V. Benedictus XII. Nicolaus IV. Eugenius IV. Alexander V. Paulus IV. Sixtus IV. Pius V. Sixtus V.

De his & sequentib. Vide Hier. Plat. de bono stat. relig. a. parte cap 25. 28. & 30.

68. Religiosi doctrinã, & pietate illustres. Neque minùs notum est ex quatuor maioribus Doctoribus Ecclesiæ Latinæ tres religiosos fuisse: Augustinũ scilicet, Hieronymum, & Gregorium Magnum: totidem è quatuor Doctoribus Ecclesiæ Græcæ, Basilium, Gregorium Nazianzenum, & Chrysostomum: alioſque innumeros scriptis suis, vel sacris concionibus, aliisq; ministeriis Hierarchicis, & virtutum heroicarum exemplis Ecclesiam mirum in modum illustrasse: vt Serapionem, Epiphanium, Ioannem Damascenũ, Ioannem Climacum, Nilum, Euthymium, Anastasium, Bessarionem, Paulum Diaconũ, Eucherium Lugdunensem, Prosperum Aquitanicum, Fulgentium, Cassiodorum Rhemigium, Gregoriũ Turonensem, Cęsarium, Arelatensem, Bedam, Alcuinum, Aymonium, Rabanum, Marianum Scotũ, Lantfrancum, Anselmum, Petrum Cluniacensem, Sigebertum, Hugonem de S. Victore, Rupertum, Brunonẽ, Bernardũ, Dionysium Carthusianum, Alensẽ, Albertum magnum, D. Thomam S. Bonauẽturam, S. Antoninum, Vincẽtium Ferrerium, Antonium Patauinum, Cardinalem Turrecrematam, Paludanum, Bernardinum Senensem, Thomam Valdẽsem, Ricardum, Scotum, Aureolum, Caietanum, vt taceam alios recentiores tum ex nostra Societate, tum ex aliis Ordinibus, quorum vel sola nomine recensere lõgissimum esset, & quorum opera tum omni fere scientiarum genere, tum sacrâ præsertim eruditione eximia omnibus doctis nota sunt.

69. Eorum labores vtiles Ecclesiæ. Nemo etiam nescit, si vel mediocriter in historia ecclesiastica versatus est, quantum, operæ, & quàm vtiliter contulerint Religiosi, & nunc etiam conferant in nationibus infidelibus ad Christi fidem conuertendis,

hæreticis refutandis, & fidelibus ad pietatē, chriſtianæq; vitæ perfectionē promouendis. Ac Remigii quidē doctrinā & miraculis Clodouæum, & Frācos ei ſubditos, ab idolorum cultu ad Chriſtum olim traductos fuiſſe: Angliam ab Auguſtino Monacho, eiuſque ſociis cōmiſſis à Gregorio Magno, Germaniam à Bonifacio, Frāconiam à Ludgero, Saxoniam à Vilfredo, Hungariam ab Adelberto, Pomeraniam ab Othone, alias Europæ, Aſiæ, & Africæ prouincias ab aliis Religioſis Euangelii lumen accepiſſe. Sicut etiam nunc populi noui orbis, Mexicani, Braſili, Peruani, Goani, Malacenſes, Iapponii, Sinenſes, Canadenſes, & innumerabiles alii, magnā animi conſtantiā contra quaſcunque difficultates, & animarum zelo infatigabili ab iiſdem excoluntur aſſiduè: interea dum per alios eorundem Ordinum profeſſores, pari zelo franguntur in Europa, vel comprimuntur Schiſmaticorum conatus; confutantur hæretici, & fatores nouorum dogmatum; fideles in fide, & vnione cum Eccleſiæ capite viſibili ſummo Pontifice confirmantur, atque ad frequentem vſum ſacramentorum, & exercitium bonorum operum excitantur.

70. Quid de illis ſenſerint ſummi Pontif.

Et hæc mouerunt ſummos Pontifices (quorum iudicium omnes veri catholici venerari debent) vt de Regularium zelo, & piis eorum officiis erga Eccleſiam, tam magnificè ſentirent, ac loquerentur. Vt inter alios S. Bonifacius Papa IV. Gregorii magni ſucceſſor, cuius verba referemus inferius nu. 74. Et Pius V. in Bulla *Dum ad vberes*, edita die 29. Iulii anni 1566. vbi ſic habet: Dum ad vberes, quos ſacri Mendicantium Ordines in agro dominico quotidie faciunt, fructus attentè reſpicimus, & attentæ conſiderationis indagine perſcrutamur ipſorum religionis ſinceritatem, & voluntariæ paupertatis habitum, in quibus ſub humilitatis ſpiritu deuotum Altiſſimo præſtant famulatum, &c. Et Sixtus quintus, in Bulla *Etſi Mendicantium*, edita 3. Octobris anno 1587. vbi dicit Mendicantium Ordines magnos probitatis, & doctrinæ, ac animarum ſalutis fructus ſemper olim attuliſſe, & quotidie afferre ſummā diligentiā conari, in eaque immenſum exhibere non ceſſare famulatum. Et Vrbanus octauus in Bulla quæ incipit *In ſpecula*, data decimo nono Iulii anni 1639. Attentè conſiderantes, inquit, ſacros Regularium Ordines, tantas Eccleſiæ Dei vtilitates omni tempore attuliſſe, vt ad eas conſeruandas, & inſtaurandas Romani Pontifices prædeceſſores noſtri magnam iure optimo diligentiam ſemper adhibuerint: dignum, quia potiùs debitum, reputamus, vt eorumdem veſtigiis inhærentes, ad ea paſtoralis vigilantiæ partes iugiter intendamus, vt in iiſdem Ordinibus diſciplinæ regularis obſeruantia ſarta tecta conſeruetur, & ſi quæ illi obeſſe dignoſcuntur, opportunæ conſtitutionis miniſterio ſalubriter remoueantur.

Atque vt alia multa id genus præteream, in gratiam regularium Ordinum generaliter dicta, vel ſpecialiter in fauorem quorundam aliorum: & de noſtra Societate peculiariter aliquid referam, vtpote quam maiore odio, vel inuidiæ zelo proſequuntur hodie qui Regularibus, & priuilegiis Pontificalibus infenſi ſunt, moderni ſcilicet Antiregulares, Guillelmi Sanctamorei, & Ioannis de Poliaco ſequaces, & partiarii: Paulus quidem huius nominis tertius, in Bulla *Cum inter cunctas*, data 3. Iunii ann. 1545. ſic de illa pronunciat: Attendentes ad fructus vberes, quos in Domo Domini hactenus produxiſtis, & producere non deſiniſtis veſtra religione, integritate, ſcientia, doctrina, moribus, & experientia. Et Pius V. in Bulla *Dum indefeſſæ*, edita 7. Iunii an. 1571. de eadem ſic ait: Dum indefeſſæ conſiderationis intuitu perſcrutamur quantam chriſtianæ reipubl. vtilitatem attulerint delecti filii Presbyteri Societatis Ieſu, ac planè conſpicimus eos verè mundi huius relictis illecebris, adeo Seruatori ſuo ſe dedicaſſe, vt conculcatis theſauris, quos ærugo, & tinea comedit, lumbiſque paupertate, & humilitate præcinctis, non contenti terrarum finibus, vſque ad Orientales, & Occidentales Indias penetrauerint; ac eorum aliquos ita Domini amor perſtrinxerit, vt etiam proprii ſanguinis prodigi, vt verbum Dei inibi efficaciùs plantarent, Martyrio voluntario ſe ſuppoſuerint, perque eorum ſpiritualia exercitia, etiam regna ipſa fidem Chriſti agnouerint, ac tam inibi, quàm vbique terrarum charitatis, & miſericordiæ opera exercere ſtudeant: facere nullo modo poſſumus, quin eos tanquam veros palmites in Chriſto per charitatem conjunctos, & benignè amplectamur, & ea ſibi ſpecialiter concedamus, quæ & paupertatis per eos emiſſæ voto, & eorum inſtituto, ac commoditati credimus profutura.

71. Et ſpecialim de Societate Ieſu.

Neque minùs honorificè de eadem loquuntur, & ſentiunt Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit, *Quanta*, ſub datum 9. Maii, ann. 1578. Et Gregorius XIV. in altera Bulla, cuius initium eſt, *Eccleſiæ catholicæ*, data 4. Kalend. Iul. ann. 1591. Quorum prior ſic ait: Quanta in vinea Domini fructuoſa opera Societas Ieſu quotidie verbo, & exemplo in populo chriſtiano attulerit, continuoſque labores, quos pro diuini nominis gloria, & exaltatione fidei catholicæ presbyteri dictæ Societatis ſupportant: cordi noſtro prouenit ſatisfactio, &c. Poſterior autem ſic pronunciat: Eccleſiæ catholicæ, cui Deo auctore præſumus, decor, atque vtilitas poſtulat, vt cum in omnibus illius membris fouendis, atque ornandis aſſiduè nobis laborandum ſit: in illa tamen præcipuam vigilantiæ noſtræ partem impendere debeamus, quæ non modò ipſa per ſe robur, ac pulcritudinem corpori huic myſtico afferunt; ſed cæteras etiam eiuſdem partes vel diſruptas conſolidare, vel integras cuſtodire,

72. Gregorii XIII. & XIV. elogium.

Digitized by Google

vel fœdatas eluere, atque etiam ornare valeant. Inter hæc autem quem locum obtineant Religioſi ordines, præſertim verò qui proximorum vtilitati deſeruiunt, non obſcurè perſpicimus; cum & ſuperiora tempora, & præſentia diligenter attendimus. In his verò Religio Societatis Ieſu, quam nouiſſimis hiſce diebus diuina prouidentia excitauit, adeo ſtrenuè laborauit, ac ſine intermiſſione laborat, vt illius vel turbationem, & infirmitatem, ad commune Eccleſiæ damnum; vel pacem, atque integritatem, ad eiuſdem vtilitatem, maximè pertinere putemus. Hucuſque Gregor. cuius hæc poſtrema verba diligenter ab aduerſariis notari & expendi velim.

73. Alterum Pauli V.

Et denique Paulus V. in Bulla *Quantum*, data pridie Non. Sep. an. 1606. Quantum, inquit, Religio Societatis Ieſu in Eccleſia ad fidei, pietatis, & religionis augmentum profecerit, & in dies magis proficiat, Nos ipſi ſcimus, & chriſtiana reſpublica nouit vniuerſa. Propterea illam diuerſimodè perturbare, & ab incepto retardare, malis artibus humani generis hoſtis quotidie nititur: è contra verò illam, & in ſuo laudabili propoſito confouere, & ad Inſtituti ipſius puritatem, & nitorem priſtinum retinendum adiuuare, in quo vno ſolo vis Religionis conſiſtit, procurarunt prædeceſſores noſtri, & Nos totis viribus contendimus. Et de his hactenus, quæ non vanæ oſtentationis causâ, ſed iuſtæ, atque neceſſariæ defenſionis contra inuidos, & maleuolos obtrectatores dicta ſint, vt obſtruantur ora loquentium iniqua. Velim autem ab illis notari verba illa Pontificis, *Propterea illam diuerſimodè* &c. vt intelligant quo ſpiritu ducantur.

SECTIO VII.

Potuerintne aliquæ functiones Hierarchicæ committi Regularibus ſine præiudicio Hierarchiæ eccleſiaſticæ?

74. Concluſ. affirm.

REſpondeo non poſſe ſine errore id negari. Nam qui vel negant, vel etiam in dubium reuocant, expreſsè damnantur erroris à Clemente IV. in Bulla, *Quidam temerè ſentientes*, data an. 1265. his verbis: *Eſſet erroneum dubitare an Papa in omnes, ſine alicuius conſenſu, imò inuitis quibuſlibet, huiuſmodi poſſit concedere facultatem*: iure ſcilicet, adeóque ſine cuiuſquâ præiudicio: qui enim vtitur iure ſuo, nulli facit iniuriam. Loquitur autem de facultate audiendi confeſſiones quorumcunque Chriſti fidelium conceſſa Religioſis Mendicantiũ ordinibus. Et S. Bonifacius Papa IV. Gregorii Magni ſucceſſor, in decreto relato cauſa 16. q. 1. cap. 25. *Sunt nonnulli*, inquit, *nullo dogmate fulti, audaciſſimè quidem, zelo magis amaritudinis, quàm dilectionis inflammati, aſſerentes Monachos, quia mundo mortui ſunt, & Deo viuunt, ſacerdotalis officii potentiâ ſegnes: neque pœnitentiam, neque chriſtianitatem*, (id eſt, baptiſmum) *largiri, neque abſoluere poſſe per ſacerdotalis officii, diuinitus ſibi iniunctam poteſtatem. Sed omnino labuntur* &c. *Nos verò credimus à ſacerdotibus Monachis ligandi, ſoluendique officium dignè adminiſtrari, ſicos dignè contigerit hoc miniſterio ſublimari.* Et inferiùs addit, *Decertantes igitur monaſticæ profeſſionis Presbyteros, ſacerdotalis potentiæ arcere officio, omni modo præcipimus, vt ab huiuſmodi nefandis auſibus reprimantur in poſterum: quia quantò quiſque eſt celſior, tanto eſt & in his potentior.* Hucuſque Summus Pontifex: qui cùm præcipit vt nemo eos arceat ab his functionibus exercendis, hoc ipſo ſignificat exerceri ſiue cuiuſquâ præiudicio, qui alioqui iurè poſſet ſe illis opponere. Suntque notanda illa verba, *ab huiuſmodi nefandis auſibus* &c.

75. Probatur efficaciter.

Confirmatur, quia non poteſt ſine errore, & intolerabili temeritate negari, iure fieri potuiſſe, adeóque ſine cuiuſquâ præiudicio, quod à pluribus Summis Pontificibus, imò etiam à pluribus Conciliis generalibus factum & ſtatutum eſt, totâque Eccleſiâ iampridem vſu receptum. Atqui plurimi Summi Pontifices, & plura Concilia generalia facultatem illam conceſſerunt Regularibus, qui eam vbique in tota Eccleſia Catholica iampridem exercent. Ergo non poteſt ſine errore, & intolerabili temeritate negari potuiſſe illis iure concedi, adeóque ſine cuiuſquam præiudicio. Maior eſt euidens. Quis enim ſanæ mentis credat tot Summos Pontifices, & Concilia generalia in re tanti momenti erraſſe: & eos, quorum maximè intereſt conſeruare hierarchiam eccleſiaſticam, voluiſſe illi præiudicium inferre? Minor probatur inductione.

76. Facultas audiendi confeſſiones Eccleſia Regularibus.

Nam primò quidem S. Gregorius magnus ante mille annos ſtatuit, vt *Sacerdotibus Monachis, Apoſtolorum figuram* (id eſt formam viuendi) *tenentibus liceat prædicare, baptizare, communionem dare, pœnitentiam imponere, pro peccatoribus orare, atq; peccata ſoluere*: vt refertur cauſa 16. q. 1. cap. *Ex auctoritate*. Deinde eandem facultatem audiendi confeſſiones, illis conceſſerunt, aut conceſſam approbarũt, & confirmarunt Bonifacius IV. in decreto ſupra relato, Gregorius IX. in Bulla *Quoniam abundauit iniquitas*, Innocentius IV. in Bulla *Animarum ſalutem*, Alexander IV. in Bulla *Cum olim quidam temerè*, Clemens IV. in Bulla *Quidam temerè ſentientes*, Martinus IV. in Bulla *Ad fructus vberes*, Bonifacius VIII. in Extrauagante *Super Cathedram*, de ſepult. Benedictus XI. Extrauag. *Inter cunctas*, de priuilegiis, Clemens V. in Clementina *Dudum*, de ſepulturis, Ioannes XXII. Extrauagante *Vas electionis*, de Hæreticis: Eugenius IV. in Bulla *Commiſſam nobis coelitus*, Nicolaus V. in Bulla *Sanctus populus*, Leo X. in Bulla *Dum intra mentis arcana*,

edita in Concilio Lateran. Paulus III. in Bulla *Cum inter cunctas*, & Bulla *Licet debitum*, Paulus IV. in Bulla *Cum sicut exponi nobis fecerunt*, Gregorius XIII. in Bulla *Etsi per priuilegia*. Clemens VIII. in Breui *Significatum nobis fuit*, Paulus V. in Bulla *Quantum Religio*, Vrbanus XIII. in Bulla *Alias foelicis recordationis*, & Bulla *Inplenitudinem potestatis Apostolicæ*: & qui nunc feliciter sedem Apostolicam tenet Innocentius X. eandem facultatem confirmauit, & contra impugnantes protexit auctoritate Pontificia, in Breui dato 7. Februarii, anni 1645. quod integrum retulimus disp. 53. sect. 7. vbi fusiùs hac de re disserumus, & plurium aliorum Pontificum modò nominatorum verba expressa retulimus. Eandem quoque facultatem Regularibus dederunt Concilia Generalia Vienennse sub Clemente V. in Clementina *Dudum*, & Lateran. sub Leone X. in Constitutione quæ incipit, *Dum intra mentis arcana*, editâ sacro aprobante Concilio. Et Tridentinum manifestè confirmat, & approbat facultatem audiendi confessiones illis datam, sess. 23. cap. 15. de Reform. quando statuit, vt regulares possint audire confessiones sæcularium, dummodo sint ab Episcopo approbati.

77. Et facultas cõcionãdi.

Concionandi verò facultatem eisdem concesserunt S. Gregorius Magnus verbis relatis initio sect. & plures alii ex Pontificibus suprà nominatis: vt Gregorius IX. in Bulla *Quoniam abundauit iniquitas*, his verbis: *Admonentes populos nobis commissos vt ex ore ipsorum verbum Dei deuotè suscipiant: nec impediatis* (loquitur Episcopis, & Parochis) *quò minùs illi, qui ad prædicationem eorum accesserint, eorum sacerdotibus valeant confiteri.* Et Bonifacius VIII. in Extrauag. *Super Cathedram*, cuius verba sunt: *Auctoritate apostolica statuimus, & ordinamus, vt dictorum ordinum fratres in Ecclesiis & locis eorum, ac in plateis communibus liberè valeant clero, & populo prædicare, ac proponere verbum Dei.* Vbi nota Bullam hanc referri, & confirmari in Clementina *Dudum*, de sepulturis, edita instante, & approbante generali Concilio Viennensi: fuisseque datam á Bonifacio non obstantibus quorumdam Episcoporum querimoniis, quas minoris momenti esse, communique bono Ecclesiæ posthabendas meritò censuit. Et Clemens IV. in Bulla, *Quidam temerè*, Auctoritate, inquit, Apostolica districtius inhibemus, *ne quisquam super his, vel eorum aliquo, vos, vel aliquem vestrum, aut etiam confitentes vobis, vel ad prædicationes vestras accedentes molestare præsumat.* Et Benedictus XI. Extrauag. *Inter cunctas*, tit. De priuilegiis, *Statuimus*, inquit, *de Fratrum nostrorum consilio, vt prædictorum ordinum Fratres, qui ad hoc deputati fuerint, in Ecclesiis, ac locis ipsorum, ac in plateis communibus, seu publicis, liberè absque diœcesanorum, & aliorum prælatorum licentia valeant prædicare clero, & populo, & ei verbum Dei proponere.* Et Gregorius XIII. in bulla *Etsi per priuilegia*, specialiter hanc facultatem concedit Religiosis Societatis Iesu his verbis: *Motu proprio, certâque scientiâ nostrâ plenam vobis licentiam in perpetuum tribuimus, vt Societatis vestræ Presbyteri ad id à superioribus deputati, in quibusuis illius Ecclesiis, necnon plateis publicis concionari, & in illis, vel Oratoriis, aut aliis condecentibus locis confessiones audire, & alia iuxta priuilegia vestra facere, & pariter vt omnes Christi fideles ad conciones, & Missas audiendas, confessiones que faciendas, quoties eis placebit, sine scrupulo accedere, & sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, resurrectionis die dominicæ dumtaxat excepto, suscipere liberè possint, Rectorum, aut ordinariorum assensu, aut quorumcunque aliorum consensu, vel licentiâ minimè requisitâ.*

Et denique, vt alia multa eiusdem generis præteream, eandem facultatem Regularibus concessam esse supponit Trident. sess. 5. cap. 2. Decreti de Reformat. & sess. 24. cap. 4. de Reformatione. Vbi tamen quod ait, vt *Nullus sæcularis, siue Regularis etiam in Ecclesiis suorum ordinum contradicente Episcopo prædicare præsumat*: non est intelligendum de religiosis ordinum mendicantium, quando à suis Generalibus, aut Prouincialibus deputantur, & concionantur in suis ipsorũ Ecclesiis: vt declarauit Pius V. in Bulla *Ad hoc nos Deus*, datâ anno 1568. §. *Et inter cætera*, & in Bulla, *Etsi mendicantium*, vbi enumeratis quadraginta, & vno excessibus, & grauaminibus Prælatorum, & Parochorum contra Regulares, sic loquitur: Ac propterea volentes præmissis, ac aliis excessibus similibus, & grauaminibus ex nostri pastoralis officii debito prouidere; attendentes etiam illos, qui onus diei, & æstus, tam in prædicationibus, quam in cæteris spiritualibus muneribus quotidie sustinent, nisi etiam aliquantisper subleuentur, facilè fore, vt oppressi à suis officiis omnino desistant: ne in posterum eis aliquod inferatur grauamen, Concilii Tridentini huiusmodi decreta, quorum falsâ, seu minùs verâ intelligentiâ, præmissa irrepserunt, quorumque declaratio non nisi ad nos spectat, modo, & forma infra scriptis declarandum censuimus. Nos igitur Motu proprio, non ad alicuius instantiam, sed de mera deliberatione, & ex certa scientia nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine declaramus, canonem sessionis 24. cap. 4. per quem omnibus Regularibus, etiam in suorum ordinum Ecclesiis contradicente Episcopo, prædicationis officium interdicitur, Mendicantium ordinum fratres huiusmodi, quando à suis Generalibus, vel eorum Ministris Prouincialibus ad id deputati fuerint, non comprehendere, nec eos afficere posse. Imò volumus quòd in suis Ecclesiis, quando eis placuerit, licitè & absque vllo impedimento, vel contradictione, etiam Episcopi, (nisi ipse prædicauerit) prædicare possint. Et paulò post: Statuimus etiam quòd ille, qui semel in vna

78. An etiam cõtradicente Episcopo?

diœceſi admiſſus per Epiſcopum fuerit, ſemper in eadem diœceſi habeatur pro admiſſo, nec ampliùs examinari, vel præſentari in dicta diœceſi debeat, tam quoad prædicationes faciendas, quàm quoad confeſſiones audiendas. Quæ duæ Bullæ referuntur à Stephano Quaranta in Summa Bullarii V. *Priuilegia Regularium*. Eſtque notandum Bullam Gregorii XIII. quâ prædictam Bullam Pii V. reuocare voluit ad terminos iuris antiqui, & Tridentini, non exiiſſe, id eſt, non fuiſſe, promulgatâ, adeòque vim non habere; vt affirmant Nauarr. teſtis oculatus, in fine capitis 27. Summæ Latinæ, quam ipſimet Gregorio XIII. dedicauit: Portellus parte 2. caſu 26. num. 6. Henriq. lib. 7. de Indulgentiis cap. 24. num. 8. & lib. 3. de Pœnitentia cap. 6. n. 6. in comment. lit. R. Rodriguez in addit. ad ſummam, tom. 4 cap. 105. Llamas in methodo part. 1. cap. 7. §. 6. Sorbo in Compendio priuilegiorum V. *Proteſtiones*, §. *Antencantur*, Thomas à Ieſu De procuranda omnium gentium ſalute lib. 12. cap. 8. Cokierius 2. p. in 2. 2. quæſt. 123. & Diana parte 3. tract. 2. reſolut. 107.

79. Altera declaratio Vrbani VIII.

Similem declarationem, quoad prædicandi facultatem dedit Vrbanus VIII. per Bullam editam 30. Ianuarii anni 1629. Pontificatus ſui anno 6. Quæ incipit, *Alias à nobis*, habeturque apud Barboſam in lib. de officio, & poteſtate Epiſcoporum, poſt partem tertiam, titulo, *Bullæ, & conſtitutiones*, his verbis: *Quod vero dicitur Regulares non poſſe verbum Dei prædicare ſine Epiſcopi licentia, id locum ſibi vendicat in his tantum Eccleſiis, quæ ſui ordinis non ſunt: cùm in aliis Eccleſiis ſui ordinis ſufficiat Epiſcopi benedictio petita, licet non obtenta. Ita tamen vt ſi Epiſcopus non modò benedictionem ſimpliciter non conceſſerit, verùm etiam Regularibus prohibuerit quominùs prædicent: Tunc illo contradicente in ſui quidem ordinis Eccleſiis liceat illis prædicare, quemadmodum ſacri Concilii Tridentini decretis ſalubriter eſt cautum.* Dummodo tamen errores in concionibus non diſſeminent, vt ait Tridentinum ead. ſeſſ. 5. cap. 2. §. *Si verò quod abſit*. Si enim hoc faciunt, non poſſunt concionari contradicente Epiſcopo: & alioqui verè præſumunt contra mentem & intentionem Concilii, quod ſicut approbare noluit hac in parte irrationabiles Epiſcoporum contradictiones, id eſt, factas ſine cauſa rationabili, & manifeſta; ita certè non voluit improbare rationabiles, cuiuſmodi eſt iſta, quando concionator errores, aut ſcandala diſſeminat. Dummodo etiam benedictionem ab Epiſcopo petierint, iuxta eiuſdem Concilii ſtatutum eodem cap. 2. de Reformat. §. *Si quæ verò*, quamuis non obtinuerint, vt declarauit Vrbanus VIII. verbis modò relatis, & ſacra Congregatio Cardinalium circa idem caput, verſu *Etiam in Eccleſiis*, num. 5. in hunc modum: *Regulares in Eccleſiis ſuorum ordinum prædicare volentes non tenentur ab Epiſcopo licentiam obtinere, ſed tantùm à ſuis ſuperioribus de vita, & moribus, & ſcientia examinari, & approbari debent, ac ab eis habere licentiam, & cum ea ſe perſonaliter coram Epiſcopo præſentare, ab eoque petere benedictionem, tametſi eam non obtineant.* Eſtque aduertendum circa huiuſmodi declarationem Congregationis Cardinalium, aliaſque ſimiles, eundem Vrbanum VIII. per conſtitutionem, quæ incipit, *In plenitudinem poteſtatis*, an. 1625. tertiò Idus Maii. Pontificatus anno 2. priuilegiorum, & indultorum ordini Prædicatorum, & conſequenter aliis ordinibus, qui eorum priuilegiis, & indultis participant, conceſſorum declarationes, & decreta à congregationibus Venerabilium S. R. E. Cardinalium deſuper legitimè emanata, Apoſtolica auctoritate approbaſſe, confirmaſſe, innouaſſe, ac de nouo conceſſiſſe, illiſque inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adieciſſe, ac omnes & ſingulos, tã iuris, quàm facti, & quoſuis alios quantumuis ſubſtantiales defectus, ſi deſuper interuenerint, ſuppleuiſſe. Aduertendum etiam ex declaratione data ad Tridentinum ſeſſ. 5. cap. 2. verbo, *In Eccleſiis verò*, num. 7. Ordinarium, etiam præſuppoſita conſuetudine deputandi concionatores in Eccleſiis Regularium, ſiue Regulares alterius ordinis, ſiue ſæculares; debere cæteris paribus præferre prædicatores eiuſdem ordinis, ſi haberi poſſunt. Multò ergo magis non præſuppoſita illa conſuetudine, imò præſuppoſitâ contrariâ, vt ſoli Regulares ordinis in eis concionentur.

80. Facultas adminiſtrandi Euchariſtiam eiſdem ab Eccleſia.

Denique eiſdem Regularibus facultatem adminiſtrandi fidelibus Euchariſtiam in ſuis Eccleſiis, excepto die Dominicæ reſurrectionis, conceſſerunt Nicolaus V. in Bulla *Scimus populos*, Sixtus IV. in Bulla *Regimini vniuerſalis Eccleſiæ, meritis licet inſufficientibus*, vbi etiam permittit illis dare viaticum, & ſacramentum Extremæ vnctionis perſonis ſibi confeſſis, quibus Parochi ſine cauſa rationabili denegauerint, vel malitiosè diſtulerint. Idemque ſpeciatim conceſſit Patribus Auguſtinianis per aliam Bullam, quæ incipit, *Dum fructus vberes*: & Religioſis Societatis Ieſu peculiariter eãdem facultatem adminiſtrandi Euchariſtiam conceſſerunt, aut confirmarunt Paulus III. in Bulla *Licet debitum*, Gregor. XIII. in Bulla *Etſi per priuilegia*. Clemens VIII. in Breui, *ſignificatum nobis fuit*: aliique plures Summi Pontifices, tum iiſdem, tum aliis Regularibus hanc facultatem dederunt vt videre eſt in Bullis à Rodrigue relatis in noua collectione priuilegiorum Apoſtolicorum quorumcunque Regularium: in quibus etiam alia quædam illis data continentur: ſed nos omnia enumerare hoc loco non ſuſcepimus ſed oſtendere tantùm potuiſſe concedi ſine præiudicio Eccleſiaſticæ Hierarchiæ: quandoquidem à tam multis Hierarchiæ principibus, eius bonum, & ius maximè procurantibus conceſſa fuerunt.

81. Cur illæ facultates eis concessæ

Ad quod amplius confirmandum addi tertiò possunt rationes, quibus moti Summi Pontifices, & Concilia generalia id statuerunt, nec vllis ordinariorum, aut Parochorum querelis induci hucusque potuerunt, vt concessionem illis datam reuocarent: sed potiùs non obstantibus quorumcunque oppositionibus eam magis, ac magis confirmarunt, vt in Bullis, & constitutionibus suprà citatis videre est. Primò scilicet, fructus eximii, quos Ecclesiæ pepererunt Regulares exercendo fideliter, & vtiliter functiones sibi commissas, inter fideles, & infideles; vt testantur ipsimet Summi Pontifices in Bullis supra relatis: & res experientiâ ipsâ notior est, quàm vt ab inuidis & malcuolis dissimulari queat. Secundò, doctrina & vitæ probitas eximia Regularium, institutum suum exactè seruantium quæ eos reddit aptiores ad exercitium huiusmodi functionum: iuxta illud S. Bonifacii Papæ IV. *Quanto enim quisque est celsior* (doctrinâ, & virtute) *tanto est & in his potentior.* Tertiò, necessitas, vel vtilitas fidelium, & infidelium: quorum plerique destituerentur pabulo verbi Dei, & vsu sacramentorum, nisi à Regularibus illis administrarentur, præsertim apud barbaras nationes quibus vix alii, præter Regulares, lucem Euangelii inferunt, contemptis, & superatis ingentibus difficultatibus, & periculis ad eos accedendi, & inter eos commorandi. Præsertim etiam inter fideles tempore pestis, quo vix vlli, nisi Regulares, vitam suam exponunt manifesto periculo, vt moribundos consolari, & sacramentis necessariis munire possint: Quartò, libertas fidelium accedendi ad eos, quibus liberiùs, & sine sacrilegii periculo confiteri valeant: vel à quibus sperant, aut sentiunt se meliùs iuuari, & ad christianam perfectionem efficaciùs dirigi, quosque Deus à sæculari vita transtulit ad eos regulares ordines, qui ex instituto, cæteris omnibus posthabitis nihil aliud sectantur, nisi vt propriæ perfectioni, & proximorum saluti incumbant. Quales sunt fere omnes, qui ab annis quingentis instituti fuerunt. Sextò, vt Summus Pontifex per eos exerceat vniuersalem, & suprenam iurisdictionem, quam habet in totam Ecclesiam, siue mittendo speciatim in varia loca ad fideles iuuandos, aut infideles conuertendos: siue etiam generaliter illis vbique velut à se delegatis vtendo, vt collaborent Euangelio, & Ecclesiæ seruiant, pro mensura potestatis illis concessæ, iuuentque Pastores ordinarios, in ferendo grauissimo onere ipsis imposito. Quod non eis molestum, sed potiùs gratum esse debet. Vt enim rectè ait D. Bonauentura in Apologia pauperum, responsione 4. cap. 3. *Bonorum Pontificum est non tam patienter ferre, quàm desideranter appetere cooperatores Euangelicos ad multitudines diuinarum messium colligendas.* Et paulo post: *Pensatis igitur multiformi vtilitate, ac necessitate salutis animarum, numerositate indigentium plebium, & raritate sufficientium ministrorum, nulli debet videri iniuriosum, & superfluum, si coelesti Hierarchiæ placuit aliquos ad hoc opus, etsi non necessitate constrictos, sed charitate inuctos eligere, quos & subcoelestis Hierarchia voluit, & debuit approbare. Petrique successor piè prouidet saluti animarum, & in nullo præiudicat auctoritati Pontificum: tanquam ornans, non deornans ecclesiasticam Hierarchiam, dum mittit Religiosos.*

82. Non fit Parochis aut Episc. præiudicium.

Idemque fere iisdem verbis affirmat Doctor Angelicus S. Thomas opusculo 19. cap. 4. prope finem, sic dicens: *Papa non destruit ecclesiasticam Hierarchiam, cùm mittit Religiosos in vineam Domini ad prædicandum, & confessiones audiendas.* Et in 4. dist. 17. q. 3. artic. 4. quæstiunc. 3. ad 1. Præiudicium, inquit, non fit alicui, nisi subtrahatur quod est in fauorem eius indultum. Iurisdictionis autem potestas non est commissa alicui homini in fauorem ipsius, sed in vtilitatem plebis, & in honorem Dei. Et ideo si superioribus Prælatis expedire videatur ad salutem plebis, & honorem Dei promouendum, quæ sunt iurisdictionis alicui committere: in nullo propterea fit præiudicium inferioribus Prælatis, nisi illis, qui quærunt, quæ sua sunt, non quæ Christi Iesu, & qui gregi præsunt, non vt pascant, sed vt ab eo pascantur. Hæc ibi D. Thomas occasione priuilegii concessi Regularibus audiendi confessiones sæcularium quouis tempore, sine licentia Parochorum, vel ordinariorum: quibus similia, & iisdem fere verbis scribit opusculo sup. cit. aliquantò ante finem.

83. Priuilegia illa sunt in fauoré sæcularium.

Addo hæc priuilegia concessa Regularibus non tam cedere in eorum fauorem, quàm ipsorum sæcularium spiritualem vtilitatem: sique contingat vsum illorum impediri contra ius, & fas; posse, ac debere non solùm à iudicibus ecclesiasticis, sed etiam, si isti nolint, aut, quod peius est, aduersarios se præbeant, à iudicibus regiis contra iniustam violentiam protegi, vt rectè probat Salgado lib. 1. de Regia protectione vi oppressorum, appellantium à iudicibus ecclesiasticis, part. 1. cap. 1. num. 95. Possunt enim, ac debent regii iudices ius vnicuique suum seruare, & regis subditos quoscunque, Regulares æque ac alios, contra iniustos oppressores tueri, exemplo S. Ludouici, qui Guillelmum de Sancto amore pœnâ debitâ mulctauit an. 1263. propterea quòd iura, & priuilegia Religiosorum libro edito impugnasset. Debent etiam compescere, tanquam perturbatores pacis, & quietis publicæ, eos qui spoliare nituntur fideles libertate sibi à tot Summis Pontificibus, & Conciliis generalibus concessâ, tamque longa possessione toto orbe christiano firmatâ, ipsoque vsu diuturno Regum, & Principum, ac supremorum iudicum approbatâ: omnes enim passim illâ vtuntur confitendo Regularibus, eorum

Digitized by Google

conciones audiendo, ſacramentum Euchariſtiæ ab illis accipiendo, & in eorum Eccleſiis ad ſacra, feſtis etiam diebus accedendo, vt Eccleſiæ præcepto de ſacro audiendo ſatisfaciant. Atque hoc fidelibus, Regularibuſque præſidium contra Apoſtolicorum priuilegiorum contemptores & impugnatores egregiè præſtiterunt interea dum hæc in lucem ederemus, tum Sanctius Regis Chriſtianiſſimi, ſecretiuſque conſilium, tum etiam ampliſſimus illuſtriſſimuſque Senatus Burdegalenſis, editis pluribus decretis contra quoſdam Prælatos Regularibus parum æquos, ne dicam infenſos, quorum nomen, ne quenquam priuatim perſtringere videar, malo ſilentio præterire, quàm poſteritati tradere.

Quæ autem præcipuè opponi ſolent contra veritatem adeo manifeſtam, fuerunt alibi ſoluta diſput. 53. ſect. 8. neque alia ſunt, quàm quæ tempore ſanctorum Thomæ, & Bonauenturæ, fuerunt obiecta, ſæpiúſque Summis Pontificibus à Regularium hoſtibus, & impugnatoribus Apoſtolicorum priuilegiorum propoſita: atque iam pridem à duobus illis ſanctis Doctoribus accuratè refutata, & à Summis Pontificibus ſemper reiecta, veluti futilia, & prætextu zeli Hierarchiæ ſiniſtros quoſdam affectus obuelantia. Legantur D. Thom. opuſc. 19. præcipuè cap. 4. & D. Bonauent. parte 4. Opuſculorum præcipuè Opuſc. 4. cuius titulus eſt, *Quare Fratres Minores prædicent, & confeſſiones audiant?* & Opuſc. 9. quod inſcribitur, *Apologia pauperum*, cap. 3.

84

DISPVTATIO SEXAGESIMA NONA

De ſacramento Matrimonij.

Sectio I.	*An Matrimonium ſit ſacramentum nouæ legis propriè dictum?*
Sectio II.	*Soluuntur argumenta contra doctrinam propoſitam.*
Sectio III.	*De materia, & forma huius ſacramenti.*
Sectio IV.	*Refutantur aliæ ſententiæ, & ſtatuitur vera.*
Sectio V.	*Corollaria ex præcedentibus: deque miniſtro, & ſubiecto ſacramenti Matrimonii.*
Sectio VI.	*Poſſitne ratio Sacramenti ſeparari à contractu Matrimonii inter Chriſtianos?*
Sectio VII.	*Poſſitne Matrimonium priùs contractum ciuiliter, fieri poſtea ſacramentum?*
Sectio VIII.	*De inſtitutione, & præcepto, & fine Matimonii.*

MATRIMONIVM à matre dicitur, eò quòd incatur vt vxor mater fiat, inquit D. Auguſt. lib. 19. contra Fauſtum cap. 26. Et à matre potiùs, quàm à patre nuncupatur, eò quòd in prole ſuſcipienda, & educanda mater plus operæ impendat, vt habetur in cap. *Ex literis*, De conuerſione infidelium. Dicitur item Connubium, & Nuptiæ, à velo quo ex antiqua cerimonia teguntur virgines, & obnubuntur, quando maritis traduntur: necnon Coniugium, eò quòd duos ſub eodem veluti iugo ſocietatis perpetuæ coniungat. De hoc autem ſacramento, & contractu Matrimonii plura dicturi, incipiemus ab explicatione

institutionis illius, & essentiæ, cum D. Thoma q. 41. & 44. Supplementi, quarum summa hæc est.

In prima, docet Matrimonium esse de iure naturæ, seu naturale: non eo sensu, quo naturale dicitur id quod ex naturæ principiis necessariò causatur: sed quo tale dicitur id, ad quod natura inclinat, ita tamẽ, vt mediante libero arbitrio impleatur. Natura enim ad illud inclinat, & propter bonum prolis conuenienter suscipiendæ, & educandæ: & propter fidele obsequium sibi mutuò præstandum à coniugibus in rebus domesticis. Cùm tamen matrimonium vitam contemplatiuam maximè impediat, cui ex tota multitudine hominum expedit aliquos incumbere, non tenentur omnes, & singuli ex præcepto ad matrimonium contrahendum: sed inclinationi naturæ satisfit, cùm per diuersos diuersa vitæ humanæ officia exercentur. Dubitandum verò non est actum, & vsum matrimonii licitum esse: quia non potest dici quòd ea quæ pertinent ad conseruationem naturæ corporalis, & ad quæ natura inclinat, sint vniuersaliter mala. Et ideo cùm inclinatio sit naturæ ad sobolis procreationem, per quam natura speciei conseruatur, dici non potest actum quo illa procreatur, esse illicitum vniuersaliter, ita vt in eo medium virtutis reperiri nequeat. Tale autem medium ponitur per matrimonium legitimum. Quin etiam actus ille in iustis, & Deo gratis, meritorius est, si fiat ex motiuo iustitiæ, ad debitum reddendum: vel ex motiuo religionis, vt proles ad cultum Dei procreetur.

In secunda affirmat Matrimonium esse sacramentum: quia per signa sensibilia exhibet homini remedium sanctitatis contra peccatum. Et prout est in officium naturæ ad procreationem prolis, fuisse institutum ante peccatum: quia illa procreatio erat necessaria ad propagationem generis humani, etiam peccato non existente. Prout verò est in remedium peccati, non fuisse institutum nisi post peccatum, quia tunc solùm fuit opus remedio contra vulnus peccati: Habereque vt conferat gratiam iuuantem ad illa operanda, quæ in matrimonio requiruntur: dummodo contrahatur in fide Christi. Cùm autem duplex sit rerum integritas: vna quæ attenditur secundum perfectionem primam, quæ consistit in ipso esse rei: altera quæ attenditur secundum perfectionem secundam, quæ consistit in operatione: commixtio carnalis est de integritate matrimonij hoc posteriori modo: quia est quædam operatio, siue vsus matrimonij, per quod facultas ad hoc datur.

In tertia dicit Matrimonium esse coniunctionem quandam viri, & vxoris, ad generationem, & educationem prolis, & ad vitam domesticam. Cúmque præcipuè incumbat matri educandæ prolis officium, meritò ab illa denominatum fuisse matrimonium, quasi matris munium. Dicitur tamen alio nomine Nuptiæ, eo quòd in solemnitate desponsationis, quâ matrimonium perficitur, capita nubentium velantur: & Coniugium, quia est viri, & mulieris coniunctio. Definiri autem sic potest: Matrimonium est coniunctio maritalis inter legitimas personas, individuam vitæ societatem retinens. Quæ definitio

tangit

tangit essentiam matrimonii, nempe *coniunctionem*: & addit determinatum subiectum in eo quod dicit, *inter legitimas personas*. Ponit etiam differentiam contrahentem ad speciem, in eo quod dicit *Maritalis*: quia cùm matrimonium sit coniunctio in ordine ad aliquid vnum; talis coniunctio in speciem trahitur per illud, ad quod ordinatur: & hoc est id, quod ad maritum pertinet. Ponit etiam virtutem huius coniunctionis, quia est indissolubilis, in hoc quod dicit, *Individuum*, &c. Huc vsque D. Thomas, cuius doctrina sequentibus sectionibus magis elucidabitur.

SECTIO I.

An Matrimonium sit Sacramentum nouæ legis propriè dictum?

1. Conclusio affirmatiua probatur ex Conciliis.

Conclusio affirmatiua est de fide. Probatur ex generali definitione Ecclesiæ, quæ vt ait Apost. 1. Tim. 3. est columna, & firmamentum veritatis: & sine cuius traditione atque doctrina, nullius Sacramenti veritas, & proprietas nobis integrè constat: cuius denique auctoritas bonis atque modestis Ecclesiæ filiis, satis superque deberet esse, tametsi alia firmamẽta deessent. Sic autem ab ipsa definitũ est in Concilio Florent. in Decreto Eugenii post vltimam Sessionem §. *Nouæ legis*, &c. vbi matrimonium ponit inter septem Ecclesiæ Sacramenta gratiam ita significantia, vt illam quoque contineant, & recipientibus conferant, quæque in eo dicit antecellere Sacramentis veteris legis. Et in Trid. sess. 7. can. 1. de sacramentis in genere, vbi definit septem esse, nec plura, nec pauciora nouæ legis sacraméta à Iesu Christo Domino nostro instituta, inter quæ recenset matrimonium. Et can. 6. addit eadem Sacramenta continere gratiam, quam significant, eamque conferre non ponentibus obicem. Et speciatim sess. 24. can. 1. definit sub anathemate, Matrimonium verè, ac propriè legis nouæ sacramentũ esse, gratiamque conferre. Et cap. præcedenti §. *Cum igitur*, dicit matrimonium in lege Euangelica veteribus cõnubiis per Christum gratiã præstare, ideoque meritò inter sacramenta nouæ legis numerandum esse, vt SS. Patres, Concilia, & vniuersalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt.

Quibus Conciliorum definitionibus damnantur erroris non modò hæretici huius tẽporis, & Durand. ac si qui alii negarunt Matrimonium esse verè & propriè sacramentum nouæ legis, efficax gratiæ sanctificantis: verùm etiam illi qui senserunt fuisse tale ab ipso mundi initio, non autem in lege Euangelica à Christo institutum: vt refert Vasq. disput. 2. de Matrimonio cap. 2. num. 6. & 7. Nam Florentinum dicit esse vnum de septem sacramentis nouæ legis, excellentibus supra sacramenta legis veteris, id est, legis naturæ, Mosaicæ, in eo quòd non significant tantùm, sed etiam continent, & conferunt gratiam. Tridentinum verò dicunt esse vnum de septem sacramentis Ecclesiæ à Christo institutis: & veteribus connubiis gratia præstare, id est, addere efficaciam gratiæ ciuili contractui, qui antea illam tantùm vtcunque significabat.

2. Probatur ex Patribus

Idem denique ex Ecclesiæ sensu ante annos quadringentos testati sunt Lucius tertius in cap. *Ad abolendam*, de hæreticis, vbi anathematis perpetui vinculo innodat vniuersos qui de Sacramento corporis, & sanguinis D. N. I. C. vel de Baptismate, seu de peccatorum confessione, Matrimonio, vel reliquis ecclesiasticis sacramentis aliter sentire, aut docere nominentur, quàm sacrosancta Romana Ecclesia prædicat, & obseruat. Vbi nota Matrimonium numerari cum Eucharistia, & aliis Ecclesiæ sacramentis propriè dictis, & sine dubio signis efficacibus gratiæ à Christo institutis. Ante annos verò mille circiter & ducentos idem testati sunt Ambrosius, Augustinus, Innocentius primus, aliique veteres, vt patebit ex sequentibus eorum testimoniis. Ambrosius quidem epistola sexagesima sexta, ad Paternum, & libro sexto in Lucam capite octauo, & libro primo de Abraham capite septimo, prope initium, & Sanctus Leo epistol. 92. ad Rusticum Narbonensem Episcopum cap. 4. matrimonium Sacramenti nomine simpliciter, & absolutè nuncupant. Idemque facit Diuus Augustinus pluribus locis: vt libro de bono coniugali cap. 18. vbi sic ait initio capitis, *Sacramentum nuptiarum temporis nostri sic ad vnum virum, & ad vnam vxorem redactum est, vt dispensatorem Ecclesiæ non liceat ordinare, nisi vnius vxoris virum.* Et in fine eiusdem capitis hæc addit: *In nostrarum nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas veteri.* Et cap. 24. eiusdem libri, *Bonum*, inquit, *nuptiarum per omnes gentes in causa generandi est, & in fide castitatis: quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti.* Et libro primo de nuptiis, capite decimo. *Cuius*, inquit, *sacramenti tanta obseruatio est in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius, hoc est, in Ecclesia Christi,*

Et paulò post, idem sacramentum confert cum Baptismo, sic dicens: *Manet autem*, (in perperam se separantibus) *ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis: sicut Apostata anima velut de coniugio Christi recedens, etiam fide perditâ, sacramentum fidei non amittit, quod lauacro regenerationis accepit.* Idem cum Ordinis sacramento Matrimonium confert, libro de bono coniugali cap. 24. cùm ait: Sicut is qui remouetur ab officio, semper retinet characterem, & Ordinem: sic eum, qui aliam ducit vxorem viuente prima, prius matrimonium, & sacramentum Domini semper retinere.

3. Expéditur testimonia D. August.

Atque hæ duæ comparationes Matrimonii cum Baptismo, & Ordine, valdè notandæ sunt. Notandum etiam quòd matrimonium toties tam simpliciter, & absolutè sacramentum vocet. Quod de nulla re alia fecit Augustinus, quæ impropriè sacramentum sit. Nam, verbi gratiâ, panem Catechumenorum semel tantùm sacramentum nominauit libro secundo de peccatorum meritis, & remissionibus cap. 26. admonuitque panem illum non esse corpus Christi, neque sufficere Catechumenis ad salutem. Notandum præterea quòd libro de bono coniugali verbis supra relatis significat matrimonium non esse sacramentum nisi in Ecclesia Christi: & per hoc matrimonium Christianorũ distinguit à matrimoniis infidelium. At matrimonia legitima infidelium sunt etiam vera matrimonia, & lato modo sacramenta: sunt enim illa quoque signa coniunctionis inter Christum, & Ecclesiam; atque ita sunt signa rei sacræ, & lato modo sacramenta: sicque appellantur ab Innocentio III. in cap. *Gaudemus*, de Diuortiis. Quare per rationem sacramenti latè sumpti pro mero signo rei sacræ, non potuit Augustinus matrimonium Christianorum distinguere à matrimonio infidelium: multóque minùs à matrimoniis antiquæ legis, de quibus hæretici ipsi fatentur illud Apostoli intelligendum esse Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est*, &c. Loquitur ergo D. Augustinus de sacramento strictiùs sumpto, & magis propriè, quàm pro signo quocunque rei sacræ.

4. Occurritur obiectioni.

Neque obest quod Vasques opponit disp. 2. de Matrimon. cap. 5. D. Augustinum nusquã exprimere effectum gratiæ in matrimonio. Neque enim opus fuit, vt omnium sacramentorum effectus exprimeret. Vnitatis autem, & insolubilitatis ideo toties, ac fere solius meminit, quòd in dubium suo tempore à quibusdam hæreticis vocaretur, propter futiles quasdam rationes, quibus etiam nunc vtuntur Nouatores, vt inferiùs apparebit. Effectus autem gratiæ meminit Sanctus Ambros. lib. 1. de Abraham cap. 7. fere initio, cùm ait eum, qui alterius nuptam ducere cupit in vxorem, *peccare in Deum, solvere gratiam, & ideo quia in Deum peccat, sacramenti cœlestis amittere consortium.* Et S. Innocentius I. Augustini, & Ambrosij contemporaneus epistol. 9. quæ est ad Probum, vbi interrogatus de quodam secundo coniugio contracto viuente adhuc priore coniuge, sic respondet: *statuimus fide catholica suffragante illud esse coniugium, quod primitus erat gratiâ fundatum.* Plura eiusmodi sanctorum Patrum testimonia videri possunt apud Vasquem disp. cit. cap. 4. Bellarm. lib. de matrimon. cap. 3. Valent. tom. 4. disp. 10. q. 1. puncto 5. & Coccium tom. 2. lib. 9. art. 1.

5. Antiqua veneratio huius sacramenti.

Magnam quoque Sacramenti huius ab initio in Ecclesia Christi venerationem fuisse testantur Euaristus antiquissimus Pontifex, quippe qui sextus à Petro numeratur epist. 1. cap. 2. Tertull. lib. 2. ad Vxorẽ c. 9. Concilium Carthag. IV. cui D. Augustinus adfuit, can. 13. Syricius Papa epist. 1. cap. 4. & Ambros. epist. 70. quæ est ad Vigilium, non longè ab initio. Nam Euaristus epist. 1. quę est ad omnes Episcopos Africanos cap. 2. & refertur can. *Aliter* 30. qu. 5. testatur matrimonium velut rem sacram tractari, & cum ritibus sacris, & precibus atque oblationibus à sacerdotibus benedici consueuisse. *Sicut*, inquit, *à Patribus accepimus, & à Sanctis Apostolis, & eorum successoribus traditum inuenimus.* Illius etiam benedictionis, quam sponsus & sponsa consueuerunt semper accipere à sacerdote, meminit Concilium Carthag. loco cit. & Ambros. cuius verba hæc sunt. *Nam cùm ipsum coniugium velamine sacerdotali, & benedictione sanctificari oporteat: quomodo potest coniugium dici, vbi non est fidei concordia?* Ritus quoque oblationis, quo in missæ sacrificio matrimonia ex traditione Apostolorum benedici & confirmari consueuerunt, meminit præter Euaristum Tertullianus loco cit. matrimonium Christianorum laudans eò quòd ipsum *Conciliet Ecclesia, & confirmet oblatio.* Et Syricius Papa epist. cit. vbi addit benedictionem illam, quam nupturæ sacerdos impertitur, apud fideles cuiusdam sacrilegii instar esse, si vlla transgressione violetur.

6. Matrimonium profanatur ab hæreticis.

Et hæc de coniugalibus cerimoniis Ecclesiasticis, tametsi sola non valent ad probandum matrimonium pro sacramento propriè dicto habitum fuisse: breuiter tamen contra Caluinianos cõmemoranda fuerunt, vt ipsos pudeat cerimonias illas, quas vt testantur Patres supra cit. ab Apostolis ipsis accepimus, insolenter & superbè reiicere: & matrimoniũ cum agricultura, architectura, sutrina, & tonstrina comparare: vt facit Caluinus lib. 4. Institut. cap. 19. n. 34. Vbi cùm addit neminem ante Gregorii tẽpora vidisse matrimonium pro sacramẽto datũ, manifestè imponit & abutitur lectorũ ignorantiâ: vt patet ex testimoniis Patrũ supra relatis qui Greg. mag. loco interuallo præcesserũt. Obiter verò circa illos notãdum est, multa esse fidei dogmata de quibus parum frequenter ideo meminerunt, quia non erant suis temporibus controuersa. Sicut alia multa sunt, de quibus non scripserunt, nisi occasione errorum quorũndam in Ecclesiam recẽs inuectorum, quę tũc

Cur Patres non adeo meminerũt huius sacramenti.

Digitized by Google

refellere opus fuit. Sic de baptismo non iterãdo scripsit Augustinus propter Donatistas in Africa exortos: Et de Ordine, in lib. contra Parmenianum, propter eundem hæreticum: Et de virginitate multa Hieron. propter Iouinianum; & de cultu sanctorum, propter Vigilantium: Et de eorũ imaginibus, Synodus septima generalis contra Iconoclastas: Et de filii consubstantialitate, Athan. eiusq; cõtemporanei, & Concilium Nicen. 1. contra Arianos: Et de Christi natura duplici in vnica persona Concilium Ephes. & Chalced. S. Leo magnus, Cyrillus Alexand. Vigilius, Fulgentius, aliique Patres illius temporis, contra Nestorianos, Eutychianos, & similes hæreticos: Et denique Augustinus de matrimonii sacramentalis firmitate & insolubilitate contra Pollentium, cuius errori Lutherani, & Caluinistæ patrocinati sunt. Quòd si tunc tẽporis ratio sacramẽti propriè dicti matrimonio negata, vel in dubium vocata fuisset: dubitandum non est quin tum ipse, tum alii longè plura in hanc sententiam scripturi fuissent. Quanquam sufficiunt vel ea sola, quæ supra ex ipsis commemorata sunt.

7. Sacramentũ matrim. probatur ex script.

Denique Paulus ad Ephes. 5. v. 22. & seqq. coniunctionem maritalem comparat cõiunctioni ac veluti coniugio inter Christum & Ecclesiam: indeq; mulieres ad reuerentiam erga maritos, viros autem ad amorem erga coniuges exhibendum hortatur, cum ait: *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino. Quia vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, &c. Et sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus. Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret.* Tum repetitis Adæ verbis ex Genes. 2. v. 28. de coniugio dictis, *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna*: subiungit immediatè post: *sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Vnde iterum hortatur coniuges ad reuerentiam & amorem. In quibus verbis cum ait, *sacramentum hoc magnum est*, vox sacramenti sumi potest vel formaliter, ita vt sensus sit: hoc, nempe coniugium, de quo immediatè ante locutus est, sacramentum magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia: quasi dicat, non se solo consideratum, sed in Christo & Ecclesia repræsentandis atque significandis, vel vt in Græco est, εἰς χριστὸν καὶ τὴν ἐκκλησίαν, id est, in Christum & Ecclesiam, quatenus in illos repræsentandos tendit: de qua repræsentatione & analogia multa superiùs commemorauerat. Vel secundò sumi potest obiectiuè: vt sensus sit, coniunctionem inter Christum & Ecclesiam esse magnum sacramentum, id est, rem valde sacram & arcanam respondentem coniugio, tanquam illius signo, figuræ, atque typo.

8. Quicunq; autem istorum sensuum accipiatur, quos Apostoli textui consentaneos esse nemo non videt, planè colligitur matrimonium esse sacramentum saltem eo sensu, quo signum rei sacræ dicitur latè sacramentum. Et quidem Adæ ipsius coniugium, & aliorum in lege naturæ & Mosaica, atque etiam nũc infidelium nondum baptizatorum, non est alia ratione sacramentum. De quibus omnibus ibi sermonem esse tum verba ipsa genetatim de coniugio prolata luadent: tum sancti Patres, August. in Psal. 138. init. o, Hieronym. Chrysost. Theod. Theophyl. Anselm. D. Thom. aliique in hunc locum perspicuè docent. Decuit autem, vt post coniunctionẽ inter Christum & Ecclesiam re ipsa exhibitã in lege noua, matrimonium Christianorum hoc haberet priuilegium, vt nõ solùm significaret coniunctionem inter Christum & Ecclesiam per amorem & charitatem mutuam, vt dixit Paulus suprà: verum etiam illam efficeret, conferretque coniugibus charitatem & gratiam, per quã Christo iungantur vnione amoris & charitatis. Atq; in eo matrimonium, quatenus sacramẽtum nouæ legis, differret ab eodem prout sacramentum fuit in lege veteri; vt quod in lege veteri fuit tantummodo signum inane & egenum: efficax esset in lege noua, habens vim efficiendi vnionem illam, quam significat: sicut generatim de sacramentis legis veteris & nouæ docet Paulus Hebr. 9. & 10.

9. Confirmatur.

Atque de matrimonio speciatim affirmasse videtur 1. Timoth. 2. v. 15. cùm de muliere Christiana & coniugata dixit, *saluabitur autẽ per filiorum generationem, si permanserit in fide*, scilicet erga maritum, *& dilectione, & sanctificatione, cum sobrietate*, siue temperantia coniugali. Vbi, vt rectè obseruat Aegid. disput. 24. nu. 14. videtur Apostolus supponere hæc bona inesse matrimonio Christianorum, vt per ipsum accepta: ideoque non ait, si acquisierit; sed, *si permanserit* in illis, tanquam acceptis iam & acquisitis. Enumeratq; quatuor bona matrimonii, contra quatuor mala, quæ solent ipsum comitari, & contra quæ coniuges auxilio conuenienti per hoc sacramentũ muniuntur: videlicet fidem, contra adulterium: dilectionem, contra rixas & iurgia: sanctificationem, contra turpitudinem: & sobrietatem, contra intemperantiam. Sanè eò meliùs coniuges Christiani, vi sacramenti matrimonii sanctificati, repræsentabunt cõiunctionem inter Christum sanctissimum & Ecclesiam sanctam: atque ita matrimonium magnum erit sacramentum in Christo & Ecclesia, id est, in Christianismo, & in Ecclesia catholica, vt aliqui Paulum interpretantur. Ita nimirum vt inter alios sacramentum quidem fuerit, id est, signum aliquod rei sacræ; sed non adeo magnum. Denique ad viuendũ vt coniugio christiano dignum est, & ad prolem christianè educandam, cæteraque onera matrimonii, & officia sustinenda & exercenda conuenienter, gratia peculiaris est valde necessaria, quam per sacramentum peculiare conferri valde conueniens fuit.

SECTIO II.

Soluuntur argumenta contra doctrinam propositam.

10. Contrarius error Durandi.

ADuersus hanc veritatem catholicam, præter Caluinum & Lutherum, alios-que sectarios sensit Durandus in 4. dist. 26. quæst. 3. vbi docet matrimonium esse quidem sacramentum eo modo, quo sacramentum sumitur pro signo rei sacræ, nempe quatenus est signum coniunctionis inter Christum & Ecclesiam: sed non esse sacramentum propriè dictum, quia non est signum efficax gratiæ. Quam ob sententiam malè audiuit apud Catholicos, teste Capreolo dist. eadem quæst. vnica art. 3. Citat autem Durandus pro suo errore tres canonum Interpretes, existimantes gratiam non conferri per matrimonium, eò quòd alioqui nefas esset pro illo accipere pecuniam. Quæ ratiocinatio non est bona. Nam vt rectè ait S. Thomas 2. 2. quæst. 100. art. 2. cùm in matrimonio non solum sacramentum, sed etiam contractus ciuilis considerandus sit: licet non possit pro sacramento, præcisè vt tali, pecunia accipi, vel dari: potest tamen pro ciuili contractu, ad toleranda onera matrimonii.

11. Magister Sentent. malè ab eo citatur.

Citat etiam Magistrum in 4. dist. 2. lit. A. affirmantem matrimonium esse tantùm institutum in remedium peccati, nempe concupiscentiæ; non autem ad gratiam conferendam, vt reliqua sacramenta. Verùm sententia Magistri à Durandi errore multum abest. Nam ille dist. 1. lib. B. ante medium, sacramentum definit, quod ita signum est gratiæ Dei, & inuisibilis gratiæ forma, vt ipsius imaginem gerat, & causa existat. Tum addit: *Non ergo significandi tantùm gratiâ sacramenta instituta sunt, sed etiam sanctificandi. Quæ enim significandi gratiâ tantùm instituta sunt, solùm signa sunt, & non sacramenta.* Deinde sequenti distinct. lib. A. affirmat septem esse legis nouæ sacramenta, & in iis vltimo loco matrimonium numerat. Quare quod subdit, *Quorum alia remedium contra peccatum præbent, & gratiam adiutricem conferunt, vt Baptismus: alia in remedium tantùm sunt, vt coniugium: alia gratiâ & virtute nos fulciunt, vt Eucharistia & ordo*: non est intelligendum iuxta Durandi interpretationem, sed potiùs de principali quodam fine & effectu sacramentorum, vt Diuus Thomas ibidem exponit. Nam licet omnia sacramenta conferant gratiam sanctificantem, vt Magister affirmauit initio: & omnis gratia sanctificans vim habeat delendi peccata, & auxilium ad bene viuendum tribuat: nihilominus quædam sacramenta sunt principaliter instituta ad iuuandum in bono, vt Eucharistia, Confirmatio, & Ordo: quædam ad peccata vitanda aut delenda, vt Pœnitentia, Extrema vnctio, & Matrimonium: quædam ad vtrumque effectum, vt Baptismus, qui cùm sit noua generatio, fertur præcipuè ad vitam gratiæ, & mortem vitiorum. *Consepulti enim sumus cum Christo per Baptismum in mortem: vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus*, Rom. 6. v. 4.

12. Argum. contrar.

Cætera quæ à Durando, & ab hæreticis obiiciuntur, hæc præcipuè sunt. Primò, Matrimonium inter primos parentes, alios-que sub lege veteri, & nunc etiam inter infideles, est verum matrimonium, & signum duplicis coniunctionis inter Christum & Ecclesiam, tum per naturam in incarnatione, tum per gratiam in sanctificatione: neque tamen inter illos est sacramentum propriè dictum: ergo nec inter Christianos. Et confirmatur quia multi coniuges Christiani peiùs viuunt, quàm infideles. Ergo non sanctificantur per matrimonium.

Matrimonium non est tantùm contractus ciuilis.

Respondeo, antea dictum esse matrimonium, inter Christianos id habere priuilegii supra matrimonia legis naturæ, & Mosaicæ, vt non sit tantum contractus ciuilis, aut sacramentum latè: sed etiam strictè ac propriè: ita repræsentans coniunctionem inter Christum & Ecclesiam, vt simul eius participationem per gratiam sanctificantem exhibeat. Confirmatio autem Aduersariorum inepta est. Simili enim argumento probaretur ne Baptismum quidem sacramentum esse: quia multi Christiani post baptismum Ethnicis peiùs viuunt. Cæterùm inter matrimonium vt est sacramentum, & vt contractus ciuilis, magnum discrimen est. Nam vt contractus ciuilis, est iuris naturalis, non secus ac contractus emendi, vendendi, & similes. Neque enim minus habent iuris naturaliter homines ad ineundum contractum matrimonii per traditionem corporum, quàm ad emendum & vendendum, disponendumque de aliis rebus suis. Quod tamen non impedit quò minùs multa per superiores circa ipsum constitui possint: sicut etiam constituuntur circa contractus emptionum, venditionum, donationum, & similes. At verò quòd sit sacramentum, accepit ab institutione Christi: & vt tale quosdam effectus habet, quos non habet, vt contractus ciuilis est.

13. Secundum argumentum Caluini libro quarto Institution. capite decimo nono, numero trigesimo sexto, & Kemnicii in examine Tridentini, est huiusmodi: Pontificii matrimonium immunditiam, & pollutionem, & carnales sordes appellant. Ergo secum ipsi pugnant quando sacramentum esse volunt: neque enim sacramentum immunditiæ & sordes dici possunt. Antecedens probant ex Epist. Syricii Papæ ad Himerium.

14. Quæ matrimonia immunda & sacrilega?

Sed tam antecedens, quam eius confirmatio est apertum mendacium. Nec enim Syricius, neque vllus alius Catholicorum de

matrimonio sic scripsit. Sed ille quidem epist. cit. cap. 6. & 7. Monachorum & Sacerdotum matrimonia, sacrilegia vocat, eò quòd contra votum castitatis & expressum Ecclesiæ præceptum essent contracta. At illa verè matrimonia non sunt, sed stupra impia & sacrilega. Idem ibidem de coniugatis ait, non posse Deo placere, eo scilicet modo speciali quo cœlibes, iuxta illud Pauli 1. Corinthior. 7. *Qui cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo, vt sit sancta corpore & spiritu.* Quanquam non eo sensu à Paulo dictum erat, quod Syricius ex ipso refert, *Qui in carne sunt Deo placere non possunt*: sed potius de carnaliter & impurè viuentibus. Non malè tamen Pauli verba ad hunc sensum accommodauit: nec quicquam contra matrimonii sanctitatem in eo dixit. Neque enim obest ipsius sanctitati, quòd propter curas & onera ipsi annexa, à maioribus bonis, & specialiùs Deo gratis impediat. Addo, quamuis Syricius vsum matrimonii immunditiam aliquo sensu appellasset, non esset id alienum à Scriptura. Nam 1. Regum 21. Abimelec sacerdos Dauidem sic interrogat, *Si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus*: scilicet vt permitterentur edere panes propositionis. Respondet autem Dauid: *Et quidem si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri & nudius tertius.* Sermo autem erat etiam de propriis. Ideoque locum hunc Hieronymus libro primo contra Iouinianum numero vigesimo primo, pro commendatione virginitatis adducit, ita scribens: *Panes enim propositionis, quasi corpus Christi, de vxorum cubilibus consurgentes edere non poterant.* Quare optimè dici potest carnalem copulam, etiam coniugalem, continere immunditiem quandam, & indecentiam in sacerdote, qui filium virginis, & ipsum virginem, atque omnis puritatis fontem, quotidie debet manibus attrectare.

Rom. 8. v. 8

14. Repugnet ne matrimonium sacerdotio?

Tertium Caluini argumentum loco supra citato, sic habet: Vnum sacramentum non pugnat cũ alio. Atqui matrimonium pugnat cum sacerdotio. Ergo non est sacramentum. Minorem probat: quia Ecclesia sacerdotes arcet à matrimonio. Respondeo matrimonium non pugnare absolutè cum sacerdotio, sed ratione status quem inducit, minùs bene cum eo conuenire: ideoque in Ecclesia Latina Sacerdotes ab illo arceri, non quia sacramentum est, sed propter curas sæculares, & vsum coniugii, & alia eius onera, quæ minùs decent sanctitatem huius ministerii, vt patet ex verbis relatis D. Pauli, & aliis in solutione præcedentis argumenti commemoratis.

15. Copula sine pars sacramenti matr.

Quartum eiusdem argumentum ita procedit: Copula carnalis est pars sacramenti, neque sine illa matrimonium sacramentum est, vt docent Magister in 4. distinct. 26. litera P. Gratian. Causâ 27. quæst. 2. can. *Non est dubium*, & can. *Cum societas*. Atqui copula non sanctificat, vt patet ex can. *Connubia*, 32. quæst. 2. Ergo, &c.

Respondeo, sacramentum matrimonii perfici essentialiter mutuo coniugum consensu sufficienter expresso per verba de præsenti, aut quoduis aliud signum: neque copulam esse illius partem, nisi si quando signi externi locum subit: vt quando sponsalibus succedit copula affectu maritali facta. Tunc enim illa sufficientis signi locum habet, potestque matrimonium perficere, vbi nondum recepta est Tridentini constitutio de clandestinis coniugiis. Tunc autem, sicut habet rationem signi, & pars sacramenti est: ita vim habet sanctificandi, non minùs atque repræsentandi coniunctionem mirabilem inter Christum & Ecclesiam per naturæ conformitatem, in mysterio Incarnationis factam.

16. Error Glossæ citatus.

Errauit autem Glossa loco cit. cùm dixit copulam esse necessariò partem sacramenti, ac sine illa matrimonium verum esse non posse. Nam vt habet Ambrosius lib. de Institutione Virginis cap. 6. initio, *Desponsatio virginitatis non facit coniugium, sed pactio coniugalis.* Idemque habet Diuus Augustinus libro 1. de Nuptiis & concupiscentia, cap. 11. & libro 2. de Consensu Euangelistarum cap. 1. vbi docet inter Beatam Virginem, & Sanctum Ioseph verum fuisse matrimonium sine carnali copula. Florentinum quoque in Decreto Eugenii §. *septimum est sacramentum matrimonii*, docet effici communiter mutuo consensu per verba de præsenti expresso, nulla facta mentione carnalis copulæ.

17. Magister falsò allegatur.

Falsò autem à Caluino citatur in margine Magister sententiarum distinct. 26. cùm ipse ibidem cap. vltimo expressè dicat prædictam Gratiani opinionem errorem esse, & duos illos canones in alium sensum explicare conetur. In quibus tamen cum Gratiano deceptus fuit, quando tribuit Leoni Magno epist. 90. cap. 4. & Augustino quòd asseuerint matrimonium sine copula constare non posse. Nam illa sententia apud Augustinum nusquam est, vt à multis notatum fuit. Et ipse diserte contrarium affirmat libro vigesimo tertio, contra Faustum cap. 8. dicens inter Beatam Virginem, & Sanctum Ioseph verum fuisse coniugium, non concubitu, sed affectu; non commixtione corporum, sed copulatione, quod est charius, animorum. Et lib. 2. de Consensu Euangelist. cap. 1. addit hoc exemplo doceri fideles, posse permanere, vocarique coniugium non permixto corporis sexũ, sed custodito mentis affectu. In Leone autem citando, exemplari corrupto vsus est Magister cum Gratiano. Sic enim legit: *Cum societas nuptiarum ita à principio sit instituta, vt præter commixtionem sexuum, non habeat in se Christi & Ecclesiæ sacramentum*, &c. pro eo quod legendum erat sine negatione, *vt præter commixtionem sexuum, habeat in se*, &c. quemadmodum legitur in codicibus emen-

dationibus. Et ita omnino legendum esse patet, quia negatio illa repugnat sententiæ Leonis, qui docere intendebat concubinam non esse veram vxorem. Quod vt probet, non est opus, vt ostendat ad matrimonium requiri sexuum commixtionem, quæ sanè in concubinatu non deest: sed ostendere debuit, vt etiam fecit, matrimonium non tam in copula carnali consistere, quàm in fœdere nuptiali, in quo est sacramentum Christi & Ecclesiæ.

18. Explicatur canon, *Connubia.*

Canon verò *Connubia*, ex Origene desumptus est homil. 6. in Numeros, in quo non asserit, sed cum dubitatione opinari se ait, Spiritum sanctum non adesse suâ præsentiâ in copula carnali, hoc est, auxilio gratiæ specialis, quam dicit ad hoc opus non esse necessariam: neque illud, & alia quædam, quamuis peccato careant, digna sibi videri, quibus interesse putemus Spiritum sanctum: neque tempore illo, quo coniugales actus geruntur, dari eius præsentiam: quippe ad quos, & ad alia plura sufficit sola vis humana: & neque vis indiget, neque decet illis adesse Spiritum sanctum. Quæ illius verba, quoad priorem partem, quòd scilicet copula coniugalis non egeat præsentia Spiritus sancti, seu speciali eius auxilio, ad illamque vis naturalis sufficiat: verissima est. Sed inde non sequitur per actum coniugalem nunquam posse acquiri gratiam Spiritus sancti, non modò ex opere operato, si aliquando formæ sacramentalis locum habet: verùm etiam ex opere operantis, quando adhibentur omnia, quæ ad merendum per talem actum necessaria sunt, vt rectè affirmat Sanctus Thomas quæstione quadragesima prima Supplementi, art. quarto. Et confirmari potest ex Diuo Augustino libro quarto, in Iulianum capite tertio, in fine, vbi dicit, Bonum beatificum esse, & pudicitiam coniugalem, quando vir vtitur coniugis carne non ad libidinem explendam, sed ad sobolem ob Dei gloriam propagandam. Quamuis autem voluntas illa, quæ coniugalem actum ad Dei gloriam eligit cum conditionibus ad merendum necessariis, opus habeat Dei auxilio speciali: actus tamen coniugalis non eget illo secundum se, vt Origenes supra dixit. Quoad alteram verò partem verborum Origenis, quibus significat non decere tunc adesse, vel dari præsentiam Spiritus sancti, minùs verè sensit, de actu coniugali, sicut de multis aliis: neque canon *Connubia*, plus habet auctoritatis, quàm auctor ipse, ex quo desumptus est.

19. Soluitur obiectio.

Neque obstat quòd carnalis copula significet coniunctionem inter Christum & Ecclesiam per naturæ conformitatem, quæ non ita perfectè significatur per solum contractum matrimonii. Hoc enim tantùm probat matrimonium, etiam secundum copulam, esse latè sacramentum, vel partem sacramenti latè sumpti pro signo simplici rei sacræ. Nihil etiam obstat quòd matrimonium sine copula ratum tantùm dicatur: copulâ verò interueniente, dicatur consummatum, cap. *Quanto*, De diuortiis. Nam matrimonium est perfectum secundum substantiam & virtutem, ante vsum: dicitur autem per vsum consummari, sicut dicuntur alia consummari per operationem, cuius sunt causa: quia non tantùm habent actum primum, sed & secundum, qui est in primo, vt in causa, sed nihilominus est vlterior eius perfectio ad quam actus primus ordinatur. Simili modo huic argumento respondent D. Thom. q. 42. Supplementi art. 4. in solut. argum. Vasques disp. 2. cap. 8. Bellarm. lib. de Matrim. cap. 5.

20.

Alia quædam, quæ à Durando, & ab Hæreticis obiiciuntur, partim inferiùs dilucntur, partim apud citatos plenè soluta videri possunt. Omnino autem nullius sunt momenti differentiæ quædam, quas assignat Durandus inter matrimonium & cætera sacramenta: quòd hæc non possint celebrari per procuratores inter absentes, secus autem matrimonium: quódq; in alijs Minister distinguatur à recipiente, non in isto, &c. Cùm certum sit sacramenta omnia non esse vnius rationis, sed inter illa multa esse discrimina, liberè posita à voluntate Christi, eorum institutoris.

21. Cur professio castitatis nõ est sacramentum?

Quæres, cùm professio castitatis sit nobilior matrimonio, doctore Paulo 1. ad Corinth. 7. quomodo non est sacramentum sanctificans, æquè ac matrimonium? Respondeo non quidquid est nobilius altero, debere esse sacramentum, si illud alterum sit sacramentum. Etenim martyrium v. g. est nobilius pœnitentiâ, vel extrema vnctione: neque tamen sacramentum est. Quod autem hoc vel illud sit sacramentum, non ex rei nobilitate, sed ex diuina institutione, per traditionem nota, definiendum est. Hinc autem sumi potest non leuis coniectura ad ostendendum matrimonium esse sacramentum propter Christi institutionem. Nam alioqui si hoc inuentum esset humanum; certè cùm professio castitatis maximi semper habita sit, præsertim in latina Ecclesia, nec sine multis & sacris cerimonijs celebrata: multò magis relata fuisset inter Ecclesiæ sacramenta.

22. Caluini figmentũ.

Puerile enim est quod ait Caluinus lib. 4. Institut. cap. 19. num. 36. linguæ græcæ ignorantiam fuisse causam huius erroris, cùm pro *mysterio*, interpres vulgatus sacramentum posuisset Ephes. 5. Nam si ob solam sacramẽti vocem Ecclesia censuisset matrimonium esse propriè sacramentum: ergo pari ratione existimasset quæcunque alia vulgatus interpres nuncupauit sacramenta, esse propriè talia. Quod tamen est falsum. Nam & Regis secretum Tob. 5. sacramentum dicitur: & Verbum incarnatum dicitur magnum pietatis sacramentum 1. Timoth. 3. Et sacramentũ septem stellarum, Apocal. 1. Et sacramentũ mulieris & bestiæ, Apoc. 17. Et alia quædam aliis in locis sacramenta dicuntur; quæ tamen nunquam Latina Ecclesia in sacramentis

Digitized by Google

numerauit. Imperitus verò erat linguæ græcæ Caluinus si neſciebat, myſterium apud Græcos idem eſſe, quod ſacramentum apud Latinos. Et Eccleſia græca, linguæ ſuæ non ignara, matrimonium ſine dubitatione inter ſeptem nouæ legis ſacramenta iampridem numerauit, & numerare pergit. Nam anno Domini 1576. Hieremi. Patriarcha Conſtantinopol. nomine ſuo & reliquorum Græciæ Præſulum, cenſuram edidit confeſſionis Auguſtanæ Lutheranorum, in qua cenſura cap. 7. matrimonium diuinum eſſe ſacramentum affirmat, atque vnum ex illis ſeptem, quæ Chriſtus & Apoſtoli Eccleſiæ tradiderunt. Vbi etiam citat ad idem probandum, caput 5. epiſt. ad Ephes. Fallitur ergo manifeſtè Caluinus, cùm ait, ex ignorantia linguæ græcæ hoc Chriſtianum dogma protectum eſſe.

SECTIO III.

De materia, & forma ſacramenti Matrimonii.

23. Matrimonium ſumitur pro cõtractu, & pro ſtatu.

OBſeruandum eſt primò, ſicut nomen ordinis ſumitur aliquando pro ipſa ordinatione, aliquando pro ſtatu, ſiue gradu, per ordinationem collato: ita matrimonium interdum ſumi pro contractu, ſiue actu contrahentiũ, quo vir & fœmina corporis proprij dominium mutuò ſibi tradunt: interdum autem pro vinculo, & ſtatu qui oritur ex tali contractu. Priori modo ſumitur matrimonium, cùm definitur ab Hugone Victorino lib. 2. de Sacramentis parte 11. cap. 4. *Duarum perſonarum idonearum legitimus conſenſus* &c. Poſteriori modo à Florentino ſumitur in Decreto Eugenii §. *Septimum eſt ſacramentum*, quando ait cauſam efficientem matrimonii regulariter eſſe mutuum conſenſum per verba de præſenti expreſſum. Quod de contractu ipſo intelligi non poteſt reſpectu cuius conſenſus non eſt cauſa efficiens & extrinſeca, ſed materialis intrinſeca, & eſſentialis: poteſt tamen de vinculo & ſtatu maritali rectè intelligi. Nam matrimonium, prout eſt contractus, ſeu mutuus conſenſus ſufficienter expreſſus, eſt cauſa matrimonii ſecundo modo ſumpti pro vinculo & dominio vtriuſque in alterum. Eodem modo ſumitur matrimonium, quando à Magiſtro in 4. diſt. 27. lit. B. D. Tho. quæſt. 44. ſupplementi art. 3. & à Canoniſtis in 4. Decret. tit. De ſponſalibus in principio, & L. 1. ff. de Ritu nuptiarum, definitur in hunc modum: *Matrimonium eſt maritalis conjunctio viri & mulieris, inter legitimas perſonas, individuam vitæ conſuetudinem retinens.* Dicitur *maritalis*, id eſt, in ordine ad copulam & ſuſceptionem prolis: *inter legitimas perſonas*, id eſt, nullum habentes impedimentum dirimens: dicitur denique, *individuam vitæ conſuetudinem retinens*, vt explicetur vnus finis matrimonii, qui eſt mutua cohabitatio, atque etiam firmitas & inſolubilitas, quæ qualis ſit, & quanta, dicemus ſuo loco.

24. Eſt ſacramentum, vt contractus.

Obſeruandum ſecundò, ſicut ordo non eſt ſacramentum niſi ea ratione quâ pro ſacra ordinatione ſumitur, non autem prout ſumitur pro ſtatu ipſo per ordinationem collato: ita matrimonium non eſt propriè ſacramentũ, niſi quatenus ſumitur pro contractu, ſiue actu contrahentium: non autem prout ſumitur pro vinculo & ſtatu per contractum effecto. Nam ex conſenſu Theologorum, ſolum venerabilis Euchariſtiæ ſacramentum conſiſtit in re permanente: cætera verò in vſu, & in actibus quibuſdam tranſeuntibus eſſentialiter poſita ſunt. At vinculum, ſeu ſtatus coniugum eſt res permanens. Ergo ſacramentum matrimonii non conſiſtit in vinculo, ſed in contractu ſiue in actu contrahentium, qui res tranſiens eſt.

25. Tria in cõtractu conſideranda.

Tria verò in contractu cõſiderari poſſunt. Primò, corpora viua coniugum, ſiue coniuges ipſi qui ſe inuicẽ tradunt & accipiunt reciprocè. Secundò, conſenſus mutuæ traditionis & acceptationis. Tertiò, ſignum quo conſenſus mutuæ traditionis & acceptationis ſufficienter exteriùs innoteſcit. Vinculum quoque, ſeu ſtatus conſequens ex contractu, alia duo complectitur eſſentialiter: nempe ius, ſeu dominium mutuum cuiuſque coniugum in alterum: & mutuam obligationem illi dominio reſpondentem: de quo loquitur Paulus 1. Corinth. 7. v. 4. cùm ſic ait: *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* Denique præter hæc omnia conſiderari poteſt vſus illius mutui iuris, ſeu conſummatio matrimonii.

26. Eſt ſacramentũ latè: etiã quoad ſtatum, & vſum.

Obſeruandum eſt tertiò, aliud eſſe loqui de matrimonio prout eſt ſtrictè ac propriè ſacramentum: quo ſenſu diximus ſolum contractum præcisè ſacramentum eſſe: & aliud, loqui de eodem prout eſt ſacramentum latè, hoc eſt, ſignum quomodocunque alicuius rei ſacræ: quo ſenſu matrimonium non modò ſecundum contractum, ſed etiam quoad vinculum, & conſummationem ſacramentum eſt. Nam ex prædictis omnibus, quæ in matrimonio diximus poſſe conſiderari, nihil eſt quod non ſignificet aliquid ſacrum, ac proinde ſacramentum latè non ſit. Etenim contractus mutuæ traditionis corporum inter coniuges, & vinculum quod ex illo ſequitur, ſignificat mutuam traditionem, & coniunctionem permanentem inter Chriſtum & Eccleſiam per charitatem & amorem, vt ait Innocent. III. cap. *Debitum*, de Bigamis non ordinandis. Cuius vnionis perfectio & conſummatio, qualis erit in patria repreſentari poteſt per matrimonii conſummationem, quæ etiam latè ſacramentum eſt, tum propter illam repræſentationem, tum etiam quia ſignum eſt alterius coniunctio-

nis inter Christum & Ecclesiam per naturæ conformitatem, in mysterio Incarnationis, doctore eodem Innocentio cap. cit. de qua potissimum intelligendum est quod ait Paulus Ephes. 5. *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una: sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia.* Quamquam de ipso quoque contractu eadem verba intelligenda sunt, qui ad consummationem per se ordinem habet, & per quem virtualiter & inchoatiuè censentur coniuges esse duo in carne vna, & propter quem relinquit homo patrem & matrem, & adhæret uxori suæ: per quem denique coniuges mutuò transeunt in ius alterius, & incipiunt esse illius in cuius potestatem veniunt.

27. His præsuppositis, de materia & forma sacramenti matrimonii non parua est dissensio. Ac primò, Melchior Canus lib. 8. de Locis, cap. 5. censet consensum mutuum coniugum, signo aliquo externo expressum, esse materiam sacramenti matrimonii: formam verò esse verba illa sacerdotis, *Ego vos coniungo*, &c. ita vt sine illis sacramentũ esse nequeat, quamuis contractus ciuilis esse possit.

Verba sacerdotis nõ sunt forma matrimo.

Sed hæc sententia repugnat Tridentino sess. 24. cap. 1. *De reformatione matrimonii*, affirmãti matrimonia clandestina, quæ fiebant absente sacerdote, & sine vllis eius verbis, fuisse valida, quandiu Ecclesia non fecit ea irrita. Loquitur autem de matrimonio quod sacramentum est: quippe de quo loqui proposuit initio sectionis, titulo, *Doctrina de sacramento matrimonii*, §. *Cum igitur matrimonium*, in fine: & de quo immediatè post definiuit can. 1. esse verè & propriè vnũ ex septem legis Euangelicæ sacramentis à Christo Domino institutis: Tum cap. 1. Decreti De reformatione matrimonii, immediatè post canones, affirmat clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata, & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, damnatque anathemate negantes ea vera & rata esse. Vbi nisi quoque loquatur, vt priùs de matrimonio sacramentali; ambigua eri, & incerta eius doctrina, vtendo æquiuocè nomine matrimonii, modò pro sacramento, & modò pro contractu purè ciuili, absque vlla distinctione, quâ diuersam illam acceptionem significet.

Repugnat etiã Concil. Florent. definienti sacramentum matrimonii perfici regulariter mutuo consensu, expresso per verba de præsenti. Vbi per *verba*, intelligit verba coniugum suum consensum exprimentium: & cùm ait, *regulariter*, significat verba neque sacerdotis, neque ipsorum coniugum, esse formam necessariam sacramenti matrimonii: quandoquidem sine illis perfici potest. Repugnat denique praxi Ecclesiæ. Nam etiam nunc iis in locis, vbi constitutio Tridentini est recepta, quando aliqui contrahunt in facie Ecclesiæ cum occulto impedimento, eo sublato per dispensationem, non est opus, vt contrahant iterũ præsente & loquente sacerdote: sed sufficit vt clam contrahant inter se, vel affectũ maritalẽ signo aliquo externo sibi mutuò significent, quemadmodum declarauit Pius V. teste Nauarro cap. 22. Manual. num. 70. Tuncque sacramentum, & matrimonium incipit esse ratum, quod antea inualidum, & nullum erat.

28. Neque minùs à veritate alienum est quod ait Catherinus in Opusculo de Matrimonio, quæst. 1. §. *Nos ergo in Dei gratia*, formam huius sacramenti esse verbum Dei instituentis, aut sanctificantis matrimonium, quando dixit Gen. 2. & Matth. 19. *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem* &c. *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet* Neque enim verba illa proferuntur, quando celebratur matrimonium, neque ad eius essentiam pertinent: & Florentinum in Decreto Eugenii, §. *Septimum est sacramentum matrimonii*, nullam eorum mentionem facit: asseritque matrimonium effici regulariter per mutuum consensum, & verba, quibus de præsenti exprimitur: dicit autem, Regulariter, propterea quod sufficiunt, & interdum adhibentur alia signa consensus interni: qui certè non exprimitur à coniugibus per illa Dei verba: sed per ista, vel æquiualentia, *Accipio te in meum: Accipio te in meam.* Neque dubium est Concilium loqui de matrimonio prout sacramentum est: cùm paulò ante §. *Quintò Ecclesiasticorum*, profiteatur velle se sacramentorum ecclesiasticorum veritatem sub breui forma redigere, pro institutione Armenorum, quibus eam tradit.

Nec verbũ Dei instituentis matr.

29. Secundò, Ricard. in 4. dist. 20. art. 4. q. 2. ad 1. docet materiam esse verba, vel signa priùs exhibita: formam verò esse alia, quæ posteriùs exhibentur. Sed hoc nullo modo satisfacit, & à veritate planè alienum est. Licet enim contrahentes simul tempore, verbis vel nutibus, suum consensum exprimant, est verum & legitimum matrimonium, perfectumque sacramentum. Quamuis non sit tunc ordo ille prioritatis: ac proinde nec materia & forma, iuxta sententiam Ricardi: quia tunc nulla signa exhibentur priùs, quæ sint materia: nulla posteriùs, quæ sint forma. Idem iudicium esto de opinione Viguerii in Institut. cap. 16. §. 7. versu 4. aientis materiam huius sacramenti esse actus legitimarum personarum præcedentes consensum. Nam tales actus non sunt simpliciter necessarii. Deinde sponsalia, & si qui alii actus præcedunt, consensum de præsenti, non pertinent ad essentiam sacramenti, sed ad summum dispositiones quædam sunt.

Neq; signa posteriùs exhibita.

30. Tertiò, Vasques tom. 4. in 3. p. disp. 3. de Matrim. cap. 5. censet totam materiam esse corpora coniugum: formam autem esse consensum signis expressum. Quod idem

Neq; consensus signis expressus.

Digitized by Google

docent Palud. Petr. Sot. Adrian. Couar. S. Anton. Palac. Capreol. & Barthol. Med. citati à Vasque ibidem, & à Sanche lib. 1. de Matrim. disp. 5. num. 4. Ratio eorum duplex est. Primò, quia in aliis contractibus materia est id, quod per illos traditur: vt domus, ager, equus, pecunia. Ergo corpora coniugum, quæ mutuò traduntur per contractum matrimonii, sunt illius materia. Secundò, in sacramento ordinis materia est id, quod traditur ab ordinante, vt liber Euangeliorum, calix, & patena, & similia: forma verò sunt verba, quibus traditio significatur. Ergo similiter in sacramento matrimonii: neque aliter possunt bene distingui eius materia & forma.

Corpora coniugum sunt materia tantùm remota.

Hæc opinio, si tantùm intenderet corpora coniugũ esse materiam remotã contractus matrimonii, & circa quã velut obiectũ versatur, vera esset. Sed quia intendit esse totam materiam, adeóque materiam proximam, ex qua constat & componitur sacramentum matrimonii, falsa est. Nam falsum est in aliis contractibus id quod traditur esse materiam proximam, ex qua constant intrinsecè. Alioqui contractus de agro, de prouincia, de regno integro alicui dando, constaret intrinsecè ex ipso agro, prouincia, & regno: quod est absurdum, & contra definitionem contractus, qui definitur *Vtro citroque obligatio*, L. *Labeo* ff. de verborum signification. id est, consensus signo aliquo externo expressus obligationem mutuam inducens. In qua definitione non includitur res de qua contrahitur, sed consensus solùm internus cum signo externo. Deinde si res tradita in contractu donationis, aut venditionis, esset materia, *ex qua* illius contractus, quia versatur circa illam vt circa rem quæ traditur; pari ratione domus ædificatio promissa per contractum stipulationis, esset materia *ex qua* huius contractus. At hoc est falsum: quia contractus ille est perfectus & integer, licet postea domus non ædificetur, si autem non ædificatur, non est neque erit: ideóque non potest esse materia *ex qua* contractus existentis perfectè & integrè. Denique neque in sacramento ordinis res quæ traduntur ab ordinante sunt materia proxima, & *ex qua*: sed vel earum traditio, vel manuum impositio, aut aliud signum potestatis quæ traditur, vt diximus disp. 66. sect. 4. & 5. Et hæc opinio confundit in hoc sacramento materiam totam cum ministro: coniuges enim sunt ministri sacramenti matrimonii. Et tamen Concilium Florent. hæc tria distinguit cùm ait, sacramenta omnia nouæ legis tribus perfici, rebus vt materiâ, verbis vt forma, & personâ ministri.

SECTIO IV.

Refutantur aliæ sententiæ, & statuitur vera.

QVartò denique, Suarez disp. 2. de Sacram. sect. 1. Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 5. num. 6. & alii plures ab eo relati, censent eadem verba vel signa coniugum, mutuum consensum exprimentia, esse materiam, quatenus sunt traditio; formam verò, prout sunt acceptatio. Quilibet enim coniugum vtrumque facit iisdem verbis aut signis: nempe & suum corpus alteri tradit, & alterius corpus sibi traditum acceptat, cùm ait, *Accipiote in meum*, *Accipiote in meam*, coniugem scilicet, habentem ius in corpus meum, & mihi simili iure deuinctam. Traditio autem, in ratione contractus, est quid inchoatum & imperfectum, completurque & perficitur per acceptationem. Quare traditio mutua vtriusque coniugis habet rationem materiæ, & acceptatio rationem formæ. 31. Traditio & acceptatio non sunt materia & forma.

Sed contra: primò, hæc opinio non congruit verbis Florentini paulò ante relatis: quia non distinguit & assignat res pro materia, & verba pro forma, vt Concilium postulat, & fit in omnibus aliis sacramentis: sed aut verba sola, aut res & verba simul, id est, consensum verbis, aut signis aliis expressum, assignat partim pro materia, partim pro forma, sub diuersa tantùm consideratione. Secundò, sicut quando traditio præcedit acceptationem, perficitur per acceptationem: ita vice versa, quando acceptatio præcedit traditionem, perficitur per traditionem. Potest autem præcedere acceptatio. Quia v. g. potest quis priùs velle habere dono agrum ab aliquo, eumque petere: & alter posteriùs donare, vel promittere, atque ita complere contractum donationis, aut stipulationis perfectæ, iuxta L. 1. §. *Si quis*, ff. de verborum obligat. Ergo acceptatio est æquè apta perfici & compleri per traditionem, atque traditio per acceptationem. Ergo quando ambæ simul tempore concurrunt, vtraque alteram æquè perficit: & neutra est potiùs forma contractus, quàm altera. Sic autem res se habet in contractu matrimonii. Quia neuter coniugum se tradit absolutè, nisi alter acceptet, & reciprocè se tradat. Quare traditio & acceptatio alterius, est positio conditionis necessariæ vt traditio coniugis sit absoluta & perfecta. Ergo non priùs se tradit absolutè, quàm alter acceptet, ac reciprocè se tradat. Ex quo tertium sumitur argumentum contra Suarem. Quia cùm traditio vnius coniugis perficiatur per traditionem alterius, æquè ac per eius acceptationem: & æquè ac traditio mutua per mutuam acceptationem, vt iam ostendimus: non enim aliter tradi- 32. Probatur ex Florẽt.

Digitized by Google

corporum traditionẽ continere æquiualenter verba, nihil aliud eſt in rei veritate, quàm ſufficere ſine verbis, & non egere verbis ad contractum perficiendum. Sicut vice verſa, traditio verbalis non eget traditione reali. Quare dicere traditionem corporum continere æquiualenter verba, nihil eſt aliud, quàm dicere non egere verbis, & ſufficere ad contractum ſine illis. Ergo hoc eſt dicere traditionem corporum ſine verbis, eſſe totum contractum matrimonii, ac proinde eſſe materiam & formam, quibus conſtat matrimonium. Ergo hoc eſt dicere verba non eſſe formam illius contractus.

37. Mutuus conſenſus internus eſt materia: ſigna quibus exprimitur, ſunt forma.

His itaque reiectis, cenſeo reſpondendum eſſe propoſitæ difficultati, materiam contractus & ſacramenti matrimonii eſſe mutuum conſenſum internum: formam verò eſſe ſigna externa conſenſum internum exprimentia, quæ regulariter ſolent eſſe verba. Quam ſententiam tenent Rebellus 2. p. de obligat. Iuſtiæ lib. 2. quæſt. 4. ſect. 3. num. 12. Couarr. & Iuriſtæ communiter, & alii plures quos citantur à Rebello, & à Sanches lib. 2. de Matrimonio diſp. 5. num. 2. Eandem tradit S. Thomas in 4. diſt. 26. quæſt. 2. art. 1. ad 1. & 2. & quæſt. 42. Sup. art. 1. in ſolutione 1. & 2. vbi aſſerit actus contrahentiũ eſſe materiam ſacramenti huius, ſicut in ſacramẽto pœnitẽtiæ, actus pœnitentis ſunt ipſius materia: formam verò eſſe verba, quibus conſenſus maritalis exprimitur; non autem benedictionem ſacerdotalem, quæ tantùm eſt ſacramentale quoddam, id eſt, ſacra quædam cerimonia in ſacramento celebrando ex vſu Eccleſiæ adhiberi ſolita. Ratio præcipua eſt, quia cùm iuxta Florentinum in Decreto Eugenii, matrimonium perficiatur mutuò contrahentium conſenſu regulariter per verba de præſenti expreſſo: debet in his duobus, nullo extrinſecùs aſſumpto, reperiri eius materia & forma intrinſeca. Cúmque iuxta idem Concilium ibidem §. *Hæc omnia*, ſacramenta omnia nouæ legis tribus perficiantur, rebus vt materia, verbis vt forma, & perſonâ miniſtri: debent verba formalia, quæ regulariter adhibentur in matrimonio, aut alia ſigna æquiualentia, aſſignari pro eius forma: & conſenſus internus, qui exprimitur per huiuſmodi verba, debet aſſignari pro materia, veluti res à verbis diſtincta. Confirmatur, quia conſenſus internus eſt quid magis imperfectum in ratione ſigni ſenſibilis, quàm verba, vel ſigna æquiualentia. At in ſacramentis id quod eſt magis imperfectum, & indeterminatum in ratione ſigni, habet locum materiæ: & id quod perficit, & determinat ad ſignificandum, habet rationem formæ: ſumptâ analogiâ ex corporibus naturalibus, in quibus materia eſt quid fundamentale & imperfectum, quod determinatur & perficitur per formam.

38. Contra hanc ſententiam fruſtra opponit Sanchez diſp. cit. conſenſum mutuum internum eſſe per ſe inſenſibilem. Quia ſicut in ſacramento pœnitentiæ contritio, vel attritio interna, quamuis per ſe inſenſibilis, eſt nihilominus vna pars materialis ſacramenti pœnitentiæ: ſic in matrimonio conſenſus internus, quamuis per ſe inſenſibilis, poteſt eſſe tota materia. Sufficit enim vt poſſit fieri ſenſibilis per formam: neque eſt neceſſarium ſacramenta eſſe omni ex parte ſenſibilia per ſe. Prima obiectio dilatur.

Fruſtra quoque opponunt Vaſques, & Delugo, locis ſuprà citatis, materiam ſacramenti debere eſſe aliquid magis indifferens, aut indeterminatum ad ſignificandum, quàm formam, ſicut in aliis compoſitis materia eſt aliquid magis indifferens, & determinabile per formam. At conſenſus internus non eſt magis indifferens aut indeterminatus, quàm verba externa; quia fertur ad hunc numero coniugem accipiendum, & ad alia omnia, ad quæ feruntur verba. Reſpondeo enim conſenſum internum de ſe non ſignificare ſenſibiliter, ſed ad hoc perfici, & determinari per verba, vel alia ſigna ſenſibilia. Significatio autem ſacramentorum perfecta, ſenſibilis eſt: & quod determinat ac perficit in eſſe ſigni ſenſibilis, determinat ac perficit in eſſe ſacramẽti. Ad id verò quod addũt aliqui Recent. formã eſſe aliquid perfectiùs conſtituens, quàm materiam: Matrimonium autem, quod eſſentialiter eſt contractus, perfectiùs conſtitui per conſenſum internum, quàm per verba, quæ non eſſent neceſſaria, ſi poſſent homines videre conſenſum internum. Reſpondeo falſum eſſe id, quod aſſumunt, in formis artefactorum: quis enim dicat figuram triangularem adamantis v. g. eſſe quid perfectius ipſo adamante: aut figuram circuli aũrei eſſe nobiliorem auro? Sacramenta verò ſunt quædam artefacta moralia. Imò etiam falſum eſt in omnibus formis accidentalibus, quæ ſunt imperfectiores ſubſtantiali ſubiecto quod informant. Soluitur ſecunda.

39. Refutatur tertia.

Fruſtra quoque opponit auctor poſtremò nominatus diſp. 2. de Sacrament. num. 11. ſi conſenſus internus coniugum eſſet materia in ſacramento matrimonii, eodem modo conſenſum internum Epiſcopi ordinantis v. g. fore materiam ſacramenti ordinis. Quia hic cõſenſus non minùs ſignificatur, & non minùs neceſſariò & eſſentialiter requiritur ad valorem ſacramenti ordinis, quàm conſenſus internus coniugum in matrimonio. Reſpondeo enim differentiam eſſe. Quia ſacramentum ordinis non eſt contractus, vt matrimonium: ſed eſt ſacra cerimonia tradens naturali quodam & neceſſario modo, id eſt, non libero, poteſtatem aliquam moralem, & gratiam ſanctificantem ei qui ordinatur. Cui cerimoniæ extrinſeca eſt intentio miniſtri ordinantis, vt cauſa efficiens talem cerimoniam. At verò matrimonium eſt contractus eſſentialiter. Omni autem contractui eſt eſſentialis conſenſus internus, & obligatio voluntaria ac libera,

Digitized by Google

quâ aliquid ex animo promittitur, vel traditur.

40. Instat Delugo, quia Florentinum distinguit apertè intentionem ministri à materia, cum sic ait: *Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & personâ ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.* Ergo consensus internus contrahentium non est materia in sacramento matrimonii. Nam ille consensus internus est intentio celebrandi illud sacramentum. Neque enim habent aliam voluntatem, aut intentionem internam coniuges, nisi illum consensum internum, quem exprimunt per verba. Vel certè non est necessaria alia intentio. Nam consensus internus est voluntas obligandi se alteri coniugi. Hæc autem est voluntas faciendi id quod necessarium est ad obligationem contrahendam: & per consequens faciendi verum & legitimum matrimonium.

Instantia repellitur.

41. Respondeo, primò, verba Florentini in rigore non distinguere intentionem à materia, sed personam ministri. Ait enim: *Et persona ministri cum intentione* &c. id est, ministri intendentis facere quod facit Ecclesia. Itaque tertium quod assignat, est persona ministri, sive eius intentio distinguatur à materia, sive non. Secundò dico, intentionem faciendi id quod facit Ecclesia, quam Florentinum requirit in omnibus sacramentis, esse intentionem efficacem, & causam sacramenti efficientem, ex qua scilicet minister sacramenti applicat potestatem, quam habet à Deo, faciendi sacramentum: & esse intentionem faciendi id quod Christus instituit, sive id quod Ecclesia facit, id est, exercendi actionem illam aut cerimoniam, non vt prophanam, sed vt sacram, ad eum finem ad quem à Christo instituta est. Hæc autem intentio in matrimonio non est solus & purus consensus internus tradendi se mutuò. Quia potest esse consensus internus absque intentione faciendi quod facit Ecclesia: sicut est de facto in infidelibus matrimonium contrahentibus contractu tantùm ciuili.

Intentio differt à consensu qui est materia sacramenti.

Vnde non est verum quod dicitur in obiectione, consensum internum præcisè esse intentionem celebrandi sacramentum matrimonii: & coniuges non habere, aut necessariò debere aliam intentionem habere, quàm consensum illum internum qui exprimitur per verba illa, *Accipio te in meum, Accipio te in meam.* Nam infideles habent illum consensum, sine intentione faciendi sacramentum. Et fideles non efficerent sacramentum, si nihil aliud haberent. Denique aliud est voluntas solum se obligandi alteri coniugi: & aliud voluntas celebrandi sacramentum, & faciendi id quod facit Ecclesia. Nam infideles habent priorem voluntatem, & quidem efficacem, sine posteriori. Verè enim & legitimè contrahunt. Fideles verò, seu Christiani, si non possunt validè contrahere nisi contrahant sacramentaliter, vt fert multorum sententia: debent non modò velle contrahere obligationem; sed velle contrahere cum ea intentione, vt hæc cerimonia efficiant id, quod Christus & Ecclesia intendit. Ac nisi hoc habeant & velint, non habent neque volunt quidquid est necessarium ad faciendum verum, & legitimum matrimonium inter ipsos. Sin autem possunt contrahere validè non contrahendo sacramentaliter, vt dicemus sect. 6. possunt velle, & habere quidquid est necessarium ad verum, & legitimum matrimonium; quamuis non velint, neque habeant quidquid est necessarium ad faciendum sacramentum. Et quamuis vnico actu physicè possit coniux vtrumque velle: potest enim vnico actu velle contrahere sicut Christus instituit: Tunc tamen ille actus est duplex virtualiter. Aequivalet enim his duobus, *Volo contrahere matrimonium cum tali*: &, *Volo facere hunc contractum, sicut Christus instituit.* Verùm ille actus non sufficeret efficiendo sacramento. Quia intentio ministri debet naturâ saltem præcedere applicationem materiæ & formæ ab ipso factam, sive vsum earum rerum, ex quibus conficit sacramentum. Debet enim illud efficere ex vsu voluntario potestatis, quam à Christo accepit vt suo loco diximus disputando de Sacramentis in genere.

Refellitur obiectio.

Frustra denique hæc opponit Melchior Canus, lib. 8. de locis cap. 5. Primò, cætera omnia sacramenta perfici formaliter verbis ministri distincti à suscipiente: ergo & matrimonium: quia non conuenit, vt sacramentum fiat ab eo ipso, qui suscipit: sicut non debet esse idem qui sanctificat, & qui sanctificatur. Secundò, Trident. sess. 24. cap. 1. de Reformat. matrim. præscribit formulam verborum à sacerdote seruandam, *Ego vos coniungo* &c. Quod dum ait sacerdos, vel aliquid efficit, vel vanè loquitur. Si primum: verba illa sunt forma sacramenti. Secundum autem absurdum est. Tertiò, Euaristus epist. 1. causa 30. quæst. 5. can. 1. dicit matrimonia esse illegitima, & adulterina, si fiant sine sacerdotali prece, & benedictione. Ergo illa requiritur necessariò tanquam essentialis forma. Quartò, forma sacramenti debet esse sacra: qualis non est simplex contrahentium expressio mutui consensus, quæ est prophana & communis.

42. Altera oppositio trimembris.

Ad primum enim Respondeo primò, non eandem omnium sacramentorum esse naturam, vt ex multis aliis differentiis liquet. Secundò, in sacramento Eucharistiæ suscipientem non semper distingui à ministro, & sanctificatum à sanctificante ministerialiter. Idem enim sacerdos qui sacramentum conficit, eodem vtitur ad sanctificandum seipsum.

Satisfit illustrantur.

Ad secundum Respondeo primò, verba illa determinatè non requiri à Tridentino: sed hæc vel alia, secundum locorum consuetudinem.

43.

Digitized by Google

suetudinem. Secundò, sacerdotem per illa verba coniungere solemniter, & accidentaliter in facie Ecclesiæ, perficiendo ex parte celebritatem, & solemnitatem sacramento accidentariam, & habendo ratum nomine Ecclesiæ id quod à contrahentibus factum est.

Quo sensu matrimonia dicatur ab Euaristo illegitima sine benedictione sacerdotali.

Ad tertium respondeo, Euaristum ibidem alia multa requirere quæ sine dubio de essentia sacramenti non sunt: vt quod debeant coniuges triduo post nuptias abst nere ab vsu, & vacare orationi. Matrimonia verò sine his cerimoniis celebrata ideo vocat illegitima, & adulterina, non quia nulla essent, quod ne quidem Canus intendit, idcóque malè hoc argumento vtitur: sed quia erant illicita & prohibita, & adulteriis ac fornicationibus similia, non substantiâ quidem, sed qualitate malâ & vitiosâ, vnde per amplificationem & exaggerationẽ cum adulteriis ea comparat, ad ostendendâ eorum turpitudinem. Simili modo loquendi S. Augustin. lib. 1. de nuptiis & concupiscentia cap. 15. dicit eos qui cum intentione impediendi generationem commiscentur, & propagationi prolis obsistunt, siue voto, siue opere malo; non esse veros cõiuges, sed adulteros, nec vllam nuptiarum retinere veritatẽ, sed honestum nomen velãdæ turpitudini obtendere. Quia nimirum intentione magis adulteris quam coniugibus dignâ, coniugio vtuntur. Caterum, quamuis Euaristi tempore, & ab initio, Ecclesia semper clandestina matrimonia iustissimis de causis detestata fuerit, & seuerè prohibuerit: sola tamen prohibitio non reddebat ea inualida. Vnde Concilium Trident. sess. 24. cap. 1. de reformatione matrimonii, ad certens prohibitiones illas, propter hominum inobedientiam, iam non prodesse; & grauia peccata perpendens, quæ oriuntur ex huiusmodi matrimoniis, præsertim verò eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore vxore, cum qua clam contraxerunt, relictâ, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio viuunt: statuit vt in posterum non modo essent prohibita, sed etiam planè inualida, & irrita, inhabiles reddens eos omnes, qui sic contrahere attentabunt. Ante hanc verò constitutionem fuisse tantùm prohibita probabilius est, vt dicemus inferiùs disput. 71. section. 5. Et quamdiu solùm Ecclesiæ prohibitione vitiata est, fuerunt rata & vera matrimonia, quamuis illicita, vt disertè affirmat Trident. eod. cap. Quare non assentior Vasqui contrarium asserenti disp. 3. de Matrim. cap. 7. Neque etiam placet responsio Bellarm. lib. de Matrim. cap. 8. § *Sed hoc testimonium*, interpretantis Euaristum de præsumptione in foro externo.

44. Ad quartum respondeo, in contractu coniugali fidelium habentium intentionem faciendi quod Christus instituit, nihil esse prophanum & commune, sed totam actionem sacram esse, & sacramentalem ex Christi institutione: & de matrimonio præsertim fidelium à Paulo dictum esse Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Non est autem necesse vt vel forma, vel materia expresè significet gratiam sanctificantem: quemadmodum neque alia sacramenta illam expresè significant.

SECTIO V.

Corollaria ex præcedentibus: deque ministro, & subiecto sacramenti matrimonii.

45. EX dictis collige primò, sacramentum matrimonii non posse nisi per ipsos coniuges effici. Nam cùm essentialiter consistat in mutuo eorum consensu, fieri non potest vt sine ipso constet: & consensus ille mutuus, cùm sit actus vitalis vtriusque, sine vtroque exerceri nequit. Aliter verò dicendum est de statu seu vinculo coniugali, quod est effectus sacramenti matrimonii. Neque enim dubitandum est quin Deus solus illud facere possit sine vllo consensu coniugum, vt fusè probat Franc. Victor. parte 1. Relect. de matrim. num. 4. & nos inferiùs ostendemus disputatione 71. sect. ope prima, quia cum hoc vinculum nihil sit aliud, quàm mutuum corporum dominium in ordine ad copulam: & Deus sit multò magis Dominus nostrorum corporum, quàm nos ipsi: multò magis potest eorum dominium tradere alteri, quàm nos ipsi. Addunt aliqui Deum sic primos parentes coniunxisse, propter illud Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Sed hæc verba generaliùs de quocunque matrimonio prolata fuerunt, vt ex contextu liquet. Neque probabile apparet matrimonium primum (quod aliorum velut exemplar esse debebat) non aliorum more & modo magis naturali fuisse initum. Insinuat præterea Victoria loco cit. § *Verum ex hoc loco*, posse similiter Ecclesiasticam potestatem supplere consensum mutuum contrahentium, & sine illo efficere vinculum coniugale. Sed communis sententia Doctorum omnium, cui ipse tandem acquieuit, nulli humanæ potestati vim talem concedit: idque pro certo habendum esse ostendemus citata disp. 89. sect. 1. num. 7.

Sacramentũ hoc non potest fieri nisi per ipsos coniuges.

46. Posset etiam supplere Deus exterioris signi defectum, si duo merè interiùs consentirent, & Deus vtrique reuelaret consensum alterius, ac per eam reuelationem alter ad alterum reciprocè consensum suum dirigeret, vt per signa externa fit; siue hoc per conceptus ipsos immediatè cognitos, siue aliter fieret. Hic tamen contractus non esset humanus, id est, humano modo factus: neque sacramentum propriè dictum. Quia de ratione sacramenti nouæ legis propriè dicti est, vt sit signum sensibile. Et omnis contractus humanus, aut pactum humanum, essentialiter requirit internum consensum contrahentium, externo signo expressum; quia

Posset Deus supplere signa externa.

sine aliquo signo externo, & sensibili, non possunt humano & naturali modo pacisci, & contrahere inter se, per solum consensum internum alteri parti ignotum. Atque ex his duobus, consensu scilicet & signo externo, coalescit omnis contractus humanus, tanquam ex partibus vnum integrum actum humanum promissionis, aut traditionis constituentibus: ita vt vtrumque in essentiali eius conceptu includatur. Confirmatur, quia non potest esse vera promissio, aut traditio, nisi ad alterum dirigatur, & ita fiat, vt ab ipso acceptari possit. Ad hoc autem non sufficit humanitus consensus interrus sine aliquo signo externo: quod proinde est de intrinseca ratione perfectæ traditionis, aut promissionis humano modo factæ. Ita vt signum illud externum non habeat tantùm rationem signi respectu traditionis, quasi extra ipsum sit perfecta traditio, quam dumtaxat significet: sed sit traditio partialis, & pars intrinseca & essentialis humanæ traditionis totalis & perfectæ.

47. Conuges sunt illius minister & subiectum.

Collige secundò, ministrum & subiectum sacramenti matrimonii non esse alios quam ipsosmet contrahentes. Quippe qui soli ponunt materiam & formam: consensum scilicet, & signum quo exprimitur. Idemque recipiunt illud sacramentum, quia sunt subiectum contractus quo se reciprocè tradunt & accipiunt, seque per signa suos conceptus exprimentia vniunt ac deuinciunt inuicem. Ad hoc autem vt sacramentum validè efficiant & recipiant, requiritur vt sint baptizati, & intendant facere quod Christus instituit, vtque nec à natura ipsa, nec à iure positiuo sint inhabiles ad contrahendum. Vt verò non solùm validè, sed etiam licitè contrahant, debent esse in statu gratiæ: alioquin, si sui status, atque debiti, sibi conscii sunt; peccant & quatenus sunt subiectum, & quatenus etiam sunt ministri sacramenti, iuxta communem sententiam. Debent item in contrahendo seruare Ecclesiæ statuta quædam, de quibus infra dicemus, cum disputabitur de impedimentis prohibentibus non dirimentibus, & de prærequisitis ad matrimonium licitè contrahendum.

Vide disp. 70. sect. 8. & disp. 71. sect. 3. & 4.

48. Est vnum numero inter duos coniuges.

Collige tertiò, sacramentum Matrimonii non esse nisi vnum numero in duobus coniugibus. Quia est contractus essentialiter, qui tantùm est vnus inter duos, partialiter ab vnoquoque, velut à causa tum materiali, tum efficiente dependens. Hinc etiam fit vt matrimonium non possit claudicare ex altera parte: id est, non possit esse ex parte inualidum; sed vtrumque coniugum æqualiter obliget, sicut ab vtroque essentialiter & indiuisibiliter pendet.

Nõ potest esse eum non-baptizato.

Collige quartò, Christianum contrahentem cum infideli non baptizata, non contrahere sacramentaliter. Nam tale matrimonium non potest esse sacramentum propriè dictum: quia altera pars est incapax sacramenti huius recipiendi, defectu Baptismi. Matrimonium autem vt sacramentum pendet essentialiter ab vtroque coniuge, velut subiecto, & causa efficiente. Sed quamuis ambo sint Christiani, si tamen vnus non intendat efficere id quod Christus instituit, sacramentum non fit. Et hic quidem contrahendi modus inter Christianos est malus & illicitus. Quoniam Christus instituendo matrimonium in sacramentum, voluit vt non aliter contraherent Christiani, quàm efficiendo sacramentum. An verò etiam sit inualidus; vel posito quòd validus sit, fieri postea sacramentum possit, accedente intentione debita, vel renouato contractu cum intentione faciendi sicut Christus instituit, dicemus sectionibus proximè sequentibus.

49. Tria in re distinguenda.

Quòd si interroges, quomodo sint hic distinguenda tria illa, quæ in quolibet sacramento distinguuntur à Theologis, nempe res tantùm, sacramentum tantùm, & res simul ac sacramentum? Respondeo cum D. Thoma in 4. distinct. 26. quæst. 2. artic 1. ad 4. & 5. Ricardo, Soto, Vasque, & aliis, sacramentum tantùm esse actus sensibiles contrahentium; quia tantùm significant: rem & sacramentum simul, esse vinculum & obligationem, quæ oritur ex actu contrahendi; quia significatur per actus exteriores ipsorum contrahentium, & significat coniunctionem Christi cum Ecclesia per gratiam. Denique rem tantùm esse gratiam, quæ virtute sacramenti confertur.

50. Debet fieri inter personas habiles.

Collige quintò, non quemlibet contractum mutuæ traditionis & acceptionis sufficere ad matrimonium: sed illum, quo personæ legitimæ, id est, non impeditæ quò minùs validè contrahant, dant sibi mutuò & reciprocè ius in ordine ad copulam, & liberorum procreationem. Nam si aliter ad mutuam societatem & conuictum, vel simile consortium duo contraherent: etiamsi vnus esset mas, & alter fœmina, non esset matrimonium. Vt patet tum ex voce ipsa matrimonii: sic enim dicitur, eò quòd ineatur vt vxor mater fiat: tum ex eiusdem communi definitione, Est coniunctio maritalis viri & fœminæ, inter legitimas personas, indiuiduam vitæ societatem retinens. Dicitur enim, *maritalis*, id est, in ordine ad copulam.

51. Requiratur ne perfectũ debitum ad copulã.

Non est tamen necessarium vt coniuges suscipiant perfectum debitum ad copulam. Possunt enim illud multipliciter impedire, seu ligare ius illud & dominium, vt nunquam licitè valeat exire in actum. Cùm enim dominium distinguatur ab vsu, & matrimonium essentialiter ac necessariò non aliud inducat, quàm mutuum dominium vtriusque in corpus alterius, & mutuam subiectionem huic dominio respondentem: potest tale dominium sine vsu

conſiſtere, & ſine perfecta atque expedita vndequaque obligatione ad vſum: imò & cum obligatione contraria, vt cùm ambo coniuges vouerunt caſtitatem ex mutuo conſenſu. Nam talis obligatio ex virtute religionis, non repugnat incompatibiliter dominio ipſi, aut eius traditioni, debitoque iuſtitiæ orto ex contractu: ſed tantùm impedit illius vſum. Neque id nouum eſt, aut ſpeciale dominio matrimonii, vt quoad vſum impediri poſſit. Nam ſimiliter alia multa quoad dominium traduntur, retento vſu vel abſolutè, vel ad tempus: ſæpeque fit vt eiuſdem rei, dominium directum ſit penes vnum; & dominium vtile, ſeu ius vtendi, atque vſus ipſe ſit penes alium. Et vt Aegidii exemplo vtar, poteſt Dominus quilibet mancipii ſui operam omnem alteri elocare. In quo caſu tametſi non amittat dominium, ſed ſemper iſte Dominus ſit, & ille ſeruus: non tamen poteſt inuito conductore aliquod opus ſeruo imperare: neque hic teneretur imperanti obedire, quippe quia non imperat legitimè. Sic etiam in matrimonio, cuius vſus non debetur proximè, ſeu perfectè, niſi legitimè exigenti.

52. Inde etiam fieret, vt ſi qui taliter contraxerunt, vterentur matrimonio; copula inter eos habita non eſſet propriè fornicatio: quia non eſſet acceſſus ad non ſuam: ſed eſſet ſacrilegium contra ius Deo acquiſitum per votum. Vnde per nudam diſpenſationem illius voti, ſine vlla alia traditione, redderetur ius illud omnino expeditum, & copula proximè deberetur, atque licita fieret. Sicut autem dominium impeditum quoad vſum, non eſt æquè perfectum, atque illud quod expeditum eſt: ſic neque tale matrimonium eſt æquè perfectum ratenus in ratione matrimonii: tametſi quoad alias rationes matrimonio extrinſecas longè perfectius eſſe poſſit. Quale fuit ſanctiſſimum coniugium inter Beatam Virginem, & Sanctum Ioſeph, quod propter continua maximarum virtutum exercitia, & Chriſti Domini amorem & curam ſingularem, & alia bona & priuilegia ſpecialia, cæteris omnibus coniugiis antecelluit.

53. Requiritur conſenſus de præſenti.

Vlteriùs, requiritur verus cõſenſus de præſenti in veram, & actualẽ, ſeu præſentem traditionem ſui, & acceptationẽ alterius, qui per verba de præſenti exprimatur, aut per ſigna æquiualentia: non vi ſeu metu graui, & iniuſto extortus, non per cõditionem ſuſpenſus, non alia praua affectione vitiatus, propter quam ex natura rei, vel à iure poſitiuo ſit irritus. De quibus omnibus dicemus ſequent. diſp. 71. & 73. Addũt aliqui neceſſarium eſſe vt coniuges ſimul contrahant obligationem illam, vt neuter poſſit, altero viuo, copulari tertio: & vt in vinculum inſolubile conſentiant, ſaltẽ tacitè intendendo contrahere vinculum perpetuum: quia vtrumq; eſt de eſſentia matrimonii, vel cum illo connexum inſeparabiliter, ac neceſſarium ad illius valorem.

53. Et verum quidẽ eſt debere cõſenſum tacitè, vel expreſsè ferri in id omne, quod ad valorẽ matrimonii neceſſariò requiritur, vel cũ illo inſeparabiliter connexum eſt, ſiuę ex natura rei, ſiue ex iure poſitiuo. Quia qui aliquid abſolutè vult, neceſſariò vult, ſaltẽ implicitè ea omnia, quæ ſunt ipſi neceſſariò connexa, & ſine quibus eſſe nequit. Verum verò ſit eſſentiale matrimonio, vel ipſius eſſentiæ neceſſariò connexum, vel ad eius valorem requiſitum ita contrahere cum vno, vt eo viuo non poſſit alter copulari tertio, vel vt vinculum ſit planè inſolubile, dicemus inferiùs diſp. 72. Interea ſuppono nequidem nunc matrimoniũ eſſe penitùs inſolubile. Nam ante cõſummationem poteſt quilibet coniugũ profeſſionẽ emittere in Religione approbata. Et ſi alter eam ob causam deteratur ab altero: poterit, eo quãdiu adhuc viuente, copulari tertio: in quo etiam caſu priùs vinculum ſoluitur. Idemque dico de aliis cauſis propter quas vinculũ matrimonii poteſt licitè diſſolui, de quibus agemus loco citato. Rurſus licet in lege Euangelica nõ ſit validum matrimonium, niſi vnius cum vna: & inter chriſtianos ſit omnino inſolubile poſt cõſummationem: olim tamen in lege Moſaica vera erant matrimonia, non obſtante conceſſione polygamiæ, ac libelli repudii. Et nũc licet ius idem concederetur à Deo, id non obſtaret quò minùs matrimonium verum, atque ſacramentale eſſe poſſet. Quare falluntur, qui de natura contractus matrimonii generatim id eſſe putant, vt neque polygamiam, neque diſſolutionem vinculi pati vllo modo poſſit. Tametſi contractus matrimonii, vel ex natura rei, vel à diuina inſtitutione, vel ab vtroque, multo plus habet firmitatis, quàm alii contractus: neque ſecundum ſtatum primarium, qui à Chriſto Matth. 19. reſtitutus fuit, diſſolutionem niſi paucas ob cauſas, polygamiam verò, id eſt, plures ſimul vxores pati nullo modo poſſit, vt oſtendemus citatâ diſputatione ſeptuageſima ſecunda.

Illius obiectum neceſſarium.

SECTIO VI.

Poſſitne ratio Sacramenti ſeparari à ratione Matrimonii?

54. Status quæſtionis

SEnſus quæſtionis eſt, poſſitne dari verum Matrimonium, & validum in ratione contractus ciuilis, quod tamen non ſit Sacramẽtum? Eſtque ſermo duntaxat de Matrimoniis chriſtianorum, & ab eo tempore, quo in lege Euangelica Chriſtus ciuilem cõtractum Matrimonii euexit ad dignitatem Sacramenti propriè dicti, id eſt, ſigni practici, & efficacis gratiæ ſanctificantis. Nam quod in lege Naturæ, & Moſaica, atque etiam nunc inter infideles non baptizatos fuerit, & ſit adhuc ratio contractus ciuilis, verumque & validum matrimonium ſine ratione ſacramenti, dubitari iure nequit. De Matrimoniis verò chri-

stianorum duæ sunt contrariæ sententiæ.

55. Sententia negant,

Prima negat posse christianos valide contrahere, nisi contrahant sacramentaliter. Ita Sanches lib. 2. de Matrim. disp. 10. num. 6. Aegid. Coninck disp. 24. dub. 2. concl. 4. & quidam alii. Fundamentum illorum est, quia ex institutione Christi ratio sacramenti est inseparabiliter annexa contractui fidelium, ita vt, nisi intendant efficere Sacramentum, nihil prorsus efficiant. Talem autē fuisse Christi institutionem probat Aegid. loco cit. primò quia Florent. & Trid. absolutè definiunt Matrimonium fidelium esse Sacramentum: nā qua generali definitione non potest vllum excipi. Secundò, quia ex oppositō sequerentur duo absurda. Vnum est, Matrimonia clandestina contracta valide ante Trident. non fuisse communiter sacramenta: quia sic contrahentes non intendebant communiter suscipere Sacramentum, sed solùm inire contractum ciuilem: & vel de Sacramento non cogitabant, vel certè non volebant tam irreuerenter suscipere. Absurditas verò sequelæ satis patet per se, & repugnat Trident. sess. 24. cap. 1. Decreti de Reformatione Matrimonii, vbi talia Matrimonia vocat rata: quo nomine ea tantùm appellare solemus, quæ habent rationem Sacramenti. Alterum absurdum est, quoslibet fideles contrahentes Matrimonium posse absque peccato intendere solum contractum ciuilem celebrare. Quia si potest separari contractus à ratione sacramenti, nulla est lex diuina, vel humana, quâ obligentur velle suscipere Sacramentum: imò si essent in statu peccati mortalis, neque haberent commoditatem se reconciliandi cum Deo, laudabiliter id facerent.

Illius fundamentū.

56. Vera sententia.

Secunda sententia præcedenti opposita, & meo iudicio probabilior, est Vasquis tom. 2. in 3. part, disput. 138. cap. 5. initio, Rebelli parte secunda, de obligationibus iustitiæ lib. 2. quæst. 5. concluf. 1. vbi affirmat esse communem Doctorum: Bonacinæ quæst. 2. de Matrim. punct. 5. num. 4. & Basilii Pontii lib. 1. cap. 9. num. 3. vbi pro eadem citat Scotum, Bassolium, & Almainum. Eandemque tenent quicunque affirmant Matrimonium inter absentes initū per procuratores esse quidem validum, sed non esse Sacramentum, vt videbimus paulò post. Probatur autē primò, & præcipuè, quia nullum profertur solidum fundamētum, aut sufficiens indicium talis institutionis Christi, qualem prætendit prima sententia, & in qua sola fundatur: cùm neque ex Scriptura, neq; ex Conciliis, aut Patribus, vel ex communi Doctorum cōsensu proferri vllum possit, vt patebit ex solutione argumentorum. Probatur 2. quia Matrimonium censendum est validum in vtroq; foro, quando nullum ius exprimit esse invalidum: iuxta Extrauagantem Ioannis XXII. *Antiquæ*, de Voto. Atqui nullum ius exprimit invalidū esse Matrimonium à fidelibus initum, sine intentione celebrandi Sacramentum: sine qua tamen non possunt contrahere sacramentaliter: quia non modò sunt subiectum, sed etiam ministri huius Sacramenti. Intentio autē ministri est prorsus necessaria ad valorem sacramentorum, vt definit Florētinum in Decreto Eugenii. Tertiò denique si aliqui sine tali intentione cōtraxissent Matrimonium, & illud esset inualidū; possent resilire postea, mutuo consensu: neq; enim contraxerunt vinculum perpetuum & insolubile per contractum irritum: imò non possent manere simul nisi de nouo consentirent: ac nisi sponte id facerent, deberent cogi iterum contrahere cum intentione debita, si vellent in coniugio permanere. Hoc autem est contra praxim Ecclesiæ, quæ nullibi cogit iterum contrahere eos, ex quorum confessione constat sine tali intentione contraxisse, propter apostasiam à fide christianā, susceptā in infantiā per Baptismum: vt de regnis Hispaniæ quoad Iudæos baptizatos, fidē christianam postea simulantes, testatur Basil. Pontius loco supra citato.

57. Matrimonium fidelium quomodo est sacramentum?

Ad primum argumentum contrariæ sententiæ respondeo Florent. & Trident. affirmare absolutè Matrimonium fidelium esse sacramentum, id est, vltra rationem contractus ciuilis, accepisse à Christi institutione rationem Sacramenti, & virtutem sanctificandi coniuges. Verùm sicut alia à Christo instituta in Sacramenta, requirunt aliquid ex parte hominum, vt verè habeant rationem Sacramenti, ac sine illo non habent: cuiusmodi est in omnibus intentio ministri: sic & Matrimonium. Exempli gratia, non minùs absolutè dixit Christus Matth. vlt. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Et Marc. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Et tamen certum est ablutionem, & prolationem horum verborum non esse sacramentum, nisi fiat ex intentione faciendi id quod Christus instituit, seu quod facit, & intendit Ecclesia. Neque minùs certum est eandem ablutionem, & prolationem verborum fieri posse absque tali intentione: quippe à qua nullam habet dependentiam naturalē, nec vllam necessariam cōnexionē cum illa. Ergo similiter ex eo quòd Cōcilia absolutè affirment Matrimonium fidelium esse Sacramentum, quódque Christus contractum eorum ciuilem in signum efficax gratiæ instituerit, non sequitur esse tale nisi fiat cum debita intētione, & omnibus ad rationem sacramenti necessariis: non sequitur etiam contractū ciuilem inter fideles nō posse fieri absq; tali intentione, sicut inter alios fit: quippe qui nullā de se cū illa connexionē habet: & argumentum allatū non probat habere illā necessariā, & inseparabilē ab institutione Christi: citra quā euidēs est posse naturaliter fideles, seu baptizatos, æquè ac quoscūque alios, mutuo tradere dominium in sua corpora, & cōsensum maritalē internū verbis, aut aliis signis sibi inuicē manifestare practicè: quæ duo sola ex natura rei requiruntur ad cōtractū Matrimonii inter personas habiles.

Digitized by Google

58. Clandestinũ matrim. erarne sacramentũ?

Ad secundum, nego sequi primum absurdum: & dico fideles communiter, siue clam, siue palam contrahant, intendere, saltem confusè, facere id quod Christus instituit, aut cõtrahere more christianorum: quæ intentio sufficit. Quòd si quis absque illa matrimonium clandestinè contraheret, non esset quidem Sacramentũ: sed nihilominus ratum esset Matrimonium: quia ratũ appellatur etiam illud quod ratione Baptismi suscepti est magis firmũ, & magis insolubile. Addo argumẽtum illud nimis probare: quia ex eo sequeretur talia Matrimonia nõ fuisse valida. Si enim non potuerunt fideles validè contrahere, nisi contrahendo sacramentaliter: & non habuerunt intentionem sic contrahendi, quia non intendebant cõmuniter suscipere Sacramentum, sed solum inire ciuilem contractũ: & vel de Sacramento non cogitabant, vel certè nõ volebãt ea irreuerẽter suscipere, vt ait Aegid. Con. auctor huius argumenti: sequitur euidẽter non contraxisse validè quia non contraxerunt sacramentaliter: sunt enim coniuges ministri huius Sacramenti: & sine intentione ministri nullum sacramentum fit. Hæc autem sequela multò magis est contra Trident. affirmans illa Matrimonia fuisse non modò valida, sed etiam rata.

59. Sitne liberum contrahere nõ sacramentaliter?

Nego etiam sequi alterum absurdum quod à prædicto auctore infertur: nimirum fore liberum fidelibus separare ratione contractus à ratione Sacramenti. Tenentur enim more, & ritu christiano cõtrahere: vt apertè supponit Euaristus Papa in epist. 1. ad Episcopos Africanos, verbis relatis Causa 30. quæst. 5. cap. 1. vbi etiam dicit id à Patribus acceptũ, & à Sanctis Apostolis, eorumque successoribus traditum fuisse. Propter quod etiam hortatur Trid. sess. 24. cap. 1. Decreti de Reformatione Matrimonii, & multis in locis salubriter institutum est, atque præceptum à Cõciliis Prouincialibus, aut Ordinariis locorũ, vt fideles vno aut altero die ante celebrationem Matrimonii confiteantur, & ad sanctiss. mum Eucharistiæ sacramentum piè accedãt: vt scilicet hoc medio certiori procurent esse in statu gratiæ, ne indignè accedãt ad Sacramentum Matrimonii, & eius effectui obicem ponant. Eandem etiam ob causam Ecclesia non solùm prohibuit, verùm etiam irritauit matrimonium fidelis cum infideli non baptizato, vt dicemus inferius disput. 75. sect. 1. quia omnino dedecet Christianum contrahere non sacramentaliter: & non potest contrahere sacramentaliter cum persona non baptizata.

60. Quid si cõtrahitur per procuratores?

Sunt qui existiment non solùm posse aliquando separari rationem sacramenti à ratione Matrimonii inter fideles: verùm etiam necessariò id fieri quotiescunque celebratur inter absentes per procuratores, vel per epistolas. Hoc enim matrimonium validum esse constat ex cap. vlt. de Procuratoribus in 6. & nos alibi fusiùs ostendemus. Sacramentum autem non esse, nec esse posse probant, quia nullum aliud Sacramentum potest absenti conferri: ergo neque Matrimonium: par enim debet esse illius, aliorumque ratio: idemque est fundamentum necessitatis præsentiæ in hoc & in aliis. Idcirco enim nõ potest v. g. Sacramentum Pœnitentiæ conferri absẽti per literas, aut internuncium: quia forma illius *Absoluo te*, dirigitur ad præsentem. Atqui nõ minùs ad præsentem dirigitur ista, vel æquiualens, *Accipio te in meum*. Ergo, &c. Item, sequeretur ex opposito aliquem posse dormiendo peccare grauiter: quia posset dormiendo recipere Sacramentum Matrimonii in malo statu; si nimirum dum ipse dormit, altera pars suum consensum procuratori ad eam misso exprimat. Et denique si Matrimonium celebratum inter absentes esset Sacramentum, non foret opus coniungere postea in facie Ecclesiæ sponsos præsentes. Hoc autẽ falsum est, & cõtra vsum Ecclesiæ. Ergo, &c. Probatur sequela, quia Sacramentum Matrimonii non debet, neque potest iterari inter eosdem. Atque ita sentiunt Caiet. tom. 1. Opusc. tract. 12. quæst. 1. Canus lib. 8. de Locis cap. 5. §. *Pœnitentiæ demum*, Victoria in Summa num. 244. & probabile id esse dicunt Sotus in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3. §. *At verò quatuor*, Petrus Ledesma qu. 42. de Matrim. art. 1. difficult. 7. concluſ. 1. & Rebellus part. 2. De obligationibus iustitiæ lib. 2. q. 5. concluſ. 2.

61. Vera sententia.

Contraria tamen sententia tenenda est: quia ad valorẽ sacramenti Matrimonii Christus non aliud requisiuit, nisi ea quæ ad valorem contractus necessaria sunt, & intentionem faciendi id quod ipse instituit, præsuppositâ capacitate contrahendi sacramentaliter per Baptismum acceptâ. Ergo si contractus per procuratores est validus, vt fatentur aduersarii; est quoque sacramentalis, præsuppositâ intentione, & capacitate contrahentium. Confirmatur, quia ex Florentino in Decreto Eugenii, Sacramenta omnia tribus perficiuntur, materiâ, formâ, & intentione ministri. Materia verò, & forma Sacramenti Matrimonii non est alia, quàm contractus ciuilis validus. Ergo non deest contractui inito per procuratores, siquidem validus est. Ergo si accedat intentio, perficitur in esse Sacramenti. Confirmatur secundò, quia si non esset Sacramentum, Ecclesia non permitteret ita celebrari: vult enim omnino fideles contrahere sacramentaliter: & sine dubio fideles de eo admoneret, ne sic contrahendo priuarent se in perpetuum gratiâ Sacramenti adeo necessariâ ad sustinenda onera Matrimonii. Vel potiùs prohiberet, aut planè irritaret contractum inter absentes, si non possent contrahere sacramentaliter: quemadmodum prohibuit, & irritauit Matrimonium fidelis cum infideli non baptizato, quia non potest inter eos esse Sacramentum. Neque dicas matrimonium ciuiliter contractum inter absentes, fieri sacramentum quando iidem coniuges coram postea contrahunt; tuncque gratiam sacramenti

recipere. Hoc enim falsum esse ostendemus sect. sequenti, num. 66. Atque ita docent è Canonistis Innocent. in caput *Iuuenis*, De Sponsalibus num. 5. Ostiensis in Summa de Sponsal. §. *Qualiter contrahatur*, Couarr. 2. part. de Matrim. c. 1. §. vnico, n. 5. & è Theologis Petrus & Dominicus Sotus; Catharin. Palacius, Angles, Henriq. Bellarm. aliique plurimi, quos citant, & sequuntur Thom. Sanch. lib. 2. disp. 11. n. 27. Valent. quæst. 1. de Matrim. puncto 6. §. *Quare vt Sotus*, Coninck disp. 24. dub. 2. n. 23. Pontius lib. 1. cap. 10. n. 3.

64. Refutatur argument. contr.

Ad primum contrariæ sententiæ argumentum respondeo: Sicut hoc Sacramentum differt ab omnibus aliis, quòd in illis necessariò, & essentialiter requiruntur verba propriè dicta, & ore prolata, ex parte formæ: illud verò regulariter quidem verbis perficitur, potest tamen aliis signis verborum loco celebrari, vt significat Florent. in Decreto Eugenii; ita etiam in eo differt, quòd possit inter absentes celebrari, quamuis alia nequeant. Nimirum quia Christus non aliud ex parte materiæ & formæ ad hoc Sacramentum requisiuit, quàm id quod sufficit ad valorem contractus. Nihil enim illi addere voluit, sed tantùm Sacramenti dignitate eum honorauit. Neque par est illius ratio, ac Sacramenti Pœnitentiæ: quippe cui verba illa ore prolata, & directa ad præsentem, *Absoluo te*, sunt essentialia: At Matrimonio sufficiunt quæcunque signa externa, quibus contrahentes suum consensum inuicem significant. Possunt autem significare per literas, & internuncium; æquè ac per nutus, & verba.

Ad secundum Respondeo, talem non peccare dum actu dormit: sed quando scienter, & liberè coniicit se in periculum recipiendi Sacramentum in malo statu: cúmque illud recipit, consummatur duntaxat illius sacrilegium per actualem receptionem Sacramenti in malo statu. Simili modo, quo cum aliquis scienter, & liberè se vino ingurgitat, præuidens fore vt in ebrietate blasphemet: peccatum formale committitur eo tempore, quo liberè se coniicit in periculum, licet nondum consummatum sit peccatum blasphemiæ, donec actu erumpit in voces blasphemas.

Ad tertium dico nimis probare. Nam ex eo sequeretur contractum illum ne quidem esse validum: quippe qui non potest iterari inter eosdem, non magis quàm ipsum Sacramentum Matrimonii. Deinde nego Matrimonium iterari in casu prædicto. Nam vel supplentur tantùm solemnitates omissæ: vel ratum haberi declaratur à coniugibus præsentibus, id quod antea per procuratores eorum nomine gestum fuit.

SECTIO VII.

Positne Matrimonium ciuiliter tantùm, sed validè contractum inter fideles, aut infideles, fieri postea sacramentum?

64. Prima sententia.

TRes sunt de quæstione propósita Theologorum sententiæ. Quarum prima affirmat Matrimonium ab infidelibus validè contractum fieri sacramentum eo solo, quòd illi ad fidem Christianam conuersi baptizantur, absque nouo eorum consensu, seu renouatione contractus. Primò, quia contractus antea ciuiliter initus, iam incipit significare perfectè coniunctionem Christi cum Ecclesia; quod est proprium Sacramenti Matrimonii. Ergo iam incipit esse Sacramentum. Qua de causa Diuus Thomas quæst. 59. Supplem. art. 2. ad 1. dicit Matrimonium infidelium esse sacramentum, non actu, quia non contrahunt in fide Ecclesiæ, neque adhuc habet perfectam illam significationem: sed habitu duntaxat: quia scilicet statim atque baptizantur, efficitur Sacramentum: alioqui frustra esset potentia, quæ nunquam reduceretur ad actum. Secundò, matrimonium infidelium, quod de se neque ratum est, neque insolubile, eò quòd non sit sacramentum; incipit esse ratum, & indissolubile eo ipso, quòd Baptismum recipiunt, vt dicitur cap. *Quanto*, de Diuortiis. Igitur eo ipso quòd baptizantur, incipit esse Sacramentum. Tertiò, venditio, quæ priùs dissolui poterat voluntate alterutrius contrahentium, dicitur propriè fieri denuò, quando tam firma redditur, vt annullari nequeat. Sed Matrimonium infidelium est solubile voluntate alterutrius ad fidem conuersi, & per Baptismum redditur insolubile. Ergo tunc propriè dicitur fieri: & consequenter fit Sacramentum, modò non desit intentio baptizatorum. Ita Sanches lib. 2. disput. 9. num. 5. vbi pro eadem sententia refert Paludanum, Argentinam, Dezam, & plures alios.

65. Secunda sententia.

Secunda sententia est eorum, qui dicunt Matrimonium validũ infidelium effici quidẽ Sacramentũ quando baptizantur, seu potiùs, quando baptizati sunt; dummodo tamen accedat nouus cõsensus sufficiẽti signo expressus, cum intẽtione faciendi id quod Christus instituit. Quem consensum necessarium esse probãt, quia Sacramentũ non potest existere sine ipsius materia, & forma: neque potest de nouo fieri, nisi de nouo ponantur materia, & forma, in quibus essentialiter consistit. Atqui consensus internus expressus per verba de præsenti, vel alia signa sufficientia, est materia & forma Sacramenti Matrimonii: ergo, &c. Confirmatur, quia hoc Sacramentum consistit essentialiter in fieri cõtractus: sicut Baptismus in fieri ablutionis, & prolationis verborum: cæteraque omnia sacramenta, exceptâ Eucharistiâ, consistunt

Digitized by Google

in fieri materiæ proximæ, & formæ, ex quibus constant essentialiter. Ergo sacramentum matrimonii non fit, nisi contractus actu fiat. Non fit autem quando baptizantur, nisi renouentur consensus & signa. Nam consensus olim datus iam non est. Sufficit tamen vt consensum antiquum verbis, aut nutibus, aut copula maritali approbent, ab affectu scilicet coniugali, & interno consensu procedentibus. Ita multi ex discipulis D. Thomæ, vt testatur Petrus Ledesma quæst. 59. de Matrim. art. 2. dub. 3. quibus ipse accedit: & alii quos citant, & sequuntur Bellarm. lib. 1. de Matrim. cap. 5. in fine, Henriq. lib. 11. cap. 8. num. 1. lit. H. & Rebell. 2. part. lib. 2. q. 6. concluſ. 1. Similique modo censent illorum aliqui matrimonium ciuiliter tantùm contractum à fidelibus, defectu intentionis, fieri posse deinde sacramentum renouato consensu, & accedente debita intentione.

66. Resolutio quæst.

Tertia & vera sententia est, matrimonium siue fidelium, siue infidelium, ciuiliter antea contractum, nunquam postea fieri posse sacramentum. Ratio est quia, cùm sacramentum matrimonii consistat essentialiter in fieri contractus validi inter baptizatos, & liberos ab omni impedimento irritante: non potest fieri sacramentum, nisi fiat ille contractus. Contractus autem præteritus iam non fit, sed iamdiu esse desiit: & nouus fieri non potest, quia contractus matrimonii non potest repeti inter eosdem. Quantumcunque enim consensum renouent, & verba repetant, non efficiunt nouum matrimonium: quod postquam semel factum est, non pendet amplius ab ipsorum voluntate, neque iam habent liberam potestatem tradendi alteri corpus suum, quod iam semel tradiderunt, & alieni iuris fecerunt; neque nouum vinculum maritale inter seipsos efficiunt. Quare ad summum, possunt dumtaxat ratum habere contractum antea celebratum. Matrimonium autem consistit essentialiter in fieri contractus validi, non in sola ratihabitione. Cum ergo non possit iterũ fieri, non potest accipere rationem sacramenti. Ita pleroſque Thomistarum sentire affirmat Pet. Ledesma loco suprà cit. esseque valde probabile fatetur Sanches lib. 2. dil. 9. num. 3. in fine: ab absolutè verò sic docent Durand. in 4. dist. 26. q. 3. n. 14. ex eo sumens argumentum ad probandum matrimonium non esse sacramentum, Vasq. tom. 4. in 3. partem disp. 2. de Matrim. cap. 10. Coninc disp. 24. dub. 2. num. 25. Pontius lib. 1. cap. 9. num. 8. & Mærat. disp. 2. de Matrim. sect. 9. & 10.

67. Quomodo baptismus perficit matrimonium antea contractum.

Ad primum argumentum primæ sententiæ Respondeo, matrimonium infidelium, seu potius vinculum ex eorum contractu relictum, & perseuerans, incipere in Baptismo significare perfectius coniunctionem Christi cum Ecclesia: non quia fit sacramentum, sed quia iam coniuges per Baptismum sanctificati multò melius repræsentant coniunctionem Christi sponsi, & auctoris omnis sanctitatis, cum Ecclesia sancta: atque etiam quia matrimonium illorum firmius iam factum per Baptismum, & non amplius dissolubile fidei causâ, melius exprimit firmitatem, & indissolubilitatem matrimonii spiritualis inter Christum, & Ecclesiam. Sensus autem D. Thomæ loco citato est, quòd matrimonium infidelium, quantum est de se, & ex ratione contractus maritalis, est capax status sacramentalis, illumque verè acciperet, si contraherent in fide Ecclesiæ iam susceptâ per Baptismum: quo sensu dicit S. Doctor *matrimonium tale esse aliquo modo sacramentum habitualiter: quamuis non actualiter, quòd actu non contrahunt in fide Ecclesiæ.* Non autem sensus est, illud ipsum matrimonium, quod contrahitur in statu infidelitatis, & ex suppositione quòd ita sit contractum, posse fieri postea sacramentum: præsertim sine nouo consensu interno, & noua illius significatione, vt volunt aduersarii.

68. Expeditur locus D. Thomæ.

Aliter hunc locum exponit Basil. Pont. cap. cit. num. 7. aiens D. Thomam nomine sacramenti non intellexisse sacramentum strictè sumptum pro signo sensibili conferente gratiam: sed latè, quatenus est mysterium quoddam coniunctionis Christi cum Ecclesia. Quam significationem putauit S. Doctor non conuenire actu matrimonio, nisi suscepto Baptismo. Ex eo autem quòd hæc significatio conueniat matrimonio ratione Baptismi, non rectè infertur matrimonium effici sacramentum propriè, & conferre gratiã, ratione Baptismi. Sed hæc expositio videtur mihi planè aliena à mente D. Thomæ. Quippe qui loco citato manifestè loquitur de sacramento propriè, & strictè sumpto: & alioqui non satisfaceret argumento cui respondet. Nam illud est huiusmodi: Videtur, inquit, quòd inter infideles non possit esse matrimonium. Nam matrimonium est sacramentum Ecclesiæ: sed Baptismus est ianua sacramentorum: ergo infideles, qui non sunt baptizati, matrimonium contrahere non possunt, sicut nec alia sacramenta suscipere. Vbi vides manifestè sermonem esse de sacramentis propriè & strictè sumptis. Idque magis confirmatur ex corpore articuli, in quo iacit fundamentum solutionis argumenti prædicti: aitque matrimonium esse principaliter institutum propter bonum prolis non tantùm generandæ, sed etiam ad perfectionem adducendæ: quæ perfectio, inquit, duplex est: naturæ scilicet, non solùm quantum ad corpus, sed etiam quantũ ad animam per ea quæ sunt de lege naturæ: & perfectio gratiæ. Quarum perfectionum prima est materialis, & imperfecta respectu secundæ. Et ideo cùm res, quæ sunt propter finem, sint proportionatæ fini: matrimonium quod tendit in

primam perfectionem, est imperfectum, & materiale, respectu illius quod tendit in secundam. Et quia perfectio prima communis esse potest fidelibus, & infidelibus: secunda verò tantùm est fidelium: ideo inter infideles est quidem matrimonium, sed non perfectum vltima perfectione, sicut est inter fideles. Hucusque D. Thom. Ex cuius verbis liquet manifestè ipsum loqui de differentia matrimonii inter fideles, & infideles, non quoad perfectionem significationis dumtaxat: sed quoad efficaciam conferendi perfectionem gratiæ sanctificantis, quam solam dicit inesse matrimoniis contractis in fide Ecclesiæ.

69. Quomodo fiant esse ratum.

Ad secundum Respondeo, Innocentium III. cap. *Quanto* suprà citato, affirmare matrimonium infidelium posse dissolui per conuersionem vnius ad fidem, altero manente in infidelitate, & nolente cohabitare pacificè sine contumelia creatoris. Secus autem si alter coniugum fidelium vel labatur in hæresim, aut apostasiam, vel transeat ad gentilitatis errorem. Nam, inquit, *Etsi matrimonium verum inter infideles existat: non tamen est ratum. Inter fideles autem verum, & ratum existit: quia sacramentum fidei quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit coniugii sacramentum, vt ipsum in coniugibus, illo durante, perduret.* Vbi per sacramentum fidei, non intelligit matrimonium; sed baptismum, ita vocari solitum à Patribus, & scriptoribus sacris, eò quòd sit prima, & solemnis christianæ fidei professio: atque per illum ratum effici, hoc est, insolubile matrimonium, quia illius vinculum non potest dissolui eo modo, quo vinculum matrimonii infidelium.

70. Fiatne tunc matrimonium?

Ad tertium respondeo primò cum Aegidio, nimis illud probare: nam ex eo sequeretur fideles consummantes matrimonium efficere denuò matrimonium, & inire nouum contractum: quia prior solui poterat per ingressum alterius partis in Religionem, & alias fortè ob causas, de quibus dicemus alibi: iam autem est planè insolubile. Ac si tunc fieret magis propriè, & perfectè matrimonii contractus; sicut venditio magis propriè, & perfectè fit, quando tam firma efficitur, vt annullari nequeat: deberet tunc potiùs fieri sacramentum matrimonii: aut saltem deberet fieri nouum sacramentum. Sique potest inter eosdem iterari contractus matrimonii: quidni etiam sacramentum supposito Baptismo, & debita intentione in vtroque contractu? Respondeo secundò & directè venditionem, quamdiu solâ alterius voluntate solui potest, non censeri factam, sed inchoatam: fit autem, quando firmitatem accipit. At matrimonium infidelium ex natura sua firmius est, quàm vt sola contrahentium voluntate solui possit; quamuis possit solui fidei causâ, modo supradicto; æquè ac matrimonium ratum, & sacramentale fidelium, soluitur causâ professionis religiosæ. Neque dici potest non esse factum antequam talem insolubilitatem accipiat: alioqui neque matrimonium infidelium ante eorum conuersionem, neque etiam fidelium ante consummationem, esset verè matrimonium.

71. Soluuntur argumenta secundæ sententiæ.

Argumentis verò in fauorem secundæ sententiæ adductis respondendum est probare solùm non posse matrimonium infidelium fieri sacramentum sine nouo contractu: quòd nos etiam contra primam sententiam suprà ostendimus: sed non probant posse inter eosdem in Baptismo, vel post, iterari validè contractum, qui iam fiat cum intentione faciendi quod Christus instituit, sitque propriè sacramentum. Et certè in casu, quo posset iterari, deberet Baptismus præcedere: quippe qui dat capacitatè recipiendi quodcunq; aliud sacramentum: ideóque debet illi præmitti necessariò. Sed quòd non possit iterari patet ex dictis in fauorem tertiæ sententiæ, quam cæteris præferimus. Vnde sequitur matrimonium quoque ciuiliter tantùm à fidelibus contractum defectu intentionis debitæ, non posse fieri postea sacramentum: quia neque potest eorum contractus iterari validè; neque intentio sequens contractum priùs initum, potest efficere, vt quod non fuit sacramentum, incipiat esse tale. Nam sacramentum cum sua materia, & forma debet procedere ab intentione ministri, & esse actu vi illius, ponique à ministro, quando sacramentum fit. Minister autem huius sacramenti sunt ipsi coniuges, vt alibi ostendimus.

SECTIO VIII.

De institutione, & præcepto, & fine matrimonii.

72. Matrimonium est partim à iure naturali.

DIco primò matrimonium partim à iure naturali esse, partim ab institutione. Ad cuius rei probationem aduertendum est tria in matrimonio considerari posse. Primum est contractus simplex mutuæ traditionis, & acceptationis corporum: Secundum, modificatio talis contractus: Tertium, eleuatio eiusdem ad dignitatem sacramenti.

Primum igitur, nempe contractus, simpliciter loquendo, & abstrahendo à quibusdam modificationibus, naturale est: non modò quia homo ad hunc contractum naturaliter inclinatur, velut ad conuenientem speciei suæ conseruationem, & propagationem: verùm etiam quia citra aliam Dei voluntatem, aut institutionem, à natura ipsa ius habet liberè ineundi matrimonium: non minùs atque ius habet naturaliter vendendi, donandi, aliisque modis contrahendi, & disponendi de se, & rebus suis. Vnde contractus matrimonii, simpliciter loquendo, naturali iure, & ratione constat: vt rectè dicit Adrianus in 4, quæst. 1. de Matrim. §

Quoad primum, & habetur in cap. *Ius naturale*, dist. 1. sumpto ex Isidoro lib. 5. Etymologiarum cap. 4. Vbi sic ait: *Ius naturale est commune omnium nationum, eò quòd vbique instinctu naturæ, non constitutione aliqua habetur: vt viri, & fœminæ coniunctio.*

73. Et partim ab institutione. Quod tamen sine quibusdam conditionibus, quæ de facto ipsi appositæ sunt, celebrari nequeat, & alioqui sit irritus, non à natura est, sed ab institutione, & voluntate libera superioris potestatis, diuinæ, aut humanæ, cui homines quoad ius contrahendi subiecti sunt. Ex gr. quòd matrimonii cõtractus validè nunc inire nequeat post votũ solenne castitatis, aut inter consobrinos, aut clandestinè; meræ institutionis est, & voluntatis liberæ potestatis ecclesiasticæ. Hæc enim & alia multa impedimenta non sunt à naturâ, vt ostendemus inferiùs, cùm de illis disputabitur. Item quòd matrimonium tale nunc sit, atque etiam fuerit ante diluuium, vt non nisi cum vna simul esse possit: quodque vinculum nisi perpaucis de causis sit insolubile: ortum videtur ab institutione diuina, quæ fuit Adæ manifestata Gen. 2. quando spiritu diuino hæc protulit: *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*: & à Christo Matth. 19. renouatâ, quando polygamiam, & libellum repudii abrogauit, & verbis Adæ repetitis subiunxit, *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet*: obiectaque sibi Moysis concessione, respondit: *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras: ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur.*

74. Et verò licet humanæ naturæ conuenientissimum sit matrimonium sic institui, vt sit vnius cum vna, cùm ob concordiam, tum ob conuenientem prolis educationem, tum etiam ob remedium concupiscentiæ ex vtraque parte: posset tamen iniri aliter, sicut de facto initum fuit à Patribus antiquis, qui post diluuium in lege naturæ, & in lege Mosaica non modò validè, sed etiam licitè cum pluribus simul contraxerunt. Neque ex natura matrimonii sola apparet, cur penitùs excludat polygamiam, aut vinculum solui non patiatur, saltem potestate superiori, in quibusdam aliis casibus præter eos qui reipsa permissi sunt. Præsertim si alter coniugum impotens fiat, aut diuortii perpetui causam præbeat, & proles nondum suscepta sit, neque propter infœcunditatem alterius suscipi possit, & infœcunditas sit tantùm respectiua, vt est interdum: nam qui est infœcundus respectu vnius, non semper est talis respectu alterius. Atque in eo nobilem sentiunt Scotus in 4. dist. 26. lit. D. & E. vbi docet insolubilitatem matrimonii esse quidem euidenter consonam principiis, & conclusionibus naturalibus, non tamen necessariò ex illis sequi: Bellar. lib. de Matrim. cap. 4. Sanch. lib. 2. disp. 13. num. 8. & 10. Aegid Con. disp. 25. dub. 1. concluſ. 2. & disp. 28. dub. 1. concluſ. 2.

75. Quãdoq; institutum hoc fuerit. Tertiò denique, quòd matrimonium non tantùm sit contractus ciuilis, & purè humanus, sed præterea Sacramentum nouæ legis, sine dubio institutionis Christi est, vt affirmatur à Trident. sess. 7. can. 1. de Sacram. in genere, & sess. 24. cap. & can. 1. Quando autem à Christo fuerit institutum, incertum est. Affirmant plerique institutum fuisse Matth. 19. quando Christus matrimonium, quoad vnitatem, & insolubilitatem, ad primam suam institutionem reuocauit: vt sentiunt Scot. in 4. dist. 26. q. vnica, concluſ. 4. Supplementum Gabrielis q. 1. art. 2. concluſ. 7. Sotus q. 2. art. 2. prope finem, Victoria in Sum. 2 num. 241. Rebell. 2. parte de obligat. iust. quæ. 3. num. 9. Alii vt Aureol. in 4. dist. 26. quæst. vnica §. *Tertiò dicitur*, malunt institutum fuisse in nuptiis Cana Galilææ, quibus Christus interfuit: idque significare videtur Cyril. Alexand. lib. 2. in Ioan. cap. 22. Alii denique in ipso instanti incarnationis, quando Deus homo factus est per vnionem illam mirabilem Verbi cum natura humana, quæ per sacramentum matrimonii significatur, vt vult Guido in Euchirid. tract. 1. cap. 1. relatus à Basilio Pontio lib. 1. de Matrim. cap. 6. num. 1. Quod postremum improbabile est: cum institutio sacramentorum non fiat sine aliquo signo sensibili voluntatis instituentis, quod tunc Christus nullum edidit. Alia duo sunt incerta: neque ex vllo alio Scripturæ loco satis colligi potest quo præcisè tempore hæc institutio facta sit. Quare consultò Trident. sess. 24. initio, prolatis Scripturæ testimoniis quibus nitũtur Theologi, qui hoc aut illo tempore institutũ fuisse volunt, ex nullo eorum institutionem colligit, sed ex perpetua & constanti traditione Ecclesiæ: qua constat matrimonium in lege Euangelicâ veteribus connubiis per Christum gratiâ præstare, meritóque inter nouæ legis sacramenta annumerandum esse, vt Sancti Patres nostri, Concilia, & vniuersalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt.

76. Contractus ciuilis fuisse à Deo institutus. Contra primam partem huius conclusionis sentire videntur non pauci, qui matrimonium, prout simpliciter contractus ciuilis est, institutum à Deo esse volunt ipso mundi initio, in statu innocentiæ: siue in ipsa Euæ creatione, post illa verba Gen. 1. *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi*: vt censent Hugo de S. Vict. lib. 2. de Sacram. parte 11. cap. 2. Iansen. in Concordia cap. 96. & plures alii, quibus fauet August. lib. 14. de Ciuit. cap. 22. quando ait Deum ante peccatum hominis, ab initio constituisse nuptias, creando masculum, & fœminam. Siue potiùs quando post Euæ creationem, Adamus instinctu diuino pronunciauit Gen. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne*

Digitized by Google

mea &c. *Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem* : vt affirmare videntur Magiſter in 4. diſt. 26. cap. 1. Scotus ibid. q. 1. concluſ. 3 Supplem. Gabriel. q. 1. art. 1. notabili 2. Ruard. Tapper art. 18. initio. Couarr. 2. part. de Matrim. cap. 1. §. vnico num. 6. quibus fauere videtur Chriſtus Dominus Matth. 19. quando ad probandam inſolubilitatem matrimonii ſic ait : *Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum, & foeminam fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Eodemque pertinet quod dicit Bonifac. VIII. cap. vnico *De voto, & voti redemptione in 6.* Matrimonii vinculum ab ipſo Eccleſiæ capite rerum omnium conditore, ipſum in Paradiſo, & in ſtatu innocentiæ inſtituente, vnionẽ, & indiſſolubilitatem accepiſſe : A quo autem matrimonium accipit vnionem, & inſolubilitatem, per eius inſtitutionem : ab eodem accipit naturam ſuam, ex qua oritur vnio, & inſolubilitas. Siue denique quando, paulò poſt Adami & Euæ creationem, benedixit eis Deus, & dixit, *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram* : vt n alunt Siluester in Summa V. *Matrimonium.* 1. q. 2. Sot. in 4. diſt. 26. quæſt. 1. art. 2. & D. Thomas ad eandem diſt. q. 2. art. 2. ad 4. affirmantes matrimonium fuiſſe à Deo inſtitutum ante peccatum, in eo quòd creauit mulierem in adiutorium viri, & dixit illis, *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.* Quod idem repetitur q. 42. Supplem. art. 2. ad 4. & in Corp. dicitur ibidem, matrimonium prout eſt in officiũ naturæ, id eſt, ad propagationẽm, & conſeruationem ſpeciei, fuiſſe inſtitutum à Deo ante peccatum : prout verò eſt in remedium concupiſcentiæ, fuiſſe inſtitutum poſt peccatum : adeo vt duplicem illius inſtitutionem eſſe velit.

77. Sed ad hæc Reſpondeo primò, verba illa, *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum* &c. dicta fuiſſe ad oſtendendam neceſſitatem creandi mulierem in conſortium viri : non autẽ ad inſtituendum ius circa matrimoniũ, præter ipſum ius naturæ. Creatio quoque mulieris non fuit iuris alicuius poſitiui conſtitutio : ſed effectio perſonæ ad contrahendum matrimonium neceſſariæ, & naturaliter habentis ius contrahendi. Multóque minùs fuit ipſa matrimonii celebratio, vt aliqui affirmare videntur. Nam celebratio, ſeu contractus matrimonii non fit ſine mutuo conſenſu contrahentium, in quo conſiſtit eſſentialiter. At Eua ſine proprio eius conſenſu creata fuit, id eſt, creatio illa non fuit ex libero ipſius conſenſu, vt manifeſtum eſt. Imò neque tunc Adam conſenſit actu, cùm alto ſopore teneretur, quo tempore Deus ex ipſius dormientis coſta Euam produxit.

78. Reſpondeo ſecundò, valde quidem probabile eſſe Adami, & Euæ coniugium tunc contractum fuiſſe, quando ille Dei inſtinctu pronunciauit, *Hoc nunc os ex oſſibus meis* &c. Satis enim per illa verba ſuum conſenſum expreſſit : & credibile eſt Euam non ſolùm illis acquieuiſſe, verùm etiam conſenſum ſuum aliquo ſigno externo ſignificaſſe : atque ita à Deo, vtrumque ad id mouente & inſpirante, coniunctos fuiſſe. Sed ex eo non ſequitur non habuiſſe ius naturale contrahendi licitè, & laudabiliter : neque dubium eſſe poteſt moueri nos poſſe diuinitus ad ea facienda, quæ naturali iure poſſumus, & tenemur facere. Tertiò, verba illa, *Creſcite, & multiplicamini* &c. pertinuerunt potiùs ad præceptum exercendi matrimonium, ſpeciei conſeruandæ, & propagandæ gratiâ : quàm ad inſtitutionem iuris illud contrahendi : de quo præcepto plura dicemus paulò inferiùs. Poteſt autem Deus addere præceptum poſitiuum ad ea, quæ homines naturaliter poſſunt, aut etiam tenentur facere : ſicut reipſa addidit ad ea omnia quæ ſunt iure naturali neceſſaria. Et vt rectè notauit Vaſq. diſp. 1. de Matrim. cap. 2. num. 19. poſt Domin. Sotum in 4. diſt. 26. q. 1. art. 2. non fuit opus duplici inſtitutione matrimonii : vnâ in officium naturæ ante peccatum : alterâ in remedium concupiſcentiæ poſt peccatum. Quia, ſi loquamur de iure contrahendi : ſicut eadem fuit natura, & eſſentia hominis ante, & poſt peccatum : ita fuit idem ius naturale, illi per ſe conueniens naturaliter & neceſſariò. Si autem loquamur de actu contrahendi, & exercitio illius iuris, non fuit opus Adamum, & Euam contrahere iterum poſt peccatum, ſed dumtaxat permanere in contractu priùs inito. Quòd verò matrimonium ante peccatũ non eſſet in remedium concupiſcentiæ ſicuti poſt, ex eo ſolùm prouenit, quòd ante peccatum non eſſent motus concupiſcentiæ inordinati, quibus poſtea exortis, idem contractus, & illius vſus ad vtrumque valuit. Quartò denique, quod aiunt Auguſt. & Bonifacius ſupra relati, eo ſenſu intelligendum eſt, quòd Deus inſtituerit matrimonium inquantum eſt auctor naturæ, & omnium naturalium, atque eatenus eorum inſtitutor, qui creando naturam humanam, dedit illi ius contrahendi, aliaque agendi ipſi connaturalia ſicut cæteris rebus creatis naturales ſuas facultates conceſſit.

Non fuit duplex illius inſtitutio.

79. *Matrimonium eſt in præcepto naturali.*

Dico 2. matrimonium, etiam quoad vſum, neceſſarium eſſe ex præcepto, tum naturali, tum diuino poſitiuo : non quidẽ ſingulis hominibus in indiuiduo, ſed in genere, obligando communitatem vt ſpeciem conſeruet. Prima pars concluſionis eſt D. Thomæ, D. Bonauent. Ricardi, Durandi, Palud. & aliorum Scholaſticorum communiter in 4. diſt. 26. & patet, quia contra naturalem rationẽ eſſet pati vt tota ſpecies humana interiret, non vtendo medio ad ipſam propagandam idoneo, quod & natura conceſſit, & ad ipſum naturaliter impellit. Quemadmodum contra naturam

esset, non vti cibo licito ad vitam conseruandam.

Atque etiã positiuo.

Secunda pars de præcepto diuino est etiam communis Theologorum existimantium præceptum istud latum fuisse Gen. 1. & 2. quando primis parentibus à Deo dictum est, *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Non desunt tamen è recentioribus Theologis, & Scripturæ interpretibus, qui velint potiùs benedictionem quandam verbis illis contineri: sicut aliis planè similibus, quæ brutis præcepti incapacibus dicuntur ibidem v. 22. Verùm nihil obstat quò minùs vtraque imperatiuè, vt sonant dicta sint, sed diuersimodè pro diuersa capacitate hominum, & brutorum.

80. Non tamen respectu singulorũ.

Tertia pars est etiam cõmunis Theologorũ loco cit. & specialiter D. Thomæ ibid. & q. 41. Supplem. art. 2. in. c. vbi hic eam explicat, & confirmat. Natura, inquit, inclinat ad aliquid dupliciter. Vno modo sicut ad id, quod est necessariũ ad perfectionem vnius. Et talis inclinatio quemlibet obligat: quia naturales perfectiones sunt omnibus communes. Alio modo inclinat ad aliquid quod est necessarium multitudini. Et cùm multa sint eiusmodi, quorum vnum impedit aliud, ex tali obligatione non obligatur quilibet homo per modum præcepti: aliàs quilibet obligaretur ad agriculturam, & ad ædificatoriam, & ad eiusmodi officia, quæ sunt necessaria communitati humanæ: sed naturæ inclinationi satisfit, cùm per diuersos diuersa complentur de prædictis. Cùm ergo ad perfectionem humanæ multitudinis sit necessarium aliquos vitæ contemplatiuæ inseruire, quæ maximè per matrimonium impeditur; inclinatio ad matrimonium non obligat per modum præcepti, singulos scilicet, & quoslibet homines: tametsi obliget communitatem, cuius est procurare, vt conseruetur species; ad quod licitè faciendum, necessarium est contrahere & vti matrimonio. Hæc D. Thom. quæ rectè ostendunt præceptum naturale matrimonii non obligare omnes, & singulos. Diuinum autem accommodatum est naturali, quod tantummodo confirmat.

81. Quinã obligent aut obligari possint.

Simili discursu vtitur Domin. Sot. in 4. dist. 26. q. 1. art. 2. §. *Ad huius autem.* Ex quo infert 1. posito quòd nulli per se vellent contrahere matrimonium, fore vt capita rerumpublicarum obligarentur cogere aliquos ad illud ineundum. Sed tali curâ reip. opus non est, cum ad matrimonium homines per se sint satis propensi. Secundò, in casu quo periculum esset, ne aliàs genus humanum periret, etiam sacerdotes, & Monachos obligandos esse vt matrimonium contrahant: quia naturalis obligatio conseruandi speciem præualeret obligationi votorum, & impedimentis iure positiuo inductis. Sed hic quoque casus planè metaphysicus est. Maluntque alii multi, in eo casu præsumendum esse potiùs velle Deum mundo finem imponere, cœlibatus seruandi voluntatem omnibus inspirando. Frustra verò contra priorem quærit Aegid. Con. disp. 25. dub. 1. num. 6. quinam potiùs obligandi essent? Nã idem quæri posset, quando respublica, vel belli dux aliquos obligat vt se morti exponant: quod tamen propter bonum commune fieri posse certum est. Porrò non tantùm non obligantur singuli, ac quilibet hominum: sed neque quisquam determinatè, per se loquendo: licet per accidens possit quis obligari, vel cùm nullus alius est, qui sufficienter speciem conseruare, & propagare possit, vt primi parentes, & qui aliquandiu illos secuti sunt: vel quando v. g. ad regni bonum id necessarium est: vt aliquando in Regibus contingit, & Summis Principibus, qui sine magna regni perturbatione à coniugio abstinere nõ possent: vel si quis aliter viuere nequit sine continentiæ, ac propriæ salutis periculo. Hinc autem liquet præceptum de coniugio non repugnare voto virginitatis, vel statui cœlibatus, ad quem Paulus hortatur 1. Corinth. 7. quemue suo exemplo post Christum ipsum, & Ioannem vtrumque, Præcursorem, & Apostolum, aliosque plures confirmauit.

82. Fuit ne reuocatũ hoc præceptũ.

Quærunt hic aliqui an præceptum matrimonii fuerit aliquando reuocatum? Et sunt, qui asserant reuocatum fuisse: quia iterum post diluuium latum est Gen. 9. Quando Noë & filiis eius dictum à Deo fuit, *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Alii putant reuocatum fuisse 1. Corinth. 7. quando Apost. virginitatem commendauit, eiusque perpetuò retinendæ consilium dedit. Sed vtrique falluntur: meliúsque cæteri, quorum plurimos refert, & sequitur Vasques disp. 1. de Matrim. cap. 3. negant fuisse reuocatum, quamuis propter diuersam materiæ conditionem non æquè semper obligauerit. Quod cæteris præceptis commune est, vt pro variis circumstantiis variè obligent. Genes. autem 9. renouatum quidem fuit præceptum matrimonii: sed non quasi priùs vnquam cessasset. Nec quia virginitas à Paulo commendatur, & consulitur, ideo cessat præceptum matrimonii, quod ad speciem conseruandam necessariũ semper est, & ad quod multi naturali quadam necessitate compelluntur quodammodo, quibus virginitas nec melior est, nec consulenda, cùm de similibus Paulus asserat melius esse nubere quàm vri, 1. Corinth. 7. Neque putandum est Apostolum omnes, & singulos ad virginitatem hortari: sed qui ad eam sentiunt se vocari à Deo, & consequenter parari sibi auxilia necessaria: quibus denique ipsa melior est, cùm consilium debeat esse rei melioris, non tantùm secundum se & absolutè, sed etiam respectu personæ, cui datur.

83. Falluntur denique, si qui putant, antequam Paulus, virginitatem commendaret,

nemini licuisse illam amplecti, & abstinere à coniugio. Cùm & Beata Virgo ab vsu, & Christi Præcursor etiam à coniugio, alique multi ab vtroque priùs abstinuerint. Et cùm matrimonium, aut eius vsus nemini obligent in particulari, nisi concurrant causæ supra commemoratæ: patet longè antea fuisse mundum sufficienter propagatum, multosque sine alieno incommodo, ac sine propriæ salutis periculo, cum Dei gratia cœlibem vitam amplecti potuisse.

Quæ intentio necessaria illius vsu?

84. Finis matrimonii.

Dico tertiò, finem præcipuum matrimonii, prout est sacramentum, esse gratiam sanctificantem cum adiunctis: prout autem est contractus ciuilis, finem habere præcipuè triplicem: scilicet bonum prolis, siue generationem, & educationem liberorum; ac per eam speciei conseruationem, & propagationem: consuetudinem vitæ mutuam: & remedium concupiscentiæ. Possunt etiam inter fines Matrimonii alii eius effectus numerari. Difficultas autem hìc est, vtrum omnes illi fines necessariò intendi debeant. Respondeo negatiuè, non modò ad validè sed ne quidem ad licitè contrahendum. Nam ad validè contrahendum sufficit ea intendere, quæ de essentia matrimonii sunt, vel necessariò cum illo connexa: cuiusmodi non sunt gratia sanctificans, neque generatio, vel educatio prolis, aut mutua vitæ consuetudo, aut remedium concupiscentiæ. Matrimonium enim, prout est contractus ciuilis consistit essentialiter in traditione, & acceptatione mutua dominii corporum in ordine ad copulam. In quam traditionem, & acceptationẽ consentire possunt contrahentes, sine voluntate vtendi ad fines supra commemoratos: imò etiam cum voluntate opposita: vt qui contrahunt cum proposito seruandi virginitatem: aut mox ingrediendi religionem, qui postremi nullum finium supradictorum intendunt, nisi remotè, quoad principium ex quo sequerentur, nisi ipsi impedimentum ponerent. Prout autem sacramentum est, requirit solùm vt à personis baptizatis contrahatur, cum intentione faciendi quod Christus instituit: quæ intentione ipsum quidem effectum gratiæ necessariò includit, sed cum illius exclusione per obicem potest consistere. Licitè tamen hic effectus excludi nequit; neque sine peccato scienter, & liberè impediri. Secus autem priores alii: sunt enim iustæ causæ propter quas vnus, vel plures excludi licitè possunt.

Quomodo intendendus?

85. Sed neque in ipso matrimonii vsu necessarium est generationem, & prolem semper intendere. Possunt enim coniuges v. g. pauperes, dum vtuntur matrimonio, optare licitè, vt ne plures nascantur liberi, quàm educare queant, vel eam ob causam ab illius vsu abstinere mutuo consensu, vel non perfectè vti: vt docent S. Antonin. 3. p. tit. 1. cap. 20. §. 6. Paludan. in 4. dist. 31. q. 3. art. 2. concl. 5. Angelus V. *Debitum*, num. 27. Rosella eodem V. num. 11. Philiarch. de officio sacerdot. tom. 1. p. 2. lib. 4. cap. 19. Conine. disp. 25. dub. 2. n. 14. Sanchez lib. 9. disp. 8. n. 10. Idemq; censeo discendum de fœmina, quæ propter summam pariendi difficultatem in extremum vitæ periculum adduci soleret. Posset enim licitè optare vt ne concipiat, paritura iterum cum tanto discrimine. Notandum tamen hanc voluntatem debere esse inefficacem, ita vt nihil operetur quo generatio prolis impediatur, procurando sterilitatem, aut aliter impediendo conceptum. Hoc enim sine dubio vitiosum esset.

86. Non est quoque malum vsum coniugii ordinare tantùm ad remedium concupiscentiæ, non quidem positiuè excludendo alios fines, sed tantùm negatiuè se habendo circa illos, id est, non intendendo. Quia alii non sunt semper necessarii: & hic, etiam solus, habet cur conuenienter expetatur. Est enim bonum, & honestum vitare peccatum, eiusque periculum, & ad hunc finem vti medio licito. Idque significat Apost. 1. Corinth. 7. cum sic ait: *Propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat &c. Et iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* Nec obest quod addit, *Hoc autem secundum indulgentiam dico, non secundum imperium.* Nam indulgentia ibi non significat veniam culpæ, sed concessionem rei licitæ, vt rectè exponunt Salmeron, Iustinianus, Cornelius, Estius, aliique meliores interpretes. Et quamuis plures sint fines matrimonii, quorum aliqui sunt isto nobiliores: tamen non tenentur coniuges intendere positiuè in vsu coniugii quemlibet illorum, aut etiam semper optimum: sicut non tenentur operari semper, quidquid agunt, ex fine magis præcipuo, quando non desunt alii honesti, & per se appetibiles. Sufficit illum non excludere positiuè, aut vitiosè aliis minoribus postponere, & præ illis despicere. Qua de re plura dicemus inferiùs disp. 72. sect. 1. vbi nonnulla S S. Patrum testimonia, quæ his obstare videntur, exponemus.

DISPVTATIO

DISPVTATIO SEPTVAGESIMA.

De Sponsalibus, & aliis ad Matrimonium prærequisitis.

Sectio I.	*Quid sint Sponsalia, & quænam ad illorum valorem requirantur?*
Sectio II.	*Soluuntur duæ difficultates circa præcedentem doctrinam*
Sectio III.	*Quibus modis contrahantur Sponsaliæ*
Sectio IV.	*A quibus possint validè, & licitè contrahi?*
Sectio V.	*Quos effectus habeant Sponsaliæ? Et primò de obligatione ex illis orta.*
Sectio VI.	*De aliis effectibus Sponsalium.*
Sectio VII.	*Quibus modis dissoluantur Sponsalia?*
Sectio VIII.	*De aliis causis sufficientibus ad dissoluendum?*
Sectio IX.	*De quibusdam aliis prærequisitis ad Matrimonium licitè, aut validè contrahendum.*

DE Sponsalibus disputat S. Thom. qu. 43. Supplem. & art. 1. docet Sponsalia, à Spondendo dicta iuxta Isidorum 9. Etymol. cap. vlt. esse futurarum nuptiarum promissionem, consentiendo in coniugalem copulam per verba de futuro. Quæ promissio dupliciter fieri potest: absolutè scilicet, vel sub conditione. Et rursus absolutè quatuor modis. 1. Nuda promissione: vt cùm dicitur, Accipiam te in meam, & è conuerso. 2. Datis arrhis sponsalitiis: vt pecuniâ, vel aliquo eiusmodi. 3. Annuli subarrhatione. 4. Interueniente iuramento. Si autem fiat sub conditione, distinguendum est. Quia vel est conditio honesta, vt cùm dicitur, Accipiam te, si parentibus placeat: & tunc stante conditione, stat promissio; & non stante, non stat. Aut est inhonesta: & hoc dupliciter. Quia vel est cõtraria bonis Matrimonii, vt si dicam, Accipiam te, si veneno sterilitatẽ procures. Et tunc non contrahuntur sponsalia. Vel non est contraria bonis Matrimonii: vt si dicam, Accipiam te si furtis meis consentias: & tunc stat promissio, sed tollenda est conditio. Art. 2. affirmat septennium esse tempus à iure determinatum sponsalibus contrahendis: idque satis rationabiliter. Quia cùm sponsalia sint quædam promissio futurorum, oportet spondentem habere aliquam prudentiam circa futurum, quæ vsum rationis requirit. Eius autem respectu triplex est gradus secundum Philosophum. 1. Ethic. cap. 4. Primus est, cùm quis neque ipse intelligit per se, neque ab alio capere potest. Secundus, quo homo ab alio

capere potest, sed ipse per se non sufficit ad considerandum, & intelligendum. Tertius est, cùm homo & ab alio iam capere potest, & per seipsum considerare. Et quia ratio paulatim in homine conualescit, secundum quod quietantur motus, & fluxibilitas humorum: ideo primum statum rationis obtinet homo ante primum septennium: & propter hoc nulli contractui tunc aptus est, adeoque nec sponsalibus. Sed ad secundum statum incipit peruenire in fine primi septennii: vnde etiam tunc temporis solent pueri scholarum disciplinæ tradi. Ad tertium verò statum incipit homo peruenire in fine secundi septennii, quantum ad ea, quæ ad personam ipsius pertinent: quantum verò ad ea quæ extra ipsum sunt, in fine tertii septennii. Et ideo ante primum septennium nulli contractui homo aptus est. Sed in fine primi septennii incipit esse aptus ad aliqua promittenda in futurum, præcipuè de iis, ad quæ ratio naturalis inclinat magis: non tamen ad obligandum se perpetuo vinculo, quia non adhuc firmam habet voluntatem. Ideoque tunc possunt contrahi sponsalia. In fine autem secundi septennii iam potest obligare se de iis, quæ ad personam ipsius pertinent, vel ad religionem, vel ad coniugium. Post tertium denique septennium potest etiam de aliis: & secundum leges constituitur ei potestas de rebus suis disponendi post vigesimum secundum annum. Art. 3. asserit Sponsalia dirimi ipso iure, quando aliquis post illa transit ad statum religiosum, vel quando alter spondentium contrahit Matrimonium cum alio per verba de præsenti. In aliis verò casibus, qui occurrere possunt, vel per alterius profectionem in regionem longinquam, vel propter ægritudinem incursam post sponsalia, vel propter affinitatem interuenientem, vel per mutuam renunciationem, vel propter alterius fornicationem, aut defectum ætatis, non debere dissolui, nisi secundum iudicium Ecclesiæ, id est, per sententiam iudicis ecclesiastici. Hucusque D. Thom.

SECTIO I.

Quid sint Sponsalia, & quænam ad illorum valorem requirantur?

1. Triplex acceptio vocis, *Sponsalia.*

Sponsalium nomen tripliciter sumitur apud auctores, sacros & prophanos. Primò scilicet, pro contractu stipulationis, seu promissionis mutuæ de futuro Matrimonio. Quæ promissio dicitur Sponsalia, à spondendo, eò quòd mos fuit veteribus stipulari, & spondere sibi vxores, vt ait Vlpian in L. 2. ff. *de sponsalibus.* Quę spōsio fiebat olim nō ab illa, quæ in vxorem ducēda erat, sed ab eius patre, vel tutore, aut alio, qui eam daturus erat: vt obseruat Alciat. lib. 1. Parerg. cap. 2. probatq; ex Agellio lib. 4. cap. 4. sic dicente: *Qui vxorē ducturus erat, ab eo vnde ducenda erat, stipulabatur eam in matrimonium ductum iri: qui daturus erat, itidem spondebat. Is contractus stipulationū, sponsionumque dicebatur sponsala. Tunc quę promissa erat, sponsa appellabatur: qui spopondérat ducturum, sponsus.* De ritibus autem apud antiquos ethnicos, præcipuéque apud Romanos in hac sponsione seruatis videri possunt Polyd. Virgil. lib. 1. de inuent. rerum cap. 4. & Petr. Gregor. in Syntagmate Iuris, parte 2. lib. 8. cap. 2. Apud Christianos mos est, vt fiant vel solis verbis, vel additis arrhis spōsalitiis, vel annuli subarrhatione, quorum mētio fit in cap. *Nostrates*, 30. q. 5. vel etiam denique interposito iuramento. Neque sufficit patrem spondere pro filia, vel tutorem, aut curatorem, nisi ipsa spondeat, & consentiat verbo vel facto, expleto septennio, vt habetur cap. vnico *de Desponsatione impuberum*, in 6.

2. Secundò, sumitur interdū pro muneribus, quæ sponsæ dari solent à sponso. Quo sensu intelligendum est illud 1. Reg. 18. *Non habet Rex sponsalia necesse, nisi tantum cētum præputia Philistinorum.* Eodēq; sensu dicitur L. 1. Cod. si nuptiæ ex rescripto petantur, *sponsalia, hoc est, arrharum data nomine, reddi sibi præcepto legum cum statuta pœna deposcunt.*

Digitized by Google

Tertiò, sumitur pro ipso matrimonio: eò quòd, inquit D. Thom. q. 43. Supplem. a. 1. ad 6. in ipso matrimonii cõtractu includitur, saltẽ tacitè, promissio de præstando in futurũ officio mutuo coniugali. Et, vt addit Couarruuias in Epitome 4. Decretalium c. 1. n. 3. §. *Quod etiam*, olim mos erat, vt contrahendo matrimonium vir mulierẽ interrogaret, Velletne sibi esse materfamilias? & reciprocè mulier virum interrogaret, Velletne sibi esse paterfamilias? idque vterq; sponderet, id est, ipõte promitteret. Et hæc acceptio in lingua Gallica familiaris est. Eodemq; sensu interpretandum est illud Matth. 1. v. 18. *Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph.* Vix tamẽ vllum reperitur illius exemplum in iure antiquo ciuili, aut canonico. Nam quod profert. Basil. Pont. lib. 12. de Matrim. cap. 1. ex cap. 13. De præsumptionibus, id non satis probat, cum ibi sermo sit de matrimonio inualidè contracto, propter impedimentum affinitatis in secũdo gradu ex copula illicita. Valet tamen ad ostendendum matrimonium ita contractũ inualidè per verba de præsenti, sponsalia vocari. Nam de illo interrogatus Clemens III. respondit debere, qui ita contraxerant, non coniugi matrimonialiter, sed solutis sponsalibus leparari.

3. Totidem modis vox *Sponsæ.*

Totidem modis sponsæ nomen accipitur. Primò, pro ea, quæ matrimonium spopondit de futuro. Secundò, pro illa, quæ verum matrimonium per verba de præsenti contraxit: vt patet ex cap. 2. & vltimo, de sponsa duorum: præsertim verò si nondum viro copulata, vel in eius domum traducta fuit. Tertiò, pro illa etiam quæ matrimonium consummauit: tametsi hæc frequentiùs solet in iure vocari vxor.

Et nominis *Vxor.*

Sed & ipsum nomen vxoris, seu coniugis, triplicem habet in iure significationẽ. Primò enim significat illam, quæ contraxit, & consummauit Matrimonium, vt iam dixi. Secundò illam, quæ cõtraxit per verba de præsenti, & nondum consummauit, vt videre est c. 4. 5. 6. 9. & pluribus aliis, Causa 27. q. 1. Denique tertiò, illam quæ spopondit de futuro tãtùm, vt colligitur ex lege *Non sine*, 5. Cod. *De bonis, quæ liberis*, &c. vbi dicitur sponsam nomine vxoris comprehendi posse in fauorabilibus: ideoque legem statuentem, vt ea quæ vxor acquirit à marito, quoad proprietatem, sibi, non patri acquirat, extendi posse ad ea, quæ sponsa acquirit à sponso. Eodemque sensu intelligi potest illud Genes. 29. vbi Iacob petens à Labano Rachelem filiam eius, quam ipsi spopõderat, pro septem annorum ministerio, *Da mihi*, inquit, *vxorem meam, quia iam tempus impletum est, vt ingrediar ad eam.*

4. Quæ interdum confunduntur.

Vnde collige sponsæ, & vxoris nomen interdum confundi: & vtrumque tribus modis planè iisdem accipi. Quia tamen propriè & magis frequenter sponsa dicitur, quæ de futuro spopondit: & vxor, quæ non modò contraxit de præsenti, verùm etiam consummauit: notandum est in legibus pœnalibus, & odiosis debere nomina illa hoc sensu strictiori accipi, & in fauorabilibus posse ad triplicem illam significationem extendi, nisi ex aliis circunstantiis cogamur aliud intelligere, vt post Couarru. cap. sup. cit. obseruarunt Basil. Pont. lib. 12. cap. 1. Valq. disp. 4. de Matrim. cap. 1. & plures alii.

5. Sponsalium definitio.

His de nomine ad iura intelligenda præsuppositis, vt ad rẽm veniamus, sponsalia sumuntur in præsenti disput. primo sensu, qui magis proprius est, magisque vsitatus apud Theologos, & Iurisconsultos. Sic autem accepta definiri possunt, *Nuptiarum futurarum promissio mutua, sufficientibus signis expressa.* Quæ definitio sumitur partim ex cap. *Nostrates*, 30. quæst. 5. partim ex L. 1. ff. *de sponsalibus.* Vt autem valida sint, multa requiruntur. Primò enim, debent esse promissio, ita vt non sufficiat propositum, aut simplex voluntas, quæ non sufficit ad inducendam obligationem. Quare non satis est dicere; Volo te accipere in vxorem; nisi ex circunstantiis intelligatur ita loquentem promittere, & ipse in animo id intendat: vt rectè post alios docet Bonac. quæst. 1. de Matrim. punct. 1. propos. 2. num. 3. Licet nonnulli contrarium sentiant.

Debent esse promissio mutua.

Secundò, promissio debet esse mutua. Nam in lege citata sponsalia dicuntur esse repromissio, id est, reciproca promissio. Nimirum sicut matrimonium non fit sine mutuo vtriusque consensu de præsenti, ita sponsalia, quæ sunt inchoatio matrimonii, non fiunt sine mutua vtriusque promissione. Idem enim per sponsalia vtrinque promittitur, quod per matrimonium traditur. Quare si alter solùm acceptet promissionem, sed non repromittat, neuter obligatur vi sponsalium. Ille tamen, qui promisit, tenetur vi simplicis promissionis, si intendit se illi obligare independenter ab eius repromissione: secus si dependenter, vt fieri solet in contractibus onerosis.

6. Et vera, id est, cum intentione se obligandi.

Tertiò debet esse vera vtrinq; & non ficta promissio, id est, ex vera intentione se obligandi sufficienter expressa. Nam alioqui non est verè promissio. Et quemadmodum matrimonium nullum est sine vero consensu exteriùs significato: sic neque sponsalia sine vera promissione. Quod intellige licet accedat iuramentum, sed sine animo se obligandi facti. Quamuis enim peccet grauiter fictè iurans, & sine intẽtione faciendi quod iurat: nõ tenetur tamen vi sponsalium, seu vi promissionis, quæ verè esse nequit sine intentione se obligandi: quamuis aliunde teneri possit ratione damni, vt dicã paulò post. Quod etiam in voto locum habet. Nam qui verbo tenus vouet, non intendens se obligare, aut existimans nullam per votũ obligationem induci, reuera non vouet, nisi per intentionem generalem deroget suo errori priuato, volẽs obligari, si natura voti hoc postulat: aut nisi habeat tacitam saltem, & implicitam voluntatem se obligandi, volens scilicet promittere, & sciens naturam promissionis, neque illi derogans per intentionem contrariam.

ſtianorum duæ ſunt contrariæ ſententiæ.

55. Sententia negans,

Prima negat poſſe chriſtianos validè contrahere, niſi contrahant ſacramentaliter. Ita Sanches lib. 2. de Matrim. diſp. 10. num. 6. Aegid. Coninck diſp. 24. dub. 2. concl. 4. & quidam alii. Fundamentum illorum eſt, quia ex inſtitutione Chriſti ratio ſacramenti eſt inſeparabiliter annexa contractui fidelium, ita vt, niſi intendant efficere Sacramẽtum, nihil prorſus efficiant. Talem autẽ fuiſſe Chriſti inſtitutionem probat Aegid. loco cit. primò quia Florent. & Trid. abſolutè definiunt Matrimonium fidelium eſſe Sacramẽtum: eâ qua generali definitione non poteſt vllum excipi. Secundò, quia ex oppoſito ſequerentur duo abſurda. Vnum eſt, Matrimonia clandeſtina contracta validè ante Trident. non fuiſſe communiter ſacramenta: quia ſic contrahentes non intendebant communiter ſuſcipere Sacramentum, ſed ſolùm inire contractum ciuilem: & vel de Sacramento non cogitabant, vel certè non volebant tam irreuerenter ſuſcipere. Abſurditas verò ſequelæ ſatis patet per ſe, & repugnat Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. Decreti de Reformatione Matrimonii, vbi talia Matrimonia vocat rata: quo nomine ea tantùm appellare ſolemus, quæ habent rationem Sacramenti. Alterum abſurdum eſt, quoſlibet fideles contrahentes Matrimonium poſſe abſque peccato intendere ſolum contractum ciuilem celebrare. Quia ſi poteſt ſeparari contractus à ratione ſacramenti, nulla eſt lex diuina, vel humana, quâ obligentur velle ſuſcipere Sacramentum: imò ſi eſſent in ſtatu peccati mortalis, neque haberent commoditatem ſe reconciliandi cum Deo, laudabiliter id facerent.

Illius fundamentũ.

56. Vera ſententia.

Secunda ſententia præcedenti oppoſita, & meo iudicio probabilior, eſt Vaſquis tom. 2. in 3. part, diſput. 138. cap. 5. initio, Rebelli parte ſecunda, de obligationibus iuſtitiæ lib. 2. quæſt. 5. concluſ. 1. vbi affirmat eſſe communem Doctorum: Bonacinæ quæſt. 2. de Matrim. punct. 5. num. 4. & Baſilii Pontii lib. 1. cap. 9. num. 3. vbi pro eadem citat Scotum, Baſſolium, & Almainum. Eandemque tenent quicunque affirmant Matrimonium inter abſentes initũ per procuratores eſſe quidem validum, ſed non eſſe Sacramentum, vt videbimus paulò poſt. Probatur autẽ primò, & præcipuè, quia nullum profertur ſolidum fundamẽtum, aut ſufficiens indicium talis inſtitutionis Chriſti, qualem prætendit prima ſententia, & in qua ſola fundatur: cùm neque ex Scriptura, neq; ex Conciliis, aut Patribus, vel ex communi Doctorum conſenſu proferri vllum poſſit, vt patebit ex ſolutione argumentorum. Probatur 2. quia Matrimonium cenſendum eſt validum in vtroq; foro, quando nullum ius exprimit eſſe invalidum: iuxta Extrauagantem Ioannis XXII. *Antiquæ*, de Voto. Atqui nullum ius exprimit invalidũ eſſe Matrimonium à fidelibus initum, ſine intentione celebrandi Sacramentum: ſine qua tamen non poſſunt contrahere ſacramentaliter: quia non modò ſunt ſubiectum, ſed etiam miniſtri huius Sacramenti. Intentio autẽ miniſtri eſt prorſus neceſſaria ad valorem ſacramentorum, vt definit Florẽtinum in Decreto Eugenii. Tertiò denique ſi aliqui ſine tali intentione cõtraxiſſent Matrimonium, & illud eſſet inualidũ; poſſent reſilire poſtea, mutuo conſenſu: neq; enim contraxerunt vinculum perpetuum & inſolubile per contractum irritum: imò non poſſent manere ſimul niſi de nouo conſentirent: ac niſi ſponte id facerent, deberent cogi iterum contrahere cum intentione debita, ſi vellẽt in coniugio permanere. Hoc autem eſt contra praxim Eccleſiæ, quæ nullibi cogit iterum contrahere eos, ex quorum confeſſione conſtat ſine tali intentione contraxiſſe, propter apoſtaſiam à fide chriſtianâ, ſuſceptâ in infantiâ per Baptiſmum: vt de regnis Hiſpaniæ quoad Iudæos baptizatos, fidẽ chriſtianam poſtea ſimulantes, teſtatur Baſil. Pontius loco ſupra citato.

57. Matrimonium fidelium quomodo eſt ſacramentum?

Ad primum argumentum contrariæ ſententiæ reſpondeo Florent. & Trident. affirmare abſolutè Matrimonium fidelium eſſe ſacramentum, id eſt, vltra rationem contractus ciuilis, accepiſſe à Chriſti inſtitutione rationem Sacramenti, & virtutem ſanctificandi coniuges. Verùm ſicut alia à Chriſto inſtituta in Sacramenta, requirunt aliquid ex parte hominum, vt verè habeant rationem Sacramenti, ac ſine illo non habent: cuiuſmodi eſt in omnibus intentio miniſtri: ſic & Matrimonium. Exempli gratia, non minùs abſolutè dixit Chriſtus Matth. vlt. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Et Marc. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Et tamen certum eſt ablutionem, & prolationem horum verborum non eſſe ſacramentum, niſi fiat ex intentione faciendi id quod Chriſtus inſtituit, ſeu quod facit, & intendit Eccleſia. Neque minùs certum eſt eandem ablutionem, & prolationem verborum fieri poſſe abſque tali intentione: quippe à qua nullam habet dependentiam naturalẽ, nec vllam neceſſariam cõnexionẽ cum illa. Ergo ſimiliter ex eo quòd Cõcilia abſolutè affirment Matrimonium fidelium eſſe Sacramentum, quódque Chriſtus contractum eorum ciuilem in ſignum efficax gratiæ inſtituerit, non ſequitur eſſe tale niſi fiat cum debita intẽtione, & omnibus ad rationem ſacramenti neceſſariis: non ſequitur etiam contractũ ciuilem inter fideles nõ poſſe fieri abſq; tali intentione, ſicut inter alios fit: quippe qui nullã de ſe cũ illa connexionẽ habet: & argumentum allatũ non probat habere illã neceſſariã, & inſeparabilẽ ab inſtitutione Chriſti: citra quã euidẽs eſt poſſe naturaliter fideles, ſeu baptizatos, æquè ac quoſcũque alios, mutuo tradere dominium in ſua corpora, & cõſenſum maritalẽ internũ verbis, aut aliis ſignis ſibi inuicẽ manifeſtare practicè: quæ duo ſola ex natura rei requiruntur ad cõtractũ Matrimonii inter perſonas habiles.

Digitized by Google

58. Clandestinũ matrim. cur ne sacramentũ?

Ad secundum, nego sequi primum absurdum: & dico fideles communiter, siue clam, siue palam contrahant, intendere, saltem confusè, facere id quod Christus instituit, aut cõtrahere more christianorum: quæ intentio sufficit. Quòd si quis absque illa matrimonium clandestinè contraheret, non esset quidem Sacramentũ: sed nihilominus ratum esset Matrimonium: quia ratũ appellatur etiam illud quod ratione Baptismi suscepti est magis firmũ, & magis insolubile. Addo argumẽtum illud nimis probare: quia ex eo sequerentur talia Matrimonia nõ fuisse valida. Si enim non potuerunt fideles validè contrahere, nisi contrahendo sacramentaliter: & non habuerunt intentionem sic contrahendi, quia non intendebant cõmuniter suscipere Sacramentum, sed solum inire ciuilem contractũ: & vel de Sacramento non cogitabant, vel certè nõ volebãt tã irreuerẽter suscipere, vt ait Aegid. Con. auctor huius argumenti: sequitur euidẽter non contraxisse validè quia non contraxerunt sacramentaliter: sunt enim coniuges ministri huius Sacramenti: & sine intentione ministri nullum sacramentum fit. Hæc autem sequela multò magis est contra Trident. affirmans illa Matrimonia fuisse non modò valida, sed etiam rata.

59. Sitne liberum contrahere nõ sacramentaliter?

Nego etiam sequi alterum absurdum quod à prædicto auctore infertur: nimirum fore liberum fidelibus separare ratione contractus à ratione Sacramenti. Tenentur enim more, & ritu christiano cõtrahere: vt apertè supponit Euaristus Papa in epist. 1. ad Episcopos Africanos, verbis relatis Causa 30. quæst. 5. cap. 1. vbi etiam dicit id à Patribus acceptũ, & à Sanctis Apostolis, eorumque successoribus traditum fuisse. Propter quod etiam hortatur Trid. sess. 24. cap. 1. Decreti de Reformatione Matrimonii, & multis in locis salubriter institutum est, atque præceptum à Cõciliis Prouincialibus, aut Ordinariis locorũ, vt fideles vno aut altero die ante celebrationem Matrimonii confiteantur, & ad sanctissimum Eucharistiæ sacramentum piè accedãt: vt scilicet hoc medio certiori procurent esse in statu gratiæ, ne indignè accedãt ad Sacramentum Matrimonii, & eius effectui obicem ponant. Eandem etiam ob causam Ecclesia non solùm prohibuit, verùm etiam irritauit matrimonium fidelis cum infideli non baptizato, vt dicemus inferius disput. 75. sect. 1. quia omnino dedecet Christianum contrahere non sacramentaliter: & non potest contrahere sacramentaliter cum persona non baptizata.

60. Quid si cõtrahitur per procuratores?

Sunt qui existiment non solùm posse aliquando separari rationem sacramenti à ratione Matrimonii inter fideles: verùm etiam necessariò id fieri quotiescunque celebratur inter absentes per procuratores, vel per epistolas. Hoc enim matrimonium validum esse constat ex cap. vlt. de Procuratoribus in 6. & nos alibi fusiùs ostendemus. Sacramentum autem non esse, nec esse posse probant, quia nullum aliud Sacramentum potest absenti conferri: ergo neque Matrimonium: par enim debet esse illius, aliorumque ratio: idemque est fundamentum necessitatis præsentiæ in hoc & in aliis. Idcirco enim nõ potest v. g. Sacramentum Pœnitentiæ conferri absẽti per literas, aut internuncium: quia forma illius *Absoluo te*, dirigitur ad præsentem. Atqui nõ minùs ad præsentem dirigitur ista, vel æquiualens, *Accipio te in meum*. Ergo, &c. Item, sequeretur ex opposito aliquem posse dormiendo peccare grauiter: quia posset dormiendo recipere Sacramentum Matrimonii in malo statu; si nimirum dum ipse dormit, altera pars suum consensum procuratori ad eam misso exprimat. Et denique si Matrimonium celebratum inter absentes esset Sacramentum, non foret opus coniungere postea in facie Ecclesiæ sponsos præsentes. Hoc autẽ falsum est, & cõtra vsum Ecclesiæ. Ergo, &c. Probatur sequela, quia Sacramentum Matrimonii non debet, neque potest iterari inter eosdem. Atque ita sentiunt Caiet. tom. 1. Opuscul. tract. 12. quæst. 1. Canus lib. 8. de Locis cap. 5. §. *Pœnitentiæ demum*, Victoria in Summa num. 244. & probabile id esse dicunt Sotus in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3. §. *At verò quamus*, Petrus Ledesma qu. 42. de Matrim. art. 1. difficult. 7. concluſ. 1. & Rebellus part. 2. De obligationibus iustitiæ lib. 2. q. 5. concluſ. 2.

61. Vera sententia.

Contraria tamen sententia tenenda est: quia ad valorẽ sacramenti Matrimonii Christus non aliud requisiuit, nisi ea quæ ad valorem contractus necessaria sunt, & intentionem faciendi id quod ipse instituit, præsuppositâ capacitate contrahendi sacramentaliter per Baptismum acceptâ. Ergo si contractus per procuratores est validus, vt fatentur aduersarii; est quoque sacramentalis, præsuppositâ intentione, & capacitate contrahentium. Confirmatur, quia ex Florentino in Decreto Eugenii, Sacramenta omnia tribus perficiuntur, materiâ, formâ, & intentione ministri. Materia verò, & forma Sacramenti Matrimonii non est alia, quàm contractus ciuilis validus. Ergo non deest contractui inito per procuratores, siquidem validus est. Ergo si accedat intentio, perficitur in esse Sacramenti. Confirmatur secundò, quia si non esset Sacramentum, Ecclesia non permitteret ita celebrari: vult enim omnino fideles contrahere sacramentaliter: & sine dubio fideles de eo admoneret, ne sic contrahendo priuarent se in perpetuum gratiâ Sacramenti adeo necessariâ ad sustinenda onera Matrimonii. Vel potiùs prohiberet, aut planè irritaret contractum inter absentes, si non possent contrahere sacramentaliter: quemadmodum prohibuit, & irritauit Matrimonium fidelis cum infideli non baptizato, quia non potest inter eos esse sacramentum. Neque dicas matrimonium ciuiliter contractum inter absentes, fieri sacramentum quando iidem coniuges coram postea contrahunt; tuncque gratiam sacramenti

recipere. Hoc enim falsum esse ostendemus sect. sequenti, num. 66. Atque ita docent è Canonistis Innocent. in caput *Iuuenis*, De Sponsalibus num. 5. Ostiensis in Summa de Sponsal. §. *Qualiter contrahatur*, Couarr. 2. part. de Matrim. c. 1. §. vnico, n. 5. & è Theologis Petrus & Dominicus Sotus, Catharin. Palacius, Angles, Henriq. Bellarm. aliique plurimi, quos citant, & sequuntur Thom. Sanch. lib. 2. disp. 11. n. 27 Valent. quæst. 1. de Matrim. puncto 6. §. *Quare vt Sotus*, Coninck disp. 24. dub. 2. n. 23. Pontius lib. 1. cap. 10. n. 3.

64. Refutatur argument. contr.

Ad primum contrariæ sententiæ argumentum respondeo: Sicut hoc Sacramentum differt ab omnibus aliis, quòd in illis necessariò, & essentialiter requiruntur verba propriè dicta, & ore prolata, ex parte formæ: illud verò regulariter quidem verbis perficitur, potest tamen aliis signis verborum loco celebrari, vt significat Florent. in Decreto Eugenii: ita etiam in eo differt, quòd possit inter absentes celebrari, quamuis alia nequeant. Nimirum quia Christus non aliud ex parte materiæ & formæ ad hoc Sacramentum requisiuit, quàm id quod sufficit ad valorem contractus. Nihil enim illi addere voluit, sed tantùm Sacramenti dignitate eum honorauit. Neque par est illius ratio, ac Sacramenti Pœnitentiæ: quippe cui verba illa ore prolata, & directa ad præsentem, *Absoluo te*, sunt essentialia: At Matrimonio sufficiunt quæcunque signa externa, quibus contrahentes suum consensum inuicem significant. Possunt autem significare per literas, & internuncium; æquè ac per nutus, & verba.

Ad secundum Respondeo, talem non peccare dum actu dormit: sed quando scienter, & liberè coniicit se in periculum recipiendi Sacramentum in malo statu: cúmque illud recipit, consummatur duntaxat illius sacrilegium per actualem receptionem Sacramenti in malo statu. Simili modo, quo cum aliquis scienter, & liberè se vino ingurgitat, præuidens fore vt in ebrietate blasphemet: peccatum formale committitur eo tempore, quo liberè se coniicit in periculum, licet nondum consummatum sit peccatum blasphemiæ, donec actu erumpit in voces blasphemas.

Ad tertium dico nimis probare. Nam ex eo sequeretur contractum illum ne quidem esse validum: quippe qui non potest iterari inter eosdem, non magis quàm ipsum Sacramentum Matrimonii. Deinde nego Matrimonium iterari in casu prædicto. Nam vel supplentur tantùm solemnitates omissæ: vel ratum haberi declaratur à coniugibus præsentibus, id quod antea per procuratores eorum nomine gestum fuit.

SECTIO VII.

Ponitne Matrimonium ciuiliter tantùm, sed validè contractum inter fideles, aut infideles, fieri postea sacramentum?

64. Prima sententia.

TRes sunt de quæstione proposita Theologorum sententiæ. Quarum prima affirmat Matrimonium ab infidelibus validè contractum fieri sacramentum eo solo, quòd illi ad fidem Christianam conuersi baptizantur, absque nouo eorum consensu, seu renouatione contractus. Primò, quia contractus antea ciuiliter initus, iam incipit significare perfectè coniunctionem Christi cum Ecclesia; quod est proprium Sacramenti Matrimonii. Ergo iam incipit esse Sacramentum. Qua de causa Diuus Thomas quæst. 59. Supplem. art. 2. ad 1. dicit Matrimonium infidelium esse sacramentum, non actu, quia non contrahunt in fide Ecclesiæ, neque adhuc habet perfectam illam significationem: sed habitu duntaxat: quia scilicet statim atque baptizantur, efficitur Sacramentum: alioqui frustra esset potentia, quæ nunquam reduceretur ad actum. Secundò, matrimonium infidelium, quod de se neque ratum est, neque insolubile, eò quòd non sit sacramentum; incipit esse ratum, & indissolubile eo ipso, quòd Baptismum recipiunt, vt dicitur cap. *Quanto*, de Diuortiis. Igitur eo ipso quòd baptizantur, incipit esse Sacramentum. Tertiò, venditio, quæ priùs dissolui poterat voluntate alterutrius contrahentium, dicitur propriè fieri denuò, quando tam firma redditur, vt annullari nequeat. Sed Matrimonium infidelium est solubile voluntate alterutrius ad fidem conuersi, & per Baptismum redditur insolubile. Ergo tunc propriè dicitur fieri: & consequenter fit Sacramentum, modò non defit intentio baptizatorum. Ita Sanches lib. 2. disput. 9. num. 5. vbi pro eadem sententia refert Paludanum, Argentinam, Dezam, & plures alios.

65. Secunda sententia.

Secunda sententia est eorum, qui dicunt Matrimonium validũ infidelium effici quidẽ Sacramentũ quando baptizantur, seu potiùs, quando baptizati sunt; dummodo tamen accedat nouus cõsensus sufficiẽti signo expressus, cum intẽtione faciendi id quod Christus instituit. Quem consensum necessarium esse probãt, quia Sacramentũ non potest existere sine ipsius materia, & forma: neque potest de nouo fieri, nisi de nouo ponantur materia, & forma, in quibus essentialiter consistit. Atqui consensus internus expressus per verba de præsenti, vel alia signa sufficientia, est materia & forma Sacramenti Matrimonii: ergo, &c. Confirmatur, quia hoc Sacramentum consistit essentialiter in fieri cõtractus: sicut Baptismus in fieri ablutionis, & prolationis verborum: cæteraque omnia sacramenta, exceptâ Eucharistiâ, consistunt

Digitized by Google

in fieri materiæ proximæ, & formæ, ex quibus constant essentialiter. Ergo sacramentum matrimonii non fit, nisi contractus actu fiat. Non fit autem quando baptizantur, nisi renouentur consensus & signa. Nam consensus olim datus iam non est. Sufficit tamen vt consensum antiquum verbis, aut nutibus, aut copula maritali approbent, ab affectu scilicet coniugali, & interno consensu procedentibus. Ita multi ex discipulis D. Thomæ, vt testatur Petrus Ledesma quæst. 59. de Matrim. art. 2. dub. 3. quibus ipse accedit: & alii quos citant, & sequuntur Bellarm. lib. 1. de Matrim. cap. 5. in fine, Henriq. lib. 11. cap. 8. num. 2. lit. H. & Rebell. 2. part. lib. 2. q. 6. concluſ. 1. Similique modo censent illorum aliqui matrimonium ciuiliter tantùm contractum à fidelibus, defectu intentionis, fieri posse deinde sacramentum renouato consensu, & accedente debita intentione.

66. Resolutio quæst.

Tertia & vera sententia est, matrimonium siue fidelium, siue infidelium, ciuiliter antea contractum, nunquam postea fieri posse sacramentum. Ratio est quia, cùm sacramentum matrimonii consistat essentialiter in fieri contractus validi inter baptizatos, & liberos ab omni impedimento irritante: non potest fieri sacramentum, nisi fiat ille contractus. Contractus autem præteritus iam non fit, sed iamdiu esse desiit; & nouus fieri non potest, quia contractus matrimonii non potest repeti inter eosdem. Quantumcunque enim consensum renouent, & verba repetant, non efficiunt nouum matrimonium: quod postquam semel factum est, non pendet amplius ab ipsorum voluntate: neque iam habent liberam potestatem tradendi alteri corpus suum, quod iam semel tradiderunt, & alieni iuris fecerunt; neque nouum vinculum maritale inter seipsos efficiunt. Quare ad summum, possunt dumtaxat ratum habere contractum antea celebratum. Matrimonium autem consistit essentialiter in fieri contractus validi, non in sola ratihabitione. Cum ergo non possit iterũ fieri, non potest accinere rationem sacramenti. Ita plerosque Thomistarum sentire affirmat Pet. Ledesma loco suprà cit. esseque valde probabile fatetur Sanches lib. 2. dis. 9. num. 3. in fine: ab absolutè verò sic docent Durand. in 4. dist. 26. q. 3. n. 14. ex eo sumens argumentum ad probandum matrimonium non esse sacramentum, Vasq. tom. 4. in 3. partem disp. 2. de Matrim. cap. 10. Coninc disp. 24. dub. 2. num. 25. Pontius lib. 1. cap. 9. num. 8. & Mærat. disp. 2. de Matrim. sect. 9. & 10.

67. Quomodo baptismus perficit matrimonium antea contractum.

Ad primum argumentum primæ sententiæ Respondeo, matrimonium infidelium, seu potius vinculum ex eorum contractu relictum, & perseuerans, incipere in Baptismo significare perfectius coniunctionem Christi cum Ecclesia: non quia fit sacramentum, sed quia iam coniuges per Baptismum sanctificati multò melius repræsentant coniunctionem Christi sponsi, & auctoris omnis sanctitatis, cum Ecclesia sancta: atque etiam quia matrimonium illorum firmius iam factum per Baptismum, & non amplius dissolubile fidei causâ, melius exprimit firmitatem, & insolubilitatem matrimonii spiritualis inter Christum, & Ecclesiam. Sensus autem D. Thomæ loco citato est, quòd matrimonium infidelium, quantum est de se, & ex ratione contractus maritalis, est capax status sacramentalis, illumque verè acciperet, si contraherent in fide Ecclesiæ iam susceptâ per Baptismum: quo sensu dicit S. Doctor *matrimonium tale esse aliquo modo sacramentum habitualiter: quamuis non actualiter, eoquòd actu non contrahunt in fide Ecclesiæ.* Non autem sensus est, illud ipsum matrimonium, quod contrahitur in statu infidelitatis, & ex suppositione quòd ita fit contractum, posse fieri postea sacramentum: præsertim sine nouo consensu interno, & noua illius significatione, vt volunt aduersarii.

68. Expeditur locus D. Thomæ.

Aliter hunc locum exponit Basil. Pont. cap. cit. num. 7. aiens D. Thomam nomine sacramenti non intellexisse sacramentum strictè sumptis pro signo sensibili conferente gratiam: sed latè, quatenus est mysterium quoddam coniunctionis Christi cum Ecclesia. Quam significationem putauit S. Doctor non conuenire actu matrimonio, nisi suscepto Baptismo. Ex eo autem quòd hæc significatio conueniat matrimonio ratione Baptismi, non rectè infertur matrimonium effici sacramentum propriè, & conferre gratiâ, ratione Baptismi. Sed hæc expositio videtur mihi planè aliena à mente D. Thomæ. Quippe qui loco citato manifestè loquitur de sacramento propriè, & strictè sumpto: & alioqui non satisfaceret argumento cui respondet. Nam illud est huiusmodi: Videtur, inquit, quòd inter infideles non possit esse matrimonium. Nam matrimonium est sacramentum Ecclesiæ: sed Baptismus est ianua sacramentorum: ergo infideles, qui non sunt baptizati, matrimonium contrahere non possunt, sicut nec alia sacramenta suscipere. Vbi vides manifestè sermonem esse de sacramentis propriè & strictè sumptis. Idque magis confirmatur ex corpore articuli, in quo iacit fundamentum solutionis argumenti prædicti: aitque matrimonium esse principaliter institutum propter bonum prolis non tantùm generandæ, sed etiam ad perfectionem adducendæ: quæ perfectio, inquit, duplex est: naturæ scilicet, non solùm quantum ad corpus, sed etiam quantũ ad animam per ea quæ sunt de lege naturæ: & perfectio gratiæ. Quarum perfectionum prima est materialis, & imperfecta respectu secundæ. Et ideo cùm res, quæ sunt propter finem, sint proportionatæ fini: matrimonium quod tendit in

primam perfectionem, eſt imperfectum, & materiale, reſpectu illius quod tendit in ſecundam. Et quia perfectio prima communis eſſe poteſt fidelibus, & infidelibus: ſecunda verò tantùm eſt fidelium: ideo inter infideles eſt quidem matrimonium, ſed non perfectum vltima perfectione, ſicut eſt inter fideles. Hucuſque D. Thom. Ex cuius verbis liquet manifeſtè ipſum loqui de differentia matrimonii inter fideles, & infideles, non quoad perfectionem ſignificationis dumtaxat: ſed quoad efficaciam conferendi perfectionem gratiæ ſanctificantis, quam ſolam dicit ineſſe matrimoniis contractis in fide Eccleſiæ.

69. Quomodo fiant eſſe ratum.

Ad ſecundum Reſpondeo, Innocentium III. cap. *Quanto* ſuprà citato, affirmare matrimonium infidelium poſſe diſſolui per conuerſionem vnius ad fidem, altero manente in infidelitate, & nolente cohabitare pacificè ſine contumelia creatoris. Secus autem ſi alter coniugum fidelium vel labatur in hæreſim, aut apoſtaſiam, vel tranſeat ad gentilitatis errorem. Nam, inquit, *Etſi matrimonium verum inter infideles exiſtat: non tamen eſt ratum. Inter fideles autem verum, & ratum exiſtit: quia ſacramentum fidei quod ſemel eſt admiſſum, nunquam amittitur, ſed ratum efficit coniugii ſacramentum, vt ipſum in coniugibus, illo durante, perduret.* Vbi per ſacramentum fidei, non intelligit matrimonium; ſed baptiſmum, ita vocari ſolitum à Patribus, & ſcriptoribus ſacris, eò quòd ſit prima, & ſolemnis chriſtianæ fidei profeſſio: atque per illum ratum effici, hoc eſt, inſolubile matrimonium, quia illius vinculum non poteſt diſſolui eo modo, quo vinculum matrimonii infidelium.

70. Fiatne tunc matrimonium?

Ad tertium reſpondeo primò cum Aegidio, nimis illud probare: nam ex eo ſequeretur fideles conſummantes matrimonium efficere denuò matrimonium, & inire nouum contractum: quia prior ſolui poterat per ingreſſum alterius partis in Religionem, & alias fortè ob cauſas, de quibus dicemus alibi: iam autem eſt planè inſolubile. Ac ſi tunc fieret magis propriè, & perfectè matrimonii contractus; ſicut venditio magis propriè, & perfectè fit, quando tam firma efficitur, vt annullari nequeat: deberet tunc potiùs fieri ſacramentum matrimonii: aut ſaltem deberet fieri nouum ſacramentum. Sique poteſt inter eoſdem iterari contractus matrimonii: quidni etiam ſacramentum ſuppoſito Baptiſmo, & debita intentione in vtroque contractu? Reſpondeo ſecundò & directè venditionem, quamdiu ſolâ alterius voluntate ſolui poteſt, non cenſeri factam, ſed inchoatam: fit autem, quando firmitatem accipit. At matrimonium infidelium ex natura ſua firmius eſt, quàm vt ſola contrahentium voluntate ſolui poſſit; quamuis poſſit ſolui fidei cauſâ, modo ſupradicto; æquè ac matrimonium ratum, & ſacramentale fidelium, ſoluitur cauſâ profeſſionis religioſæ. Neque dici poteſt non eſſe factum antequam talem inſolubilitatem accipiat: alioqui neque matrimonium infidelium ante eorum conuerſionem, neque etiam fidelium ante conſummationem, eſſet verè matrimonium.

71. Soluuntur argumenta ſecundæ ſententiæ.

Argumentis verò in fauorem ſecundæ ſententiæ adductis reſpondendum eſt probare ſolùm non poſſe matrimonium infidelium fieri ſacramentum ſine nouo contractu: quòd nos etiam contra primam ſententiam ſuprà oſtendimus: ſed non probant poſſe inter eoſdem in Baptiſmo, vel poſt, iterari validè contractum, qui iam fiat cum intentione faciendi quod Chriſtus inſtituit, ſitque propriè ſacramentum. Et certè in caſu, quo poſſet iterari, deberet Baptismus præcedere: quippe qui dat capacitatè recipiendi quodcunq; aliud ſacramentum: ideóque debet illi præmitti neceſſariò. Sed quòd non poſſit iterari patet ex dictis in fauorem tertiæ ſententiæ, quam cæteris præferimus. Vnde ſequitur matrimonium quoque eiuſiliter tantùm à fidelibus contractum defectu intentionis debitæ, non poſſe fieri poſtea ſacramentum: quia neque poteſt eorum contractus iterari validè; neque intentio ſequens contractum priùs initum, poteſt efficere, vt quod non fuit ſacramentum, incipiat eſſe tale. Nam ſacramentum cum ſua materia, & forma debet procedere ab intentione miniſtri, & eſſe actu vi illius, ponique à miniſtro, quando ſacramentum fit. Miniſter autem huius ſacramenti ſunt ipſi coniuges, vt alibi oſtendimus.

SECTIO VIII.

De inſtitutione, & præcepto, & fine matrimonii.

72. Matrimonium eſt partim à iure naturali.

Dico primò matrimonium partim à iure naturali eſſe, partim ab inſtitutione. Ad cuius rei probationem aduertendum eſt tria in matrimonio conſiderari poſſe. Primum eſt contractus ſimplex mutuæ traditionis, & acceptationis corporum: Secundum, modificatio talis contractus: Tertium, eleuatio eiuſdem ad dignitatem ſacramenti.

Primum igitur, nempe contractus, ſimpliciter loquendo, & abſtrahendo à quibuſdam modificationibus, naturale eſt: non modò quia homo ad hunc contractum naturaliter inclinatur, velut ad conuenientem ſpeciei ſuæ conſeruationem, & propagationem: verùm etiam quia citra aliam Dei voluntatem, aut inſtitutionem, à natura ipſa ius habet liberè ineundi matrimonium: non minùs atque ius habet naturaliter vendendi, donandi, aliiſque modis contrahendi, & diſponendi de ſe, & rebus ſuis. Vnde contractus matrimonii, ſimpliciter loquendo, naturali iure, & ratione conſtat: vt rectè dicit Adrianus in 4, quæſt. 1. de Matrim. §

Digitized by Google

Quoad primum, & habetur in cap. *Ius naturale*, dist. 1. sumpto ex Isidoro lib. 5. Etymologiarum cap. 4. Vbi sic ait: *Ius naturale est commune omnium nationum, eò quòd ubique instinctu naturæ, non constitutione aliqua habetur: vt viri, & feminæ coniunctio.*

73. Et partim ab institutione.

Quod tamen sine quibusdam conditionibus, quæ de facto ipsi appositæ sunt, celebrari nequeat, & alioqui sit irritus, non à natura est, sed ab institutione, & voluntate libera superioris potestatis, diuinæ, aut humanæ, cui homines quoad ius contrahendi subiecti sunt. Ex gr. quòd matrimonii cõtractus validè nunc inuri nequeat post votũ solenne castitatis, aut inter consobrinos, aut clandestinè; meræ institutionis est, & voluntatis liberæ potestatis ecclesiasticæ. Hæc enim & alia multa impedimenta non sunt à naturâ, vt ostendemus inferiùs, cùm de illis disputabitur. Item quòd matrimonium tale nunc sit, atque etiam fuerit ante diluuium, vt non nisi cum vna simul esse possit: quodque vinculum nisi perpaucis de causis sit insolubile: ortum videtur ab institutione diuina, quæ fuit Adæ manifestata Gen. 2. quando spiritu diuino hæc protulit: *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna:* & à Christo Matth. 19. renouatâ, quando polygamiam, & libellum repudii abrogauit, & verbis Adæ repetitis subiunxit, *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet*: obiectaque sibi Moysis concessione, respondit: *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras: ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, moechatur: & qui dimissam duxerit, moechatur.*

74. Et verò licet humanæ naturæ conuenientissimum sit matrimonium sic institui, vt sit vnius cum vna, cùm ob concordiam, tum ob conuenientem prolis educationem, tum etiam ob remedium concupiscentiæ ex vtraque parte: posset tamen iniri aliter, sicut de facto initum fuit à Patribus antiquis, qui post diluuium in lege naturæ, & in lege Mosaica non modò validè, sed etiam licitè cum pluribus simul contraxerunt. Neque ex natura matrimonii sola appareat, cur penitùs excludat polygamiam, aut vinculum solui non patiatur, saltem potestate superiori, in quibusdam aliis casibus præter eos qui reipsa permissi sunt. Præsertim si alter coniugum impotens fiat, aut diuortii perpetui causam præbeat, & proles nondum suscepta sit, neque propter infœcunditatem alterius suscipi possit, & infœcunditas sit tantùm respectiua, vt est interdum: nam qui est infœcundus respectu vnius, non sen per est talis respectu alterius. Atque in eo nobiscum sentiunt Scotus in 4. dist. 26. lit. D. & E. vbi docet insolubilitatem matrimonii esse quidem euidenter consonam principiis, & conclusionibus naturalibus, non tamen necessariò ex illis sequi: Bellar. lib. de Matrim. cap. 4. Sanch. lib. 2. disp. 13. num. 8. & 10. Aegid Con. disp. 25. dub. 1. concluſ. 2. & disp. 28. dub. 1. concluſ. 2.

75. Quãdoná institutum hoc sacra.

Tertiò denique, quòd matrimonium non tantùm sit contractus ciuilis, & purè humanus, sed præterea Sacramentum nouæ legis, sine dubio institutionis Christi est, vt affirmatur à Trident. sess. 7. can. 1. de Sacram. in genere, & sess. 24. cap. & can. 1. Quando autem à Christo fuerit institutum, incertum est. Affirmant plerique institutum fuisse Matth. 19. quando Christus matrimonium, quoad vnitatem, & insolubilitatem, ad primam suam institutionem reuocauit: vt sentiunt Scot. in 4. dist. 26. q. vnica, concluſ. 4. Supplementum Gabrielis q. 1. art. 2. concluſ. 7. Sotus q. 2. art. 2. prope finem, Victoria in Sum. 2 num. 241. Rebell. 2. parte de obligat. iust. quæ. 3. num. 9. Alii vt Aureol. in 4. dist. 26. quæst. vnica §. *Tertiò dicitur*, malunt institutum fuisse in nuptiis Cana Galilææ, quibus Christus interfuit: idque significare videtur Cyril. Alexand. lib. 2. in Ioan. cap. 22. Alii denique in ipso instanti incarnationis, quando Deus homo factus est per vnionem illam mirabilem Verbi cum natura humana, quæ per sacramentum matrimonii significatur, vt vult Guido in Euchirid. tract. 1. cap. 1. relatus à Basilio Pontio lib. 1. de Matrim. cap. 6. num. 1. Quod postremum improbabile est: cum institutio sacramentorum non fiat sine aliquo signo sensibili voluntatis instituentis, quod tunc Christus nullum edidit. Alia duo sunt incerta: neque ex vllo alio Scripturæ loco satis colligi potest quo præcisè tempore hæc institutio facta sit. Quare consultò Trident. sess. 24. initio, prolatis Scripturæ testimoniis quibus nitũtur Theologi, qui hoc aut illo tempore institutũ fuisse volunt, ex nullo eorum institutionem colligit, sed ex perpetua & constanti traditione Ecclesiæ: qua constat matrimonium in lege Euangelicâ veteribus connubiis per Christum gratiâ præstare, meritòque inter nouæ legis sacramenta annumerandum esse, vt Sancti Patres nostri, Concilia, & vniuersalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt.

76. Contractus ciuilis fortè à Deo institutus?

Contra primam partem huius conclusionis sentire videntur non pauci, qui matrimonium, prout simpliciter contractus ciuilis est, institutum à Deo esse volunt ipso mundi initio, in statu innocentiæ: siue in ipsa Euæ creatione, post illa verba Gen. 1. *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi*: vt censent Hugo de S. Vict. lib. 2. de Sacram. parte 11. cap. 2. Iansen. in Concordia cap. 96. & plures alii, quibus fauet August. lib 14. de Ciuit. cap. 22. quando ait Deum ante peccatum hominis, ab initio constituisse nuptias, creando masculum, & fœminam: Siue potiùs quando post Euæ creationem, Adamus instinctu diuino pronunciauit Gen. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne*

Digitized by Google

mea &c. *Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem* : vt affirmare videntur Magister in 4. dist. 26. cap. 1. Scotus ibid. q. 1. concluſ. 3 Supplem. Gabriel. q. 1. art. 1. notabili 2. Ruard. Tapper art. 18. initio. Couarr. 2. part. de Matrim. cap. 1. §. vnico num. 6. quibus fauere videtur Chriſtus Dominus Matth. 19. quando ad probandam inſolubilitatem matrimonii ſic ait : *Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum, & foeminam fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Eódemque pertinet quod dicit Bonifac. VIII. cap. vnico *De voto, & voti redemptione in 6.* Matrimonii vinculum ab ipſo Eccleſiæ capite rerum omnium conditore, ipſum in Paradiſo, & in ſtatu innocentiæ inſtituente, vnionẽ, & indiſſolubilitatem accepiſſe : A quo autem matrimonium accipit vnionem, & inſolubilitatem, per eius inſtitutionem : ab eodem accipit naturam ſuam, ex qua oritur vnio, & inſolubilitas. Siue denique quando, paulò poſt Adami & Euæ creationem, benedixit eis Deus, & dixit, *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram* : vt n alunt. Siluester in Summa V. *Matrimonium.* 1. q. 2. Sot. in 4. dist. 26. quæſt. 1. art. 2. & D. Thomas ad eandem dist. q. 2. art. 2. ad 4. affirmantes matrimonium fuiſſe à Deo inſti utum ante peccatum, in eo quòd creauit mulierem in adiutorium viri, & dixit illis, *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.* Quod idem repetitur q. 42. Supplem. art. 2. ad 4. & in Corp. dicitur ibidem, matrimonium prout eſt in officiũ naturæ, id eſt, ad propagationẽm, & conſeruationem ſpeciei, fuiſſe inſtitutum à Deo ante peccatum : prout verò eſt in remedium concupiſcentiæ, fuiſſe inſtitutum poſt peccatum : adeo vt duplicem illius inſtitutionem eſſe velit.

77. Sed ad hæc Reſpondeo primò, verba illa, *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum* &c. dicta fuiſſe ad oſtendendam neceſſitatem creandi mulierem in conſortium viri : non autẽ ad inſtituendum ius circa matrimoniũ, præter ipſum ius naturæ. Creatio quoque mulieris non fuit iuris alicuius poſitiui conſtitutio : ſed effectio perſonæ ad contrahendum matrimonium neceſſariæ, & naturaliter habentis ius contrahendi. Multóque minùs fuit ipſa matrimonii celebratio, vt aliqui affirmare videntur. Nam celebratio, ſeu contractus matrimonii non fit ſine mutuo conſenſu contrahentium, in quo conſiſtit eſſentialiter. At Eua ſine proprio eius conſenſu creata fuit, id eſt, creatio illa non fuit ex libero ipſius conſenſu, vt manifeſtum eſt. Imò neque tunc Adam conſenſit actu, cùm alto ſopore teneretur, quo tempore Deus ex ipſius dormientis coſta Euam produxit.

78. Reſpondeo ſecundò, valde quidem probabile eſſe Adami, & Euæ coniugium tunc contractum fuiſſe, quando ille Dei inſtinctu pronunciauit, *Hoc nunc os ex oſſibus meis* &c. Satis enim per illa verba ſuum conſenſum expreſſit : & credibile eſt Euam non ſolùm illis acquieuiſſe, verùm etiam conſenſum ſuum aliquo ſigno externo ſignificaſſe : atque ita à Deo, vtrumque ad id mouente & inſpirante, coniunctos fuiſſe. Sed ex eo non ſequitur non habuiſſe ius naturale contrahendi licitè, & laudabiliter : neque dubium eſſe poteſt moueri nos poſſe diuinitus ad ea facienda, quæ naturali iure poſſumus, & tenemur facere. Tertiò, verba illa, *Creſcite, & multiplicamini* &c. pertinuerunt potiùs ad præceptum exercendi matrimonium, ſpeciei conſeruandæ, & propagandæ gratiâ : quàm ad inſtitutionem iuris illud contrahendi : de quo præcepto plura dicemus paulò inferiùs. Poteſt autem Deus addere præceptum poſitiuum ad ea, quæ homines naturaliter poſſunt, aut etiam tenentur facere : ſicut reipſa addidit ad ea omnia quæ ſunt iure naturali neceſſaria. Et vt rectè notauit Vaſq. diſp. 1. de Matrim. cap. 2. num. 19. poſt Domin. Sotum in 4. dist. 26. q. 1. art. 2. non fuit opus duplici inſtitutione matrimonii : vnâ in officium naturæ ante peccatum : alterâ in remedium concupiſcentiæ poſt peccatum. Quia, ſi loquamur de iure contrahendi : ſicut eadem fuit natura, & eſſentia hominis ante, & poſt peccatum : ita fuit idem ius naturale, illi per ſe conueniens naturaliter & neceſſariò. Si autem loquamur de actu contrahendi, & exercitio illius iuris, non fuit opus Adamum, & Euam contrahere iterum poſt peccatum, ſed dumtaxat permanere in contractu priùs inito. Quòd verò matrimonium ante peccatũ non eſſet in remedium concupiſcentiæ ſicuti poſt, ex eo ſolùm prouenit, quòd ante peccatum non eſſent motus concupiſcentiæ inordinati, quibus poſtea exortis, idem contractus, & illius vſus ad vtrumque valuit. Quartò denique, quod aiunt Auguſt. & Bonifacius ſupra relati, eo ſenſu intelligendum eſt, quòd Deus inſtituerit matrimonium inquantum eſt auctor naturæ, & omnium naturalium, atque eatenus eorum inſtitutor, qui creando naturam humanam, dedit illi ius contrahendi, aliaque agendi ipſi connaturalia ſicut cæteris rebus creatis naturales ſuas facultates conceſſit.

Non fuit duplex illius inſtitutio.

79. Matrimonium eſt in præcepto naturali.

Dico 2. matrimonium, etiam quoad vſum, neceſſarium eſſe ex præcepto, tum naturali, tum diuino poſitiuo : non quidẽ ſingulis hominibus in indiuiduo, ſed in genere, obligando communitatem vt ſpeciem conſeruet. Prima pars concluſionis eſt D. Thomæ, D. Bonauent. Ricardi, Durandi, Palud. & aliorum Scholaſticorum communiter in 4. dist. 26. & patet, quia contra naturalem rationẽ eſſet pati vt tota ſpecies humana interiret, non vtendo medio ad ipſam propagandam idoneo, quod & natura conceſſit, & ad ipſum naturaliter impellit. Quemadmodum contra naturam

Digitized by Google

esset, non vti cibo licito ad vitam conseruandam.

Atque etiã positiuo.

Secunda pars de præcepto diuino est. etiam communis Theologorum existimantium præceptum istud latum fuisse Gen. 1. & 2. quando primis parentibus à Deo dictum est, *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Non desunt tamen è recentioribus Theologis, & Scripturæ interpretibus, qui velint potiùs benedictionem quandam verbis illis contineri: sicut aliis planè similibus, quæ brutis præcepti incapacibus dicuntur ibidem v. 22. Verùm nihil obstat quò minùs vtraque imperatiuè, vt sonant dicta sint, sed diuersimodè pro diuersa capacitate hominum, & brutorum.

80. Non tamen respectu singulorũ.

Tertia pars est etiam cõmunis Theologorũ loco cit. & specialiter D. Thomæ ibid. & q. 41. Supplem. art. 2. in. c. vbi sic eam explicat, & confirmat. Natura, inquit, inclinat ad aliquid dupliciter. Vno modo sicut ad id, quod est necessariũ ad perfectionem vnius. Et talis inclinãtio quemlibet obligat: quia naturales perfectiones sunt omnibus communes. Alio modo inclinat ad aliquid quod est necessarium multitudini. Et cùm multa sint eiusmodi, quorum vnum impedit aliud, ex tali obligatione non obligatur quilibet homo per modum præcepti: aliàs quilibet obligaretur ad agriculturam, & ad ædificatoriam, & ad eiusmodi officia, quæ sunt necessaria communitati humanæ: sed naturæ inclinationi satisfit, cùm per diuersos diuersa complentur de prædictis. Cùm ergo ad perfectionem humanæ multitudinis sit necessarium aliquos vitæ contemplatiuæ interuire, quæ maximè per matrimonium impeditur: inclinatio ad matrimonium non obligat per modum præcepti, singulos scilicet, & quoslibet homines tametsi obliget communitatem, cuius est procurare, vt conseruetur species; ad quod licitè faciendum, necessarium est contrahere & vti matrimonio. Hæc D. Thom. quæ rectè ostendunt præceptum naturale matrimonii non obligare omnes, & singulos. Diuinum autem accommodatum est naturali, quod tantummodo confirmat.

81. Quinã obligentur aut obligari possint.

Simili discursu vtitur Domin. Sot. in 4. dist. 26. q. 1. art. 2. §. *Ad huius autem.* Ex quo infert 1. posito quòd nulli per se vellent contrahere matrimonium, fore vt capita rerumpublicarum obligarentur cogere aliquos ad illud ineundum. Sed tali curã reip. opus non est, cum ad matrimonium homines per se sint satis propensi. Secundò, in casu quo periculum esset, ne aliàs genus humanum periret, etiam sacerdotes, & Monachos obligandos esse vt matrimonium contrahant: quia naturalis obligatio conseruandi speciem præualeret obligationi votorum, & impedimentis iure positiuo inductis. Sed hic quoque casus planè metaphysicus est. Malunt que alii multi, in eo casu præsumendum esse potiùs velle Deum mundo finem imponere, cœlibatus seruandi voluntatem omnibus inspirando. Frustra verò contra priorem quærit Aegid. Con. disp. 25. dub. 1. num. 6. quinam potiùs obligandi essent? Nã idem quæri posset, quando respublica, vel belli dux aliquos obligat vt se morti exponant: quod tamen propter bonum commune fieri posse certum est. Porrò non tantùm non obligantur singuli, ac qui libet hominum: sed neque quisquam determinatè, per se loquendo: licet per accidens possit quis obligari, vel cùm nullus alius est, qui sufficienter speciem conseruare, & propagare possit, vt primi parentes, & qui aliquandiu illos secuti sunt: vel quando v. g. ad regni bonum id necessarium est: vt aliquando in Regibus contingit, & Summis Principibus, qui sine magna regni perturbatione à coniugio abstinere nõ possent: vel si quis aliter viuere nequit sine continentiæ, ac propriæ salutis periculo. Hinc autem liquet præceptum de coniugio non repugnare voto virginitatis, vel statui cœlibatus, ad quem Paulus hortatur 1. Corinth. 7. quemue suo exemplo post Christum ipsum, & Ioannem vtrumque, Præcursorem, & Apostolum, aliosque plures confirmauit.

82. Fuit ne reuocatũ hoc præceptũ.

Quærunt hic aliqui an præceptum matrimonii fuerit aliquando reuocatum? Et sunt, qui asserant reuocatum fuisse: quia iterum post diluuium latum est Gen. 9. Quando Noë & filiis eius dictum à Deo fuit, *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Alii putant reuocatum fuisse 1. Corinth. 7. quando Apost. virginitatem commendauit, eiusque perpetuò retinendæ consilium dedit. Sed vtrique falluntur: meliúsque cæteri, quorum plurimos refert, & sequitur Vasques disp. 1. de Matrim. cap. 3. negant fuisse reuocatum, quamuis propter diuersam materiæ conditionem non æquè semper obligauerit. Quod cæteris præceptis commune est, vt pro variis circumstantiis variè obligent. Genes. autem 9. renouatum quidem fuit præceptum matrimonii: sed non quasi priùs vnquam cessasset. Nec quia virginitas à Paulo commendatur, & consulitur, ideo cessat præceptum matrimonii, quod ad speciem conseruandam necessariũ semper est, & ad quod multi naturali quadam necessitate compelluntur quodammodo, quibus virginitas nec melior est, nec consulenda, cùm de similibus Paulus asserat melius esse nubere quàm vri, 1. Corinth. 7. Neque putandum est Apostolum omnes, & singulos ad virginitatem hortari: sed qui ad eam sentiunt se vocari à Deo, & consequenter parari sibi auxilia necessaria: quibus denique ipsa melior est, cùm consilium debeat esse rei melioris, non tantùm secundum se & absolutè, sed etiam respectu personæ, cui datur.

83. Falluntur denique, si qui putant, antequam Paulus, virginitatem commendaret,

Digitized by Google

nemini licuisse illam amplecti, & abstinere à coniugio. Cùm & Beata Virgo ab vsu, & Christi Præcursor etiam à coniugio, alique multi ab vtroque priùs abstinuerint. Et cùm matrimonium, aut eius vsus nemirem obligent in particulari, nisi concurrant causæ supra commemoratæ: patet longè antea fuisse mundum sufficienter propagatum, multosque sine alieno incommodo, ac sine propriæ salutis periculo, cum Dei gratia cœlibem vitam amplecti potuisse.

84. Finis matrimonii.

Dico tertiò, finem præcipuum matrimonij, prout est sacramentum, esse gratiam sanctificantem cum adiunctis: prout autem est contractus ciuilis, finem habere præcipuè triplicem: scilicet bonum prolis, siue generationem, & educationem liberorum; ac per eam speciei conseruationem, & propagationem: consuetudinem vitæ mutuam: & remedium concupiscentiæ. Possunt etiam inter fines Matrimonii alii eius effectus numerari. Difficultas autem hìc est, verum omnes illi fines necessariò intendi debeant. Respondeo negativè, non modò ad validè sed ne quidem ad licitè contrahendum. Nam ad validè contrahendum sufficit eos intendere, quæ de essentia matrimonii sunt, vel necessariò cum illo connexa: cuiusmodi non sunt gratia sanctificans, neque generatio, vel educatio prolis, aut mutua vitæ consuetudo, aut remedium concupiscentiæ. Matrimonium enim, prout est contractus ciuilis consistit essentialiter in traditione, & acceptatione mutua dominii corporum in ordine ad copulam. In quam traditionem, & acceptationē consentire possunt contrahentes, sine voluntate vtendi ad fines supra commemoratos: imò etiam cum voluntate opposita: vt qui contrahunt cum proposito seruandi virginitatem: aut mox ingrediendi religionem, qui postremi nullum finium supradictorum intendunt, nisi remotè, quoad principium ex quo sequerentur, nisi ipsi impedimentum ponerent. Prout autem sacramentum est, requirit solùm vt à personis baptizatis contrahatur, cum intentione faciendi quod Christus instituit: quæ intentione ipsum quidem effectum gratiæ necessariò includit, sed cum illius exclusione per obicem potest consistere. Licitè tamen hic effectus excludi nequit; neque sine peccato scienter, & liberè impediri. Secus autem priores alii: sunt enim iustæ causæ propter quas vnus, vel plures excludi licitè possunt.

Quomodo intendendus?

85. Sed neque in ipso matrimonii vsu necessarium est generationem, & prolem super intendere. Possunt enim coniuges v. g. pauperes, dum vtuntur matrimonio, optare licitè, vt ne plures nascantur liberi, quàm educare queant, vel eam ob causam ab illius vsu abstinere mutuo consensu, vel non perfectè vti: vt docent S. Antonin. 3. p. tit. 1. cap. 20. §. 6. Paludan. in 4. dist. 31. q. 3. art. 2. concl. 5. Angelus V. *Debitum*, num. 27. Rosella eodem V. num. 11. Philiarch. de officio sacerdot. tom. 1. p. 2. lib. 4. cap. 19. Coninc. disp. 25. dub. 2. n. 14. Sanchez lib. 9. disp. 8. n. 10. Idemq; censeo discendum de fœmina, quæ propter summam pariendi difficultatem in extremum vitæ periculum adduci soleret. Posset enim licitè optare vt ne concipiat, paritura iterum cum tanto discrimine. Notandum tamen hanc voluntatem debere esse ineficacem, ita vt nihil operetur quo generatio prolis impediatur, procurando sterilitatem, aut aliter impediendo conceptum. Hoc enim sine dubio vitiosum esset.

Quæ interdo necessitatem illius vsu?

86. Non est quoque malum vsum coniugii ordinare tantùm ad remedium concupiscentiæ, non quidem positivè excludendo alios fines, sed tantùm negativè se habendo circa illos, id est, non intendendo. Quia alii non sunt semper necessarii: & hic, etiam solus, habet cur conuenienter expetatur. Est enim bonum, & honestum vitare peccatum, eiusque periculum, & ad hunc finem vti medio licito. Idque significat Apost. 1. Corinth. 7. cum sic ait: *Propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat &c. Et iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* Nec obest quod addit, *Hoc autem secundum indulgentiam dico, non secundum imperium.* Nam indulgentia ibi non significat veniam culpæ, sed concessionem rei licitæ, vt rectè exponunt Salmeron, Iustinianus, Cornelius, Estius, aliique meliores interpretes. Et quamuis plures sint fines matrimonii, quorum aliqui sunt isto nobiliores: tamen non tenentur coniuges intendere positivè in vsu coniugii quemlibet illorum, aut etiam semper optimum: sicut non tenentur operari semper, quidquid agunt, ex fine magis præcipuo, quando non desunt alii honesti, & per se appetibiles. Sufficit illum non excludere positivè, aut vitiosè aliis minoribus postponere, & præ illis despicere. Qua de re plura dicemus inferiùs disp. 72. sect. 1. vbi nonnulla S S. Patrum testimonia, quæ his obstare videntur, exponemus.

DISPVTATIO

DISPVTATIO SEPTVAGESIMA.

De Sponsalibus, & aliis ad Matrimonium prærequisitis.

Sectio I.	*Quid sint Sponsalia, & quænam ad illorum valorem requirantur?*
Sectio II.	*Soluuntur duæ difficultates circa præcedentem doctrinam*
Sectio III.	*Quibus modis contrahantur Sponsaliæ*
Sectio IV.	*A quibus possint validè, & licitè contrahi?*
Sectio V.	*Quos effectus habeant Sponsaliæ? Et primò de obligatione ex illis orta.*
Sectio VI.	*De aliis effectibus Sponsalium.*
Sectio VII.	*Quibus modis dissoluantur Sponsalia?*
Sectio VIII.	*De aliis causis sufficientibus ad dissoluendum?*
Sectio IX.	*De quibusdam aliis prærequisitis ad Matrimonium licitè, aut validè contrahendum.*

DE Sponsalibus disputat S. Thom. qu. 43. Supplem. & art. 1. docet Sponsalia, à Spondendo dicta iuxta Isidorum 9. Etymol. cap. vlt. esse futurarum nuptiarum promissionem, consentiendo in coniugalem copulam per verba de futuro. Quæ promissio dupliciter fieri potest: absolutè scilicet, vel sub conditione. Et rursus absolutè quatuor modis. 1. Nuda promissione: vt cùm dicitur, Accipiam te in meam, & è conuerso. 2. Datis arrhis sponsalitiis: vt pecuniâ, vel aliquo eiusmodi. 3. Annuli subarrhatione. 4. Interueniente iuramento. Si autem fiat sub conditione, distinguendum est. Quia vel est conditio honesta, vt cùm dicitur, Accipiam te, si parentibus placeat: & tunc stante conditione, stat promissio; & non stante, non stat. Aut est inhonesta: & hoc dupliciter. Quia vel est cõtraria bonis Matrimonii, vt si dicam, Accipiam te, si veneno sterilitatẽ procures. Et tunc non contrahuntur sponsalia. Vel non est contraria bonis Matrimonii: vt si dicam, Accipiam te si furtis meis consentias: & tunc stat promissio, sed tollenda est conditio. Art. 2. affirmat septennium esse tempus à iure determinatum sponsalibus contrahendis: idque satis rationabiliter. Quia cùm sponsalia sint quædam promissio futurorum, oportet spondentem habere aliquam prudentiam circa futurum, quæ vsum rationis requirit. Eius autem respectu triplex est gradus secundum Philosophum, 1. Ethic. cap. 4. Primus est, cùm quis neque ipse intelligit per se, neque ab alio capere potest. Secundus, quo homo ab alio

Tertiò, sumitur pro ipso matrimonio: eò quòd, inquit D. Thom. q. 43. Supplem. a. 1. ad 6. in ipso matrimonii cõtractu includitur, saltẽ tacitè, promissio de præstando in futurũ officio mutuo coniugali. Et, vt addit Couarruuias in Epitome 4. Decretalium c. 1. n. 3. §. *Quod etiam*, olim mos erat, vt contrahendo matrimonium vir mulierẽ interrogaret, Velletne sibi esse materfamilias? & reciprocè mulier virum interrogaret, Velletne sibi esse paterfamilias? idque vterq; sponderet, id est, ipõte promitteret. Et hæc acceptio in lingua Gallica familiaris est. Eodem q; sensu interpretandum est illud Matth. 1. v. 18. *Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph.* Vix tamẽ vllum reperitur illius exemplum in iure antiquo ciuili, aut canonico. Nam quod profert Basil. Pont. lib. 12. de Matrim. cap. 1. ex cap. 13. De præsumptionibus, id non satis probat, cum ibi sermo sit de matrimonio inualidè contracto, propter impedimentum affinitatis in secũdo gradu ex copula illicita. Valet tamen ad ostendendum matrimonium ita contractũ inualidè per verba de præsenti, sponsalia vocari. Nam de illo interrogatus Clemens III. respondit debere, qui ita contraxerant, non coniugi matrimonialiter, sed solutis sponsalibus separari.

3. Totidem modis vox *Sponsa.*

Totidem modis sponsæ nomen accipitur. Primò, pro ea, quæ matrimonium spopondit de futuro. Secundò, pro illa, quæ verum matrimonium per verba de præsenti contraxit: vt patet ex cap. 2. & vltimo, de sponsa duorum: præsertim verò si nondum viro copulata, vel in eius domum traducta fuit. Tertiò, pro illa etiam quæ matrimonium consummauit: tametsi hæc frequentiùs solet in iure vocari vxor.

Et nominis *Vxor.*

Sed & ipsum nomen vxoris, seu coniugis, triplicem habet in iure significationẽ. Primò enim significat illam, quæ contraxit, & consummauit Matrimonium, vt iam dixi. Secundò illam, quæ cõtraxit per verba de præsenti, & nondum consummauit, vt videre est c. 4. 5. 6. 9. & pluribus aliis, Causa 27. q. 1. Denique tertiò, illam quæ spopondit de futuro tãtùm, vt colligitur ex lege *Non sine*, 5. Cod. *De bonis, quæ liberis*, &c. vbi dicitur sponsam nomine vxoris comprehendi posse in fauorabilibus: ideoque legem statuentem, vt ea quæ vxor acquirit à viro, quoad proprietatem, sibi, non patri acquirat, extendi posse ad ea, quæ sponsa acquirit à sponso. Eodemque sensu intelligi potest illud Genes. 29. vbi Iacob petens à Labano Rachelem filiam eius, quam ipsi spopõderat, pro septem annorum ministerio, *Da mihi*, inquit, *vxorem meam, quia iam tempus impletum est, vt ingrediar ad eam.*

4. Quæ interdum confunduntur.

Vnde colligo sponsæ, & vxoris nomen interdum confundi: & vtrumque tribus modis planè iisdem accipi. Quia tamen propriè & magis frequenter sponsa dicitur, quæ de futuro spopondit: & vxor, quæ non modò contraxit de præsenti, verùm etiam consummauit: notandum est in legibus pœnalibus, & odiosis debere nomina illa hoc sensu strictiori accipi, & in fauorabilibus posse ad triplicem illam significationem extendi, nisi ex aliis circunstantiis cogamur aliud intelligere, vt post Couarru. cap. sup. cit. obtinuerunt Basil. Pont. lib. 12. cap. 1. Vasq. disp. 4. de Matrim. cap. 1. & plures alii.

His de nomine ad iura intelligenda præsuppositis, vt ad rẽm veniamus, sponsalia sumuntur in præsenti disput. primo sensu, qui magis proprius est, magisque vsitatus apud Theologos, & Iurisconsultos. Sic autem accepta definiri possunt, *Nuptiarum futurarum promissio mutua, sufficientibus signis expressa.* Quæ definitio sumitur partim ex cap. *Nostrates*, 30. quæst. 5. partim ex L. 1. ff. *de sponsalibus.* Vt autem valida sint, multa requiruntur. Primò enim, debent esse promissio, ita vt non sufficiat propositum, aut simplex voluntas, quæ non sufficit ad inducendam obligationem. Quare non satis est dicere; Volo te accipere in vxorem; nisi ex circunstantiis intelligatur ita loquentem promittere, & ipse in animo id intendat: vt rectè post alios docet Bonac. quæst. 1. de Matrim. punct. 1. propos. 2. num. 3. Licet nonnulli contrarium sentiant.

5. Sponsalium definitio.

Debent esse promissio mutua.

Secundò, promissio debet esse mutua. Nam in lege citata sponsalia dicuntur esse repromissio, id est, reciproca promissio. Nimirum sicut matrimonium non fit sine mutuo vtriusque consensu de præsenti, ita sponsalia, quæ sunt inchoatio matrimonii, non fiunt sine mutua vtriusque promissione. Idem enim per sponsalia vtrinque promittitur, quod per matrimonium traditur. Quare si alter solùm acceptet promissionem, sed non repromittat; neuter obligatur vi sponsalium. Ille tamen, qui promisit, tenetur vi simplicis promissionis, si intendit se illi obligare independenter ab eius repromissione: secus si dependenter, vt fieri solet in contractibus onerosis.

6. Et vera, id est, cum intentione se obligandi.

Tertiò debet esse vera vtrinq; & non ficta promissio, id est, ex vera intentione se obligandi sufficienter expressa. Nam alioqui non est verè promissio. Et quemadmodum matrimonium nullum est sine vero consensu exteriùs significato: sic neque sponsalia sine vera promissione. Quod intellige licet accedat iuramentum, sed sine animo se obligandi factũ. Quamuis enim peccet grauiter fictè iurans, & sine intẽtione faciendi quod iurat: nõ tenetur tamen vi sponsalium, seu vi promissionis, quæ verè esse nequit sine intentione se obligandi: quamuis aliunde teneri possit ratione damni, vt dicã paulò post. Quod etiam in voto locum habet. Nam qui verbo tenus vouet, non intendens se obligare, aut existimans nullam per votũ obligationem induci, reuera non vouet, nisi per intentionem generalem deroget suo errori priuato, volẽs obligari, si natura voti hoc postulat: aut nisi habeat tacitam saltem, & implicitam voluntatem se obligandi, volens scilicet promittere, & sciens naturam promissionis, neque illi derogans per intentionem contrariam.

Digitized by Google

7. Et acceptata.

Quartò promissio debet acceptari ab eo, cuius in gratiam fit. Alioqui non confert ius ei, cui fit. Nam promissio habet hanc tacitam conditionem, *si alter acceptaverit*: & regulariter non obligat ante acceptationem. Regulariter, inquam, id est, nisi ius suppleat defectum acceptationis: vt facit quando aliquid promittitur infantibus. Indeque fit vt sponsalia, si valida sunt, vtrinque obligent, neque possint altera parte claudicare: quia cum promissio debeat vicissim ab vtroque fieri, & ab vtroque acceptari: manet vterque obligatus vi sponsalium: quamuis non semper æquè perfectè, aut etiam non omnino perfectè: vt quando impuberes contrahunt sponsalia: qui postea, cum ad pubertatem venerunt, possunt altera parte inuita resilire, vt dicemus inferiùs disputando de obligatione sponsalium. Quintò, debet esse promissio de matrimonio directè, & immediatè. Nam promissio alterius rei quàm matrimonii, aut non nisi remotè tendens ad matrimonium, qualis est promissio de sponsalibus contrahendis, non constituit sponsalia. Vnde etiam ex tali promissione remota non oritur impedimentum publicæ honestatis.

Et de matrimonio incundo.

8. Et circa personam determinatam.

Sextò debet promissio versari circa personam determinatam: non autem confusè, & indeterminatè circa aliquam de pluribus: atque determinatè ferri in matrimonium. Quare huiusmodi promissio, *Nunquam aliam præter te*, non sufficit ad sponsalia: quia qui sic promittit, non obligat se determinatè ad matrimonium cum illa incundum, sed tantùm indeterminatè. Sensus enim illius propositionis est, Vel ducam te, vel nullam aliam: & absolutè verificatur licet promittens *nullam* omnino ducat. Qui tamen sic promittit, imponit sibi obligationem aliquam ad ducendam illam, aut nullam aliam, quandiu illa poterit, & volet ei nubere. Hoc enim aperte promisit: quamuis eiusmodi promissio non habeat rationē sponsalium, sed alterius generis sit. Idemque dico de illo, qui Petro habenti decem filias, promitteret se aliquam ex illis ducturum, non determinando quam. Si tamen postea aliquam ex illis eligeret, habendo copulam cum illa, vel alio signo externo sufficienter declarando suam electionem; perficerentur eo ipso sponsalia. Imò copula illa efficeret matrimonium, vbi constitutio Tridentini de clandestinis nondum est recepta.

9. Possunt firmari arrhis vel iuramento, aut mulcta pecuniaria.

Septimò, tametsi non est necessarium vt ad promissionem accedant arrhæ, vel iuramentum: illis tamen accedentibus, sponsalia firmiora sunt. Potest etiam apponi mulcta pecuniaria, ab eo persoluenda, qui à sponsalibus iniustè resiliet: non obstante cap. *Gemma*, de Sponsalibus, vbi tantùm damnatur huiusmodi pœna quæ liget etiam iustè resilientem, vt exponit, & probat Aegid. Con. disp. 22. dub. 5. n. 29. Octauò, vt aliqui possint valide contrahere sponsalia, debent vti ratione sufficienter ad peccandi mortaliter. Quantum nimirum est necessarium, vt de re tanti momenti deliberare possint. Ideoque debent communiter expleu sse septennium, vt dicemus sect. 4. Debent etiam carere impedimento perpetuo, & indispensabili, vt dicemus ibidem: quia nemo potest validè promittere, & se obligare ad impossibile. Sin autem impedimentum est capax dispensationis, possunt contrahere sub conditione illius obtinendæ.

10. Sintne verba necessaria?

Notò denique, licet nulla verba, vel alia signa determinata sint essentialia, vel necessaria sponsalibus ex natura rei, vel ex præcepto ecclesiastico; sed sufficiant hæc aut illa, quæcunque apta sunt exprimere alteri sufficienter consensum internum: nihilominus talia esse debent, vt hic & nunc spectatis omnibus, illum satis determinatè significent, saltem ex mutua vtriusque partis conuentione. Quod addo, quia non est necessarium vt verba, vel alia signa, quæ à spōsis adhibentur, significent ex natura sua, vel ex cōmuni hominum institutione, & vsu, consensum in sponsalia; imò possunt aliquid planè diuersum significare: dummodo ex conuentione partium præsentem consensum sufficienter ipsis notificent. Ipsis, inquam, etiam solis, ita vt nullus alius ex eis intelligat ipsos consentire. Quod etiam sufficit ad consensum matrimonii exprimendum, vbi Tridentini constitutio nondum est recepta: licet alibi necessaria sint verba, vel alia signa, quibus parocho, & testibus innotescat coniuges de præsenti contrahere matrimonium: neque vspiam sine talibus signis, quę sint alias nota, possit Ecclesiæ id constare, vt par est. Quo sensu intellige cap. *Tuæ fraternitati*, De sponsalibus: vbi dicitur matrimonium in veritate contrahi per legitimum viri, & mulieris consensum (ipsis videlicet mutuò sufficienter expressum) sed necessaria esse, quantū ad Ecclesiam, verba consensum exprimentia de præsenti: id est, vt constet Ecclesiæ de consensu contrahentium necessaria sunt verba, vel signa æquiualentia aliis nota, & secundum sensum illis notum vsurpata.

11. Qualia debent illa esse.

Rursus verba quibus cōtrahuntur sponsalia, non debent esse ambigua, ita vt omnibus spectatis non magis consensum in matrimonium de futuro quàm aliquid aliud significent, possintque de alio verificari. Quia sicut non sufficit consensus interior indeterminatus ad matrimonium, vel ad aliud: ita neq; signum externum indifferens ad hoc, aut illud. In casu autē, quo verba vel alia signa externa esset quidem satis determinata ad matrimonium, sed ambiguum esset num illud de præsenti, aut de futuro significent: efficerent tātùm sponsalia: quia non ad plus obligant, quàm ad id, quod verba in rigore sonant, & sine quo non possunt verificari. Atque vt habetur in regula Iuris 30. De regulis Iuris in 6. *In obscuris minimum est sequendum*. Minùs autem est contrahi sponsalia, quàm matrimonium. Excipe casum, quo signa illa ambigua determinarentur ex pacto contrahentium ipsis noto, & aliis, quibus opus est:

Digitized by Google

vel etiam ex loci consuetudine, aut iuris dispositione sufficienter cognita. Hinc est quòd quibusdam in locis sufficit ad significandum consensum in sponsalia missio annuli in digitum sponsæ, vel appensio torquis ad collum, vel traditio arrharum, vel porrectio manus sponsæ postulante sponso: quia consuetudo recepta ita fert. Hinc etiam est, quòd quando parentes aut tutores, vel curatores, qui sunt loco parentum, contrahunt sponsalia pro filiis impuberibus, aut etiam puberibus, ipsis præsentibus, & non contradicentibus, sufficit eorum taciturnitas, dummodo interiùs verè consentiant: quia ius ita disponit cap. finali de desponsatione impuberum: aut etiam si contraxerint ipsis absentibus, & ipsi cum primum id ab illis resciuerint, non contradixerint, vt colligitur ex eodem cap. Extra hos verò casus non sufficit tacere; nisi alicubi id ferat consuetudo: quia neque ius positiuum ita disponit, neq; ex natura rei tacere est signum sufficiens consensus. Licet enim qui tacet, videatur consentire in fauorabilibus: secus tamen in onerosis, cuiusmodi sunt sponsalia, & matrimonium. Nam in illis qui tacet, neque consentire, neque dissentire videtur, vt habet regula 44. de Regul. iuris in 6. Quin etiam censeo in priori casu debere ius illud, aut consuetudinem notam esse infantibus, vt per suam taciturnitatem verè, & in conscientia obligentur, contrahantque sponsalia.

Nō eadem lingua vbiq; sufficiunt.

SECTIO II.

Soluuntur duæ difficultates circa doctrinam præcedentem.

12. Possitne esse promissio matrimonii sine repromissione?

CIrca id quod diximus, sponsalia esse debere mutuam vtriusque promissionē, & acceptationem difficultas est, an possit vnus validè promittere alteri matrimonium, illique obligari, absque eo quòd iste repromittat? Partem negantem tenent Vasquez disput. 4. de Matrimonio cap. 3. num. 29. & Basil. Pont. lib. 12. cap. 4. vbi affirmat promissionem futuri matrimonii cum aliquo, vel aliqua, nunquam ad id obligare, nisi is cui facta est promissio etiam repromittat, & ad futurum matrimonium obligetur; neque ad hunc effectum posse aliter acceptare, nisi eo ipso mutuò repromittat. Ratio præcipua huius sententiæ est, quam affert Vasq. ibid. nu. 33. quia contractus matrimonii non est contractus simplicis & gratuitæ donationis: sed est instar cuiusdam commutationis, & necessariò, atque essentialiter continet in se mutuam contrahentium obligationem: ita vt nemo seipsum obligare velit, aut tradere, nisi sub ea conditione, vt alter ei mutuò, quasi in compensationem se tradat, vel obliget: & acceptatio traditionis talis naturæ est, vt in se necessariò & essentialiter includat suapte natura mutuam traditionem, neque vnum ab alio separari queat. Ergo promissio matrimonii futuri nō est instar promissionis donandi simpliciter, & gratuitò; sed cōmutandi, & incundi reciprocam obligationem. Ergo promissio matrimonii futuri non potest fieri gratis, instar promissionis gratuitæ donandi aliquid: sed sub conditione mutuæ sponsionis: sicut fieri nequit promissio cōmutationis, nisi intuitu mutuæ promissionis: quia materia ipsa id postulat. Neque dicas discrimen esse in eo, quòd matrimonium exigit quidē mutuam obligationem: secus autem promissio matrimonii futuri. Nā cum in promissione agatur de matrimonio vtrinque contrahēdo, ille, qui promittit alteri pro futuro, necessariò postulat ab eo, vt secum consentiat, non quidem vt tunc fiat matrimonium, sed vt postea contrahatur. Ergo necessariò postulat ab eo vt consentiat in promissionem de futuro, id est, vt velit & ipse postea contrahere, ne sit inanis alterius promissio. Consensus autem in futurum contractum matrimonii respondens promissioni, vim habet repromissionis: ergo, &c. Hæc Vasques, addens idem sentiendum esse, siue acceptatio vnius fiat eodem tempore, quo alter promittit: siue etiam postea: quia quocunque tempore acceptet, non potest hoc ipso non repromittere, propter rationem allatam.

13. Sententia affirmans.

Contrarium sentiunt Dominic. Sot. in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 1. conclus. 1. Sanch. libro 1. de Matrimonio, disputat. 5. num. 5. Mærat. disput. 12. de Matrimonio, sect. 2. & alii, quorum sententia omnino vera esse mihi videtur. Ratio illius est, quia non repugnat promissionem alicui fieri, & ab illo acceptari, absque eo quòd ipse vicissim promittat, seipsumque alteri obliget. Quod non modò verum est de gratuitis promissionibus, in quibus, qui promisit alteri, nihil ab ipso exigit: potest enim, verbi gratiâ, spondere quis alteri donaturum se liberaliter post annum centum aureos, absque eo quòd ipse quidquam repromittat acceptando hanc promissionem, illumque obligando vt saltem ex fidelitate donare teneatur suo tempore. Non modò, inquam, id verum est de promissionibus gratuitis, de quibus id non negant aduersarii; sed etiam de onerosis, id est, de promissionibus dandi aliquid sub onere, & conditione alterius rei accipiendæ. Neque enim repugnat me, verbi gratiâ, promittere Petro vendere illi prædium meum, quotiescunque ipse voluerit emere iusto pretio: & Petrum hanc promissionem acceptare: absque eo tamen quòd ipse ad emendum se obliget. Et ego quidem ad vendendum obligatus maneam, si ipse velit emere: ita tamen vt non obligetur ad emendum, me volente vt emat.

14.

Confirmatur, quia similis conuentio fit quotidie in contractu census ex altera parte redimibilis: qui contractus est sine dubio onerosus, & ad commutationes per-

tinet. In illo autem censuarius promittit pecuniam datam ad censum recipere, quotiescunque placebit censualistæ eam reddere. Et hæc promissio ab isto acceptatur, alterumque obligat, absque eo tamen quòd iste repromittat eam reddere, & ad id obligetur. Liberam enim retinet facultatem seruandi in perpetuum, si velit, sub onere soluendi censum. Posset etiam quis promittere alteri se daturum ad censum mille aureos, quotiescunque indigebit, absque eo quòd alter acceptans promissionem, repromitteret accipere, seque ad id obligaret. Estque manifestum posse vnum obligari ad dandum, si alter, cui promisit, velit vti eius beneficio; absque eo quòd iste obligetur ad vtendum. Quæ omnia clariora mox euadent solutione argumentorum contrariæ sententiæ.

15. Soluuntur argum. sententiæ negantis.

Ad primum igitur respondeo, matrimonium quidem essentialiter continere mutuam contrahentium obligationem de præsenti, & reciprocam vtriusque traditionem, & acceptationem. Hæc enim est natura matrimonii, vt patet ex eius definitione explicata disp. præcedenti. Sicut etiam sponsalia continent essentialiter consensum vtriusque partis de futuro, seu mutuam promissionem, & acceptationem futuri matrimonii, vt liquet ex dictis sect. 1. ideoque promissio non reciproca non perficeret sponsalia, neque gigneret impedimentum publicæ honestatis. Sed non est verum non posse quemquam alteri promittere matrimonium, absque eo quòd iste vicissim promittat, si acceptet promissionem alterius. Quamuis enim promissio matrimonii futuri sit promissio commutationis, & contractus onerosi includentis essentialiter consensum vtriusque coniugum: sicut contractus venditionis includit essentialiter consensum ementis, & vendentis: neque aliter possit fieri matrimonium, sicut aliter fieri nequit emptio, & venditio: promissio tamen de matrimonio contrahendo non est ipse contractus matrimonii; neque, vt iste, includit essentialiter promissionem, & acceptationem reciprocam vtriusque partis: sed fieri potest vt vnus promittat, & se obliget alteri ad contrahendum, si ipse velit: absque eo quòd iste vicissim promittat, & se obliget, quamuis acceptet illius promissionem. Neque obstat quòd promissio contractus matrimonii sit promissio contractus onerosi: quia potest aliquis promittere alteri se cum illo initurum contractum onerosum, si ipse velit, absque reciproca istius acceptantis promissione. Exempli gratiâ, potest illi promittere se domum suam ei locaturum, aut venditurum quando ipse volet: quam promissionem iste acceptet, alterumque teneat obligatum: quamuis ipse non promittat contractum locationis, aut venditionis efficere, liberque maneat ad vtendum, vel non vtendum eius promissione. Quando autem fit promissio futuri matrimonii, non fit quidem promissio donandi aliquid gratis, sed commutandi corpus cum corpore, & tradendi seipsum alteri sub conditione mutuæ traditionis: saltem tamen est non aliter eam fieri posse, quam sub conditione mutuæ sponsionis, seu promissionis reciprocæ, cuique naturam id omnino postulare, vt ex dictis puto esse perspicuum.

16. Ad secundum respondeo, non esse verum quòd ille, qui promittit alteri matrimonium pro futuro, necessariò postulet ab eo vt ipse quoque velit, & promittat contrahere: foreque alioquin inanem, & nullam eius promissionem. Natura enim talis promissionis id non postulat per se: quippe quæ stare potest, & obligare promittentem, dummodo iste verè, & ex animo promittat, alter verò gratam & acceptam promissionem habeat, licet nondum statuerit illam ad effectum perducere: neque velit illi vicissim promittendo se obligare. Et quamuis agatur in hac promissione de matrimonio contrahendo, ipsumque matrimonium non possit contrahi sine mutua vtriusque traditione, & acceptatione: non sequitur quòd pariter promitti nequeat sine vtriusque promissione, & acceptatione mutua. Estque manifestè vitiosa hæc aduersariorum argumentatio: Matrimonium includit essentialiter mutuam vtriusque traditionem, & acceptationem de præsenti, neque aliter fieri potest. Ergo promissio matrimonii futuri includit essentialiter mutuam vtriusque promissionem, & acceptationem, neque potest ab vno validè promitti, quin alter repromittat.

17. Sufficiunne verba promittere?

Altera difficultas est circa id quod diximus, promissionem sponsalium verâ esse debere; & vi sua non obligare, si ficta sit, hoc est, si fiat verbo tenus dumtaxat, sine animo promittendi, & intentione se obligandi. Sunt enim qui putant sufficere, verbis promittere: imò tam falsum esse dicere, posse aliquem promittere alteri sine animo, & voluntate promittendi, quàm dicere posse aliquem alterum infamare sine voluntate ipsum infamandi: aut posse aliquem scienter, & liberè occidere vulnerando lethaliter, absque animo vulnerandi, & occidendi. Quia sicut infamatio est in verbis, & qui voluntariè profert huiusmodi verba, nõ potest non velle ea proferre, ac proinde non potest nõ velle infamare: ita etiam promissio in verbis est, quibus exteriùs enũciat, & insinuat vnus alteri se facturũ aliquid in ipsius vtilitatem: & qui voluntariè profert huiusmodi verba, non potest non velle ea proferre, & eo modo enũciare, ac proinde promittere, quod nihil aliud est, quàm eo modo loqui. Nam si quid aliud requireretur ad essentiã promissionis, maximè propositum faciẽdi id quod promittitur. At hoc non: quia sine huiusmodi proposito rectè potest fieri homini promissio: imò & cum proposito non faciendi. Quia propositũ est actus voluntatis statuentis facere quod promittit: promissio autem est actus intellectus, id est, affirmatio, & enunciatio quædam

alicuius rei in futurum faciendæ, ei insinuata in cuius gratiam, & vtilitatem siue obsequium res facienda est. Ita Vasq. disp. 6. de Matrimon. cap. 2. num. 14. & seqq. & Basil. Pont. ipsum secutus lib. 12. de Matrim. cap. 2.

18. Respondetur negatiuè.

Contrarium tamen dicendum censeo cum Sanche lib. 1. disp. 9. num. 3. Conine disp. 21. dub. 2. num. 7. Bonac. quæst. 1. de Matrim. puncto 2. num. 2. & 3. Reginaldo lib. 31. num. 250. & Mærat. disp. 12. de Matrim. sect. 5. Ratio est, quia promissio non consistit solùm in verbis externis eam significantibus, sed præcipuè in intentione se obligandi alteri ex fidelitate, vel ex iustitia, ad faciendum id quod verbis promittitur. Ergo ad promittendum non sufficit voluntariè proferre verba, id est, velle proferre, & reipsa proferre ex intentione & voluntate proferendi, nisi simul adsit intentio se obligandi, & nisi proferantur ex tali intentione. Ac sicut contrahere matrimonium non est tantùm proferre voluntariè verba significantia mutuam traditionem, & acceptionem corporum, sed essentialiter necessarius est consensus internus, ita vt proferantur ex voluntate, seu intentione se tradendi actu, acceptandique mutuò; estque certissimum matrimonium sine tali consensu nullum esse, quidquid exteriùs dicatur: Ita contrahere sponsalia, mutuóque promittere matrimonium in futurum, non est tantùm proferre voluntariè verba significantia huiusmodi promissionem: sed essentialiter necessarius est consensus internus se obligandi mutuò per illa verba.

19. Confirmatur.

Confirmatur quia ex opposito sequeretur nullum votum Deo factum, nullaque sponsalia irrita esse posse defectu consensus interni: quod est falsum, & contra sensum, vsumque communem. Probatur sequela, quia iuxta doctrinam aduersariorum eo solò quòd aliquis voluntariè profert verba de se significantia promissionem Deo, vel homini factam, promittit reipsa: neque potest velle proferre, & non velle promittere. Sequeretur etiam nullum matrimonium irritum esse posse ex solo defectu consensus interni. Quia si ad sponsalia validè contrahenda sufficit proferre verba promissoria ex voluntate ea proferendi, quamuis desit consensus, & voluntas se obligandi, ad futurum matrimoniũ: par est ratio vt ad matrimon. valide contrahendum sufficiat proferre voluntariè verba significantia traditionem, & acceptationem de præsenti, quamuis desit voluntas tradendi, & acceptandi, seque mutuò obligandi.

20. Soluitur fũdamentum contr. sententiæ.

Ad argumentum ergo Vasquis in contrarium, Respondeo cum Mæratio loco supra citato, disparem esse rationem promissionis, & diffamationis, aut vulneris lethalis. Ideo enim non potest quis voluntariè proferre verbum externum diffamationis, sine animo diffamandi: aut voluntariò vulnerare lethaliter sine animo vulnerãdi: quia diffamatio præcisè, & formaliter consistit in verbo externo significante malum de proximo, independenter à voluntate proferentis eiusmodi verbum, quippe cuius significatio non pendet ab illius voluntate. Sicut etiam vulnerare lethaliter consistit præcisè in tali actu externo, qui ex se habet quòd lethalis sit independenter à voluntate vulnerantis. Vnde cum res externa sit talis per se præcisè; sequitur eum, qui voluntariè illam facit, habere hoc ipso voluntatem eam faciendi talem, qualis reipsa est per se: ac proinde diffamandi, si verbũ est diffamatorium; & lethaliter vulnerandi, si vulnus est de se lethale. At verbũ externum, quo dicimus alteri nos quippiam in eius gratiam, aut vtilitatem facturos, non est promissio per se solum, sed tantùm dependenter à libera intentione promittendi, volendique se illi obligare: sicut externa verba coniugum, matrimonium actu contrahentium, non sunt per se præcisè actualis traditio corporum, sed tantùm dependenter à libera intentione ea tradendi actu, prout verba significant.

21. Promissio non consistit in solis verbis.

Perperam itaque supponit Vasques promissionem consistere in solis verbis, quibus vnus enunciat alteri se facturum aliquid in vtilitatem ipsius. Requiritur enim vlteriùs, non propositum quidem, seu voluntas faciendi id quod promittitur; quia sine tali proposito, imò etiam cum voluntate contraria potest quis promittere, seque obligare alteri ad faciendum aliquid, quod reipsa non præstabit, neque præstare vult: sed requiritur voluntas se obligandi, id est, adstringendi alteri fidem suam, autius illi dandi ad exigendum id quod promittitur verbis. Confirmatur, quia si, vt Vasques affirmat, promissio nihil aliud esset, quàm affirmatio, & enunciatio quædam alicuius rei in futurum faciendæ, ei insinuata, in cuius gratiam, & vtilitatem, siue obsequiũ res facienda est: sequeretur propositum simplex esse promissionem, inducereque obligationem fidelitatis, aut iustitiæ. Potest enim qui proponit aliquid facere in gratiam, uel obsequium alterius, hoc ei insinuare, non solùm his verbis, Propono hoc facere amoris, aut obsequii tui causâ: verùm etiam istis, Faciam hoc amoris tui causâ, vel obsequii, & vtilitatis. Consequens autem est absurdum, vt ex eo maximè appareat, quòd sequeretur omne propositum similibus verbis internis, aut externis enunciatum Deo, esse votum: vt si quis Deo diceret ex animo tantum proponendi, suumque desiderium explicandi, Domine faciam quidquid potero, vt tibi meliùs seruiam: vel quidquid gratius tibi esse cognoscam.

22. Requiritur intentio se obligandi.

Hinc collige ne illum quidem obligari, qui promittit, aut vouet exteriùs ex intentione promittendi, aut vouendi, sed sine intentione se obligandi, eò quòd ignoret promissionem, aut votum habere vim obligandi; seque non posse promittere, aut

vouere, quin hoc ipso contrahat obligationem. Ratio est, quia, vt supra diximus, intentio se obligandi est prorsus necessaria vt verba exterius voluntariè prolata, promissionis vim habeant. Neque dicas esse impossibile velle promittere, & non velle se obligare. Hoc enim verum est de eo, qui vult verè & reipsa promittere, id est, prout fert, & exigit natura promissionis: non autem de eo qui vult promittere secundum falsum conceptum promissionis, quem habet, putans eam non differre à simplici proposito. Supponimus autem eum, de quo nunc loquimur, restringere suam intentionem ad falsum conceptum promissionis quem habet. Nam si per intentionem superiorem, & prædominantem, derogaret errori suo, volens promittere eo modo, quo natura promissionis exigit, si illa fortè alia sit, quàm ipse imaginatur: omninò promitteret, & obligaretur: sicut alibi diximus de ministro sacramenti derogante suo errori priuato circa illius essentiam.

23. Quid si quis velit promittere & nolit obligari.

In eo autem casu, quo per impossibile aliquis agnoscens naturâ promissionis, vellet promittere, & nollet obligari; distinguendum esset. Nam vel vna ex illis intentionibus prædominatur, & derogat alteri, ita vt vnum illorum absolutè velit, quidquid sit de altero: vel è contrario vtrumque vult æqualiter, & æquè efficaciter, aut absolutè. Si primùm: tota intentio prædominans habet effectum. Si secundum: neutra operatur, quia se mutuò æqualiter impediunt. Neque enim verum est quod ait Mærat. disp. 12. sect. 6. in eo casu voluntatem promittendi obligare: eò quòd, inquit, efficax voluntas promittendi ponit reipsa promissionem. Nam omnis, qui efficaciter vult promittere, reipsa promittit, vi huius voluntatis, & ex eius hypothesi non potest non promittere. Posita autem promissio necessariò obligat. Non enim obligat ex voluntate promittentis, quasi vbi semel liberè promissionem posuit, habeat in libera sua potestate, vt obliget, vel non obliget: sed ex sola rei natura obligat: neque aliter homini liberum est se obligare, vel non obligare promissione, nisi quia liberum illi est promittere, vel non promittere.

24. Aut si ligetur per voluntatem contrariã?

Non est, inquam, id verum: quia voluntas promittendi non obligat, nisi sit efficax in actu secundò. Non est autem talis, quando ligatur, & impeditur per contrariam voluntatem æqualem, contra cuius resistentiam non potest operari. Nam cum ambæ sint æquales; inuicem sibi resistunt æqualiter, & quælibet æquè impedit ne altera operetur. Quare falsum est quod promittat in casu posito, contra æqualem voluntatem non promittendi. Neque Mæratium iuuat exemplum, quod affert eius, qui sciens sacramenta nouæ legis eius esse naturæ, vt necessariò ex se causent gratiam in suscipiente rite dispositio, supponeretur tamen per impossibile habere voluntatem efficacem conficiendi sacramentum, & simul voluntatem efficacem non causandi per illud effectum gratiæ: causaret enim, inquit, nihilominus; quia vi prioris efficacis voluntatis conficeret sacramentum: quippe quod non potest non confici vi huius voluntatis: confectũ autem causat necessariò gratiã ex natura sua, independenter à voluntate ministri, qui non potest hoc impedire, sed tantùm habet in potestate suæ voluntatis sacramentum efficere, vel non efficere. Respondeo enim talem quoque non effecturum sacramentum, si æqualiter nolit efficere gratiam in subiecto rite dispositio, seù potius efficere causam gratiæ infallibiliter illius efficacem in carentibus obice. Nam ista voluntas alteri contraria eam impedit ne operetur, & intendat efficaciter id quod vult: seu potiùs ambæ se mutuò perimunt, nisi altera prædominetur, ita vt minister sacramenti velit producere gratiam, si aliter non possit efficere sacramentum, nisi producendo gratiam vi illius in subiecto dispositio: quo in casu sacramentum efficit, quia intentio illius efficiendi prædominatur: vel è contrario, nolit efficere sacramentum, si non potest illud efficere, nisi causando gratiam vi illius in subiecto dispositio: tuneque non efficit sacramentum; quia intentio non efficiendi præualet.

SECTIO III.

Quibus modis contrahantur Sponsalia?

25. Possunt validè cõtrahi priuatim

DIco primò, Sponsalia validè & licitè contrahi posse non modò publicè, & in facie Ecclesiæ, coram parocho, & testibus: verùm etiam priuatim, & secretò, nullis aliis conscijs, nisi solis contrahentibus. Prima pars huius assertionis, quòd validè possint etiam secretò contrahi, traditur à Sanche lib. 1. disp. 12. num. 2. & plurimis aliis, quos citat. Probatur quia neque iure naturali irritantur: cùm ne matrimonium quidẽ priuatim, & clandestinè contractum, sit irritum iure naturali, vt patebit ex dicendis disp. seq. sect. 5. Neque etiam irritantur iure positiuo. Si quo enim, maximè decreto Concilii Tridentini sess. 24. cap. 1. de reformat. Matrim. At hoc non: quia loquitur ibi solùm de contractu ipso matrimonii clandestinè facto, vt ex textu liquet, & declaratum fuit expresse à Congregatione Cardinalium, vt refert Mæratius post Ledesmam, in hæc verba: *Decretum Concilii Tridentini, quo statuit quòd matrimonii contractus fiant solemniter coram parocho, & testibus, habet tantùm locum in matrimonijs per verba de præsenti, non autem in sponsalibus per verba de futuro.* Et in declarationibus recens editis cum Trident. Lugduni 1640. dicitur Congregationem Concilii sæpius declarasse, sponsalibus per ver-

ba de futuro contrahendis, nullam formam præscripsisse Concilium: ideóque eodem modo contrahi posse, quo poterant ante ipsum Concilium. Ratio etiam quæ Tridentinum mouit ad irritanda matrimonia clandestina, non habet locum in sponsalibus: quòd scilicet grauia peccata ex clandestinis coniugiis oriantur: præsertim verò eorum qui in statu damnationis permanent, dum priore vxore, cum qua clam contraxerant, relictâ, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio viuunt: atque etiam cum illa cohabitare coguntur per iudices ecclesiasticos, & seculares: eò quòd illis constet de publico matrimonio: clandestinum autem illis occultum sit, neque probari possit. Quod incommodum non contingit in sponsalibus occultis: quippe quæ dissoluuntur per contractum de præsenti cum alio.

26. Atque etiã licitè,

Secunda pars eiusdem assertionis, quòd videlicet etiam licitè possint secretò contrahi, traditur à Sanche lib. 1. disp. 13. num. 2. vbi pro eadem sententia refert Veracrucium in Appendice ad Speculum dub. 9. §. *Ad Dubium*, Ludou. Lopez 2. parte instructorii cap. 37. de Matrim. Salzedum in practica cap. 73. versu 9. & §. *Ex quibus*. Idem etiam docet Mærat. disp. 22. de Matrim. sect. 3. §. *Neque verò*. Ratio præcipua est, quia nullo iure, neque naturali, neque positiuo id prohibetur. Nam promissio futuri matrimonii secretò facta non est per se mala: adeóque non est per se iure naturali prohibita. Loquimur autem de huiusmodi promissione per se considerata: secluso vitio imprudentiæ, inconsiderationis, inobedientiæ erga parentes, periculo copulæ illicitæ, & aliis quæ per accidens possunt tali promissioni coniungi, & propter quæ non negamus fore illicitam, quando tale incommodum, aut periculum habebit adiunctum: Sed hæc possunt ab illa abesse, & aliqua ex illis possunt etiam promissioni publicè factæ adiungi. Sed neque prohibetur iure positiuo, saltem communi, de quo loquimur, abstrahendo à particularibus prohibitionibus, quæ alicubi esse possunt. Nam neque iure nouo id prohibetur per decretum Tridentini supra memoratum: quippe quod non loquitur de sponsalibus clandestinis, sed de matrimonio. Neque etiam iure antiquo. Nam cap. finali *de clandestina desponsatione*, prohibetur dumtaxat matrimonium clandestinum. Et axioma illud, *Prohibito matrimonio, censetur prohibitum id omne, per quod ad illud perueniuur*, sumptum ex L. Oratio ff. de Sponsalibus & L. Si quis tutor 60. versu *Quamuis*, ff. *de ritu nuptiarum*, non habet hic locum. Debet enim intelligi, vt rectè ait Sanches sup. citatus, quando prohibetur matrimonium absolutè, siue omnibus modis. Cùm enim tunc nullo modo contrahi possit matrimonium, sponsalia erunt promissio rei illicitæ, ac proinde nulla. Sed qui sponsalia secreto contrahunt, possunt publicè contrahere matrimonium suo tempore. Quare matrimonium non est illis absolutè prohibitum. Secundò, debent intelligi eadem, iura quando eadem est ratio prohibitionis in matrimonio, & in sponsalibus: vel quando prohibitio matrimonii est perpetua, secus autem quando ad tempus dumtaxat. Hic autem non est eadem ratio, vt paulò ante ostendimus: neque secretò sponsalia contrahentibus prohibetur matrimonium in perpetuum, ac ne quidem ad tempus: liberum enim illis est contrahere publicè, quando volent.

27. Possunt interdũ contrahi per verba de præsenti.

Dico secundò, sponsalia ordinariè contrahi per verba de futuro: posse tamen interdum contrahi per verba de præsenti: idque tripliciter secundum aliquos Doctores. Primò enim existimant aliqui sic contrahi quando verbis de præsenti apponitur conditio de futuro: vt si quis dicat, Accipio te in coniugem, si pater tuus consenserit. Nam sicut ait Vrbanus III. c. *Super eo, de conditionibus appositis*, huiusmodi consensus non est de præsenti habendus, licet per verba de præsenti euidentiùs exprimatur, qui in alieno arbitrio non habito, sed habendo consistit. Quòd tamen ille loquendi modus vim sponsalium habeat, constare videtur ex eod. cap. vbi idem Pontifex statuit eum, qui consensit de præsenti in mulierem, si pater eius consenserit, nequaquam cogendum esse ad matrimonium contrahendum, nisi voluntas patris postmodum intercedat. Quibus verbis significat cogi posse illâ ad ueniente: vi scilicet promissionis antea factæ sub illa conditione. Non minùs enim obligat promissio facta sub conditione, quando actu ponitur conditio in rerum natura, quàm promissio absolutè facta. Verum quid de hoc modo contrahendi sentiendum sit dicemus inferiùs disp. seq. sect. 7. vbi ostendemus probabilius esse vim habere matrimonii. §. Secundò, possunt tamen omnino contrahi inter impuberes, qui septennium excesserunt, per verba de presenti, nulla licet apposita conditione futuri. Cum enim per huiusmodi verba non possint validè contrahere matrimonium ob defectum ætatis, velintque nihilominus se obligare quoad possunt; obligant se ad contrahendum, quando poterunt: vt dicitur cap. vnico De desponsatione impuberum in 6. vbi Bonifacius VIII. statuit vt, si pubes, & impubes, vel duo impuberes non proximi pubertati, & in quibus malitia non supplet ætatem, per verba de præsenti contraxerint; contractus ille per iuris interpretationem sit tantùm sponsalia de futuro, tametsi verba consensum exprimant de præsenti, & contrahentes intendant efficere matrimonium. Addit que paulò post, per huiusmodi contractum, qui valuit, vt potuit, non sicut agebatur, id est, non iuxta totam

27.

intentionem contrahentium, & iprout verba significabant, publicæ honestatis iustitiam fuisse inductam, hoc est, impedimentū contrahendi cum cōsanguineis alterius in primo gradu. Supponuntur autem huiusmodi impuberes velle se obligare quoad possunt. Nam si intentionem suam ita restringerent ad matrimonium, vt nullo modo vellent ad aliud se obligare, neque quicquam efficere, nisi illud contrahant: talis contractus non haberet vim sponsalium, neque obligaret coram Deo: quia non possunt planè inuoluntariè hanc obligationem suscipere.

29. Contractus impuberum de præsenti habet vim sponsalii.

Falluntur autem qui putant contractum impuberum supradictum, ne sponsalium quidem vim habere illis in locis, vbi constitutio Tridentini de matrimonio clandestino recepta fuit. Nam Tridentinum irritauit solùm clandestina matrimonia: ius verò antiquum sponsalium planè intactum reliquit, vt sæpius declarauit Congregatio Cardinalium circa idem caput, quemadmodū habetur in editione Concilii cum declarationibus Lugduni an. 1640. Quare non loquitur de isto contractu, qui iure antiquo vim tantùm habebat sponsalium. Vnum solum est, quod circa hunc contractum impuberum Tridentinum statuit, & irritauit: nimirum quòd olim contractus ille transibat in matrimonium eo ipso quòd partes, expletis iam annis pubertatis, se affectu maritali cognoscerent. Iam autem requiritur vt de præsenti consentiant coram parocho, & duobus testibus. At hoc etiam æquè locum habet in sponsalibus puberum, quæ, vt olim, non traleunt in matrimonium per copulam subsequentem, vbicunque Tridentini constitutio promulgata fuit.

30. Antiū cōtractus clādest. puberum.

Addit tertiò Aegid. disp. 21. dub 4. n. 47. probabilius esse matrimonium clandestinè contractum, etiam à puberibus, habere vim sponsalium, vbi Tridentinum impedit ne vim habeat veri & perfecti matrimonii; nisi contrahentes aliud expresè intendant: vt docet etiam Henriq. lib. 11. cap. 5. num 4. vbi in notis margin. lit. N. testatur id fuisse declaratum à congregatione Cardinalium super Tridentinum. Ratio est, quia talis contractus ex natura sua includit virtualiter vim sponsalium: & non fuit irritatus à Tridentino, nisi quatenus habet rationem matrimonii: alioqui ne quidem inter impuberes haberet vim sponsalium. Idque colligitur ex eo quòd Tridentinum non irritauit contractum clandestinum, nisi ea ratione, quâ erat antea ab Ecclesia prohibitus, vt patet ex initio Decreti de refor. matrim. & propter grauia incommoda, quæ sequebantur ex tali contractu, quòd scilicet multi, qui clam cum vna contraxerant, palam cum alia contrahentes viuere cogerentur in perpetuo adulterii statu. Atqui contractus clandestinus non erat antea prohibitus ab Ecclesia, prout vim tantùm habet sponsalium: neque ex eo vt tali, sequitur illud malum. Cum igitur, siue impuberes, siue etiam puberes, clandestinè contrahentes, intendant se obligare mutuò quoad possunt, aut præsumantur hoc intendere, nisi aliud significent: non sine fundamento censentur tradere se mutuò, si non perfectè per matrimonium propter impedimentum; imperfectè tamen, & inchoatiuè, vt per sponsalia fit, à quo modo contrahendi non impediuntur.

Sed his non obstantibus, quæ alioqui probabilia viderentur, contrariū tenendum censeo propter duas declarationes Cardinalium Congregationis Concilii, quæ habentur in eius editione Lugdunensi suprà memoratâ ad sess. 24. cap. 1. Decreti de reformat. matrim. & prior ita loquitur: *Matrimonium contractum coram testibus, sed sine parocho, vel alio sacerdote de eius licentia, post Concilium Trident. non solùm est nullum, sed nec vim habet sponsalium: adeo vt sic contrahentes ad denuo contrahendum compelli non possint.* Posterior paulò post ibidē expressa sic habet: *Matrimonium contractum non seruatâ formâ Concilii Tridentini (licet contrahentes certam inter se de contrahendo matrimonio fidem dederint, & postea coram testibus sine parocho de præsenti contraxerint, carnali etiam copula inter eos subsecuta) non in sponsalia de futuro resoluitur, ita vt cogi possint contrahere seruatâ formâ Concilii.* Hucusque Congregatio interpres Tridentini.

31. Respondetur negat.

Dico tertiò sponsalia contrahi posse absolutè, vel conditionatè: & vtrumque vel simplicibus verbis promissoriis, vel datis arrhis sponsalitiis ad firmandam promissionem, vel annuli subarrhatione, vel iuramento interposito. Ita D. Thom. in 4. dist. 27. q. 2. art. 1. & q. 43. Supplem. a. 1. cui reliqui omnes consentiunt. Cum autem ineuntur sub conditione de futuro, non perficiuntur donec ponitur conditio, vt patet ex cap. *Super eo*, de conditionibus appositis. Suntque inualida, si apponatur conditio impossibilis, aut repugnans incompatibiliter matrimonio, vel alicui eius proprietati inseparabili. Quia conditio impossibilis facit vt contractus matrimonii sit impossibilis cum tali conditione. Quare promissio ita contrahendi, est promissio faciendi impossibile, quæ nulla est: cum ad impossibile nullus obligari possit. Si autem est conditio alicuius repugnantis incompatibiliter matrimonio, aut proprietati eius inseparabili, facit pariter vt matrimonium cum tali conditione iniri nequeat. Vnde promissio illius sub tali conditione, est similiter promissio alicuius impossibilis.

32. Possunt cōtrahi absolutè, vel condit.

Nec obest illud Gregorii IX. cap. vlt. de conditionibus appositis, *Conditiones appositæ in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debent, propter fauorem eius, pro non adiectis haberi* Nam ibi non est sermo de eo quod est in conscientia, & coram Deo respectu eius, qui non aliter consensit, quam sub conditione impossibili: sed de

33.

eo, quod præsumendum est in foro externo, quando dubium est fuerintne secretò tales conditiones appositæ : vel statuitur quid in illo iudicandum sit, vt homines ab eiusmodi cõditionibus apponendis arceantur, magisque seriò, & consultò agant in re tanti momenti, intelligentes se fore damnandos à iudicibus, & cogendos ad contrahendum ex animo, & cohabitandum, si contraxerint sub tali conditione.

34. Atque etiã inter absentes.

Dico quartò, sponsalia posse contrahi non modò inter præsentes, verùm etiam inter absentes per procuratores, aut per nuncium, aut per literas : imò etiam possunt contrahi per parentes pro liberis impuberibus, siue ante septennium, siue post. Prima pars manifesta est. Si enim potest ipsum matrimonium contrahi vtroque modo, vt patet ex dictis præcedenti disp. non est dubitandum quin etiam sponsalia. Nimirum quia siue sponsalia, siue matrimonium, non plus exigunt vt validè fiant, quàm postulet natura contractus. Et licet Christus matrimonium euexerit ad statum sacramentalem : non aliud tamen ad valorem illius requisiuit, nisi id, quod ad valorem contractus necessarium est, cum intentione faciendi id quod ipse instituit, & capacitate contrahendi sacramentaliter, quæ capacitas habetur per Baptismum. Contractus autem potest vtroque modo validè perfici, nihilque aliud postulat, nisi vt partes consentiant, & suum consensum mutuò significent, ad seque inuicem dirigant : quod etiam inter absentes per procuratores, vel internuncium, aut per literas fieri potest : vt patet ex aliis contractibus, qui ex natura rei possunt ita celebrari.

35. Et per parentes pro impuberibus.

Secunda verò pars eiusdem assertionis habetur expressa in cap. vnico de desponsat. impub. in 6. vbi Bonifac. VIII. manifestè supponit posse parentes contrahere pro liberis, etiam ante septennium, quo tempore nondum sunt capaces contrahendi per seipsos, defectu sufficientis vsus rationis, vt dicemus sectione 4. posse, inquam, contrahere pro illis ante, & post septennium, siue præsentibus liberis, siue etiam absentibus : declaratque ad valorem huiusmodi sponsalium, si contrahantur ante septennium vtriusque, aut alterius partis, requiri vt postea, cùm septennium excesserint, ea ratificent, significando aliquo signo sufficienti se consensum illis præbere : *ita*, inquit, *vt liquidò appareat eosdem in eadem voluntate, factos maiores septennio, perdurare.* Alioqui nulla sunt, ratione defectus consensus, & publicæ honestatis iustitiam non inducunt. Sih autem contrahantur post septennium, & liberi impuberes sint præsentes, quando parentes pro ipsis contrahunt sponsalia, dicit ad illorum valorem sufficere, quòd non contradicant : quia hoc ipso tacitè consentiunt. Si verò sunt absentes, requiri, vt quando rem sciuerint, expressè vel tacitè consentiant.

Circa quod postremum dubitatur primò, si ficiatne, sicut in priori casu, quòd quando rem sciuerint, non contradicant. Sunt enim, qui existimant non sufficere, & differentiam poni à Pontifice, quia dum filii sunt præsentes, requirit solùm ad valorem sponsalium, vt ipsi non contradicant : dum autem sunt absentes, postulat vt acceptâ de illis notitiâ, ea ratificent, vel expressè, id est, disertis verbis ; vel tacitè, id est, non quidem verbo, sed facto aliquo, vt cohabitatione, osculo, munere, qualia solet dare sponsus sponsæ, aut alio simili modo. Ita Mærat. disp. 12. de Matrim. sect. 3. §. *Quo loco Pontifex.* Sed hoc discrimen, meo quidem iudicio, caret sufficienti fundamento. Quia si caput citatum attentè legatur, eodem planè modo de vtroque casu loquì videtur, & idem in vtroque requirere. Verba illius hæc sunt : *Porrò ex sponsalibus, quæ parentes pro filiis puberibus, vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expressè consenserint, vel tacitè, vt si præsentes fuerint, nec contradixerint, obligantur. Et est idem, si filii, tempore sponsalium absentes, & etiam ignorantes eadem sponsalia, post scientes ratificauerunt tacitè, vel expressè.* Vbi vides in priori parte huius textus requiri, vt filii præsentes consentiant expressè, vel tacitè contractui sponsalium coram ipsis celebrato per parentes : modumque tacitè consentiendi declarari per hoc quòd non contradicant. In posteriori verò parte idem requiri, vt apparet ex illis verbis, *Et est idem si filii* &c, quæ significant eandem esse casus vtriusque rationem : & quando addit, requiri similiter, vt post scientes ratificent tacitè, vel expressè : intelligit tacitè vt suprà dixit, saltem non contradicendo parentibus, vel aliis eorum nomine id referentibus.

36. Sufficiatne impuberes tacere?

37. Quando id sufficiat.

Quare probabilius censeo id sufficere, cum Domin. Soto in 4. dist. 27. q. 2. art. 2. ad 1. Henriq. lib. 11. cap. 13. num. 5. & Aegid. Con. disp. 21. dub. 3. num. 39. qui postremus sapienter addit hoc intelligendum esse, quando id illis proponitur per ipsos parentes, vel alios eorum nomine, quibus tenentur respondere, ne parentum acta pro se in re tanti momenti videantur negligere : sicut eandem ob causam tenentur quando præsentes sunt, contradicere, si non consentiunt sponsalibus per parentes contractis eorum nomine. Nam si tantùm id resciscant per alios, ad quos non pertinet rem gestam ad eos deferre, illorumque consensum exigere : non consentiunt tacendo, neque sufficit taciturnitas, vt pro signo consensus reputetur : quia non tenentur illis respondere. Addit præterea, nisi sit præsens altera pars, dum ipsi tacitè ita consentiunt, nondum perfici sponsalia, donec per ipsos, aut alium ab ipsis destinatum, cognoscat consensisse, acceptetque consensum : quia nullus contractus onerosus perficitur inter absentes sine procuratoribus, nisi vtraque pars consensum suum

Digitized by Google

alteri per nuncium, aut per literas significet.

38. An etiam per tutores & curatores.

Secundò dubitatur verum id quod dicitur cap. cit. de parentibus, sit extendendum ad tutores, & curatores pupillorum, aut minorum: ita vt ipsi possint simili modo contrahere pro pupillis, aut minoribus, sufficiatque similis istorum consensus? Respondeo affirmatiuè cum Dominico Soto in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. §. *Præsens autem*, & aliis, quos sequitur Aegid. Con. dub. cit. num. 37. Ratio est, quia illi parentum loco succedunt, & ad eos vt ad parentes pertinet pupillorum, aut minorum bonum curare, eorumque res, & actiones dirigere: censenturque ipsorum nomine agere quidquid pro illis agunt. Tenentur quoque pupilli, & minores non contemnere quæ illi pro se faciunt, præsertim in rebus maximi momenti. Quare si non contradicunt sponsalibus pro se initis quando possunt, & debent contradicere; censentur consentire.

39. Contrarium docent Palud. in 4. dist. 27. q. 1. art. 1. concluſ. 1. Angelus V. *Sponsalia* num. 4. & alii, affirmantes id statui solùm, & singulariter de parentibus cap. cit. De desponsat. impub. Nec immeritò: quia cùm sponsalia sint contractus onerosus, non debent impuberes censeri consentire tacendo, nisi sponsalia contrahantur pro illis à parentibus ipsis, qui præsumuntur multò meliùs curare tantùm illorum bonum, facereque quod illis magis expedit. Addi potest hoc ius odiosum esse impuberibus: idcóque non debere ad tutores, & curatores extendi; sed strictè intelligi de parentibus, quos ius exprimit. Imò etiam respectu parentum taciturnitatem non semper esse indicium sufficiens consensus: cùm possint ex graui metu tacere, cò quòd graue malum illis immineat, si dissensum aperiant.

40. Soluuntur arg. contr. sententiam.

Ad primum Respondeo, nihil esse in textu capitis citati, vnde colligi possit excludi tutores, & curatores, qui parentum loco succedunt, & sunt. Ad secundum, iam dixi incumbere quoque tutoribus, & curatoribus bonum pupillorum curare, res eorum gerendo: facereque quod illis magis expedit, filiorumque loco eos habere, & affectui paterno succedere. Ad tertium dico id non esse odiosum pupillis, & minoribus, sed potiùs fauorabile, quòd possint, quando ad bonum ipsorum expedit, contrahere illorum nomine: præsertim si (vt in sponsalibus) contractus pendet ab ipsorum consensu, & ratihabitione, sine qua nihil fit. Ad quartum respondeo, sponsalia non perfici, nisi verè consentiant interiùs: & in casu posito taciturnitatem ex graui metu prouenientem non esse signum sufficiens consensus: at neque essent etiam tunc verba, quibus fictè significarent se consentire. Neque nos in præsenti de tali casu loquimur, sed de tacente, quando commodè potest, & debet contradicere.

SECTIO IV.

A quibus possint validè, vel licitè contrahi sponsalia?

41. Dei & posse implere quod promittunt.

Dico primò ab his solis posse validè contrahi sponsalia, à quibus potest validè, & licitè contrahi matrimonium eo tempore, pro quo promittitur. Ratio est, quia promissio faciendi aliquid impossibile, aut illicitum, non obligat: adeóque est inualida, & nulla. Ergo sponsalia, quæ sunt promissio contrahendi matrimonium, sunt inualida, & nulla, si matrimonium non potest validè, aut licitè contrahi, vt promittitur: quia non possunt obligare ad impossibile, vel ad illicitum aliquid faciendum. Hinc sequitur inualidè contrahi sponsalia ab illis, qui habent impedimentum dirimens naturale, & indispensabile, adeóque perpetuum. Secus autem si est temporale dumtaxat, vel iuris positiui, & dispensabile, fiatque solùm promissio de contrahendo, postquam tale impedimentum cessauerit lapsu temporis necessarii, aut per dispensationem legitimam sublatum fuerit. Quia talis promissio est de possibili, & licito. Sic impuberes post septennium, validè contrahunt sponsalia de matrimonio intra annos pubertatis ineundo. Et qui vouisset seruare castitatem vsque ad annum trigesimum ætatis, validè intra illud contraheret sponsalia de matrimonio celebrando post illud tempus elapsum. Et consanguinei in tertio vel quarto gradu possunt promittere sub conditione de futuro, si obtineatur dispensatio. Nec obstat, quod habent tale impedimentum impræsens. Quia illud non est impedimentum sponsalium, sed matrimonii, quod neque contrahunt impræsens, neque contrahent, quandiu durabit: idipsumque fert promissio, vt supponimus.

42. Et expleuisse septennium,

Dico secundò, ad contrahenda validè sponsalia necessarium esse vt vterque contrahentium expleuerit septennium: nisi malitia suppleat ætatem, ita vt constet habere priùs sufficientem vsum rationis, qui ad deliberandum de re tanti momenti non debet esse minor, quàm sufficiat ad peccandum mortaliter. Prima pars assertionis probatur ex cap. 4. & 5. de Desponsat. impub. vbi Alexander III. interrogatus de sponsalibus iuuenis cuiusdam cum puella, respondet fuisse valida, si hæc ante desponsationem septimum annum ætatis compleuerat: secus autem fuisse irrita. Et cap. 13. eod. tit. Innocentius III. declarat inter iuuenem, & puellam, de quibus fuerat interrogatus, nec matrimonium, nec sponsalia fuisse contracta, cùm constet puellam nondum ad septennium peruenisse. Et cap. vnico eod. tit. in 6. Bonifacius VIII. affirmat matrimonia ab impuberibus contracta ante septennium,

septennium, nulla esse, nisi postea consenserint, & signo aliquo externo consensum suum expressserint. Nam alioqui per lapsum dicti temporis non conualescunt, cùm ab initio nulla fuerint: neque publicæ honestatis iustitiam inducunt. Ratio verò cur iura citata requirunt primum septennium ætatis esse expletum, illa est, quam supra tetigi: quia scilicet sponsalium contractus, cum sit res magni momenti, requirit iure naturali vsum perfectum rationis in contrahentibus, vt per illum semetipsos obligent ad matrimonium. Ille autem vsus communiter non habetur ante primum septennium expletum. Ideoque leges, quæ feruntur communitati, spectantque id quod est commune, & ordinarium, definiuerunt hoc temporis spatium.

43. Non sufficit moraliter expleuisse.

Neque sufficit illiud moraliter tantùm expletum esse, ita vt non obsit sponsalium valori, quòd desint adhuc pauci aliquot dies, quemadmodum affirmant Victoria in Summa, n. 284. & Sotus in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 2. ad 3. quibus fauere videtur Diuus Thomas eadem dist. quæst. 2. art. 2. ad 7. vbi sic ait: *Dicendum quòd in sponsalibus etiam similiter, si appropinquant contrahentes ad tempus septennii, contractus sponsalium habet vobur: quia secundum Philosophum in 2. Physic. Quando parum deest, nihil accessisse videtur.* Verius enim puto, quod docent Sanches lib. primo, disputatione decima sexta, num. 4. & alii ab eo citati; quibus accedunt Aegid. Con. disput. 21. dub. 5. num. 51. & Mærat. disput. 12. sect. 9. assertione secunda, requiri vt septennium sit expletum metaphysicè. Quia quando iura præscribunt certum aliquod tempus, ideirco illud definiunt, vt non sit cuiquam liberum id mutare pro suo arbitrio: sicut quando ponunt certum pretium rebus, ideirco ponunt, nequis possit illud augere. Quare sicut pretium lege taxatum consistit in indiuisibili, ita vt licitè excedi nequeat: sic tempus lege definitum non potest anteuerti. Notandum tamen in rebus fauorabilibus censeri longum tempus statutum esse completum, quando aduenit dies vltimus: vt de testamentis expressè dicitur L. *A qua ætate*, ff. *de testamentis*. Contractus autem sponsalium est æquè fauorabilis: ideoque sufficit inchoasse diem vltimum septennii: vt docent etiam auctores supra citati.

44. Ad auctoritatem D. Thomæ allatam in contrarium, respondeo liquere ex verbis sequentibus eodem loco, S. Doctorem loqui solùm de casu, in quo satis constat sufficientem vsum rationis præueniisse tempus septennii expleti: quod rarò contingit, In quo casu fatemur validè posse fieri sponsalia, vt diximus in secunda parte assertionis, & confirmabitur numero sequenti. Nam post verba in obiectione relata, subiicit D. Thomas: *Hæc autem propinquitas à quibusdam determinatur ad tempus sex mensium: sed melius est quòd determinetur secundum conditionem contrahentium: quia in quibusdam magis acceleratur rationis vsus, quàm in aliis.*

45. Nisi malitia suppleat ætatem.

Secunda pars, quòd malitia supplere possit ætatem, efficereque vt sponsalia ante septennium expletum sint valida, traditur à D. Thoma verbis proximè relatis, & à S. Antonino 3. part. tit. 1. cap. 18. Soto in 4. dist. 27. q. 2. art. 2. ad 3. Couarr. Nauar. & aliis quos citat & sequitur Sanchez lib. 1. disp. 16. nu. 9. Coninck disp. 21. dub. 5. nu. 52. Mærat. disp. 12. sect. 9. assertione 4. contra Angelum V. *sponsalia* n. 5. & aliquos Canonistas. Probatur autem, quia non minùs determinatur à iure certa ætas pro contrahendo matrimonio, quàm pro sponsalibus. Nimirum ætas 12. annorum expletorum in fœminis, & 14. in maribus, quæ est ætas pubertatis. Et tamen malitia supplet ætatem respectu matrimonii. Ergo debet quoque supplere respectu sponsalium. Maior est extra controuersiam: Minor patet ex cap. 9. de Desponsat. Impub. vbi Alexander III. de huiusmodi sic respondet. Si ita fuerint ætati proximi, quòd potuerint copulæ carnali coniungi, minoris ætatis inuitu separari non debent, si vnus in alium vsus fuerit consensisse, cum in eis ætatem suppleuisse malitia videtur. Et cap. vltim. eod. tit. Innocentius III. consultus de puella, quæ contraxerat circa annum 12. eratque nubilis, an sufficientem ætatem attigisset, respondet hunc in modum: Si puella nubilis non erat ætatis, & ætatem in ea prudentia non supplebat: procul dubio inter eos non coniugium, sed sponsalia contracta fuerunt. Consequentia verò probatur, quia sponsalia sunt via ad matrimonium, & quædam illius inchoatio. Ergo debent sequi naturam, & leges matrimonii; Estque par, aut maior ratio, vt in illis prudentia suppleat defectum ætatis, cùm non sint tanti momenti, possintque multis de causis dissolui: secus ac matrimonium, quod si consummatum est, non dissoluitur. nisi per mortem: ratum verò, non nisi in vno, aut altero casu, vt ostendemus suo loco. Neque obest quòd, vt suprà diximus, quando ius præscribit certum & definitum tempus, illud cõsistit in indiuisibili, ita vt non possit præueniri. Est enim hoc intelligendum, quando ius nihil addit, quo significet in aliquo casu præueniri posse: vt disertè affirmauit de matrimonio verbis supra relatis ex cap. 9. & vlt. de Desponsat. Impuberum: & consequenter de sponsalibus, quæ matrimonii conditionem sequi debent, deque vtrisque similiter cum proportione iudicandum est. Vltra hunc verò casum à iure expressum, quando scilicet malitia supplet ætatem, fatemur tempus ab eo definitum non posse præueniri.

46. Sufficit enim habere vsum rationis.

Addo cum Sanche disput. 16. num. 14. & aliis, quos ibi citat, & Mæratio disputat. 12. sect. 9. assert. 5. Sponsalia validè iniri posse, quocunque tempore ante septennium sufficiens vsus rationis aduenerit, siue naturaliter, siue etiam per miraculum. Quamuis Henriq. Ledesma, & quidam alii dissentiant, affirmantes omnino necessarium esse vt contrahentes sint septennio proximi: quia,

inquiunt, cum ius præscribat septennium, debet illud saltem moraliter esse completum: quod fit quando parum abest. Sed contra instò, quia ius præscribit septennium, non quasi illud sit per se necessarium, sed quia sufficiens vsus rationis tunc communiter aduenit: permittitque vt priùs contrahantur sponsalia, si citiùs ille adueniat. Itaque id quod per se ius respicit, & requirit, est sufficiens vsus rationis. Ergo quocunque tempore priùs aduenerit, habetur id quod à iure requiritur ad valorem sponsalium: neque maior est ratio, cur in eo casu valeant prope, & non longè ante septennium.

47. Quantus ille esse debet.

Quòd si quæras quantus esse debeat vsus rationis, vt sit sufficiens contrahendis sponsalibus? Respondeo cum Sanche disputatione citata, numero decimo quinto, sufficere eum vsum rationis, qui ad culpam lethalem satis est. Probatur, quia ille sufficit ad votum solenne castitatis in susceptione Ordinis sacri, & ad votum simplex Religionis; quæ tamen obligant in perpetuum: & illud quidem non potest solui, nisi per dispensationem summi Pontificis: istud autem vel per eandem, vel etiam parentis, si fuit emissum ante annos pubertatis: At non sola voluntate ipsius vouentis. Ergo debet à fortiori sufficere ad sponsalia impuberis, quæ possunt multis de causis propriâ ipsius, puberis iam facti, voluntate dissolui, absque dispensatione alterius. Nec obest quod in contrarium opponit D.Thom. in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 2. ad 2. quem Ledesma, Henriques, & quidam alii sequuntur: ad peccandum mortaliter sufficere aduertentiam mali præsentis, neque requiri aliquam futurorum prouidentiam: at verò ad sponsalia, quæ sunt obligatio in futurum, & ad statum perpetuum, requiri etiam prouidentiam in futurum. Respondeo enim primò, eum qui peccat lethaliter, non minùs contrahere statum de se perpetuum pœnæ scilicet æternæ, cuius reatum incurrit, quàm eum, qui sponsalia contrahit. Secundò, illum quoque, qui vouet perpetuam castitatem in susceptione Ordinis sacri, aut simplex votum concipit religionis profitendæ, se in perpetuum non minùs obligare. Ergo si eo non obstante sufficit ad hæc vsus rationis, quantum est satis ad peccandum mortaliter, & pro illis determinatur à iure ætas septem annorum, eò quòd tunc communiter, & ordinariè censetur aduenire: debet quoque sufficere ad sponsalia. Tertiò, eum qui habet sufficientem aduertentiam malitiæ, & grauitatis peccati mortalis, habere quoque sufficientem prouidentiam futuri circa aliquod bonum sensibile, & delectabile, cuiusmodi est matrimonium: sufficientem, inquam, ad illud promittendum, cum expressis, aut tacitis conditionibus, quas recta ratio postulat, & cum facultate resiliendi iustis de causis.

48. Quæres secundò, cùm iura præscribant differentem ætatem matrimonio contrahendo sufficientem maribus, & fœminis: nimirum istis duodecimum annum expletum, illis autem decimum quartum: cur non etiam præscribunt differentem pro sponsalibus, ita vt minor septennio fœminis sufficiat? Respondeo cum D. Thoma in 4. dist. 27. q. 2. art. 2. ad 3. rationem huius rei esse, quia, inquit, tempore contractus matrimonii non solùm requiritur dispositio ex parte vsus rationis; sed etiam ex parte corporis, vt sit tempus generationi aptum. Et quia puella in duodecimo anno ad hoc venit, vt possit esse actui generationis apta, puer autem in fine secundi septennii; simul autem vsum discretionis accipiunt, qui tantùm in sponsalibus requitur: Ideo in sponsalibus determinatur vnum tempus vtrique, non autem in matrimonio. Cæterum licet iura tempus septennii determinauerint sponsalibus, quia supponunt vsum rationis sufficientem tunc aduenisse, vt communiter fit: si tamen contingeret alterum contrahentium, aut vtrumq; nondum illum habere, nulla forent eorum sponsalia: quia ad validitatem cuiuslibet cõtractus, præsertim in rebus magni momenti, perfectus vsus rationis vtriusque contrahentium est planè necessarius: & ille est, quem per se spectant, & requirunt iura septennium præscribentia, vt paulò ante diximus. In dubio autem de sufficienti vsu rationis expleto septennio, iudicandum est, in foro saltem externo, pro valore sponsalium. vt colligitur ex iuribus supra citatis & aliis quæ profert Sanch. lib. 1. disp. 18. nu. 5. vbi ex illis generaliter probat, in dubio an sit matrimonium necne, in fauorem matrimonii sententiam ferendam esse.

Cur ætas diuersa præscribatur pro matr. eam pro sponsalib.

49. Sitne peccatum contrahere sponsalia ante ætatem?

Quæres tertiò peccetne grauiter illi, qui contrahunt sponsalia, vel matrimonium, ante ætatem legitimam? Ratio dubitandi est, quia in cap. 2. de Desponsat. impub. districtiùs inhibetur, ne aliqui quorum vterque vel alter ad ætatem canonibus determinatam non peruenerint, coniungantur: nisi fortè aliqua vrgentissima necessitate interueniente, vtpote pro bono pacis, talis coniunctio toleretur. Ex quibus verbis colligunt aliqui graue peccatum esse contrahere sponsalia ante septennium expletum: quia verba illa canonis. *Districtius inhibemus*, significant graue præceptum, & materia grauis est per se, & tempus illud est ætas canonibus determinata. Ita Sotus in 4. dist. 27. q. 2. a. 2. ad 1. Nauarr. cap. vigesimo secundo, Summæ Hispanæ num. 31. Henriq. lib. 11. cap. 13. numero 13. Ledesma quæst. 43. de Matrimonio, art. 2. dub. 3. affirmantes pueros peccare mortaliter, si habeant vsum rationis sufficientem, & id faciant absque legitima causa, & fine Episcopi licentia: & à fortiori peccare quoque mortaliter, qui consulunt, vel eos inducunt ad contrahendum. Quin etiam Glossa, & Ostiens. in cap. citatum Verbo *Coniungantur*, & quidam alii affirmant peccare mortaliter, si cõtrahunt sponsalia ante annos

pubertatis, propter incommoda, quæ oriuntur ex huiusmodi sponsalibus.

Verùm neutra ex his duabus sententiis sufficiès habet fundamentum in capite citato: quippe quod non loquitur de sponsalibus, sed de matrimonio, vt satis intelligitur ex verbo *Coniungantur*. Nam sponsalia non sunt propriè coniunctio, sed promissio coniunctionis quæ fit per matrimonium. Cumque hæc prohibitio sit pœnalis, & odiosa; non debent eius verba extendi vltra propriã significationem. Quare debent solùm intelligi de matrimonio, vt post Panormit. & Præpositum, rectè docent Sanches lib. 1. disp. 17. nu. 4. & Pontius lib. 12. cap. 5. n. 4. Hoc autem supposito manifestum est non ibi prohiberi ne sponsalia contrahantur ante annos pubertatis: cùm illa ætas non sit à canonibus determinata pro sponsalibus, sed pro matrimonio. At neque etiam impuberes grauiter peccant, si contrahant ante septennium. Quia vel nondum habent sufficientem vsum rationis ad contrahendum, & ita neque habent sufficientè ad peccandum mortaliter, vt patet ex dictis nu. 47. & 48. vel si iam illum habent, attigerunt ætatem à canonibus determinatam: quippe qui, vt supra vidimus, ita septennium requirunt cõmuniter, & ordinariè, vt tamen si alicui citiùs adueniat vsus rationis sufficiès, permittant illi contrahere sponsalia.

51. Vel etiam matrimonia.

Addunt Sanch. disp. cit. num. 6. & Pontius eod. num. 4. neque etiam grauiter peccare impuberes, qui ante annos pubertatis attentant contrahere matrimonium: licet habeant vsum rationis sufficientem ad peccandum mortaliter, & septennium iam excesserint. Sed hoc, vt verum sit, intelligendum puto, si pariter in illis malitia suppleat ætatem, ad contrahendum: vel si alioquin intendant solùm contrahere sponsalia, quamuis vtantur verbis de præsenti, quemadmodum ius illis permittit. Nam si horum vtrumque desit, peccant grauiter contra reuerentiam Sacramenti, faciendo illud irritum. Peccantque vlteriùs nouo peccato mortali, si attentant consummare matrimonium inualidè contractum. Si tamen esset probabile eos esse capaces matrimonii, & causa aliqua vrgentissima id exigeret, putà pax publica: possent licitè contrahere per verba de præsenti, intendendo inire matrimonium, & ineundo, quantum in ipsis est. Quia tam grauis necessitas excusat irreuerentiam, quæ alioqui fieret Sacramento: sicut necessitas morientis sine Baptismo, vel sine Sacramento Pœnitentiæ, facit vt possit exponi periculo nullitatis, vtendo materiâ dubiâ, & vel minimum probabili, quando certa haberi, & expectari nequit. Eoque sensu existimo cum Aegid. Con. disput. 21. dubit. 5. in fine, intelligendum esse id quod dicitur in cap. supra cit. talem coniunctionem, id est, tale matrimonium tolerari posse vrgentissima necessitate interueniente, vtpote pro bono pacis. Nota præterea nos loqui impræsens de sponsalibus, & de matrimonio per se consideratis: neque negare q in per accidens possint esse illicita, ol mala, quæ præuidentur ex illis secutura. Sed illa quoque sequi possunt ex matrimoniis post ætatem sufficientem contractis, reddereque illa similiter illicita.

SECTIO V.

Quos effectus habeant sponsalia? Et primò de obligatione ex illis orta.

PRimus, & præcipuus effectus sponsalium est obligare ad matrimonium postea contrahendum, vel tempore statuto, si fuit aliquod præfixum, nisi postea vtrique aliter videatur: vel data proxima commoditate, & sine mora vituperabili, quando dies non fuit præfixus: nisi vtraque pars dilationem sponte toleret, vt facere censetur, quando neutra vrget, & facilè vrgere potest. Hoc enim tenui intelligendos esse contractus indefinitè factos pro tempore futuro, colligitur ex regula decima quarta de Reg. iuris in 6. quæ sic habet: *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur*; id est, citò promissum impiendum est: illaque est intentio bona fide contrahentium, nisi natura specialis contractus aliud postulet, vt in mutuo, commodato, & similibus, quæ intrinsecè dilationem important. Ratio autem huius effectus manifesta est. Quia scilicet sponsalia sunt promissio valida futuri matrimonii mutuò data, & acceptata. Omnis autem promissio valida, & acceptata inducit obligationem faciendi id quod promittitur. Quapropter Innocentius III. cap. 2. de Sponsalibus sic ait: *Hi qui de matrimonio contrahendo purè & sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt, & modis omnibus inducendi, vt præstitam fidem obseruent.*

52. Obligant ad matrimonium.

Neque dubitandum est hanc obligationẽ esse grauẽ, cùm sit de re graui, & in materia iustitiæ: vtpote inducta per contractum onerosum: adeoque peccare grauiter sponsum, aut sponsam, si absque iusta causa resilit, vt docent omnes cum Diuo Thoma in 4. distinct. 27. quæst. 2. art. 1. ad 2. cuius verba sunt: *Dicendum*, inquit, *quod ex tali promissione obligatur vnus alteri ad matrimonium contrahendum, & peccat mortaliter non soluens promissum, nisi legitimum impedimentum interueniat.* Idemque non obscurè supponitur in cap. *Atho*, causa 27. quæst. 2. vbi iubetur sponsa excommunicari, & *omni communione priuari, si ad pristinum sponsum redire noluerit.* Tam grauis enim pœna, quanta est maior Excommunicatio, quæ verbis illis iubetur infligi, supponit hoc peccatum esse mortale. Estque id verum,

53. Hæc obligatio est grauis.

licet sponsalia non fuerint confirmata iuramento. Quamuis enim tunc firmiora sint, & resiliens sine causa peccet grauiter duplici peccato, Iniustitiæ scilicet, & sacrilegii: tamen sponsalia ipsa per se, & nudè sumpta grauiter obligant, & sufficienter ad peccatum mortale.

54. Debet in foro interno adhiberi coactio.

His præsuppositis, quæ sunt indubitata, quæritur primò, an resiliens iniustè à sponsalibus sit cogendus ea implere? Respondeo quæstionem hanc fieri posse vel de coactione in foro interno: & de ista consentiunt Theologi posse, ac debere cogi pœnitentem, negando illi absolutionem, quamdiu vult resilire sine iusta causa: quia tamdiu est in statu peccati mortalis; & consequenter neganda illi esse alia sacramenta, præsertim quando res est publica. Vel 2. quæstio esse potest de coactione in foro externo per censuras, aliasue pœnas: & de ista est aliqua dissensio inter Doctores: quorum aliqui absolutè affirmant cogi posse, ac debere: quia in capite *Ex literis* 2. de sponsalibus, summus Pontifex consultus de quodam resiliente à sponsalibus iuratis, sic respondet: *Quia igitur prædicto G. periculosum est contra suum iuramentum venire, frat. tuæ mandamus, quatenus, si hoc tibi constiterit, eum moneas: & si non acquieuerit, monitis, ecclesiasticis censuris compellas, vt ipsam (nisi rationabilis causa obstiterit) in vxorem recipiat.* Alii è contrario negant absolutè compelli posse: quia in cap. *Requisiuit*, eodem titulo, de quadam sponsalia iurata implere nolente sic dicitur: *Cum libera debeant esse matrimonia, monenda est potiùs, quàm cogenda: cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.* Alii vtuntur distinctione, aientes cogi posse, ac debere, si sponsalia iuramento confirmata fuerint: secus non. Quo pacto existimant conciliari posse iura supra citata, specie tenus contraria. Sed apertè falluntur: quia ex textu perspicuum est vtrobique sermonem esse de sponsalibus iureiurando interposito stabilitis.

55. Atque etiã in externo, per se loquendo.

Quare ad iura concilianda, & ad veram solutionem quæstionis propositæ, alia distinctione vtendum est: dicendumque primò, Per se loquendo cogi posse, ac debere iniustè resilientem, per censuras, aliaq; remedia fori externi: siue sponsalia iurata fuerint, siue non. Quia pars læsa ius habet id exigendi à iudice, & iudex obligatur ius illius tueri, iniuriamque repellere, nisi quid aliud obstet. Debet enim, & tenetur ex officio compellere ad reddendum vnicuique id quod ipsi ex iustitia debitum est. Contrahens autem sponsalia, tenetur ex iustitia seruare fidem, quam dedit. Ergo potest, ac debet adid compelli, si est necesse, id est, si priùs monitus noluerit acquiescere. Debet enim priùs moneri à iudice: & si monitus non acquieuerit, censuris compelli: vt dicitur in capite *Ex literis*, supra citato, quod omnino in hunc sensum intelligendum est. Confirmatur ex cap. 1. de pactis, vbi generaliter dicitur, pactas etiam nuda, suam obtinere firmitatem: statuiturque vt qui illa infirmare attentauerit, ecclesiasticam sentiat disciplinam. Neque repugnat hæc coactio naturæ matrimonii. Nam solus metus grauis, & iniustè incussus irritat matrimonium tali metu extortum, vt dicemus disputatione sequenti. Non repugnat etiam libertati matrimonii. Quia licet vnicuique liberum sit, & esse debeat promittere, vel non promittere matrimonium; nemo tamen habet libertatem resiliendi iniustè ab eo quod promisit. Potest autem hæc coactio fieri non solùm à iudice ecclesiastico per censuras: verùm etiam à iudice sæculari per alias pœnas: dummodo constet de valore sponsalium. Nam alioqui de illis iudicare pertinet ad iudicem ecclesiasticum, vt rectè ait Sanch. lib. 1. disput. 29. n. 9.

56. Per accidés interdum non expedit.

Dico secundò, per accidens tamen non esse cogendum resilientem iniustè, quando periculum est, ne ex tali coactione sequantur grauia scandala, vel incommoda: putà, dissensiones, & rixæ perpetuæ inter coniuges: aut quòd coactus ficte contrahet, & vxorem postea deseret, aut interficiet. Quo sensu intelligendum est caput *Requisiuit*, de Sponsalibus, quod non prohibet absolutè ne tales cogantur; sed tantùm in eo casu, quo prudenter timetur malus exitus, vt sæpe contingit: *Quia*, inquit, *coactiones difficiles solent exitus frequenter habere.* Atque ita non repugnat capiti *Ex literis*, eodem titulo, quod tantùm præcipit, vt cogantur rationabiliter, quando scilicet non est periculum maioris mali. Nam alioqui debet potiùs iudex negare parti petenti opem suam, quæ in graue ipsius præiudicium vergeret: sicuti deberet negare gladium suum furioso ipsum repetenti ad se vel alium interficiendum. Ad prudenter autem iudicandum de malo exitu probabiliter secuturo, & rationabiliter præsumendo, attendenda est qualitas resilientis, & quantitas pertinaciæ. Nam si valde grauis est, deberetque admodum vehemens adhiberi coactio: nihil boni ex illa sperari potest. Eaque de causa Doctores plurimi, quos citant, & sequuntur Sanches disputatione vigesima nona, num. 8. & Coninck. disp. 22. dub. 2. in fine, docent, si iniustè resiliens priùs iudici debitè monenti non paruerit, ab eoque postea excommunicatus perstiterit in recusando matrimonio; non esse procedendum vlteriùs in pœnis: sed potiùs Excommunicationis vinculum esse relaxandum: quia nunquam ad extrema iuris remedia contra eiusmodi veniendum est: quidquid dicat Glossa capitis *Ex literis*, de Sponsalibus, V. *Compellas.*

Quæritur secundò, vtrum resiliens iniustè à sponsalibus teneatur restituere duplum arrhæ acceptæ, ante sententiam iudicis? Vt respondeam suppopo per arrham intelligi hoc

Ad quid teneatur resiliens iniustè.

loco pignus ab vno datum alteri ad firmandum contractum, quod ille perdat, si à contractu iniuste resiliat. Et L. *Mulier*, C. de Sponsalibus, & Arrhis, tria præcipuè super hoc statuta esse. Primò, vt ante vigesimum quintum annum ætatis non possint contrahentes se aliter obligare, quàm ad perdendam arrham, si dans iniustè resiliat: vel ad eam reddendam, si resiliat, qui accepit. Secundò, vt post illam ætatem, qui resilit iniustè, teneatur reddere duplum arrhæ, absque alio contractu: possintque ambo, si velint, ad plus se obligare: nimirum ad restituendam arrham, & insuper ad duplum, aut triplum illius soluendum. Tertiò, vt non solùm sponsi, verùm etiam eorum parentes, aui, & proaui, possint ita pacisci de arrhis pro filiis, aut nepotibus. Quæ omnia, iuxta communem sententiam, valent secundum ius Canonicum: quia neque in capite *Gemma*, de Sponsalibus, nec vsquam alibi ab illo corriguntur, & expressè haberi in iure ciuili non ignorat Ecclesia, ac sine dubio correxisset, nisi tacitè approbaret. Qua de re videri potest Sanchez disputat. trigesima sexta, numero vndecimo, qui etiam disputat. trigesima quinta, numero secundo & tertio, rectè notat, vt aliquid propriè dicatur Arrha, debere tradi de facto.

58. His præmissis Respondeo, quando certò constat alteram partem iniustè resilire, teneri in conscientia soluere pœnam supradictam, statim atque pars illam exiget, non expectatâ iudicis sententiâ. Ratio est, quia contrahentes ex natura talis pacti, & propria ipsorum intentione ad hoc se mutuò obligant. Idcirco enim hoc pactum inter se ineunt, vt possint se inuicem cogere ad promissum implendum metu istius pœnæ conuentionalis: non autem vt possint per iudicem compelli, qui ad hoc non indiget tali pacto, neque appositione huiusmodi pœnæ sponte facta à contrahentibus; cùm ipse sua auctoritate possit illam imponere. Ac sicuti læsus habet ius retinendi arrhas iniustè resilientis, non expectatâ sententiâ iudicis, vt fatentur omnes: ita ius habet reposcendi duplum, aut triplum, quando ita conuentum fuit: quia vtraque pœna est æquè conuentionalis, id est, constituta ex voluntate, & pacto contrahentium; non autem per legem, cuius executio requirat iudicis auctoritatem. Dixi autem, quando certò constat alteram partem iniustè resilire. Nam in casu dubii non tenetur resiliens seipsum condemnare. Dixi etiam, statim atque pars læsa illam exiget: quia alioqui censeri potest condonare: neque videntur contrahentes ad tantum rigorem se obligare, vt teneantur soluere, quamuis non exigatur. Atque ita docet Aegi ius Con. disput. vigesima secunda, dubitatione quarta, numero decimo nono, post Couarr. Siluest. & Less. ibid. citatos: contra Adrianum, Nauarrum, Palud. & Petr. à Nauarra; quorum duo priores affirmant deberi, quamuis nemo exigat: posteriores è contrario, non deberi [illegible] sententiam iudicis.

59. Et si, ondè tes proillis

Addo idem tenendum esse de parentibus, & auis, aut proauis spondentibus pro filiis, aut nepotibus, si ipsi iniustè resiliant, & per eos stet, quò minùs liberi, aut nepotes matrimonium contrahant. Tunc enim par est ratio de illis, ac de sponsis ipsis iniustè resilientibus. Secus autem si per illos non stet, sed per liberos ipsos. Quia cùm non sint in culpa, non debent hanc pœnam conuentionalem subire: nisi ad plus se expressè, vel tacitè saltem obligauerint, vt facere censentur, quando occasione huius pacti alter retrahitur à filio, vel filia opportunè collocandis. Tunc enim pœna illa statui censetur in compensationem damni. Excepto casu, quo sponsi ipsi iustè resiliunt. Quia L. *Mulier*, supra citatâ irritatur omnis contractus, quo cauetur ne sponsalia dirimantur iustis de causis. Contra quam legem irritantem non possunt ipsi licitè, aut valitè pacisci.

60. Possintne pœnæ apponi sponsalibus?

Addo præterea cum Aegid. disputatione citata, dubitatione quinta, numero vigesimo nono, idem dicendum esse de aliis pœnis, si quæ aliæ apponantur ex pacto iniustè resilienti à sponsalibus: vt apponi possse iure solùm naturali spectato manifestum est: iure autem positiuo id non prohibetur. Nam capite *Gemma*, de Sponsalibus, sermo tantùm est de pœna apposita sponsalibus impuberum, qui post puberratem possunt resilire. Alia verò iura, quæ hanc pœnam irritant, loquuntur de pœna apposita iustè resilientibus, vt colligitur ex ratione ibi subiuncta: quia scilicet matrimonia debent esse libera. Nam libertas moralis, seu iuris (de qua ibi sermo est) non est ad resiliendum iniustè. Libertas autem, quæ non est, non tollitur, neque minuitur per appositionem pœnæ. Ergo libertas circa matrimonium non tollitur, neque minuitur per appositionem pœnæ iniustè resilientibus. Ergo appositio huiusmodi pœnæ non impedit, quin matrimonia sint libera quantum esse debent. Et verò, si compulsio per censuras, & comminatio pœnæ æternæ statutæ à Deo contra iniustè resilientes, non repugnat libertati matrimonii: multò minùs appositio mulctæ pecuniariæ, aut alterius pœnæ temporalis, quæ minoris est momenti, minúsque ab omnibus prudentibus æstimatur, & timetur. Ac si non obstante libertate ad matrimonium necessariâ, permittunt leges vt sponsi paciscantur de duplo, aut triplo arrhæ soluendo, quæ sine dubio est aliqua mulcta pecuniaria: non video quomodo libertati matrimonii, aut legibus repugnet, apponere sine arrhis parem, aut similem pœnam? Exempli gratiâ, si duplum,

aut triplum arrhæ erant mille aurei: cur sine arrhis non possint pacisci, vt qui iniustè resilierit, teneatur totidem soluere. Denique id expressè statutum haberi mihi videtur in Nouella 18. Leonis Imperatoris, cuius verba sunt: *Idcirco quod consuetudini placuit, vt in sponsaliorum reprobationibus pœnæ imminerent iis, qui reprobare instituerent; id in legis auctoritatem collocamus.*

61. Neque obest Lex *si stipulatio*, ff. de Verb. obligat. quia, vt bene exponit Aegid. suprà, numero trigesimo primo, post Sanchez, & Alciatum, non loquitur de sponsalibus, sed de matrimonio, cui secundum leges antiquas Romanas licebat renunciare alterutri coniugum, dummodo subire vellet amissionem dotis, aut donationis propter nuptias, iuxta L. Iuliam, & Papiam: vltra quam, prohibebat lex *si stipulatio*, aliam pœnam apponere. Nunc autem, cùm in lege Euangelica diuortium sine iusta causa sit illicitum; potest validè, & licitè apponi pœna diuertenti iniustè, æquè, ac multò magis, quàm diuertenti illicitè à sponsalibus: quia maior est læsio, & culpa grauior in diuortio iniusto.

62. Iuramentum illis appositum ad quid obligat?

Quæritur tertiò, quomodo, & ad quid obliget iuramentum sponsalibus appositum? Respondeo obligare ex virtute religionis ad habendum in præsenti animum faciendi id quod promittitur, & ad illud suo tempore exequendum. Prima responsi pars, quòd iuramentum obliget ex virtute religionis, probatur, quia iuramentum est actus religionis, quo Deus in testem assumitur ad confirmandum aliquid, tanquam suprema veritas, & infallibilis: vt significat Apost. Hebræor. 6. vers. 18. & apertiùs D. Thom. 2. 2. qu. 89. art. 1. & 4. cui cæteri Theologi assentiuntur. Sique iuramentum est tantùm assertorium, assumitur Deus, vt testis ad confirmandum verum id esse, quod asserimus. Sin autem est promissorium, assumitur eius auctoritas ad testificandum tum nos habere in præsenti voluntatem faciendi, id quod promittimus: tum etiam nos suo tempore esse illud executuros: ad quod reuerentia diuini numinis specialiter nos astringit per iuramentum. Si denique est commissorium, assumitur Deus vt testis voluntatis puniendi, quam nos habere significamus: atque insuper vt eius reuerentiâ obligemur ad non eõdonandum, & ad pœnam suo tempore exigendam. Itaque tota obligatio, quam iuramentum per se, & præcisè ex natura sua inducit, non est alia, quàm religionis, propter reuerentiam Deo, tanquam supremæ veritati, & auctoritati debitam.

63. Iuram. promissorium includit assertorium.

Secunda pars respondi liquet ex dictis: & confirmatur, quia iuramentum sponsalibus appositum ad ea firmanda, est iuramentum promissorium. Omne autem tale iuramentum includit aliquatenus assertorium. Quia, vt rectè ait Pontius lib. 12. cap. 8. n. 2. Quisquis sub iuramento promittit se facturum aliquid, tenetur non solum de futuro verum efficere quod promittit: sed etiam de præsenti verè habere animum faciendi, quem etiam se habere affirmat sub iuramento. Et sub ista ratione iuramentum, quatenus assertorium est, respicit tantùm obiectum de præsenti, videlicet animum faciendi id quod promittitur: quatenus verò promissorium est, respicit tempus futurum. In eoque differt iuramentum promissorium, à puè assertorio, quòd ad istud vna tantùm veritas requiritur: nimirum quòd res sit, vel non sit, prout affirmatur esse, vel non esse. Ad illud verò duplex veritas est necessaria: vna de præsenti, quòd scilicet habeas animum exequendi, teque obligandi in præsens ad præstandum quod promittis: altera de futuro, quæ consistit in executione. Prior est principalis, & necessariò requisita ad vitandum peccatum mortale periurii. Posterior est secundaria, potestque interdum abesse absque peccato mortali, aut etiam veniali, quando voluntas mutatur iusta de causa, vel deest aliqua conditio, quæ tacitè saltem, & virtualiter in promissione includebatur, siue ex natura rei, siue ex legum dispositione: quanquam tunc propriè non fit contra veritatem iuramenti, vt dicemus paulò post.

64. Iuramentum promissorium requirit naturã promissionis.

Notandum enim est cum auctore proximè citato, numero septimo, iuramentum, quod adiungitur alicui promissioni, ad illam firmandam, sequi naturam illius hoc sensu, quòd obligatio iuramenti cadit iuxta obligationem promissionis, & iuxta modum illius: ita vt ea cessante, cesset pariter obligatio iuramenti, ad faciendum id quod promittitur. Quia iuramentum, vt promissorium est, non aliter adducitur, quàm ad confirmationem promissionis, iuxta naturam, & conditionem illius. Vnde fit, vt si promissio fiat inualidè, quia de re impossibili, vel mala moraliter, & illicita; iuramentum non obliget ad illud efficiendum: quia non potest confirmare obligationem inualidam & nullam, siue obligationem quæ non est. Hinc etiam sequitur, quòd quemadmodum promissio semper fit subintellectis tacitè quibusdam cõditionibus, sine quibus non obligat; ita neque iuramentum obligat, nisi sub iisdem conditionibus. Atque ita sponsalia, licet iurata, non obligant, vt v. g. qui spopondit, non possit ingredi religionem: vel vt sponsam teneatur ducere; si illi aduenerit morbus contagiosus, aut notabilis deformitas: vel si contingat inter moras aliquod impedimentum, propter quod promissio desinat obligare: vel etiam si vterque sponte renunciet sponsalibus. Nam promissio alicui facta in ipsius vtilitatem, includit tacitè assensum illius, cui fit, si nimirum ipse velit eam impleri, & perseueret in ea voluntate: ac si nolit, cessat illius obligatio, vt rectè ait Sanctus Thomas 2. 2. quæstione octuagesima nona, articulo nono, ad 2. Pariterque cessat obligatio iuramenti: quia hæc solùm viget, &

Digitized by Google

permanet, quamdiu durat, & viget obligatio promissionis, ad quam solùm firmandam adhibetur iuramentum. Item quia promissio de impossibili, vel illicito est nulla, & iuramentum non est vinculum iniquitatis; non obligat ad contrahendum matrimonium in his casibus, in quibus non potest validè, aut licitè contrahi: putà, cum impedimento dirimente, vel prohibente: aut cum periculo grauis rixæ, & odii inter parentes vtriusque, & exhæredationis, aut aliorum grauium incommodorum.

65. Contraria sententia.

Contrarium sentit Aegid. Con. disp. 22. dub 7. num. 47. & sequentibus, affirmans eum, qui siue iuratus, siue non iuratus simpliciter promittit se aliquid facturum, non asserere se id verè facturum, sed tantùm ad hoc se obligare: & per iuramentum promissioni præcisè adhibitum, Deum vocari solummodo in testem præsentis voluntatis, quâ promittens proponit hic & nunc implere promissionem, seque ad hoc obligare intendit: & in vltorem perfidiæ, si fidem datam fallat: vt tum reuerentiâ numinis diuini, tum etiam timore vltionis moueatur ad implendum promissum. Probat 1. quia alioqui peccaret mortaliter qui iuraret se facturum aliquod peccatum veniale, posteaque non faceret: quippe qui faceret Deum testem falsi. Secundò peccaret etiam mortaliter qui, cùm seriò iurasset se facturum aliquid planè indifferens, v. g. mansurum domi; postea id non seruaret. Cùm tamen Doctores communiter affirment, neque hunc, neque illum teneri ad hæc iuramenta seruanda: quia iuramentum non est vinculum iniquitatis, obligans ad malè faciendum: neque vinculum vanitatis, obligans ad aliquid inane, & indifferens. Adde tertiò, quòd alioquin intelligi nequit, quomodo ius quibusdam iuramentis promissoriis possit apponere tacitas quasdã conditiones, quibus deficientibus illa definant obligare, etiamsi iurans eas prorsus ignoret. Ex. gr. Petrus iurat Catharinæ se eam ducturũ in matrimonium, nesciens iure subintelligi, nisi voluerit potiùs ingredi Religionem: ideóque intendens absolutè promittere: quomodo potest ius efficere, vt sine periurio possit ingredi Religionem Catharinâ inuitâ, cùm nulla talis conditio possit tacitè subintelligi iuramento assertorio, de qua iurans omninò non cogitat? Confirmatur, quia non potest ius apponere conditiones iuramento assertorio de præsenti, vel de præterito: sed omninò periurus est, qui iurat esse id quod non est, aut fuisse id quod non fuit. Ego neque assertorio de futuro.

66. Soluuntur eius argũ.

Ad primum Respondeo, talem non facere Deum testem falsi quamuis postea non peccet: quia non iurauit absolutè se peccaturum, sed tantùm quatenus ad id potest obligare promissio. Nam, vt supra dixi, hoc iuramentum, quatenus promissorium, & assertorium de promisso exequendo, inuoluit eadem conditiones, quas includit ipsa promissio. Sortitur enim naturam actus, cui adiungitur, cap. *Quemadmodum*, de Iureiurando: vnde conditio tacitè inclusa in actu, includitur etiam in iuramento. Quare neque ad plus obligat, neque affirmat iurans se id facturum esse, nisi sub illis conditionibus, quæ vel iure positiuo, vel ex natura rei sunt necessariæ vt promissio obliget. Ideóque cùm promissio peccandi venialiter non obliget, quia est de re illicita: ille qui tali promissioni iuramentum adhibet vt eam confirmet: non affirmat absolutè se facturum esse id quod promittit: sed in casu quo licitè possit impleri promissio.

Contra quod responsum frustra instat Aegid. ex eo sequi talem non magis peccare, quàm si iuraret se facturum rem indifferentem: & non peccaturum saltem mortaliter, si absque animo faciendi iuraret se commissurum aliquod peccatum veniale, aut etiam mortale: sicut non peccaret: nisi ad summum venialiter, qui expresè iuraret se commissurum homicidium, quando hoc licitum, aut expediens erit. Idem enim valet conditio ex communi vsu tacitè sic intellecta, atque expresè apposita.

Ad quæ dico neutrum ex illis sequi. Non primum: quia qui iurat siue conditione expresè apposita, vel saltem in mente concepta, affirmat se impræsens habere intentionem faciendi id, quod promittit, teque obligandi, quantum in se est, ad illud præstandum. Hoc enim significat iuramentum promissioni adiunctum, quatenus est assertorium, vt paulò ante diximus. Est autem turpius, & consequenter maius peccatum habere impræsens intentionem faciendi peccatum veniale, seque ad illud obligare, quantum in se est: quàm habere voluntatem faciendi rem indifferentem, velleque suscipere illius faciendæ obligationem per iuramentum. Non etiam secundum: quia licet talis iuret absque animo faciendi peccatum, quod iurat se facturum: tamen si non fictè iurat, id est, si non fingit se iurare, sed verè iurare intendit, vt supponimus: significat, & asserit vi sui iuramenti se habere impræsens affectum peccandi, velleque ad illud se obligare, quantum in se est, adhibetque Deum in testem huius voluntatis. Quem affectum si non habet, ac voluntatem se obligandi; iurat falsum: quia iurat esse id quod non est. Sin autem habet: talis affectus malus est, & eò peior, quò versatur circa grauius peccatum; indeque trahit specialem indecentiam virtuti religionis oppositam, quòd per iuramentum Deus vocatur in eius testem, & confirmatorem. Possitne autem in aliquo casu tale iuramentum excusari à mortali, diximus alibi tom. 3. disput. 39. sect. 1. Incredibile verò mihi videtur quod ait Aegidius, non asserere, iurando se aliquid facturum, eum qui dicit

67.

v. g. Iuro me tibi centum aureos daturum: vel, Ita me Deus adiuuet, nisi tibi centum aureos dedero: Per Deum tibi dabo: Testis sit mihi Deus quòd hoc facturus sum. Et quidem communi hominum iudicio censetur esse periurus ille qui promissum iuratum non implet sine iusta causa, licet quando iurauit, habuerit animum implendi, & voluntatem se obligandi.

68. Ad secundum Respondeo, iuramentum non obligare nisi ad rem capacem obligationis, cuiusmodi non est res indifferens, & inutilis. Qui autem iurat se aliquid facturum, non potest, quidquid intendat, teneri ad plus faciendum vi iuramenti, quàm ferat ipsius natura, & obligatio: neque illius veritas de futuro plus exigit. Quare non fit contra illam si non seruatur id quod vanè, & inutiliter, atque inualidè iuramento firmatum est.

Ius potest apponere cõditiones iuramento promiss. nõ aſſert.

Ad tertium dico, idcirco ius apponere posse conditiones aliquas iuramento promissorio, quà tali: quia prout tale, sequitur naturam promissionis, vt suprà diximus. Postulat autem bonum commune, vt ius statuat quod magis expedit circa promissiones, aliosue contractus, & dispositiones particularium, quorum voluntates in eo subsunt rectoribus communitatis. Estque magna differentia inter iuramentum assertorium, & promissorium, quà tale. Nam prius pendet à veritate obiecti dumtaxat: quæ veritas non subest potestati superiorum. At promissorium pendet à valore promissionis, qui valor subest in plurimis voluntati superiorum habentium potestatem disponendi de iure inferiorum, & apponendi conditiones irritantes eorum contractibus, propter bonum commune.

SECTIO VI.

De aliis effectibus Sponsalium.

69. Obligat ad non fornicandum cũ altero.

HVcusque diximus de primo & præcipuo effectu sponsalium, qui est obligatio ad futurum matrimonium. Iam secundus illorum effectus est obligare, saltem mediatè, ad abstinendum ab illis rebus illicitis, quæ si fierent à coniuge, fierent contra fidem matrimonii, quæque reddunt deterius id quod promissum fuit: cuiusmodi est fornicatio cum alio habita. Probatur 1. ex L. *Si vxor*, §. 3. ff. ad Legem Iuliam, De adulteriis: vbi dicitur, *In sponsa etiam hoc idem peccatum esse vindicandum: quia nec matrimonium quælecunque, nec spem matrimonii violari permittitur.* Quibus postremis verbis manifestum fit, sermonem ibi esse de sponsa propriè dicta; seu de futuro: quia rem habere cum sponsa alterius de præsenti, non est tantùm violare spem matrimonii, sed ipsum matrimonium. Probatur 2. quia per sponsalia acquiritur ius ad rem in corpus sponsi, aut sponsæ. Ergo peccatur contra ius illud, quando fit aliquid illicitè, & sine causa legitima, per quod redditur deterius id quod promissum fuit, & ad quod datur ius per promissionem. Quemadmodum si quis equum mihi promisisset, præsertim sub conditione onerosa, & cum obligatione ex iustitia; iniuriam mihi faceret, si pedem illi abscinderet, & absque ratione legitima deteriorem redderet. Probatur 3. quia fornicatio vnius è sponsis dat iustam causam alteri resiliendi à sponsalibus. Quod signum manifestum est per illam iustè offendi, & quidem grauiter: neque enim possunt sponsalia leui de causa dissolui, altera parte inuita: cùm ille contractus sit de re magni momenti, & grauem inducat obligationem: neque minor causa sufficiat ad hoc, quàm quæ meritò iudicatur sufficiens ad dissoluendam amicitiam.

70. Vnde collige primò, contra Sanchem lib. 1. disp. 2. num 6. hanc circunstantiam esse grauem, etiam tunc quando sponsus fornicatur cum altera. Quia dat sponsæ iustam causam resiliendi. Nec obest quòd apud homines minùs considerabile videatur fornicari sponsum, quàm sponsam. Nam etiam minùs probrosum æstimatur adulterari maritum, quàm vxorẽ: & tamen vtrumque sine dubio graue peccatum est. Et sponsæ valde durum est, per se loquendo, videre sponsum, etiam tunc cùm maximè deberet ab ipso amari, implicitum amore alterius, & in periculo suscipiendi ex ea liberos qui postea communibus sumptibus alendi erunt, quique ipsius oculos perpetuò offendent.

71. Et alioqui cõmittitur grauis iniuria.

Collige secundò, hoc peccatum addere fornicationi circunstantiam grauis iniuriæ, quæ cùm pertineat ad iustitiam, & specie differat à fornicatione, seu peccato intemperantiæ, debet necessariò aperiri in confessione. Nam vt fatentur omnes, & definit Trident. sess. 14. cap. 5. Circumstantiæ graues, mutantes speciem peccati, necessariò explicandæ sunt: quidquid sit de aggrauantibus. Quòd si quæras in qua propriè specie sit hoc peccatum? Respondent aliqui cum Paludano in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. esse adulterium: quia in lege supra citata dicitur: Hoc idem, scilicet adulterium, de quo ibi sermo est, in sponsa vindicandum esse, quando violat spem matrimonii. Sed falluntur, quia lex potius vtrumque peccatum distinguit: Adulterium scilicet, quo violatur matrimonium: & istud, quo violatur spes matrimonii. Et Lege *Inter*, §. 1. eod. tit. dicitur *adulterium propriè in nuptam committi.* Sponsa verò nondum est nupta. Quare peccatum ab ipsa commissum non est propriè adulterium. Adde quòd in cap. *Lex illa*, 36. q. 1. §. *Cùm ergo*, definitur adulterium esse thori alieni violatio. Quæ definitio communi omnium consensu recipitur. At fornicatio cum sponso vel sponsa non est thori alieni violatio, quia non

dum eundem thorum habent : ergo &c. Vnde sequitur liberos susceptos ex tali fornicatione, non esse propriè adulterinos : cùm illa non sit verè adulterium. Imò ne quidem esse spurios, sed naturales : quia spurii sunt illi tantùm, quorum parentes habent inter se impedimentum dirimens matrimonium, in instanti generationis ; vt cum communi sententia docet Sanch. lib. 1. disp. 2. num. 8. Dicendum ergo copulam illicitam sponsi, aut sponsæ cum altero, non esse verè, ac propriè adulterium, sed peccatum quoddam innominatum iniustitiæ, accedens ad adulterium, & aliquatenus illi simile, quatenus vtrumque est contra ius alterius : sed prius contra ius tantùm ad rem : posterius contra ius in re, quod strictius est, multóque magis obligat.

72. Cont. sent. Contrarium sentiunt aliqui recentiores, quos sequitur Mærat. disp. 12. de Matrim. sect. 8. negantes sponsum, aut sponsam fornicando peccare alio secundum speciem peccato, quàm libidinis contra castitatem. Quod probant 1. auctoritate D. Thomæ 2. 2. q. 154. vbi enumerans omnes luxuriæ species : nullam istius mentionem facit. Secundò sponsus, & sponsa non aliam contrahunt obligationem, quàm ineundi suo tempore matrimonii : quia non aliud sibi promittunt. Non faciunt autem contra hanc obligationem, quando fornicantur : ergo &c. Nascitur quidem obligatio ex matrimonio, & debitum iustitiæ vitandi copulam cum aliis : sed quia matrimonium nondum est contractum, nondum etiam orta est hæc obligatio. Tertiò, qui vouit professionem in Religione faciendam, non se obligat vt interea à fornicatione abstineat. Et si fornicetur, peccabit quidem grauiter contra castitatem : sed ratione promissæ professionis nullam nouam peccati speciem contrahet. Ergo similiter qui contrahit sponsalia, non se obligat ab abstinendum interea à fornicatione ; sed tantùm ad matrimonium ineundum suo tempore. Neq; dicas discrimẽ esse, quia per sponsalia acquiritur ius sponso, & sponsæ : per votum autem non acquiritur ius Religioni. Nam per votum acquiritur etiam ius Deo : imò & ipsi Religioni ; si promissio non soli Deo, sed ipsi quoque Religioni fiat.

73. Respondetur eius argum. Ad primum Respondeo, non omnes species peccatorum à D. Thoma, vel ab aliis Theologis speciale nomen accepisse : & istud, de quo loquimur, reductiuè comprehendi nomine adulterii : sicut sponsalia reducuntur ad matrimonium, suntque matrimonium inchoatum. Ad secundum dico sponsos, dando ius ad rem in corpus suum, hoc ipso se obligare ad nihil faciendũ illicitè cõtra illud ius, quo alter iustè offendatur & quidem adeo grauiter, vt hæc offensa ad contractum rescindendum sufficiat. Ad tertium, nego paritatem. Qui enim fornicatur post tale votum, non facit iniuriam Religioni, nisi fortè se minùs idoneum, aut impotentem redderet ad proficendum. Putà, si grauem ex eo morbum, & incurabilem, aut infamiam contraheret. Addo rationes propositas, si valerent, probare circumstantiam sponsalium nullam addere malitiam tali fornicationi : quod tamen falsum, & absurdum esse, satis clarè patet ex dictis num. 69. & manifestè repugnat definitioni Innocentii III. c. 25. *De iureiurando*, affirmantis tantam esse hanc offensam, vt propter illam possit licitè sponsus resilire à promissione sua, licet iuramento firmata : sicut propter adulterium potest vxor adultera dimitti à cohabitatione.

74. Transeant ne in matrim. per copulam secutam Tertius effectus sponsalium est, quòd, vbi constitutio Tridentini de clandestinis, nondum fuit recepta, quotiescunque copula sequitur sponsalia, transeunt ipsa in matrimonium ex præsumptione Ecclesiæ, id est, habentur pro vero matrimonio, licet alioqui coniuges verè, & reipsa non consenserint de præsenti. Præsumit enim Ecclesia eos se mutuò maritali affectu cognouisse, atque ita matrimonium contraxisse, nec vllam contrariam probationem admittit, & omnia alia matrimonia, ab vtraque parte secuta, iudicat irrita, vt patet ex Can. *Is qui fidem*, de sponsalibus. Tametsi verè matrimonium nullum fuit, nisi fuerit consensus de præsenti. Sed ideo fuisse præsumitur, quia cùm antea voluntatem habuerint, contrahendi matrimonium, seque ad id mutuò data fide obligauerint, iamque possint, si velint, habere copulam honestam, potiùs quàm fornicariam : censet Ecclesia eam habere voluisse. Vbi autem Tridentini constitutio recepta est, nunquam sponsalia transeunt in matrimonium, nisi supposità præsentiâ parochi, & duorum, aut trium testium, veluti conditione, aut formalitate necessaria ad valorem contractus.

Gignant impedimẽtum publicæ honestatis. Quartus, & vltimus effectus est gignere impedimentum publicæ honestatis, id est, impedire ne sponsus validè possit contrahere matrimonium cum consanguineis sponsæ in primo gradu : neque sponsa cum consanguineis sponsi in eodem gradu : iuxta Trident. sess. 24. Decreto 1. de Reformat. matrimonii cap. 3. De quo impedimento plura dicemus inferiùs disp. 75. sect. 4. De his autem duobus postremis effectibus non est inter Theologos controuersia.

SECTIO VII.

Quibus modis dissoluantur sponsalia ?

75. Dissoluuntur per renunciationem. MVltæ sũt causæ propter quas sponsalia possunt licitè dirimi, quæ ad duas reuocari possunt. Prima est, quando partes, si sint puberes, inuicem sibi hanc obligationem remittunt, vt habetur in cap. *Præterea* 1. de sponsal. vbi Innocentius III. affirmat sponsos, si se adinuicem admittere no-

intentionem contrahentium, & prout verba significabant, publicæ honestatis iustitiam fuisse inductam, hoc est, impedimentū contrahendi cum cōsanguineis alterius in primo gradu. Supponuntur autem huiusmodi impuberes velle se obligare quoad possunt. Nam si intentionem suam ita restringerent ad matrimonium, vt nullo modo vellent ad aliud se obligare, neque quicquam efficere, nisi illud contrahant: talis contractus non haberet vim sponsalium, neque obligaret coram Deo: quia non possunt planè inuoluntariè hanc obligationem suscipere.

29. Contractus impuberum de præsenti habet vim sponsalū.

Falluntur autem qui putant contractum impuberum supradictum, ne sponsalium quidem vim habere illis in locis, vbi constitutio Tridentini de matrimonio clandestino recepta fuit. Nam Tridentinum irritauit solùm clandestina matrimonia: ius verò antiquum sponsalium planè intactum reliquit, vt sæpius declarauit Congregatio Cardinalium circa idem caput, quemadmodū habetur in editione Concilii cum declarationibus Lugduni an. 1640. Quare non loquitur de isto contractu, qui iure antiquo vim tantùm habebat sponsalium. Vnum solum est, quod circa hunc contractum impuberum Tridentinum statuit, & irritauit: nimirum quòd olim contractus ille transibat in matrimonium eo ipso quòd partes, expletis iam annis pubertatis, se affectu maritali cognoscerent. Iam autem requiritur vt de præsenti consentiant coram parocho, & duobus testibus. At hoc etiam æquè locum habet in sponsalibus puberum, quæ, vt olim, non trahunt in matrimonium per copulam subsequentem, vbicunque Tridentini constitutio promulgata fuit.

30. An etiā cōtractus clādest. puberum.

Addit tertiò Aegid. disp. 21. dub 4. n. 47. probabilius esse matrimonium clandestinè contractum, etiam à puberibus, habere vim sponsalium, vbi Tridentinum impedit ne vim habeat veri & perfecti matrimonii; nisi contrahentes aliud expressè intendant: vt docet etiam Henriq. lib. 11. cap. 5. num 4. vbi in notis margin. lit. N. testatur id fuisse declaratum à congregatione Cardinalium super Tridentinum. Ratio est, quia talis contractus ex natura sua includit virtualiter vim sponsalium: & non fuit irritatus à Tridentino, nisi quatenus habet rationem matrimonii: alioqui ne quidem inter impuberes haberet vim sponsalium. Idque colligitur ex eo quòd Tridentinum non irritauit contractum clandestinum, nisi ea ratione, quâ erat antea ab Ecclesia prohibitus, vt patet ex initio Decreti de refor. matrim. & propter grauia incommoda, quæ sequebantur ex tali contractu, quòd scilicet multi, qui clam cum vna contraxerant, palam cum alia contrahentes viuere cogerentur in perpetuo adulterii statu. Atqui contractus clandestinus non erat antea prohibitus ab Ecclesia, prout vim tantùm habet sponsalium: neque ex eo vt tali, sequitur illud malum. Cum igitur, siue impuberes, siue etiam puberes, clandestinè contrahentes, intendant se obligare mutuò quoad possunt, aut præsumantur hoc intendere, nisi aliud significent: non sine fundamento censentur tradere se mutuò, si non perfectè per matrimonium propter impedimentum; imperfectè tamen, & inchoatiuè, vt per sponsalia fit, à quo modo contrahendi non impediuntur.

Sed his non obstantibus, quæ alioqui probabilia viderentur, contrariū tenendum censeo propter duas declarationes Cardinalium Congregationis Concilii, quæ habentur in eius editione Lugdunensi suprà memoratâ ad sess. 24. cap. 1. Decreti de reformat. matrim. & prior ita loquitur: *Matrimonium contractum coram testibus, sed sine parocho, vel alio sacerdote de eius licentia, post Concilium Trident. non solùm est nullum, sed nec vim habet sponsalium: adeo vt sic contrahentes ad denuo contrahendum compelli non possint.* Posterior paulò post ibidē expressa sic habet: *Matrimonium contractum non seruatâ formâ Concilii Tridentini (licet contrahentes ceriam inter se de contrahendo matrimonio fidem dederint, & postea coram testibus sine parocho de præsenti contraxerint, carnali etiam copula inter eos subsecuta) non in sponsalia de futuro resoluitur, ita vt cogi possint contrahere seruatâ formâ Concilii.* Hucusque Congregatio interpres Tridentini. 31. Respondetur negat.

Dico tertiò sponsalia contrahi posse absolutè, vel conditionatè: & vtrumque vel simplicibus verbis promissoriis, vel datis arrhis sponsalitiis ad firmandam promissionem, vel annuli subarrhatione, vel iuramento interposito. Ita D. Thom. in 4. dist. 27. q. 2. art. 1. & q. 43. Supplem. a. 1. cui reliqui omnes consentiunt. Cum autem ineuntur sub conditione de futuro, non perficiuntur donec ponitur conditio, vt patet ex cap. *Super eo*, de conditionibus appositis. Suntque inualida, si apponatur conditio impossibilis, aut repugnans incompatibiliter matrimonio, vel alicui eius proprietati inseparabili. Quia conditio impossibilis facit vt contractus matrimonii sit impossibilis cum tali conditione. Quare promissio ita contrahendi, est promissio faciendi impossibile, quæ nulla est: cum ad impossibile nullus obligari possit. Si autem est conditio alicuius repugnantis incompatibiliter matrimonio, aut proprietati eius inseparabili, facit pariter vt matrimonium cum tali conditione iniri nequeat. Vnde promissio illius sub tali conditione, est similiter promissio alicuius impossibilis. 32. Possunt cōtrahi absolutè vel condit.

Nec obest illud Gregorii IX. cap. vlt. de conditionibus appositis, *Conditiones appositæ in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debent, propter fauorem eius, pro non adiectis haberi* Nam ibi non est sermo de eo quod est in conscientia, & coram Deo respectu eius, qui non aliter consensit, quàm sub conditione impossibili: sed de 33.

Digitized by Google

eo, quod præsumendum est in foro externo, quando dubium est fuerintne secretò tales conditiones appositæ : vel statuitur quid in illo iudicandum sit, vt homines ab eiusmodi cõditionibus apponendis arceantur, magisque setiò, & consultò agant in re tanti momenti, intelligentes se fore damnandos à iudicibus, & cogendos ad contrahendum ex animo, & cohabitandum, si contraxerint sub tali conditione.

34. Atque etiã inter absẽtes.

Dico quartò, sponsalia posse contrahi non modò inter præsentes, verùm etiam inter absentes per procuratores, aut per nuncium, aut per literas : imò etiam possunt contrahi per parentes pro liberis impuberibus, siue ante septennium, siue post. Prima pars manifesta est. Si enim potest ipsum matrimonium contrahi vtroque modo, vt patet ex dictis præcedenti disp. non est dubitandum quin etiam sponsalia. Nimirum quia siue sponsalia, siue matrimonium, non plus exigunt vt validè fiant, quàm postulet natura contractus. Et licet Christus matrimonium euexerit ad statum sacramentalem : non aliud tamen ad valorem illius requisiuit, nisi id, quod ad valorem contractus necessarium est, cum intentione faciendi id quod ipse instituit, & capacitate contrahendi sacramentaliter, quæ capacitas habetur per Baptismum. Contractus autem potest vtroque modo validè perfici, nihilque aliud postulat, nisi vt partes consentiant, & suum consensum mutuò significent, ad seque inuicem dirigant : quod etiam inter absentes per procuratores, vel internuncium, aut per literas fieri potest : vt patet ex aliis contractibus, qui ex natura rei possunt ita celebrari.

35. Et per parentes pro impuberibus.

Secunda verò pars eiusdem assertionis habetur expressa in cap. vnico de desponsat. impub. in 6. vbi Bonifac. VIII. manifestè supponit posse parentes contrahere pro liberis, etiam ante septennium, quo tempore nondum sunt capaces contrahendi per seipsos, defectu sufficientis vsus rationis, vt dicemus sectione 4. posse, inquam, contrahere pro illis ante, & post septennium, siue præsentibus liberis, siue etiam absentibus : declaratque ad valorem huiusmodi sponsalium, si contrahantur ante septennium vtriusque, aut alterius partis, requiri vt postea, cùm septennium excesserint, ea ratificent, significando aliquo signo sufficienti se consensum illis præbere : *ita*, inquit, *vt liquidò appareat eosdem in eadem voluntate, factos maiores septennio, perdurare.* Alioqui nulla sunt, ratione defectus consensus, & publicæ honestatis iustitiam non inducunt. Sin autem contrahantur post septennium, & liberi impuberes sint præsentes, quando parentes pro ipsis contrahunt sponsalia, dicit ad illorum valorem sufficere, quòd non contradicant : quia hoc ipso tacitè consentiunt. Si verò sunt absentes, requiri, vt quando rem sciuerint, expressè vel tacitè consentiant.

Circa quod postremum dubitatur primò, 36. Sufficiatne impuberes tacere?

si sufficiatne, sicut in priori casu, quòd quando rem sciuerint, non contradicant. Sunt enim, qui existimant non sufficere, & differentiam poni à Pontifice, quia dum filii sunt præsentes, requirit solùm ad valorem sponsalium, vt ipsi non contradicant : dum autem sunt absentes, postulat vt acceptâ de illis notitiâ, ea ratificent, vel expressè, id est, disertis verbis ; vel tacitè, id est, non quidem verbo, sed facto aliquo, vt cohabitatione, osculo, munere, qualia solet dare sponsus sponsæ, aut alio simili modo. Ita Mærat. disp. 12. de Matrim. sect. 3. §. *Quo loco Pontifex.* Sed hoc discrimen, meo quidem iudicio, caret sufficienti fundamento. Quia si caput citatum attentè legatur, eodem planè modo de vtroque casu loqui videtur, & idem in vtroque requirere. Verba illius hæc sunt : *Porrò ex sponsalibus, quæ parentes pro filiis puberibus, vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expressè consenserint, vel tacitè, vt si præsentes fuerint, nec contradixerint, obligantur. Et est idem, si filii, tempore sponsalium absentes, & etiam ignorantes eadem sponsalia, post scientes ratificauerunt tacitè, vel expressè.* Vbi vides in priori parte huius textus requiri, vt filii præsentes consentiant expressè, vel tacitè contractui sponsalium coram ipsis celebrato per parentes ; modumque tacitè consentiendi declarari per hoc quòd non contradicant. In posteriori verò parte idem requiri, vt apparet ex illis verbis, *Et est idem si filii* &c, quæ significant eandem esse casus vtriusque rationem : & quando addit, requiri similiter, vt post scientes ratificent tacitè, vel expressè : intelligit tacitè vt suprà dixit, saltem non contradicendo parentibus, vel aliis eorum nomine id referentibus.

37. Quando id sufficiat.

Quare probabilius censeo id sufficere, cum Domin. Soto in 4. dist. 27. q. 2. art. 2. ad 1. Henriq. lib. 11. cap. 13. num. 5. & Aegid. Con. disp. 21. dub. 3. num. 39. qui postremus sapienter addit hoc intelligendum esse, quando id illis proponitur per ipsos parentes, vel alios eorum nomine, quibus tenentur respondere, ne parentum acta pro se in re tanti momenti videantur negligere : sicut eandem ob causam tenentur quando præsentes sunt, contradicere, si non consentiunt sponsalibus per parentes contractis eorum nomine. Nam si tantùm id resciscant per alios, ad quos non pertinet rem gestam ad eos deferre, illorumque consensum exigere : non consentiunt tacendo, neque sufficit taciturnitas, vt pro signo consensus reputetur : quia non tenentur illis respondere. Addit præterea, nisi sit præsens altera pars, dum ipsi tacitè ita consentiunt, nondum perfici sponsalia, donec per ipsos, aut alium ab ipsis destinatum, cognoscat consensisse, acceperitque consensum : quia nullus contractus onerosus perficitur inter absentes sine procuratoribus, nisi vtraque pars consensum suum

Digitized by Google

alteri per nuncium, aut per literas significet.

38. An etiam per tutores & curatores. Secundò dubitatur vtrum id quod dicitur cap. cit. de parentibus, fit extendendum ad tutores, & curatores pupillorum, aut minorum ita vt ipsi possint simili modo contrahere pro pupillis, aut minoribus, sufficiatque similis istorum consensus? Respondeo affirmatiuè cum Dominico Soto in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. §. *Præsens autem*, & aliis, quos sequitur Aegid. Con. dub. cit. num. 37. Ratio est, quia illi parentum loco succedunt, & ad eos vt ad parentes pertinet pupillorum, aut minorum bonum curare, eorumque res, & actiones dirigere: censenturque ipsorum nomine agere quidquid pro illis agunt. Tenentur quoque pupilli, & minores non contemnere quæ illi pro se faciunt, præsertim in rebus maximi momenti. Quare si non contradicunt sponsalibus pro se initis quando possunt, & debent contradicere; censentur consentire.

39. Contrarium docent Palud. in 4. dist. 27. q. 1. art. 1. concluſ. 1. Angelus V. *Sponsalia* num. 4. & alii, affirmantes id statui solùm, & singulariter de parentibus cap. cit. De desponsat. impub. Nec immeritò: quia cùm sponsalia sint contractus onerosus, non debent impuberes censeri consentire tacendo, nisi sponsalia contrahantur pro illis à parentibus ipsis, qui præsumuntur multò meliùs curare tantùm illorum bonum, facereque quod illis magis expedit. Addi potest hoc ius odiosum esse impuberibus: idcóque non debere ad tutores, & curatores extendi; sed strictè intelligi de parentibus, quos ius exprimit. Imò etiam respectu parentum taciturnitatem non semper esse indicium sufficiens consensus: cùm possint ex graui metu tacere, cò quòd graue malum illis immineat, si dissensum aperiant.

40. Solunntur arg. contr. sentem. Ad primum Respondeo, nihil esse in textu capitis citati, vnde colligi possit excludi tutores, & curatores, qui parentum loco succedunt, & sunt. Ad secundum, iam dixi incumbere quoque tutoribus, & curatoribus bonum pupillorum curare, res eorum gerendo; facereque quod illis magis expedit, filiorumque loco eos habere, & affectui paterno succedere. Ad tertium dico id non esse odiosum pupillis, & minoribus, sed potiùs fauorabile, quòd possint, quando ad bonum ipsorum expedit, contrahere illorum nomine: præsertim si (vt in sponsalibus) contractus pendet ab ipsorum consensu, & ratihabitione, sine qua nihil fit. Ad quartum respondeo, sponsalia non perfici, nisi verè consentiant interiùs: & in casu posito taciturnitatem ex graui metu prouenientem non esse signum sufficiens consensus: at neque essent etiam tunc verba, quibus fictè significarent se consentire. Neque nos in præsenti de tali casu loquimur, sed de tacente, quando commodè potest, & debet contradicere.

SECTIO IV.

A quibus possint validè, vel licitè contrahi sponsalia?

41. Debet posse implere quod promittitur. Dico primò ab his solis posse validè contrahi sponsalia, à quibus potest validè, & licitè contrahi matrimonium eo tempore, pro quo promittitur. Ratio est, quia promissio faciendi aliquid impossibile, aut illicitum, non obligat: adeóque est inualida, & nulla. Ergo sponsalia, quæ sunt promissio contrahendi matrimonij, sunt inualida, & nulla, si matrimonium non potest validè, aut licitè contrahi, vt promittitur: quia non possunt obligare ad impossibile, vel ad illicitum aliquid faciendum. Hinc sequitur inualidè contrahi sponsalia ab illis, qui habent impedimentũ dirimens naturale, & indispensabile, adeóque perpetuum. Secus autem si est temporale dumtaxat, vel iuris positiui, & dispensabile, fiatque solùm promissio de contrahendo, postquam tale impedimentum cessauerit lapsu temporis necessarii, aut per dispensationem legitimam sublatum fuerit. Quia talis promissio est de possibili, & licito. Sic impuberes post septennium, validè contrahunt sponsalia de matrimonio intra annos pubertatis ineundo. Et qui vouisset seruare castitatem vsque ad annum trigesimum ætatis, validè intra illud contraheret sponsalia de matrimonio celebrando post illud tempus elapsum. Et consanguinei in tertio vel quarto gradu possunt promittere sub conditione de futuro, si obtineatur dispensatio. Nec obstat, quod habent tale impedimentum impræsens. Quia illud non est impedimentum sponsalium, sed matrimonii, quod neque contrahunt impræsens, neque contrahent, quandiu durabit: idipsumque fert promissio, vt supponimus.

42. Et expleuisse septennium. Dico secundò, ad contrahenda validè sponsalia necessarium esse vt vterque contrahentium expleuerit septennium: nisi malitia suppleat ætatem, ita vt constet habere priùs sufficientem vsum rationis, qui ad deliberandum de re tanti momenti non debet esse minor, quàm sufficiat ad peccandum mortaliter. Prima pars assertionis probatur ex cap. 4. & 5. de Desponsat. impub. vbi Alexander III. interrogatus de sponsalibus iuuenis cuiusdam cum puella, respondet fuisse valida, si hæc ante desponsationem septimum annum ætatis compleuerat: secus autem fuisse irrita. Et cap. 13. eod. tit. Innocentius III. declarat inter iuuenem, & puellam, de quibus fuerat interrogatus, nec matrimonium, nec sponsalia fuisse contracta, cùm constet puellam nondum ad septennium peruenisse. Et cap. vnico eod. tit. in 6. Bonifacius VIII. affirmat matrimonia ab impuberibus contracta ante septennium,

septennium, nulla esse, nisi postea consenserint, & signo aliquo externo consensum suum expressérint. Nam alioqui per lapsum dicti temporis non convalescunt, cùm ab initio nulla fuerint: neque publicæ honestatis iustitiam inducunt. Ratio verò cur iura citata requirunt primum septennium ætatis esse expletum, illa est, quam supra tetigi: quia scilicet sponsalium contractus, cum sit res magni momenti, requirit iure naturali vsum perfectum rationis in contrahentibus, vt per illum semetipsos obligent ad matrimonium. Ille autem vsus communiter non habetur ante primum septennium expletum. Ideoque leges, quæ feruntur communitati, spectantque id quod est commune, & ordinarium, definiuerunt hoc temporis spatium.

43. Non sufficit moraliter expleuisse.

Neque sufficit illud moraliter tantùm expletum esse, ita vt non obsit sponsalium valori, quòd desint adhuc pauci aliquot dies, quemadmodum affirmant Victoria in Summa, n. 284. & Sotus in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 2. ad 3. quibus fauere videtur Diuus Thomas eadem dist. quæst. 2. art. 2. ad 7. vbi sic ait: *Dicendum quòd in sponsalibus etiam similiter, si appropinquant contrahentes ad tempus septennii, contractus sponsalium habet robur: quia secundum Philosophum in 2. Physic. Quando parum deest, nihil deesse videtur.* Verius enim puto, quod docent Sanches lib. primo, disputatione decima sexta, num. 4. & alii ab eo citati; quibus accedunt Aegid. Con. disput. 21. dub. 5. num. 51. & Mærat. disput. 12. sect. 9. assertione secunda, requiri vt septennium sit expletum metaphysicè. Quia quando iura præscribunt certum aliquod tempus, idcirco illud definiunt, vt non sit cuiquam liberum id mutare pro suo arbitrio: sicut quando ponunt certum pretium rebus, idcirco ponunt, nequis possit illud augere. Quare sicut pretium lege taxatum consistit in indiuisibili, ita vt licitè excedi nequeat: sic tempus lege definitum non potest anteuerti. Notandum tamen in rebus fauorabilibus censeri longum tempus statutum esse completum, quando aduenit dies vltimus: vt de testamentis expressè dicitur L. *A quo ætate*, ff. *de testamentis*. Contractus autem sponsalium est æquè fauorabilis: ideoque sufficit inchoasse diem vltimum septennii: vt docent etiam auctores supra citati.

44. Ad auctoritatem D. Thomæ allatam in contrarium, respondeo liquere ex verbis sequentibus eodem loco, S. Doctorem loqui solùm de casu, in quo satis constat sufficientem vsum rationis præueniisse tempus septennii expleti: quod rarò contingit. In quo casu fatemur validè posse fieri sponsalia, vt diximus in secunda parte assertionis, & confirmabitur numero sequenti. Nam post verba in obiectione relata, subiicit D. Thomas: *Hæc autem propinquitas à quibusdam determinatur ad tempus sex mensium: sed melius est quòd determinetur secundum conditionem contrahentium: quia in quibusdam magis acceleratur ratio vsus, quàm in aliis.*

45. Nisi malitia suppleat ætatem.

Secunda pars, quòd malitia supplere possit ætatem, efficeretque vt sponsalia ante septennium expletum sint valida, traditur à D. Thoma verbis proximè relatis, & à S. Antonino 3. part. tit. 1. cap. 18. Soto in 4. dist. 27. q. 2. art. 2. ad 3. Couarr. Nauar. & aliis quos citat & sequitur Sanchez lib. 1. disp. 16. nu. 9. Coninck disp. 21. dub. 5. nu. 52. Mærat. disp. 12. sect. 9. assertione 4. contra Angelum V. *sponsalia* n. 5. & aliquos Canonistas. Probatur autem, quia non minùs determinatur à iure certa ætas pro contrahendo matrimonio, quàm pro sponsalibus. Nimirum ætas 12. annorum expletorum in fœminis, & 14. in maribus, quæ est ætas pubertatis. Et tamen malitia supplet ætatem respectu matrimonii. Ergo debet quoque supplere respectu sponsalium. Maior est extra controuersiam: Minor patet ex cap. 9. de Desponsat. Impub. vbi Alexander III. de huiusmodi sic respondet. Si ita fuerint ætati proximi, quòd potuerint copulæ carnali coniungi, minoris ætatis intuitu separari non debent, si vnus in alium vsus fuerit consensisse, cum in eis ætatem suppleuisse malitia videtur. Et cap. vltim. eod. tit. Innocentius III. consultus de puella, quæ contraxerat circa annum 12. ætatemque habuit, an sufficientem ætatem attigisset? respondet hunc in modum: Si puella nubilis non erat ætatis, & ætatem in ea prudentia non supplebat: procul dubio inter eos non coniugium, sed sponsalia contracta fuerunt. Consequentia verò probatur, quia sponsalia sunt via ad matrimonium, & quædam illius inchoatio. Ergo debent sequi naturam, & leges matrimonii; Estque par, aut maior ratio, vt in illis prudentia suppleat defectum ætatis, cùm non sint tanti momenti, possintque multis de causis dissolui: secus ac matrimonium, quod si consummatum est, non dissoluitur, nisi per mortem: ratum verò, non nisi in vno, aut altero casu, vt ostendemus suo loco. Neque obest quòd, vt suprà diximus, quando ius præscribit certum & definitum tempus, illud cõsistit in indiuisibili, ita vt non possit præueniri. Est enim hoc intelligendum, quando ius nihil addit, quo significet in aliquo casu præueniri posse: vt disertè affirmauit de matrimonio verbis supra relatis ex cap. 9. & vlt. de Desponsat. Impuberum: & consequenter de sponsalibus, quæ matrimonii conditionem sequi debent, deque vtrisque similiter cum proportione iudicandum est. Vltra hunc verò casum à iure expressum, quando scilicet malitia supplet ætatem, fatemur tempus ab eo definitum non posse præueniri.

46. Sufficit etiam habere vsum rationis.

Addo cum Sanche disput. 16. num. 14. & aliis, quos ibi citat, & Mæratio disputat. 12. sect. 9. assert. 5. Sponsalia validè iniri posse, quocunque tempore ante septennium sufficiens vsus rationis aduenerit, siue naturaliter, siue etiam per miraculum. Quamuis Henriq. Ledesma, & quidam alii dissentiant, affirmantes omnino necessarium esse vt contrahentes sint septennio proximi: quia,

inquiunt, cum ius præscribat septennium, debet illud saltem moraliter esse completum: quod fit quando parum abest. Sed contra instò, quia ius præscribit septennium, non quasi illud sit per se necessarium, sed quia sufficiens vsus rationis tunc communiter aduenit: permittitque vt priùs contrahantur sponsalia, si citiùs ille aduenias. Itaque id quod per se ius respicit, & requirit, est sufficiens vsus rationis. Ergo quocunque tempore priùs aduenias, habetur id quod à iure requiritur ad valorem sponsalium: neque maior est ratio, cur in eo casu valeant prope, & non longè ante septennium.

Cur ætas diuersa præscribatur pro matr. ac pro sponsalib.

47. Quantus ille esse debet.

Quòd si quæras quantus esse debeat vsus rationis, vt sit sufficiens contrahendis sponsalibus? Respondeo cum Sanche disputatione citata, numero decimo quinto, sufficere eum vsum rationis, qui ad culpam lethalem satis est. Probatur, quia ille sufficit ad votum solenne castitatis in susceptione Ordinis sacri, & ad votum simplex Religionis; quæ tamen obligant in perpetuum: & illud quidem non potest solui, nisi per dispensationem summi Pontificis: istud autem vel per eandem, vel etiam parentis, si fuit emissum ante annos pubertatis: At non sola voluntate ipsius vouentis. Ergo debet à fortiori sufficere ad sponsalia impuberis, quæ possunt multis de causis propriâ ipsius, puberis iam facti, voluntate dissolui, absque dispensatione alterius. Nec obest quod in contrarium opponit D.Thom. in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 2. ad 2. quem Ledesma, Henriques, & quidam alii sequuntur: ad peccandum mortaliter sufficere aduertentiam mali præsentis, neque requiri aliquam futurorum prouidentiam: at verò ad sponsalia, quæ sunt obligatio in futurum, & ad statum perpetuum, requiri etiam prouidentiam in futurum. Respondeo enim primò, eum qui peccat lethaliter, non minùs contrahere statum de se perpetuum pœnæ scilicet æternæ, cuius reatum incurrit, quàm eum, qui sponsalia contrahit. Secundò, illum quoque, qui vouet perpetuam castitatem in susceptione Ordinis sacri, aut simplex votum concipit religionis profitendæ, se in perpetuum non minùs obligare. Ergo si eo non obstante sufficit ad hæc vsus rationis, quantum est satis ad peccandum mortaliter, & pro illis determinatur à iure ætas septem annorum, eò quòd tunc communiter, & ordinariè censetur aduenire: debet quoque sufficere ad sponsalia. Tertiò, eum qui habet sufficientem aduertentiam malitiæ, & grauitatis peccati mortalis, habere quoque sufficientem prouidentiam futuri circa aliquod bonum sensibile, & delectabile, cuiusmodi est matrimonium: sufficientem, inquam, ad illud promittendum, cum expressis, aut tacitis conditionibus, quas recta ratio postulat, & cum facultate resiliendi iustis de causis.

48. Quæres secundò, cùm iura præscribant differentem ætatem matrimonio contrahendo sufficientem maribus, & fœminis: nimirùm istis duodecimum annum expletum, illis autem decimum quartum: cur non etiam præscribitur differentem pro sponsalibus, ita vt minor septennio fœminis sufficiat? Respondeo cum D. Thoma in 4. dist. 27. q. 2. art. 2. ad 3. rationem huius rei esse, quia, inquit, tempore contractus matrimonii non solùm requiritur dispositio ex parte vsus rationis; sed etiam ex parte corporis, vt sit tempus generationi aptum. Et quia puella in duodecimo anno ad hoc venit, vt possit esse actui generationis apta, puer autem in fine secundi septennii; simul autem vsum discretionis accipiunt, qui tantùm in sponsalibus requiritur: Ideo in sponsalibus determinatur vnum tempus vtrique, non autem in matrimonio. Cæterum licet iura tempus septennii determinauerint sponsalibus, quia supponunt vsum rationis sufficientem tunc aduenisse, vt communiter fit: si tamen contingeret alterum contrahentium, aut vtrumq; nondum illum habere, nulla forent eorum sponsalia: quia ad validitatem cuiuslibet cõtractus, præsertim in rebus magni momenti, perfectus vsus rationis vtriusque contrahentium est planè necessarius: & ille est, quem per se spectant, & requirunt iura septennium præscribentia, vt paulò ante diximus. In dubio autem de sufficienti vsu rationis expleto septennio, iudicandum est, in foro saltem externo, pro valore sponsalium. vt colligitur ex iuribus supra citatis & aliis quæ profert Sanch. lib. 1. disp. 18. nu. 5. vbi ex illis generaliter probat, in dubio an sit matrimonium necne, in fauorem matrimonii sententiam ferendam esse.

49. Sitne peccatum contrahere sponsalia ante ætatem?

Quæres tertiò peccetne grauiter illi, qui contrahunt sponsalia, vel matrimonium, ante ætatem legitimam? Ratio dubitandi est, quia in cap. 2. de Desponsat. impub. districtiùs inhibetur, ne aliqui quorum vterque vel alter ad ætatem canonibus determinatam non peruenerint, coniungantur: nisi fortè aliqua vrgentissima necessitate interueniente, vtpote pro bono pacis, talis coniunctio toleretur. Ex quibus verbis colligunt aliqui graue peccatum esse contrahere sponsalia ante septennium expletum: quia verba illa canonis. *Districtius inhibemus*, significant graue præceptum, & materia grauis est per se, & tempus illud est ætas canonibus determinata. Ita Sotus in 4. dist. 27. q. 2. a. 2. ad 1. Nauarr. cap. vigesimo secundo, Summæ Hispanæ num. 31. Henriq. lib. 11. cap. 13. numero 13. Ledesma quæst. 43. de Matrimonio, art. 2. dub. 3. affirmantes pueros peccare mortaliter, si habeant vsum rationis sufficientem, & id faciant absque legitima causa, & sine Episcopi licentia: & à fortiori peccare quoque mortaliter, qui consulunt, vel eos inducunt ad contrahendum. Quin etiam Glossa, & Ostiens. in cap. citatum Verbo *Coniungantur*, & quidam alii affirmant peccare mortaliter, si cõtrahunt sponsalia ante annos

pubertatis, propter incommoda, quæ oriuntur ex huiusmodi sponsalibus.

Verùm neutra ex his duabus sententiis sufficiès habet fundamentum in capite citato: quippe quod non loquitur de sponsalibus, sed de matrimonio, vt satis intelligitur ex verbo *Coniunganiur*. Nam sponsalia non sunt propriè coniunctio, sed promissio coniunctionis quæ fit per matrimonium. Cumque hæc prohibitio sit pœnalis, & odiosa; non debent eius verba extendi vltra propriâ significationem. Quare debent solùm intelligi de matrimonio, vt post Panormit. & Præpositum, rectè docent Sanches lib. 1. disp. 17. nu. 4. & Pontius lib. 12. cap. 5. n. 4. Hoc autem supposito manifestum est non ibi prohiberi ne sponsalia contrahantur ante annos pubertatis: cùm illa ætas non sit à canonibus determinata pro sponsalibus, sed pro matrimonio. At neque etiam impuberes graviter peccant, si contrahant ante septennium. Quia vel nondum habent sufficientem vsum rationis ad contrahendum, & ita neque habent sufficientè ad peccandum mortaliter, vt patet ex dictis nu. 47. & 48. vel si iam illum habent, attigerunt ætatem à canonibus determinatam: quippe qui, vt supra vidimus, ita septennium requirunt cõmuniter, & ordinariè, vt tamen si alicui citiùs aduenerit vsus rationis sufficiès, permittant illi contrahere sponsalia.

51. Vel etiam matrimonium.

Addunt Sanch. disp. cit. num. 6. & Pontius eod. num. 4. neque etiam graviter peccare impuberes, qui ante annos pubertatis attentant contrahere matrimonium: licet habeant vsum rationis sufficientem ad peccandum mortaliter, & septennium iam excesserint. Sed hoc, vt verum sit, intelligendum puto, si pariter in illis malitia suppleat ætatem, ad contrahendum: vel si alioquin intendant solùm contrahere sponsalia, quamuis vtantur verbis de præsenti, quemadmodum ius illis permittit. Nam si horum vtrumque desit, peccant graviter contra reuerentiam Sacramenti, faciendo illud irritum. Peccantque vlteriùs nouo peccato mortali, si attentant consummare matrimonium inualidè contractum. Si tamen esset probabile eos esse capaces matrimonii, & causa aliqua vrgentissima id exigeret, putà pax publica: possent licitè contrahere per verba de præsenti, intendendo inire matrimonium, & ineundo, quantum in ipsis est. Quia tam gravis necessitas excusat irreuerentiam, quæ alioqui fieret Sacramento: sicut necessitas morientis sine Baptismo, vel sine Sacramento Pœnitentiæ, facit vt possit exponi periculo nullitatis, vtendo materiâ dubiâ, & vel minimum probabili, quando certa haberi, & expectari nequit. Eoque sensu existimo cum Aegid. Con. disput. 21. dubit. 5. in fine, intelligendum esse id quod dicitur in cap. supra cit. talem coniunctionem, id est, tale matrimonium tolerari posse vrgentissima necessitate interueniente, vtpote pro bono pacis. Nota præterea nos loqui imprimis de sponsalibus, & de matrimonio per se consideratis: neque negare q in per accidens possint esse illicita, ob mala, quæ præuidentur ex illis secutura. Sed illa quoque sequi possunt ex matrimoniis post ætatem sufficientem contractis, reddereque illa similiter illicita.

SECTIO V.

Quos effectus habeant sponsalia? Et primò de obligatione ex illis orta.

52. Obligant ad matrimonium.

PRimus, & præcipuus effectus sponsalium est obligare ad matrimonium postea contrahendum, vel tempore statuto, si fuit aliquod præfixum, nisi postea vtrique aliter videatur: vel data proxima commoditate, & sine mora vituperabili, quando dies non fuit præfixus: nisi vtraque pars dilationem sponte toleret, vt facere censetur, quando neutra vrget, & facilè vrgere potest. Hoc enim seniu intelligendos esse contractus indefinitè factos pro tempore futuro, colligitur ex regula decima quarta de Reg. iuris in 6. quæ sic habet: *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur*; id est, citò promissum implendum est: illaque est intentio bona fide contrahentium, nisi natura specialis contractus aliud postulet, vt in mutuo, commodato, & similibus, quæ intrinsecè dilationem important. Ratio autem huius effectus manifesta est. Quia scilicet sponsalia sunt promissio valida futuri matrimonii mutuò data, & acceptata. Omnis autem promissio valida, & acceptata inducit obligationem faciendi id quod promittitur. Quapropter Innocentius III. cap. 2. de Sponsalibus sic ait: *Hi qui de matrimonio contrahendo purè & sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt, & modis omnibus inducendi, vt præstitam fidem obseruent.*

53. Hæc obligatio est grauis.

Neque dubitandum est hanc obligationẽ esse grauẽ, cùm sit de re graui, & in materia iustitiæ: vtpote inducta per contractum oneroſum: adeoque peccare graviter sponsum, aut sponsam, si absque iusta causa resilit, vt docent omnes cum Diuo Thoma in in 4. dist. in ct. 27. quæst. 2. art. 1. ad 2. cuius verba sunt: *Dicendum*, inquit, *quod ex tali promissione obligatur vnus alteri ad matrimonium contrahendum, & peccat mortaliter non soluens promissum, nisi legitimum impedimentum interueniat.* Idemque non obscurè supponitur in cap. *Atho*, causa 27. quæst. 2. vbi iubetur sponsa excommunicari, & *omni communione priuari, si ad pristinum sponsum redire noluerit.* Tam gravis enim pœna, quanta est maior Excommunicatio, quæ verbis illis iubetur infligi, supponit hoc peccatum esse mortale. Estque id verum,

Digitized by Google

licet sponsalia non fuerint confirmata iuramento. Quamuis enim tunc firmiora sint, & resiliens sine causa peccet grauiter duplici peccato, iniustitiæ scilicet, & sacrilegii: tamen sponsalia ipsa per se, & nudè sumpta grauiter obligant, & sufficienter ad peccatum mortale.

54. Debet in foro interno adhiberi coactio.

His præsuppositis, quæ sunt indubitata, quæritur primò, an resiliens iniustè à sponsalibus sit cogendus ea implere? Respondeo quæstionem hanc fieri posse vel de coactione in foro interno: & de ista consentiunt Theologi posse, ac debere cogi pœnitentem, negando illi absolutionem, quamdiu vult resilire sine iusta causa: quia tamdiu est in statu peccati mortalis; & consequenter neganda illi esse alia sacramenta, præsertim quando res est publica. Vel 2. quæstio esse potest de coactione in foro externo per censuras, aliasue pœnas: & de ista est aliqua dissensio inter Doctores: quorum aliqui absolutè affirmant cogi posse, ac debere: quia in capite *Ex literis* 2. de sponsalibus, summus Pontifex consultus de quodam resiliente à sponsalibus iuratis, sic respondet: *Quia igitur prædicto G. periculosum est contra suum iuramentum venire, frat. tuæ mandamus, quatenus, si hoc tibi constiterit, eum moneas: & si non acquieuerit, monitis, ecclesiasticis censuris compellas, vt ipsam (nisi rationabilis causa obstiterit) in vxorem recipiat.* Alii è contrario negant absolutè compelli posse: quia in cap. *Requisiuit*, eodem titulo, de quadam sponsalia iurata implere nolente sic dicitur: *Cum libera debeant esse matrimonia, monenda est potiùs, quàm cogenda: cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.* Alii vtuntur distinctione, aientes cogi posse, ac debere, si sponsalia iuramento confirmata fuerint: secus non. Quo pacto existimant conciliari posse iura supra citata, specie tenus contraria. Sed apertè falluntur: quia ex textu perspicuum est vtrobique sermonem esse de sponsalibus iureiurando interposito stabilitis.

55. Atque etiã in externo, per se loquendo.

Quare ad iura concilianda, & ad veram solutionem quæstionis propositæ, alia distinctione vtendum est: dicendumque primò, Per se loquendo cogi posse, ac debere iniustè resilientem, per censuras, aliaq; remedia fori externi: siue sponsalia iurata fuerint, siue non. Quia pars læsa ius habet id exigendi à iudice; & iudex obligatur ius illius tueri, iniuriamque repellere, nisi quid aliud obstet. Debet enim, & tenetur ex officio compellere ad reddendum vnicuique id quod ipsi ex iustitia debitum est. Contrahens autem sponsalia, tenetur ex iustitia seruare fidem, quam dedit. Ergo potest, ac debet adid compelli, si est necesse, id est, si priùs monitus noluerit acquiescere. Debet enim priùs moneri à iudice: & si monitus non acquieuerit, censuris compelli: vt dicitur in capite *Ex literis*, supra citato, quod omnino in hunc sensum intelligendum est. Confirmatur ex cap. 1. de pactis, vbi generaliter dicitur, pacta, etiam nuda, suam obtinere firmitatem: statuiturque vt qui illa infirmare attentauerit, ecclesiasticam sentiat disciplinam. Neque repugnat hæc coactio naturæ matrimonii. Nam solus metus grauis, & iniustè incussus irritat matrimonium tali metu extortum, vt dicemus disputatione sequenti. Non repugnat etiam libertati matrimonii. Quia licet vnicuique liberum sit, & esse debeat promittere, vel non promittere matrimonium; nemo tamen habet libertatem resiliendi iniustè ab eo quod promisit. Potest autem hæc coactio fieri non solùm à iudice ecclesiastico per censuras: verùm etiam à iudice sæculari per alias pœnas: dummodo constet de valore sponsalium. Nam alioqui de illis iudicare pertinet ad iudicem ecclesiasticum, vt rectè ait Sanch. lib. 1. disput. 29. n. 9.

56. Per accidẽs interdum non expedit.

Dico secundò, per accidens tamen non esse cogendum resilientem iniustè, quando periculum est, ne ex tali coactione sequantur grauia scandala, vel incommoda: putà, dissensiones, & rixæ perpetuæ inter coniuges: aut quòd coactus fictè contrahet, & vxorem postea deseret, aut interficiet. Quo sensu intelligendum est caput *Requisiuit*, de Sponsalibus, quod non prohibet absolutè ne tales cogantur; sed tantùm in eo casu, quo prudenter timetur malus exitus, vt sæpe contingit: *Quia*, inquit, *coactiones difficiles solent exitus frequenter habere.* Atque ita non repugnat capiti *Ex literis*, eodem titulo, quod tantùm præcipit, vt cogantur rationabiliter, quando scilicet non est periculum maioris mali. Nam alioqui debet potiùs iudex negare parti petenti opem suam, quæ in graue ipsius præiudicium vergeret: sicuti deberet negare gladium suum furioso ipsum repetenti ad se vel alium interficiendum. Ad prudenter autem iudicandum de malo exitu probabiliter secuturo, & rationabiliter præsumendo, attendenda est qualitas resilientis, & quantitas pertinaciæ. Nam si valde grauis est, deberetque admodum vehemens adhiberi coactio: nihil boni ex illa sperari potest. Eaque de causa Doctores plurimi, quos citant, & sequuntur Sanches disputatione vigesima nona, num. 8. & Coninck. disp. 22. dub. 2. in fine, docent, si iniustè resiliens priùs iudici debitè monenti non paruerit, ab eoque postea excommunicatus perstiterit in recusando matrimonio; non esse procedendum vlteriùs in pœnis: sed potiùs Excommunicationis vinculum esse relaxandum: quia nunquam ad extrema iuris remedia contra eiusmodi veniendum est: quidquid dicat Glossa capitis *Ex literis*, de Sponsalibus, V. *Compellat.*

Quæritur secundò, vtrum resiliens iniustè à sponsalibus teneatur restituere duplum arrhæ acceptæ, ante sententiam iudicis? Vt respondeam suppono per arrham intelligi hoc

Ad quid teneatur resiliens iniustè.

loco pignus ab vno datum alteri ad firmandum contractum, quod ille perdat, si à contractu iniuste resiliat. Et L. *Mulier*, C. de Sponsalibus, & Arrhis, tria præcipuè super hoc statuta esse. Primò, vt ante vigesimum quintum annum ætatis non possint contrahentes se aliter obligare, quàm ad perdendam arrham, si dans iniustè resiliat: vel ad eam reddendam, si resiliat, qui accepit. Secundò, vt post illam ætatem, qui resilit iniustè, teneatur reddere duplum arrhæ, absque alio contractu: possintque ambo, si velint, ad plus se obligare: nimirum ad restituendam arrham, & insuper ad duplum, aut triplum illius soluendum. Tertiò, vt non solùm sponsi, verùm etiam eorum parentes, aui, & proaui, possint ita pacisci de arrhis pro filiis, aut nepotibus. Quæ omni, iuxta communem sententiam, valent secundum ius Canonicum: quia neque in capite *Gemma*, de Sponsalibus, nec vsquam alibi ab illo corriguntur, & expresè haberi in iure ciuili non ignorat Ecclesia, ac sine dubio correxisset, nisi tacitè approbaret. Qua de re videri potest Sanchez disputat. trigesima sexta, numero vndecimo, qui etiam disputat. trigesima quinta, numero secundo & tertio, rectè notat, vt aliquid propriè dicatur Arrha, debere tradi de facto.

58. His præmissis Respondeo, quando certò constat alteram partem iniustè resilire, teneri in conscientia soluere pœnam supradictam, statim atque pars illam exiget, non expectatâ iudicis sententiâ. Ratio est, quia contrahentes ex natura talis pacti, & propria ipsorum intentione ad hoc se mutuò obligant. Idcirco enim hoc pactum inter se ineunt, vt possint se inuicem cogere ad promissum implendum metu istius pœnæ conuentionalis: non autem vt possint per iudicem compelli, qui ad hoc non indiget tali pacto, neque appositione huiusmodi pœnæ iuxta facta à contrahentibus; cùm ipse sua auctoritate possit illam imponere. Ac sicuti læsus habet ius retinendi arrhas iniustè resilientis, non expectatâ sententiâ iudicis, vt fatentur omnes: ita ius habet reposcendi duplum, aut triplum, quando ita conuentum fuit: quia vtraque pœna est æquè conuentionalis, id est, constituta ex voluntate, & pacto contrahentium; non autem per legem, cuius executio requirat iudicis auctoritatem. Dixi autem, quando certò constat alteram partem iniustè resilire. Nam in casu dubii non tenetur resiliens seipsum condemnare. Dixi etiam, statim atque pars læsa illam exiget: quia alioqui censeri potest condonare: neque videntur contrahentes ad tantùm rigorem se obligare, vt teneantur soluere, quamuis non exigatur. Atque ita docet Aegidius Con. disput. vigesima secunda, dubitatione quarta, numero decimo nono, post Couarr. Siluest. & Less. ibid. citatos: contra Adrianum, Nauarrum, Palud. & Petr. à Nauarra: quorum duo priores affirmant deberi, quamuis nemo exigat: posteriores è contrario, non deberi [illegible] sententiam iudicis.

Et proaui resilientes proillis

59. Addo idem tenendum esse de parentibus, & auis, aut proauis spondentibus pro filiis, aut nepotibus, si ipsi iniustè resiliant, & per eos stet, quò minùs liberi, aut nepotes matrimonium contrahant. Tunc enim par est ratio de illis, ac de sponsis ipsis iniustè resilientibus. Secus autem si per illos non stet, sed per liberos ipsos. Quia cùm non sint in culpa, non debent hanc pœnam conuentionalem subire: nisi ad plus se expresè, vel tacitè saltem obligauerint, vt facere censentur, quando occasione huius pacti alter retrahitur à filio, vel filia opt[illegible]è collocandis. Tunc enim pœna illa statui censetur in compensationem damni. Excepto casu, quo sponsi ipsi iustè resiliunt. Quia L. *Mulier*, supra citata irritatur omnis contractus, quo cauetur ne sponsalia dirimantur iustis de causis. Contra quam legem irritantem non possunt ipsi licitè, aut valitè pacisci.

Possintne pœnæ apponi sponsalibus?

60. Addo præterea cum Aegid. disputatione citata, dubitatione quinta, numero vigesimo nono, idem dicendum esse de aliis pœnis, si quæ aliæ apponantur ex pacto iniustè resilienti à sponsalibus: vt apponi posse iure solùm naturali spectato manifestum est: iure autem positiuo id non prohibetur. Nam capite *Gemma*, de Sponsalibus, sermo tantùm est de pœna apposita sponsalibus impuberum, qui post pubertatem possunt resilire. Alia verò iura, quæ hanc pœnam irritant, loquuntur de pœna apposita iustè resilientibus, vt colligitur ex ratione ibi subiuncta: quia scilicet matrimonia debent esse libera. Nam libertas moralis, seu iuris (de qua ibi sermo est) non est ad resiliendum iniustè. Libertas autem, quæ non est, non tollitur, neque minuitur per appositionem pœnæ. Ergo libertas circa matrimonium non tollitur, neque minuitur per appositionem pœnæ iniustè resilientibus. Ergo appositio huiusmodi pœnæ non impedit, quin matrimonia sint libera quantum esse debent. Et verò, si compulsio per censuras, & comminatio pœnæ æternæ statutæ à Deo contra iniustè resilientes, non repugnat libertati matrimonii: multò minùs appositio mulctæ pecuniariæ, aut alterius pœnæ temporalis, quæ minoris est momenti, mirúsque ab omnibus prudentibus æstimatur, & timetur. Ac si non obstante libertate ad matrimonium necessariâ, permittunt leges vt sponsi paciscantur de duplo, aut triplo arrhæ soluendo, quæ sine dubio est aliqua mulcta pecuniaria: non video quomodo libertati matrimonii, aut legibus repugnet, apponere sine arrhis parem, aut similem pœnam? Exempli gratiâ, si duplum,

aut triplum arrhæ erant mille aurei: cur sine arrhis non possint paciſci, vt qui iniustè resilierit, teneatur totidem soluere. Denique id expressè statutum haberi mihi videtur in Nouella 18. Leonis Imperatoris, cuius verba sunt: *Idcirco quod consuetudini placuit, vt in sponsaliorum reprobationibus pœnæ imminerent iis, qui reprobare instituerent; id in legis auctoritatem collocamus.*

61. Neque obest Lex *Si stipulatio*, ff. de Verb. obligat. quia, vt bene exponit Aegid. suprà, numero trigesimo primo, post Sanchez, & Alciatum, non loquitur de sponsalibus, sed de matrimonio, cui secundum leges antiquas Romanas licebat renunciare alterutri coniugum, dummodo subire vellet amissionem dotis, aut donationis propter nuptias, iuxta L. Iuliam, & Papiam: vltra quam, prohibebat lex *Si stipulatio*, aliam pœnam apponere. Nunc autem, cùm in lege Euangelica diuortium sine iusta causa sit illicitum; potest validè, & licitè apponi pœna diuertenti iniustè, æquè, ac multò magis, quàm diuertenti illicitè à sponsalibus: quia maior est læsio, & culpa grauior in diuortio iniusto.

62. Iuramentum illis ap ositum ad quid obliget?

Quæritur tertiò, quomodo, & ad quid obliget iuramentum sponsalibus appositum: Respondeo obligare ex virtute religionis ad habendum in præsenti animum faciendi id quod promittitur, & ad illud suo tempore exequendum. Prima responsi pars, quòd iuramentum obliget ex virtute religionis, probatur, quia iuramentum est actus religionis, quo Deus in testem assumitur ad confirmandum aliquid, tanquam suprema veritas, & infallibilis: vt significat Apost. Hebræor. 6. vers. 18. & apertiùs D. Thom. 2. 2. qu. 89. art. 1. & 4. cui cæteri Theologi assentiuntur. Sique iuramentum est tantùm assertorium, assumitur Deus, vt testis ad confirmandum verum id esse, quod asserimus. Sin autem est promissorium, assumitur eius auctoritas ad testificandum tum nos habere in præsenti voluntatem faciendi, id quod promittimus: tum etiam nos suo tempore esse illud executuros: ad quod reuerentia diuini numinis specialiter nos astringit per iuramentum. Si denique est comminatorium, assumitur Deus vt testis voluntatis puniendi, quam nos habere significamus: atque insuper vt eius reuerentiâ obligemur ad non oõdonandum, & ad pœnam suo tempore exigendam. Itaque tota obligatio, quam iuramentum per se, & præcisè ex natura sua inducit, non est alia, quàm religionis, propter reuerentiam Deo, tanquam supremæ veritati, & auctoritati debitam.

63. Iuram. promissorium includit assertorium.

Secunda pars respon si liquet ex dictis: & confirmatur, quia iuramentum sponsalibus appositum ad ea firmanda, est iuramentum promissorium. Omne autem tale iuramentum includit aliquatenus assertorium. Quia, vt rectè ait Pontius lib. 12. cap. 8. n. 2. Quisquis sub iuramento promittit se facturum aliquid, tenetur non solum de futuro verum efficere quod promittit: sed etiam de præsenti verè habere animum faciendi, quem etiam se habere affirmat sub iuramento. Sit sub ista ratione iuramentum, quatenus assertorium est, respicit tantùm obiectum de præsenti, videlicet animum faciendi id quod promittitur: quatenus verò promissorium est, respicit tempus futurum. In eoque differt iuramentum promissorium, à puè assertorio, quòd ad illud vna tantùm veritas requiritur: nimirum quòd res sit, vel non sit, prout affirmatur esse, vel non esse. Ad illud verò duplex veritas est necessaria: vna de præsenti, quòd scilicet habeas animum exequendi, teque obligandi in præsens ad præstandum quod promittis: altera de futuro, quæ consistit in executione. Prior est principalis, & necessariò requisita ad vitandum peccatum mortale periurii. Posterior est secundaria, potestque interdum abesse absque peccato mortali, aut etiam veniali, quando voluntas mutatur iusta de causa, vel deest aliqua conditio, quæ tacitè saltem, & virtualiter in promissione includebatur, siue ex natura rei, siue ex legum dispositione: quanquam tunc propriè non fit contra veritatem iuramenti, vt dicemus paulò post.

64. Iuramentum promissorium requirit naturã promissionis.

Notandum enim est cum auctore proximè citato, numero septimo, iuramentum, quod adiungitur alicui promissioni, ad illam firmandam, sequi naturam illius hoc sensu, quòd obligatio iuramenti cadit iuxta obligationem promissionis, & iuxta modum illius: ita vt ea cessante, cesset pariter obligatio iuramenti, ad faciendum id quod promittitur. Quia iuramentum, vt promissorium est, non aliter adducitur, quàm ad confirmationem promissionis, iuxta naturam, & conditionem illius. Vnde fit, vt si promissio fiat inualidè, quia de re impossibili, vel mala moraliter, & illicita; iuramentum non obliget ad illud efficiendum: quia non potest confirmare obligationem inualidam & nullam, siue obligationem quæ non est. Hinc etiam sequitur, quòd quemadmodum promissio semper fit subintellectis tacitè quibusdam cõditionibus, sine quibus non obligat: ita neque iuramentum obligat, nisi sub iisdem conditionibus. Atque ita sponsalia, licet iurata, non obligant, vt v. g. qui spopondit, non possit ingredi religionem: vel vt sponsam teneatur ducere; si illi aduenerit morbus contagiosus, aut notabilis deformitas: vel si contingat inter moras aliquod impedimentum, propter quod promissio desinat obligare: vel etiam si vterque sponte renunciet sponsalibus. Nam promissio alicui facta in ipsius vtilitatem, includit tacitè assensum illius, cui fit, si nimirum ipse velit eam impleri, & perseueret in ea voluntate: ac si nolit, cessat illius obligatio, vt rectè ait Sanctus Thomas 2. 2. quæstione octuagesima nona, articulo nono, ad 2. Pariterque cessat obligatio iuramenti: quia hæc solùm viget, &

permanet, quamdiu durat, & viget obligatio promissionis, ad quam solùm firmandam adhibetur iuramentum. Item quia promissio de impossibili, vel illicito est nulla, & iuramentum non est vinculum iniquitatis; non obligat ad contrahendum matrimonium in his casibus, in quibus non potest validè, aut licitè contrahi: putà, cum impedimento dirimente, vel prohibente: aut cum periculo grauis rixæ, & odii inter parentes vtriusque, & exhæredationis, aut aliorum grauium incommodorum.

65. Contraria sententia.

Contrarium sentit Aegid. Con. disp. 22. dub 7. num. 47. & sequentibus, affirmans eum, qui siue iuratus, siue non iuratus simpliciter promittit se aliquid facturum, non asserere se id verè facturum, sed tantùm ad hoc se obligare: & per iuramentum promissioni præcisè adhibitum, Deum vocari solummodo in testem præsentis voluntatis, quâ promittens proponit hic & nunc implere promissionem, seque ad hoc obligare intendit: & in vltorem perfidiæ, si fidem datam fallat: vt tum reuerentiâ numinis diuini, tum etiam timore vltionis moueatur ad implendum promissum. Probat 1. quia alioqui peccaret mortaliter qui iuraret se facturum aliquod peccatum veniale, posteaque non faceret: quippe qui faceret Deum testem falsi. Secundò peccaret etiam mortaliter qui, cùm seriò iurasset se facturum aliquid planè indifferens, v. g. mansurum domi; postea id non seruaret. Cùm tamen Doctores communiter affirment, neque hunc, neque illum teneri ad hæc iuramenta seruanda: quia iuramentum non est vinculum iniquitatis, obligans ad malè faciendum: neque vinculum vanitatis, obligans ad aliquid inane, & indifferens. Adde tertiò, quòd alioquin intelligi nequit, quomodo ius quibusdam iuramentis promissoriis possit apponere tacitas quasdã conditiones, quibus deficientibus illa desinant obligare, etiamsi iurans eas prorsus ignoret. Ex. gr. Petrus iurat Catharinæ se eam ducturũ in matrimonium, nesciens iure subintelligi, nisi voluerit potiùs ingredi Religionem: ideóque intendens absolutè promitteret quomodo potest ius efficere, vt sine periurio possit ingredi Religionem Catharinâ inuitâ, cùm nulla talis conditio possit tacitè subintelligi iuramento assertorio, de qua iurans omnino non cogitat? Confirmatur, quia non potest ius apponere conditiones iuramento assertorio de præsenti, vel de præterito: sed ob nimo periurus est, qui iurat esse id quod non est, aut fuisse id quod non fuit. Ego neque assertorio de futuro.

66. Soluuntur eius argũ.

Ad primum Respondeo, talem non facere Deum testem falsi quamuis postea non peccet: quia non iurauit absolutè se peccaturum, sed tantùm quatenus ad id potest obligare promissio. Nam, vt supra dixi, hoc iuramentum, quatenus promissorium, & assertorium de promisso exequendo, inuoluit eadem conditiones, quas includit ipsa promissio. Sortitur enim naturam actus, cui adiungitur, cap. *Quemadmodum*, de Iureiurando: vnde conditio tacitè inclusa in actu, includitur etiam in iuramento. Quare neque ad plus obligat, neque affirmat iurans se id facturum esse, nisi sub illis conditionibus, quæ vel iure positiuo, vel ex natura rei sunt necessariæ vt promissio obliget. Ideóque cùm promissio peccandi venialiter non obliget, quia est de re illicita: ille qui tali promissioni iuramentum adhibet vt eam confirmet: non affirmat absolutè se facturum esse id quod promittit: sed in casu quo licitè possit impleri promissio.

Contra quod responsum frustra instat Aegid. ex eo sequi talem non magis peccare, quàm si iuraret se facturum rem indifferentem: & non peccaturum saltem mortaliter, si absque animo faciendi iuraret se commissurum aliquod peccatum veniale, aut etiam mortale: sicut non peccaret: nisi ad summum venialiter, qui expresè iuraret se commissurum homicidium, quando hoc licitum, aut expediens erit. Idem enim valet conditio ex communi vsu tacitè sic intellecta, atque expresè apposita.

Ad quæ dico neutrum ex illis sequi. Non primum: quia qui iurat siue conditione expresè appositâ, vel saltem in mente concepta, affirmat se impræsens habere intentionem faciendi id, quod promittit, seque obligandi, quantum in se est, ad illud præstandum. Hoc enim significat iuramentum promissioni adiunctum, quatenus est assertorium, vt paulò ante diximus. Est autem turpius, & consequenter maius peccatum habere impræsens intentionem faciendi peccatum veniale, seque ad illud obligare, quantum in se est: quàm habere voluntatem faciendi rem indifferentem, velleque suscipere illius faciendæ obligationem per iuramentum. Non etiam secundum: quia licet talis iuret absque animo faciendi peccatum, quod iurat se facturum: tamen si non fictè iurat, id est, si non fingit se iurare, sed verè iurare intendit, vt supponimus: significat, & asserit vi sui iuramenti se habere impræsens affectum peccandi, velleque ad illud se obligare, quantum in se est, adhibetque Deum in testem huius voluntatis. Quem affectum si non habet, ac voluntatem se obligandi; iurat falsum: quia iurat esse id quod non est. Sin autem habet: talis affectus malus est, & eò peior, quò versatur circa grauius peccatum; indeque trahit specialem indecentiam virtuti religionis oppositam, quòd per iuramentum Deus vocatur in eius testem, & confirmatorem. Possitne autem in aliquo casu tale iuramentum excusari à mortali, diximus alibi tom. 3. disput. 39. sect. 1. Incredibile verò mihi videtur quod ait Aegidius, non asserere, iurando se aliquid facturum, eum qui dicit

67.

dum eundem thorum habent : ergo &c. Vnde sequitur liberos susceptos ex tali fornicatione, non esse propriè adulterinos : cùm illa non sit verè adulterium. Imò ne quidem esse spurios, sed naturales : quia spurii sunt illi tantùm, quorum parentes habent inter se impedimentum dirimens matrimonium, in instanti generationis ; vt cum communi sententia docet Sanch. lib. 1. disp. 2. num. 8. Dicendum ergo copulam illicitam sponsi, aut sponsæ cum altero, non esse verè, ac propriè adulterium, sed peccatum quoddam innominatum iniustitiæ, accedens ad adulterium, & aliquatenus illi simile, quatenus vtrumque est contra ius alterius : sed prius contra ius tantùm ad rem : posterius contra ius in re, quod strictius est, multóque magis obligat.

72. Cont. sent. Contrarium sentiunt aliqui recentiores, quos sequitur Mærat. disp. 12. de Matrim. sect. 8. negantes sponsum, aut sponsam fornicando peccare alio secundum speciem peccato, quàm libidinis contra castitatem. Quod probant 1. auctoritate D. Thomæ 2. 2. q. 154. vbi enumerans omnes luxuriæ species : nullam istius mentionem facit. Secundò sponsus, & sponsa non aliam contrahunt obligationem, quàm ineundi suo tempore matrimonii : quia non aliud sibi promittunt. Non faciunt autem contra hanc obligationem, quando fornicantur : ergo &c. Nascitur quidem obligatio ex matrimonio, & debitum iustitiæ vitandi copulam cum aliis : sed quia matrimonium nondum est contractum, nondum etiam orta est hæc obligatio. Tertiò, qui vouit professionem in Religione faciendam, non se obligat vt interea à fornicatione abstineat. Et si fornicetur, peccabit quidem grauiter contra castitatem : sed ratione promissæ professionis nullam nouam peccati speciem contrahet. Ergo similiter qui contrahit sponsalia, non se obligat ab abstinendum interea à fornicatione ; sed tantùm ad matrimonium ineundum suo tempore. Neq; dicas discrimẽ esse, quia per sponsalia acquiritur ius sponso, & sponsæ : per votum autem non acquiritur ius Religioni. Nam per votum acquiritur etiam ius Deo : imò & ipsi Religioni ; si promissio non soli Deo, sed ipsi quoque Religioni fiat.

73. Respondetur eius argum. Ad primum Respondeo, non omnes species peccatorum à D. Thoma, vel ab aliis Theologis speciale nomen accepisse : & istud, de quo loquimur, reductiuè comprehendi nomine adulterii : sicut sponsalia reducuntur ad matrimonium, suntque matrimonium inchoatum. Ad secundum dico sponsos, dando ius ad rem in corpus suum, hoc ipso se obligare ad nihil faciendũ illicitè cõtra illud ius, quo alter iustè offendatur & quidem adeo grauiter, vt hæc offensa ad contractum rescindendum sufficiat. Ad tertium, nego paritatem. Qui enim fornicatur post tale votum, non facit iniuriam Religioni, nisi fortè se minùs idoneum, aut impotentem redderet ad profitendum. Putà, si grauem ex eo morbum, & incurabilem, aut infamiam contraheret. Addo rationes propositas, si valerent, probare circumstantiam sponsalium nullam addere malitiam tali fornicationi : quod tamen falsum, & absurdum esse, satis clarè patet ex dictis num. 69. & manifestè repugnat definitioni Innocentii III. c. 25. *De iureiurando*, affirmantis tantam esse hanc offensam, vt propter illam possit licitè sponsus resilire à promissione sua, licet iuramento firmata : sicut propter adulterium potest vxor adultera dimitti à cohabitatione.

74. Transeant in matrim. per copulam secutam Tertius effectus sponsalium est, quòd, vbi constitutio Tridentini de clandestinis, nondum fuit recepta, quotiescunque copula sequitur sponsalia, transeunt ipsa in matrimonium ex præsumptione Ecclesiæ, id est, habentur pro vero matrimonio, licet alioqui coniuges verè, & reipsa non consenserint de præsenti. Præsumit enim Ecclesia eos se mutuò maritali affectu cognouisse, atque ita matrimonium contraxisse, nec vllam contrariam probationem admittit, & omnia alia matrimonia, ab vtraque parte secuta, iudicat irrita, vt patet ex Can. *Is qui fidem*, de sponsalibus. Tametsi verè matrimonium nullum fuit, nisi fuerit consensus de præsenti. Sed ideo fuisse præsumitur, quia cùm antea voluntatem habuerint, contrahendi matrimonium, seque ad id mutuò data fide obligauerint, iamque possint, si velint, habere copulam honestam, potiùs quàm fornicariam : censet Ecclesia eam habere voluisse. Vbi autem Tridentini constitutio recepta est, nunquam sponsalia transeunt in matrimonium, nisi suppositâ præsentiâ parochi, & duorum, aut trium testium, veluti conditione, aut formalitate necessaria ad valorem contractus.

Gignunt impedimẽtum publicæ honestatis. Quartus, & vltimus effectus est gignere impedimentum publicæ honestatis, id est, impedire ne sponsus validè possit contrahere matrimonium cum consanguineis sponsæ in primo gradu : neque sponsa cum consanguineis sponsi in eodem gradu : iuxta Trident. sess. 24. Decreto 1. de Reformat. matrimonii cap. 3. De quo impedimento plura dicemus inferiùs disp. 75. sect. 4. De his autem duobus postremis effectibus non est inter Theologos controuersia.

SECTIO VII.

Quibus modis dissoluantur sponsalia ?

75. Dissoluuntur per renunciationem. Vltæ sũt causæ propter quas sponsalia possunt licitè dirimi, quæ ad decẽ reuocari possunt. Prima est, quando partes, si sint puberes, inuicem sibi hanc obligationem remittunt, vt habetur in cap. *Præterea* 1. de sponsal. vbi Innocentius III. affirmat sponsos, si se adinuicem admittere no-

luerint, resilire posse à contractu, *ad instar eorum qui societatem interpositione fidei contrahunt, & postea eandem sibi remittunt*. Neque obest quod addit Pontifex, posse hoc in patientia tolerari ne peius eueniat: quasi tantùm id permittat vt minus malum. Nam vt rectè ait D. Thom. in 4. dist. 27. q. 2. art. 3. ad 5. Si Pontifex hoc tantùm intenderet, non aptè vteretur exemplo eorum qui interpositione fidei societatem contrahunt. Nã illi possunt licitè consensu mutuò ab ea resilire. Nimirum quia omnis contractus ex natura sua solubilis (cuiusmodi est contractus sponsalium) potest per easdem causas dissolui, per quas potest validè fieri, si ius superius non resistat dissolutioni: vt hîc certè non resistit, sed potiùs expressè permittit cap. citato. Estque id verum, licet sponsalia fuerint iuramento firmata, vt rectè docent Nauar. cap. 22. Manual. num. 25. Henriq. lib. 11. cap. 14. num. 6. Sanch. lib. 1. disp. 52. Coninc. disp. 23. dub. 1. num. 2. Mærat. disp. 12. de Matrimonio, sect. 10. Pontius lib. 12. cap. 9. & alii communiter: colligiturque ex D. Thoma 2. 2. q. 89. art. 9. ad 2. Probatur, quia iuramentum promissorium sequitur naturam promissionis, & non obligat nisi in fauorem partis, quæ, si renunciat promissioni, tollit materiam iuramenti, definitque tunc iuramentum obligare, æquè ac promissio, vt patet ex dictis num. 64. Loquimur autem de iuramento facto alteri parti, in confirmationem sponsalium. Nam si soli Deo fieret, sequeretur naturam voti, & non obligaret cum detrimento boni maioris, & Deo gratioris.

76. Etiã licitè.

Neque tantùm validè in eo casu mutui dissensus dirimuntur sponsalia, verùm etiam licitè, vt docent auctores supra citati, & alii communiter: quia ius nullibi id prohibet. Vitandum tamen est scandalum, & nota inconstantiæ, & iniuria partis alterius, si ad consentiendũ adigatur precibus importunis, vel aliis malis artibus. Propter quod cap. citato de sponsalibus dicit Innocentius sponsos esse cõmonendos, & modis omnibus inducendos, vt præstitam fidem obseruent, postquam de matrimonio contrahendo purè, & sine omni conditione fidem dederunt. Patienter tamen esse tolerandum, si secus faciant. Cúmque ibidem ait posse sponsos dissoluere contractum mutuò consensu, perinde ac illi, qui societatem mutuo consensu contraxerunt, possunt eam dissoluere; significat posse, etiam licitè, si nihil aliud obstet. Nam in societate id per se licitum esse dubitari nequit.

77. Si sponsi sunt impuberes.

Dixi autem, *Si sunt puberes*, quia impuberes, quamdiu tales sunt, non possunt validè renunciare sponsalibus: vt habetur cap. *De illis*, De desponsat. impub. Quod meritò statutum fuit propter inconstantiam illius ætatis, ne fœdius sponsalia contrahant, & dissoluant. Potest tamen quilibet illorum, quando peruenit ad pubertatem, reclamare, & sponsalia dirimere, vt dicitur eod. cap. ne scilicet cogatur matrimonium contrahere de quo nondum maturè, & prudenter deliberare potuit. Idque verum est, licet nondum alter, cuius interest, annos pubertatis attigerit. Potest enim, qui prior attigit, statim reclamare, & dissoluere. Sufficitque interiùs reclamare, vt non obligetur in conscientia. Sed pro foro externo necessarium est, vt statim atque pubertatem attigit, exteriùs significet suum dissensum, id est, saltem intra triduum post pubertatẽ: quia in iure dicitur statim fieri, siue incontinenti, quod intra triduum fit, vt probat Sanch. lib. 1. disp. 51. num. 14. Hoc tamen priuilegio non gaudet pubes, qui contraxit cum impubere: quia non defuit illi maturitas iudicii. Sed neque impuberes possunt sponsalibus renunciare in pubertate, si ea iuramento firmarunt, nisi altera pars consentiat: vt docet Sanch. ibid. num. 22. probatque ex cap. *Ex literis*, 2. De sponsal. vbi dicitur impuberes iurantes sponsalia, cogendos esse ea perficere: dummodo tamen fuerint doli capaces, quando iurarunt? hoc est, vt dicunt aliqui, annum circiter decimum attigerint: nisi potiùs arbitrio prudentum id relinquendum est: vt idem Sanch. ait ibid. num. 24. in fine. Sed probabilius mihi videtur quod docet Pont. lib. 12. cap. 9. num 8. sponsalia à talibus contracta esse potiùs sponsalia puberum, malitia supplente ætatem; esseque per se firma, & valida. Sicut matrimonium initum à partibus iam proximis pubertati, & in quibus malitia supplet ætatem, est verum matrimonium per se firmum, & validum. Et alioqui cessante obligatione sponsalium per dissensum puberũ, cessaret pariter obligatio iuramenti.

78. Et renunciatio fit mutua.

Dixi præterea, *Si puberes inuicem sibi hanc obligationem remittant*: id est, si ambo consentiant in dissolutionem sponsalium. Neque enim sufficit vnum resilire, altero nolente: sed ille manet adhuc ligatus in conscientia: tametsi hoc ipso, quòd iste resilit, alter ius habet resiliendi, si velit: quia non tenetur seruare fidem ei qui prior illam violauit, L. *Si conuenerit* ff. *Pro Socio*. Dummodo tamen acceptauerit remissionem, seu dissensum alterius, priusquam eum pœniteat. Alioqui sponsalia adhuc vim suam retinebunt. Debet præterea liberè, & sponte fieri vtriusque remissio. Quia si metu, aut dolo, aut precibus nimis importunis, vel aliis malis artibus extorqueatur: non manet liber in conscientia, qui sic obtinet renunciationem obligationis.

79. 2. Per ingressum religionis.

Secunda causa dissoluendi sponsalia est, si altera pars ingrediatur Religionẽ, cap. *Ex publico*, De conuersione coniugatorum: vbi quamuis sermo sit de dissolutione matrimonii rati, & non cõsummati per professionem in Religione approbata: communiter tamen Doctores inde colligunt à fortiori dissolui sponsalia per eandem profe-

ſſionem: neque de hoc vlla eſt diſſenſio. An verò etiam diſſoluantur per ſolum ingreſſum Religionis ante profeſſionem, vel eâ non ſecutâ, variæ ſunt ſententiæ. Prima ſimpliciter affirmat hoc ipſo diſſolui, ita vt pars vtraque libera maneat ab obligatione ineundi inter ſe matrimonii. Quia ſicut ſe habent ſponſalia ad matrimonium: ita probatio, ſeu Nouiciatus ad profeſſionem: eſt enim via ad profeſſionem, ſicut ſponſalia ſunt via ad matrimonium. Ergo ſicut per profeſſionem diſſoluitur matrimonium ratum: ita per probationem debent diſſolui ſponſalia. Item maior eſt obligatio voti Religionis, quàm iuramenti additi ſponſalibus: quia ſecundum omnes illud dirimit. Atqui prior obligatio diſſoluitur per ingreſſum in Religionem bona fide, id eſt, ex animo permanendi, quamuis ingreſſus poſtea reſiliat, expertus ſtatum illum ſibi non conuenire. Ergo &c. Atque ita docent Silueſt. V. *ſponſalia*, q. 10. caſu 2. Nauar. cap. 22. Manual. num. 26. & clarius Tolet. in ſumma lib. 7. cap. 21. alias 17. & Sanch. lib. 1. diſp. 42. num. 2. & 5. vbi plures alios citat.

80. Altera ſententia præcedenti contraria, ſimpliciter negat diſſolui ſponſalia, niſi per ipſam profeſſionem. Quia neque vi iuris poſitiui, cùm nullo canone id ſtatuatur. Neque etiam ex natura rei: cùm neuter renunciet obligationi, ſed tantùm velit vnus contrahentium, (aut vterque ſi ambo Religionem ingrediantur) experiri ſibi ne magis expediat profiteri Religionem, quàm perficere ſponſalia: poſſitque ea perficere, ſi egrediatur ante profeſſionem. Ita videntur ſentire D. Thom. in 4. diſt. 27. q. 2. art. 3. ad 1. & Ricard. ibid. art. 3. q. 4. clarè verò Durand. ibid. q. 3. num. 3. Palud. q. 1. art. 3. caſu 5. Couarr. 1. part. de Matrim. cap. 3. num. 11. Armilla V. *ſponſalia*, num. 12. & plures alii, quos refert Sanch. diſp. cit. num. 1.

81. Probabilius eſſe mihi videtur, quod tertio loco docent Henriq. lib. 11. cap. 14. num. 3. Petrus Ledeſma quæſt. 43. de Matrim. art. 3. dub. 2. Rebel. parte 2. de obligat. iuſtitiæ, lib. 4. q. 8. ſect. 6. Con. diſp. 23. dub. 3. concluſ. 5. & Pontius lib. 12. cap. 10. num. 3. & 4. Eum qui ingreditur Religionem, non manere liberum ab obligatione ſponſalium ante profeſſionem, ſiue bona fide ingreſſus ſit animo permanendi: ſiue dolo, & mala fide, quæ non debet illi prodeſſe. Alterum tamen, qui manſit in ſæculo, eſſe liberum hoc ipſo, propter notabilem mutationem ſtatus partis alterius. Ratio primæ partis eſt, quia nullo iure probatur ita diſſolui. Nam caput 2. de conuerſ. Coniugat. quod ſolum citatur ab auctoribus primæ ſententiæ, loquitur de profeſſione, & de matrimonio rato: ex quo non valet conſequentia ad ſponſalia reſpectu probationis. Quia in huiuſmodi rebus pendentibus à diſpoſitione iuris poſitiui, non licet ab vno ad aliud argumentari, niſi euidenter appareat talem eſſe mentem legiſlatoris: Velvnum in alio includatur tanquam aliquid minus: ſicut obligatio ſponſalium includitur in obligatione matrimonii tanquam aliquid minus, vnde meritò cenſetur diſſolui per profeſſionem, per quam diſſoluitur ipſum matrimonium ratum: hicque meritò locum habet regula 35. de regulis iuris in 6. *Plus ſemper in ſe continet quod eſt minus*: & regula 53. *Cui licet quod eſt plus, licet vtique quod eſt minus.* Et æquum eſt, vt non gaudeat priuilegiis Religionis, qui in ea non permanet, redeatque ad ſæculum cum ſuis oneribus. Sicut etiam vota ſimplicia de rebus aliis, ante ingreſſum Religionis facta, ſuſpenduntur quidem per ingreſſum Religionis, ſed reuiuiſcunt per egreſſum. Secunda verò pars eiuſdem aſſertionis probatur, quia durum eſſet alteri parti vel expectare vſque ad annum profeſſionis: vel ſi iſte egrediatur, contrahere matrimonium cum eo, qui habitum religioſum ſuſcepit, & deſeruit: quod dedecori tribui ſolet. Præterquam quòd ingrediens Religionem, hoc ipſo oſtendit ſe habere animum alienum à perficiendis ſponſalibus. Ideóque licet alteri acceptare eius renunciationem, & reſilire à contractu.

Et emnel a re profeſſionem.

Ad primum verò argumentum primæ ſententiæ Reſpondeo, patere ex dictis non valere in his rebus argumentationem à ſimili. Ad ſecundum dico cum Baſilio Pontio cap. cit. num. 8. idcirco obligationem illius voti ceſſare per ingreſſum in Religionem bona fide, quia iam impletum eſt. Sicut votum dandi eleemoſynam centũ aureorũ, ceſſat poſtquam illi in pauperes impenſi fuerunt. Neque enim ille plus vouerat quàm ingredi, & experiri bona fide vtrum id ſibi melius eſſet, magiſque expediens. At ingreſſus in Religionem non eſt impletio obligationis ſponſalium, neque impedit quo minùs iſte implere poſſit, & teneatur, ſi ad ſæculum redeat. Quare non valet illatio argumenti propoſiti. 82.

Addo, idem, quod ſuprà dixi, ſentiendum eſſe, licet ſponſalia fuerint iuramento firmata, diſſolui ſcilicet modo ſupra dicto per ingreſſum in Religionem: neque teneri eum qui iurauit, priùs contrahere matrimonium: quia in tali promiſſione, & conſequẽter in iuramento illi annexo, ſubintelligitur ex diſpoſitione iuris iſta conditio, Niſi voluero Religionem ingredi. Neque obſtat caput *Commiſſum*, de ſponſal. vbi Alexander III. conſultus de quodam, qui iuratus ſpoponderat contrahere matrimoniũ intra biennium, poſteaque volebat ingredi Religionem: reſpondit *Tutius illi eſſe priùs contrahere, & poſtea, ſi velit, ad Religionem tranſire.* Nam Pontifex non dicit hoc eſſe neceſſarium, ſed ſolùm eſſe tutius. Deinde vel ibi ſermo eſt de quodam parum fir- 83.

Atque etiã ſi iuſata ſint.

Digitized by Google

miter appetente Religionem, & de quo periculum erat, ne propter animi parum constantis in proposito hæsitationē, biennium elabi pateretur, neq; ingrediens Religionē, neque implens sponsalia: atque ita peccaret contra iuramentum: propter quod periculum vitandum respondit Pontifex *Tutius esse prius contrahere* &c. Quod alioqui foret planè otiosum, si animo planè deliberato, & firmo vellet Religionem ingredi: sæpeque alteri parti deceptæ, & immonitæ iniuriosum esset ita contrahere matrimonium. Vel, vt mauult Suar. lib. 2. de Iuramento promissorio cap. 13. num. 10. & post illum Aegid. Con. disp. 23. dub. 3. num. 14. Pontifex tantùm vult tutius esse contrahere posito quòd sponsa prænonita id velit: tum ne ipsa putet alterum ficte iurasse sibique illusisse: tum etiam quia forsitan habet rationem iustam exigendi ab illo, vt priùs contrahat: putà, si aliter non potest graue aliquod damnum honoris vitare. Quod quidem tale esse potest vt alter licitè nequeat Religionem ingredi sponsâ inuitâ. Ex gr. Si à virgine, vel ab honesta vidua copulam obtinuit promissione matrimonii: vel talem cum ea familiaritatem habuit, vt grauis suspicio copulæ inde orta sit: multóque magis, si ex illa prolem suscepit. Ex his enim grauis oritur infamia, quæ non potest auerti, nisi per matrimonium.

84. 3. Per susceptionē ordinis sacri.

Tertia causa dissoluendi sponsalia est, si vir sacrum Ordinem suscipiat: vt colligitur ex Extrauag. *Antiquæ*, de Voto. Ratio est, quia talis iam est inhabilis ad matrimonium, propter Ordinem sacrum, & votum solemne castitatis in eo suscipiendo inclusum, cap. Vnico de voto in 6. vt susiùs dicemus disp. 74. sect. 3. Per minores autem Ordines non dissoluuntur sponsalia, quia non impediunt ne possint impleri, cùm non repugnent matrimonio, vt patet ex cap. 1. & 2. De clericis coniugatis: neque sunt signum animi ab illis implendis auersi: nec denique dant sponsæ iustam causam resiliendi. Neque peccat per se loquendo, qui post sponsalia minores Ordines recipit bono aliquo fine: per se, inquam, id est, seclusis iustis impedimentis, quæ possunt aliunde prouenire, reddereque hanc receptionem illicitam in talibus circunstantiis. Et in eo quidem consentiunt Theologi. Vtrum verò etiam maiores ordines possint absque peccato recipi post sponsalia, controuersa est.

85. Possitne accipi licitè.

Affirmant aliqui, quos è recentioribus sequitur Pontius lib. 12. cap. 11. num. 3. Cuius præcipua ratio est, quia post sponsalia licitum est emittere votum de suscipiendis sacris ordinibus, illudque votū obligat, vt fatetur Sanch. loco mox citando, præcipuus inter auctores contrariæ sententiæ. Ergo licitum est illos recipere: alioqui votum illud esset de re illicita, & consequenter inualidum. Ex quo præterea sequitur includi hanc conditionem in sponsalibus, *Nisi elegero statum clericalem*; vel ex natura rei propter mutationem in melius; vel per iuris dispositionem. Sed probabilius negant Sanch. lib. 1. de Matrim. disp. 47. Rebell. 2. parte de obligat. iustitiæ, lib. 4. q. 8. sect. 5. Paludan. Antonin. Siluest. & plures alii ab istis relati. Quia non est sufficiens fundamentū affirmandi subintelligi in sponsalibus vel ex natura rei, vel ex dispositione iuris, conditionem supradictam, sicut subintelligitur ista, *Nisi ingrediar Religionem*. Quare facit contra fidem datam, qui post sponsalia recipit sacros ordines. Nec obest quòd status clericalis sit melior statu coniugali. Quia promissio facta homini non potest ipso inuito commutari in melius, Qua etiam de causa, quando aliquis ad sacros ordines promouetur, interrogatur priùs, an eum aliqua sponsalia contraxerit?

86. Ad fundamentū autem contrariæ sententiæ, nego licitè tale votum emitti post sponsalia, & obligare, Neque id affirmat Sanchez ab aduersariis citatus: sed potiùs diserte asserit num. 3. & 4. illius disp. 47. non posse obstrictum sponsalibus promoueri ad sacros ordines, sed teneri contrahere matrimonium, nisi altera pars obligationem illi remittat. Hoc ipso tamen quòd vouet suscipere sacros ordines, satis ostendit se habere animum ab implendis spōsalibus auersum. Ideóque pars altera, postquā hoc illi innotuerit, habebit ius eis renunciandi si velit. Verùm vt ille validè voueat, & de re licita, debet vouere tantùm conditionatè, si nimirum pars altera consentiat; & hac conditione posita, tenebitur votum implere. Quo sensu intelligendum est quod ait Sanchez in fine disput. citatæ.

4. Per matrimonium subsequēs.

Quartò, dissoluuntur sponsalia per matrimonium subsequens, licet non consummatum, cap. *Veniens*, cap. *Sicut ex literis*, cap. *Si inter virum*, de Sponsal. & cap. 1. de Sponsa duorum. Dum modo tamen verum, & ratum matrimonium sit. Nam alioqui nullum inducit vinculum, quod priori præualeat: sed solùm dat alteri parti iustam causam renunciandi sponsalibus: cùm, eo ipso quòd attentat contrahere aliud matrimonium, satis ostendat se habere voluntatem alienam ab illis implendis, eisque renunciare.

87. Extinguitur tūs planè obligatio.

Difficultas verò est vtrū per subsequens matrimonium ratum, & validum, extinguatur penitùs obligatio sponsalium? ita vt quamuis postea matrimonium dissoluatur per mortem coniugis, aut professionem in religione; nihilominus iste iam liber ab impedimento implendi sponsalia, non teneatur ea implere.

Affirmant Palud. Supplem. Gab. Henriq. & alii, quos refert & sequitur Sanchez lib.

lib. 1. disp. 48. n. 3. quia, inquit, sponsalia per illud matrimonium extincta sunt, vt docent canones sup. citati. Obligatio autem semel extincta, non ampliùs reuiuiscit. Item, quia cùm sint obligationes eiusdem rationis, extinguitur prior per fortiorem superuenientem: sicut votum ingrediendi strictiorem Religionem, omnino extinguitur subsecuta professione in laxiori.

88. Sententia negans.

Contrarium verò probabiliùs docent Adrian. in 4. quæst. 2. de Matrim. ad 2. in fine, Vega lib. 6. Sum. æ, calu 125. Perrus Leuesma q. 43. de matrim. art. 3. dub. 2. ad 2. Aegid. Con. disp. 23. dub. 4. n. 32. Pontius lib. 12. cap. 13. n. 4. affirmantes teneri implere sponsalia in casu prædicto, si altera pars velit, & expectet: ita vt obligatio sponsalium non fuerit omnino extincta, sed tantùm suspensa, & sopita. In casu, inquam, quo alter velit, & expectet: nam si ipse quoque aliud matrimonium ineat hoc ipso ostendit se renunciare sponsalibus; iamque obligatio vtrinque cessat. Fundamentum huius sententiæ præcipuum est, quia si obligatio sponsalium penitus extingueretur, vel id esset ex natura rei, siue iure ipso naturali: vel ex dispositione iuris positiui. Non secundùm, quia iura citata dicunt tantùm debere talem in matrimonio contracto permanere, quàdiu durat: & non teneri iam implere sponsalia, quia non potest rescindere matrimonium. Non etiam primum; quia solo iure naturali spectato, fortius vinculum, aut impedimentum superueniens, non extinguit priorem obligationem, sed tantùm eam suspendit, ita vt vigeat illo cessante. Nam verbi gratiâ, qui vouit ingredi Religionem, posteaque contrahit, & consummat matrimonium; non propterea liberatur omnino ab obligatione voti: sed tenetur mortua vxore Religionem ingredi.

89. Nec obest quod respondent aduersarii, obligationes istas esse diuersæ rationis, cùm vna sit virtutis Religionis, altera iustitiæ: ideoque vnam non extingui per alteram. Nihil enim refert quòd obligationes sint eiusdem, aut diuersæ rationis: quia non propterea vna minùs impeditur ab altera ex natura rei: neque minùs potest impleri sublato impedimẽto. Quare non est ratio cur penitùs cesset, & extinguatur per posteriorem superuenientem, licet eiusdem rationis. Et confirmatur, quia si quis vendidit domum alicui: & alteri postea eandem vendit, traditque reipsa: non tenetur quidem eam tradere priori emptori, quàdiu durat secunda venditio, & possessio: quippe quæ prævalet simplici venditioni: vt patet ex L. *Quoties*, C. *de rei vendicatione*. Secus autem si postea contingat illam rescindi. Tunc enim primus emptor poterit eum cogere auctoritate iudicis ad implendum contractum venditionis, cuius implendi impedimentum fortius nullam iam habet. Ergo licet obligationes se mutuò impedientes sint eiusdem rationis, non propterea vna extinguitur omnino per alteram ex natura rei.

Ad primum argumentum aduersariorum 90. Soluuntur argum. cõtraria. respondeo patere ex dictis maiorem non esse veram. Nam canones citati non id asserunt. Ad secundum, nego antecedens. Et dico rationem cur votum ingrediendi Religionem strictiorem omnino desinat per professionem in laxiore, nõ esse, quia ex natura rei, vel generali dispositione iuris, obligatio superueniens, si est fortior, & diuersæ rationis, extinguat omnino priorẽ: sed tantùm quia speciali ter hoc statutum est à iure positiuo de casu isto particulari, cap. *Quoniam votum*, de Regular. in 6. vbi propter pacem inter Religiones, & quietem conscientiæ ipsius professentis, statuitur vt possit in ea permanere, impositâ illi pœnitentiâ pro voto non impleto. Qua constitutione dispensauit tantum Pontifex in tali voto, quod alioqui deberet impleri non obstante illa professione: quippe quæ non impedit quò minùs Professus transire possit ad arctiorem, vt iure cõmuni omnibus concessum est. Quapropter hæc instantia aduersariorum non est ad rem: quia non est de obligatione incompossibili. Et quamuis ad rem esset: non plus probaret, nisi quòd sicut iste non tenetur ingredi arctiorem, quamdiu durat professio in laxiori: sic ille non tenetur implere sponsalia, quamdiu durat matrimonium post illa contractum: quod nos vltrò concedimus.

SECTIO VIII.

De aliis causis dissoluendi Sponsalia.

VLtra quatuor causas hucusque explicatas, plures aliæ sunt quibus soluuntur, aut solui possunt sponsalia. Quinta igitur est, quòd vbi constitutio Tridentini de clandestino matrimonio nondum est recepta, dissoluuntur priora sponsalia per posteriora, copulâ subsecutâ. Quia tunc transeunt in matrimonium per præsumptionem iuris, cap. *Is qui fidem*, De sponsal. Præsumit enim ius eos maritali affectu se cognouisse, & consensisse in matrimonium de præsenti, sibique inuicem sufficienter id manifestasse. Aliis quoque in locis, vbi illa constitutio fuit recepta, probabilius est dissolui per copulam sub spe matrimonii obtentam ab ignara priorum sponsalium, & alioqui passura infamiam: dissolui, inquam, non ratione sponsalium, quæ inualida sunt: sed damni, quod alioqui pateretur iniustè decepta. Ad quod damnum reparandum magis obligatur deceptor, quàm ad implendã promissionem datam priori sponsæ. Exigit enim naturalis æquitas, vt impleatur contractus posterior, cuius dissolutio tam grauis damni causa esset; potiùs quàm prior, ex cuius dissolutione pars non aliud patitur damnũ, quàm non-exhibitionẽ rei promissæ. Ac sicut

91. 5. Per sponsalia posteriora cum copula,

Digitized by Google

ille, qui post votum ingrediendi Religionem obtinuit à puella vel à vidua copulam sub spe matrimonii, tenetur ad matrimonium ineundum, non obstante voto, cui prævalet obligatio reparandi tale damnum: sic & iste deceptor: debentque iudices ad id eum obligare: quia fauere debent secundæ sponsæ, tantum alioqui damnum pudoris sui passuræ: potiùs quàm primæ, lucrum tantummodo matrimonii perdituræ. Excipe casum, quo consentiens in copulam, non fuit ignara priorum sponsalium: quia tunc non fuit decepta: debetque sibi damnum imputare, quod cùm acciderit propria ipsius culpâ, non debet nocere iuri acquisito priori sponsæ. Excipe etiam casum, quo similis copula fuit habita cum priori sponsa, simile damnum passura. Quia tunc potior est conditio eius quæ prior fuit in pari iure, quæque par damnum, vt supponimus, alioqui passura esset.

92. Secunda sponsalia non dissoluunt, prima.

Atque ita sentiunt Maior in 4. dist. 27. q. 5. casu 2. Rebell. 2. part. lib. 4. qu. 8. sect. 8. n. 56. Con. disp. 23. dub. 4. nu. 34. vbi ad id probandum plures rationes affert, & Pontius lib. 12. cap. 14. n. 4. Contra Dominicum Sotum in 4. dist. 27. qu. 2. 3. 4. dub. 3. & alios, quos citat & sequitur Sanch. lib. 1. disp. 49. Sed quæ obiiciunt, possunt ex dictis facilè solui. Certum est autem apud omnes, secunda sponsalia per se sola non dissoluere priora: quia sunt inualida, nullamque inducunt obligationem quæ prævaleat priori: sed tantùm dant iustam alteri parti causam resiliendi, acceptando renunciationem eius, qui cum altera spondet. Hæc enim sponsio est signum sufficiens quòd renunciet prioribus sponsalibus. Certum pariter est id verum esse, quamuis secunda sponsalia fuerint iuramento firmata. Quia iuramentum non est vinculum iniquitatis: hæc autem sponsalia sunt iniqua, quia fiunt contra ius prioris sponsæ. Imò in eo casu, quo postea dissoluerentur priora sponsalia, aut dissolui licitè possent, nulla esset obligatio implendi secunda: quia actus ab initio irritus, & nullus, semper talis manet: & non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit, vt dicitur regula 18. de Regulis iuris in 6.

93. 6. Per mutationem domicilii.

Præterea sextò, dissoluuntur sponsalia per discessum vnius è sponsis sine consensu alterius, in regionem remotam, cum mutatione domicilij. Tunc enim licitum est parti relictæ contrahere cum alio: vt dicitur cap. 5. de sponsal. vbi Alexand. III. ea de re consultus ab Archiepiscopo Panormitano, sic illi respondet: *De illis, qui præfixo iuramento promittunt se aliquas mulieres ducturos, & postea eis incognitis, dimittunt terram, se ad alias partes transferentes, hoc tibi volumus innotescere; quòd liberum erit mulieribus ipsis ad alia vota se transferre.* Vbi notanda sunt hæc verba, *Dimittunt terram, se ad alias partes transferentes*: quæ, vt rectè aduertit Pontius lib. 12. cap. 15. n. 2. post Abbatem in canonem cit. significant mutationem domicilij: nam qui tantùm negotij, vel recreationis, vel studiorum causa se aliò transferunt ad tempus, non dicuntur terrâ dimittere, *Lege Cum possidere. §. Qui ad nundinas, ff. de acquirenda, vel amittenda possessione*, & L. 2. C. *De incolis*. Notandum etiam quod ait Pontifex, *Iis incognitis*, ideo dictum esse, quia tunc sponsalia transibant in matrimonium, si copula secuta esset, ideoq; per discessum alterius non poterant dissolui. Iam verò, eâ non obstante, soluuntur ijs in locis, vbi constitutio Tridentini de clandestinis nondum fuit recepta. Nota 3. relictam non teneri expectare aliquàdiu, sed posse statim cogitare de contrahendo cum alio. Quia Pontifex dicit liberum id illi esse, nullo præfixo temporis spatio, cuius lapsu expectare teneatur. Neque de illo casu loquitur lex 2. C. *de Repudio*, statuens vt sponsa teneatur expectare sponsum absentem per biennium, si sit intra prouinciam: per triennium, si extra; & non amplius, nisi causa necessaria diutius ab esse cogat; quia tunc finis impediméti expectandus est: Lege penult. ff. *De sponsal.* Non loquitur, inquam, de casu proposito, sed de ijs qui sine mutatione domicilij alibi cõmorantur. Quare perperam aliqui existimant ius hoc ciuile correctũ fuisse per canonem supra citatum.

94. 7 Per discessum in terram longinquam.

Septimò, dissoluuntur etiam sponsalia per discessum alterius partis in terram longinquam, ex qua non potest sperari reditus, nisi post tempus valde longum. Tunc enim pars relicta, si non consensit, manet libera. Altera tamen, si abest voluntariè, & cum mora culpabili, manet obligata, quandiu ista volet expectare: quia non debet referre commodum ex sua culpa. Ratio cur dissoluantur in eo casu est, quia talis censetur eo ipso renunciare sponsalibus: vnde relicta potest, si velit, acceptare renunciationem. Cúmque tam longa mora sit illi valde grauis, non censetur ad illam se obligasse, nisi expressè id significauerit. Dubium verò est, an teneatur in conscientia expectare biennium, aut triennium præscriptum iure ciuili, in lege supra citata. Affirmant aliqui; quia ius canonicum nullibi contrarium statuit, & ius ciuile seruandum est, quando canonicum non aliter disponit: præsertim cum sponsalia sint contractus purè ciuilis. Alii dicunt ius ciuile correctum fuisse per caput quintum de Sponsalibus: quod tamen falsum esse ostendimus paulò ante. Alii & meliùs dicunt recurrendum esse ad arbitrium iudicis, qui spectatis omnibus circunstantiis decernat sitne desertor priùs monendus, vt debet, si potest commodè fieri: Et vtrum mora longior sit tam grauis, aut noxia parti relictæ, vt meritò censeatur noluisse ad illam se obligare: putà, si interea elabitur tempus commodum nuptiis, aut occasio contrahendi cum aliis magno suo bono.

95.

Octauò, dissoluuntur etiam per lapsum temporis matrimonio contrahendo præfixi. Tunc enim pars, cui fides seruata non fuit, li-

Digitized by Google

8. Perlapsū temporis præfixi,

bera manet, vt colligitur ex cap. *Sicut ex literis*, de Sponsalibus. Sed hoc intelligendum est primò, si alterius culpâ factum sit, quòminùs matrimonium intra illud tempus perficeretur. Hoc enim significat Innocent. III. cap. citat. vbi loquens de viro qui post sponsalia cum vna, diu post contraxerat matrimonium cum altera, iubet eum conuenienti pœnitentia mulctari, *quia primam fidem irritam fecit. Nisi forsan in iuramento suo sponsalibus apposito certum terminum, intra quem dictam P. duceret in vxorem, præfixit, nec per eum stetit, quin ad statutum terminum matrimonium consummaretur.* Intelligo 2. quando terminus ille præfixus est non ad differendam solùm obligationem, ita vt priùs neuter sponsorum teneatur implere sponsalia: sicut terminus præfigi solet solutioni debiti pecuniarii, ad hoc vt debitor non priùs teneatur reddere, neque possit creditor priùs exigere: sed etiam ad finiendam obligationem ita vt vltra non remaneat: sicut fieri solet in votis, aut præceptis designantibus onus aliquod diei. Viro autem modo præfixus fuerit terminus contrahendi matrimonium, iudicandum est vel ex verbis contrahentium, si in sponsalibus id significauerunt: vel si secus, ex intentione illorum. Existimo autem cum Basil. Pontio lib. 12. cap. 16. num. 4. communiter præsumendum esse talem illam fuisse, vt voluerint elapso tempore finiri obligationem, quia nolunt contrahentes diutius obligari, & expectare dum interea tempus commodum nuptiis prætereat. Idque videtur supponere Innocentius III. verbis supra relatis. Adde quòd ex illa mora sæpe imminet periculum amittendi occasionem melius nubendi, vel alterius grauis damni. Propter quod etiam si alter sponsorum non sit in mora culpabili, sed morbo, vel alio iusto impedimento detineatur, pars altera ius habet adeundi iudicem, & petendi ab eo vt præfigat tempus, quo, nisi cesset impedimentum, liberè possit de alio matrimonio ineundo cogitare.

96. 9. Per superueniens impedimẽtum dirimens,

Nonò, dissoluuntur etiam per superueniens impedimentum dirimẽs, propter quod scilicet sponsi nequeunt validè contrahere matrimonium: vt, si alter sponsorum copulam habeat cum consanguineis alterius in 1. aut 2. gradu, ex quo oritur impedimentum affinitatis irritans matrimonium. Addit Pont. lib. 12. cap. 17. n. 1. post Toletum, & Rebellum, quos citat, sufficere quoque rumorem de tali impedimẽto. Distinguendum tamen est inter eum, cuius culpâ superuenit impedimentum, & alterum innocẽtem. Nam iste omnino liber manet: neque tenetur petere dispensationem impedimenti, vel acceptare impetratam ab altero. At verò alter manet adhuc obstrictus, quia non debet referre commodum ex sua culpa: teneturque ad matrimonium, si pars innocẽs velit, & ad petendam dispensationem, si obtinere possit absq; notabili incõmodo. Secus autem, si non posset, nisi valdè difficulter: quia non videtur se obligasse ad matrimonium quærendum per media extraordinaria valdè difficilia, vt recte ait Aegid. disp. 23. dub. 5. n. 37. excepto casu quo propter copulam obtentam, vel ni-miam familiaritatem periculum esset grauis infamiæ, nisi matrimonium contraheretur: vel pars impedens aliquod aliud damnum notabile subiret.

97. ecus, si p chibens tantùm,

Dixi autẽ notanter, *impedimentum irrẽs*: quia impedimenta solùm prohibentia matrimonium non irritãt sponsalia; nisi forte, iuxta nonnullorum sententiam, quos refert, & sequitur Marat. disp. 12. sect. 13. vota ingrediendi Religionem, aut suscipiendi Ordinem sacrum, aut etiam votũ simplex castitatis perpetuæ. De quo quid nobis probabilius videatur, diximus supra n. 86. Certum est autem, in eo casu, quòd vbi sponsorum vouet castitatem, alterum manere liberum si velit, ab obligatione sponsalium: quia vouens eo ipso ostendit se illis renunciare. Multòque magis si voueat ingredi Religionem, aut suscipere sacrum Ordinem. Verumtamen nisi iste renunciet; puto vouentem non manere liberum à sponsalibus, donec reipsa ingrediatur Religionem, aut suscipiat sacrum Ordinem: sed teneri contrahere matrimonium, si pars altera id exigat. Quia solum illud votum non eam priuat iure stricto, quod acquisiuit per sponsalia.

98. 10. Per causam rationabilem subsequentem,

Decimò, omnis causa rationabilis subsequens sponsalia, quæ, si præcessisset, impediuisset communiter, & meritò, personas talis conditionis, etiam prudentes & boni sensus, ne contraherent, dissoluit contracta. Imò quamuis præcesserit, si tamen fuit ignorata tempore sponsalium, dissoluit sponsalia: vt docent S. Thom. Nauarr. Siluest. & alii, quos citant, & sequuntur Aegid. disp. 23. dub. 8. & Pont. lib. 12. cap. 17. nu. 2. & seqq. Ex. gr. si notabilis deformitas, aut paralysis, aut morbus contagiosus alteri superueniat cap. *Literas*, de coniugio leprosorum, & cap. *Quemadmodum*, De iureiurãdo. Si altera pars fornicetur post sponsalia, vel etiam si antea fornicata erat, sed hoc in contractu ignoratum fuit, cap. *Quemadmodum*, sup. cit. Idemque dico de fornicatione spirituali, quæ est hæresis, vel apostasia, iuxta caput *Non solum*, 28. qu. 1. Item si exoriatur inter sponsos capitalis inimicitia, vt colligitur ex cap. *Requisiuit*, de Sponsalibus. Si notabilis morum asperitas, vel sæuitia alterius postmodum cognita fuerit, vt colligitur ex cap. *Dilectus*, eod. tit. Si notabilis paupertas accidat alteri, vel vtrique, siue dotẽ promiserit, siue non. Quia iam vel est veluti defectus conditionis, si non potest soluere quod promisit: vel saltem notabilis rerum mutatio, deficiente eo, sine quo non possunt conuenienter onera matrimonii sustinere. Eademque de causa non tenentur contrahere, si timent rationabiliter periculum exhæredationis propter offensam parentum. Suntque hæc omnia vera etiam in casu, quo sponsalia fuerint

iuramento firmata, vt docent auctores supra citati: quia iuramentum promissorium non obligat nisi iuxta naturam promissionis. In dubiis autem de causa sufficienti, recurrendum est ad iudicem, & illius arbitrio standum.

99. Quid si copula secutâ fit?

Tria verò circa sponsalium dissolutionem notanda sunt. 1. Quando sequitur copula, non tam facilè dissolui posse: imò vbi Tridentini constitutio de clandestinis non est recepta, transeunt tunc in matrimonium, vt suprà diximus. Item, si pars decepta, postquam cognouit se iustam habere causam resiliendi à sponsalibus, habuit copulam cum altera parte, priusquam sponsalia essent omnino dissoluta, censetur deceptionem, siue causam dissoluendi sponsalia condonare, & consensum priùs habitum confirmare: neque postea ob eam causam potest resilire, vt rectè affirmant Sanch. lib. 1. disp. 66. n. 2. & Aegid. disp. 23. dub. 10.

100. Requiritur ne iudicis auctoritas?

Nota secundò, quandò iusta dissoluendi causa superuenit, non desiderari auctoritatem iudicis ad sponsalia dissoluenda, nisi in duobus casibus. Primus est, quando causa dissolutionis est dubia: vel de iure, quia non est certum esse sufficientem: vel de facto, quia non constat eam adesse. Secundus est, quādo, licet causa sit certa tā de iure, quàm de facto; scandalum tamen oriretur, si soluerentur sine auctoritate iudicis: vt quando causa est occulta, & sponsalia publica. Sin autē sponsalia sunt occulta, vel licet ipsa publica sint, causa tamen tam de iure, quàm de facto certa, & nota est: de iure, quia est in iure expressa: de facto, quia certum & notorium est talem causam adesse: dissolui possunt auctoritate propria. Iudex autem, cuius auctoritas in prædictis casibus requiritur, est iudex ecclesiasticus, ad quem pertinent causæ matrimoniales, iuxta Tridentinum sess. 24. can. vltim. Videatur Sanches lib. 1. disput. 69.

101. Quid si quis dubitat, aut si fictè promisit?

Nota tertiò, eum qui dubitat facta sufficienti diligentia, num verè promiserit, aut sponsalia contraxerit, non teneri stare sponsalibus; quia melior est conditio possidentis suam libertatem. Quando verò aliquis fictè solum promisit, aut fictè iurauit, id est, sine animo se obligandi, peccat quidem contra veracitatem, & fidelitatem requisitam in contractibus & rebus seriis, si verum non facit id quod dicit. Sed non tenetur ex iustitia ad matrimonium contrahendum: excepto casu, quo promiserit sub conditione onerosa ab altera parte impleta: vt si promisit matrimonium ad obtinendam copulam. Tenetur enim implere contractum, prout exteriùs sonat iudicio prudentum, postquam altera pars contulit ex se quod ab illa exigitur. Alioquin enim detrimentum pateretur: & contractus humani paterent fraudibus innumeris. Excipe tamen casum, in quo facilè potuit intelligi promissionem esse fictam: vel in quo post talem promissionem aliqua causa superuenit ex decem suprà numeratis sufficientibus ad sponsalia dissoluenda. Nam qui verè, aut fictè promisit, licet copulam habuerit, non tenetur ducere, si parentes grauiter resistant, indeque valde magna timeantur incōmoda: vel si adsit alia iusta causa resiliendi. Cum; iustè resilit, ad nihil tenetur: sat enim est, quòd per ipsum non stet, quin promissio impleatur. Qui autem iniustè resiliret, & cum alia contraheret, teneretur compensare damnum, si quod puella incurrit, aut eius parentes: putà, dando illi vnde possit æquè commodè nubere, ac si non esset corrupta.

SECTIO IX.

De quibusdam aliis prærequisitis ad Matrimonium licitè, aut validè contrahendum.

102. Quæ requirantur ad contractum?

SIcut matrimonium spectari potest dupliciter: nimirum vel prout est contractus ciuilis; vel prout Sacramentum: ita quædam ad illud prærequiruntur, vt est contractus ciuilis: & quædam, prout habet rationem sacramenti. Ac priori quidem modo requiritur ad eius valorem, vt personæ sint ad contrahendum habiles, id est, careant omni impedimento irritante contractum. De quibus impedimentis dicemus inferiùs disputatione septuagesima tertia, & sequentibus. Vt verò licitè celebretur, requiritur præterea, vt seruentur ea omnia, quæ naturalis æquitas exigit in negotio tanti momenti, siue ex parte parentum, siue aliunde: vel quæ legitimè statuta sunt ab illis qui habent auctoritatem ferendi leges connubiales.

103. Prærequiritur baptismus ad sacram.

Ad valorem autem matrimonii prout sacramentum est, requiritur vltra carentiam impedimentorum contractum irritantium, iure naturali, vel ecclesiastico, vt vterque contrahentium sit baptizatus: quia vterque est subiectum indiuisibiliter vnius, eiusdemque sacramenti matrimonii, consistentis essentialiter in contractu, id est, mutuo vtriusque consensu sufficienter expresso: & sine Baptismo nullus est capax vllius alterius Sacramenti. Item vt licitè contrahant sacramentaliter, debent coniuges carere impedimentis prohibētibus, de quibus dicemus disp. cit. sect. 3. & 4. Debent etiam esse in statu gratiæ: quia matrimonium est Sacramentum viuorum, id est, ad augendam gratiam, non ad primò cōferendam institutum. Et alioqui peccant dupliciter coniuges: quatenus videlicet sunt subiectum Sacramenti; & quatenus sunt illius ministri. Tenētur enim sanctè illud ministrare. Eademque de causa Trid. sess. 24. cap. 1. Decreti de Reform. Matrimonii, hortatur coniuges, vt antequam contrahant, vel saltem triduò ante matrimonii consummationem, sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramētum piè accedant. Eandem ob causam quibusdam

Et status gratiæ,

in locis statutum est, vt Parochi non admittant ad matrimonii solemnitatē eos, qui paulò ante non accesserint ad sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ. Citra quod præceptū sufficeret contritio charitate perfecta iis, qui sibi conscii sunt peccati mortalis nōdum per sacramentum expiati.

104. Et proclamationes.

Vlteriùs, idem Concilium cap. cit. præcipit vt imposterum antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho, tribus diebus continuis festiuis, in Ecclesia, inter Missarum solemnia publicè denuncietur inter quos matrimoniū sit contrahendum: quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentū, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur: vbi parochus, viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat, *Ego vos in matrimonium cōiungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Vel aliis vtatur verbis, iuxta receptū vniuscuiusque prouinciæ ritum. Quòd si aliquādo probabilis fuerit suspicio matrimonium malitiosè impediri posse, si tot præcesserint denunciationes: tunc vel vna tantùm denunciatio fiat, vel saltē parocho, & duobus, vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur: deinde ante illius consummationem denunciationes in Ecclesia fiant, vt si aliqua subsunt impedimenta, faciliùs detegantur: nisi Ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt prædictæ denunciationes remittantur, quod illius prudentiæ, & iudicio sancta Synodus relinquit. Et paulò post, eadem sancta Synodus hortatur, vt coniuges, ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent: statuitque benedictionem à proprio Parocho fieri: neque à quoquam, nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario, licentiam ad prædictam benedictionem faciendam, alii sacerdoti concedi posse: quacunque consuetudine, etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda est, vel priuilegio non obstante. Quod si quis parochus, vel alius sacerdos siue Regularis, siue sæcularis sit, etiamsi id sibi ex priuilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponsos sine illorum Parochi licentia matrimonio coniungere, aut benedicere, ausus fuerit: ipso iure tandiu suspensus maneat, quandiu ab Ordinario eius Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absoluatur. Huc vsque Tridentinum.

105. Quanta earum obligatio?

Circa quæ nota primò, præceptum eiusmodi denunciationes præmittendi fuisse priùs latum à Concilio generali Lateran. sub Innocentio III. cap. 51. vt refertur cap. vlt. de clandestina desponsat. Sed quia pluribus in locis abierat in desuetudinem, visum fuit Tridentino necessarium illud renouare. Et quamuis matrimonium sine illis validè celebretur quia Concilia supra cit. nō apponunt huic præcepto clausulam irritantem: simplex autem prohibitio sine clausula irritante non annullat matrimonium: peccant tamen grauiter qui sine dispensatione, vel legitima causa excusante contrahunt non præmissis proclamationibus: quæ, vt ait Trident. tribus diebus festis continuis, id est, non longo tempore interruptis, fieri debent in parœcia sponsi, & sponsæ. Neque sufficit fieri in vna, si sponsus, & sponsa sunt diuersarum parœciarum, quia impedimentum, quod latet in vna, potest esse notum in alia. Ratio autem cur graviter peccent, est quia res grauis est propter grauia incōmoda, quæ possunt inde sequi, grauiterque prohibetur à Tridētino verbis sup. relatis, post Lateran. c. cit. Peccant etiam grauiter, qui matrimonio validè contracto sine proclamationibus, consummant illud ante illas præmissas sine dispensatione non præmittēdi. Quia faciunt in re graui contra præceptum Tridentini iubentis absolutè eas præmitti ante consummationem: idque ne fortè contingat subesse impedimentum, atque ita copulam esse fornicariam. Confirmatur, quia culpabilis omissio denunciationum facit vt matrimonium habeatur pro clandestino, quoad pœnas à iure statutas, quæ valde graues sunt, vt patet ex verbis Concilii Lateran. cap. cit. §. *si quis verò*, & aliis, quæ addit Sanch. lib. 3. disp. 1. n. 7. Ergo signum est hoc præceptum obligare sub mortali. Quod tamen puto intelligendū, si planè omittantur omnes denunciationes. Si enim aliqua tātum prætermittatur ante matrimonium, vel post, antequam consummetur, certumque sit moraliter nullum subesse impedimentum: probabile censeo quod ait Sanch. lib. cit. disp. 5. n. 7. post alios ibid. relatos, nō esse id mortale, quia leuis est materia, & tantùm partialis omissio præcepti. Sed nō assentior Dominico Soto, & Petro Ledesmę relatis ab eodem n. 5. disp. cit. affirmantibus non esse lethale omnes omittere, etiam post celebrationem matrimonii, dummodo Parochus sufficientem diligentiam adhibuerit ad inquirendum sitne impedimentum: & non sit lata excommunicatio Synodalis contra omittentes.

106. A quo, & vbi fiant?

Nota secundò, quod ait Tridentinum, has denunciationes debere fieri à proprio contrahentium Parocho, non esse ita intelligendum, vt non possint fieri ab alio de ipsius licentia. Nam si potest dare licentiam alteri sacerdoti assistendi matrimonio, vt ibidem Trident. permittit: multò magis denunciandi præmonitiones. Cui enim licet quod est plus, licet vtique quod est minus, vt dicitur reg. 53. de Regulis Iuris in 6. Debent autem fieri in illis propriis contrahentium parœciis, in quibus diutius versati, meliùsque noti sunt, & vbi meliùs sciuntur impedimenta, si quæ latent. Quodque ait, Concilium, debere fieri tribus continuis diebus festiuis, non est accipiendum de immediatè cōsequentibus; sed potiùs aliquo temporis interuallo, non longo disiunctis: quia alioqui non possent commodè tam breui tempore detegi, & deferri impedimenta;

qui tamen est finis illius præcepti. Et eadē de causa, si post vnam denunciationem celebretur matrimonium, obtenta dispensatione à duabus aliis, non debet statim fieri: sed aliquandiu expectandum est, quantum prudenti iudicio videbitur esse necessarium detegēdis impedimentis. Circunstantia verò diei festi, & *inter Missarum solemnia*, præscribitur ob maiorem populi cōcursum, qui tunc fieri solet. Possent tamen denunciari extra Ecclesiā in concione, vbi magna esset populi frequentia: vt bene aduertit Sanch. supra n. 9. quia finis Tridētini non est alius, nisi vt res ad multorū notitiam perueniat, quò facilius impedimenta detegantur. Hoc autem perinde fit quando par populi concursus accedit ad prędicationem extra Ecclesiam, & extra tempus celebrationis Missæ.

107. Dispensatio ab illis quibus permissa?

Nota tertiò, dispensationem proclamationum permitti Ordinarii iudicio, & prudētię. Nomine autem Ordinarii intellige Episcopum, & omnes, qui habent iurisdictionem Episcopalem, & Vicarium generalē Episcopi, qui vnum habet tribunal cum illo. Potest etiā Episcopus, & eius Vicarius generalis delegare aliis potestatem dispensandi: sed non potest sine iusta causa dispēsare licitè per se, vel per alium: quia Concilium requirit vt dispenset, *si expedire iudicauerit*. Non tamen requiritur cognitio iudicialis illius causæ, sed sufficit vt aliter extra formam iudicii sit satis nota dispensanti: quia Tridentinum non requirit processum iudicialem: sed rem prudētiæ & iudicio Ordinarii relinquit, id est, ipsius arbitrio, & conscientiæ. Quando autem relinquitur res prudentiæ, & conscientię alicuius, non requiritur cognitio iudicialis. Et quamuis coniuges sint diuersarū diœcesium, sufficit dispensatio vnius Prælati: quia ambo coniuges cēsentur esse vna persona hac in re: & ratione connexionis causæ vterq; censetur esse subiectus alterius Prælato: sicut quando sunt diuersarum parœciarum, subsunt vni parocho alterutrius, eiusque præsentia, & benedictio sufficit. Porrò qui possunt dispensare in denunciationibus, possunt similiter ex iusta causa earum tēpus contrahere, vel permittere vt fiant diebus non festiuis: quia hoc minus est, quàm purè, & omnino dispensare.

108. Causæ dispensandi.

Nota quartò, non solùm posse, verum etiam debere, & teneri Episcopum dispensare iis in casibus, quibus non possunt prędmitti proclamationes sine graui periculo detrimēti spiritalis, aut tēporalis incommodi notabilis cōiugum. Quia Prælatus tenetur ex officio, vel saltē ex charitate, vitare eiusmodi pericula, & incommoda subditorum, quando cōmodè potest. Secus autem, si tantùm agatur de alicuo commodo, præsertim temporali, consequendo: quia Prælatus non tenetur prospicere omnibus commodis, præsertim temporalibus subditorum suorum, sed tantùm notabili commodo spirituali. Inter causas autē sufficientes ad dispensationem aliquæ sunt istius generis, in quibus liberū est Prælato negare, si voluerit. Porrò quænam generaliter sint iustæ causę dispensandi, videri potest apud Aegid. Con. disp. 27. dub. 6. & Sanch. lib. 3. disp. 9. vbi duodecim enumerat. Prima est si denunciationes valde magnum pudorem sint allaturę cōtrahentibus, quia sunt ambo valdè senes, vnde etiam solent irrideri contrahēdo, non sine irreuerentia Sacramenti: vel si ambo sunt valdè dispares: putà si senex admodū contrahat cum iuuencula, aut valde nobilis, cum ignobili, & plebeia: valde diues cum paupercula. Secunda, quando aliqui cōcubinarii habentur pro legitimè iamdiu coniugatis. Si enim priores excusat verecundia, multò magis istos infamia. Tertia, quando magnates volunt contrahere matrimoniū: quippe qui cum sint valde noti, si aliquod haberēt impedimentū, statim sciretur. Quarta, si præmissis denunciationibus non possint benedici nuptiæ propter vicinitatem temporis, quo prohibita est earū benedictio: expedit enim vt benedictio præmittatur consūmationi matrimonii, multique putant id præcipi à Trid. verbis supra relatis ex cap. 1. Decreti De reform. Matrim. Esseturque simul periculum vel dissolutionis matrimonii, vel fornicationis, si nondum est perfectum: vel consummationis ante benedictionem, si iam perfectum est. Quinta, quando priùs contractū fuit publicè matrimonium, posteaque deprehenditur esse irritum propter impedimentum occultum. Tunc enim, vt vitetur scandalum, omitti possunt denūciationes quando reualidatur. Sexta, quando timetur rationabiliter ne consanguinei iniustè, & malitiosè impediant matrimonium per dolum, aut calumniam; vel vt interea consumant patrimoniū, & bona contrahere volentium. Septima, quando parētes, aut tutores volunt vt indignis nubant, suntq; iniustè impedituri aliud matrimonium commodum, & honestum. Octaua, quando cōiugium, quod se offert, est valde expediens, imminetque periculū ne impediatur. Nona, si casus repentinus obliget ad mox contrahendum: putà, vt aliqui dicere verè possint se esse coniugatos, qui alioqui comprehensi à iudice plecterentur velut cōcubinarii. Decima, si salutis animæ periculum id postulet. Vt si duo concubinarii velint contrahere matrimonium, periculumque sit ne, dum monitiones præmittuntur, inter se cōmisceantur, aut voluntatem mutent. Vndecima, si mox contrahendum sit ad factionem aliquam extinguendam, & graue, atque pernicioſum dissidium & scandalum inde ortum. Duodecima, quando aliquis in articulo mortis cōstitutus vult concubinā ducere, vt filii ex ea suscepti legitimētur, vel etiam vt in bono statu, & secura conscientia decedat: putà, quia iurauit antea se illam ducturum, & sub ea spe copulam, & conuictum obtinuit; vel etiam vt consulat illius honori.

109. Possintne contrahi licitè sine dispensatione.

Nota quintò posse aliquando in casu grauis, & apertæ necessitatis licitè contrahi sine dispensatione à proclamationibus, quando Episcopus adiri nequit, vel malitiosè dispensare non vult, & res non patitur moram

quia mors inſtat, vel quia matrimonium malitiosè impedietur, vel orietur ſcandalũ, ſi diutius differatur. Exemplum eſt, ſi quis in articulo mortis vult ducere concubinam ad legitimandam prolem, vel ſi aliqui viuant in concubinatu, qui putantur coniuges: vel ſi parentes, aut tutores per potentiã volunt aliquorum nuptias impedire, vt eorum bona abſumant, vel indignis iungant, & non poteſt illis inſciis, aut inuitis obtineri diſpenſatio: ita vt filii, aut pupilli non poſſint niſi ſecretò nubere illis quibus omnino expedit eos nubere. In his, inquam, & ſimilibus caſibus poteſt licitè contrahi ſine diſpenſatione, & ſine proclamationibus: quæ cum tantùm neceſſariæ ſint ex præcepto Eccleſiæ, non obligant cum tam grauibus incommodis. Qua etiam de cauſa excuſaretur parochus à peccato qui metu mortis cogeretur aſſiſtere matrimonio non præmiſſis denunciationibus, neque obtenta diſpenſatione, nullaue cauſa legitima excuſante ab ea petenda vel expectanda: vt bene docet Aegid. diſp. 27. dub. 5.

110. Debeãtne tunc præmitti ſaltẽ conſummationi matrimonii.

Nota ſextò, eos qui conſummant matrimonium ante denunciationes, quarum non fuit obtenta diſpenſatio vt omitterẽtur penitùs, ſed tantùm vt matrimonio non præmitterentur, peccare grauiter non ſolùm prima vice, ſed etiam quoties copulam exercent. Quia toties locum habet ratio propter quam id grauiter prohibetur à Tridentino: nimirum toties exponunt ſe periculo fornicationis ſi forſan aliquod impedimentum latet, non adhibitâ ſufficienti diligentia præſcriptâ ab Eccleſia ad illud detegendum. Vt rectè contra nonnullos docet Sanchez lib. 3, diſp. 11. num. 5. Quod tamen limitandũ puto, niſi euidens eſſet, aut certũ, nullum ſubeſſe periculũ. Secus autem dicendũ eſt ſi conſument poſt denũciationes, ante Eccleſiæ benedictionem. Quia Trident. non præcipit, ſed tantùm *hortatur vt coniuges ante benedictionem ſacerdotalem in templo ſuſcipiendam, in eadem domo non cohabitent.* Si autem eſſet peccatum facere contrarium, præſertim mortale: non hortaretur ſolùm, ſed præciperet ne aliter fieret. Et cap. *Noſtrates*, 30. q. 5. Nicolaus Papa, enumeratis quibuſdam ſeruandis in nuptiis inter quæ eſt benedictio, addit, *Peccatum autem eſſe non dicimus, ſi hæc omnia in nuptiali fœdere non interueniant.* Intellige autem per ſe loquendo, ſecluſo contemptu, & ſcandalo, ſi quod timendum ſit.

111. Qui norũt impedimẽtum, tenẽtur reuelare.

Nota ſeptimò, vi denunciationum teneri grauiter quemlibet, qui nouit aliquod impedimentum deferre illud, quamuis occultum, & quamuis illud probare non poſſit. Quia tenetur grauiter parere quilibet graui præcepto ſuperioris legitimi. Præcipit autẽ grauiter Eccleſia per Prælatos, & Parochos, vt quiſq; denũciet, ſi aliquod nouit impedimentũ, ad vitandam iniuriã vel irritationem ſacramenti. Neque tenentur illud probare iuridicè, ſed tantum denunciare. Si tamen impedimentum obſtitur ex peccato occulto, debet priùs, qui illud nouit, monere ſecretò volentem contrahere, vt deſiſtat; & ſeruare ordinem fraternæ correctionis, vt illius honori conſulat: niſi periculum ſit ne interea contrahat. Excipiendus etiam eſt caſus, quo impedimenti conſcius accepit illud ſub ſecreto, præſertim confeſſionis ſacramentalis. Aut ſi tantùm accepit à perſona non fide digna, vel non certò ſciente, & periculum eſt ne ſine cauſa ſufficienti infametur proximus, quia impedimentum, de quo eſt aliqua ſuſpicio, probroſum & ſcandaloſum eſt. Vel ſi nouit contrahentes iam impetraſſe occultè diſpenſationem: quia iam habet Eccleſia id quod intendit per denunciationes, vitare ſcilicet irreuerentiam, & nullitatem ſacramenti.

112. Teneãtur iph contrahentes detegere.

Ipſi quoque contrahentes interrogati ab Ordinario de impedimento, tenentur grauiter reſpondere, & detegere; niſi malint deſiſtere à contrahendo: quamuis impedimentum ſit occultum, & pudendum. Sicut ordinandus interrogatus à Prælato, tenetur detegere vitium occultum quo redditur incapax ordinis, vt patet ex cap. *Expœnitentibus*, diſt. 50. his verbis: *Deponatur à Clero, quia ſe ordinationis tempore non prodidit*: & fuſiùs docet Sanches lib. 3. diſp. 14. Delato autem impedimento debet Parochus deſiſtere, & negotium remittere ad Ordinarium, qui iudicium de illo ferat, iuxta cap. 3. de clandeſt. deſponſat. & cap. 1. de Conſanguinit. Quòd ſi ipſe nouit per ſe impedimentum, tenetur quoque illud deferre Ordinario, niſi ſciat obtentam fuiſſe diſpenſationem: tunc enim poteſt illud diſſimulare, ſicut & ipſe Ordinarius: excepto caſu quo publicè opponeretur impedimentum, iuridicè denunciatum; & diſpenſatio occulta eſſet, ac pro foro externo non valeret, vt dicitur in literis conceſſionis. Quomodo autem Parochus debeat ſe gerere erga petentes ab ipſo vt aſſiſtat matrimonio, & habentes impedimentum occultum ipſi detectum in confeſſione ſacramentali, diximus alibi agendo de miniſtro Euchariſtiæ, diſp. 37. ſect. 1. & 2.

DISPVTATIO SEPTVAGESIMA PRIMA,

De consensu & verbis, vel aliis signis ad essentiam Matrimonii necessariis.

Sectio I. *Sitne consensus coniugum essentialiter requisitus ad matrimonium, ita vt sine illo fieri absolutè nequeat?*

Sectio II. *Vtrum consensus ad matrimonium necessariò debeat verbis, aut aliis signis æquivalentibus exprimi?*

Sectio III. *Qualia debeant esse verba, vel alia signa quibus consensus internus exprimitur?*

Sectio IV. *Qualis debeat esse consensus: & primò, an necessariò debeat esse verus, quidue facere teneantur, qui fictè contraxerunt?*

Sectio V. *Vtrum consensus per verba de præsenti expressus occultè, seu contractus clandestinus sufficiat ad matrimonium?*

Sectio VI. *Vtrum consensus debeat esse liber non solùm à necessitate, sed etiam à metu, & coactione?*

Sectio VII. *Debeatne necessariò consensus esse absolutus, & liber ab omni conditione?*

Sectio VIII. *Vtrum consensus debeat necessariò dari in præsentia contrahentium: vel etiam dari possit per literas, aut per procuratores?*

Sectio IX. *Requiraturne consensus aliorum, quàm ipsorum contrahentium?*

Sectio X. *Quodnam debeat esse obiectum consensus?*

HVCVSQVE diximus specialiter de prærequisitis ad matrimoniũ: iam de illis, in quibus essentialiter consistit, disputandum est cum D. Thoma quæst. 45. Supplem. & tribus sequentibus. In quarum prima docet matrimonium perfici mutuo consensu coniugum per verba expresso. Neque obesse quod fiat in occulto, dummodo, fiat inter personas legitimas, & sit verus consensus interior per verba de præsenti expressus. In secunda dicit non sufficere ad matrimonium verba de futuro, licet iuramento firmata: quia cùm verba de futuro non faciant aliud, quàm sponsalia: iuramentum confirmat solùm id, quod per illa significatur: adhibetur enim ad confirmandum id quod dicitur: sufficere tamen in foro Ecclesiæ copulam carnalem post sponsalia, quippe quæ præsentem consensum satis significat, nisi aliqua signa expressa doli, vel fraudis appareant. Sed in

Digitized by Google

foro conscientiæ non esse matrimonium, si consensus internus desit. In tertia affirmat consensum coactũ, & extortum metu graui & cadente in constantem virum, irritare matrimonium: quia repugnat eius perpetuitati, cùm peti possit restitutio in integrum: secus autem leuem coactionem & metum. Sufficereque metum grauem, & violentiam inferri alteri coniugum: quia cum matrimonium sit essentialiter duorum, quidquid impedit consensum in vno, impedit & in altero. De consensu verò conditionato ait distinguendum esse. Quia conditio apposita vel est de præsenti, vel de futuro. Si de præsenti, & non est contraria matrimonio, siue sit honesta, siue inhonesta, stat matrimoniũ stante conditione: & ea non stante, non stat. Sed si contraria sit bonis matrimonii, non efficitur matrimoniũ. Si autem sit conditio de futuro, aut illa est necessaria, sicut solem oriri cras: & tunc est matrimonium: quia talia futura sunt præsentia in causis suis. Aut est contingens, vt datio pecuniæ, vel acceptatio parentum: & tunc idem est iudicium de tali consensu, sicut de consensu per verba de futuro, vnde non facit matrimonium. Addit, cùm matrimonium sit quasi quædam seruitus perpetua, patrem non posse cogere filium ad matrimonium per præceptum, cùm sit liberæ conditionis: sed posse eum inducere ex rationabili causa: & tunc sicut se habet filius ad causam illam; ita se habet ad præceptum patris: vt scilicet, si causa illa cogat de necessitate, vel de honestate: & præceptum patris similiter cogat, aliàs non. In quarta denique asserit consensum, quo perficitur matrimonium, non habere pro obiecto immediato, & explicito copulam carnalem, sed ipsum matrimonium: quod non est essentialiter ipsa coniunctio carnalis, sed quædam associatio viri, & vxoris in ordine ad carnalem copulam, & ad alia, quæ ex consequenti ad virum, & vxorẽ pertinent, secundum quod eis datur potestas in inuicem respectu carnalis copulæ: & hæc associatio coniugalis copula dicitur. Vnde patet rectè eos loqui, qui dixerunt: quòd consentire in matrimonium, est consentire in carnalem copulam implicitè, non explicitè: hoc est, non nisi sicut implicitè continetur effectus in sua causa: quia potestas carnalis copulæ, in quam consentitur, est causa carnalis copulæ: sicut potestas vtendi re sua est causa vsus. Quamuis autem vltra finem, ad quem per se tendit matrimonium, qui finis est bonus, & honestus, nimirum procreatio prolis, & vitatio fornicationis, possint alii plures apponi, partim laudabiles, partim etiam turpes, & inhonesti; ad quos per accidens referatur ex intentione speciali contrahentium: matrimonium tamen ab illis bonitatem, vel malitiam non accipit: quia priora non variantur ex posterioribus: sed ipsi contrahentes, qui eos per se intendunt laudabiliter, aut vitiosè. Hucusque D. Thom. cuius doctrina sequentibus sectionibus fusiùs exponetur.

Digitized by Google

SECTIO I.

Sitne consensus coniugum essentialiter requisitus ad matrimonium, ita vt sine illo fieri absolutè nequeat?

1. Contractus non potest effici sine mutuo cõsensu cõiugum.

REColendum est quod diximus disp. 69. sect. 3. matrimonium sumi dupliciter: nimirum vel propriè pro contractu ciuili, aut sacramentali, quo coniuges mutuò sibi tradunt dominium proprii corporis in ordine ad copulam. Vel. 2. pro vinculo, & statu orto ex tali cõtractu. Qua distinctione præsuppositâ, certum, & euidens est, matrimonium priori modo acceptum non posse vllo modo fieri sine consensu partium: quippe quod consistit essentialiter in ipso contractu, seu consensu mutuo coniugum exteriùs manifestato per verba de præsenti, aut per aliud signum æquiualens. Non enim potest absolutè, & per vllam potentiam quicquam fieri, aut existere sine eo, quod ipsi essentiale est. Si autem sumatur posteriori modo, pro vinculo, & statu per talem contractum ciuilem, aut sacramentalem inducto, certum etiam est reipsa sine consensu coniugum non fieri: & à Florentino in Decreto Eugenii §. *Septimum est*, dicitur causam efficientem matrimonii (sumti pro vinculo) esse mutuum consensum coniugum regulariter per verba de præsenti expressum. Et Innocentius III. cap. *Tua nos* de Sponsal. in fine, affirmat matrimonium cum errore circa substantiam personæ contractum, fuisse inualidum, quia *Defuit omnino consensus, sine quo cætera nequeunt fœdus perficere coniugale.* Et Alexander III. in cap. *Tuas dudum*, de sponsa duorum. *Postquam inter personas*, inquit, *legitimas, consensus, legitimus interuenerit de præsenti, sufficit iuxta canonicas sanctiones: & si solus defuerit, cætera, etiam cum ipso coitu celebrata, frustrantur*, id est, irrita sunt. Idem quoque docet Bonifacius VIII. cap. vlt. De procuratoribus in 6. & pro indubitato habent omnes Scholastici in 4. dist. 37. cap. 2. Difficultas solùm est, & controuersia, vtrum aliter nequeat per quamcunque potentiam, nisi per ipsum consensum coniugum, tale vinculum induci?

2. Affirmant aliqui idẽ esse prorsus impossibile: quos è recentioribus referunt, & sequuntur Sanch. lib. 2. disp. 26. num. 5. & Pont. lib. 2. cap. 3. num. 4. & sequentibus. Præcipua illorum argumenta hæc sunt. Primò, quia matrimonium sumptum pro vinculo (prout de illo nunc disputamus) est essentialiter vinculum mutui amoris: definitur enim, Animorum, corporumque coniunctio. Vinculum autem mutui amoris sine consensu esse non potest. Ergo nec vinculum matrimonii. Confirmatur quia copulatio animorum inter coniuges pendet ab illorum voluntate consentiente, non solùm in genere causæ efficientis, sed quodammodo etiam in genere causæ formalis: sicut visio pendet à potentia visiua; & coniunctio affectiua amantis, & amati, pendet ab amore voluntatis. Hæc autem fieri nequeunt absque propriis causis: Ergo &c. Secundò, matrimonium est traditio ad statũ coniugalem: & vinculum ex illa traditione ortum, est obligatio perseuerandi in eo statu: sicut votum sõlemne est traditio ad statum Religionis, & vinculum inde consequens est obligatio perseuerandi in Religione. Sed hoc secundum nulla ratione fieri potest absque vouentis consensu: ergo nec primum absque consensu contrahentis matrimonium. Tertiò, non potest vllo modo, & per vllam potentiam constitui relatio absque illius fundamento: Vt paternitas v. g. absque generandi actu. Sed matrimonii vinculum est relatio inter coniuges mutui dominii cuiusque illorum in corpus alterius: consensus autem est fundamentum huius relationis. Ergo implicat vinculum matrimonii esse absque proprio eorum consensu. Confirmatur, quia vt coniuges habeant mutuum dominium in corpora, possintque habere copulam sine fornicatione; debent necessariò se inuicem tradere, & acceptare. Quia debent scire, & velle corpus alterius non esse alienum, sed suum, vt vir possit accedere ad mulierem tanquam suam, & mulier ad virum tanquam suum. Quare licet supponeremus Deum ipsum tradere corpus fœminæ viro, & corpus viri fœminæ per absolutum, & supremum dominium quod habet in vtrumque: tamen id deberet necessariò fieri scientibus, & volentibus illis vnum transferre in potestatem alterius: alioqui nunquam licitè copulari possent, cùm præcepta naturalia sint indispensabilia. Ergo vinculum matrimonii, seu dominium mutuum corporum in ordine ad copulam, non potest induci sine vtriusque consensu, & sine mutua traditione, & acceptatione, in illa voluntate, & consensu inclusa.

3. Potest fieri à Deo.

Contrariam tamen sententiam tenendam censeo cum D. Thoma 1. 2. q. 100. art. 5. ad 2. & art. 8. ad 3. & 2. 2. q. 154. art. 2. ad 2. Victoria in Relect. de matrim. 4. part. num. 4. Soto in 4. dist. 27. q. 1. art. 2. concluſ. 1. Petro Ledesma quæst. 45. de matrim. art. 1. dub. 1. concluſ. 4. Henrique lib. 11. cap. 1. num. 3. Salas disp. 5. de Legibus sect. 8. num. 42. Con. disp. 24. dub. 5. num. 49. Mærat. disp. 7. de matrim. sect. 1. Ratio est, quia, cùm vinculum matrimonii nihil sit aliud, quàm mutuum dominium corporis vtriusque coniugum in ordine ad copulam: Deus, qui supremum, & absolutum habet dominium in res omnes, potest illud tradere: Neque minùs potest illud vinculum efficere sua sola potestate, quàm ipsi coniuges suo consensu:

Digitized by

cum parem & maiorem habeat potestatem in eorum corpora, ad disponendum de illis, vt voluerit, quàm habeant ipsi coniuges. Ac sicuti potest res alias transferre ab vno ad alium, sine dominorum consensu, vt bona Aegyptiorum ad Israëlitas: ita & corpora ipsa, de quibus potest æqualiter disponere, atque de rebus aliis. Confirmatur, quia Deus potest supplere concursum cuiuscunque alterius causæ efficientis, saltem vbi nulla est specialis repugnantia, & implicantia contradictionis. Atqui consensus mutuus coniugum est tantum causa efficiens vinculi matrimonii. Ergo potest à Deo suppleri, cum nulla in eo sit specialis repugnantia, vt patebit ex solutione argumentorum contrariæ sententiæ.

4. Satisfit argum. contrariæ sententiæ.

Ad primum enim Respondeo, matrimonium, sumptum pro vinculo, non consistere essentialiter in amore mutuo, per animorum, & corporum coniunctionem: sed in dominio vtriusque coniugis in corpus alterius in ordine ad copulam, mutuaque vtriusque ad alterum obligatione, & subiectione: de cuius essentia non est consensus, sed hic tantùm est causa illius efficiens, vt ait Florent. in Decreto Eugenii: quodq; non minùs potest à Deo fieri pro supremo ipsius in res omnes dominio: vt fatetur ipsemet Sanches (qui hæc nobis obiicit) disp. 26. num. 2. dicens *Deum posse dare vni potestatem in corpus fœminæ, & è contra, absque aliorum consensu: quia Deus habet maius dominium in coniugum corpus, quàm ipsimet. Cùm ergo possint ipsi, eò quòd sunt domini proprii corporis, dominium illud transferre: à fortiori poterit Deus.* Ad confirmationem dico, Licet actualis coniunctio animorum per amorem, & affectum mutuum, pendeat ab ipsorum voluntate, etiam quodammodo in genere causæ formalis: neque possit quoad omnia suppleri à Deo, saltem quoad vitalem attentionem, & intentionem ipsiusmet principii viuentis per seipsum attendentis & tendentis in obiectum, vt fusiùs alibi diximus: secus tamen vinculum matrimonii, quod non est talis coniunctio animorum, sed quid morale, ortum ex traditione corporum facta vel ab ipsis coniugibus, vel à Deo habente parem, & maiorem potestatem.

5. Ad secundum Respondeo negando minorem. Quamuis enim votum solemne, consistens essentialiter in promissione, & traditione ipsiusmet Religiosi seipsum liberè donantis, non possit esse sine ipsius vouentis consensu: secus tamen vinculum, & obligatio, siue subiectio ad Religionem orta ex voto. Nam Deus pro supremo dominio, quod habet in religiosum, potest per se solum non minùs illum subiicere Religioni, quàm ipsemet per votum proprium

Ad tertium, nego mutuum consensum coniugum esse solum, & vnicum fundamentum istius relationis, seu dominii maritalis, loquendo de potentia absoluta. Et ad confirmationem dico posse coniuges per Dei potentiam habere dominium mutuum in corpora, absque eo quòd illud sciant. Potest enim Deus dominium rei alicuius transferre in alium, sine ipsius domini consensu, & notitia. Et quamuis non possent in eo casu coniuges accedere licitè ad copulam sine præuia notitia: non tamen opus esset actu expresso acceptandi, sed sufficeret nosse dominium fuisse priùs à Deo translatum, eiusque dispositioni non resistere. Imò quamuis positiuè dissentirent, & peccarent habendo copulam cum tali dissensu: non esset tamen copula fornicaria; quia non esset accessus ad non suum, neque corpus vnius esset reuera alienum respectu alterius. Sed peccatū in eo totum esset, quod nolient eo vti tanquam suo, virtute dominii priùs à Deo concessi.

6. An etiá ab humana potestate?

Altera difficultas est, vtrum etiam potestas humana, ciuilis, vel ecclesiastica, possit efficere vinculum matrimonii sine consensu coniugum? Ratio dubitandi est, quia si Deus potest illud efficere propter dominium quod habet in corpora coniugum, maius quàm habeant ipsimet coniuges: consequens est idem posse rempublicam, seu principem reipublicæ: quippe qui plus habet in eos potestatis, quàm ipsi in seipsos. Homo enim plus est reip. quam sui ipsius, vt ait Arist. in Politicis. Confirmatur, quia Ecclesia videtur vsa fuisse hac potestate, quando in cap. *Is qui fidem*, De sponsal. statuit sponsalia transire in matrimonium per copulam: & cap. finali de Conditionibus appositis, decreuit matrimonium sub conditione impossibili contractum, esse validum? neque vllam esse admittendam probationem dissensus? cùm tamen possit aliquando deficere consensus in eiusmodi casibus. Et quidem cùm interdum valde expediat, & necessarium sit ad bonum commune, vt aliqui inter se matrimonium contrahant, putà, si ex eorum coniugio pax publica diu expectata speretur, debet Resp. habere hanc potestatem bono ipsius regimini necessariam. Cumque possit dominium rerum aliarum transferre ab vno ad alium sine consensu Dominorum, quem supplet propter bonum commune, vt fit in præscriptionibus: quidni etiam idem possit in matrimonio, exigente necessitate boni communis? Neque enim dici potest Remp. non habere dominium in corpora, vt in res alias; cùm certum sit posse præcipere subditis, vt morti se exponant: posse quoque nolentes, & inuitos exponere certo mortis periculo, quando necessitas boni communis id postulat, vt in bello frequenter contingit. Propter hæc præcipuè argumenta in hanc sententiam inclinare videtur Franc. Victoria in Relect. de matrimonio part. 1. num 7. §. *Verum ex hoc loco.*

7. Cõcludit negatiuè.

Sed nihilominus contrarium pro certò habendum est. Quia manifestè repugnat fini matrimonii, quòd possit eius vinculum per humanam potestatem induci sine con-

Digitized by Google

sensu coniugũ. Est enim ille mutua cohabitatio pacifica, & concors, ac sedula honestaque prolis educatio: cui pacificæ cohabitationi, iucundoque conuictui, & concordiæ in prole educanda, repugnat coniuges sine proprio consentu, aliena tantum voluntate humana copulari. Humana, inquam; nam de diuina non est eadem ratio, cùm Deus possit facillimè eos, quos sua voluntate coniũxerit, ad amorem mutuum excitare, & ad pacem, atque concordiam perpetuam, multò maiorem, quàm si propria voluntate contraxissent. Confirmatur, quia, vinculum matrimonii consistit in iure, & dominio, quod habet quisque coniugum in corpus alterius, ad vtendum illo in ordine ad generationem, copulamque carnalem. Atqui nulla potestas humana ciuilis, aut ecclesiastica, potest dare hoc ius subditis, efficereque vt absque ipsorum consensu maritali possint licitè copulari. Et quidem nunquam Ecclesia talem in se potestatem agnouit, aut exercuit: cùm tamen in tam longa temporum serie, rerumque vicissitudine non defuerit occasio & necessitas exercendi, si eam habuisset. Perperam verò tribueretur principibus sæcularibus, si eam non habet Ecclesia, ad quam, vel solam, vel præcipuè spectat disponere de matrimoniis Christianorum, ad illiusque forum pertinere causas matrimoniales affirmat Tridentinum, & definit sub anathemate sess. 24. can. 12. Et cap. 9. in decreto de Reform. matrim. præcipit omnibus cuiuscunque gradus, dignitatis, & conditionis existant, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant ne quouis modo directè vel indirectè subditos suos, vel quoscunque alios cogant, quò minùs liberè matrimonia contrahant. Atque ita sentiunt vnanimi consensu Theologi, & Canonistæ, quorum plurimos refert Sanc. lib. 2. disp. 27. num. 2. & contrarium dici non posse sine temeritate affirmat Sotus in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 2. §. *ob hæc fortasse.*

8. Solvuntur rationes oppositæ.

Ad rationẽ dubitandi Respondeo Rempublicam ciuilem, aut ecclesiasticam, non habere dominium in corpora subditorum, quoad copulam carnalem, & coniunctionem maritalem: quia id repugnat fini, & naturæ matrimonii, vt ostendimus num. præcedenti. Quare falsum est Rempublicam habere quoad hoc, par, aut maius dominium, quàm ipsi coniuges: cùm natura, & finis matrimonii postulent hoc ius esse in coniugibus, sicut reuera inest, non autem in Republica. Neque aptè comparatur hîc Respublica, vel illius Princeps, cum Deo, qui habet dominium absolutum & vniuersale in res omnes, absque vlla exceptione: potestque occurrere incommodis, quæ orirentur ex matrimonio sine consensu coniugum, sola ipsius voluntate perfecto. At Resp. neque tantum ius habet: neque potest vitare illa incommoda.

2. Ad primam confirmationem dico Ecclesiam in illis casibus præsumere verum consensum fuisse reipsa datum: & in primo quidem coniuges habuisse copulam affectu maritali, sicuti poterant, & debebant: in secundo, pro nihilo habuisse conditionem de impossibili, adiectam contractui, in negotio tam serio, tamque magni momenti. Si tamen reuera nullus fuisset consensus, non esset verum matrimonium, sed præsumptum dumtaxat, vt patet ex cap. finali *De sponsâ duorum.* Non vult autem Ecclesia admittere excusationem, aut probationem dissensus: non quia nunquam possit deesse: sed quoniam alioqui contractus matrimoniales multis paterent fraudibus.

Ad secundam Respondeo, sufficere ad bonum regimen quòd Resp. possit suo præcepto compellere ad tale matrimonium bono communi adeo necessarium. Cur autem non possit disponere de corporibus coniugum quoad matrimonium, vt facit de bonis eorum tẽporalibus per præscriptiones, aut etiam de vita, quando bonum commune id postulat, diximus paulò ante: quia videlicet illa dispositio repugnat fini, & naturæ matrimonii, daretque ius ad copulam carnalem, quod non potest Respub. Secus est de dispositione aliorum bonorum, quæ neque vllam inuoluit repugnantiam, neque excedit potestatem Reipublicæ.

SECTIO II.

Virum consensus ad matrimonium necessariò debeat verbis, aut aliis signis æquiualentibus exprimi?

11. Partis negantis argũ.

RAtio dubitandi est, quia in cap. *Cum locum*, De sponsal. Alexander III. affirmat matrimonium *solo consensu contrahi*: & Nicolaus I. in responsione ad Consult. Bulgar. relatâ Causa 27. q. 2. cap. 2. sic ait: *Sufficiat secundum leges solus eorum consensus, de quorũ coniunctionibus agitur.* Et Innocent. III. in cap. *Tuæ fraternitati*, De sponsal. sic loquitur: *Nos*, inquit, *inquisitioni tuæ respondemus, quòd matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri, & mulieris consensum: sed necessaria sunt, quantum ad Ecclesiam, verba consensum exprimentia de præsenti.* Quibus postremis verbis significat id non esse necessarium, nisi ex præcepto Ecclesiæ; sed ex natura rei sufficere solum consensum. Atque ita sentit Cuiacius in cap. proximè citatum, eius textu permotus: nec multum ab eadem sententia distat Ricardus in 4. dist. 27. art. 1. q. 3. quando signi externi necessitatem refert ad institutionem Christi, & rationem sacramenti; non ad naturam ipsius matrimonii.

12. Concluditur affirmatiuè

Nihilominus pro certo habendum est solum consensum internum non sufficere, ex natura ipsa contractus, nisi externo aliquo signo exprimatur, vt diserte affirmat Sanctus

Sanctus Thomas in 4. diſtinctione vigeſima ſeptima, quæſtione prima, articulo ſecundo, quæſtiuncula ſecunda, in corp. & quæſtione quadrageſima quinta Supplem. articulo ſecundo, in corp. cuius verba poſteriori loco hæc ſunt: *Dicendum*, inquit, *quod coniunctio matrimonialis ſit ad modum obligationis in contractibus materialibus. Et quia materiales contractus non poſſunt fieri, niſi ſibi inuicem voluntatem ſuam verbis promant, qui contrahunt* (aut aliis ſignis æquiualentibus) *ideo etiam oportet quod conſenſus matrimonium faciens verbis exprimatur.* Eandem eſſe communem, & indubitatam ſententiam reliquorum Theologorum, & Iuris interpretum teſtatur Baſil. Pont. libro ſecundo, capite ſexto, numero tertio. Cuius ratio præcipua eſt, quia matrimonium eſſentialiter, & ex natura rei, eſt contractus humanus mutuæ traditionis, & acceptationis corporum, in ordine ad copulam, pariens in vtroque coniugum mutuum ius, & debitum, reſpectu alterius. Talis autem contractus poſtulat ex natura ſua, vt fiat aliquo ſigno externo, & ſenſibili, ſine quo humanitus non poſſunt coniuges cognoſcere mutuum conſenſum, illumque acceptando, ſimul ſe tradere inuicem, neque omnino poſſunt aliter contrahere humano modo. Quare ex natura ipſa contractus ciuilis matrimonii ſignum aliquod externum conſenſus interni eſt planè neceſſarium. Confirmatur, quia id quod ſufficit ad contractum matrimonii, ſufficit quoque vt fiat ſacramentum, accedente intentione, & capacitate per Baptiſmum accepta. Sed ſolus conſenſus internus non ſufficit vt fiat Sacramentum: ergo neque vt fiat contractus matrimonii. Maior probatur, quia Chriſtus nihil noui ſtatuit circa contractum matrimonii, ſed duntaxat illum ad dignitatem ſacramenti euexit. Minor autem patet, quia de ratione Sacramenti nouæ legis eſt, vt conſiſtat in aliquo ſenſibili, quod ſit eius materia proxima, vel forma. Eſt enim eſſentialiter ſignum ſenſibile, & humano modo applicabile, vt conſtat ex dictis de Sacramentis in genere.

13. Signum conſenſus eſt de eſſentia matrimonii.

Vnde collige, verba, vel alia ſigna externa, non eſſe tantùm conditionem *ſine qua non* contractus matrimonii: ſed eſſe de ſubſtantia, & eſſentia ipſius contractus, ipſiuſque ſacramenti, vt docent communiter, Theologi, & nominatim Almain. Victoria, Sotus, Anglez, Ledeſma, Palacius, locis relatis à Sanchez libro ſecundo, diſputatione trigeſima, numero tertio: quia de ratione, & eſſentia contractus humani eſt, vt ſit aliquid ſenſibile, cùm ſit eſſentialiter coniunctio duorum, aut plurium hominum, mutuo conſenſu ſibi manifeſtato humano modo paciſcentium, ſeque alteri obligantium, aut obligationem acceptantium. De ratione quoque, & eſſentia Sacramenti nouæ legis eſt, vt ſit ſignum ſenſibile. Solus autem conſenſus internus non eſt ſenſibilis, ſine verbis, aut alio ſigno externo: Quare tota contractus aut Sacramenti matrimonii eſſentia non conſiſtit in ſolo conſenſu interno, ſed ex parte in verbis, aut ſignis æquiualentibus. Quod luculenter confirmat Diuus Thomas, verbis ſupra relatis ex quæſtione quadrageſima quinta Supplem. art. ſecundo in corp. dicens oportere conſenſum verbis exprimi: quia materiales contractus non poſſunt fieri, niſi contrahentes ſuum conſenſum inuicem ſibi exprimant: & expreſſionem verborum ſe habere ad matrimonium, ſicut exterior ablutio, ſe habet ad Baptiſmum.

14. Reſpondetur argumento.

Neque obſtant iura initio ſectionis allata pro ratione dubitandi. Ad primum enim Reſpondeo Alexandrum tertium, quando dicit matrimonium contrahi ſolo conſenſu, nihil aliud ſibi velle, quàm non contrahi ſine conſenſu: vnde infert matrimonium contractum metu graui, vel coactione, non eſſe verum matrimonium: quia deeſt conſenſus. Verba illius ſunt: *Cùm locum non habeat conſenſus, vbi metus, vel coactio intercedit, neceſſe eſt, vt vbi aſſenſus cuiuſque requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem ſolo conſenſu contrahitur: & vbi de ipſo quæritur, plena debet ſecuritate lætari, cuius eſt animus indagantis: ne per timorem dicat ſibi placere, quod odit: & ſequatur exitus, qui de inuitis nuptiis ſolet prouenire.* Non autem ſenſus illius eſt, quòd ſolo conſenſu interno ſine vllo ſigno, quo pateſiat, matrimonium contrahatur: ſed potiùs nomine *conſenſus* intelligit exteriùs notificatum, qualem illi quærunt, qui metu & coactione matrimonium extorquere conantur: vt ſatis patet ex his illius verbis: *Ne per timorem dicat ſibi placere quod odit.* Maximè quia, vt dicunt Abbas, Præpoſitus, & alii Canoniſtæ in caput *Tua*, de Sponſalibus, non eſt propriè conſenſus, niſi mutuò innoteſcat, ſed tantùm ſimul ſenſus. Conſenſus enim duorum eſſe non poteſt, niſi ſciant ſe idem ſentire. Eodem recidit, quod alii reſpondent, Alexandrum verbis relatis comparare conſenſum cum metu, & coactione, dicereque matrimonium non perfici coactione, aut metu; ſed ſolo conſenſu: ita vt particula excluſiua, *ſolo*, non excludat ſignum externum conſenſus interni, ſed duntaxat coactionem, aut metum.

15.

Ad ſecundum Reſpondeo, Nicolaum primum, loqui ſimiliter de conſenſu non purè interno, ſed exteriùs expreſſo, ſicut fieri ſolet, & ſicut valor contractus humani neceſſariò poſtulat: quemue leges etiam connubiales requirunt, neque alius ſecundum illas ſufficit. Ad tertium dico Innocentium non negare requiri aliquod

signum consensus interni: sed potiùs nomine consensus legitimi illud comprehendere: tãtúmque affirmare verba propriè dicta, & ore prolata non esse necessaria: *Nam*, inquit, *surdi & muti possunt contrahere matrimonium per cõsensum mutuum sine verbis*: quia nimirum, vt ait idem Pontifex c. 23. eod. tit. *quod verbis non possunt, signis valent declarare*: Sed tamen esse necessaria (quando adhiberi possunt) *quantũ ad Ecclesiam*, vt scilicet meliùs illi constet de consensu interno, faciliúsque probari possit in foro exteriori, si de illo oriatur contentio.

16. Sintne verba necessaria ex præcepto?

Quorum verborum occasione quæri hoc loco solet, vtrũ verba sint necessaria ex præcepto Ecclesiæ, quando adhiberi possunt, ita vt peccent qui aliter matrimonium contrahunt? Affirmant Petr. Ledesma, & Manuel apud Sanch. lib. 2. disp. 31. nu. 9. qui dicunt hoc esse præceptum cap. *Si inter*, & cap. *Licet*, de Sponsa duorum. Multóque magis idem tenent Innocentius, & Ioan. Andr. in cap. *Tua* supra cit. dicentes verba esse necessaria loco formæ, exceptis casibus iure expressis: quod addunt, propterea quod ius permittit, & approbat matrimonium inter absentes per literas, aut per procuratores: & inter mutos per nutus: & puellæ tacentis, & consentientis præsentes, & tradente patre, vt videbimus paulò post. Idem quoque tertio loco docent plerique Iuris canonici interpretes relati à Sanche disp. cit. num. 2. dicentes in iis qui loqui possunt, verba requiri essentialiter veluti designata ab Ecclesia pro forma necessaria ad valorem contractus: & alii qui docent verba non esse generaliter, & respectu quorumcunque necessaria ad valorem contractus: secus tamen ad esse Sacramenti: quia omnia sacramenta perficiuntur verbis, vt formâ, ex Florent. in Decreto Eugenii. Vnde sequitur teneri omnes, qui possunt, contrahere per verba: quia tenentur contrahere sacramentaliter, quoad fieri potest. Hinc etiam colligunt matrimonium contractum inter absentes per procuratores, vel inter mutos, non esse sacramentum, defectu formæ necessariæ, & essentialis, quæ in verbis consistit.

17. Non sunt necessaria ad valorẽ contractus.

Communis & vera sententia Theologorum est verba determinatè non esse necessaria, ne quidem in loqui valentibus; siue ad valorem contractus, siue ad esse sacramenti: neq; ex natura vtriusque, neque ex constitutione & præcepto Ecclesiæ. Ita Scotus, Gabriel, Argentinas, Paludanus, Durandus, Maior, & alii, quos refert, & sequitur Pontiùs lib. 2. cap. 7. num. 5. Et quidem quòd ad valorem contractus non requirantur determinatè verba ex natura rei, sed sufficiant alia signa respectu cuiuscunque, Probatur, quia quilibet contractus humanus non aliud exigit ex natura sua, quàm consensum vtriusque contrahentium declaratum per verba, aut alia signa, quibus sibi inuicem voluntatem suam manifestant. Coniunctio autem matrimonialis sit ad modum obligationis in contractibus materialibus, id est, ad modum aliorum contractuum humanorum, vt ait D. Thom. in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 2. in corp. qui idcirco addit ibidem paulò post in solutione 2. argumenti, matrimonium contractum à mutis, vel à personis diuersarum linguarum, non desinere esse validum: quia, inquit, quamuis non possint vota sua mutuò verbis tales exprimere, possunt tamen exprimere, nutibus, & tales nutus pro verbis reputantur.

Confirmatur ex c. *Veniens*, 2. & c. *Is qui fidem*, & c. finali de sponsal. vbi generaliter dicitur, & de quibuscunque, siue loqui valentibus, siue non, sponsalia de futuro transire in matrimonium per copulam. Nimirum quia illa est sufficiens signum consensus de præsenti: nam alioqui non sufficerent verba de futuro præmissa in sponsalibus. Et cap. 23. eodem titulo, Innocentius III. dicit mutos contrahere posse validè matrimonium: quia possunt signis declarare, quod verbo nequeunt exprimere. Et cap. vlt. de Coniugio seruorum, declarat matrimonium, de quo consultus fuerat, esse inualidum: si pars altera neque verbo, neque facto consensit: apertè indicans fore alioqui validum, si verbo, aut facto consensit. Et cap. vnico De desponsat. Impub. in 6. dicitur matrimonium impuberum (quod habet tantùm vim sponsalium) transire in verum, & validum matrimonium, quando iam facti puberes declarant quocunque signo se consentire. Et denique multis aliis iuribus perspicuè traditur matrimonium, aliter quàm per verba contractum, esse validum, idque generaliter, & sine vlla distinctione: id est, siue contrahentes verba adhibere potuerint, siue non.

18. Neque ad valorem sacramenti

Quòd autem neque necessaria sint ex natura Sacramenti, & institutione Christi, probatur quia contractus matrimonii, eo solo quòd validus est inter Christianos, & ab illis fit cum intentione contrahendi sicut Christus instituit, aut sicut Ecclesia intendit, est sacramentalis: Christus enim nihil aliud addidit, neque quicquam ad esse sacramenti præter contractum validum, & intentionem prædictam requisiuit. Qua de causa Florentinum in Decreto Eugenii agens de sacramento matrimonii, dicit regulariter fieri per verba de præsenti, significans posse aliter fieri, & verba, licet communiter, & ordinariè adhibeantur, non esse tamen adeo necessaria, vt sine illis contrahi non possit. Et verò si verba essent planè necessaria ad valorem sacramenti, Ecclesia id aliquando significasset, ne fideles, quorum communis sensus alius est, priuarent se vltro effectu Sacramenti contrahentes sine verbis, vt aliquando faciunt, etiam extra

casum necessitatis. Imò Ecclesia, quæ non permittit fideles aliter contrahere, quàm sacramentaliter, non approbaret matrimonia sine verbis contracta ab iis, qui habent loquendi facultatem: sicuti videmus approbare in iuribus paulò ante citat.

19. Neque ex præcepto Ecclesiæ.

Quod denique neque ex præcepto Ecclesiæ necessaria sint respectu illorum, à quibus adhiberi possunt, probatur, quia nullum tale præceptum extat, & non est temerè, ac sine sufficienti fundamento asserendum. Nam quod dicitur in cap. *Tuæ fraternitati*, De sponsalibus (in quo præcipuè fundantur aduersarij) *verba esse necessaria, quantum ad Ecclesiam*: hunc habet sensum, vt Pont. lib. 2. cap. 7. num. 11. rectè exponit, post Cardinalem in canonem prædictum: verba esse necessaria quantum ad Ecclesiam ad faciliorem probationem matrimonii, non aliter. Quod autem requiritur non ad substantiam, & valorem actus, sed ad eius probationem, etiamsi dicatur esse necessarium, potest expediri per æquipollens, inquit Cardinalis ibid. Neque magis vrget caput *Si inter virum*, De sponsal. & caput *Licet*, De sponsa duorum, vbi dicitur matrimonium perfici, si inter virum, & mulierem legitimus consensus interueniat de præsenti: ita quòd vnus alterum in suo mutuo consensu verbis consuetis expresso recipiat, vtroque dicente: Ego te in meam accipio, & Ego te accipio in meum. Nam Innocentius III. & Alexander III. auctores illorum canonum non affirmant ita debere fieri ex præcepto, aut ex natura rei: neque ius nouum constituunt: sed tantùm referunt modum, quo ordinariè fit: & alibi tum ipsimet, tum alii Pontifices iatis perspicuè docent posse aliter validè, & licitè fieri, vt vidimus num. 17. Non sufficit etiam quod Trident. sess. 24. cap. 1. de reform. Matrim. præscribit, vt parochus, viro & muliere interrogatis, eorumque mutuo consensu intellecto, dicat: *Ego vos coniungo In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, vel aliis vtatur verbis, iuxta receptum vniuscuiusque prouinciæ ritum. Nam neque præcipit determinatè vt interrogatio fiat per verba, quæ surdis frustra fieret, vel linguam non intelligentibus: neque etiam vt consensum coniugum per eorum verba intelligat, vt certè non potest respectu mutorum, vel linguam sibi notam ignorantium: sed vt illo, siue per verba, siue per aliud signum, sufficienter intellecto, pronunciet, *Ego vos coniungo*.

20. Cõuenientiùs adhibentur.

Notandum tamen est 1. conuenientius esse vt verbis exprimatur cõsensus, quoad fieri potest: quia sic meliùs innotescit, & faciliùs probari potest: ac nisi vel consuetudo, vel alia causa excuset, debent parochi non permittere, vt aliter fiat, sed communis modus Ecclesiæ seruetur contrahendi per verba, à quo facilè recedi non debet, neque licitè potest in Sacramentorum celebratione. Omninoque peccarent grauiter, qui à verbis sponte abstinentes matrimonii valorem dubium redderent. Secus autem non videtur esse plusquam venniale recedere sine causa à communi consuetudine, & ritu Ecclesiæ hac in parte, nisi fiat ex contemptu, vt bene docent Petr. Ledesm. Henriq. Sanch. Aegid. Mærat. & alii recentiores.

21. Potuerunt ab Ecclesia præcipi & fieri necessaria.

Nota 2. potuisse Ecclesiam sine dubio præcipere vt verbis contrahatur, quoad fieri potest: imò etiam vt aliter contractus sit irritus, & consequenter non sacramentalis. Nam sicut reddidit contractum clandestinũ inualidũ, & consequenter ineptum vt sit materia sacramenti, reddens personas inhabiles ad contrahendũ, nisi id faciãt corã Parocho, & duobus, aut tribus testibus: ita pari iure posset statuere, vt contractus sine verbis initus esset inualidus respectu eorum, qui loqui possunt, reddereque illos inhabiles ad ita contrahendum. Item sicut per leges ciuiles verba in quibusdam contractibus sunt adeo necessaria, vt per signa æquiualentia non possint suppleri, lege 29. C. de testamentis, & lege 1. C. de iure Emphyt. & lege 17. C. de fide instrument. Sic per leges ecclesiasticas possent verba ita requiri ad contractum matrimonii, quotiescunque adhiberi possunt, vt per signa æquipollentia suppleri nequirẽt, vt docet Basil. Põt. lib. 2. c. 7. n. 6. Verùm ex iuribus supra relatis constat Ecclesiã non adeo restrinxisse libertatẽ naturalem contrahẽdi.

SECTIO III.

Qualia debeant esse verba, vel alia signa quibus consensus internus exprimatur?

22. Debent exprimere consensum de præsenti.

REspondeo, & dico primò, talia esse debere, vt sufficienter exprimant consensum in præsens matrimoniũ: cuiusmodi sunt ista: Accipio te in meam: Accipio te in meum: c. penult. De sponsal. vel Teneo te in vxorem: Volo te in vxorem: Ex nunc prouidebo tibi sicut vxori: Ex nunc te reputo in vxorem: vel si viro dicenti, Accipio te in vxorem, respondeat mulier, Placet: vel si quærenti Parocho vtrum se mutuò velint in maritum, & vxorẽ, respondeant: Volo. De illa verò formula, Accipio te in crastinum, quid sentiendum sit diximus alio loco. Vel si dicat, Ex nunc eris mea vxor, Deinceps habebo te in vxorem, Posthac, vel ab hoc tẽpore habebo te in vxorem. Quia hæc verba & similia, licet per futurum enũciata, significant executionem de præsenti. Si enim deinceps, & semper ab hoc tempore habenda est in vxorem: ergo iam est vxor, & in talẽ accipitur. Quapropter Alexãder III. cap. 9. de Sponsal. declarauit validum esse matrimonium, quo vir mulieri iurauerat, *quòd eam ab eo tempore pro coniuge teneret, & ei sicut vxori fidem seruaret: ipsa quoque iurauerat eidem, se illum pro marito habituram, & fidem ei tanquam viro proprio seruaturam.* Neque obiicias non fore verum Baptismum si quis abluens diceret, Ex nunc te baptizabo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Ergo similiter non est verum

matrimoniũ, si dicatur, Ex nunc habebo te in vxorem. Respondeo enim discrimen esse inter Baptismum, & matrimonium: quòd ad illum requiruntur determinata verba, & certus illa enunciandi modus: ad istud verò sufficit quomodocunque exprimere consensum in præsens matrimonium: exprimitur autem sufficienter per formulas loquendi supradictas.

23. Sufficiantne interdũ verba futuri temporis?

Difficultas verò est, vtrum quando verba de futuro non habent adiunctam particulam *Ex nunc*, & similes significantes executionem de præsenti, sufficiant ad matrimoniũ: vt ista, Habebo te in vxorem, Tractabo te vt vxorem, Providebo tibi sicut vxori. Negant plerique quos sequitur Sanch. lib. 1. disp. 18. n. 18. quia verba illa sunt vera, quamuis non in præsens, sed tempore futuro illam habeat, & teneat in vxorem. Verba enim non plus significant de se: neque ad plus obligant, quàm præcisè ad id, quod secundum cõmunem acceptionem requiritur vt vera sint. Contrarium verò docet Pontius lib. 2. cap. 9. n. 3. post Innocentium, Ostiensem, Cardinalem, & alios Canonistas ibi relatos. Quia in cap. *Si quis alumnis*, 30. q. 5. dicitur valere matrimonium eius qui iurauit mulieri, se illam habiturum in vxorem. Nimirum quia ille quoque loquendi modus significat præsentem executionẽ matrimonii: propterea quòd haberi, & tractari pro legitima vxore non potest, quæ non est vxor. Et in iure, in materia obligationum, si non destinetur dies in contractu, statim nascitur obligatio. Idemque sentit num. 7. de his loquendi formulis, Volo te ducere, vel accipere in vxorem: Volo contrahere tecum matrimonium: Volo te habere, tenere, tractare vt vxorem: Volo te esse vxorem meam. Quia significent consensum efficacem de præsenti. Licet plerique contrarium opinentur cum Sanche disp. cit. n. 24. & 26. quia, inquiunt, verificantur sufficienter, licet proferens modò nolit esse suam vxorem, sed tempore futuro. Et mihi quidem res dubia esse videtur, nisi ex circunstantiis meliùs intelligatur cõtrahens id velle de præsenti: putà ex consuetudine loci recepta, vel ex tractatu præcedenti, in quo sermo fuerit de contrahendo in præsens matrimonio, vel ex præuia interrogatione de consensu in præsens coniugium, iuxta cuius sensum ita respondeatur.

24. Quomodo iudicandũ de dubio sensu verborum?

Dico secundò, quando verba adhibita sunt dubia, de eorum sensu iudicandum esse ex mente contrahentium: si autem neque de eorum mente satis constat, recurrendum esse ad communem eorum significationem, & ad circunstantias, ex quibus de illorum sensu, & contrahentium intentione iudicari possit. Ratio primæ partis est, quia sufficit ad matrimonium quòd coniuges mutuum suum consensum sufficienti aliquo signo sibi inuicem notificent. Quare sufficit quòd interserint per ea verba illum significare, tuamque intentionem mutuò notam habuerint. Neque est verum, quod dicunt aliqui, debere verba illa secundum communem vsum significare id ad quod assumuntur à coniugibus: quia, inquiunt, contractus iste humanus, & Sacramentum istud, quod est publica cerimonia, debent fieri verbis secundum publicum, & communem vsum acceptis. Respondeo enim conuenientius quidem esse, vt ita fiat, sed non planè necessarium: cùm ad istum contractum (sicut ad quemlibet alium contractum humanum, de quo lex aliter non disposuit specialiter) sufficiat cõsensus aliquo signo expressus: & ad hoc Sacramentum nulla verba determinata requirantur ex institutione Christi, sed tantum signum aliquod (quodcunque illud sit) ad contractus valorem sufficiens. Notandum tamen, quòd vbi constitutio Tridentini de clandestinis est recepta, debet signum illud non solùm contrahentibus notum esse, verùm etiam parocho & testibus. Debent, inquam, illi quoque intelligere quo sensu, quáue intentione vtuntur à coniugibus coram se contrahentibus: cùm alioqui non possint testari quid fiat. Addo licet verba præ se ferrent omnino aliud sensum: putà, significarent consensum de futuro: & tamen ex intentione contrahentium, notâ quantum oportet, adhiberentur ad designandum consensum de præsenti, sufficerent nihilominus ad validè contrahendum, vt post Siluestrum, & Nauarrum bene docet Aegid. Con. disp. 21. nu. 24. Sicut è contrario possent contrahere sponsalia per verba de præsenti, si intenderent significare tantùm consensum de futuro. Quia non tam soni verborum, quàm sensus, & intentionis habenda est ratio: liberumque illis est vti verbis hoc aut illo sensu, vt & aliis signis, ex conuentione. Confirmatur ex cap. *Intelligentia*, de Verbor. signif. & regula 85. de regulis iuris in 6. vbi dicitur contractum ex intentione contrahentium legem accipere.

25. Secunda pars eiusdem assertionis probatur; quia, quando intentio contrahentium constare aliunde nequit, & verba dubia sunt: de illis in vtroque foro iudicandum est, iuxta communem verborum intelligentiam, & præsumendũ contrahentes illis vios esse secundũ communiter receptam eorum significationẽ, nisi constet ipsos aliud intendisse: vt habetur in cap. *Ex literis* 1. de sponsal. Communiter, inquam, receptam eo in loco, in quo celebratur contractus. Fieri enim potest vt alicubi cõtingant communiter sufficere ad præsentẽ cõsensum exprimendum, quæ alibi dubia essent, aut potiùs viderẽtur significare futurũ. Quo pacto dicunt alioqui Indos apud Mechoacham solitos contrahere matrimonium per verba futuri temporis. Spectanda quoq; sunt antecedentia, & consequentia, & conditio personarũ. Nam si priùs agebatur de spõsalibus, debent potiùs ad illa referri: & cõtra, si priùs erat sermo de matrimonio in præsens contrahendo, vel si paulò post secuta est copula, & cohabitatio. Fauendum etiam potiùs valori matrimonii iam contracti,

saltem in speciem: & mulieribus potiùs quàm viris, quippe quæ simplicius loqui solent, & facilius à viris decipiuntur: atque in dubio faciendæ est interpretatio contra illum, qui potuit apertius mentem suam declarare, Lege 2. ff. De pactis. Quòd si omnibus rite pensatis, signa externa manent adhuc ambigua; matrimonium reuera nullum est: quia deest externum signum sufficiens, quo consensus internus de præsenti manifestetur: vt rectè dicit Aegid. disp. 21. dub. 3. n. 26. Ac si magis significant consensũ de futuro, quàm de præsenti; solùm efficiunt sponsalia: quia vt supra dixi, non maior per huiusmodi verba contrahitur obligatio, quàm necessarium sit vt ipsa verificentur.

26. Quæ alia signa sufficiant?

Dico tertiò, de aliis signis, quibus loco verborum exprimitur consensus, simili modo cum proportione, ac de verbis iudicandum esse: ex communi scilicet eorum significatione; vel ex intentione contrahentium, aut ex circunstantiis. Speciatim verò circa illa notandum est id quod rectè ait Rebell. part. 2. de obligat. iustitiæ lib. 2. q. 10. sect. 1. nu. 3. Quando Ecclesia statuit aliquod signum esse sufficiens ad præsumptionem matrimonii, non esse dubitandum, quin illud quoque de se sufficiat ad declarationem consensus de præsenti. Quia alioqui falleretur Ecclesia iudicando de matrimoniis. Ex quo infert citatus auctor sufficere carnalem copulam inter sponsos: quia Ecclesia iudicauit sponsalia per talem copulam transire in matrimonium cap. *Veniens* 2. & cap. *Is qui fidem*, De sponsal. Sicut re ipsa transibant olim, & nunc etiam vbi decretum Tridentini de clandestinis nondum fuit promulgatum. Secus autem cohabitationem, oscula, amplexus, aut etiam nisum ad copulam: quia in cap. finali de sponsal. Ecclesia iudicat hæc non sufficere etiam inter sponsos: excepto casu, quo ante pubertatem contraxerunt sponsalia per verba de præsenti: nam tunc sufficit vt consensum antea datum, & adhuc perseuerantem, sibi mutuò notificent illis signis, argumento capitis vnici de desponsat. Impub. in 6. vbi tamen decretum Tridentini supradictum receptum fuit, debet res innotescere Parocho, & testibus. Quòd verum est licet ante promulgationem decreti contraxissent impuberes per verba de præsenti, qui contractus ex dispositione iuris cap. cit. habet tantùm vim sponsalium. Nam cùm antea non essent coniuges, non possunt nunc fieri tales sine præsentia Parochi, & testium: sunt enim facti inhabiles ad clandestinè contrahendum. Atque ita respondisse congregationem Cardinalium ea de re consultam testatur Rebell. supra n. 7.

27. Taciturnitas interdũ sufficit.

Infertur secundò, sufficere interdum taciturnitatem: quando scilicet viro exprimente suum consensum, & patre, vel matre, aut alio curam puellæ gerente, illi respondente, atque affirmante puellam quoque consentire, tacet illa, & tacitè approbat responsum: Id enim sufficere colligitur ex c. vnico supra cit. vbi dicitur similem taciturnitatem sufficere ad exprimendum consensum sponsalium. Par autem est ratio vt sufficiat ad exprimendum consensum matrimonii, quem non minùs significat in talibus circunstantiis. Habetque hic locum regula iuris, *Qui tacet, consentire videtur*: quando scilicet tenetur, & potest non tacere, si dissentit. Idemque de puero dicendum censet Rebell. supra nu. 8. Secus autem si nemo pro puella respondeat, vel si extraneus nullam gerens puellæ curam, neque illius procurator, respondeat. Nam tunc non tenetur loqui: & is qui tacet tunc temporis, neque consentire, neque dissentire videtur, vt habet alia regula Iuris in 6. Quod autem supra diximus verum est, licet filius sit emancipatus, aut etiam spurius; quia ius loquitur indistinctè, neminemque excipit.

28. An etiam subarrhatio?

Vltra hæc signa in iure assignata, sunt alia tria, de quibus dubitari solet, an sufficiant. Vnum est subarrhatio, siue annuli donatio. De qua dicendum censeo cum Sanche l. b. 1. disp. 22. Basil. Port. lib. 2. cap. 11. & aliis communiter, non sufficere per se solam: quia per se est signum ambiguum: cùm ex aliis causis, atque etiam ex amore turpi fieri possit: sed opus esse, vt vel ex consuetudine loci habeatur pro signo consensus in matrimonium, vt aliquot in locis haberi nonnulli testantur: vel ex tractatu præcedenti id colligatur. Si enim priùs agebatur de matrimonio in præsens contrahendo, annuli traditio erit signum consensus maritalis. Si de sponsalibus, erit signum sponsalium. Debet enim explicari per id quod præcessit. Idemque censeo dicendum de altero signo, quod est porrectio manuum. Si enim vir exprimit consensum matrimonii, dicens verbi gratiâ, Contraho tecum matrimonium, aut, Volo ex nunc habere te in vxorem: ipsaque manuum porrigat, vel ab illo apprehensam non retrahat, signum est consentire de præsenti. Sin autem vir exprimit solum consensum in sponsalia, porrectio manus erit signum sponsalium. Tertium signum est traductio sponsæ in domum sponsi, quam nonnulli apud Couarruuian. 1. parte de sponsal. cap. 4. ff. 2. num. 1. putant esse signum sufficiens matrimonii præcedentibus sponsalibus. Cui sententiæ fauent plures leges ciuiles relatæ à Pontio cap. citato, numero vndecimo. Sed communis sententia est id verum non esse, nisi vbi traductio solemnis ex consuetudine loci recepta accepit talem significationem: vt apud Astures accepisse testatur Couarruuias: vel nisi illa sequatur consensum de præsenti, id est, tractatum de consentiendo in præsens matrimonium.

Vel porrectio manuum.

Vel traductio in domum sponsi.

SECTIO IV.

Qualis debeat esse consensus: & primò, an necessariò debeat esse verus: quidnam facere teneantur, qui fictè contraxerunt.

29. Requiritur verus consensus.

CIrca primum: Vnanimis sententia Theologorum est, verum consensum contrahentium matrimonium esse adeo necessariũ, vt sine illo fit irritum; neque humanitus possit aliter fieri, quidquid sit de potentia Dei absoluta, de qua diximus alibi. Quare si quis fictè consentiat, nihil validè facit, quæcunque signa externa adhibeat. Quodque sect. præcedenti diximus, sponsalia transire in matrimonium per copulam, & alia signa ibi explicata, intelligendum est supposito vero consensu interno, qui per illa manifestetur. Nam alioqui non verum, sed præsumptum matrimonium est: licet in foro externo tale iudicetur, si non probatur contrarium: & in aliquo casu nulla probatio admittatur, vt videbimus paulò post. Ratio præcipua assertionis est, quia in matrimonio fit mutua traditio corporum, id est, rei, quæ vniuscuiusque maximè propria est: quamque non conuenit aliter nisi propria cuiusque voluntate transferri: imò potius id repugnat naturali fini matrimonii, qui est cohabitatio pacifica, & perpetua, coniunctioque arctissima animorum, & corporum inter coniuges. Docetque experientia funestos exitus habere matrimonia, vero licet, sed non satis spontaneo, & lubenti consensu facta.

30. Fictus non impedit valorẽ secundi matrimonii.

Hinc collige, si quis fictè contraxit cum vna, posteaque verè contrahit cum alia, secundum istud matrimonium validum fore, vt bene docent S. Thom. in 4. dist. 27. q. 1. a. 2. quæstiunc. 4. ad 3. Paludanus, Sot. Angel. Adrian. Silues. Nauarr. & plures alii, quos refert, & sequitur Sanch. lib. 1. disput. 11. num. 1. Quia scilicet cùm præcedens matrimonium reuera nullum fuerit, non inducit impedimentum ligaminis, quo secundum irritetur. Videtur tamen huic doctrinæ obesse caput *Is qui fidem* de sponsalibus, vbi Gregorius IX. respondet eum qui fidem dedit mulieri super matrimonio contrahendo, carnali copulâ subsecutâ, etiamsi in facie Ecclesiæ ducat aliam, & cognoscat, ad primam redire teneri: *quia licet præsumptum primum matrimonium videatur, contra præsumptionem tamen huiusmodi non est probatio admittenda. Ex quo sequitur quòd nec aliquod censetur matrimonium, quod de facto est postmodum subsecutum.* Quibus verbis permotus Ostiensis ibidem dubitat vtrum matrimonium postea contractum sit validum, & in partem negantem magis propendet. Verùm, vt Panormit. ibid. nu. 4. rectè exponit, non affirmat absolutè Summus Pontifex nullum esse secundum matrimonium; sed illatiuè loquitur, & secundum præsumptionem fori externi: quòd scilicet, si primum matrimonium verum est, sicut de iure præsumitur esse, secundum est nullum, & inualidũ. Et quia in foro externo primum censeri debet esse verum, neque admittitur probatio in contrarium: habencũ est in eodem foro pro inualido matrimonium, quod de facto est posmodum subsecutum. Quæ illatio non habet locum in rei veritate, & in foro conscientiæ, si defuit consensus in priori matrimonio, & affectus maritalis in copula, qui præsumitur fuisse.

31. Quare qui sic contraxisset cum secunda, non posset licitè ad primam redire, tametsi per censuras ecclesiasticas ad id compelleretur: vt docet S. Thom. loco supra citato. Quæ censuræ in eo casu sunt tantùm præsumptiuæ, & nullæ in foro conscientiæ: neque enim valent vt compellant ad peccandum. Addit Sanch. disp. cit. n. 2. post Angelum, Siluestrum, Tabienam, Armillam, Nauarr. Lopez, & Philiarchum ibidem relatos, fœminam excõmunicatam eò quòd non cohabitet viro, quem scit nõ esse suum, posse in articulo mortis, si ad iurandum adigatur, affirmare cum iuramento se cohabitaturam, subintelligendo, *si conualescat*: vt, vel sic, obtineat absolutionem à peccatis, & ab Excommunicatione, si aliter non potest. Sed hoc non puto esse permittendum, nisi in euidenti articulo mortis, ne alioqui graue scandalum det, si redeat ad sanitatem, & non cohabitet. Notandum autem hũc casum non habere locum vbicunque constitutio Tridentini de clandestinis recepta est. Nam sponsalia non ibi trãseunt in matrimonium copulâ subsecutâ, ne præsumptiuè quidẽ. Notandi metiam potuisse Ecclesiã, si voluisset, reddere ante Tridentinum tales inhabiles ad secundũ matrimoniũ validè contrahendũ, apponendo istud impedimentum irritans. Sed neque ex cap. cit. neque ex vllo alio iure habetur id fecisse.

32. Fictè contrahens grauiter peccat.

Grauiter tamen peccant quicunque fictè contrahunt, siue accedente copula, siue non. Quia decipiunt in re graui, & in materia iustitiæ, ad quam pertinet ille contractus. Excepto casu, quo aliquis metu graui, & cadente in constantẽ virum adigitur iniustè ad contrahendum, vel ad id cogitur necessitate vitandi magnum aliquod scãdalum. Nam in eo casu habet ius dissimulandi, & vtendi retentione mẽtali, dicendo v. g. Accipio te in meã, supple, si ad id obligor. Sed tunc debet abstinere à copula, non obstãte quacunq; coactione: quippe malâ intrinsecè, quãdo habetur cum non sua. Extra illam verò ne veniale quidem peccat, quia iure suo vtitur dissimulando ad vitandam iniustam coactionẽ, vel aliud graue malum, quod aliter vitari nequit, vt supponimus, & ad quod repellẽdum, aut præueniendum ius habet, eludendo iniustos coactores. Nec obest quod in tali casu sacramentum specie tenus celebratum, fit irritum, quod graue sacrilegium cõtinere videtur. Nam matrimonium est ita sacramentũ,

vt sit etiam contractus ciuilis, sine quo non subsistit: & causa iusta, quæ excusat ne quis validè contrahat in tali casu, excusat pariter ne sacramentum ponat: id est, causa quę sufficit ad vitandam iniustitiã in irritando contractu, defectu consensus; sufficit pariter ad vitandam irreuerentiam sacramenti, quod sit irritum defectu materiæ necessariæ.

33. Tenetur postea verè consentire.

Circa secundum in titulo sectionis propositum, videlicet ad quid teneatur qui fictè contraxit matrimonium, Dico 1. teneri postea verè consentire, nisi aliqua causa ex infra referendis excuset. Ratio est, quia tenetur non modò ex veracitate, & fidelitate, verùm etiam ex iustitia, & ex natura ipsius contractus efficere verum id quod dicit, & corpus suum alteri verè tradere, sicut alter suum ipsi reipsa tradit. Sicut enim qui promittit aliquid sub conditione onerosa, quam alter impleuit, tenetur non modò verè promittere in præsens; verum etiam, licet fictè promiserit, tenetur ex iustitia verum efficere quod dixit: potestque ad id cogi à promissario, & de eo coram iudice conueniri: ille qui contrahit de tradendo in præsens corpus suum sub conditione vt pars altera suum det, conditione impleta ex parte istius, tenetur ex iustitia facere verum quod dicit, potestque ad id compelli per iudicem. Quapropter meritò D. Thom. in 4. dist. 27. q. 1. art. 2. quæst. 4. ad 1. affirmat tales fictè contrahentes puniri in foro Ecclesiæ, & in foro pœnitentiæ. Quia scilicet in vtroque coguntur ad verè consentiendum.

34. Confirmatur, quia talis deceptor grauem iniuriam facit parti deceptæ: quippe quæ non poterit contrahere aliud matrimonium. Cùm enim cessante vi, & dolo aperto, vt supponimus, defectus iste consensus sit occultus, & in foro externo probari nequeat: non permittet illi Ecclesia contrahere cum alio. Vnde cogetur vitam cœlibem ducere. Confirmatur 2. quia nisi eiusmodi deceptores obligarentur verè contrahere, sumerent inde occasionem scelerati homines, & impudici ad decipiendas fœminas prætextu matrimonii, ad quod postea non tenerentur. Quare sententia contraria bonis moribus aduersatur, & reipublicæ perniciosa est.

35. Excepto tamen primò, nisi quis fictè consenserit ex iusta causa. Quia tunc solùm tenetur probare coactionem iniustam, vel aliam causam sufficientem; nisi fortè illa sit adeo manifesta, vt probatione non indigeat. Si tamen est periculum scandali, procurare oportet, vt talis declaretur à iudice ecclesiastico, ad quem pertinent causæ matrimoniales. Excipe secundò, nisi res occulta esset, & ex consensu dato, ac matrimonio validè postea contracto timeretur rationabiliter pessimus exitus, aut grauissimum scandalum. Tunc enim pars decepta non potest rationabiliter exigere verum consensum: neque altera tenetur eum dare cum tanto incommodo, quod aliter vitari nequit, vt supponimus. Excipe tertiò, nisi deceptor signa deceptionis dederit, seque consensum fingere satis significauerit. Nam tunc altera pars non tam ab ista fuit decepta, quàm seipsam decepit, sibique debet imputare damnum, quod sponte subiit. Excipe quartò, nisi deceptor ipse fuit deceptus: putà, si mulier se virginem esse simulauit, quæ reipsa corrupta erat: & alter ne quidem in speciem contraxisset, si rem compertam habuisset, idque alteri satis innotuit. Quia tunc etiam seipsam decepit, id est, suæ deceptioni causam dedit.

Addit Sanchez lib. 1. disp. 11. num. 6. 36. idem sentiendum esse, quamuis ipsa minimè deceperit, sed communiter virgo reputabatur, quæ postea talis non est comperta; quia tunc notabilis fit rei mutatio, quæ iustam causam dat sponsalia dissoluendi. Sed hoc verum esse non puto. Quia plus requiritur, vt quis liberetur ab obligatione verè contrahendi postquam fictè consensit, in præsens matrimoniũ, quàm ad dissoluẽda sponsalia, ex quorum dissolutione non sequuntur eadem incommoda, quæ fictum consensum de præsenti comitantur, & ad quæ subeunda non debet cogi pars decepta sine sua culpa.

Excusetne dispar conditio?

Addit etiam num. 8. excusare ab hac obligatione valde disparem conditionem fictè consentientis. Quia cum sit magna inæqualitas in tali contractu; satisfaciet alio modo resarciendo iniuriam. In eamque sententiam citat Rosellam, Angelum, Siluestrum, Nauarr. Henriquem, & Petr. Ledesmam. Sed neque illud verum existimo generaliter, ac nisi fingere se significauerit, & pars altera id satis intellexerit. Alioqui enim seruatur sufficiens æqualitas ad valorem matrimonii eo solo quòd corpora mutuò traduntur. Cúmque non rarò nobiles cum ignobilibus, & diuites cum pauperibus contrahant matrimonia, personæ amore impulsi, posthabitis aliis considerationibus: si dives, aut nobilis, seriò, quantum apparet exteriùs, & grauiter asseueret se cum paupere, vel ignobili contrahere: potest illa bona fide, & prudenter id credere, iniustéque decipitur à fictè consentiente, præsertim si copulam ab illa eo prætextu extorquet.

Addunt denique nonnulli relati à Sanche 37. suprà num. 3. quibus ipse fauet num. 5. sufficere ad excusandum, quòd nullum ex eo sequatur damnum parti deceptæ. Verùm ex dictis liquet hanc obligationem non esse tantùm ratione damni, verùm etiam per se ratione contractus, impleta conditione onerosa ex parte alterius. Præterquam quòd pars decepta, si velit vti iure suo, & exigere à deceptore id quod verbis significauit, non potest damnum graue non pati, vt superiùs ostendimus.

Vel quòd non sequatur damnum.

Quando autem quispiam tenetur verè

Digitized by Google

contrahere, non est absoluendus in foro pœnitentiæ, donec id fecerit; nisi fortè semel, aut iterum, exhibitis signis sufficientibus contritionis, & voluntatis sinceræ mox satisfaciendi huic obligationi, quibus signis prudenter confessarius fidem habere possit, & iustis de causis existimet pœnitentem esse in necessitate absolutionis non patiente longiorem moram, aut expedire vt non amplius differatur. Alioquin nim neganda prorsus est, ne ille in tam graui, tam que iniusta deceptione diu persistat: & propter periculum, ne accedat ad sacramentum indispositus, defectu veri doloris, & sinceri propositi non amplius peccatum illud continuandi.

38. Est opus nouo signo externo.

Dico secundò, vt deceptor obligationi suæ satisfaciat, & valide contrahat matrimoniũ cum parte decepta, debet non modò elicere verum consensum internum: sed etiam illum externo signo manifestare. Ratio est, quia non sufficit ad matrimonium verus consensus internus, nisi externo aliquo signo exprimatur. Atqui verus consensus modò elicitus, non fuit expressus per signum externum priùs exhibitum: nam ille fuit signum ficti consensus dum taxat. Ergo est opus nouo signo externo. Confirmatur, quia, vt alibi diximus, signum externum debet aliquo modo procedere à consensu interno, & efficere cum illo vnum actum moraliter. Atqui signum priùs exhibitum non processit à vero consensu interno, qui tunc non fuit. Neque iam ab illo procedit: quippe quod iam nõ fit. Confirmatur secundò, quia in eo casu, quo ambo fictè consensissent, sine dubio non valeret matrimonium nisi iam verum consensum internum elicerent, illumque nouo signo externo exprimerent: quia contractus antea celebratus, cùm prorsus, & omni ex parte fuerit irritus, perinde est, ac si nunquam fuisset: ideóque sicut antea, vt valeret matrimoniũ, erat opus vero consensu cum signo externo: ita & nunc. At in casu, de quo loquimur, non minùs est irritum, & nullũ id quod ex parte decipientis factum est. Ergo perinde se habet, ac si nunquam fuisset. Ergo ex parte illius est opus nouo signo externo cum vero consensu. Atque ita docent inter alios Henriq. lib. 11. cap. 12. num. 3. in commentario lit. I. Mærat. disp. 7. de Matrim. sect. 15. dub. 4.

39. Dissentit verò Sanches lib. 2. disp. 32. num. 11. post Ricardum, Antoninum, Siluestrum, Angelum, & alios, quos citat: affirmans sufficere quòd ille qui fictè consensit, postea interiùs verè consentiat: Quia, inquit, externum consensum iam præbuerat, & solus internus desiderabatur. Ergo sufficit hunc supplere. Ex quo infert sufficere vt verè consentiat quocunque spatio temporis interiecto: & non esse opus, vt iterum coram parocho, & testibus celebretur hoc matrimonium: quia id solum est necessarium quando contractus omnino celebratur: hic autem suppletur tantùm defectus interni consensus.

Refutatur contraria sententia.

Sed ad hæc Respondeo, consensum externum antea præstitum, fuisse fictum: neque solùm defuisse consensum internum, sed etiam verum illius signum, ab illo quodammodo procedens, & vnum cum ipso moralem actum constituens: quod ad valorem matrimonii est prorsus necessarium. Neque satis cohæret hæc doctrina Sanchis cum eo, quod addit paulò post contra Ricardum, Antoninum, Siluestrum, & Turrecrematam, quando vtriusque coniugum contentus nullus fuit, opus esse nouo consensu, & nouo signo externo: propterea quòd, inquit, in eo casu perinde est, ac si matrimonium penitùs non esset contractum: idcóque tunc denuò contrahendum est. Quando autem denuò contrahitur matrimonium, constare debet externo signo consensum manifestante: ergo &c. At, inquam, non minùs ex parte deceptoris est denuò contrahendum: neque minùs perinde est, ac si penitùs non contraxisset. Ideóque tunc denuò illi contrahendum est. Non potest autem denuò contrahere solo consensu interno, sine externo signo: ergo &c. Certè difficile est intelligere, quomodo requiratur necessariò signum externum ex parte vtriusque, quando vterque decepit: & non requiratur ex parte vnius, si vnus tantùm fictè consensit. Et ratio, in qua fundatur hæc necessitas ex parte vtriusque, videtur non minùs concludere ex parte vnius: quippe qui perinde fecit, ac si non contraxisset. Cætera quæ addit Sanches, expendentur paulò post.

40. Requiritur nouus consensus?

Dico tertiò, si consensus partis deceptæ adhuc moraliter perseuerat, quia scilicet non fuit reuocatus, neque nimis longum temporis spatium elapsum est: non est opus, vt ipsa consensum internum renouet, aut signum externum denuò exhibeat. Ratio est, quia etiam tunc, quando vterque sine fictione contrahit, non est necessarium vtrumque simul consentire, & signum consensus exhibere, sed sufficit quod successiuè, absque nimis longa mora interposita, maiori scilicet, quàm patiatur natura contractus, iuxta prudentem hominum æstimationem. Ergo idem sufficit in casu de quo loquimur: neque enim pars decepta est deterioris conditionis, nec minùs valet eius consensus moraliter perseuerans. Atque ita docet in simili D. Thom. in 4. dist. 29. q. 1. art. 3. quæstiunc 2. ad 2. loquens de illo qui coactè, adeóque inualidè priùs consensit, posteaque liberè consensum renouat. *Dicendum*, inquit, *quòd ex consensu libero, illius qui priùs fuit coactus, non fit matrimonium nisi in quantum consensus præcedens in altero, adhuc manet in suo vigore, Vnde si dissentiret, non fieret matrimonium*: id est, si consensum reuocasset: idemque dicendum si nimis longum tempus ab illo dato effluxisset, ita vt moraliter non censeretur adhuc perseuera-

re: quia licet magna temporis diuturnitas intercedere possit inter consensum vtriusq; vt patet, quando absentes, & valde distantes contrahunt per epistolam, aut per procuratores. Tam longa tamen esse potest, vt secundum prudentem hominum æstimationem (secundum quam hac de re iudicandum est) non censeatur manere consensus moraliter, sed tacitè reuocatus fuisse. Quod tamen non contingit quamdiu perseuerat in aliquo effectu virtute illius secuto: ex gr. si ab eo tempore cohabitarunt, vel exhibuerũt idemtidem signa maritalis effectus; aut pars decepta semper existimauit valere matrimoniũ. Vtrumverò si nondũ recepta ibi fuerit cõstitutio Trid. de clandestinis: aut licet fuerit recepta, tamen priùs contractum fuit in facie Ecclesiæ coram parocho, & testibus, & defectus consensus interni fuit occultus; sit opus iterum coram illis verum consensum exprimere signo externo, & in facie Ecclesiæ contrahere, dicemus sect. sequenti. Idem enim de illo casu sentiendum est, atque de reualidatione matrimonii in facie Ecclesiæ contracti cũ impedimento occulto, quod postea detegitur, eiusque dispensatio obtinetur.

SECTIO V.

Vtrum consensus per verba de præsenti expressus occultè, seu contractus clandestinus sufficiat ad matrimonium?

41. Consensus occultus sufficeret ex natura rei.

REspondeo, & dico primò, spectatâ solâ rei naturâ, & semotâ constitutione ecclesiastica, vel ciuili, contractum clandestinum esse sufficientem ad valorem matrimonii. Ita Theologi communiter cum D. Thoma q. 45. supplem. art. 5. & in 4. dist. 28. quæst. vnica art. 3. in corp. vbi hanc à priori rationem reddit: Quia consensus de præsenti inter legitimas personas matrimonium facit: aliaque omnia sunt tantùm de solemnitate, & ad hoc adhibentur, vt matrimonium conuenientiùs fiat. Vnde, licet omittantur, verum est matrimonium. Idem etiam docet expressè Triden. sess. 24. in Decreto de reform. matrim. cap. 1. initio, affirmans non esse dubitandum clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit: & proinde iure damnandos esse illos, vt eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea rata, ac vera esse negant: quique falsò affirmant matrimonia à filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse. Idem antea docuerat Nicolaus I. in respons. ad consul. Bulgar. cap. 3. relato in cap. *Sufficiat*, 27. q. 2. *Sufficiat*, inquit, *secundum legem ipsius eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur: qui consensus, si in nuptiis solus fortè defuerit, cætera omnia etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur.* Et Innocentius III. in cap. *Tuæ fraternitati*, de Sponsalib. affirmat matrimonium in veritate contrahi per legitimum viri, & mulieris consensum, verbis, aut aliis signis expressum. Et Alexand. III. cap. 2. de clandestina desponsat. *Si matrimonia*, inquit, *ita occultè contrahuntur quòd exinde legitima probatio non appareat: ii, qui ea contrahunt, ab Ecclesia non sunt aliquatenus compellendi. Verùm si personæ contrahentium hæc voluerint publicare, nisi rationabilis causa præpediat, ab Ecclesia recipienda sunt, & comprobanda, tanquam à principio in Ecclesiæ conspectu contracta.* Quibus verbis perspicuè significat huiusmodi matrimonia, licet clandestina, fuisse pro validis habita.

42. Semper tamen fuit prohibitus.

Dico secundò, fuisse nihilominus semper ab Ecclesia prohibita, adeóque fuisse semper illicita inter Christianos. Id quoque diserte affirmat Trident. cap. cit. sic dicens: *sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit.* Patetque ita esse ex decretis primorum Ecclesiæ Pontificum, vt Euaristi, qui fuit sextus à Petro Summus Pontifex, & in epist. 1. ad omnes Episcopos Africanos, non modò grauiter ea prohibet, verum etiam negat esse legitima coniugia: præscriptáque ibidem forma publicè contrahendi, dicit *aliter legitimum, sicut à Patribus accepimus, & à sanctis Apostolis, eorumque successoribus traditum inuenimus, non fieri coniugium*; quæ verba magis expendemus paulò post. Patet etiam ex decretis Hormisdæ Papæ, cap. 6. relato in Ius Canonicum causa 30. q. 5. cap. 2. *Nullus fidelis*, inquit, *cuiuscunque conditionis sit, occultè nuptias faciat, sed benedictione accepta à sacerdote, publicè nubat in Domino.* Et Innocentius III. cap. 3. de clandest. desponsat. *Prædecessorum*, inquit, *nostrorum vestigiis inhærendo, clandestina coniugia penitus inhibemus prohibentes etiam, ne quis sacerdos talibus interesse præsumat.*

43. Iustæ causæ prohibendi.

Ratio autem iustè ea prohibendi fuerunt grauia incommoda, quæ solent ex illis sequi: vt enim rectè ait S. Thom. in 4. dist. 28. q. 1. art. 3. ad 3. prohibentur clandestina matrimonia propter pericula, quæ inde euenire solent: quia frequenter in talibus est aliqua fraus ex altera parte: frequenter etiam ad alia coniugia transeunt, dum pœnitent de istis, quæ subitò facta sunt; & multa alia accidunt: & speciem turpitudinis præter hoc habent. Notandum tamen quòd olim, quando valida erant, atque etiam nunc, vbi Tridentini constitutio non est recepta, poterat ille contractus aliquando esse licitus propter graues circunstantias, in quibus præceptum Ecclesiæ non obligabat, & periculum incommodorum prædictorum non suberat, aut alia ratione vitabatur. Nam ille contractus non est per se malus, & ab intrinseco; sed tantùm propter adiuncta pericula, vel mala, quæ per

Digitized by Google

accidens frequenter ex eo sequuntur, & propter quæ prohibetur ab Ecclesia. Hæc autẽ prohibitio ecclesiastica non obligat cum quocunque incommodo; fierique potest, vt ex publicatione matrimonii grauissimum aliquod damnum prudenter timeatur, aut sequatur infallibiliter, præponderans aliis incommodis, quæ dederunt causam prohibitioni ecclesiasticæ: quorum etiam plurima vitari poterunt, si statim postea publicetur contractus.

44. Licetvoin quibusdam casibus.

Huiusmodi casus enumerant & admittunt Caiet. tom. 1. opusc. tract. 12. q. 2. Sotus in 4. dist. 28. q. 1. art. 2. conclus. 3. Pet. Ledesma ad quæst. 45. supplementi art. 5. dub. 2. conclus. 3. & Mærat. disp. 7. de matr. sect. 16. Primus est, inquit auctor postremò citatus, si clandestinè contrahendo possent se liberare mortis, aut grauis supplicii imminenti periculo: putà, si duo à iudice comprehensi, & tanquam concubinarii puniẽdi, subitò clãdestinè contraherẽt, vt iurare verè possint se esse legitimo matrimonio copulatos: vel si aliter nõ possent vitare furorem patris filiam deprehendentis, & vtrumque interficere volentis. Secundò, si virgo, cui per vim stuprum mox inferendum esset, repentè contrahens cum aliquo, posset illius ope hanc iniuriam, & dedecus auertere. Tertiò, si virgo nobilis iniquum habens tutorem, esset ab eo tradenda viro conditionis nimium inæqualis, nisi clam alium paris nobilitatis maritum acciperet. Quartò, si aliqui præstolando testes, quorum in præsentia contraherent, essent facturi iacturam maximæ opportunitatis nunquam amplius affuturæ, contrahendi honestissimi, & locupletissimi coniugii. Quintò, si ab huiusmodi coniugio contrahendo forent iniustè impediendi per eos, quorum in præsentia possent contrahere. Hæc ille, quæ omnia rationi, & æquitati conformia esse iudico: ita tamen vt non habeant locum, vbi iam contractus ille factus est inualidus per Ecclesiæ constitutionem. Nam lex irritans generaliter aliquem actum, non cessat in huiusmodi casibus: neque ignorantia legis, vel incommoda faciunt, vt actus iure irritus validè fiat; quemadmodum ostendimus in tract. de legibus.

45. Fuerintne olim matr. clandestina irrita.

Dico tertiò, licet probabile quibusdam videatur matrimonia clandestina initio Ecclesiæ fuisse non modò prohibita, & illicita: verùm etiam inualida, & irrita, per Ecclesiæ constitutionem: quæ cùm postea cessasset per desuetudinem, fuerit à Tridentino restituta: neque contrarium certum sit secundum fidem catholicam, vt nonnulli perperam affirmant: Tenendum tamen est fuisse tantùm prohibita: Estque omnino certum iam esse prorsus inualida his omnibus in locis, vbi decretum Tridentini de clandestinis promulgatum, & receptum fuit. Prima pars huius assertionis traditur à Basilio Pontio lib. 5. de matrim. cap. 3. num. 2. & aliis ab eo citatis: habetque fundamentum aliquod in verbis Euaristi Papæ relatis cap. *Aliter*, 30. q. 5. vbi præscriptâ formâ publicè contrahendi sic ait: *Aliter præsumpta non coniugia, sed adulteria, vel contubernia, aut stupra, aut fornicationes potiùs, quam legitima coniugia esse non dubitatur, etiamsi voluntas propria suffragauerit.* Sic enim legendum est, non vt corruptè habet Gratianus, *nisi voluntas propria suffragauerit*: & ita legitur in vetustis codicibus: neque aliter bene cohæreret quod dicit Euaristus. Alioqui enim non erat opus eum asserere cum tanta exaggeratione requiri notitiam & assensum parentum, & alia quæ ibi commemorat, si sola contrahentium voluntas sufficiebat. Quamuis autem communiter Doctores sic Euaristum interpretentur, vt velint eum dicere talia matrimonia esse illegitima, id est, contra leges Ecclesiæ facta, licet valida; plus tamen significare videntur illa eius verba, *Non coniugia sed adulteria* &c. Atque ita Euaristi Decretum intellexit Concilium Colonienſe sub Paulo III. celebratum anno 1536. parte 7. cap. 43. vbi sic habet: *Optandum, vt Canon Euaristi Pontificis à generali Concilio renouetur, tollanturque illa clandestina matrimonia, quæ inuitis parentibus, ac propinquis, veneris potius quàm Dei causâ contrahuntur. Nam quanta ex his clandestinis matrimoniis mala suboriantur, in aperto est. Interea verò dum Ecclesia de hoc prospicit, sinon irrita, prohibita saltem sint.* Idque in vsu fuisse apud Græcos vsque ad tempus D. Basilii, significare videtur eius epist. ad Amphilochium can. 38. iuncto can. 42. & interpretatione Theodori Balsamonis in canonem 38. eiusdem epistolæ.

46.

Quare nimis confidenter affirmant Petr. Ledesma ad quæst. 45. Supplem. art. 5. dub. 1. & Sanch. lib. 3. disp. 3. num. 2. certum esse secundum fidem catholicam, quòd Ecclesia nunquam ante Tridentinum irrita fecerit clandestina matrimonia. Neque hoc satis probant verba Tridentini suprà relata, affirmantis sub anathemate fuisse vera, & rata, quamdiu Ecclesia non fecit ea irrita. Hoc enim vt sit verum, sufficit aliquod fuisse tempus, quo durante non fecerit irrita. Neque etiam quod addit Concilium, se cum animaduerteret prohibitionem Ecclesiæ (quæ semper clandestina matrimonia iustissimis de causis detestata est, atque prohibuit) propter hominum inobedientiam iam non prodesse, motum fuisse ad illa irritanda. Nam id quoque verum est, licet initio Ecclesiæ fuerint habita pro irritis: deinceps verò longo tempore fuerint tolerata, & solùm prohibita.

47. Cõcluditur non fuisse.

His tamen non obstantibus, tenenda est contraria & communis sententia: Tum quia verba Tridentini citata magis illam videntur innuere: tum etiam quia Concilium nullâ facit mentionem antiquæ irritationis, vlliusque decreti, quod dicit se renouare: sicut paulò post loquendo de proclamationibus matrimonio præmittendis, ait se quas

ad illas renouare decretum Concilii Lateranensis sub Innocentio III. Valde autem expediebat, vt suam irritationem fundaret in aliquo decreto antiquo, si quod erat: præsertim cùm non deessent ex Patribus, & ex Doctoribus Concilii, qui dubitarent, posseetne Ecclesia id statuere, & materiam aut formam sacramenti matrimonii quodammodo immutare. Vt videre est in Actis Concil. & Spondano ad annũ Christi 1563. Iuxta quam sententiam dicendũ est Euaristum exaggeratoriè locutum esse, vt magis deterreret ab eiusmodi coniugiis illicitis: & Concilium Colonienſe dixisse id, quod supra retulimus, non de fiendo, sed quorundam Doctorum sententiam, vt probabilem sequendo. Et quidem Euaristus tam multa alia requirit eodem cap. *Aliter*, vt incredibile sit voluisse matrimonia sine his omnibus esse inualida, vt præ se ferunt illius verba. Supposito autem, quod alii dicunt irrita fuisse aliquando: constat ex iuribus paulò ante relatis in 1. concluſ. legem hanc irritantem fuisse saltem desuetudine abrogatam, donec postea per Tridentinum restituta est: & eò vsque matrimonia clandestina, licet adhuc prohibita, fuisse tolerata vt valida.

47. Irritantur à Trident.

Secunda pars assertionis liquet ex his Tridentini verbis cap. 1. decreti de reform. matrimonii: *Qui aliter, quàm præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt; eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: & huiusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat. Insuper parochum, vel alium sacerdotem, qui cum minore testium numerò, & testes, qui sine parocho, vel sacerdote huiusmodi contractui interfuerint, necnon ipsos contrahentes grauiter arbitrio Ordinarii puniri præcipit.* Et in fine eiusdem capitis mandat sub præcepto omnibus Ordinariis, vt cùm primùm poterunt, curent hoc decretum populo publicari, ac explicari in singulis suarum diœcesium parochialibus Ecclesiis: idque in primo anno quàm fœpissimè fiat, deinde verò quoties expedire viderint. Decernit insuper vt huiusmodi decretum in vnaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat à die primæ publicationis, in eadem parochia factæ, numerandos. Hucusque Tridentinum; ad cuius decreti maiorem intelligentiam quædam explicanda sunt, ac primò quænam sint, & dicantur matrimonia clandestina per Tridentinum irritata?

48. Quænam sint clandestina.

Respondeo, ea omnia, & sola, quæ non contrahuntur coram Parocho proprio, aut altero sacerdote cum eius licentia, & duobus testibus: quorum si quid defuerit matrimonium nullum est. Patet, quia Tridentinum cap. cit. hæc tantùm requirit velut essentialia, vel ad valorem matrimonii necessaria. Vnde sequitur omissionem proclamationum non irritare matrimonia, quamuis illicitè omittantur. Sequitur etiam matrimonium sine præsentia prædictorum, parochi scilicet, & testium, irritũ esse; licet alioqui publicè coram aliis multis contrahatur. Excipiendi tamen sunt 1. Infideles non baptizati; qui non subsunt legibus ecclesiasticis, & quorum matrimonia clandestina non potuerunt per illas irritari. Secundò, fideles contrahentes in locis, vbi Tridentini constitutio non est recepta: licet peregrini sint, & in eorum patria constitutio sit recepta: imo licet de industria eò se contulerint, vt validè contraherent, sicut ait Pont. lib. 5. cap. 9. post Sanchem, & alios. Contra verò, licet in propria patria Tridentini decretum non fuerit receptum, nequeunt tamen contrahere validè in territorio alieno, vbi receptum est: vt idem rectè affirmat num. 1. Quod si duo contrahentes clandestinè sint diuersarum parœciarum, in quarum vna publicatum fuerit decretum Tridentini, in altera non; valet matrimonium si fuit celebratum in ea parœcia, in qua decretum nondum fuit receptũ: secus non; vt responsum fuit à Congregatione Cardinal ad cap. 1. decreti de reformat. matr. sess. 24. num. 14. Excipe tertiò fideles, qui priùs contraxerunt in facie Ecclesiæ, sed inualidè propter occultum impedimentum. Postea enim clam validè contrahunt, vt à Pio V. declaratum fuisse testatur Nauarr. cap. 22. Manual. num. 70. Et Petr. Ledesma q. 45. art. 5. §. *Aliud dubium est, an in aliquo casu* &c. affirmat Cardinales Congregationis ita declarasse, seque illam declarationem vidisse. Idemque docent Sanches lib. 2. de matrim. disp. 37. num. 3. & sequent. Dominic. Sot. in 4. dist. 28. q. 1. art. 2. concluſ. 3. Rebell. parte 2. lib. 2. q. 9. num. 5. & 6. Mærat. disp. 7. de matrim. sect. 16. & plures alii.

49. Posſũt cłi contrahere qui priùs cõtraxerũt Publicè, sed inualidè.

Contrarium tamen sentiunt non pauci, quos refert, & sequitur Pont. lib. 5. cap. 6. num. 6. vbi etiam refert responsum Clementis VIII. in fauorem huius sententiæ, & duas decisiones Rotæ, quarum posterior eam clarè tradit, mentionemque facit alterius declarationis Cardinalium præcedenti contrariæ: & rationes in confirmationem huius sententiæ non leues adducit: quòd scilicet quotiescunque matrimonium non tenet ex aliquo impedimento, quod ab initio viget, si postea cesset, opus est omnia necessaria, & essentialia matrimonio de integro poni. Cumque contractus antea fuerit irritus & nullus; debeatque nunc validè fieri: & præsentia parochi requiratur pro forma contractus, sine qua est inualidus: quæcunq; sunt de forma actus, debẽt interuenire eo tempore quo actus ponitur in esse. Neque sufficit ratihabitio, quia omnis solẽnitas & forma, quæ debet interuenire in actu, vt valeat, interuenire debet in ratificatione. Neque etiam hîc iuuare potest fictio, aut retroactio: cùm non fiat, quando actus

est omnino nullus: quia tunc retrotractio nõ inuenit principium conseruabile. Hæc ille.

50. Quibus non obstantibus censeo priorem sententiam retinere suam probabilitatem, & in praxi tutam esse. Nam responsum illud Clementis non clarè loquitur de occulto impedimento, aut defectu: idque Pontius non bene deducit ex eo quòd Clemens dicit se dispensare propter scandalum. Quasi scandalum timeri non possit ex maiori publicatione, licet iam parocho, aut vni, vel alteri testium defectus innotuerit. Decisiones verò illæ Rotæ minus habent auctoritatis, quam responsum Pii V. & declarationes Cardinalium non omnes habent auctoritatem, quia interdum non satis cohærent: propter quod etiam statutum fuit, vt non omnibus fides habeatur, sed illis tantùm, quæ aliquo signo peculiari notantur, vt legitimæ, & authenticæ; cuiusmodi illæ esse debent, quæ vna cum textu Concilii fuerunt in lucem editæ. Ad rationes verò in contrarium, dico non esse necessarium formam aliam poni, præter eam, quæ iure naturali sufficit, nisi Ecclesia aliter statuerit. Tridentinum autem non statuit vt in casu, de quo loquimur, ponatur aliud ad redintegrandum matrimonium; vt declarauit Pius V. & Congregatio Cardinalium relata à Petro Ledesma: eiusque irritatio cum sit odiosa, & restrictiua iuris naturalis, debet potiùs strictè, quàm amplè intelligi.

51. Ad incommodum verò quod Pontius ex communi sententiâ deducit cap. cit. num. 8. fore vt aliquis, qui occultè consensum renouauerit, postea secedens aliâ ducat publicè, sequens opinionem probabilem quòd consensus occultus non sufficiat: in quo casu valebit secundum matrimonium, & tenebitur in eo permanere: neque poterit, coactus licet excommunicationibus, ad primum redire, de quo controuersum est an sit validum. Respondeo id minimè sequi: Quia non est practicè incertum an primum sufficiat. Ecclesia enim sciens, & tolerans plurimos auctores ita sentire, nitique auctoritate declarationis Summi Pontificis; tacitè dispensat, & supplet hunc defectum, si opus sit: quemadmodum supplet defectum iurisdictionis ad absoluendum in casibus, in quibus probabiliter dubitatur sintne reseruati. Adde quòd talis, si defectus occultus est, non potest illum probare, & ostendere prius matrimonium, in facie Ecclesiæ celebratum coram parocho, & testibus, fuisse inualidum, seque posse ab illo resilire, vt ad aliud transeat. Cætera quæ opponit idem auctor, non sunt maioris momenti.

52. Quid si nullus sit parochus vbi contrahitur?

Quartò, excipiendi quoque sunt illi, qui contrahunt in oppidis, aut pagis vbi nullus pastor, aut vicem eius obtinens haberi potest, aut in proximis locis adiri. Tales enim validè contrahere sine parocho declarauit Clemens VIII. teste Aegid. Con. disp. 27. dub. 1. num. 11. Et à Congregatione Cardinalium ità responsum habetur ad cap. 1. decreti de reformat. matrim. sess. 24. §. *Congregatio Concilii perpensis consultationibus* &c. Si Parochia, in qua fuit aliquando obseruatum decretum, proprio Parocho careat, & Cathedralis itidem Episcopo, & Capitulo habentibus à Concilio facultatem alium sacerdotem ad id delegandi, nullusque alius ibi sit, qui vices parochi, aut Episcopi suppleat; matrimonium valet absque præsentia Parochi, seruatâ tamẽ inter eos, in quo potest, formâ Concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus. Si verò extent quidem parochus, & Episcopus, sed nullo constituto vicario vterque metu hæreticorum lateat, ita vt verè ignoretur vbi sit, vel eodem metu à Diœcesi absit, nec ad alterutrum sit tutus accessus; validum est matrimonium contractum absque parocho, adhibitis tamen duobus testibus. Hucusque Congregatio.

53. Ignorantia non impedit irritationem.

Quintò, excipiendi sunt qui contrahunt cum dispensatione Summi Pontificis supra legem Concilii. Addunt aliqui sextò eos qui ignorant Concilii decretum: quia lex non ligat ignorantes: item eos, qui non habent præsentem parochum, neque possunt sine incommodo differre contractum, quia lex positiua in tali casu non obligat. Sed falluntur quoad priorem casum: quia constitutiones irritantes ligant etiam ignorantes (in quo differunt à legibus prohibentibus tantùm, aut præcipientibus) non quidem ita vt peccent, sed ita vt inhabiles sint. Quoad secundum, debent, vt verè sentiant, id intelligere iuxta proximè dicta num. præcedenti. Nam alioqui graue incommodum excusat quidem à peccato in præceptis, aut prohibitionibus humanis, sed non tollit inhabilitatem per statutum inductam.

54. Validè contrahunt hæretici.

Specialis verò difficultas est de hæreticis, qui cum subsint legibus Ecclesiæ, neque seruent constitutionem Tridentini in Gallia receptam, videntur inualidè contrahere: sicut & omnibus aliis in locis. Sed responderi potest constitutionem Tridentini non fuisse receptam in Gallia respectu hæreticorum. Hoc enim ipso, quòd Rex non obstante huius decreti receptione, voluit liberum manere hæreticis, vt viuant suis legibus, limitauit tacitè receptionem ad Catholicos: adeo vt hæretici perinde se habeant, ac si lex Tridentini recepta non fuisset. Priùs autem in Gallia permissum à Rege Carolo IX. fuerat hæreticis vt viuerent suis legibus, quàm hæc constitutio reciperetur in eodem regno: cui permissioni noluit per eam derogare. Vel etiam dici potest Ecclesiam cum illis tacitè dispensare; vt ex eo colligitur, quòd neque in Gallia, neque alibi cogit eos iterum contrahere coram Parocho, quando ad fidem catholicam conuertuntur, sed rata habet matrimonia, quæ in hæresi more suo coram ministro, & testibus contraxerunt. Verùm huic vltimæ responsioni obstat declaratio Congregationis Cardinal. circa caput 1. decreti de reform. matrimonij

matrim. sess. 24. §. *Congregatio Concilii perpensis consultationibus*, &c. vbi interrogata circa formam matrimoniorum, quæ in partibus Hollandiæ, Zelandiæ, & Frisiæ contrahuntur ab hæreticis, ita censuit: *Vbi hoc decretum nondum ibi publicatum in parochia, valet matrimonium contractum absque obseruatione formæ à Concilio præscriptæ. Publicatio autem decreti facta præsumitur vbi decretum ipsum fuit aliquo tempore in parochia, tanquam decretum Concilii obseruatum. Hæretici, in quorum parœcia dictum decretum fuit publicatum, tenentur præscriptam formam obseruare. Et propterea ipsorum matrimonia absque forma Concilii, quamuis coram Ministro hæretico, vel magistratu loci contracta, nulla sunt.*

55. Quid intelligendũ per parochum, vel alium sacerdotem?

Quæritur 2. quid intelligatur nomine Parochi, vel Ordinarii, cuius præsentia requiritur à Tridentino, vel alterius sacerdotis de ipsius licentia? Respondeo & dico primo, intelligi Parochum in tota sua parœcia; Episcopum in tota Diœcesi: Archiepiscopum in tota prouincia, dum visitat actu, vel causa ad eum per appellationem deuoluta est: summum Pontificem in toto orbe: Legatum summi Pontificis in tota sua prouincia: Vicarios generales Episcoporum in spiritualibus, & Capitulum Cathedrale sede vacante, in tota diœcesi: & denique eos qui habent iurisdictionem Episcopalem, respectu eorum, in quos eam habent; vt Capitula quædam, & Abbates Exempti. Dicuntur autem esse in alicuius ditione, diœcesi, vel parœcia, illi, qui in ea domicilium, vel quasi domicilium habent. Domicilium verò habere dicitur is, qui alicubi habitat animo ibi perpetuò manendi, licet per horam tantùm ibi habitauerit. Quasi domicilium, qui per maiorem fere anni partem ibi habitat, vel habet animum ibi habitandi maiore anni parte. Vnde qui habet quasi domicilium in duobus locis, potest coram vtronis Parocho contrahere: quia vterque Parochus eius est. Et quando sponsus, & sponsa sunt diuersæ parœciæ, possunt sub huius, aut illius parocho contrahere; vt libuerit: quia parochus vnius censetur parochus vtriusque, vt Cardinales Congregationis declararunt teste Nauarr. lib. 4. Consiliorum tit. de sponsal. consilio 52. & refertur in declarationibus cum textu Concilii impressis sess. 24. cap. 1. de reform. matrimonii, initio. Validum quoque censeri debere matrimonium celebratum in parochia mulieris coram sacerdote habente licentiam à Parocho viri, & præsertim cum parochiæ viri, & mulieris sunt in diuersis Diœcesibus constitutæ, declarauit eadem Cõgregatio, 16. Februarii an. 1594. vt refertur in declarationibus ediris supra caput Tridentini citatum. Vagi autem, qui nullibi habent domicilium, vel aliò illud transferunt, possunt contrahere coram pastore quolibet, sicut & alia sacramenta recipere: priùs tamen facta diligenti inquisitione, num idonei sint ad contrahendum, & re ad Ordinarium delatâ, licentiâque ab eo obtentâ, vt Tridentinum præcipit sessione vigesima quarta, decreto primo, cap. 7.

56. Sufficit parochus nõ sacerdos.

Dico secundò, non esse necessarium vt parochus assistens sit sacerdos, sed sufficit habere titulum, & officium parochi, sicut expressè declarauit Congregatio Cardinalium primo Decembris anni 1593. vt refertur in declarationibus capitis primi decreti citati, num. 12. Et paulò ante, §. *Matrimonium contractum per verba*, Dicitur hæc Tridentini verba, *Qui alias quàm præsente Parocho*, debere intelligi de illis etiam qui ad sacerdotium nondum promoti sunt, quia nondum expirauit annus illis concessus vt curent promoueri, iuxta textum, *Licet canon*, de elect. in 6. Ibidemque affirmatur Clementem VIII. approbasse hanc resolutionem Cardinalium. Nec obest, quod ait Concilium, *Coram parocho, vel alio sacerdote*: quia particula, *Alius*, sæpe refert aliquid diuersæ qualitatis. Non est etiam necessarium, vt sit in propria parœcia. Potest enim suis assistere extra illam, etiam sine licentia Parochi proprii loci. Neque obstat valori matrimonii, quòd parochus assistens sit excommunicatus etiam non toleratus, aut habeat solum titulum coloratum, modò communiter credatur habere verum titulum: quia ius supplet ipsius defectum, propter commune bonum, iuxta legem *Barbarius*, ff. de Officio Prætoris: ideoque sacra Congregatio, vt refertur in declarationibus supra citatis, circa illa verba, *Qui alias quàm præsente parocho*, censuit matrimonium factum coram Parocho denunciato excommunicato, vtique valere. Item licet prohibitio facta Parocho ne assistat certo matrimonio, aut ne det alteri licentiam assistendi, reddat factum Parochi illicitum; validè tamen vtrumque facit, nisi clausula irritans sit prohibitioni adiuncta, quæ non potest adiungi ab Episcopo, aut alio inferiore Summo Pontifice, posito quòd ille solus, vt supremus Ecclesiæ Princeps, possit apponere conditiones essentiales matrimonio, sine quibus non valeat: qua de re modò non disputamus.

Eius consensus non est necessarius.

Addo consensum parochi assistentis non esse necessarium. Partes enim validè contrahunt præsente parocho, vel alio Ordinario, licet repugnante: quia Tridentinum non requirit consensum, sed præsentiam. Et id quoque declarauit expressè Congregatio Cardinalium, loco supra citato, in hæc verba: *Congregatio Concilii censuit matrimonium coram Parocho, & testibus contractum, nisi aliud obstet, validum esse; quamuis Parochus inuitus interfuerit, & alia de causa, quàm vt matrimonio interesset, à contrahentibus accersitus fuerit, cùm tamen ad actum matrimonii verè, & formaliter fuerit adhibitus.* Alias duas declarationes refert ex Farinacio, Basilius Pontius libro quinto de Matrim. cap. 21. num. quinto, quarum prior affirmat

valere matrimonium, *Dummodo Parochus ſit præſens, & intelligat id quod agitur, licet diſſentiat, & contradicat: adhibitus verò Parochus intelligitur, etiamſi ex alia cauſa vocatus ſit, dummodo ſit adhibitus ad illum effectum.* Poſterior eſt eiuſmodi: *An verò, ſi inuitus, & compulſus per vim adſit Parochus, etiam contrahatur matrimonium, & precedente ſupradicta prohibitione Ordinarii tale matrimonium ſubſiſtat? Congregatio reſpondit ſubſiſtere.*

57. Poteſt alterum delegare, ſed ſacerdotem tantum.

Dico tertiò, quicunque habet poteſtatem ordinariam aſſiſtendi matrimonio, poteſt validè dare alteri idoneo licentiam aſſiſtendi. Sed vt ſit idoneus, debet eſſe ſacerdos, ex Tridentini ſeſſione vigeſima quarta, decreto primo, capite primo. Et hoc ſufficit ad valorem matrimonii, quamuis ſacerdos ſit excommunicatus, ſuſpenſus, imò degradatus. Addit Bonac. quæſtione ſecunda de matrimonio, punct. 8. num. 30. Sufficere ſacerdotem coloratum, qui ſcilicet cõmuni errore habeatur ſacerdos, cùm non ſit. Sicut ſufficit Parochus coloratus: iuxta vtrumque defectum ſupplente. Debet autem licentia dari ſenſibiliter aliquo ſigno externo, vel diſtinctè, & ſpeciatim: vel confuſè & generatim, vt quando parochus dat alicui facultatem exercendi omnia officia paſtoralia in propria Eccleſia. Id enim ſufficere declarauit Congregatio Cardinalium loco ſupra citato, numero duodecimo, his verbis: *Generalis licentia alicui ſacerdoti à parocho in ſcriptis data, exercendi ſcilicet omnia, quæ parochi officia concernunt, ſufficit ad matrimonii coram illo ſacerdote celebrati validitatem.*

58. Qualis delegatio requiratur.

Addunt aliqui debere licentiam aſſiſtendi dari liberè, id eſt, ſine dolo, vel metu: ita vt aliter non ſufficiat. Sed oppoſitum probabilius eſt; niſi dolus verſetur circa ſubſtantiam perſonæ, & conſenſus ad eam hmitetur: aut dans licentiam, det illam ſub conditione, ſi vera ſunt, quæ proponuntur: vt docent Sanch. lib. 3. diſput. 39. num. 13. & 14. & Aegid. Con. diſp. 27. dub. 3. n. 37. Sufficit etiam licentia fictè conceſſa à Parocho, vel ab alio Ordinario, verbis tantummodo, ſine vera intentione. Quia error communis interuenit, & titulus coloratus, ſiue præſumptus, collatus à legitimo ſuperiore, Eccleſia ſupplente quod deeſt, vt diximus de parocho colorato. Ita Bonac. puncto cit. n. 33. & 34. poſt alios quos citat. Denique debet antecedenter concedi, & acceptari, ac non fuiſſe reuocata ſufficienter, id eſt, reuocatione ſufficienter intimata ante celebrationem matrimonii. Sique conditio aliqua, tanquam omnino neceſſaria, & ſine qua non, fuit appoſita à concedente licentiam, debet ſeruari à delegato, vt validè aſſiſtat: quemadmodum rectè notat Aegid. loco ſupra citato.

59. Quot & qui teſtes neceſſarii.

Quæritur tertiò, quot & quales teſtes neceſſarii ſint ex conſtitutione Tridentini? Reſpondeo requiri duos ſaltem, vtra Parochum; quorum præſentia ſit moralis, & humano modo, ita ſcilicet, vt aduertant, & intelligant, quid agatur; quique ſimul adſint cum parocho, & inuicem omnes aſſiſtant contractui. Hæc omnia colliguntur ex Tridentino ſeſſ. 24. decreto 1. cap. 1. Vnde ſequitur amentes, ebrios, furioſos, dormientes, aut non attendentes, non valide aſſiſtere: quia non ſunt teſtes eorum, quæ nesciunt geri, neque ſunt præſentes contractui humano modo. Sufficiunt autem quiuis alii ratione vtentes, cuiuſcumque ſint ætatis, ſexus, vel conditionis: quia Concilium nihil aliud requirit, & nullos teſtes excipit.

Dices, quoſcunque teſtes non ſufficere intentioni Concilii, ſed tantùm teſtes omni exceptione maiores, qui ſincerè, & conſtanter fidem faciant de contracto matrimonio. Reſpondeo intentionem Concilii non fuiſſe occurrere omnibus incommodis, quod etiam moraliter impoſſibile eſt, cùm vel ipſi teſtes omni exceptione maiores poſſint interdum corrumpi: ſed tantùm cum muribus incommodis, quæ vitantur ſufficienter adhibitis duobus teſtibus, quibuſlibet, & parocho. Mazin. verò ſeruato eo quod ibidem præſcribit: vt ſcilicet Parochus librum habeat, in quo coniugum, & teſtium nomina diemque, & locum contracti matrimonii deſcribat, & eum diligenter apud ſe cuſtodiat.

60. Sufficit eos intelligere per interpretẽ, quid agatur.

Porrò licet parochus, & teſtes debeant adeſſe non tantùm phyſice, & corporali præſentia; verùm etiam moraliter, intelligendo quid agatur, vt paulò ante diximus: ſufficit tamen ſi intelligant per interpretem. Neque enim melius debent id intelligere, quàm vnus coniugum cognoſcere debeat alterius conſenſum. Atqui ſufficit ſi coniux illum intelligat per interpretem, aut procuratorem. Item non minùs neceſſarium eſt ſacerdotem intelligere peccata pœnitentis, vt iudicem. Et tamen ſufficit quòd intelligat per interpretem. Præterea, ſicut diximus antea ſufficere præſentiam Parochi, licet inuiti, & repugnantis: ita & teſtium. Quia ſiue ſponte, ſiue inuiti adhibeantur, æqualiter poſſunt intelligere, & teſtari id quod fit. Peccant tamen qui ſic contrahunt, niſi grauis neceſſitas, vel alia iuſta cauſa excuſet. Ita Sanchez lib. 3. diſp. 39. Aegid. Con. diſp. 27. dub. 4. n. 44. Henriq. lib. 11. cap. 3. nu. 9. Ledeſma qu. 45. Supplem. art. 5. punct. 3. dub. 2. Germonius, Vega, Manuel, à Sanche relati.

61. Proclamationes non ſunt neceſſariæ ad valorem matr.

Quæritur quartò, an matrimonia celebrata ſine proclamationibus ſint clandeſtina, & inualida? Reſpondeo negatiuè, quia Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 1. de reform. matrim. eas tantùm requirit, vt licitè contrahatur, neque irritat matrimonium ſine illis celebratum, modò fiat coram parocho, & duobus vel tribus teſtibus. Idque expreſsè declarauit Congregatio Cardinal. ad ſeſſ. 24. cap. 1. Decreti de reformat. matrim. num. 2. in hæc verba: *Congregatio cenſuit matrimonium contractum non præmiſſis denunciationibus, niſi*

aliud obstet, irritum non esse. Peccant tamen grauiter, qui sine dispensatione, vel legitima causa excusante contrahunt non præmissis proclamationibus: quia res grauis est, grauiterque prohibetur à Trident. cap. cit. ex cuius prohibitionis inobseruantia possunt oriri grauissima incommoda.

Clandestina sunt irrita etiam in foro interno.

Quæritur quintò, vtrum supradicta irritatio locum habeat in foro conscientiæ, æque ac in foro externo? Respondeo affirmatiuè: alioquin Ecclesia non vitaret incommodum, quod præcipuè vitare intendit hac sua constitutione: eorum scilicet peccatum, qui in statu damnationis permanent, dum priore vxore, cũ qua clam contraxerunt, relictâ, cum alia palàm contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio viuunt. Sed potiùs Ecclesia malum illud foueret, & confirmaret, polens haberi ratum in foro externo matrimonium validum in foro conscientiæ; & permittens palam cum alia contrahere, taleque matrimonium approbans in foro externo, & cogens ita contrahentes cohabitare: cum tamen inter eos non esset verè matrimonium, nec esse posset, suppositâ validitate prioris clam contracti, & priori coniuge superstite.

SECTIO VI.

Vtrum consensus debeat esse liber non solùm à necessitate, sed etiam à coactione, & metu?

62. Consensus debet esse liber à necessitate.

PRima conclusio: Ad matrimonium validè contrahendum debet consensus esse liber ea libertate indifferentiæ, quæ sufficit ad peccatum mortale. Ita Doctores communiter. Quorum præcipua ratio est, quia non potest homo se obligare ad aliquid sub peccato mortali, proprio suo consensu, propriaque voluptate, nisi ex pleno, & perfecto rationis vsu sufficiente ad peccandum mortaliter. Atqui consensus validus in matrimonium obligat sub peccato mortali, & quidem diuturnâ, multiplicique obligatione: quippe quæ ad multa onera matrimonii se extendit, & totâ vitâ durat ergo, &c. Eaque de causa ne sponsalia quidem validè possunt contrahi ab impuberibus ante septimum ætatis annum, quando communiter incipit esse libertas sufficiens ad peccatum mortale, nisi prius malitia ætatem suppleuerit. Eadem de causa nullus alius contractus in materia graui validus est, si absque perfecto rationis vsu fiat. Quippe qui ex natura sua obligat sub mortali: cum res sit grauis, & ipse obliget ex iustitia.

63. Infantes, & alii priuati vsu rationis, & possunt contrahere.

Hinc colligo, non modò infantes non posse validè consentire in matrimonium, vt definit Innocentius III. cap. *Tuæ, de sponsalibus*, verùm etiam neque adultos tempore amentiæ, vel ebrietatis: quia tunc non possunt consentire ex pleno rationis, & libertatis vsu. Quam ob causam idem Pontifex cap. *Dilectus*, eod. tit. iubet separari mulierem, quæ contraxerat cum viro laborante furore perpetuo, eò quod, inquit, propter alienationem furoris non potuerit legitimus interuenire consensus. Idemque generaliter asserit Fabianus Papa, Causâ 32. q. 7. c. 26. his verbis: *Neque fari esse, neque fingi sine matrimonium contrahere posse amentes.* Quodque addit immediatè post, *sed si contractum fuerit, non separentur*, nõ repugnat resolutioni Innocentii III. prius relatæ: quia debet intelligi, si contractum fuerit antequàm in furorem, & amentiam inciderent. Potuerunt enim validè contrahere ante amentiam. Possunt etiam intra illam, si habent lucida intervalla, & contrahunt, quando sunt sanamentis. Non obest quoque feruor iracundiæ, vel alia passio. Si non sit adeo vehemens, vt tollat sufficientem vsum rationis, & libertatis ad peccandũ mortaliter. Quæ libertas, sicut est planè necessaria ad contrahendũ matrimonium, ita etiam sufficit ex natura rei. Nam quod dicitur in lege *Quidquid*, 49. ff. de Regulis Iuris, *Quidquid calore iracundiæ fit, velut furore, non prius ratum esse, quam si perseueratiũ apparuerit iudicium animi fuisse*: dictum est pro foro externo, in quo, si dubitatur de veritate consensus satis plene deliberati, ex tali coniectura de illo iudicandum est. Quod autem dicunt aliqui, iuramentum feruore iracundiæ præstitum non obligare, Lege 2. ff. *Ad legem Iuliam maiestatis*, & cap. *Duorum*, De conuersione coniugatorum, cap. *Sicut ex literis*, de Iure iurando: adeoque nec promissionem aut cõsensum in matrimonium similimodo datum: Hoc inquã, non est verũ, nisi feruor iracundiæ plenũ vsum libertatis abstulerit: maléq; probatur ex dicta Lege 2. vbi solum asseritur non obligare iuramentum, quod aliquis inconsultè fecerat de re mala, hoc est, de ira semper contra seruum continuanda. Et cap. *Sicut*, est pariter sermo de iuramento facto contra bonos mores, Monachi scilicet, clausturam abiuranti. Capite autem *Duorum*, approbatur votum de re bona, ad quod faciendum vouens inductus fuerat spe mala, & feruore iracundiæ: quia (inquit Pontifex) nihil horum erat quando vouit. Ex quo inferunt aduersarii iudicaturum fuisse Pontificem, votum esse inualidum si quid horum affuisset. Sed hoc argumentum à contrario est in iure infirmum: quia satis erat Pontifici declarare quod erat quæsitum: & certam, atque euidentem rationem suæ declarationis reddere: validum scilicet fuisse iuramentum in casu proposito, cum talis purè simpliciterque vouerit, spe mala, & feruore iracundiæ non iam ampliùs eum turbante: abstrahendo à decisione quæstionis, de qua nunc disputamus.

64. Dices: si sufficit ad contrahendum matrimonium ea libertas, quæ ad peccatum mortale censetur esse sufficiens: ergo si quis in-

Quinta li. bertas re quiritur?

ebrietur prævidens fore vt in ebrietate consentiat in matrimonium, & consensum declaret, valide contrahet: quia hoc sufficit, vt quod fit in ebrietate imputetur ad peccatum mortale. Si enim quispiam simili modo prævideat fore vt in ebrietate blasphemet, aut occidat, imputatur illi ad mortale blasphemia, vel homicidium: præcipuè verò, si hoc affectet, & ex directa intentione se ad hunc finem inebriauerit. Maiorque est difficultas, si priùs ille consenserit in matrimonium, & in ebrietate consensum verbis exprimat, id antea prævidens, & affectans.

Respondeo, id quod malè fit in ebrietate, non imputari ad peccatum mortale in se, sed in causa, id est, in prævisione, & acceptatione, vel affectatione libera: neque committi peccatum mortale, quando illud fit actu, tempore ebrietatis; sed eo instanti, quo acceptatur in prævisione, vel affectatur: nec denique talem blasphemiam, vel homicidium esse actum humanum in seipso; sed solam eius acceptationem, & affectationem liberam, positionemque causæ, id est, ebrietatis, ex qua naturaliter, id est, necessariò sequitur talis effectus. At contractus matrimonii, cùm sit actus humanus, quo quis se liberè obligat alteri, debet esse liber in seipso, eamque requirit libertatem, quæ necessaria est, vt aliquid per se sit peccatum mortale, & non tantùm in causa liberè posita. De qua etiam libertate nos locuti sumus.

65. Iustabis quia si quis velit baptizari, vel absolui à peccatis, & incidat in amentiam, aut phrenesim, sufficit illa voluntas durans habitualiter, vt paulò post baptizari, vel absolui possit. Quidni ergo similiter ad matrimonium sufficit? Respondeo 1. obstare naturam contractus, vt iam diximus. 2. Coniuges esse simul ministros, & subiectum matrimonii. Quamuis autem in Sacramentis Baptismi, & Pœnitentiæ sufficiat intentio habitualis supradicta, ad ea recipienda: quia recipiens est purè subiectum; & recipere non est agere; pura, inquam, receptio non est actus humanus: vnde etiam infantes sunt capaces baptismi. Secus est de Sacramento matrimonii, quod nemo potest recipere, qui simul eius minister non sit: Administratio autem sacramentorum est actus humanus, & ad eum non sufficit intentio habitualis, sed actualis, aut virtualis humano modo continuata, & semper operans, vt docent omnes, & nos ostendimus in tract. de Sacramentis in genere. Hanc responsionem Thomæ Sanchez, & communem Theologorum aliquatenus impugnat Pont. lib. 4. cap. 1. num. 13. & sequentibus. Sed in eam tandem cogitur incidere n. 16.

66. Secunda conclusio: Consensus sufficiens ad matrimonium debet esse liberà coactione per metum grauem, & iniustè incussum ad finem extorquendi matrimonium. Talis enim metus iure saltem positiuo irritat matrimonium, vt patet ex cap. 2. *De eo qui duxit in matrimonium*, c. 9. *De desponsi. Impub.* capite decimo quarto, & decimo quinto, *De sponsal.* aliisque multis. Sed debet primò hic metus esse grauis, id est, cadens in constantem virum, sicut dicitur cap. 15. De sponsalibus in fine: & cap. 28. requiritur idem metus etiam in fœminis. Metus autem cadens in constantem virum est ille, qui rationabiliter eum moueret, & terreret, siue illi cederet, siue non, vim sibi faciendo ad illum superandum. Non est verò talis, nisi sit metus grauis mali, quod prudenter iudicetur impendere, & sine magna difficultate vitari, aut superari nequeat. Cuiusmodi est metus mortis, aut cruciatus, quem etiam vir constans timeret, vt dicitur cap. 6. *De his, quæ vi metusue causâ fiunt.* Sub his autem comprehenduntur, ex communi sententia Doctorum, metus seruitutis, aut grauis carceris, aut duræ captiuitatis, aut diuturni grauisque exilii, aut stupri siue à viro, siue à fœmina, aut infamiæ grauis, & quæ facilè dilui non possit, aut amissionis status honorabilis, aut spoliationis omnium, vel notabilis partis bonorum, aut demum iniustæ Excommunicationis, quæ communiter adiunctam habet infamiam, nisi pateat omnibus esse iniustam, & abstinere cogit, propter scandalum vitandum, à publica in sacris, & profanis communione cum aliis, quod graue malum est.

Metus grauis irritat matrimonium.

At verò metus reuerentialis non sufficit, 67.
At non metus reuerentialis
vt metus displicendi, vel offendendi, vel amittendi amicitiam alicuius: licet metus ille alioqui sit grauis: quia de illo nihil tale in iure constitutum est, quamuis legitimè constitui posset. Si tamen haberet grauem cruciatum adiunctum, aut graues minas, aut periculum magnæ, & diuturnæ offensionis cum asperitate vultus, & verborum eius, cui reuerentia debetur: meritò hæc iudicarentur esse grauia, & sufficientia ad terrendum virum constantem: adeoque etiam ad irritandum matrimonium tali metu contractum, vt rectè docet Aegid. Con. disp. 28. num. 35. Notandum etiam non eandem, & æqualem causam metus respectu omnium requiri: sed talem vt iudex in foro externo, vel in foro cõscientiæ vir prudens iudicet meritò tanquam valde grauem apprehensam fuisse à patiente, spectatâ talium personarũ naturâ, & conditione. Adeo vt ad irritandum matrimonium talis metus requiratur, & sufficiat, qui eiusdem cum contrahente conditionis homines solet communiter concutere grauiter, & compellere vt omnino inuiti aliquid magni momenti faciant. Quemadmodum rectè post multos alios docet auctor citatus dubitatione secunda, eiusdem disputationis, numerò vigesimo nono, probatque ex Lege *Metus autem*, 3. ff. *Ex quibus causis maiores.*

Nota præterea, metum circa mala supradicta irritare matrimonium, non modò si 68.
timeantur propriæ personæ, verum etiam si

Cuius mali timor sufficiat.

timeantur parentibus, liberis, & aliis adeo nobis coniunctis, vt eorum mala veluti nostra apprehendamus: vt docet auctor citat. ibid. probatque ex Lege *Ignominiæ* 8. ff. *Quod metus causa*. Idemque affirmat Sanctus Thomas in 4. distinctione vigesima nona, quæstione prima, art. 2. ad 2. vbi recentiores quibusdam grauibus malis, *Non differt*, inquit, *vtrum hæc pertineant ad personam propriam, vel vxoris, vel liberorum, aut aliorum huiusmodi*. Nihil etiam refert quòd metus incutiatur vel ab ipso contrahente, vel ab alio. Nam iura citata vel loquuntur absolutè, & comprehendunt vtrumque casum: vel etiam specialiter mentionem faciunt de metu incusso ab alio. Vt caput *Veniens*, De sponsalibus, vbi sermo est de puella, quam pater metu coactus compulerat ad contrahendum. Si autem metus ab alio incussus sufficit, par, aut maior est ratio de graui metu incusso ab ipso contrahente. Imò dubitari potest cur respectu illius non sufficiat leuis metus? Quia si verbi gratia, viator leui metu perculsus, iniecto à latrone, suas pecunias ei det, nulla est hæc donatio, etiam iure naturali, neque latro dominium illarum acquirit. Par autem ratio esse videtur de adigente ad matrimonium. Respondeo tamen differentiam esse: quia viator non habet voluntatem donandi, sed potiùs retinendi ius suum quantum potest, & extetiùs tantùm simulat se donare: potiusque ipsi eripiuntur pecuniæ, quàm ab ipso donantur. Sic enim viatores in tali casu se gerunt. Et alioqui si donarent ex animo, transferrent dominium pecuniæ. At consentiens ex metu leui, cum verè consentiat, vt supponimus, dat potestatem in suum corpus; ac proinde alter ius acquirit.

69. Debet esse iniustè incussus ad extorquẽdum matrimoniũ.

Secundò, debet hic metus esse iniustè aliunde illatus, id est, sine causa rationabili. Nam alioqui si quis exempli gratiâ, consentiat ducere puellam, quia illam violauit, & lege, aut sententia iudicis debet vel eam ducere, vel mortem pati: & hoc secundum eligit vt minus malum; non est consensus insufficiens ad matrimonium, neque de tali metu loquuntur iura supra citata. Præterea debet metus ille inferri ad matrimonium extorquendum. Nam alioqui matrimonium valet: vt quando aliquis metu suspendii alia de causa patiendi, eligit aliquam, cum qua contrahit, iudice concedente, vt suspendium vitet: vel quando aliquis iniustè detentus in carcere, alia de causa, & ob alium finem, ducit in vxorem filiam eius, à quo detinetur, spe libertatis obtinendæ: aut quando Princeps bello, licet iniusto, ab altero vexatus, petit ipsius filiam, & ducit propter bonum pacis. Idem censendum esse dicunt aliqui de illo, qui duceret filiam medici nolentis aliter ei succurrere in periculo vitæ, suamque operam ei præstare. Quia, inquiunt, talis metus non iniustè incutitur à medico, quippe qui aliunde prouenit ab ipso morbo periculoso; & medicus non tenetur ex iustitia illi succurrere. Sed hoc non est verum, si medicus sit eiusdem vrbis, & tentatur ex officio, conuentione facta in ciuitate, aut stipendio accepto, adesse omnibus cum vocantibus, moderato pretio. Ideò quamuis sit externus, & alioquin non obligatus, iniustè facie, si tantum premuntur alii, & operæ suæ exigi, quantum est matrimonium inter personas valdè disparis conditionis: vt ipse pauper, & ignobilis, vellet hac ratione nomine valdè diuiten, & nobilem ducere, aut si ipso inuito obtinere. Idem à pari, vel à fortiori dicendum est de nauta, vel duce viæ, qui virginem ad partum ducere, & à naufragii periculo liberare, aut viæ difficilis, & periculosæ cum molestia deducere nolit, nisi illa in matrimonium consentiat. Huc etiam pertinet casus de quo in *Veniens autem*, De sponsal. vbi Alexander III. respondet matrimonium non fuisse inualidum, initum à iuuene deprehento à patre puellæ in flagranti delicto, & coacto, metu fustigationis ab ipso, intentatæ nisi contraheret. Nam ille metus iniustè incutiebatur, cùm pater non haberet occidendi ius, sed tantùm deferendi, & compellendi per iudicem, vt filiam duceret, si ad damnum reparandum id erat necessarium: vel cogendi ad filiam ducendam, metu delationis.

Dixi præterea talem metum iure solùm positiuo irritare matrimonium: quia consensus, licet coactus, & iniustè extortus, dummodo verè liber sit ac voluntarius, non est naturaliter insufficiens ad matrimonũ. Alioquin illi, qui consentiunt ob metum reuerentialem valdè graue, quo nonnulli non minùs premuntur, quàm alii metu cruciatus, & mortis, aut amissionis bonorum, non contraherent validè. Quin etiam sunt, quos propter naturalem timiditatem leuis timendi causa plus mouet, quam alios grauissima: & tamen illi dicuntur validè contrahere, nisi causa sit talis, vt homines eiusdem status, ætatis, & conditionis communiter soleat perterrefacere. Quod qui negaret, viam latam aperiret prætextibus irritandi matrimonium. Posset enim facilè fingi grauem metum interueniſſe. Loquimur autem de illis, qui metu non obstante verè consentiunt, & cum vsu libertatis. Nam alioqui si tantùm simulant se consentire, vel si propter metum priuantur vsu libertatis, & naturali solùm impetu consentiunt; ex ipsamet rei natura matrimonium nullum est.

70. Hæc irritatio est tantùm à iure positiuo.

Porrò qui fictè contrahit propter metum grauem, & iniustè incussum ad consensum extorquendum, non peccat, si restrictione mentali vtatur, vt mendacium vitet. Si autem mentitur, peccat venialiter, vtendo medio illicito in repellenda iniuria sibi facta. Sed non potest sine graui peccato matrimonium consummare; licet ad id per vim adigatur: nisi priùs consentiat liberè, & non propter vim, cum aliis conditionibus requisitis ad valorem contractus. Nam alioqui copula subsecuta non confirmat ta-

71. Peccetne qui fictè contrahit, iniustè coactus?

Digitized by Google

le matrimonium, vt neque iuramentum illi appositum. Non quidem iuramentum: quia sequitur naturam promissionis, aut contractus, cui apponitur. Non etiam copula; ne illis quidem in locis, vbi decretum Tridentini de clandestinis non fuit receptum: quia nisi Ecclesia irritasset hoc matrimonium, non obstante copula vi extorta, non satis prouidisset innocentibus vim iniustam patientibus, & libertati matrimonii: cùm non sit difficile iniustis coactoribus copulam vi extorquere à fœminis: ad quod etiam excitarentur spe confirmandi hac ratione matrimonium priùs inualidè contractum.

71. Satisfit obiectioni.

Quæres, quomodo talis non peccet graviter peccato sacrilegii? cum irritum faciat Sacramentum, proferatque formam super materiam indebitam: vt ille, qui absolueret indispositum, vel ad baptizandum vteretur aqua rosaceâ. Respondeo talem vel ignoranter, & bona fide agere, existimando se validè contrahere, licet metu coactum. Et tunc ignorantia excusat à peccato sacrilegii. Vel contrà, nouit contractum esse inualidum: & tunc quidem, si intenderet nihilominus efficere sacramentum; grauiter peccaret sine dubio: sed hoc non intendunt, qui ex metu sic contrahunt: neque possunt intendere, nisi ex malitia diabolica; cùm hoc nihil conducat ad vitandum malum, quod metuunt: sufficit enim simulare exteriùs se id intendere, si forte ad hoc ipsum obtinendum metus inferretur. Sique id fieret in contemptum religionis, non excusaretur à graui peccato qui acquiesceret. Citra illum verò, non peccat is, qui graui metu adactus profert verba consensum significantia, simulando se consentire, vel etiam verè significando se consentire, quantum potest. Quia non profert verba illa, vt formam Sacramenti, neque ponit illius materiam: sed similiter facit, ac ille, qui repræsentandi causâ ablueret, & proferret in theatro verba Baptismi; vel qui discendi causâ, seque exercendi in modo celebrandi Missam, proferret verba consecrationis super hostiam charthaceam, sine intentione consecrandi. Nec obstat quod videatur contrahens in facie Ecclesiæ, & cum cerimoniis ecclesiasticis, facere aliquid contra reuerentiam religionis. Nam hæc reuerentia cerimoniis illis sacris debita non obligat cum tanto incommodo.

72. Putant aliqui metum irritare iure naturali.

Sunt qui existiment matrimonium metu graui contractum irritum esse, non solùm iure positiuo, vt nos diximus, sed etiam naturali. Tum quia coactio repugnat naturæ illius contractus, qui ex se perpetuam, & indissolubilem obligationem inducit: nihil autem coactum, & violentum, est perpetuò durabile. Tum etiam quia canones qui loquuntur de huius matrimonii inualiditate, supponunt esse irritum iure naturali, ratione petita ex natura ipsa contractus: quia scilicet matrimonium consensu perficitur, & locum non habet consensus vbi metus vel coactio intercedit, vt dicit Alexander III. cap. *Cum locum*, de sponsalibus. Neque vspiam significant se irritare, aut vllum proferunt ius antiquius, aut decretum, quo fuerit irritatum. Eademque videtur esse doctrina Diui Thomæ in 4. distinctione vigesima nona, quæstione prima, articulo tertio, quæstiuncula prima, in corp. vbi sic habet, *Dicendum quòd vinculum matrimonii perpetuum est: vnde illud, quod perpetuitati repugnat, tollit matrimonium. Metus autem quia cadit in constantem virum, perpetuitatem contractus tollit, quia potest per restitutionem in integrum: & ideo hæc coactio tollit matrimonium, & non alia.*

73. Soluuntur eorum argumenta.

Sed ad primum argumentum respondendum est primò, non quidquid repugnat naturæ alicuius rei, irritare illam. Repugnat enim v. g. naturæ sacramentorum non producere gratiam in iis, quibus applicantur: & tamen non sunt irrita, licet propter obicem non producant. Secundò, perpetuum esse posse, id est, ad vitam, quod coactum est, & contra voluntatem. Vt pater in carcere perpetuo, aut seruitute. Tertiò, cùm tota hæc coactio, & violentia pendeat in sua duratione à voluntate nostra, fieri posse voluntarium simpliciter, id quod ab initio fuit coactum, & voluntarium tantùm secundum quid. Quartò, non minùs esse coactum, & repugnans voluntati matrimonium initum ex metu mortis iustè incusso, quando scilicet iudex metu suspendii corruptorem virginis cogit, vt eam ducat quàm metus iniustè incussus, eiusdem, aut minoris mali. Et tamen prima illa coactio non irritat matrimonium iure naturali, vt fatentur aduersarii: certumque est validum illud esse. Ergo non est sufficiens fundamentum in secunda coactione, vt matrimonium dicatur esse nullum iure naturali. Quod enim iustè, vel iniustè incutiatur, non facit vt minùs repugnet voluntati, & plenæ libertati, vel vt minùs perterrefaciat virum constantem.

74. Ad secundum Respondeo, canones illos supponere id constare traditione Ecclesiæ, siue Decretum aliquod pontificium scripto extiterit hac de re, siue non: quod nunc certè non extat. At neque etiam vllum profertur, quo factum sit irritum matrimonium fidelis cum infideli, id est, baptizati cum non baptizata, aut vice versa: quod tamen, vt fatentur aduersarii, iure solùm positiuo irritum est: & contra quod obiici possunt alia, quæ ad huius argumenti confirmationem ab illis adducuntur. Alexander verò tertius, in cap. *Cum locum*, & Diuus Thomas art. cit. non dicunt coactionem suâ ipsius natura irritare: sed afferunt causam cur Ecclesia irritauit: quia scilicet conuenit naturæ illius contractus fieri sine violentia, & coactione, grauesque solent exitus oriri ex oppositio. Quo tamen malo & periculo non vacat matrimonia cogere graui

metu, licet iustè incusso contracta: & nihilominus ne iure quidem positiuo sunt irrita, vt apud omnes certum est, & praxi Ecclesiæ confirmatum.

75. Consensus metu extortus quomodo liber est?

Dices, consensum extortum metu quolibet non esse liberum: aut si liber sit, non esse plenum, sed diminutum: ideóque naturâ suâ insufficientem ad matrimonium. Respondeo esse quidem diminutum ex parte obiecti: sed nihilominus esse verum, ac liberum, & ex parte sui plenum. Nam qui merces in mare proiicit, vt vitam seruet: liberè proiicit, & laudabiliter, vereque liberè in id consentit. Sicut è contrario verè peccant, & culpabiliter faciunt, qui propter metum fidem negant, vel quid aliud mali agunt. Dixi consensum illum esse plenum ex parte sui: id est, cum plena, & perfecta deliberatione elicitum: esse tamen diminutum ex parte obiecti, quatenus scilicet illud tantùm vult secundum aliquam considerationem, prout valet ad vitandum cruciatum, aut aliud graue malum: dolendo tamen de contractu secundum alias rationes, quæ displicent per se, & secundum quid sunt inuoluntariæ, neque acceptantur per consensum, nisi propter priorem illam considerationem. Verùm non minùs diminutè consentit, qui consentit in aliquam, quia dives est, alioqui verò deformem, vetulam, querulam, & omnibus aliis modis abominandam.

76. Ad quid teneatur iniustus coactor.

Porro licet inualidum sit matrimonium metu graui, & iniustè incusso extortum: manet tamen, qui vim intulit, aut eius particeps fuit, obligatus ad contrahendum, si pars altera velit postea liberè consentire: vt fert communis auctorum sententia. Quia iura irritantia matrimonium istud, non intendunt fauere reo iniustè cogenti, sed innocentis tantùm libertati prospicere: & ille teneatur reparare iniuriam, quam fecit alteri ineundo talem contractum, eamque resarcire in eodem genere, quandoquidem id facilè potest, stando scilicet contractui si pars altera velit. Quæ iniuria sine dubio grauis est; cùm, omnium consensu, sit peccatum mortale: adeóque grauiter obligat ad conuenientem reparationem. Atque id multò magis, si vlterius aliquod damnum sequitur ex tali contractu, quod aliter nequeat reparari: putà si coactio sit occulta, quæ in foro externo probari nequeat, ideôque non permittatur pars coacta contrahere cum alio, eò quòd Ecclesia iudicet tale matrimonium valere: quippe quæ iudicat in fauorem matrimonii iam contracti, quando desunt probationes in contrarium. Est autem manifestum non posse hoc damnum reparari ab iniusto coactore, nisi ipse consentiat in matrimonium altera parte id petente, & liberè iam consentiente.

SECTIO VII.

Debeatne necessariò consensus esse absolutus, & liber ab omni conditione?

77. Quid nomine conditionis intelligendum.

NOta 1. conditionem appositam consensui esse aliquid ad quod consensus ita alligatur, & ab illo sic dependet, vt, eo non subsistente, non sit: & si conditio sit de futuro, consensus suspendatur donec illa posita sit. Sin autem sit de præsenti, vel de præterito; non subsistat consensus, nisi stet veritas conditionis appositæ. In quo differt conditio à causa, vel à modo, & demonstratione consensus; quæ non illum suspendunt, neque, si desint, irritum faciunt. Ex gr. si quis in fœminam consentiat, quia est diues, vel vt ipse diues euadat per eius coniugium: diuitiæ, siue opinio vel spes illarum, sunt causa & motiuum consentiendi. Si dicat, Duco te quæ nobilis, & honesta es: demonstratur qualitas personæ, cuius defectus, & falsa circa eam præsumptio non irritat contractum, exceptis casibus iure expressis, de quibus alibi dicemus, disputando de impedimento erroris: neque impedit quò minùs absolutè consentiatur in personam, quæ talis esse creditur.

78. Potest esse multiplex.

Nota secundò, conditionem appositam matrimonio, æquè ac aliis contractibus, posse multiplicem esse. Vnam de præsenti, aut de præterito: aliam de futuro; & hæc vel est de futuro necessario, vel de futuro contingenter. Item conditio vel est de aliquo possibili, vel impossibili: turpi, vel honesto, aut indifferente, repugnante matrimonio, vel non repugnante. Rursus illa, quæcunque sit, vel expressè apponitur contractui per clausulam, *si*, vel *nisi*, aut aliam æquiualentem: vel tacitè solùm in mente retinetur. Item vel à iure apponitur, vel ab ipsa voluntate contrahentis. Possunt enim non modò ipsi contrahentes, sed etiam potestates superiores, diuina, & humana, quibus subest contractus matrimonii, apponere conditiones aliquas, quas illi teneantur seruare, & sine quibus non possint validè contrahere: vt patebit ex dicendis sect. 1. disp. 73.

79. Qualis apponi possit?

Notandum tertiò vt aliquid verè possit esse conditio consensus in matrimonium, tale esse debere, vt possit esse naturâ prius matrimonio, adeóque non illud præsupponat. Cum enim eiusmodi conditionis positio sit causa cur consensus in absolutum transeat; est pariter causa ipsius matrimonii, quod non fit nisi per consensum absolutum, & perfectum, vt dicemus paulò post. Cùm igitur conditio sit causa matrimonii; & omnis causa sit naturâ prior suo effectu: debet conditio, quæ apponitur, talis esse, vt possit esse naturâ prior matrimonio; quod non esset, si ab illo penderet, illudque iam fa-

Digitized by Google

ctum præsupponeret. Quare si quis ita contraheret, Duco te in vxorem si per adulterium quæstum feceris; non verè apponeret conditionem: quia adulterium, quod instar conditionis apponit, & de quo deinceps post matrimonium faciendo pacisci tur, præsupponit matrimonium iam factum: quippe sine quo præsuppositio, & valide contracto, non poterit illa adulterari. Itaque modus ille contrahendi destruit seipsum & apponit aliquid conditionis loco, quod tale esse nequit.

80. Contractus debet esse absolutus, vel transire in absolutū.

His prænotatis, Dico primò, consensum sufficientem ad matrimonium debere esse absolutum, vel transire in absolutum naturâ priùs, quàm perficiatur matrimonium. Transire, inquam in absolutum posita conditione, quæ n si purificetur, matrimonium in foro conscientiæ, & rei veritate nullum est, licet exteriùs esse præsumi possit. Ratio est, quia matrimonium non perficitur, nisi consensu, quo de præsenti coniuges tradunt sibi mutuò dominium in sua corpora. Non tradunt autem reipsa quamdiu consentiunt tantùm conditionatè, & consensus manet adhuc suspensus, nondum existente conditione. Multóque minùs, si conditio non stat. Nam eâ non stante nullus est consensus, qui sine illa non fuit datus, & non nisi secundum illam. Quod intelligo, sive illa conditio fuerit exteriùs expressa, sive non. Quocunque enim modo determinauerit contrahens suum consensum appositā conditione; non est sine illa consensus: & sine consensu matrimonium esse nequit, quamuis interdum in foro externo præsumatur esse propter externam apparentiam, & defectum probationis in contrarium. De quo foro intelligo Magistrum in 4. dist. 27. Lit. C dicentem sola verba sine consensu pronunciata liberè, & non per vim extorta, facere matrimonium: aliaque multa, quæ de quibusdam asseruntur à Canonistis. Nam in foro interno, & coram Deo, vbi veritas sola, non præsumptio locū habet; nihil refert quid contrahens posuerit pro conditione. Si enim non consentit, nisi sub conditione: tam non est matrimonium sine illa, quā non est sine consensu, qui pro materia, sive obiecto habet conditionem, & sine illa non est. Neque refert an conditio apposita sit turpis, vel honesta: & repugnans fini matrimonii, vel non repugnans: & de futuro necessario, vel de contingenti: & de possibili, aut de impossibili. Quia si ad illam consensum suum determinauit, non stat consensus sine illa. Et illâ positâ (si potest apponi & stare cum matrimonio) consensus fit absolutus. Si potest, inquam apponi talis conditio, & stare cum matrimonio: id est, si verè possit naturâ priùs consensui præexistere, & non sit cum illo incompatibilis absolutè posito: vt si quis diceret: Accipio te in meam, si priùs ad exequias meas veneris. Vel, Accipio te in meam, ita vt non tenearis seruare matrimonii fidem.

Dico secundò, quando conditio de præsenti, vel de præterito apponitur consensui, transit statim consensus in absolutum, vel omninò est irritus. Quando autem apponitur de futuro, suspenditur consensus, & velut imperfectus, atque inchoatus manet, donec impleatur conditio. Nunquam autem perficitur matrimonium, donec partibus innotescat conditionem subsistere: atque etiam Parocho, & testibus, vbi constitutio Tridentini de clandestinis recepta est. Declaratur, & probatur conclusio: quia quando conditio est de præsenti, vel de præterito: vel est, aut fuit verè, id quod fert conditio apposita, vel non. Si primum: iam consensus habet quidquid requiritur vt sit absolutus: voluntas enim contrahentis non aliud requirit, vt absolutè consentiat, nisi vt sit, vel fuerit id ad quod veluti præsens, aut præteritum determinat suum consensum. Si secundum: nullus est consensus, deficiente eo, sine quo voluntas non vult consentire. Similiter, quando conditio est de futuro, si non ponetur suo tempore, consensus erit irritus, deficiente obiecto illius necessario, cui inseparabiliter, & essentialiter alligatus est. Sin autem ponetur, fiet absolutus; quia voluntas hoc tantùm requirit, vt absolutè consentiat. Interea tamen non perficitur matrimonium donec conditio ponatur in esse, & consensus de conditionato & de inchoato, in absolutū, atque perfectum transeat: vt patet ex aliis contractibus donationum, venditionū & cæteris simili modo conditionatis: qui nō antea perficiuntur, & transferunt dominiū, quàm ponatur conditio adiecta contractui. Et de matrimonio specialiter id colligitur ex cap. 5. *De conditionibus appositis*. Vi cuius capitis si pendente conditione, & nondum impleta, sponsus contraheret absolutè per verba de præsenti cum alia, posterior contractus valeret, si nihil aliud obstaret. Quòd si quis cum duabus contraxisset sub conditione, & conditio vtriusque eodem instanti impleretur: neutrum matrimonium esset validum; quia se mutuò impedirent, & in neutrum esset determinatus & absolutus cōsensus. Neque enim esset ratio, cur magis consentiret in vnum, quàm in alterum. Sin autem successiuè implentur conditiones, illa quæ primò impletur, perficit matrimonium. Peccat tamen, qui cum alia contrahit: quia vi consensus priùs dati sub conditione, tenetur euentum expectare, nisi contractus consensu mutuo, vel alia iusta de causa rescindatur.

81. Conditio de præsenti vel de præterito non suspendit consensum.

Secus conditio de futuro.

Sed aduertendum est aliud esse, id quod futurum est: & aliud, veritatem futuritionis. Hæc enim non est futura, sed præsens est, aut omninò non est. Ideóque consentire sub illa, non est consentire sub conditione de futuro, sed sub conditione, quæ iam est, vel nunquam erit. Quare consensus statim redditur absolutus, & perfectus subsistente conditione, vel est nullus omni-

82. Futurū, & veritas futuritionis non sunt

Digitized by Google

no defectu conditionis. Quamuis si veritas adhuc obscura sit, matrimonium nõdum est perfectum; quia consensus non sufficienter innotescit. Ab initio tamen consensus fuit validus, si conditio stetit, id est, si res verè futura fuit, licet ad eum cognoscendum eventus fuerit expectandus. Aduerte præterea consensum sub conditione futuri esse aliquatenus præsentem, sed inchoatiuè & imperfectè tantùm; Perficitur verò, quando conditio ponitur. Nam aliud est dicere, Accipio te ex nunc in meam, si hoc, aut illud feceris: & aliud dicere, Accipiã te. Et vtraque locutio est practica & efficax. Aliud inquam, est velle post aliquod tempus consentire, quando hoc, aut illud erit: & aliud, consentire in præsens, ea tamen conditione, vt hoc, aut illud ponatur tali tempore.

83. Vt autem hic consensus perficiatur sensibiliter, & matrimonium constituat, debet impletio conditionis innotescere vtriq; parti: alioqui non consentiunt de præsenti determinatè & sensibiliter. Idemque dico si conditio est de præsenti, vel de præterito, eiusque veritas non sit nota vtrique parti. Quamdiu enim illis ignotum est conditionem subsistere, vel esse impletam, ignotum etiam illis est an absolutè consentiant. Quia consensus externus antecedens hanc notitiam non satis significat consensum de præsenti, donec cognoscatur subsistere conditio. Debet etiam innotescere parocho, & testibus, vbi constitutio Tridentini de clandestinis recepta est: quippe qui debent ita assistere, vt intelligant quid agatur siue sponsos hîc & nunc in præsens matrimonium consentire. Ad quod non sufficit vt eos audiant consentientes sub conditione, nisi etiam sciant conditionem esse impletam. Non est tamen necesse vt iterum consentiant impleta conditione, quia prior consensus est iam absolutus, & sufficiens ad mutuam corporum traditionem: sicut in aliis contractibus sufficit similis consensus, vt posita conditione sit perfecta traditio, vel donatio. Vt si quis dicat aduocato, Do tibi hanc domum, si causam meam in foro obtinueris: illâ obtentâ nihil amplius requiritur ad dominium domus transferendum. Confirmatur, quia quando prior coniugum consentit, ineſt eius consensui tacita conditio, si alter reciprocè consenserit, quod iste diu post facere potest. Vt ex. gr. quando consentit scribenti, aut mittenti procuratorem è loco dissito. Isto verò consentiente, siue statim, siue diu post, non est necesse alterum iterum consentire: sed sufficit consensum datum transire modò in absolutum. Ergo id quoque sufficit quando impleatur aliæ conditiones consensui appositæ.

Positio cõditionis debet innotescere.

Illâ posità non est opus nouo consensu.

84. Confirmatur 2. quia nihil aliud requiritur vt sponsalia sub conditione contracta transeant in absoluta, & vt omnes alii contractus conditionati censeantur perfecti, & absoluti, atque per eos transferatur rerum aliarum dominium. Ergo pariter sufficit ad perficiendum matrimonium, tradendi mque corporis proprii dominium. Antecedens patet ex lege *Potior*, ff. *Qui potior sit in pignore*: & lege *Hæc venditio*, ff. *de contrahenda in emptione* & ex communi sensu, & vsu hominum. Consequentia verò probatur, quia ratio differentiæ, quam nonnulli contrarium sentientes assignant, nulla est. Nam quod dicunt Victoria, & Valent. locis infra citandis, per alias voluntates conditionatas non transferri dominium rerum aliarum posita conditione, ex sola rei natura, sed ex iuris dispositione, verum non est: cùm nullum ius proferri possit, quo id statuatur, & non potiùs supponatur, aut declaretur, tanquam naturaliter, & necessariò consequens ex natura talis consensus. Quod verò post Sotum, & Ledesmam ait Mærat. disp. 7. de matrim. sect. 12. contractum matrimonii in eo differre ab aliis ex propria ipsius natura, quà talis est, vt non nisi præsenti consensu contrahi possit dum validè contrahitur: quandoquidem si præteritus cõditionatus reuocatur, & aduenìat postea conditio, nullius valoris est, sed nouus præsens consensus ad validum matrimonium est necessarius. Secùs autem cæteri contractus, ex quorum propria natura est, vt consensus præteriti conditionati validi esse possint, adueniente conditione: quandoquidem reipsa sunt, dum hæc aduenit, licet intermedio tempore præteritus ille consensus reuocatus sit. Hoc inquam, non sufficit, & nimis probat. Nam ex eo sequeretur matrimonium per procuratores non validè contrahi sine nouo consensu: quia similiter si contrahens reuocet suum consensum antequam pars altera illum acceperit, & vicissim consentiat, matrimonium non perficitur. Hoc autem est contra ipsosmet aduersarios. Quare quod reuocatio cõsensus irritet hunc contractũ, & non alios, ex eo non prouenit, quòd vt perficiatur sit opus nouo consensu, quando ponitur conditio: sed ex eo quòd, cùm per istum tradatur dominium proprii corporis; æquum est vt consensus magis pendeat à libertate consentientis, possitque faciliùs ab eo reuocari quamdiu manet suspensus, & imperfectus. Atque ita sentiunt nobiscum Innocentius, Abbas, Palud. Siluest. Nauar. & alii quos citant, & sequuntur Sanch. lib. 5. disp. 8. n. 5. & Coninc disp. 29. dub. 1. num. 15.

85. Contrarium verò sentiunt D. Bonauent. in 4. dist. 28. art. 1. q. 3. Durand. ibid. q. 2. Ricard. art. 2. q. 2. Maior dist. 27. q. 4. conclus. 2. Dominic. Sotus dist. 29. q. 2. art. 1. conclus. 3. Victoria relect. de Matrim. part. 1. punct. 2. num. 9. Henriq. lib. 11. cap. 12. num. 3. Valentia q. 3. de Matrim. punct. 3. §. *Prima dubitatio est*, Mæratius disp. 7. sect. 11. & 12. & Pontius lib. 3. cap. 13. & 14. quibus accedere videtur D. Thom. in 4. dist. 29. quæst.

Contraria sententia.

Digitized by Google

vnica art. 3. quæstiunc 4. in corp. & q. 47. supplem. art. 5. vbi affirmat, si conditio sit de futuro contingenti, cuiusmodi est datio pecuniæ, vel acceptatio parentum, iudicandum esse de tali consensu, sicut de consensu, qui fit per verba de futuro: vnde non facit matrimonium, sed sponsalia.

86. Probant primò, & præcipuè, ex cap. *Super eo*, De conditionibus appositis, vbi Vrbanus III. consultus de eo qui per verba de præsenti consensetat in matrimonium, si pater eius in futurum consentiret: respondit talem nequaquam cogendum esse ad matrimonium contrahendum, nisi voluntas patris postmodum intercedat. *Cùm eiusmodi consensus non sit habendus de præsenti, licet per verba de præsenti euidenter exprimatur, qui in alieno arbitrio non habito, sed habendo consistit.* Quem textum fusè expendit, & vrget contra nostram sententiam Basil. Pont: citato cap. 13. num. 5. & sequentibus, & duo præcipuè notat. Vnum est, Pontificem dicere non esse illum cogendum ad contrahendum, nisi conditio poneretur: ergo sensit postea cogi posse, & esse opus nouo consensu. Quod falsum est, si prior contractus sufficeret, posita solùm conditione. Alterum est, Pontificem dicere consensum illum, licet per verba de præsenti exprimatur, esse tantum de futuro: adeóque esse insufficientem ad matrimonium, quod certè non contrahitur per consensum, neque per verba de futuro.

87. Respondeo Vrbanum III. consultum fuisse, vtrũ talis cogi posset ad consummandum matrimonium ante impletionem conditionis: vt patet ex initio capitis. Quare cùm respondet talem nequaquam cogendum esse ad matrimonium contrahendum nisi voluntas patris postmodum intercedat: vel per *contrahendum*, intelligit, *consummandum*, de quo erat quæstio: vel potiùs sensus est, quòd cùm non possit licitè consummare, nisi contrahat de præsenti: non potest cogi ad consummandum ante impletam conditionem: quia ante illam non est cogendus ad contrahendum de præsenti, renunciando conditioni appositæ. Quæ conditio, quamdiu non impletur, facit, vt huiusmodi consensus non sit habendus de præsenti simpliciter, & perfectè: licet per verba de præsenti exprimatur, vel apposita conditione verbis consensum de præsenti significantibus: vel etiam non appositâ, & retentâ solùm conditione in mente vtriusque coniugum.

Soluitur primũ illius argum.

88. Argumentantur secundò ex cap. *Per tuas*, De conditionibus appositis, vbi Innocentius III. consultus de matrimonio per verba de præsenti celebrato sub conditione si pater, & patruus consentirent: cui postea ipsi restiterunt, sed antequam resisterent, contrahentes copulati sunt: respondit hunc in modum: *Cum liquidò constet quòd post contracta sponsalia carnalis est inter eos copula subsecuta, pro matrimonio est præsumendum: quia videtur à conditione apposita recessisse. Nam etsi probatum sit quòd postquam pater & patruus contradixerè sponsalibus, idem vir mulierem illam carnali coniunctione cognouerit: non est tamen aliquo modo probatum, quòd antequam ipse cognouisset eandem, pater eius, & patruus contradicere curauissent.* Vbi rursus notat Pontius cap. cit. num. 12. Innocentium non appellare matrimonium, sed sponsalia, contractum illum per verba de præsenti celebratum sub conditione: & loqui de sponsalibus propriè sumptis, prout à matrimonio distinguuntur: quia vtrorumque mentionem facit, dicitque paulò post, pro matrimonio præsumendum esse post copulam: quia videlicet ante copulam erant tantùm sponsalia. Deinde ad iudicandum de valore matrimonii non recurrit Pontifex ad impletionem conditionis: sed ad præsumptionem iuris, quâ censentur affectu maritali se cognouisse, & consensisse de præsenti absolutè: atque ita sponsalia transiuisse in matrimonium, iuxta caput *Is qui fidem*, De sponsal. Ergo sentit contractum sub illa conditione initum non esse matrimonium, sed tantùm habere vim sponsalium.

Respondeo Innocentium tacitè argumentari à fortiori: dicereque, quòd si sponsalia transeunt in matrimonium per copulam subsequentem: multò magis consensus in matrimonium datus sub conditione de futuro, de quo nemo dubitat, quin saltem habeat vim sponsalium, & probabilius est habere vim inducendi vinculum matrimonii posita conditione, vt nos cum multis aliis asserimus. Meritò autem non recurrit Pontifex ad impletionẽ cõditionis, vt iudicet de valore huius matrimonii: quippe quod in casu proposito valorẽ priùs accepit, quando contrahentes non amplius habita ratione conditionis, nec expectato patris, & patrui consensu, ex affectu maritali, absolutoque consensu de præsenti, copulati sunt. 89. Diuiditur secundum.

Opponunt tertiò hanc præcipuè rationem: quia contractus matrimonii eodem instanti, quo validus est, inter christianos est sacramentum, nisi desit intentio faciendi quod Christus instituit. Atqui eo tempore, quo ponitur conditio de futuro, matrimonii sacramentum non est actu sine nouo consensu signis expresso cum prædicta intentione: ergo neque tunc validus est contractus matrimonii sine nouo consensu signis expresso. Minor, quæ sola negari potest, sic probatur à Mæratio disp. 7. sect. 11. §. *Probo tertiò*, Nullũ nouæ legis sacramentum actu est eo tẽpore, quo nihil eius physicè existit, quod actu sensibile sit. Atqui dum prædicta cõditio ponitur, nihil matrimonii physicè existit, quod actu sensibile sit. Consẽsus enim, & verba quibus antea fuit expressus sub conditione, iã præterierunt physicè: neque quicquam sensibile existit nunc physicè præter ipsam conditionem, quæ cum nihil Sacramenti sit, non potest eius ratio- 90.

ne sacramentum matrimonii dici existere physicè, & esse actu sensibile.

91. Tertiò refellitur.

Respondeo sacramentum matrimonii, quod essentialiter consistit in contractu valido, existere & esse sensibile eodem modo, quo existit, & sensibilis est ipse contractus. Existit autem ex parte & inchoatiuè contractus, quando physicè datur, & exprimitur verbis, aut alijs signis, consensus conditionatus; tuncque est sensibilis per huiusmodi signa. Completur autem, & transit in absolutum, quando ponitur conditio: quod fit etiam sensibiliter, est que aliquid pertinens ad completam significationem consensus, velut illius signum in esse absoluti. Similiter ergo inchoatur sacramentum matrimonii, quando datur, & exprimitur consensus conditionatus: perficitur autem, quando posita conditione completur sensibiliter eius significatio: illiusque positio pertinet ad sacramentum, velut pars signi significantis consensum absolutum. In forma igitur, nego minorem primi argumenti propositi: & ad eius probationem dico minorem secundi argumenti pariter falsam esse. Nam tunc existit positio conditionis, quæ sensibilis est, & est pars signi consensus interni, qui per illam significatur iam esse absolutus, seu transisse in absolutum.

92. Alia sacramenta non possunt fieri sub condit. de futuro, vt matrim.

Perperam verò ex hoc responso conatur inferre Martius fore vt absolutio sacramentalis dari possit sub conditione de futuro; & alia sacramenta æquè possint sub eadem conditione ministrari: si nimirum suspendatur intentio ministri absolutis, baptizantis, aut quodcunque aliud sacramentum conferentis, donec ponatur hæc, aut illa conditio, quâ positâ incipiat esse valida absolutio, vel ablutio: sicut consensus conditionatus in matrimonium dicitur fieri validus posita conditione. Respondeo enim disparem esse rationem inter matrimonium, & alia sacramenta: quòd ad illud Christus nihil aliud requisiuit, nisi quod sufficit ad valorem contractus. Vnde quot & quibuscunque modis potest validus esse contractus: tot & iisdem potest esse validum sacramentum. Contractus autem conditionati fiunt validi, seu potiùs absoluti, & perfecti, posita conditione, vt patet ex aliis contractibus ciuilibus, neque id negant aduersarij: & de matrimonio par debet esse ratio vt nos suprà ostendimus. At verò alia sacramenta fuerunt magis à Christo determinata: consistunt enim in quibusdam cerimonijs ab ipso institutis, & certo, ac speciali quodam modo adhibendis, neque ita subiectis voluntati ministrorum, aut recipientium. Qua etiam de causa non possunt celebrari, nisi verbis propriè dictis, & inter præsentes: cum matrimonium possit quibuscunque signis, & inter absentes per literas, aut procuratores fieri.

93. Cæterùm, quæ hucusque diximus de conditione in futurum, vera sunt generaliter in foro interno, siue futurum illud sit necessarium siue contingens. Si enim contrahens determinauit suum consensum ad futurum necessarium, poluitque consentire absolutè, donec illud eueniat: reuera non perficitur matrimonium ante impletam conditionem, vt rectè docent Rebel. 2. part. De obligat. iustitiæ lib. 2. q. 10. num. 13. & Con. disp. 29. dub. 1. num. 8. Licet in foro externo præsumatur esse: quia contrahentes, si seriò agunt, vt præsumuntur agere, quando apponunt conditionem, quam sciunt necessariò futuram, quæque in eorum potestate, & in causis necessarijs iam præsens est; videntur non velle suspendere consensum, sed potiùs insinuare se tam certò consentire, quàm certum est futuram talem conditionem.

94. Quæram conditio perficit matrimo.

Dico tertiò, consensum datum sub quacunque conditione possibili, esse validum, & transire in absolutum posita conditione, perficereque matrimonium: datum verò sub conditione impossibili, esse inualidum in foro conscientiæ, & insufficientem ad matrimonium. Prima pars assertionis intelligenda est de conditione possibili, tum per se, tum etiam respectu matrimonij, cui possit apponi, neque repugnet illi incompatibiliter: cuiusmodi sunt istæ, Si parentes consenserint, si Pontifex dispensauerit in impedimento, si baptismum receperis, si tantum dotis persolueris. Neque obijcias eos, qui habent de præsenti impedimentum irritans, esse inhabiles ad contrahendū nunc. Respondeo enim esse quidem inhabiles ad contrahendum absolutè de præsenti, siue in matrimonium, siue etiam in sponsalia, ita vt promittant simpliciter & absolutè contrahere: secus autem ad contrahendum sub conditione possibili, quæ rationabiliter præsumitur esse futura.

95. Conditio impossibilis, ante repugnans illud impedit.

Posterior pars eiusdem assertionis est similiter intelligenda de impossibili vel secundum se, vel in ordine ad matrimonium cui repugnat. Et de impossibili quidem secundum se probatur, quia non valet consensus sub conditione datus, nisi conditio stet. At conditio de impossibili stare non potest, cùm sit impossibilis. De repugnante verò patet, quia: vel conditio illa subsistit, vel non. Si primum: non potest subsistere matrimonium, quippe quod illi repugnat incompatibiliter, vt supponimus: quare consentire in matrimonium sub tali conditione, est consentire in aliquid impossibile. Si secundum: non subsistit consensus: quippe datus sub tali conditione, quæ non stat. Vnde collige consensum datum sub hac conditione esse inualidum, Accipio te, si priùs me sepelieris: quia supponit matrimonium perficiendum esse post mortem; quod est impossibile: Et istum, Accipio te, si tota vitâ tuâ non mentiaris: quia hæc quoque non ponitur ante finem vitæ, supponitque matrimonium post mortem contrahi. Neque istum, Accipio te sic obliges ad adulterandum, vel si nolis

Digitized by Google

te obligare ad coniugale debitum. Quia vtraque conditio repugnat incõpatibiliter ſubſtantiæ matrimonii à qua prorſus eſt inſeparabilis obligatio ſeruandi fidem coniugalem, & traditio iuris ad vſum coniugii, illique mutuò reſpondens obligatio. Tameſi aliunde vſus ille, etiam per votum, impediri poſſit ex mutuo conſenſu. Similiterque iſtum eſſe inualidum, Accipio te in meam, donec pulchriorem, aut ditiorem inuenero: quia repugnat inſolubilitati vinculi matrimonii, quod non poteſt ita dirimi, aut per talem reſtrictionem temporis limitari.

96. Dixi autem non valere conſenſum datum ſub conditione impoſſibili ſecundum ſe, vel repugnante incompatibiliter matrimonio: quia ſi conditio adiecta eſt poſſibilis, aut non ita repugnans: non facit conſenſum inualidum, quamuis aliquà turpis, & diſconueniens matrimonio. Vt ſi quis dicat, Accipio te in meam, ſi iam antea ſterilitatem procuraueris; vel, ſi mecum furari volueris. Nam procuratio ſterilitatis ante matrimonium, vel obligatio ad furandum non repugnat incompatibiliter vinculo matrimonii: licet vtraque ſit turpis, & illa diſconueniat ipſius fini præcipuo, qui eſt generatio prolis. Secus autem ſi ſe obliget ad procurandum aborſum poſt matrimonium contractũ: quia talis obligatio repugnat debito eſſentiali matrimonii, quod triplex eſt: vnũ ſeruandi fidem alteri: ſecundũ reddendi debitũ quoties legitimè petet. Tertiũ, prolis generandæ, & educandæ, ſeu non impediendi illius generationem, & educationem legitimam: cui poſtremo debito repugnat obligatio per hanc conditionem appoſitam.

97. Dixi præterea talem conſenſum eſſe inualidum in foro conſcientiæ: non autem in foro externo, in quo non ſemper iudicatur eſſe talis. Licet enim in foro externo ſemper iudicandum ſit de matrimonio conformiter ad forum internum, quando conſtat de intentione contrahentium: in dubio tamen præſumitur in fauorem matrimonii: & conditiones turpes, aut impoſſibiles habentur pro non adiectis: illiſque non obſtantibus cenſetur conſenſus eſſe abſolutus, & perficere matrimonium. Quo ſenſu intelligendum eſt caput vltimum de conditionibus appoſitis, vbi Gregorius IX. ſic loquitur: *Si conditiones contra ſubſtantiam coniugii inſerantur, putà ſi alter dicat alteri, Contraho tecum ſi generationem prolis euites* (hoc eſt ſi te obliges ad illam impediendam) *vel, donec inueniam aliam honore, vel facultatibus digniorem: aut ſi pro quæſtu adulterandam te tradas: matrimonialis contractus, quantumcunq; ſit fauorabilis, caret effectu. Licet aliæ conditiones appoſitæ matrimonio, ſi turpes, aut impoſſibiles fuerint, debeant propter fauorem eius, pro non adiectis haberi.* Quæ poſtrema pars capitis intelligenda eſt, quando dubitatur vtrum contrahentes ioco tantùm adiecerint eiuſmodi conditiones. Sunt enim præſumendi noluiſſe in re tam ſeria iocari, & nugari, aut velle turpiter ſe gerere. Alioqui verò ſi conditio appoſita eſt euidenter impoſſibilis, & conſtet ſeriò appoſitam eſſe à contrahentibus, conſendi potiùs eſſent abſolutè noluiſſe conſentire, idque expreſsè ſignificaſſe per adiectionem talis conditionis: vt ſi quis alteri diceret, Vendam tibi prædium meum, ſi montes aureos mihi dederis, tenſeretur abſolutè nolle vendere. Nemo enim poteſt ſeriò velle efficaciter id quod nouit eſſe impoſſibile. Quare nemo poteſt velle ſeriò, & efficaciter cõſentire in matrimoniũ ſub conditione impoſſibili euidenter nota vt tali: quia hoc eſſet velle ſeriò, & efficaciter aliquid impoſſibile. Porrò, in praxi, contrahentes debent abſolutè velle, & abſtinere à quibuſcunque conditionibus apponendis, præſertim de futuro, ad vitandas lites; & incertitudinem matrimonii, propter diuerſitatem opinionum inter Doctores de pleriſque illarum. Neque debent parochi eorum conſenſum admittere cum talibus conditionibus, ſed purum, certum, & omnino clarum exigere.

SECTIO VIII.

Vtrum conſenſus debeat neceſſariò dari in præſentia contrahentium?

98. Conclusio negatiua.

RESpondeo negatiuè, ſed poſſe dari valide in abſentia per literas, aut per procuratores. Et quidẽ quod valide per procuratores olim contrahi potuerit vbique atque etiam nunc iis ſaltem in locis, vbi Tridentini decretum de clandeſtinis non fuit receptum, patet ex cap. finali de procuratoribus in 6. vbi Bonifacius VIII. expreſsè id declarat, & tria ſtatuit circa hunc modum contrahendi. Primum eſt, vt *procurator non aliter cenſeatur idoneus ad matrimonium contrahendum, quàm ſi ad hoc mandatũ habuerit ſpeciale.* Quare nõ ſufficit mandatũ generale, putà curandi alterius negotia. Nimirum quia, vt rectè ait Aegid. diſp. 24. dub. 3. num. 67. nemo quantumcunque alicui omnia ſua negotia gerenda committat, cenſetur ei committere, vt nomine ſuo matrimonium contrahat, niſi hoc ſpecialiter expreſſerit: propterea quòd negotium iſtud valde differt ab aliis, maximique momenti eſt, quippe à quo pendet totius vitæ ſtatus: & tam arctum vinculum cum altero, debet contrahi ex cognitione: & amore perſonæ. Vnde non ſufficit etiam mandatum generale quærendi ſibi vxorem, niſi quæſita deſcribatur in particulari, & mandans in eam conſentiat: excepto caſu, quo maiorem ei poteſtatem feciſſet contrahendi cum ea, quam ſibi commodam iudicabit, non expectato alio reſponſo: vt feciſſe videtur Eliezer Gen. 24. de mãdato Abrahami, & conſenſu filij eius Iſaac.

Quomodo poteſt contrahi per procuratores?

Semperne impediat in foro externo?

Secundum

99. Secundum est, vt procurator per seipsum hoc negotium gerat. Nam vt ait ibidem Bonifacius VIII. *Quamuis aliàs is, qui constituitur ad negotia procurator, alium dare possit: in hoc tamen casu, ob magnum, quod ex facto temerario posset periculum imminere, non potest deputare actum, nisi & hoc specialiter sit commissum.* Nimirum quia censetur eligi ipsa industria personæ, illique soli negotium tanti ponderis committi. Quare si alteri vices suas resignat, excedit fines mandati, & sine potestate id facit. Idemque censendum est, si excedit in aliquo alio: putà si contrahat sine dote determinatè constituta: vel sine aliis conditionibus à mandate appositis vt necessariis. Secus autem si in aliis, quæ non adeo curat: ex. gr. si omisit proclamationes, vel aliam cerimoniam requisitam ad solemnitatem matrimonii.

100. Debet mándatum non fuisse reuocatum. Tertium est, vt mandans non reuocauerit consensum, & procurationem, antequam iste contraxerit. Quia, vt ibidem ait sanctus Pontifex, *si procurator antequam contraxerit, à Domino fuerit reuocatus, contractum postmodo matrimonium ab eodem, licet tam ipse, quam ea, cum qua contraxit, reuocationem huiusmodi ignorarent, nullius momenti existit: cum illius consensus defuerit, sine quo firmitatem habere nequiuit.* Nec obest, quod alii contractus facti per procuratorem, valent reuocato licet mandatis consensu, dummodo reuocatio neque parti, neque procuratori innotuerit, vt dicitur lege, *Si mandassem*, ff. *Mandati*, & colligitur ex cap. *Ex parte*, de Rescriptis, & Clementina vnica de Renunciat. Ratio enim differentiæ est, quia in aliis contractibus ius supplet defectum consensus: non potest autem illum supplere in matrimonio: quippe quod sine consensu vtriusque contrahentis firmitatem habere nequit, vt ait Bonifacius verbis supra relatis. Vnde collige id verum esse, licet mandans iuramento se obstrinxerit ad consensum non reuocandum. Et in foro conscientiæ sufficere reuocationem purè internam: sed ad forum externum requiritur vt sensibiliter facta sit, & probari valeat. Sufficit autem implicita reuocatio, putà si interea sponsalia contraxit cum alia: vel si mandauit procuratori, vt aliam sibi quærat, quàm personam primò designatam.

101. Consensus debet perseuerare moraliter. Hinc etiam collige debere consensum perseuerare moraliter vsque ad celebrationem contractus. Vnde si mandans interea incidat in amentiam, non valebit contractus, vt bene docent Basil. Pont. lib. 2. de Matrimonio, cap. 15. numero 14. & Delugo disputat. 8. de Sacramentis, numero 108. Mandatum enim expirat morte ciuili mandatis, æquè ac morte naturali, vt dicitur lege *Qui seruum*, & Lege, *si quis alicui*, ff. de acquirenda hæreditate: præterquam quòd amens iam factus est incapax naturaliter contrahendi matrimonium, cùm amentia sit vnum de impedimentis naturaliter irritantibus, vt dicemus suo loco. Quare non placet quod dicunt Henriques libro vndecimo, capite quarto, numero quarto, Sanches libro secundo, disputatione vndecima, numero duodecimo, & Aegid. Con. disputatione vigesima quarta, numero septgesimo, fore contractũ in eo casu validum: quia, inquiunt, non requiritur, vt mandans vtatur ratione, dum contractus celebratur per procuratorem: alioqui, si tunc dormiret, aut ebrius esset, non validè contraheret; sed sufficit quod liberè mandatum dederit, & non reuocauerit. Respondeo enim non esse quidem opus vt vtatur ratione, dum actu procurator contrahit eius nomine, & mandato: sed tamen debere mandatum, & consensum perseuerare moraliter, nullumque impedimentum dirimens interueniſſe inter contrahentes: cuius vtriusque oppositum euenit in amentia: secus autem in somno, vel in ebrietate.

102. Instabis, quia qui petiuit Sacramentum, & in amentiam incidit, validè illud recipit: propterea quòd voluntas, siue intentio recipiendi durat adhuc habitualiter, dummodo non sit reuocata. Ergo similiter durat consensus matrimonii. Respondeo differentiam esse inter matrimonium, & alia sacramenta: quod in illo idem est minister, & subiectum: nemo enim potest illud recipere, quin simul efficiat: & qui contrahunt per procuratores, sunt nihilominus ipsi vel soli, vel saltem principales ministri. Secus verò res se habet in aliis sacramentis. Vnde in istis sufficit habitualis intentio recipientis adulti, id est, voluisse antea, & non retractasse, vt in exemplis allatis contingit: & in paruulis ne illa quidem necessaria est, sed pura capacitas recipientis meré passiuè se habentis. At in matrimonio, sicut & in aliis sacramentis, requiritur intentio saltem virtualis ministri, vt agentis humano modo: qui si per se proximè illud efficit, contrahendo per seipsum; debet scienter, & liberè id facere: vnde non magis potest quisquam contrahere per se matrimonium in ebrietate, vel in somno: quàm baptizare, absoluere, aut consecrare: quidquid antea intenderit. Sin autem contrahit per procuratorem; debet consensus in negotium tanti momenti, & mandatum perseuerare. Non censetur autem perseuerare interueniente amentia, quæ mors ciuilis est, quæque præterea contractum irritat naturaliter, vt paulò ante diximus. Ac sicut nullum esset matrimonium in casu quo vnus contrahentium in præsentia & per seipsum, fieret amens priusquam alter mutuum suum consensum sufficienter ei significaret, quæ significatio est de essentia, & valore contractus: quia tunc contractus non perficeretur humano modo; & iam vnus contrahentium esset incapax eum perficiendi. Sic in casu proposito. Nam in illo similiter non est completa significatio consensus faciendi alteri parti: & iam alter est incapax perficiendi contractum.

103. Oportet mandantē verè consensisse.

Præterea ad cōtrahendum validè per procuratorem, necessarium est vt mandans verè consenserit, & ex animo mandauerit: ita vt mandatum, & constitutio procuratoris sit verè signū illius consensus: neque sufficiat mutare postea voluntatem, & cōsentire apud se, aut ratum habere quod procurator fecerit: vt rectè docet Aegid. disp. 24. dub. 9. nu. 72. contra Pontium lib. 2. c. 15. n. 13. Henriq. lib. 11. cap. 2. nu. 2. & Sanch. lib. 2. disp. 11. num. 13. Ratio est, quia procurator se habet vt exprimens, & significans alteri parti consensum mandantis, tanquam illius delator, & testis: debetque illum verè significare, vt validè contrahat: debet etiam illum exprimere ex illius mandato, & commissione: quia non agit, nisi vt eius procurator: mandato, inquam, & commissione deferēdi verum suum consensum internum, & significandi alteri, prout ipse faceret, si præsens esset. At hoc non est, si mandans fictè consenserit. Falsò enim significat se deferre verum illius consensum: falsò etiam dicit se habere mandatum illum deferendi, & verè ac validè consentiendi, contrahendique matrimonium alterius nomine, & voluntate. Et quemadmodum quando aliquis in præsentia contrahit, debet verè consentire; & verba, vel alia signa externa, quæ ad consensum significandum adhibet, debent quodammodo procedere à consensu, illumque verè præsentem significare: neque sufficit fictè tunc consentire, posteaque mutare animum: nam verba illa non sunt signa futuri consensus, sed præsentis: & verus consensus manet occultus, si non alio signo exprimitur. Ita non sufficit fictè consentire coram procuratore; posteaque mutare animum priusquam ille contrahat, ita tamen vt hoc ignoret, neque talis voluntatis sibi commissæ exceptor, testis, & delator esse possit. Quod addo, quia si mandans non tantum interiùs consentiat postea, sed etiam id procuratori significet, mandetque specialiter vt contrahat, vel generaliter, vt causam suam agat; sufficiet hæc significatio consensus, & mandati. Alioquin verò nullum erit matrimonium, donec per alium, aut per literas contrahant: vel præsentes suum consensum sibi mutuum sufficienter exprimant: putà, signum aliquod maritalis affectus exhibendo.

104. Quid si consensum reuocauit?

Quæres an idem sentiendum sit, quando mandans verè quidem consensit, sed postea consensum reuocauit, atque iterum renouauit antequam procurator contraxerit? Respōdet Aegid. disp. cit. n. 73. Si is, qui seriò mandauit contrahi, secretò tantum mutet voluntatem, & mandatum apud se reuocet, sufficere quòd iterum secretò approbet ante contractum initum: quia prior consensus, per reuocationem extinctus, per approbationem iterum reuiuiscit perinde ac si non fuisset reuocatus. Sed hoc verum esse non puto, neque bene cohærens cum priore assertione Aegidii relatâ num. præcedenti. Nam consensus ille verè desiit per reuocationem; & procurator non potest esse testis, & delator, renouationis eiusdem consensus; quippe quam ignorat: sed tantùm consensus primò dati, & reuocati. Neque verum est perinde illum reuiuiscere, ac si non fuisset reuocatus: Nam differt realiter à secundo, qui est posterior tempore; & cum non fuerit tempore mandati, non potuit committi procuratori vt deferretur. Quod si in aliis negotiis sufficit renouatio consensus reuocati, ratio est, quia in illis ius supplet defectum. At in matrimonio non potest supplere defectum consensus, & significationis illius.

105. Matrimonium per procurat. vbique valet.

Quæres 2. valeatne matrimonium per procuratores iis etiam in locis, vbi Tridentinum receptum est? Respondeo affirmatiè: quia non irritauit matrimonia, nisi clandestina, id est, sine Parocho, & duobus, aut tribus testibus contracta, quæque, vt ait, erant antea prohibita propter inconueniens sæpissimè consequens ex occulto contractu: quando qui clam contraxerat cum vna, publicè postea contrahebat cum alia, cum qua viuebat in perpetuo adulterio. At matrimonium per procuratores factum coram Parocho, & testibus, non est clandestinum, neque magis obnoxium est incommodo prædicto, quàm illud quod inter præsentes simili modo contrahitur. Sufficit ei ad faciendam publicè fidem huius matrimonii, quòd Parochus, & testes sint conscii procurationis authenticæ, & talis, vt possit in foro externo probari: siue per se illam inspiciendo, siue sufficientia illius indicia habendo. Confirmatur ex praxi Ecclesiæ: nam etiam nunc iis in locis, vbi seruatur Tridentini constitutio, contrahuntur matrimonia per procuratores. Quod Ecclesia non permitteret, si censeret esse irrita. Addo cum Vega, Henrique, Molina, & aliis, quos citant, & sequuntur Sanchez disp. 12. n. 3. & Aegid. supra nu. 80. valere etiam matrimonium contractum per literas, non obstante eadem constitutione Tridentini, dummodo, vbi recepta est, contrahatur coram parocho, & testibus, & in eorum præsentia legantur literæ significantes vtriusque consensum de præsenti, de quarum veritate satis illis constet. Sed hic modus contrahendi non est sine necessitate vsurpandus: quæ necessitas vix potest contingere, cum facile sit per internuncium, & procuratorem rem agere, si coram ambo conuenire non possunt. Porro nihil refert vtrum procuratores, aut internuncii sint eiusdem, aut diuersi sexus: quia sexus diuersitas requiritur solùm in iis, qui matrimonio iunguntur. Modus autem, quo debent contrahere est: Talis accipit te in vxorem, vel, Accipit te in maritum, meo interuentu: vel, Accipio te in maritum, aut in vxorem, nomine talis personæ.

Valet etiā per literas.

SECTIO IX.

Requiraturne consensus aliorum quàm ipsorum contrahentium?

106. Valet sine consensu parentum.

AFfirmant Nouatores relati à Bellarm. lib. de matrim. c. 9. aientes matrimonium nullum esse sine parentum consensu: ac multò magis cum eorum dissensu: idque non solùm iure positiuo humano, aut diuino; verùm etiam naturali: vt patebit ex eorum argumentis, quæ referemus, & diluemus paulò post. Sed hic error aperte repugnat Scripturæ. Nam Gen. 26. Esaü duas vxores duxit inuitis parentibus, quippe quæ offenderant animum Isaac & Rebeccæ parentum eius: & cap. 28. accepit tertiam iisdem inuitis. Et tamen Scriptura eas simpliciter vxores vocat, & Isaac huiusmodi coniugia non irritauit. Iacob quoque Gen. 30. duxit Balam, & Zelpham insciis parentibus, ac proinde non cõsentientibus. Sicut & Tobias iunior Saram, Tob. 7. Quod viri illi sancti non fecissent, si cõsensum parentum necessarium esse existimassent: neque Angelus Raphaël Tobiæ id permisisset, ideoque meritò Trident. sess. 24. cap. 1. de Reform. matrim. initio, hunc errorem Nouatorum damnauit, anathemate feriens eos, *qui falsò affirmãt matrimonia à filiisfamilias sine parentũ cõsensu cõtracta, irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse.* Idèque antea declarauerat Nicolaus I. in respõsione ad consult. Bulgar. cap. 3. relato in Canone *Sufficiat*, 27. q. 2. vbi sic habet: *Sufficiat secundum leges solus eorũ consensus, de quorum coniunctionibus agitur*; id est, sine aliorum consensu, & solemnitatibus, de quibus priùs dixerat agens de sponsalibus.

107. Licetne sine illo?

Peccant tamen filii grauiter, quando sine iusta, & rationabili causa, parentibus insciis, aut iis, qui eorum locum tenent, vel inuitis, matrimonia contrahunt, vt suæ cupiditati obsequantur. Quia grauis contemptus est, ac signum diffidentiæ, rem tantam, & tam periculosam sine eorum consilio aggredi, parentibusque insciis, vel, quod grauius est, inuitis nurum, aut generum adducere, qui fortè turbas ingentes, & molestias parituri sunt. Vnde videmus parentes omnes id grauissimè ferre, ac seuerè punire. Dixi tamen, *sine causa iusta*; cuiusmodi esset, si certò scirent eos malitiosè impedituros matrimonium euidenter bonum, & commodum, non oblata, nec sperata æquè boni, aut melioris occasione: vel si maioris dotis gratiâ vellent filium potiùs contrahere cum hæretica, vel morosa, deformi, aut etiam tali, vt ad illam sincerè amandam flectere se non possit, & sperare prosperum exitũ matrimonii. Quin etiam valdè probabile est non posse parentes præcipere filiis certas nuptias, nisi quando tales occurrunt circunstantiæ, vt propter illas teneantur ipsi iure naturali tale matrimonium inire: putà, quia sub eius promissione copula fuit habita: vel quia bonum aliquod graue, & necessarium sine talibus nuptiis obtineri, aut graue malum vitari nequit. Ex. gr. si aliter non possint graues & capitales inimicitiæ tolli, vel inopia parentum extremè indigentium, & inedia oppressorum leuari: si publica pax regni ex eo pendeat: & in casibus similibus, in quibus etiam possunt cogi ad id, quod iure naturali facere tenentur: vt post alios multos docent Sanch. lib. 4. disp. 23. nu. 10. & Aegid. disp. 28. dub. 5. Eadem est expressa doctrina S. Thom. in 4. dist. 29. q. 1. a. 4. cuius titulus est, *Vtrum aliquis præcepto patris compelli possit ad matrimonium?* & conclusio sic habet: *Dicendum quod cum in matrimonio sit quædam quasi seruitus perpetua, pater non potest cogere filium ad matrimonium per præceptum, cum sit liberæ conditionis: sed potest eum inducere ex rationabili causa. Et tunc sunt se habet filius ad causam illam, ita se habet ad præceptum patris: vt si illa causa cogat de necessitate, vel de honestate: & præceptum similiter cogat: aliàs non.*

108. Extra hos ergo casus non obligantur sub peccato filii obedire parentibus certas nuptias præcipientibus, aut prohibentibus contra eorum inclinationem. Licet communiter honestissimum sit, & consultissimum obedire: quia parentes sunt prudentiores, & filios valde amant ordinariè. Cum enim matrimonium requirat indiuiduam vitæ societatem, mutuo amore conglutinatam: durum, atque valde periculosum est, & contra naturã ipsius, alieno imperio ad ipsum adigi: quia rarò amantur ea, in quæ sponte non inclinamur: multóque minùs ad quæ inuiti, & reluctantes cogimur. Quæ fuit causa cur Trid. sess. 24. Decreto 1. cap. 9. excommunicauerit omnes locorum Dominos, ac magistratus, cuiuscunque conditionis sint, qui alios cogunt, quò minùs liberè matrimonia contrahant. Quod intellige de graui, & iniusta coactione: in qua inferenda ipsi grauiùs peccant, eò quòd teneantur ex officio iniustam quorumcunque aliorum violentiam arcere: multóq; magis non ipsimet inferre. Licet autem hæc excommunicatio non attingat parentes priuatos: debent tamen ipsi non minùs libertati filiorum consulere.

109. Contraria sententia.

Contra id quod diximus, non requiri necessariò consensum parentum ad valorem matrimonii, obiicitur primò, quod ait Euaristus epist. 1. ad Episcopos Africanos, Aliter legitimum non esse coniugium nisi ab iis, qui super fœminam dominationem videntur habere, & à quibus custoditur, vxor petatur, & à parentibus, aut propinquioribus sponsetur. Et paulò post addit, matrimonia aliter contracta esse adulteria. Secundò Clemens III. cap. *Videtur*, tit. *Qui matrimonium accusare possunt*, affirmat parentes debere interesse filiorum nuptiis, vel proximiores, si parentes defuerint: *ita vt si non interfuerint, & consensum non adhibuerint, secundum*

Digitized by Google

leges nullum fiat matrimonium. Tertiò, Basil. in epist. ad Amphiloch. can. 42. sic habet: *Quæ sine his, qui habent potestatem, fiunt matrimonia, sunt fornicationes. Neque ergo vivente patre, nec Domino, ii qui conuenerunt sunt ab accusatione liberi, donec coniugio annuerint Domini. Tunc enim accipit firmitatem coniugium.* Propter hæc Basil. Pont. lib. 2. de matrim. cap. 14. num. 5. & sequentibus, censet matrimonia filiorumfamilias, sine parentum consensu inita, fuisse olim irrita primis Ecclesiæ temporibus. Idemque sentire videtur Concilium Colonienſe sub Paulo III. anno 1536. celebratum, part. 7. cap. 43. Euaristi verba supra relata in eum sensum accipiens. Communis tamen sententia & responsio Theologorum, à qua non censeo recedendum, est, Euaristum velle tantùm quòd matrimonia sic contracta sine iusta, & rationabili causa liberos excusante à consensu parentum petendo, & obtinendo, sint grauiter illicita, & ab Ecclesia reprobata perinde, ac adulteria, & fornicationes, ad quorum turpitudinem accedunt aliquatenus, quia non ex præscripto rationis, sed duce cupiditate, & libidine rationi prædominante contrahuntur. Clemens autem præcipit dumtaxat vt nullum fiat matrimonium eo modo: quia per leges prohibetur, neque secundum illas fieri licitè potest. Basilius denique simili modo, quo Euaristus, intelligendus est. Et certè Euaristus tam multa alia ibidem postulat, vt incredibile sit ea omnia fuisse necessaria ad valorem matrimonii: vt quòd vxor à Paranymphis custodiatur: & proximi eam comitentur: & legitimè dotetur: & cum marito per biduum, aut triduum vacet orationibus, abstinendo à copula.

Diluitur prima eius obiectio.

110. Secunda oppositio.

Obiicit secundò Kemnitius Lutheranus, apud Bellarm. lib. de Matrimonio, cap. 20. Matrimonium talem debere esse coniunctionem, vt eius auctor, & conciliator Deus ipse haberi possit. At eiusmodi non sunt matrimonia, quæ insciis, vel inuitis parentibus contrahuntur: non igitur sunt vera matrimonia. Maior patet ex Matth. 19. *Quod Deus coniunxit* &c. Minor probatur, quia Deus non est auctor, & conciliator matrimonii, quod contra eius verbum, & præceptum contrahitur. Matrimonium autem insciis, vel inuitis parentibus, contra Dei verbum, & mandatum contrahitur. Non est igitur eius auctor, & conciliator Deus. Maior est certissima: Minor probatur: Nam in quarto præcepto Decalogi iubentur filii obedire parentibus, idque in rebus omnibus, vt explicat Apost. Coloss. 3. *Filii*, inquit, *obedite parentibus per omnia*: & speciatim Deus iubet illis obedire circa matrimonium, Exod. 22. Deuteron. 7. Hierem. 19. & 1. Corinth. 7. Post quæ omnia, addit Kemnitius hanc rationem grauissimam esse, & ex iure diuino desumptam.

111. Respondeo ad primam propositionem huius obiectionis, dupliciter Deum posse dici authorem, & conciliatorem matrimonii. Primò, quoad ipsius substantiam: quatenus ipse, vt auctor naturæ, dedit potestatem validè contrahendi mari, & fœminæ consentientibus in mutuam corporũ suorum traditionẽ: vel etiam specialiter instituit essentiam talis contractus, aut illum euexit ad dignitatem Sacramenti. Secundò, quatenus ipse mouet, & inspirat coniuges ad ineundum matrimonium. Primum est necessarium ad valorem contractus, aut sacramenti: & eo sensu matrimonium debet talis esse coniunctio, vt eatenus eius auctor, & cõciliator Deus ipse haberi possit. Sed hoc totum habet matrimonium filiorum initum sine consensu parentum, quando naturali potestate contrahendi vtũtur, adhibentque omnia cõtractui, vel sacramento essentialia. Secundũ verò si desit, non præiudicat eius valori: vt in aliis Sacramentis videre est. Nam simili modo Deus dici potest auctor Baptismi dupliciter. Primò, quatenus illum instituit, præscribendo materiã, & formam eius essentialem, & quæcunque sunt ad valorem illius necessaria. Secundò, inspirando, & mouendo specialiter aliquem ad baptizandum. Primum sufficit ad valorem Baptismi: neque enim minùs validè baptizat, qui non ex diuina motione, sed spe lucri temporalis, aut turpi aliquo motiuo Baptismũ administrat: tametsi huius malæ intẽtionis, & modi accidentalis conferendi Baptismum Deus auctor non est. Hac distinctione præsupposita, Respõdeo ad minorem, Deum esse auctorem matrimonii initi parentibus inuitis, quoad substantiam, non quoad modum illum ineundi, qui nõ minùs illi displicet, quàm modus baptizandi ex mala intentione, & turpi motiuo. Et quidem sicut illicitè contrahunt liberi sine cõsensu parentum, quorum adhuc curæ subsunt: sic illicitè baptizãtur filii infidelium sine cõsensu parentum, quibus subiacent. Et tamen eorum Baptismus validus est: estque secundum Dei institutionem quoad substantiã, licet non quoad modum. Ergo de matrimonio idem sentiendum est. Ad probationem eiusdẽ minoris propositionis respondeo cum eadem distinctione, Deum non esse auctorem quoad modum accidentalem matrimonii, quod perperam insciis, vel inuitis parentibus initur contra Dei prohibitionem: secus autem quoad substantiam, si seruantur omnia essentialia matrimonii.

Deus dupliciter est auctor matrimonii.

112. Tale matrimonium non est ritum iuris naturali.

Opponit tertiò, tale matrimonium iure naturali, & ciuili nullum esse. Quod probat ex lege 1. & 2. Cod. *de nuptiis*, & ex lege *Nuptiæ*, ff. de ritu nuptiarum, & ex Instit. de nuptiis. §. *Iustas autem.* Quo postremo loco, postquam dixit Iustinianus requiri in nuptiis consensum parentum; hanc eius rei causam reddit: *Nam hoc fieri debere, & ciuilis, & naturalis ratio suadet, in tantum vt iussus parentum præcedere debeat.* Respondeo rationem naturalem dictare filios debere in re tanti momenti accipere, & sequi parentum consilium, quibus subsunt, eorumque iustæ voluntati obtemperare: sed

Digitized by Google

non dictare irritum esse matrimonium, si secus fiat: & filios non habere ius tradendi validè alteri, quod suum est, id est, proprium corpus, quamuis in modo tradendi peccent. Ius verò naturale, si quid amplius statuit, correctum fuit à Iure Canonico cap. *Sufficiat*, 27. quæst. 2. cap. *Vbi non est*, 30. quæst. 2. cap. *Tuas dudum*, de sponsa duorum, & cap. vnico de Desponsat. Impub. in 6. & à Trident. sess. 24. cap. 1. Decreti de reformat. matrim. Leges autem & causas matrimoniales ad ius ecclesiasticum pertinere docet idem Concilium can. 12. eiusdem sess. vbi de causis id definit sub anathemate: ad eandem autem potestatem, ad quam pertinent causæ matrimoniales, spectat leges de illis constituere & interpretari authenticè.

113. Neque etiam iure ecclesiastico.

Opponit quartò, eadem matrimonia irritari ipso iure canonico, cap. *Aliter*, cap. *Nostrates*, cap. *Qualis*, cap. *Sponsus*, 30. qu. 5. & cap. *Honorantur*, cap. *Hoc sanctum*, 32. quæst. 2. & cap. *De raptoribus*, 36. quæst. 2. cap. *Apud* 36. q. 2. Sed hæc omnia inutiliter proferuntur. Ad primum enim sumptum ex Euaristo, iam supra respondimus, consensum parentum, & alia multa, quæ ibi requiruntur, & quorum pleraque à Lutheranis, & ab aliis Nouatoribus non seruantur, dici tantùm esse necessaria, vt legitimè fiant coniugia, id est, secundum leges ecclesiasticas, quæ tunc temporis omnia ibi præscripta seruari iubebant: & alioquin esse illicita, & execranda, vt adulteria, & contubernia nefaria. Ad secundum, dico ibi tantùm describi ritus obseruari solitos in solemnitate nuptiarum: & in fine capitis addi *non esse peccatum, si hæc cuncta in nuptiali fœdere non interueniant.* Neque distinguitur specialiter quænam ex illis possint licitè, aut non possint omitti, sed id aliunde colligendum relinquitur. Ad tertium respondeo, ibi solùm describi qualis debeat esse vxor, quæ legitimè ducenda est: virgo scilicet casta, desponsata in virginitate, & dotata legitimè, & à parentibus tradita, & à sponso, & à parentibus accipienda. Quæ omnia ad valorem matrimonii esse necessaria, ne ipsi quidem aduersarii affirmant: neque de consensu parentum specialiter id ibi declaratur.

114. Ad quartum desumptum ex Concilio Carthagin. IV. Dico ibi tantùm præcipi vt sponsus, & sponsa, quando debent à sacerdote benedici, offerantur Ecclesiæ à parentibus suis, vel à Paranymphis: cúmque acceperint benedictionem, eadem nocte pro reuerentia ipsius benedictionis in virginitate permaneãt. Quæ licet ex præcepto, vel consilio Ecclesiæ fieri necessarium, aut conueniens sit: ad essentiam tamen ipsam, & valorem matrimonii non pertinent. Ad quintum sumptum ex Ambros. lib. 1. de Abraham, respondeo tantùm ibi asseri non esse pudoris virginalis maritum sibi eligere, sed parentum iudicium expectare: debereque virgines, exemplo Rebeccæ, negotium illud in eorum curam reiicere, & electionem mariti illis deferre: ne procaciores esse, viroſque magis expetere, quàm ab ipsis expeti videantur. Vtrum autem, si secus faciant, matrimonium sit irritũ, non ibi definit Ambrosius. Ad sextũ desumptum ex Concilio Toletano III. can. 10. respondeo ibi tantùm affirmari viduas, si priusquam profiteantur cõtinentiam, nubere elegerint, posse illis nubere, quos propria voluntate voluerint habere maritos: Similemq; habendam esse conditionem virginum: nec extra voluntatem parentum, vel suam cogẽdas esse maritos accipere. Quod certè nihil contra nos facit, sed cõtra Kemnitium, aliosque Nouatores, qui virgines à proposito, & voto seruandæ continentiæ auertunt: omnesque ad nubendum impellunt.

Ad septimum, desumptum ex Concilio Aurelian. I. cap. 4. respondeo ibi tantùm cõstitui, vt rapta de potestate raptoris liberetur, licet ad Ecclesiam confugerit: & si patrem habet, ei reddatur: raptor verò pœnæ, vel satisfactioni obnoxius sit. Ad octauum respondeo in canone illo, quem Gratianus Gregorio Magno tribuit, nihil aliud dici, quàm apud Deum omnipotentem fallacem illum non haberi, qui culpam mendacii per pœnitentiam delet. Et vice commentarii à Gratiano addi, Hac auctoritate, & aliis præcedentibus eod. tit. relatis prohiberi, ne rapta copuletur raptori priusquam vitium rapinæ aboleatur. Cúmque illa patriæ potestati restituta fuerit; & raptor suæ rapinæ pœnitentiam egerit, ac voluntas parentum vtriusque in vnum conuenerit, non prohiberi eos inuicem copulari. Quæ verba licet haberent auctoritatem Canonis, ex illis tamen inferri non posset matrimonium contractum sine raptu, aut etiam cum raptu, sine consensu parentum, esse non modo prohibitum, & illicitum, verum etiam irritum. De constitutione autem Tridentini circa raptum dicemus inferius disput. 76. sect. 3. Cætera quæ addunt Kemnitius, & alii Nouatores, non sunt maioris momenti. Quare his non obstantibus certa manet, & inconcussa Tridentini definitio sess. 24. initio capitis 1. de Reform. Matrimonia à filiis familias sine consensu parentum contracta, non propterea esse irrita, neque parentes ea rata, vel irrita facere posse.

115.

Contra id etiam quod diximus, non posse parentes præcipere filiis, sub pœna peccati, certas nuptias, ad quas aliunde non teneantur iure naturali, obiicitur quod ait Honorius Papa in epistol. ad Eusebium relata capite primo, de desponsat. Impub. *Potest filium nondum adultum (cuius voluntas discerni non potest) pater cui vult matrimonio tradere: & postquam filius peruenerit ad perfectam ætatem, omnino obseruare, & adimplere debet. Hæc omnibus orthodoxæ fidei sancimus, & omnibus tenenda mandamus.* Vbi nota verba illa, *Omnino debet ad implere*, quæ non consilium, sed præceptum significant: sicut & ista, *Omnibus tenenda mandamus*, quæ non solùm honestatem, sed

116. Altera obiectio.

& necessitatem agendi important. Si autem tenentur liberi iam adulti contrahere, quando pater spopondit: quidni etiam quando iubet? Respondeo teneri in vtroque casu, quando pater rationabiliter spopondit, aut præcipit, id est, ex causa, quæ per se sufficere debet ad filium obligandum ex honestate, aut arctiori debito: quæque multo magis mouere eum debet accedente parentum imperio, à quo sine iusta, & graui ratione recedere licitè non potest. Quin etiam deficiente licet alia causa, reuerentia & pietas erga parentes postulat vt illis se conformet, quoad fieri potest, illorumque consensum in re tanti ponderis non exploret solùm, verùm etiam sequatur, suæque cupiditati anteponat: meritóque parentes id à liberis exigunt, & si non faciant, ægerrimè ferunt, multisque in locis leges puniunt exhæredatione liberos sine consensu parentum contrahentes, contra iustam & rationabilem iplorum voluntatem.

117. Leges punientes liberos ita contrahentes sintne iustæ?

Circa quas leges superest quærere, sintne iustæ, & seruandæ? Negant Paludan. Panormitan. Decius, Angel. Siluest. & multi alii, quos citant, & sequuntur Couarr. 2. parte de matrimonio, capite tertio, §. 8. numero sexto, Sanch. libro quarto, disputatione vigesima quinta, numero secundo, & Vasquez disputatione quarta, de matrim. cap. 2. num. 24. qui etiam dicunt fuisse idcirco iure pontificio abrogatas. Primò quia sunt contra libertatem matrimonii, quam Ecclesia magnam esse vult, vt patet ex Tridentino sess. 24. cap. 9. de reform. matrim. & cap. *Gemma*, de sponsal. vbi eam ob causam irritat pœnam sponsalibus appositam. Secundò, quia derogant etiam iurisdictioni ecclesiasticæ, ad quam solam pertinent causæ matrimoniales, vt declarat Trident. sess. cit. Can. 12. & patet ex cap. *Tuam*, de Ordine cognitionum, & capite *Causam* 2. Qui filii sint legitimi, & cap. 1. de sponsal. Tertiò, quia cùm parentum consensus non sit necessarius ad valorem matrimonii, vt affirmat Trident. sess. cit. cap. 1. de reformatione matrim. initio; non videtur esse causa sufficiens exhæredandi filios, si absque illo contrahant, saltem si cum non indignis, aut valde imparibus, & absque alia graui deordinatione.

118. Præfertur sententia affirmans.

E contrario affirmant absolutè, & simpliciter Calderin. Montaluus, Molina, Salon, Vega, aliique plurimi relati à Sanchez libro quarto, disputatione vigesima quinta, numero primo, quibus adde Rebellum 2. parte de obligat. iustit. lib. 2. qu. 14. sect. vlt. & Pontium lib. 2. de matrim. cap. 1. §. 3. Ratio præcipua est, quia licet causæ matrimoniales spectantes ad valorem matrimonii, & vtrum sit legitimè contractum, pertineant ad tribunal ecclesiasticum, vt patet ex iuribus sup. cit. non tamen excedit potestatem iuris ciuilis statuere pœnas, quibus filiorum inobedientia puniatur, & vitentur scandala, & incommoda Reip. quæ inde solent oriri. Quemadmodum licet causa hæresis pertineat ad iudices ecclesiasticos: tamen non excedit potestatem ciuilem, statuere pœnas contra hæreticos, illasque mandare executioni. Quare leges illæ non derogant iurisdictioni ecclesiasticæ. Neque etiam libertati necessariæ ad matrimonium. Nam matrimonia, quæ fiunt contra rationabilem, & iustam parentum voluntatem, sunt grauiter illicita, & à Deo prohibita sub pœna mortis æternæ, quæ longè grauior est pœnâ exhæredationis. Et ita contrahere non est vti, sed potius abuti sua libertate: debetque libertas contrahendi esse iusta, & rationabilis. Sicut ergo non obstat iustæ libertati matrimonii grauis prohibitio diuina illius abusus, & pœna adiuncta prohibitioni: ita neque legum humanarum prohibitio, & pœna. Nec obest, quòd Ecclesia non vult apponi pœnam resilienti à sponsalibus, vt consulatur libertati matrimonii. Tum quia non prohibet nisi pœnas appositas impuberibus, vel iustè resilientibus, vt diximus disp. 70. num. 60. Tum etiam quia maior est ratio vt apponatur matrimoniis, de quibus loquimur, ex quibus plura, & maiora sequuntur incommoda. Et pœna illa sponsalium est tantùm conuentionalis, ex partium consensu debita: quam cõuentionem, licet Ecclesia non approbaret: non sequitur pariter improbare leges ciuiles grauiter prohibentes, & punientes abusus, ipsimet contrahentibus, & eorum parentibus, totique Reip. valde perniciosos.

119. Solumntur argum. contr.

Atque ex his patet solutio primi & secundi argumenti contrariæ sententiæ. Ad tertium respondeo cum Dominico Soto in 4. dist. 29. qu. 1. a. 4. & Rebell. sect. ciuitnu. 30. æquum esse vt leges illę benignè intelligantur, & executioni mandentur secundum illam moderationem, vt quando liberi contrahunt cum non imparibus, & sine magna deordinatione aliunde, non tam graui pœnâ mulctentur, sed proportionata offensæ parentibus illatæ. Quamquam in rigore iuris potest cùm illis seueriùs agi ad tuendum ius paternum in re tanti momenti contemptum, & ad frænandam licentiam, temeritatemq; liberorum, propter bonum commune familiarum, & totiùs Reipublicæ quæ huiusmodi matrimoniis turbari solet. Aequum etiam est vt parentes consilium sequantur D. Ambrosii sic scribentis Sisinio, cuius filius ipso inconsulto vxorem duxerat. *Fuit*, inquit, *quòd succenseres filio: sed fuit etiam quòd ignoseeres, quia sibi vxorem elegerat*, &c. *Fecisti igitur, quod boni parentes, vt citò ignoseeres, sed obsecratus. Nam antequam rogareris, non erat ignoscere, sed factum probare. Deinde diutius differre veniam, & tibi acerbum, & illis inutile.* Notandum præterea viduas non esse his legibus comprehendendas, nisi fiat expressa earum mentio. Cùm illæ iam sint emancipatæ, & factæ sui iuris: debeantque huiusmodi leges, vtpote odiosæ, restringi potiùs, quàm ampliari. Item,

Ambros. lib. 8. Epist. 64. in ordine.

Digitized by Google

quando faciunt patri, vel matri potestatem exhæredandi, debent intelligi de bonis, quorum dispositio ad illos pertinet, siue quoad portionem quæ à patre, vel matre obueniret. Nam alioqui pater non potest exhæredare bonis maternis, neque mater paternis: vt rectè notat Rebell. sup. num. 30. & 31.

SECTIO X.

Quodnam debeat esse obiectum consensus coniugalis?

120. Status quæstionis.

Præcipua difficultas in eo consistit, an, & quomodo consensus ille debeat necessariò versari circa copulam. Qua de re communis, & vera sententia Theologorum est requiri necessariò, & sufficere, vt circa illam versetur implicitè, ita vt coniuges dent sibi mutuo ius, & potestatem eam exercendi, & vtendi proprio corpore tanquam suo, volendo saltem consentire in contractum matrimonii, prout fert illius natura: licet non cogitent de copula explicitè, neque velint reipsa exercere, sed è contrario propositum, aut votum conceperint nunquam exercendi: quod non repugnat substantiæ matrimonii, & laudabiliter à B. Virgine, & Sancto Ioseph, nonnullisque aliis factum est.

121. Debet esse consensus saltem implicitè in copulâ.

Prima pars traditur expressè à D. Thom. in 4. dist. 28. q. 1. art. 4. & q. 48. Supplem. art. 1. in corp. vbi dicit consentire in matrimoniũ idẽ esse, ac *consentire in carnalẽ copulã implicitè, nõ explicitè. Non enim debet intelligi, nisi sicut implicitè continetur effectus in sua causa: quia potestas carnalis copulæ, in quam consentitur, est causa carnalis copulæ: sicut potestas vtendi re sua est causa vsus.* Idemque huius rei rationem à priori hanc reddit: quia matrimonium non est essentialiter ipsa coniunctio carnalis, sed quædam associatio viri, & vxoris in ordine ad carnalem copulam, & alia, quæ ex consequenti ad virum & vxorem pertinent, secundum quod eis datur potestas in inuicẽ respectu carnalis copulæ: & hæc associatio coniugalis copula dicitur, id est, vinculum coniugale. Sicut autem carnalis copula se habet ad matrimonium, ita consensus, qui causat matrimonium, debet ad illam se habere: ac proinde sufficit quòd consentiat in illius causam, seu ius, & potestatem illa vtendi. Hoc est, cùm matrimonium essentialiter nihil sit aliud, quàm mutua traditio, & acceptatio corporum legitima in ordine ad copulam, dando ius ad illam, vt patet ex dictis disp. 69. Sufficit coniuges in hoc consentire.

122. Non est necesse vt explicitè.

Secunda pars eiusdem assertionis traditur ab eodem S. Doctore 3. p. q. 29. art. 2. in corp. vbi asserit *omnino verum fuisse matrimonium Virginis Matris Dei, & Ioseph: quia vterque consensit in copulam coniugalem*: id est, in vinculum coniugale, *non autem expressè in copulam carnalẽ, nisi sub conditione, si Deo placeret.* Et in 4. dist. 30. q. 2. a. 1. quæstiunc. 2. ad 3. Dicendum, inquit, quod copula carnalis cecidit implicitè sub consensum B. Virginis, sicut actus implicitè continetur in potentia. Potentia autem ad carnalem copulã non contrariatur virginitati, nec diminuit aliquid de puritate ipsius, nisi ratione actus, qui quidem nunquam fuit in proposito B. Virginis, sed erat iam certificata, quòd actus nunquam sequi deberet. Itaque ex mente D. Thomæ non est necessarium ad contrahendum validè matrimonium, vt coniuges consentiant explicitè in copulam, volendo eam exercere: sed possunt habere contrarium propositum, & votum nunquam exercendi: sicut habuit B. Virgo. Ratio à priori est, quia copula carnalis non est de essentia matrimonii, sed tantùm est vsus potestatis per illud acceptæ. Potest autem separari potestas ab vsu: potestque dari & accipi potestas ad vsum, sine voluntate vnquam illam exercendi: imò etiam cum expressa voluntate contraria. Sicut in rebus aliis potest separari dominium directum ab vtili, & vnum traditur frequenter sine altero.

123. Dominium directum potest separari ab vtili.

Itaque, vt rectè ait Rebell. 2. part. de obligat. iustit. lib. 2. q. 13. sect. 5. num. 51. Sicut in fundo v. g. duplex dominium distingui solet: vnum videlicet proprium, ac directum: alterum vtile, quoad vsum-fructum: quorum primum pertinet ad Dominum directum, secundum verò, ad vsufructuarium: Ita in corpore vtriusuis coniugis quodammodo distingui potest dominium directum à dominio vtili, quoad vsum copulæ: quorum vnum ab altero separari similiter possit ex mutuo pacto inter coniuges, concedendo videlicet dominium directum suorum corporum, per quod vnus reddatur proprius coniux alterius, habeatque illum vt suum: denegato tamen vtili dominio, quoad vsum copulæ, siue ad tempus, siue in perpetuum. Atque ita B. Virgo dominium solummodo directum corporis sui dedit Beato Ioseph, sanctissimo ipsius sponso: non autem dominium vtile, siue vsum-fructum sui corporis, quoad copulam; sed potiùs ex mutuo pacto sibi retinuit, neque sine transgressione voti dare illud poterat: secus autem dominium directum, quod cum voto etiam solemni castitatis stare potest: vt videre est in illis, qui post consummationem matrimonii professionem emittunt in religione, qui nihilominus dominium directum, & coniugale vinculum retinent. Indeque fit, vt si iam copulam haberent, peccarent quidem grauiter contra votum, sed non peccato fornicationis: quia non accederent ad non suam. Eademque de causa, si vxor talis professi nũbat alteri eo viuente, dicitur esse sine dubio adultera, vt habetur causa 27. q. 2. cap. *Si quis cum*

esse perfectum quoad significationem coniunctionis Christi cum Ecclesia per mysterium Incarnationis, quam coniunctionem non perfectè significat. Eademque de causa Innocentius III. cap. *Debitum*, de Digamis, respondit eum qui duxit vxorem, quam non cognouit, & eâ mortuâ accepit aliam; non propterea bigamum esse, & irregularem: quia non diuidit carnem suam in plures, & consequenter non est in illo defectus significationis vnionis Christi cum vna Ecclesia.

128. Aliter respondet D. Thom. quæst. 42. art. 4. in corp. non esse perfectum matrimonium perfectione accidentali, quæ attenditur secundum operationem: licet perfectum sit quoad essentiam. Quod verum quidem est, sed minùs ad mentem D. Leonis. Minùs etiam placet altera quorundam responsio, quam refert & non improbat Bellar. lib. de matrim. cap. 5. in solutione sexti argumenti, esse imperfectum quoad integritatem: quoniam, inquit, licet copula non sit pars essentialis sacramenti matrimonii, tamen est integralis, vt satisfactio in sacramento Pœnitentiæ. Enim verò si propriè sacramentum sumit; id, quod est pars integralis sacramenti, debet habere aliquem effectum ex opere operato: quemadmodum satisfactio causat ex opere operato remissionem pœnæ. At copula nullum talem effectum habet, vltra contractum perfectum essentialiter. Sin autem impropriè sacramentum sumit pro significatione coniunctionis Christi cum Ecclesia per Incarnationem: sic copula pertinet ad illius essentiam, & non solùm ad integritatem.

129. Ad secundum Respondeo cum Magistro in 4. dist. 26. cap vlt. & Basil. Pont. lib. 1. cap. 16. num. 13. in fine, canones ibi citatos non sibi aliud velle, quàm matrimonium perfici per copulam in ordine ad mysterium coniunctionis Christi cum Ecclesia significandum, vt dixit Innocent. cap. *Debitum*, supra cit. Ad tertium, dico Augustinum nihil aliud velle, quàm matrimonium debere ordinari ad filiorum procreationem, saltem implicitè, & quoad ius: eodem modo, quo suprà diximus debere ordinari ad copulam. Ibi enim contendit August. contra Faustum, non posse licitè haberi, & retineri mulierem ad concupiscentiam tantùm, & fornicationem: & vxorem ad hunc tantùm finem assumptam dimittendam esse, cùm vera vxor non sit, quippe quæ ducta fuit sine intentione ad substantiam matrimonii necessaria, tradendi potestatem corporis sui ad copulam legitimam in ordine ad liberorum procreationem, & cum obligatione seruandi fidem matrimonii. Ad quartum respondeo virgines, quæ post votum nubunt, aut nubere volunt, peccare contra fidem Deo datam, quia se exponunt euidenti periculo consummandi; dantque marito ius exigendi, tenenturque petenti reddere debitum, nisi ille voto consenserit, aut simili obligatione se obstrinxerit. Exponunt, inquam, se euidenti periculo, si id faciant absque speciali, & certa reuelatione diuinæ voluntatis, & protectionis: qualem habuisse Beatissimam Virginem docuit S. Thom. verbis supra relatis, & apud omnes catholicos indubitatum est.

Satisfit aliis eiusdem argumentis.

Ex oppositio Sanches lib. 2. de matrim. disp. 28. num. 4. & fusiùs Basil. Pont. lib. 1. cap. 18. dicunt ne implicitum quidem consensum in copulam esse necessarium ex parte contrahentis, sed tantùm ex parte contractus. Idemque videtur sentire Rebel. 2. parte de obligat. iustit. lib. 2. quæst. 13. sect. 4. & 5. Ad quod probandum affert Pontius testimonium D. Augustini ex lib. de bono coniugali cap. 1. vbi dicit posse esse in vtroque sexu, etiam sine carnali commixtione, alterius obsequentis amicabilem quandam, & germanam coniunctionem. Et cap. 3. eiusdem lib. affirmat coniugium esse bonum, non propter solam filiorum procreationem, sed propter ipsam etiam naturalem in diuerso sexu societatem. Et lib. 23. contra Faustum cap. 8. asserit Ioseph Mariæ dici maritum, & habere illam coniugem, non concubitu, sed affectu, non commistione corporum, sed copulatione, quod est charius, animorum. Quibus similia habet lib. 1. de nuptiis, & concupisc. cap. 11. & lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 2. Eumque imitatus est Hugo Victor. verbis ab eodem Pontio relatis num. 11. capitis supra citati, qui deinde ad idem confirmandum hanc rationem addit. Non potest, inquit, negari sine temeritate vtũ matrimonium intercessisse inter B. Virginem, & S. Ioseph., illudque fuisse ab illa contractum post emissum votum virginitatis, vt affirmat D. August. lib. de sancta virginitate cap. 4. Ergo non potuit esse cum consensu in copulam ex parte contrahentis: alioqui B. Virgo peccasset contra votum: quia vt ait idem August. in lib. de bono viduitatis cap. 8. & habetur in cap. *Nuptiarum bonum*, 27. q. 1. Post oblatam Deo virginitatem per votum, non solum nubere reipsa, sed etiam velle nubere damnabile est.

130. Sine consensus in copulã necessarius ex parte contrahentis?

Confirmatur, quia ad essentiam contractus matrimonii requiritur tantùm, vt sit mutua animorum coniunctio ad indiuiduam vitæ societatem, cum diuersitate sexus. Sed hoc totum reperiri potest in matrimonio contracto, sine vllo ordine ad copulam ex parte contrahẽtis. Ergo &c. Maior probatur ex D. August. qui agens de virginitate B. Mariæ, dicit matrimonium esse legitimam societatem inter virum, & fœminam, in qua pari consensu semetipsum alter alteri debet. Nomine autem debiti non intelligit vinculum corporum in ordine ad copulam: sed obsequiorũ, vt alter regat, alter obsequatur, quemadmodum patet ex eius testi-

131. Sententia negans confirmatur.

dum corpore alterius, tanquam suo: non potest quisquam consentire in eiusmodi dominium sui tradenddum, quin implicitè consentiat in copulam: licet habeat voluntatem non vtendi, & ius expedium ad vsum tradere nolit: quod fatemur non esse necessarium. Et hactenus de consensu requisito ad valorem matrimonii.

DISPVTATIO SEPTVAGESIMA SECVNDA,

De bonis, & effectibus, vel proprietatibus Matrimonii: præcipuéque de vnitate &, indissolubilitate.

Sectio I. *An & quæ bona necessaria sint ad excusandum matrimonium?*

Sectio II. *Qualis sit vnitas matrimonii? Et primò, liceatne ad secundas nuptias conuolare?*

Sectio III. *Possintne validè, aut licitè plures vxores simul haberi?*

Sectio IV. *An & quomodo vinculum matrimonii sit insolubile?*

Sectio V. *Quo iure matrimonium sit necessariò vnius cum vna, & inducat vinculum insolubile?*

Sectio VI. *Soluuntur aliquæ dubitationes circa insolubilitatem matrimonii.*

Sectio VII. *An & quomodo solueretur matrimonii vinculum inter Iudæos per libellum repudii?*

Sectio VIII. *Quo iure soluitur matrimonium ratum Christianorum in quibusdam casibus: & quomodo probanda inualiditas matrimonii, vt dissoluatur?*

DE bonis matrimonii disputat S. Thom. quæst. 49. Supplem. & art. 1. docet cum in coniunctione viri, & mulieris accidat quædam iactura rationis, propter vehementiam delectationis, quæ rationem absorbet: & propter tribulationem carnis, id est, solicitudinem rerum temporalium: oportuisse aliqua esse bona, quibus talis iactura compensaretur, & prædicta coniunctio honestaretur. Et hæc sunt bona, quæ matrimonium excusant, & honestũ reddunt: ac sine quibus non esset prudenter eligibile: quia nullus sapiens debet aliquam iacturam sustinere, nisi cum recompensatione alicuius æqualis, vel melioris boni. Secundò, bona, quibus honestatur matrimonium esse præcipuè tria: videlicet bonum prolis generandæ, & educandæ: bonum fidei, hoc est, mutuæ fidelitatis seruandæ obligatio: & bonum sacramenti. Tertiò, inter huiusmodi bona

primum ordine dignitatis esse bonum sacramenti. Ordine verò essentiali prius esse bonum prolis; tum bonum fidei, sumendo prolem pro intentione prolis, & fidē, pro debito seruādi fidem: sine quibus etiā matrimoniū esse nequit: quia hæc in matrimonio ex ipsa pactione coniugali causantur: postremum verò esse bonum sacramenti. Quartò, eadem bona non tantùm excusare actum matrimonii, licitum eum reddendo, & bonum: verùm etiam sanctum. Est enim bonus ratione prolis, & fidei: sanctus autem ratione sacramenti, quatenus significat coniunctionem Christi cum Ecclesia. Quintò, peccare coniuges in actu coniugali, saltem venialiter, nisi conueniant causâ procreandæ prolis, aut debiti reddendi. Sextò, peccare mortaliter eum, qui cognoscendo vxorem non intendit aliquod bonum matrimonii, sed solùm delectationem, si delectatio quæratur vltra honestatem matrimonii, ita scilicet vt aliquis in coniuge non attendat quòd coniux est, sed solùm quòd mulier, paratus idem facere cum ea si non esset coniux. Si autem quæratur delectatio intra limites matrimonii, ita scilicet, vt talis delectatio in alia nō quæreretur, veniale tantùm peccatum id esse. Huc etiam pertinent, quæ tradit S. Thomas q. 45. & 46. de pluralitate vxorum, deque bigamia: & q. 67. de libello repudii: quarum omnium doctrina sequentibus sectionibus explicabitur.

SECTIO I.

An & quæ bona necessaria sint ad excusandum matrimonium?

1. Tria sunt huiusmodi bona.

Dico primò, tria esse bona, propter quæ tria detrimenta siue incommoda matrimonii excusantur, & ratione quorum matrimonium est prudenter eligibile: bonum scilicet fidei, bonum prolis, & bonum sacramenti. Ita Doctores communiter in 4. dist. 31. cum D. August. lib. de nuptiis, & concupisc. cap. 11. & 12. Pro cuius declaratione notandum est matrimonium, licet ad conuenientem generis humani conseruationem, & propagationem necessarium sit, atque ad alia multa vtile: suis tamen incommodis non carere: quorum vnum est, quòd matrimonium perpetuam quandam subiectionem, & seruitutem secum affert: iuxta illud Apost. 1. Corinth. 7. v. 4. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet sed mulier.* Et v. 27 *Alligatus es vxori? Noli quærere solutionem.* Quam alligationem mutuamque subiectionem seruitutis nomine exprimit v. 15. dicens eam non tam strictè obligare, vt teneatur coniux fidelis manere cum altero coniuge infideli nolente cohabitare pacificè: *Non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi.* Hoc igitur est primū detrimentum, siue incommodum, quod inest matrimonio. Alterum est, quòd in actu matrimonii iactura quædam rationis incurritur, quippe quæ per nimiam voluptatem absorbetur, vt ait Philosophus lib. 7. Ethic cap. 11. circa finem: quique illam nimis auide sectantur, similes esse dicuntur equis & mulis, quibus non est intellectus, & subiici potestati dæmoniorum, Tob. 6. v. 17. Præterquam quòd etiam corpus viri ex eo debilitatur. Quo sensu Caiet. in cap. 2. Genes. exponit id quod dicitur de formatione Euæ ex costa Adami dormientis Genes. 2. v. 21. Vult enim id metaphoricè intelligendum esse, & non aliò pertinere, nisi ad significandam diminutionem roboris ex corpore viri propter vsum coniugii, & defectum sexus muliebris respectu virilis. Tertium incommodum est nimia solicitudo placendi coniugi, suscipiendi, & educandi liberos, illisque prouidendi in futurum. Propter quam Apostolus 1. Corinth. 7. v. 32. & 33. dicit coniuges habere cor diuisum id est, non integrè, & perfectè Deo addictum, dum cogitant, quomodo alter alteri placeat, & soliciti sunt, quæ sunt mundi: & v. 28. eandem solicitudinem vocat *tribulationem carnis*, quæ à coniugio secundum statum præsentem naturæ lapsæ est moraliter inseparabilis. Naturæ, inquam, lapsæ: nam in statu innocentiæ non fuissent hæc incommoda. Egregiè verò illa omnia describuntur in epistola quadam Sixti III. quam refert Michael Med. lib. 1. de Sacrorum hominum continentia cap. 51.

2. Cùm autem, vt rectè ait D. Thom. q. 49. Supplem. art. 1. nullus sapiens debeat iacturam

Quomodo compẽsant incommoda matrimonii?

iacturam aliquam sustinere, nisi compensetur æquali vel meliori bono: vnde electio alicuius quod aliquam iacturam annexam habet, indiget alicuius boni adiunctione, per cuius recompensationem ordinetur, & honestetur: vt matrimonium conuenienter expeteretur, oportuit esse quædã in illo bona, quæ prædictis incommodis æquiualerẽt, aut præponderarent, & triplex illud detrimentum compensarent. Huiusmodi autem sunt tria illa in conclusione enumerata: bonum scilicet prolis, bonum fidei, & bonum sacramenti. Nã primũ detrimentum subiectionis, & seruitutis compensatur bono sacramenti, id est, vinculi insolubilis, quo coniuges repræsentant coniunctionem Christi cum Ecclesia, tenenturque se mutuò diligere, sicut Christus dilexit Ecclesiam: sumitur enim hîc sacramentum pro vinculo matrimonii, quod res & Sacramentum vocatur. Quamquam etiam multò magis compensatur hæc seruitus bono Sacramenti propriè sumpti, pro signo efficaci gratiæ; quatenus sanctificat coniuges, datque illis auxilia supernaturalia, ad se mutuò diligendum, præstandaque suauiter, & fideliter cætera munia matrimonii. Alterum verò detrimentum iacturæ rationis in vsu coniugii, compensatur bono prolis, id est, procreatione liberorum, quibus genus humanum conseruetur, & Deus perpetuò colatur, in quem præcipuè finem optandi sunt, vt ait Plato lib. 9. de legibus, cuius verba sũt: *Oportet parentes gignere, & educare liberos, qui vitam, tanquam lampadem posteris tradant, vt sint semper aliqui Deum colentes iuxta ipsius legem.* Tertium denique detrimentum solicitudinis placendi coniugi, & prouidendi liberis, compensatur bono fidei, id est, obligatione fidelitatis ad reddendum debitum coniugi petenti legitimè, negandumque corporis sui vsum cuicumque alteri.

3. Bona illa sunt intrinseca matrimonio.

Notandum secundò, ex D. Thoma quæst. 49. Supplem. art. 1. ad 2. hæc tria bona, quæ matrimonium honestant, non illi aduenire ab extrinseco, sed esse de ratione ipsius matrimonii, vel ab illo, velut effectus eius proprios emanare. Vnde quando dicitur matrimonium excusari per hæc tria bona, & per illa fieri honestum prudenterque eligibile: non est sensus, quòd matrimonium sit de se malum, aut indifferens, nihil ex se habens bonitatis, & honestæ appetibilitatis, atque idcirco egeat extrinseco honestante: sed potius, quòd ab intrinseco, & secundum se habeat vnde sit honestum, & secundum rectam rationem expetibile, non obstantibus supra dictis incommodis. Dupliciter autem sumi potest bonum prolis, vt notat idem S. Doctor quæst. citata, art. 3. in corp. nimirum vel pro intentione, & obligatione radicali ad illius procreationem, & educationem: vel pro actuali susceptione, & educatione. Itemque bonum fidei sumi potest, vel pro obligatione seruandi fidelitatem coniugalem: vel pro eius obseruantia, reddendo debitum legitimè petenti, & abstinendo à copula cum alieno. Bonum quoque Sacramenti potest accipi vel pro vinculo insolubili inducto per contractum matrimonii (quo pacto sumitur à Doctoribus in præsenti) vel pro ipso contractu, prout est signum efficax gratiæ sanctificantis coniuges.

4. Quomodo sunt de ratione matrimonii?

Priori modo sum pta hæc tria bona, adeo sunt de ratione matrimonii, & inseparabiliter cum illo connexa: vt ne quidem in ratione contractus sine illis valere, & subsistere possit. Vnde, qui haberet intentionem non suscipiendi, & consentiendi in eiusmodi obligationes; haberet intentionem contrariam substantiæ matrimonii, nihilque efficeret, vt habetur in cap. finali *De conditionibus appositis*, vbi dicitur has tres conditiones esse contra substantiam matrimonii, illudque irritare, *Contraho tecum si generationem prolis cures*, id est, dummodo nolis te obligare saltem implicitè, & virtualiter ad copulam, in ordine ad generationem prohis: aut, *si è contrario velis te obligare ad prolem impediendam per media illicita*: vt per venenum sterilitatis, reiectionem seminis, procurationem abortus. *Vel, donec inueniam aliam aignatam*; id est, nolendo suscipere vinculum perpetuum, sed quod ad placitum soluatur digniore inuenta. *Vel, si adulterandam te tradas*; id est, ita vt non te obliges ad fidelitatem seruandam.

Posteriori verò sensu bonum prolis, id est, actualis procreatio, & educatio liberorum, non est de substantia matrimonii, sed illius effectus, & ab illo separabilis. Potest enim iustis de causis impediri per media licita: vt si ambo coniuges mutuo consensu voueant castitatem perpetuam. Bonum quoque fidei sumptum pro actuali obseruantia fidelitatis in redditione debiti, & abstinentia à quocũque alieno, non pertinet ad substantiam, sed ad effectum matrimonii: neque definit esse matrimonium, tametsi contra illam peccetur. Validèque contraheret, quamuis illicitè, qui haberet quidem voluntatem se ad id obligandi, sed nollet obligationem seruare. Sicut & ille, qui vellet quidem se virtualiter & implicitè obligare ad copulam, prout exigit necessariò contractus matrimonii: sed tamen apud se statueret nunquam illam exercere. Bonum denique Sacramenti, sumptum pro vinculo coniugali insolubili modo inferiùs explicando, est prorsus inseparabile à matrimonio, etiam in actu secundo, ita vt neque matrimonium iniri possit, neque consistere sine illo. Quamuis enim coniuges possint validè contrahere sine animo manendi simul, & cum voluntate diuertendi, ac reipsa diuertant: non tamen siue animo se obligandi ad vinculum indissolubile propria ipsorum voluntate, mutuoque consensu, vt soluuntur alii contractus: manetque illud vinculum, quamdiu matrimonium stat, non obstante diuortio

aut ſeparatione thori. Propter quod Diuus Thom. art. 3. ſupra cit. dicit bonum ſacramenti eſſe quodammodo magis eſſentiale matrimonio, quàm bonum prolis, & fidei: quia *ſine bono ſacramenti nunquam eſt matrimonium: at poteſt eſſe ſine fide & prole*, in actu ſecundo videlicet. Nam vt addit ibidem, *Si fides & proles conſiderentur ſecundum quod ſunt in ſuis principiis, vt pro prole accipiatur intentio prolis, & pro fide, debitum ſeruandi fidem; ſine illis matrimonium eſſe non poteſt; & ſic accipiendo fidem & prolem, ſunt eſſentialiſſima in matrimonio; neque eſſet matrimonium ſi in conſenſu exprimeretur aliquid contrarium fidei, & proli, aut ſi deeſſet plane intentio obligationis illius contrahendæ.*

6. Qui fines debeant intendi à cõtrahentibus?

Hinc collige qui fines debeant neceſſariò intendi à contrahentibus, ex neceſſitate ipſius matrimonij, prout contractus eſt: tria ſcilicet bona prædicta priori ſenſu intellecta: vltra quæ, vt licitè contrahant, debent etiam intendere facere id quod Chriſtus inſtituit, id eſt, efficere ſignum efficax gratiæ, eiuſque effectum non impedire. Dubium verò eſt, poſſintne licitè alios fines ſibi proponere, ſiue in contractu, ſiue in vſu matrimonij: & primò an poſſint illum referre ad remedium concupiſcentiæ, vitandamque fornicationem? Affirmant aliqui non poſſe id fieri ſine peccato veniali, ſic enim docere videntur Magiſt. in 4. d. diſtinct. 31. litera F. D. Thom. quæſtione quadrageſima prima Supplem. art. 1. Scot. in 4. diſtinct. 26. quæſtione vnica in fine partis principalis, & Petr. Sotus lect. 16. de matrimonio. Alij dicunt eſſe peccatum veniale contrahere propter vitandam fornicationem, quando poſſibilis eſt ſuſis prolis: quia peruertitur ordo rationis quando poſſibili fine primario, & principali, intenditur alius ſecundarius, & minùs principalis. Secus autem ſi non eſt poſſibilis, vt in ſenibus, & ſterilibus. Ita Sanchez lib. 2. diſputat. 29. num. 26. poſt Palúdanum, Antoninum, Angelum, Caietanum, Silueſt. & Medinam, quos citat. Sed alij melius affirmant nullum eſſe peccatum in ea voluntate contrahendi: vt Durand. Gabr. Almain. Baſſol. Couarr. & alij, quos refert, & ſequitur Pontius lib. 1. cap. 21. num. 4.

7. An & quomodo poteſt intẽdi remedium concupiſcentiæ?

Vt autem ſtatus quæſtionis intelligatur, aduerte dubium non eſſe vtrum contractus, vel vſus matrimonij poſſit licitè ad hunc finem aliquo modo referri, vel ad alios bonos, & conuenientes, ad quod vtilis eſt. Quis enim rationabiliter dubitet poſſe quàcunque rem licitè ordinari ad omnem finem bonum, ad quem per ſe conducit, & propter quem inſtituta eſt? neque etiam ſenſus quæſtionis propoſitæ eſt, vtrum poſſit conſenſus matrimonij ſolùm ad hos fines referri, excluſis aliis, de quibus ſupra diximus? Conſtat enim ex dictis fore inualidum, niſi tria bona ſupradicta intendantur in ſenſu explicato. Neque etiam vtrum peccet, qui æſtimatiuè præponit remedium concupiſcentiæ aliis finibus melioribus? Hoc enim ſine dubio inordinatum eſt, & contra rectam rationem. Sed difficultas eſt vtrum poſſit quis licitè ſic affici ad coniugium, vel ad illius vſum, vt præcipuè quoad affectum moueatur causâ vitandæ fornicationis, & ita vt ſine illa nollet contrahere: atque etiam magis quoad affectum referat ad illam vſum coniugij, à quo petendo vellet abſtinere, niſi periculum incontinentiæ timeret? Quo ſuppoſito probatur reſponſum, quia non eſt malum, ſed potiùs valde bonum, & conueniens, vitare periculum fornicationis, & ab illo moueri efficaciter ad vtendum medio conuenienti, & licito, alioqui per ſe non neceſſario, & à quo poſſet aliunde, ſi vellet, abſtinere. Tale autem eſt matrimonij contractus, ad quem fæpiſſimè nulla eſt aliunde obligatio in particularibus: & vſus matrimonij, quem etiam communiter non tenetur quiſquam expetere, citra tale periculum.

8. Confirmatur ex Apoſt. 1. Corinth. 7. v. 2. & 3. vbi propter incontinentiæ periculum hortatur ad contractum, & ad vſum coniugij. *Propter fornicationem*, inquit, *vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, & vna quæque ſuum vnum habeat. Vxori vir debitum reddat; ſimiliter autem, & vxor viro.* Et vers. 5. *Nolite fraudare inuicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, vt vacetis orationi: & iterum reuertimini in idipſum, ne tentet vos ſatanas.* Neque obſtat quod Paulus addit vers. 6. *Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium.* Nam vt alibi notauimus, indulgentia ſignificat ibi permiſſionem rei licitæ, quamuis minùs bonæ, quàm ſit ſtatus continentiæ, & virginitatis, vt poſtea docet Apoſtolus: non autem ſignificat veniam culpæ. Abſit enim vt exiſtimemus Paulum ad rem illicitam Corinthios hortari, & inducere: ac non potiùs eos docere modum vitandi peccatum, vtendique licitè matrimonio propter vnum ex finibus, ad quem inſtitutum eſt. Atque ita Paulum interpretatur Chryſoſt. tom. 5. in vetus Teſtamentum, iuxta nouam editionem Pariſienſem, homil. Quales ducendæ ſint vxores, columna 9. vbi ſic habet: *Ante omnia diſce quænam fuerit cauſa coniugij, & quamobrem in communem vitam introductum ſit, nec quicquam requiras amplius. Quæ igitur fuit cauſa coniugij, & cur illud datum eſt diuinitus? Audi Paulum dicentem: Ad vitandas autem fornicationes vnuſquiſque ſuam vxorem habeat. Nondixit, Vt euitetur paupertas, & parentur diuitiæ: ſed quid? vt fornicationem euitemus, vt moderemur concupiſcentiam, vt viuamus ſobriè, vt Deo placeamus contenti vxore propria. Hoc nobis affert coniugium, hic eſt eius fructus, hoc inde lucrum eſt. Caue igitur omiſſis potioribus ſectaris quæ minoris ſunt pretij (diuitias ſcilicet) Mens enim ſobria longè præſtat diuitiis. Hoc enim in coniugio ſpectandum eſt maximè, vt peccatũ effugiamus,* [illegible] ſimus à

sortationibus. In hoc quærenda sunt nuptiæ, vt ad vitam puriùs degendam nos quiuuent. Ad rationem verò allatam pro contraria sententia patet ex dictis, non esse illicitum intendere finem secundarium, & minùs principalem, ad illumque affici: dummodo primarius non excludatur, neque vitiosè aliis postponatur, & minùs æstimetur.

9. Possitne intendi pulchritudo, aut diuitiæ?

Dubium est 2. sitne peccatum contrahere matrimonium ob pulchritudinẽ, aut diuitias, aut delectationem, principaliter illas intendendo quoad affectum, etsi non quoad æstimationem? Affirmant aliqui esse peccatum mortale, vt Angel. v. *Matrimonium* 2. n. 25. & 26. & Couarr. in epitome 4. Decretalium part. 2. cap. 1. §. vnico, n. 7. vbi dicit esse graue peccatum. Illique fauere videtur D. Bonauent. dist. 30. q. 3. affirmans vtilitatem Sacramenti excludi quando initur matrimonium ad explendam libidinem. Quibus verbis significat hanc intentionem esse peccatum mortale: nam alioqui non excluderet vtilitatem, seu gratiam, & effectum sacramenti.

10. Alii dicunt esse peccatum veniale contrahere principaliter propter huiusmodi fines indifferentes, & extraneos matrimonio. Ita Sanch. lib. 2. disp. 29. n. 21. post Paludan. D. Antonin. Petr. Sotũ, Henriq. Medin. Siluest. Nauarr. & alios, quos citat. Et peccatum quidem esse probat, quia est aliqua inordinatio rem à proprio fine extrahere, & vti sacramẽto ad finem, ad quem non est institutum. Esse autem veniale tantùm probat, quia stante hoc fine seruatur substãtia, & rectus ordo ad finem principalem. Semper enim manet coniugium ordinatum ad finem eius præcipuum, qui est mutua corporum potestas ad actum coniugalem ob sobolem propagandam. Addit n. 22. similiter esse peccatum veniale cõtrahere principaliter ob pacem componendam inter aliquos: quia licet hic finis sit per se honestus, tamen est matrimonio extraneus. Pro quo citat Paludanum, Antonin. & Siluestrum.

11. Concluditur affirmatiuè.

Sed melius alii censent nullum esse peccatum intendere principaliter diuitias, pulchritudinem, aut nobilitatem, non quidem vt finem præcipuum, quiq; aliis nobilioribus anteponatur in æstimatione: sed tanquã minùs principalem, aut potiùs tãquam occasionem, & præcipuum motiuum quoad affectum, quo inducimur ad matrimonium cum tali cõtrahẽdum, & veluti causã impulsiuam expressè intẽtam, non exclusis aliis finibus matrimonii substantialibus, & principalioribus, sed vel expressè, vel saltem implicitè, & virtualiter intentis. Ita docent inter recentiores Aegid. Coninck disp. 25. dub. 2. n. 17. Pontius lib. 1. cap. 21. nu. 13. & alii ab eo citati. Ratio est, quia illi fines non sunt de se mali, sed possunt honestè intendi: neque est illicitum illos expetere per contractum matrimonii: quippe qui potest expeti, & referri ad ultimum finem bonum, ad quem vtilis est, dũmodo alii non excludantur. Supponimus autem non excludi. Idemq; iudicandum est de bono pacis, præsertim publicæ, quod maius bonum est aliis supra dictis. Ad rationem verò allatam in contrarium à Sanche sup. nu. 7. Respondeo cum Aegid. n. 11. matrimonium habere quòd sit contractus ex natura sua, & quòd præterea ex Christi institutione sit eleuatum ad esse Sacramenti. Quando autem contrahentes referunt illud ad diuitias, pulchritudinem, aut nobilitatem, hoc faciunt quatenus est contractus ad illos fines vtilis. Quatenus verò est Sacramentum, referunt illud ad gratiam sanctificantem, ad quam etiam se disponunt, si bene instituti sunt, & timorati.

12. An etiam delectatio?

Quod verò attinet ad delectationem, non esse quoque illicitum propter illam contrahere, aut vti matrimonio docent Almain. in 4. dist. 26. qu. 1. in fine, & Basil. Pontius lib. 1. cap. 21. num. 7. aliique plures, quos refert & sequitur Diana 3. par. tract. 4. de Sacram. Resolut. 216. dummodo sit moderata, & in ea non statur vt in fine, sed expetatur vt medium, quo Deus voluit ad actum coniugalem inuitare. Alioqui enim peccatum veniale est ordinem illum peruertere: sicut, & immoderatam voluptatem captare in vsu cõiugii. Imò etiam mortale est, si quis tam effrænata libidine feratur, vt ad talem fœminam accederet, quamuis non esset vxor: vt docet S. Thom. in 4. dist. 31. quæst. 2. art. 3. in corp. Eoque sensu intelligẽdum est quod dicitur Tob. 6. v. 17. *Hi namque qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se, & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem dæmonium super eos.* Quoniam autem qui delectatione præcipuè mouẽtur ad vsum coniugii, moraliter excedunt aliquo ex his tribus modis: hinc fit vt communiter sine peccato non illum exerceant: qua de causa Theologi, & SS. Patres eos damnant peccati, nisi præcipuè moueantur desiderio prolis, aut remedii concupiscentiæ. Vt videre est locis à Pontio relatis citato capite 21. nu. 8. & sequentibus. Quamquam non est dissimulandum Augustinum plus intendere cap. 78. Enchiridii, & aliquot aliis locis, alioque sensu exponere quod ait Paulus 1. Corinth. 7. v. 6. *Hoc autem dico secundum indulgentiam*, &c. Sed eius expositionem non esse literalem docent Esthius, Iustinianus, Cornelius, aliique meliore interpretes, post Chrysostomum, aliosque Patres: & eius auctoritas non admittit probabilitatem contrariæ sententiæ, aliorum Patrum auctoritate munitæ: cuius etiam ratio hæc redditur ab Almaino: quia castitas, cuius est moderari delectationem veneream, versatur circa illam moderatè capiendam. Sicut temperantia in cibo, & potu moderatur delectationem in eorum vsu. Ergo velle mediocrem capere cum quo oportet, & vbi, ac sicut oportet, non est actus malus; sed potiùs bonus, & actus virtutis coniugalis.

SECTIO II.

Qualis ſit vnitas matrimonii? Et primò, liceatne ad ſecundas nuptias conuolare?

13. Concluſio affirmans probatur ex Script.

REſpõdeo certum eſſe, & de fide poſſe validè, & licitè iniri aliud matrimonium, ſoluto vinculo prioris per mortem alterius coniugis. Probatur primò ex Scriptura Roman. 7. verſ. 2. & 3. *Quæ ſub viro eſt mulier, viuente viro alligata eſt legi*, matrimonii ſcilicet: *ſi autem mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt à lege viri. Igitur viuente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro. Sin autem mortuus fuerit vir eius, liberata eſt à lege viri, vt non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro.* Quod idem repetit Apoſtolus, & clariùs exprimit 1. Corinth. 7. verſ. 39. ſic dicens: *Mulier alligata eſt, quamdiu tempore vir eius viuit. Quod ſi dormierit vir eius, liberata eſt: cui vult, nubat, tantum in Domino.* Et 1. Timoth. 5. verſ. 14. de viduis adoleſcentioribus ſic ait: *Volo ergo iuniores nubere, filios procreare, matresfamilias eſſe, nullam occaſionem dare aduerſario maledicti gratiâ.* De iiſdemque dixerat 1. Corinth. 7. verſ. 8. & 9. *Dico autem non nuptis, & viduis: bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint ſicut & ego. Quod ſi non ſe continent, nubant. Melius eſt enim nubere, quam vri.* Eodem etiam pertinet quod Chriſtus Matth. 22. à Sadducæis interrogatus de viduare, quæ ſuccessiuè ſeptem maritis nupſiſſet, cuiusnam vxor futura eſſet poſt reſurrectionem? reſpondit: *Erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Significans nuptias, quamquam frequenter repetitas, non obſtituras quò minùs eiusmodi viduæ cuiquam regno potiantur, ſintque ſimiles angelis, vt recte expendit Auguſtinus libro de bono viduit. capite decimo, cuius verba ſunt: *Ipſum quoque Apoſtolorum, de noſtrum magiſtrum, ac Dominum audeo Sadducæi reſponentem, cùm profeſſione mulierum nec viduarum nobis obiicerent. Jeh, ſi plures poteſt, ſeptuaginta, in reſurrectione eius futuram eſſe eam. Hæc, præſertim cùm alia: Erratis inquiſitores ſcripturæ, neque virtutem Dei. In reſurrectione enim nec nubent, nec nubentur: non enim incipient mori; ſed erunt æquales angelis Dei.* Eorum igitur reſurrectionem commemorauit, qui reſurgendo ad vitam æternam? non qui reſurgent ad pœnam. Potuit ergo dicere ex Erratis nescientes scripturas: in illo enim reſurrectionis multitudine iſta eſſe non poterunt: deinde addere, vna ne aliqua ibi nubat ſeu nubant, vt videmus, tot maritorum mulierem vllius ſuæ ſententiæ ſignificatione damnauit. Quapropter nec contra humanæ verecundiæ ſenſum audeo dicere, vt quoties voluerit, viris mortuis, nubat fœmina: nec ex meo corde, præter Scripturæ ſanctæ auctoritatem, quamlibet nuptias audeo condemnare. Quod autem dico vniuiræ viduæ, hoc dico omni viduæ. Beatior eris, ſi ſic permanſeris. Hucuſque Auguſtinus.

14. Probatur ex Conciliis.

Probatur ſecundò, auctoritate Conciliorum, Nicæni I. canone octauo, vbi ſtatuitur, vt ſi aliqui de Nouatianis (qui ſecundas nuptias damnabant, & eos, *qui ſecundum matrimonium coiiſſent, à ſacris myſteriis repellebant*, vt ait Theodoretus libro tertio hæretic. fabul. cap. de Nouato) voluerint venire ad Eccleſiam catholicam, ante omnia fateantur *ſe cum omni conſenſu Eccleſiæ catholicæ, & Apoſtolicæ ſtatuta obſeruaturos*, id eſt, communicaturos ſi, & his, qui forte ſecundas nuptias experti ſunt. Et Laodiceni canone primo, vbi dicitur, Oportere ſecundum eccleſiaſticum canonem iis, qui liberè, ac legitimè ſecundo matrimonio coniuncti ſunt, & non clam vxores duxerunt, cùm exiguum tempus præterierit, & orationibus, ac ieiuniis vacauerint, ex venia dari communionem. Quæ poſtrema verba cur addantur dicemus paulò poſt. Et Florent. in Bulla vnionis, quæ incipit, *Cantate Domino quia manifeſtè fecit*, §. vigeſimo ſexto, vbi Eugenius IV. ſuo & totius Concilii nomine ſic loquitur: *Quoniam nonnullos aſſerimur quartas nuptias tanquam condemnatas reſpuere, ne peccatum vbi non eſt, eſſe putetur, cum ſecundum Apoſtolum mortuo viro mulier ſit ab eius lege ſoluta, & nubendi cui vult in Domino, habeat facultatem, nec diſtinguat mortuo primo, ſecundo, vel tertio: declaramus non ſolùm ſecundas, ſed etiam tertias & quartas, atque vlteriores, ſi aliquod impedimentum non obſtat, licitè contrahi poſſe.*

15. Probatur auctoritate SS. Patrum.

Probatur tertiò auctoritate SS. Patrum, & conſtanti traditione Eccleſiæ. Ex Græcis enim ſic docent Baſil. in epiſt. ad Amphiloch. can. 41. vbi ſic ait: *Quæ in viduitate poteſtatem ſui habet, ita vt viro obnubere, ab omni culpa libera eſt: cum Apoſtolus dixerit: Si mortuus fuerit vir eius, libera eſt, vt nubat cui vult, tantum in Domino.* Et Epiphan. Hæreſi 59. quæ eſt Catharorum: *Eum qui, vnâ mortuâ cum ſecunda vxore coniunctus fuerit, vel viuente cum ſecundo viro coniunctam (priore ſcilicet mortuo) diuina Scriptura non reprehendit.* Et circa finem libri, recenſitis iam omnibus hæreſibus, fidem, & ritus Eccleſiæ Catholicæ referens, ſic ait de ſecundis nuptiis: *Poſt hos verò ordines ſequitur matrimonium venerandum, eſtque in honore magno, qui vnis nuptiis contentus eſt, & in obſeruatione mandatorum permanet. Si verò quis mortua ſua vxore, aut mortuo viro alicuius viri, cupit ſecundæ, aut ſecundo copulari poſt mortem prioris, licitum eſt.* Et Chryſoſtomus homilia vigeſima, in epiſt. ad Epheſ. *Quid dicent, inquit, qui ſecundis nuptiis iunguntur? Non quòd illas condemnem (ne dico. Abſit: nam & Apoſtolus*

illas concessit. Et homil. 19. in 1. ad Corinth. sub finem: *Nam & secundas permittit nuptias, solùm in Domino dicens, Quia autem in Domino significat? Cum modestiâ, & decore: quo in omni loco opus est: aliter enim Deum viacre non licet.*

16. Ex Patribus verò Latinis idem docent Ambrosius in lib. de viduis, inter medium & finem, vbi postquam dixit nubendi studium debere abesse à viduis: addit: *Quæ tamen pro consilio dicimus, non pro præcepto imperamus, prouocantes potius virginum, quam iugantes: neque prohibemus secundas nuptias, sed non suademus.* Et Hieronymus in apologia ad Pammachium, pro libris suis contra Iouinianum circa medium, *Omnia*, inquit, *mihi licent, sed non omnia expediunt. Non eamus bigamos, aut trigamos, & si alci potest, octogamos.* Et Augustinus libro de hæresibus, hæresi 26. vbi inter errores Cataphrygarum, seu Montanistarum, hunc numerat, quòd secundas nuptias pro fornicationibus haberent. Et libro vigesimo sexto de Ciuitate capite trigesimo quarto, dicit per matrimonium Abrahæ cum Cethura post mortem Saræ, prouisum esse contra hæreticos futuros secundarum aduersarios nuptiarum, vt in ipso Patre multarum gentium post obitum coniugis, iterum coniugari demonstraretur non esse peccatum. Et lib. de bono viduitatis cap. 12. affirmat non secundas tantùm, sed tertias, & quartas, & vltrà plures nuptias esse licitas post mortem prioris. Idque probat ex verbis Apostoli supra relatis: *Ait enim, Mulier alligata est legi quandiu vir eius viuit. Non dixit primus, aut secundus, aut tertius, aut quartus: sed mulier, inquit, alligata est, quandiu vir eius viuit. Si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est: cui vult nubat. Tantum in Domino. Quid huic sententiæ, quantum ad hanc rem attinet, addi, vel detrahi possit, ignoro.* Idem quoque ex eodem loco deducit Sanctus Thomas in 4. distinct. 42. quæst. 3. art. 1. cuius verba sunt: Dicendum quòd vinculum matrimoniale non durat, nisi vsque ad mortem, vt patet ex Roman. 7. & ideo moriente altero coniugum, vinculum matrimoniale cessat. Vnde propter præcedens matrimonium non impeditur aliquis à secundo, mortuo coniuge: & sic non solùm secundæ, sed tertiæ, & sic deinceps nuptiæ sunt licitæ.

17. Confirmatur ratione. Quibus verbis Diuus Thomas reddit rationem à priori, cur secundæ, & tertiæ, & vlteriores nuptiæ possint validè, & licitè contrahi. Quia scilicet per mortem cessat vinculum matrimonii, adeoque superstes manet liber ab obligatione contracta cum priori coniuge. Iamque factus sui iuris, potest, si velit, cum alio contrahere. Ex quo præterea sequitur posse non tantùm ciuiliter, sed etiam sacramentaliter iterum contrahere. Quia ad valorem sacramenti matrimonii nihil aliud requiritur præter ea, quæ necessaria sunt ad valorem contractus, & intentionem faciendi id, quod Christus instituit, præsuppositâ capacitate contrahendi sacramentaliter, per Baptismum acceptâ. Et confirmatur ex Florent. in Decreto Eugenii §. *Quinto ecclesiasticorum*, & Trident. sess. 7. can. 9. de Sacramentis in genere, definientibus ea tantùm sacramenta, quæ characterem imprimunt, non posse iterari: secus verò alia, inter quæ est matrimonium. Nec obest quòd secundæ nuptiæ non benedicuntur ab Ecclesia. Causa enim huius rei non est, quòd Ecclesia censeat nuptias iteratas non esse Sacramentum: sed quia, vt ait Vrbanus tertius cap. 3. de secundis nuptiis: Vir & mulier ad bigamiam transeuntes, cum alia vice benedicti sint, eorum benedictio non debet iterari. Vel, vt dicit S. Thom. quæst. supra cit. art. 2. ad 2. Quamuis secundum matrimonium, in se consideratum, sit perfectum sacramentum: tamen spectatum in ordine ad primum, habet aliquid de defectu sacramenti: quia non habet plenam significationem, cùm non sit vna vnius, sicut est in matrimonio Christi & Ecclesiæ, & ratione huius defectus benedictio à secundis nuptiis subtrahitur. Propter quem etiam defectum prohibetur bigami accedere ad Ordines, velut irregulares, vt ait Innocentius III. cap. *Debitum*, de bigamis non ordinandis, post S. Augustinum libro de bono coniugali, cap. 18. & Epiphanium hæresi 59. num. 4.

Cur secundæ nuptiæ non benedicuntur?

18. In contrarium pro errore Cataphrygum obiici potest quòd in can. 1. Concilii Laodicen. statuitur iniungi pœnam aliquam secundò contrahentibus: nimirum vt aliquandiu orationibus, & ieiuniis vacent, posteaque ex venia detur illis communio. Et in Concilio Neocæsarien. can. 7. sic dicitur: *Presbyter in nuptiis digami conuiuiis non interfit. Cum enim requirat pœnitentiam digamus, quis erit Presbyter, qui eo quòd sit conuiuio acceptus, nuptiis assentiatur?* Hoc est, quomodo Presbyter poterit digamo imponere pœnitentiam, si ipse, dum excipitur conuiuio, videtur suâ præsentiâ secundas nuptias non aliter, atque primas comprobare, quasi pari laude dignas?

Cur pœna olim iniuncta secundo contrahentibus,

Ad primum respondeo cum Bellarm. lib. de matrim. cap. 9. Patres illius Concilii, eo tempore, quo rigidior erat disciplina ecclesiastica, sic statuisse, non quòd censerent secundum matrimonium esse inualidum, aut illicitum, cùm ibidè expressè dicant esse legitimum: sed propterea quòd redolet aliquam incontinentiam in iis, qui sæpe contrahunt, Christianorũ sanctitati minùs cõgruam. Ad secũdum dico ibi tantũ prohiberi ne Presbyter eodem honore dignetur secũdas nuptias, quo primas, nuptiis benedicendo, & conuiuium nuptiale suâ præsentiâ cohonestando.

19. Aliter respondet Basil. Pont. lib. 7. cap. 52. num. 19. in duobus illis canonibus sermonem esse non de secundis nuptiis quibuscunque, sed tantùm de clandestinè contractis: semper autem clandestina matrimonia fuerunt ab Ecclesia prohibita, vt alibi ostendimus testimonio Euaristi, sexti à Petro Pon-

-tificis Romani. Nam canon Laodicenus sic habet iuxta versionem Gentiani Herueti: *Oportet ex ecclesiastico canone, qui liberè, & legitimè secundo matrimonio coniuncti sunt, & etiam uxores duxerunt, cum exiguum tempus praetierit, & orationibus, ac ieiuniis vacauerint, eis ex venia dari communionem.* Citatur autem ibidem canon III. Concilii Neocæsariensis celebrati ante Laodicenum, & ante Nicænum I. quem sine dubio optimè intellexerunt Patres Laodiceni, & in eum sensum exposuerunt. Quare ille similiter de secundis nuptiis clandestinis intelligendus est, licet id minùs exprimat, & absolutè, ac generaliter loqui videatur. Sed hanc expositionem Basilii Pontii incertam facit, quod in vulgatis codicibus Concilii Nicæni legitur planè contrarium versionis Gentiani Herueti in hunc modum: *Qui liberè, & legitimè secundis nuptiis iuncti sunt, nec etiam contraxerunt: vel, nec occultam permissionem operati sunt.*

20. Obiiciuntur 2. nonnulla Patrũ testimonia, quæ secundas nuptias videntur penitùs improbare: cuiusmodi est illud Chrysostomi homilia trigesima secunda in Matth. *Apostoli praeceperunt secundas adire nuptias propter incontinentiam hominum. Nam secundam quidem accipere secundum praeceptum Apostoli est. Secundum veritatis autem rationem, verè fornicatio est. Sed dum, permittente Deo, publicè, & licenter committitur, fit honesta fornicatio.* Et illud Gregorii Nazianzeni Orat. 31. *Si duo Christi sunt, duo quoque viri sint, & duæ uxores. Si autem unus Christus, unum Ecclesiæ caput: una etiam erit, secunda autem respuatur. Quod si secundum coniugium prohibeat, de tertio quid dicendum est? Primum lex est, secundum indulgentia, tertium iniquitas. Quod verò hunc numerum excedit, porcina vita est, ac tale, vt ne multa quidem vitii exempla habeat.* Idem fere dicit Clemens Rom. lib. 3. Constitut. cap. 2. & Basil. in epist. ad Amphilochium can. 4. *De trigamis,* inquit, *& polygamis eundem canonem definierunt* (antiqui Patres) *quem in digamis, seruata portione. Annum enim digamis, aliis verò quos annos statuerunt. Trigamos autem sæpe tribus, & quatuor annis segregant. Id autem non amplius coniugium, sed polygamiam appellant, vel potius fornicationem castigatam, κεφάλαιον κακίας πλείονος. Et ideo Dominus Samaritanæ, quæ quinque viros permutauerat, Quem nunc,* inquit, *habes, non est tuus maritus. Nempe quia digamiæ mensura exciderunt, vt vel mariti, vel uxoris nomine appellentur.* Et canon. 80. *Polygamiam,* inquit, *Patres silentio prætermisere, vt belluinam, & omnino ab hominum genere alienam. Nobis autem videtur maius esse fornicatione peccatum. Et ideo consentaneum est vt ii canonibus subiiciantur. Vt scilicet postquam anno* in primo gradu pœnitentiæ publicæ *fleuerint*, id est, in eo gradu, qui κλαυσιμος dicebatur, versati fuerint, *& tribus aliis substrati*, id est, in tertio, qui ὑποπτωσις vocabatur, extiterint, *ita demum susciptantur.* Quibus verbis videntur Patres illi Græci damnare bigamiam, multòque magis polygamiam detestari, quo nomine intelligunt quartas & vlteriores nuptias.

21. Exponuntur Patres qui a. nuptias videntur improbare.

Ad primum respondeo verba illa non esse D. Chrysostomi, sed Auctoris imperfecti in Matthæum. Quod opus, siue ab hæreticis corruptum fuerit, siue non, hunc & alios multos errores manifestos continet. Aliter autem sentire Diuum Chrysostomum perspicuè liquet ex eius testimoniis relatis numero decimo quinto. Estque manifestè absurdum, quod auctor ille dicit, secundas nuptias, præcipi ab Apostolo, & tamen esse fornicarias: quasi verò Apostolus fornicationem præceperit. Et esse honestam fornicationem, quia à Deo permittitur. Ad secundum dico, Nazianzenum exaggeratoriè, & amplificatoriè locutum esse, impulsum feruore amoris continentiæ: benignèque sic exponi posse, quòd secundas nuptias, vel tertias, & deinceps non damnet secundum seipsas sed incontinentem animum, quem præ se ferunt illi, qui toties matrimonium frequentant. Similique modo Clementem exponit Franciscus Turrian. in explanatione illius capitis. Alii verò, vt Arcudius lib. 7. de Sacram. cap. 29. verba illa conficta, & perperam inserta Constitutionibus Apostolicis esse dicunt: quod ille confirmat ex Basilio epist. ad Amphilochium, canone 80. affirmante Patres silentio prætermisisse polygamiam, id est, quartas, & vlteriores nuptias, vt belluinam, & omnino ab hominum genere alienam, vt paulò ante ex eo retulimus. Quod falsum esset, si Clemens Roman. mentionem illius fecisset. Neque ignorasset Basilius hanc constitutionem Apostolicam, si apud Clementem extitisset.

22. Locus difficilis Basilii explicatur.

Ad tertium. Respondeo 1. constare ex verbis eiusdem Basilii relatis supra num. 15. ex eadem epistol. ad Amphiloch. canon. 41. sensisse ipsum licitas esse secundas nuptias. Et ratio, quam ibi affert, de tribus, & aliis vlterioribus æque concludit: eo quod scilicet dicat Apostolus, si mortuus sit maritus, libera est, vt nubat, cui velit, tantùm in Domino. Quare quod ait de trigamis, & polygamis canone illo quarto, vel sic intelligi debet, vt damnet tantùm lasciuiam tam sæpe contrahentium, quæ in polygamis, hoc est, quater, aut sæpius contrahentibus, maior esse quodammodo illi videatur, quam in fornicantibus. Vel vt alii malunt, nomine polygamiæ intelligit τὸ πολλῶν μίγνυσθαι, καὶ διαφόρων ἴσως πρὸς τὸ, id est, cum multis mulieribus corpus miscere, & indifferenter habere commercium. Quam expositionem refert, & approbat Arcudius cap. cit. fere initio: & aliam addit circa finem eiusdem capitis quòd scilicet Basilius, & Nazianzenus loquantur secundum leges imperiales, aut ecclesiasticas Græcorum, quibus tunc temporis irritabantur illa matrimonia, sicut nunc Tridentinum irritauit clandestina.

Digitized by Google

23. Sed hæc expositio minùs mihi probatur: cùm Basilius eodem can. 4. vbi trigamiam vocat fornicationem castigatam, dicat oportere trigamos non omnino arcere ab Ecclesia, sed dignos ducere, qui in locum Audientium duobus annis admittantur: post hæc permittere, vt in cœtu fidelium consistant quidem, sed à communione Boni tamen abstineant: & sic tandem ostenso aliquo fructu pœnitentiæ, in locum communionis restituere. Eodē modo loquitur de polygamia, seu tetragamia can. 80. vbi postquam dixit esse maius peccatum fornicatione, statim addit: *Et ideo consentaneum est, vt ii canonibus subiiciantur: vt scilicet postquam anno flenerint, & tribus substrati fuerint*, id est, in tribus primis gradibus pœnitentiæ publicæ tamdiu perstiterint, *ita demum suscipiantur*. Atqui si trigamia erat fornicatio castigata, id est, non libera, & vaga, sed ad vnius fœminæ consortium coarctata: & si tetragamia erat maius peccatum fornicatione; debuissent canones potiùs statuere, vt eiusmodi coniugia planè dissoluerentur, cuius dissolutionis nullam mentionem faciunt; perperamque sanxissent, vt post aliquot annorum pœnitentiam admitterentur ad communionem fidelium, & ad Boni participationem, id est, ad sacramentum Eucharistiæ, interea simul habitando, & procreando liberos. Quapropter prior expositio verborum Basilii, & Nazianzeni magis placet. Ad cuius illustrationem, & confirmationem addi potest, id quod rectè notauit Epiphanius in Nicæno II. act. 6. quodque ad multorum aliorum locorum intelligentiam non erit inutile: consueuisse Patres vti exaggeratione, dum feruore quodam disputationis, totoque animi impetu incumbunt in illud, quod probandum, & persuadendū, aut contra hæreticos defendendū suscipiunt: aut amore virtutis, & generis vitæ, quod ipsi maximè coluerant, & laudandum susceperant. Sic Hieronymus cœlibis vitæ amantissimus, duriùs interdum videtur loqui de nuptiis: & Augustinus, vt rectè notauit Cornelius can. 1. in Paulum, disputans de libero arbitrio contra Manichæos, adeo illud extollit, vt totum illi, nihil gratiæ tribuere videatur: postea verò exorta Pelagianorum hæresi, gratiam ita commendat, & exaggerat, vt aliquando totum illi, nihilque libero arbitrio videatur tribuere. Verba Epiphanii loco cit. hæc sunt: *Consueuerunt Patres nostri sancti, qui voluntatem Dei salutiferam nobis exponunt, per exaggerationem mandatorum obseruationem nos docere, & ad quod mandatum illis scopus vergitur, eò præparare auditores, locque extollere, & magnificare.* Quod ibidem confirmat aliquot exemplis circa cultum imaginum, de quo ibi erat sermo, adductis aliquot SS. Patrum testimoniis, quæ illum improbare videbantur: cùm tamen non reprehensionem huiusce cultus religiosi, sed exaggerationem continerent. Sic igitur dico Basilium, Nazianzenum, Hieronymum, & si quos alios continentiæ amore abreptos, quam maxin è commendare voluerunt, duriùs interdum per exaggerationem locutos esse contra iteratas nuptias, quæ aliquid redolent incontinentiæ, quas tamen aliis locis probasse, vt veras, & legitimas ostendimus suprà num. 15. & 16. adductis Basilii, & Hieronymi testimoniis.

Patres interdum loquuntur exaggeratorie

SECTIO III.

Possintne validè, aut licitè plures vxores simul habere?

24. QVæstio esse potest de Christianis, vel de infidelibus: deque tempore legis Euangelicæ, vel legis naturæ, aut Mosaicæ. De christianis, dico primò non posse licitè, neque validè plures simul vxores habere. Et quidem quòd non licitè, patet ex can. 48. Apostolorum, vbi priuatur communione ille, qui propriam vxorem pellens, alteram, vel ab alio dimissam duxerit. Et canone 17. Concilii Mileuitani, vbi sic statuitur: *Placuit vt secundum euangelicam, & apostolicam disciplinam, neque dimissus ab vxore, neque dimissa à marito alteri coniungantur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur.* Quibus verbis, *secundum euangelicam, & apostolicam disciplinam*, alluditur ad illud Christi Marci 10. v. 11. & 12. *Quicunque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si vxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur.* Et ad illud Apost. 1. Corinth. 7. v. 10. *Iis autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptā, aut viro suo reconciliari.* Et Roman. 7. v. 2. & 3. *Quæ sub viro est mulier, viuente viro alligata est legi &c. Igitur viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. Si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri, vt non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Clariùs verò traditur eadem veritas à Tridentino sess. 24. can. 2. anathematizante eum, qui dixerit licere Christianis plures simul vxores habere, & hoc nulla lege diuina esse prohibitum. Quo anathemate ferit Lutherum, scribentem in commentario cap. 16. Geneseos, non esse prohibitum habere plures simul vxores, exemplo Abrahæ; quia Patrum exempla sunt adhuc libera: seque illā consuetudinem neque introducere velle, neque improbare posse. Quem errorem postea Anabaptistæ secuti sunt, vt testatur Kemnitius relatus à Bellarmino lib. de Matrim. cap. 10.

Christiani nō possunt licitè.

25. Quod verò neque validè possint Christiani plures simul vxores habere, sequitur ex Christi, & Apostoli verbis supra relatis, affirmantibus mœchari, aut adulterari vi-

Neque etiā validè.

rum, aut mulierem, si alteri nupserit, viuente coniuge priori, & nondum soluto vinculo præcedentis matrimonii. Nam de ratione fornicationis, & adulterii est, vt qui copulam habet, accedat ad non suam. Non accederet autem ad non suã, si matrimonium cum illa valeret. Estque obseruandum circa eadem Christi, & Apostoli verba, id quod rectè notauit Innocentius III. cap. *Gaudemus*, de diuortiis: Si vir dimissa vxore non potest accipere aliã: multò minùs ipsã retentã. Et si vxor maritum deserens, non potest alteri nubere: multò minùs, si non deserit. Idem quoque docet expressè D. Ambros. lib. 1. de Abraham cap. 7. *Non licet tibi*, inquit, *vxore viuente ducere aliam. Nam & aliam quærere cùm habeas tuam, crimen est adulterii.* Et D. August. lib. 2. de adulterinis coniugiis cap. 4. vbi relatis his Apostoli verbis, *Quæ sub viro est mulier*, &c. Roman. 7. sic ait: *Hæc verba Apostoli toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viua sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier vxor esse incipit, nisi prioris esse desierit. Esse autem desinet vxor, prioris si moriatur vir eius, non si fornicetur.* Et Innocent. I. epist. 2. ad Exuperium cap. 6. vbi ex illis Christi verbis Matth. 19. *Qui dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur* &c. deducit manifestum esse eos, qui interueniente repudio, vel vxore viuente, quamuis dissociatum videatur esse coniugium, alii se matrimonio copularunt, adulteros esse. Nimirum quia manet adhuc vinculum matrimonii, non obstante diuortio: idcòque non possunt validè cum alia contrahere.

26. Eademque ob causam idem Pontifex epist. 9. in fine, respondit inualidum esse matrimonium eius, qui falsò putans vxorem esse mortuam, cum alia contraxerat. Quia, inquit, *fide catholica suffragante illud est coniugium, quod primitus erat gratiâ diuinâ fundatum: consentiunque secundæ mulieris, priori superstite, nullo modo potest esse legitimum.* Et Nicolaus I. in responsione ad consult. Bulgar. cap. 51. *Duas*, inquit, *tempore vno habere vxores, nec ipsa origo humanæ conditionis admittit, nec lex Christianorum vlla permittit.* Et Innocentius III. cap. *Gaudemus*, De diuortiis dicit hoc absonum videri, & inimicum fidei christianæ, cùm ab initio vna costa in vnam fœminam sit conuersa; & Scriptura diuina testetur, quòd propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna: ponderatque non dixisse tres vel plures, sed duos: nec dixisse, Adhærebit vxoribus; sed, vxori. Eam denique ob causam Alexander III. cap. *Licet*, de sponsa duorum, respondit eum, qui per verba de præsenti contraxit cum vna, posteaque alteri nupsit, eri: msi copulam cum ista habuerit, debere tamen ab illa separari, & compelli vt ad priorem redeat, veluti solam legitimam ipsius vxorem. Et Tridentinum sess. 24. can. 7. definit iuxta euangelicam, & apostolicam doctrinam non posse, etiam in causa adulterii, coniugem, licet innocentem, altero cõiuge viuente, aliud matrimonium contrahere: mœcharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, & eam quæ dimisso adultero alii nupserit.

Dico secundò, Ne infideles quidem tempore legis Euangelicæ posse validè plures simul vxores habere. Probatur ex Christi verbis supra relatis, quæ generalia sunt, & non distinguũt inter fideles, & infideles, quorum vtrorumque Christus est Deus, ac Dominus, omnesque legibus illius æquè subiacent. Nam Matth. 5. v. 32. & cap. 19. v. 9. & Marci 10. v. 11. & 12. & Luc. 16. v. 18. restituens matrimonium ad formam antiquam, & primæuam institutionem, generaliter pronunciat eum omnem, qui vxorem suam dimiserit, & aliam duxerit, adulterium committere: & vxorem pariter mœchari, si viro dimisso nupserit alteri. Similiterque Paulus loquitur vniuersaliter, quando dicit Roman. 7. v. 3. mulierem, quæ viuente viro fuerit cum alio, vocari adulteram. Et Patres supra citati sine exceptione loquuntur, generalemque assertionem deducunt ex Christi verbis, & Apostoli supra relatis. Specialiter verò de infidelibus id affirmat Innocent. III. in c. *Gaudemus*, de diuortiis, vbi proposita quæstione de paganis, qui circa plures insimul fœminas affectum diuidunt coniugalem, vtrum post conuersionem omnes, vel quam ex omnibus retinere valeant? respondet absonum videri, plures retineri, & inimicum fidei christianæ, paulóque post addit, nulli vnquam licuisse plures simul vxores habere, nisi quibus fuit diuina reuelatione concessum, vt antiquis Patriarchis, & aliis viris iustis, qui propter hoc excusantur ab adulterio. Talis autem concessio, & reuelatio, non magis est hos tempore pro infidelibus, quàm pro christianis. Et si coniugium cum pluribus simul ratum esset, & validum in infidelibus, tale maneret post conuersionem, & Baptismum, in volentibus cohabitare pacificè: quia per Baptismi sacramentum non soluuntur coniugia, sed crimina dimittuntur, vt ait ibidem Innocent. III. Eademque de causa non dissoluitur per Baptismum matrimonium ab illis initum in gradibus prohibitis ab Ecclesia, vel cum aliis impedimentis irritantibus iure solùm ecclesiastico, cui non subserant, quando contraxerunt.

27. Idem dicẽdum de infidelibus.

Dico 3. licitum fuisse tam fidelibus, quã infidelibus in lege naturæ, & Mosaica, à tempore diluuii vsq; ad Christũ, plures simul vxores habere. Probatur de fidelibus exemplo Abrahæ, Iacob, Dauidis, & aliorum virorum sanctissimorum, quos in perpetuo vixisse adulterio, aut illicito concubitu, nefas est existimare: præsertim cum Scriptura nunquam eos hac de re reprehendat, vt de aliis, quæ perperam interdum fecerunt; &

28. Licuit in lege naturæ & Mosis.

Digitized by Google

interea tam familiariter, & amicè cum Deo conuersati sint. Idem etiam non obscurè traditur Deuteron. 21. v. 15. vbi Deus per Moysem ita præcipit: *Si habuerit homo vxores duas, vnam dilectam, & alteram odiosam, genuerintque ex eo liberos, & fuerit filius odiosæ primogenitus, voluerituque substantiam inter filios suos diuidere: non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odiosæ.* Idem quoque docent Innocentius III. verbis suprà relatis ex cap. *Gaudemus*, de diuortiis, & D. Augustin. lib. 16. de Ciuit. cap. 38. & lib. 22. contra Faustum cap. 47. & Chrysost. homil. 56. in Genesim, aliique Patres. Ex quorum verbis etiam manifestè liquet idem licuisse Gentilibus, & infidelibus, vt dixi in secunda parte conclusionis. Nam D. August. lib. 22. contra Faustum cap. 47. loquens de Iacob, qui in Mesopotamia, terra Gentilium, ex Laban idololatra filias duas accepit in vxores, dicit licitè id fecisse propter morem illo tempore atque in illis terris vsitatum. Et Chrysostomus homil. 56. in Genes. vniuersaliter ait, *Tunc, quia principia erant, permissum fuisse cum duabus, vel tribus, vel pluribus vxoribus misceri, vt humanum genus propagaretur.* Propter quod etiam non solis principibus, & maioribus reipub. sed aliis quoque indifferenter id licebat.

29. Neque obstat quòd interdum secundæ vxores vocantur concubinæ in Scriptura. Nam interdum etiam appellantur vxores, vt Deuteron. 21. v. 15. *Si habuerit homo duas vxores* &c. & 1. Regum 1. v. 2. vbi dicitur Elcana habuisse duas vxores Annam, & Phenennam. & 3. Reg. 11. v. 3. vbi Salomon dicitur habuisse septingentas vxores, quasi reginas, & concubinas trecentas. Interdum etiam vnica vxor vocatur concubina, vt vxor Leuitæ, de quo Iudic. 19. Quare in Scriptura nomen concubinæ & vxoris interdum confunditur. Aliquando verò distinguitur; & vxor dicitur illa, quæ non tantùm assumitur ad coniugium, sed etiam ad totius familiæ administrationem, & vt aliquo modo viro par. Concubina, quæ tantum ad coniugium, & consortium thori, propter filiorum generationem. Priori modo sumpta est Sara ab Abrahamo. Posteriori modo Agar ancilla Saræ, remanens vere ancilla sicut prius, quoad familiæ administrationem. Interdum etiam plures duæ ponuntur pari gradu, quoad administrationem, vt à Iacob Lia, & Rachel; & aliquot aliæ ad coniugium tantùm, vt Zelpha, & Bala, & Rachelis ancillæ ab eodem Iacob assumptæ. Quæ coniugii differentiæ notandæ sunt. Sed ab initio non fuit sic, neque nunc est secundum primæ institutionis restitutionem, secundum quam vnica tantùm duci potest.

30. Non licuit quòd ante Diluuium id minimè licuerit docet Nicolaus Papa Causa 34. q. 1. cap. 19. vbi Lotharium Regem, qui duas simul vxores acceperat, sic alloquitur: *An non districta vltione feriendus es, qui in duabus vxoribus adulterium Lamech & flagitium imitatus esse dignosceris?* Et in responsione ad Consulta Bulgar. cap. 51. vbi dicit hoc tam immane fuisse tunc temporis, vt homicidii peccatum, quod Cain in Abel fratrem suum commisit, septima generatione cataclysmo vindicatum fuerit: adulterii autem flagitium, quod Lamech primus omnium in duabus vxoribus perpetrauit, non nisi sanguine Christi abolitum extiterit, qui septima & septuagesima generatione, secundum Euangelium, lux venit in mundum. Et Hieronym. lib. 1. contra Ioninian. cap. 8. *Vna cœpta*, inquit, *à principio in vnam vxorem versa est. Et erunt, inquit, duo in carne vna: non tres, neque quatuor: alioquin non duo, sed plures. Primus Lamech sanguinarius & homicida, vnam carnem in duas amisit vxores. Fratricidium, & digamiam eadem cataclysmi deleuit poena. De altero septies, de altero septuagies septies vindicatum est. Quantum distant in numero, tantum, & in crimine.*

Ratio verò huius discriminis cur ante diluuium id non licuerit, secus verò à diluuio vsque ad Christum, hæc redditur à Chrysostomo homil. 56. in Genes. & ab aliis communiter: quia ante diluuium longissima hominum vita faciebat vt matrimoniũ vnius cũ vna sufficeret propagationi necessariæ generis humani: postea verò, propter vitam longè breuiorem, *permissum fuit cum duabus, vel tribus, vel pluribus vxoribus misceri, vt humanum genus propagaretur*, suppleretur que per vxorum multitudinem defectus vitæ longioris. *Nunc verò quia per Dei gratiam humanum genus valde multiplicatum est, & pietas incrementum accepit, aduenit vtique Christus & virtutem in hominibus plantans, angelosque, vt ita dicam, ex hominibus faciens omnem illam veterem consuetudinem abolenit.* Idem quoque significauit Christus Matth. 19. v. 8. quando libellum repudii, & polygamiam prohibens, permissionemque à Moyse factam abrogans, dixit ab initio non fuisse sic, sed Deum masculum & fœminam creasse: duosque solùm coniunxisse, vt essent duo tantùm in carne vna: cũ alioqui duas mulieres creare, & vxores illi tribuere æqui facilè potuisset, & ad maiorem speciei propagationem id magis conduxisset? sed noluit, vt ipsa humanæ conditionis origine patefaceret duas tempore vno habendas non esse vxores, vt ait Nicolaus Papa in responsione suprà citata cap. 51.

31. Contra primam & secundam conclusionem obiici potest 1. locus difficilis Ambrosii in commentario capitis 7. epist. 1. ad Corinth. vbi dicit non permitti mulieri (vt nubat, si virum suum causâ fornicationis dimiserit, aut apostasiæ &c. licere tamen viro ducere aliam, si dimiserit vxorem peccantem; quia non eadem lege constringitur vir, quâ mulier; caput enim mulieris vir est: & inferior nõ omnino hac lege vritur, quâ potior. Idemque Apostolum

22. Causa differentiæ.

Nomen concubinæ ambiguũ in Script.

Ante diluuium non licuit.

Digitized by Google

Corinth. 7. quando dixit *Vir vxorem non dimittat* (exceptâ ſcilicet fornicationis cauſa) non ſubiecisſe de muliere, *Quod ſi dimiſerit, maneat ſic*: Sicut de muliere præceperat, vt maneat innupta, ſi à viro diſceſſerit.

33. Exponitur locus difficilis Ambroſii.

Reſpondent aliqui hunc commentarium vel non eſſe Ambroſii, vel ab hæreticis fuiſſe corruptum; in eumque tum ſententiam modò relatam; tum plures alias falſas, & erroneas, fuiſſe inſertas. Sed meliùs Baſil. Pont. lib. 7. cap. 52. num. 3. poſt Mendoçam, Fran. Turrian. & Ruardum, quos citat, reſpondet Ambroſium ibi loqui de lege ſæculi, non de lege Chriſti: hoc eſt, loqui habita ratione legis Iuliæ, & Imperatorum, ac forenſis iudicii, ſuo tempore receptiſſimę, quâ permittebatur, aut impunè tolerabatur, vt vir dimittens vxorem propter adulterium duceret aliam: ſecus autem mulier. De qua eadem lege dicit lib. 1. de Abraham c. 4. *Nemo ſibi blandiatur de legibus hominum. Omne ſtuprum, adulterium eſt: nec viro licet quod mulieri non licet. Eadē à viro, quæ ab vxore debetur caſtimonia. Qui quid in eâ quæ non ſit legitima vxor, commiſerit, adulterii dānatur crimine.* Et D. Auguſt. apertiſſimè vtrāq; legem diſtinguit verbis relatis, ab eodem Pontio, ex lib. 1. de Nup. & concupiſc. cap. 10. vbi ſic loquitur de matrimonio: *Cuius ſacramenti tanta eſt obſeruatio in ciuitate Dei noſtri in monte ſancto eius, hoc eſt, in Eccleſia Chriſti, quibuſque fidelibus coniugatis, qui ſine dubio membra ſunt Chriſti, vt filiorum procreandorum causâ vel nubant fœminæ, vel ducantur vxores, nec ſterilem coniugem fas ſit relinquere, vt alia fœcunda ducatur. Quod ſi quiſquam fecerit, lege huius ſæculi, vbi intercedente repudio ſine crimine conceditur cum aliis alia copulare connubia* (id eſt, non ducitur crimini, neque punitur) *quod etiam ſanctum Moyſen Dominus propter duritiam cordis illorum Iſraelitis permiſiſſe teſtatur. Sed in lege Euangelii reus eſt adulterii, ſicut etiam illa, ſi alteri nupſerit.* Similique modo intelligi debent ſimilia loca Lactantii lib. 6. Inſtitut. cap. 23. Et D. Baſilii epiſt. 1. ad Amphilochium can. 9. & 21. qui eodem fere modo loquuntur, quo Ambroſius. Lactantii verba ſunt. *Non enim ſicut publici iuris ratio eſt, ſola mulier adultera eſt quæ habet alium: maritus autem, etſi plures habeat, ſine crimine adulterii ſolutus eſt* (publico ſcilicet illo iure, & legibus ſæculi id permittentibus, ſiue impunè ferentibus) *ſed diuina lex ita duos in matrimonium, quod eſt in corpus vnum, pari iure coniungit, vt adulter habeatur quiſquis compagem corporis in diuerſa diſtraxerit.*

34. Video tamen huic expoſitioni obſiſtere quòd Ambroſ. hanc differentiam inter virum, & mulierem fundat in verbis Apoſtoli 1. Corinth. 7. v. 10. 11. & 22. ideóque videtur loqui de lege diuina. Dicit enim Apoſtolum non ſubiūxiſſe de viro, ſicut de muliere: *Quod ſi diſceſſerit, maneat ſic: quia viro licet, aliter vxorem, ſi dimiſerit vxorem peccantem: quia non eadem lege conſtringitur vir ſicut mulier. Caput enim mulieris vir eſt.* Sed reſpondendum eſt Ambroſium non tam ex ſuo ſenſu id dicere, quàm ex mente fautorum vel auctorum illius legis imperatoriæ, Paulum malè intelligentium, & exiſtimantium licere ſibi hanc differentiam ponere inter virum & mulierem, & vni permittere quod non alteri: propterea quòd Paulus de muliere affirmaſſet, quod de viro reticuit, vt ſcilicet maneat ſine iterato coniugio: & æquum eſt vt plus viro liceat, aut permittatur, quàm mulieri, quia vir eſt caput & ſuperior mulieris, vt ait idem Apoſtolus.

35. Explicatur cap. *Quod propoſuiſti.*

Obiicitur 2. Gregorium III. cap. *Quod propoſuiſti*, 32. q. 7. interrogatum quid faciendum viro, cuius vxor correpta infirmitate non poterat reddere debitum coniugale: reſpondiſſe poſſe aliâ ducere, ita tamen, vt prioris curā non abiiceret. Reſpondent aliqui dictum illud Gregorii eſſe ſuppoſititiū. Refertur enim à Gratiano ex quadam eius epiſtola, quam Zacharias eius ſucceſſor diligenter licet quæſitam, dicit inuentam non fuiſſe in archiuio Romano. Sed in contrarium facit, quod illa epiſtola habetur impreſſa tom. 3. Conciliorum, eiuſque manuſcriptum adhuc extitiſſe tempore Gratiani affirmat ipſemet poſt caput citatum. Quare meliùs reſpondent alii Gregorium loqui de fœmina arctationis infirmitate correpta, ita vt à viro cognoſci nō poſſet: quod impedimentum ſufficit ad dirimendum matrimonium, vt dicemus diſp. 76. quamuis poſſint, ſi velint, vt frater, & ſoror cohabitare: Ideóque Pontifex ibid. dicat bonum eſſe illi ſi ſic permaneret, vt abſtinentiæ vacaret. Vel etiam, vt adddit Baſil. Pont. cap. cit. num. 14. loquitur Pontifex de muliere, quæ ante conſummationē matrimonii inciderat in ægritudinem perpetuam, quâ reddebatur impotens ad copulam: cuius causâ ipſe diſpenſauerit, ſeu potiùs vinculum matrimonii, rati tantùm diſſoluerit. Sicut Alexander III. c. *Verum*, & cap. *Ex publico, de conuerſione coniugatorum*, ſtatuit generaliter poſſe diſſolui per ingreſſum Religionis, & alii Pontifices aliam ob cauſam diſſoluerunt, vt dicemus ſect. ſequenti.

36. Olim pars adultera priuabatur ſecundis nuptiis.

Obiiciuntur tertiò varii canones, quibus permittitur vt coniux innocens, adulterâ dimiſsâ, poſſit aliud inire matrimonium: ſecus autem pars adultera, cui præciditur omnis nubendi ſpes: vt videre eſt cap. *Quidam deſponſauit*, cap. *Si quis ſponſam*, 27. q. 2. & cap. *Si qua mulier*, 31. q. 1. & cap. *Quadam cum fratre*, cap. *Concubuiſti*, cap. *Si quis cum nouerca*, 32. q. 8. Reſpondeo cum Baſil. Pont. lib. 7. cap. 52. num. 9. non ibi permitti vt coniux innocens poſſit inire ſecundum matrimonium, viuente coniuge priori: ſed ſtatui dumtaxat, vt eo mortuo poſſit quidem pars innocens repetere coniugium: ſecus autem pars adultera. Olim enim propter atrocia quædam crimina ſpes

coniugii interdicebatur, ad majorem illorum terrorem excitandum; vt pluribus canonibus ibid. probat citatus auctor: nimirum ex cap. *Raptor*, & cap. *Statuimus est*, 27. q. 3. cap. *Si quis filiastrum*, cap. *De eo*, 30. q. 3. cap. *Si quis viuente*, cap. *Si quis mulier*, 31. q. 1. cap. *Hi verò*, 32. q. 7. cap. *Si quis cum matre*, & cap. *Si homo*, 35. q. 2. & cap. *Incestuosi*, 35. q. 8. & cap. *Si autem*, 36. q. 2. Et in antiquo Poenitentiali sit. 1. cap. 11. inter alias poenas hæc imponitur peccatori cuidam, *Vxorem habeas, & concubinam non habeas, absque coniugio in perpetuum maneas.* Vbi nomine concubinæ intelligitur, vt quibusdam aliis locis, mulier iuncta quidem legitimo matrimonio, sed ad consortium thori dumtaxat, non ad familiæ administrationem, & dignitatis societatem, vt notat Pontius lib. 7. cap. 54. num. 6. & sequentibus. Olim etiam publicè poenitentibus prohibitum erat inire matrimonium toto tempore publicæ poenitentiæ, vt patet ex dictis disp. 55. sect. 1. & ex cap. 12. plurisque sequentibus. Causâ 33. q. 1.

37. Obiicitur quartò, in capite *Si quis mulier*, 31. q. 1. sumpto ex Concilio Vermeriensi in Gallia celebrato tempore Pipini Regis sic haberi: *Si qua mulier in mortem mariti sui cum aliis consiliata sit, & ipse vir aliquem illorum se defendendo occiderit, si probare potest ille vir eam ream esse consilii, potest (vt nobis videtur) ipsam vxorem dimittere, & si voluerit aliam ducere. Ipsa autem insidiatrix poenitentiæ subiecta, absque spe coniugii maneat.* Et can. 10. Concilii Arelatensis I. sic dicitur: *De his qui coniuges suas in adulterio deprehendunt, & iidem sunt adolescentes fideles, & prohibentur nubere, placuit vt, in quantum potest, consilium eis detur, ne viuentibus vxoribus suis, licet adulteris, alias accipiant.* Si autem neque licitè neque validè cum aliis contrahere potuissent, non consulendum tantùm, sed seuerè prohibendum fuisset, ne id facerent.

Exponitur canon *Si mulier.*

38. Ad primum respondeo verba illa, *Et si voluerit aliam ducere*, abesse ab Iuone eundem canonem referente: in Decretalibus autem sic legi: *Potest ipse post mortem vxoris, si voluerit, aliam ducere*, vt notauit Gratianus in Decreto, circa caput citatum. Iuxta quam lectionem explicandus est iste canon, simili modo, quo alii supra relati, & expositi num. præcedenti. Ad secundum dico particulam, illam: *Ne alias accipiant.* Non esse intelligendam de aliis in vxores accipiendis, sed de concubinis ad congressum illicitum: quasi dicant Patres illius Concilii, hortandos esse adolescentes illos vt seruent continentiam, abstineantque à concubitu cum aliis. Non quasi prohibitum non sit, ne hoc ipsum faciant: sed quia suauiùs agendo in huius vitii emendatione, maluerint honestum suadere vt patres, quàm seuerè prohibere, & punire vt iudices.

SECTIO IV.

An & quomodo vinculum matrimonii sit insolubile?

39. Mat. est naturâ sua indissolubile aliquatenus.

RESpondeo & dico primò, vinculum matrimonii secundum primam institutionem à Christo restitutam atque etiam ex natura sua, esse insolubile, saltem priuatâ contrahentium potestate in eoq; differre ab aliis cõtractibus humanis, qui mutuo cõtrahentium consensu dissolui possunt, siue alia causa. Probatur 1. ex ipsa definitione matrimonii communiter recepta, quâ dicitur esse maritalis coniunctio viri, & mulieris, individuam vitæ societatem retinens. Debet enim saltem eo sensu dici individua, siue insolubilis, vt non possit ab ipsis contrahentibus dirimi propria & priuata potestate: atque ita saltem talis esse dicatur ex natura sua: quamuis hoc non impediat, quin à superiore potestate, scilicet diuinâ, vel etiam humanâ in quibusdam casibus solui possit, vt dicemus in sequenti conclusione. Quemadmodum verum dicitur esse ex natura sua vinculum perpetuum, propterea quòd vouens non potest sua ipsius voluntate ab eius obligatione se liberare, quamuis potestas superior possit in eo dispensare.

40. Probatur 2. ex fine matrimonii, qui est amor & pacifica cohabitatio coniugum, & conueniens generatio prolis honestaque educatio: quibus omnibus repugnat solubilitas vinculi matrimonii ad libitum vtriusque. Hinc enim amor coniugalis valdè refrigesceret inter personas facilè separabiles, & mutatio coniugum faceret plerumque vagos concubitus, redderetque prolem incertam ex quo non parum tepesceret amor prolis, & studium illius educandæ, aliaque multa sequerentur incommoda. Probatur 3. ex Christi verbis Matth. 19. vbi loquens de libello Repudii per Moysem concesso, dicit ab initio non fuisse sic: sed Deum masculum, & fœminam creasse, voluisseque, vt essent duo in carne vna: & *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Quæ verba eloquenter expendens D. Chrysost. homil. 63. in Matth. sic ait: *Nunc & creationis, & sanctionis modo vnam vni perpetuo coniungi, & nunquam rescindi oportere docuit. Et nota quomodo loquitur. Qui fecit à principio, masculum, & fœminam fecit eos. Hoc est, ex vna radice germinarunt, & in vnum corpus conuenerunt: erunt enim, inquit, duo in carnem vnam &c. Neque virum ad vxorem suam accedere debere simpliciter sanxit, sed etiam agglutinari. Ea loquendi ratione indissolubilitatem ostendens. Nec eo sol contentus fuit, sed & aliam maiorem coniunctionem significare voluit, cum ait, Erunt duo in carne vna.* Et paulò post: *Quemadmodum igitur scelus est in duo diuidere carnem vnam: sic & mulierem à viro suo disiungere im-*

quiſſimum eſt. Neque in hoc ſtetit : ſed Deum quoque attulit dicens Quod igitur Deus coniunxit, homo non ſeparet. Ita oſtendit, & præter naturam, & contra legem eſſe Repudium. Præter naturam quidem, quia vna caro diſcinditur. Contra legem autem, quia Deus coniunxit, ac iuſſit non ſeparari.

41. Eandemque ob cauſam Bonifacius VIII. cap. vnico *De voto, & voti Redempt.* in 6. dicit matrimonii vinculum, ab ipſo rerum omnium conditore, ipſum in Paradiſo, & in ſtatu innocentiæ inſtituente, vnionem & indiſſolubilitatem accepiſſe. Et Trident. ſeſſ. 24. initio. *Matrimonii*, inquit, *perpetuum, indiſſolubilemque nexum primus humani generis parens diuini ſpiritus inſtinctu pronunciauit, cum dixit : Hoc nunc os ex oſſibus meis* &c. & paulò poſt addit, Chriſtum eiuſdem nexus firmitatem, ab Adamo tanto ante pronunciatam, his verbis confirmaſſe, *Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet.*

42. Dico 2. vinculum matrimonii, ſiue rati, ſiue etiam conſummati non eſſe penitus, & abſolutè inſolubile. Probatur 1. quia matrimonium infidelium, etiam poſt conſummationem, diſſolui poteſt, ſi alter coniugum conuertatur ad fidem, & alter nolit cohabitare cũ illo, vt habetur cap. *Quanto de diuortiis*. Colligiturque ex 1. Corinth. 7. vbi Apoſtolus primum de matrimonio contracto inter chriſtianos ſic loquitur: *His autem, qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus, vxorem a viro non diſcedere : quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Et vir vxorem non dimittat.* Deinde de matrimonio cum infidelibus contracto ſubiungit: *Nam cæteris ego dico, non Dominus. Si quis frater vxorem habet infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, ne dimittat illum* &c. *Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat : non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater aut ſoror in huiuſmodi.* Hucuſque Paulus. Vbi nota 1. non addidiſſe hîc, quod de priori coniugio dixerat, vt ſi infidelis diſceſſerit, maneat ſine coniugio. Secundò nota, fratrem, aut ſororem fidelem, non eſſe ſubiectum ſeruituti in eiuſmodi. Eſſent autem ſubiecti ſeruituti, ſi manerent obligati vinculo matrimonii. De hac enim ſeruitute loquebatur Apoſtolus.

Matr. infidelium ſolutum per cõuerſionem alterius cõiugum.

43. Neque dicas, in eo ſolùm non eſſe ſeruituti ſubiectum, quia non tenetur ampliùs cohabitare alteri. Nam Apoſtolus in hoc diſtinguit matrimonia Chriſtianorum ab aliis, vt ex contextu liquet. Non diſtinguũtur autem in eo, quaſi fidelis teneatur cohabitare alteri fideli fugienti, & inuito: ſecus autem infideli. Etenim nemo obligatur ad cohabitandum fugienti, & inuito, ſiue fidelis ille ſit, ſiue non. Atque ita Paulum interpretantur D. Auguſt. epiſt. 89. in reſpõſione ad 4. quæſtionem. Ambroſius ſub nomine S. Gregorii Magni relatus cauſa 28. q. 2. cap. 2. Innocentius III. cap. *Quanto*, & cap. *Gaudemus*, de Diuortiis, aliique Patres, & Doctores catholici, neque diſſentiunt hæretici. Quod etiam intelligunt omnes, licet matrimonium fuerit conſummatum. Et quidem Paulus generatim, & abſolutè loquitur. Intelligunt etiam, quamuis infidelis velit quidem habitare cum fideli, ſed non niſi cum contumelia creatoris, vt aiunt, quia non patitur ipſum chriſtianè viuere, vel à fide ſuſcepta diuouere conatur: vt expreſsè dicunt Patres ſupra citati. Vtrum verò, licet velit cohabitare pacificè cum fideli, ſed ea nuertere ſe nolit ad fidem, poſſit à fideli deſeri, & vinculum dirimi, dicemus ſectione 6. vbi etiam oſtendemus per infideles hoc loco intelligendos eſſe non baptizatos: de quorum numero non ſunt Chriſtiani in hæreſim, vel in apoſtaſiam à fide lapſi.

44. Probatur 2. quia matrimonium inter Chriſtianos contractum, tametſi poſt conſummationem diſſolui non poſſit quoad vinculum, poteſt tamen ante conſummationem in ſtuobus caſibus. Primus eſt, per profeſſionẽ in Religione approbata: vt habetur in Tridentino ſeſſ. 24. can. 6. & c. *Ex parte* 2. De conuerſ. coniugat. vbi affirmat Innocentius Papa tale ſemper fuiſſe iudicium in Eccleſia. Et cap. *Verum*, cap. *Ex publico*, eod. tit. vbi Alexander III. dicit licere alterutri coniugatorum, ante matrimonii conſummationem, altero inuito profiteri Religionem, & alteri eſſe liberum nouum contrahere matrimonium. Ibidemque concedit vxori (& de marito idem ſentiendum eſt) ſpatium duorum menſium, intra quod non teneatur conſummare matrimonium, ſed de ingreſſu Religionis deliberet, ſi velit. Quod ſpatium computari debet ab hora contractus vſque ad finem ſecundi menſis: quo elapſo tenentur mutuò reddere debitum ſi exigatur. Donec tamen matrimonium conſummauerint, tamdiu liberum illis eſt Religionem ingredi, vt notat Gloſſa cap. citati *Ex publico*. Secus autem ſi conſummetur, etiamſi per vim vxori illatam à marito, vel contra, quocunque id tempore poſt contractum matrimonium fiat, vt poſt Hoſtienſem, Palud. Baldum, & plures alios notauit Couarr. in epitome 4. Decretalium, part. 2. cap. 7. §. 4. num. 10. Si tamen ante duos menſes per vim fuiſſet conſummatum; ille, cui vis illata fuit, poſſet altero inuito Religionem ingredi: hoc enim ius ademptum illi non fuit: alter verò cœlebs manere cogeretur: quia matrimonium Chriſtianorum ſolui non poteſt, poſtquam eſt conſummatum.

Matr. rati fideliũ ſoluitur per ingreſſum religionis.

45. Secundus caſus eſt, per auctoritatem Summi Pontificis, qui, vt Dei vicarius, poteſt iuſtas ob cauſas dirimere vinculum matrimonii rati tantùm, & nondum conſummati, vt communiter docent Canoniſtæ cum Gloſſa in caput *Ex publico*, De conuerſ. coniugat. & plerique Theologi, quos citant, & ſequuntur Nauar. in Manuali cap. 22. num 21. Henriq. lib 11. cap. 8. num. 11, Sanch. lib. 2. de Matrim. diſp. 14. n. 2. Valent.

Et per auctoritatem S. Pontificis.

Valent. qui. 1. de matrim. punct. 7. & Aegid. Con. disp. 261 dubit. 3. Et confirmatur ipso facto, & praxi summorum Pontificum, qui in re tanti momenti non debent dici, aut cēseri errasse. Nam à Martino V. & ab Eugenio IV. sic factū esse testatur S. Antonin. 3. partic, tit. 1. cap. 21. §. 3. in fine, vbi eorum Bullas se vidisse affirmat: Et de Paulo III. & Pio IV. idem testatur Nauar. loco supra citato. Et Henriq. lib. 11. cap. 8. n. 11. in commentario lit. F. refert Gregorium XIII. vna die cum vndecim dispensasse. Caiet. quoque tomo 1. opusc. tract. 28. de matrim. q. vnica, refert Pontifices suo tempore sæpius dispēsasse. Ac denique Spondan. in Annalib. eccles. ad an. 1599. num. 4. refert ità iudicatum fuisse ab octo Cardinalibus, & aliis delegatis à Clemente VIII. ad iudicandum de causa dissolutionis matrimonii inter Sigismundum Batrorium Transiluaniæ Principem, & Mariam Austriæ: illorumque iudicium fuisse executioni mandatum auctoritate Apostolica.

46. Contraria sententia refellitur.

Contra quod frustra obiiciunt aliqui illud Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Licet enim per illam Christi sententiam matrimonium sit factum insolubile potestate merè humanâ: non tamen diuinâ, qualis est tum ipsius Dei, & Christi Domini, tum Ecclesiæ & summi Pontificis Dei vices agentis in casibus dissoluendi sibi à Deo concessis. Ac sicut ex Apostoli verbis 1. Corinth. 7. intellectum est matrimonium infidelium, etiam post consummationem, dissolui posse in fauorem christianæ religionis, tametsi Deus quoque illud coniunxerit, ac de illo, deque omnibus generatim sermo fuerit Matth. 19. vers. 6. Sic per vsum Ecclesiæ, iudiciumque perpetuum, intellectum fuit matrimonium christianorum nondum consummatum in quibusdam casibus solui posse, vt ait Innocent. III. cap. *Ex parte*, de conuers. coniugat. Ita tamen vt non priuata contrahentium potestate dissolui possit, sed per Ecclesiæ iudicium, & per legis constitutionem, aut per supremi Pastoris sententiam, cui illud semper fuit reseruatum. Denique matrimonium sacramentale nondum consummatum non esse factum penitùs insolubile per illam Christi sententiam, *Quod Deus coniunxit*, &c. disertè affirmat Alexander III. cap. *Verum*, & cap. *Ex publico*, titul. citato. Et quidem vnio per charitatem, & gratiam huius vitæ, repræsentata per matrimonium nondum consummatum, non est penitùs indefectibilis: nam sæpissime deficit. Secus autem vnio per amorem in patria, & coniunctio Verbi cum natura humana, quam perfectiùs repræsentat matrimonium sacramentale consummatum. Ex quo rationem congruam reddunt D. Thom. & alii communiter, cur matrimonium sacramentale consummatum dissolui nequeat, secus autem non consummatum.

47. Tertiò, sunt qui existiment matrimonium ratum dirimi posse auctoritate Pontificis per subsequens matrimonium consummatum. Sit enim docent Glossa capitis *Ex publico*. De conuers. coniugat. in fine, Hostiensis, Innocentius, Alanus, Laurentius, & Ioan. Andreas ibid. Medina lib. 5. de sacrorum hominum continentia cap. 87. & ita fuisse olim iudicatum à summis Pontificibus suis prædecessoribus testatur Alexander III. cap. *Licet*, de Sponsa duorum, in fine, vbi definit matrimonium ratum non dirimi per subsequens consummatum: Licet, inquit, aliquando à prædecessoribus nostris fuerit aliter indicatum. Sed communis sententia contraria est: quia non est verisimile Christum dedisse summo Pontifici hanc potestatem, quæ ad destructionem magis, quàm ad ædificationem esset. Sic enim daretur ansa perfidis dissoluendi matrimonia rata, ineundo, & cōsummando alia: vt rectè ait Sanch. lib. 2. disp. 14. nu. 4. apud quem plura hac de re videri possunt.

An etiam per subsequens matrim. consummatū?

48. Aut per vota simplicia Societatis Iesu

Sunt etiam, qui censent vota simplicia emissa post biennium probationis in Societate Iesu dirimere Matrimonium ratum: ad quam sententiam persuadendam multa profert Basilius Pontius libro nono de Matrimonio, capite sexto. Sed meliùs Suares tomo quarto de Religione, tractatu decimo, libro quarto, capite secundo. Vasq. 1. 2. disput. 165. cap. 10. Henriq. lib. 11. de Matrimonio, capite octauo, numero septimo, Sanches lib. 2. disput. 18. num. 6. contrarium affirmant. Quia vis dirimendi matrimonium ratum non conuenit votis religiosis ex natura rei, neque ex solo iure diuino, sed ex Ecclesiæ constitutione; vt dicemus inferiùs sect. 8. At Ecclesia non id statuit, nisi de votis solemnibus Religionis, vt patet ex cap. *Verum*, cap. *Ex publico*, & cap. *Ex parte* 2. De conuersione coniugatorum, & Extrauag. Ioannis XXII. *De voto*, & ex Trident. sess. 24. can. 6. vbi restringens suam definitionem circa diremptionem matrimonii rati ad solemnem religionis professionem: significat de illa intelligi debere iura antiqua, etiam illa, quæ non loquuntur expresè de professione, sed de ingressu Religionis, consummato scilicet per professionem. Huiusmodi autem vota non esse solēnia diserè habetur in Bulla Greg. XIII. *Ascendente Domino*, & sæpius in eiusdem Societatis Constitutionibus. Neque vspiam in iure ipsius, vel Bullis ei cōcessis dicitur per eiusmodi vota matrimonium ratum dissolui: Sed tantùm in Bulla proximè citata dicitur, & statuitur eiusmodi vota vim habere dirimendi matrimonium subsequens: nimirum ad maiorem firmitatem status per ea susceptī, propter quam voluit S. Pontifex & statuit vt vota illa specialiter, quāuis simplicia, essent vnum de impedimentis irritantibus, eque ac vota solemnia. Confirmatur ex vsu, optimo legum interprete. Nunquam etiam hactenus vsus fuit in Societate Iesu, soluendi matrimonium ratum per eiusmodi vota: Sed è contrario, vt refert Vasq. c. supra cit. Cum quidam tempore ipso Beati

Ignatii, eius fundatoris, post matrimonium ratum tantùm, fuisset in Societatem admissus vt ad gradum Coadiutoris temporalis promoueretur; iussus est professionem emittere, vt matrimonium eius dirimeretur. Quod singulari priuilegio factum est. Nam Coadiutores siue spirituales, siue temporales, non profitentur solemniter iure communi, & ordinario Societatis Iesu.

49. An etiam aliis de causis?

Extra hos casus nullum alium admittunt Catholici, quo matrimonium ante, vel post consummationem solui possit: neque à quoquam sine auctoritate asseri debet contra Scripturæ testimonia matrimonii insolubilitatem prædicentia, Matth. 5. vers. 32. Marci 10. v. 11. & 12. Luc 16. v. 18. & 1. Corinth. 7. v. 10. quæ temerè à quoquam limitanda non sunt. Alii tamen multi addumtur ab hæreticis. Lutherus enim in libro de captiuitate Babylonica cap. de matrim. in eam sententiam valde inclinat, quòd liceat propter absentiam affectatam alterius coniugis matrimonium inire cum alio; quódque de tali coniuge in facti quoad vsum matrimonii debeat illud Apostoli intelligi, *si infidelis discedit, discedat*, &c. 1. Corinth. 7. In quo Lutherus & Pauli textui, & Patrum omnium interpretationi repugnat. Idé Bucerus in cap. Matth. 19. licere contendit, non solùm propter absentiam, sed etiam propter contumaciam, & obstinatam animi alienationem, quâ nolit coniux se fidelem præstare ad officium matrimonii. Simile quid de absentia tradunt Ordinationes Ecclesiæ Gebennensis. Contra quæ omnia Nouatorum mulieroforum hominum commenta Tridentinum sic pronunciat sess. 24. can. 5. *Si quis dixerit propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à coniuge, dissolui posse matrimonium, anathema sit.*

50. Et specialim propter adulterium coniugis?

Præterea, posse matrimonii vinculum solui propter alterius coniugis adulterium, contendunt pertinaciter Lutherani & Caluinistæ, aliique omnes Sectarii, damnati à Trident. sess. cit. can. 7. *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit, & docet iuxta euangelicam, & apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius cõiugum matrimonii vinculum non posse dissolui, & vtrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero coniuge viuente, aliud matrimonium contrahere, moecharique eum, qui dimissa adultera, aliam duxerit, & eam quæ dimisso adultero alii nupserit; anathema sit.* Cõtra hanc verò definitionem sensit, præter Sectarios Erasmus in c. 7. prioris ad Corint. & ab Erasmo deceptus Caiet. ibid. & ab vtroq; Catharinus in 2. editione operis sui contra Caietanum. Contra priorem quoque erat olim in cap. *Laudabilem, de Conuersione infidelium*, matrimonii vinculum dissolui posse per alterius coniugum lapsum in hæresim, teste Hostiensi & aliis Canonistis ad caput *Quanto, de diuortiis*: ideoque caput illud à iure canonico postea expunctum fuit.

Argumenta verò hæreticorum fere omnia eadem sunt, quæ olim à Pollentio obiecta, & à D. Augustino soluta fuerunt lib. 1. de adulterinis coniugiis cap. 9. & sequentibus, & toto fere lib. 2. partim mepta, partim aperte falsa, de quibus vide Bellarm. lib. de matrimonio, cap. 17. & Valentiam quæst. 1. de eodem sacramento, punct. 7. Præcipuum illud est, quod vrget Kemnitius ex Matth. 19. *Quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, moechatur.* Vbi Christus significare videtur licere tantum in casu fornicationis vxorem fornicariam dimittere, & aliam ducere. Quod ex eo confirmatur, quia Christus interrogabatur ibi à Iudæis, an licitum esset diuortium quacunq; ex causa? Diuortium autem Iudæorum duo continebat: scilicet dimissionem vxoris, & coniugium cum altera. Christus ergo verbis citatis respondens ad mentem Iudæorum, docet licere ob causam fornicationis, & vxorem dimittere, & cum alia matrimonium contrahere.

51. Exponitur locus Matthæi.

Respondeo locum istum obscurum per alia clariora explicandum, & illustrandum esse. Quod ergo dicitur loco cit. à Matthæo, sic refertur à Marco cap. 10. *Quicunque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium cõmittit super eam.* Quo loco Marcus, tanquam Matthæi interpres, declarat quomodo intelligi debeat exceptio facta Matth. 5. & 19. *nisi ob fornicationem*: ita vt referri debeat ad solam dimissionẽ, quæ propter solam fornicationẽ absolutè, & in perpetuum fieri potest, quoad thorum, & cohabitationem, per se, ex vi contractus matrimonii, vt explicabitur disp. penultima. Non autẽ debet referri illa exceptio ad coniugium cũ altera, quasi hoc liceat, & non sit adulterium: cùm Marcus absolutè dicat, *Quicunque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam.* Idem etiam vniuersaliter ait Lucas cap. 16. *Omnis qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit, moechatur.* Quod exponens D. Aug. lib. 1. de adulterinis coniugiis cap. 9. in fine, sic ait: *Si quicunque hoc fecerit, vt vxore sua dimissa, alteram ducat moechatur: sine dubio ibi sunt ambo; & qui prater, & qui propter causam fornicationis dimittit vxorem. Hoc est enim, Quicunque dimiserit; id est, omnis qui dimiserit.*

52. Confirmatur expositio ex verbis Apostoli.

Idem etiam Paulus declarat 1. Corinth. 7. cum sic ait: *Iis, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Vbi, vt rectè aduertit Augustinus libro primo de adulterinis coniugiis cap. 1. & 2. & libro de bono coniugali cap. 7. & lib. 1. de sermone Domini cap. 16. Cùm dicit Paulus, vt si discesserit, maneat innupta, aut viro suo reconcilietur: loquitur in casu propter quem licitum est vxori à viro recedere, qualis est casus fornicationis. Alioqui determinatè illi præciperet, vt ei reconciliaretur: non autem disiunctiuè, vt vel id faceret, vel maneret innupta, id est, cum viro altero coniugium non contraheret.

53.

Hanc expositionem confirmant SS. Pa-

Confirmatur ex SS. Patribus.

tres, qui eandem Christi sententiam, eodem modo interpretati sunt, vt Euaristus Papa epist. 2. vbi sic ait: *Si ut vxori non licet dimittere virum suum, vt alteri se (vivente eo) matrimonio societ, aut cum adulteret, licet fornicarius sit vir eius; sed iuxta Apostolum, aut viro suo reconciliari debet, aut manere innupta. Ita Ecclesiæ non licet dimittere Episcopum suum, aut ab eo se segregare*, &c. Et Innocentius primus, epistola tertia ad Exuperium, capite sexto. *Qui intervenientе repudio aliis se matrimonio copulârunt, adulteros esse manifestum est*, &c. *Secundum illa, quod legimus in Evangelio, Qui dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur.* Et Origen. tractatu 15. primo, in caput decimum nonum Matth. vbi diserte affirmat Episcopos aliquos, qui permiserant huiusmodi coniugium, contra Scripturam diuinam errasse. *Contra Scripturam*, inquit, *fecerunt dicentem, Mulier ligata est viro, quanto tempore vir eius vivit*, &c. Postea que respondet obiectioni, quæ fieri poterat ex verbis Christi supra relatis: affirmatque ex hac sententia Christi mœchari eum, qui dimissam ab alio propter fornicationem, ducit in matrimonium.

54. Similia habet Hermas antiquissimus Scriptor libro secundo, mandato quarto, vbi ex Domini sententia præcipit, vt vir, *dimissa fornicariâ, per se maneat. Si enim aliam duxerit, & ipse mœchatur.* Et Hieronymus epistol. 147. ad Amandum, & in epitaphio Fabiolæ epistola trigesima, ad Oceanum, aliquanto post initium, vbi Fabiolam hac de causa reprehendit, & damnat, quamuis excuset ob ignorantiam. Et Diuus Augustinus libro primo de sermone Domini in monte capite decimo quarto. *Fieri potest*, inquit, *vt vir dimittat vxorem causa fornicationis, quam Dominus excipiam esse voluit. Iam verò nec illi nubere conceditur, viuo viro, à quo recessit, neque huic alteram ducere viua vxore, quam dimisit: multò minus fas est illicita cum quibuslibet stupra committere.* Similique modo loquitur libro 1. de adulterinis coniugiis cap. 9. & 11. & lib. 2. cap. 3. & lib. 50. Homiliarum homil. 49. cap. 2. aliique Patres, quorum verba referuntur à Coccio tom. 2. libro nono, articulo tertio, & à Petro Arcudio libro septimo de Sacram. cap. 11. & sequentibus.

55. Quod ergo Christus ait Matth. 19. *Quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob causam fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur*, hunc habet sensum: Quicunque dimiserit vxorem suam, nisi propter fornicationem, mœchatur, quatenus facit eam mœchari: est enim causa vt illa in adulterium incidat, siue alii nubendo inualidè, siue aliter copiam sui faciendo: vel vt habet Marcus cap. 10. vers. 11. *adulterium committit super eam*, id est, phrasi hebraica, *contra eam*: quasi dicat, adulterium committit in præiudicium illius, & contra fidem matrimonii illi datam, habendo rem cum alia. Et si aliam duxerit, mœchatur, quatenus scilicet inualidè ducit, vnde sequitur adulterina copula. Quam expositionem, quoad posteriorem eius partem, satis confirmant alia Scripturæ loca citata, cum expositione SS. Patrum, quorum auctoritas Nouatorum temeritati long è anteponenda est. Quoad priorem verò partem traditur à Matthæo cap. 5. v. 32. vbi Christus sic ait: *Omnis qui dimiserit vxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat.*

56. Ad confirmationem obiectionis, respondeo Pharisæos Christum in hunc duntaxat modum interrogasse: *Si licet homini dimittere vxorem suam quacunque ex causa?* Matth. 19. vers. 3. & Marc. 10. vers. 2. Dimissio autem duplex est. Vna, quoad thorum, vel cohabitationem: altera, quoad dissolutionem vinculi matrimonii. Priorem Christus licitam esse dixit propter fornicationem. Posteriorem verò, à Moyse multas alias ob causas concessam, reuocauit. Quamuis ex eius verbis, prout à Matthæo concisè referuntur, id Iudæi clarè colligere nequiuerint. Neque verò necessarium erat, vt Christus Pharisæis ad tentandum accedentibus, sicut expressè dicitur locis citatis, omnia diserte, dilucidéque exponeret, quæ ab aliis, & à Paulo præcipuè 1. Corinth. 7. exposita fuerunt. Plura hac de re videri possunt apud Arcudium lib. 7. cap. 5. & pluribus sequentibus, vbi fusè, accuratéque hac de re disputat. Soluitur obiectio.

57. Ex dictis collige, vt paucis quæ dixi complectar, matrimonii vinculum, etiam post consummationem, inter infideles dissolui posse. Secus autem inter fideles: inter quos tamen ante consummationem non est penitùs insolubile, sed per professionem Religionis, aut summi Pontificis auctoritatem iustas ob causas potest dirimi. Aliud verò est loqui de vinculi solutione, & aliud de separatione coniugum quoad thorum, vel cohabitationem, quam diuortium vocant. Nam matrimonium, licet consummatum inter fideles, pati eam potest: vel ex mutuo consensu, vt si vterque coniugum perpetuam continentiam voueat, & ad Religionem transeat, aut vir ordinetur, & mulier profiteatur Religionem: aut vir profiteatur Religionem, & mulier propter ætatem cum voto continentiæ, sine suspicione, & sine incontinentiæ periculo viuat in sæculo: vt colligitur ex cap. 4. §. 6. & 18. de conuers. coniugatorum: & confirmatur exemplo sanctorum, & illo Christi oraculo Matth. 19. *Omnis qui reliquerit domum, vel agrum, vel vxorem*, &c. Vel etiam sine consensu mutuo, propter crimen fornicationis, aliasue causas, de quibus dicemus inferiùs disp. penultima. Conclusio & resolutio quæstionis.

SECTIO V.

Quo iure matrimonium sit necessariò vnius cum vna; & inducat vinculum insolubile?

58. Prima sententia quòd sit de iure naturæ.

TRes sunt præcipuè de quæstione proposita Theologorum sententiæ. Quarum prima affirmat vtrumque esse de iure naturæ. Et quidem iure naturali posse matrimonium esse tantùm vnius cum vna, nec aliter sine dispensatione diuina contrahi posse, docent cum D. Thoma Palud. Capreol. Gabr. Ricardus, Maior. & Dominic. Sot. in 4. dist. 33. Bellarm. lib. de matrim. cap. 10. §. *Quarto polygamia*: Valent. quæst. 1. de matrimonio punct. 3. Sanchez lib. 7. disp. 80. num. 8. & Mæratius disp. 5. de matrim. sect. 5. vbi ad id confirmandum his argumentis vtitur. Primò, quia Deus tum verbo, tum facto, ostendit hanc esse naturam matrimonii legitimi. Facto quidem: quando vnicam Adæ vxorem creauit, illique coniunxit: cùm æquè facilè multas creare posset, idque potiùs videretur exigere necessitas propagationis humani generis, nisi natura matrimonii repugnasset. Verbo autem, quando per os Adami dixit, *Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Vxori, inquit, non vxoribus: & duo non tres, aut plures in carne vna. Deinde in cap. *Gaudemus, de diuortiis*, Innocent. III. affirmat nulli vnquam licuisse plures simul vxores habere, nisi cui fuerit diuina reuelatione concessum. Deo scilicet dispensante in lege naturali, vel mutante quodammodo illius obiectum: vt fecit, quando Israelitis permisit auferre bona Aegyptiorum; aut Samsoni, seipsum cum inimicis occidere: quibus exemplis ibidem vtitur Innocentius, dicitque eandem ob causam exculari veteres Patriarchas ab adulterio, quæ illis excusat à furto & homicidio. Tertiò, ea est natura contractus matrimonii secundum se spectati, vt per eum vir se tradat mulieri, sicut mulier viro: sitque æqualis vtrinque traditio, iuxta illud Apostoli 1. Corinth. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Sicut ergo mulier ita se viro tradit, vt alteri simul tradendi se potestatem non habeat; & ex natura rei nullum fit matrimonium, quod cum altero attentabit: sic vir ita se donat mulieri, vt non possit se validè tradere alteri, irritusque sit, ex natura rei, eius cum alia contractus.

Probatur de vnitate.

59. Probatur de insolubilitate.

Idem quoque docent de insolubilitate matrimonii Aureolus, Couarr. Corduba, Petr. Ledesma, Aragon. De Salas, Vasq. & alii, quos citant, & sequuntur Pontius lib. 1. cap. 12. n. 7. & Mærat. disp. 6. de matrim. sect. 1. probantque his præcipuè argumentis. Primò, quia matrimonium ex natura sua est contractus amoris reciproci, ad propagationem generis humani ordinatus. Ergo ex natura sua exigit perpetuitatem: tum vt ardentior sit amor inter coniuges, & tollatur occasio dissensionum: tum vt fidelior sit bonorum administratio, & recta prolis educatio, quæ, si vinculum matrimonii solueretur, & cum alia contraheretur, sæpe incerta foret. Secundò, quia Christus hoc ipsum significauit Matth. 19. quando ex verbis Adami Spiritu sancto inspirante pronunciatis, *Propter hoc dimittet homo*, &c. collegit firmitatem & insolubilitatem matrimonii dicens: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Adamus autem verbis illis nihil aliud, quàm naturalem matrimonii conditionem expressit, eaque generaliter de omni matrimonio protulit. Christus ergò docet ex illa oriri insolubilitatem vinculi matrimonii, non autem ex positiua lege tantùm, & institutione diuina, vel ex ratione sacramenti. Idque confirmat Tridentinum initio sessionis 24. cùm ait matrimonii perpetuum, indissolubilemq; nexum primum humani generis parentem diuini Spiritus instinctu pronunciasse, cùm dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: quamobrem relinquet homo patrem*, &c. Vbi Concilium loquitur generaliter de quocunque vero matrimonio, & non tantùm de sacramentali, vt patet ex verbis sequentibus, quibus dicit Christum venerabilium sacramentorum institutorem, atque perfectorem, promeruisse nobis gratiam, quâ naturalē illū amorem perficeret, & indissolubilem vnitatē confirmaret, coniugesque sanctificaret.

60. Confirmatur ex definitione matrim.

Tertiò, hoc ipsum significat communiter recepta definitio matrimonii: Est maritalis coniunctio viri, & fœminæ indiuiduam vitæ consuetudinem retinens: quæ illi conuenit secundum naturā, & propriam rei essentiam spectato (sic enim definitiones tradi debent) non autem penes institutionem, aut legem positiuā ipsi extrinsecam. Quartò, matrimonium primorum parentum fuit ex natura sua, iureque naturali insolubile. Ergo, & quodlibet aliud. Consequentia patet, quia cætera matrimonia sunt eiusdē naturæ cum illo. Ergo habēt naturales easdem proprietates. Antecedens verò probatur ex Christi verbis suprà relatis, iuncta interpretatione Tridētini initio sessionis 24. Neque responderi potest fuisse quidem insolubile, sed speciali, & positiua Dei constitutione. Nam huius constitutionis nulla fit mētio in Scriptura, vel SS. Patribus: & ante peccatum non apparet aliud præceptū positiuum fuisse datū primis parentibus, præter illud, quo prohibebantur edere fructum arboris scientiæ boni & mali. Confirmatur ex cap. vnico *De Voto & voti redemptione*, in 6. vbi Bonif. VIII. dicit matrimonii vinculum accepisse indissolubilitatem ab ipso rerum omnium conditore, ipsum in Paradiso, & in statu innocētiæ instituente, id est, originem illi dante hoc ipso, quòd primos parentes diuersi sexus creauit, & ad contrahendum inspiratione sua mouit.

Digitized by Google

61. Et auctoritate Diui Thomæ.

Quintò, idem confirmare videtur Diuus Thomas in 4. dist. 33. q. 2. art. 1. vbi propositæ quæstioni, vtrum inseparabilitas vxoris sit de lege naturæ? respondet hunc in modum: Dicendum quòd matrimonium ex intentione naturæ ordinatur ad educationem prolis, non solùm per aliquod tempus, sed per totam vitam prolis. Vnde de lege naturæ est, quòd parentes filiis thesaurizent, & filii parentum hæredes sint: & ideo cùm proles sit commune bonum viri, & vxoris; oportet eorum societatem perpetuò permanere indiuisam secundum legis naturæ dictamen; & sic inseparabilitas matrimonii est de lege naturæ. Nec obest quòd interdum proles non sequitur ex matrimonio. Nam vt addit ibidem S. Doctor, in legibus matrimonii magis attenditur quid omnibus expediat, quam quid vni competere possit. Id est, non cessat lex generalis ob aliquem casum particularem, in quo deficit ratio, quam generaliter spectat. Sextò, contra ius naturale est facere alteri, quod tibi fieri non vis. Atqui vir nollet ita se tradere vxori, vt eam solùm acciperet ex parte, relicta illi potestate vtendi alteri. Ergo iniquè, & contra ius naturæ, vellet illi se tradere ex parte, retenta potestate ducendi aliam. Adde zelotypiam, & iurgia futura inter plures vxores, moraliter ineuitabiles propter vehementiam amoris coniugalis, vt patet exemplo sanctissimarum fœminarum Saræ, & Agar, Gen. 21. Liæ, & Rachelis, Gen. 25. Annæ, & Phenennæ, 1. Reg. 1.

62. Secunda sententia, id esse à iure positiuo diuino.

Secunda sententia præcedenti extremè opposita docet à iure tantùm positiuo diuino prouenire quòd matrimonium non nisi vnius cum vna esse possit, illiusque vinculum insolubile sit: quod ius Adamo fuit manifestatum, quando inspirante Deo dixit: *Propter hoc relinquet homo*, &c. & vsque ad tempus diluuii fuit seruatum: postea verò propter multiplicationem humani generis, præcipuéque populi Dei, seu gentis Israëliticæ relaxatum, ac demum à Christo Domino restitutum Matth. 19. Ita videntur sentire Abulensis in cap. 19. Matth. quæst. 30. & 45. Michaël Medina lib. 4. de sacrorum hominum continentia, Controuersia 1. cap. nono & decimo, & quoad primam partem de matrimonio vnius cum vna idem etiam docent (nisi quòd olim ante Christum iure diuino id prohibitum fuisse non dicunt) Durandus in 4. dist. 33. quæst. 1. num. 9. & 10. & Gerson 2. parte in regulis moralibus, vbi de matrimonio. Eorum autem præcipua argumenta hæc sunt.

63. Probatur ratione.

Primò, quia pluralitas vxorum non aduersatur primario fini matrimonii, qui est generatio, & educatio prolis; cùm vir vnus pluribus vxoribus ad id sufficere possit. Neque incompatibiliter obstat secundario, qui est cohabitatio pacifica: quia vnica rixosa plus illi obest, quàm duæ pacificæ: & cùm vir sit caput mulieris, & superior; poterit inter illas componere discordias, sicut facit inter liberos, & domesticos. Quam ob causam Diuus Augustinus lib. 1. de nuptiis cap. 9. & libro de bono viduitatis cap. 7. dicit repugnare quidem naturæ matrimonii, vt mulier pluribus viris simul nubat, quod etiam nunquam factum, aut permissum fuisse legitur: secus autem vt vir pluribus vxoribus, sicut in antiqua lege fiebat: quia vir caput est mulieris, & familiæ princeps; fœmina verò est subdita: neque repugnat in eadem familia pluralitas subditorum, sicut pluralitas principum, & dominorum. Quemadmodum in humano corpore multos esse pedes, multaque brachia non repugnat: secus autem multa capita. Et libro vigesimo secundo contra Faustum cap. 47. & 48. dicit olim, quando mos erat, non fuisse crimen habere plures vxores. Et libro 3. de Doctrina christ. cap. 12. & lib. 16. de Ciuitate cap. 38. perspicuè dicere videtur polygamiam nulla lege fuisse olim prohibitam. Adde secundò, quòd si pluralitas vxorum esset contra ius naturale, non fuisset illud ignoratum à tam multis nationibus bene excultis, apud quas in vsu fuit, vt videre est apud Tiraquellum libro 7. Connubialium numero 16. & Alexandrum ab Alexandro lib. 1. dierum Genialium cap. 24. Et si potest vxor permittere marito vt se totum Religioni tradat, & in ea profiteatur: cur non etiam vt se tradat ex parte alteri mulieri, spectato solo iure naturali? Si enim potest ex toto cedere iure suo: cur non etiam ex parte.

Confirmatur.

64.

Quod verò attinet ad solutionem vinculi, non apparet cur ex sola rei natura solui nequeat propter impedimentum perpetuum superueniens, vt impotentiam perpetuam morbo contractam: præsertim si proles nondum suscepta sit. Multóque minùs ex sola rei natura est, quod sit solubile matrimonium ratum per Professionem religiosam, & sum mi Pontificis auctoritatem in certis casibus: infidelium autem matrimonium, etiam consummatum, soluatur per alterius conuersionem ad fidem christianam: aliâ verò nullâ de causâ solui possit. Et denique ius illud naturale non fuisset ignotum tam multis nationibus excultis, apud quas permissum fuit repudium: vt de Romanis testantur Sanctus Augustinus lib. de fide & operib. cap. 7. & Aulus Gellius lib. 4. Noct. Attic. cap. 3. & Valer. Maximus libro sexto, cap. 3. & de Cretensib. idem testatur Arist. lib. 2. Politic. cap. 8. & de Athenien sibus Alexander ab Alexandro lib. 1. Genialium dierum cap. 8.

65. Tertia sententia,

Tertia sententia, quæ probabilior esse mihi videtur, est media inter præcedentes, quam proponit Aegidius Coninck disputat. 26. dubitat. 2. numero 16. Et vt distinctiùs explicetur, Suppono cum eodem auctore, tripliciter posse dici aliquid esse contra ius naturale. Primò, physicè, & secundum se spectatum: quia nimirum ex sua natura & intrinsecè illi repugnat, siue eo solo quòd est talis actus physicè

& eſſentialiter : cuiuſmodi eſt odium Dei, blaſphemia contemptus virtutis, & ſimilia. Secundò, quod licet phyſicè, & ſecundum eſſentiam dumtaxat ſpectatum non repugnet iuri naturali, tamen repugnat in his circunſtantiis, neque licitum eſſe poteſt ſine aliqua earum mutatione phyſica, vel morali. Quo pacto actus ſurripiendi alienum Domino rationabiliter inuito, repugnat iuri naturali : ſecus autem ſi conſentiat, vel non ſit rationabiliter inuitus : vt in caſu, quo Deus ſupremus omnium Dominus daret facultatem accipiendi. Tertiò, quod minùs conſentaneum eſt naturæ rerum, ob incommoda, quæ ex eo ſequuntur, aut quibus ſolet eſſe coniunctum : vnde fit, vt conformiter rei naturæ, & fini eius naturali, aliter faciendũ ſit : quamuis illa patiatur abſolutè ita fieri, ſed minùs conuenienter. Sic bona gubernatio reip. poſtulat vnum, aut paucos de prudentioribus eius regimini præfici ; ac niſi id fiat, patitur derrimentum : ita nihilominus, vt ſi aliquis minùs prudens eligatur, electio non ſit inualida.

66. Eſt aliquatenus à iure naturali.

Hac diſtinctione præſuppoſita, dico primò polygamiam, & ſolubilitatem vinculi matrimonii non eſſe contra ius naturale primo modo. Probatur, quia quod eſt eiuſmodi, nunquam poteſt licitè fieri ſcienter, & liberè : neque Deus poteſt ſuper eo diſpenſare, niſi mutando rerum eſſentias ; quod eſt impoſſibile. Atqui polygamia, & diſſolutio vinculi fuit olim licita tempore legis naturæ, & Moſaicæ, Deo ſaltem ſuper eo diſpenſante, vt oſtendimus ſect. præcedenti, ergo, &c.

Sed non omni modo.

Dico ſecundò, polygamiam, & diſſolutionem matrimonii eſſe contra ius naturale ſecundo modo, ſuppoſita Dei conſtitutione illam irritante, & in iis caſibus, quibus irritam eſſe ſtatuit. Probatur, quia homines non ſunt propriè & abſolute aut plenè domini ſuorum corporum, ſed velut vſufructuarii : dominium enim illorum propriè plenè & abſolutè penes Deum eſt. Neque habent poteſtatem validè illud tradendi, contra quàm ipſis à Deo conceſſum fuit. Vnde ſicut contra ius naturæ facit, qui tradit rem alienã Domino ipſius rationabiliter inuito, & ſine poteſtate facta à Deo, vel ab alio habẽte ius de eo diſponendi contra voluntatem domini : ita & qui tradit corpus ſuum alteri eo modo, quo non habet à Deo tradendi poteſtatem. Vnde etiam fit, vt eiuſmodi traditio ſit iure naturali irrita in tali circũſtantia. Ergo poſtquam Deus abſtulit poteſtatem viro tradendi corpus ſuum pluribus vxoribus, ſiue priore retenta, ſiue dimiſſa : peccat contra ius naturæ, & nihil facit, ſi id attentat. Idemque dicendum eſt, ſi habet tantùm poteſtatem tradendi vni irreuocabiliter, exceptis certis caſibus, de quibus diximus ſectione præcedenti. Neque enim minùs irrita eſt reuocatio iure ipſo naturali, quotieſcunque fit ſine poteſtate reuocandi.

Dico tertiò, polygamiam, & diſſolutionem matrimonii eſſe contra ius naturale tertio modo, ita ſcilicet, vt minùs ſit conueniens naturæ & fini matrimonii ; non tamen repugnet incompatibiliter ſpectato ſolo iure naturali, & ſemota Dei conſtitutione, Adæ manifeſtata, atque aliquandiu ſeruata, & poſt longam interruptionem à Chriſto reſtituta. Prima pars huius aſſertionis ſatis liquet ex iis quæ in fauorem primæ ſententiæ dicta ſunt. Secunda verò probatur rationibus in fauorem ſecundæ allatis. Quibus adde contingere interdum, vt vxor primò ducta ſit ſterilis, vel morbo ſuperueniente fiat impotens in perpetuum, ad debitum reddendum, vel in amentiam, & furorem perpetuum incidat. Quo in caſu nulla appareret ratio cur ſecundum matrimonium iure ſolo naturali ſit irritum, aut repudium iſtius, ſeu diſſolutio vinculi cum ea contracti. Tunc certè matrimonium cum ſecunda contractum, vel diſſolutio vinculi cum prima non repugnat fini primario matrimonii, qui eſt generatio, & educatio prolis : cum ſupponamus nullam fuiſſe ſuſceptam, nec ſuſcipi poſſe ex vxore primò ducta. Sed neque etiam repugnat fini ſecundario, id eſt, pacificæ cohabitationi, quando per furorem perpetuum vxor primò ducta fit illius incapax. Neque verò quidquid repugnat fini primario, aut ſecundario matrimonii, facit illud eſſe inualidum. Alioqui non valeret cum ſterili, vel cum muliere rixoſa, moroſa, & difficili, cum qua moraliter impoſſibile eſt habitare pacificè.

67. Neque ſit repugnans ſed incompatibilis.

Nec ſatisfacit quod reſpondet aduerſarii, legem non attendere ad hos caſus particulares, & propter illos non deſinere obligare. Nam vt rectè ait Aegidius Con. diſputatione vigeſima ſexta, dubitat. ſecunda, numero vigeſimo primo. Verum id quidem eſt de lege poſitiua, in qua voluntas legiſlatoris eſt immediata ratio obligandi. Vult enim ille ſuam legem ſeruari, quamuis in aliquo caſu ceſſet ratio, quæ ad legem ferendam eum mouit : ne alioqui maxima pars hominum ex temeritate, vel ex imprudentia ſibi perſuadeat eam ceſſare hîc & nunc : cuius imprudentiæ, & temeritatis periculum debet vitare propter bonum regimen communitatis. At in lege naturali tota ratio obligationis eſt conuenientia, vel diſconuenientia obiecti cum natura rationali : quæ ſi omnino ceſſat hîc & nunc, ceſſat pariter tota ratio legis & omnis obligatio. Multò minùs verò à ſolo iure naturali prouenire poteſt, quòd matrimonium ratum tantùm diſſolui poſſit inter Chriſtianos per Profeſſionẽ religioſam, aut per Summi Pontificis auctoritatem in quibuſdam caſibus : ſecus autem conſummatum. Et matrimonium infidelium, etiam conſummatum, diſſoluatur per conuerſionem alterius coniugum ad fidem ; non

68. Differẽtia inter legẽ nat. & poſit. quoad caſus particulares.

autem in vllo alio casu. Cùm tamen natura horum matrimoniorum eadem sit, quæ aliorum indissolubilium. Omnia, inquam, matrimonia fidelium, & infidelium, naturaliter spectata in ratione contractus ciuilis, sint eiusdem naturæ inter se: similiterque omnia matrimonia sacramentalia christianorum, siue consummata, siue rata dumtaxat. Et non desunt alii casus, in quibus spectatâ solâ rei naturâ par videatur esse ratio dissoluendi. Sane D. August. in lib. de bono coniugali, aliisque locis nunquam refert insolubilitatem matrimonii consummati inter Christianos, ad naturam rei, sed ad significationem coniunctionis inter Christum, & Ecclesiam per Incarnationem, in qua verbum & homo facti sunt vna caro. Sicut mas, & fœmina fiunt per copulam duo in carne vna. Quam significationem conuenire matrimonio ex institutione Dei positiua manifestum est.

69. Soluuntur argum. cõtraria pro vnitate.

Atque ex his facile est respondere argumentis primæ sententiæ, quatenus nobis obsunt. Ad primum ergo, propositum num. 58. pro vnitate matrimonii, respondeo Deum ita fecisse circa primos parentes, quia id naturæ matrimonii conuenientius est. Ad secundum, dico Innocentium ita loqui, quia suppositâ Dei constitutione primò parenti manifestatâ, per se illicita fuit polygamia, donec Deus dispensauit, iuxta ea quæ diximus conclusione 2. Ad tertium respondeo, esse quidem conuenientius naturæ matrimonii, vt vir ita se tradat mulieri, atque ita fieri in lege euangelica: & Paulum de eo loqui quod tunc fiebat: sed non negare posse absolutè se tradere ex parte, & non posse mulierem cedere parte aliqua iuris sui: vt omittam quod ait Scot. in 4. dist. 33. q. 1. a. 1. plus valere corpus viri in ordine ad matrimonium, quam corpus mulieris: ideòque non fieri contra iustitiam & æqualitatem, tametsi vir non tradat corpus suum vnicæ coniugi.

Ad alia n. 59. allata pro insolubilitate; dicendũ est primum nihil amplius probare, quàm id esse magis conueniens fini matrimonii. Christus verò non expressit solam eius naturam, sed primam Dei constitutionem restituit, quam Adamus Spiritus sancti illustratione priùs agnouit, & enunciauit verbis à Christo repetitis, tanquam à Deo ipso prolatis, eò quòd speciali eius motu, & inspiratione Adam ea protulerat. Non fuisset autem opus Dei inspiratione, & luce speciali, si naturam tantùm matrimonii explicasset, quam certè non minùs, ac res alias naturales agnoscebat. Tridentinum quoque nihil amplius dicit. Et matrimonii definitio intelligenda est de insolubilitate quantum est ex sola potestate, vel consensu ipsorum contrahentium, & sine alia causa grauissima, & superiori potestate. Fatemur enim contractum matrimonii esse eatenus firmiorem ex natura sua aliis contractibus humanis, qui possunt ad libitum contrahentium, simul consentientium priuata eorum potestate dissolui. Nam hoc saltem exigere videtur natura contractus de re tanti momenti, propter materiæ grauitatem, & frequentia ingentiaque incommoda, quæ sequerentur, si illius solutio permissa esset priuatæ contrahentium potestati & arbitrio, sine causa grauissima, quæ per iudicium superioris potestatis declaretur subesse, & sufficere. Idque apud nationes bene excultas obseruatum fuisse veluti necessarium ad validum & legitimum repudium, par est credere. Vt de Iudæis affirmat D. Augustinus verbis inferiùs referendis num. 91. Quòd si aliquid amplius sibi velit definitio matrimonii allata in obiectione, dicendum est illam dari de matrimonio spectato secundum primam eius institutionem à Christo restitutam, & qualis nunc in vsu est, validéque fieri debet. Quale etiam fuit matrimonium primorum parentum, vt Scriptura, & Tridentinum, & Bonifacius VIII. significant locis citatis in quarto argumento.

70. Cur Scripturæ non expressit hoc ius diuinum.

Nec obest quòd huius constitutionis diuinæ nulla fit mentio in Scriptura. Quia neque etiam fit mentio permissionis datæ Abrahamo circa polygamiam, & aliis antiquis Patribus: de qua tamen aduersarii non dubitant. Nimirum quia, vt recte ait S. Thom. in 4. dist. 33. q. 1. art. 2. ad 3. Qualis est lex, talis est dispensatio legis: & quia lex naturæ non est literis scripta, sed cordibus impressa; propter hoc non oportuit dispensationem eorum, quæ ad legem naturæ pertinent, lege scriptâ dari, sed per internam inspirationem fieri. Hæc D. Thomas, quæ facilè possunt applicari constitutioni, de qua loquimur, primo parenti manifestatæ. Alter verò locus D. Thomæ relatus in quinto argumento, intelligendus est, quòd solubilitas matrimonii sit contra ius naturæ modo explicato in tertia conclusione, id est, minùs eius fini conueniens. Denique non est contra ius naturæ, nolle vt tibi fiat, quod alteri fieri vis, quando tui, & alterius dispar est conditio, sicut esse inter virum, & mulierem, quoad pluralitatem, ostendimus ratione, & auctoriate D. Augustini num. 63. Quanquam neque adeo repugnat mulierem pluribus simul nubere, vt Deus absolutè id permittere nequeat, & incommoda, quæ sequerentur, auertere: vt bene docet Sanchez lib. 7. disp. 80. num. 15. & Aegid. in fine dubii supra citati. Reliqua argumenta in fauorem opinionis secundæ adducta nobis non aduersantur, sed potiùs confirmant quæ diximus in tertia assertione.

Digitized by Google

SECTIO VI.

Soluuntur aliquæ dubitationes circa insolubilitatem matrimonii.

71. Prima dubitatio.

CIrca ea quæ diximus de insolubilitate matrimonii supereſt quærere 1. vtrum ſicut matrimonium infidelium, ſoluitur quoad vinculum, altero eorum conuerſo ad fidem, & dimittente coniugem nolentem pacificè, & ſine contumelia creatoris habitare cum illo: ita ſolui poſſit matrimonium fidelium altero coniugum lapſo in infidelitatem, & nolente habitare cum fideli ſine contumelia creatoris. Ratio dubitandi eſt, quia cùm hæc facultas ſit conceſſa infidelibus conuerſis, in gratiam fidei, ne cogantur aut perpetuò cœlibes viuere poſt conuerſionem, aut habitare cum coniuge ſcandaloſo, & conante ad infidelitatẽ pertrahere: par videtur eſſe ratio, quando alter fiderium labitur in infidelitatem, & pari conatu alterum ſecum trahere vult, neque minus moleſtiæ, aut periculi ab eo timetur.

72. Lapſus fidelis in hæreſim non ſoluit matrimoniũ.

Certum tamen eſt id minimè fieri poſſe, vt definit Tridentinum ſeſſ. 24. can. 5. his verbis: *Si quis dixerit propter hæreſim, aut moleſtam cohabitationem &c. diſſolui poſſe matrimonii vinculum, anathema ſit.* Idemque antea declarauerat Innocentius III. cap. *Quanto, de Diuortiis.* Vbi, poſtquam dixit de infidelibus, id eſt, non baptizatis, ſi alter coniugum infidelium ad fidem catholicam conuertatur altero vel nullo modo, vel non ſine blaſphemia diuini nominis, vel vt eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohitare volenti: eum qui relinquitur, ad ſecunda, ſi voluerit, vota tranſire poſſe: & in hoc caſu intelligendum eſſe quod ait Apoſtolus, *Si infidelis diſcedit, diſcedat: frater enim, vel ſoror non eſt ſeruituti ſubiectus in huiuſmodi:* Addit de fidelibus, *Siverò alter fidelium coniugum, vel labatur in hæreſim, vel tranſeat ad gentilitatis errorem, non credimus, quòd in hoc caſu is, qui relinquitur, viuente altero, poſſit adſecundas nuptias conuolare: licet in hoc caſu maior appareat contumelia Creatoris,*

73. Probatur ratione.

Ratio huius diuerſæ conſtitutionis hæc redditur ibidem ab Innocentio. Quia, inquit, *Etſi matrimonium verum inter infideles exiſtat, non tamen eſt ratum. Inter fideles autem verum, & ratum exiſtit: quia ſacramentum fidei, quod ſemel eſt admiſſum, nunquam amittitur, ſed ratum efficit coniugii ſacramentum, vt ipſum in coniugibus, illo durante, perduret.* In quibus verbis *per ſacramentum fidei*, intelligit Baptiſmum, qui eſt prima ſolemnis fidei chriſtianæ profeſſio: non autem, vt falsò quidam exiſtimant, ipſum matrimonium: quod apertè diſtinguit ab illo, & paulò poſt vocat *coniugii ſacramentum*: dicitque illius virtute fieri, aut intuitu, & reuerentiâ, vt matrimonium fidelium, hoc eſt, baptizatorum, ſit indiſſolubile. Itaque non in gratiam fidei dumtaxat ſic à Chriſto inſtitutum fuit, ſed intuitu ſacramenti Baptiſmi. Altera eius ratio reddi poteſt, quia quando vnus coniugum infidelium ad fidem conuertitur, ſuſcipitque Baptiſmum; altera verò pars renuit idem facere, neque vult pacificè cohabitare: Eccleſia, quæ non habet poteſtatem circa infideles, non poteſt eam cogere cenſuris, & pœnis ad cohabitandum pacificè, & coniugi læſo efficaciter ſuccurrere. Ex quo fit, vt niſi ſolueretur vinculum matrimonii cum illa contracti, deberet conuerſus, vel manere perpetuò in ſtatu cœlibatus, vel pati rixas perpetuas, & continua ſcandala, periculumque ſubire fidei amittendæ. Quod incommodum grauiſſimum eſt, multoſque ſine dubio à ſuſcipienda fide chriſtiana retardaret, niſi Chriſtus illi prouidiſſet. Secus autem eſt de coniuge baptizato in hæreſim, aut gentiliſmum prolapſo. Nam ratione Baptiſmi, & characteris, qui eſt indelebilis, manet ſemper Eccleſiæ legibus ſubiectus, & ab illa compelli & puniri poteſt, etiam morte corporali, niſi ad frugem redeat. Ex quo patet ſolutio rationis dubitandi propoſitæ num. 71. Nec obeſt quòd in caſu aliquo poterit lapſus in infidelitatem tã longè fugere, vel aliter ſibi cauere, vt per iudices eccleſiaſticos compelli, aut puniri nequeat. Nam vt dixi ſect. præcedenti, lex poſitiua non ceſſat obligare propter huiuſmodi caſus particulares, in quibus deficit eius motiuum, ſeu ratio propter quam lata fuit.

74. Secunda dubitatio An ſoluatur ſi alter infidelium nolit conuerti?

Quæritur 2. ſitne ſolubile vinculum infidelis conuerſi ad fidem Chriſtianam, cum infideli nolente conuerti, ſed tamen volente cohabitare pacificè, ita ſcilicet, vt liceat alteri ad fidem conuerſo matrimonium diſſoluere, & aliud inire? Negant plerique. Primò, quia, ratio proximè allata non habet locum in hoc caſu. Secundò, quia in cap. *Gaudemus, de Diuortiis*, expreſsè dicitur coniugem ad fidem Chriſti conuerſum non poſſe aliam vxorem ducere, deſerendo priorem, *niſi poſt* conuerſionem ipſius illa renuat cohabitare cum ipſo, aut etiamſi conſentiat, non tamen abſque contumelia creatoris, vel vt eum pertrahat ad mortale peccatum: quia ſecundum Apoſtolum, frater, aut ſoror non eſt in huiuſmodi ſubiectus ſeruituti. Et cap. *Quanto, eod. tit.* exprimũtur tantùm hi duo caſus, in quibus liceat conuerſo ad ſecundum, ſi voluerit, tranſire matrimonium: *Si alter infidelium coniugum ad fidem catholicã conuertatur, altero, vel nullo modo, vel non ſine blaſphemia diuini nominis, vel vt eũ pertrahat ad mortale peccatũ, ei cohabitare volenti.* Ergo non id poteſt, ſi alter vult pacificè, & ſine ſcandalo cohabitare. Nimirum, quia Chriſtus hoc priuilegium non conceſſit niſi in gratiam fidei, quæ tunc non periclitatur, quando alter conſentit pacificè cohabitare. Atque ita ſentiunt imprimis D. Thom. in 4. diſt. 39. q. vnica art. 5. & Magiſter ead. diſt. lit. G. affirmantes

Digitized by Google

coniugē conuersum posse quidem alterum nolentem conuerti, licet volentem pacificè cohabitare, deserere, si velit: non tamen ita vt possit aliam ducere. Idem etiam docent Ricard. ad eandem dist. art. 2. quæst. 2. Durand. quæst. 3. num. 12. S. Antonin. Abulens. Ruard. Tapper, Ledesma, Toletus, & alii relati à Sanche lib. 7. disp. 74. num. 8.

75. Alii, quibus ipse adhæret num. 9. vtuntur distinctione. Vel enim licet fideli conuerso cohabitare cum infideli nolente conuerti, volente tamen pacificè viuere: vel non: putà, quia lege aliqua ecclesiastica, vel ciuili id prohibitum est. Si primum: non potest ad alterum matrimonium conuolare, propter rationes modò allatas. Si secundum: potest, quia alioqui cogeretur cœlibem vitam perpetuò ducere, vel continuò peccare. Vnde concludunt sex primis Ecclesiæ sæculis, quibus permittebat Ecclesia fidelibus conuersis habitare cum coniugibus infidelibus non scandalosis, propter spem eos conuertendi: minimè potuisse ipsos dissoluere vinculum prioris matrimonii: secus autem deinceps, postquam à Concilio Toletano IV. cap. 61. statutum fuit, vt Iudæi vxores christianas habentes, separentur ab illis, nisi ab Episcopo moniti conuertantur: & deinceps aliis locis idem circa alios infideles, vel statutum, vel vsu vim legis habente receptum est: vt infidelis deseratur, nisi velit conuerti. Ita cum Sanche opinantur Domin. Sot. in 4. dist. 39. q. vnica art. 4. versu *Est tamen hic*, & quidam alii.

76. Affirmatur id sufficere. Sed melius Bellarm. lib. de matrim. cap. 12. ad secundum, in fine, & Aegid. Con. disp. 26. dub. 5. num. 61. post Diuum August. lib. 1. de adulterinis coniugiis cap. 13. & 18. affirmant generaliter solui posse, etiam in eo casu, quo coniux manens in infidelitate, vult cohabitare pacificè. Quia Apostolus 1. Corinth. 7. v. 12. consulit tantùm ne fidelis tunc dimittat vxorem infidelem, aut vxor maritum, propter spem conuersionis eius, & liberorum; significatque id non esse à Deo præceptum, sed tantùm esse melius, & consultius. *Cæteris*, inquit, *ego dico, non Dominus. Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum* &c. Loquitur autem de eadem dimissione seu discessione, de qua paulò post v. 5. subiungit, *Quod si infidelis discedit, discedat: non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi*: id est, de dimissione quâ fiat liber à iugo, & seruitate vinculi matrimonii. Neque enim dicit aliam esse potestatem discedendi in casu quo infidelis discedit, & aliam in casu quo manere quidem vult, at renuit conuerti: sed de eadem potestate, & discessione loquens, dicit in primo casu illam esse fideli conuerso necessariam: in secundo melius, & consultius fore, vt non discedat, seque ad illud hortari, quamuis Christus id non præcipiat.

77. Soluuntur argum. contraria. Ad primum argumentum primæ sententiæ, respondeo priuilegium istud non esse tantùm à Christo concessum, ne fides periclitetur; sed vt ne fideles cogãtur inuiti trahere iugum cũ infidelibus. Ad secundum dico cum Aegidio supra citato, aliquam esse contumeliam creatoris velle permanere in infidelitate, habitando cum coniuge conuerso, & vel illi, vel liberis fidelibus præesse, & dominari. Vnde hæc pro eodem sumit Innocentius III. capitibus citatis: opponitque inter se, tanquam membra adæquatè diuidentia, ista duo: Infidelem velle se conuertere, & Infidelem nolle habitare cum conuerso sine contumelia creatoris. Ad tertium argumentum pro secunda opinione adductum respondeo Concilium Toletanum esse tantùm Prouinciale, & id solùm statuisse de Iudæis ob maiorem eorum obstinationem: & odiũ christianæ religionis, scandalis sine dubio frequentibus iunctum: & adhuc requirere monitionem, & sententiam Episcopi. De aliis verò nullum extat tale præceptum, & generalis prohibitio Ecclesiæ, vt fusè ostendit Mæratius disp. 6. de matrim. sect. 6. Sed quamuis esset, illa potiùs nobis faueret. Nam si non posset dissolui vinculum matrimonii, quando infidelis vult pacificè cohabitare cum fideli conuerso, Ecclesia non posset præcipere vt separarentur, & dare facultatem ineundi aliud matrimonium: quia non posset derogare præcepto naturali, & diuino, quo tenerentur simul habitare: quamdiu volunt, & possunt sine scandalo, alioue incommodo nato ex ipsa cohabitatione: neque habet ius dissoluendi matrimonia infidelium: vel dandi illis, aut aliis facultatem vt plures simul vxores habeant.

78. Tertia dubitatio, Quando dissoluatur hoc matr. Quæritur tertiò, quo tempore soluatur matrimonium fidelis conuersi cum infideli nolente conuerti? Dicunt aliqui dissolui statim atque ille conuertitur, si alter nolit cohabitare pacificè. Ita Hostiensis, Abbas, Præpositus, Astensis, Angelus, Altisiodorens. & alii à Sanche relati lib. 7. disp. 75. num. 3. Vel vt alii malunt, quando elapso termino, auctoritate Ecclesiæ præfixo, non vult infidelis conuerti, neque pacificè cohabitare. Sed communior, & vera sententia docet non dissolui, nisi quando conuersus ipsa contrahit aliud matrimonium: ita vt vnum definat inceptione alterius, cùm ambo simul consistere non possint. Probatur efficaciter ex cap. *Gaudemus*, *de Diuortiis*, vbi Innocentius III. respondet, Si coniux infidelis conuertatur ad fidem priusquam fidelis conuersus aliud matrimonium inierit, compellendum esse istum, vt compartem recipiat. Non esset autem compellendus si matrimonium in ipsa conuersione dissolutum fuisset: Iam enim coniux illius non esset. Verum vt perspicuè significat Summus Pon-

Digitized by Google

tifex verbis relatis, non priùs talis esse desinit, quàm conuersus nouum contrahat matrimonium.

79. Idem etiam diserte affirmat S. Thom. in 4. dist. 39. q. vnica art. 5. ad 2. his verbis: Dicendum quòd crimen vxoris nolentis cohabitare sine contumelia creatoris, absoluit virum à seruitute, quâ tenebatur vxori, vt non posset eâ viuente aliam ducere. Sed nondum soluit matrimonium: quia si blasphema illa conuerteretur, antequam ille aliud matrimonium contraheret, redderetur ei vir suus. Sed soluitur per matrimonium sequens, ad quod peruenire non posset vir fidelis non solutus à seruitute vxoris per culpam eius. Hucusque D. Thom. Sicut igitur soluitur matrimonium ratum Christianorum per professionem in Religione approbata, & non priùs; vno alterum quasi formaliter destruente: sic prius matrimonium cessat eodem instanti, quo secundum validè contrahitur. Nec obest quod auctores contrariæ sententiæ obiiciunt ex Ambrosio in caput 7. epist. 1. ad Corinth. *Contumelia creatoris soluit ius matrimonii circa eum, qui relinquitur.* Sensus enim est soluere cautaliter, vel occasionaliter: id est, dare ius, & potestatem conuerso dissoluendi: non autem quòd formaliter, eo ipso dissoluat.

80. Quando potest fidelis aut infid. contrahere cum alio?

Hinc collige primò infidelem contrahere inualidè cùm alio, priusquam fidelis ad alias nuptias conuolarit: quia vinculum cum fideli conuerso non dissoluitur per matrimonium infidelis, in cuius gratiam non fuit concessum hoc priuilegium: manente autē illo vinculo, non potest validè contrahere cum alio. Secus autem postquam fidelis aliud matrimonium contraxit: quia iam vinculum prioris solutum est, neque potest vnum ligare sine altero. Quodque dicunt aliqui, secundas nuptias esse nihilominus prohibitas coniugi infideli, caret omni fundamento, quia nullibi extat hæc prohibitio, neque potest ab Ecclesia fieri infidelibus, qui non subsunt eius iurisdictioni. Collige 2. si infidelis conuertatur antequam fidelis secundò contrahat, non esse opus nouo consensu ad matrimoniū præcedens instaurandum, aut confirmandum: quia nondum cessauit, neque diminutionem passum est. Quod si incidat in adulterium ante, vel post suam conuersionem; fidelis innocens potest quidem ab eo diuertere propter adulterium: sed non potest inire aliud matrimonium post eius conuersionem: quia cessauit infidelitas, & causa dissoluendi vinculum prioris coniugii. Collige tertiò, si post secundum matrimonium à fideli initum, contingat priorem eius vxorem conuerti, & secundam mori: non tenebitur ille ad primā redire: non magis quàm maritus qui à mortuis resurgeret, teneretur vxorē suā resumere. Quia in vtroque casu extincto fuit vinculum matrimonii, & eo extincto nulla manet obligatio cohabitandi, vel inundi coniugium inter se.

Collige quartò, fidelem conuersum non posse, neque debere secundas nuptias inire: nisi postquam illi constat de pertinacia vxoris nolentis conuerti, quæ sola dat illi ius resiliendi à vinculo prioris matrimoni, aliud contrahendo. Quare priùs debet moneri, si fieri potest, & inuitari ad fidem: ac si tempus ad deliberandum postulet, debet concedi. Idemque sentiendum est, si coniux conuersus vellet suscipere sacros ordines, vel profiteri in Religione approbata: quia tunc infidelis non minùs priuatur suo iure, quàm per secundum matrimonium coniugis fidelis: imò etiam magis, vt mox dicemus. Excipe tamē casum, quo pertinacia infidelis esset manifesta, frustráq; moneretur, aut expectaretur: aut quo monitio esset valde difficilis, & moraliter impossibilis, quia nō potest cōueniri impræsēs infidelis, neq; spes est conueniendi intra tēpus notabile. Quā ob causam Pius V. definiuit cōuersos in India Occidentali, nescientes quid actum esset de coniuge relicto in infidelitate, posse persistere in matrimonio quod post conuersionem contraxerant. Et Gregor. XIII. idem concessit pro Angolanis, Aethiopibus, Brasilienſibus, & aliis Indorum nationibus: cuius concessionis literas refert Basil. Pont. lib. 7. de matrimonio cap. 48. num. 23.

81.

Quæritur quartò, an possit aliter solui vinculum coniugale prædictorum infidelium, quàm per secundum matrimonium à fideli initum. Affirmant aliqui solui etiam per susceptionem sacrorum Ordinum, & Professionem in Religione approbata. Sic enim de priori docent Bonauent. in 4. dist. 39. art. 2. q. 2. & Ouandus ibid. disp. vnica in fine. De posteriori verò idem Bonauent. loco cit. Ricard. ad eandem dist. 39. art. 2. quæst. 3. Sotus quæst. vnica art. 4. §. *Sed alia hic quæstio*, Henriq. lib. 11. cap. 8. n. 5. Sanch. lib. 7. disp. 76. num. 9. Mærat. disp. 6. de matrim. §. *Secunda quæstio est*, & alii, quos isti referunt. Ratio primæ partis est, quia status Ordinis sacri repugnat priori coniugio, & priuat coniugem relictam iure cohabitandi tametsi conuertatur ad fidem. Posteriorem verò probant, quia matrimoniū consummatum infidelium minùs firmum est, quàm matrimonium ratum dumtaxat Christianorum, vt dicitur cap. *Quanto*, *de Diuortiis*. Ergo si matrimonium ratum Christianorum dissoluitur per Professionem religiosam vnius coniugum, multò magis matrimonium infidelium licet consummatum. Qui enim potest plus, potest vtique quod est minus in eadem specie: & si Professio religiosa tollit vinculum firmius, nulla est ratio existimandi nō dissoluere infirmius. Cōfirmatur, quia matrimonium consummatum prædictorum infidelium soluitur per matrimonium fidelis conuersi cum alio, licet ratum dumtaxat, & nondum consummatum. Ergo ma-

82. Soluatur ne aliter matrim. infidelium?

trimonium ratum Christianorum est fortius matrimonio consummato infidelium, quandoquidem illud vincit. Ergo si Professio religiosa dissoluit matrimonium ratum christianorum, debet à fortiori dissoluere matrimonium infidelium, licet consummatum: quia vincit victorem istius.

83. Non soluitur per ordine sacrũ aut professione religiosa, nisi ante consummationem.

Contrarium censeo dicendum cum Aegidio disp. 26. dub. 5. num. 65. quia neque ordo sacer, neque professio religiosa, habet ex natura sua, quod soluat vinculum matrimonii, cum quo non est incompatibile naturaliter: quodque ordo sacer ipsa non tollit. Professio autem religiosa tollit solùm ex priuilegio, idque non nisi ante consummationem: vt expressè habetur in titulo de conuersione coniugatorum cap. *Verum*, cap. *Raparte*, & cap. *Ex publico*. Huiusmodi verò priuilegium nullum extat, neque profertur ab aduersariis pro matrimonio infidelium, sed illi solùm id inferunt per argumentum à pari, vel à fortiori: quod argumentandi genus parum habet roboris in hac, & similibus materiis: quia in singularibus priuilegiis, quæ à iure communi exorbitant, non valet talis illatio. Sunt enim illa intelligenda vt sonant, & non tam ratione, quàm voluntate superioris nituntur, qui potest vnum concedere, & non aliud, quamuis par, aut minus. Adde quòd longè dispar est ratio: quia priuilegium dissolutionis matrimonii infidelium datum est in fauorem fidelis conuersi, ne perpetuò cogatur manere cœlebs, vel habitare cum infideli nonsine aliqua contumelia creatoris, vel etiam cum scandalo. Quæ ratio cessat postquam fidelis conuersus, suscipiendo sacrum ordinem, aut profitendo in Religione approbata, renunciauit in perpetuum iuri habitandi cum vxore. Quare priuilegium, vt nihilominus in eo casu solueretur matrimonium propter alterius infidelitatem, cederet omnino in fauorem, & commodum infidelis. Nec obstat quòd contingere potest, vt coniux infidelis postea conuertatur, quæ tunc subibit vnum ex prædictis incommodis. Nam vt recte ait D. Thom. in 4. dist. 39. quæst. vnica a. 5. ad 4. *Si postquam vir sacros ordines accepit vxor conuertatur, non est propterea reddendus ipsi viro suo: sed debet sibi imputare in poenam tardæ conuersionis, quòd viro suo priuatur.* Idemque dicendum si conuertatur post religiosam Professionem alterius. Ex his autem facilè patet quid argumentis pro contraria sententia allatis respondendum sit.

SECTIO VII.

An & quando solueretur matrimonii vinculum inter Iudæos per libellum repudii?

84. Affirmant aliqui non fuisse verè solutum.

Circa primum: Existimant plerique vinculum matrimonii non fuisse solutum per libellum repudii inter Iudæos: ac ne illum quidem fuisse licitum, sed tantùm permissum, hoc est, toleratum, & non punitum, ad vitandum maius malum, nempe vxoricidium, ad quod valde proclives erant Iudæi. Quod significatum fuisse à Christo dicunt Matt. 19. v. 7. & 8. quando Pharisæis sibi obiicientibus, *Quid ergo Moyses mandauit nobis dare libellum repudii, & dimittere?* respondit hunc in modum: *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras. Ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Quibus verbis indicauit Christus libellum repudii non excusasse Iudæos ab adulterio, si fœmina repudiata alteri copularetur, præcenso licet matrimonio: quia scilicet manebat adhuc vinculum prioris coniugii, quo durante non poterat validè nubere alteri.

Probatur ex Scrip.

Addunt id etiam constare ex ipsa concessione facta à Moyse dandi libellum repudii, quæ habetur Deuteron. 24. v. 1. & seqq. & sic habet: *Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam foeditatẽ, scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. Cum ue egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiserit de domo sua, vel certè mortuus fuerit: non poterit prior maritus recipere eam in vxorẽ: quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino.* Circa quæ postrema verba notant non alia de causa potuisse dici generaliter quancumque repudiatam, alteri nubentem, fieri pollutam, & abominabilem coram Domino, nisi quia secundę illius nuptiæ nõ erant verę, & legitimæ. Addunt etiam illud Ieremiæ 3. v. 1. *Vulgò dicitur, si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo duxerit alterum: nunquid reuertetur ad eam vltra? nunquid non polluta, & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te.* Quibus postremis verbis apertè significatur non solum fuisse pollutã nubendo alteri, sed etiam fornicariam: id enim postulat comparatio ibi à Deo facta. Atque ita sentiunt D. Hieronym. lib. 1. comment. in c. 5. Matth. v. 31. & lib. 3. in c. 19. v. 8. Glossa in cap. 5. Matthæi, v. 31. Liranus ibid. & in cap. Matth. 19. v. 8. Magist.

in 4. dist. 33. D. Bonauent. ib. art. 3. q. 1. Sotus ibid. q. 2. a. 2. conclus. 2. & plures alii, relati à Sanche libro 10. disp. 1. n. 5.

85. Vera sent. solutum fuisse.

Contrarium meliùs docent auctor operis imperfecti in Matth. homil. 34. Albert. Magn. in 4. dist. 33. art. 15. Durand. ibid. q. 3. num. 7. Maior ibid. q. 2. Cornel. in caput 24. Deuteron. versu 1. Maldonat. & alii interpretes ad cap. citatum Matthæi, Bellarm. lib. 1. de matrim. cap. 17. ad 14. obiectionem, Mart. disp. 6. de matrim. sect. 8. Sanch. disp. cit. num. 7. aliique plurimi ab isto relati: & esse probabile affirmat S. Thom. in 4. dist. 33. q. 2. ar. 2. quæstiunc. 2. Probatur 1. quia verba supra relata ex Deuteron. 24. proprie sumpta, & simpliciter, vt sonant, non significant tantùm permissionem minoris mali ad vitandum maius, sed licentiam, seu potestatem iuris. Debent autem intelligi in sensu proprio, & nativo, quoad fieri potest, iuxta regulam generalem de verbis Scripturæ interpretandis traditâ à S. Augustino lib. 3. de Doctrina Christ. cap. 10. præcipuèque in legibus, quæ clarè esse debent. Neque aliter loquitur Moyses in aliis, quæ non permitti solùm, & tolerari, sed licita fieri agnoscunt aduersarii. Posse autem verba illa intelligi, vt sonant, absque absurdo, vel incommodo, nihilque cogere vt recedamus ab eorũ proprietate, patebit ex solutione argumentorum prioris sententiæ.

86. Confirmatur ratione.

Probatur 2. quia non est probabile Deum voluisse permittere, seu tolerare tot adulteria perpetua, quot passim extitissent apud Iudæos, si libellus repudii non soluisset vinculum matrimonii: ad vitandum vxoricidium, malum quidem graue, sed infrequens, & cui aliud, saltem propter multitudinem, & continuitatem præponderabat. Hoc enim non fuisset permittere minus malum ad vitandum maius, vt dicunt aduersarii: sed permittere maius ad vitandum minus, cui alio remedio poterat occurri, seuerè illud puniendo, & terrore supplicii maritos continendo, vt nunc etiam fit, & olim fiebat ante concessum à Moyse libellum repudii. Tertiò, Prophetæ, & alii viri sancti qui peccata populi Iudaici grauiter reprehendebant, etiam illa quæ per leges tolerabantur, id est, non puniebantur, vt simplicem fornicationem: sine dubio istud quoque tam frequens, & propter quod repudiatæ fiebant abominabiles coram Deo, vt dicunt aduersarii, grauiter, & frequenter reprehendissent. At nusquam extat vlla talis reprehensio circa repudiantes seruato modo à Moyse præscripto. Nam si Malachiæ 2. v. 16. ironicè intelligendum est quod ibi dicitur, *Cum odio habueris* (vxorem tuam) *dimitte, dicit Dominus Deus Israel*: vt exponit Ribera, & indicant tum verba immediatè præcedentia v. 15. *Custodite ergo spiritum vestrum, & vxorem adolescentiæ tuæ noli despicere*: tum etiam immediatè sequentia, *Operiet autem iniquitas vestimentum eius, dicit Dominus exercituum: custodite spiritum vestrum, & nolite despicere*, vxorem scilicet: dicuntur enim hæc respectiuè, & consequenter ad versum 14. quid hæc scilicet verba, supra relata, *Custodite spiritum vestrum, & vxorem adolescentiæ tuæ noli despicere*. Ita vt sensus sit: Indulge animo tuo, dimittendo vxorem, sed scito Deum vltorem hanc iniquitatem: ideóque si fuerit, noli abiicere, neque despicere, sed affectum tuum bonum erga illam custodi. Si Deus, inquam, ironicè carpit eo loco dimittentes vxorem; loquitur de Iudæis, qui sine iusta causa odiebant, & dimittebant, vt alias ingenuas acciperent, solius voluptatis gratiâ, & ideo solùm, quia pulchriores sibi videbantur, vt ostendit Ribera loco citato.

87. Amplior cõfirmatio.

Quartò, non est existimandum voluisse Deum in lege Mosaica, vt viri quidem repudiantes possent validè & licitè aliam ducere: quippe quibus polygamia permissa erat. Secus autem vxores repudiatæ, quibus illa erat prohibita, ideóque non poterant validè efficere aliud vinculum matrimonii, manente priori. Quare debuissent degere perpetuò vitam cœlibem: ad quam voluisse Deum eas omnes obligare in lege illa, minùs est verisimile, præsertim cum sæpe absque sua culpa dimitterentur, propter sterilitatem, aut morbum naturalem, vt dicemus paulò post, & sexus ille sit infirmior, & eo tempore cœlibatus esset inusitatus. Quintò, si repudiata non potuisset validè nubere alteri; non fuisset ille alter, eius maritus: qui tamen expresè ita vocatur verbis supra relatis ex Deuteron. 24. Neque qui eam repudiauerat, verè diceretur prior eius maritus, comparatiuè ad secundum, & posteriorem; sicut ibidem appellatur: sed esset tantùm vnicus. Nec denique prohiberet Deus ne ad eum reuerteretur repudiata, si vellet. Cur enim, si adhuc erat vera illius vxor? Nonne id longè satius erat: imò necessarium, & eligendũ, potiùs quàm ad tertiũ conuolare connubium, illicitum, & verũ adulterium? Sextò, quis sibi persuadeat legem illã, quæ adulterium morte puniebat, iubebatque lapidibus obrui mulierem, vel semel in adulterio deprehensam, toleraſſe impunè tot adulteria continua, publicè perpetrata?

88. Soluuntur argu. cont.

Ad primum argumentũ contrariæ sententiæ respondeo Christũ non aliud voluisse, quàm significare Pharisæis, libellũ repudii nõ fuisse concessum ante Moysem, neq; deinceps valiturũ, restituto matrimonio ad statũ primæ institutionis: & causâ illius concedendi fuisse duritiẽ cordis Iudæorum, odii & auersionis tenaciũ. Quæ duricies tametsi mala esset; permissio tamen facta illius causâ, excusabat à peccato, vt rectè ait D. Thom. in 4. dist. 33. q. 2. a. 2. quæstiunc. 2. ad 4. Sicut inquit, quædã permittuntur infirmis corporaliter, quæ non permittuntur sanis: nec tamen infirmi peccant permissione sibi facta vtentes.

Ad

89. Ad ſecundum reſpondet idem S. Doctor art. cit. quæſtiunc. 3. ad 5. repudiatam, quæ alteri nupſit, dici pollutam, & abominabilem coram Domino, legaliter, illo modo, quo immundus dicebatur in eadem lege Moſaica, qui mortuum tangebat, vel leprolum, non immunditiâ culpæ, ſed cuiuſdam irregularitatis legalis: vnde etiam ſacerdoti non licebat viduam, & repudiatam ducere in vxorem. Aliter reſpondet Cornel. à Lapide in cap. 24. Deuteron. verſu 4. poſt Caietanum, Oleaſtrum, & alios, repudiatam vocari pollutam, non quòd peccatum admiſiſſet, ineundo ſecundas nuptias: nam alioqui prohiberi debuiſſet ne alteri nuberet: ſed quòd ab alio, nempe à ſecundo marito cognita fuiſſet, eiuſque ſemine polluta (nomen enim pollutionis dicitur etiam de inculpabili, vt de illa, quæ in ſomnis contingit) ideoque ad priorem redire non liceret, quia reſpectu eius abominabilis iam erat. Sed hæc reſponſio minùs placet: quia fuiſſet pariter abominabilis cuicunque alteri; ideóque à nullo alio duci potuiſſet. Porro in textu Græco, & Hebræo habetur tantùm, *Quoniam abominatio hoc eſt coram Domino*: id eſt, reditus ad priorem maritum poſt coniunctionem cum ſecundo, eſt Deo abominabilis, & ab ipſo prohibitus, quia ſapit adumbratum repudium, & verum adulterium: quaſi non verè repudiata fuerit, ſed alteri tantùm ad tempus commodata, vt poſt reciperetur. Erat & alia ratio, cur id à Deo prohibebatur. Nimirum quia faciliorem aditum, & latiorem viam aperuiſſet repudiis. Faciliùs enim dimiſiſſent vxores, ſi ſpes fuiſſet eas recuperandi poſt ſecundas nuptias: ægriùs verò dimittebantur à ſcientibus ſe non ampliùs recuperare poſſe, ſi ſecundum inirent coniugium. Quod addo, quia probabilius exiſtimo non fuiſſe prohibitum illam recipere, quamdiu non contraxerat, & copulata fuerat cum alio: quia lex non loquitur de illo caſu, & debet ſtrictè intelligi, vt verba ſonant.

Cur repudiata diceretur pollura, & abominabilis?

90. Ad tertium, Reſpondeo cum Bellarmino loco ſup. cit. Deum ita loqui argumentando à minori ad maius: dicereque, quòd licet iuxta legem Moſaicam mulier repudiata, quæ alteri nupſerat, non poſſet recipi à priori marito: ipſe tamen recepturus eſſet in gratiam populum Iſraël poſt ſuas fornicationes cum plurimis amatoribus, tametſi maior eſſet ratio non eum admittendi: id eſt, pro ſua ſingulari clementia, velle illi reconciliari, non obſtante multiplici idololatria, in quam prolapſus erat.

Libellus ipſe repudii ſolue-bat matri.

Circa ſecundum in titulo ſectionis propoſitum, dicendum eſt vinculum matrimonii ſolutum fuiſſe inter Iudæos per libellum repudii, eo ipſo quòd talis libellus legitimè dabatur: non expectato repudiatæ coniugio cum altero: ſecus atque ſuprà diximus de matrimonio infidelis conuerſi ad fidem, cuius vinculum cum altera parte manente in infidelitate, non priùs ſoluitur, quàm ipſe poſt Baptiſmum aliud ineat coniugium. Multóque minùs expectandum erat donec repudians aliam duceret: cui minùs id neceſſarium erat, ſi plures habebat vxores, vt in lege illa permiſſum erat. Poterat enim facilè contentus eſſe aliis, quas retinebat. Neque propterea repudiata cogebatur cœlibem vitam deinceps perpetuò ducere: quia ſoluto vinculo prioris matrimonii per libellum repudii, poterat alteri nubere. Quod autem per ipſum libellum repudii ſolueretur hoc vinculum, ſatis patet ex eius formula relata à Cornelio loco ſupra citato, Maldonato in caput decimum nonum Matth. & à pluribus aliis, quæ ſignificat repudiatam ex eo tempore ſolutam fuiſſe, ac liberam ad contrahendum cum alio. *Dedit ei* (inquit repudians, nomine ſuo priùs, & vxoris quam reiicit, & anno, die, loocque inſcriptis) *libellum repudii in manu, ſchedam abſciſſionis, & ſignaculum dimiſionis, vt ſit à me abiecta, & abeat quocunque voluerit, cuicunque poſſit ab omni viro, nec eam quiſquam prohibere præſumat, iuxta conſtitutiones Moyſi, & Iſrael.*

91. Vt autem legitimè daretur, ſeruanda erant quæcunque fuerant à Moyſe circa illum præſcripta. Primò quidem, vt non niſi à marito daretur. Nam viris ſolis id permittitur Deuteron. 24. *Si acceperit homo vxorem*, &c. Et vt ait Ioſephus libro decimo quinto Antiquit. cap. 11. Lex Moſaica ſolis mariti is ius repudii permittebat. Secundò, debebat ſcripto dari, vt ſtatuitur eod. cap. Deuteron. his verbis, *Scribet libellum repudii.* Tum vt conſtaret authenticè factum eſſe repudium, poſſetque mulier liberè cum alio contrahere, & diuortii fidem faceret. Tum etiam vt mora ſcribendi tardiorem maritum redderet ad repudiandum; daretque tempus meliùs ea de re deliberandi, extincto interea, vel remiſſo feruore odii, & iracundiæ, vt notat Sanctus Auguſtinus lib. 19. contra Fauſtum cap. 26. Præſertim verò, ſi (vt ibidem addit) debebat ille à Scribis exarari, qui idcirco adeundi eſſent, cauſaque repudii illis exponenda, de qua ipſi ſecundum legem iudicarent, & ſi iuſta non eſſet, repudium impedirent, coniugatoſque ad pacem & concordiam reuocarent. *Quia*, inquit, *vt perhibent, apud Hebræos ſcribere lueras Hebræas nulli fas erat, niſi Scribis ſolis, cum & excellentiorem profiterentur ſapientiam; & ſi qui eorum eſſent æquitate, ac pietate præditi, non tantum profiterentur ſapientiam, ſed etiam ſeclarentur. Ad hos igitur, quos oporteret eſſe prudentes legis interpretes, & iuſtos diſſidii diſſuaſores, lex voluit mittere eum, quem iuſſit libellum repudii dare, ſi dimiſiſſet vxorem. Non enim poteras ſcribi libellus, niſi ab ipſis qui per hanc occaſionem, & neceſſitatem, venientem quodammodo in manus ſuas, bono conſilio regerent: atque inter ipſum, & vxorem, pacificè agendo, dilectionem, concordiamque ſuaderent.*

Modus quo dari tur.

A quo ſcribendus.

Tertiò, debebat libellus repudii ſcriptus dari ipſimet repudiatæ, iuxta illud Deuter.

Quare debeat scripto dari ipsi repudiatæ?

24. *Scribet libellum repudii, & dabit in manu illius.* Vt scilicet ipsa notum omnibus facere posset se liberam esse à priori matrimonio, neue repudians id negare posset; litibusque, aut adulteriis via præcluderetur. Quartò, debebat dari ex graui aliqua, & iusta causa, quæ generaliter exprimitur nomine fœditatis, verbis illis capitis citati, *Et non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam foeditatem.* Quo nomine non est intelligenda fornicatio, seu potiùs adulterium vxoris, vt aliqui existimant, qui volunt hanc solam causam repudii legitimi, fuisse. Nam adulterium non tam leuiter puniebatur apud Iudæos, sed pœna mortis. Adultera enim iubebatur lapidari, si erat manifestè deprehensa, vel conuicta, Leuit. 20. vers. 10. Sin autem erat tantùm suspecta, iubebatur aquas zelotypiæ bibere, vt proderetur, Numer. 5. vers. 27. Sed eo nomine debet intelligi aliqua turpitudo corporis, aut animi, eaque non vna sola, sed multiplex: verbi gratia, sterilitas, quæ apud Iudæos erat ignominiosa, lepra, morbus perpetuò impediens redditionem debiti, veneficium, ebriositas, morositas, & rixæ perpetuæ, vel mali mores mulieris turbantes pacem domesticam, liberisque valde nocentes malo exemplo. Quòd autem leuis causa non sufficeret, colligitur ex verbis Malachiæ 2. vers. 16. supra relatis, vbi Deus reprehendit Israëlitas, ea sola de causa odio habentes, & repudiantes vxores suas, quòd illæ minùs essent pulchræ, quàm alienigenæ.

Causa repudiandi.

93. Exist imant aliqui necessarium fuisse causam illam speciatim exprimi in libello repudii. Sed D. Thom. in 4. dist. 33. q. 2. art. 3. quæstiunc. secunda, dicit in generali tantùm scriptam fuisse, vt ostenderetur iustum esse repudium. Imò ex formula, cuius suprà mentionem fecimus, constat ne generaliter quidem expressam fuisse. Sic enim habet: *Ego Rabbi Simeon, filius Rabbi Abraham, filii Rabbi Dauid, filii Rabbi Salomonis, die prima mensis secundi, anno 1596. à creatione mundi, hic, & in hac ciuitate, ex animi mei consensu, & sine vlla coactione repudiaui Rachel filiam Rabbi Mosis, filii Rabbi Ioseph, filii Rabbi Iacob: & dedi illi libellum repudii in manu*, & reliqua, quæ supra retulimus. Neque verò necessarium erat causam generaliter, aut specialiter scripto exprimi, si (vt suprà dixit S. Augustinus) debebant Scribæ libellum repudii, causâ cognita, & discussâ, exarare. Nam hoc ipso quòd libellus ab ipsis scriptus proferebatur, constabat authenticè causam esse iustam, vtpote talem ab illis iudicatam. Plura de forma repudii iudaici videri possunt apud Abulensem in cap. 19. Matth. q. 52. & multis sequentibus, vbi fusissimè illam exponit.

Debebatne exprimi

94. Cæterùm quamuis non solum Iudæi, sed etiam plerique Gentilium vxores suas repudiarent, vt alias ducerent: sicut de Medis, & Persis, constat ex lib. Hesther cap. 1. vers. 19. vbi Assuerus repudiat Vasthi: & de Philistinis ex Iudic. 14. vers. 20. vbi Samsonis vxor accepit, eo relicto, maritum alterum de amicis eius, & pronubis, putans se ab eo desertam, & dimissam fuisse: iuxta id quod pater eius respondit Samsoni eam repetenti, cap. 15. v. 2. *Putaui quòd odisses eam, & ideo tradidi illam amico tuo*: & de Romanis idem liquet ex Cod. de repudiis, & aliis relatis à Greg. Tolosano in Syntagmate iuris part. 2. lib. 9. cap. 5. Licet, inquam, repudium apud Gentiles in vsu fuerit, illudque validũ, & licitum fuisse putet Abulens. q. 76. in c. Matth. sup. citatum: Contrarium tamen probabilius censeo cum Sanche lib. 10. disp. 1. num. 8. Soto in 4. dist. 33. quæst. 2. art. 2. & Mærat. disp. 6. sect. 9. Quia cùm id fieret contra primam institutionem matrimonii, vt Christus significauit Matth. 19. his verbis, *Ab initio non fuit sic*: neque licitè, aut etiam validè fieri posset absque dispensatione diuina; non constat vllo argumento sufficienti Deum cum aliis, quàm cum Iudæis dispensasse. Quare inualidè repudiabant alii. Ac licet validum inter eos fuisset olim repudium, æquè ac inter Iudæos: iam tamen, postquam à Christo fuit abrogatum, est apud vtrosque inualidum. Subsunt enim omnes legibus Christi omnium Domini. Quare si Iudæus, aut alius infidelis, qui vxorem repudiauit, conuertatur ad fidem christianam, debet illam recipere: & si aliam duxit, debet istam deserere, vt ad priorem redeat, quippe solam eius vxorem legitimam. Excepto casu, quo vxor repudiata nollet ad fidem conuerti, & cohabitare sine aliqua contumelia creatoris, iuxta ea quæ diximus sect. præcedenti.

Fuerint repudium

alij licitum?

SECTIO VIII.

Quo iure soluitur matrimonium ratum Christianorum in quibusdam casibus: & quomodo probanda inualiditas matrimonii, vt dissoluatur?

CIrca primũ tres ea de re sunt Theologorum sententiæ. Prima dicit matrimoniũ ratum solui per Professionem religiosam ipso iure naturali. Quia ratio naturalis dictat licere cuilibet transire à statu imperfecto ad perfectiorem, dummodo id fiat sine cuiusquã iniuria. Est autem Professio religiosa status perfectior matrimonio: & transiens ad illam, nullam facit iniuriam parti relictæ, quia hæc libera manet. Neque etiam proli, quia nulla est, nec esse potest per matrimonium ratum dumtaxat. Item Professio religiosa est mors quædam spiritualis: & vinculum inductum per matrimonium ratum dumtaxat, spirituale est. Sicut ergo carnale vinculum matrimonii consummati dissoluitur per mortem corporalem iure ipso naturali: par est ratio, vt eodem iure soluatur ma-

95. Affirmant aliqui matrim. solui per professionem relig. iure naturali.

trimonium ratum per mortem spiritalem Professionis religiosæ. Ita videtur sentire D. Thomas in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 2. in corp. vbi sic habet: *Dicendum quòd ante carnalem copulam est inter coniuges tantùm spirituale vinculum: sed post est inter eos etiam vinculum carnale: & ideo sicut post carnalem copulam matrimonium soluitur per mortem carnalem: ita per ingressum Religionis ante carnalem copulam soluitur: quia Religio est mors quædam spiritualis, quâ aliquis sæculo moriens, viuit Deo.* Idem affirmant eadem distinctione Ricard. art. 2. quæst. 2. & Durand. q. 2. num. 9.

96. Alii, iure positiuo diuino.

Secunda sententia docet solui iure positiuo diuino. Ita Scotus in 4. distinct. 31. quæstione prima, §. *Tertio modo dici potest.* Sotus ibidem quæst. 1. art. 4. conclus. 1. Victoria, Corduba, Petrus Ledesma, Abulensis, Henriq. & plures alii, quos citant, & sequuntur Sanch. libro secundo, disput. 19. num. 3. & Mærat. disput. 6. de matrim. sect. 10. Argumentum illorum præcipuum est, quia id non prouenit ex iure ecclesiastico: neque ex iure naturali: superest ergo vt ex diuino positiuo. Consequentia patet, quia non potest aliunde, quàm ex his tribus prouenire. Quod autem non à iure ecclesiastico, probatur, quia nullibi extat tale ius Pontificium: & Alexander III. cap. *Ex publico, de conuersione coniugatorum*, dicit hoc deduci ex sacri eloquii interpretatione, adeoque ex iure diuino. Et cap. *Ex parte* 2. eodem titulo, dicit sanctos ex diuina reuelatione, quæ superat omnem legem, transiuisse à matrimonio rato ad perfectiorem statum. Neque inuenitur in iure ecclesiastico principium istius consuetudinis: sed ab initio Ecclesiæ fuit in vsu: vt patet exemplo S. Theclæ, teste Diuo Ambrosio libro secundo de Virginibus, & Sanctorum Alexii, & Cæciliæ, vt scribit Metaphrastes in eorum vita. Et de Macario, præcipuo inter Christi Eremitas idē affirmat Hieronym. verbis relatis à Gratiano cap. *Scripsit*, 27. q. 2. §. *Ecce quod coniugati*, &c. Quod signum est hoc priuilegium à Christo concessum traditione haberi. Confirmatur, quia alioqui posset etiam Pontifex soluere matrimonium consummatum, quod est eiusdem naturæ cum rato tantùm: neque enim differunt essentialiter, sed solùm penes vsum, & actum secundum.

97. Quod verò neque etiam iure naturali id fiat, probatur, quia si matrimonium ratum solueretur ex natura rei per Professionem religiosam: ergo & consummatum: cùm, vt iam diximus, sint eiusdem speciei: neque enim consummatio est de essentia, vel de integritate matrimonii naturaliter spectati, sed tantùm est illius exercitium. Deinde potiùs ex natura rei deberet irritari Professio religiosa per matrimonium ratum illam antecedens. Quia quod semel validè datum est vni, ita vt acceperit ius in re, non potest validè alteri tradi: vt patet in omnibus aliis contractibus humanis, & præcipuè onerosis. Atqui matrimonium ratum dat ius in re circa corpus coniugis. Ergo non potest validè tradi Religioni per Professionem, quantùm est ex natura rei, citra diuinam constitutionem derogantem iuri acquisito coniugi, in fauorem Religionis, & statuentem, vt contractui matrimoniali tacitè insit hæc conditio, Nisi voluero ingredi Religionem ante consummationem: quæ conditio non inest ex natura rei. Tertiò, matrimonium ratum non est ex natura tua incompossibile cum Professione religiosa: ac ne quidem consummatum: quippe quod manet, altera parte, cum consensu alterius, ingrediente Religionem, & professente post consummationem matrimonii. Ergo malè asseritur naturaliter illud dissoluere. Quartò, si votum solenne in Religione solueret ex natura rei matrimonium ratum: ergo & votum solemne in receptione Ordinis sacri. Quod tamen falsum est.

98. Vera sententia, iure tantùm ecclesiastico.

Tertia & vera sententia est, id fieri iure ecclesiastico. Ita docent Hostiensis cap. *Ex publico*, De conuers. coniugat. Ioan. Andr. ibid. num. 9. Felinus Consil. 26. num. 19. Henric. quodlib. 5. quæst. 35. Michael Medina lib. 5. de sacrorum hominum continentia cap. 86. & 87. Aegidius Con. disput. 26. dubit. 3. numer. 37. & Lessius lib. 2. de Iust. cap. 41. dubit. 8. num. 69. Probatur ex refutatione duarum præcedentium. Quòd enim solo iure naturali id non fiat, rectè probatum fuit argumentis adductis vltimo loco pro secunda sententia. Quibus adde alios contractus humanos, præsertim onerosos, non dissolui per Professionem religiosam: ac ne quidem eos, qui repugnant statui religioso, vt contractus seruitutis; tametsi illi magis solubiles sunt ex natura sua, quàm matrimonium. Ergo malè asseritur istud solui ex natura rei per Professionem religiosam. Quòd verò etiam neque ex iure positiuo diuino, probatur primò, quia nullum est sufficiens fundamentum illius iuris agnoscendi, vt patebit respondendo argumentis contrariæ sententiæ. Et Paulus 1. Corinth. 7. vbi loquitur de solutione matrimonii infidelium per conuersionem ad fidem: nihil omnino dicit de illius solutione per Professionem religiosam, neque vspiam alibi huius rei meminit. Nec vllus alius Scriptorum sacrorum eius mentionem facit. Exempla verò allata velut illius indicia, non sunt ad rem. Quia Thecla, Alexis, Cæcilia, & similes non transierunt ad Professionem religiosam, sed tantùm ad vitam cœlibem, instinctu Spiritus sancti. Et si vota emiserunt, fuerunt illa simplicia duntaxat, sine ingressu in Religionem approbatam. Quare hoc argumentum probaret per huiusmodi etiam vota simplicia dirimi matrimonium ratum: quod non admittunt aduersarii. Probatur secundò, quia votum non solemne non dirimit matrimonium, sed impedit tantùm ne licitè contrahatur, vt fatentur aduersarii, & expressè asseritur cap. vnico *de Voto & Voti redemptione in 6.* Atqui,

Digitized by Google

vt dicitur eodem cap. Voti solennitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inuenta; & votum solenne siue in professione religiosa, siue in susceptione ordinis sacri, valens ad dirimendum matrimonium, non differt à non solemni, nisi per constitutionem Ecclesiæ. Ergo non habet nisi ab eadem constitutione quòd dirimat & irritet matrimonium: vt etiam Bonifacius VIII. significat cap. cit.

99. Soluuntur argum. primæ sententiæ.

Ad primum argumentum pro prima sent. adductum respondeo indirectè, eodem probatum iri matrimonium consummatum posse quoque dissolui naturaliter per Professionem religiosam, si pars relicta consentiat, & proles nondum suscepta sit. Quod tamen falsum esse docent ipsimet aduersarii. Item pari ratione deberet solui matrimonium ratum per susceptionem Ordinis sacri: quia hic status perfectior est: & non magis fit iniuria parti relictæ, si consentit. Quod tamen æquè falsum esse non negant aduersarii. Deinde respondeo directe, non licere ex natura rei relinquere statum præsentem, & transire ad perfectiorem, quando status præsens inductus est per contractum non ampliùs pendentem à nostra voluntate: cuiusmodi est contractus matrimonii rati. Et ex natura rei deberet potiùs irritari Professio per matrimonium præcedens: quia ex natura rei non potest validè se donare Religioni per Professionem, ille qui per matrimonium se validè, & irreuocabiliter priùs tradidit coniugi.

100. Respondetur argum. secundæ.

Ad secundum respondeo primò, vinculum matrimonii rati non esse spirituale solùm, sed corporale cum sit vinculum mutuæ traditionis corporum sensibiliter factæ. Secundò, mortem ciuilem in Professione religiosa non esse veram mortem, sed impropriam, & metaphoricam: alioqui solueret etiam matrimonium consummatum. Tertiò, vota simplicia, post biennij probationis emissa in Societate Iesu, non minùs sunt mors spiritalis, quàm professio. Et tamen non soluunt matrimonium ratum ex sola rei natura. Imò neque ex constitutione Ecclesiæ, quæ id non statuit, vt ostendimus sect. 4. n. 48.

Ad tertium argumentum pro secunda sententia adductum respondeo tale ius extare in cap. *Expublico*, & cap. *Ex parte* 2. de Conuers. coniugat. In quorum priore non dicitur, vt malè supponunt aduersarii, hoc ius aperte colligi ex Scriptura, adeóque esse diuinum: sed tantùm colligi ex his Christi verbis Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet*, non posse dissolui matrimonium consummatum, de quo verba illa Christi debent intelligi: & illa non obstare quò minùs coniux à viro incognita, de qua ibi agitur, posset ad Religionem transire, & per hunc transitum dissoluere matrimonium. In posteriori dicitur tantùm sanctos aliquos reuelatione diuina, id est, Spiritus sancti inspiratione, sponsas intactas reliquisse, vt Alexium, & similes: non autem quòd reuelatione diuina habeatur dissolui matrimonium per Professionem religiosam: quod in sanctis illis factum esse non affirmat Pontifex: neque reipsa Alexius, Cæcilia, & similes, per ingressum Religionis matrimonia sua dissoluerunt. Addit verò Pontifex immediatè post, se prædecessorum suorum vestigiis insistendo, obseruari velle, vt antequam matrimonium sit carnali copula consummatum, liceat alteri coniugum, altero inconsulto ad Religionem transire: ita quòd relictus ex tunc legitimè possit alteri copulari.

101. Idem censendum de aliis casibus, in quibus Papa dissoluit matr.

Ex dictis collige, eodem iure Pontificio dissolui matrimonium ratum in aliis casibus, de quibus diximus sectione sexta. In quo plures ex relatis pro secunda sententia nobis consentiunt, & nominatim Sanch. libro secundo, disputatione decima quarta, numero secundo, vbi plurimos alios citat: & his duabus rationibus non contemnendis idem confirmat. Primò, quia suprema potestas summi Pontificis extendi debet, quantum rationaliter fieri potest: & credendum est Christum, qui Ecclesiæ suæ non defuit in necessariis, dedisse illi plenam potestatem ea faciendi, quæ ad bonum Ecclesiæ regimen necessaria sunt. Sæpe autem valdè expedit, vt in matrimonio rato tantùm dispenset: quod ne quidem inter Christianos esse penitùs insolubile, neque de illo Christum dixisse, *Quod Deus coniunxit*, &c. declarauit Alexander III. cap. *Expublico*, supra citato. Secundò, cum Pontifex dispensare possit in voto solenni Religionis, iuxta communem, & probabiliorem sententiam, credibile est posse quoque in matrimonio rato, cuius vinculum minus est, dissoluiturque per vota solennia Religionis. Et cùm in vtroque fiat vera traditio: prior fit tantùm homini: posterior fit Deo simul, & homini, id est, Religioni: adeóque fortior esse debet. Neque minùs expedit interdum ad bonum Ecclesiæ, vt Pontifex dispenset in matrimonio rato ad vitanda scandala: quàm vt dispenset in Professione religiosa.

102. Quæstio de probatione inualiditatis,

Circa secundum in titulo sectionis propositum, suppono inualiditatem matrimonii prætendi posse, vel defectu consensus: vel propter aliquod impedimentum dirimens: Et quæri illius probationem vel in foro solùm interno, ad dirigendam, & pacandam conscientiam pœnitentis: vel extra, siue in iudicio, & foro externo, siue inter ipsos coniuges, quorum vnus affirmat alteri se non verè consensisse: vel opponit interuenisse impedimentum aliquod dirimens, ideóque debitum illi negat, vel ad dissolutionem matrimonii pertrahere conatur.

Quomodo probanda in foro int.

Hoc supposito, dico primò, si res agatur in foro tanti m cõscientiæ, & sit quæstio de defectu consensus, credendum est pœnitẽti affirmanti se non consensisse: nisi confessarius habeat sufficientẽ causam existimandi ipsum mentiri. Quia alioqui non debet præsumere tam perditę illum esse conscientię, vt velit in re tanti momenti imponere, in eo foro, in quo solùm agitur de reconciliatione cũ Deo,

deque conscientia ipsius rectè instituenda, & in quo denique pœnitens agit reum, & accusatorem, & testem contra seipsum. Atque ita sentiunt Doctores vnanimiter, vt videre est apud Couar. in Epitome 4. Decret. 1. parte cap. 4. §. 1. n. 9. & parte 2. cap. 2. nu. 2. & Sanch. lib. 2. disp. 45. n. 2.

103. Quomodo in foro externo?

Dico secundò, extra forum conscientiæ non esse credendum vni coniugum affirmanti se fictè consensisse, nisi rationes, & coniecturas tales afferat, vt sufficiant ad prudenter iudicandum ita esse: quæ quia non determinantur à iure, æstimandæ sunt ex prudentum arbitrio. Prima pars huius assertionis probatur, quia facilè potest mentiri, qui potuit fictè velle consentire sine causa legitima: estque iusta ratio suspicandi ne tædio matrimonii, vel odio coniugis impulsus dicat se fictè consensisse; sicut dicit se aliquo alio prætextu fictum dedisse cõsensum. Quare non est per se fide dignus hac in parte: & vt dicitur cap. *Per tuas, de Probationibus*, Nimis indignum est, iuxta legitimas sanctiones, vt quod quisq; sua voce lucidè protestatus est, valeat proprio testimonio infirmare. Addo non solùm vni cõiugum credendum non esse: sed ne quidem vtrique, si ambo id affirment, nisi eas probationes afferant, quibus prudenter iudici constet non esse periculũ collusionis. Vt non est, si statim reclament (non autem postquã matrimonii pertæsi quæsũt eius solutionem) vel si habuerunt causam fingendi propter metũ, licet insufficientem de se ad irritandum, aut propter aliquid aliud, propter quod, omnibus spectatis, prudenter iudicari possint non consensisse, & nondum matrimonium consummauerint. Quæ probationes tantò maiores esse debent, quantò maiori deliberatione, & solemnitate matrimonium celebratum fuit, præmissis denunciationibus, & interrogatione Parochi de consensu, & aliis, iuxta præscriptum Ecclesiæ seruandis. Neque si accessit copula de consensu vtriusque, permitti debent aliud inire matrimonium.

104. Quæ probationes sufficiant?

Secunda pars eiusdem assertionis, quòd sufficiant probationes, quibus prudenter iudicari possit fictè consensisse, traditur ab auctoribus supra citatis, & ab aliis communiter. Quorum ratio præcipua est, quia non potest hac in re haberi metaphysica certitudo, & euidentia; cùm agatur de consensu interno, qui soli Deo, non hominibus notus est. Quare debent homines esse contenti morali certitudine, & coniecturis, aut argumentis sufficientibus ad prudenter iudicandum fictum fuisse consensum, habendamque de illo moralem certitudinem: ne alioqui tam graue malum, & nonnunquam contingens, careat omni iuris remedio. Tales autem probationes esse possunt, si absque solẽnitate subitò cõtraxerint, & vnus; vel ambo statim reclament: vel si statim post contractum, & ante consummationem matrimonii vir negans se verè consensisse suscipiat sacros Ordines, vel transeat ad Religionem: si notabilis metus intercesserit, præsertim ex parte puellæ affirmantis se finxisse consensum: si paulò ante, & paulò post contractum protestati fuerint se nolle consentire, sed ad hoc metu adigi, aut alio motiuo extrinseco: si notabilis sit disparitas inter contrahentes, & tanta, vt per se incredibile sit arbitrio prudentum, voluisse vnum illorum verè consentire, & non potiùs decipere: neque ita exteriùs se gesserit vt omnẽ prudenter suspicandi occasionem ademerit. Plures alias causas refert Sanch. lib. 2. disput. 45. qui tamen in prædictis omnibus non idem nobiscum sentit, & paulò magis fauet petentibus dissolutionem.

105. Requiruntur saltem duo testes omni exceptione maiores.

Dico tertiò, si petatur dissolutio matrimonii, vel potiùs declaratio nullitatis propter impedimentum dirimens, debet illud, nisi constet euidenter, probari saltem per duos testes omni exceptione maiores. Nam alioquin vnus, quamuis iuratus, nõ facit sufficientem probationem, quę debet esse plena in re tanti momenti. Imò neque obligat coniuges ad id credendum: sed tantùm ad diligentiam adhibendam in veritate inquirenda: quâ adhibitâ, si veritas non deprehenditur, possunt persistere in matrimonio, tutâ conscientiâ. Ita Sanch. disput. cit. num. 25. & seqq. post Siluestrum, Nauarrum, & alios ab eo citatos. Et quidem requiri saltem duos testes omni exceptione maiores patet ex cap. *Super eo*, iũcto cap. *Cum à nobis*, de Testibus, & attestat. & cap. 1. de Consanguinitate & cap. *Si duo*, 35. q. 6. vbi etiam dicitur nõ sufficere famam impedimenti: quia facit tantùm semiplenam probationem ad summum. Inter hos verò testes non sunt censendi consanguinei, quia sunt meritò suspecti: nisi agatur de impedimento consanguinitatis, quod ipsis meliùs notum est, & potest facilè verificari: ideoque iubentur admitti consanguinei ad illud probandum cap. *Super eo*, 2. de Testibus.

106. Sufficiatne confessio vtriusque coniugis?

Addunt etiam plerique, quos refert, & sequitur Sanch. n. 34. & 35. sufficere confessionem vtriusque coniugum de impedimento dirimente, quando stant pro matrimonio, id est, cupiunt non dissolui: vt si illud occultare conati sunt, quamdiu ab aliis non fuit delatum, vellentque ex animo illud non esse, & defendunt matrimonium quoad possunt. Quia non est credibile velle eos falsum deponere contra seipsos. Imò etiam sufficere confessionem vnius stantis pro matrimonio, cum publica fama impedimenti: quia hæc duo simul iuncta faciunt plenam probationem: & ille non est præsumendus mentiri in suum præiudicium. Censeo tamen cauendum esse iudici admittenti testimonium coniugum, ne fit periculum fictionis, & collusionis: vt esse potest, quando v. g. aspirant ad matrimonium commodius illis oblatum. Videndum etiam an consanguinei admissi ad testandum impedimentum consanguinitatis, ducantur aliquo affectu dissoluendi matrimonium. Tuncque illius veritas diligentiùs inquiri debet.

Digitized by Google

DISPVTATIO SEPTVAGESIMA TERTIA,

De impedimentis matrimonii in genere, & speciatim de prohibentibus.

Sectio I. *Prænotantur nonnulla de impedimentis, eorumque diuisione in prohibentia, & dirimentia.*

Sectio II. *Inquiruntur aliqua circa potestatem & modum apponendi impedimentum matrimonio.*

Sectio III. *Quæ, quotuc sint impedimenta prohibentia tantùm, & quantum obligent?*

Sectio IV. *De septem aliis impedimentis prohibentibus.*

Sectio V. *Quæ, quotuc sint impedimenta dirimentia, & quænam illorum obligatio?*

DE impedimentis Matrimonii in generali disputat S. Thom. qu. 50. supplementi: docetque in matrimonio quædam esse de illius essentia, & quædam de solemnitate, sicut in aliis sacramentis. Et quia remotis his, quæ sunt de solemnitate matrimonii, aut alterius sacramenti, manet tamen verum sacramentum: idcirco impedimenta, quæ contrariantur iis solum, quæ sunt de solemnitate matrimonii, non impediunt ipsius valorem: cuiusmodi sunt prohibitio Ecclesiæ, & tempus feriatum, quo solennitas nuptiarum interdicitur. Secus autem illa, quæ contrariantur essentiæ matrimonii: vt error, conditio, votum, & cætera impedimenta irritantia, quorum aliqua sumuntur ex parte contractus matrimonii, vt ignorantia, violentia, & error. Contractus enim ille fit per voluntarium consensum, qui tollitur per ignorantiam, violentiam, & errorem. Alia sumuntur ex parte personarum contrahentium: quæ multipliciter distinguuntur. Potest enim aliquis impediri à matrimonio contrahendo vel simpliciter, ita vt cum nulla possit matrimonium contrahere: & hoc fit per impotentiam coeundi, seruilem conditionem, susceptionem Ordinum sacrorum, & votum solemne castitatis. Vel tantùm secundum quid, id est, respectu alicuius personæ. Et hoc vel propter obligationem ad alteram personam: sicut qui vni iunctus est per matrimonium, non potest alteri coniungi: & sic est impedimentum ligaminis. Vel propter cognationem, aut affinitatem cum ipsa, vel sponsalia cum eius consanguinea in primo gradu: quæ vocantur impedimenta cognationis, affinitatis, & publicæ honestatis. Vel denique ob indebitam coniunctionem cum ipsa priùs habitam: & sic impedit

Digitized by Google

crimen adulterii. Hucusque D. Thom. addens in responsione ad 4. quia matrimonium, quatenus est in officium naturæ, statuitur lege naturali: & quatenus est sacramentum, statuitur iure diuino: & quatenus est in officium communitatis, statuitur lege ciuili: idcirco posse tum lege naturali, tum etiam lege diuina, & ciuili, illi apponi impedimenta, & personas reddi inhabiles ad contrahendum,

SECTIO I.

Prænotantur nonnullâ de impedimentis, eorumque diuisione in prohibentia, & dirimentia.

1. Impedimentum quid propriè sit?

NOta primò impedimentum proprie differe à defectu; quòd hic consistat in priuatione vel carentia rei necessariæ: illud autem sit positiuum quid, aut quasi positiuè obsistens. In præsenti tamen disputatione sumitur latiùs pro vtroque, vt alibi sæpissime.

2. Matrim. potest impediri multipliciter.

Nota secundò, matrimonium impediri posse, vel immediatè vt est contractus; vel vt sacramentū est: & quoad vtrumque dupliciter. Vel ne valeat omnino: & hoc impedimentum vocatur irritans, aut dirimens: vel tantùm ne liceat, & hoc vocatur prohibens. Nam v. g. matrimonium quatenus sacramentum, impeditur ne valeat per defectum Baptismi in contrahentibus, aut per defectum intentionis faciendi quod Christus instituit. Per statum verò peccati mortalis, aut per excommunicationem impeditur ne liceat, quamuis alioqui valeat. Quoad contractum verò, per impotentiam, v. g. naturalem impeditur ne valeat: qui enim naturaliter est impotens ad copulam, non potest tradere dominium sui corporis in ordine ad illam: alioqui traderet ad impossibile. Per votum autem simplex castitatis impeditur ne liceat. Quia talis, licet valide contrahat, facit tamen contra promissionem Deo factam de seruanda castitate: nisi præcaueat sufficienter periculum habendi copulam. De impedimentis matrimonii, prout est sacramentum, nihil hîc amplius dicendum est: quia nihil habet speciale præter ea, quæ sunt aliis sacramentis communia, & explicata in tractatu de sacramen. in genere. De aliis verò,

3. Ex partim iure naturali, partim positiuo.

Nota tertiò; quædam illorum impedimentorum à natura esse, quædam à iure positiuo, tum diuino, tum humano. Etenim non solùm iure naturali, vel diuino positiuo (quod nemo negat) sed etiam humano, impedimenta cùm prohibentia, tum dirimentia matrimonio apponi possunt. Vt constat primò, ex consuetudine Ecclesiæ vniuersalis, contra quam disputare insolentissimæ est insaniæ, vt ait S. August. epist. 118. Huius autem consuetudinis antiquæ testes sunt idē August. lib. 15. de Ciuit. cap. 16. vbi matrimonia consobrinorum affirmat rectè per legem humanam fuisse prohibita, quamuis alioqui licerent per legem diuinam: S. Ambros. epist. 66. ad Paternum, S. Gregor. Magnus lib. 12. Registri epist. 31. interrogatione 6. Concil. Agathense cap. 61. Vormatiense cap. 32. Lugdunense, Cabilonense, & alia relata à Gratiano Causâ 35. q. 2. & 3. Bellarmino lib. de matrim. cap. 21. & seqq. & Coccio tom. 2. lib. 9. a. 5. Patet secundò, ex Tridentino sess. 24. can. 4. vbi ferit anathemate Nouatores dicentes Ecclesiam non potuisse cōstituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in illis constituendis errasse. Et in Decreto de reformatione matrim. cap. 1. irritat de facto eorum contractus, qui post debitam illius decreti promulgationem clandestinè contraxerint.

4. Cur iure positiuo?

Nimirum sicut in aliis contractibus, potestas, cui subsunt personæ contrahentes, & res de quibus contrahunt, potest quædam exigere propter bonum commune, non modò vt licitè celebrentur, sed etiam vt validè, adeo vt sine illis contractus nulli sint: sic potestas, cui subsunt personæ matrimoniū contrahentes, vt tales, potest quædam exigere legitimè, sine quibus contractus ille sit inualidus; quod non minùs in matrimonio, quàm in cæteris contractibus necessarium fuit propter bonum commune. Omni enim humano contractui commune hoc est, vt pro temporum, & circunstantiarum varietate subinde alias, & alias conditiones possit requirere, vt eius vsus sit opportunus, & conducibilis ad bonum reipub. Nam v. g. ex contractibus clandestinis, nisi irritarentur, multa & grauia orirentur incommoda, in ea quæ nunc est, morum licentia, & infidelitate. Contingeret enim non infrequenter, vt qui clam matrimonium cum vna contraxisset, & consummasset; postea coram, sed inualidè contraheret cum alia, eumque per totam vitam in perpetuo adulterio viueret. Et hoc demum confirmat praxis ipsorummet hæreticorum, qui quamuis alioqui contra Ecclesiæ prohibitiones, & constitutiones matrimoniales declament; aliqua tamen constituerunt impedimenta, quæ neque iure naturali, neque diuino posita erant, vt in Geneuensibus ecclesiasticis ordinibus videre est.

5. Dices: si auctoritas humana potest apponere matrimonio impedimenta dirimentia,

quæ Deus ipse non apposuit: videtur homo separare, quod Deus coniungit: contra illud Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Respondeo Deum non coniungere per matrimonium, nisi eos, qui legitimè contrahunt: quales illi non sunt, quibus iusta de causa per superiorem potestatem appositum fuit impedimentum dirimens, quo reddantur inhabiles ad contrahendum.

6. Instabis, quia nulla potestas humana, ne quidem Ecclesiastica, ius habet immutandi substantiam sacramentorum, iuxta Trident. sess. 21. cap. 2. Ergo non potest mutare materiam, vel formam sacramentorum, in quibus eorum substantia consistit. Atqui si potestas humana posset apponere impedimenta dirimentia matrimonium, haberet ius in substantiam sacramentorum: posset enim irritare contractum alioqui legitimum, qui contractus est materia substantialis sacramenti matrimonii.

7. Quo sensu non potest Ecclesia mutare substantiã sacrament.

Respondeo potestatem humanam non posse immutare substantiam sacramentorum, hoc est, efficere non posse, vt existente vera materia & forma sacramenti, non existat sacramentum: neque loco materiæ, vel formæ à Christo institutæ, posse aliam diuersam substituere, neque etiam efficere posse, vt quod erat sacramenti materia, & forma legitima, sine sui mutatione incipiat non esse legitima. Atque ita Ecclesia impedire non potest, quin existente materia, & forma sacramenti matrimonii, contractu scilicet legitimo, cum intentione debita, non existat verè sacramentum matrimonii: neque potest efficere, vt alia sit materia, vel forma sacramenti huius, quàm contractus legitimus: nec denique potest efficere vt quod erat contractus legitimus, & materia legitima, sine sui mutatione incipiat non esse legitima. Sicut tamen immutando, & corrũpendo aquam, vel vinum, efficere potest, vt non sint ampliùs materia Baptismi, vel Eucharistiæ, & eatenus vim habet in substantiam sacramentorum, vt manifestum est: simili modo immutando, & irritando contractum, facit, vt ampliùs materia huius sacramenti esse non possit, vt fuisset alioqui, si legitimus extitisset. Tametsi autem res quæ consistunt in sola entitate physica, vt aqua, & vinum, nequeat humana potestas solo suo decreto immutare, & corrumpere: potest tamen hoc facere in contractibus, qui, vt valeant, pendent à quibusdam moralibus conditionibus, quæ per humanam voluntatem, & constitutionem poni, & tolli possunt. Similique modo, si per nouam institutionem mutaret sensum horum verborum, *Ego te baptizo*, in alium planè diuersum: efficeret ne talia verba possent ampliùs esse forma Baptismi. Quanquam tunc non essent omnino eadem: mutata enim significatione verba mutantur formaliter in ratione signi. Sed neque etiam contractus idem est, postquam factus est nullus, & irritus ob impedimentum dirimens.

Instabis 2. quia nemo potest instituere aliam materiam sacramentorum, præter eam quæ à Christo fuit institura. Ergo nemo potest instituere alium contractum in materiam sacramenti matrimonii, quàm qui fuit à Christo institutus. Ergo quidquid sit de impedimentis humanis, consistet sacramentum, modò ponantur ea in contractu, quæ à Christo requisita fuerunt. Respondeo Christum non constituisse speciatim, vt hic, vel ille contractus matrimonii legitimus esset, & materia sacramenti matrimonii; sed simpliciter, vt contractus legitimus, & validus inter christianos, esset materia sacramenti matrimonii. Quæ materia non consistit, quando contractus attentatur ab iis, quibus impedimenta dirimentia fuerunt posita per superiorem potestatem, cui subiacent in contrahendo, & à qua pendet, vt hic aut ille contractus sit legitimus, aut inualidus. 8. Altera obiectio.

Duæ autem sunt potestates, quibus personæ contrahentes subiectæ sunt: nempe ciuilis, & ecclesiastica. Et priori quidem fuberat matrimonium, quamdiu erat contractus purè ciuilis: vt nunc etiam subest inter infideles non baptizatos, apud quos valida censenda sunt matrimonia, & licita, secundum leges eorum ciuiles iuri naturæ non contrarias: vt indicauit Innocentius III. in cap. *Gaudemus*, de Diuortiis. De matrimoniis verò christianorum dubitari potest an sit eadem ratio. Cuius grauis, & celebris controuersiæ præcipua in vtramque partem argumenta libenter proferrem, adderemque nonnulla, quæ mihi tum eadem, tum etiam præsertim Concilii Tridentini verba initio capitis 1. Decreti de reformatione matrimonii, expendenti occurrerant: nisi satius visum esset ab hac quæstione tractanda abstinere, sanctæque Sedis Apostolicæ, ad quam nuper delata fuit, iudicium expectare. Videri possunt qui de illa accuratiùs disseruerunt, inter recentiores, Bellarm. lib. de matrim. cap. 32. Sanc. lib. 7. disp. 3. Valent. q. 5. de matrim. puncto 1. & Basil. Pont. lib. 6. cap. 1. & 2. 9. Potestne ciuilis potestas apponere impedimenta.

Multum autem discriminis est inter impedimenta, quæ sunt iuris humani, & alia, quæ sunt diuini, & naturalis. Nam in his potestas humana dispensare nequit: secus autem in illis. Qui enim potuit illa inducere, potest etiam tollere. Imò quamuis ab Episcopis non possint induci impedimenta, saltem dirimentia, vt dicemus sect. sequenti num. 19. possunt tamen ab illis relaxari, tum prohibentia potestate ordinaria, simpliciter, & generaliter: tum etiam dirimentia in certis casibus, de quibus agemus inferiùs disp. 77. sect. 1. 10. Discrimen inter impedimenta.

Nota vltimò, impedimenta contractum dirimentia quædam esse ex parte voluntatis, seu consensus: cuiusmodi sunt error, & coactio, & si quæ alia impediunt ne verè, 11. Quædam sunt voluntatis, alia potestatis.

Digitized by Google

aut satis liberè consentiatur. Quædam ex parte potestatis ad contrahendum validè per consensum : vt ea quæ personam reddunt inhabilem ad contrahendum, tametsi velit. Vtrumque enim requiritur ad valorem, & essentiam contractus : vt nimirum contrahentes reipsa consentiant in mutuam traditionem, & acceptionem corporum; & consentiendo possint validè contrahere, seque mutuò tradere, & accipere. Quod non faciunt, quibus potestas contrahendi non suppetit. Quantumcunque enim consentiant, nihil faciunt. Siue illa contrahendi potestas eis iure naturali desit, vt amentibus & impotentibus ad copulam : siue iure positiuo sublata fuerit, vt consobrinis, vel clandestinè contrahentibus. Illi etiam qui habent quidem potestatem validè contrahendi, tamen non contrahunt reipsa, nisi vtantur hac potestate, & consentiant sicut oportet. Ad contrahendum enim neque satis est velle, si non possit, neque satis est posse, si non velit is, cuius potestas voluntati subiecta est, & sine voluntatis applicatione non operatur.

SECTIO II.

Inquiruntur aliquæ circa potestatem, & modum apponendi impedimenta matrimonio.

HIs generaliter prænotatis, superest quærere primò, vtrũ potestas humana validè possit apponere impedimẽta matrimonio sine iusta causa : ita vt nihilominus reddat matrimonium illicitum, si impedimentum sit prohibens : vel irritum si, dirimens? Respondeo negatiuè, cum Sanche lib. 7. disp. 1. num. 6. Pontio lib. 6. cap. 3. num. 1. Aegid. Con. disp. 30. dub. 1. num. 1. & aliis communiter. Ratio est, quia non potest sine causa restringere ius naturale; quod quisque habet contrahendi modo sibi permisso à natura, & à iure diuino. Neque potest de re tanti momenti, quanti est matrimonium, pro merò suo arbitrio disponere. Sed neque leges vllæ superiorum validæ sunt, nisi ferantur ex causa rationabili, propter bonum commune. Et speciatim de potestate ecclesiastica ipsorum etiam Apostolorum, & suprema Petri, & successorũ dictum est 2. Corinth. 13. v. 10. illam non in destructionem, sed in ædificationem fuisse concessam. Atque ita Trident. sess. 24. decreto 1. cap. 1. irritare volens clandestina matrimonia, affirmauit se id facere propter grauia peccata, quæ ex iisdem clandestinis coniugiis ortum habent : & in cap. *De affinitate*, & cap. *Quædam lex* 35. q. 2. & 3. vbi est sermo de impedimentis affinitatis, & consanguinitatis, affertur ratio propter quam sapienter constituta fuerunt.

12. Possuntne apponi sine iusta causa?

Quæritur secundò, vtrum, sicut potest Summus Pontifex generali lege interdicere, & irritare matrimonia, inter certa personarum genera; sic etiam possit specialiter alicui interdicere cum certa persona, vel etiam penitus inhabilem reddere ad quodcunque matrimonium? Respondeo affirmatiuè, cum auctoribus supra citatis. Si enim potest ex causa rationabili interdicere, & irritare matrimonium generaliter inter consanguineos v. g. vel affines, vsque ad quartum gradum, & olim vsque ad septimum : quidni existente tali causa poterit irritare specialiter inter duas certas personas, & impedire ne validè contrahant? putà, quia ex tali contractu orirentur magna dissidia inter parentes, propter disparem conditionem personarum : vel fieret grauis iniuria alicui tertio; vel bonum commune magnum aliquod detrimentum inde pateretur. Item si potest Summus Pontifex in pœnam delicti priuare aliquem libertate naturali, detinendo in carcere perpetuo, vel etiam vitâ ipsâ spoliare : quidni etiam iure naturali, quod habet contrahendi matrimonium? Et confirmatur, quia reipsa prohibet ob incestum, & quædam alia crimina, ne eorum rei contrahant vnquam matrimonium : neque possunt illi contrahere sine peccato. Sicut autem potest iustis de causis reddere illis matrimonium perpetuò illicitum : ita potest ex causa rationabili reddere aliquem inhabilem ad contrahendum, efficereque vt nunquam validè contrahat. Atque in hoc responsum consentiunt plures alii à Sanche relati disp. cit num. 7. &, 8.

13. Possitne specialiter alicui interdici matrimonium?

Quæritur tertiò, vtrum omnis prohibitio matrimonii ex legitima causa, faciat illud esse irritum? Respondeo negatiuè. Primò enim, si prohibitio fiat per Prælatum inferiorem Summo Pontifice, non habet vim irritandi. Quia Prælati inferiores non possunt apponere impedimenta irritantia vt dicemus quæst. seq. num 19. Deinde si prohibitio S. Pontificis sit simplex, id est, non appositâ clausulâ irritante, matrimonium tenet, quamuis illicitè contrahatur : vt patet ex cap. 3 *De matrimonio contracto contra interdictum Eccl. sic*; vbi expressè dicitur non esse dissoluendũ matrimoniũ contra prohibitionem Ecclesiæ factum : estque fermo de duobus quibus prohibitum fuerat inter se contrahere, propter sponsalia priùs facta cũ alio, donec de illorum veritate constaret. Quia, inquit Pontifex, licet contra interdictum Ecclesiæ contraxerint, *non est tamen conueniens, vt ob id solum, sacramentum coniugii dissoluatur. Aliqua tamen pœnitentia eis debet imponi, quia contra prohibitionẽ Ecclesiæ hoc fecerunt.* Nec refert quòd prohibitio sit perpetua : quia non propterea magis irritat matrimonium, quàm si esset temporalis : sed facit, vt nunquam possit licitè contrahi. In quo differt à temporali prohibitione, quæ impedit tantùm pro tempore, quo durat. Et quidem matrimonia

14. Sola prohibitio non irritat matrimonium.

inita cum impedimento prohibente perpetuo, ex gr. cum voto simplici castitatis, aut voto nunquam nubendi, non propterea desinunt esse valida, vt fatentur omnes: & vt dicitur in c. *Ad Apostolicam*, *De regularibus*, multa fieri prohibeantur, quæ tamen si facta fuerint, obtinent firmitatem.

16. Dices sponsalia inita contra prohibitionem perpetuam, & iustam, esse inualida. Ergo & matrimonium simili modo prohibitum. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. Ratio differentiæ est, quia, quando sponsalia prohibentur in perpetuum, censetur à fortiori prohibitum esse matrimonium in perpetuum. Quo fit vt tunc sponsalia, seu promissio de contrahendo matrimonio, sit promissio rei illicitæ, & moraliter impossibilis, adeóque non obliget. At matrimonium, quamuis prohibitum, non est promissio rei illicitæ, sed traditio actualis proprii corporis. Potest autem res validè tradi, quamuis illicitè: vt patet ex eo, qui rem vni promissam, alteri donat, aut vendit: & ex eo, qui post votum simplex castitatis, validè nihilominus contrahit matrimonium. Loquor autem de prohibitione sponsalium in perpetuum. Quia si ad tempus tantùm prohibeantur, possunt intra illud tempus validè, quamuis illicitè iniri, promittendo contrahere matrimonium pro eo tempore, quo matrimonium erit licitum, id est, quo cessauerit prohibitio sponsalium, & consequenter ipsius matrimonii: quia tunc obiectum talis promissionis non est res illicita.

17. Addunt Sanch. lib. 7. disp. 2. num. 11. & Aegid. disp. 30. num. 11. si prohibeatur matrimonium cum clausula irritante generali tantùm, v. g. si Pontifex matrimonium prohibens dicat, quidquid fuerit contra gestum, sit irritum: intelligendum illud esse, si fiat reipsa in præiudicium alicuius: & alioqui non irritari matrimonium: vt exponit Glossa cap. penult. *De desponsat. impub.* Imò neque sufficere clausulam specificam irritantem, nisi causa sit perpetua. Quia si tantùm est temporalis, vt si dicat, donec constiterit de præiudicio tertii; vel Donec iudex cognouerit finem inter eos impedimentum: tunc non est irritum, nisi reuera fiat præiudicium tertiò, vel impedimentum subsit. Alioqui enim benignius in sensum prædictum interpretanda est clausula irritans prohibitioni addita. Quia cum irritatio matrimonii sit maximi momenti, non debet existimari fuisse absolutè inducta propter clausulam temporalem.

Sufficiatne clausula generalis irritans?

18. Melius tamen alii, quos refert Sanch. disp. cit. & quos sequitur Pontius lib. 6. c. 7. num. 5. dicunt sufficere clausulam generalem irritantem: quia verba generalia addita prohibitioni matrimonii, & irritantia quidquid contra fiet, planè comprehendunt, & præcipuè ipsum matrimonium, quod maximè Pontifex intendit impedire ne fiat: & quo nihil magis fieri potest in præiudicium tertii, si v. g. propter litem ab ipso interpositam tale interdictum latum est: quo denique nihil magis expedit esse irritum, si contra idem interdictum attentetur. Imò non apparet quid aliud irritent, si non irritent ipsum matrimonium. Quare ne vana sint, & frustra, falsóque significent se irritare, debent ipsum matrimonium reddere inualidum. Similiterque sufficit clausula specifica irritans, quamuis ex causa temporali: vt iidem auctores affirmant. Quia cùm possit Summus Pontifex, vt suprà diximus, irritare matrimonium inter certas personas, reddendo illas inhabiles ad contrahendum, ex iusta causa: potest id facere ex causa etiam temporali, dummodo sit iusta, & rationabilis. Quod autem id reipsa velit, & tali potestate vtatur, significat illa clausula specifica, æquè ac multò magis, quàm clausula generalis, cùm speciatim significet se irritare ipsum matrimonium: & omnia quæ diximus de clausula generali, æquè de illa concludunt. Exempla huiusmodi prohitionum irritantium habentur cap. *Ad dissoluendum*, De despons. impub. & cap. *Tua fraternitas*, de sponsa duorum. In quorum priore Innocentius III. sic loquitur: *Ad denunciationem ergo legitimè probandam terminum assignamus, salvis exceptionibus non solum propositis, sed etiam proponendis. Ne verò quidquam in puellam interim attentetur, auctoritate Apostolica interdicimus, ne in negotio de nouo procedatur vlteriùs, donec vel à denunciatione cesseret, vel eâ probatâ ordine iudiciario procedatur. Quòd si contra interdictum nostrum in præiudicium ipsius aliquid fuerit attentatum, id irritum esse decernimus, & viribus omnino carere.* Porrò consentiunt omnes debere saltè in eo casu & similibus causis temporalibus, separari coniuges, donec de causa constiterit: vel etiam vlteriùs aliquamdiu, in pœnam delicti: & conuenienter castigari, ne mandatum superioris spe impunitatis contemnatur, vt dicitur cap. 1. *De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.*

19. Quæritur 4. vtrum Episcopi, & alii Prælati Summo Pontifice inferiores possint apponere impedimenta irritantia matrimonium? Respondeo negatiuè, cum vnanimi consensu Theologorum: quorum licet aliqui perpauci existiment eos id posse, spectato solo iure diuino: quia inquiunt possunt in sua diœcesi, quidquid Summus Pontifex potest in tota Ecclesia, nisi specialiter eis prohibeatur: fatentur tamen id illis esse prohibitum, & à Summo Pontifice sibi soli reseruatum. Cæteri verò, & melius affirmant, neque iure diuino, neque ecclesiastico id posse: quia ius diuinum, aut ecclesiasticum id nusquam illis concedit: neque enim ullum proferri potest: & probabilius est omnem iurisdictionem, quam habent alii Prælati, deriuari à Summo Pontifice, neque maiorem esse, quàm ipse concesserit, vt ostendimus in tract. de Legibus.

Episcopi, nō possunt apponere impedimenta irritantia.

Consentiunt autem omnes Theologi non fuisse illis à Pontifice concessam. Neque verum est generaliter, & absolutè posse Episcopum in sua diœcesi quidquid Papa in tota Ecclesia, nisi ipse aliquid sibi reseruauerit. Non enim potest v. g. obligare ad credendum fide diuina res ab Ecclesia, vel à Summo Pontifice non definitas, aut traditas, vt certum fidei obiectum: neque immutare generales cerimonias sacramentorum, aut sacrificii Missæ: neque instituere nouos Episcopatus, Archiepiscopatus, aut Patriarchatus: neque committere simplici presbytero vt administret sacramentum Confirmationis, vel conferat aliquos sacros ordines infra sacerdotium, vt fecisse aliquos Summos Pontifices ostendimus disp. 27. de Confirmat. sect. 5. & disp. 67. de Ordine sect. 2. neque dispensare in legibus Summi Pontificis superioris sui, ipso non concedente. Neq; enim sufficit quòd non prohibeat, nisi reipsa concedat dispensandi facultatem. Itaque, vt rectè ait Suar. disp. 7. de Censur. sect. 4. num. 5. Illud axioma, *Episcopus potest in sua diœcesi* &c. vel non est admittendum: vel ita limitandum, vt intelligatur de iis solùm, quæ ad ordinariam, & communem animarum gubernationem pertinent, ac mortaliter necessaria sunt: ad quem ordinem per se non spectant ea quæ iam enumerauimus, nec speciatim constitutio impedimentorum matrimonium dirimentium, de qua nunc disputamus.

20. Leges eccles. irritãtes nõ ligãt infideles.

Quæritur quintò, vtrum leges ecclesiasticæ prohibentes, aut irritantes matrimonium, ligent infideles in terris fidelium, aut fideles in terris infidelium? Respondeo, & dico primò, non ligare infideles, id est, non-baptizatos, vbicunque existant: quia non sunt subiecti potestati ecclesiasticæ. Quare possunt validè & licitè contrahere, seruando leges Principum temporalium, quibus subsunt, siuè isti fideles existant, siue non. Quod addo, quia si infideles sint temporaliter subiecti Principi ecclesiastico, tenẽtur seruare leges, & præcepta ab illo lata vt Principe temporali, circa res temporales, & ciuiles, cuiusmodi est contractus matrimonii inter non-baptizatos.

21. Secus autẽ Christianos vbicũq; existentes.

Dico secundò fideles vbicunque existant teneri seruare leges ecclesiasticas circa matrimonium eo modo, quo ipsæ præscribunt. Quia licet versentur in terris infidelium, non desinunt esse subiecti Ecclesiæ. Imò quamuis fiant apostatæ, & ad errores, moresque infidelium transeant, semper retinent characterem Baptismi, & subiectionem potestati Ecclesiæ, quam non possunt abiicere. Dixi autem *eo modo, quo ipsæ præscribunt*: quia si leges aliquæ dicant se non obligare, nisi vbi receptæ, & promulgatæ fuerint, & aliquantò post promulgationem: sicut constitutio Tridentini de clandestinis expresè dicit se non obligare, neque robur habere in vna quaque parochia, nisi post triginta dies à die primæ publicationis: non obligant illæ fideles in terris infidelium, vbi non sunt promulgatæ. Atque ita si illi in locis clandestinè contrahant, matrimonium erit validum.

22. Cõsuetudo potest inducere & tollere impedimenta matr.

Quæritur 6. vtrum consuetudo possit inducere, vel tollere impedimenta matrimonium irritantia? Respondeo, & dico primò, vtrumque posse, quando expresè approbatur à Summo Pontifice, vel etiam tacitè, vt fit quando illo sciente passim vsurpatur talis consuetudo, neque ipse repugnat, cum facilè possit. Ita docet Aegid. disp. 30. dub. 1. num. 12. affirmans omnes in eo consentire: & res est per se clara, loquendo de impedimentis quæ iure humano possunt induci, aut tolli: de quibus etiam solis quæstio proposita intelligenda est. Cum enim consuetudo non maiorem vim habere possit, quàm legis cuiusdam humanæ; fieri nequit vt prævaleat contra legem naturalem, aut positiuam diuinam. Sicut tamen abrogare potest alias leges ciuiles, & ecclesiasticas, ita etiam illas, quibus impedimentum irritans fuit appositum matrimonio.

23. Probatur posse inducere.

Dico secundò, consuetudinem vniuersalem legitimè præscriptam, & rationi consentaneam, licet inscio Pontifice introductam, & vsurpatam tanto tempore, quantum sufficit ad præscribendum, & cum aliis conditionibus ad præscriptionem legitimam requisitis, habere vim inducendi impedimentum dirimens matrimonium. Ita Petr. Sot. Albert. Pighius, Abulens. & alii, quos citat, & sequitur Sanch. lib. 7. disp. 4. num. 11. quibus adde Pontium lib. 6. cap. 4. num. 5. & Coninc disp. 30. dub. 1. num. 15. Ratio præcipua huius assertionis est, quia si consuetudo legitimè præscripta vim legis habet in rebus aliis, etiam ecclesiasticis, vt patet ex cap. *Cum olim*, de Clerico Coniug. cur non in matrimonio, de quo etiam specialiter id affirmatur in cap. *Super eo*, de Cognat. spirit. vbi dicitur matrimonium initum contra receptam consuetudinem patriæ, esse dirimendum: quia nimirum ab initio fuit irritum: alioqui enim consuetudo nullam vim habet dissoluendi matrimonium legitimè initum, cuius vinculum est iuris naturalis, & diuini. Neque ibi fit vlla mentio alterius iuris, quo consuetudo niteretur: neque etiam in casu proposito erat aliter interdictum matrimonium partibus contrahentibus, quàm propter consuetudinem.

24. Soluitur obiectio.

Non obstat quòd Summus Pontifex sibi reseruat potestatem inducendi, aut tollendi impedimenta dirimentia matrimonium. Nam hoc intelligitur respectu Prælatorum inferiorum: vel etiam vt plerique affirmant (verè an secus, non disputo) respectu quoque Principum sæcularium Ecclesiæ subditorum: non autem respectu consuetudinis legitimè præscriptæ. Non obest etiam caput primum de sponsal. quia ibi sermo est de matrimonio nobilis

inita cum impedimento prohibente perpetuo, ex gr. cum voto simplici castitatis, aut voto nunquam nubendi, non propterea desinunt esse valida, vt fatentur omnes: & vt dicitur in c. *Ad Apostolicam, De regularibus*, multa fieri prohibentur, quæ tamen si facta fuerint, obtinent firmitatem.

16. Dices sponsalia inita contra prohibitionem perpetuam, & iustam, esse inualida. Ergo & matrimonium simili modo prohibitum. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. Ratio differentiæ est, quia, quando sponsalia prohibentur in perpetuum, censetur à fortiori prohibitum esse matrimonium in perpetuum. Quo fit vt tunc sponsalia, seu promissio de contrahendo matrimonio, sit promissio rei illicitæ, & moraliter impossibilis, adeóque non obliget. At matrimonium, quamuis prohibitum, non est promissio rei illicitæ, sed traditio actualis proprii corporis. Potest autem res validè tradi, quamuis illicitè: vt patet ex eo, qui rem vni promissam, alteri donat, aut vendit: & ex eo, qui post votum simplex castitatis, validè nihilominus contrahit matrimonium. Loquor autem de prohibitione sponsalium in perpetuum. Quia si ad tempus tantùm prohibeantur, possunt intra illud tempus validè, quamuis illicitè iniri, promittendo contrahere matrimonium pro eo tempore, quo matrimonium erit licitum, id est, quo cessauerit prohibitio sponsalium, & consequenter ipsius matrimonii: quia tunc obiectum talis promissionis non est res illicita.

17. Addunt Sanch. lib. 7. disp. 2. num. 11. & Aegid. disp. 30. num. 11. si prohibeatur matrimonium cum clausula irritante generali tantùm, v. g. si Pontifex matrimonium prohibens dicat, quidquid fuerit contra gestum, sit irritum: intelligendum illud esse, si fiat reipsa in præiudicium alicuius: & alioqui non irritari matrimonium: vt exponit Glosa cap. penult. *De desponsat. impub.* Imò neque sufficere clausulam specificam irritantem, nisi causa sit perpetua. Quia si tantùm est temporalis, vt si dicat, donec constiterit de præiudicio tertii; vel Donec iudex cognouerit firme inter eos impedimentum: tunc non est irritum, nisi reuera fiat præiudicium tertiò, vel impedimentum subsit. Alioqui enim benignius in sensum prædictum interpretanda est clausula irritans prohibitioni addita. Quia cum irritatio matrimonii sit maximi momenti, non debet existimari fuisse absolutè inducta propter clausulam temporalem.

Sufficiatne clausula generalis irritans?

18. Melius tamen alii, quos refert Sanch. disp. cit. & quos sequitur Pontius lib. 6. c. 7. num. 5. dicunt sufficere clausulam generalem irritantem: quia verba generalia addita prohibitioni matrimonii, & irritantia quidquid contra fiet, planè comprehendunt, & præcipuè ipsum matrimonium, quod maximè Pontifex intendit impedire ne fiat: & quo nihil magis fieri potest in præiudicium tertii, si v. g. propter litem ab ipso interpositam tale interdictum latum est: quo denique nihil magis expedit esse irritum, si contra idem interdictum attentetur. Imò non apparet quid aliud irritent, si non irritent ipsum matrimonium. Quare ne vana sint, & frustra, falsóque significent se irritare, debent ipsum matrimonium reddere inualidum. Similiterque sufficit clausula specifica irritans, quamuis ex causa temporali: vt iidem auctores affirmant. Quia cùm possit Summus Pontifex, vt suprà diximus, irritare matrimonium inter certas personas, reddendo illas inhabiles ad contrahendum, ex iusta causa: potest id facere ex causa etiam temporali, dummodo sit iusta, & rationabilis. Quod autem id reipsa velit, & tali potestate vtatur, significat illa clausula specifica, æquè ac multò magis, quàm clausula generalis, cùm speciatim significet se irritare ipsum matrimonium: & omnia quæ diximus de clausula generali, æquè de illa concludunt. Exempla huiusmodi prohitionum irritantium habentur cap. *Ad dissoluendum*, De desponsat. Impub. & cap. *Tua fraternitas*, de sponsa duorum. In quorum priore Innocentius III. sic loquitur: *Ad denunciationem ergo legitimè probandam terminum assignamus, salvis exceptionibus non solùm propositis, sed etiam proponendis. Ne verò quidquam in puellam interim attentetur, auctoritate Apostolica interdicimus, ne in negotio de nouo procedatur vlteriùs, donec vel à denunciatione cesseatur, vel ea probatâ ordine iudiciario procedatur. Quòd si contra interdictum nostrum in præiudicium ipsius aliquid fuerit attentatum, id irritum esse decernimus, & viribus omnino carere.* Porrò consentiunt omnes debere saltè in eo casu & similibus causis temporalibus, separari coniuges, donec de causa constiterit: vel etiam vlteriùs aliquamdiu, in pœnam delicti: & conuenienter castigari, ne mandatum superioris spe impunitatis contemnatur, vt dicitur cap. 1. *De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.*

19. Quæritur 4. vtrum Episcopi, & alii Prælati Summo Pontifice inferiores possint apponere impedimenta irritantia matrimonium? Respondeo negatiuè, cum vnanimi consensu Theologorum: quorum licet aliqui perpauci existiment eos id posse, spectato solo iure diuino: quia inquiunt possunt in sua diœcesi, quidquid Summus Pontifex potest in tota Ecclesia, nisi specialiter eis prohibeatur: fatentur tamen id illis esse prohibitum, & à Summo Pontifice sibi soli reseruatum. Cæteri verò, & melius affirmant, neque iure diuino, neque ecclesiastico id posse: quia ius diuinum, aut ecclesiasticum id nusquam illis concedit: neque enim ullum proferri potest: & probabilius est omnem iurisdictionem, quam habent alii Prælati, deriuari à Summo Pontifice, neque maiorem esse, quàm ipse concesserit, vt ostendimus in tract. de Legibus.

Episcopi nõ possunt apponere impedimenta irritãtia.

Consentiunt autem omnes Theologi non fuisse illis à Pontifice concessam. Neque verum est generaliter, & absolutè posse Episcopum in sua diœcesi quidquid Papa in tota Ecclesia, nisi ipse aliquid sibi reseruauerit. Non enim potest v. g. obligare ad credendum fide diuina res ab Ecclesia, vel à Summo Pontifice non definitas, aut traditas, vt certum fidei obiectum: neque immutare generales cerimonias sacramentorum, aut sacrificii Missæ: neque instituere nouos Episcopatus, Archiepiscopatus, aut Patriarchatus; neque committere simplici presbytero vt administret sacramentum Confirmationis, vel conferat aliquos sacros ordines infra sacerdotium, vt fecisse aliquos Summos Pontifices ostendimus disp. 27. de Confirmat. sect. 5. & disp. 67. de Ordine sect. 2. neque dispensare in legibus Summi Pontificis superioris sui, ipso non concedente. Neq; enim sufficit quòd non prohibeat, nisi reipsa concedat dispensandi facultatem. Itaque, vt rectè ait Suar. disp. 7. de Censur. sect. 4. num. 5. Illud axioma, *Episcopus potest in suas diœceses* &c. vel non est admittendum: vel ita limitandum, vt intelligatur de iis solùm, quæ ad ordinariam, & communem animarum gubernationem pertinent, ac mortaliter necessaria sunt: ad quem ordinem per se non spectant ea quæ iam enumerauimus, nec speciatim constitutio impedimentorum matrimonium dirimentium, de qua nunc disputamus.

20. Legere eccles. irritãtes nõ ligãt infideles.

Quæritur quintò, vtrum leges ecclesiasticæ prohibentes, aut irritantes matrimonium, ligent infideles in terris fidelium, aut fideles in terris infidelium? Respondeo, & dico primò, non ligare infideles, id est, non-baptizatos, vbicunque existant: quia non sunt subiecti potestati ecclesiasticæ. Quare possunt validè & licitè contrahere, seruando leges Principum temporalium, quibus subsunt, siue isti fideles existant, siue non. Quod addo, quia si infideles sint temporaliter subiecti Principi ecclesiastico, tenetur seruare leges, & præcepta ab illo lata vt Principe temporali, circa res temporales, & ciuiles, cuiusmodi est contractus matrimonii inter non-baptizatos.

21. Secus antè Christianos vbicũq; existentes.

Dico secundò fideles vbicunque existant teneri seruare leges ecclesiasticas circa matrimonium eo modo, quo ipsæ præscribunt. Quia licet versentur in terris infidelium, non desinunt esse subiecti Ecclesiæ. Imò quamuis fiant apostatæ, & ad errores, moresque infidelium transeant, semper retinent characterem Baptismi, & subiectionem potestati Ecclesiæ, quam non possunt abiicere. Dixi autem *eo modo, quo ipsæ præscribunt*: quia si leges aliquæ dicant se non obligare, nisi vbi receptæ, & promulgatæ fuerint, & aliquantò post promulgationem: sicut constitutio Tridentini de clandestinis expresè dicit se non obligare, neque robur habere in vna quaque parochia, nisi post triginta dies à die primæ publicationis: non obligant illæ fideles in terris infidelium, vbi non sunt promulgatæ. Atque ita si illi in locis clandestinè contrahant, matrimonium erit validum.

22. Cõsuetudo potest inducere & tollere impedimenta matr.

Quæritur 6. vtrum consuetudo possit inducere, vel tollere impedimenta matrimonium irritantia? Respondeo, & dico primò, vtrumque posse, quando expresè approbatur à Summo Pontifice, vel etiam tacitè, vt fit quando illo sciente passim vsurpatur talis consuetudo, neque ipse repugnat, cum facilè possit. Ita docet Aegid. disp. 30. dub. 1. num. 12. affirmans omnes in eo consentire: & res est per se clara, loquendo de impedimentis quæ iure humano possunt induci, aut tolli: de quibus etiam solis quæstio proposita intelligenda est. Cum enim consuetudo non maiorem vim habere possit, quàm legis cuiusdam humanæ; fieri nequit vt præualeat contra legem naturalem, aut positiuam diuinam. Sicut tamen abrogare potest alias leges ciuiles, & ecclesiasticas, ita etiam illas, quibus impedimentum irritans fuit appositum matrimonio.

23. Probatur posse induc. cere.

Dico secundò, consuetudinem vniuersalem legitimè præscriptam, & rationi consentaneam, licet inscio Pontifice introductam, & vsurpatam tanto tempore, quantum sufficit ad præscribendum, & cum aliis conditionibus ad præscriptionem legitimam requisitis, habere vim inducendi impedimentum dirimens matrimonium. Ita Petr. Sot. Albert. Pighius, Abulens. & alii, quos citat, & sequitur Sanch. lib. 7. disp. 4. num. 11. quibus adde Pontium lib. 6. cap. 4. num. 5. & Conine disp. 30. dub. 1. num. 15. Ratio præcipua huius assertionis est, quia si consuetudo legitimè præscripta vim legis habet in rebus aliis, etiam ecclesiasticis, vt patet ex cap. *Cum olim*, de Clerico Coniug. cur non in matrimonio, de quo etiam specialiter id affirmatur in cap. *Super eo*, de Cognat. spirit. vbi dicitur matrimonium initum contra receptam consuetudinem patriæ, esse dirimendum: quia nimirum ab initio fuit irritum: alioqui enim consuetudo nullam vim habet dissoluendi matrimonium legitimè initum, cuius vinculum est iuris naturalis, & diuini. Neque ibi fit vlla mentio alterius iuris, quo consuetudo niteretur: neque etiam in casu proposito erat aliter interdictum matrimonium partibus contrahentibus, quàm propter consuetudinem.

24. Soluitur obiectio.

Non obstat quòd Summus Pontifex sibi reseruat potestatem inducendi, aut tollendi impedimenta dirimentia matrimonium. Nam hoc intelligitur respectu Prælatorum inferiorum: vel etiam vt plerique affirmant (verè an secus, non disputo) respectu quoque Principum sæcularium Ecclesiæ subditorum: non autem respectu consuetudinis legitimè præscriptæ. Non obest etiam caput primum de sponsal. quia ibi sermo est de matrimonio nobilis

Digitized by Google

cuiusdam Galli in Saxonia inito, solumque declaratur fuisse validum, quamuis non fuerit celebratum iuxta patriæ mariti, id est, Galliæ consuetudinem: quæ consuetudo licet irritandi vim habuisset in Gallia, id est, talis fuisset, vt matrimonia aliter celebrata pro nullis haberentur (quod tamen eo capite non asseritur) nihilominus extra territorium non obligasset, neque habuisset irritandi vim. Dixi autem, *legitimè præscriptam* &c. Nam alioqui consuetudo non habet hanc vim; vt patet ex cap. finali *de Consuetudine*. Quæ verò conditiones requirantur ad legitimam præscriptionem consuetudinis, exposuimus in tractat. de legibus tom. 2. disp. 31. sect. 2.

25. Probatur quòd possit tollere.

Dico tertiò, consuetudinem legitimè præscriptam habere similiter vim tollendi impedimenta dirimentia iure humano inducta. Ita Sanch. & alii ab eo citati lib. 7. disp. 4. num. 14. Pont. lib. 6. cap. 4. num. 5. Con. disp. 30. dub. 1. num. 13. Probatur, quia consuetudo legitimè præscripta prævalet contra ius humanum, vt generaliter affirmatur cap. vlt. de consuetudine: & sicut potest inducere impedimentum dirimens, ita & tollere. Par enim est vtriusque ratio: neque maior vis requiritur ad vnum, quàm ad alterum. Et denique ex opposito sequeretur plurimos bona fide contrahere matrimonia irrita, seruando talem consuetudinem generalem legitimè præscriptam: quod esset grauissimum incommodum contra bonum commune, & contra intentionem legislatoris, qui tale impedimentum lege sua constituit.

26. Soluitur argum. contrar. sentèt.

Contrarium tamen sentiunt plurimi Theologi, & Canonistæ, vt videre est apud Sanch. disp. cit. num. 13. Quorum præcipuum fundamentum est, quia in cap. *Quod super*, de consanguinit. & affinit. dicitur matrimoniũ inter consanguineos in gradu prohibito esse nullum, non obstante consuetudine, quæ potiùs corruptela, quàm consuetudo appellari debet. Verùm, vt bene aduertit Aegid. eidem argumento respondens, non est ibi sermo de generali consuetudine legitimè præscripta, sed de paucorum quorumdam abusu. Nam Episcopus hanc quæstionem proponens Innocentio III. non dicit illam consuetudinem fuisse generalem illius loci: sed potiùs initio suæ epistolæ significat fuisse obscuram, & paucorum, qui intra tertium, & septimum gradum tunc prohibitum contrahebãt. Estque incredibile fuisse publicam, & generalem consuetudinem contrahendi in tertio gradu, eo tempore, quo prohibebantur, & irritabantur matrimonia in septimo gradu contracta, ita vt Prælati nunquam illi restiterint, toto eo tempore quod ad præscribendum necessarium est: quod quantum esse debeat diximus in tract. & disp. supra cit.

SECTIO III.

Quæ, quotuplex sint impedimenta prohibentia tantum: Quæue illorum obligatio.

27. Eorũ varietas, & numerus.

His de impedimentis matrimonii generaliter explicatis, de singulis in particulari dicendum superest: ac primò de prohibentibus tantùm, quæ communiter numerantur duodecim. Eorum autem aliqua sunt à iure naturali, vt impedimentum voti perpetuæ castitatis, aut Ordinis sacri suscipiendi, aut non nubendi, vel ingrediendi Religionem: & impedimentum sponsalium priùs cum alio initorum, ac non dissolutorum iusta de causa: alia sunt à iure positiuo ecclesiastico, vt cætera omnia. Item eorum aliqua oriuntur ex crimine: alia ex aliis causis. Et quinque prima, quæ non oriuntur ex crimine, sed alia de causa, comprehenduntur his versibus,

Ecclesiæ votum, nec non tempus feriatum,
Atque Catechismus, sponsalia, iungito votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Alia septem, quæ oriuntur ex crimine, comprehenduntur istis.

Incestus, raptus sponsatæ, mors muliebris,
Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut Monialem
Accipiat: prohibent hæc coniugiũ sociandũ.

28. Interdictũ, seu prohibitio Ecclesiæ.

Primum igitur impedimentum prohibens est interdictum, seu prohibitio Ecclesiæ: quo nomine comprehendebatur ante Tridentinum, & adhuc comprehenditur in locis, vbi eius constitutio recepta non fuit, prohibitio clandestinè contrahendi: secus autem alibi, vbi vim habet irritandi, qua de causa exponetur inferiùs inter impedimenta irritantia. Eodẽ nomine intelligitur vbiq; prohibitio ne contrahatur, sine præuiis denunciationibus, vel earum dispensatione. Itemque mandatum superioris legitimi interdicentis ad tempus matrimonium iusta de causa, vel ad vitandum scandalum, aut aliud graue incommodũ; vel quia est suspicio impedimenti, & veritas priùs detegenda est; vel quia fit præiudicium tertio. Potest autem interdicere non solùm iudex ecclesiasticus, sed etiam parochus, vt docent Sanch. lib. 7. disp. 6. num 6. & plures alii ab eo relati. Et qui contrahunt contra talem prohibitionem, sunt separandi ad tempus in pœnam delicti, iuxta caput 1. *De matrimonio contrà interdictum Ecclesiæ*: quod tempus esse arbitrarium censent communiter Doctores: eaque pœna imponenda est nocenti, vt intra illud non possit debitum exigere,

Digitized by Google

gere, tametsi potest reddere, nisi vterque sit nocens. Verumtamen si timeatur periculum incontinentiæ debet hæc pœna in aliam mutari. Hinc collige hanc prohibitionem grauiter obligare: cùm eius transgressio pœna tam graui afficiatur, quanta est separatio, & priuatio debiti coniugalis.

29. Excommunicatio.

Eódem etiam pertinet excommunicatio, tum maior, tum etiam minor: quia prohibentur excommunicati ab vsu omnium sacramentorum. Sed hoc impedimentum potiùs spectat ad matrimonium, vt Sacramentum est: ex eo tamen redundat in contractũ, cùm non liceat Christianis contrahere purè ciuiliter matrimonium. Circa quod impedimentum, certum est peccare vtrumque coniugum contrahendo matrimonium, si vterque est excommunicatus. Et hoc peccatum mortale est per se loquendo: quia grauiter prohibitum est ministrare, & accipere sacramenta in statu excommunicationis: coniuges autem administrant ipsimet, & recipiunt sacramentum matrimonii. Vnde etiam peccant dupliciter, & quatenus ministri, & quatenus sunt subiectum sacramenti. At verò quando vnus tantùm est excommunicatus, dubium est possitne absque peccato alter cum illo contrahere? Affirmant aliqui simpliciter, & vniuersaliter posse, dummodo non sit denunciatus nominatim, aut manifestus percussor clerici, hoc est, dummodo sit toleratus. Quia per decretum Concilii Cõstantiensis licet à talibus sacramẽta petere, & accipere, neq; tenemur in aliis eos vitare. Ita Sanchez libro septimo, disputatione nona, numero octauo, citans Victoriam, Sotum, Viualdum, & alios in eandem sententiam.

30. Possitne licitè contrahi cum excommunicato?

Sed hoc verum esse non puto, nisi in casu, quo excommunicatus toleratus potest, si velit, absolui ab excommunicatione antequam contrahat matrimonium. Tunc enim licet ab eo petere actum, quem potest bene facere, si velit, accedente saltem aliqua necessitate ex parte petentis, quæ sufficit etiam ad ipsum excusandum ab omni culpa, quamuis alter præuideatur malè facturus actum, qui petitur: quia malitia ipsius voluntaria non debet innocentis necessitati præiudicare: ac ne tunc quidem tenetur ex charitate abstinere propter illam ab actu sibi necessario; sed potest vti iure suo, vt necessitati suæ prospiciat. Si verò ille non potest absolui priùs, illicitum est ab eo petere, vel ei dare Sacramentum; quia non potest licitè induci ad actum ministrandi, aut recipiendi, quem non potest, nisi malè facere. Porrò si est ligatus excommunicatione minori tantùm, potest facilè ab ea absolui per Parochum præsentem, & assistentem matrimonio, aut per alium sacerdotem: ita vt vix vnquam necessarium sit abstinere propter illam à petenda celebratione contractus matrimonii. Secus autem quando maior est excommunicatio, quæ frequenter reseruatur superiori, ad quem recurri nequit hìc & nunc.

31. Tempus feriatum.

Secundum impedimentum est *Tempus feriatum*, id est, quo nuptiæ interdictæ sunt: quod olim erat ab Aduentu ad Epiphaniam, à Septuagesima ad Octauam Paschæ, & à diebus Rogationum vsque ad octauam Pentecostes inclusiuè: vt patet ex cap. *Capellanus*, De feriis, cap. *Non oportet*, primo, & secundo, cap. *Non licet*, cap. *Ne vxorem*, 33. quæstione quarta. Tridentinum autem sessione vigesima quarta, cap. 10. de reformat. Matrim. illud contraxit aliquantulum: prohibens tantùm ne fiant nuptiæ solemniter ab Aduentu vsque ad diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum vsque ad octauam Paschatis inclusiuè. Et can. 11. eiusdem sessionis anathematizat eum, qui dixerit prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab Ethnicorum superstitione profectam. Verba Tridentini priore loco hæc sunt: *Ab Aduentu Domini nostri Iesu Christi, vsque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta cinerum vsque in octauam Paschatis inclusiuè, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obseruari sancta synodus præcipit: in aliis verò temporibus nuptias solemniter celebrari permittit.* Nimirum quia diebus illis Aduentus, & Quadragesimæ, ieiunio & orationibus vacandum est, abstinendumque à vanæ lætitiæ signis, quæ in solemnitate nuptiarum adhiberi solent, conuiuiis, tripudiis, choræis, & similibus.

32. An liceat ipso die Epiphaniæ,

Circa quæ Tridentini verba quæritur primò, an ipsum diem Epiphaniæ comprehendat intra terminos prohibitionis? Ratio dubitandi est, quia non addit inclusiuè, vt facit postea loquens de octaua Paschatis. Sed nihilominus dicendum est includi. Quia particula *inclusiuè* in fine periodi addita, cadit in vtrumque illius membrum. Et dies Epiphaniæ manifestè includebatur in prohibitionibus factis iure antiquo, locis supra citatis. Quod ius vt corrigeretur à Tridentino, debuisset fieri illius mentio. Atque ita docent Emman. Sa, v. *Impedimenta matrimonium dirimentia* numero secundo, Sanches libro septimo, disputatione septima, num. 1. in fine, & Pontius lib. 6. cap. 8. nu. 4.

33. Vel in Vigilia Aduentus.

Quæritur secundò, an etiam comprehendatur dies præcedens Aduentum, & feriam quartam Cinerum à primis vsque Vesperis? Ratio dubitandi est, quia dies ecclesiasticus ita computari solet. Et de sabbato præcedente Aduentum maior est difficultas: quia Officium Aduentus inchoatur à primis Vesperis. Quam ob causam D. Anton. Palud. Siluest. & alii, quos citat, & sequitur Sanch. nu. 2. præfatæ disp. censent prohibitionem incipere à primis vesperis Aduentus, nisi consuetudo aliter ferat: licet in feria quarta Cinerum fateantur inchoari solùm à media nocte, quia Officium Quadragesimæ non priùs incipit. Sed nihilominus alii, quibus ad-

hæret Pontius cap. cit. n. 5. affirmant vtramque prohibitionem à media nocte computandá esse, id est, à principio illius diei naturalis: quia Concilium Carnotense II. sub Clemente V. cap. 19. expressè dicit nuptias non esse celebrandas à Dominica ante Aduentum: clariùs explicans id quod alia iura dicunt, non esse celebrandas ab Aduentu ad Epiphaniam. Certum est autem diem Dominicam Aduentus non incipere, nisi à media nocte, & reliquum tempus antecedens pertinere ad Sabbatum.

34. Quid tunc prohibeatur.

Quæritur 3. quid prohibeatur illis diebus? Respondeo, quidquid sit de antiquo iure, non prohiberi à Tridentino, nisi solemnitatem nuptiarum, id est, in quibus detur benedictio primò nubentibus, vel fiat alia precatio solennis pro secundis nuptiis, & traducatur solemniter sponsa in domum sponsi, fiantque conuiuia, choreæ, & alia id genus signa lætitiæ adhiberi solita, quæ sanctitatem illius temporis non decent, & à quibus idcirco vult Ecclesia Christianos abstinere. Itaque licet tunc contrahere matrimonium, sed sine huiusmodi solemnitate: & sine eadem traducere sponsam in domum sponsi: & consummare matrimonium, saltem si benedictio fuit ante accepta. Multóque magis licet tunc inire sponsalia de futuro, & præmittere denunciationes: quia nullo textu iuris prohibentur eo tempore, vt fusiùs ostendit Sanches disputatione citata. Neque obstant quæ opponi solent ex cap. *Nec vxorem*, 33. quæst. 4. & cap. *Non oportet* 1. & 2. eodem titulo, & cap. *Non licet*, ibid. Nam vel in illis non prohibentur nuptiæ simpliciter, sed cum benedictionibus nuptialibus, & festiuis solemnitatibus: vel si prohibentur ipsæ secundum se, vt quidam affirmant, & aliqua iura antiqua præ se ferunt; contrariâ tamen consuetudine reuocata fuerat hæc prohibitio iam ante Tridentinum, & ab ipso non renouantur antiquæ prohibitiones, nisi circa solemnitatem nuptiarum, vt patet ex verbis paulò ante relatis.

35. Prohibitio est grauis.

Cæterùm hæc prohibitio grauiter obligat quoad benedictionem nuptialem tempore feriato interdictam, vt colligitur ex pœnis statutis iure antiquo, renouato, & confirmato à Tridentino. Graues enim pœnas imponit tam clericis benedicentibus, quàm sponsis benedictis, vt videre est in iuribus suprà relatis: & vt refert Pont. lib. 6. cap. 8. n. 10. Concilium Colonense secundum Can. 33. suspendit ab officio clericos extra tempora benedicentes: quæ sine dubio grauis pœna est, & supponens peccatum mortale: Toletanum verò sub Sixto IV. excommunicat, & pœnam addit pecuniariam: Rauennatense II. pariter excommunicat, iubetque sponsos separari à cõmixtione, & consortio carnali: quod tamen intelligendũ est, nisi sit periculum incontinentiæ. Illerdense similiter iubet separari coniuges: & Mediolanense V. interdicit ab ingressu Ecclesiæ vnumquemque participem istius culpæ, & vlteriùs puniri iubet ad arbitrium Episcopi.

36. Traductio in domum sponsi sine prohibita.

Idem sentit Pont. ibid. de traductione solemni tempore prohibito. Alii tamen docent esse tantùm veniale, nisi sit grauis excessus in huiusmodi festiuitatibus. Imò etiam nullam esse culpam, si hæc moderatè fiant, affirmat Sanch. disp. cit. nu. 19. quia, inquit, generali consuetudine receptum est vt sponsa eo tempore traducatur in domum sponsi, conuiuiaque fiant, & alia lætitiæ signa præbeantur, conniuentibus Prælatis. Existimo id per se loquendo grauiter illicitum esse propter Ecclesiæ prohibitionem: quia res de se grauis est, multúmque faciens ad reuerentiam temporis, quo hæc prohibentur: sed tamen leuitatem materiæ excusare à mortali, secluso scandalo, & contemptu: & per accidens fieri posse, propter consuetudinem, si alicubi recepta est, Prælatis tacitè cõsentientibus, aut si præscripsit, vt excusentur ab omni culpa qui non seruant talem prohibitionẽ non amplius ibi vigentem. Quod etiam Pontius fatetur n. 14. cap. cit. vbi dicit consuetudinem excusare rusticos, qui in minoribus oppidis, benedictione ante acceptá tempore non prohibito, solent postea solemniter matrimonia sua comessationibus, & tripudiis celebrare. Quod, inquit, à clericis sustineri potest, dummodo ipsi non interfint prædictæ solemnitati.

37. An etiam tempore interdicti?

Quæritur quartò, an etiam tempore interdicti, vel cessationis à diuinis prohibitum sit matrimonium, vel eius benedictio, & solemnitas? Respondeo probabilius esse non solùm benedictionem, & solemnitatem, sed ipsum quoque matrimonium prohibitum esse tempore prædicto. Probatur, quia tempore interdicti prohibentur omnia sacramenta, exceptis illis, quorum fit mentio in cap. *Alma mater*, De sentent. Excomm. in 6. & cap. *Quoniam*, eod. tit. cap. *Non est vobis*, De sponsalib. Tempore quoque cessationis à diuinis prohibetur sacramenta administrare, exceptis nonnullis, cap. *Quod in te*, de pœnit. & remiss. Non excipitur autem matrimonium in iuribus citatis. Præterea, tempore interdicti non potest dari solemnis benedictio nuptiarũ: quia eo tempore non possunt laici interesse diuinis Officiis: multóque minùs potest dari tempore cessationis à diuinis: quia tunc cessant omnia Officia ecclesiastica, ita vt celebrari nequeant, ne quidem cum moderatione capitis *Alma* supra citati. Inter Officia verò diuina censetur benedictio nuptiarum: in qua etiam danda celebratur Missæ sacrificium. Est enim illa benedictio quoddam Officium diuinum, pertinens ad actum Ordinis sacerdotalis: cùm solus sacerdos eam dare possit, nec nisi precibus, & officio peculiari ab Ecclesia institutis, & in ipsis Missarum solemniis.

38.

Hæc autem sunt intelligenda secluso priuilegio: nam qui tempore interdicti possunt ex priuilegio interesse diuinis officiis, pos-

Digitized by Google

sunt etiam tunc accipere benedictionem cum moderatione capitis *Alma mater*. Excipiendi sunt etiam dies illi, quibus tempore interdicti permittitur fieri diuina officia, citato capite *Almæ* nisi alıunde sit illidem diebus prohibita nuptiarum solemnitas, cuiusmodi est festum Natalis Domini, & festum Paschatis, quæ comprehenduntur intra tempus feriatum, vt diximus n. 31. Vel nisi sponsus, & sponsa sint specialiter interdicti, vel excommunicati: quia eodem cap. *Alma*, quo relaxatur interdictum pro quibusdam festis solemnioribus ibi nominatis, permittunturque fieri diuina Officia; expressè dicitur, vt id fiat exclusis personis interdictis, & excõmunicatis. Item, nisi Ecclesia, in qua datur benedictio, sit specialiter interdicta: quia caput *Alma*, loquitur solùm de interdicto generali, quando permittit fieri Officia diuina in locis interdictis, festis illis diebus.

39. Contraria sententia.

Contrarium sentiunt nonnulli, quos refert & sequitur Sanch. lib. 7. disp. 8. n. 2. & 3. affirmantes matrimonium non esse prohibitum tempore interdicti. Quod probant ex c. *Capellanus*, de feriis, vbi Clemens III. affirmat eam esse Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, vt quocunque anni tempore matrimonium contrahatur, consensu intercedente legitimo de præsenti. Probant 2. quia tempore interdicti ea solùm sacramenta censentur esse prohibita, quæ purè Sacramenta sunt, & omnino spiritualia. Matrimonium autem est cõtractus naturalis, cui per accidens adiecit Christus rationem Sacramenti. Addunt eorũ aliqui posse etiam tunc nuptias benedici solemniter. Quia, inquiunt, accessorium sequitur principale, vt dicitur regula 42. de Regulis iuris in 6. Ergo concesso matrimonio, conceditur benedictio, quæ est accessorium matrimonii: sicut concessis Baptismo, & Confirmatione, conceditur effectio chrismatis in eum finem, cap. *Quoniam*, de sentent. Excommunic. in 6.

40. Soluuntur eius argumenta.

Sed ad primum respondeo, sensum illius capitis esse, quòd matrimonium omni tempore validè celebretur: non autem quòd licitè: alioqui pars illa textus non bene cohæreret cum immediatè sequẽti, quæ affirmat matrimonium nihilominus esse quibusdam diebus prohibitum, secundum eiusdem Ecclesiæ Romanæ consuetudinem. Ad secundũ dico, licet per accidens matrimonio aduenerit ratio Sacramenti, ex institutione Christi: non minùs tamen Sacramentum esse, neque minùs spirituale, vt tale; quàm sit ablutio, & vnctio chrismatica cum certa verborum formula, cui etiam accidentaria est ratio Sacramenti, ex institutione Christi proueniens. Cúmque leges sint in sensu proprio intelligendę, neque magis restringi debeant, quàm ferat verborum proprietas: & in iuribus citatis prohibeatur administratio Sacramentorum, præterquam Baptismi, Confirmationis, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ pro moribũdis: debet sacramentum matrimonii intelligi esse comprehensum hac generali prohibitione, à qua per legem nõ excipitur. Ad tertium: licet tempore interdicti permissum esset matrimonium (quod tamen falsò supponit obiectio) non sequeretur permitti benedictionem: quia regula citata intelligitur de accessorio quod necessariò annectitur principali, ita vt vnum sine alio non possit validè, aut decenter fieri. At matrimonium potest validè, & decenter fieri sine solenni benedictione, quæ potest in aliud tempus differri, postquam interdictum cessauerit, aut priuilegium obtentum fuerit. Vel etiam, vt ait Sanch. disp. cit. n. 20. intelligitur quando est eadem ratio in accessorio, & in principali: neque aliter fuit dispositum specialiter de accessorio. Non est autem eadem ratio in matrimonio, & in benedictione nuptiarum, suppositâ sententiâ aduersariorum: quia ista pertinet ad diuina Officia, tempore interdicti prohibita: matrimonium autem non censetur inter illa, neque inter sacramenta tunc prohibita, vt ipsi existimant.

41.

Superest notare, quòd si locus tantùm sit interdictus; licebit sponsis accipere benedictionem in alio loco non interdicto: quia interdictum locale non obligat extra locum quem afficit. cap. *Si sententia*, de sentent. Excommun. in 6. Sin autem interdictum est personale speciale, afficiens virum, aut fœminam; nullibi possunt benedici, aut contrahere, quia vbique ferunt suum interdictum. Idemque dicendum est, si alter illorum fuit causa interdicti: quia tunc censetur specialiter interdictus. Sin autem interdictum sit generale, & vxor eo tantùm ligetur; potest post matrimonium benedici cum viro: quia tunc gaudet eadem immunitate, quâ vir, & fortitur forum, munera, & honores viri, vt dicitur Lege *Fœmina*, ff. De Senat. Si autem vir eo ligatur; non licebit; nisi ipse mutet domicilium, transeatque ad aliam communitatem non interdictam generaliter. Ita Sanch. disp. cit. num. 19. apud quem plura de his videri possunt.

42. Catechismus in Baptismo.

Tertium impedimentum est Catechismus in Baptismo; id est, quando aliquis tenuit infantem in Catechismo, qui Baptismo præmitti solet ante ianuam Ecclesiæ, & ipsius nomine respondit interrogationibus fieri solitis, Quid petat? An credat? &c. Hinc enim oritur cognatio spiritalis imperfecta inter tenentem, & baptizatum, eiusq; parentes, impediens, sed non dirimens matrimonium: vt dicitur c. 2. de cognatione spirituali in 6. In quo differt ab altero impedimento perfectæ cognationis spiritualis, orto ex ipso Baptismo, inter tenentem, seu leuantem de fonte Baptismatis, & baptizatum, illiusque parentes: quod impedimentum est dirimens, vt dicemus sequenti disput. Non semper autem iidem tenent in Catechismo, & in Baptismo.

43. Quomodo cõtrahitur hoc impedimentum?

Ad hoc impedimentum contrahendum requiritur primò, vt ille teneat infantem in in toto Catechismo. Secundò, vt respondeat illius nomine interrogationibus fidei à sa-

cerdote factis. Tertiò, non refert ſiue Baptiſmum præcedat Catechiſmus, vt ſit communiter: ſiue ſequatur, vt quando infans priùs fuit baptizatus domi abſque ſolennitate, quemadmodum rectè docet Sanch. lib. 7. diſput. 10. num. 7. & ſeqq. contra nonnullos contrarium ſentientes. Cuius ratio eſt, quia ſiue Catechiſmus præcedat, ſiue comitetur, aut ſequatur Baptiſmum; ſemper eſt imperfecta quædam cognatio ſpiritualis, & regeneratio imperfecta per fidem, initiumque perfectæ regenerationis, quæ per Baptiſmum fit. Hoc autem impedimentum fundatur in tali cognatione, iuxta doctrinam D. Thomæ in 4. diſtinct. 42. quæſt. 1. art. 2. ad 3. & aliorum communiter. Ac ſicut per ſponſalia ſemper contrahitur quidam gradus propinquitatis imperfectæ, à conſanguineis ſponſi, vel ſponſæ, in primo gradu: ſic per Catechiſmum contrahitur ſemper imperfecta quædam cognatio ſpiritalis inter perſonas ſupradictas.

44. Ad quos gradus ſe extendit?

Cæterùm, iure antiquo extendebatur hoc impedimentum ad eoſdem gradus, ad quos cognatio perfecta per Baptiſmum: ſed nunc iure nouo reſtricta eſt ad primum gradum, adquem etiam impedimentum dirimens cognationis perfectæ ſpiritualis reſtrictum fuit à Tridentino ſeſſione vigeſima quarta, capite ſecundo de Matrimonio. Quia licet nulla ibi fiat mentio Catechiſmi, & cognationis ex ipſo exortæ: tamen de illo, vt de Baptiſmo, ſentiendum eſt quoad menſuram graduum: quia perfecta cognatio ſpiritualis debet eſſe regula, ſeu menſura imperfectæ: & vt rectè ait Nauarr. capite vigeſimo ſecundo, Manual. numero ſeptuageſimo ſecundo: Quoties duo ſic ſe habent, vt vnum ſit metiens, & alterum menſum; lex quæ corrigit, vel limitat metiens, cenſetur conſequenter corrigere vel limitare menſum, ſi eadem ratio in vtroque militet. Quin etiam valde probabile eſt hoc impedimentum prohibens fuiſſe penitùs ſublatum à Tridentino capite citato, vt docent Henriq. Ouand. Em. Sa, & alii, quos refert, & ſequitur Sanches libro ſeptimo, diſputatione decima, numero duodecimo, quibus adde Pontium libro ſexto, capite vndecimo, numero tertio, & Aegid. Con. diſputatione trigeſima, dubitat. tertia, numero vigeſimo quarto. Nam Tridentinum volens, vt ait initio capitis, reſtringere multitudinem prohibitionum, propter incommoda ex illis emergentia, & incipiens à cognationis ſpiritalis impedimento, ſtatuit vt vnus tantùm, & vna baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant, inter quos, ac baptizatum ipſum, illiuſque patrem, & matrem, necnon inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem tantùm, ſpiritualis cognatio contrahatur. Additque paulò poſt: *Quod ſi alii vltra deſignatos baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo modo contrahant, conſtitutionibus in contrarium facientibus non obſtantibus.* Et in fine capitis addit, *Omnibus inter alias perſonas huius ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis.* Vbi nota primò, nullam fieri mentionem Catechiſmi, aut tenentis in Catechiſmo. Secundò, aſſeri nullos alios præter ibi deſignatos, contrahere vllo modo cognationem ſpiritualem. Tertiò, inter omnes alias perſonas tolli omnino ſpiritalis cognationis impedimentum.

Accedũt Cardinalium declarationes circa idem caput Tridentini: quarum prima inter impreſſas Lugduni cum textu Concilii anno 1640. eſt huiuſmodi: *Nulla cognatio ſpiritalis contrahitur, niſi inter perſonas, quæ nominantur hoc decreto*: & altera numero 6. ſic habet: *Qui in Eccleſia dumtaxat fuit præſens ei, qui domi fuerat verè baptizatus, ſed deinde in Eccleſia fuerunt celebratæ ſolæ ſolemnitates, nullam cognationem ſpiritualem cum eo contraxit. Itaque committatur Ordinario, vt ſi legitimis probationibus compererit dicti N. filium priùs fuiſſe domi baptizatum, declaret nullum inter N. ipſum, & dictum filium adeſſe impedimentum cognationis ſpiritualis.* Et paulò poſt, nu. 8. circa illa verba, *Cognationem ſpiritualem nullo modo contrahant*, addit ſacra Congregatio idem dicendum de eo, qui leuauit à ſacro fonte eum, qui domi, propter imminens periculum, fuit antea verè baptizatus. Par autem, vel maior eſt ratio de eo qui tantùm in Catechiſmo eum tenuit. Vnde collige multùm expedire, vt parochi (ſicut Tridentinum ibidem præcipit) ſcribant quinam baptizatum de ſacro fonte leuauerint, & non tantùm in Catechiſmo eum tenuerint; vt conſtet quinam impedimentum cognationis huius contraxerint. 45.

Quartum impedimentum eſt ſponſalia priùs inita cum alio, & nondum diſſoluta. Quamdiu enim durant, illicitè contrahitur matrimonium cum altero: quia fit contra fidem datam ſponſo, vel ſponſæ; & contra obligationem ortam ex promiſſione illi facta, & acceptata. Quæ promiſſio, cùm ſit de re graui, & in materia iuſtitiæ; grauiter obligat. Eſtque hoc impedimentum iuris naturalis: prohibens tamen dumtaxat, & non irritans matrimonium: quia res vni promiſſa poteſt validè, quamuis illicitè, donari alteri, æquè ac vendi, ſi nihil aliud obſiſtat. 46. Sponſalia priùs inita cum alio.

Quintum impedimentum eſt votum ſimplex Religionis, aut caſtitatis, aut ſuſcipiendi Ordinem ſacrum, aut non ineundi matrimonium. Quod ſimiliter obligat iure naturali, & ex natura ipſius voti, propter fidem Deo datam, & promiſſionem illi factam. Eſtque grauis hæc obligatio, cùm ſit de re graui, & in materia Religionis. Non tamen dirimit matrimonium: quia res Deo promiſſa poteſt nihilominus alteri tradi validè, quantum eſt ex natura rei: & Eccleſia non aliter ſtatuit, vt patet ex cap. *Conſuluit*, & cap. *Rurſus*. Qui clerici vel vouentes, & cap. vnico de Voto in 6. Idemque ſentiendum eſt de iuramento facto de iiſdem rebus: quippe quod ſine peccato violari nequit, & ſequitur naturam promiſſionis, quam con- 47. Voti ſimplex.

firmat : ideoque matrimonium reddit quidem illicitum , ſed non inualidum. Eſtque id verum ſiue votum , aut iuramentum ſit abſolutum , ſiue conditionatum : quia quandiu pendet conditio, tenetur vouens, aut iurans, nihil facere , quo reddatur impotens ad promiſſum implendum poſita conditione. Neque illum excuſat, quòd ſtimulis carnis vehementer vrgeatur ante , vel poſt votum emiſſum, paſſimque ſuccumbat tentationibus. Non enim propterea liberatur ab obligatione voti, vel iuramenti : ſed ſolùm datur illi occaſio petendi diſpenſationem, & cauſa obtinendi, habitâ ratione tantæ fragilitatis, & difficultatis ſeruandi , quod promiſit. Ratio eſt , quia cùm votum caſtitatis perpetuæ , & Religionis ſit res maximi momenti, Deoque gratiſſima, ſitque in eius violatione malum grauiſſimum : non debet relinqui cuiuſq; iudicio valeat ne, an non, in talibus circunſtantiis : ſed auctoritati Superioris eccleſiaſtici interpretantis , aut diſpenſantis id fuit committendum. Præcipuè cùm votum illud non ſpectet ſolùm ad bonum particulare vouentis , verùm etiam ad bonum totius Eccleſiæ , cuius valde intereſt vt ſeruetur. Maximaque ſequerentur ſcandala, & incommoda Eccleſiæ , ſi vnicuique liberum eſſet propter fragilitatem , & frequentes lapſus, auctoritate propria de votis illis decernere, eiſque poſt habitis matrimonium contrahere , vt poſt Valentiam rectè ait Sanch. lib. 7. diſp. 11. n. 9.

48. Grauiter autem peccat non ſolùm ille, qui voto obſtrictus , nondum obtentâ illius diſpenſatione, matrimonium contrahit : verùm etiam pars altera cum illo contrahens : quia petit ab illo actum , quem ſine peccato præſtare nequit , illique vt illicito cooperatur. Nam ad illum cooperatur prout eſt contractus. Omne autem impedimentum contractus, ſiue prohibens, ſine dirimens, eum reddit illicitum. Quare tenetur vterque non contrahere cum tali impedimento. Quod generaliter verum eſt , ſi votum fuit emiſſum de matrimonio nunquam contrahendo: quia non poteſt contrahi abſque eo quòd fiat contra votum. Verũ etiam eſt de voto caſtitatis perpetuæ , aut Religionis , aut ſuſcipiendi ſacros Ordines , communiter loquendo. Nam qui poſt tale votum matrimonium cõtrahit , ordinariè ſe exponit euidenti periculo tranſgrediendi votum. Non enim poterit Ordines ſacros accipere ſine conſenſu vxoris : & periculum eſt fore, vt non conſentiat, ne deinceps perpetuò cœlebs manere cogatur. Periculum etiam communiter eſt ne conſummet matrimonium, & votum caſtitatis violet : poſt quod etiam non poterit ingredi Religionem altera parte inuita : tenebiturque poſt bimeſtre aut poſtquam ſemel conſummauerit, deinceps reddere debitum exigenti.

Grauiter peccat vterque contrahẽs.

49. Dixi , *communiter* ; quia excipiendus eſt caſus , quo aliquis ſine tali periculo contraheret , cum expreſſa conditione ſeruandi caſtitatem , & non cohabitandi quoad thorum , ex conſenſu vtriuſque partis , vel obtentâ priùs à coniuge permiſſione accipiendi ſacros Ordines , aut cum firmo propoſito ingrediendi Religionem , & vtendi priuilegio Canonis intra bimeſtre , ſine alio præiudicio coniugis , vt bene contra nonnullos docet Pontius libro ſexto , capite duo decimo , poſt Nauarrum , Caiet. Angelum , & alios ab eo citatos. Ratio eſt , quia tunc temporis contractus matrimonii , celebratus cum his circunſtantiis , non repugnat voto caſtitatis perpetuæ , vel Religionis, aut Ordinis ſacri, cuius executionem non impedit, vt ſupponimus.

Excipiendus eſt etiam caſus, quo aliquis poſt votum eo illum , virginem defloruit ſub promiſſione matrimonii : vel ab alia fœmina honeſtæ famæ copulam ſub eadem promiſſione obtinuit : poſito ſaltem quòd damnum famæ inde emergens non poſſit aliter reparari. Quia licet tunc temporis promiſſio ſit illicita , & inualida propter votum antecedens : tamen iſte tenetur reparare damnum illatum : & non poteſt aliter reparare , niſi ineundo matrimonium , quandiu fœmina iure ſibi acquiſito vti voluit, poſcendi reparationem damni. Neceſſitas autem reparandi hoc damnum præiudicat, & præualet voto ipſi contrario. Sicut in caſu quo aliquis vouiſſet dare centum aureos pauperibus, poſteaque debitum iuſtitiæ contraheret totidem reddendi , ratione mutui, vel iniuſtæ acceptionis , neque vtrique obligationi ſatisfacere poſſet ; præualeret hæc poſterior obligatio. Votum enim priùs factum debet intelligi quòd debit centum de propriis , & ſine alterius iniuria. Et obligatio orta ex damno præponderat obligationi ortæ ex promiſſione , licet anteriori. Idemque dicendum eſt in caſu quo talis copulam non habuerit : ſed adeo familiariter verſatus fuerit cum tali fœmina , vt communiter exiſtimetur habuiſſe : tunc enim par damnum inferret illius famæ , niſi matrimonium cum illa contraheret. Tenetur autem, ſi poteſt, obtinere priùs diſpenſationem voti : & facilè obtinebit , ſi votum eſt de non contrahendo matrimonio , aut de ſuſcipiendo Ordine ſacro. Quia cùm hoc vtrumque votum non ſit reſeruatum , poteſt relaxari à Prælatis , & à Regularibus priuilegiatis. Neque ſolùm tenetur ducere , verùm etiam conſummare matrimonium, ita vt intra bimeſtre non poſſit ingredi Religionem , quamuis hoc ipſum vouerit : ſi conſummatio eſt neceſſaria ad damnum perfectè reparandum : de quo iuxta prudens arbitrium iudicandum eſt, & in dubio fauendum reparationi damni , tanquam magis obliganti.

50.

Addo non tantùm peccare contrahentes cum impedimento voti, extra caſus prædictos ; verùm etiam eos , qui conſilio , iuſſu, vel alio modo cooperantur eorum contractui. Quia tamen licet conſulere minus malum parato facere maius, quando non poteſt

Peccant etiam cooperantes eorum cõtractui.

Excepti nonnullis caſibus.

aliter à maiori scelere impediri: non peccaret ille qui matrimonium consuleret homini votum sæpissimè transgredienti, & pro sua fragilitate transgressuro in posterum, neque aliud remedium efficax adhibituro ad tot peccata vitanda. Satius enim est, & multò minus malum vt matrimonium contrahat, & dispensationem obtineat, priùs quidem, si fieri potest, & ad hoc induci se patitur: sin minùs, saltem post contractum, quando facile obtineri poterit: multi enim habent privilegium cum eo dispensandi, vt possit etiam petere debitum.

52. Licet consulere minus malum parato facere maius

Ratio huius assertionis est, quia vt rectè dicit Epiphan. libro secundo contra hæreses, hæresi 61. colum. 6. *Melius est vnum peccatum habere, & non plura: melius est lapsum à cursu palam sibi vxorem sumere, &c. quàm quotidie occultis iaculis sauciari.* Et vt addit Gregorius libro trigesimo secundo, Moral. cap. 17. aliquanto post init. relatus cap. *Nerui*, dist. 13. *Si omnino nullus sine peccato euadendi aditus patet, minora semper eligantur.* Ex quo vulgatum axioma desumptum est, Ex duobus malis minus est eligendum. Neque tunc malum consulitur proximo, sed vt abstineat à maiori malo, & illud præferat minori: Quod consilium bonum est. Et consulentis intentio est, eiusque consilium eò tendit, vt vel omnino abstineat à peccato; vel si non vult omnino abstinere, saltem eligat quod minus est. Pro qua sententia quamplurimos auctores refert Sanches disputatione citata, numero decimo quinto. Innocent. Hostiensem, Andream, Adrianum Papam, Angelum, Siluestr. Caiet. Armill. Nauarr. Sotum, Medinam, Cordub. Aragon. Vegam, &c. Addens num. 16. non modò licitum esse consulere minus malum in eo casu, verùm etiam inducere. Tum quia consilium est quædam inductio: tum etiam quia non est malum inducere ad electionem minoris mali: & suadere vt quis ab omni malo abstineat: vel si non vult, neque ab omni auerti potest, saltem eligat quod minus est.

SECTIO IV.

De septem aliis impedimentis prohibentibus.

53. Incestus est imped. prohibens.

HVc vsque diximus de impedimentis prohibentibus, quæ oriuntur aliunde, quàm ex peccato. Iam de illis, quæ nascuntur ex crimine aliquo dicendum superest. Quorum primum est incestus. Nam qui committunt incestum, priuantur in pœnam huius criminis licentiâ contrahendi vllum matrimonium: vt habetur cap. *Si quis sponsam* 27. quæst. 2. & cap. *Quædam cum fratre suo*, cap. *Si quis viduam*. cap. *Quidam cum dormierit*, cap. *Concubuisti*, cap. *Si quis cum nouerca*, 32. quæst. 7. Item cap. *In lectum* cap. *Si quis cum duabus*, cap. *Si quis cum matre*, cap. *Quidam fornicatus est*, 34. quæst. 1. & cap. 1. *de eo qui cognouit consanguineam vxoris*, & cap. *Transmissa*, eodem titulo. Est autem hoc impedimentum commune viro, & fœminæ incestum committenti: ita vt mulier incestuosa non minùs illud incurrat, quàm vir incestuosus: vt patet ex can. 41. 43. & 44. Concilii Triburiensis; & ex cap. *Si quis viduam*, 32. quæst. 7. vbi de vtrisque expressè id statuitur in hunc modum: *Si quis viduam vxorem duxerit, & postea cum filiastra sua fornicatus fuerit, seu cum duabus sororibus, aut si qua cum duobus fratribus, seu cum patre & filio, &c. eos disiungi, & vitetur nunquam in coniugio copulari præcipimus.* Quare immeritò hac de re à nonnullis dubitatur.

Nihil etiam refert quòd incestuosus nondum sit coniugatus. Nam quòd etiam ante coniugium contrahatur hoc impedimentum, liquet ex cap. *Si quis cum duabus*, cap. *Si quis cum matre, & filia*, cap. *Quidam fornicatus est*, 34. quæst. 1. vbi priuantur spe coniugii, qui incestum commiserunt, nullo existente matrimonio. Non refert quoque fuerint commissus incestus cum consanguineis coniugis, aut cum propriis consanguineis. Nam quòd etiam in hoc casu incurratur impedimentum colligitur ex cap. *De incestis*, 35. quæst. 3. sumpto ex Concilio Agathensi can. 61. vbi sic habetur: *Incestuosos nullo coniugii nomine deputandos hoc censemus esse, si quis frater germanam vxorem*, (vel potiùs vxoris) *acceperit, si quis consobrinæ suæ se sociauerit.* Et cap. *Si duo*, 35. quæst. 6. in fine, vbi ab hac prohibitione excusantur iuuenes, ratione scilicet iuuentutis, vel ignorantiæ, vt ait Glossa ibidem. Exceptio autem firmat regulam, & non obscurè significat prohibitionem ad alios pertinere. Licet contrarium non pauci doceant, quos refert & sequitur Sanch. lib. 7. disp. 15. num. 15. inter quos esse videtur D. Thom. in 4. dist. 34. quæst. vnica, art. 5. vbi postquam dixit in corpore articuli, eum qui cognouit consanguineam vxoris, debere post illius mortem, manere omnino absque spe coniugii, nisi cum eo dispensetur: addit in secundo argumento, & eius solutione quod licet plus peccet ille qui propriam consanguineam cognoscit, quàm ille, qui consanguineam vxoris: tamen illud peccatum non impedit matrimonium: quia incestus ponitur matrimonii impedimentum non tam ratione culpæ, quàm ratione affinitatis, quam causat, inter coniuges. Extenditur præterea hoc impedimentum ad eum, qui cognouit fœminam, cum qua contraxit publicam honestatem, vel ratione sponsalium cum eius consanguinea in primo gradu, vt vult Sanch. num. 5. vel saltem ratione matrimonii rati tantùm, & non consummati, vt docet Pontius lib. 6. cap. 13. num. 11. iuxta diuersam interpretationem capitis 2. De eo qui

54. Etiamsi incestuosus non sit coniugatus.

cognouit. Qua de re plura apud auctores citatos videri possunt.

55. Quæ conditiones requirantur.

Ad incurrendum autem hoc impedimentũ requiritur primò, vt incestus sit consummatus: Quia lex ista, cum sit pœnalis, debet intelligi de actu perfecto, & consummato. Secundò, vt scienter admissus fuerit, id est, non ignorando esse incestum. Alioquin ignorantia excusat ab hac pœna, vt habetur cap. 1. *De eo qui cognouit consanguineam.* Tertiò, vt fiat culpabiliter, & sine coactione, nam si planè inuoluntariè, & per vim patiatur aliquis incestum, non subiicitur huic pœnę qui culpa caret: secus autem vim faciens, vt dicitur cap. *Discretionem*, eod. tit. Estque valde probabile coactionem quoque iniustam & metum grauem excusare ab hac pœna ecclesiastica, tametsi non tollat libertatem, neque excuset à mortali culpa: quemadmodum similis metus, & coactio excusat à censuris, vt suo loco diximus. Quartò, requiritur vt incestus commissus cum consanguineis viri, aut vxoris, sit intra secundum gradum lineæ rectæ, aut transuersalis: vt habetur in appendice Cõcilii Lateran. sub Alexandro III. parte 6. cit. De sponsalib. & matrimonio contrahendo, vel iam contracto, cap. 15. vbi Pontifex interrogatus de quodam, qui repudiata vxore legitimè, aliam consanguineam eius cognouerat, & ad vxorem eum repetentem redire nolebat, prætextu huius copulæ incestuosæ; respondit in hunc modum: *Si prima mulier, vel secunda, se vel primâ, vel secundâ lineâ contingunt, tu virum facias vtrãq; omni contradictione, & appellatione cessante carere, & sine spe coniugii perpetuò manere. si verò eas in tertio gradu solummodo, vel supra sese attingere constiterit, tu ipsum compellas à secunda recedere, & de commisso pœnitentiâ sibi condignâ impositâ, eum priorem, sicut vxorem suam recipere, & maritali de cætero affectu tractare constringas.* Idem etiam patet ex Tridentino sess. 24. cap. 4. de Reform. matr. vbi gradus dirimentes propter affinitatem illicitè contractam restricti sunt ad duos primos. Quare licet olim impedimentum hoc ad quatuor vsque gradus pertinuisset, vt aliqui existimant: iam tamen consequenter censeri deberet fuisse restrictum ad duos primos, virtute huius Concilii.

56. Incestus debet esse notorius.

Quintò denique, requiritur vt incestus sit notorius, ita saltem, vt in iudicio probari possit vt bene contra Sanchem docet Pontius cap. cit. num. 9. probatque ex appendice Concilii Lateranensis sub Alexandro III. part. 5. cap. 6. & part. 12. c. 1. Adduntque Palatius in 4. dist. 34. disp. 2. in fine, & Simanc. lib. Institut. Catholic. tit. 9. n. 202. non incurri hanc pœnam sante sententiam iudicis. Quod Palacius extendit generaliter ad cætera crimina matrimonium impedientia. Sed obstant verba Alexandri III. cap. 6. supra cit. sic dicentis: *Si publicum, & notorium fuerit, & eam, quam prius cognouerit, vxoris suæ consobrinam esse constiterit; aut alii comparent, qui hoc velint, vel possint legitimè comprobare: ipsum Religionem intrare commoneas, & inducas. Si autem eum ad hoc inducere non poteris, ei de tanto delicto dignam pœnitentiam imponas, & ipsum ab vtraque muliere remoueas, & sine coniugio perpetuò mancre præcipias. Sed si delictum eius occultum esse recognoscis, ipsum cum vxore, quam in facie Ecclesiæ duxit, morari permittas, & eidem de commisso condignam pœnitentiam imponas.* Hucusque Pontifex, vbi notanda sunt illa verba, *Aut alii comparent* &c. quibus significat non requiri, vt procedatur vsque ad probationem incestus, & sententiam de illo commisso, sed sufficere quòd probari possit legitimè.

57. Raptus sponsæ alienæ.

Secundum impedimentum est raptus sponsæ alienæ. Nam crimen istud est vnum de illis propter quæ iurę antiquo interdictum fuit matrimonium: vt habetur cap. *statutũ*, 27. q. 2. Sumpto ex Concilio Toletano, vel potius Rhemensi, his verbis: *Statutum est à sacro concilio, vt si quis sponsam alterius rapuerit, publicâ pœnitentiâ multetur, & sine spe coniugii remaneat.* Nomine autem sponsæ dicunt aliqui intelligendam esse vxorem solam: quia in lege odiosa ita nomen illud accipiendum est. Atque ita docent Sanch. lib. 7. disp. 12. num. 45. Pontius lib. 6. cap. 14. num. 3. & Mærat. disp. 11. sect. 2. Sed contrarium censeo cum Rebello 2. parte, lib. 3. q. 18. §. *De raptu*, post Glossam capitis *statutum*, supra citati, v. *Rapuerit*, Hugonem, Archidiaconum, Bellamerã, & Turrecrematam ibidem. Quia nomen sponsæ significat propriè sponsam etiam de futuro; & illi restrictioni ad solam vxorem in præsenti repugnare videtur cap. *Si autem necdum*, 36. q. 2. vbi dicitur, vt si raptores nondum coniugium inierunt cum raptis, parentibus earum consentientibus; separentur, & raptæ parentibus legaliter restituantur: & peractâ pœnitentiâ publicâ, si ætas, & incontinentia exegerit, legitimo, & ex vtriusque partibus placito coniugio socientur. Ac si vnus ex coniugatis obierit, & is qui publicam pœnitentiam egerit, superstes exiterit, iterare coniugium non præsumat. Vbi vides sponsæ nomen non accipi pro vxore aliena: hæc enim non posset de consensu parentum legitimo sociari coniugio cum raptore. Ac ne quidem necessarium esse, vt iam alteri sit de futuro desponsata, sed raptum simplicem sufficere, vt qui illius reus est, impediatur ad tempus à contrahendo, subiectus publicæ pœnitentiæ, atque etiam in perpetuum, si superuixerit coniugi.

58. Raptus simplex sufficit.

Addit Sanch. disp. cit. num. 46. hoc impedimentum non incurri per raptum simplicem, nisi accedat copula raptoris cum rapta: quia, inquit, delictum non est plenè consummatum. Leges autem pœnales, & odiosæ debent intelligi de actu consummato. Sed neque, hæc restrictio placet. Nam in canone *Statutum*, nulla fit mentio

copulæ, sed raptus dumtaxat: & raptus consummatus est, quando vi abducitur sponsa aliena, causâ libidinis, in eum locum, vbi non est in sua, & suorum potestate, sed in raptoris arbitrio. Et quemadmodum, vt rectè ait Sanch. ibid. num. 45. nihil refert ad hanc poenam incurrendam, sitne virgo, an corrupta quæ rapitur: & vtrum matrimonium cum viro suo legitimo consummauerit, an non: quia ius non distinguit: ita, loquendo cohærenter, debuit dicere nihil referre an raptor copulam habuerit cum rapta, necne: quia ius in eo quoque nullam distinctionem adhibet.

59. Rapta consentiens incurrit hoc impedim.

Notandum autem hanc poenam incurri non solùm à raptore, verùm etiam à rapta, si postmodum raptui consensum præbuerit; vt colligitur per contrarium sensum ex cap. *Statutum*, citato, verbis illis: *Et si reipsa eidem crimini consentiens non fuerit, licentia nubendi alii non negetur*. Quæ conditio frustra apponeretur, nisi neganda illi esset nubendi licentia, posito quòd consenserit. Quatuor verò conditiones requiruntur ad raptum, & ad hanc poenam canonicam incurrendam. Primò, vt adsit violentia, quæ vel ipsi fœminæ raptæ, vel eius parentibus, aut tutoribus, vel vtrisque inferatur. Secundò, vt raptus fiat causâ libidinis. Nam raptus propriè est species luxuriæ, vt docet S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 7. siue copula sequatur, siue non. Tertiò, vt rapta abducatur de loco in locum, vt extrahatur ipsius, vel parentum potestati: quemadmodum colligitur ex cap. *Lexilla* 36. q. 1. vbi dicitur raptum committi, quando puella abducitur, differtque à stupro, id est, oppressione violenta, extorquendo copulam per vim in eodem loco. Quartò, debet esse raptus honestæ mulieris, vt poenis legum subiiciatur: quippe quæ non loquuntur de alio; licet in foro conscientiæ nõ minùs raptus sit. Vt colligitur ex lege vnica Cod. de raptu Virg. iunctâ Glossâ ibid. Quæ omnia fusiùs explicata videri possunt apud Sanch. disp. cit. n. 3. & sequentibus: vbi addit n. 23. his poenis non ligari fœminas virorum raptrices, sed aliâ extraordinariâ puniendas esse iudicis arbitrio: quia in legibus, & canonibus fit tantùm mentio virorum rapientiũ: & in odiosis fœmininum non claditur sub masculino: neque leges voluerunt statuere de incommodo, quod vix vnquam contingit. Est autem fere inauditum, quod fœmina virũ rapuerit. Neque iste raptus est adeo ignominiosus, & iniuriosus: quia masculus raptus, eiusq; parentes & consanguinei, non tantam ex eo patiuntur infamiam, & iniuriam. Sed melius alii, quorum plurimos citat num. 44. docent leges de vtroque sexu intelligi. Quod probant præcipuè ex lege vnica citata §. *Et si quidem*, versiculo *Poenas autem*, vbi clarè vterque sexus exprimitur. Quomodo autem iure nouo raptus dirimat matrimonium dicemus inferiùs disp. 77. sect. 5.

Tertium impedimentum est vxoricidium. Qui enim vxorem interficit, priuatur spe coniugii cap. *Interfectores*, cap. *Quicunque*, & cap. *Admonere*, 33. q. 2. Quod intellige, licet maritus non occidat vxorem causâ ineundi aliud matrimonium. Nam tunc vxoricidium non solùm impedit, verùm etiam dirimit matrimonium subsequens, vt dicemus disp. sequenti sect. 5. Intellige præterea, quamuis occidat deprehensam in adulterio, nisi hoc faciat auctoritate iudicis post legitimam probationem; vt colligitur ex cap. *Quicunque*, supra cit. verbis illis, *Quicunque propriam vxorem absque lege, vel sine causa, & certa probatione interfecerit* &c. Eandemque poenam extendi ad vxorem, quæ virum occiderit, constat ex cap. 1. de Diuortiis, iuncto cap. *Indignantur*, 32. q. 6. vt bene docent Pontius lib. 6. cap. 14. n. 2. Rebell. part. 2. lib. 3. quæst. 18. §. *De vxoricidio*. Mærat. disp. 11. de Matrim. sect. 2. & Nauar. cap. 22. Manual. num. 74. initio, licet contradicat Sanch. lib. 7 disp. 16. num. 6. eisdem de causis propter quas suprà dixit poenam raptus non extendi ad fœminam, quæ virum rapuerit. Porro in Concilio Moguntino sub Rabano Mauro cap. 20. eadem poena extenditur ad parricidas: idemque sentiendum est de matricidis, velut eo nomine comprehensis: & ad fratricidas, qui eodem nomine comprehenduntur à Moguntino cap. cit. & ad matres filiorum interfectrices à Concilio Lateran. sub Alexandro III. part. 50. cap. 1. *De his qui filios occiderunt*, vbi de matre filii interfectrice sic dicitur: *Mandamus quatenus eam labores inducere, vt ad aliquod monasterium transeat, in quo perpetuâ poenitentiâ sua peccata deploret: si autem (repugnante carnis fragilitate) ad hanc induci noluerit, ei licentiam nubendi in Domino tribuas.*

60. Vxoricidium.

Quartum impedimentum est susceptio propriæ sobolis de fonte Baptismi dolosè facta, eo animo vt priuetur coniux potestate exigendi debitum, propter cognationem spiritualem ex eo ortam: vt dicitur cap. *De eo*, 30. q. 1. sumpto ex Concilio Moguntino, cuius verba sunt: *De eo qui filium suum baptizauit, & vxor eius cum de fonte suscepit hac causa vt diuortium coniugii fieret* &c. *De talibus sic respondendum est: Si coniuges legitimi, vnus, aut ambo, ex industria fecerint, vt filium suum de fonte susciperent, si innupti permanere voluerint, bonum est. Sin autem, graui poenitentia insidiatori iniungatur, & simul maneant: & si prænaricator coniugii superuixerit, acerrimâ poenitentiâ multetur, & sine spe coniugii maneat.*

61. Susceptio propriæ sobolis in baptismo.

Quintum est occisio sacerdotis; iuxta can. *Qui presbyterum*, de poenit. & remiss. vbi statuitur, *vt qui presbyterum occiderit, & de eo crimine conuictus fuerit, vsque ad vltimum tempus vitæ suæ militiæ cingulo careat, & absque spe coniugii maneat.* Vbi notanda est particula, *Conuictus*, ex qua Panormitanus ibid. Tolet. lib. 7. Instruct. Sacerd. cap. 19.

62. Occisio sacerdotis.

Digitized by Google

Rebellus supra §. *De presbytericidio.* Pont. lib. 6. cap. 14. num. 3. & alii colligunt requiri ad hanc pœnam incurrendam, vt occisio probetur in iudicio, & in foro contentioso, in quo alius est reus, & alius accusator, aut testes, per quos conuincitur.

63. Poenitentia solemnis.

Sextum est publica, & solemnis poenitentia, quâ durante matrimonium interdictum erat poenitentibus, vt patet ex can. 21. Concilii Arelat. 2. & cap. *Antiqui*, 33. q. 2. & aliis quæ retulimus disp. 55. sect. 1. Dixi autem, *ea durante*: quia postea liberum illis erat contrahere, cessante luctus tempore, propter quem à matrimonio prohibebantur, atque etiam ab illius vsu, si iam antea contraxerant. Quam ob causam poenitentia publica non imponebatur coniugato, nisi de consensu alterius partis, vt dicitur can. 23. Concilii supra citati.

64. Matrim. cũ Moniali.

Septimum, & vltimum impedimentum prohibens, est matrimonium sacrilegè attentatum cum sanctimoniali, vt habetur cap. *Hi ergo* 27. q. 1. vbi statuitur, *vt qui sanctimonialibus scientes matrimonio ad iniuriam Christi copulati sunt, iuxta censuram zeli christiani separentur, & nunquam eis concedatur coniugali vinculo religari, & in poenitentia lamentis se vehementer, dum viuunt, afficiant*: ac proinde totâ vitâ abstineant ab omni coniugio: quippe quod iniri non poterat, quamdiu publica poenitentia durabat.

65. Vigeatne adhuc prohibitio?

Cæterum hæc omnia impedimenta ex crimine orta durare adhuc, & obligare sub mortali ad non contrahendũ sine dispensatione prius obtenta, docet Rebell. 2. parte lib. 3. quæst. 18. num. 23. in fine, citans Nauar. Palud. D. Anton. Siluest. & plures alios pro eadem sententia. Sed meritò alii quos sequuntur Thom. Sanch. lib. 7. disp. 17. num. 8. & 9. Con. disp. 30. dub. 3. Pontius & Mæratius locis supra relatis, affirmant desiisse iam obligare per desuetudinem: quia iam à longo tempore nullus petit dispensationem, neque Prælati curant moneri fideles de illa petenda, quamuis interdum contingant huiusmodi crimina, idque à Prælatis non ignoretur, neque enim semper tam occultè fiunt, vt ignorentur ab Ecclesia: quamquam sufficeret tam longa consuetudo sine notitia, & tacito consensu Prælatorum, vt docet Sanch. ibid. num. 7.

66. Viget solũ in quatuor impedimẽtis.

Vnde collige quatuor esse tantùm impedimenta prohibentia, quæ in præsenti obligent: nimirum Ecclesiæ vetitum, tempus feriatum, sponsalia, & votum, iuxta explicationem datam sect. præcedenti. Superestque aduertere hanc prohibitionem non obligare cum notabili incommodo. Quare non peccaret v. g. quimetu graui compulsus, vel ad vitandum magnum aliquod malum, contraheret, & consummaret matrimonium cum prædictis impedimentis, si id necessarium foret ad incõmodum graue auertendum. Quod verum est non solùm de duobus primis iure solum ecclesiastico prohibentibus; verùm etiam de sponsalibus, & de voto, prohibentibus iure naturali, quia non obligant cum tanto discrimine, vt patet ex aliis promissionibus, & votis simplicibus, quæ non obligant rebus mutatis notabilissimè, vt ex communi omnium sententia affirmat Sanch. lib. 7. disp. 5. num. 3. Deberet tamen qui vouisset castitatem, abstinere à petendo debito, metu cessante, & periculo grauis mali.

SECTIO V.

Quæ, quotue sint impedimenta dirimentia: Et quantum obligent?

67. Sunt omnes quotuordecim;

DVodecim erant iure antiquo impedimenta matrimonium dirimentia, id est, irritum reddentia si cũ illis contrahatur: quibus alia duo iure nouo addita fuerunt à Tridentino sess. 24. cap. 1. & 6. Decreti de reform. matrim. Comprehenduntur autem omnia his versibus:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas,
Si fis affinis, si forte coire nequibis,
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto,
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Eorum varietas.

Eorum autem aliqua matrimonium irritant respectu cuiusuis personæ, vt votum, Ordo, ligamen, & impotentia coeundi. Alia tantùm respectu certæ cuiusdam personæ, vt crimen, disparitas cultus, cognatio, affinitas, & publica honestas. Alia tantùm irritant ratione modi contrahendi, ita vt validè possit alio modo contrahi, etiam cum eadem persona, vt error, conditio, vis, seu coactio, raptus, & contractus clandestinus. Possunt enim eædem personæ contrahere sublato errore, ignorantia, & coactione, & cessante raptu, seu puellâ constitutâ in loco tuto, vbi possit plena libertate consentire, & adhibitis Parocho, & duobus testibus. Numerus verò, & conuenientia horum impedimentorum colligi potest ex doctrina D. Thomæ quæst. 50. Supplementi, art. vnico, in corp. cuius summam retulimus in præfatione huius disputationis, fusiùs verò exposita videri potest apud Sanchez lib. 7. disp. 6. numero 4.

68. Graue peccatũ est cũ illis cõtrahere.

De illis omnibus in particulari eodem ordine differemus tribus sequentibus disp. Priùs verò generatim de illis quærendum est, an & quale peccatum sit contrahere cum huiusmodi impedimentis? Qua de re, Dico primò, Per se loquendo graue peccatum illud esse: quia sacramentum inde redditur irritum; & fit contra prohibitionem

Ecclesiæ in re grauissimò etiam contra præceptum naturale, vel diuinum, si impedimentum iure naturali, vel diuino positiuo inductum est. Dixi autem, *per se loquendo*; quia per accidens excusare potest ignorantia facti, vel iuris circa impedimentum: aut etiam grauis metus & coactio iniusta ad extorquendum matrimonium illata, iuxta ea quæ diximus disp. 71. sect. 6.

69. Et habet triplicem malitiam

Dico secundò peccatum eorum, qui scienter, & sponte contrahunt cum talibus impedimentis, habere communiter triplicem malitiam. Vnam inobedientiæ, contra legitimum præceptum Dei, vel Ecclesiæ prohibentis grauiter contrahere cum illis: alteram sacrilegii contra religionem, & reuerentiam debitam sacramento, quod suâ culpâ irritum reddunt: tertiam contra castitatem, ordinando (vt faciunt communiter) talem contractum ad habendam copulam prætextu veri matrimonii. Dixi autem, *communiter*, quia postrema intentio potest aliquando deesse. Secunda quoque deest matrimonio infidelium contrahentium cum aliquo impedimento naturali, aut positiuo, & inducto per statuta Principum, quibus subsunt. Neque enim infideles attentant contrahere sacramentaliter: neque, si velint, possunt, quamdiu non sunt baptizati. Fideles etiam, qui iuxta probabiliorem Doctorum sententiam sibi persuadent posse validè contrahi matrimonium, etiam à christianis, purè ciuiliter; non peccant contra reuerentiam sacramenti, si attentant solùm contrahere ciuiliter; sed peccant contra præceptum Dei, & Ecclesiæ volentis generaliter, vt non contrahant, nisi sacramentali modo. Consentit Aegid. disp. 30. dub. 2. eandemque esse sententiam Doctorum grauissimorum testatur Petr. Ledes. quæst. 50. de matrim. art. 1. diffic. 3. post secundam conclusionem.

70. Cõtraria sententia.

Contrarium verò docent Sanch. lib. 7. disp. 5. num. 1. affirmans vnam solùm hic reperiri malitiam transgressionis præcepti non autem sacrilegii: quia inquit, in eo differt matrimonium ab aliis sacramentis, quòd ista habent iure diuino materiam, & formam præscriptam, & determinatam, & solam sacramenti rationem subeunt: ac proinde materia eorum, & forma non possunt adhiberi, quin sint de se materia, & forma sacramenti. Quare si sit vsus indebitus, ita vt sacramentum irritetur, est sacrilegium. At matrimonium, vltra sacramenti rationem, est contractus quidam naturalis, nec habet materiam, & formam à Christo præscriptam, & determinatam, sed consensus legitimos contrahentium verbis, aut nutibus, aut literis expressos coram, aut per procuratorem. Vnde quando aliqui contrahunt cum impedimento naturali, vel ecclesiastico, non ipsi sacramentum irritum faciunt; quantum enim ex se est, validè contrahunt: sed ius ecclesiasticum, aut naturale statuens hoc impedimentum, illud irritat. Qua ratione excusantur à culpa, qui graui metu iniustè adacti contrahunt inualidè. Hæc ille.

71. Satisfit eius argumẽto.

Quibus respondeo, Christum quidem non determinasse aliam materiam, & formam sacramento matrimonii, præter eam, quæ sufficit ad consensum legitimum: sed nihilominus ex institutione, & determinatione Christi esse, quòd sacramentum matrimonii sit irritum, si consensus non est legitimus: peccantque contra illius valorem, qui talem consensum non adhibent. Graue autem peccatum est sponte vti materia, & forma ad sacramentum efficiendum, quam scias esse inualidam, & contrariam institutioni Christi. Quod quisquis facit, reddit sacramentum irritum: nihilque refert quòd materia, vel forma, quam adhibet, sit ab ipso corrupta, vel ab alio. Si enim quispiam v. g. vinum ab alio corruptum adhibeat scienter, & liberè ad consecrandum, non minùs peccat, quàm si ipsemet prius corrupisset. Sic ergo, licet non ipse contrahens, sed Ecclesia talem consensum irritauerit, & moraliter corruperit, statuendo esse inualidum: non minùs peccat contra reuerentiam sacramenti, qui eum adhibet ad matrimonium efficiendum; quàm si ipsemet sua fictione consensum faceret esse tantùm apparentem, & inualidum.

72. Cur non peccet cõtrahens inualidè ob graue metum.

Ratio autem cur non peccet, qui metu graui adigitur iniustè ad contrahendum, quamuis inualidè contrahat, est quia vel ignorat impedimentum: vel si non ignorat, non intendit facere sacramentum (ad quod etiam metus non obligat) sed tantùm eludere periculum fingendo se consentire, vel etiam consentiendo quantùm potest hic & nunc, inualidè tamen, & non sacramentaliter propter constitutionem Ecclesiæ irritantis. Ac sicut non peccat ille, qui iusta de causa, putâ, discendi studio, seque exercendi in modo celebrandi missam, proferret verba consecrationis super hostiam papyraceam sine intentione verè consecrandi: sic neque ille, qui iusta de causa, propter mortem, aut graue aliud malum iniustè intentatum ad matrimonium extorquendum, inualidè, & specie tenus consentit, signaque profert consensus interni inualidi, sine intentione efficiendi sacramentum matrimonii.

73. Doctrina aduersi non sibi cohæret.

Addo non bene cohærere hanc doctrinam Thomæ Sanchez cum eo quod ait num. 15. eiusdẽ disputationis, peccare peccato sacrilegii qui habent copulá cum impedimento voti prohibente, aut dirimente matrimonium, vel cum disparitate cultus: & committere peccatum incestus, eos qui copulantur habenti impedimentum consanguinitatis, sine dispensatione, vt dixit numeris præcedentibus, & nos modò confirmabimus: & nihilominus non esse in prædictis casibus aliam specialem malitiam in tali copula illicita distinctam ab ea, quæ consurgit ex matrimonii prohibitione. Nam si hæc

Digitized by Google

posterior propositio est vera, manifestè ex ea sequitur matrimonii prohibitionem propter talia impedimenta, constituere peccatum contrahentis in specie sacrilegii, vel incestus: quandoquidem copula contrahit hanc malitiam, illamque addit simplici fornicationi: Et tamen non aliam contrahit, quàm quæ oritur ex prohibitione matrimonii. Quare similiter prohibitio matrimonii ob talem causam addit speciem incestus, aut sacrilegij simplici inobedientiæ, quando illa non obstante attentatur matrimonium.

74. Non consonat etiam fundamento huius doctrinæ, tradito ab eodem Auctore num. 7. & 8. disp. citatæ: quòd scilicet, quando Ecclesia prohibet matrimonium inter aliquos, ob speciale motiuum alicuius virtutis, quod spectat, illudque motiuum inuenitur etiam in copula illicita, tunc tenetur etiam copulam ipsam inter eos prohibere: atque ita specialis est malitia in tali copula, diuersa specie à simplici fornicatione, & pertinens ad virtutem illam, ex cuius motiuo prohibetur matrimonium, ac necessariò explicanda in confessione. Vnde colligo prohibitionem Ecclesiæ propter motiuum talis virtutis efficere vt contra illam peccetur in contrahendo matrimonio, aque ac in habenda copula: cum vtrumque non minùs prohibeat intuitu talis virtutis. Quæ doctrina, vt magis explicetur,

75. Quomodo Ecclesiæ prohibitio inducit nouã peccati speciem.

Dico tertiò, Quando Ecclesia prohibet, & dirimit matrimonium dumtaxat in pœnam alicuius criminis, ex g. propter vxoris, aut mariti occisionem, vel ob adulterium sub spe, & promissione matrimonii cum adultero ineundi commissum, vel propter raptum: copula, quæ à talibus post matrimonium attentatum habetur de consensu vtriusque, non habet specialem malitiam distinctam à fornicatione, vt rectè docent Sanch. lib. 7. disp. 5. num. 17. & 18. & Aegid. Con. disp. 30. dub. 2. num. 21. Ratio est, quia motiuum prohibitionis tunc non habet locum in copula. Causa enim prohibendi matrimonium interficienti coniugem ad ineundum aliud matrimonium, vel adulteranti cum promissione illius ineundi, est ne detur ansa captandi mortem coniugis ad contrahendum cum alio. Quæ causa non habet locum in copula post mortem illius secuta. Ratio quoque irritandi matrimonium inter raptum, & raptam, quamdiu non est tuto loco reddita, fuit, quia expedit contrahentem habere plenam libertatem ad inducendum sibi vinculum perpetuum. Quod non habet locum in simplici copula. Quare si fiat raptâ sponte consentiente, non habebit aliam malitiam, quàm fornicationis. Si verò fiat eâ dissentiente, & violenter oppressâ, erit stuprum: sed tale etiam esset, quamuis matrimonium non fuisset attentatum, vel si absque abductione fuisset oppressa.

Dicò quartò, iecus iudicandum esse, 76.
quando Ecclesia prohibet, & irritat matrimonium, non in pœnam criminis, sed propter motiuum alicuius virtutis, habens locum in copula, æquè ac in contractu matrimonii. Ratio est, quia tunc reddit vtrumque illicitum, si attententur non obtenta dispensatione. Atque ita qui contrahit cum impedimento consanguinitatis v. g. committit malitiam incestus in copula, æquè ac in contractu: quia facit contra reuerentiam sanguinis, propter quam prohibetur tale matrimonium: æquè enim, aut magis violatur per copulam. Ad eandemque malitiam reducitur copula exercita cum habente impedimentum cognationis legalis, propter quam debet reuerentiam adoptanti: sicut ob carnalem cognationem debetur reuerentia consanguineis. Ad eandem quoque speciem reducitur copula cum affine: & cum habente impedimentum publicæ honestatis, quæ est inchoata quædam affinitas. Et qui copulatur habenti impedimentum cognationis spiritalis, committit vltra fornicationem peccatum sacrilegii: quia peccat contra reuerentiam sacramenti Baptismi, vel Confirmationis, ex quibus illa contrahitur. Similiterque sacrilegium committi, qui copulatur habenti impedimentum voti castitatis; vel etiam cum impedimento disparis cultus: quia id quoque cedit in irreuerentiam Religionis, quam Ecclesia vitare intendit in copula, æquè ac in contractu, cùm vtrumque vergat in illius dedecus, & iisdem fere incommodis obnoxium sit: peruersionis scilicet: vel educationis prolis in infidelitate: vnde etiam talis copula, quãuis sine attentato matrimonio habita, graui & speciali pœna mulctatur apud quasdam nationes, vt testatur Sanch. vbi supra num. 12. Sic etiam addit speciem adulterii, qui rem habet cum impedimento ligaminis, id est, cum persona alteri deuincta legitimo coniugio, vel si ipse eodem laborat impedimento. Et si intercedat in pedimentum naturalis impotentiæ, additur species quædã peccat contra naturam: quia frustratur finis ad quem natura copulam destinauit. Cæterùm quando dispensatur in impedimentis ad contrahendum matrimonium, consequenter dispensatur ad copulam, nisi aliud exprimatur.

DISPVTATIO SEPTVAGESIMA QVARTA,

De impedimentis dirimentibus in particulari: & primò de quinqueprioribus, Erroris, Conditionis, Voti, Cognationis, & Criminis.

Sectio I. *De impedimento Erroris: vtrum error circa personam, vel eius qualitatem impediat matrimonium, & quo iure?*

Sectio II. *Quomodo error circa conditionem seruilem irritat matrimonium: & quomodo serui validè, aut licitè contrahere possunt?*

Sectio III. *De impedimento voti solennis.*

Sectio IV. *De impedimento triplicis cognationis, carnalis, spiritalis, & legalis.*

Sectio V. *De impedimento criminis.*

DE impedimento Erroris disputat S. Thom. q. 51. Supplem. docetque errorem iure naturali impedire matrimonium, quia maximè impedit consensum, qui est causa matrimonii. Consensus enim est actus voluntatis, qui necessariò præsupponit actum intellectus. Deficiente autẽ primo, necesse est defectũ contingere in secundo. Sed hic error versari debet circa aliquid eorum quæ sunt de essentia matrimonii, vt ipsum reddat irritum: nimirum circa personam ipsam, vel conditionem eius seruilem. Duo enim includit ipsum matrimonium: videlicet personas, quæ coniunguntur, & mutuam potestatem in inuicem, in qua matrimonium consistit: Et in vtrumque debet ferri consensus. Primum autem tollitur per errorem personæ. Secundum per errorem conditionis: quia seruus non potest sui corporis potestatem liberè alteri tradere sine consensu domini. Et propter hoc hi duo errores matrimonium impediunt, non alii.

De impedimento conditionis tractat idem S. Doctor quæst. 52. docetque primò, conditionem seruilem personæ contrahentis, si ignoretur ab altero, irritare matrimonium. Quia cùm matrimonii contractus obliget vnum coniugum ad reddendum alteri debitum liberè: si ille, qui se obligat, est impotens ad debitum liberè reddendum, ignorantia eius impotentiæ in eo, qui se obligat, tollit contractum. Sicut impotentia coëundi simpliciter, & reddendi debibum, si ignoretur, irritat contractum, non autem, si sciatur. Secundò, seruum posse nesciente

ciente Domino, aut contradicente matrimonium liberè contrahere: quia ius positiuum non potest præiudicare iis, quæ sunt de iure naturali. Seruitus autem pertinet ad ius positiuum: & matrimonium ad ius naturale. Sicut enim appetitus naturæ est ad conseruationem individui per esum & potum: ita est ad conseruationem speciei per generationem. Vnde sicut seruus non ita subditur domino, quin possit liberè comedere, & dormire, & alia huiusmodi facere, quæ ad necessitatem corporis pertinent, sine quibus natura conseruari nequit: ita non subditur ei, quantum ad hoc quòd non possit liberè matrimonium contrahere. Tertiò, virum posse alteri, se in seruum dare absque vxoris suæ consensu: quia non subiicitur vxori, nisi in iis, quæ ad actum naturæ spectant, ad quæ seruitutis subiectio non se extendit. Quartò, cùm ex parte substantiæ corporalis, quæ trahitur à matre, seruitutis conditio attendatur; rationabiliter per leges ciuiles statutum esse, vt proles matrem potiùs sequatur in libertatis, & seruitutis conditione, quàm patrem. Licet in quibusdam nationibus, quæ iure ciuili non regunter, proles deteriorem sequatur conditionem cuiuscunque parentum.

De impedimento voti differit idem S. Doctor q. 53. art. 1. & 2. docetque votum simplex non dirimere matrimonium: secus autem solemne, idque ex natura sua. Ratio primæ partis est, quia votum simplex est tantùm promissio. Res autem alicui promissa tantùm, manet adhuc in dominio promittentis, potestque validè, quamuis illicitè, ab eo donari alteri. Quare votum simplex, id est, promissio Deo facta proprii corporis ad continentiam seruandam, non impedit quò minùs possit validè, sed non licitè illud tradere vxori. Secundum verò probat à contrario: quia per votum solemne amittit homo corporis sui potestatem, Deo illud ad perpetuam continentiam tradens: & ideo ex natura rei non potest ipsum tradere in potestatem vxoris, matrimonium contrahendo.

De impedimento triplicis cognationis agit quæst. 54. 56. & 57. In quarum prima, quæ est de cognatione carnali, siue de consanguinitate, docet præcipuè, consanguinitatem, quantum ad aliquos gradus & personas, dirimere matrimonium iure naturali: quantum ad aliquas, iure diuino: & quantum ad aliquas, iure per homines instituto. Possunt enim ex Ecclesiæ statuto taxari gradus aliqui matrimonium dirimentes, prout Ecclesia à Spiritu sancto edocta humano generi conuenire iudicauerit. In secunda, quæ est de cognatione spirituali, affirmat illam solo iure ecclesiastico matrimonium dirimere, si illud præcedit: eamque solùm contrahi per sacramenta Baptismi, & Confirmationis: quorum vno accipitur natiuitas spiritualis, & altero completur. Contrahitur autem inter baptizatum, & eum à quo leuatur de sacro fonte: quia hic gerit personam matris Ecclesiæ. Transitque à viro in vxorem, quam carnaliter cognouit, si quis per proprium actum, alterius filium de sacro fonte suscipiat. Transit etiam ad filios carnales patris spiritualis, quia filius est aliquid patris: licet à patre non transeat in filios, quia pater

non est aliquid filii, quamuis filius sit aliquid patris; vt dicit Philosophus 8. Ethic. cap. 12. In tertia, quæ est de cognatione legali; dicit adoptionem, quæ est extraneæ personæ in filium, aut filiam vel nepotem legitima assumptio, dirimere matrimonium per leges humanas ab Ecclesia approbatas. Quæ cùm sit triplex: Vna quasi descendentium, quæ contrahitur inter patrem adoptantem, & filium adoptatum, & filium filii adoptiui, & nepotem, & sic deinceps: Secunda, quæ est inter filium adoptiuum, & filium naturalem: Tertia, per modum cuiusdam affinitatis, quæ est inter patrem adoptantem, & vxorem filii adoptiui: vel è contrario inter filium adoptatum, & vxorem patris adoptantis: Prima cognatio, & tertia perpetuò matrimonium impediunt. Secunda autem, non nisi quandiu filius manet in potestate patris adoptantis: vnde mortuo patre, vel filio dum emancipato, potest contrahi inter eos matrimonium.

Denique de impedimento criminis agit qu. 60. vbi affirmat non posse licitè, & sine peccato mortali maritum auctoritate propria occidere vxorem, licet deprehensam in adulterio: posse tamen zelo iustitiæ eam iusticialiter accusare, vt in eam animaduertatur. Et vxoricidium aliquando impedire tantùm ne licitè contrahatur matrimonium: aliquando etiam dirimere, hoc est, impedire ne validè possit contrahi cum alio: Impedit tantùm, quando vir occidit vxorem propter adulterium, aut etiam propter odium. Tamen si timetur periculum incontinentiæ, potest cum eo dispensari per Ecclesiam, vt licitè contrahat. Dirimit autem, quando aliquis interficit vxorem suam, vt ducat eam cum qua mœchatur: tunc enim fit inhabilis ad contrahendum cum illa: sed non propterea fit inhabilis respectu aliarum. Hæc D. Thomas, quæ sequentibus sectionibus explicanda sunt.

SECTIO I.

De impedimento erroris.

1. Error hic potest esse quadruplex.

SVppono primò, quadruplicem errorem contingere posse in contractu matrimonii, vt dicitur Causâ 29. qu. 1. cap. vnico. Videlicet, vel circa personam, cum qua contrahitur: quando aliquis circa illam decipitur, & loco eius, quam putat, accipit aliam: vt quando Iacob loco Rachelis accepit Liam. Vel 2. circa conditionem eius seruilem, putans esse liberam, quæ mancipium est. Vel 3. circa qualitatem personæ: vt si putet esse pulcrâ, nobilem, aut sanam, quæ reipsa est deformis, ignobilis, aut leprosa. Vel 4. circa bona fortunæ, putans esse diuitem, quæ pauper est: vel in dignitate constitutam, quæ plebeia est. De secundo errore, qui est circa conditionem seruilem, dicemus sect. sequenti, pertinet enim ad impedimentum conditionis, de quo ibi differendum: nunc de tribus prioribus agendum est.

2. Et vel antecedens, vel concomitans.

Suppono secundò, errorem duplicem esse. Vnum antecedentem, id est, qui dat causam contractui, ita vt sine illo non fieret. Putà, si quis errans circa personam, aut qualitatem personæ sic est affectus, vt omnino non contraheret cum illa, si veritatem notam haberet. Alterum concomitantem: quando nihilo minùs contraheret, tametsi non erraret. Vt si contrahens cum Paula putat esse Mariam: sed nihilominus æquè libenter, aut etiam libentiùs cum Paula contraheret.

3. Error antecedens circa personam irritat matr.

His præsuppositis dico primò. Errorem antecedentem circa substantiam personæ facere matrimonium irritum iure naturali, atque etiam positiuo ecclesiastico. De iure positiuo ecclesiastico patet ex cap. vnico 29. q. 1. De naturali probatur, quia ex natura rei nullum est matrimonium, vbi non est consensus. Error autem antecedens circa personam,

Digitized by Google

tollit consensum: quia reddit contractum cum tali persona simpliciter involuntarium. Neque enim vult cum illa contrahere, sed omnino cum alia, cuius loco per errorem & deceptionem ista substituitur. Confirmatur, quia error circa substantiam contractus reddit illum irritum iure naturali. Vt si quis pro tritico vendat hordeum, pro auro aurichalcum, pro gemma lapidem. Error autem circa personam in matrimonio est error circa substantiam contractus. Est enim ille contractus mutua traditio corporum: adeoque corpora, quæ traduntur, sunt de substantia illius traditionis: sicut id quod venditur, est de substantia contractus emptionis.

4. Solvitur obiectio.

Neque obiicias validum fuisse coniugium Iacob Patriarchæ cum Lia, Rachelis loco substituta, Gen. 29. Respondeo enim vel Iacob derogasse suo errori, modo paulò post explicando: vel, vt dicitur canone supra citato, Iacob, & Liam non fecit coniuges præcedens consensus, sed subsequens errore detecto. Non obest etiam quòd in contractu venditionis error circa personam, non illum vitiat: vt si Petro vendas, putans esse Paulum. Quia in venditione error personæ est accidentarius contractui: secus autem in matrimonio. Ratio differentiæ est, quia in matrimonio persona ipsa, est id quod traditur per contractum: secus in venditione mercium, aut prædiorum, & similium rerum. Obiterque notandum est id quod est accidentarium respectu vnius contractus, posse esse substantiale respectu alterius. Quid autem in vnoquoque sit substantiale, iudicandum est ex ipsa natura contractus. Et exempla prudenter hac de re iudicandi videri possunt apud Sanchem lib. 7. disp. 18. nu. 12. & sequentibus, & Pontium lib. 4. cap. 20. vbi rectè dicit quòd si quis titulo eleemosynæ donet aliquid illi quem putat esse pauperem, ad subleuandam illius miseriam: error iste circa personæ qualitatē vitiat donationē: quia pertinet ad substantiale obiectum eleemosynæ, quæ est subleuatio miseri, & indigentis. Vnde hæc donatio est irrita, nisi donans intentione superiori deroget suo errori, velitque absolutè donare. Secus autem si putet esse fidelem, cùm sit infidelis: quia substantia donationis eleemosynæ eò solùm tendit, vt subleuetur miseria pauperis, cui accidentarium est, quòd sit fidelis, vel infidelis: bonus, vel malus; amicus, vel inimicus. Item si quis donat alteri titulo consanguinitatis, & pietatis, vel obseruātiæ erga parentes: si non sit consanguineus, donatio vitiatur: quia consanguinitas est circunstantia substantialis huius actionis. Idemque dicendum, si quid donetur alicui titulo sanctitatis, & religionis: illeque non sit sanctus, sed talem se simulet. Aut si detur beneficium simulanti se esse dignum, ab Episcopo nolente nisi digno conferre. Item si quis vendat gemmam putans esse lapidem, venditio non valet: quia est error circa substantiam rei, quæ venditur. Contra verò si vendat inimico, putans esse amicum, cui alioqui non vendidisset, valet contractus nihilominus: quia hæc circunstantia est accidentaria, & extrinseca contractui venditionis.

5. Idem dicendum de errore cōsultante.

Dico secundò, irritari quoque ex natura rei matrimonium per errorem concomitantem circa personam. Probatur, quia error ille tametsi non facit involuntarium contrariè, facit tamen involuntarium negatiuè, id est, non voluntarium. Atqui de ratione, & essentia contractus matrimonii est, vt sit positiuè voluntarius, id est, vt actu, & reipsa consentiat contrahens in personam, quæ traditur. Quare ex natura rei talis error irritum reddit contractum. Neque obest, quòd licet non erraret, nihilominus contraheret libenter cum tali persona. Nam consensus qui esset in eo casu, non est reipsa: matrimonium autem non fit sine consensu actu existente, & posito in rerum natura. Loquor autem in hac conclusione, & in præcedenti de eo, qui non derogat errori suo volendo absolutè contrahere cum persona præsente, vel suæ cognitioni obiectā, quæcunque illa sit: sed potiùs determinat consensum ad personam, quam sibi repræsentat. Nam si errori suo derogaret, verè contraheret: quamuis in foro externo præsumeretur matrimonium esse inualidum, si intentio derogans non esset nota.

6. Non potest Ecclesia hūc defectū supplere.

Hinc colligo primò, Ecclesiam non posse efficere, vt valeat matrimonium cum errore personæ supradicto contractum: quia non potest dispensare in impedimento naturali: neque supplere in matrimonio defectum consensus, sicut facit in quibusdam aliis contractibus ciuilibus. Colligo secundò tale matrimonium non valere etiam inter infideles: quia non possunt valicè contrahere cum impedimento iuris naturalis, quod omnes ligat, vt per se notum est, & affirmatur in cap. *Gaudemus*, de diuortiis. Colligo tertiò, matrimonium in eo differre ab aliis sacramentis: quòd in istis tenetur minister non determinare suam intentionem ad hanc personā, quem baptizat, v. g. vel absoluit à peccatis, ita vt nolit baptizare, vel absoluere, si erret circa illam: sed potiùs debet habere intentionem baptizandi, vel absoluendi eam, circa quam operatur, quæcunque illa sit (quod parum, aut nihil illius interest) ad vitandum periculum sacrilegii, & irritationis Sacramenti. At in matrimonio, quod per se primò est contractus, & secundariò sacramentum, potest licitè contrahens determinare suam intentionem ad personam, quam habet in cognitione, & nolle contrahere, si circa illam erret. Quia id maximè ipsius interest: neque tenetur cum tanto suo incommodo vitare ne contractus sit inualidus, & consequenter nullum sacramentum.

Dico tertiò errorem circa qualitatem 7.

Error circa qualitatē personæ nō irritat.

personæ non reddere matrimonium irritum, quamuis sit antecedens: nisi contrahens ad illam determinet suam intentionem, & conditionatè contrahat tacitè vel expressè, si verè subsit talis qualitas, alioqui non: vel nisi error circa qualitatem, recidat in errorem personæ. Idemque sentiendum est de errore circa bona fortunæ. Prima pars huius assertionis probatur ex cap. *Cùm in Apostolica*, de Sponsalibus, vbi dicitur matrimonium non irritari ex mendacio, & subreptione ad ipsum inducente. Quod cùm non sit intelligendum de mendacio, & subreptione circa personam, de qua contrarium statuitur cap. vnico 29. quæst. 1. superest, vt intelligatur de mendacio, & subreptione circa qualitates, & accidentia personæ. Probatur secundò, quia ad valorem contractus ex natura rei sufficit, vt subsistāt ea quæ pertinent ad ipsius substantiam. Nam ad contrahendam obligationem non est necessarium consentire in accidentia contractus, sed sufficit consentire in substantiam ipsius. Qualitates autem personæ non pertinent ad substantiam contractus matrimonialis, vt suprà diximus. Et confirmatur ex lege *In venditionibus*, ff. *de contrahenda emptione*, aliisque pluribus, affirmantibus contractus non vitiari errore accidentium, sed solius substantiæ, quantum est ex natura rei, & secluſa lege positiua contrarium statuente, quæ hîc nulla est. Quando tamen contractus est solubilis naturâ suâ, error notabilis circa qualitates, & accidentia, dat sufficientem causam resiliendi, & rescindendi contractum, eo detecto: vt fit etiam in sponsalibus. At non in matrimonio, quod semel contractum solui nequit, exceptis casibus perpaucis alibi explicatis.

8. Nisi ad illā determinetur intentio.

Secunda pars, quâ diximus excipiendum esse casum, quo contrahens intentionem suam determinaret ad aliquam qualitatem, & sub illius conditione contraheret tacitè, vel expressè, idemque de fortunæ bonis sentiendum esse, probatur quia si quis ita consensum suum determinat, neque intendit consentire cum persona, nisi talis sit, qualem esse putat: verè non consentit, illâ qualitate non subsistente: ac proinde matrimonium nullum est ex ipsa rei natura defectu consensus. Neque enim est consensus sine conditione, sine qua contrahens non vult consentire, nec nisi secundum illam. Pro quo nota, consensum sequi conditionem: & non esse vltra illam, sed intra illam esse in id, ad quod fertur: neque esse necessariò in id omne, quod est in cognitione: sed in id ad quod voluntas adiungitur, & quatenus adiungitur. Quare si aliqua persona non est vllo modo in cognitione, impossibile est circa illam esse consensum: quia voluntas non fertur in incognitum. Cúmque voluntas non operetur necessariò in id omne, quod est cognitum, sed pro sua libertate possit consensum determinare ad aliquid: non fuit satis ad consensum personam esse in cognitione, nisi reipsa illi conueniant ea omnia, ad quæ voluntas consensum suum determinat, ita vt aliter consentire non velit, neque reipsa consentiat. Quare in eo casu matrimonium nullum est in foro interno, & coram Deo: licet in externo præsumatur esse, quia non probatur, vel non admittitur talis restrictio. Aliud verò est apponere conditionem, aut qualitatem aliquam, ac sub ea consentire: & aliud, præsumere aliquid esse, ac propter huiusmodi præsumptionem, licet falsam, consentire in personam aliquam: ita vt verè & absolutè consentiatur, quamuis ex falsa opinione, quòd hoc aut illud sit: non autem sub conditione, si hoc, aut illud sit. Priori modo conditio se habet tantùm motiuè seu excitatiuè: & illius error non impedit valorem matrimonii. Posteriori modo se habet obiectiuè, & determinatiuè respectu consensus, ingrediturque substantiam contractus determinati ad obiectum sub tali conditione.

9. Item conditio determinans consensum, vel intentio derogans, duplex esse potest: implicita, & explicita. Aequum enim est vt possit esse conditio quædam, quæ tacitè consensum afficiat, & determinet, nisi expressè detur tam absolutè, vt nullam admittat conditionem non necessariam. Quo pacto liber homo contrahens censetur tacitè apposuisse conditionem illam, vt libera esset persona, cum qua contrahit, & quam liberam esse putat. Ideóq; in cap. vlt. *de coniugio seruorum*, statuitur tale matrimonium nullum esse censendum: & quamuis ipse non tacitè apposuisset, ius tamen apponit, & irritat matrimonium cū tali errore factum. Contra verò in aliis qualitatibus, vt sanitate, integritate corporis, diuitiis, & aliis fortunæ bonis, quando circa illa contingit error, præsumitur, tacitè saltem, per superiorem intentionem derogatū errori fuisse: aut huiusmodi qualitates motiuè tantùm, seu excitatiuè, & non determinatiuè ad consensum se habuisse.

10. Vel recidit in errorem personæ.

Tertia pars conclusionis, quâ diximus, *nisi error circa qualitatem recidat in errorem personæ*, probatur, quia interdum qualitates sunt eiusmodi, vt determinent personam, cum qua contrahitur: ita vt illis non subsistentibus, consensus non feratur in illam determinatè, sed in aliam menti obiectam, ad quam intellectus determinatur per huiusmodi qualitatem, & cum qua sola hîc & nunc contrahere intendit, diuersam ab illa, quæ eius loco supponitur. Vt si fœmina princeps contraheret cum aliquo fingente se primogenitum esse Regis Angliæ, de cuius filio illa priùs inaudierat, & loco illius se substituente. Quamuis enim *esse ortum à Rege* sit conditio, & qualitas personæ: est tamen vna de circunstantiis determinantibus personam, & intellectum ad illam: ac proinde, si non subsistit, contrahens non consentit determinatè in personam substitutam, sed habet suam intentionem ad aliam. Consensus autem matrimonii debet ferri determinatè in

Digitized by Google

personam, cum qua contrahitur, cuique vicissim vnus alteri seipsum tradit.

11. Ex his facilè decidi possunt variæ quæstiones, quæ hoc loco proponi solent. Vna est, Valeatne matrimonium eius, cui pater promisit primogenitam, ipsi ignotam nisi de fama: tum loco illius mittit secundo-genitam, cum qua iste contrahit? Respondeo non valere: quia est error personæ; cùm eius intentio feratur absolutè in primogenitam sibi promissam, nolitque nisi cum illa contrahere: nisi deroget errori suo per consensum absolutum, quo velit cum ista contrahere, siue sit primogenita, siue non.

Solvuntur variæ quæstiones circa errorem.

12. Altera quæstio est, quam proponit Tabiena v. *Impedimentum* 1. q. 4. num. 5. Valeatne matrimonium eius, qui petiit à Petro eius secundo-genitam valdè speciosam: & pater eam negans, obtulit illi primogenitam ipsi ignoram: quam cùm ille priùs ostendi cuperet amico suo, pater loco primogenitæ, quæ deformis erat, ostendit secundo-genitam: de cuius pulcritudine certior ille factus per amici relationem, cõsensit in matrimonium, & contraxit antequam illam videret. Respõdeo non valere: quia fuit error circa personam. Non enim consensit, nisi in personam determinatam per aspectum, & relationem amici. Hæc autem fuit secundo-genita, cuius loco altera substituta fuit. Idemque dicendũ esset, quamuis pater secundo-genitam non illi priùs negasset: vt rectè ait Pontius lib. 4. cap. 22. num. 3. & 4. contra Sanch. Aegid. & alios contrarium sentientes.

13. Tertia quæstio est; Valeatne matrimonium si pater plures habens filias nullam promittit in particulari, sed vnam ex pluribus: & tunc iuueni volenti eam priùs videre per amicum, vnam ostendit, & aliam tradit? Respondeo non valere: quia iuuenis intentio determinatur ad illam, quæ amico ostensa fuit, quæque per illum venit in ipsius cognitionem. Idque verum est, licet pater aliam non suam ostendisset: non enim propterea minùs ad istam determinatur cognitio, & consensus iuuenis. Sed quid si pater, postquam vnam de filiabus suis promisit, ostendit non suam, & reipsa eandem illi tradit? Respondet Aegid. disput. 31. num. 19. nullum fore matrimonium: quia consensus iuuenis non fertur in vllam ex his duabus determinatè. Neque enim in filiam, quia non ostenditur: neque in ostensam, quia non est filia. Et hoc per se loquendo verum esse mihi videtur: quia talis qualitas determinat substantiam personæ, & intentionem contrahentis: neque tantùm concomitanter se habet, & per accidens: nisi contrahens suo errori deroget, volens absolutè contrahere cum persona sibi exhibita.

14. Quarta quæstio est, Valeatne matrimonium, quando aliquis nouit de facie personam, vel etiam cum ea aliquandiu versatus est: posteaque falsò persuadetur esse diuitem, nobilem, & moribus facilibus: illaque persuasione inductus init cum illa matrimonium? Respondeo valere: quia communiter consensus, & intentio determinatur ad personam secundum primam illius cognitionem, quæ fuit notitia ipsius personæ. Posterior verò cognitio falsa qualitatum se habet tantùm motiuè, & excitatiuè: ideoque non irritat contractum. Atque ita iudicatur in foro externo: & in interno idem iudicandum est, nisi constet appositisse consensui has qualitates veluti conditiones sine quibus non.

15. Quinta quæstio est, Vtrum error facti circa personam, cum qua contrahitur, iunctus scientiæ iuris, irritet matrimonium? Exempli gratiâ, credunt aliqui, sed falsò se consanguineos esse in quarto gradu, sciuntque se non posse contrahere sine dispensatione, sed nihilominus volunt contrahere non obstante hoc impedimento: valetne reipsa matrimonium? Respondeo valere, si habent intentionem absolutam contrahendi quantum possunt. Sed vt habeant hanc intentionem, necessarium est subesse illis aliquam suspicionem erroris, & hunc actum formaliter & expresè, aut virtualiter, & implicitè concipere: Existimo me habere impedimentum: sed si fallor, omnino volo contrahere. Nam sine isto iudicio conditionato, & cum certa scientia absoluta impedimenti, & impotentiæ contrahendi validè cum illo, impossibile est velle absolutè contrahere matrimonium: quia nemo potest velle absolutè, & efficaciter impossibile, notum vt tale.

An error facti cum scientia iuris irritet?

16. Porrò qui fallit in aliqua notabili qualitate circa matrimonium, licet non irritante, vel in bonis fortunæ notabilibus, peccat mortaliter, nisi excuset ignorantia & bona fides, vel occasio alicuius maioris boni secuturi ex tali matrimonio, & talis, vt propter illud pars decepta non debeat esse rationabiliter inuita. Et si res est adhuc integra, debet ille qui decipit, moneri à confessario, nisi periculum sit, ne ex admonitione paria, vel maiora damna secutura sint; vel occasio peccati futura pœnitenti, absque vllo fructu. Putà, si quæ virginem se esse fingit, fuit ab alio cognita, putatque bona fide se posse licitè alteri nubere, & non desistet admonita, vt honori suo, vel vtilitati consulat.

Graviter peccat qui fallit in re graui.

SECTIO II.

An & quomodo error circa conditionem seruilem irritet matrimonium: Et quomodo serui validè aut licitè posint illud contrahere?

17. CIrca primum, dico primò, errorem circa conditionem seruilem personæ irritare matrimonium, quando persona libera cõtrahit cum serua, putans esse liberam. Patet

Quis & qualis hic error esse debeat?

ex cap. *Si quis ingenuus*, 29. qu. 2. & cap. 2. & vlt. *de Coniugio seruorum*. Quod intellige 1. nisi persona libera deroget suo errori, velitque absolutè contrahere cum hac persona, siue serua sit, siue libera. Potest enim liber cum serua contrahere, si velit: quia potest derogare suo iuri, & renunciare priuilegio sibi concesso in fauorem suæ libertatis, & propter iniuriam, quæ fieret personæ liberæ contrahenti ignoranter cum serua. Intelge secundò, de persona serua propriè, & simpliciter dicta: id est, mancipio, in quod Dominus plenum ius habet vendendi, & donandi, & quibuslibet seruilibus operibus occupandi. Nam alia conditio seruilis honestior, & minùs propriè dicta, non irritat matrimonium, cùm isti non sint propriè serui, sed liberi. Intellige tertiò, si persona libera planè ignorauit, aut errauit inculpabiliter, circa conditionem seruilem alterius. Quia si probabiliter existimauit seruam esse, aut dubitauit, & scire neglexit, crassâ, vt dicitur, ignorantiâ, vel affectatâ; valet matrimonium: quia censetur errori suo derogasse sufficienter. Intellige 4. de errore personæ liberæ circa seruam. Nam è contrario error seruæ circa liberam non irritat matrimonium: neque etiam si erret circa seruam: quia sunt paris conditionis: & hoc impedimentum statutum fuit solùm in fauorem personæ liberæ errantis circa seruam, vt patet ex iuribus supra citatis. Intellige quintò, matrimonium personæ liberæ cum serua esse irritum propter errorem conditionis, nisi saltem eo instanti, quo contrahit, fiat libera. Vt contingit tribus modis. 1. Si Dominus seruum, aut seruam tradat libero in matrimonium, ignoranti ipsius seruitutem: vel isti se tradant vt liberos, Domino sciente, vel dissimulante: vt dicitur Authentica *De nuptiis* cap. 2. §. *Si verò ab initio*, 2. Si Dominus mancipium nuptui tradat cum dote illi assignata, vel cum dotalibus instrumentis, illius iussu, aut permissu scriptis: quia dos non nisi liberis assignari solet: vnde eo ipso, quòd dotem mancipio assignat, censetur ei libertatem concedere: Cod. De latina libertate, Lege vnica, §. *Sed & quis*. 3. Si Dominus ducat ancillam suam. Nam hoc ipso efficit liberam, iure consuetudinario. Et quamuis aliqui velint in huiusmodi casibus valere matrimonium, tunc solùm quando conditio seruitutis non ignoratur: meliùs tamen alii, quos citat, & sequitur Rebell. 2. part. libro tertio, quæst. one tertia, numero vigesimo nono, affirmant valere: quia iura citata concedunt libertatem in prædictis casibus eo fine, vt matrimonium valeat, & Ecclesia non statuit contrarium.

18. Sufficitne personam paulò post fieri liberã?

Dixi autem, *si eodem instanti*: quia non sufficit, quòd postea fiat libera: etiamsi coniux ignarus status seruilis, copulam cum illa habuerit animo maritali, siue ante, siue post libertatem adeptam. Quia copula illa non firmat matrimonium ab initio inualidum; cùm non habeatur nisi virtute primi consensus, qui fuit inualidus: vt rectè ait Glossa in caput, *si quis ingenuus*, suprà citatũ. Quod tamen limita, nisi ante copulam sciuerit conditionem seruilem præsentem, aut præteritam, & nihilominus affectu maritali eam habuerit. Tunc enim validum fit matrimonium, positis aliis ad eius valorem requisitis, iuxta caput proximè citatum, & caput *Ad nostram*, de coniugio seruorum. Sunt etiam qui existiment sufficere, quòd persona in præsens sit libera quoad statum, id est, libertas iam sit illi concessa, qua post breue tempus, id est, intra sex menses fruitura sit. Quia tunc vitantur incommoda, propter quæ iura irritant contractum serui cum libera: neque magnum fit præiudicium personæ liberæ contrahenti cum tali serua. Ita Sanch. lib. 7. disp. 19. num. 4. nullius tamen auctoris, vt ipsemet fatetur, patrocinio fretus, sed affirmans id multis Doctoribus à se consultis visum fuisse valde probabile. Verùm cùm hoc priuilegium fuerit concessum in fauorem libertatis, ampliter potiùs intelligendum esse mihi videtur, & non restringendum ad hunc casum, de quo ius non ita disponit, vt de præcedenti.

19. Hæc irritatio est à iure positiuo.

Dico secundò, errorem circa conditionem seruilem personæ irritare matrimonium iure tantùm positiuo humano. Ita D. Thom. D. Bonauent. D. Antonin. Palud. Maior, Victoria, Sotus, Henriques, Archidiacon. Præpositi, aliique plurimi Theologi, & Canonistæ, quos refert, & sequitur Sanches disput. decima nona, numero decimo sexto. Probatur, quia nulla est ratio, propter quam, iure solo naturali spectato, conditio seruilis ignorata dirimat matrimonium, vt patebit ex solutione argumentorum contrariæ sententiæ. Sique non posset ex natura rei contrahere persona serua cum libera, propter disparitatem conditionis, & inæqualitatem illam personarum: sequeretur, quòd ne tunc quidem validè contraherent, quando conditio personæ seruilis non ignoratur à persona libera. Sicut enim ad irritandum matrimonium nihil refert vtrum consanguinitas in primo gradu, vel impotentia naturalis, sit nota, vel ignota contrahentibus: & idem est in aliis impedimentis naturalibus, si quæ alia sunt: sic, &c. Consequẽns autem est falsum, vt fatentur aduersarii, & apertè repugnat definitioni Zachariæ Papæ, aliisque relatis Causa 29. quæst. 2. cap. 2. 4. & 5. & cap. 2. & 4. de coniugio seruorum. Neque dicas ideo valere matrimonium liberi cum serua, quando conditio non ignoratur, quia liber iuri suo derogat. Nam si hoc impedimentum esset naturale, propter inæqualitatem prædictam; non magis posset voluntas libera contrahentis illi derogare, quàm impedimento consanguinitatis, vel impotentiæ naturalis. Sunt enim impedimenta naturalia matrimonii stabilia semper, & immutabilia quacunq; humana potestate.

Confirmatur, quia conditio seruilis non pertinet ad substantiam matrimonii,

Ergo error circa illam non impedit per se, & ex sola rei natura, valorem matrimonii. Consequentia patet ex dictis sect. præcedenti. Antecedens verò probatur, tum quia conditio seruilis est tantùm qualitas personæ, vt pulchritudo, sanitas, nobilitas: tum etiam quia ad substantiam contractus matrimonii pertinet solùm ex natura rei, vt coniuges tradant sibi mutuò corpora habilia ex se ad copulam legitimam, & naturæ non repugnantem, cum obligatione ad illam exercendam, reddendo debitum coniugale, quando legitimum impedimentum non interuenerit. Nihil autem istorum impedit, aut tollit conditio seruilis. Nam quòd interdum seruus ministerio suo detentus non poterit officio vacare coniugali, non obstat: quia non est de necessitate valoris matrimonii, vt qui contrahunt, habeant potentiam proximam semper expeditam, seu nunquam impeditam: alioqui vix vlli possent validè contrahere: cùm vix quisquam reperiatur, qui vel morbo, vel senio, vel occupationibus necessariis, non habeat multiplex impedimentum, & quidem non pauci diuturnum, aut in reliquum vitæ tempus. Adde quòd alioqui non posset liber contrahere cum serua, quamuis non ignoret conditionem eius seruilem. Neque enim ipsius cognitio facit vt magis expedita futura sit: neque etiam seruus cum serua: quod tamen repugnat iuribus suprà citatis.

21. Contraria sententia.

Contrarium sentiunt Almain. in 4. dist. 36. quæst. vnica in fine, Siluest. *v. Matrimonium 6.* q. 1. versu *Error personæ, & conditionis*; &, *Matrimonium* 8. q. 2 dicto 1. aliique nonnulli, quibus fauere videtur D. Thom. in 4. dist. 30. quæst. 1. art. 2. in corp. vbi errorē circa conditionem seruilem comparat cum errore circa personam, in eo quòd vterque tollit consensum: adeóque ex natura rei tollit matrimonium, quod sine consensu stare nequit. Verba illius sunt oportet quòd error, qui matrimonium impedit, sit alicuius eorum, quæ sunt de essentia matrimonii. Duo autem includit matrimonium ipsum: scilicet personas, quæ coniunguntur, & mutuam potestatem in inuicem, in qua matrimonium consistit. Primum autem tollitur per errorem personæ. Secundum per errorem conditionis: quia seruus non potest tradere alteri potestatem sui corporis sine consensu domini sui: & propter hoc hi duo errores matrimonium dirimunt, non alii. Confirmatur, quia si quis equum venderet, cuius vsus penderet ex voluntate alterius, & emptor nesciret, irrita foret venditio ex natura rei. Par autem est ratio, vt irrita sit traditio corporis seruilis, cuius vsus pendet à voluntate Domini. Imò multò magis irrita esse debet, ne alioqui natura deficiat in re valdè necessaria: cùm hæc iniuria esset irreparabilis propter insolubilitatem matrimonii semel validè contracti, & consummati. Confirmatur 2. quia conditio seruilis valde repugnat bonis matrimonii: bono quidem sacramenti, hoc est, indiuiduæ societati, & cohabitationi: quia tenetur seruus habitare apud Dominum, & illi obedire, si mittat in locum distantē à coniuge: potest etiam ab illo vendi extraneis. Bono autem fidei: quia non potest ad libitum dare operam coniugali officio, à quo impeditur per obsequium Domini. Bono denique prolis: quia si suscipiatur, non erit in eius potestate, sed domini, neque ab illo poterit honestè educari. Denique nullum profertur ius positiuum, quo irretur matrimonium propter errorem conditionis seruilis, sed quæcunque proferuntur, supponunt illud esse irritum aliunde. Ergo debet esse irritum iure naturali. 22.

Quid senserit D. Thom.

Ad auctoritatem D. Thomæ respondeo, eundem manifestè alibi docere impedimentum hoc iure solùm positiuo inductum fuisse. Sic enim habet in 4. dist. 36. q. vnica, art. 1. ad 3. Dicendum quòd ius naturale dictat, quòd pœna sit pro culpa infligenda: & quòd nullus sine culpa puniri debeat: sed determinare pœnam secundum conditionem personæ, & culpæ, est iuris positiui. Et ideo seruitus, quæ est quædam pœna determinata, est de iure positiuo, & à naturali proficiscitur, sicut determinatum ab indeterminato. Et eodem iure positiuo determinatè est factum, quòd seruitus ignorata matrimonium impediat, ne aliquis sine culpa puniatur. Est enim quædam pœna vxoris, quòd habeat virum seruum, & è conuerso. Hucusque D Thomas. Quare quod ait loco citato in obiectione, non ita est accipiendum, quasi velit omnimodam esse paritatem inter errorem personæ, & conditionis seruilis: & vtrumque eodem iure dirimere matrimonium: alioqui satis apertè sibi contradiceret. Estque obseruandum, quòd in fine corporis articuli 2. ab aduersariis citati, non dicit vtrumque errorem iure ipso naturali irritare matrimonium: sicut in fine corporis articuli præcedentis expressè dixerat. *Et sic error* (circa personam) *de iure naturali habet, quòd euacuet matrimonium.* Itaque sensus illius debet esse, quòd error qui matrimonium impedit, siue iure naturali, vt error circa personam, siue iure positiuo, vt error circa conditionem, debet esse circa aliquid eorum, quæ sunt de essentia matrimonii: id est, circa personam, vel circa potestatem mutuam in inuicem, ad copulam scilicet: quæ potestas, si planè desit, est impedimentum naturalis impotentiæ, iure ipso naturali inductum. Si autem non desit, sed tantùm sit accidente aliquo impedita, vt est per seruilem conditionem; non irritat quidem matrimonium ex natura rei, sed dat Ecclesiæ rationem irritandi.

23. Soluuntur argū. cōtrariæ sententiæ.

Ad primā confirmationem respondeo negando paritatem. Qui enim equum emit simpliciter, intendit ex natura ipsiusmet contractus venditionis, & materiæ, in qua versatur, emere plenum eius dominium,

sine quo ille non tanti valeret: estque de natura huius contractus vt emptor accipiat vi illius plenum, & absolutum rei emptæ vsum. At de natura contractus matrimonialis nihil aliud est, quàm vt contrahens tradat corporis sui potestatem ad reddendum debitum, quando poterit sine legitimo impedimento accidentario, siue illud à conditione seruili proueniat, siue à morbo, vel alia causa. Neque natura debuit magis prouidere huic incommodo, vel iniuriæ, prouenienti à conditione seruili; quàm prouenienti à morbo perpetuò impediente reddition em debiti, circa quem contrahens decipitur putans contrahere cum persona sana. Maximè verò cùm facilius sit redimi seruum, & fieri liberum, quàm liberari à plerisque morbis de se perpetuis. Meritò tamen incommodum illud, & alia, quæ matrimonii officiis aliquatenus repugnant, mouerunt Ecclesiam ad irritandum coniugium personæ liberæ cum serua, errore interueniente.

24. Ad secundam dico, si propter hæc incommoda nullum esset ex natura rei matrimonium serui cum libera nesciente illius conditionem: esset pariter nullum, quamuis eam non ignoraret: quia notitia conditionis seruilis non facit vt ipsa minùs repugnet bonis matrimonii, propter rationes in obiectione allatas. Quare plus probant, quàm intendunt aduersarii, & quàm certa veritas intendi patiatur; cùm certum sit, ex iuribus suprà relatis, valere matrimonium liberi contrahentis scientes cum serua, aut vice versa. Potiùsque dicendum est probare solùm habuisse Ecclesiam instam causam irritandi propter istam qualemcunque repugnantiam, iunctá iniuriá, quam patitur persona libera nesciens conditionem seruilem alterius, iurique suo non renuncians. Denique licet nullum ius extet, quo statuatur hæc irritatio, sufficit quòd vsu, & traditione Ecclesiæ, ipsaque voluntate non scripta Summorum Pontificum inductum fuerit hoc impedimentum. Potuit etiam statui per epistolam, aut rescriptum alicuius Pontificis, quod iam non extet, & notum fuerit Zachariæ, & Alexandro III. capitibus supra citatis, vbi ius illud supponunt. Sicut etiam non extat in præsens ius, quo primò statutum fuit, vt metus grauis & iniustè incussus ad extorquendum matrimonium, illud irritaret, quod tamen iure solùm positiuo fieri probauimus alibi disp. 71. sect. 6.

25. Quid faciendum errore detecto?

Dico 3. personam liberam, quæ per errorem contraxit cum serua, si postea errorem manifestè detegat, posse dissoluere matrimonium, etiam sua priuata auctoritate, nisi sit periculum scandali: debetque necessariò vel consentire de nouo in matrimonium, & contrahere: vel separari, saltem quoad thorum, ne alioqui copulam fornicariam exerceat. Teneturque serua, si liberam decepit, consentire, & contrahere ista volente, vt reparet iniuriam, quam per priorem contractum intulit. Si verò non decepit, fingens scilicet, aut se gerens pro libera, non tenetur ex iustitia quantum est ex vi prioris contractus, quia non fuit iniuriosus: neque ad id cogi potest: æquum tamen est vt consentiat, sæpiusque id erit necessarium, vt vel honori suo, vel proli consulat. Sin autem dubitat solùm, tenetur inquirere veritatem, & interea reddere debitum, si exigatur: quia pars altera non est priuanda suo iure propter solum dubium. Multóque magis potest & tenetur reddere, si post sufficientem inquisitionem res adhuc manet dubia. Nèque propterea perficitur matrimonium, aut reualidatur, ita vt si error tandem detegatur non possit dissolui, seu nullum declarari: dummodo non aliud intendat, quàm reddere officium probabiliter debitum vi prioris contractus: sine voluntate absolutè ratificandi, vel accedendi affectu maritali absoluto. An verò possit etiam petere debitum post illud dubium, dicemus alibi disp. 78. par enim est ratio de hoc impedimento, & de aliis. Neque obstant caput *Proposuit*, & caput *Ad nostram*, de Coniugio seruorum: quia loquuntur de casu, quo post seruitutem sufficienter detectam habetur copula, per quam dicunt matrimonium reualidari, prohibentque deinceps separari coniuges. Alioqui verò planè iniustum esset teneri coniugem liberum, reddere debitum quamdiu seruitus dubia est, si debitum reddendo priuaret se iure resiliendi comperta veritate.

26. Serui possunt cõtrahere validè, Domino repugnante.

Circa secundum in titulo sectionis propositum, Dico quartò, posse validè seruos contrahere matrimonium cum aliis seruis, vel cum liberis scientibus & consentientibus, quamuis domini repugnent: sed illicitè id facere sine eorum consensu, nisi specialis causa rationabilis excuset. Prima pars assertionis liquet ex cap. 1. de Coniugio seruorum, vbi dicitur matrimonia inter seruos debere nullatenus prohiberi; & si contradicentibus dominis contracta fuerint, nulla ratione propter hoc dissoluenda esse: debita tamen, & consueta seruitia non minùs debere propriis dominis exhibere: quia videlicet coniugia seruorum non debent præiudicare dominis, & iuri erga seruos acquisito. Idem etiam docet S. Thom. q. 52. Supplem. art. 2. in corp. vbi hanc eius rationem affert: quia quæ sunt iuris positiui, non possunt præiudicare iis, quæ sunt iuris naturalis. Seruitus autem est de iure positiuo, & matrimonium est de iure naturali: cùm natura inclinet ad coniugium, & ad illius vsum propter conseruationem speciei, sicut inclinat ad esum, & potum ob conseruationem individui. Et ideo sicut seruus non ita subditur domino: vt eo contradicente non possit edere, & bibere, quantum oportet ad necessitatem corporis: ita nec adeo subest, vt non possit matrimonium contrahere, & coniugali officio vacare, quantum exigit conseruatio speciei, etiam domino

Digitized by Google

nescient, aut contradicente.

27. Peccat Dominus repugnans huic causa.

Vnde collige peccare dominum, si absque speciali causa impediat matrimonium serui, vel illius vsum, quantum scilicet permittunt obsequia rationabiliter illi debita titulo seruitutis. Quod tamen non obstat quò minùs possit seruo imperare longum iter, vel absentiam diuturnam, quando necessitas, vel ipsius vtilitas id postulabit: aut etiam vendere eandem ob causam extraneo, & longè ab habitatione coniugis abducturo: quæ si pariter serua est, non poterit eum sequi domino rationabiliter inuito. Peccaret tamen grauiter, saltem contra charitatem, qui sine graui causa id faceret, & cohabitationem moderatam inter seruos coniuges impediret. Eademque lex, & ratio, quæ docet aut statuit non posse licitè dominos impedire seruorum matrimonia, consequenter docet aut statuit non posse pro libito impedire id quod inde iure communi sequitur, & ad conseruationem speciei necessarium est, quamuis seruus sine domini voluntate contraxerit, vel etiam eo contradicente. Qua de re plura videri possunt apud Sanchem lib. 7. de Matrimo. disp. 22. & Pontium lib. 7. cap. 42.

28. Peccentne serui sic cõtrahentes?

Secunda pars eiusdem assertionis probatur ex cap. vlt. 29. q. 2. sumpto ex Concilio Cabilonensi II. vbi dicitur legalem coniunctionem seruorum fieri per voluntatem dominorum. Quin etiam aliquid amplius ibidem significari videtur, quando additur seruorum coniugia non esse dirimenda, si legalis eorum coniunctio fuit, & per voluntatem dominorum. Nam videtur innuere posse alioqui dirimi. Idque apertiùs insinuat D. Basil. in epist. ad Amphiloch. can. 40. & 42. affirmans fornicari seruam, quæ præter domini sententiam se viro tradidit. *Eorum enim*, inquit, *qui sunt in alterius potestate, pacta conuenta firmi nihil habent.* Sed hæc benignè explicari debent, quòd in can. citato respondeatur solùm casui proposito, negeturque matrimonium seruorum, contractum domini voluntate, esse dirimendum: quidquid sit de altero casu, de quo non erat quæstio. Basilius verò eodem sensu affirmat eiusmodi coniugium esse fornicationem, quo eâdem epistolâ idem asserit de nuptiis sæpius iteratis successiuè, post mortem prioris coniugis: eò quòd scilicet sapiant incontinentiam: idque eò magis de tali seruorum coniugio potuit dicere, quia illicitè contrahitur sine consensu domini, nulla interueniente causa legitima non eum expectandi. Ratio verò ab eodem Basilio allata debet ita intelligi, quòd pacta eorum quæ sunt in alterius potestate, firmi nihil habent sine eorum consensu, quantum, & quatenus illa subsunt eorum potestati. Sed corpora seruorum non subsunt potestati domini quoad matrimonium: neque seruitus eos priuat iure naturali, quod habent seruiendi inclinationi conseruationis speciei, & individui, vt supra diximus cum D. Thoma.

Probatur 2. ratione, quia sicut reuerentia, & pietas filiorũ erga parentes exigit vt ipsi non contrahant matrimoniũ inconsultis parentibus, nec sine eorum consensu, nisi excuset causa rationabilis, vt si præuideantur impedituri malo quodam affectu matrimonium euidenter bonum, & commodum: & interest parentum scire quibus liberi nubant, ne ipsis inconsultis, & non consentientibus, iungantur personis minimè gratis, pacem familiæ turbaturis, quæque fortasse plurium, & grauium incommodorum causa futuræ sunt: sic reuerentia seruorum erga dominos, & bonum familiæ postulat, vt ipsis inconsultis, aut quod peius est, dissentientibus, non contrahant cum persona domino ingrata, ipsique molestiam, vel incommodum familiæ allatura. 29.

30. Dominus consentiẽs ad quid tenetur.

Cæterum hoc ipso quòd dominus consentit serui coniugio, consequenter etiam consentire tenetur moderatæ conuersationi, & cohabitationi coniugum, saluis obsequiis sibi debitis: neque potest deinceps rationabiliter impedire, nisi necessitate, vel magna, & extraordinaria vtilitate adactus. Quod addo, quia non propterea se obligat ad casus extraordinarios. In concursu autem officiorum debitorum vxori & domino, quæ simul à seruo impleri nequeunt, & quorum alterum necessariò prætermittendum est, præualet ordinariè ius domini, vt colligitur ex cap. 1. de Coniugio seruorum, vbi dicitur debita, & consueta seruitia, non minùs quàm antea, debere à seruis exhiberi propriis dominis. Aliquando tamen tanta esse poterit vxoris necessitas, vt præualeat: de quo secundum prudens iudicium statuendum est.

31. Possintne vir, aut vxor se vendere in seruos altero inuito?

Superest quærere an, & quomodo seruitus possit superuenire matrimonio, altero coniugum se in mancipium vendente? Respondeo cum Sanche lib. 7. d. 23. posse maritum se vendere in seruum, etiam inuita vxore: sed non vxorem inuito marito, & sine illius consensu. Ratio primæ partis est ex D. Thoma q. 52. Supplem. art. 3. in corp. quia vir non subditur vxori nisi in iis, quæ ad actum naturæ, id est, ad debiti redditionem pertinent. Seruitus autem non impedit quò minùs reddere possit: quia non potest à domino eo iure priuari. Grauiter tamẽ peccat, si se vendit in seruũ non cogente graui necessitate, quia se subtrahit aliquatenus vxori, minúsque liberè potest officia coniugalia exercere: & si à domino mittatur in regiones exteras, vt ibi diu maneat, vel ibi vendatur, cogetur vxor eo carere, vel cum magno incommodo eum sequi: & denique id redundat in illius dedecus, totiusque familiæ. Secunda verò pars probatur ab eodem D. Thoma art. citato ad 3. quia licet vir & vxor sint pares quoad obligationem debiti coniugalis: tamen vir est caput vxoris, & debet eam regere & corrigere: debetque vicissim hæc illi subesse quoad ea quæ pertinent ad regimen domus &

Digitized by Google

familiæ : faceretque contra iustitiam, si se venderet in seruam absque viri consensu : quia faceret contra ius capitis, superioris, & domini, acquisitum viro ratione matrimonii.

32. Partus sequitur ventrem.

Idem S. Doctor art. 4. quæst. citatæ affirmat prolem, quæ nascitur ex matre seruo, sequi illius conditionem, & seruam nasci, quamuis ex patre libero concepta sit, & è contrario liberam esse si nascitur ex matre libera, quamuis pater sit seruus. Quod expresse habetur cap. finali de seruis non Ordinandis, & Lege *Partum*, Cod. de rei vendicatione, & §. *Sed & si quis*, Institut. de ingenuis. Idemque in lege veteri, saltem ex parte, constitutum erat Exod. 21. vbi dicitur : *si dominus dederit ancillam suam alicui in vxorem, & pepererit filios & filias ; mulier & liberi eius erunt domini sui.* Ratio huius dispositionis legum ex D. Thoma art. cit. in corp. est, quia seruitus se tenet ex parte corporis : proles autem accipit corpus à matre administrante materiã, ex qua formatur. Addunt aliqui rationem aliam ; quia leges attenderunt id quod certius est : Mater autem est certa, & pater non rarò incertus, præsertim in personis vilioribus, & seruituti obnoxiis. Estque notandum id verum esse, etiam in casu, quo dominus ipse ex serua proprium filium genuerit : nõ enim propterea desinit esse seruus patris. Neque ad contrahendam seruitutem refert, quòd infans ex legitima copula, vel illegitima natus sit. Semper enim qui nascitur ex serua, manente adhuc in eo statu, deteriorem partem sumit, vt dicitur cap. finali 32. q. 4. id est, partem debiliorem, matris scilicet, quæ pars debilior est, vt Glossa ibidem exponit.

33. Nisi obstet alicubi cõsuetudo.

Quod tamen intellige nisi alicubi consuetudine receptum sit vt proles non matris, sed vel patris, vel cuiuslibet alterius conditionem deteriorem sequatur, vt bene addit S. Doctor art. cit. & colligitur ex cap. *Licet*, de Coniugio seruorum, vbi supponitur fœtum alicubi sequi conditionem patris. Neque dubium est consuetudinem posse derogare iuri positiuo aliter statuenti : quod ius etiam diuersis in locis potest esse diuersum. Sufficit etiam vt proles (vbi sequitur conditionem matris) libertatem adipiscatur, matrem fuisse liberam, vel tempore conceptionis, vel tempore partus, vel intermedio, vt habetur §. *sed & si quis*, Institut. de ingenuis, & lege *Seruorum* v. *Ingenui sunt* §. *De statu hominum* : quia, vt dicitur ibidem, calamitas matris superueniens non debet nocere proli existenti in vtero. Vnde collige, si quis filiã prægnantem vendat, & seruã alterius faciat, fœtũ nihilominus fore liberũ ; quia tempore conceptionis mater fuit libera, & non potuit proles vendi à patre, cùm nondum esset in eius potestate, vt docet Glossa legis secundæ Cod. de patribus, qui filios distraxerunt. De quibus omnibus plura videri possunt apud Sanchez lib. 7. tota disp. 24. Rebel. 2. p. lib. 3. q. 3. & Pontium lib. 7. cap. 42. 43. & 44.

SECTIO III.

De impedimento voti.

34. Triplex voti dirimit matr.

VOtum dirimens matrimonium triplex est. Primum est votum solemne per professionem factam in Religione approbata, probatione peracta, & anno decimo sexto ætatis expleto. Secundum est votum solemne castitatis per susceptionem Ordinis sacri. Tertium est votum simplex paupertatis, Obedientiæ, & Castitatis, emissum in Societate Iesu post biennium ab ingressu, iuxta formulam Constitutionum eiusdem Societatis. Post quæ omnia, & singula vota emissa, si quis attentet matrimonium contrahere, nihil facit. Vt de primo, & secundo patet ex cap. vnico de voto, & voti redemptione in 6. & ex Tridentino sess. 24. can. 9. De tertiò verò liquet ex peculiari constitutione Gregorii XIII. quæ incipit, *Ascendente Domino*. Cætera vota castitatis, licet publicè facta, & cum quauis alia pompa non dirimunt matrimonium iure naturali, sed positiuo tantùm ecclesiastico, vt post Scotum, Henriquem, Ricardum, Palud. Gabriel. Gerson. Abulens. Dominic. Hostiens. Archidiac. Ancharan. Angel. & plures alios docent Sanch. lib. 7. disp. 26. prope finem, Less. lib. 2. de Iustitia cap. 41. num. 68. Rebel. 2. part. lib. 3. q. 4. num. 5. Aegid. Con. disp. 31. dub. 6. num. 67. & disp. 20. dub. 13. num. 132. Mærat. disp. 8. de matrim. sect. 2. & 3.

Ratio præcipua est, quia votum castitatis siue simplex, siue solemne consistit essentialiter in sola promissione. Quare non est traditio ipsa, quæ specie differt à promissione. Res autem vni promissa, validè alteri tradi potest. Licet enim qui aliquid promisit, fidem suam obligauerit, tamen nondum amisit ius in id quod promisit : sique re ipsa in alterius potestatem, & dominium transferat id quod alicui promiserat ; quamuis malè agat frangendo fidem, nihilominus validè transfert.

35. Contraria sententia.

Contrarium sentiunt D. Thom. q. 53. Supplem. art. 2. in corp. & 2. 2. q. 88. art. 7. Scotus in 4. dist. 38. q. 2. a. 1. §. *Ex omnibus*, Valentia, Ledesma, & quidam alii ; qui tamen ius aliud vel naturale, vel diuinum non satis ostendunt : maléque supponunt votum solemne castitatis esse traditionem, aut illam continere. Quod apertè repugnat Cælestino III. cap. *Rursum*, Qui clerici, vel vouentes, affirmanti votum simplex tantùm obligare coram Deo, quantùm solemne. Quod falsum esset, si votum simplex contineret solùm promissionem, solemne verò contineret traditionem, vt volunt aduersarii. Addo, quamuis votum solemne castitatis contineret traditionem,

Digitized by

sicut reipsa in Professione religiosa continetur traditio, quâ Professus seipsum tradit actualiter Religioni, in qua vouet obedientiam perpetuam: adhuc tamen votum solemne non irritaret matrimonium subsequens, iure naturali. Quia vinculum matrimonii, & vinculum inductum per votum, aut professionem, non sunt naturaliter incompatibilia. Vt patet ex eo quòd si coniugatus vxore consentiente suscipiat Ordines sacros, vel profiteatur Religionem; manet tamen vinculum matrimonii priùs contractum. Ergo ex natura rei non est incompatibile. Ergo vice versa, ordinatus, aut Professus posset validè ex natura rei suscipere vinculum matrimonii, non obstante vinculo voti solemnis in Ordine, aut Professione facti, & traditionis, quam fatemur contineri in Professione, quamque aduersarii volunt contineri in ipso voto solemni castitatis.

36. Confirmatur, quia non est maior incompatibilitas ex natura rei, siue vinculum matrimonii præcedat hanc traditionem, siue sequatur. Item traditio Professi ad vsus Religionis, ad quos ille se dat, & subiicit, non est maior, quàm sit traditio, per quam mancipium subiicitur domino per venditionem, aut alium titulum iustum. At hæc non obstat, quò minùs mancipium possit validè inire matrimonium, etiam domino resistente, vt patet ex dictis sect. præcedenti: Ergo &c. Confirmatur 2. quia voti solemnitas solâ Ecclesiæ constitutione inuenta est, vt dicit Bonifac. VIII. cap. vnico De voto, & voti redemptione: quod idem repetit Gregor. XIII. in Bulla supradicta, quæ incipit, *Ascendente Domino*: vbi eandem vim dirimendi matrimonium tribuit votis post biennium probationis emissis in Societate Iesu, quamuis non solemnibus: eâdem scilicet auctoritate, quâ prædecessores id statuerant de voto solemni, vt ibidem apertè significat, damnatque temeritatis contrarium sentientes. Ex quo rectè Pontius lib. 7. cap. 7. num. 2. infert non posse affirmari oppositum sine manifesta Pontificiæ Sedis iniuria & rem à Gregorio XIII. definitam esse.

37. Votum solemne non semper dirimit matr.

Confirmatur præterea, quia si votum solemne dirimeret ex natura rei matrimonium subsequens, semper illud diremisset, quotiescunque fuisset emissum ante matrimonium. Atqui primis Ecclesiæ sæculis, & multo tempore reipsa non diremit: ergo &c. Maioris sequela euidens est: quia eadem semper est, & fuit natura voti solemnis: & consequenter eadem repugnantia naturalis, & incompatibilitas cum matrimonio subsequente, si hæc illi conuenit ex natura rei. Minor autem probatur, quia licet matrimonia post emissum solemne votum in susceptione sacri Ordinis, vel Professione religiosæ, fuerint semper habita pro illicitis ab Ecclesia, vt patet ex cap. *Vt lex*, 27. q. 1. & ex Syricio Papa epist. 1. cap. 6. & Innocentio 1. epist. 2. ad Victorium cap. 12. & ex Concilio Chalcedon. Act. 15. can. 16. & Aurelian. 1. sub Symmacho can. 23. & Tolet. II. can. 1. quibus locis de matrimoniis Monachorum, aut virginum Deo sacrarum, & velatarum sermo est: De matrimoniis verò post ordinem sacrum suscepr tum idem constat ex Concilio Carthagin. II. can. 2. Epiphanio hæresi 59. Euseb. lib. 1. Demonstrat. Euang. cap. 9. in fine, & pluribus aliis veterum testimoniis. Attamen quòd longo tempore fuerint habita pro validis vero similius est. Itaque colligit aliqui ex D. Cypriano epist. 62. vbi de sacratis Deo virginibus, seu velatis ab Episcopo, sic ait: *Quòd si ex fide* (id est, voto castitatis) *se Christo dicauerint, pudicæ & castæ sine vlla fabula perseuerent: ita fortes, & fabulæ præmium virginitatis expectent, qui autem perseuerare nolunt, vel non possunt: melius est vt nubant, quàm in ignè delictis suis cadant.* Sed hoc incertum faciunt quæ notant Pamel. ad eandem epist. circa illa verba, *Melius est nubant, quàm in ignè delictis suis cadant*: & Suar. tom. 3. de Relig. lib. 9. cap. 4. præcipuè num. 15. Addunt aliqui D. August. lib. de bono viduit. cap. 10. de iisdem sic loqui: *Qui dicunt talium nuptias non esse nuptias* (veras & validas) *sed potiùs adulteria, non mihi videntur satis acutè, ac diligenter considerare quid dicant. Fallit eos quippe similitudo veritatis* &c. & cap. 11. consequenter addit: *Quapropter non possum quidem dicere à proposito meliore lapsis, si nupserint, fœminis, adulteria esse non coniugia; sed planè non dubitauerim dicere lapsus & ruinas à castitate sanctiore, quæ Deo vouetur, adulteriis esse priores.* Hæc August. clarè docens grauissimè quidem eas peccare, sed tamen non inualidè nubere. Verùm neque iste locus efficaciter probat quod intendunt: quia non satis constat D. Augustinum, loqui de virginibus velatis & consecratis.

38. Efficaciora sunt quæ profert & expendit Vasq. tom. 2. in 1. 2. disp. 165. cap. 7. ex Innocentio 1. epist. 2. cap. 12. Leone 1. epist. 92. c. 12. Arelat. II. cap. 33. Chalcedō. Act. 15. can. 16. cuius verba sunt: *Virginem quæ se Deo conseruauit, similiter, & Monachum, non licet nuptialia iura contrahere: quòd si hoc inuenti fuerint perpetrantes, excommunicentur.* Quæ pœna solùm contra eos statuta, ostendit eorum coniugia non fuisse habita pro inualidis. Alioqui enim Concilium non præciperet solùm, vt excommunicarentur; sed vt separarentur, victuri alioquin in perpetuo concubinatu. Et de cōstitutis in Ordinibus sacris idē colligitur ex Concilio Ancyrano can. 10. parte 2. canonis: vbi tantùm à ministerio deponuntur, qui sic contraxerunt, & redigunturad communionem laicam: nullâ factâ mentione separationis, sine qua tamen non debuissent ad communionem Eucharistiæ admitti, si matrimonium fuisset inualidum. Et ex Concilio Neocæsarensi can. 1. qui sic habet: *Presbyter, si vxorem duxerit, ab ordi-*

Digitized by Google

ne deponatur. Si vero fornicatus fuerit vel adulterium perpetrauerit, extra Ecclesiam abiiciatur, & poenitentiam inter laicos redactus agat. Vbi nota 1. deponi tantùm, & non iuberi vt separetur à coniuge. 2. statui vt grauiùs puniatur, si fornicationem commiserit, aut adulterium: quod perperam statueretur, si matrimonium, quod contrahit, esset irritum & fornicarium. Quæ & alia plura in fauorem huius sententiæ veterum testimonia collecta, & fusius expositâ videri possunt apud Basil. Pont. lib. 7. de matrim. cap. 14. & tribus seq. & c. 27. & apud Marat. disp. 8. de matrim sect. 3.

39. Argum. contrariæ sententiæ.

In contrarium multa opponunt aduersarij, præcipuéque Petr. Ledesma ad quæst. 53. Supplem. art. 2. dub. vnico. Et primò quidem argumentantur auctoritate Syricii Papæ, relati cap. *si quis sacro*, 27. q. 1 sic dicentis de virginibus Deo sacratis, & postea nubentibus: *Vnde & verbo Domini, & canonica auctoritate in hac sancta Synodo præcipimus, vt omnino separentur.* Et Tridentini sess. 24. can. 9. anathematizantis eum qui dixerit clericos, in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto. Vbi ponderant hanc disiunctiuam, *Lege ecclesiastica, vel voto*: quæ innuit irritationem hanc prouenire non solùm ex lege seu constitutione Ecclesiæ, sed etiam ex natura voti: Vel primam partem illius disiunctiuæ dici propter sacros Ordines, qui sunt impedimentum irritans vi tantùm legis ecclesiasticæ: secundam verò dici propter solemne votum castitatis emissum in professione religiosa, quod ex natura sua dirimit matrimonium. Addunt denique auctoritatem D. Thomæ in 4. dist. 38. q. 1. art. 3. quæstiunc. 3. in corp. vbi disertis verbis affirmat votum solemne habere ex sua natura quòd dirimat matrimonium postea contractum: eiusque rei hanc rationem reddit: Quia scilicet homo amisit sui corporis potestatem, Deo illud ad perpetuam continentiam tradens: & ideo ipsum non potest tradere in potestatem vxoris ad matrimonium contrahendum. Vnde matrimonium, quod sequitur tale votum, nullum est.

40. Ad primam partem huius obiectionis Respondeo, verba relata ex cap. *Si quis sacro*, tanquam Syricii Papæ, non esse Syricii, sed Concilii Triburiensis, addita verbis Syricii priùs relatis: & quod dicitur, *Verbo Domini, & canonica auctoritate præcipimus, vt omnino separentur*, significat tantùm Synodum habere à verbo Dei, & à sacris canonibus auctoritatem præcipiendi vt separentur, tanquam illicitè, & inualidè coniuncti. Illicitè quidem, propter promissionem Deo factam: inualidè autem, propter constitutionem Ecclesiæ. Ad secundam, Dico Tridentinum vti hac disiunctiua, vt abstineat à definitione quæstionis controuersæ inter Theologos, prouenianne hæc irritatio à lege Ecclesiæ, an potiùs ab ipso voto. Satis enim illi erat definire contra hæreticos, rem certam inter Catholicos, & à illis impugnatam, tale scilicet matrimonium illicitè, & inualidè contrahi. Ad tertiam denique respondeo negari non posse D. Thomam ita planè sentire: sed rationem, quæ ipsum mouit inefficacem esse satis patet ex dictis num. 34. & maior pars Theologorum ab eo dissentit.

41. 5. Pontifex potest dispensare in voto solemni.

Argumentantur 2. hac ratione: Si votum solemne irritat matrimonium iure solum ecclesiastico, posset Summus Pontifex in hoc impedimento dispensare, & permittere professis castitatem solemniter in Religione, vt possint validè, & licitè contrahere. Sed hoc est falsum, vt patet ex cap. *Ch ad monasterium*, de statu Monachorum in fine, vbi Innocentius III. dicit abdicationem proprietatis, sicut & custodiam castitatis, adeo esse annexam regulæ monachali, *vt contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Respondeo sensum huius canonis esse, quòd dispensare nequeat Pontifex vt simul aliquis sit Monachus, & coniugatus, aut proprietarius: quia facere nequit vt stantibus Monachi votis, & statu religioso, in quo per illa constituitur, possit licitè facere contra votum paupertatis, & castitatis. Hoc enim dicit consequenter ad ista verba immediatè præcedentia: *Nec æstimet Abbas quòd super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare: quia abdicatio proprietatis* &c. Itaque termo ibi est de Monacho tali permanente: non autem de eo, quem Summus Pontifex dispensat à votis, & à statu religioso. A quo dispensari posse auctoritate pontificia liquet ex facto multorum Pontificum qui reipsa dispensarunt, vt videre est apud Azorium tom. 1. lib. 12. cap. 7. & Suar. tom. 3. de Religione lib. 6. cap. 16. num. 6. quod etiam fieri posse docent Palu. in 4. dist. 38. q. 4. art. 3. concluſ. 11. & 12. Durand. ibid. quæst. 2. num. 9. Ricard. ibid. art. 9. q. 1. ad 6. Gerson tom. 3. tractatu de consiliis Euangelicis §. *Ex prædictis infero*, Pontius lib. 7. cap. 10. num. 4. & plures alij relati à Suare capite cit. num. 5.

42. Opponunt 3. votum simplex castitatis, præmissum sponsalibus, irritare illa ex natura rei. Ergo similiter votum solemne castitatis præmissum matrimonio, vi sua reddit illud irritum. Consequentia probatur quia votum simplex castitatis se habet ad sponsalia, sicut solemne ad matrimonium. Item nisi votum solemne emissum in professione irritaret ex natura sua matrimonium: ergo sublata lege ecclesiastica validum esset. Ergo eximeret Religiosum ab obedientia Prælati, & Religionis, quia non posset impediri licitè ne vxori debitum redderet, & cum ea cohabitaret, nec cogi ad regularem obseruantiam: atque ita vi talis

matrimonii

matrimonii desineret esse religiosus ex natura rei, quod absurdum est.

Ad primum respondeo negando sequelam, & paritatem vtriusque. Nam votum simplex castitatis idcirco sponsalia irritat ex natura sua, quia facit vt sit illicitum id quod promittitur: & promissio rei illicitæ nulla est ex natura rei: cùm nemo possit obligari ad peccandum. At matrimonium non est promissio, sed traditio actualis: & votum solemne castitatis est tantùm promissio Deo facta seruandi castitatem: quæ non impedit quòminùs validè contrahatur: quia res vni promissa potest alteri tradi validè, quamuis illicitè. Ad secundum respondeo patere ex dictis nu. 38. tale matrimonium nõ modò validum esse posse, sed etiam fuisse reipsa primis Ecclesiæ sæculis. Illo autẽ contracto, posset adhuc Monachus in pœnam separari à coniuge, si etiam illa fuit criminis particeps contrahens scienter cum Monacho, & cogi viuere regulariter, subiectus vt antea potestati superioris. Sin autem illa ignoranter cum eo contraxit: ità puniendus esset reus, vt ipsa iure acquisito non priuaretur, eo modo, quo fiebat prioribus illis sæculis Ecclesiæ, quando matrimonia post eiusmodi vota, non erant inualida. Qua de re plura videri possũt apud Pontium lib. 7. cap. 14. & sequentibus.

43. Opponunt quartò, & præcipuè, rem vni traditam non posse alteri validè tradi, & traditionem posteriorem esse irritam vi prioris, ex sola rei natura: vt patet in eo, qui rem vni venditam, aut donatam, atque in illius dominio positam, vellet alteri vendere, aut donare. Votum autem solenne castitatis continet traditionem proprii corporis Deo factã: Ergo, &c. Et hoc argumẽtum magis vrget in Professione religiosa, quæ sine dubio continet traditionem sui factam Religioni, eiusq; Prælatis. Post quam non magis potest quisquam tradere se alteri in matrimonium, quàm si iam alteri vxori se tradidisset.

Votum solenne castitatis non est traditio.

Respondeo votum solemne castitatis, quãtum est de se, & ex natura rei, non esse traditionem, sed promissionem, neque differre naturaliter à voto simplici, vt diximus n. 34. & 35. Professio autem religiosa, tametsi continet aliquam sui traditionem; non tamen omnimodam, & naturaliter incompatibilem cum matrimonio. Sed sicut seruus voluntarius, aut emptitius, non ita domino traditur, vt priuetur naturali iure matrimonii ineundi, domino licet inuito: sic Professus in Religione approbata, non ita se tradit Religioni, vt quantũ est ex natura rei, non possit validè contrahere, quamuis illicitè. In forma igitur respondeo ad maiorem. Res vni tradita totaliter, & quoad omne ius, non potest validè tradi alteri: Concedo. Tradita tantùm secundum quid, & retento aliquo iure ad illam tradendam alteri in aliquem vsum: Nego. Quod autem Professio religiosa ius illud non tollat ex natura rei, patet ex eo quòd reipsa validè cõtrahebant Professi primis Ecclesiæ temporibus, vt ostendimus num. 37. & 38. Cætera quæ obiiciuntur, possunt ex dictis facilè solui.

Pœnæ contrahẽtium cum voto solemni.

44. Superest notare eum qui attentat contrahere matrimonium post religiosam professionẽ, siue vir siue fœmina sit, incurrere ipso facto excommunicationem latam in Clementina vnica de Cõsanguinitate. Eandem q; incurrunt, qui scienter contrahunt cũ Moniali. Cõtra quos præterea statuitur pœna mortis Lege *Si quis*, Cod. de Episcop. & Clericis. Sed ad incurrendam excommunicationem, non sufficit inire solùm sponsalia. Nec etiam incurritur à Moniali, si non est Professa, vt post Siluestrum & Caietan. docet Rebell. part. 2. lib. 3. q. 4. quia in pœnalibus, & odiosis non ẽ Monialis strictè sumendum est pro verè Religiosa, & validè professa in Religione approbata. Verba Clementinæ citatæ hæc sunt: *Eos qui diuino timore postposito, scienter in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis constitutione canonica interdictis, vel cum Monialibus contrahere non verentur: nec non Religiosos, Moniales, ac Clericos in sacris Ordinibus constitutos matrimonium contrahentes, ipsos excommunicationis sententiæ ipso facto decernimus subiacere.* Pontifex tamen non reseruat hanc excommunicationem.

SECTIO IV.

De impedimento cognationis.

Cognatio carnalis quomodo dirimit in linea rectâ?

45. COgnatio matrimonium dirimens triplex est: carnalis scilicet, spiritalis, & legalis. Carnalis aliter dicitur consanguinitas: estque propinquitas siue coniunctio personarum in eo consistens, quòd vel vna ab altera, vt filius à patre; vel ambæ à tertio, vt duo fratres ab eodem parente, secundum generationem descendant. Qui priori modo se habent, vocantur Ascendentes, & Descendentes: qui posteriori, Collaterales. Inter priores quãtumuis distent nullum iniri posse matrimonium plurimi docent, quos refert Sanch. lib. 7. disp. 51. n. 12. & cõfirmari potest ex lege *Nuptiæ* 53. & lege vlt. ff. *De ritu nuptiarum*, vbi ex prelsè id deciditur. Oppositum tamen probabilius ipse putat cum multis aliis ead. disp. n. 19. & sequentibus, vbi docet matrimonium quidem iure naturali nullum esse inter illos in primo gradu: in aliis verò vsque ad quartum inclusiuè irritari solùm iure ecclesiastico, sicut in linea collaterali: Esseque probabilius hanc prohibitionem terminari iure naturali ad aliquem gradum: quia, inquit, cùm ratio consanguinitatis sit participatio eiusdem sanguinis, communicata à virtute generantis stipitis: & hæc eò minor fit, quò in plures generationes protenditur: nequit in infinitum extendi, sed tandem extinguitur ac deficit.

46. Inter posteriores verò, id est, Collaterales constat apud omnes catholicos matrimo-

Et in collateali.

nium esse irritum vsque ad quartum gradum inclusiuè: vt statuitur cap. *Non debet*, de consanguinit. & affinit. sumpto ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & confirmato à Tridentino sess. 24. cap. 5. de reform. matrim. Quibus duobus capitibus correctum fuit ius antiquum, quod antea vsque ad septimum gradum irritationem inter collaterales extendebat: vt patet ex cap. *Nullum*, 35. q. 2. Hoc autem impedimentum ifter illos positiuum duntaxat, & ecclesiasticum est, excepto primo gradu collaterali, id est, inter fratrem, & sororem. Vnde in reliquis potest summus Pontifex dispensare. Ratio verò cur matrimonium inter ascendentes, & descendentes, saltem in primo gradu, & inter collaterales in primo etiam gradu, sit irritum iure naturali, est quia incredibile videtur hominem naturaliter habere ius tradendi dominium sui corporis ad vsum, qui lumine naturali apparet adeo inhonestus, & abominabilis, vt omnes gentes bene instituæ ab illo abhorruerint. Atqui copula inter ascendentes, & descendentes, in primo saltem gradu, & inter collaterales in primo etiam gradu est huiusmodi, vt ab illa gentes omnes, etiam barbaræ, imò etiam & bestiæ plurimæ abhorreant.

47. Qua etiam de causa puto probabilius esse impedimentum naturale latiùs extendi, quàm ad primum gradum inter ascendentes & descendentes. Nam talia quoque matrimonia visa sunt lumine naturali omnibus fere gentibus non planè barbaris abominabilia. In aliis verò gradibus consanguinitatis, leguntur ipsi quoque viri sancti in Scriptura, etiam sine necessitate, vel graui causa, contraxisse matrimonium: vt Abraham cum Sara filia fratris sui Aran, Gen. 11. & Ambram pater Mosis cum sorore patris sui, Exod. 6. vers. 20. Quòd verò Adæ filii in primo gradu contraxerint factum est Deo dispensante, & dante illis potestatem contrahendi propter necessitatem propagandi per illos genus humanum: quorum alioqui matrimonium fuisset ipso iure naturali irritum. Neque enim verum esse puto quod ait Basil. Pont. lib. 7. de Matrim. cap. 32. num. 3. matrimonium inter fratres & sorores non esse irritum iure naturali, sed tantùm positiuo, olim diuino in lege veteri, nunc autem ecclesiastico: licet valde indecens & illicitum esse fateatur iure naturali, nec nisi grauissima necessitate excusante licitum fieri posse. Pro qua sententia citat D. Thomam, Alensem, Ricard. Scotum, Durand. Caiet. & paucos alios Theologos: quibus fauere videntur è Patrib. Hieronymus & Augustinus, & Concilium Agathense can. 61. Epaunense c. 30. verbis ab eo relatis & expensis num. 4. & sequentibus. Sed Hieronymus ab eo citatus, non bene supponit Saram fuisse strictè & propriè sororem Abrahæ, ex eodem patre immediato & propriè dicto: cum potiùs fuerit filia Aran filii Thare: quippe qui duas vxores habuit, ex quarum vna natus est Abraham; ex altera Aran, qui genuit Saram & Loth. Quare Abraham non fuit propriè frater, sed patruelis Saræ, illi coniunctus in secundo gradu tantùm: licet phrasi Hebraica fratrem illius se dixerit esse, eodem sensu quo ipsum Loth fratrem suum vocauit, id est, nepotem, Genes. 13. vers. 8. Augustinus autem potiùs nobis fauet, & expositionem modò datam confirmat lib. 23. contra Faustum cap. 35. & eo ipso loco quem citat Pontius, id est lib. 15. de Ciuit. cap. 16. dicit, licet peruersæ quorundam Idololatrarum leges permittant fraterna coniugia: meliorem tamen consuetudinem, adeo illam exhorrere licentiam, & auersari, quasi nunquam licere potuerit, ne primis quidem humani generis temporibus, quando inter filios Adami id erat planè necessarium ad speciei conseruationem & propagationem. Canon denique 61. Concilii Agathensis, & can. 30. Concilii Epaunensis corrigi debent iuxta lectionem Concilii Turonensis II. cap. vigesimo secundo. *Si quis germanam vxoris suæ acceperit*: non autem, *Si quis germanam vxorem*, vt vult Pontius.

Dirimit iure nat. in primo saltem gradu.

Vide Cornel. & alios interpr. Gen. 20. v. 12.

48. Est autem gradus consanguinitatis, terminus distantiæ, vel distantia ipsa maior aut minor vnius personæ ab altera secundum consanguinitatis seriem, vel lineam, vt vocant. Et hæc linea duplex est: vna recta, altera transuersalis. Recta est, in qua collocantur ascendentes, & descendentes, vt pater, filius, nepos, pronepos &c. Transuersalis verò est illa, in qua ponuntur collaterales, vt duo fratres, duo consobrini, duæ sorores, &c. In vtraque linea gradus consanguinitatis cognoscuntur his regulis. Prima: In linea recta tot gradibus vnus ab altero distat, quot gradibus inferior à superiore descendit. Ex. gr. filius à patre, vnica generatione: nepos ab auo, duabus: pronepos à proauo, tribus: abnepos ab abauo, quatuor generationibus descendit. Ideoque primi distant vno gradu: secundi duobus, & sic deincepts. Secunda regula: In linea transuersa tot gradibus distant aliqui inter se, quot generationibus distat à communi stipite proximo, id est, à patre, vel à matre, is qui ex illis maximè distat. Verbi gratiâ, duo fratres, vnico: duo nepotes, duobus: filius vnius è duobus fratribus, & nepos alterius, id est, filius filii, tribus: quia iste, qui maximè distat, totidem generationibus distat à communi stipite.

Gradus consanguinitatis quid sit.

Quomodo computandi?

Hæ regulæ traduntur à Theologis, & Canonistis communiter, sumunturque ex iure Canonico, secundum quod (non autem secundum ius ciuile) gradus computandi sunt in ordine ad matrimonium dirimendum. Causa trigesima quinta, quæstione quinta, infra arborem consanguinitatis: & approbantur cap. vlt. de consanguinitate. Earum autem exemplum sanè commodum, & facile à Dominico Soto in 4. distinctione quadragesima, quæstione vnica, art. 2. tale ponitur.

Digitized by Google



50. Cognatio spiritalis quid sit.

Cognatio verò spiritualis dirimens matrimonium est propinquitas orta ex Sacramento Baptismi, vel Confirmationis, inter eos, qui baptizantur, vel confirmantur, & eos à quibus vel recipiũt hæc sacramẽta, vel suscipiuntur, seu tenentur: itemq; inter parentes eorum qui baptizantur, & confirmantur; & eos à quibus vel recipiunt Sacramentum, vel suscipiuntur, seu tenẽtur. De qua cognatione vide Trident. sess. 24. Decreto 1. de reform. matrim. c. 2 vbi ad personas sup. dictas restringitur, cùm olim latiùs pateret, vt habetur c. 1. 3. & 4. de Cognatione spirituali.

Hinc collige nullam esse spiritualẽ cognationem, & impedimentum matrimonii inter virum, & fœminam, eundem de sacro fonte suscipientes, aut tenentes in Sacramento Confirmationis: quia Tridentinum in c. cit. expresè dicit inter alias personas tolli omne impedimentum cognationis spiritualis. Tenentes, inquam, eundem extraneum. Nam si vir teneret proprium filium, contraheret cognationem cum vxore, ex qua illum suscepit, quâ prohiberetur à debito coniugali: similiterq; fœmina, si teneret filium propriũ, contraheret cognationem spiritualem cum marito. *Ex dictione verò aliorum sacramentorum* (quàm Baptismi, & Confirmationis) *cognatio*

Ex qnibus sacramẽtis oriatur?

spiritalis nequaquã oriatur, quæ matrimonium impediat, vt dicitur 6. vbi de Cognatione spirituali in 6. Quamuis ex Sacramento pœnitentiæ oriatur simile quid spirituali cognationi Baptismi, vt dicitur cap. *Omnes* 30. q. 1. ratione cuius peccatum luxuriæ inter confessarium & pœnitentem habet malitiam specialem; velut incestus spiritalis, aut sacrilegii contra reuerentiam sacramenti, & specialem Ecclesiæ prohibitionem intuitu illius factã, vt fusiùs docet Sanch. lib. 7. disput. 55. licet cõtrarium affirmet Pontius lib. 7. cap. 38. n. 7. vbi docet istam cognationem, si aliquãdo fuit, consuetudine contraria iam esse abrogatam, & à Tridentino sublatam cap. sup. cit. ideoque non esse exprimendam in confessione hanc circunstantiam, vt docet etiam Emman. Sa à Pontio citatus.

51. Irritat matrim. iure solùm ecclesiastico.

Cæterùm, hoc impedimentum est tantùm positiuum ecclesiasticũ; ideóque non incurritur à non baptizatis, quia non subsunt legibus Ecclesiæ, neque sunt adhuc capaces spiritualis cognationis cum fidelibus. Et ad illud incurrendum requiritur primò vt Sacramentum Baptismi, vel Cõfirmationis validè conferatur. Quia deficiente principali, deficit eius accessorium. Cognatio autem est accessorium Baptismi, vel Confirmationis. Secundò, requiritur, vt qui tenet baptizatum, aut confirmatum, sit capax exercendi munus susceptoris, validéque illud exerceat. *In baptismate autem, vel in chrismate non potest alium suscipere in filiolum, ipse qui non est baptizatus vel confirmatus*; vt dicitur 2. *In Baptismate*, de consecratione dist. 4. Quæ verba debent intelligi respectiuè, ita vt ad suscipiendum in Baptismate, sufficiat esse baptizatum: ad suscipiẽdum autem in chrismate, hoc est, in Sacramento Cõfirmationis, necessarium sit esse confirmatũ. Tertiò requiritur, vt teneat eum, qui baptizatur, aut cõfirmatur, vel saltem de manibus baptizantis, eum immediatè suscipiat: vt declaratum fuit à Congregatione Cardinalium, quæ respondit cõmatrem suscipientem infantem de manu compatris dũtaxat, postquã ille baptizatus & à fonte baptismali leuatus est, ita vt eum non tangat, dũ baptizatur, neq; de manu ipsius baptizantis suscipiat, non contrahere cognationem spiritalem, vt habetur in Declarationibus impressis Lugduni cum textu Concilii an. 1640. ad c. 2. decreti de reformat. matr. sess. 24. n. 8. §. *In Episcopatu*. Ibidemque §. præcedenti affirmat non contrahere cognationem eos, qui licet assisterent animo contrahendi compaternitatem, non tamen tetigerunt.

Quænam requirantur ad illã contrahendam?

52. Quartò, qui tenet, aut suscipit, debet id facere ex intentione exercẽdi munus susceptoris. Quia sicut ad baptizandum sacramentaliter, non sufficit ponere actum materialem, sine intentione faciendi id quod Christus instituit: sic ad exercendum munus susceptoris sacramentali modo, non sufficit tenere dũtaxat, vt commodiùs baptizetur, vel alio fine, quàm exercendi hanc cerimoniam ecclesiasticam. Quintò, addunt aliqui, debere etiam esse designatũ, à parentibus, vel à Parocho in defectu parentum, aut saltem acceptatum tacite, vel expressè: quia Trident. cap. cit. dicit non contrahi hanc cognationẽ, nisi à susceptoribus designatis à parẽtibus, vel à Parocho: quia scilicet alii nõ possunt obire munus susceptoris, ad quod non admittuntur, licet frustra id tentẽt. Sed hoc limitandum est iuxta declarationem Cardinalium loco sup. citato nu. 7. dicentem, *si plures suscipiant, omnes contrahere cognationem, si non constat, quis prius tetigerit, & plures sint electi, vel nullus. Si vero vnus est electus, ille tantùm contrahit.* Limitandum, inquã, hoc sensu, quòd quando vnus fuit electus & designatus à parentibus, quorum est per se primò designare: vel à Parocho, ad quem id pertinet, quando parentes non designant, vel inidoneum offerunt, putà, hæreticum, vel infidelem, tunc ille solus cõtrahit cognationẽ. Si verò nullus designetur, & eligatur, sed plures se ingerãt, simulque suscipiant infantem in Baptismo, cognationem contrahunt. Ex quo etiam probabile fit contrahi quoquè ab illo qui solus se ingerit, & suscipit, nemine alio designato. Sicut enim quando Tridentinum eod. cap. statuit, vt vnus tãtùm, siue vir, siue mulier, vel ad summum vnus, & vna baptizatum suscipiant, non impedit, quò minùs, si plures eligantur, vt fit interdum, & simul tangant, cognationem contrahant, vt liquet ex declaratione Cardinalium proximè relatã ita quãdo iubet ibidem designari suscipientes à parentibus, vel à Parocho, & addit, *quod si alii vltra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant*; nõ impedit, quo minùs si nullus designetur, alii vltrò se ingerentes ad hoc officium, siue vnus, siue plures illam contrahant.

53. Addunt etiam aliqui requiri vt suscipiens respondeat in Catechismo, qui Baptismo præmittitur: vtq; per seipsum, non per procuratorem suscipiat: & denique vt Baptismus solemniter administretur, dum tenet infantem. Sed primum dicitur sine fundamento, cùm Tridentinum hanc conditionem non requirat, sed tantùm officium tenendi in Baptismo, quod est diuersum ab officio respondendi in Catechismo, & olim diuersam cognationem spiritalem pariebat non irritantem, sed prohibentem matrimonium, vt diximus sect. 3. disp. præcedentis. Secundum repugnat apertè declarationi Cardinalium loco sup. cit. nu. 4. quæ sic habet: *Procurator non contrahit cognationem spiritualem sibi, sed mandanti.* Itaque mandans, & suscipiens per procuratorem, cognationem contrahit. Tertium minùs est verosimile: quia Tridentinum generaliter, & absolutè pronunciat suscipientem in Baptismo contrahere cognationem; neque specialiter requirit, vt id fiat in Baptismo solemni. Quare eam contrahit, qui animo suscipiendi tenet infantem, etiam tunc, quando in casu necessitatis baptizatur sine solemnitate. Et hactenus de cognatione spirituali.

54. Cognatio denique legalis est propinqui-

Cognatio legalis quid sit, & quomodo dirimat matr.

tas, siue coniunctio ex adoptione orta. Definitur autem Adoptio, Legitima, id est, per leges ciuiles inducta assumptio personæ extraneæ in filium, aut filiam, nepotem, aut neptem, & deinceps: inuenta ad solatium eorum qui propriis filiis carent, & eorum loco ascisc unt sibi extraneos. Et hæc cognatio est perpetua, semper vim habens dirimendi matrimonium post contractum, primò inter adoptatum, & adoptantem. Secundò, inter adoptatum, & coniugem adoptantis. Tertiò, inter adoptantem, & coniugem adoptati. Quartò, inter adoptantem & legitimos filios adoptati, saltem vsque ad quartum gradum inclusiuè: simili enim modo metiendi sunt gradus cognationis legalis, & cognationis carnalis, quam illa imitatur. Est etiam inter adoptatum, & legitimos filios adoptantis, vsque ad quartum gradum: non tamen perpetua, sed quamdiu durat adoptio, & dum filii legitimi sunt sub patris potestate. Non autem oritur, saltem ad effectum impediendi matrimonium inter adoptatum, & filios illegitimos adoptantis, nec inter ipsos adoptiuos, siue legales filios, vt ait Glossa in cap. vnicum De cognatione legali, quam communiter omnes sequuntur, excepto Hostiensi, vt post Couarruuiam testatur Rebell. 2. part. lib. 3. quæst. 7. num. 12. quia Ecclesia hoc impedimentum noluit ad illos extendere, neque de illis loquuntur iura quibus hæc cognatio, & impedimentum statuitur. De quo plura videri possunt in titulis iuris ciuilis de adoptionibus, & ritu nuptiarum, & in iure canonico cap. *Ita diligere*, cap. *Per adoptionem*, 30. quæst. 3. & cap. vnico de cognatione legali. Fusiùs etiam de illo disputant Sanch. lib. 7. disput. 63. Pontius lib. 7. cap. 41. Rebell. part. 2. lib. 3. qu. 7. & Conink disp. 32. dub. 3. Sed in impedimento, quod rarissimè, & vix vnquam accidit, non iubet diutius immorari.

55. Quo iure cognatio dirimit matrim.

Cæterùm ex his tribus cognationibus secunda & tertia matrimonium dirimunt iure solùm positiuo Ecclesiastico: quare cognatio legalis non habet hunc effectum inter infideles, nisi peculiaribus eorum legibus ita statutum sit. Prima verò dirimit partim iure naturali, & partim ecclesiastico, vt paulò ante diximus, & fusiùs exponunt Sanchez libro septimo, disputatione quinquagesima prima, Con. disp. 32. dub. 1. & Victoria 2. parte relectionis de matrimonio. Qui rectè aduertunt non quodcunque matrimonium est prohibitum, etiam iure naturali, esse propterea irritum: in quo nonnulli decipiuntur: sed illud solùm cuius vsus captam continet indecentiam, vt incredibile sit habere homines à natura ius, & potestatem illud contrahendi.

SECTIO V.

De impedimento criminis.

56. Quodnam sit illud crimen, & quotuplex.

DVplex est crimen irritans matrimonium iure ecclesiastico. Primum est machinatio in mortem proprii coniugis, vel alieni, accedentibus nonnullis conditionibus, paulò post explicàdis. Secundum est adulterium coniunctum cum illa machinatione, aut cum matrimonio attentato, vel promisso. Quæ duo crimina impediunt matrimonium inter ipsos adulteros, vel conspirantes in mortem coniugis, vt patet ex cap. *Si quis viuente*, 31. q. 1. & cap. 1. 3. 5. & 6. *De eo qui duxit*: & cap. 1. *de conuersione infidelium*. Ratio autem sic statuendi fuit ne allicerentur coniuges ad machinandam mortem suis cõiugibus spe contrahendi matrimonium, cum aliis conspiratoribus. Itẽ ne allicerentur ad adulterium spe, vel prætextu contrahendi aliquãdo matrimonium cum adulteris. Itẽ ne adulteri inducerentur ad inferendã mortem coniugibus suorum complicum, spe contrahendi matrimonium cum illis.

57. Dirimit iure positiuo,

Ius autem illud merè positiuum est, & ecclesiasticum: ideoq; non obligat nõ baptizatos. Si tamen vnus machinantium morté, vel adulterantium sit fidelis, & intentet mortem coniugis alterius infidelis, vel promittat matrimonium adulteræ infideli: contrahit fidelis hoc impedimentum, & non potest nubere cum tali infideli: licet id fecerit animo eam conuertendi, per spem ineundi cum ipsa coniugii: vt dicitur cap. 1. *de conuersione infidelium*: vbi sermo est de quibusdam Saracenis qui mulierum Christianarum viros, earum machinationibus interfecerãt: posteaq; illarum ope ad fidem Christianam conuersi fuerunt: quas nihilominus Cælestinus III. prohibet contrahere matrimonium cum illis: & si contraxerint, iubet rescindi velut irritum, coniugesque præsumptos separari, iuxta can. 40. & 51. Concilii Triburiensis. Quamuis autem Ecclesia non possit apponere impedimenta infidelibus, qui non subsunt ipsius legibus: potest tamen ponere ipsis fidelibus respectu infidelium, & impedire ne fidelis validè contrahat cum infideli propter crimen: sicut statuit vt non validè contrahat cum vllis infidelibus, propter disparitatem cultus.

58.

Præterea, hoc impedimentum de illis intelligendum est, qui siue per se, siue per alium occidunt: vt colligitur ex cap. 1. *de conuersione infidelium*, vbi dicitur hoc impedimentum incurri ab eo, qui alterius machinatione, & insidiis interfecit. Debet quoque intelligi tam de vxore, quàm de marito occidente, vel adulterante. Perinde enim est, siue maritus vxorem occidat, siue vxor maritum: aut siue adulter adulteræ maritum interficiat; siue contra, adultera vxorem eius cum quo adulterata est: vt contra Victoriam &

paucos alios docent Theologi communiter. Falluntur que qui dicunt hunc secundum casum non esse in iure expressum distinctè, sed confusè inuolutum in priori: cùm manifestè habeatur expressus, cap. 1. de conuers. infidelium, cuius verba & sensum paulò ante retulimus. Denique hæc crimina reddunt tantùm conspirantes, & machinantes mortem, aut adulteros, inhabiles ad contrahendum inter se matrimonium; non autem ad contrahendum cum aliis.

59. Machinatio mortis coniugis, quomodo dirimit?

Circa primum ex his criminibus irritantibus, nota, vt machinatio mortis coniugis dirimat matrimonium, requiri tres conditiones. Prima est, vt machinatio fuerit efficax: tam ex parte euentus, ita scilicet, vt habuerit effectum, & mors secuta sit: quàm ex parte machinantis, ita scilicet, vt efficaciter influxerit, & verè fuerit causa mortis. Quare non sufficit ratihabitio post factum: neque mandatum, aut consilium sufficienter reuocatum ante factum. Secundò requiritur vt hæc machinatio fiat ex intentione contrahendi matrimonium cum alio. Quia leges ecclesiasticæ hoc impedimentum statuerunt solùm ad deterrendum coniuges, ne spe alieni matrimonii mortem suis coniugibus machinentur. Tertiò requiritur vt vel ambo conspirauerint in mortem coniugis occisi: vel si vnus tantùm hoc fecit, vt ante mortem cõiugis inter eos intercesserit adulterium formale, id est notum vtrique: ita vt pars ignara huius machinationis sciat se cõmittere adulterium, seu rem habere cum persona coniugata. Alioquin hanc pœnam non incurrit: neque propter machinationem mortis, cuius non est conscia: neque propter adulterium, cuius est ignara. Pœna autem non est communis vtrique, nisi culpa quoque communis sit: atque idcirco matrimonium postea secutum erit validum in fauorem innocentis. Addit Rebell. 2. part. lib. 3. qu. 8. num. 15. non incurri impedimentum criminis propter vxoricidium, quando vir eam occidit in flagranti adulterio deprehensam, aut aliter impunè secundum leges: nisi fortè per dolum ei præberet occasionem adulterandi ea intentione, vt posset illam occidere, & contrahere cum altera talis machinationis, & adulterii complice. Debet quoque esse verũ adulterium, & non tantùm falsò præsumptum: vt si prius matrimonium cũ occisa erat inualidum. Debet denique esse adulterium consummatum, id est, per copulam perfectã, qualis est illa, ex qua per se apta est sequi generatio prolis, licet ex accidẽti nõ sequatur: quia leges pœnales debent intelligi de peccato vero & perfecto in sua specie, nisi aliud exprimant.

60. Quæ conditiones requirãtur in adulterio ad dirimendum.

Circa secundum etiam nota secundò, vt adulterium dirimat matrimonium inter adulteros, tres etiam conditiones requiri. Primò vt vel sit coniunctũ cum machinatione mortis, de qua diximus supra: vel cum matrimonio inter adulteros attentato de præsenti, vel promisso in futurum, de contrahendo scilicet post mortem coniugis: vt patet ex cap. 6. & vlt. *de eo qui duxit*. Debetque promissio esse acceptata: quoniam alioqui non habet vim, & rationem promissionis. Non tamen debet necessariò esse reciproca: quia sufficit alterũ fidem dedisse, vt dicitur cap. *Significasti*, de eo qui duxit. Non obest etiam, quòd interiùs ficta sit, dummodo exteriùs appareat seria, & vera, atque vt talis acceptetur, neque sit indicium fictionem detegens. Sufficit etiam tacita acceptatio per taciturnitatẽ alterius, vt contra nonnullos docent Aegid. disp. 31. n. 58. Sanch. lib. 7. disp. 79. Rebell. 2. part. lib. 3. quæst. 8. num. 6. An verò sufficiat etiam promissio conditionata, vide apud Aegidium num. 59. vbi docet eam sufficere, quando conditio nescitur euenisse ante mortem coniugis: quia tunc promissio transit in absolutam: iamque perfectè obligat, neque minùs mouet ad machinandam mortem coniugis, quàm si absolutè data fuisset. Secus autem quando mors coniugis euenit ante aduentum conditionis. Quia tunc nondum habuit rationẽ perfectam promissionis, ne quidem exteriùs, & apparenter: neq; mouere potuit ad mortem coniugi procurãdam: cùm ex ea non potuerit sperare matrimoniũ pendens à conditione nondum posita, cuius incertitudo potiùs eum mouere debet ad expectandũ donec impleatur: ne alioqui frustra tam graui crimine se obstringat. Suppono autem conditionem non impleri ante mortem coniugis. Suppono etiam euentum conditionis esse incertũ, & non esse in potestate promissarii eam implere suo tẽpore. Nam alioqui sufficienter moueri posset vi talis promissionis ad mortem inferẽdam coniugi, habita illius inferendæ opportunitate, vt postea reliquum negotii non minùs à sua pendens voluntate perageret. Sufficit denique nuda promissio, id est, non confirmata iuramento, licet Ricardus, & D. Antoninus hac de re dubitauerint. Quia iura supra cit. requirunt tantũ promissionẽ, de cuius ratione non est, vt iurando firmetur: & cap. 1. 3. 5. & trib. seq. *De eo qui duxit*, fit solum mentio fidei datæ, seu præstitæ: datur autem, & præstatur per promissionem: quia quisquis promittit, hoc ipso fidem suam obligat. Nec obest quòd in cap. *Relatum*, 31. q. 1. fit expressa mentio iuramenti additi. Hoc enim fit narrando factum: non autem affirmando id esse necessarium ad irritandum matrimonium.

61. Debetne adulterium præcedere promissio?

Secũdò requiritur, vt tam promissio, quàm adulterium, fiat ante mortẽ coniugis: vt patet ex iuribus supra citatis. Sufficit autem quòd adulterium vel præcedat, vel sequatur promissionẽ de matrimonio post mortẽ cõiugis cõtrahendo, vel attentatum ante ipsius mortem. Nã in vtroq; casu incurri hoc impedimẽtum cõstat ex cap. fin. *De eo qui duxit*: quia scilicet in vtroq; casu æquè præbetur occasio machinandi mortem cõiugis. Eandemq; ob causam sufficit promissio ficta interiùs, sed exteriùs seriò facta, quàtùm apparet, vt paulò ante dixi: quia ratio legis hoc postulat vtrobiq; ad

consulendum vitæ coniugum, ne spe futuri matrimonii sumatur ansa captandi mortem eorum. Quæ ratio æquè locum habet in promissione ficta matrimonii. Pars enim decepta non minùs eam accipiet ex ficta promissione, quam credit esse veram.

Adulterij debet vtrique notum esse.

Tertiò requiritur, vt quando committitur adulterium, vterque sciat alterum esse coniugatum: vt colligitur ex cap. 1. *De eo qui duxit*, vbi Alexander III. pronunciat valere matrimonium adulteri cuiusdam cum adultera, quia *hæc erat insciа, quòd ille haberet aliam vxorem viuentem*: quamuis ea viuente dedisset illi fidem adulter de futuro matrimonio. Debet præterea esse verum, & consummatum adulterium ad hanc pœnam incurrendam, vt diximus de priori crimine. Et si ante, vel post adulterium attentatur matrimonium de præsenti, sufficit illud siue clandestinè, siue publicè fieri, etiam illis in locis, vbi constitutio Tridentini de clandestinis recepta est. Quia quocunq; modo, & loco & contrahatur inualidum est, quandoquidem attentatur viuente adhuc altero coniuge, vt supponimus: & non ideo fuit hoc impedimentum statutum ab Ecclesia quia matrimonium publicè initur, & validè in speciem: sed quia ex illo, siue publicè siue clam attentato imminet periculum vitæ legitimi coniugis. Plura hac de re videri possunt apud Sanchem lib. 7. disp. 78. & 79. Aegidium disp. 31. dub. 5. Bonacinam quæst. 3. de matrim. puncto 6. & Pontium lib. 7. cap. 45.

Hæreticorũ error refellitur.

Perperam autem contra hoc impedimentum reclamant Lutherus in lib. de captiuit. Babilon. cap. de matrim. & Melanchthon in Locis communibus. tit. de coniugio, quasi imprudenter Ecclesia matrimonium inter adulteros non solùm prohibuerit, verùm etiam irritum esse statuerit: cùm tamen Dauid Bethsabeam vxorem duxerit priùs à se pollutam per adulterium, & cuius etiam maritum per insidias interfecerat 2. Reg. 11. Respondeo enim multa in lege Euangelica prohiberi, quæ in lege Mosaica permittebantur: quia perfectio legis Euangelicæ supra Mosaicam hoc postulat: & hanc Ecclesiæ prohibitionem, atque irritationem matrimonii niti grauissima ratione, vt consulatur scilicet vitæ coniugum, & tam immane scelus pœna condigna puniatur. Quid enim atrocius, quàm non solùm fidem matrimonii non seruare, verùm etiam conspirare in mortem coniugis? Adde quòd non apparet ex sacra historia concurrisse omnia in matrimonio Dauidis cum Bethsabea, quæ nunc per legem ecclesiasticam requiruntur ad incurrendum impedimentum criminis. Neque enim adulterium illud fuit commissum sub spe, & promissione futuri matrimonii: neque post illud accessit promissio de contrahendo post mortem Uriæ: neque fuit attentatum inter illos viuente Uria. Neque etiam constat Bethsabeam vllo modo conspirasse, aut consensisse in mortem coniugis. Non constat etiam Dauidem ipsum interfecisse, vt Bethsabeam duceret, & non potiùs vt filius Uriæ esse crederetur, quem ex adulterio conceperat, & apud Uriam ipsa non malè audiret.

DISPVTATIO

SEPTVAGESIMA QVINTA,

De quinque aliis impedimentis dirimentibus, disparis cultus, coactionis, Ordinis, Ligaminis, & honestatis.

Sectio I. *De impedimento disparis cultus.*
Sectio II. *De impedimentis coactionis, & Ordinis.*
Sectio III. *De impedimento Ligaminis.*
Sectio IV. *De impedimento honestatis.*

Digitized by Google

DE impedimento disparis cultus disputat S. Thom. q. 59. supplem. docetque 1. disparitatem cultus impedire ne matrimonium contrahi possit: quia principalius matrimonii bonum est proles ad Dei cultum educanda. Cúmque educatio fiat cõmuniter per patrem, & matrem: vterque secundum suam fidem educare intendit: & ideo si sunt diuersæ fidei, intentio vnius est contraria intentioni alterius: atque ita non est conueniens inter eos matrimonium. 2. Posse tamen inter ipsos infideles existere matrimonium, licet non æquè perfectum, atque inter fideles: quia possunt suscipere prolem, & educare, ac perficere, non solùm quantum ad corpus, sed etiam quantum ad animã per ea, quæ sunt de lege naturæ; sed non quoad perfectionem gratiæ. 3. Matrimonium infidelium non solui per conuersionem alterius ad fidem, quia fides non soluit, sed perficit matrimonium. Potestque fidelis manere cum infideli, si non viderit obstinatam in infidelitate: & bene facit manendo: tametsi non tenetur, sed hoc tantùm est consilium Apostoli. Potest enim eam dimittere si velit: quia cum per Baptismum regeneretur in Christo, & priori vitæ moriatur, idcirco liberatur ab obligatione, quâ vxori tenebatur reddere debitum; & ei cohabitare nõ tenetur, quando cõuerti non vult. 4. Si coniux infidelis vult pacificè habitare cũ coniuge conuerso, & sine contumelia Creatoris: potest quidem fidelis, si velit, ab ea discedere: sed non potest alteri nubere. Sin autem ad infidelitatem pertrahere nitatur, vir fidelis discedens potest alteri per matrimonium copulari. 5. Matrimonium, si est ratificatum, non potest solui quoad vinculum, neque per infidelitatem, neque per adulterium. Sed si non est ratificatum, soluitur vinculum permanente infidelitate in altero coniugum, si alter conuersus ad fidem, ad aliud coniugium transeat. Non autem soluitur vinculum prædictum per adulterium. Alioquin infidelis liberè posset dare libellum repudii vxori adulteræ, & eâ dimissâ aliam ducere: quod falsum est.

De impedimento coactionis tractat idem S. Doctor quæst. 47. vbi de consensu coacto: cuius doctrinam alibi exposuimus disp. 71. sect. 6. De Ordinis autem impedimento agit q. 53. art. 3. & 4. docetque Ordinem sacrum impedire matrimonium ex constitutione ecclesiastica, & ex quadam congruentia: quia in sacris constituti tractant sacra vasa, & sacramenta ministrant: ideoque decens est vt munditiem corporalem per continentiam seruent. Differentiam tamen esse quoad hoc in Græca, & Latina Ecclesia. Nam in ista interdicitur illis omnino matrimonium, eiusque vsus, etiamsi ante vota contractum sit: nisi maritus nolente vxore, aut contradicente sacrum Ordinem susceperit: quia tũc non potest illius iuri præiudicare. In Græca verò permittitur, vt antea iungantur matrimonio, & post etiã illo vti possint. Item apud Græcos impeditur solùm ex vi Ordinis. Sed apud Latinos impeditur vlteriùs ex voto continentiæ annexo sacræ Ordinationi secundum ritum Occidentalis Ecclesiæ.

Digitized by Google

Denique de impedimento Ligaminis tractat. q. 65. vbi dicit esse quodammodo contra legem naturæ habere simul plures vxores: licet olim polygamia licita fuerit antiquis Patribus propter finem prolis multiplicandæ ad cultum Dei. De impedimento autem publicæ honestatis obiter tantùm agit art. 4. quæst. 53. vbi docet, sicut sponsalia non habent perfectam rationem matrimonii, sed sunt quædam præparatio ad matrimonium: ita ex sponsalibus non causari affinitatem, sicut ex matrimonio; sed aliquid affinitati simile, quod dicitur publicæ honestatis iustitia, quæ impedit matrimonium, sicut affinitas, & consanguinitas, & secundum eosdem gradus. Definiturque hunc in modum: Publicæ honestatis iustitia est propinquitas ex sponsalibus proueniens, robur trahens ex Ecclesiæ institutione, propter eius honestatem: id est, irritans matrimonium iure ecclesiastico, propter indecentiam, quæ inesset in tali coniugio.

SECTIO I.

De impedimento disparis cultus.

1. Non valet matrim. baptizati cum non baptizata.

PEr impedimentum disparis cultus intelligitur dissimilitudo religionis, propter quam inter baptizatum, & non baptizatam, non potest validè contrahi matrimonium; neque inter baptizatam, & non-baptizatum. Quamuis enim possint infideles nõ-baptizati inter se contrahere: atque etiam post alterius conuersionem ad fidem, eiusque baptismum, maneat tale coniugium; possitque fidelis habitare vt antea cum coniuge infideli volente pacificè cohabitare, iuxta consilium Apostoli 1. Corinth. 7. v. 12. tamen coniugium, quod contrahitur à persona baptizata cum non-baptizata est irritum iure saltem ecclesiastico, statuto partim in pluribus Conciliis particularibus ab Ecclesia receptis: partim, & multò clariùs consuetudine vniuersali Ecclesiæ ante annos 400. receptâ, & vim legis habente. Quin etiam longè antea id constitutum fuisse videtur in Concilio Niceno 1. can. 67. ex Arabicis vbi sic habetur: *Quicunque duas mulieres in matrimonium acceperit, ipse cum secunda excommunicetur. Et quæcunque mulier fidelis viro infideli nupserit, ipsa quoque ex Ecclesia reiiciatur. Quæ si pœnitentiam egerit maleficii, & eum virum quem habere non poterat, id est, infidelem dimiserit: non est recipienda, nisi eo modo, quo recipitur qui postquam fidem negauit, ad fidem reuertitur, debetque ipsa infidelem relinquere.* Nec obest quòd ab eo tempore non pauci fideles nupserunt validè cum infidelibus. Id enim per dispensationem legis fieri potuit: vel propter defectum promulgationis quibusdam in locis, vbi propterea non obligabat.

2. Necsufficit esse catechumenũ.

Addo non sufficere quòd sit catechumenus: quia si nondum est baptizatus non potest contrahere cum fideli, vt dicitur cap. *Caue*, 28. q. 1. cuius verba sunt: *Si christiana sit* (id est catechumena) *non est satis, nisi ambo initiati fuerint sacramento Baptismatis.* Neque etiam valet matrimonium hæretici, aut apostatæ à fide cum infideli non baptizato: quia cũ isti sint baptizati, subsunt legibus Ecclesiæ quibus irritatur matrimoniũ cuiuscunq; baptizati cũ non-baptizatis. Hæc autẽ omnia debent intelligi per se loquendo, & suppositò quòd non obtineatur relaxatio huius impedimenti; quòd cùm sit iuris tantùm positiui ecclesiastici, vt mox dicemus, potest Summus Pontifex in eo dispensare: & quidem etiam licitè ac rationabiliter, si magnũ aliquod inde speretur bonum, putà conuersio alicuius regni infidelium. Sed quamuis sine iusta causa relaxaret, valeret matrimonium. Potest enim Princeps dispensare validè in sua lege, etiam sine causa, æquèac illam abrogare, aut non ferre.

3. Dicunt aliqui id esse à iure diuino

Existimant aliqui, non solùm iure positiuo ecclesiastico irrita esse prædicta matrimonia: verùm etiam diuino, & naturali. Quod de iure diuino probant ex prohibitione à Deo facta Exod. 34. & Deuteron. 7. vbi Deus interdicit matrimonium Hebræorum cum Gentilibus. Quod præceptum esse morale, & adhuc durare patet ex ratione subiuncta, quia periculum erat, ne seducerentur, & seruirent Diis alienis. Et 3. Reg. 11. vbi eadem ratio subiungitur, *Certissimè enim auertent corda vestra vt sequamini Deos alienos.* Et ex 2. Corinth. 6. vbi Paulus idem præceptum renouat dicens, *Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? aut quæ pars fideli cum infideli?* Quæ verba de iugo matrimonii exponit Hieron. lib. 1. contra Iouinianum. Sed quamuis essent generaliter intelligenda de commercio, & conuictu cum infidelibus: à fortiori concluderent de coniugio, in quo commercium, & conuictus maiora sunt, & diuturniora, & arctiora: quippe quæ de-

bent totâ vitâ durare ; & ex amore mutuo coniugum, & illecebris coniugalibus reddunturque periculosiora. Denique idem Apost. 1. Corinth. 7. præcipit vt mulier christiana, si dormierit vir eius, non nubat nisi in Domino, id est, cum viro christiano, vt exponunt Tertull. lib. 2. ad vxorem, c. 2. Hieron. lib. cit. Augustin. lib. 1. de adulterinis coniugiis, cap. 21. Ambros. Theodoret. Sedulius, Anselmus, & S. Thom. in loc. m Pauli citatum, quorum aliqui diserè affirmant verbis illis contineri præceptum de non nubendo cum infideli.

4. Et à iure naturali.

De iure verò naturali idem probant, quia huiusmodi matrimonium repugnat ipsius fini, qui est honesta prolis educatio, & cohabitatio pacifica. Nam proles non poterit honestè educari, altero coniuge infideli conante eam pertrahere ad errores & mores infidelium. Non potest etiam pacifica esse cohabitatio inter personas diuersæ religionis, sed rixæ & contentiones plurimæ. Quomodo enim potest congruere charitas, si discrepet fides? vt rectè ait S. Ambros. lib. 1. De Abraham cap. 5. Præterquam quòd matrimonium obligat coniuges ad cohabitandum. Fidelis autem non potest absque impietate habitandum cum infideli nolente cohabitare pacificè. Qua de causa soluitur inter infideles matrimonium, vno eorum conuerso, & altero nolente cohabitare pacificè, vt docet Apost. 1. Corinth. 7. & nos alibi fusiùs exposuimus. Adde quòd Ecclesia non potest irritare hoc matrimonium, quia infideles non subsunt illius legibus. Neque reperitur quando, vel vbi irritauerit. Canones enim, qui proponuntur, vel sunt incerti, vel supponunt esse aliunde irritum, iure scilicet naturali, aut diuino. Denique cùm non possint christiani contrahere validè nisi contrahant sacramentaliter : non possunt validè contrahere cum infidelibus, quia matrimonium cum illis initum non potest esse sacramentum.

5. Probatur contraria sententia.

Sed hæc omnia solùm probant eiusmodi matrimonia esse iure naturali, & diuino illicita ob periculum subuersionis alterius coniugis fidelis, & malæ educationis prolis, & discordiæ futuræ inter coniuges. Propter quæ incommoda fuerunt à Deo prohibita in lege veteri (quæ tamen lex vi sua non amplius obligat, cùm fuerit à Christo abrogata) & in lege nouâ prohibentur verbis Apostoli supra relatis, iuxta probabilem multorum interpretationem. Quæ tamen non adeo repugnant fini matrimonii, vt inualidum reddant ex natura rei : alioqui non valeret matrimonium catholici cum hæretica, in quo matrimonio eadem reperiuntur incommoda : quod tamen esse falsum ostendemus paulò post, & fatentur aduersarii. Neque etiam adeo generalia sunt, vel cum huiusmodi matrimoniis tanta necessitate connexa, vt vitari nequeant. Constat enim ex historiis ecclesiasticis pios aliquos, & sanctos nupsisse infidelibus sine eiusmodi periculis. Neque in lege Mosaica erant irrita : nam Hester validè nupsit Assuero : & Salomon accepit in coniugem filiam Pharaonis regis Aegypti. Ante legem quoque plerique Patriarcharum duxerant coniuges infideles : vt Iacob filias Laban ethnici & idololatræ : Ioseph filiâ Putiphoris Aegyptii sacerdotis idolorum : & Moses ipse filiam Iethro. Quamuis autem infideles non subsint legibus Ecclesiæ : sufficit quòd Ecclesia reddit fidelem inhabilem ad contrahendum cum infideli. Hinc enim fit vt talis contractus sit inualidus, cùm non possit claudicare, id est, valere ex vna tantùm parte. Ecclesiam verò id statuisse certò constat ex receptissima talium consuetudine vim legis obtinente. Nec obest quòd matrimonium fidelium cum non baptizatis sacramentum esse nequeat, ne quidem ex parte fidelium (vt falsò quidam existimant) cum consistat essentialiter in ipso contractu, & non magis quam ille claudicare possit. Quia licet fideles nequeat licitè contrahere non sacramentaliter, & illa etiam de causa inter alias Ecclesia irritauerit matrimonium illorum cum infidelibus : valet tamen matrimonium vt contractus ciuilis ; qui ipsa separatur à ratione sacramenti inter infideles simul contrahentes : & potest etiam inter fideles ipsos separari validè, quamuis illicitè, vt ostendimus disp. 69. sect. 6.

6. Matrim. catholici cum hæret. est illicitum.

Quæres an idem sit dicendum de matrimonio fidelis cum infideli baptizato, id est, hæretico, vel apostata? Respondeo tale quidem matrimonium esse illicitum per se loquendo, & prohibitum ab Ecclesia : non tamen esse inualidum. Prima pars, quòd sit illicitum, & quidem iure naturali, & diuino, probatur quia subest iisdem periculis, & incommodis, quibus matrimonium cum infideli non baptizato, vt per se patet, & experientia notum est. Nam de illo quoque verum est, quod supra dixit Ambros. charitatem, & concordiam saluari non posse, vbi discrepat fides. Et quod ibidem addit, rationem docere, & experientiam comprobare quòd sæpe illecebra mulieris decepit etiam fortiores maritos, & à religione fecit discedere : Quodque ait Tertull. lib. 2. ad vxorem cap. 3. *Quis enim dubitet obliterari quotidie fidem commercio infideli? Bonos corrumpunt mores confabulationes praua. Quantò magis coniunctus, & incinctuus vsus &c.*

7.

Secunda pars assertionis, quòd tale matrimonium sit prohibitum ab Ecclesia, patet ex Concilio Laodiceno sub Siluestro cap. 10. & 31. vbi dicitur, *Quòd non oporteat cum hæreticis vniuersis nuptiarum fœdera celebrare, aut eis filios dare, vel filias : sed tantum accipere, si tamen christianos se fieri promittant.* Idèq; prohibetur in Concilio Illiberitano can. 16. Carthag. III. can. 12. Chalced. can. 13. & cap. *Decreuit*, de hæreticis in 6. vbi Bonifacius VIII. statuit vt dotes vxorum catholicarum, quæ scienter cum viris hæreticis contraxerunt matrimonium, fisco addican-

tur in pœnam huius criminis. Ex quo etiam colligitur peccatum hoc esse de se graue: quandoquidem tam seuerè punitur. Quod etiam ostendunt alia grauia incommoda supradicta, quæ ex talibus matrimoniis oriri solent.

8. Est tamen validum.

Tertia pars responsi, quòd nihilominus hoc matrimonium non sit irritum, probatur, quia neque irritatur iure naturali, aut diuino positiuo, vt colligitur ex dictis de matrimonio cum infidelibus non-baptizatis: neque iure ecclesiastico: quia Ecclesia id non statuit: neque vsus obtinuit vt non valeat. Sed potiùs in cap. *Decernit* supra cit. supponitur tale matrimonium valere, quando statuitur vt mulieres, quæ scienter contraxerunt cum hæreticis, priuentur dote in pœnam delicti, neque propterea iubentur coniugem relinquere.

9. Contra quod tamen obiici potest canon 72. Synodi VI. generalis, cuius verba sunt *Non licere virum orthodoxum cum muliere hæretica, neque orthodoxam cum viro hæretico copulari. Sea si quid eiusmodi ab vllo ex omnibus factum apparuerit, irritas nuptias existimari, & nefarium coniugium dissolui.* Respondeo 1. Si Bellarmini eundem canonem interpretanti credendum est, ipsum loqui de Iberis, qui filias suas tradebant Saracenis, infidelibus scilicet, & non baptizatis, qui impropriè, & latè sumpto hæreticorum nomine, ibi significantur: ideo fortasse, quia nonnulli eorum se christianos esse simulassent. Quæ interpretatio fundamentum habet in verbis canonis immediatè sequentibus: quippe quæ ostendunt ipsum loqui de matrimonio fidelis cum infideli non-baptizato: sic enim habent: *si autè adhuc infideles sunt inter se legitimo matrimonio copulati, deinde alter eorum conuertatur ad fidem, altero in infidelitate manente: si fideli placuerit cum infideli cohabitare, non à se inuicem separentur, iuxta Pauli sententiam.* Respondeo 2. canones illos VI. Synodi Trullanæ dictæ, non esse authenticos, neque à Concilio editos, sed à quibusdam Episcopis simul conuenientibus post illius dissolutionem: nam vt constat ex septima Synodo generali act. 4. & 5. Synodus VI. nullos canones edidit. Neque etiam fuerunt vnquam illi à Romano Pontifice approbati: sed è contrario improbati à Sergio Pontifice illius temporis, vt testantur Beda lib. de sex ætatibus in Iustiniano iuniore, & Paulus Diaconus lib. 8. de rebus Romanis cap. 9. Qua de re plura videri possunt apud Baronium an. Christi 692. num. 1. & plurib. sequent. & apud Bellarm. lib. 2. de Romano Pontif. cap. 18. §. *Cæterum nullius roboris sunt illi canones.*

10. Possitne aliquando excusari à peccato?

Quæres 2. an matrimonium catholicorum cum hæreticis sit adeo illicitum, & malum, vt nunquam sine peccato celebrari possit? Ratio dubitandi est, 1. quia matrimonia cum hæreticis prohibentur generaliter ab Ecclesia. 2. Ex præcepto Christi tenentur omnes non contrahere nisi sacramentaliter. Atqui non contrahunt sacramentaliter cum hæreticis: quippe qui credunt matrimonium non esse sacramentum, carentque intentione necessaria ex parte ipsorum, sine qua sacramentum fieri nequit, cum ambo contrahentes sint ministri simul & subiectum huius sacramenti: & sine intentione ministri nullum perficiatur sacramentum, vt Florent. definiuit in Decreto Eugenii. Tertiò, posito etiam quòd hæreticus intenderet facere quod Christus instituit; tamè grauiter peccaret celebrando, & recipiendo hoc sacramentu in statu peccati hæresis. Ergo catholicus cum eo contrahens peccat, quia cooperatur eius peccato. Quartò, cum hæretici putent matrimonium esse solubile per repudium (quæ intentio iam saltem est contraria valori matrimonii) periculum est ne velint contrahere retenta facultate repudiandi, & sub ea conditione. Atque ita catholicus exponit se periculo contrahendi inualidè: quia cum tali intentione non potest validè contrahi.

11. Respond. affirmat.

His non obstantibus contraria sententia, & communis Theologorum tenenda est. Primò, enim licitum esse hoc matrimonium fatentur omnes, si hæreticus ad fidem veniat, & colligitur ex can. 53. Arabico Concilii Nicæni: vel si promittat se christianum, & catholicum fore, vt dicitur in Concilio Chalced. Act. 15. can. 14. Deinde quòd licitè quoque fieri possit certis de causis cum non conuerso, neque promittente conuersionem, sed volente manere in hæresi, docent meritò Reginaldus tom. 2. lib. 31. n. 169. Esthius in 1. Corinth. 7. num. 39. Cornel. à lapide ibid. num. 258. Sanch. lib. 7. disp. 72. num. 5. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 11. q. 5. Aegid. Con. disp. 31. dub. 3. concluſ. 3. Pontius in appendice ad librũ septimum de matrim. cap. 3. num. 9. & 10. aliique plures à eo relati. Quibus fauent exempla plurimm sanctorum, qui coniuges infideles duxerunt, vel hæreticos, modo supra dicto: vt Esther Assuerum, Esth. 2. v. 17. & 18. & Cæcilia Valerianum, vt habetur in eius vita, & in Officio Romano; & Monica mater Augustini, Patricium ethnicum, vt ipse refert lib. 9. Confess. cap. 9. & Clothildis, Clodouæum Regem similiter ethnicum, vt scribit Gregor Turon. lib. 2. histor. cap. 28. & cap. 31. & alii duo Francorum Reges Sigebertus, ac Chilpericus, duas Athanagildi Hispaniarum Regis filias Ariana hæresi infectas, vt refert idem Gregor lib. 4. histor. Franc. cap. 27. & 28. vbi etiam narrat fuisse postea maritorum persuasione conuersas. Sed nulla conuersionis promissio, vel spes data præcesserat in hoc, & aliis supradictis matrimoniis, quantum potest ex historia colligi: neque solùm diuinando asseri debet, aut petendo principium, id est, supponendo non potuisse licitè aliter fieri.

12.

Fauet etiam praxis communiter recepta

Summorum Pontificum, & aliorum Prælatorum Eccleſiæ, diſpenſantium, aut permittentium humiliores coniugia iuſtis de cauſis, iis præſertim in locis, vbi magna eſt multitudo hæreticorum tèleratorum mixtorum cum catholicis, & parum, aut nihil periculi ſubuerſionis, aliorumue incommodorum. Quibus etiam in locis affirmant Sanch. lib. 7. diſp. 72. num. 5. Pontius in appendi e cap. 3. num. 9. & cap. 5. num 2. aliique ab eo citati, generaliter permiſſum eſſe, ac ſine peccato fieri poſſe, vt catholici cum hæreticis ibi tòleratis contrahant matrimonia, ſicut & alia negotia tractent, dummodo abſit periculum ſubuerſionis coniugis, aut malæ educationis proli». Sed cum Aegidio diſp. 31. dub. 3. num. 45. verum id eſſe non puto, niſi præterea ſcandalum abſit. Quod ſi plarè abeſt, nullumque periculum prudenter timeri debeat, iuſta eſt cauſa contrahendi, vel diſpenſandi vt contrahatur, accedente aliqua neceſſitate, vel vtilitate notabili, publica, vel priuata. De quo tamen non expedit eſſe cuiuſque iudicare, ſed potiùs ad Prælatos recurrendum, qui re cognita permittant contrahere. Præterquam quod, cùm hæc matrimonia ſint prohibita legibus eccleſiaſticis, eo etiam nomine opus eſt diſpenſatione Prælati ad contrahendum licitè: niſi forte alicubi conſuetudo contraria ita inualuit, vt legem abrogauerit.

13. Licetne eſi periculo ſubuerſionis?

Addo cum Pontio in appendice cap. 6. talem eſſe poſſe neceſſitatem contrahendi cum hæretico, propter magnum aliquod bonum, exempli gratiâ, propter ſpem conuerſionis totius regni, vel pacis publicæ obtinendæ, & firmandæ, vel auertendi ruinam totius reipublicæ: vt etiam liceat exponere ſe alicui periculo ſubuerſionis, cum firmo tamen propoſito reſiſtendi, & ſpe diuini auxilii non defuturi in tali neceſſitate. Ratio eſt, quia ſicut in aliis non eſt illicitum exponere ſe alicui periculo peccandi propter neceſſitatem magni alicuius boni aſſequendi, aut mali auertendi: ita neq; in coniugio. De quo etiam ſpecialiter exemplum illuſtre habemus in Heſther nubente Aſſuero, non ſine aliquo periculo peccandi contra legem Moſaicam in vſu ciborum communium, & quibuſdam aliis: præcipuè cùm genus ſuum Regi, & aulicis ignotum eſſe vellet, & difficile eſſet non illud factis prodere, edendo, & viuendo ſecundum ritum legis ſuæ. Iudith quoque non leui periculo pudicitiæ ſeſe expoſuit adiens Holofernem, & caſtra Aſſyriorum ſola cum ancilla penetrans. Vtraque tamen laudabiliter id fecit auxilio Dei confiſa, eiuſque inſtinctu, & conſilio, vt populum ſuum cladi imminenti eriperet. Generaliter autem licere propter neceſſitatem exponere ſe periculo peccandi contra fidem, vel aliam virtutem, cum propoſito firmo reſiſtendi, & ſpe diuini auxilii, docent in primis D. Thom. 2. 2. q. 10. art. 9. in corp. Sotus lib. 5. de iuſtitia quæſt. 1. art. 1. concluſ. 2. Diana parte 3. tractat. 4. de Sacram. reſolut. 269. Caiet. in Summa V. Periculum, Sanch. lib. 1. in Decalogum cap. 8. num. 3. & plures alii, quorum verba relata vide apud Pontium cap. cit. vbi fuſiùs hanc ſententiam confirmat.

14. Soluitur obiectio.

Neq; obiicias illud eccleſiaſtici 3. v. 27. *Qui amat periculũ, peribit in illo*: & c. 13. v. 1. *Qui tetigerit picẽ, inquinabitur ab ea.* Reſpondeo enim verbis D. Baſilii relatis à Sanch. & Baſil. Pontio, vbi ſupra, *Qui vrgenti aliqua cauſa, & neceſſitate ſ pernicioſo obiicit, vel permittit ſe eſſe in illo, cùm alias nollet: non tam amicitiæ amare periculum, quàm inuitus illud ſubire: & ideo magis probabile Deum non in illo perdat.* Addo præterea, ſicut cum aliquo tuo periculo poteſt iuſtas, & graues ob cauſas contrahere catholicus cum hæretico: ita & cum periculo prolis educandæ in hæreſi, cum firmo tamen propoſito id impediendi, quantum fieri poterit, & ſpe vincendi difficultatem ope diuini auxilii. Quod propoſitum ſaltem habere debent quicunque cum hæreticis contrahunt: neque admittendum eſt illud pactum, quòd filij apud patrem catholicum educabuntur, filiæ apud matrem hæreticam, aut vice verſa: quod pactum illicitum eſſe affirmant communiter Doctores, vt videre eſt apud Pont. cap. 7. Appendicis in fine, & lib. 7. cap. 46.

15. Satisfit aliis in argum.

Ad primam rationem dubitandi initio quæſtionis propoſitam, reſpõdeo patere ex dictis num. 11. leges eccleſiaſticas permittere matrimonium catholicorum cum hæreticis in certis caſibus; & vſum diſpenſandi communem eſſe: neque in dubium reuocari debere, quin obtenta diſpenſatione, ſi res fideliter expoſita fuit Prælato diſpẽſanti, præſertim verò Summo Pontifici, poſſint tuta conſcientia contrahere. Ad ſecundam reſpondeo, ſufficere ad contrahendum ſacramentaliter, vt velint hæretici facere, id quod Chriſtus inſtituit, vel quod docet, & facit vera Eccleſia, quæcunque illa ſit: poteſt autem hoc facilè ab illis obtineri. Ad tertiã dico non cooperari peccato alterius eũ qui, vt ſuæ neceſſitati, vel vtilitati conſulat, petit ab illo actum, quem poteſt licitè præſtare, ſi velit; vel cum illo eum exercet: vt qui petit, & accipit mutuum ab vſurario, præuidens non daturum ſine vſura: vel qui propter ſuam neceſſitatem, aut notabilem vtilitatem petit, & accipit ſacramentum à Parocho, quẽ præuidet eſſe illicitè adminiſtraturum ſuâ culpâ. Ad quartam reſpondeo ſufficere quòd hæreticus velit abſolutè contrahere matrimonium, quidquid demum ad illius valorem neceſſarium ſit. Derogat enim hac intentione generali, & abſolutâ, ſuo errori priuato. Hoc autem poteſt facilè ab eo obtineri, & reipſa habetur ab omnibus qui volunt ſincerè contrahere. Si tamen conſtaret non haberi ab aliquo, non poſſet licitè, neque validè cum illo contrahi: & ſi de eo dubitatur rationabiliter, debet ab

illo

illo exigi vt absolutè velit contrahere, quantum ad valorem contractus necessarium est.

16. Licetne Parocho & testibus assistere?

Supereſt notare, in his casibus, in quibus contrahentes licitè ineunt eiusmodi matrimonia, non peccare Parochum, & testes, qui illis assistunt, sicuti necessarium est ad eorum valorem, vbicunque Tridentini constitutio de clandestinis recepta est. Secus verò si contrahunt illicitè: quia eodem præcepto, quo Ecclesia prohibet contrahentibus id facere sine iusta causa excusante tale matrimonium: prohibet consequenter Parocho & testibus, ne suâ præsentiâ concurrant voluntariè ad validam illius celebrationem. Quare non assentior Pontio cõtrarium affirmanti cap. 9. Appendicis nu. 5. vbi malè supponit Parochum, & testes non cooperari aliquo modo tali matrimonio. Nec obest quòd hæreticus potest hunc actum bene præstare, si velit, & suâ tantùm culpâ malè præstat: quippe qui posset, si vellet, promittere conversionem, & ita licitè contrahere. Nam ad cooperandum sine peccato actui malo alterius præuiso, debet excusare aliqua necessitas: cum alioquì lex charitatis obliget vnumquemque ad vitandum malum proximi, præsertim spirituale, quando cõmodè potest.

SECTIO II.

De impedimentis Coactionis, & Ordinis.

17. Quomodo irritet metus seu coactio?

DE priori impedimento sufficiunt quę diximus disp. 71. sect. 6. vbi ostendimus consensum coactum, & extortum metu graui iniustè incusso ad finem obtinendi matrimonium, irritare contractum ex tali metu initum, iure ecclesiastico: vt habetur cap. 2. *De eo qui duxit in matrimonium*, c. 9. *De desponsat. impuberum*, cap. 14. & 15. *De sponsalibus, & matrimoniis*, aliisque pluribus. Sed requiri primò, vt metus sit grauis, id est, cadens in constantem virum, & aptus de se ad illum perterrefaciendum, mouenduntque vt aliquid magni momenti agat inuitus. Respectiuè tamen illud intelligendo ad conditionem personarum: ita vt sufficiat, quòd talis metus soleat grauiter percellere omnes personas talis conditionis. Secundò, requiri etiam, vt metus ille incutiatur directè ad finem extorquendi matrimonium: non autem propter aliquid aliud, à quo vt quispiam se liberet, contrahat matrimonium. Tertiò, neque satis esse, quòd incutiatur ad eum finem, sed etiam debere esse iniustum. Nam valet matrimonium eius, qui adigitur per sententiam iudicis, vel ad mortem subeundam, vel ad ducendam virginem quam sub spe, & promissione matrimonii corrupit.

18. De posteriori tria explicanda sunt. Primò, An & quis ordo irritet matrimonium, & quo iure? Secundò, Irritetne quamuis accipiatur ab infante ante rationis vsum: vel ab impubere: vel ab adulto iniustè coacto? 3. An, & quomodo possit Ordo superuenire matrimonio iam contracto?

Minores ordines nõ dirimunt matrim.

Circa primum dico primò, non quoscunque Ordines, sed tantùm sacros, siue maiores, dirimere matrimonium, hoc est, impedire ne validè contrahatur. Nam quòd minores Ordines non dirimant, patet ex cap. *Si quis eorum*, dist. 32. sumpto ex sexta Synodo can. 6. & ex cap. *Si qui verò* eod. tit. sumpto ex Gregorio Magno: & ex cap. 1. de Clericis coniugatis. Probatur, quia neque illi ordines repugnant matrimonio incompatibiliter ex natura sua, cùm ne quidem maiores Ordines illi repugnent naturaliter, vt dicemus paulò post: neque etiam ratione voti solemnis castitatis, quippe quod annexum non habent: nec denique ratione constitutionis Ecclesiæ, quæ sic ordinatos reddiderit inhabiles: quia talis ordinatio nulla est: sed potiùs Ecclesia declarat valere huiusmodi matrimonia, vt videre est in iuribus supra citatis. Idque verum existimo cum Sanche lib. 7. disp. 31. nu. 5. licet minores Ordines recipiens existimet illis annexum esse votum solemne castitatis, æquè ac maioribus. Nam quia non intendit simpliciter, & per se emittere votũ castitatis, sed tantùm vt annexum Ordini quem recipit, & consequenter ad illius receptionem: non ligatur reipsa voto. Quia cùm nulla sit connexio inter votum, & talem Ordinem, nullaue consequentia: nulla etiam consurgit obligatio ad castitatem, ex huius Ordinis receptione: sed neque ex voto: quippe quod non emisit, nisi cum tacita conditione, suppositò scilicet quòd sit annexum tali Ordini.

19. Secus autẽ maiores.

Contrà verò, quòd sacri Ordines impediant ne matrimonium validè contrahatur post illos susceptos, probatur, quia licet primis Ecclesiæ temporibus videatur tale matrimonium fuisse dumtaxat prohibitum: de qua prohibitione cõstat ex can. 27. Apostolorum, & can. 10. Concilii Ancyrani, & can. 1. Neocæsarien sis (quæ duo Cõcilia Nicæno I. antiquiora sunt) & ex cõsensu SS. Patrum, de quo vide Bellarm. lib. 1. de clericis cap. 19. Neque desint aliqua veteri testimonia, quibus appareat fuisse aliquãdiu validum, quamuis illicitum, & sacrilegum: nam in can. supra cit. Concilii Neocæsariensis videtur satis hoc indicari, quando statuitur vt *Presbyter, si vxorem duxerit, ab Ordine deponatur: si verò fornicatus fuerit, vel adulterium perpetrauerit, extra ecclesiam debet eiici, & ad pœnitentiam inter laicos redigi.* Vbi nota puniri tantùm pœnâ depositionis, & non dici tale matrimonium esse irritum: iuberique grauiùs puniri, si fornicatus fuerit, vel adulteratus. Quod manifestè indicat cõiugium ab illo initum non fuisse tunc habitum pro fornicario: alioqui enim fuisset grauius peccatum, & magis puniendum, quam simplex fornicatio. Licet, inquam, primis illis Ecclesiæ temporibus videatur tale matrimonium, non fuisse inualidum, sed illicitum dumtaxat: Manifestum tamen est à tem-

pore Innocentii II. atque etiam diu ante pro nullo habitum fuisse: vt videre est in Concilio Rom. I. canone septimo, & cap. *Vt lex*, 27. quæst. 1, vbi postquam statuit Pontifex, & præcepit, vt qui ex huiusmodi ordinatis vxores duxerint, separentur; subiungit causam his verbis: *Huiusmodi namque copulationem, quam contra ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus.* Eandem verò separationem longè antea præceperat Concil. Toletanum VIII. can. 7. & ex cap. 19. Concilii Romani sub Siluestro idem contra Valquem non valè colligit Aegid. disputatione vigesima, n. 136.

20. Mos diuersus Græc. & Latinorũ sacerd. circa matrim. antea contractum.

Notandum tamen, quòd licet Græcis, & Latinis communis sit, ferè perque fuerit, vt post sacros Ordines matrimonium contrahere nequeant: differunt tamen, quia Græcis, qui ante ordinationem vxorem duxerint, licitum est, atque olim fuit vti coniugio: secus autem Latinis. Qua de re plura diximus disp. 67. sect. 3. & 4. Videri etiam potest Valq. tom. 3. in 3. part. disp. 247. & duabus sequentib. vbi fusiùs hac de re disputat. Nota præterea clericos in sacris Ordinibus constitutos, si matrimonium contrahant, incurrere excommunicationem ipso facto, latam in Clementina vnica de consanguinitate & affinitate, & arceriri sacris Ordinibus vlteriorib recipiendis, atque à receptis administrandis, veluti bigamos & irregulares, 27. quæstione prima, cap. *Quicquid*, sumpto ex Concilio Ancyrano canone decimo nono. Non tamen priuantur Beneficiis, si quæ habent, ne cogantur mendicare, vt colligitur ex cap. *si qui clericorum*, de Clericis coniugatis, secunda parte capitis, vbi contrahentes in sacris puniri iubentur, sed non priuari Beneficio; cùm tamen qui nubunt intra Subdiaconatum, priuentur Beneficiis, etiamsi virginem ducant: itemque pensionibus, si quas habent titulo clericali, nisi obtineant à summo Pontifice dispensationem, vt eas retinere possint: vel nisi tantùm sponsalia contrahant, vel inualidè attentent matrimonium cum aliquo impedimento dirimente. Præterea quidem clerici in minoribus constituti, & contrahentes matrimonium, arcentur à sacris Ordinibus recipiendis cap. *Quicquid* supra citato tamen si valide contrahant. Qua de re plura videri possunt apud Basil. Pont. lib. 7. cap. 28. & Sanchez libro septimo, disputat. 42. & pluribus sequentibus. An verò, & quomodo peccet clericus tonsurâ initiatus, vel in minoribus constitutus, accipiens Beneficium Curatum, aut simplex, sine animo retinendi, sed post aliquod tempus ineundi matrimonium, aut redeundi ad vitam secularem, vide apud auctorem proximè cit. disput. 45. vbi docet peccare mortaliter, si accipit Beneficium curatum; venialiter, si tantùm simplex, aut pensionem clericalem.

21. Dico secundò, Ordines sacros dirimere matrimonii non solùm propter votum solemne castitatis, quod annexum habent: verùm etiam per se, & ratione sui. Probatur, quia alioquin illi qui non vouissent suscipiendo Ordinem, sed tantùm vouere simulassent, possent valide contrahere matrimonium. Neque enim tunc irritum foret ratione voti: quippe quod non emiserunt, vt supponimus. Idem dico de illo, qui inuincibiliter ignoraret tale votum esse annexum Ordini, quem suscipit; & tacitè, vel expresse nollet vouere. Arguenta docent Scot. Henric. Palud. Innocent. Cardinalis, Archidiac. Turrecrem. Valentia, & plures alii relati à Sanche lib. 7. d. sp. 27. num. 9. quibus tamen in eo non assentior, quòd velint Ordinem ratione sui tantùm irritare matrimonium, & non etiam ratione voti solemnis illi annexi. Existimo enim vtroque titulo vim habere irritandi: sic iam de Voto id probauimus disput. præced. sect. 3.

Ordo facit irritat matrim. etiam ratione sui.

Hæc irritatio est à iure ecclesiastico.

Hoc tamen impedimentum est meræ positiuum, & Ecclesiasticum, vt ibidem ostendimus de voto solemni: & de Ordine ipso ratione sui minor est dubitandi ratio: deque illo Tridentinũ satis perspicuè id indicat sess. 24. can. 9. cùm sic ait: *Si quis dixerit clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere; contractumque valicum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto, anathema sit.* Vbi nota primò, Concilium legem à voto distinguere: contra nonnullos, qui vtramque obligationem confundunt. Nota secundo, Quando solùm sit lex ecclesiastica, infirmare nullam hic esse legem diuinam, cuius alioqui præcipue non immisse oportuisset, ad confundendos hæreticos, qui contrarium docent, & leges ecclesiasticas nihili faciunt. Nota tertiò, Licet Ecclesia neminem possit, saltem absq; ipsius culpa, ad perpetuam castitatem obligare directè, sed tantùm inducere, vel suadere, vt dicemus paulò post; posse tamen statuere, vt nemo sacros Ordines recipiat, nisi velit simul ad perpetuam castitatem se adstringere, priuarique iure contrahendi matrimonium. Quod dum facit, nullum obligat ad illam, si nolit statum illum accipere, ad quem suscipiendum neminem cogit: sed tantùm statuit, & præcipit, vt qui volent statum Ordinis sacri amplecti, id non faciant, nisi simul ad seruandam castitatem obligare se velint, reipsaque obligent.

22. Quid si infans ordinetur ante vsum rationis?

Circa secundum, dico tertiò, probabilius esse Ordinem sacrum, susceptum in infantia ante vsum rationis, non obligare ad continentiam, neque irritare matrimonium postea secutum: nisi infans, postquam venerit ad vsum rationis, ratum habeat quod antea factum est. Ita Ricard. Maior, Palud. Almain. Sotus, Henriq. Azor, Hostiensis, Siluester, Nauarr. & plures alii, quos refert, & sequitur Sanch. lib. 7. disp. 30. num. 3. Et quidem manifestum est illum non teneri ad continentiam ratione voti solemnis annexi Ordinibus sacris: quippe quod non emisit, ne-

Digitized by Google

que emittere potuit ante vsum rationis. At neque etiam ratione ipsius Ordinis: quia Ecclesia non intendit illum sine ipsius culpa, nulloque modo consentientem liberè, priuare naturali libertate contrahendi matrimonium: & obligare ad perpetuam, perfectamque castitatem. Quia res est voti, non præcepti absolutè & simpliciter, debetq; voluntariè assumi, vt dicitur cap. *Integritas*, 32. q. 1. & cap. *Præsens*, 20. q. 3. Quare infanti sic ordinato, quando veniret ad vsum rationis, liberum erit eligere statum oppositum, vel in Ordine accepto permanere. Quod si faciat, iam obligabitur ad omnia illius onera: adeoque ad continentiam. Sufficit autem tacita ratificatio: vt si exerceat actus proprios Ordinis, sciens sibi esse liberum non exercere, & resilire, si velit. Quod addo, quia si exerceat tantùm ex errore, putans se ad id obligari ratione Ordinis accepti in infantia, non renunciat, neque derogat iuri suo. Sicut inualidè professus in Religione, exercens postea actus professi, putans se vi professionis, vt pote validæ, ad hoc obligari, non censetur eam tacitè ratificare.

23. Addit Sanch. n. 8. disp. cit. post plures alios ab eo relatos, idem sentiendum esse de eo, qui ordinatur ante pubertatē, tametsi habeat vsum rationis, & in Ordinem, votumq; solēne consenserit. Vult enim eum nō teneri abstinere à matrimonio, nisi adeptus pubertatē ratificet. Ratio illius est, quia votum solempne professionis in Religione approbata emissum ante pubertatem, non obligat, nisi post illam ratificetur, vt dicitur cap. *Ad nostram, de Regularibus*, cap. *Firma*, cap. *Illud* 20. q. 1. Ergo neque votum solemne tacitè emissum in receptione Ordinis sacri: quia non est credendum Ecclesiam, velle impuberem obligari voto tanti momenti. Imò cum hodie professio religiosa non valeat ante 16. annum expletum, iuxta Trident. sessione vigesima quinta, cap. 15. Decreti de Regularibus: idem de voto sacris Ordinibus annexo iudicandum est.

Vel ante pubertatē.

Sed hoc verū esse non puto: quia votū emissum cū sufficienti vsu rationis, obligat quantū est ex se, & ex natura rei, nisi Ecclesia reddiderit hoc votum irritum. Vsus autem rationis sufficiens ad vouendum, est idem qui sufficit ad peccandum mortaliter: & Ecclesia nullum irritauit votum ordinati ante pubertatem, sicut irritauit professionem factam ante annum 16. ætatis. Quare talem obligatum iniuriè censem. Glossa capitis *Puerj*, v. *Ad sacros*, 21. q. 1. Sotus lib. 7. de Iust. quæst. 2. art. 5. in fine, & Basilius Pontius lib. 7. de Matrimonio cap. 29. num. 15.

24. Dico quartò, probabilius quoque mihi videri eum qui ordinatur per metum grauem, & iniustè incussum ad eum finem, non obligari ad continentiam, & ad matrimonium non contrahendum, si nondum est coniugatus: vel ad abstinendum à secundis nuptiis vxore mortua, si iam est coniugatus. Ita Ricard. Maior, Domin. Sot. Henriq. Azor, Ledesma, Hostiens. Henricus, Turrecremata, Nauar. aliique plurimi Theologi, & Canonistæ, quos refert, & sequitur Sanch. lib. 7. disp. 29. num. 5. Loquimur autem de eo qui consensit per metum: nam si omnino noluisset ordinari, nulla esset dubitandi ratio: quia reuera non suscepisset Ordinem sacrum, qui adulto dari validè nequit sine ipsius consensu, & intentione recipiendi. Ratio est, quia consentiunt omnes talem, si est coniugatus, quando ordinatur inuitus, non teneri ad seruandam continentiam, & abstinendum ab vsu matrimonij. Quod plerique intelligunt, quamuis nondum consummauerit, & licet vxor continere velit. Quia nimirum Ecclesia non vult eum per iniustam violentiam priuari iure sibi acquisito. Par autem est ratio vt non coniugatus simili de causa non priuetur iure naturali ad ineundum matrimonium, si velit: & vt qui coniugatus erat, non priuetur iure transeundi ad secundas nuptias sibi quoque à natura, & à Deo concesso.

Ordinatus per metum grauem & iniustum nō tenetur abstinere à matrim.

Confirmatur, quia, vt rectè ait Sanch. n. 5. disput. cit. Ecclesia in metu graui, & iniusto factis irritat ea, quæ pendent ab ipsius potestate, quæque facilè nequeunt reparari, & in integrum restitui ope iudicis: ne alioqui remedio destituatur, qui metum iniuriosum passus est. Qua etiam de causa irritauit matrimonium simili metu contractum. Nec obest can. 7. Concilii Toletani VIII. Debet enim intelligi de iis, qui postea metu cessante ratificauerint. Vel si plus intendit, vt videtur: sequitur contrariam sententiam, quam fatemur esse probabilem, & à multis assertam. Cúmque sit tantùm Prouinciale, non obligat extra territorium, neque adimit probabilitatem nostræ sententiæ tot Doctorum auctoritate, & tam graui ratione munitæ. 25.

Circa tertium, dicendum est Ordinem sacrum non irritare matrimonium iam antea contractum, quando illi superuenit. Vnde si coniugatus sacrum Ordinem recipiat, valet Ordo, & tenet matrimonium. Vt tamen licitè recipiat, requiritur vt fiat religiosus antequam consummet matrimonium, vtendo priuilegio canonis: vel habeat causam sufficientem ad perpetuum diuortium: vel obtineat liberum consensum vxoris, & ipse vel fiat religiosus, vel si ætatis prouectæ sit, permittatur illi manere in sæculo, vel fiat Episcopus. Tuneque similiter illius vxor (in casu, quo illius consensus necessarius est) vel religionem ingredi debet; vel esse prouectæ ætatis, vt permittatur illi manere in sæculo, voto castitatis emisso in manibus Episcopi. Qua de re vide cap. *Episcopi*, eiusque interpretes dist. 77. & caput *Sanè*, de conuersione coniugatorum. Quòd si coniugatus initietur sacris Ordinibus, siue ante consummationem matrimonii, etiam animo ingrediendi Religionem, siue post, aliterquàm iura citata permittunt, committit peccatum sacrilegii suscipiendo illicitè: & incurrit 26.

Ordo sacer non irritat matrim. antea contractum.

irregularitatem: ita vt neque matrimonio durante, neque soluto, ministrare valeat in Ordine susceptо, neque etiam promoueri ad vlteriores, neque impetrare Beneficium ecclesiasticum: vt dicitur in Extrauag. *Antiquæ*, de Voto, quæ habetur inter communes Ioannis XXII. vbi etiam statuitur, vt qui ante consummationem matrimonii sacrum Ordinem susceptit ex intentione ingrediendi Religionem, si postea seriò, diligenterque admonitus noluit ingredi, compellatur redire ad vxorem petentem, & consummare.

morte cõiugis?

27. Coactè ordinatus gaud tne priuilegiis Cleric.

Quia verò potest contingere, vt coniugatus non sponte, sed metu graui coactus ordinetur, & in eo casu non teneatur abstinere ab vsu matrimonii, vt paulò ante diximus: notandum est talem non fruiturum priuilegiis clericalibus, si non velit continere, vxore permittente: quia non debet sentire commodum, qui onus ferre recusat, vt dicitur regula 55. de regulis iuris in 6. Sin autem vxor non permittit, & nihilominus ipse obligat se ad castitatem, quantum potest, eamque seruat non petendo debitum, & clericorum more viuendo, fruetur priuilegiis clericalibus, nisi sit bigamus: non tamen omnibus, sed iis solis, quibus fruuntur cæteri clerici coniugati cum vnica, & virgine: iuxta caput vnicum de clericis coniugatis in 6.

SECTIO III.

De impedimento Ligaminis.

28. Quomodo irritat, & quo iure?

PEr ligamen intelligitur vinculum prioris matrimonii validi: quo durante secundum est inualidum iure diuino, propter monogamiam à Christo restitutam, vt diximus disp. 72. sect. 3. Duo autem debent concurrere ad hoc impedimentum. Primò scilicet, vt præcedens matrimonium fuerit validum: nam si constat esse inualidum, liberum est ad aliud conuolare. Si nimirum vel defuit consensus alterutrius coniugum: vel cum aliquo impedimento contraxerũt non obtenta dispensatione. Quâ verò ratione probari & cõstare debeat inualiditas matrimonii propter talem defectum diximus disput. cit. sect. vltima, & fusiùs exponit Sanch. lib. 2. tota disp. 45. Deinde requiritur, vt vinculũ prioris matrimonii duret: & neque iam dissoluatur per secundum coniugium: vt fit quando infidelis conuersus relinquit coniugem infidelem, & cum altera contrahit. Neque etiam antea dissolutum fuerit per mortem vnius coniugum, vel professionem illius in Religione approbatam, ante consummationem matrimonii: vel si quo alio casu matrimonium ratum tantùm dissolui potest: iuxta ea quæ diximus eadem disp. sect. 4.

29. Quomodo debet constare de

Peccant autem grauiter, qui secundò contrahũt sine certitudine quòd vinculum prioris matrimonii non subsistat: quia exponunt se periculo sacrilegi, & adulterini coniugii. Sique agatur de dissolutione per mortem v. g. debet illa saltem constare per certum nuncium, vt dicitur cap. *In præsentia*, de sponsalibus: vbi præterea videtur affirmari ne validè quidem posse aliter contrahi, vt notat Põtius lib. 7. cap. 53. nu. 6. Nam Clemens III. respondet ibi non posse mulieres *ad aliorum consortium canonicè conuolare, donec certum nuncium recipiant de morte virorum.* Quibus verbis significat esse canonicè, siue iure ecclesiastico inhabiles ad contrahendum ante certum nuncium. Ideoque videtur corrigere c. *Dominus*, de secundis nuptiis, cuius verba referemus in fine sectionis, supponens matrimonium sub tali dubio contractum fuisse validum. Eodem etiam cap. correctum fuit ius ciuile permittens vt mulier posset alteri nubere, postquam quinquennio integro expectasset virum absentẽ, de cuius vita dubitatur Lege *Vxores*, ff. De diuortiis: vel toro quadriennio, vt permittebat lex *Vxor*, Codice de repudiis. Nam Clemẽs III. nullum terminum præfigit: declaratque nullam absentiam sufficere absque certo nũcio. Et meritò, quia vt rectè ait Sanch. lib. 2. disp. 46. nu. 1. longa coniugis absentia non reddit certã eius mortem, sed dubiam. Quandiu autem res dubia est, melior est conditio prioris matrimonii possidentis: & abstinendum est à secundo cõtractu, vt vitetur periculũ adulterii, & sacrilegii, si prior coniux adhuc viuit. Eodem denique cap. corrigitur Authentica *Hodie*, Cod. de repudiis, statuens vt coniux audita viri morte in bello interfecti, belli ducem adeat per se, vel per alium: & ab illo iuratum testimonium obtineat, atque insuper aliorum testimonia recipiat, posteaque per annum expectet: ac, nisi id fecerit, puniatur vt adultera. Corrigitur, inquam, hæc ciuilis constitutio per canonem suprà relatum: quia Pontifex nihil aliud requirit, quàm certum nuncium de morte viri, vt possit vxor conuolare legitimè ad consortium alterius.

30. Non sufficit probabilitas.

Eodem can. refelluntur Siluester, Philiarchus, Ludou. Lopez, Hostiensis, Tabiena, & quidam alii relati à Sanche supra nu. 5. affirmãtes sufficere moralem probabilitatem, seu probabilem causam ad credendum iudicio sapientum. Nam moralis probabilitas non est certitudo: neque causa probabilis tantùm, sufficit ad fundandum iudicium certum. Pontifex autem requirit certitudinem: nam eâ de causâ requirit certum nuncium. Frustràque respondent auctores nominati, requiri certitudinem à Pontifice ad hoc solùm, vt Ecclesia det facultatem secundò cõtrahendi, quia eius auctoritas postulat maiorem certitudinem: secus autem ad hoc vt coniux superstes possit auctoritate propria contrahere. Nam Clemens III. manifestè hanc euasionem excludit, cùm fiat: *Non possunt tales ad aliorum consortium conuolare, nec permittas eas auctoritate Ecclesiæ contrahere, donec certum nuncium recipiant de morte virorum.* Vbi vides vtrumque casum comprehendi his verbis, *Non possunt tales*, &c. *Nec permittas*,

Digitized by Google

&c. Confirmatur ex cap. *Dominus*, de secundis nuptiis, vbi Lucius III. sic loquitur: *Sanè super matrimoniis, quæ quidam à vobis (nondum habitâ obeuntis coniugis certitudine) contracta sunt, id vobis respondemus, vt nullus amodo ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quod à hac vita migrauerit coniux eius.*

31. Nec obest quod opponunt ex cap. *Quoniam frequenter*, Vt lite non contest. §. *Porro*, versu *Si autem de carnali coniugio sit agendum, tamdiu alterutrum coniugum expectetur, donec de ipsius obitu verisimiliter præsumatur.* & cap. *Cum per bellicam*, 34. quæst. 2. vbi de secundò nubente sic dicitur: *Nec tamen culpabilis iudicetur, & tanquam alicui iuris permissor, qui personam ciu mariti, qui iam non esse existimabatur, assumpsit.* Respondeo enim cum Sanche disput. citata n. 9. post Hostiens. in cap. *Quoniam* citatum, v. *Verisimile*, textus illos intelligendos esse iuxta caput *In præsentia*, de sponsalibus, ita scilicet, vt illa præsumptio verisimilis, & existimatio mortis coniugis habeatur per certum nuncium, vel alias probationes æquiualentes: quæ quantæ, & quales esse debeant, non potest certa & generali regula definiri, sed prudenti arbitrio in dicis relinquendum est. Ad prudens verò iudicium formandum seruire poterunt, quæ mox subiiciemus.

32. Quæ certitudo sufficiat?

Superest enim quærere, quid intelligendũ sit per certum nuncium, siue quænam certitudo sufficiat? Respondeo, & dico primò, non sufficere vnum tantum nunciare: quia non facit certum nuncium. Cum iura dicant vocem vnius esse vocem nullius, & testimonium vnius ad condemnationem alicuius nõ sufficere, lege *Iurisiurandi*, Cod. de testibus, & cap. *Veniens*, in fine, de testibus: neque facit plenam probationem, quæ tamen in re tam graui requiritur. Ac si non sufficit vnicus testis in causis pecuniariis, & aliis minoris momenti: quantò minùs in causa matrimonii, in qua periculum vertitur salutis animæ, & nullitatis sacramenti, & adulterii, atque infamiæ mulieris inualidè nubentis. Quod tamen cum hac moderatione rectè intelligẽdum putant Aegid. disp. 25. dub. 3. & Sanchez lib. 2. disp. 46. nu. 12. pluresque alii ab eo relati, nisi coniux dicatur esse mortuus in loco valdè remoto, ex quo vel omnino, vel sine valde graui incommodo haberi nequit plenior probatio. Tunc enim credibile est vnicum nuncium bene qualificatum sufficere accedentibus aliis coniecturis, quæ rem moraliter certam reddant, prudentis iudicis arbitrio. Nam alioqui nimium grauaretur pars relicta, si in eo casu cogeretur abstinere in perpetuum à secundis nuptiis.

33. Sola fama nõ sufficit.

Dico secundò, famam solam de morte cõiugis non sufficere, nisi aliis adminiculis adiuuetur. Probatur, quia iura requirunt certum nuncium, & certitudinem saltem moralem, cap. *In præsentia*, & cap. *Dominus*, supra citatis. Fama verò nõ facit certum nuncium, cum sæpe oriatur ab auctore incerto, aut fallaci, vt dicitur cap. *Vestra*, de cohabitatione clericorũ & mulierum. Sola etiam fama aliis adminiculis destituta non facit certã probationem, quæ in negotio tanti momenti requiritur, & habenda est, quoad fieri potest, vt paulò ante diximus. Adminicula verò quibus fama iuuari potest vt sufficiat, hæc numerantur à Sanche n. 15. & sequẽtibus disputationis citatæ. Longitudo absentiæ, & fama generalis de ipsius morte in loco, vbi contigisse dicitur: præsertim si locus est adeo remotus, vt aliæ probationes difficilè possint inde haberi. Si mors narratus iam pridem cõtigisse: & ab eo tempore nihil de illius vita auditum est. Si erat valde senex, vel infirmæ valetudinis: vel si fuit in prælio, & diu expectatus non est reuersus. Si fuit captus ab hostibus, à quibus dicatur interemptus iam à lõgo tempore, sine vllo nuncio contrario; saltem acceptorà persona fide digna. Si fama oriatur à duobus vt minimũ, fide dignis, & fundetur in causa rationabili: putà, quia ille, de cuius morte agitur, nauigauit, & suborta tẽpestate diu post neque ipse, neque nauis comparuit: vel post cruentam pugnã neque reuersus est, neque inuentus, licet diu quæsitus. Si testes, qui sunt auctores famæ, deponant se id audiuisse publicè à maiori parte talis populi, siue oppidi, aut loci, in quo mortuus dicitur: id est, maioris partis proborũ & grauium. Debentq; testes deponere à quibus personis fama originem acceperit, & à quibus ipsi audiuerint, vt intelligatur, sintne illi fide digni, vt probi, & prudentes, minimè que suspecti: nisi aliæ coniecturę hunc defectum suppleant, factisque per se famam cõfirment, quamuis nesciatur, à quibus ortũ habuerit, & per quos accepta fuerit: vel nisi magnus sit testium numerus, putà septem, vel decem, qui de fama deponant, illamque viis diuersis acceperint, non autem vnius eiusdemque relatione: tunc enim non est opus exprimi à quibus audiuerint. Præterea debent testes affirmare se credere rem ita se habere; quamuis non sit necessarium, vt id iuramento confirment. Quæ omnia fusiùs exposita, & Doctorum auctoritate confirmata videri possunt apud Sanches loco supra cit.

34. Sufficiatne valde probabilis persuasio?

Addit Layman lib. 5. tract. 10. part. 3. cap. 3. nu. 2. citans D. Antoninum, Siluestrum, Rosellum, & Philiarchum, & Diana cum secutus part. 3. tract. 4. de Sacram. Resolut. 214. probabilem esse illam sententiam, & tutam in praxi, quòd mulier non peccaret, si cũ valde probabili persuasione, & iustâ credendi causâ quòd prior maritus mortuus sit, adeoque bona fide si nemo illi se opponeret, ad secundas nuptias conuolaret. Possèque confessarius in foro conscientiæ hoc ei permittere: & iudex in foro externo, si post celebratas nuptias causa ad ipsum deferatur, neque mulierem punire, neque à secundo viro separare debere, de nec cognitum sit priorem maritum adhuc viuere. Quia, inquiunt, in moralibus, in quibus certitudo omnino haberi non potest, homini ad instituendas

ationes suas sufficere debet probabilissima, licet non omnino certa opinio, seu præsumptio. Putantque id apertè colligi ex cap. *Cum per bellicam*, 34. qu. 1. Verùm, vt supra d xi, nu. 34. hoc caput fuit correctum vel expositum per canonem posteriorem *In præsentia*, De sponsalibus. Cætera quæ dicunt auctores præcitati, vel intelligenda, vel limitanda sunt per conditiones superiùs aliatas num. 32. & 33.

35. Quid faciendum errore de facto?

Dico tertiò, idem cum proportione sentiendum esse, quando dubitatur fuerint me dissolutum vinculum prioris matrimonii per Professionem religiosam alterius coniugum, quę dicitur in loco distăti fuisse ab illo facta, matrimonio nondum consummato: vel quãdo coniux infidelis audit alterum ad fidem conuersum, transiuisse ad secundas nuptias. Quòd si contingat aliquè contrahere viuente adhuc coniuge, quã mortuam esse credebat, vel manére adhuc priori vinculo in aliis casibus malè præsumptis: tenetur quamprimum certior ea de re factus erit, recedere à posteriori coniuge, sub pœnis adulteriivt de primo casu expresè dicitur c. *Cum per bellicã*, & c. *Si Virgo*, 34. q. 1. & 2. Sin autem dubium dumtaxat suboritur, debet contemni, si leue est, & malè fundatum: sin autem graue, & rationabile; tenetur quamprimum inquirere, intereaque abstinere à petendo debito coniugali: poterit tamen reddere: quia in reddendo potest, ac debet excludere dubiũ practicum, ne noceat iuri secundæ coniugis, quo propter eius dubium priuari non debet: vt dicitur cap. *Dominus*, de secundis nuptiis; cuius verba sunt: *Si vero aliquis, vel aliqua id hactenus non fecerunt* (id est, non expectauit certitudinem de morte vxoris, vt cũ alia contraheret) *& de morte prioris coniugis adhuc sibi existimat dubitandum; si quæ sibi nupsit, debitum non denegat petenti; quod à se tamen nouerit nullatenus exigendum. Quod si post hæc deprioris coniugis vitã constiterit; relictis adulterijs compiexibus, ad priorem coniugem reuertatur.* Et hactenus de impedimento ligaminis.

SECTIO VI.

De impedimento publicæ honestatis.

36. Quodnam illud sit?

HOnestas, siue iustitia publicæ honestatis, est impedimentum iuris positiui, ortum ex sponsalibus validis inter verumlibet contrahentium, & cõsanguineum alterius, in primo gradu, & non vltra iuxta Trident. sess. 24. Decreto 1. de reform. Matrim. c. 3. Vocatur autem impedimentum publicæ honestatis, quia turpe aut minùs honestum & decens vilum est, vt si sponsalia validè contracta inter aliquos, postea dissoluerentur: posset alteruter illorum contrahere cum alterius consanguineis in primo gradu, id est, cum patre, vel matre, aut cum fratre, vel sorore, aut cum filio, vel filia eius personæ, cum qua validè contraxerat. Eãque ob causam statuit Ecclesia matrimonium inter tales irritum esse cap. vnico *De sponsalibus in 6.* cap. *Literas*, de desponsat. impub. & cap. *Iuuenis*, cap. *Ad audientiam*, cap. *Sponsam*, de sponsalibus: & in Trident. loco cit. vbi hoc impedimẽtum ad solum primum gradum restrinxit, & alia quædam circa illud immutauit.

37. Quousque extẽdatur

Nam iure antiquo extendebatur hoc impedimentum vsque ad quartum gradũ inclusiuè. Licet enim canones citati id non expressè dicant: quia tamen loquuntur absolutè de consanguineis: & tunc consanguinitas extẽdebatur vsque ad quartum gradum, vt patet ex cap. *Non debet, de consanguinitate, & affinitate*, lato in Concilio Lateran. sub Innocentio III. restringẽte ius antiquius, quod vsque ad septimum gradum extendebat, c. *Nullum*, & cap. *Nulli*, 35. q. 2. Cùm, inquam, consanguinitas tunc temporis extenderetur vsq; ad quartum gradum, debebat intelligi hoc impedimentum, absolutè positum inter cõsanguineos, eò vsque extendi. Quod efficaciter confirmari potest ex cap. *Si quis vxorem*, 27. q. 2. vbi dicitur nulli de consanguineis licere accipere eam in coniugio; & si acceperit, debere separari. Nunc autem ex constitutione Trident. sup. cit. non excedit primum gradũ consanguinitatis. Quoniam, inquit, in vlterioribus gradibus iam non potest eiusmodi prohibitio absque dispendio obseruari. Estq; notandum hanc constitutionem valuisse pro sponsalibus, etiam ante Tridentinum initis: ita vt si quis ante illam sponsalia cõtraxisset, posset nihilominus postea validè contrahere cũ cõsanguineis sponsæ in secundo gradu: vt de impedimẽtis affinitatis & cognationis spiritalis restrictis ab eodem Cõcilio declarauit Pius V. duplici Motu proprio hac de re edito: de hoc autem impedimento simili modo philosophandum est, cùm Tridentinũ eodem planè modo loquatur de vtrisque. Addè quòd Congregatio Cardinalium id expresè declarauit verbis relatis à Farinacio ad c. 3. sess. 24. Decreti de reform. Matrim. hunc in modum: *Qui ante Concilium Tridentinum in secundo gradu publicæ honestatis erant, post Concilii publicatum, seu confirmatum, vtrè, & absque alia dispensatione contrahere possunt; & contractum inter eos matrimonium est validum iuxta formam huius capitis certi.* Quia nimirum impedimentum, quod erat antea, fuit vi illius capitis sublatum.

38. Vnde natũ fuerit

Præterea, iure antiquo nascebatur hoc impedimẽtum ex quibuscunq; sponsalibus, siue validis, siue non: dummodo non essent inualida ex defectu consensus, vt patet ex cap. vnico de sponsalibus in 6. vbi Bonifacius VIII. sic loquitur: *Ex sponsalibus puris* (id est, non affectis conditione suspendente) *& certis, etiamsi consanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, Religionis, aut alia quauis ratione fuis nulla, dummodo non sint nulla ex defectu consensus, oritur efficax ad impediendum, & dirimendum sequentia sponsalia, vel matrimonia, non autem ad præcedentia dissoluendã impedi-*

mentum iustitiæ publicæ honestatis. At nunc à Trid. cap. cit. statutum est, vt non oriatur ex sponsalibus quomodocunque inualidis. *Iustitiæ*, inquit *publicæ honestatis impedimentũ, vbi sponsaliæ quacunque ratione validæ non erunt, sancta Synodus prorsus tollit.*

39. Non est impedimẽtũ consanguineis in 1. grado.

Itaque iam ad contrahendum hoc impedimentum cum aliquo quatuor requiruntur. Primum est, vt iste sit consanguineus sponsi, vel sponsæ in primo gradu. Neque sufficit esse affinem: quia iura citata loquuntur tantùm de consanguineis, debentque strictè, & propriè intelligi, cum sint restrictiua iuris naturalis. Sufficit tamen quòd sint consanguinei siue ex legitimo matrimonio, siue aliter: quia pudor & reuerentia sanguinis, quem Ecclesia spectauit in hoc impedimento statuendo, æquè locum habet in veriſque. Qua etiam de causa impedimentum consanguinitatis oritur inter consanguineos illegitimos, æquè ac inter legitimos, vt diximus disp. præced. sect. 4. Debet quoq; hoc impedimentũ intelligi de omnibus consanguineis in primo gradu, siue in linea rectæ, id est, inter ascendentes, & descendentes; siue in transuersali, id est, inter collaterales: quorum terminorum explicationem dedimus sect. citata.

40. Esponsalia debent fuisse valida.

Secundò requiritur vt sponsalia sint valida omni ex parte, id est, nullũ patiantur defectum propter quem sint inualida. Itaque sufficit esse inualida etiam ex solo defectu veri consensus interni, vt bene docent Nauarr. cap. 22. Manual. num. 57. Petr. Ledesma q. 55. Supplem. art. 4. dub. 1. circa solutionem tertii, Aegid. Coninc disp. 32. num. 66. & sequentibus, Mærat. disp. 9. de Matrim. sect. 14. & alii contra Sanchem lib. 7. disp. 68. num. 14. & Henriq. lib. 12. cap. 16. num. 2. quia Tridentinum disertè ait, *Quacunque ratione valida non erunt*: Sunt autem maximè inualida defectu consensus interni. Neque magni momenti est, quod præcipuè ab aduersi opponitur: videlicet, hoc impedimentum institutum fuisse propter honestatem publicam, ad vitandum scandalum, vt patet ex cap. *Iuuenis*, de sponsalibus. At quando sponsalia exteriùs apparent valida, & solus internus consensus ad eorum valorem desideratur, tantum scandalum esset, & tanta inhonestas contrahendo postea cum consanguineis sponsi vel sponsæ, ac si vero animo contracta fuissent: cum defectus ille consensus interni omnes lateat. Ergo ex ratione, quâ Ecclesia inducta fuit ad hoc impedimentum statuendum, manifestè constat mentem eius fuisse, vt defectus consensus, ob quem sunt irrita, sit externus, ne inducant hoc impedimentum. Ita Sanch. loco supra cit.

41. Excusat defectus etiam externus.

Cui respondeo 1. Hoc argumentum probare non dari impedimentum honestatis ex sponsalibus inualidis, non tolùm ob defectum consensus, verùm etiam propter quemcumque alium defectum occultum, & talem, vt probari nequeat: Ex gr. propter votum castitatis, vel copulam illicitam cum consanguinea: vt etiam fatetur Sanch. paulò post num. 15. At hoc non bene conuenit cum illis Tridentini verbis suprà relatis, *Iustitiæ publicæ honestatis impedimentum, vbi sponsaliæ, quacunque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit.* Quomodo enim prorsus tollit impediendi vim sponsalibus quacunque ratione inualidis, si adhuc impediunt, quamuis non vnâ, sed multiplici ratione sint inualida? Sanè Concilium non ignorabat motiuum, quo inducta Ecclesia statuerat hoc impedimentum, præcipuè verò, si vt dicunt Aduersarii, expressum illud erat in capite *Iuuenis*, suprà cit. Sique voluit tantam illius rationem habere, quantam volunt aduersarii, non debebat vti verbis adeo generalibus, *Quacunque ratione valida non erunt*: sed potiùs dicere, *Quotiescunque exterius inualida apparebunt.*

42.

Respondeo 2. Argumentum propositum probare tantùm Ecclesiæ intentionem esse, vt quando defectus probari non poterit, & sponsalia non erant occulta, ita vt ex matrimonio cum consanguineis sponsi vel sponsæ prioris scandalum oriatur: tales in foro externo non permittantur ita contrahere, sed sponsalia habeantur pro validis, censeanturque per iustam præsumptionem induxisse impedimentum publicæ honestatis. Sed non probare, quòd verè induxerint, quódque semoto scandali periculo, tales non possint tutâ conscientiâ contrahere cũ cõsanguineis sponsi, vel sponsæ: Ex. gr. si sponsalia tam occultè contracta fuerunt, vt nullo modo probari possint. Quod etiam fatetur Sanch. num. 16. disp. cit. Adde quòd ratio aduersariorum supponit falsum. Nam, vt rectè ait Aegid. disp. 32. num. 66. nullum oriretur scandalum ex tali matrimonio, nisi Ecclesia hoc impedimentum statuisset: & cap. *Iuuenis* cit. sermo est de consobrina prioris sponsę, cum qua iam contrahitur sine scandalo, postquam à Trident. id permissum est. Quare quod ait ibi Pontifex non posse talem ducere consobrinam sponsæ, propter honestatem Ecclesiæ, idem sibi vult, ac, propter impedimentum honestatis ab Ecclesia inductum. Adde quòd etiam multa sequuntur incommoda ex sententia contraria, quæ proponit & expendit Aegid. ibidem num. 67. & 68. propter quæ meritò postponi debet nostræ sententiæ auctoritate Tridentini munitæ.

43. Non incurritur nisi à christianis.

Præterea, vt hoc impedimentum incurratur, requiritur tertiò vt contrahentes sint christiani. Nam infideles non-baptizati, quia non subsunt legibus Ecclesiæ, non incurrunt hoc impedimentum, quod iure solum ecclesiastico inductum fuit. Hoc tamen intelligẽ, nisi aliquid simile per eorum leges statutum sit. Quarto, requiritur vt sponsalia sint inita cum certa, & determinata persona. Nam alioqui sunt inualida, vt diximus disp. 70. sect. 1. putà, si quis spondeat ducere vnam de pluribus Pauli filiabus,

non determinando quam: & ex huiuſmodi ſponſalibus incertis, & indeterminatis non oriri hoc impedimentum habetur diſertè in cap. vnico de ſponſal. in 6. vbi dicitur hoc impedimentum oriri ex ſponſalibus puris, & certis, dummodo non ſint nulla ex defectu conſenſus. Certis, id eſt, determinatis; & puris, id eſt, ſine conditione ſaltem non purificatâ. Debent enim ſponſalia non ſolùm eſſe determinata, ſed etiam abſoluta, vel tranſiſſe in abſoluta. Nam ſi fiant ſub conditione de futuro non ſunt valida, & perfecta, quandiu illa pendet: neque inducunt hoc impedimentum, vt expreſsè definiit Bonifacius VIII. cap. proxim è citato, cuius verba ſunt: *Ille verò qui ſponſalia cum aliqua muliere ſub conditione contraxit, ſi poſtmodum ante conditionis euentum eam alia prioris conſanguinea per verba contraxerit de præſenti, cum ſecunda remanere debebit: cum ex ſponſalibus conditionalibus ante conditionem extantem, ſicuti conſenſum non habentibus, & incertis, nulla publicæ honeſtatis iuſtitia oriatur.* Et Congregatio Cardinalium, prout habetur in Declarationibus ad caput 3. Tridentini ſupra citatum, interrogata An ex ſponſalibus contractis per hæc verba, *Promittis te ducere vxorem, ſi factis denunciationibus non apparebit aliquod impedimentum, oriatur impedimentum publicæ honeſtatis?* Reſpondit non oriri. Similiterque non oritur per ſponſalia impuberum, antequam ea ratificent in pubertate; quia eò vſque non ſunt valida. Neque contracta à parentibus in abſentia liberorum, donec illi ſignificent ſe conſentire.

44. Hoc impedimentum perpetuũ eſt.

Supereſt duo notare circa hoc impedimentum. Primò ſcilicet, eſſe perpetuum, poſtquam ſemel contractum eſt: ita vt ne morte quidem ſponſi, vel ſponſæ tollatur. Nam eâ licet mortuâ, non poteſt ſuperſtes contrahere cum eius conſanguineis, vt expreſsè habetur 27. q. 2. cap. 14. cuius verba ſunt: *ſi quis vxorem deſponſauerit, vel eam ſubarrhauerit, quamquam peſtmodum proueniente die mortis eius nequiuerit eam ducere in vxorem: tamen nulli ac conſanguinitate eius licet accipere eam in coniugio. Quod ſi inuentum fuerit factum, ſeparentur omnino.* Quam conſtitutionem Tridentinum non ſuſtulit, ſed tantùm gradus irritantes conſanguinitatis reſtrinxit ad primum. Ex quo infero cum Sanche lib. 7. diſp. 68. num. 21. Piaſecio in praxi Epiſcopali part. 2. cap. 4. num. 22. Mærat. diſp. 9. de matrim. ſect. 14. propè finem, hoc impedimentum naſci etiam ex ſponſalibus mutuo partium conſenſu diſſolutis: quia efficaciùs per mortem diſſoluuntur: & tamen cauſant impedimentum non ceſſans ipſa morte alterutrius ſponſi. Atque ita declarauit Congregatio Cardinalium ad caput 3. ſeſſ. 24. Tridentini de reformat. matrim. ſuper illa verba, *Quacunque ratione valida non erunt?* vbi ſic ait: *ſi ſponſalia ſoluantur de conſenſu, Congregatio cenſuit eſſe valida*, ad hunc ſcilicet effectum, de quo loquitur ibi Tridentinum.

45. Sponſalia poſteriora cum conſang. non illi dirimunt.

Contrarium tamen docet Pontius lib. 7. cap. 36. num. 9. poſt Emman. Sa V. *Matrimonium*, 5. *Impedimenta dirimentia*, num. 5. quorum prior corruptè, & in ſenſum planè contrarium refert declarationem Cardinalis ſupradictam ex Rebello, & Farinacio. Sed nos eiuſmodi declarationibus cum textu Concilii editis ſuperiorum pernoctu, magis habendam eſſe fidem credimus: ſic autè refertur in editione Lugdunenſi, anni 1640. & ſatis aperte liquere videtur corruptè omnino referri ab aduerſariis. Neque enim dubitari poterat, inualida eſſe ſponſalia mutuo partium conſenſu diſſoluta: quare non potuit hoc quæri à Patribus Eminentiſſimis, neque fuit opus ab illis declarari huiuſmodi ſponſalia eſſe inualida, vt volunt aduerſarii: erat enim inquiſitione, & explicatione indignum: cùm ſit certum apud omnes, & euidens. Sed erat aliqua dubitandi ratio valerentne adhuc ad impedimentum publicæ honeſtatis: adeóque non ſine cauſa potuit ab illis peti deciſio huius dubitationis, de qua erat, & nunc etiam eſt inter Doctores controuerſia. Neque magni momenti eſt ratio differentiæ à Pontio reddita contra argumentum paulò ante à nobis propoſitum: quia, inquit, quando ſponſalia diſſoluuntur morte alterius, cenſentur illa eſſe perpetua: iudicatur enim ille, qui obiit, in eadem voluntate deceſſiſſe. Nam contra: omnino velle non potuit efficaciter vt vltra mortem ſuam durarent: neque impedire quò minùs morte ſua deſinerent. Quare ſi non obſtante, quòd tunc deſierunt, manet tamen impedimentum per illa prius valida contractum: par eſt ratio, vt maneat etiam, quando ſponſalia, ſemel valida, diſſoluuntur poſtea per mutuum conſenſum. Idemque dico ſi diſſoluantur ex quauis alia cauſa rationabili ſuperueniente.

46. Alterum notandum eſt, peculiare eſſe huic impedimento, vt per ſponſalia poſteriora cum conſanguineis ſponſi, vel ſponſæ in primo gradu non oriatur impedimentum publicæ honeſtatis dirimens priora ſponſalia, impedienſque ne cum priori ſponſo, vel ſponſa contrahi poſſit, ac debeat: quamuis affinitas ſuperueniens, vel cognatio legalis, aut ſpiritualis dirimat præcedentem contractum ſponſalium: vt bene docet Sanch. eodem lib. 7. diſp. 68. num. 23. & expreſsè habetur cap. vnico De ſponſalibus in 6. vbi Bonifacius VIII. dicit ex ſponſalibus oriri quidem impedimentum honeſtatis ad dirimenda ſequentia ſponſalia, vel matrimonia, non autem ad præcedentia diſſoluenda. Quod præcipuè verum eſt poſt Trident. vi cuius nulla ſponſalia inualida gignunt hoc impedimentum: ſiue ſint inualida ex defectu conſenſus, ſiue quacunque alia ratione. Vt ſupra oſtendimus. Atqui ſponſalia poſteriora ſunt inualida, vtpote contracta contra

impedimentum publicæ honestatis. Ergo &c. Quare si sponsus Catharinæ v. g. contrahat sponsalia, vel etiam matrimonium cum Maria eius sorore, tenebitur ad Catharinam redire; nisi tamen matrimonium cum Maria consummauerit: quia tunc ratione affinitatis contractæ cum Catharina non poterit eam in vxorem accipere. Ac neque etiam Mariam, quia resistit impedimentum publicæ honestatis inductum à sponsalibus cum Catharina: & copula habita cum Maria, licet illicita, & fornicaria, induxit tamen impedimentum affinitatis vsque ad secundum gradũ, vt dicemus sect. sequenti.

47. Oritur etiã ex matrim. rato.

Quæres vtrum hoc impedimentum oriatur ex solis sponsalibus? Respondeo oriri etiam ex matrimonio rato, & nondum consummato, vt habetur in cap. *Si quis desponsauerit*, 27. q. 2. & cap. *Qui desponsatam*, eod. tit. Idemque expressè declarauit Pius V. in Motu proprio referendo paulò post, & Congregatio Cardinal. ad cap. 3. sess. 24. Tridentini, de reform. matrim. quæ, vt refertur in declarationibus cum textu Concilii editis Lugd. interrogata vtrum ex matrimonio contracto per verba de præsenti, non consummato, oriatur affinitas, vel impedimentum iustitiæ publicæ honestatis? Respondit non esse impedimentum affinitatis, sed impedimentum iustitiæ publicæ honestatis, maiusq; & fortius vinculũ, quàm quod oritur ex sponsalibus de futuro. Imò etiam quamuis matrimonium sit aliunde irritum, quàm defectu consensus, causat tamen hoc impedimentum, vt dicitur cap. vnico de sponsalibus, quod non fuit correctum quoad hoc, neque restrictum à Tridentino: vnde etiam nunc impedimentum honestatis ortum ex tali matrimonio extenditur vsque ad quartum gradum consanguinitatis, vt declarauit Pius V. in Motu proprio, qui incipit, *Ad Romanum spectat*, vbi super dubio, vtrum Tridentinum sustulisset impedimentum publicæ honestatis ortum aliunde, quàm ex sponsalibus validis, nimirum ex matrimonio rato, iuxta caput vnicum de sponsalibus in 6. respondit hunc in modum: *Nos itaque, vt omnis difficultas, dubitatioque tollatur, attendentes quod sponsaliorum appellatione, quâ dictum Concilium vtitur, non nisi improprie matrimonium verbis de præsenti contractum continetur: quodque agitur de correctione iuris veteris, quo casu secundum proprietatem verborum dumtaxat procedendum est &c. Idcirco Motu proprio, auctoritate Apostolica, tenore præsentium declaramus, & definimus decretum Concilii huiusmodi* (immutans scilicet, & restringens impedimentum publicæ honestatis) *omnino intelligendum esse, & procedere in sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in matrimonio sic* (vt præfertur) *contracto: sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus, & gradibus, quibus de iure veteri ante prædictum decretum Concilii introductum erat.*

48. Et irrito aliunde q. àm ex defectu consensus.

Vnde collige 1. falli Nauarrum, Couar. & Lud. Lopez contrarium sentientes locis relatis à Sanche lib. 7. disp. 70. num. 5. Collige 2. oriri hoc impedimentum ex matrimonio irrito, etiamsi occultum sit, vel licet irritum fuerit ex impedimento manifesto, vel alio quouis defectu quàm consensus. Nam Tridentinum non restrinxit caput vnicum de sponsalibus, quoad matrimonium, sed tantùm quoad sponsalia: & in illo capite dicitur expressè impedimentum istud oriri ex sponsalibus, aut matrimonio irritis quomodocunque, præterquam ex defectu consensus: putà, ratione consanguinitatis, affinitatis, aut religionis, id est, Professionis religiosæ, vel etiam disparis cultus. Collige tertiò, oriri etiam nunc ex matrimonio clandestino: quia non est inualidum defectu consensus, sed defectu publicationis. Siue illud iam habeat vim sponsalium, siue non, de quo diximus alibi. Collige quartò, ignorantiam nullitatis matrimonii non excusare ab hoc impedimento: quia iura non dicunt, *si scienter contraxerint inualidè*, vel, *si præsumpserint*. Secus tamen si fuit inualidum ex errore circa personam: quia tunc deest consensus: vel si ex metu cadente in constantem virum, & iniustè incusso ad extorquendum matrimonium: quia tunc etiam nullum est, ob defectum consensus satis liberi. Neque si fuit initum cum persona incerta, & indeterminata, putà cum aliqua de filiabus Petri, non designando quam: quia tunc etiam nullum est ex defectu consensus. Neque etiam ex matrimonio conditionato, quandiu pendet conditio: quia neque illud valet, defectu consensus: secus autem statim atque conditio purificatur, positis simul aliis, si quæ alia requiruntur ad valorem matrimonii transeuntis de conditionato in absolutum: de quo diximus supra disp. 71. sect. 7. Collige quintò, hoc impedimentum ortum ex matrimonio rato esse perpetuum, eodemmodo, quo supra diximus de sponsalibus: ita vt ne quidem post mortem alterius possit superstes contrahere cum consanguineis sponsæ defunctæ.

Digitized by Google

DISPVTATIO SEPTVAGESIMA SEXTA.

De quatuor postremis impedimentis, affinitatis, impotentiæ, clandestinatis, & raptus.

Sectio I. *De impedimento affinitatis.*
Sectio II. *De impedimento impotentiæ.*
Sectio III. *Soluuntur variæ quæstiones circa idem impedimentum.*
Sectio IV. *Notantur aliqua de impedimento maleficii.*
Sectio V. *De impedimentis clandestinitatis, & raptus.*

DE impedimento affinitatis disputat S. Thom. quæst. 55. Supplem. & art. 1. docet, sicut ex naturali generatione efficitur consanguinitas: ita ex matrimonio, & carnali copula contrahi affinitatem inter viri, & vxoris consanguineos. 2. Hanc affinitatem non tolli per mortem mariti, vel vxoris: quia causatur ex eo quòd coniuncti fuerint, non autem ex eo quòd actu coniungantur. 3. Concubitum fornicarium; quatenus participat aliquid de carnali coniunctione, causare affinitatem, sicut eam causat licitus matrimonii concubitus. 4. Ex sponsalibus non oriri affinitatem: quia sunt tantùm pactio coniugalis societatis: sed oriri aliquid affinitati simile, videlicet iustitiam publicæ honestatis. 5. Affinitatem non causari ab affinitate, sed à carnali copula. 6. Affinitatem non dirimere quidem matrimonium iam contractum, si illi superueniat: sed impedire, & irritare contrahendum. 7. Gradus affinitatis metiendos esse secundum gradus consanguinitatis. Vnde quoto gradu consanguinitatis attinet mihi vir: pari gradu affinitatis iuncta mihi est illius vxor. 8. Inde fieri vt quot sunt gradus consanguinitatis dirimentes matrimonium: tot etiam sint gradus affinitatis. 9. Separandos esse qui in illis gradibus connexerunt: quia sine incestu non possunt copulari. 10. Ne matrimonium legitimum, pro illegitimo habeatur, innocensque damnetur; ad separationem matrimonii inter consanguineos, & affines contracti, procedendum esse per viam accusationis, quando propter ignorantiam impedimenti æstimatur legitimum, quod est illegitimum. 11. Sicut in aliis causis, sic & in separatione matrimonii inter consanguineos, aut affines contracti, procedendum esse per testes, vt fides iudici fiat. In hac tamen causa multa specialia inueniri: quòd scilicet idem potest esse accusator, & testis: & quòd non iuratur de calumnia, cùm sit causa quasi spiritualis; & quòd consanguinei admittuntur ad testificandum: & quòd non obseruatur omnino ordo

iudiciarius: quia tali denunciatione facta; contumax potest excommunicari lite non contestata: & valet hic testimonium de auditu: & post publicationem testium, possunt testes induci. Et hoc totum vt peccatum impediatur, quod in tali coniunctione esse potest.

De impedimento verò impotentiæ disputat quæst. 58. & art. 1. docet frigiditatem, siue impotentiam coëundi, non quidem ex ætate, sed ex defectu naturæ prouenientem, & simpliciter incurabilem, impedire matrimonium contrahendum, atque etiam contractum dirimere post triennium experientiæ, quod tempus ab Ecclesia determinatum est. Quia verò fieri potest, vt triennium non sit sufficiens indicium impotentiæ perpetuæ; si Ecclesia se deceptam inueniat, quia ille, qui laborabat impedimento, inuenitur postea copulam perfecisse cum eadem, vel cum alia: reintegrat matrimonium præcedens, & dirimit secundum, quamuis de eius licentia sit factum. Art. 2. affirmat impotentiam ortam ex maleficio, si est perpetua, dirimere matrimonium: secus non. Ad cognoscendum autem sitne perpetua, præfixum est ab Ecclesia tempus triennii, vt supra diximus de frigiditate. Differentia tamen est inter vtrumque. Nam impotentia ex frigiditate est vniuersalis, & respectu omnium: ideóque quando propter illam dissoluitur matrimonium, non datur impotenti licentia contrahendi cum alio. Secus autem quando impotentia est ex maleficio: quippe quod sæpe reddit impotentem ad vnam, non ad aliam. Art. 3. dicit furiosos & amentes non posse contrahere matrimonium, defectu scilicet consensus liberi, nisi habeant lucida interualla, & tunc contrahant. Quamuis enim tutum non sit eos contrahere, quia nesciunt prolem educare: si tamen contrahant, matrimonium tenet non obstante furore superueniente. Art. 4. addit incestum cum consanguinea vxoris non dirimere matrimonium iam contractum, sed impedire ne possit petere debitum coniugale, non autem ne possit reddere: quia vxor non debet puniri de peccato viri. Quintò denique asserit matrimonium contractum ante pubertatem nullum esse, quia iura statuerunt, vt matrimonia nequeant validè contrahi ante illud tempus discretionis, quo vterque possit de matrimonio sufficienter deliberare, & debitum sibi inuicem reddere. Quod tempus communiter est in masculis anno ætatis decimo quarto, in fœminis duodecimo. Quia tamen præcepta iuris positiui sequuntur id quod in pluribus est; si aliquis ad perfectionem debitam ante tempus prædictum perueniat, ita vt vigor naturæ, & rationis, defectum ætatis suppleat, matrimonium non dissoluitur. Ideóque si contrahentes ante annos pubertatis, carnaliter fuerint copulati ante tempus prædictum, matrimonium stat perpetuò indissolubile. De impedimentis verò clandestinitatis & raptus non disputat S. Doctor, quia non erant illius tempore inducta, sed longè post statuta fuerunt à Concilio Trident. sess. 24. cap. 1. & 6. Decreti de reform. matrim.

Digitized by Google

SECTIO I.

De impedimento affinitatis.

1. Quid sit affinitas?

AFfinitas est coniunctio, vel propinquitas quæ oritur ex copula carnali generativa inter vtramlibet personarum hanc copulam habentium, & consanguineas alterius, cum qua copulam prædictam habuit. Quæ definitio colligitur ex iis, quæ de illa tradunt communiter Doctores in 4. dist. 41. & nominatim D. Thō. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 3. Per copulam autem generativam intellige illam, ex qua per se loquendo sequi apta est generatio: siue quæ talis est, qualis illa, ex qua sequitur generatio, licet per eam reipsa non sequatur propter sterilitatem, aut alium defectum: id est, quæ consummatur per seminis effusionem intra vas naturale mulieris. Quare alia non sufficiunt ad causandam affinitatem, quia non efficiunt sanguinis commixtionem, vt dicit Benedictus Papa cap. *Lex diuinæ constitutionis*, 27. q. 2.

2. Similiterque non sufficit matrimonium ratum dumtaxat, & nōdum consummatum: tametsi D. Thomas videtur contrarium significare, quæst. cit. art. 1. quæstiunc. 4. ad 2. vbi sic loquitur: *Matrimonium affinitatem causat non solum ratione carnalis copulæ, sed etiam ratione societatis coniugalis, secundum quam etiam matrimonium naturale est.* Vnde & affinitas contrahitur ex ipso contractu matrimonii per verba de præsenti ante carnalem copulam. Sed respondendum est D. Thomam impropriè, & latiùs sumere affinitatem pro iustitia publicæ honestatis. Nam quòd affinitas propriè sumpta non oriatur nisi ex copula consummata docet expresse idem S. Doctor, eodemque loco, his verbis. *Dicendum, quòd vir & mulier efficiuntur in carnali copula vna caro per commixtionem seminum. Vnde quantumcunque aliquis claustra pudoris irruat, vel frangat, nisi commixtio seminum sequatur, non contrahitur ex hoc affinitas.* Intellige nisi sequatur saltem ex parte viri: hoc enim sufficere tenet communior Doctorum sententia.

3. Oritur ex copula etiā illicita.

Tam verò copula illicita, quàm licita, valet ad causandam affinitatem. Sed cum duplici discrimine. Vnum est, quòd copula coniugalis ad hoc valet, & sufficit ex sola natura rei: quippe quæ per se est fundamentum naturalis cuiusdam amicitiæ inter coniugem, & consanguineos coniugis suæ. Sicut enim causatur naturalis amicitia & coniunctio per carnalem propagationem ex eodem stipite: ita & per coniunctionem legitimam ad eādem propagationem, inter coniunctos, & eorum consanguineos, vt testatur experientia, & docet Aristot. lib. 8. Ethic. cap. 12. Secus autem est de copula illicita, quæ affinitatem causat iure tantùm ecclesiastico: vt pote quæ potiùs est fundamentum inimicitiæ inter fornicarium & consanguineos eius cum qua fornicatur. Qua de re videri possunt plura apud Sanch. lib. 7. disp. 65. num. 4. & sequentibus. Vnde inter infideles nullum contrahitur impedimentum ex copula illicita: & si conuertantur ad fidem, possunt nihilominus contrahere cum quibuslibet consanguineis earum, quas illicitè cognouerunt: quia nullam antea contraxerunt affinitatem cum illis, neque per Baptismum contrahunt.

4. Alterum discrimen est, quòd affinitas orta ex copula illicita dirimit tantùm matrimonium vsque ad secundum gradum inclusiuè, ex Trident. sess. 24. cap. 4. de reform. matrim. restringente ius antiquum, quo extendebatur vsque ad quartum, cap. *Non debet*, de consanguinit. & affinit. ita vt iam non dirimat in gradibus vlterioribus, imò neque impediat ne licitè contrahatur: sicut à Pio V. declaratum fuisse testantur. Rebell. 2. part. lib. 3. q. 15. num. 6. & plures alii. Quæ autem oritur ex copula licita, id est, coniugali, dirimit vsque ad quartum gradum inclusiuè, vt dicitur cap. *Non debet* supra cit. quod à Tridentino non fuit correctum hac in parte. Olim etiam extendebatur hoc impedimentum, vsque ad septimum gradum, vt patet ex cap. 7. Causa 35. q. 3. vbi Iulius Papa sic loquitur: *Nullum in vtroque sexu permittimus ex propinquitate sui sanguinis, vel vxoris, vsque ad septimum generis gradum, vxorem ducere, vel incesti maculæ copulari.* Sed iam ante Tridentinum restrictio fuerat huic canoni apposita ab Innocentio III. & Concilio Lateran. cap. *Non debet*, sæpius cit. Porrò ad affinitatem contrahendam non est necessarium haberi copulam mutuo vtriusque consensu: sed sufficit dummodo consummetur, etiam cum inuita, vel dormiente, & ignorante, ebria, vel insana.

5. Inter quos oriatur.

Ex vtraque igitur copula, licita, & illicita, oritur affinitas inter fœminam, & consanguineos viri cui copulata fuit: similiterque inter marem & consanguineos fœminæ, cui copulatus fuit. Ipsi autem mas, & fœmina qui copulantur, non contrahunt affinitatem inter se, sed per copulam sunt causa affinitatis, vterque sibi cum consanguineis alterius. At consanguinei viri non sunt affines consanguineis fœminæ, sed ipsi tantùm fœminæ: nec consanguinei fœminæ sunt affines consanguineis viri, sed ipsi viro tantùm, vt dicitur cap. 5. *De consanguinitate, & affinitate.*

6. Gradus illius quo modo computandi?

Gradus verò affinitatis sunt ab ipso coniuge, ex quo oritur, velut à stipite, seu radice computandi: & iidem sunt, qui consanguinitatis, inter eam personam, ex qua oritur affinitas, & alias eius consanguineas, vt dicitur causa 35. q. 5. *Infra arborem affinitatis.* Vnde regula generalis est: Quo gradu est aliquis consanguinitate cōiunctus vni coniugum, aut copulatorum; eodem prorsus

sus gradu affinitatis est coniunctus alteri. Ratio ex D. Thoma in 4. dist. 41. q. 1. a. 2. quæstiunt. 2. in corp. hæc est, *Carnis propagatio*, inquit, *per se comparatur ad consanguinitatem, quia ex ea immediate consanguinitatis vinculũ contrahitur: sed ad affinitatem non cõparatur nisi mediante consanguinitate, quæ est causa eius. Vnde cum gradus attinentiæ per propagationem carnis distinguantur, distinctio graduum per se, & immediate competit consanguinitati: sed affinitati, mediante consanguinitate. Et ideo ad inueniendum gradus affinitatis est regula generalis: quòd quoto gradu consanguinitatis attinet mihi vir, toto gradu affinitatis attinet mihi vxor.* Huc vsque D. Thom.

7. Quo iure irritat matrimonũ.

Cùm autem hoc impedimentum sit iuris tantum positiui ecclesiastici, excepto fortè primo gradu in linea recta, vt inter priuignum, & nouercam: sequitur infideles posse contrahere in alijs gradibus, nisi legibus suis prohibeantur: quia non ligantur hoc impedimẽto vi legis ecclesiasticæ, cui non subiacent. Si tamen conuertantur, & baptizentur antequã matrimonium contrahant: affinitas priùs ab illis contracta per copulam legitimam, manens adhuc, quia est perpetua, perinde dirimit, ac si post Baptismũ orta esset. Quare non poterunt contrahere in gradibus ab ecclesia prohibitis. Sequitur 2. posse tũ num Pontificem dispensare in omnibus alijs, excepto primo gradu supra dicto: sicut interdum fecisse legitur. Nam Innocentius III. dispensauit in illis cum Liuonienfibus, vt videre est cap. vltimo de diuortijs. Et Martinus V. dispensauit cum viro nobili, qui cum affine collaterali in primo gradu contraxerat, vt ex Archidiacono refert Siluester V. *Papa*, & Alexander VI. dispensauit cum Emmanuele Rege Lusitaniæ, vt duceret sororem vxoris defunctæ. Et Iulius II. similiter dispensauit cum Henrico VIII. Rege Angliæ, vt duceret Catharinam vxorem fratris sui Arturi demortui. Quãquam non erat illius affinis, si vt dicunt historici, nondum Arturus matrimonium consummauerat. Cumque postea rex ille captus amore alterius, concenderet hanc dispensationem non potuisse dari à Pontifice: Clemens septimus consultis celeberrimis christianarũ Academiarũ Theologis, pronunciauit Iulium validè, & legitimè dispensasse, ac proinde matrimonium Henrici cum Catharina esse validum, & consequenter insolubile, quia consummatum: nam filiam ex illa susceperat. Quæ omnia fusiùs relata videri possunt apud Alfonsum à Castro lib. 1. de lege pœnali cap. vlt. & Florimundum Rœmundum Senatorem Burdegalensem, & Scriptorem clarissimum, lib. 6. De ortu, progressu, & occasu hæresum huius temporis, cap. 1. & seqq.

Quid circa illud possit S. Pontifex

8. Frustra verò obijciebant Henrici fautores illud Ioannis Baptistæ ad Herodem, *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Matth. 14. Nam Ioannes loquebatur de vxore fratris adhuc viuentis; vel si obierat, saltem prolem reliquerat, puellam videlicet saltatricem, vt narratur cap. cit. Nam quòd alioquin liceret in lege veteri habere vxorem fratris demortui, patet ex cap. 25. Deuteron. vbi nõ permittitur solùm, verum etiam iubebatur frater ducere vxorẽ fratris defuncti sine liberis, & semen illi suscitare. Arturus autem frater Hẽrici obierat sine liberis, imò etiam priusquàm matrimonium cum illa consummaret, propter grauẽ infirmitatem, quã toto tempore sui cũ illa matrimonij, quod breuissimũ fuit, detentus est, & diligenter prohibitus à consũmatione propter euidens mortis periculum, quod iudicio medicorum inde ipsi imminebat vt referunt auctores supra citati.

9. Cõstitutio Mosaica circa illud iam non obligat.

Verum quoque nõ est quod dicunt Palud. in 4. dist. 41. q. 1. art. 5. & Antonin. 3. part. tit. 1. c. 11. & 14. affirmãtes etiam hodie matrimoniũ dirimi iure diuino per gradus prohibitos in Leuitico c. 18. & 20. Nam lex Mosaica non ampliùs obligat, postquam translatõ, & abrogato sacerdotio Aaronico per Christum, legis quoque trãslatio, & abrogatio facta est, vt ait Paulus Hebræor. 7. Quin etiam valde probabile est, quod pleriq; affirmant, ne primum quidem gradũ affinitatis in linea recta, dirimere matrimonium iure naturali, posseque super eo dispensari, sed nõ nisi ex grauissima causa, propter indecẽtiam, quæ alioquin apparet in tali matrimonio, præsertim inter nouercã, & priuignum. Quæ de re videantur Sanch. lib. 7. disp. 66. n. 7. & Pontius lib. item 7. cap. 34. n. 5. & seqq. qui post multos alios ab ipsis relatos docent nullum planè gradũ affinitatis dirimere matrimonium iure naturali. Idque planè supponunt canon 61. Concilii Agathensis, & can. 30. Epaunensis vbi prohibetur quidem matrimonium priuigni cum nouerca: sed tamen additur, vt si ante prohibitionem contractũ fuerit, non dissoluatur. Idemq; statuitur ibidem, & istdẽ verbis, de matrimonio cum relicta fratris, vel auunculi; quod ferè omnes fatentur non esse irritum iure naturali. Quare ex mente Conciliorum citatorum de priori similiter sentiendum est. Quod efficaciter confirmat Pontius ex Concilio Aurelianensi 3. can. 10. vbi sic statuitur: *De incestis coniunctionibus ita quæ sunt seruentur, vt hi qui aut modò ad Baptismum veniunt, aut quibus Patrum statuta sacerdotali prædicatione antea in notitiam non venerunt, ita pro nouitate conuersionis, ac fidei suæ creditamus consulendum, vt contracta huiusque huiusmodi coniugia non soluantur, sed in futurum, quod de incestis coniunctionibus in anteactoribus canonibus interdictum est, obseruetur: id est, vt ne quis sibi sub coniugii nomine sociare præsumat relictam patris, filiam vxoris, relictam fratris, sororem vxoris, sobrinam, consobrinam, vel relictam auunculi, vel patrui.* Quibus verbis, cùm statuit vt non soluantur matrimonia ante baptismum contracta in illis gradibus affinitatis, significat fuisse valida.

Ditimatne iure naturali primus gradus affinitatis?

10. Neque obiicias idem argumẽtum quo alibi probauimus cognationem carnalẽ in pri-

Digitized by Google

Soluitur obiectio.

mo gradu dirimere matrimonium, æquè id probare de primo gradu affinitatis in linea recta: quia scilicet copula inter illos est adeo naturæ repugnans, vt ipsis quoque gentilibus naturali lumine vita fuerit nefanda, & abominabilis. Propter quod Paulus 1. Corinth. 5. sic ait: *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris sui quis habeat.* Est autem incredibile hominem naturaliter habere ius tradendi corporis sui dominium ad vsum, qui naturali lumine apparet adeo inhonestus, & abominabilis, vt omnes gentes bene institutæ ab illo abhorruerint. Respondeo enim Apostolum loqui de eo, qui viuente patre, vxorem eius acceperat, & quidem etiam ipso inuito, vt indicat hæc ipsius verba, 2. Corinth. 7. v. 12. *Scripsi vobis non propter eum, qui fecit iniuriam, nec propter eum, qui passus est*, &c. Nam alioqui non erat inauditum inter gentes matrimonium priuigni cum nouerca à patre mortuo relicta, sed à plerisque vsitatum, vel agnitum vt legitimum; quemadmodum antiquorum testimoniis probat Sanch. disp. cit. n. 7.

11. Superueniens matrimonio impedit illius vsum.

Cæterùm, quia potest affinitas superuenire matrimonio iam contracto, vt fit interdum per copulam illicitam cum consanguineis coniugis in primo, vel secundo gradu: notandum est per eam non dirimi matrimonium præcedens, sed vsum illius impediri, quatenus ille, qui copulam incestuosam habuit, priuatur iure petendi debitum coniugale: tametsi non priuatur facultate reddendi, ne pars innocens puniatur ob delictum alterius. Et præterea priuatur etiam spe ineundi aliud coniugium, si vxori superstes sit. Quæ omnia traduntur expressè cap. *Transmissa*, De eo qui cognouit consanguineam vxoris. Ab hac tamen pœna excipiendi sunt primò, qui per vim absolutam, & planè inuiti, ac repugnantes quoad possunt, coguntur ad incestum. Cùm enim non peccent, non subiiciuntur huic pœnæ. Secundò, qui metu graui adiguntur: quia non est credibile Ecclesiam velle punire tali pœna eos, qui ex metu graui legibus suis non parent: vt docet Bonacina q. 4. de matrim. punct. 2. n. 5. post Nauarrum, & Rebellum ibi relatos: contra Sanchem lib. 9. disp. 31. nu. 4. & Reginald. lib. 31. n. 295. Tertiò, qui laborant ignorantiá facti vel iuris, id est, qui vel nesciebant eam ad quam accesserunt, esse consanguineam: vel talem pœnam lege ecclesiastica statutam esse, vt scilicet accedentes ad consanguineam in primo vel secundo gradu, priuentur iure petendi. Ita Bonacina q. cit. punct. 2. n. 6. post alios, quos citat.

12. Quid si occulta sit

Addunt aliqui recentiores, etiam à scientibus hanc pœnam non incurri, nisi delictum probetur in foro externo, & accedat sententia iudicis. Idque videtur sentire Palacius in 4. dist. 34. disp. 2. in fine: & Simancas lib. Instit. Catholic. tit. 9. n. 202. dicit incertum esse an hæc pœna incurratur ante sententiam iudicis. Abbas verò, Siluester, Angelus, Dominic. Sot. Emm. Sa, & Ludouic. Lopez affirmant incestum hunc, si sit occultus, non impedire, quin matrimonium validè contrahatur, aut ne petatur debitum, locis relatis à Sanche lib. 7. disp. 15. n. 13. Quibus fauet c. 3. *De eo qui cognouit consanguineam vxoris*, vbi sic dicitur: *De illo, qui vxorem fratris, antequam ei matrimonio iungeretur, se proposuit cognouisse, respondemus, quòd nisi hoc publicum, & notorium fuerit, aut idoneis testibus comprobatum: prædictum matrimonium occasione illa ipsum impetere non permittas.* Et caput *Super eo*, eod. tit. vbi dicitur non esse dissoluendum matrimonium, licet ambo coniuges incestum fateantur, vel rumor viciniæ id clamet: nisi rationabiles, & fide dignæ probationes accedant. Si autem Pontifex existimasset tale matrimonium esse inualidum reipsa, vel esse posse, propter occultam affinitatem ex copula illicita, aut eos non posse licitè coniungi, debuisset præcipere coniugibus, vt si huius impedimenti sibi conscii essent, abstinerent à copula: sicut in simili controuersia de consanguinitate præcepit Vrbanus Papa Causa 35. quæst. 6. cap. 4. Addit etiam Diana parte 3. tract. 4. de Sacram. resolut. 259. impedimenta criminum, inter quæ numerat incestum cum consanguineis coniugis aut sponsæ adhuc viuentis, per diuturnam consuetudinem non petendi dispensationem fuisse penitùs sublata. Citatque in hanc sententiam, Aegidium Coninck, Dominicum Sotum, Veracruz, Sanchem, Nauarrum, & Pontium. Sed isti loquuntur de impedimentis criminum prohibemibus tantùm: de quibus etiam nos idem asseruimus disp. 73. sect. 4. num. 65. & 66.

13. Non oritur nisi ex copula cum consang. coniugis.

Notat denique Sanchez lib. 7. d. 15. nu. 15. affinitatem impedientem matrimonium vel eius vsum, non oriri nisi ex copula cum consanguineis coniugis: quia iura, quibus statuitur hoc impedimentum, non loquuntur expressè de incestu cum consanguineis propriis: & leges odiosæ, & pœnales, non sunt vltra verborum proprietatem extendendæ, sed restringendæ potius quantum illa permittit. Atque ita docent S. Thom. aliique plurimi à Sanche relati: licet non pauci, & quidem probabiliter, vt idem fatetur, contrarium sentiant.

14. Pœna contrahentium cum tali impedimento.

Quod verò attinet ad pœnam contrahentium cum impedimento affinitatis, Dico breuiter illos excommunicari ipso facto per Clementinam vnicam de consanguinitate, & affinitate: aliasque pœnas graues contra eos statui per leges ciuiles, vt videre est apud Couarruu. 2. part. Epitom. cap. 6. §. 8. Sed illæ non incurruntur, nisi affinitas orta sit ex copula coniugali, quia ius ciuile non agnoscit aliam affinitatem: vt bene aduertit Rebel. parte 2. de obligat. iustitiæ lib. 3. quæst. 15. in fine.

Digitized by Google

SECTIO II.

De impedimento impotentiæ.

15. DE hoc impedimento fusissimè disserunt Sanch. lib. 7. disp. 92. & deinceps vsque ad finem libri, & Pontius lib. 7. cap. 55. & sequentibus, vsque ad 58. Sed quia plurima, quæ circa illud occurrunt, sunt morbis illis similia quos à Medicis quidem non ignorari necessarium est: sed tamen parum honestè detegi, & explicari possunt; sufficiet præcipua, & scitu magis necessaria, vel vtilia, quàm honestissimè fieri poterit exponere. Cætera apud auctores citatos videri poterunt, quando coget necessitas hæc accuratiùs, vel minutiosiùs inuestigare. Non tamen omittemus tradere principia generalia, quibus difficultates in hac materia occurrere solitæ, facilè possint enodari. Quod vt clariori methodo fiat:

16. Quid sit huiusmodi impotentia?

Suppono primò, nomine impotentiæ non intelligi hoc loco, defectum vsus rationis necessarii ad liberè consentiendum & contrahendum matrimonium: cuiusmodi est in infantibus, amentibus, & ebriis, tempore infantiæ, ebrietatis, & amentiæ: tametsi defectus ille est vera quædam impotentia contrahendi, iure ipsò naturali irritans: de quo sufficiunt quæ diximus disput. 71. sect. 6. Sed nomine impotentiæ intelligimus in præsenti quæstione, ineptitudinem, siue impotentiam consummandi matrimonium, id est, exercendi copulam coniugalem perfectam, & eo modo quo ex illa sequi est apta generatio per se loquendo, vt diximus num. 1. Nihil autem refert vndecunque oriatur hæc impotentia: siue à natura, quæ in hominibus vocari solet frigiditas, aut interdum etiam nimia caliditas, quâ seminis effusio semper copulâ anteuertitur; in fœminis autem dicitur arctitudo: siue etiam proueniat à defectu membrorum, vt in Eunuchis, & spadonibus: siue denique à maleficio, vt in illis, quos operâ dæmonis reddunturimpotentes per ligaturas, vel alia sortilegia.

17. Et quotuplex?

Suppono secundò, impotentiam illam duplicem esse posse: absolutam scilicet, & respectiuam. Absoluta dicitur, quæ est respectu omnium. Respectiua, quæ est tantùm respectu alicuius. Vtraque subdiuiditur in perpetuam, & temporalem. Perpetua dicitur, quæ tolli nequit sine miraculo, aut periculo vitæ, aut sine peccato: vt colligitur ex cap. *Fraternitatis*, De frigidis, & maleficiatis. Temporalis autem, quæ arte humana sine peccato, & vitæ periculo, vel ordinarijs ecclesiæ remedijs tolli potest. Inter quæ remedia numerantur ecclesiæ preces, & exorcismi contra maleficia. Quorum effectus licet supernaturalis, & diuinus existat: nihilominus non computatur inter miracula, quia fit per vnum de medijs ordinarijs constanti lege à Christo institutis: sicut effectus sacramentorum, quamuis æq; aut magis supernaturales, non censentur esse miraculosi, quia sunt ordinarij, & à causis ordinarijs prodeunt. Item illa impotentia potest vel præcedere, matrimonium contrahendum, vel subsequi iam contractum. Loquimur autem in præsenti disp. de impotentia præcedente: quippe quæ sola potest esse impedimentum ne contrahatur validè: nam quæ subsequitur, non potest impedire ne validè fiat id, quod iam factum est. Sed neq; etiam dirimit vinculum matrimonij iam validè contracti, vt patet ex dictis disp. 72. sect. 4. & sequentibus.

18. Perpetua & absoluta dirimit matrimonium.

His præsuppositis dico primò, impotentiam perpetuam, & absolutam esse impedimentum dirimens, id est, impediens ne validè contrahatur, respectu cuiuscunq; siue illa se teneat ex parte viri, siue ex parte fœminæ, siue ex parte vtriusque: & quacunque ex causa orta sit. Patet ex cap. 1. & sequentibus, causâ 33. q. 1. & cap. *Quod sedem*, de frigidis, & maleficiatis, aliisq; pluribus eiusdem tituli. Ratio est, quia contractus matrimonij est essentialiter traditio dominij propriorum corporum in ordine ad copulam aptam generationi. Qui autem non est potens ad huiusmodi copulam, non potest tradere dominium sui corporis in ordine ad illam. Ergo non potest inire validè contractum matrimonii. Maior supponitur ex disp. 71. sect. 7. Minor autem probatur, quia nemo potest tradere, & transferre in alterum dominium eius rei, quam nullo modo habet in sua potestate. Impotens autem perpetuò ad copulam, non eam habet vllo modo in sua potestate: ergo non potest tradere alteri dominium illius, siue dominium sui corporis in ordine ad illam. Eódem recidit ratio allata à Diuo Thoma quæst. 58. supplem. articulo primo, in corp. quòd scilicet in matrimonio est contractus quidam, quo vnus alteri obligatur ad debitum coniugale soluendum. Vnde sicut in aliis contractibus non est conueniens obligatio, si aliquis se obliget ad id quod facere, vel dare non potest: ita non est conueniens matrimonii contractus si fiat ab aliquo, qui debitum coniugale soluere non possit.

19. Confirmatur ex Bulla Sixti quinti, data 27. Iunii anni 1587. ad Nuncium suum Apostolicum in Hispania, quem sic alloquitur: Committimus fraternitati tuæ, & mandamus, vt coniugia per dictos, & alios quoscunque Eunuchos, & Spadones vtroq; teste cæntes, cum quibuslibet mulieribus defectum prædictum siue ignorantibus, siue etiam scientibus contrahi prohibeas, eosque ad matrimonia quomodocunque contrahenda inhabiles auctoritate nostra declares: & tam locorum Ordinariis, ne huiusmodi coniunctiones de cætero fieri quoquo modò permittant, interdicas; quàm eos etiam, qui sic de facto contraxerint, separari cures; & matrimonia ipsa sic

de facto contracta, nulla, irrita, & inualida esse decernas. Huc vsque Pontifex. Qui non de nouo statuit hoc impedimentum, sed declarat esse, vt patet ex verbo *Declares*, & ex eo quòd alioqui matrimonia huiusmodi ante hanc constitutionem non fuissent inualida, qualia tamen fuisse declarari iubet. Quare docet potiùs esse ex ipsa natura rei inualida, propter impotentiam perpetuam, & absolutam id genus hominum ad copulam coniugalem perfectam. Idemque iudicandum est, de quibuscunque aliis absolutè & perpetuò impotentibus.

20. Respectiua dirimit secundum quid.

Dico secundò, impotentiam perpetuam, respectiuam tantùm, dirimere matrimonium respectu illius personæ, ad quam est: non autem respectu aliarum. Ratio est, quia dirimit solùm, quatenus impedit ne possit contrahens dare dominium sui corporis in ordine ad copulam coniugalem superiùs descriptam. Ergo si potest vni dare, & non alteri, impedit tantùm respectu illius, cui dare non potest, secus autem respectu aliarum. Atqui si est respectiua, impedit tantùm respectu alicuius personæ, non omnium: ergo, &c. Nec obest primæ parti assertionis, quod impotès respectiuè tantùm, habet verè potentiam generandi: quod videtur sufficere vt possit valide contrahere cum persona qualibet. Respondeo enim non sufficere habere potentiam illam quomodocunque: sed necessarium est habere etiam respectu eius, cum quo contrahitur. Quia contractus cum illo initus non respicit potentiam in genere tantùm, sed respectiuè ad personam, cui tradi debet dominium corporis in ordine ad copulam cum illo exercendam. Quare impotens respectu illius non potest cum illo contrahere: quia non potest hoc dominium in eum transfere.

21. Vide oriatur?

Potest autem dari huiusmodi impotentia respectiua, & perpetua, partim à natura, propter improportionem membrorum, aut dispositionem alterutrius coniugum respectu alterius, quæ non est talis respectu quorumlibet aliorum: partim etiam à maleficio: vt frequenter contingit: solent enim maleficia impedire vsum matrimonii respectu certæ tantùm, & determinatæ personæ. Idque manifestè supponitur Causa 33. quæst. 1. cap. *Si per Sortiarias*, vbi permittitur separatis propter impotentiam insanabilem, ortam ex maleficio, conuolare ad nuptias cum aliis, respectu quorum non habent hoc impedimentum. Additurque vt licet postea miraculosè, vel non sine peccato, aut periculo vitæ restituta fuerit eis coeundi potẽtia cum priori coniuge, ad illam tamen redire non teneantur, neque possint viuente secunda coniuge. Quia videlicet matrimonium cum priori fuit irritum propter impotentiam respectiuam, quæ perpetua censetur esse, & sufficiens ad dirimendum, quando est talis vt arte humana, sine periculo vitæ, vel sine peccato, aut sine miraculo tolli nequit. Quapropter cùm prius matrimonium cum tali impedimento contractum fuerit inualidum: posterius verum, & legitimum fuit: ideoque tenentur illi manere cum secunda coniuge.

22. Nec obstat caput 6. de frigidis, & maleficiatis, vbi Innocentius III. iubet redire ad priorem maritum, mulierem, quæ alteri nupserat, à quo per multos annos carnaliter cognosci nequiuerat, & per Ecclesiæ sententiã fuerat ab illo separata, cum licentia nubendi alteri: iubet, inquam, illam redire ad prius coniugium, postquam fuit carnaliter à secundo viro cognita: eò quòd inquit, impedimẽtum hoc *præter diuinum miraculum per opus humanum, absque corporali periculo potuit remoueri cum pateat, ex postfacto, quòd ipsa cognoscibilis erat illi, cuius simili commisceatur.* Quibus postremis verbis significari videtur non dari impotentiam respectiuam perpetuam, si quæ potest tandem naturaliter cognosci ab vno, potest à quouis alio, vt Pontifex affirmat. Respondeo enim cum Mæratio disput. 8. De matrim. sect. 6. non esse ibi sermonem de impedimento respectiuo, sed de absoluto, & perpetuo, se tenẽte ex parte mulieris cuiusdam, quæ post inspectionem iudicata fuerat à matronis prudentibus, & honestis, carere naturali instrumento: esseque hunc defectum naturaliter insanabilem. Quod si verũ fuisset, laborasset illa impedimento perpetuo, & absoluto, id est, respectu omnium. Quare postquam experientiâ compertũ fuit malè ita iudicatum esse, declarauit Pontifex prius matrimonium non fuisse inualidum ratione impedimenti perpetui falsò præsumpti: iussitq; illam ad priorem virum redire, vtpote solum verum eius maritum. De tali autem impedimento sermonem ibi esse liquet ex eo quod Pontifex cap. cit. dicit, *Matronas prouidas, & honestas fuisse euocatas, districtéque illis iniunctũ sub periculo animarum, vt mulierem ipsam prudẽter inspicerent, & perquirerent diligenter virum idoneum esset ad viriles amplexus: quæ tandem in fide sua asseruere constanter quòd eadem nunquam poterat esse mater, aut coniux, tanquam cui naturale deerat instrumentum.*

23. Temporalis impotentia non dirimit matrim.

Dico tertiò, impotentiam temporalem, siue sit absoluta, siue respectiua tantùm, non dirimere matrimonium. Patet ex cap. *Laudabilem*, & cap. *Fraternitatis*, de frigidis, & maleficiatis, vbi dicitur impotentiam, quæ arte humana tolli potest, non irritare matrimonium, & cap. proximè cit. iubet Inuoc. III. redire ad priorem maritum, mulierem, quæ secundo nupserat ob falsò præsumptũ impedimẽtum perpetuum, quod lapsu temporis cõpertum fuit esse tẽporale dũtaxat, potuisseq; arte humana tolli. Declaratque primũ matrimonium validum fuisse, *eò quòd*, inquit, *impedimentum illud non erat perpetuum.* Confirmatur ex praxi totius Ecclesiæ, quæ ad matrimonium admittit senes, & infirmos, etiam positos in articulo mortis, si velint contrahere cũ concubinis, vt saluti suæ, & proli ex eis susceptæ, vel earũ honori consulant: quãuis tunc sint impotentes, vel potiùs indispo-

sitiad copulam coniugalem, ratione morbi, aut senectutis. Licet enim retineant potentiam naturalem, quam antea habebant: sunt tamen tunc inhabiles ad illius exercitium. Imò de illis maior est difficultas: quia quando tenes sunt planè decrepiti, vel infirmi versantur in certo, & euidenti mortis articulo, nulla est spes recuperandi habilitatem arte humana. Quare si non hominus illi iuxta praxim, & iudicium Ecclesiæ validè contrahunt: par, aut maior est ratio, vt illi etiam possint, qui temporali laborant impedimento, cum spe illud tollendi, mediisque ad eum finem efficacibus non destituti. Neque verò cohærenter loquuntur, & satis conformiter ad sensum, & praxim Ecclesiæ, qui fatentur infirmos contrahere validè in casu posito: de senibus autem id negant, si adeo sunt decrepiti, vt nulla ratione humana, siue medicamentis, siue aliis mediis naturalibus habiles fieri possint ad copulam aliquando exercendam. Quia si valet matrimonium, vt ipsi fatẽtur, & in vsu Ecclesiæ positum est, quando ægrotus euidẽter morti proximus concubinam ducit, iam viribus planè destitutus, & cui sine miraculo non potest vita protrahi, nedum vires, & valetudo restitui: par, aut maior est ratio, vt valeat in sene decrepito: quippe qui non maiori laborat inhabilitate, siue indispositione pro reliquo vitæ tempore.

24. Confirmatur secundò ex altera praxi Ecclesiæ permittentis vbique, vt contrahant, qui volunt, statim atque pubertatis annos attigerunt, id est, annum decimum quartũ expletum in maribus, & duodecimum in fœminis: tametsi contingat aliquos nondum esse adeptos expeditã potentiam, siue dispositionem necessariam ad consummandũ matrimonium, propter corporis imbecillitatẽ. Quin etiam si ante pubertatem non possunt validè contrahere, licet priùs sufficientem vsum rationis adepti sint; id solùm prouenit à iure ecclesiastico prohibente, & irritante eiusmodi matrimonia, alioqui valitura ex natura rei. Potest enim quisq; validè se obligare, quantum est ex natura rei, ad soluendum aliquid quod suo tempore soluere poterit, quamuis in præsenti non possit.

25. Quando nam matrimonium est dissoluendum propter impedimentum: & quo modo.

Dico quartò, quando impotẽtia perpetua, siue absoluta, siue respectiua, certa est; dissoluendum est matrimonium, seu declarandum fuisse inualidè contractum. Sin autem dubitatur sitne perpetua, vel temporalis; si matrimonium nondum contractum est, non debet contrahi: peccantque, qui cum tali dubio contrahunt, donec satis appareat impotentiam non subesse. Nam alioquin exponunt Sacramentum periculo nullitatis, & vtuntur materiã dubiã, sine necessitate. Sin autem est contractum; datur coniugibus à iure triennium, vt adhibitis mediis possibilibus conentur illam tollere, & matrimonium consummare, cap. *Laudabilem*, de frigidis, & maleficiatis: quod triennium computandum est ab initio perfectæ pubertatis, quando ratione ætatis imbecillæ dubitatur num ab illa proueniat impotentia: id est, ab anno decimo octauo in maribus, & decimo quarto in fœminis: debentque toto illo triennio moraliter continuò simul habitare: in aliis triennium computandum est ab initio temporis quo tentarunt consummare; vel vt alii volunt, à decreto iudicis. Qua de re plura dicemus inferiùs. Et quandiu durat, veriſque licita sunt quæcunque licent veris coniugibus, etiamsi contingat per accidens, & præter intentionem, semen extra vas effundi: tenenturque dare operam, vt adhibitis medicamentis, & aliis remediis potentes euadant. Sed elapso triennio sine fructu, non possunt amplius experiri, & conari: debentque iudicare impedimentum esse perpetuum, & separari thoro, viuereque deinceps instar, fratris, & sororis, si volunt, & possunt sine periculo incontinentiæ simul habitare: vt dicitur cap. *Consultationi*, & cap. *Laudabilem*, de frigidis, & maleficiatis. Imò si ante triennium expletum certò deprehendatur impotentia esse perpetua, non possunt tutà conscientiã vlterius tentare, & actus coniugales inter se exercere. Loquor autem de impotentia antecedente matrimonium: nam si superueniat iam contracto validè, & legitimè; possunt coniuges vltra triennium experiri, & conari habere copulam, quandiu spes probabilis est posse ad illam peruenire: quia certum inter illos matrimonium existit, & habent ius ad conandum redintegrare illius exercitium, quandiu speratur probabiliter restitui posse: excusanturque, non minùs quàm priores, à peccato, licet inter experiendum contingat eos seminare extra vas, vt Caiet. Sanchez, & alii plerique docent.

Quod si nolint habitare simul, qui inualidè contraxerunt, propter impedimentum supradictum; possunt elapso triennio petere illius dissolutionem à iudice ecclesiastico. Quam vt obtineant, debent ambo iurare, tactis sacrosanctis Euangeliis, quòd nunquam per carnis copulã vna caro effecti fuerint, id est, matrimonium nunquam consummare potuerint: adhibitis septem testibus de vicinis, aut de propinquis bonæ famæ, si vicini defuerint, qui eorum statum cognoscant, & affirment credere se verum esse quod illi iureiurando confirmant: solet etiam, quando est opus, adhiberi circa fœminas honestarum matronarum inspectio. Quæ omnia constant ex cap. *Fraternitatis*, & cap. *Laudabilem* de frigidis, & Causâ 33. qu. 1. cap. 2. Quòd si vnus coniugum affirmet, alter neget: si vir affirmat, & petit separationem vxore negante; debet ipse probare impedimentum. Sin contra mulier affirmat, viro negante; creditur potiùs viro, quia caput est mulieris, 33. q. 1. cap. *Si quis acceperit*, nisi mulier per inspectionem sui corporis probare velit mentiri virum. Item quando vnus affirmat, alter negat: debet ille reclamare intra duos menses: alioqui non audietur ab Ecclesia, vt dicitur c. 1. de frigidis. Modò tamen ab initio poterit probare impotentiam, Nam alioqui 26.

posse vltrò reclamare liquet ex capite vltimo, eodem titulo, vbi admittitur reclamatio post octennium. Agnitáque impotentiá permitti debet parti non impotenti, vel impotenti tantùm respectiuè, vt cum alio contrahat, si velit.

27. Quid si malè iudicatum fuerit? Quia verò interdum contingit, vt malè iudicatum fuerit impotétiam esse perpetuam: quando postea deprehenditur fuisse temporalé, tenentur coniuges, & compelli debent, si opus est, iterum simul habitare, licet aliis fortè nupserint: debent enim nihilominus ab ipsis separari, & ad priores redire, quibuscum matrimonium fuit validè contractum, cum impedimentum, temporale tantùm, non illud irritauerit. Sed ad huiusmodi de impotétia rescindendum, non sufficit quòd impedimentum sit miraculosè sublatū, vel arte magica, vel cum periculo vitæ, vel etiam cum peccato ad hoc necessario, puta si fœmina alteri iũgitur vt viro aptari possit, claustro virginitatis per illum effracto, quod à viro propter eius imbecillitatem frangi non poterat. Quia non propterea desinit esse, ac censeri perpetua impotentia, quantum sufficit ad dirimendum matrimonium nondum contractum, vt suprà diximus, & colligitur ex cap. *Fraternitatis*, de frigidis. Quare licet impedimentum aliquo tantùm ex modis prædictis sublatum fuerit, non possunt resilire à secundo matrimonio, si cum alio contraxerunt: & quamuis non contraxerint cum alio, nõ sunt cogendi simul habitare inter se, & viuere vt coniuges; etiamsi possint, si velint, de nouo contrahentes, matrimonium redintegrare, validumque tam reddere.

28. Præterea, si vnus separatorum, qui antea credebatur esse impotens, deprehẽdatur esse potens: & non satis constet illum fuisse impotentem respectiuè in perpetuum respectu primæ coniugis; præsumitur, in fauorẽ prioris matrimonii, impotentiam non fuisse perpetuam, compellituruque ille priorem cõiugem repetere, & per triennium iterum experiri. Verùm si contingat eos secũdò separari post iteratum triennium experimenti: nunquam amplius erunt restituendi: sed impedimentũ iam censetur esse perpetuum inter illos: vt docent communiter Canonistæ in caput *Fraternitatis*, suprà cit. quorum plurimos refert Sanch. lib. 7. disp. 99. vbi plura de his videri possunt, & apud Basil. Pont. lib. 7. cap. 66. vbi multa habet, quæ iudicibus ecclesiasticis vtilia, scituque digna sunt.

29. Impotẽtia ad generationem, vel ad partum non dirimit matr. Loquimur autem de potentia ad copulam perfectam, siue ad consummationem matrimonii: non autem de potentia ad generationem, vel ad partum liberorum. Nam steriles validè contrahunt, sicut & mulieres, quæ parere nequeunt sine graui vitæ periculo, vel moriuntur cum primùm parere nituntur. Ratio est; quia neque generatio, seu conceptio liberorum, neque partus est de essentia matrimonii, sed ius ad copulam coniugalẽ. Peccaret tamen mulier, quæ scienter cõtraheret, sciens se parere non posse absque vitæ dispẽdio, vel grauissimo periculo: nisi id faceret, vt à vehementibus tẽrationibus carnis, & graui procandi periculo libera euaderet: quibus aliter satis efficax remedium adhibere non posset. Quæ autem contraxit cum ignorantia huiusmodi, non tenetur reddere debitum cum tanto vitæ periculo: quin maritum non decipit: excepto casu, quo vellet eodẽ vti thoro. Tenetur enim vel separari, & grauissimæ tentationi non exponere maritum; vel esse parata ad debitum illi reddendum: vt rectè ait Aegid. disp. 31. nu. 86. addens id etiam verum esse licet præuideatur prolem in partu morituram, antequam possit baptizari: quia non fit illi iniuria, cum melius ei sit talem esse, quàm omnino non esse, vt rectè dicit S. Augustin. lib. 5. contra Iulian. cap. 11. Cæterùm valere matrimonium huiusmodi fœminarum, atque etiam sterilium, vel ex cosatis patet, quòd nunquam Ecclesia iudicat matrimonium fuisse invalidè contractum propter sterilitatem, aut mortem mulierum in primo partu.

30. Quomodo possunt contrahere hermaphrodit? Denique quod attinet ad Hermaphroditos: vel alter sexus in eis prævalet, vel neuter. Si virilis prævalet, possunt licitè contrahere cum fœminis: possunt nihilominus contrahere validè, etiam cum viris, dummodo sint apti ad officium coniugale fœminæ. Sin autem prævalet in illis sexus fœmineus, possunt cum viris contrahere simili modo. Si neuter sexus prævalet, possunt eligere, malintne inter viros, an inter fœminas censeri. Sed electione facta, iurare debent se nunquam alterius sexus vsum habituros. Quod tamen non impedit quò minus validè, quamuis illicitè, possit talis Hermaphroditus post mortem prioris coniugis contrahere cum altero diuersi sexus: vt bene docet Pontius lib. 7. cap. 65. in fine. De spadonibus verò, eunuchis, & castratis quid sentiendum sit, liquet satis ex dictis, præsertim ex Bulla Sixti V. relata suprà num. 19.

SECTIO III.

Soluuntur variæ quæstiones circa impedimentum impotentiæ.

31. Quo iure impotentia dirimit matrimoniũ? AD maiorem huius impedimenti declarationem quæritur primò, quo iure impotentia supradicta dirimat matrimonium? Vera, & communis sententia affirmat dirimere iure non solùm ecclesiastico, sed etiam naturali. Idque euincit ratio allata num. 18. Quia scilicet cum matrimonii contractus, sit essentialiter traditio mutua corporum in ordine ad copulam coniugalem: siue mutua traditio dominii proprii corporis in ordine ad illam: & ex natura rei non possit quisquam tradere dominium ad illam, si ad illam est impotens: sequitur talem contractum esse nullum, & inualidum

ex natura rei. Atque ita docent S. Thom. S. Bonauent. Scot. Ricard. Turrecrem. Viguerius, Siluester, Palacius, Sotus, Almain. aliique plurimi, quos refert, & sequitur Sanch. lib. 7. disp. 98. quibus accedunt Aegid. Bonac. Valent. Reginald. Filliuc. Mæratius, aliique recentiores. Idque puto satis fuisse declaratum à Sixto V. in Motu proprio edito anno 1587. vbi dicit impotentes minimè aptos reputari ad contrahenda matrimonia, & secundum canonicas sanctiones, & secundum naturæ rationem. De qua constitutione plura dicemus paulò post.

32. An iure solū ecclesiast.

Dissentiunt tamen nonnulli affirmantes dirimere iure solùm ecclesiastico. Quod præcipuè probant ex cap. 2. De frigidis, vbi sic dicitur: *sicut puer qui non potest reddere debitum, non est aptus coniugio: sic qui impotentes sunt, minimè apti ad contrahenda matrimonia reputantur.* Ex quo textu sic argumentantur: Pueri iam adepti vsum rationis, sed nondum apti ad copulam, id est, nondum adepti pubertatem, sunt incapaces matrimonii iure tantùm ecclesiastico. Atqui impotentes non aliter sunt reputandi incapaces. Ergo non aliter, quàm iure ecclesiastico. Sed fundamento nituntur valdè infirmo. Facilè enim respondeti potest, pueros, & impotentes non in omnibus æquiparari cap. cit. Sed tantùm dici, quod neutri sunt apti coniugio: saltu tamen differentiâ: quòd pueri sunt ad tempus inepti dumtaxat, & incapaces iure ecclesiastico: alii verò, qui perpetuâ laborant impotentiâ absolutâ, vel respectiuâ, sunt incapaces iure naturali.

33. Quid si pater alterā non eam nouit?

Sunt etiam qui docent impotentiam dirimere quidem matrimonium iure naturali quando est alteri contrahēti incognita: quia tunc contingit error & deceptio circa substantiam contractus: qui error illum vitiat naturaliter. Secus autem, quando alter non impotens eam nouit, & nihilominus vult contrahere. Ratio illorum præcipua est, quia habere copulam non est de essentia matrimonii: ergo neque potentia ad illam: & potest contrahens iuri ad illam renunciare, atque ita validè contrahere cum impotente. Confirmatur, quia si potentia coëundi esset de essentia matrimonii: ergo impotentia superueniens illud dirimeret. Consequens est absurdum, & à nemine conceditur. Sequela verò probatur, quia nulla res stare potest sine suis essentialibus.

34. Sed huic argumento respondendum est, declaratum fuisse à Sixto V. in Motu proprio præcedenti sect. relato, matrimonium cum Eunuchis nullum esse, licet fœminæ scienter cum illis contraxerint. Par autem est ratio de aliis similiter impotentibus ad copulam: ad quos etiam omnes pertinet ratio quæ Pontificem mouit ad ita declarandum, vt videbimus paulò post. Et quamuis habere actu copulam non sit de essentia matrimonii: secus tamen tradere dominium sui corporis in ordine ad illam. Quod facere non possunt impotentes, siue impotentia sit contrahenti cognita, siue non. Neque enim eius notitia facit illi possibilem copulam, ad quam ius & dominium tradere deberet. Dominium, inquam: quia, vt alibi diximus, non est de essentia matrimonii, vt vsum etiam tradat: sed possunt coniuges ex pacto, & consensu mutuo separare dominium ab vsu, siue ante, siue post contractum matrimonium.

Ad confirmationem dico impotentiam coëundi superuenientem non dissoluere matrimonium: quia non est de essentia contractus matrimonii, vt potentia illa permaneat, sed tantùm vt tradatur dominium ad illam. Potest autem tradi, quamuis non semper mansura sit. Adde quòd coniuges simul tradunt dominium sui corporis ad quosuis alios actus ordinatos ad copulam: vt ad oscula, aspectus, & tactus, quos licitè possunt exercere, superueniente licet impotentia ad copulam.

35. Vel si consuetudinem seruare intendant.

Aliam distinctionem adhibet Pontius lib. 7. cap. 55. & sequentibus, vbi docet posse duobus modis contingere, vt impotentes matrimonium contrahant. Primò scilicet cum pacto expresso, vel implicito de futura copula. Et tunc fatetur matrimonium esse inualidum iure naturali. Tum quia id declarauit Sixtus V. in Motu supra cit. Tum etiam quia in eiusmodi contractu adhibetur conditio impossibilis, copula scilicet, & consummatio matrimonii, ad quam sunt impotentes. Secundò, cum voluntate, & conditione castè viuendi. Et tunc non modo validè possunt contrahere iure naturali: verùm etiam iure ecclesiastico. De iure naturali probat, quia ad essentiam contractus matrimonii requiritur tantùm quòd sit mutua coniunctio animorum in naturalem vitæ societatem, & cum diuersitate sexus. Hoc autem totum reperitur in matrimonio impotentium, celebrato dumtaxat ad castè viuendum: Neque enim ad istud requiritur potentia ad copulam. Ergo iure naturali est verum, & legitimum. Confirmatur, quia dominium proprii corporis potest separari ab vsu, & exercitio copulæ. Semoto autem illius vsu, non est necessaria potentia ad illam. Adde quòd, si potentia coëundi esset planè necessaria, sequeretur matrimonium dissolui per impotentiam superuenientem: quia nullum sacramentum stare potest sine materia necessaria. Ergo si corpus aptum ad copulam est materia necessaria sacramenti matrimonii, non posset stare corpore facto impotente. Sicut quia de essentia matrimonii est diuersitas sexus: si contingat fœminā mutari in virum (vt aliquando contigisse referunt Plin. lib. 7. cap. 4. Tiraquel. in legem 1. connubialem Glossa 1. part. 2. num. 100. Iulius Obsequens in lib. prodigiorum cap. 34. Et Steph. Bubalus quæst. 50. quæsito 1. §. 12.) hoc ipso definit esse matrimonium. Quòd autem iure quoque ecclesiastico validum sit, probat ex

posse vltesiùs reclamare liquet ex capite vltimo, eodem titulo, vbi admittitur reclamatio post octennium. Agnitáque impotentiá permitti debet parti non impotenti, vel impotenti tantùm respectiuè, vt cum alio contrahat, si velit.

27. Quid si malè iudicatum fuit?

Quia verò interdum contingit, vt malè iudicatum fuerit impotentiam esse perpetuam: quando postea deprehenditur fuisse temporalé, tenentur coniuges, & compelli debent, si opus est, iterum simul habitare, licet aliis fortè nupserint: debent enim nihilominus ab ipsis separari, & ad priores redire, quibuscum matrimonium fuit validè contractum, cum impedimentum, temporale tantùm, non illud irritauerit. Sed ad hoc vt de impotentia rescindendum, non sufficit quòd impedimentum sit miraculosè sublatum, vel arte magica, vel cum periculo vitæ, vel etiam cum peccato ad hoc necessario, puta si fœmina alteri iúngitur vt viro aptari possit, claustro virginitatis per illum effracto, quod à viro propter eius imbecillitatem frangi non poterat. Quia non propterea desinit esse, ac censeri perpetua impotentia, quantum sufficit ad dirimendum matrimonium nondum contractum, vt suprà diximus, & colligitur ex cap. *Fraternitatis*, de frigidis. Quare licet impedimentum aliquo tandem ex modis prædictis sublatum fuerit, non possunt resilire à secundo matrimonio, si cum alio contraxerunt: & quamuis non contraxerint cum alio, nō sunt cogendi simul habitare inter se, & viuere vt coniuges; tametsi possunt, si velint, de nouo contrahentes, matrimonium rediuiuegrare, validumque iam reddere.

28. Præterea, si vnus separatorum, qui antea credebatur esse impotens, deprehēdatur esse potens: & non satis constet illum fuisse impotentem respectiuè in perpetuum respectu primæ coniugis; præsumitur, in fauorē prioris matrimonii, impotentiam non fuisse perpetuam, compellunturque ille priorem cōiugem repetere, & per triennium iterum experiri. Verùm si contingat eos secundò separari post iteratum triennium experimenti: nunquam amplius eorum restituendi: sed impedimentū iam censetur esse perpetuum inter illos: vt docent communiter Canonistæ in caput *Fraternitatis*, suprà cit. quorum plurimos refert Sanch. lib. 7. disp. 99. vbi plura de his videri possunt, & apud Basil. Pont. lib. 7. cap. 66. vbi multa habet, quæ iudicibus ecclesiasticis vtilia, sciteque digna sunt.

29. Impotētia ad generationem, vel ad partum non dirimit matr.

Loquimur autem de potentia ad copulam perfectam, siue ad consummationem matrimonii: non autem de potentia ad generationem, vel ad partum liberorum. Nam steriles validè contrahunt, sicut & mulieres, quæ parere nequeunt sine graui vitæ periculo, vel moriuntur cum primùm parere nituntur. Ratio est; quia neque generatio, seu conceptio liberorum, neque partus est de essentia matrimonii, sed ius ad copulam coniugalē. Peccaret tamen mulier, quæ scienter cōtraheret, sciens se parere non posse absque vitæ dispēdio, vel grauissimo periculo: nisi id faceret, vt à vehementibus tērationibus carnis, & graui peccandi periculo libera euaderet: quibus aliter satis efficax remedium adhibere non posset. Quæ autem contraxit cum ignorantia huius incommodi, non tenetur reddere debitum cum tanto sui periculo: quin maritum non ducepit: excepto casu, quo vellet eodē vti thoro. Tenetur enim vel separari, & grauissimæ tentationi non exponere maritum; vel esse parata ad debitum illi reddendum: vt rectè ait Aegid. disp. 31. nu. 86. addens id etiam verum esse licet præuideatur prolem in partu morituram, antequam possit baptizari: quia non fit illi iniuria, cum melius ei sit talem esse, quàm omnino non esse, vt rectè dicit S. Augustin. lib. 5. contra Iulian. cap. 11. Caterùm valere matrimonium huiusmodi fœminarum, atque etiam sterilium, vel ex cōfatis patet, quòd nunquam Ecclesia iudicat matrimonium fuisse inualidè contractum propter sterilitatem, aut mortem mulierum in primo partu.

30. Quomodo possint contrahere hermaphroditi?

Denique quod attinet ad Hermaphroditos: vel alter sexus in eis præualet, vel neuter. Si virilis præualet, possunt licitè contrahere cum fœminis: possunt nihilominus contrahere validè, etiam cum viris, dummodo sint apti ad officium coniugale fœminæ. Sin autem præualet in illis sexus fœmineus, possunt cum viris contrahere simili modo. Si neuter sexus præualet, possunt eligere, malintne inter viros, an inter fœminas censeri. Sed electione facta, iurare debent se nunquam alterius sexus vsum habituros. Quod tamen non impedit quò minus validè, quamuis illicitè, possit talis Hermaphroditus post mortem prioris coniugis contrahere cum altero diuersi sexus: vt bene docet Portius lib. 7. cap. 65. in fine. De spadonibus verò, eunuchis, & castratis quid sentiendum sit, liquet satis ex dictis, præsertim ex Bulla Sixti V. relata suprà num. 19.

SECTIO III.

Soluuntur variæ quæstiones circa impedimentum impotentiæ.

31. Quo iure impotentia dirimit matrimoniū?

AD maiorem huius impedimenti declarationem quæritur primò, quo iure impotentia supradicta dirimat matrimonium? Vera, & communis sententia affirmat dirimere iure non solùm ecclesiastico, sed etiam naturali. Idque euincit ratio allata num. 18. Quia scilicet cum matrimonii contractus, sit essentialiter traditio mutua corporum in ordine ad copulam coniugalem: siue mutua traditio dominii proprii corporis in ordine ad illam: & ex natura rei non possit quisquam tradere dominium ad illam, si ad illum est impotens: sequitur talem contractum esse nullum, & inualidum

ex natura rei. Atque ita docent S. Thom. S. Bonauent. Scot. Ricard. Turrecrem. Viguerius, Siluester, Palacius, Sotus, Almain. aliique plurimi, quos refert, & sequitur Sanch. lib. 7. disp. 98. quibus accedunt Aegid. Bonac. Valent. Reginald. Filiuc. Mæratius, aliique recentiores. Idque puto satis fuisse declaratum à Sixto V. in Motu proprio edito anno 1587. vbi dicit impotentes minimè aptos reputari ad contrahenda matrimonia, & secundum canonicas sanctiones, & secundum naturæ rationem. De qua constitutione plura dicemus paulò post.

32. An iure solùm ecclesiast.

Differiunt tamen nonnulli affirmantes dirimere iure solùm ecclesiastico. Quod præcipuè probant ex cap. 2. De frigidis, vbi sic dicitur: *Sicut puer qui non potest reddere debitum, non est aptus coniugio: sic qui impotentes sunt, minimè apti ad contrahenda matrimonia reputantur.* Ex quo textu sic argumentantur: Pueri iam adepti vsum rationis, sed nondum apti ad copulam, id est, nondum adepti pubertatem, sunt incapaces matrimonii iure tantùm ecclesiastico. Atqui impotentes non aliter sunt reputandi incapaces. Ergo non aliter, quàm iure ecclesiastico. Sed fundamento nituntur valdè infirmo. Facilè enim respondeti potest, pueros, & impotentes non in omnibus æquiparari cap. cit. Sed tantùm dici, quod neutri sunt apti coniugio: saltuà tamen differentiâ: quòd pueri sunt ad tempus inepti dumtaxat, & incapaces iure ecclesiastico: alii verò, qui perpetuâ laborant impotentiâ absolutâ, vel respectiuâ, sunt incapaces iure naturali.

33. Quid si pars altera non eam nouit?

Sunt etiam qui docent impotentiam dirimere quidem matrimonium iure naturali quando est alteri contrahenti incognita: quia tunc contingit error & deceptio circa substantiam contractus: qui error illum vitiat naturaliter. Secus autem, quando alter non impotens eam nouit, & nihilominus vult contrahere. Ratio illorum præcipua est, quia habere copulam non est de essentia matrimonii: ergo neque potentia ad illam: & potest contrahens iuri ad illam renunciare, atque ita validè contrahere cum impotente. Confirmatur, quia si potentia coëundi esset de essentia matrimonii: ergo impotentia superueniens illud dirimeret. Consequens est absurdum, & à nemine conceditur. Sequela verò probatur, quia nulla res stare potest sine suis essentialibus.

34. Sed huic argumento respondendum est, declaratum fuisse à Sixto V. in Motu proprio præcedenti sect. relato, matrimonium cum Eunuchis nullum esse, licet fœminæ scienter cum illis contraxerint. Par autem est ratio de aliis similiter impotentibus ad copulam: ad quos etiam omnes pertinet ratio quæ Pontificem monit ad ita declarandum, vt videbimus paulò post. Et quamuis habere actu copulam non sit de essentia matrimonii: secus tamen tradere dominium sui corporis in ordine ad illam. Quod facere non possunt impotentes, siue impotentia sit contrahenti cognita, siue non. Neque enim eius notitia facit illi possibilem copulam, ad quam ius & dominium tradere deberet. Dominium, inquam: quia, vt alibi diximus, non est de essentia matrimonii, vt vsum etiam tradat: sed possunt coniuges ex pacto, & consensu mutuo separare dominium ab vsu, siue ante, siue post contractum matrimonium.

Ad confirmationem dico impotentiam coëundi superuenientem non dissoluere matrimonium: quia non est de essentia contractus matrimonii, vt potentia illa permaneat, sed tantùm vt tradatur dominium ad illam. Potest autem tradi, quamuis non semper manſura sit. Adde quòd coniuges simul tradunt dominium sui corporis ad quosuis alios actus ordinatos ad copulam: vt ad oscula, aspectus, & tactus, quos licitè possunt exercere, superueniente licet impotentia ad copulam.

35. Vel si coniunctam seruare intendant.

Aliam distinctionem adhibet Ponius lib. 7. cap. 55. & sequentibus, vbi docet posse duobus modis contingere, vt impotentes matrimonium contrahant. Primò scilicet cum pacto expresso, vel implicito de futura copula. Et tunc fatetur matrimonium esse inualidum iure naturali. Tum quia id declarauit Sixtus V. in Motu supra cit. Tum etiam quia in eiusmodi contractu adhiberetur conditio impossibilis, copula scilicet, & consummatio matrimonii, ad quam sunt impotentes. Secundò, cum voluntate, & conditione castè viuendi. Et tunc non modo validè possunt contrahere iure naturali: verùm etiam iure ecclesiastico. De iure naturali probat, quia ad essentiam contractus matrimonii requiritur tantùm quòd sit mutua coniunctio animorum in naturalem vitæ societatem, & cum diuersitate sexus. Hoc autem totum reperitur in matrimonio impotentium, celebrato dumtaxat ad castè viuendum: Neque enim ad istud requiritur potentia ad copulam. Ergo iure naturali est verum, & legitimum. Confirmatur, quia dominium proprii corporis potest separari ab vsu, & exercitio copulæ. Semoto autem illius vsu, non est necessaria potentia ad illam. Adde quòd, si potentia coëundi esset planè necessaria, sequeretur matrimonium dissolui per impotentiam superuenientem: quia nullum sacramentum stare potest sine materia necessaria. Ergo si corpus aptum ad copulam est materia necessaria sacramenti matrimonii, non posset stare corpore facto impotente. Sicut quia de essentia matrimonii est diuersitas sexus: si contingat fœminam mutari in virum (vt aliquando contigisse referunt Plin. lib. 7. cap. 4. Tiraquel. in legem 1. connubialem Glossa 1. part. 2. num. 106. Iulius Obsequens in lib. prodigiorum cap. 34. Et Steph. Bubalus quæst. 50. quæsito 1. §. 12.) hoc ipso definit esse matrimonium. Quòd autem iure quoque ecclesiastico validum sit, probat ex

cap. *Conſultationi*, de frigidis, & maleficiatis, & cap. *Laudabilem*, eod.tit. & cap. *Requiſiti*, 33. q. 1.

36. Oſtenditur perinde irritare. Sed hæc iura potiùs illius ſententiæ aduerſantur. Nam in primo dicitur expreſsè vt viri, qui cum fœminis impotẽtibus propter arctitudinem contraxerunt, *habeant vt ſorores, quas tanquam vxores habere non poſſunt.* Quibus verbis potiùs ſignificatur non eſſe verum illud coniugium. Clariùs verò id docetur aliis duobus capitibus relatis. In quorum priore permittitur viro, vt cognitâ ſufficienter impotentiâ per triennium experimenti, ducat aliam ſi velit, ita tamen vt tunc ſeparetur à priori. Quòd ſi ambo conſentiant ſimul eſſe; vir eã, etſi nõ vt vxorẽ, ſaltem vt ſororẽ habeat. In poſteriori verò dicitur, vt ſi cognito impedimento frigiditatis, velint nihilominus ſimul habitare; habeat vir vt ſororem illam, quâ non poteſt vti pro vxore. Quòd ſi retinaculum coniugale voluerit reſcindere (id eſt, ſeparari ab illa declarando matrimonium fuiſſe inualidum) maneant vtrique innupti: ſi nimirum non vir ſolùm, ſed mulier quoque impotens eſt abſolutè: nam alioqui poteſt illa ſecundas nuptias inire, vt additur ibidẽ paulò poſt.

37. Nec obeſt quòd iuxta phraſim SS. Patrum vocantur ſorores veræ coniuges, quæ poſt matrimonium non modò ratum, verum etiam conſummatum viuunt deinceps in perpetua continentia: vt idem auctor adductis eorum teſtimoniis probat lib. 7. cap. 58. num. 5. Nam quòd iura citata non eo ſenſu loquantur, ſatis ex eo patet quòd dicunt poſſe huiuſmodi coniuges ſeparari, ſi velint, & contrahere cum alio, ſi reſpectiuè tantum impotentes ſunt. Hoc autem certè non poſſent, ſi matrimonium fuiſſet validum, eſſentque veræ vxores. Patet etiam ex eo quòd iura citata manifeſtè loquuntur de illis, qui contraxerunt cũ pacto ſaltem implicito de futura copula, quique cognitâ impotentiâ reclamarunt, iubẽturq; experiri per triennium, num verè ad illam ſint adeo impotentes, vt arte humana, & mediis ordinariis habiles euadere nequeant. Atqui fatetur Pontius eos qui contrahunt cum tali pacto, & ſunt perpetuò impotentes, contrahere inualidè. Ergo ſibi contradicit, ſi vult canones ibi loqui de ſororibus, quæ fuerint nihilominus veræ vxores, & quarum matrimonium fuerit validum, & legitimum.

38. Soluuntur contraria argum. Ad argumentum verò, quo probat tale matrimonium non eſſe irritum iure naturali, Reſpondeo malè ſupponi ad eſſentiam contractus matrimonii requiri tantùm quòd ſit mutua coniunctio animorum in naturalem vitæ ſocietatem, ſine vllo ordine ad copulam, ad quam ſaltem dominium tradant proprii corporis. Id enim falſum eſſe, & alienum à communi ſenſu Doctorum, rectaque ratione, oſtendimus alibi diſputat. 71. ſect. 10. Adde quòd, ſi id verum eſſet, poſſent eunuchi validè contrahere cum intentione viuendi caſtè. At hoc eſt falſum, & damnatum à Sixto V. in Motu proprio ſupra cit. vbi non ius nouum condit, vt vult Pontius, ſtatuendo non poſſe deinceps eos validè contrahere; ſed dumtaxat declarat, & denunciari iubet eos non poſſe contrahere validè, ſiue cum ſcientibus eorum impotentiam, ſiue cum neſcientibus: vt patet ex his eius verbis: *Auctoritate noſtra declaramus*: & ex eo quòd ibidem declarat eorum matrimonia priùs contracta eſſe irrita, debereque reſcindi, & ſeparari coniuges: Quod verum non eſſet, ſi fuiſſent tantùm inualida vi huius ſuæ conſtitutionis. Nam priùs inita validè iure naturali, non fuiſſent per illam nondum editam, & promulgatam irrita. *Eos*, inquit, eunuchos ſcilicet, *ad matrimonia contrahenda inhabiles auctoritate noſtra declaramus: & tam locorum Ordinariis, ne huiuſmodi conjunctiones de cætero fieri, quoquo modo permittant, interdicas: quàm eos etiam, qui ſic de facto contraxerint, ſeparari curet, & matrimonia ipſa ſic de facto contracta, nulla, irrita, & inualida eſſe decernas.* Et paulò ante rationem reddens, cur eorum matrimonia ſint inualida, ipſoſque declarari iubeat inhabiles, ſic ait: *Nos igitur attendentes, quòd ſecundum canonicas ſanctiones, & naturæ rationem, qui frigidi ſunt, & impotentes, iidem minimè apti ad contrahenda matrimonia reputantur*, &c. Quibus verbis, *Secundum canonicas ſanctiones, & naturæ rationem*, ſatis apertè ſignificat impotentes eſſe inhabiles ad matrimonium iure non tolum eccleſiaſtico, ſed etiam naturali. Noranda ſunt etiam verba illa, *Quoquo modo*. Significant enim non eſſe illis permittendum, vt contrahant, quocunque id modo, & quacunque intentione facere veliné, ſiue ad caſtè viuendum, ſiue aliter.

39. Ad confirmationem dico, licet dominium traditum per contractum matrimonii poſſit ſeparari ab vſu: non tamen ab ordine ad copulam, ad quam tradatur ius: & non poteſt tradi ius ad illam ſine potentia naturali ad illam: Eſto non ſit expedita, & diſpoſita, vt in ſenibus, & ægrotantibus, vel pueris impuberibus: poſſitque etiam moraliter impediri per votum caſtitatis, aut pactum nõ vtendi dominio acquiſito. Idcirco autem impotentia ſuperueniens matrimonio iam contracto non illud dirimit; quia ad contrahendum matrimonium neceſſarium quidem eſt, vt corpus, quod traditur, non ſit perpetuò impotens ad copulam, & ad omnes alios vſus, qui traduntur conſequenter cum dominio corporis, & iure ad illam. Non autem, vt ſemper deinceps maneat aptum ad eoſdem omnes vſus. Porro, licet corpus alterutrius, aut vtriuſque fiat poſtea impotens ad copulam: manet tamen potens ad pleroſque alios actus coniugales inter virum, & fœminam licitos, aut debitos iure coniugii. Neque par eſt ratio, quando ſexus vnius mutatur. Nam tunc ad nullum vſum coniugalem ſunt apta eorum corpora

inter ſe: quippe qui omnes ſupponunt pro fundamento neceſſario diuerſitatem ſexus.

40. Quæritur ſecundò quid intelligendum ſit nomine periculi corporalis, quando dicitur cap. *Fraternitatis* De frigidis, & aliis ſupra relatis, impotentiam illam cenſeri eſſe perpetuam, quæ non poteſt tolli, ſine graui periculo corporali? Exiſtimant aliqui debere eſſe periculum ipſius mortis: quæ ſi non ſequatur, matrimonium cenſeri debeat fuiſſe validum, ſublatâ impotentiâ coniugis euadentis periculum. Alii dicunt ſufficere periculum non tantùm mortis, tametſi non ſequatur reipſa, verùm etiam grauis morbi: quia ſicut non tenetur coniux reddere debitum cum tanto periculo: ita neque ſe ad illud reddendum habilem facere. Quæ ſententia probabilis quidem eſt: ſed meliùs alii, quos refert, & ſequitur Sanch. lib. 7. diſ. 93. num. 18. cenſent mortis ſolius periculum intelligi. Quia in cap. *Fraternitatis*, de frigidis, & maleficiatis, poſtquam dixit Pontifex Innocentius III. impedimentum illud non fuiſſe perpetuum, *quod præter miraculum per opus humanum alíſque corporali periculo potuit remoueri*: addit paulò poſt, exponens quale debeat eſſe illud periculum: *Niſi per inciſionem, aut alio ſimili modo violentia inferatur, non ſolummodo leuis, ſed fortè tam grauis, vt ex ea mortis periculum timeatur.* Quare ſi non prudenter timendum ſit tam graue periculum, valet matrimonium, ſiue coniux pati velit huiuſmodi remedia adhiberi, ſiue non: validitas enim matrimonii nō pendet ab eius voluntate, ſed à poſſibilitate remedii. Hinc etiam collige non eſſe verum, quod ait Pont. lib. 7. cap. 62. num. 2. impedimentum cenſendum eſſe perpetuum, & matrimonium declarandum eſſe nullum, ſi fœmina incidenda eſt, vel eius integritas medio aliquo facili tollenda, quod in vitæ periculum non adducat: neque teneri fœminam huiuſmodi remedium pati. Nam Innocent. III. verbis relatis dicit expreſsè contrariū: & fœmina, quæ per contractum matrimonii ſe obligauit ad debitum reddendum, etiam ad vſum ipſum, pacto contrario non intercedente, vel conſenſu alterius partis; tenetur ſe aptam reddere; ad ſoluendum quod debet, ſi poteſt ſine graui incommodo: imò etiam, dummodo id poſſit ſine mortis periculo. Notandum autem quòd licet tollatur impedimentum per medium adducens in periculum vitæ, aut per miraculum, vel maleficium, vel aliud medium illicitum, ita vt aliter tolli nequiuerit, non propterea deſinet matrimonium eſſe inualidum, niſi velint de nouo contrahere: quia his non obſtantibus impedimentum erat de ſe perpetuum.

Quid intelligendum per corporale periculum.

41. Quæritur 3. An peccet qui contrahit cum impedimento, ſciens ſe eo laborare, illudque alteri parti non detegens? Reſpondeo non ſolùm peccare grauiter contrahentem cum notitia impedimenti perpetui: verum etiam qui cum impedimento temporali, ſi illud alteri parti non detegit, neque aliunde notum illi eſſe poteſt ante contractum; excepto caſu, quo ex pacto ſtatuerent abſtinere in perpetuum à copula, ſiue ex voto, ſiue ex pacto, & conſenſu mutuo: vel etiam ad certum tempus, intra quod impedimentum ceſſabit. Ratio primæ partis eſt, quia talis decipit in re graui pertinente ad ſubſtantiam contractus: & ſacramentum irritum reddit, quippe quod ſine contractu valido ſtare nequit. Secunda verò probatur, quia qui contrahunt extra caſus prædictos, intendunt actipere corpus aptum ad copulam de præſenti, corporiſque dominium, ad illam exercendam expeditum. In quo cùm decipiantur, & materia ſit grauis, conſequens eſt peccatum eſſe graue: niſi impotentia breuiſſimè ceſſatura eſſet, ita vt mora tam exigua pro nulla moraliter reputari deberet. Dixi autem, niſi tale impedimentum aliunde illi notum eſſe poſſit ante contractum: quia contrahens non tenetur detegere vitium rei de qua contrahit, quando illud notum eſt, vel facilè innoteſcere poteſt. Tuncque pars altera contrahens vel cedit iure ſuo circa tale vitium: vel ſuæ negligentiæ, & imprudentiæ debet imputare errorem: iuxta ea, quæ alibi diximus diſputando de iuſtitia & iure.

Peccat qui contrahit cum tali impedimento.

42. Quæritur 4. Vtrum quando dubitatur num impotentia perpetua præceſſerit, aut ſecuta ſit contractum matrimonii, iudicandum ſit non eſſe ſubſecutam: vel ſi præmiſſo examine dubitatur ſitne vera impotentia, & perpetua, vel temporalis tantùm, iudicandum ſit eſſe veram, & perpetuam, declarandumque matrimonium eſſe inualidum? Reſpondeo & dico primò, ſi impotentia eſt naturalis, præſumendum eſt præceſſiſſe: quia qualitas, quæ ineſt à natura, ſemper ineſſe præſumitur. Secus autem ſi eſt accidentalis: quia tunc potiùs pro qualitate naturali, quæ eſt potentia coëundi, præſumendum eſt: niſi impotentia illa ſtatim poſt contractum matrimonii appareat, ita vt inter contractum, & experimentum conſummationis non longum tempus intercedat, quemadmodum communiter fit. Quia tunc non eſt præſumendum impotentiam tam breui tempore accidiſſe; ſed potiùs antea extitiſſe.

Quid faciendum in dubio de impotētia

43. Dico ſecundò, in dubio ſitne vera impotentia & perpetua; ſi adhibita ſufficienti diligentia per triennii experientiam, dubium vinci nequit, præſumendum eſt non eſſe veram, & perpetuam: quia tunc poſſeſſio ſtare debet pro matrimonio iam contracto vt ſupponimus. Et confirmatur ex cap. 1. *De frigidis*, vbi Innocent. III. dicit credendum eſſe viro affirmanti ſe potentem eſſe, contra fœminam negantem: quia quilibet præſumitur potens (niſi contrarium ſatis probetur) & quia ſtat pro matrimonio, quod fauorabile eſt. Hoc autem intellige quando dubitatur an ratione veræ impo-

tentiæ matrimonium fuerit consummatum. Quia si certum sit non fuisse consummatum, & dubitetur de potentia consummandi: sufficit experiri per triennium. Intra quod si consummare nequeunt adhibitis mediis ordinariè possibilibus, & licitis; iudicandum est impotentiâ esse veram, & perpetuam, vt dicitur cap. *Laudabilem*, De frigidis, & maleficiatis: quod triennium computandum est à tempore, quo coeperunt copulæ vacare, vt significatur cap. cit. cùm ait triennium esse numerandum à tempore celebrati coniugii, & nimirum copulæ tunc tentatæ, vt communiter fit. Et cap. vlt. eiusdem tituli dicitur matrimonium declarandum esse inualidum, & proferendam diuortii sententiam, *si constiterit præfatum virum, & vxorem intra præfatos octo annos per continuum triennium insimul habitasse*. Quare non est verum quod aliqui affirmant, cõputandum esse triennium à die per iudicem præscripto, quando ad ipsum recursum fuit. Quod autem ibi dicitur triennium illud esse debere continuum: intelligendum est moraliter, non metaphysicè, id est, sine magna, & notabili temporis interpolatione, & vt communiter solent cohabitare coniuges. Si autem magna fuisset interpolatio, deberet suppleri, addendo triennio, quantum temporis illi subtractum fuit. Exacto autem triennio, potest Officialis seu iudex ecclesiasticus, absq; vlla dispensatione Pontificis, declarare impotentiam esse perpetuam, & permittere coniugibus, vt ineant aliud matrimonium, si respectu alterius spes est non fore impotentes. Imò etiam potest ante triennium, si euidenter appareat impotentiam esse perpetuam. Qua de re pluta videri possunt apud Sanc. libro 7. disp. 110. & sequentibus.

SECTIO IV.

Notantur aliqua de impedimento Maleficii.

44. Vtii illius modi.

QVia hoc impedimentum frequenter contingit, operæ pretium fuerit notare aliqua, quæ confessariis, & aliis de eo consulris vtilia esse poterunt: præsertim circa remedia, quæ maleficio impediendo, vel tollendo interuire valeant. Suppono igitur primò, variis modis posse dæmones impedire per maleficia ne possint coniuges matrimonium consummare, vt ostendit frequens experientia, & Ecclesiæ praxis agnoscit, suppeditans remedia, & permittens separationem, post triennii experientiam. Idemque docent omnes Theologi cum D. Thoma 3. part. q. 58. art. 2. & in 4. dist. 34. q. vnica art. 3. ipsaque ratio naturalis satis manifesta est. Potest enim facilè Dæmon, permittente Deo, tum per seipsum, tum per alias causas, applicando actiua passiuis, apponere impedimentum actui coniugali: vt quinque modis facere solet, de quibus videri possunt Martin. Delrio lib. 3. Disquisit. magic. part. 1. q. 4. sect. 8. & Sanch. lib. 7. disp. 94. num. 2. à quibus fusè & perspicuè explicantur. Malo enim ad eos lectorem remittere, quàm multa de illis scribere quæ minùs honestè dici possunt. Eademque de causa abstineo ab explicandis signis, quibus dignosci queat vtrum impedimentum oriatur à maleficio: de quibus vide Sanc. disp. cit. num. 6.

45. Maleficiorum diuersitas.

Suppono secundò hoc impedimentum contingere posse tam ex parte fœminæ, quàm ex parte viri: tametsi frequentiùs ex parte viri: atque etiam interdum ex parte vtriusque, quos aliquando reddit sibi inuicem ita exosos, vt mutuum aspectum ferre nequeant: vel licet aliàs se diligant, cùm tamen ad vsum matrimonii venire volunt, repentino odio, & furore exardescant, adeo vt alter alterum morsibus, aut vnguibus laceret. Item frequenter maleficium est tantùm respectiuum erga vnam, aut alteram personam: rarissimè verò absolutum, seu generale respectu omnium. Aliquando etiã est temporale tantùm: quia vel pactum cessat: vel à malefico destruitur signum maleficii, aut ab aliquo alio (Potest enim quisque licitè illud destruere, dum modo id sine nouo maleficio fieri possit: potest etiã ipse maleficus ad hoc compelli, quotiescunque potest sine nouo maleficio tollere, vt fusiùs dicemus paulò post) vel denique si medicamentis; aut precibus Ecclesiæ, vel aliis remediis ordinariis sine miraculo tolli potest. Si autem nequit vllo ex modis prædictis auferri, dicitur esse perpetuum: & post triennii experientiam dirimit matrimonium cum tali impedimento contractum, vt diximus sect. præcedenti.

46. Primum contra illa remedium.

His præmissis, vt iam ad remedia, quæ adhiberi possunt explicanda veniamus. Primum est, vt iuxta monitum Concilii Trident. sess. 24. cap. 1. de reform. matrim. coniuges antequam contrahant, vel saltem triduò ante consummationem, sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctissimum Eucharistiæ sacramentum piè accedant. Res enim sancta est matrimonii sacramentum, sanctèque tractanda. Et qui illud ita ineunt, *vt Deum à se, & à sua mente excludant & suæ libidini ita vacent sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, Dæmonio super se potestatem tribuunt*, vt ab eo variis modis infestentur circa illud ipsum, in quo peccauerunt, sicut dicitur Tob. 6. v. 17.

47. Corrigenda intentio.

Secundum est, vt si matrimonio iam contracto vti nequeant propter maleficium, corrigant intentionem, si minùs pura, & sincera fuit ab initio: eoque in posterum vti statuant, vt ad Dei obsequium prolem gignant, & educent, vel ob alium finem honestum. Si post votum simplex castitatis matrimonium contraxerunt cum effectu, & intentione habendi copulam, dolgant de hoc

peccato, & debitum coniugale absque dispensatione (quam Episcopi iure ordinario, & aliqui Regulares ex priuilegio dare possunt) non petant: reddant tamen. Maleficiati renouent consensum matrimonii, & affectu maritali eo vtantur. Possunt etiam renouari cerimoniæ in matrimonio contrahendo adhiberi solitæ: quod multis profuisse affirmant viri graues, & docti: sed non ipsum matrimonii sacramentum, quod inter eosdem est initerabile, vt alibi diximus. Ante omnia concipiant fidem viuam, magnamque fiduciam ponant in Christo, cui Dæmonia subiiciuntur, & qui contractum ciuilem matrimonii ad sacramenti dignitatem, & virtutem euexit: quique piè ad se recurrentibus sine dubio adest, vt vel diaboli vexatio cesset, vel temporale incommodum ad æternam fœlicitatem cedat. Caueant autem ne desiderio sanitatis, à Diabolo aliquid per positiuam actionem conferendum, seu effectum positiuum sperent, optentue. Imò neque maleficium ab eo deprecentur aut eius cessationem ex amicitia petant: cùm non aliter agendum sit cum dæmone, quàm cum hoste Dei, nostroque, his, aut similibus verbis: Desine nocere impie & sceleratè, abi cum ommni nequitia, & fallacia tua &c. Quibus, & similibus vtitur Ecclesia Romana in Rituali exorcismorum.

48. Prequens vsus Confess. & Eucharistiæ.

Proderit etiam si coniuges, peractâ suorum peccatorum confessione, sanctissimum Christi corpus diebus præsertim solenniorib as accipiant reuerenter & deuotè, posteaque osculum pacis sibi impertiant, & sacerdos illis benedicat; & postquam exemplo Tobiæ triduo ab vsu coniugii abstinuerint, vt orationi & bonis operibus vacent, ad debitum coniugale soluendum accedant. Quòd si occulto Dei iudicio, vel aliquâ coniugum culpâ, maleficium non soluatur: orationibus sedulis, ieiuniis, elemosynis aliisque operibus piis frequenter incumbant: ad sanctum Missæ sacrificium sæpius confugiant, peregrinationem sacram ad ædem aliquam celebrem B. Virginis, vel sanctorum suscipiant, frequenterque peccata sacerdoti confiteantur, ac sacra vescantur Eucharistia, & exorcismis ab Ecclesia huic rei peculiariter dicatis religiosè vtantur. Quæ remedia non solùm impotentibus, verùm etiam sterilibus interdum profuisse docuit experientia. Eademque fere omnia traduntur in iure Canonico Causa 33. q. 1. cap. 4. cuius verba sunt: *si per sortiarias, atque maleficas artes, occultoſed nunquam iniusto Dei iudicio permittente, diabolo præparante, concubitus non sequitur: hortandi sunt quibus ista eueniunt, vt corde contrito, & spiritu humiliato, Deo & sacerdoti de omnibus peccatis suis puram confessionem faciant, & profusis lacrymis, & largioribus eleemosynis, ac orationibus, atque ieiuniis Domino satisfaciant: & per exorcismos, ac cætera ecclesiasticæ medicinæ munia ministri Ecclesiæ tales, quantum Dominus annuerit, qui Abimelech ac domũ eius Abrahæ orationibus sanauit, sanare procurent.* His adde aliud remedium probatissimum, Angeli scilicet custodis quotidianam & crebram inuocationem, quam magnæ esse efficaciæ, ex sensu Ecclesiæ, experientiisque intelligimus.

49. Adhibenda remedia naturalia.

Tertium est, vt remedia naturalia, si quæ proborum, peritorumque medicorum iudicio, profutura videntur, non negligantur. Fieri enim potest vt maleficium non sit immediatè à Dæmone, sed ex causa naturali à Dæmone applicata; cui si alia fortior opponatur, cessabit omnino, vel saltem minuetur. Opponi autem licitè posse liquet ex cap. *Dæmonium*, Causa 26. q. 7. & ex D. Thoma 2. 2. q. 96. art. 2. ad 1. Quæ causæ naturales iuuantur interdum à Deo ad habendum maiorem effectum, quàm possunt naturaliter, vt fumus iecoris piscis illius, de quo Tob. 6. præsertim verò benedictione, & precibus Ecclesiæ super ea adhibitis. Et hoc diuinæ bonitati cõsentaneum est, atque iustitiæ ad puniendos dæmones, quibus, vt pote superbissimis, acerbum est actioni rerum sensibilium subiici inuitos, ab illisque pendere. Quænam autem res naturales, saltem indirectè, maleficia impedire, aut curare possint, medicorum est explicare. Et quamuis benedictio Ecclesiæ non sit illis necessariò adhibenda, neque publica illius suffragia; possintque causæ naturales vim aliquam habere sine illa contra maleficia, & contra causas alias naturales, quibus Dæmon vtitur ad coniuges impediendos: quia tamen vis eiusmodi vel elidi omnino, vel debilitari potest à Dæmone, Dei permissu: vel modus agendi dæmonis, & causa maleficii non satis nota est: nunquam in remediis naturalibus ita hærendum est, quin priùs & potiùs Dei auxilium seriis precibus, aliisque modis à Deo ipso, vel ab Ecclesia institutis, non modò à maleficiato, sed etiam ab ipsius cognatis, & amicis imploretur. Generatim etiam vbicunque Diabolus agit, imprimis necessarium est auxilium Dei, qui opera Diaboli destruat, eiusque potentiæ resistat.

50. Cuiusmodi illa sint?

Cæterùm ad remedia naturalia pertinet, vt coniuges maleficiati vestimenta mutent, itemque lectum ordinarium, cubiculum, domum etiam, saltem ad aliquot dies. Fieri enim potest, vt maleficium his affixum sit, quod alibi ex pacto non sit habiturum effectum: & in aliena domo matrimonium consummetur, quod in propria consummari non potuit ob præsentiam dæmonis malefacientis, aut signa maleficii. Fiat etiam diligens inquisitio per angulos domus, lectisternia, culcitras, ceruicalia, & subtus limen ostii, vbi solent abscondi instrumenta maleficii: quæ si reperiantur, debent in ignem statim proiici, aut dissolui in contemptum & detestationem artis magicæ, & vt Dæmon nocere desinat. Nec obest, quòd forsasse maleficus damnum patietur ex tali

deſtructione: quia ipſe ſibi eſt cauſa damni, non innocens ab eo læſus, qui ad hoc malum non intendit, ſed ad ſuam incolumitatem, vel alienam. Cauſa verò eſt ipſe maleficus, qui ſignum poſuit, & pepigit cum Dæmone, vt hoc damnum incurreret, ſi ſignum deſtrueretur: interim verò aſſiduè nocet per Dæmonem; quam noxam, & iniuriâ poteſt maleficiatus repellere, vtendo iure ſuo, maleficiumque ſine nouo maleficio diſſoluendo. Item ſi non reperiuntur inſtrumenta maleficii, ſed certò deprehenditur maleficus; induci poteſt blandiciis, promiſſionibus, & aliis mediis licitis, ad ipſum tollendum: imò & cogi minis, atque etiam verberibus moderatis: dummodo tamen probabiliter auferri poſſit abſque nouo maleficio, quamuis contrarium ſuâ malitiâ facturus ſit. Sin minùs: non licet eum inducere, aut compellere, neque maleficium maleficio diſſoluere, per ſe, vel per alium. Sed non eſt facilè credendum maleficio dicenti tollere ſe non poſſe, niſi per nouum maleficium: quippe qui mendax eſt, & cupidus nocendi, tanquam mancipium Diaboli. Addo, non tantùm licere deſtruere ſigna Diaboli, quando reperiuntur; ſed etiam ponere alia, quibus illa deſtruantur, aut impediantur: modò iſta quæ ponuntur, non ſint ſuperſtitioſa, vel aliter illicita, neque ponantur animo precandi, aut affectu aliquo benevolentiæ erga dæmonem. Ex. gr. Si quis ſciat ligaturas non habituras vim, ſi quidpiam aliud iuxta illas ponatur, de ſe indifferens: poteſt illud ponere ſpe ceſſationis nocumenti, vt ait Præpoſitus q. 7. dub. 22. Aliud exemplum affert Leſſius lib. 2. de Iuſtitia cap. 44. dub. 6. num. 45. & 46. Quia, inquit, ſi malefica te tangat, inficeris, niſi ſtatim repercutias: licet repercutere, vt tactus non ſit talis, qualis à Dæmone requiritur ad nocendum.

51. Quid ſi maleficium eſt tantùm in imaginatione?

Nota præterea, aliquando maleficium eſſe tantùm in imaginatione à Dæmone læſa, vt docent Palud. in 4. diſt. 34. q. 2. Sanch. lib. 7. de Matrim. diſp. 94. num. 2. & 3. Filliuc. tract. 10. parte 2. cap. 3. num. 79. & plures alii: idque tam ex parte viri, quàm ex parte vxoris. Cuius rei ſignum eſt ex parte viri, ſi fœminam pulchram, caſtamque contemnat, & abhorreat, turpique ac deformi adhæreat. Similiter ex parte fœminæ, ſi virum quamuis honeſtum, & formoſum, ita exoſum habeat ſine alia cauſa, vt ad eius aſpectum acceſſumque, veluti monſtri cuiuſdam, vel dæmonis, perhorreſcat. Tuncque ſi ſolùm imaginatio fœminæ læſa eſt, poteſt licitè maritus, eâ licet reſiſtente, niti ad copulam cum ea conſummandam, ſi maleficium poſt matrimonium legitimè aliunde contractum ſuperuenerit. Sic enim dæmonis intentioni, & operationi ſeſe opponit, ſuoque iure vtitur. Quod interdum profuiſſe ad matrimonium conſummandum, & diſſoluendum maleficium, teſtantur viri fide digni.

52. Adhibenda remedia eccleſiaſtica.

Quartum remedium eſt, vt ſacerdotes adhibeant circa maleficiatos, exorciſmos, & alia remedia eccleſiaſtica, vt dicitur cap. *Si per ſortiarias*, 33. q. 1. Vbi nota per exorciſmos, non hic inteligi eoſdem, quibus ex præſcripto Ritualis Romani vtendum eſt circa poſſeſſos a Diabolo, quia maleficiati non ab illo poſſidentur, licet vexentur, & interdum quodammodo obſideri videantur; præſertim in principio, quando infertur maleficium; tunc enim Dæmon præcipuè præſens eſt: ſed intelliguntur diuinæ quædam adiurationes, & orationes ad deſtructionem maleficii aptæ, & propoſitæ ab Eccleſia in Ritualibus: cuiuſmodi eſt oratio illa quæ habetur in Rituali edito Burdegalæ anno 1628. pro impeditis in matrimonio à dæmone, vel à maleficis. Non ſolùm autem ſacerdotes poſſunt eas adhibere; ſed etiam quilibet alius poteſt illis vti, vt docet Sanch. lib. 2. in Decal. cap. 42. num. 18. non tamen ſolemniter, & publicè, & quaſi ex officio. Plurimum etiam expedit, vt omnia, quæ in vſũ maleficiati conuertenda ſunt, vt cibaria, iuſcula &c. exorcizentur, & benedicantur; ſicut ſal, & aqua exercizari, & benedici conſueuerunt. Poteſt etiam ad eoſdem iuuandos prodeſſe quidquid eccleſiaſtica benedictione ſanctificatum eſt: vt oleum infirmorum benedictum ab Epiſcopo, de quo in Romano Pontificali, titulo *Oleum infirmorum*: & oleum ſimplex, cuius benedictio habetur in Rituali Romano: amuleta ſacra ad collum appenſa, putà ſymbolum Apoſtolorum, aut initium Euangelii S. Ioannis, aut alia verba ſacra, dummodo hinc abſint ſuperſtitio, vanitas, falſitas, praua intentio, vt dicemus paulò poſt. Itẽ, aqua luſtralis, Reliquiæ ſacræ, piæ imagines, agni cerei, panis benedictus, cerei, & rami benedicti, & alia, quæ fuſiùs exponit Leſſius lib. 2. de Iuſt. cap. 44. dub. 5. Addunt aliqui profuiſſe multis baptizari iterum ſub conditione. Sed hoc medio non eſt vtendũ, niſi ſit ratio ſufficiens dubitandi de valore Baptiſmi priùs ſuſcepti, & per diligentem inquiſitionem dubium tolli nequeat. Quo ſenſu debet intelligi caput *Placuit*, de conſecrat. diſt. 4. & cap. 2. de Bapt. & eius effectu, vt bene ait Layman lib. 5. tract. 2. cap. 5. num. 3. & 4. Alioqui enim ne ſub conditione quidem iterandus eſt Baptiſmus ad deſtructionem maleficii, aut quiduis aliud. Poſſunt tamen ad eum finem ſuppleri cerimoniæ Baptiſmi, ſi fuerunt in illo prætermiſſæ, vt quando propter neceſſitatem baptizantur infantes ſine ſolemnitate; vel quando fuerunt baptizati ab hæreticis, quiteas prætermittunt, & contemnunt. Nã vt teſtatur Layman ſuprà, cap. 8. experientiâ compertum eſt eos, qui priuatim Baptiſmum acceperunt ſine exorciſmo, aliiſque ſolemnitatibus, à Diabolo magis infeſtari ſolitos eſſe.

53. Cæterùm in remediis maleficio tollendo adhibendis diligenter cauenda eſt omnis ſuperſtitio:

superstitio: neq; vtendum aliquo medio, de quo probabile nõ sit habere virtutem aliquã naturalem, aut supernaturalem, contra maleficium. Siq; rationabiliter dubitetur an habeat, non est illo vtendum, nisi cum protestatione ore, vel corde facta, nolle se habere vllam societatem, aut pactũ cum dæmone: sed velle tantùm eo vti in honorem Dei, & detestationem, ac destructionem operũ diaboli. Qua protestatione facta, non sequi effectum, aut cessare si iam cœptus est, affirmat Caietanus expertum se fuisse, in Sũma, V. *Incantatio*. Notandum etiam, quando per opus aliquod, veluti sacrum, & ex virtute religionis christianæ, volumus tollere maleficium, ex. gr. per aliquã orationem, vel benedictionem, per verba sacra, vel aliquid tale; septem conditiones, aut regulas seruandas esse: quarum sex primas tradit S. Thom. 2. 2. q. 96. art. 4. & septimam addit in 4. dist. 15. quæst. 4. art. 4. Nos illas omnes paulò magis explicabimus.

54. Regulæ obseruandæ vt euacuentur.

Prima igitur est, vt verba non contineant aliquid quod pertineat ad inuocationem dæmonũ expressam, vel tacitam. Quid sit expressa, per se patet. Tacita verò cognosci potest ex intentione, vel opere. Intentione, si operans non curet, siue à Deo, siue à Dæmone habeat quod intendit, dummodo finem optatum consequatur. Opere, si euidens est illud opus non habere vim vllã, aut naturalem, aut supernaturalem, ad producendum talem effectum. Secunda est, vt non contineant aliqua nomina ignota: quia in eis solet aliquid superstitionis latere. Ignota, inquam, doctis etiam, & linguarum peritis: nam alioqui non est opus vt qui ea adhibet, aut profert, vim ipsorum intelligat, dũmodo sciat esse nomina sacra, taliaq; iudicari ab intelligentibus: cuiusmodi sunt nomina quædam hebraica *Iehoua*, *El*, *Sadaai*, *Adonai*, *Iehsuah*, *Masiiah*, qua Dei & Christi nomina sunt. Tertia, vt non contineant aliquid falsum: quia sic eorum effectus non potest expectari à Deo, qui non est testis falsitatis, nec fautor. Quarta, ne contineant vana, putà aliquos characteres inscriptos, excepto signo crucis, quod sanctum est. Vnde damnanda veniunt Breuia quædam militum, & aliorum, quæ continent characteres ignotos. Quinta, ne spes habeatur in modo scribendi, aut ligandi, aut in quacunque eiusmodi vanitate, quæ ad diuinam reuerentiam non pertineat: quia hoc iudicatur superstitiosum esse. Sexta, vt in allegatione, & prolatione verborum diuinorum, vel Scripturæ sacræ, respectus solùm habeatur ad ipsa verba sacra, & ad intellectum eorum, Deique reuerentiam, & virtutem diuinam, à qua expectatur effectus, vel ad sanctorum Reliquias à quibus etiam iidem effectus peti, & expectari secundariò possunt, sed primò, & præcipuè à Deo. Septima denique, vt committatur effectus diuinæ voluntati: quia scit Deus verum sanitas plus prosit inuocantibus, vel minùs; aut obsit eorum saluti spirituali, cuius præcipua semper habenda est ratio.

SECTIO V.

De impedimentis clandestinitatis, & raptus.

55. Matrim. clãdest. est irritum.

HEc impedimenta fuerunt addita à Trident. sess. 24. cap. 1. & 6. Decreti de reformat. matrim. Nam cãpite 1. decernit, vt deinceps non possit valide contrahi matrimonium, nisi præsente Parocho, vel de eius licentia, alio sacerdote, cum duobus, aut tribus testibus. Et in fine præcipit omnibus Ordinariis vt cum primum poterunt, curent hoc decretum populo publicari, & explicari in singulis suarum diœcesium parochialibus Ecclesiis. Statuitque vt huiusmodi decretum in vnaquaque parochia suum robur habere incipiat post triginta dies, eam numerandos à die primæ publicationis in eadem parochia factæ: ita vt non prius obliget, neque irritet contractus matrimoniales antè factos. De quo impedimento sufficiunt quæ diximus disput. 71. tota sectione 5.

56. Et inter raptorẽ & raptam.

Capite autem 6. decernit inter raptorem & raptam, & quamdiu ipsa in raptoris potestate manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod intellige, quamuis rapta consentiat in matrimonium, alioqui Concilio nihil noui statuisset; cum iure ipso naturali nequeat esse validum matrimonium sine consensu vtriusque partis, & nunquam sine illo valuerit. Intellige præterea, si consentiat tantùm, quando est in raptoris potestate. Secus autem, si ab eo separata, & in loco tuto, ac libero constituta ei nubere voluerit, vt Concilium ibid. ait. Intellige 3. de vero raptu, & propriè dicto: ad quem tria requiruntur. 1. vt puella violenter abducatur, & inuita de domo parentum, vel inuitis eius parentibus, ita vt vis illis inferatur. Raptus enim sine violentia non est, vt dicitur §. *Item Lex*, Institut. de public. iudic. & lege 3. versi. *Non solum*, ff. de incendio, rapina, &c. vbi sic dicitur: *Aliud autem esse rapi, aliud amoueri, palam est. Siquidem amoueri aliquis sine vi potest: rapi autem sine vi non potest.* Et confirmatur, quia raptus est species iniustitiæ erga raptam, vel eius parentes: volenti autem, & non inuito non fit iniuria. Atque ita docet expressè D. Thom. 2. 2. quæst. 154. art. 7. quem cæteri Theologi, & Canonistæ communiter sequuntur. Sufficit tamen violentiam initio inferre, dum abducitur: quia licet postea puella consentiat ad copulam, non desinit esse raptus. Sicut è contrario non est raptus propriè, sed stuprum, si puella consensit, vt abduceretur, sed postea resistit copulæ, ita vt per vim extorqueatur. Non desinit etiam esse raptus, quamuis

parentes consentiant, dummodo puella resistat. Quia parentes non habent dominium circa puellæ corpus ad illud exponendum tali vsui contra ipsius voluntatem, neque raptori possunt dare hoc ius.

57. Et alò transferatur, vbi sit in raptoris potestate, propter matr.

Secundò requiritur, vt in alium locum deferatur, vbi sit in raptoris potestate: vt significant hæc verba Tridentini, *Quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit*: & *Quod si rapta à raptore separata, & in loco tuto & libero constituta*, &c. Debet præterea abduci libidinis causâ: quia raptus propriè est species luxuriæ, vt docet Sanctus Thomas art. citato. Atque ad hanc pœnam, & inhabilitatem incurrendam debet fieri matrimonii ineundi causâ, & non tantùm explendæ libidinis, vt bene aduertit Sanchez libro septimo, disputatione decima tertia, numero quarto, quem sequitur Diana parte tertia, tract. 4. de Sacram. resolut. 261. quia verba Concilij debent intelligi iuxta præsentem materiam, & iuxta finem ab ipso intentum, qui erat cauere ne matrimonium tali via attentaretur. Non est tamen necessarium copulam sequi, vt nonnulli existimant: quamuis mitiùs agi soleat cum raptoribus, qui à copula abstinuerunt, cùm possent illam habere, si voluissent. Neque est improbabile quod aliqui affirmant, sufficere quòd fœmina vi abducatur libidinis causâ. Non definit etiam esse raptus verus, & proprius, tametsi raptor, postquam vi puellam abduxit, non eam omnino traducat ad locum destinatum, vel quia consilium mutat in via, vel quia impeditur. Nam raptus consummatur in ipsa abductione, tantque facit iniuriam libertati matrimonii ad quod extorquendum abducit.

58. Et non sit sponsa raptoris.

Tertiò requiritur, vt qui fœminam ea intentione abducit, non sit iam antea illius sponsus: quia tunc non est propriè raptus, eò quòd sponsus iam in illam aliquid iuris habeat, vt ait Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 154. art. 7. ad 4. & colligitur ex cap. *Lex illa*, 36. quæstione prima, cuius verba sunt: *Lex illa præteritorum Principum ibi raptum dicit commissum esse, vbi puella, de cuius ante nuptiis nihil actum fuerat, videatur abducta*, & ex cap. *Si quis virginem*, 36. quæstione secunda, quod est Gregorii II. cum Synodo Romana, vbi excommunicatur raptor, cum sibi fauentibus, nisi sibi desponsauerit virginem, vel viduam quam rapit. Per quæ correctum fuit ius ciuile Lege vnica Cod. de raptu virginum, vbi inter raptores numeratur, qui saltem sponsam suam per vim rapere ausus fuerit.

59. Pœnæ raptoris.

Cæterùm, quando raptus fuit verus, & propriè dictus, vltra matrimonii irritationem, tenetur raptor arbitrio iudicis dotare raptam, siue eam ducat postea siue non: & tam ipse, quàm consilium, aut fauorem præbentes sunt excommunicati ipso iure, excommunicatione tamen non reseruata; & perpetuò infames, atque incapaces omnium dignitatum; ex Trident. cap. supra cit. vbi etiam præcipit, vt si clerici sint, de proprio gradu decidant. Prior pœna, nempe excommunicatio, incurritur ipso facto. Posterior, nempe dotatio, & infamia, non nisi post sententiam iudicis, vt clare liquet de dotatione ex ipsis Trid. verbis, *arbitrio iudicis*, &c. de aliis affirmat Sanchez lib. 7. disp. 13. nu. 1. & alii ab eo relati. Ante Tridentinum verò eadem fere omnes pœnæ contra raptores statutæ fuerant. Nam can. 66. Apostolorum, & in Concilio Chalcedon. parte 3. act. 15. can. 27. excommunicantur raptores, vi à cum adiuuantibus, & consentientibus: & si clerici, sunt deponi iubentur. Quod idem fuit confirmatum à pluribus Conciliis, & sum mis Pontificibus relatis à Pontio lib. 7. de matrimonio cap. vlt. nu. 7. & in Concilio Aurelian. 1. cap. 4. iubetur raptorem, mortis vel pœnarum impunitate concessa, subiici seruituti, vel se redimere pretio: & in Concilio Meldensi cap. 64. filii ex raptu nati fiunt inhabiles ad sacros Ordines, & dignitatem ecclesiasticam: ac denique raptores ipsi priuantur spe coniugii. Item in lege vnica Cod. de raptu virginum, statuitur pœna mortis raptoribus honestæ mulieris; & insuper vt bona raptoris, & opem ei ferentium statim ad raptæ dominium transeant.

60. Valebat ante Trid.

Quin etiam longè ante Tridentinum ius ciuile statuerat, vt tale matrimonium non staret, Authentica de raptis mulier. §. vnico, versu *Quia enim*: vbi sic dicitur, *Taleste vt matrimonium prohibuimus*: quæ verba sunt similia istis Tridentini, *Decernimus inter raptorem; & raptam nullum posse consistere matrimonium*. Verumtamen si ius ciuile verbis illis intenderat, non solùm prohibere, sed etiam irritare huiusmodi matrimonia; correctum fuerat à iure Canonico cap. vlt. de raptoribus, vbi permittit matrimonium inter raptorem, & raptam, dummodo puella, licet nondum extra ipsius potestatem posita consentiret. *Rapta puella*, inquit, *legitimè contrahet cum raptore, si prior dissensio transeat postmodo in consensum: & quod ante displicuit, incipit complacere*. Iam verò post Constitutionem Tridentini id non sufficit ad valorem matrimonii, nisi rapta à raptore separata, atque in loco tuto, & libero constituta, illum in virum habere consenserit, vt dicitur sess. 24. cap. 6. de reform. matrim.

61. Non excusat à pœnis matrimonium subsequens.

Notandum præterea raptorem, & alios eius criminis complices non excusari à pœnis suprà dictis per Tridentinum impositis, tametsi sequatur illius matrimonium cum rapta tuto loco reddita, & iam liberè consentiente. Nam Concilium postquam dixit posse quidem raptorem illam in vxorem ducere, si prædicto modo consenserit, addit immediatè post: *Et nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & fauorem præbentes sint ipso iure excommunicati, ac perpetuo infames*, &c. Idque sapienter à Trident. statutum fuit, vt raptores magis deterreantur à crimine, cùm intelligant se ab huiusmodi pœnis liberos

fieri non posse, tametsi assequantur matrimonium, quod intendunt. Neque raptæ vlla fit iniuria, quasi cogatur nubere cum excommunicato, & infami. Non enim cogitur, sed sponte eligit eum accipere, si vult iam in tuto posita, & sui iuris planè facta consentire tali matrimonio.

62. Sufficiatne parentes dissentire?

Superest quærere primò, Vtrum ad pœnas Tridentini incurrendas, & inhabilitatem ad matrimonium, sufficiat abduxisse puellam consentientem, parentibus, aut tutoribus ignorantibus, vel etiam dissentientibus? Ratio dubitandi est, quia secundum ius ciuile, & canonicum, raptus est, quamuis puella consentiat, si parentibus inuitis abducatur, vel aliis, quorum curæ, aut tutelæ subest: propter iniuriam illis factam, quam ipsa impedire nequit, suæ licet abductioni consentiens, vt dicitur lege prima, versu *Vsque adeo*, ff. *de iniuriis*, & Causâ 36. q. 2. cap. 6. cuius verba sunt: *Nullus neque virum, neque filiam alterius extra voluntatem parentum rapere præsumat.* Et qu. 1. cap. 2. in fine sic habetur: *Raptus admittitur, cum puella violenter à domo patris abducitur, vt corrupta in vxorem habeatur: siue puellæ solummodo, siue parentibus tantùm, siue vtriusque vis illata constiterit.* Idemque docent Hostiensis, Abbas, Rosella, Siluester, aliique plurimi, quos refert Sanch. lib. 7. disp. 12. nu. 12. Cùm ergo raptus tot modis in iure sumatur, & Tridentinum loquatur generaliter de raptoribus: videtur istos etiam comprehendere.

Vel puellæ importunitate, aut dolo abducti.

Respondeo probabile quidem esse eos comprehendi pœnis supradictis, si parentes non tantùm ignorent, sed etiam dissentiant, & repugnent: vt docent etiam Nauarr. libro quarto Consiliorum, titulo de sponsalibus, Cons. 32. iuxta priorem editionem, Henriq. libro duodecimo de matrim. cap. decimo quarto, numero quarto, Sa v. *Matrimonium* num. 9. Toletus lib. 7. Instruct. Sacerd. cap. 13. n. 2. in fine. Contrarium tamen probabilius arbitror cum Sanche lib. 7. disp. 13. n. 13. quia Tridentinum videtur solùm has pœnas statuisse ad seruandam libertatem fœminæ in contrahendo matrimonio. Ideoque ad illius valorem non aliud requirit, nisi vt postea sui iuris facta, & tuto loco, ac libero restituta, consentiat; nulla facta mentione consensus parentum. Quare licet grauiter peccent, qui parentibus, aut tutoribus inuitis abducunt, sintque pœnis ciuilibus seuerè puniendi: atque etiam pœnis canonicis subiaceant, si quæ contra eiusmodi raptores, latiùs sumpto nomine raptus, locis citatis statutæ fuerunt, vel aliis, vbi expressè nomen raptoris ad illos extenditur: non incurrunt tamen pœnam inhabilitatis, & alias statutas à Concilio Tridentino, quia probabilius est sumpsisse nomen raptus magis strictè, vt ostendit ratio allata.

63. Quæres secundò, Vtrum ad easdem pœnas incurrendas sufficiat puellam importunis, & dolosis suasionibus inductam fuisse, vt abductioni consentiret. Ratio dubitandi est, quia hoc ad raptum sufficere patet ex lege vnica §. *Et si quidem*, versu *Pœnas autem*, Cod. de raptu virginum, quæ definit raptum admitti siue mulier velit, siue nolit: velit, inquam, importunè, & dolosè ad hoc inducta, vt significant verba sequentia: *Quia hoc ipsum velle mulierem ab insidiis nequissimi hominis, qui meditatur rapinam, inducitur. Nisi enim eam sollicitauerit, nisi odiosis artibus circumuenerit, non facit eam velle in tantum dedecus sese prodere.* Verùm licet hoc sufficiat ad incurrendas pœnas ea lege statutas: non sufficit tamen ad raptum propriè dictum: quippe qui sine violentia non committitur, vt diximus numero 56. Persuasio autem, quamuis dolosè facta, & precibus importunis, non est propriè violentia, nisi addantur circunstantiæ tales, vt meritò vim inferre censeantur: putà, maximus reuerentiæ timor, æquiualens metui cadenti in constantem virum; ita vt personæ sic instanti puella non audeat contradicere. Tridentinum autem loquitur de raptore propriè dicto, debetque de illo intelligi cùm eius constitutio sit restrictiua iuris antiqui, & pœnalis: vt rectè docet Sanch. disput. cit. num. 12.

64. Vel virum à muliere rapi.

Quæres tertiò, An etiam mulier rapiens virum, & abducens nolentem, vt secum ineat matrimonium, subiaceat iisdem pœnis à Tridentino statutis? Negat Sanchez libro septimo, disputatione decima tertia, numero decimo sexto, eò quod Tridentinum de solo viro verba faciat, vt patet ex perpetuo eius loquendi modo, toto capite citato. *Quandiu*, inquit, *ipsa in potestate raptoris manserit*: &, *Quod si rapta à raptore separata, &c.* & paulò post, *Teneatur præterea raptor mulierem raptam dotare*, &c. In odiosis autem fœmininum non clauditur sub masculino: debetque lex ista pœnalis & odiosa strictè intelligi: & denique casus nunquam, aut rarissimè contingens non debuit lege comprehendi: neque tam grauis iniuria irrogatur viro per raptum, ac mulieri: ideoque non debuit iisdem pœnis raptus vtriusque puniri. Idem etiam sentiunt multi ab eo citati disputatione duodecima, numero vigesimo quinto, de pœnis per alias leges ciuiles, & canonicas statutis: & de pœnis Tridentini idem affirmat Pont. libro septimo, capite vltimo, numero sexto. Sed contrarium censeo probabilius cum Henrique libro duodecimo, de Matrimonio capite decimo quarto, numero quarto. Vega tomo secundo Summæ capite trigesimo quarto, casu 157. notab. 5. Mæratio disputatione decima de matrimonio sect. 3. prope finem: quia vt Sanch. ipse fatetur, Concilium voluit suo isto decreto consulere libertati matrimonii, efficereque, vt non nisi liberè contrahatur: qua de causa dicit idem auctor sufficere consensum puellæ, licet parentes dissentiant, &

repugnent eius abductioni: quia Concilium non habuit rationem consensus eorum, sed ipsius puellę abductę propter matrimonium. Atqui libertas matrimonii non minùs violatur, si mulier rapiat virum, quàm si vir rapiat mulierem: & de vero sensu legis iudicandum est ex ratione verbis illius satis expressa, quæ est velut ipsius anima: ergo, &c.

63. Nec obest quòd Concilium loquitur semper in genere masculino. Hoc enim facit, quia communiter raptus à viris contingit, & vix vnquam à fœminis. In odiosis autem & pœnalibus fœmininũ clauditur sub masculino, quando ratio per legem expressa est vtrique communis: ac generaliter lex pœnalis extenditur ad alium casum similem in lege non expressum, propter similitudinem rationis lege satis expressæ, vt docet Panormit. cap. *Translato, de constitutionibus*, & communiter iuris vtriusque interpretes. Confirmatur ex lege vnica Cod. *de raptu virginum*, quæ licet in masculino loquatur; tamen apertè significat fœminas sub eo intelligi, & comprehendi pœnis contra raptores ibi statutis. §. *Et si quidem*, versu, *Panas*, his verbis: *sed & si quis inter hæc ministeria servilis conditionis fuerit comprehensus, citra sexus discretionem*, &c. Neque obstat, quòd ibi loquatur de ferentibus opem raptori. Nam si fœmina raptui cooperans comprehenditur pœnis illis, vt verba relata clarè significant: quantò magis fœmina raptrix debet illis comprehendi iuxta intentionem legislatoris, & verum sensum legis? Quippe quæ grauiùs delinquit in eadem materia, & in eadem actione sub his pœnis prohibita. Non obstat etiam quòd iniuria, viro rapto facta, minor sit: quia non propterea definit esse valde grauis, & iniuriosa, illisque pœnis satis proportionata.

Quæres vltimò, vtrum ad easdem pœnas 66.
incurrendas necessarium sit honestam esse puellam, aut fœminam, quæ rapitur? Respondeo id quidem requiri ad incurrendas pœnas iure ciuili statutas lege supra citata, & aliis: quia expressè desideratur in illis honestas mulieris raptæ: ita tamen vt sufficiat esse honestam de præsenti, eò quòd anteactæ malæ vitæ iam eam pœnituerit, honestéque viuere cœperit: vel nisi, quamuis adhuc meretrix, tamen est coniugata, & rapitur viro nolenti: quia tunc ratione iniuriæ viro illatæ punietur vt raptor. Addunt aliqui, nisi meretrix habeat specialem causam resistendi: putà, quia raptor est eius consanguineus vel affinis. Sed meliùs alii dicunt incurrere tunc pœnas incestus tantùm, non raptus. Ad pœnas tamen à Tridentino impositas id non est necessarium. Quia Concilium punit omnem raptum officientem libertati matrimonii inter contrahentes. Non minùs autem illa violatur, siue fœmina rapta sit honesta, siue non. Incurruntur etiam licet rapta sit coniugata, dummodo ex intentione ineundi cum illa matrimonii (quamuis inutiliter, & inualidè) abducatur: vel licet habeat aliud impedimentum dirimens. Quia Tridentinum non hoc spectat vt possint inire matrimonium inter se, vel reipsa ineant: quamuis permittat vt inire possint cessante raptu, & nullo alio existente impedimento: sed afficit generaliter his pœnis quemcunque raptum verum, & propriè dictum, ex intentione ineundi matrimonii factum, vt bene docet Sanch. cit. disputat. 13. num. 14. Et hactenus de raptu irritante matrimonium. De raptu verò alienæ sponsæ non irritante, sed prohibente matrimonium iure antiquo, diximus supra disp. 73. sect. 4.

Quid si rapta non fit honest.?

DISPVTATIO SEPTVAGESIMA SEPTIMA.

De dispensatione super impedimentis matrimonii.

Sectio I. *Quis possit dispensare in impedimentis matrimonii?*
Sectio II. *Quænam sint iustæ causæ dispensandi?*
Sectio III. *De causis propter quas nulla redditur dispensatio.*
Sectio IV. *Soluuntur aliquæ quæstiones de eadem re.*
Sectio V. *Qua ratione matrimonium inualidè contractum, possit deinde validari sublato impedimento?*

Sectio VI. *An teneatur Confessarius monere pœnitentem de impedimento matrimonii bona fide contracti, vt obtineat dispensationem?*

HANC quæstionem specialiter non tractat S. Thomas. Quia tamen magni momenti est, & in frequéti vsu, non videtur prætermittenda. Vtile enim est, tum confessariis, & pœnitentibus, vt intelligant à quo, & quibus de causis possit peti, & sperari dispensatio: tum etiam illis, ad quos pertinet dispensare, vt intelligant quantum iuris habeant, & quomodo validè, aut licitè dispensare possint. Quæcunq; autem fusissimè hac de re dicuntur ab auctoribus, præcipuéq; à Sanche, & Pontio toto lib. 8. De matrim. omissis plerisque quæ de dispẽsatione in communi disputant, pertinentque potiùs ad tractatum de legibus, ad quem ea remittimus: omnia, inquam, illa quæ huius loci propria sunt, poterunt breuitatis causâ ad quinque capita reuocari. Quis scilicet possit dispensare? quibus de causis? quidue requiratur, vt dispensatio valeat, seu de defectibus propter quos nulla redditur? quid faciendum sublato impedimento, vt matrimonium valeat? quæue obligatio confessarii monendi pœnitentes de impedimentis occultis?

SECTIO I.

Quis possit dispensare in impedimentis matrimonii?

1. Episcopi dispensant in prohibentibus.

RESpondeo & dico primò, in impedimentis non dirimentibus Episcopum posse dispensare, excepto voto castitatis perpetuæ, & Religionis. Ratio est quia, licet inferior per se loquendo non possit dispensare in lege superioris: & hæc impedimenta statuta sint à summis Pontificibus Episcoporum superioribus: consuetudine tamen receptum est, vt horum impedimentorum dispensatio non obtineatur à Papa, excepto voto perpetuæ castitatis, & Religionis. Ideoque tacitè saltem est concessa Episcopis, vt docent Nauar. cap. 22. Manual. n. 85. & Bonac. q. 3. punct. 15. n. 3. aliique communiter.

2. Papa in quibus dispenset?

Dico secundò, nullum, ne quidem summum Pontificem posse dispensare in impedimentis dirimentibus matrimonium iure naturali: imò neque etiam in irritantibus iure diuino, sine speciali Dei concessione. Ratio est, quia summus Pontifex, & quilibet alius hominum subest vtrique iuri. Quare non potest derogare iuri naturæ, ac neque etiam diuino, sine Dei ipsius concessione. Dixi autem in irritantibus iure naturali vel diuino: quia in prohibentibus tantùm, cuiusmodi est votum castitatis perpetuæ, aut non nubendi, dispensare potest iure ordinario summus Pontifex per potestatem à Deo acceptam relaxandi vota, & iuramenta: non tamen sine iusta causa, vt exponemus sect. sequenti. Generalem autem concessionem, aut ius ordinarium non accepit ad tollenda impedimenta iure naturali irritantia, vel iure diuino: nam neque summi Pontifices hanc potestatem in seipsis agnoscunt, neque illa vnquam vsi sunt.

3.

Dico tertiò, in omnibus impedimentis dirimentibus iure tantùm humano summum Pontificem dispensare posse: quia supremam habet in terris potestatem ecclesiasticam, à qua vel solâ possunt hæc impedimenta induci: vel saltem possunt ab ea tolli, licet aliunde inducta, quando saluti animarum id expedit. Potest enim summus Pontifex de iis statuere, quæ animarum saluti, & bono Ecclesiæ regimini necessaria sunt. Potest etiam, sicut & quilibet alius superior, dispensare in sua lege, & in legibus prædecessorum suorum. Et quamuis, vt licitè dispenset, debeat id facere ex iusta causa: validè tamen sine illa dispensaret in eiusmodi impedimentis iuris humani, & Pontificii.

4. Episcopi dispensant interdum in dirimẽtibus.

Dico quartò, Episcopum non posse ordinariè dispensare in impedimentis dirimentibus: quia inferior non potest dispensare ordinariè in lege Superioris: hæc autem impedimenta à Pontifice, vel à Concilio generali, statuta sunt. Potest tamen aliquando pro foro conscientiæ dispensare: nimirum quando impedimẽtũ est occultum, & matrimonium bona fidè publicè in facie Ecclesiæ contractũ

ſuit præmiſſis denunciationibus: nec ſine ſcandalo poteſt fieri ſeparatio: neque recurri ad ſummum Pontificem, vel ad alium habentem priuilegium diſpenſandi: putà, ad Nuncium Apoſtolicum, aut Legatum à latere, ob paupertatem, aut locorũ diſtantiam, vel propter alia impedimenta legitima: vel ſine euidenti, grauique peccãdi periculo non poteſt diſpenſatio differri: vel ob ſimiles cauſas. Ita Sanch. lib. 2. diſp. 40. n. 3. Aegid. Con. diſp. 33. dub. 3. num. 32. Bonacina quæſt. 3. de Matrim. punct. 15. n. 4. poſt plurimos, quos citant. Ratio eſt, quia non eſt credibile ſummum Pontificem velle ſibi reſeruare diſpenſationem in caſu tantæ neceſſitatis, & cum tanto animarum periculo: ideoque præſumitur Epiſcopo conceſſa diſpenſandi facultas: quæ præſumptio eò melior eſt, quòd ſummum Pontificem non latet Doctores communiter ita ſentire, neque tamen reclamat.

5. Si impedimentum eſt occultum, & matrim. bona fide contractũ.

Dixi autem, quando impedimentum eſt occultum, id eſt, quando non publicè cõſtat, nec facilè cõſtare poteſt, periculumque non eſt vt in foro externo detegatur: vt bene exponunt Henriq. lib. 12. de Matrim. cap. 3. n. 1. & 2. & Sanch. lib. 2. diſp. 40. num. 11. atque in ea conditione omnes conueniunt. Dixi præterea, quando matrimonium bona fide contractum eſt: quia licet Henriq. loco cit. Sot. in 4. diſt. 37. qu. vnica art. 2. Gamach. cap. 31. de Matrim. & quidam alii putent hanc conditionem non eſſe neceſſariam, vt Epiſcopus poſſit diſpenſare: meliùs tamen Sanch. ſuprà num. 4. Aegid. Con. & Bonac. locis ſupra relatis, aliique plures quos citant, oppoſitum ſentiunt. Et probatur ex Trident. ſeſſ. 24. Decreto 1. cap. 5. vbi ſic ſtatuit. *Si quis intra gradus prohibitos ſciens matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe conſequendæ diſpenſationis careat. Idque in eo multò magis locum habeat, qui non tantùm matrimonium contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit. Quod ſi ignoranter id fecerit: ſi quidem ſolemnitates requiſitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eiſdem ſubiiciatur pœnis. Non enim dignus eſt, qui Eccleſiæ benignitatem experiatur, cuius ſalubria præcepta temerè contempſit.* Hæc Tridentinum. Vbi nota rationem hanc generalem eſſe, & communem omnibus impedimentis: licet Concilium ibi loquatur ſpeciatim de impedimento cõſanguinitatis, vel affinitatis. Quiſquis enim mala fide contrahit contra aliquod impedimentum dirimens, præceptum Eccleſiæ contemnit.

6.

Ratio verò huius limitationis eſt, quia poteſtas diſpenſandi in impedimentis, tacitè conceſſa Epiſcopis, nititur ſolùm manifeſtæ æquitati, quæ ſuadet mentem legiſlatoris non eſſe, vt Epiſcopus non poſſit in tali, vel tali caſu diſpenſare. Sed quando matrimonium mala fide contractum fuit, mens Pontificis non eſt iniquitati fauere, & præfractæ contrahentium audaciæ, dareque occaſionem contrahendi ſæpius contemptis impedimentis, ſpe facilioris diſpenſationis. Quam rationem indicat Tridentinum verbis illis, *Non enim dignus eſt*, &c. Cùm ergo Tridentinum ſtatuat, vt mala fide contrahentes ſpe diſpenſationis conſequendæ perpetuò careant; videtur negare Epiſcopis poteſtatem cum illis diſpenſandi. Hoc autem intellige, ſi vterque mala fide contraxerit. Nam ſi alter ſolùm: non eſt æquum puniri innocentem ob alterius delictum. Tridentinum autem hoc ſtatuit per modum pœnæ, vt patet ex his eius verbis, *Eiſdem ſubiiciatur pœnis.* Ita poſt Ioſephum à Coſta, & alios recentiores, docet Sanchez ſupra citat. Dicitur verò mala fide contrahere, is qui cognoſcens impedimentum in ratione impedimenti, contrahit nihilominus, ſeu contrahere præſumit, & attentat non obſtante impedimento. Vnde excuſat ignorantia, etiam craſſa, & latæ culpæ: quia vere non dicitur præſumere; aut ſcienter facere, qui facit ex ignorantia licet craſſa, ſed requiritur dolus, vel ingens temeritas, & latiſſima culpa, quæ dolo æquiparatur, vt poſt plurimos docet Sanch. eodem loco.

7. Et in facie Eccleſiæ,

Dixi tertiò, ſi matrimonium publicè contractum ſit: id eſt, in facie Eccleſiæ præmiſſis denunciationibus: quia Tridentinum capite citato, id expreſsè requirit. Vnde licet ignoranter & bona fide quoad impedimentum, contractum fuerit: ſi tamen ſolemnitates requiſitæ in matrimonio neglectæ ſint, non poteſt Epiſcopus diſpenſare: quia idem in hoc caſu decernit Tridentinum verbis ſupra relatis. Secus tamen ſi de licentia Ordinarii ſolemnitates illæ denunciationum omiſſæ ſint, quia tunc non negliguntur, neque contemnuntur; quod Concilium ſupponit, vt ſpe diſpenſationis careant. Sunt tamen qui exiſtiment hanc Tridentini Conſtitutionem contra eos, qui mala fide contrahunt, vel ſine ſolemnitatibus, non eſſe vſu receptam: adeoque Epiſcopum ea non obſtante diſpenſare poſſe, vt teſtatur Gamach. Doctor Sorbonicus capite trigeſimo primo, de matrimonio. Ipſe verò aliam adhibet expoſitionem textui minùs conuenientem: Tridentinum ſcilicet intelligendum eſſe, quando ſine ſcandalo fieri poteſt, & impedimentum iam eſt notorium, & facilis eſt recurſus ad ſummum Pontificem. Sed ſi ita eſſet, Concilium nihil peculiare ſtatueret contra eiuſmodi contrahentes: cùm tamen eorum diſpenſationem multò difficiliorem eſſe manifeſtè velit, imò ſtatuat vt ſpe diſpenſationis perpetuò careant.

8. An etiam ante matr. contractũ?

Dixi quartò, Epiſcopum diſpenſare poſſe matrimonio iam contracto, non autem antequam contrahatur. Id enim ſupponunt cõmuniter Theologi. Valde tamẽ probabile eſt quod addit Sanch. ſupra n. 7. nullius, inquit, licet patrocinio freus, poſſe aliquando Epiſcopum diſpenſare in impedimento dirimente antequam matrimonium contrahatur. Quod etiam docent Bonacina puncto cit. num. 6. de Salas diſp. 20. de legibus ſect. 3. & Pont. lib. 8. de matrim cap. 13. num. 6. Ex. gr. ſi paratis omnibus ad nuptias eo

die celebrandas, confiteatur mane sponsus, vel sponsa: & in confessione deprehendatur aliquod impedimentum dirimens, cuius manifestatio esset causa grauis infamiæ: nec possunt nuptiæ sine scandalo differri, neque est alia via euadendi grauem infamiam, vel suspicionem grauis delicti in confessione manifestati. Si enim alia via suppeteret, amplectenda esset: putà, si confessarius pœnitenti consuleret votum castitatis emittere ad tempus, dum interea dispensatio à Papa obtinebitur: ita tamen vt non diceret se ad tempus solùm vouisse, ne audientes respondeant dispensationem Episcopi sufficere, sicque remedium eludatur. Aliud exemplum huius necessitatis est, si quis morti proximus velit ducere concubinam, vt saluti suæ, & prolis legitimationi consulat, vel bono pacis domesticæ, vel honori concubinæ: habetque impedimentum dirimens, cuius dispensatio non potest tam citò obtineri.

9. Ratio Sanchis præcipua est, quia impedimentum hoc iuris tantùm humani est, vt supponimus, statutum scilicet lege Pontificis, aut Concilii. At Episcopus in hac lege dispensare potest ex magna necessitate, vt plurimi docent, quos idem refert num. 3. Et sententia communis asserens Episcopum posse dispensare post contractum matrimonium, illi fundamento innititur, quòd possit Episcopus in lege Papæ, aut Concilii dispensare in casu vrgentis necessitatis: vt videre est apud Siluestrum, Tabienâ, & alios qui inde intulerunt posse dispensare, quando matrimonium bona fide contractum fuit. Ergo similiter poterit ante matrimonium, vrgente necessitate. Quâuis enim eo semel contracto frequentiùs occurrat casus necessitatis: cùm tamen sola prohibitio iuris humani resistat in vtroque casu, poterit occurrente pari necessitate ante matrimonium contractum dispensare. Cúmque hæc opinio speciem saltem habeat probabilitatis, ob fundamentum quo nititur, poterit Episcopus eam sequi. Quia quando notabile proximi damnum imminet, licitum est sequi opinionem, quæ speciem habet probabilitatis, omissâ fere certâ. Hæc Sanch.: Cuius ratio grauis quidem est, & si bene expendatur, probat Episcopum dispensare posse in impedimento dirimente non solùm occulto, verùm etiam noto, occurrente pari necessitate: tametsi neque ipse, neque vllus alius Theologorum, quod sciam, eo vsque progrediatur. Exemplum huius necessitatis est si impedimentum consanguinitatis notum quidem sit: sed tamen ambo copulam habuerint, ex qua proles concepta fuerit, vnde mox grauis infamia honestæ familiæ secutura est, neque potest aliter vitari, nisi quamprimum inter se matrimonium contrahant. Vel si duellum inter corriuales immineat.

10. Potrò Episcopus in iis casibus, in quibus potest dispensare, potest etiam suam potestatem alteri delegare. Quia iurisdictio ex Principis priuilegio competens non personæ, sed perpetuò dignitati, vel officio, non est merè delegata, sed quasi ordinaria, & potestatis ordinariæ iura habet; vt post Bartolum, Baldum, Siluest. Couarr. & alios docent Sanch. lib. 2. disp. 40. num. 14. & Pontius lib. 8. cap. 13. num. 5. qui etiam rectè notat ibid. Episcopum posse illam delegare suo generali Vicario quodque Tridentinum dicit sess. 24. cap. 6. de reform. matrim. *Per Vicarium specialiter deputandum*, significare tantùm hanc facultatem vi generalis commissionis non intelligi concessam Vicario generali ab Episcopo habente potestatem circa huiusmodi casus; sed speciali concessione seu deputatione opus esse. Notandum præterea, id quod diximus, Episcopum non posse dispensare &c. intelligendum esse, quando impedimentum est certum. Nam si omnino dubium est circa ius, vel circa factum: vel quia factum est incertum, vel quia circa ius sunt variæ opiniones probabiles: potest Episcopus declarare nullum esse impedimentum: cùm in dubio standum sit pro libertate ineundi matrimonium. Imò neque tunc necessarium erit recurrere ad Episcopum, nisi sit periculum scandali. Vlteriùs, si impedimentum affinitatis ex copula illicita superueniat matrimonio contracto: potest ad debitum licitè petendum dispensare non solùm Episcopus iure ordinario, siue pateat aditus ad superiorem, siue non: verùm etiam regulares, & alii quidam ex priuilegio. Solent etiam Nuncii Apostolici habere potestatem dispensandi in eodem impedimento, atque etiam in impedimento publicæ honestatis, ante, & post matrimonium contractum. Sunt denique qui putent Episcopum posse dispensare, seu potiùs reualidare dispensationem, quando illa fuit iam impetrata à Pontifice, sed subreptitiè, & inualidè. At hoc verum esse non puto, nisi quando dubium est num aliqua expressio falsi, vel reticentia veri pertineat ad causam finalem dispensationis, reddatque illam subreptitiam & inualidam: vt dicemus inferiùs num. 23. Cuius dubii interpretatio authentica potest ad Episcopum pertinere.

Potest Episcopus hanc potestatem delegare,

SECTIO II.

Quænam sint iustæ causæ dispensandi in impedimentis Matrimonii?

11. Iusta causa requiritur interdum ad dispensandum validè.

SVppono 1. impedimenta quæ sub dispensationem cadere possunt, esse duplicia. Quædam enim impediunt matrimonium iure naturali, aut diuino positiuo: vt votum castitatis, aut iuramentum, vel votum non nubendi: aut iure humano tantùm, vt conditio, crimen, cognatio legalis, aut spiritalis, vel etiam carnalis, & affinitas in qui-

busdam gradibus. Inter quæ notabile discrimẽ est, quòd in prioribus requiritur iusta causa non modò vt licitè, verùm etiá vt validè dispenſetur. Cũ enim Prælati tunc dispẽsent vice Dei, & de iure diuino naturali, aut positiuo disponant auctoritate ab illo accepta: non est credendum Deum aliter eis dedisse hanc facultatem; quàm dispensandi rationabiliter secundum prudentem rationem, & ex iusta causa: non autem pro arbitrio, & quomodocunque libuerit. Vnde in eiusmodi impedimentis peccat non solùm qui dat dispensationem, sed etiam qui petit sine iusta causa: quia petit quod licitè concedi nequit. Neque est tutus in conscientia qui vtitur tali dispensatione, nisi excuset ignorantia: quippe quæ, cum inualida sit, non eximit à legis communis obligatione. At in posterioribus, tametsi iusta causa requiritur, vt detur licitè dispensatio: non tamen vt validè. Ratio primæ partis est, quia princeps abutitur sua potestate, quando sine causa rationabili eximit aliquos à legibus communibus, licet merè positiuis, & iuris humani: viamque aperit ad transgressionem, & contemptum legum, vt ait Trident. sess. 25. cap. 18. de reform. quod idcirco decernit ibid. vt si vrgens, iustaque ratio, & maior quandoque vtilitas postulauerint cum aliquibus dispensandum esse; id causâ cognitâ, ac summa maturitate fiat. Et sess. 24. cap. 5. de reform. matrim. in fine, generaliter statuit, vt in contrahendis matrimoniis non detur dispensatio nisi rarò, & ex causa.

12. Interdum solùm ad licitè.

Secunda verò pars probatur, quia sicut princeps ecclesiasticus, aut temporalis potest legem à se positam validè tollere, quamuis sine causa: ita & restringere respectu alicuius: quod minus est, quàm efficere vt planè cesset respectu omnium. Atque ita docent communiter Casuistæ in caput *Quæin Ecclesiarum*, De constitutionibus, & plurimi Theologorum relati à Suare lib. 6. de legibus cap. 19. num. 6. & à Sanche lib. 8. de matrim. disp. 17. num. 24. Vnde colligo non peccare eum, qui contra legem humanam operatur obtenta dispensatione à principe, quamuis sine causa: quia non amplius eum obligat: cum dispensatio fuerit valida. Peccat tamen contra rationem, & legem diuinam tam qui petit, quam qui dat sine causa, scienter & liberè, id est, nisi ignorantia probabilis excuset: quia contra rationem est, & consequenter contra legem diuinam, præcipientem vt nihil faciamus rectæ rationi contrarium, eximere aliquem à legibus, & oneribus communibus, sine vlla causa. Potest autem ignorantia vtrumque excusare: si nimirum vterque iudicet probabiliter causam sufficientem non deesse, & bona fide agat. Potest etiam alteruter solùm excusari à peccato. Petens quidem, si verè causam proposuit, quam sufficere probabiliter iudicauit: quæ tamen Prælato non videatur sufficere, & nihilominus dispenset. Contra verò Prælatus excusatur, si postulans falsò causam exposuit, & ipsa suppositâ tantùm, vel rationabiliter præsumptâ illius veritate, dispenset. Quod autem diximus, dispensationem in legibus purè humanis validam esse, quamuis detur sine iusta causa, intelligendum est (iuxta communem sententiam Doctorum supra citatorum, & iuxtà rei veritatem) de eo qui dispensat auctoritate propria: non autem ex delegatione, vel commissione superioris. Quia tunc delegans non censetur dare facultatem dispensandi nisi rationabiliter, & ex causa.

13. Causa dispensandi debet ad bonum communẽ spectare.

Suppono 2. Sicut leges feruntur propter bonum commune: ita dispensationem, siue legum relaxationem debere fieri propter commune bonum, & causam dispensandi debere ad illud aliquo modo pertinere. Nimirum vel directè, quando v. g. ex illa speratur pax publica, & concordia inter principes quibuscum dispensatur in secundo vel tertio gradu consanguinitatis. Vel saltẽ indirectè, quatenus bonum priuatorum redundat in bonum communitatis quæ ex illis componitur: & notabile bonum particulariter solet communi multùm conducere quippe cuius interest conseruare familias, præcipuè florentes, potentes, & diuites, & personas maioris momenti, quæ sunt veluti robur, & nerui reipub. præcipuéque Principes ipsos, à quibus magis pendet vtilitas publica, & conseruatio reip. ciuilis, & ecclesiasticæ. Ex quo fit vt sine vitiosa personarum acceptione possit facilius dispensari cum huiusmodi personis, quàm cum aliis: præsertim verò cum magnis Principibus, quos Ecclesiæ valde expedit habere sibi amicos, & fautores. Ideóque Trident. sess. 24. cap. 5. de reform. matrimonii, statuit vt in secundo gradu non dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob causam publicam. Quod est intelligendum de secundo gradu consanguinitatis, aut affinitatis ex copula coniugali. Non autem de affinitate orta ex copula illicita: nam ista non dirimit vltra secundum gradum: & est valde imperfecta affinitas: ideoque si Tridentinum de illa intelligeretur, dispensatio circa eam permissa tacitè à Trident. respectu aliorum, quoad gradus vlteriores, nihil omnino ageret. Similique de causa non est intelligendum de impedimento publicæ honestatis, quod vltra primum gradum non impedit. Per magnos autem Principes puto Tridentinum intelligere eos omnes, & solos qui tales communiter censentur, & nominantur. Est enim iuxta communem loquendi modum, & vsitatam vocis huius acceptionem interpretandum. Cuiusmodi sunt non modò supremi, & independentes: verùm etiam magni & potentes domini temporales, tales vt ad eos Principis nomen extendi soleat. Sed non tales censentur esse Barones, & quicunq; illis superiores, vt nõnulli malè affirmant. Quia tamen Trident.

non potuit restringere potestatem Summi Pontificis, non impedit quò minùs dispensare possit cum istis, & cum aliis, quando necessitas, & iusta causa postulabit.

14. Maior causa pro maiori impedimento requiritur.

Suppono 3. Quò gradus consanguinitatis, aut affinitatis propior est, eò maiorē causam dispensandi necessariam esse: quia tunc strictius impedimentum est, difficiliusque tollendum. Et inter impedimenta diuersi generis, quantò vnum altero maius est, tantò maiorem causam postulat eius dispensatio. Ex. gr. quia consanguinitas est per se maius impedimentum, quàm affinitas; plus requiritur ad dispensandum in secundo vel tertio gradu consanguinitatis, quàm in eodem gradu affinitatis. Et quia affinitas orta ex matrimonio est maius impedimentum affinitate orta ex copula illicita: plus requiritur, vt in illa dispensetur, quàm in ista. Item quia cognato spiritualis maior est, quàm carnalis: quippe quæ à principio venerabiliori procedit, & maiori reuerentiâ digna est; plus causæ requiritur ad illius dispensationem, vt rectè docet Abbas in cap. vlt. *De purgat. Canon.* num. 4. Vnde in paternitate, & maternitate spirituali difficilimè dispensatur; imò nunquam Ecclesiam Romanam in ea dispensasse affirmat Abbas ibidem, & Mendesius à Sanche relatus disp. 19. num. 7. in fine: & à fortiori idem dicunt Abbas, Felinus, & Benedictus ibidem relati: qui de cognatione spirituali absolutè, & generaliter id affirmare videntur: quod tamen alii meliùs negant de compaternitate solum, aut commaternitate, respectu patris aut matris baptizati, propter quam matrimonium minus habet indecentiæ, quàm inter patrem, & filiam spiritalem; vel inter matrem spiritalem, & filium de baptismi fonte susceptum.

15. Causæ dispensandi in prohibentibus iure naturali, vel diuino.

His præsuppositis dico 1. Ad dispensandum in iis, quæ impediunt matrimonium saltem prohibendo, iure naturali, vel diuino positiuo, cuiusmodi sunt votum, & iuramentū de nō nubendo, vel de seruanda castitate perpetua, requiritur causa aliqua, quæ faciat vt dispensatio cedat in æqualem, vel maiorem Dei honorem: & vt aliqua causa ad illum pertinens obsistat voti executioni: vt cum communi sententia docent Sanch. lib. 8. disp. 20. numero 3. & Coninc disp. 33. dub. 5. num. 50. Causa verò illa tenere se potest vel ex parte materiæ voti aut iuramenti: vt quando prudenter dubitatur vtrū res promissa per votū, aut iuramentum, facta sit mala, vel indifferens, vel inutilis, aut impediens maius bonum. Addunt aliqui, quando dubium est vtrum tale votum, vel iuramentum obligauerit ab initio propter defectum materiæ, vel intentionis se obligandi: vel quando dubium est vtrum aliquis vllo modo vouerit, aut iurauerit. Sed tunc non est opus dispensatione: quia vt alibi ostendimus, votum aut iuramentum tunc pro nullo habendum est, & standum pro possessione libertatis. Secundò, potest causa se tenere ex parte vouentis. Vt fit in multis casibus.

16.

Primò scilicet quando aliquis nimis leuiter vouit sine præuia sufficienti deliberatione; vt frequenter fit ante pubertatem: qua etiam de causa possunt hæc vota à parentibus, & tutoribus irritari, vel quando ex subito timore vehementi, vel aliâ magna, & repentina commotione animi, impulsus fuit aliquis ad vouendum, statimque vouit. Solet enim tunc impediri perfecta deliberatio. Et si metus est grauis incussus iniustè ad votū extorquendum, votum est inualidum: imò etiam quando leuis, & iniustus eo fine incutitur, iuxta quorumdam sententiam: quia inquiunt, non placent Deo vota sic extorta 2. Quando deficit causa, quæ ad vouendum impulit: vt quando aliquis vouit castitatem sperans ingredi religionem, ad quam postea admitti nequit. Quamuis absolutè vouerit, & non tantùm sub conditione ingrediendi: quo in casu votum manifestè nullum foret, & non egens dispensatione. 3. Si post votum emissum occurrat magna implendi difficultas non antea præuisa, vel non satis expenta. Vt si ille qui vouit perpetuam castitatem, vel abstinentiam à coniugio, postea incurrat vitæ periculum, iudicio medicorum, per huius voti obseruationem: quod periculum vel omnino vitari aliter nequeat: vel non sine magna difficultate. Eódemque pertinet quod ait Sanchez, & post illum Aegidius supra num 54. sufficientem causam dispensandi esse, si qui vouit, magnis & continuis scrupulis angitur num voto satisfaciat. Ex. gr. num satis frequenter, vel attentè pronuncíet orationes quas vouit. 4. Si vouēs, propter fragilitatē, & graues, ac frequētes peccandi occasiones, quibus sine grauissima difficultate subtrahere se nequeat, peccat frequenter, & grauiter contra votum, neque potest sine magna difficultate abstinere. Pertinet enim ad Dei gloriam, & Ecclesiæ vtilitatem, vt animarum periculo, & fragilitati hominum in illis occasionibus misericorditer subueniant Prælati. Idque meritò censetur Deo gratum esse. Quo etiā in casu plerique, quos citat, & sequitur Sanch. supra num. 18. dicunt Episcopum posse dispensare in voto castitatis perpetuæ, quando ex mora adeundi Summum Pontificem timetur graue incontinentiæ periculum. Idque siue periculum immineat ex fragilitate, siue ex infirmitate vouentis, & passione inuoluntaria: siue se ipse liberè, & cum peccato primùm in eas occasiones conieccrit. Vt quando aliquis post emissum votum simplex castitatis perpetuæ, contraxit matrimonium, & consummauit: iusta causa dispensandi cum illo ad petendum debitum est periculum frequenter peccandi, quod occurrit ex debito cohabitandi in eodem thoro. Quamuis enim isti sint minùs digni commiseratione, & liberalitate Ecclesiæ: ad illius tamen curam & ad Dei gloriam pertinet, huic malo, licet voluntariè

incurso remedium adhibere, & eorum saluti prospicere, frequentemque peccandi grauiter occasionem tollere. 5. Si ad pacem publicam, vel magnum Ecclesiæ aut reipublicæ bonum necessarium sit nubere eum qui vouit, aut iurauit seruare perpetuò castitatem: quia tunc etiam Dei gloria, & vtilitas Ecclesiæ, & ratio boni communis præponderat bono priuato vouentis. Si autem agatur solum de conseruatione alicuius familiæ illustris, non solet dari dispensatio pura & simplex, sed iuncta cum aliqua commutatione: ad quam minor causa sufficit, sicut & ad solam dilationem executionis voti, quando propter aliquod aliud bonum expedit differre, petiturque illius differendæ permissio. De quibus omnibus causis plura videri possunt apud Sanch. citata disp. 20. vbi in fine rectè notat maiorem causam ad dispensandum requiri, quando votum de re nobiliori factum est: & quãdo iuramentum voto accessit: quia tunc vinculum duplex est, & fortius vnico: Neque obesse dispensationi, quòd quis vouerit, aut iurauerit nunquam illam petere: nam hoc etiam votum, aut iuramentum relaxari potest: & simul cum illo tolli aliud, supra quod factus est actus iste reflexus vouendi, aut iurandi. Fierique potest, vt minus causæ requiratur ad vnius relaxationem, quàm alterius: nimirum si alterutrum fuit minori cum deliberatione, vel minùs expedita libertate emissum.

17. Causa dispes. in prohibentib. aut irrit. iure humano.

Dico 2. Ad dispensandum in impedimentis solo iure humano prohibentibus, aut irritantibus matrimonium, plures causæ sufficiunt. Vna est, vitatio, vel extinctio magnarum litium, & grauium discordiarum, quę prudenter timentur alioqui futuræ, aut duraturæ: non modò si publicæ illæ sint, verùm etiam priuatæ inter familias: expedit enim ad commune bonum reip. familias, & ciues in pace contineri. Altera est, scandalum graue vitandum: putà quia grauis suspicio est quòd aliquis habuit copulam cum consanguinea, propter nimiam familiaritatem: & nisi eam ducat, scandalum illa patietur, iacturamque famæ, vel sequentur inimicitiæ graues, & iurgia cognatorum: quæ omnia vitare boni communis interest. Tertia est, periculum ingens delicti grauis, & salutis animæ inter aliquos, nisi simul contrahant, propter fragilitatẽ iuuentutis, & amorem vehementem, quo se mutuò prosequuntur, & à quo diuerti nequeunt. Quarta, si non sint alii, quibuscum possint contrahere sine graui incõmodo, propter dotis incompetentiam. Quod aliqui intelligunt intra ipsã ciuitatẽ, vel oppidũ: ne alioqui cogatur puella patriã relinquere, & à suis parentibus perpetuò abstrahi: quod multis durissimum est. Idque declaratum fuit à Cõgregatione Cardinalium ann. 1570. die 18. Nouembr. vt refert Sanch. lib. 8. disp. 19. num. 13. in hæc verba: *Clausula illa quæ dispensationibus occasione dotis incompetentiæ apponi solet, videlicet quod virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis inuenire nequit, verificatur, & iustificatur per diligentiam dumtaxat præstitam in ipso loco mulieris, & non in locis circumuicinis.* Idem quoque locum habere intelligunt, quamuis sit vnus, aut alter in eodem oppido, aut ciuitate, cum quo possint commodè inire nuptias: quia matrimonium, quod valde liberum esse debet, maiorem libertatem eligendi requirit. Dicuntur autem non posse commodè nubere illi, quibus alioqui nubendum est cum valde imparibus vel genere, vel opibus, vel ætate, vel morum dissimilitudine, & incongruitate, vnde lites & discordiæ timendæ.

Quinta causa est, si puella, licet dotem sufficientem alioqui sit habitura, & statui suo conuenientem, tamen nisi nubat consanguineo, vel affini, non potest ob deformitatem, aut alium defectum, reperire alium dignum suo genere, qui velit eam ducere, neque ita cogitur vel indigno nubere, vel à nuptiis perpetuò abstinere. Sexta est, si quamuis dotem habeat, illa sit magnis litibus implicata: neque alium reperiat, præter vnum de propinquis, qui gnauiter & diligenter, fideliterque eius negotia expediturus sit, si ea tanquam sua suscipiat, illamque in vxorem accipiat. Septima, si conseruatio illustris familiæ in eodem sanguine id postulat, ne potentatus, vel opes, & ditiones amplissimæ ad extraneos deuoluantur. Expedit enim ad bonum reip. illustres familias, præcipuéque Principum, & magnatum conseruari, suumque statum & splendorem retinere. Octaua, si petentes dispensationem bene meriti fuerint de Ecclesia. Decet enim Ecclesiam benignè, & liberaliter cum illis agere, deque rigore legum aliquid in eorum fauorem relaxare. Nona, si matrimonium fuit bona fide contractum, propter ignorantiam impedimenti. Tunc enim ad vitandum scandalum expedit dispensare: maximè verò si matrimonium fuit consummatum antequam detegeretur impedimentum, & proles fuit suscepta. Nam vt colligitur ex cap. *Quia circa*, de consanguinit. Proles suscepta (eo scilicet quo dixi modo) est vna de causis legitimè dispensandi. Secus autem si matrimonium mala fide contra Ecclesiæ prohibitionem, & non sine aliquo legum eius contemptu contraxerint. Nam tunc potiùs sunt magis indigni dispensatione, vt ait Trident. sess. 24. cap. 5. de reform. matrim. & multiplicitas prolis ita suscepta, magis eorum crimen exaggerat, vt dicitur cap. *Cum haberet*, de eo qui duxit in matrimonium.

18.

Quando igitur aliqua ex causis supradictis occurrit, possunt licitè dispensationem petere, qui contrahere volunt; & eam sperare: solet enim propter illas concedi. Multóque magis si plures ex illis simul concurrant. Fierique potest, vt quando plures concurrunt, quarum singulæ non sunt in eo

19. Sat est vnã vel plures simul sufficere.

gradu vt sufficiant ; omnes tamen simul sumptæ satis momenti habeant. Addi ect am possunt aliæ, quæ iuuent supradictas, allegando v. g. orbitatẽ fœminæ destitutæ patre, vel vtroque parente : aut quod habeat liberos ex altero matrimonio, quos ipes sit melius à consanguineo tractatum iri, quã ab extraneo vitrico, vel nouerca. Interdum etiam Pontifex dispensat in gradibus remotioribus, summam pecuniæ notabilem exigendo in opera pia expendendam, quæ conducunt ad publicam vtilitatem : Ex. gr. in subsidium terræ sanctæ, vel belli contra Turcas, & alios hostes fidei christianæ, in Xenodochii, vel Ecclesiæ ædificationem, aut dotationem, & alios sumptus publicos. Plura de his videri possunt apud Nauarr. cap. 22. Manual. num. 84. & sequentibus, Sanc. lib. 8. disp. 19. & Comine dub. supra citato.

SECTIO III.

De causis, propter quas nulla redditur dispensatio.

20. Causa illa duplex est.

CAusa illæ generaliter duæ sunt : expressio falsi, aut reticentia veri in petitione dispensationis, propter quam superior ex mero errore illam concesserit : eamque ob causam dispensatio dicatur subreptitia, & consequenter sit nulla, quia dispensatio per subreptionem obtenta nullius penitùs est momenti, vt dicit Bonifac. VIII. cap. 2. *De filiis Presbyter.* in 6. vbi quamuis loquatur de dispensatione quadam ad plura Beneficia, tacito defectu natalium obtentâ : ratio tamen nullitatis, quam affert Pontifex, generalis est, & omnibus aliis dispensationibus communis : ideóque hanc decisionem generaliter ad omnes extendunt Theologi, & Canonistæ : qui hoc discrimen assignant inter rescripta gratiæ, cuiusmodi sunt dispensationes ; & rescripta iustitiæ, quæ dantur ad lites terminandas ex iustitia : quòd ista non irritentur per surreptionem, donec à parte aduersa elidantur per exceptionem ; secus verò illa, vt colligitur ex c. proximè cit. Nimirum quia alioqui vix vnquam irritarentur, cùm nemo soleat se illis opponere, sed potiùs velint omnes valida esse. Secus verò alia, quibus examinandis, & elidendis soler inuigilare pars aduersa : ideóque Summus Pontifex id relinquit ipsius diligentiæ. Vt autem clarè ea complectamur, quæ copiosiùs traduntur hac de re à Canonistis, & Theologis, præcipuéque à Suare lib. 6. de legibus cap. 21. & sequentibus, Sanche lib. 8. de Matrim. disp. 21. & pluribus deinceps, Pontio lib. item 8. de eodem sacramento, à cap. 16. & Aegid. Con. disp. 33. dub. 6. breuibus quæstiunculis difficultates singulas proponemus, & explicabimus.

Quæritur ergo imprimis, verum quælibet expressio falsi : aut reticentia veri irritet dispensationem : aliaque rescripta gratiæ ? Affirmant aliqui, quorum coniuncmen init Aegid. Con. dub. cit. num. 60. quia in omnibus huiusmodi rescriptis tacitè vel expressè inest ista conditio, *si precis veritate nitantur.* Solet enim expresse apponi & si non apponatur debet subintelligi, vt dicitur cap. 2. de Rescriptis, cuius verba sunt : *In huiusmodi literis intelligenda est hac conditio, etiamsi non apponatur, Si preces veritate nitantur.* Si ergo illa deficiat, nulla est dispensatio : cùm nolit Pontifex aliter dispensare. Adde quòd in cap. *si motu proprio*, de Præbendis in 6. & cap. *Si proponente*, de Rescrip. dicitur concessionem Præbendæ nullam esse, quando petẽs & impetrans reticet aliud Beneficium, quod possidet ; quamuis illud exiguum sit, & tale vt licet exprimeretur, non desisteret Pontifex velle concedere.

21. Quando si irritet reticentia veri aut expressio falsi ?

Sed nihilominus dicendum est cum vera, & communi sententia, non omnem reticentiam veri, aut expressionem falsi reddere irrita, & subreptitia rescripta gratiæ, sed duntaxat in duobus casibus. Primus est, quando tacetur aliquid, quod ius exprimi iubet in petitione talis gratiæ. Ratio est, quia, vt rectè ait Aegid. num. 61. quoties expresse præcipitur vt in petitione gratiæ aliquid exprimatur, exigitur id tãquam forma præscripta ; quâ deficiente totus actus deficit, velut informis : & gratia, quæ obtinetur contra voluntatem Principis in legibus expressam, non potest non censeri obtenta per subreptionem. Itaque fit vt concessio Præbendæ nulla sit, secta habenti aliud Beneficium, illudque non exprimenti in petitione : quia lex iubet illud exprimi, c. *Si motu proprio*, & cap. *Si proponente*, supra citatis. Quod tamen adhuc intelligendum est, si Prælatus, aut Pontifex rogatus id faciat. Nam alioqui si motu proprio gratiã concedit, tunc creditur fuisse sufficienter instructus de causa concessionis, vel ex sua liberalitate voluisse gratiam concedere. Quare tunc reticentia veri non nocet valori dispensationis, aut Rescripti, vt dicitur eod. cap. *Si motu proprio.* Sed nunquam censetur Rescriptum dari ex motu proprio, nisi id exprimat, vt dicitur ibid. An verò expressio falsi irritet eadem Rescripta motu proprio data, dicemus paulò post.

22. Irritet si tacetur id quod ius exprimi iubet,

Alter casus est, quando reticentia veri, vel expressio falsi, pertinet ad causam finalem concessionis gratiæ, debetque pro tali haberi. Pro quo nota cum Aegidio dub. cit. num. 58. causam quæ mouet Prælatum ad dispensandum, duplicem esse posse, finalem scilicet, aut impulsiuam tantùm. Finalis dicitur illa, quã Rescriptum, seu gratiã concedens præcipuè spectat, câq; mouetur rationabiliter vt concedat ; ita vt sine illa, vel omnino non concederet, vel non eo planè modo, sed cum aliqua limitatione

23. Vel quãdo pertinet ad causam finalem.

& cõditione apposita. Impulsiua verò dicitur illa, quæ referibentem mouet vt facilius concedat, ita tamen vt sine illa concessurus esset secundum rectam rationem & meritum causæ, secundum quod censeri debet agere Prælatus, cùm agat ex officio publico, & ex iustitia distributiua: non autẽ secundum priuatum affectum amicitiæ, vel odii, aut secundum alia extrinseca negotio de quo agitur. Vnde facilè redditur ratio assertionis. Quia scilicet, quando contingit error per expressionem falsi, aut reticentiam veri circa causam finalem, Prælatus solo errore mouetur vt dispenset, aut aliam gratiam concedat, per Rescriptum tali modo impetratum: ideoque Rescriptum illud subreptitium est, quippe quod obtentum fuit per errorem dantem illius causam, & sine quo non fuisset concessum neque concedi poterat rationabiliter. At verò quando solùm contingit error circa causam impulsiuam tantùm: non potest dici propriè Rescriptum fuisse obtentum per errorem, & consequenter esse subreptitium: cùm non defuerit causa sufficienter mouens, secundum rectam rationem, ad illud concedendum.

24. Causa finalis, vel impulsiua tãtùm, quomodo dignoscantur?

Vt autem discernatur quæ causa sit finalis vel impulsiua tantùm, hanc regulam tradit Aegid. num. 59. Quando (inquit) affertur vna tantùm causa, censeri debet illa esse finalis: quia non debet præsumi alia subesse, aut superiorem dispensare sine causa. Quando autem plures afferuntur: tunc censentur finales illæ, quæ moraliter loquẽdo rem in qua dispensandum est, intrinsecè quodammodo afficiunt, & dispensationem rationabilem reddunt: cuiusmodi sunt in matrimonio illæ, quas sect. præcedenti exposuimus; quarum si vna, aut altera sufficit, vt quemlibet æquum superiorem communiter moueat ad dispensandum, reliquæ possunt credi fuisse tantùm impulsiuæ, præsertim si tantùm extrinsecè afficiant: & error circa illas non vitiat Rescriptum. Sin autem nulla seorsim sufficit, sed omnes simul conflant vnam causam sufficientem; sat est quamlibet illarum esse falsam ad vitiandum Rescriptum. Iudicatur autem vnam solam non sufficere, quando non solet dari dispensatio propter illam solam. Hinc collige clausulam, *Si preces veritate nitantur*, debere intelligi de causa finali, non de impulsiua tantùm, quoad effectum irritandi Rescriptum.

25. Porro hæc assertio, quod attinet ad errorem per expressionem falsi, locum habet etiam in Motu proprio, quo Pontifex exprimit causam cum mouentem: quia tunc credi debet noluisse aliter concedere, saltem si gratia talis est; vt licitè conferri nequeat sine iusta causa. Quod addo, quia aliter puto dicendum esse cum Aegid. n. 36. quando gratia talis est, vt Pontifex cuiuis idoneo eam conferre licitè; esse pro ero beneplacito: puta si cuipiam probo & eruditio domestico suo conferat aliquod Beneficium, allegans eum esse bene meritum de Ecclesia, cum tamen adhuc nihil pro illa fecerit. Solent enim Principes in fauoribus concedendis tale quippiam allegare, cuius defectu nolunt irritam esse concessionem.

Nota præterea ex eodem Aegid. num. 66. 26. Quid si gratia concessa est diuisibilis?

quando dispensatio, vel quæuis alia gratia per Rescriptum concessa est diuisibilis, expressionem falsi, vel reticentiam veri, ignoranter factam, & sine dolo, licet pertineat ad causam finalem, vitiare solum partem illam, quæ recognita non fuisset concessa: si verò fiat fraude petentium, totam concessionem esse irritam, vt dicitur cap. *super literis*, de Rescriptis. Exemplum est, si quis petat dispensationem ad matrimonium cum cognata, post votum castitatis à se factum & pro voti dispensatione hanc causam afferat, quia grauissimas tentationes, & frequentes lapsus patitur: pro ducenda verò cognata, quia alioqui non reperit illa nuptias dignas se. Si prima causa est vera, secunda falsa, bona tamen fide proposita, valet dispensatio ad primum, id est, ad votum relaxandum, vt matrimonium inire possit: non ad secundum, id est, ad ducendam cognatam. Sin autem mala fide actum est, ad neutrum valet in poenam perfidiæ, vt dicitur cap. cit. ad quam tamen poenam incurrendam dicunt aliqui requiri cognitionem, & sententiam iudicis: quorum opinionem probabilem esse censet Aegid. loco citato, illisque adhæret Sanch. lib. 8. disp. 21. num. 78.

Quæritur secundò, vtrum quando sunt plura impedimenta matrimonii, debeant omnia simul explicari in eadẽ petitione dispensationis? Respõdeo & dico primò, si plura sunt, & vnum tantùm exprimitur; non obtinetur dispensatio eorum, quæ non exprimuntur: quia cum separatim tolli possint, tollere vnum non est tollere alterum. Ex quo etiam fit, vt quia impedimenta v. g. consanguinitatis, vel affinitatis sunt diuersa pro diuersitate gradus, & eò grauiora, ac difficiliùs dispensabilia, quò gradus propinquior est: vel quia affinitas orta est ex coniugali copula: si quis petit, & obtinet dispensationem pro quarto gradu consanguinitatis, vel affinitatis, & sit in tertio; non valeat dispensatio: & si obtinet in secundo gradu affinitatis ex copula illicita, non valeat pro secundo gradu affinitatis ex copula coniugali. Quia hæc impedimenta sunt separabilia: & nõ sequitur maius tolli sublato minori: neq; præsumendus est Pontifex hoc intendere. Secus autem si distarent minori gradu, quàm expresserunt: aut si obtinuissent dispensationem in pari gradu affinitatis ex copula licita, cùm tamen fuerit illicita. Quia concesso eo quod maius est in eodem genere impedimenti, censetur minus esse concessum. Quin etiam licet consanguinei, aut affines non tantũ distent inter se, quantum remotior inter illos distat à

27. Debentne omnia impedimenta simul explicari, quando plura sunt?

primo

primo stipite consanguinitatis, aut affinitatis: si tamen gradus distantiæ, vnius illorum à stipite est diuersus, debet vterque exprimi, vt statuit Pius V. in Bulla data vigesimo Augusti, anno 1566. quæ incipit, *Attendens per quandam*: idque fert praxis, seu stylus hodiernus curiæ Romanæ.

29. Non debet si sunt diuersæ rationis.

Dico secundò, quando impedimenta sunt diuersæ rationis, ita vt simul coniuncta non efficiant vnam indecentiam maiorem respectu matrimonii contrahendi, nec vnum alterius indecentiam aggrauet, potest separatim licitè, & validè peti, & obtineri eorum dispensatio. Vt, exempli gratiâ, Si quis habeat simul impedimentum voti simplicis perpetuæ castitatis, & simul impedimentum cognationis, aut affinitatis. Sunt enim illa planè disparata: neque vnum auget indecentiam alterius: & consequenter non reddit magis difficilem illius ablationem, seu dispensationem. Notandum tamen in hac separatione debere tot afferri causas finales sufficientes, quot sunt impedimenta: id est, debere pro singulis, quorum seorsim dispensatio petitur, afferri singulas causas diuersas, aptas mouere sufficienter ad dispensandum super impedimento, cui applicantur, vel vnam quæ sufficiat pro omnibus illis impedimentis, etiam collectiuè sumptis. Nam alioquì si vna, & eadem pro omnibus afferatur, non est iusta, & proportionata: cùm maior requiratur pro pluribus impedimentis, quàm quæ præcisè sufficit pro vnico illorum. Ideóque tunc reticentia veri, siue non expressio dispensationis priùs obtentæ vi eiusdem causæ super altero impedimento, inducit errorem circa causam finalem, & Rescriptum subreptitium reddit.

30. Secus antè si eiusdem quodammodo.

Dico tertiò, quando impedimenta sunt eiusdem quodammodo rationis, ita vt vnum augeat indecentiam alterius, eiusque dispensationem reddat difficiliorem ex natura rei; non valet dispensatio separatim petita pro diuersis impedimentis, nisi causa talis proponatur, vt sufficiat ad dispensandum super impedimento proposito, non obstante illius coniunctione cum alio. Exempli gratiâ, petit aliquis dispensationem ad contrahendum cum cognata, cuius affinis effectus est per copulam illicitam cum ipsius sorore: quæ duo impedimenta sunt quodammodo eiusdem rationis, & vnum aggrauat indecentiam alterius, dispensandique difficultatem: est enim magis indecens ducere illam, cuius simul cognatus, & affinis es: difficiliúsque Prælatus dispensaret cum tali, affine, vt cum tali cognata contraheret: Non valet dispensatio separatim petita super his impedimentis, nisi pro singulis afferatur causa per se sufficiens, vt tollatur rationabiliter non obstante tali coniunctione. Ratio huius assertionis est, quia alioquin error contingit circa causam finalem concessionis, quæ, vt supponitur, est insufficiens, & talis in eritò iudicatur à dispensante, si coniunctio cum altero impedimento fuisset expressa.

Addit Aegidius dubitatione suprà citata, numero septuagesimo octauo, non valere quoque si non sit causa rationabilis separatim petendi dispensationem, quamuis alioqui proponatur motiuum sufficiens. Quia, inquit, tunc irrationabiliter petitur: & dispensans cognita veritate, meritò dispensationem negaret: & consequenter per errorem eam concedit. Sed non video quomodo hic error pertineat ad causam finalem, cùm proponatur causa sufficiens dispensandi, vt supponimus, id est, quâ Prælatus potest moueri prudenter ad dispensandum. Quare licet displicere possit illi modus petendi, & ita fortè, vt non concederet dispensationem, si alterius impedimenti simul fieret mentio: non video tamen cur magis tunc irrita, & subreptitia censeri debeat, quàm cùm petitur à malè merito de Ecclesia, vel ab homine vitioso, tacitis his defectibus, qui si noti essent dispensanti, non vellet dispensare. Itaque probabilius censeo valituram esse in eo casu dispensationem: quamuis non sit eo modo petenda, nisi sit iusta causa separandi: Putà ad tuendum honorem corruptæ: vel ne prodatur proprium peccatum: ad quod vitandum potest primò peti separatim à Pontifice dispensatio super cognatione: tum à Pœnitentiaria dispensatio super affinitate illicita, significando se priùs obtinuisse dispensationem super cognatione. Vel è contrario, potest primo peti à Pœnitentiaria dispensatio super fornicatione occulta; tum à Pontifice dispensatio super cognatione.

31. Quid si separentur sine causa?

32. Circumstantia aggrauans impedimentum debet exprimi.

Dico quartò, Quando impedimentum habet aliquam circumstantiam adiunctam, vel conditionem, ob quam continet maiorem indecentiam, estque difficilior illius dispensatio: debet illa exprimi: alioquin error contingit circa causam finalem. Probatur ex cap. 2. De fil. Presbyt. in 6. vbi dicitur dispensationem ad plura beneficia nullam fuisse, quia data fuerat illegitimo, qui in sua petitione, non expresserat defectum natalium: & non erat verisimile voluisse Pontificem hanc illi gratiam concedere, quâ, propter hunc defectum, erat magis indignus. Exempla sunt, si qui petunt dispensationem super impedimento matrimonii, scienter contraxerunt cum illo; vel ignoranter quidem, sed non præmissis proclamationibus; debent hoc exprimere: quia longè difficilior redditur dispensatio propter hanc circumstantiam; vt patet ex Trident. sessione 24. cap. 5. de Reformatione matrimonii, vbi statuit, vt si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præ-

sumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat: idque multò magis, si non tantùm contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit: eidemque subiiciatur pœnæ, si ignoranter quidem id fecerit, sed solemnitates requisitas in contrahendo neglexerit. Non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cuius salubria præcepta temerè contempsit. Item si petatur aliquid vergens in præiudicium tertii, exprimendum illud est: quia Pontifex dispensando non intendit ius adimere tertio, nisi hoc exprimat: vt dicitur cap. penult. de Præscript. Quare si votum aut iuramentum factum est in fauorem tertii, cui aliquid fuerit promissum, vel aliter ius aliquod acquisitum; non intendit Pontifex illi derogare. Item si quis ex duplici parte affinis est, aut consanguineus: putà, quia est consanguineus ex parte patris, & matris; vel habuit copulam cum duabus sororibus eius, quam cupit ducere in matrimonium, debet hoc exprimi: quia multiplicatio illa consanguinitatis, aut affinitatis, facit vt difficiliùs super ea dispensetur. Item si petatur dispensatio super cognatione spirituali, debet exprimi sine paternitas, & non solùm compaternitas: quia difficiliùs, & vix vnquam dispensatur cum patre, vel matre spirituali, id est, cum illis qui de sacro fonte leuarunt baptizatum, aut qui eum baptizauerunt. Similiter explicandum est, si impedimentum publicæ honestatis ortum fuit ex matrimonio non consummato: quia difficiliùs super eo dispensatur, quàm super orto dumtaxat ex sponsalibus. Sicut etiam dispensatio super affinitate ex copula illicita faciliùs obtinetur, quàm super affinitate orta ex matrimonio, debetque idcirco exprimi hæc secunda, si petatur.

SECTIO IV.

Soluuntur aliæ quæstiones de eadem re.

33. Debetne exprimi prior dispensatio super similimpedim.

QVæritur tertiò, vtrum qui aliàs obtinuit dispensationem super impedimento simili, debeat necessariò illud exprimere? Respondeo affirmatiuè, quando recursus impedimenti reddit meritò & rationabiliter eius dispensationem difficiliorem per se, & ex natura rei: secus non. Ratio assertionis patet ex supra dictis. Exemplum verò prioris casus est: si quis verbi gratia, petat secundò dispensationem super vxoricidio, in quod iterum incidit. Quia relapsus iste reddit dispensationem per se difficiliorem, iuxta id quod dicitur lege Nemo. 3. De episcopali audientia, *Remissionem veniæ crimina, nisi semel commissa non habeant.* Exemplum posterioris est in voto, & aliis similibus, quæ non prouenium ex crimine: vt si quis iterum petat dispensationem super voto simplici castitatis, vel super cognatione spirituali, aut impedimento publicæ honestatis.

34. Vel negatiue dispensat ouis prius facta.

Quæritur quartò, vtrum qui semel petiuit dispensationem, & non obtinuit, si petat iterum ab eodem, vel ab alio superiore, debeat necessariò id exprimere? Respondeo negatiuè, cum Suare libro sexto de Legibus, capite vigesimo secundo, numero primo, Sanche libro octauo, disputatione vigesima secunda, numero decimo quarto, Pontio libro octauo, capite decimo septimo, numero tertio & quarto, quia id nullo iure statuitur, neque vlla ratione ostenditur, debere propterea dispensationem esse subreptitiam, si causa allegata est sufficiens: multóque minùs, si plures, aut grauiores causæ afferantur in secunda petitione. Estque id intelligendum, siue secundò petat à successore æqualem cum illo potestatem habente; siue ab alio, qui supra ipsum sit: siue etiam ab aliquo inferiore, habente tamen iurisdictionem ordinariam: quia negatio superioris non illi ademit facultatem vtendi sua potestate ordinaria. Vel etiam ab habente delegationem generalem ad eiusmodi dispensationes; exempli gratia, ad dispensandum in voto simplici castitatis perpetuæ: quia denegatio superioris non restringit generalem hanc iurisdictionem delegatam. Secus autem si superior delegaret specialiter ad hunc casum, quem illi committeret, nolletque vt dispensaret, iudicans causam esse insufficientem, si nihil aliud maioris momenti in eius cognitione, & ampliori veritatis inquisitione se offerat.

35. Vel copula habita cum consanguinea.

Quæritur quintò, vtrum si copula fuerit habita cum consanguinea, & petatur dispensatio ad contrahendum cum illa, necessarium sit hoc exprimere ad valorem dispensationis? Affirmat Sanchez libro octauo disputatione vigesima quinta. Sed probabiliùs alii negant: quia expressio illius copulæ non reddit rationabiliter dispensationem difficiliorem, sed faciliorem potius. Atqui reticentia veri non vitiat Rescriptum, quando non reddit difficiliorem eius impetrationem, vt rectè ait Glossa capite *Super literis*, De rescriptis, cui Doctores communiter assentiuntur. Illudque verum esse, licet copula fuerit malitiosè habita eo animo vt obtineatur dispensatio, dummodo alia causa rationabilis, & sufficiens afferatur, docet Pontius libro octauo, capite decimo septimo, numero trigesimo secundo, post Nauarrum, Ouandum, Salzedum, Rodriguez, & alios quos citat numero trigesimo tertio in fine: Secus autem si sola copula exprimeretur pro causa. Neque obest decretum Tridentini sessione vigesima quarta, capite quinto, cuius verba retulimus numero trigesimo se-

cundo. Nam loquitur ibi de copula habita post matrimonium scienter contractum cum impedimento consanguinitatis, & affinitatis: non autem de copula inter solutos habita, vel etiam post sponsalia dumtaxat.

36. Valeatne dispensatio contra impedimentum superueniens prioti simile?

Quæritur sextò, vtrum si obtenta dispensatione super affinitate ex copula illicita, contingat iterum copulam similem exerceri, irretur dispensatio? Respondeo, si copula rursus habeatur post datam dispensationem à Pontifice, & consummatam illius concessionem à Prælato, vel à iudice ecclesiastico, cui solet Pontifex eam committere, vt videat si preces veritate nitantur, vel à confessario, cui committitur in foro conscientiæ: non sufficere dispensationem illam ad contrahendum matrimonium. Quia licet prius impedimentum sublatum fuerit: tamen nouum contraxit, factus iterum affinis per copulam post habitam. Quemadmodum si quis voueret iterum castitatem perpetuam post obtentam dispensationem à priori voto, egeret noua dispensatione propter impedimentum sibi priori extincto, inductum à secundo voto.

Nec obest, quòd si quis sæpius cum eadem fornicatus sit, non teneatur id exprimere petendo dispensationem super affinitate inde contracta: quia non propterea multiplicantur affinitates, ita vt plures simul existant, sed tantùm multiplicantur actiones, quibus contraheretur affinitas, si antea non esset: Sicut quando excommunicatus pluries celebrat in statu eiusdem excommunicationis, non propterea contrahit plures irregularitates, sed facit actum, propter quem contraheret, nisi iam contraxisset. Respondeo enim diuersam esse rationem de eo qui moraliter sublata affinitate priùs contracta iterum eam reducit, propter actum qui est sufficiens illius causa, quique illam parit, si nondum est. Similis enim est illi, qui obtenta absolutione ab irregularitate, iterum celebraret in statu excommunicationis: qui sine dubio iterum similem irregularitatem incurreret.

37. Confirmatur, quia suppositâ communi sententiâ, quòd affinitas orta ex copula illicita, quamuis occulta, inducat impedimentum petendi debitum: si quis post obtentam absolutionem in foro conscientiæ, super peccato præterito, & dispensationem ab habente priuilegium dispensandi super impedimento inde orto: si inquam, postea copulam similem exerceat, eget sine dubio noua dispensatione super affinitate, & impedimento rursus contracto propter nouum peccatum incestus. Par autem est ratio, vt egeat similiter, qui post obtentam, & consummatam concessionem dispensationis iterum copulam habet cum consanguinea eius quam ducere vult, in primo, vel secundo gradu: ergo &c. Consultò autem addidi *& consummatam concessionem*: quia secus dicendum esset, si copula iterum habita fuerit antequam iudex, vel alius à Papa commissus, illam, cognita veritate, eius nomine concesserit. Nam tunc valet dispensatio ad extinguendum quidquid eam præcessit, seu totam affinitatem eo vsque contractam cum tali fœmina.

Quæritur 7. vtrum quando dispensatur in voto castitatis perpetuæ, vel non ineundi matrimonium, dispensatio valeat pro sola prima vice: ita vt, mortua coniuge, non possit impetrare ad secundas nuptias conuolare? Respondeo negatiuè, nisi diserte id exprimatur, vt fieri solet his verbis: *ita vt si fœmina, cui coniungetur, superuixerit, viuat postea cum illo, & in castitate, vtpote eadem vero obligatus.* Quod adhuc intelligendum est de coniunctione per matrimonium validum: alioqui dispensatio non habuisset effectum. Et de matrimonio consummato: nam dispensatio ad hoc præcipuè datur: quippe quod solum opponitur directè voto castitatis: ideoque illa non habet plenè suum effectum ante consummationem matrimonii. Ratio huius responsi est, quia quando mens summi Pontificis est restringere dispensationem ad primum matrimonium; id expressè in literis cauet, ne alioqui præsumatur simpliciter, & absolutè dispensare, iuxta intentionem petentium. Loquimur autem de dispensatione data à summo Pontifice, habente potestatem absolutam dispensandi; non autem ab alio inferiore habente limitatam, ad dispensandum dumtaxat pro aliquo casu particulari, propter vrgentem illius necessitatem. Nam talis dispensatio primo actu finitur: cùm non excedat facultatem dispensantis ad illum limitatam. Excipit etiam Sanch. lib. 8. disp. 31. n. 13. nisi Papa limitet dispensationem ad certam personam, cui specialiter vult gratificari, aut eius honori consulere; putà, si dispenset cum Petro, vt ducat Luciam quam defloruit. Quando autem Pontifex dispensat cum aliquo super voto castitatis, vt contrahat matrimonium ad habendos liberos, ne illustris familia extinguatur: non est censendus limitare dispensationem ad vnicum matrimonium, tametsi liberos ex illo procreauerit.

38. Dispensatio castitatis quousque extendatur.

Quæritur octauò vtrum dispensatio possit illi prodesse, qui iam ei renunciauit? Respondeo affirmatiuè, nisi superior acceptauerit renunciationem. Nam alioquin censetur manere in eadem voluntate dispensandi, quam inferior potest iterum acceptare. Confirmatur ex capite septimo, de procuratoribus, in sexto, vbi sic habetur: *Licet is qui procurator constituitur ab absente, dixerit præsentatum sibi suscipere nolle tum: hoc tamen nequaquam obstante, constituens in eadem perstiterit voluntate, suum acceptare poterit, quandocunque.*

39. Prosint dispensatio post renunciationem.

repugnent eius abductioni: quia Concilium non habuit rationem consensus eorum, sed ipsius puellę abductę propter matrimonium. Atqui libertas matrimonii non minùs violatur, si mulier rapiat virum, quàm si vir rapiat mulierem: & de vero sensu legis iudicandum est ex ratione verbis illius satis expressa, quæ est velut ipsius anima: ergo, &c.

63. Nec obest quòd Concilium loquitur semper in genere masculino. Hoc enim facit, quia communiter raptus à viris contingit, & vix vnquam à fœminis. In odiosis autem & pœnalibus fœmininũ clauditur sub masculino, quando ratio per legem expressa est vtrique communis: ac generaliter lex pœnalis extenditur ad alium casum similem in lege non expressum, propter similitudinem rationis lege satis expressæ, vt docet Panormit. cap. *Translato, de constitutionibus*, & communiter iuris vtriusque interpretes. Confirmatur ex lege vnica Cod. *de raptu virginum*, quæ licet in masculino loquatur; tamen apertè significat fœminas sub eo intelligi, & comprehendi pœnis contra raptores ibi statutis, §. *Et si quidem*, versu, *Pœnas*, his verbis: *sed & si quis inter hæc ministerii servilis conditionis fuerit comprehensus, citra sexus discretionem*, &c. Neque obstat, quòd ibi loquatur de ferentibus opem raptori. Nam si fœmina raptui cooperans comprehenditur pœnis illis, vt verba relata clarè significant: quantò magis fœmina raptrix debet illis comprehendi iuxta intentionem legislatoris, & verum sensum legis? Quippe quæ grauiùs delinquit in eadem materia, & in eadem actione sub his pœnis prohibita. Non obstat etiam quòd iniuria, viro rapto facta, minor sit: quia non propterea desinit esse valde grauis, & iniuriosa, illisque pœnis satis proportionata.

Quæres vltimò, vtrum ad easdem pœnas incurrendas necessarium sit honestam esse puellam, aut fœminam, quæ rapitur? Respondeo id quidem requiri ad incurrendas pœnas iure ciuili statutas lege supra citata, & aliis: quia expressè desideratur in illis honestas mulieris raptæ: ita tamen vt sufficiat esse honestam de præsenti, eò quòd anteactæ malæ vitæ iam eam pœnituerit, honestéque viuere cœperit: vel nisi, quamuis adhuc meretrix, tamen est coniugata, & rapiatur viro nolenti: quia tunc ratione iniuriæ viro illatæ punietur vt raptor. Addunt aliqui, nisi meretrix habeat specialem causam resistendi: putà, quia raptor est eius consanguineus vel affinis. Sed meliùs alii dicunt incurrere tunc pœnas incestus tantùm, non raptus. Ad pœnas tamen à Tridentino impositas id non est necessarium. Quia Concilium punit omnem raptum officientem libertati matrimonii inter contrahentes. Non minùs autem illa violatur, siue fœmina rapta sit honesta, siue non. Incurruntur etiam licet rapta sit coniugata, dummodo ex intentione ineundi cum illa matrimonii (quamuis inutiliter, & inualidè) abducatur: vel licet habeat aliud impedimentum dirimens. Quia Tridentinum non hoc spectat vt possint inire matrimonium inter se, vel reipsa ineant: quamuis permittat vt inire possint cessante raptu, & nullo alio existente impedimento: sed afficit generaliter his pœnis quemcunque raptum verum, & propriè dictum, ex intentione ineundi matrimonii factum, vt bene docet Sanch. cit. disputat. 13. num. 14. Et hactenus de raptu irritante matrimonium. De raptu verò alienæ sponsæ non irritante, sed prohibente matrimonium iure antiquo, diximus supra disp. 73. sect. 4.

66. Quid si rapta non fit honesta?

DISPVTATIO SEPTVAGESIMA SEPTIMA.

De dispensatione super impedimentis matrimonii.

Sectio I. *Quis possit dispensare in impedimentis matrimonii?*
Sectio II. *Quænam sint iustæ causæ dispensandi?*
Sectio III. *De causis propter quas nulla redditur dispensatio.*
Sectio IV. *Soluuntur aliquæ quæstiones de eadem re.*
Sectio V. *Qua ratione matrimonium inualidè contractum, possit deinde validari sublato impedimento?*

Sectio VI. *An teneatur Confessarius monere pœnitentem de impedimento matrimonii bona fide contracti, vt obtineat dispensationem?*

HANC quæstionem specialiter non tractat S. Thomas. Quia tamen magni momenti est, & in frequẽti vsu, non videtur prætermittenda. Vtile enim est, tum confessariis, & pœnitentibus, vt intelligant à quo, & quibus de causis possit peti, & sperari dispensatio: tum etiam illis, ad quos pertinet dispensare, vt intelligant quantum iuris habeant, & quomodo validè, aut licitè dispensare possint. Quæcunq; autem fusissimè hac de re dicuntur ab auctoribus, præcipuèq; à Sanche, & Pontio toto lib. 8. De matrim. omissis pleriſque quæ de dispẽsatione in communi disputant, pertinentque potiùs ad tractatum de legibus, ad quem ea remittimus: omnia, inquam, illa quæ huius loci propria sunt, poterunt breuitatis causâ ad quinque capita reuocari. Quis scilicet possit dispensare? quibus de causis? quidue requiratur, vt dispensatio valeat, seu de defectibus propter quos nulla redditur? quid faciendum sublato impedimento, vt matrimonium valeat? quæue obligatio confessarii monendi pœnitentes de impedimentis occultis?

SECTIO I.

Quis possit dispensare in impedimentis matrimonii?

1. Episcopi dispensant in prohibentibus.

RESpondeo & dico primò, in impedimentis non dirimentibus Episcopum posse dispensare, excepto voto castitatis perpetuæ, & Religionis. Ratio est quia, licet inferior per se loquendo non possit dispensare in lege superioris: & hæc impedimẽta statuta sint à summis Pontificibus Episcoporum superioribus: consuetudine tamen receptum est, vt horum impedimentorum dispensatio non obtineatur à Papa, excepto voto perpetuæ castitatis, & Religionis. Ideoque tacitè saltem est concessa Episcopis, vt docent Nauar. cap. 22. Manual. n. 85. & Bonac. q. 3. punct. 15. n. 3. aliique communiter.

2. Papa in quibus dispenset?

Dico secundò, nullum, ne quidem summum Pontificem posse dispensare in impedimentis dirimentibus matrimonium iure naturali: imò neque etiam in irritantibus iure diuino, sine speciali Dei concessione. Ratio est, quia summus Pontifex, & quilibet alius hominum subest vtrique iuri. Quare non potest derogare iuri naturæ, ac neque etiam diuino, sine Dei ipsius concessione. Dixi autem in irritantibus iure naturali vel diuino: quia in prohibentibus tantùm, cuiusmodi est votum castitatis perpetuæ, aut non nubendi, dispensare potest iure ordinario summus Pontifex per potestatem à Deo acceptam relaxandi vota, & iuramenta: non tamen sine iusta causa, vt exponemus sect. sequenti. Generalem autem concessionem, aut ius ordinarium non accepit ad tollenda impedimenta iure naturali irritantia, vel iure diuino: nam neque summi Pontifices hanc potestatem in seipsis agnoscunt, neque illa vnquam vsi sunt.

3.

Dico tertiò, in omnibus impedimentis dirimentibus iure tantùm humano summum Pontificem dispensare posse: quia supremam habet in terris potestatem ecclesiasticam, á qua vel solâ possunt hæc impedimenta induci: vel saltem possunt ab ea tolli, licet aliunde inducta, quando saluti animarum id expedit. Potest enim summus Pontifex de iis statuere, quæ animarum saluti, & bono Ecclesiæ regimini necessaria sunt. Potest etiam, sicut & quilibet alius superior, dispensare in sua lege, & in legibus prædecessorum suorum. Et quamuis, vt licitè dispenset, debeat id facere ex iusta causa: validè tamen sine illa dispenset in eiusmodi impedimentis iuris humani, & Pontificii.

4. Episcopi dispensant interdum in dirimẽtibus.

Dico quartò, Episcopum non posse ordinariè dispensare in impedimentis dirimentibus: quia inferior non potest dispensare ordinariè in lege Superioris: hæc autem impedimenta à Pontifice, vel à Concilio generali, statuta sunt. Potest tamen aliquando pro foro conscientiæ dispensare: nimirum quando impedimẽtũ est occultum, & matrimonium bona fidè publicè in facie Ecclesiæ contractũ

fuit præmiſſis denunciationibus: nec ſine ſcandalo poteſt fieri ſeparatio: neque recurri ad ſummum Pontificem, vel ad alium habentem priuilegium diſpenſandi: putà, ad Nuncium Apoſtolicum, aut Legatum à latere, ob paupertatem, aut locorũ diſtantiam, vel propter alia impedimenta legitima: vel ſine euidenti, grauique peccãdi periculo non poteſt diſpenſatio differri: vel ob ſimiles cauſas. Ita Sanch. lib. 2. diſp. 40. n. 3. Aegid. Con. diſp. 33. dub. 3. num. 32. Bonacina quæſt. 3. de Matrim. punct. 15. n. 4. poſt plurimos, quos citant. Ratio eſt, quia non eſt credibile ſummum Pontificem velle ſibi reſeruare diſpenſationem in caſu tantæ neceſſitatis, & cum tanto animarum periculo: ideoque præſumitur Epiſcopo conceſſa diſpenſandi facultas: quæ præſumptio eò melior eſt, quòd ſummum Pontificem non latet Doctores communiter ita ſentire, neque tamen reclamat.

5. Si impedimẽtum eſt occultum, & matrim. bona fide contractũ.

Dixi autem, quando impedimentum eſt occultum, id eſt, quando non publicè cõſtat, nec facilè cõſtare poteſt, periculumque non eſt vt in foro externo detegatur: vt bene exponunt Henriq. lib. 12. de Matrim. cap. 3. n. 1. & 2. & Sanch. lib. 2. diſp. 40. num. 11. atque in ea conditione omnes conueniunt. Dixi præterea, quando matrimonium bona fide contractum eſt: quia licet Henriq. loco cit. Sot. in 4. diſt. 37. qu. vnica art. 2. Gamach. cap. 31. de Matrim. & quidam alii putent hanc conditionem non eſſe neceſſariam, vt Epiſcopus poſſit diſpenſare: meliùs tamen Sanch. ſuprà num. 4. Aegid. Con. & Bonac. locis ſupra relatis, aliique plures quos citant, oppoſitum ſentiunt. Et probatur ex Trident. ſeſſ. 24. Decreto 1. cap. 5. vbi ſic ſtatuit. *Si quis intra gradus prohibitos ſciẽter matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe conſequendæ diſpenſationis careat. Idque in eo multò magis locum habeat, qui non tantùm matrimonium contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit. Quod ſi ignoranter id fecerit: ſi quidem ſolemnitates requiſitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eiſdem ſubiiciatur pœnis. Non enim dignus eſt, qui Eccleſiæ benignitatem experiatur, cuius ſalubria præcepta temerè contempſit.* Hæc Tridentinum. Vbi nota rationem hanc generalem eſſe, & communem omnibus impedimentis: licet Concilium ibi loquatur ſpeciatim de impedimento cõſanguinitatis, vel affinitatis. Quiſquis enim mala fide contrahit contra aliquod impedimentum dirimens, præceptum Eccleſiæ contemnit.

6.

Ratio verò huius limitationis eſt, quia poteſtas diſpenſandi in impedimentis, tacitè conceſſa Epiſcopis, nititur ſolùm manifeſtæ æquitati, quæ ſuadet mentem legiſlatoris non eſſe, vt Epiſcopus non poſſit in tali, vel tali caſu diſpenſare. Sed quando matrimonium mala fide contractum fuit, mens Pontificis non eſt iniquitati fauere, & præfractæ contrahentium audaciæ, dareque occaſionem contrahendi ſæpius contemptis impedimentis, ſpe facilioris diſpenſationis. Quam rationem indicat Tridentinum verbis illis, *Non enim dignus eſt*, &c. Cùm ergo Tridentinum ſtatuat, vt mala fide contrahentes ſpe diſpenſationis conſequendæ perpetuò careant; videtur negare Epiſcopis poteſtatem cum illis diſpenſandi. Hoc autem intellige, ſi vterque mala fide contraxerit. Nam ſi alter ſolùm: non eſt æquum puniri innocentem ob alterius delictum. Tridentinum autem hoc ſtatuit per modum pœnæ, vt patet ex his eius verbis, *Eiſdem ſubiiciatur pœnis.* Ita poſt Ioſephum à Coſta, & alios recentiores, docet Sanchez ſupra citat. Dicitur verò mala fide contrahere, is qui cognoſcens impedimentum in ratione impedimenti, contrahit nihilominus, ſeu contrahere præſumit, & attentat non obſtante impedimento. Vnde excuſat ignorantia, etiam craſſa, & latæ culpæ: quia vere non dicitur præſumere; aut ſcienter facere, qui facit ex ignorantia licet craſſa, ſed requiritur dolus, vel ingens temeritas, & latiſſima culpa, quæ dolo æquiparatur, vt poſt plurimos docet Sanch. eodem loco.

7. Et in facie Eccleſiæ.

Dixi tertiò, ſi matrimonium publicè contractum ſit: id eſt, in facie Eccleſiæ præmiſſis denunciationibus: quia Tridentinum capite citato, id expreſsè requirit. Vnde licet ignoranter & bona fide quoad impedimentum, contractum fuerit: ſi tamen ſolemnitates requiſitæ in matrimonio neglectæ ſint, non poteſt Epiſcopus diſpenſare: quia idem in hoc caſu decernit Tridentinum verbis ſupra relatis. Secus tamen ſi de licentia Ordinarii ſolemnitates illæ denunciationum omiſſæ ſint, quia tunc non negliguntur, neque contemnuntur; quod Concilium ſupponit, vt ſpe diſpenſationis careant. Sunt tamen qui exiſtiment hanc Tridentini Conſtitutionem contra eos, qui mala fide contrahunt, vel ſine ſolemnitatibus, non eſſe vſu receptam: adeoque Epiſcopum ea non obſtante diſpenſare poſſe, vt teſtatur Gamach. Doctor Sorbonicus capite trigeſimo primo, de matrimonio. Ipſe verò aliam adhibet expoſitionem textui minùs conuenientem: Tridentinum ſcilicet intelligendum eſſe, quando ſine ſcandalo fieri poteſt, & impedimentum iam eſt notorium, & facilis eſt recurſus ad ſummum Pontificem. Sed ſi ita eſſet, Concilium nihil peculiare ſtatueret contra eiuſmodi contrahentes: cùm tamen eorum diſpenſationem multò difficiliorem eſſe manifeſtè velit, imò ſtatuat vt ſpe diſpenſationis perpetuò careant.

8. An etiam ante matr. contracti.

Dixi quartò, Epiſcopum diſpenſare poſſe matrimonio iam contracto, non autem antequam contrahatur. Id enim ſupponunt cõmuniter Theologi. Valde tamẽ probabile eſt quod addit Sanch. ſupra n. 7. nullius, inquit, licet patrocinio fretus, poſſe aliquando Epiſcopum diſpenſare in impedimento dirimente antequam matrimonium contrahatur. Quod etiam docent Bonacina puncto cit. num. 6. de Salas diſp. 20. de legibus ſect. 3. & Pont. lib. 8. de matrim cap. 13. num. 6. Ex. gr. ſi paratis omnibus ad nuptias eo

busdam gradibus. Inter quæ notabile discrimẽ est, quòd in prioribus requiritur iusta causa non modò vt licitè, verùm etiã vt validè dispensetur. Cũ enim Prælati tunc dispẽsent vice Dei, & de iure diuino naturali, aut positiuo disponant auctoritate ab illo accepta: non est credendum Deum aliter eis dedisse hanc facultatem; quàm dispensandi rationabiliter secundum prudentem rationem, & ex iusta causa: non autem pro arbitrio, & quomodocunque libuerit. Vnde in eiusmodi impedimentis peccat non solùm qui dat dispensationem, sed etiam qui petit sine iusta causa: quia petit quod licitè concedi nequit. Neque est tutus in conscientia qui vtitur tali dispensatione, nisi excuset ignorantia: quippe quæ, cum inualida sit, non eximit à legis communis obligatione. At in posterioribus, tametsi iusta causa requiritur, vt detur licitè dispensatio: non tamen vt validè. Ratio primæ partis est, quia princeps abutitur sua potestate, quando sine causa rationabili eximit aliquos à legibus communibus, licet merè positiuis, & iuris humani: viamque aperit ad transgressionem, & contemptum legum, vt ait Trident. sess. 25. cap. 18. de reform. quod idcirco decernit ibid. vt si vrgens, iustaque ratio, & maior quandoque vtilitas postulauerint cum aliquibus dispensandum esse; id causâ cognitâ, ac summa maturitate fiat. Et sess. 24. cap. 5. de reform. matrim. in fine, generaliter statuit, vt in contrahendis matrimoniis non detur dispensatio nisi rarò, & ex causa.

12. Interdum solùm ad licitè.

Secunda verò pars probatur, quia sicut princeps ecclesiasticus, aut temporalis potest legem à se positam validè tollere, quamuis sine causa: ita & restringere respectu alicuius: quod minus est, quàm efficere vt planè cesset respectu omnium. Atque ita docent communiter Casoniſtæ in caput *Quæin Ecclesiarum*, De constitutionibus, & plurimi Theologorum relati à Suare lib. 6. de legibus cap. 19. num. 6. & à Sanche lib. 8. de matrim. disp. 17. num. 24. Vnde colligo non peccare eum, qui contra legem humanam operatur obtenta dispensatione à principe, quamuis sine causa: quia non amplius eum obligat: cum dispensatio fuerit valida. Peccat tamen contra rationem, & legem diuinam tam qui petit, quam qui dat sine causa, scienter & liberè, id est, nisi ignorantia probabilis excuset: quia contra rationem est, & consequenter contra legem diuinam, præcipientem vt nihil faciamus rectæ rationi contrarium, eximere aliquem à legibus, & oneribus communibus, sine vlla causa. Potest autem ignorantia vtrumque excusare: si nimirum vterque iudicet probabiliter causam sufficientem non deesse, & bona fide agat. Potest etiam alteruter solùm excusari à peccato. Petens quidem, si verè causam proposuit, quam sufficere probabiliter iudicauit: quæ tamen Prælato non videatur sufficere, & nihilominus dispenset. Contra verò Prælatus excusatur, si postulans falsò causam exposuit, & ipsa supposita tantùm, vel rationabiliter præsumptâ illius veritate, dispenset. Quod autem diximus, dispensationem in legibus purè humanis validam esse, quamuis detur sine iusta causa, intelligendum est (iuxta communem sententiam Doctorum supra citatorum, & iuxtà rei veritatem) de eo qui dispensat auctoritate propria: non autem ex delegatione, vel commissione superioris. Quia tunc delegans non censetur dare facultatem dispensandi nisi rationabiliter, & ex causa.

Suppono 2. Sicut leges feruntur propter bonum commune: ita dispensationem, siue legum relaxationem debere fieri propter commune bonum, & causam dispensandi debere ad illud aliquo modo pertinere. Nimirum vel directè, quando v. g. ex illa speratur pax publica, & concordia inter principes quibuscum dispensatur in secundo vel tertio gradu consanguinitatis. Vel saltè indirectè, quatenus bonum priuatorum redundat in bonum communitatis quæ ex illis componitur: & notabile bonum particulare solet communi multùm conducere quippe cuius interest conseruare familias, præcipuè florentes, potentes, & diuites, & personas maioris momenti, quæ sunt veluti robur, & nerui reipub. præcipuéque Principes ipsos, à quibus magis pendet vtilitas publica, & conseruatio reip. ciuilis, & ecclesiasticæ. Ex quo fit vt sine vitiosa personarum acceptione possit faciliùs dispensari cum huiusmodi personis, quàm cum aliis: præsertim verò cum magnis Principibus, quos Ecclesiæ valde expedit habere sibi amicos, & fautores. Ideóque Trident. sess. 24. cap. 5. de reform. matrimonii, statuit vt in secundo gradu non dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob causam publicam. Quod est intelligendum de secundo gradu consanguinitatis, aut affinitatis ex copula coniugali. Non autem de affinitate orta ex copula illicita: nam ista non dirimit vltra secundum gradum: & est valde imperfecta affinitas: ideoque si Tridentinum de illa intelligeretur, dispensatio circa eam permissa tacitè à Trident. respectu aliorum, quoad gradus vlteriores, nihil omnino ageret. Similique de causa non est intelligendum de impedimento publicæ honestatis, quod vltra primum gradum non impedit. Per magnos autem Principes puto Tridentinum intelligere eos omnes, & solos qui tales communiter censentur, & nominantur. Est enim iuxta communem loquendi modum, & vsitatam vocis huius acceptionem interpretandum. Cuiusmodi sunt non modò supremi, & independentes: verùm etiam magni & potentes domini temporales, tales vt ad eos Principis nomen extendi soleat. Sed non tales censentur esse Barones, & quicunq; illis superiores, vt nõnulli malè affirmant. Quia tamen Trident.

13. Causa dispensandi debet ad bonum commune spectare.

non potuit restringere potestatem Summi Pontificis, non impedit quò minùs dispensare possit cum istis, & cum aliis, quando necessitas, & iusta causa postulabit.

14. Maior causa pro maiori impedimento requiritur.

Suppono 3. Quò gradus consanguinitatis, aut affinitatis propior est, eò maiorē causam dispensandi necessariam esse: quia tunc strictius impedimentum est, difficiliusque tollendum. Et inter impedimenta diuersi generis, quantò vnum altero maius est, tantò maiorem causam postulat eius dispensatio. Ex. gr. quia consanguinitas est per se maius impedimentum, quàm affinitas; plus requiritur ad dispensandum in secundo vel tertio gradu consanguinitatis, quàm in eodem gradu affinitatis. Et quia affinitas orta ex matrimonio est maius impedimentum affinitate orta ex copula illicita: plus requiritur, vt in illa dispensetur, quàm in ista. Item quia cognato spiritualis maior est, quàm carnalis: quippe quæ à principio venerabiliori procedit, & maiori reuerentiâ digna est; plus causæ requiritur ad illius dispensationem, vt rectè docet Abbas in cap. vlt. *De purgat. Canon.* num. 4. Vnde in paternitate, & maternitate spirituali difficilimè dispensatur; imò nunquam Ecclesiam Romanam in ea dispensasse affirmat Abbas ibidem, & Mendesius à Sanche relatus disp. 19. num. 7. in fine: & à fortiori idem dicunt Abbas, Felinus, & Benedictus ibidem relati: qui de cognatione spirituali absolutè, & generaliter id affirmare videntur: quod tamen alii meliùs negant de compaternitate solum, aut commaternitate, respectu patris aut matris baptizati, propter quam matrimonium minus habet indecentiæ, quàm inter patrem, & filiam spiritalem; vel inter matrem spiritalem, & filium de baptismi fonte susceptum.

15. Causæ dispensandi in prohibētibus iure naturali, vel diuino.

His præsuppositis dico 1. Ad dispensandum in iis, quæ impediunt matrimonium saltem prohibendo, iure naturali, vel diuino positiuo, cuiusmodi sunt votum, & iuramentū de nō nubendo, vel de seruanda castitate perpetua, requiritur causa aliqua, quæ faciat vt dispensatio cedat in æqualem, vel maiorem Dei honorem: & vt aliqua causa ad illum pertinens obsistat voti executioni: vt cum communi sententia docent Sanch. lib. 8. disp. 20. numero 3. & Coninc disp. 33. dub. 5. num. 50. Causa verò illa tenere se potest vel ex parte materiæ voti aut iuramenti: vt quando prudenter dubitatur vtrū res promissa per votū, aut iuramentum, facta sit mala, vel indifferens, vel inutilis, aut impediens maius bonum. Addunt aliqui, quando dubium est vtrum tale votum, vel iuramentum obligauerit ab initio propter defectum materiæ, vel intentionis se obligandi: vel quando dubium est vtrum aliquis vllo modo vouerit, aut iurauerit. Sed tunc non est opus dispensatione: quia vt alibi ostendimus, votum aut iuramentum tunc pro nullo habendum est, & standum pro possessione libertatis. Secundò, potest causa se tenere ex parte vouentis. Vt fit in multis casibus.

16.

Primò scilicet quando aliquis nimis leuiter vouit sine præuia sufficienti deliberatione; vt frequenter fit ante pubertatem: qua etiam de causa possunt hæc vota à parentibus, & tutoribus irritari, vel quando ex subito timore vehementi, vel aliâ magna, & repentina commotione animi, impulsus fuit aliquis ad vouendum, statimque vouit. Solet enim tunc impediri perfecta deliberatio. Et si metus est grauis incussus iniustè ad votū extorquendum, votum est inualidum: imò etiam quando leuis, & iniustus eo fine incutitur, iuxta quorumdam sententiam: quia inquiunt, non placent Deo vota sic extorta 2. Quando deficit causa, quæ ad vouendum impulit: vt quando aliquis vouit castitatem sperans ingredi religionem, ad quam postea admitti nequit. Quamuis absolutè vouerit, & non tantùm sub conditione ingrediendi: quo in casu votum manifestè nullum foret, & non egens dispensatione. 3. Si post votum emissum occurrat magna implendi difficultas non antea præuisa, vel non satis expenta. Vt si ille qui vouit perpetuam castitatem, vel abstinentiam à coniugio, postea incurrat vitæ periculum, iudicio medicorum, per huius voti obseruationem: quod periculum vel omnino vitari aliter nequeat: vel non sine magna difficultate. Eódemque pertinet quod ait Sanchez, & post illum Aegidius supra num 54. sufficientem causam dispensandi esse, si qui vouit, magnis & continuis scrupulis angitur num voto satisfaciat. Ex. gr. num satis frequenter, vel attentè pronunciet orationes quas vouit. 4. Si vouēs, propter fragilitatē, & graues, ac frequētes peccandi occasiones, quibus sine grauissima difficultate subtrahere se nequeat, peccat frequenter, & grauiter contra votum, neque potest sine magna difficultate abstinere. Pertinet enim ad Dei gloriam, & Ecclesiæ vtilitatem, vt animarum periculo, & fragilitati hominum in illis occasionibus misericorditer subueniant Prælati. Idque meritò censetur Deo gratum esse. Quo etiā in casu plerique, quos citat, & sequitur Sanch. supra num. 18. dicunt Episcopum posse dispensare in voto castitatis perpetuæ, quando ex mora adeundi Summum Pontificem timetur graue incontinentiæ periculum. Idque siue periculum immineat ex fragilitate, siue ex infirmitate vouentis, & passione inuoluntaria: siue se ipse liberè, & cum peccato primùm in eas occasiones conieccrit. Vt quando aliquis post emissum votum simplex castitatis perpetuæ, contraxit matrimonium, & consummauit: iusta causa dispensandi cum illo ad petendum debitum est periculum frequenter peccandi, quod occurrit ex debito cohabitandi in eodem thoro. Quamuis enim isti sint minùs digni commiseratione, & liberalitate Ecclesiæ: ad illius tamen curam & ad Dei gloriam pertinet, huic malo, licet voluntariè

incurso remedium adhibere, & eorum saluti prospicere, frequentemque peccandi grauiter occasionem tollere. 5. Si ad pacem publicam, vel magnum Ecclesiæ aut reipublicæ bonum necessarium sit nubere eum qui vouit, aut iurauit seruare perpetuò castitatem: quia tunc etiam Dei gloria, & vtilitas Ecclesiæ, & ratio boni communis præponderat bono priuato vouentis. Si autem agatur solum de conseruatione alicuius familiæ illustris, non solet dari dispensatio pura & simplex, sed iuncta cum aliqua commutatione: ad quam minor causa sufficit, sicut & ad solam dilationem executionis voti, quando propter aliquod aliud bonum expedit differre, petiturque illius differendæ permissio. De quibus omnibus causis plura videri possunt apud Sanch. citata disp. 20. vbi in fine rectè notat maiorem causam ad dispensandum requiri, quando votum de re nobiliori factum est: & quãdo iuramentum voto accessit: quia tunc vinculum duplex est, & fortius vnico: Neque obesse dispensationi, quòd quis vouerit, aut iurauerit nunquam illam petere: nam hoc etiam votum, aut iuramentum relaxari potest: & simul cum illo tolli aliud, supra quod factus est actus iste reflexus vouendi, aut iurandi. Fierique potest, vt minus causæ requiratur ad vnius relaxationem, quàm alterius: nimirum si alterutrum fuit minori cum deliberatione, vel minùs expedita libertate emissum.

17. Causa dispes. in prohibentib. aut irritantib. iure humano.

Dico 2. Ad dispensandum in impedimentis solo iure humano prohibentibus, aut irritantibus matrimonium, plures causæ sufficiunt. Vna est, vitatio, vel extinctio magnarum litium, & grauium discordiarum, quę prudenter timentur alioqui futuræ, aut duraturæ: non modò si publicæ illæ sint, verùm etiam priuatæ inter familias: expedit enim ad commune bonum reip. familias, & ciues in pace contineri. Altera est, scandalum graue vitandum: putà quia grauis suspicio est quòd aliquis habuit copulam cum consanguinea, propter nimiam familiaritatem: & nisi eam ducat, scandalum illa patietur, iacturamque famæ, vel sequentur inimicitiæ graues, & iurgia cognatorum: quæ omnia vitare boni communis interest. Tertia est, periculum ingens delicti grauis, & salutis animæ inter aliquos, nisi simul contrahant, propter fragilitatẽ iuuentutis, & amorem vehementem, quo se mutuò prosequuntur, & à quo diuerti nequeunt. Quarta, si non sint alii, quibuscum possint contrahere sine graui incõmodo, propter dotis incompetentiam. Quod aliqui intelligunt intra ipsã ciuitatẽ, vel oppidũ: ne alioqui cogatur puella patriã relinquere, & à suis parentibus perpetuò abstrahi: quod multis durissimum est. Idque declaratum fuit à Cõgregatione Cardinalium ann. 1570. die 18. Nouembr. vt refert Sanch. lib. 8. disp. 19. num. 13. in hæc verba: *Clausula illa quæ dispensationibus occasione dotis incompetentiæ apponi solet, videlicet quia virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis inuenire nequit, verificatur, & iustificatur per diligentiam diuturnam præstitam in ipso loco mulieris, & non in locis circumuicinis.* Idem quoque locum habere intelligunt, quamuis sit vnus, aut alter in eodem oppido, aut ciuitate, cum quo possint commodè inire nuptias: quia matrimonium, quod valde liberum esse debet, maiorem libertatem eligendi requirit. Dicuntur autem non posse commodè nubere illi, quibus alioqui nubendum est cum valde imparibus vel genere, vel opibus, vel ætate, vel morum dissimilitudine, & inconggruitate, vnde lites & discordiæ timendæ.

Quinta causa est, si puella, licet dotem sufficientem alioqui sit habitura, & statui suo conuenientem, tamen nisi nubat consanguineo, vel affini, non potest ob deformitatem, aut alium defectum, reperire alium dignum suo genere, qui velit eam ducere, atque ita cogitur vel indigno nubere, vel à nuptiis perpetuò abstinere. Sexta est, si quamuis dotem habeat, illa sit magnis litibus implicata: neque alium reperiat, præter vnum de propinquis, qui gnauiter & diligenter, fideliterque eius negotia expediturus sit, si ea tanquam sua suscipiat, illamque in vxorem accipiat. Septima, si conseruatio illustris familiæ in eodem sanguine id postulat, ne potentatus, vel opes, & ditiones amplissimæ ad extraneos deuoluantur. Expedit enim ad bonum reip. illustres familias, præcipuéque Principum, & magnatum conseruari, suumque statum & splendorem retinere. Octaua, si petentes dispensationem bene meriti fuerint de Ecclesia. Decet enim Ecclesiam benignè, & liberaliter cum illis agere, deque rigore legum aliquid in eorum fauorem relaxare. Nona, si matrimonium fuit bona fide contractum, propter ignorantiam impedimenti. Tunc enim ad vitandum scandalum expedit dispensare: maximè verò si matrimonium fuit consummatum antequam detegeretur impedimentum, & proles fuit suscepta. Nam vt colligitur ex cap. *Quia circa*, de consanguinit. Proles suscepta (eo scilicet quo dixi modo) est vna de causis legitimè dispensandi. Secus autem si matrimonium mala fide contra Ecclesiæ prohibitionem, & non sine aliquo legum eius contemptu contraxerint. Nam tunc potiùs sunt magis indigni dispensatione, vt ait Trident. sess. 24. cap. 5. de reform. matrim. & multiplicitas prolis ita suscepta, magis eorum crimen exaggerat, vt dicitur cap. *Cum haberet*, de eo qui duxit in matrimonium.

18.

Quando igitur aliqua ex causis supradictis occurrit, possunt licitè dispensationem petere, qui contrahere volunt; & eam sperare: solet enim propter illas concedi. Multóque magis si plures ex illis simul concurrant. Fierique potest, vt quando plures concurrunt, quarum singulæ non sunt in eo

19. Sat est vnã vel plures simul sufficere.

gradu vt sufficiant ; omnes tamen simul sumptæ satis momenti habeant. Addi et am possunt aliæ, quæ iuuent supradictas, allegando v. g. orbitatē fœminæ destitutæ patre, vel vtroque parente : aut quod habeat liberos ex altero matrimonio, quos ipes sit melius à consanguineo tractatum iri, quā ab extraneo vitrico, vel nouerca. Interdum etiam Pontifex dispensat in gradibus remotioribus, sum mam pecuniæ notabilem exigendo in opera pia expendendam, quæ conducunt ad publicam vtilitatem : Ex. gr. in subsidium terræ sanctæ, vel belli contra Turcas, & alios hostes fidei christianæ, in Xenodochii, vel Ecclesiæ ædificationem, aut dotationem, & alios sumptus publicos. Plura de his videri possunt apud Nauarr. cap. 22. Manual. num. 84. & sequentibus, Sanc. lib. 8. disp. 19. & Comine dub. supra citato.

SECTIO III.

De causis, propter quas nulla redditur dispensatio.

20. Causa illa duplex est.

CAusa illæ generaliter duæ sunt : expressio falsi, aut reticentia veri in petitione dispensationis, propter quam superior ex mero errore illam concesserit : eamque ob causam dispensatio dicatur subreptitia, & consequenter sit nulla, quia dispensatio per subreptionem obtenta nullius penitus est momenti, vt dicit Bonifac. VIII. cap. 2. *De filiis Presbyter.* in 6. vbi quamuis loquatur de dispensatione quadam ad plura Beneficia, tacito defectu natalium obtentā : ratio tamen nullitatis, quam affert Pontifex, generalis est, & omnibus aliis dispensationibus communis : ideóque hanc decisionem generaliter ad omnes extendunt Theologi, & Canonistæ : qui hoc discrimen assignant inter rescripta gratiæ, cuiusmodi sunt dispensationes ; & rescripta iustitiæ, quæ dantur ad lites terminandas ex iustitia : quòd ista non irritentur per surreptionem, donec à parte aduersa elidantur per exceptionem ; secus verò illa, vt colligitur ex c. proximè cit. Nimirum quia alioqui vix vnquam irritarentur, cùm nemo soleat se illis opponere, sed potiùs velint omnes valida esse. Secus verò alia, quibus examinandis, & elidendis soler inuigilare pars aduersa : ideóque Summus Pōtifex id relinquit ipsius diligentiæ. Vt autem clarè ea complectamur, quæ copiosiùs traduntur hac de re à Canonistis, & Theologis, præcipuéque à Suare lib. 6. de legibus cap. 21. & sequentibus, Sanche lib. 8. de Matrim. disp. 21. & pluribus deinceps, Pontio lib. item 8. de eodem sacramento, à cap. 16. & Aegid. Con. disp. 33. dub. 6. breuibus quæstiunculis difficultates singulas proponemus, & explicabimus.

Quæritur ergo imprimis, vtrum quælibet expressio falsi : aut reticentia veri irritet dispensationem : aliaque rescripta gratiæ ? Affirmant aliqui, quorum contulē men init Aegid. Con. dub. cit. num. 60. quia in omnibus huiusmodi rescriptis tacitè vel expressè ineſt ista conditio, *si preces veritate nitantur.* Solet enim expresse apponi & si non apponatur debet subintelligi, vt dicitur cap. 2. de Rescriptis, cuius verba sunt : *In huiusmodi literis intelligenda est hac conditio, etiamsi non apponatur, Si preces veritate nitantur.* Si ergo illa deficiat, nulla est dispensatio : cùm nolit Pontifex aliter dispensare. Adde quòd in cap. *si motu proprio*, de Præbendis in 6. & cap. *Si proponente*, de Rescrip. dicitur concessionem Præbendæ nullam esse, quando petēs & impetrans reticet aliud Beneficium, quod possidet ; quamuis illud exiguum sit, & tale vt licet exprimeretur, non desisteret Pontifex velle concedere.

21. Quando ne irritet reticentia veri aut expressio falsi?

Sed nihilominus dicendum est cum vera, & communi sententia, non omnem reticentiam veri, aut expressionem falsi reddere irrita, & subreptitia rescripta gratiæ, sed duntaxat in duobus casibus. Primus est, quando tacetur aliquid, quod ius exprimi iubet in petitione talis gratiæ. Ratio est, quia, vt rectè ait Aegid. num. 61. quoties expresse præcipitur vt in petitione gratiæ aliquid exprimatur, exigitur id tāquam forma præscripta ; quā deficiente totus actus deficit, velut informis : & gratia, quæ obtinetur contra voluntatem Principis in legibus expressam, non potest non censeri obtenta per subreptionem. Itaque fit vt concessio Præbendæ nulla sit, secta habenti aliud Beneficium, illudque non exprimenti in petitione : quia lex iubet illud exprimi, c. *Si motu proprio*, & cap. *Si proponente*, supra citatis. Quod tamen adhuc intelligendum est, si Prælatus, aut Pontifex rogatus id faciat. Nam alicquin si motu proprio gratiā concedit ; tunc creditur fuisse sufficienter instructus de causa concessionis, vel ex sua liberalitate voluisse gratiam concedere. Quare tunc reticentia veri non nocet valori dispensationis, aut Rescripti, vt dicitur eod. cap. *Si motu proprio.* Sed nunquam censetur Rescriptum dari ex motu proprio, nisi id exprimat, vt dicitur ibid. An verò expressio falsi irritet eadem Rescripta motu proprio data, dicemus paulò post.

22. Irritet si tacetur id quod ius exprimi iubet,

Alter casus est, quando reticentia veri, vel expressio falsi, pertinet ad causam finalem concessionis gratiæ, debetque pro tali haberi. Pro quo nota cum Aegidio dub. cit. num. 58. causam quæ mouet Prælatum ad dispensandum, duplicem esse posse, finalem scilicet, aut impulsiuam tantùm. Finalis dicitur illa, quā Rescriptum, seu gratiā concedens præcipuè spectat, eāq; mouetur rationabiliter vt concedat ; ita vt sine illa, vel omnino non concederet, vel non eo planè modo, sed cum aliqua limitatione

23. Vel quādo pertinet ad causam finalem.

& cõditione apposita. Impulsiua verò dicitur illa, quæ rescribentem mouet vt facilius concedat, ita tamen vt sine illa concessurus esset secundum rectam rationem & meritum causæ, secundum quod censeri debet agere Prælatus, cùm agat ex officio publico, & ex iustitia distributiua: non autẽ secundum priuatum affectum amicitiæ, vel odii, aut secundum alia extrinseca negotio de quo agitur. Vnde facilè redditur ratio assertionis. Quia scilicet, quando contingit error per expressionem falsi, aut reticentiam veri circa causam finalem, Prælatus solo errore mouetur vt dispenset, aut aliam gratiam concedat, per Rescriptum tali modo impetratum: ideoque Rescriptum illud subreptitium est, quippe quod obtentum fuit per errorem dantem illius causam, & sine quo non fuisset concessum neque concedi poterat rationabiliter. At verò quando solùm contingit error circa causam impulsiuam tantùm: non potest dici propriè Rescriptum fuisse obtentum per errorem, & consequenter esse subreptitiũ: cùm non defuerit causa sufficienter mouens, secundum rectam rationem, ad illud concedendum.

24. Causa finalis, vel impulsiua tãtùm, quomodo dignoscantur?

Vt autem discernatur quæ causa sit finalis vel impulsiua tantùm, hanc regulam tradit Aegid. num. 59. Quando (inquit) affertur vna tantùm causa, censeri debet illa esse finalis: quia non debet præsumi alia subesse, aut superiorem dispensare sine causa. Quando autem plures afferuntur: tunc censentur finales illæ, quæ moraliter loquẽdo rem in qua dispensandum est, intrinsecè quodammodo afficiunt, & dispensationem rationabilem reddunt: cuiusmodi sunt in matrimonio illæ, quas sect. præcedenti exposuimus; quarum si vna, aut altera sufficit, vt quemlibet æquum superiorem communiter moueat ad dispensandum, reliquæ possunt credi fuisse tantùm impulsiuæ, præsertim si tantùm extrinsecè afficiant: & error circa illas non vitiat Rescriptum. Sin autem nulla seorsim sufficit, sed omnes simul constant vnam causam sufficientem; sat est quamlibet illarum esse falsam ad vitiandum Rescriptum. Iudicatur autem vnam solam non sufficere, quando non solet dari dispensatio propter illam solam. Hinc collige clausulam, *Si preces veritate nitantur*, debere intelligi de causa finali, non de impulsiua tantùm, quoad effectum irritandi Rescriptum.

25. Porro hæc assertio, quod attinet ad errorem per expressionem falsi, locum habet etiam in Motu proprio, quo Pontifex exprimit causam eum mouentem: quia tunc credi debet noluisse aliter concedere, saltem si gratia talis est; vt licitè conferri nequeat sine iusta causa. Quod addo, quia aliter puto dicendum esse cum Aegid. n. 36. quando gratia talis est, vt Pontifex cuiuis idoneo eam conferre liceat; esse pro libero beneplacito: puta si cuipiam probo & erudito domestico suo conferat aliquod Beneficium, allegans eum esse bene meritum de Ecclesia, cum tamen adhuc nihil pro illa fecerit. Solent enim Principes in fauoribus concedendis tale quippiam allegare, cuius defectu nolunt irritam esse concessionem.

Nota præterea ex eodem Aegid. num. 66. quando dispensatio, vel quæuis alia gratia per Rescriptum concessa est diuisibilis, expressionem falsi, vel reticentiam veri, ignoranter factam, & sine dolo, licet pertineat ad causam finalem, vitiare solum partem illam, quæ recognita non fuisset concessa: si verò fiat fraude petentium, totam concessionem esse irritam, vt dicitur cap. *super literis*, de Rescriptis. Exemplum est, si quis petat dispensationem ad matrimonium cum cognata, post votum castitatis à se factum: & pro voti dispensatione hanc causam afferat, quia grauissimas tentationes, & frequentes lapsus patitur: pro ducenda verò cognata, quia aliequi non reperit illa nuptias dignas se. Si prima causa est vera, secunda falsa, bona tamen fide proposita, valet dispensatio ad primum, id est, ad votum relaxandum, vt matrimonium inire possit: non ad secundum, id est, ad ducendam cognatam. Sin autem mala fide actum est, ad neutrum valet in poenam perfidiæ, vt dicitur cap. cit. ad quam tamen poenam incurrendam dicunt aliqui requiri cognitionem, & sententiam iudicis: quorum opinionem probabilem esse censet Aegid. loco citato, illisque adhæret Sanch. lib. 8. disp. 21. num. 78.

26. Quid si gratia concessa est diuisibilis?

27. Debentne omnia impedimenta simul explicari, quando plura sunt?

Quæritur secundò, verum quando sunt plura impedimenta matrimonii, debeant omnia sin ul explicari in eadẽ petitione dispensationis? Respõdeo & dico primò, si plura sunt, & vnum tantùm exprimitur; non obtinetur dispensatio eorum, quæ non exprimuntur: quia cum separatim tolli possint, tollere vnum non est tollere alterum. Ex quo etiam fit, vt quia impedimenta v. g. consanguinitatis, vel affinitatis sunt diuersa pro diuersitate gradus, & eò grauiora, ac difficiliùs dispensabilia, quò gradus propinquior est: vel quia affinitas orta est ex coniugali copula: si quis petit, & obtinet dispensationem pro quarto gradu consanguinitatis, vel affinitatis, & fit in tertio; non valeat dispensatio: & si obtinet in secundo gradu affinitatis ex copula illicita, non valeat pro secundo gradu affinitatis ex copula coniugali. Quia hæc impedimenta sunt separabilia: & nõ sequitur maius tolli sublato minori: neq; præsumendus est Pontifex hoc intendere. Secus autem si distarent minori gradu, quàm expresserunt: aut si obtinuissent dispensationem in pari gradu affinitatis ex copula licita, cùm tamen fuerit illicita. Quia concesso eo quod maius est in eodem genere impedimenti, censetur minus esse concessum. Quin etiam licet consanguinei, aut affines non tantũ distent inter se, quantum remotior inter illos distat à primo

primo stipite consanguinitatis, aut affinitatis: si tamen gradus distantiæ, vnius illorum à stipite est diuersus, debet vterque exprimi, vt statuit Pius V. in Bulla data vigesimo Augusti, anno 1566. quæ incipit, *Attendens per quandam*: idque fert praxis, seu stylus hodiernus curiæ Romanæ.

29. Non debet si sunt diuersæ rationis.

Dico secundò, quando impedimenta sunt diuersæ rationis, ita vt simul coniuncta non efficiant vnam indecentiam maiorem respectu matrimonii contrahendi, nec vnum alterius indecentiam aggrauet, potest separatim licitè, & validè peti, & obtineri eorum dispensatio. Vt, exempli gratia, Si quis habeat simul impedimentum voti simplicis perpetuæ castitatis, & simul impedimentum cognationis, aut affinitatis. Sunt enim illa planè disparata: neque vnum auget indecentiam alterius: & consequenter non reddit magis difficilem illius ablationem, seu dispensationem. Notandum tamen in hac separatione debere tot afferri causas finales sufficientes, quot sunt impedimenta: id est, debere pro singulis, quorum seorsim dispensatio petitur, afferri singulas causas diuersas, aptas mouere sufficienter ad dispensandum super impedimento, cui applicantur, vel vnam quæ sufficiat pro omnibus illis impedimentis, etiam collectiuè sumptis. Nam alioqui si vna, & eadem pro omnibus afferatur, non est iusta, & proportionata: cùm maior requiratur pro pluribus impedimentis, quàm quæ præcisè sufficit pro vnico illorum. Ideóque tunc reticentia veri, siue non expressio dispensationis priùs obtentæ vi eiusdem causæ super altero impedimento, inducit errorem circa causam finalem, & Rescriptum subreptitium reddit.

30. Secus autē si eiusdem quodammodo.

Dico tertiò, quando impedimenta sunt eiusdem quodammodo rationis, ita vt vnum augeat indecentiam alterius, eiusque dispensationem reddat difficiliorem ex natura rei; non valet dispensatio separatim petita pro diuersis impedimentis, nisi causa talis proponatur, vt sufficiat ad dispensandum super impedimento proposito, non obstante illius coniunctione cum alio. Exempli gratiâ, petit aliquis dispensationem ad contrahendum cum cognata, cuius affinis effectus est per copulam illicitam cum ipsius sorore: quæ duo impedimenta sunt quodammodo eiusdem rationis, & vnum aggrauat indecentiam alterius, dispensandique difficultatem: est enim magis indecens ducere illam, cuius simul cognatus, & affinis es: difficiliúsque Prælatus dispensaret cum tali affine, vt cum tali cognata contraheret: Non valet dispensatio separatim petita super his impedimentis, nisi pro singulis afferatur causa per se sufficiens, vt tollatur rationabiliter non obstante tali coniunctione. Ratio huius assertionis est, quia alioquin error contingit circa causam finalem concessionis, quæ, vt supponitur, est insufficiens, & talis non eritò iudicaretur à dispensante, si coniunctio cum altero impedimento fuisset expressa.

31. Quid si separentur sine causa?

Addit Aegidius dubitatione suprà citata, numero septuagesimo octauo, non valere quoque si non sit causa rationabilis separatim petendi dispensationem, quamuis alioqui proponatur motiuum sufficiens. Quia, inquit, tunc irrationaliter petitur: & dispensans cognita veritate, meritò dispensationem negaret: & consequenter per errorem eam concedit. Sed non video quomodo hic error pertineat ad causam finalem, cùm proponatur causa sufficiens dispensandi, vt supponimus, id est, quâ Prælatus potest moueri prudenter ad dispensandum. Quare licet displicere possit illi modus petendi, & ita fortè, vt non concederet dispensationem, si alterius impedimenti simul fieret mentio: non video tamen cur magis tunc irrita, & subreptitia censeri debeat, quàm cùm petitur à malè merito de Ecclesia, vel ab homine vitioso, tacitis his defectibus, qui si noti essent dispensanti, non vellet dispensare. Itaque probabilius censeo valituram esse in eo casu dispensationem: quamuis non sit eo modo petenda, nisi sit iusta causa separandi: Putà ad tuendum honorem corruptæ: vel ne prodatur proprium peccatum: ad quod vitandum potest primò peti separatim à Pontifice dispensatio super cognatione: tum à Pœnitentiaria dispensatio super affinitate illicita, significando se priùs obtinuisse dispensationem super cognatione. Vel è contrario, potest primo peti à Pœnitentiaria dispensatio super fornicatione occulta; tum à Pontifice dispensatio super cognatione.

32. Circūstātia aggrauans impedimentum debet exprimi.

Dico quartò, Quando impedimentum habet aliquam circunstantiam adiunctam, vel conditionem, ob quam continet maiorem indecentiam, estque difficilior illius dispensatio: debet illa exprimi: alioquin error contingit circa causam finalem. Probatur ex cap. 2. De fil. Presbyt. in 6. vbi dicitur dispensationem ad plura beneficia nullam fuisse, quia data fuerat illegitimo, qui in sua petitione, non expresserat defectum natalium: & non erat verisimile voluisse Pontificem hanc illi gratiam concedere, quâ, propter hunc defectum, erat magis indignus. Exempla sunt, si qui petunt dispensationem super impedimento matrimonii, scienter contraxerunt cum illo; vel ignoranter quidem, sed non præmissis proclamationibus; debent hoc exprimere: quia longè difficilior redditur dispensatio propter hanc circunstantiam; vt patet ex Trident. sessione 24. cap. 5. de Reformatione matrimonii, vbi statuit, vt si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præ-

& cõditione apposita. Impulsiua verò dicitur illa, quæ rescribentem mouet vt facilius concedat, ita tamen vt sine illa concessurus esset secundum rectam rationem & meritum causæ, secundum quod censeri debet agere Prælatus, cùm agat ex officio publico, & ex iustitia distributiua: non autẽ secundum priuatum affectum amicitiæ, vel odii, aut secundum alia extrinseca negotio de quo agitur. Vnde facilè redditur ratio assertionis. Quia scilicet, quando contingit error per expressionem falsi, aut reticentiam veri circa causam finalem, Prælatus solo errore mouetur vt dispenset, aut aliam gratiam concedat, per Rescriptum tali modo impetratum: ideoque Rescriptum illud subreptitium est, quippe quod obtentum fuit per errorem dantem illius causam, & sine quo non fuisset concessum neque concedi poterat rationabiliter. At verò quando solùm contingit error circa causam impulsiuam tantùm: non potest dici propriè Rescriptum fuisse obtentum per errorem, & consequenter esse subreptitiũ: cùm non defuerit causa sufficienter mouens, secundum rectam rationem, ad illud concedendum.

24. Causa finalis, vel impulsiua tantùm, quomodo dignoscantur?

Vt autem discernatur quæ causa sit finalis vel impulsiua tantùm, hanc regulam tradit Aegid. num. 59. Quando (inquit) affertur vna tantùm causa, censeri debet illa esse finalis: quia non debet præsumi alia subesse, aut superiorem dispensare sine causa. Quando autem plures afferuntur: tunc censentur finales illæ, quæ moraliter loquẽdo rem in qua dispensandum est, intrinsecè quodammodo afficiunt, & dispensationem rationabilem reddunt: cuiusmodi sunt in matrimonio illæ, quas sect. præcedenti exposuimus; quarum si vna, aut altera sufficit, vt quemlibet æquum superiorem communiter moueat ad dispensandum, reliquæ possunt credi fuisse tantùm impulsiuæ, præsertim si tantùm extrinsecè afficiant: & error circa illas non vitiat Rescriptum. Sin autem nulla seorsim sufficit, sed omnes simul constant vnam causam sufficientem; sat est quamlibet illarum esse falsam ad vitiandum Rescriptum. Iudicatur autem vnam solam non sufficere, quando non solet dari dispensatio propter illam solam. Hinc collige clausulam, *Si precis veritate nitantur*, debere intelligi de causa finali, non de impulsiua tantùm, quoad effectum irritandi Rescriptum.

25. Porro hæc assertio, quod attinet ad errorem per expressionem falsi, locum habet etiam in Motu proprio, quo Pontifex exprimit causam eum mouentem: quia tunc credi debet noluisse aliter concedere, saltem si gratia talis est; vt licitè conferri nequeat sine iusta causa. Quod addo, quia aliter puto dicendum esse cum Aegid. n. 36. quando gratia talis est, vt Pontifex cuiuis idoneo eam conferre liceat pro libero beneplacito: puta si cuipiam probo & erudito domestico suo conferat aliquod Beneficium, allegans eum esse bene meritum de Ecclesia, cum tamen adhuc nihil pro illa fecerit. Solent enim Principes in fauoribus concedendis tale quippiam allegare, cuius defectu nolunt irritam esse concessionem.

Nota præterea ex eodem Aegid. num. 66. quando dispensatio, vel quæuis alia gratia per Rescriptum concessa est diuisibilis, expressionem falsi, vel reticentiam veri, ignoranter factam, & sine dolo, licet pertineat ad causam finalem, vitiare solum partem illam, quæ recognita non fuisset concessa: si verò fiat fraude petentium, totam concessionem esse irritam, vt dicitur cap. *super literis*, de Rescriptis. Exemplum est, si quis petat dispensationem ad matrimonium cum cognata, post votum castitatis à se factum: & prouoti dispensatione hanc causam afferat, quia grauissimas tentationes, & frequentes lapsus patitur: pro ducenda verò cognata, quia alioqui non reperit illa nuptias dignas se. Si prima causa est vera, secunda falsa, bona tamen fide proposita, valet dispensatio ad primum, id est, ad votum relaxandum, vt matrimonium inire possit: non ad secundum, id est, ad ducendam cognatam. Sin autem mala fide actum est, ad neutrum valet in poenam perfidiæ, vt dicitur cap. cit. ad quam tamen poenam incurrendam dicunt aliqui requiri cognitionem, & sententiam iudicis: quorum opinionem probabilem esse censet Aegid. loco citato, illisque adhæret Sanch. lib. 8. disp. 21. num. 78.

26. Quid si gratia concessa est diuisibilis?

27. Debentne omnia impedimenta simul explicari, quando plura sunt?

Quæritur secundò, vtrum quando sunt plura impedimenta matrimonii, debeant omnia simul explicari in eadẽ petitione dispensationis? Respõdeo & dico primò, si plura sunt, & vnum tantùm exprimitur; non obtinetur dispensatio eorum, quæ non exprimuntur: quia cum separatim tolli possint, tollere vnum non est tollere alterum. Ex quo etiam fit, vt quia impedimenta v. g. consanguinitatis, vel affinitatis sunt diuersa pro diuersitate gradus, & eò grauiora, ac difficiliùs dispensabilia, quò gradus propinquior est: vel quia affinitas orta est ex coniugali copula: si quis petit, & obtinet dispensationem pro quarto gradu consanguinitatis, vel affinitatis, & sit in tertio; non valeat dispensatio: & si obtinet in secundo gradu affinitatis ex copula illicita, non valeat pro secundo gradu affinitatis ex copula coniugali. Quia hæc impedimenta sunt separabilia: & nõ sequitur maius tolli sublato minori: neq; præsumendus est Pontifex hoc intendere. Secus autem si distarent minori gradu, quàm expresserunt: aut si obtinuissent dispensationem in pari gradu affinitatis ex copula licita, cùm tamen fuerit illicita. Quia concesso eo quod maius est in eodem genere impedimenti, censetur minus esse concessum. Quin etiam licet consanguinei, aut affines non tantũ distent inter se, quantum remotior inter illos distat à primo

primo ſtipite conſanguinitatis, aut affinitatis: ſi tamen gradus diſtantiæ vnius illorum à ſtipite eſt diuerſus, debet vterque exprimi, vt ſtatuit Pius V. in Bulla data vigeſimo Auguſti, anno 1566. quæ incipit, *Attendens per quandam*: idque fert praxis, ſeu ſtylus hodiernus curiæ Romanæ.

29. Non debet ſi ſunt diuerſæ rationis.

Dico ſecundò, quando impedimenta ſunt diuerſæ rationis, ita vt ſimul coniuncta non efficiant vnam indecentiam maiorem reſpectu matrimonii contrahendi, nec vnum alterius indecentiam aggrauet, poteſt ſeparatim licitè, & validè peti, & obtineri eorum diſpenſatio. Vt, exempli gratiâ, Si quis habeat ſimul impedimentum voti ſimplicis perpetuæ caſtitatis, & ſimul impedimentum cognationis, aut affinitatis. Sunt enim illa planè diſparata: neque vnum auget indecentiam alterius: & conſequenter non reddit magis difficilem illius ablationem, ſeu diſpenſationem. Notandum tamen in hac ſeparatione debere tot afferri cauſas finales ſufficientes, quot ſunt impedimenta: id eſt, debere pro ſingulis, quorum ſeorſim diſpenſatio petitur, afferri ſingulas cauſas diuerſas, aptas mouere ſufficienter ad diſpenſandum ſuper impedimento, cui applicantur, vel vnam quæ ſufficiat pro omnibus illis impedimentis, etiam collectiuè ſumptis. Nam alioqui ſi vna, & eadem pro omnibus afferatur, non eſt iuſta, & proportionata: cùm maior requiratur pro pluribus impedimentis, quàm quæ præcisè ſufficit pro vnico illorum. Ideóque tunc reticentia veri, ſiue non expreſſio diſpenſationis priùs obtentæ vi eiuſdem cauſæ ſuper altero impedimento, inducit errorem circa cauſam finalem, & Reſcriptum ſubrepticium reddit.

30. Secus autē ſi eiuſdem quodammodo.

Dico tertiò, quando impedimenta ſunt eiuſdem quodammodo rationis, ita vt vnum augeat indecentiam alterius, eiuſque diſpenſationem reddat difficiliorem ex natura rei; non valet diſpenſatio ſeparatim petita pro diuerſis impedimentis, niſi cauſa talis proponatur, vt ſufficiat ad diſpenſandum ſuper impedimento propoſito, non obſtante illius coniunctione cum alio. Exempli gratiâ, petit aliquis diſpenſationem ad contrahendum cum cognata, cuius affinis effectus eſt per copulam illicitam cum ipſius ſorore: quæ duo impedimenta ſunt quodammodo eiuſdem rationis, & vnum aggrauat indecentiam alterius, diſpenſandique difficultatem: eſt enim magis indecens ducere illam, cuius ſimul cognatus, & affinis es: difficiliúſque Prælatus diſpenſaret cum tali affine, vt cum tali cognata contraheret: Non valet diſpenſatio ſeparatim petita ſuper his impedimentis, niſi pro ſingulis afferatur cauſa per ſe ſufficiens, vt tollatur rationabiliter non obſtante tali coniunctione. Ratio huius aſſertionis eſt, quia alioquin error contingit circa cauſam finalem conceſſionis, quæ, vt ſupponimus, eſt inſufficiens, & talis in eritò iudicaretur à diſpenſante, ſi coniunctio cum altero impedimento fuiſſet expreſſa.

31. Quid ſi ſeparentur ſine cauſa?

Addit Aegidius dubitatione ſuprà citata, numero ſeptuageſimo octauo, non valere quoque ſi non ſit cauſa rationabilis ſeparatim petendi diſpenſationem, quamuis alioqui proponatur motiuum ſufficiens. Quia, inquit, tunc irrationaliter petitur: & diſpenſans cognita veritate, meritò diſpenſationem negaret: & conſequenter per errorem eam concedit. Sed non video quomodo hic error pertineat ad cauſam finalem, cùm proponatur cauſa ſufficiens diſpenſandi, vt ſupponimus, id eſt, quâ Prælatus poteſt moueri prudenter ad diſpenſandum. Quare licet diſplicere poſſit illi modus petendi, & ita fortè, vt non concederet diſpenſationem, ſi alterius impedimenti ſimul fieret mentio: non video tamen cur magis tunc irrita, & ſubrepticia cenſeri debeat, quàm cùm petitur à malè merito de Eccleſia, vel ab homine vitioſo, tacitis his defectibus, qui ſi noti eſſent diſpenſanti, non vellet diſpenſare. Itaque probabilius cenſeo valituram eſſe in eo caſu diſpenſationem: quamuis non ſit eo modo petenda, niſi ſit iuſta cauſa ſeparandi: Puta ad tuendum honorem corruptæ: vel ne prodatur proprium peccatum: ad quod vitandum poteſt primò peti ſeparatim à Pontifice diſpenſatio ſuper cognatione: tum à Pœnitentiaria diſpenſatio ſuper affinitate illicita, ſignificando ſe priùs obtinuiſſe diſpenſationem ſuper cognatione. Vel è contrario, poteſt primo peti à Pœnitentiaria diſpenſatio ſuper fornicatione occulta; tum à Pontifice diſpenſatio ſuper cognatione.

32. Circūſtātia aggrauans impedimētum debet exprimi.

Dico quartò, Quando impedimentum habet aliquam circunſtantiam adiunctam, vel conditionem, ob quam continet maiorem indecentiam, eſtque difficilior illius diſpenſatio: debet illa exprimi: alioquin error contingit circa cauſam finalem. Probatur ex cap. 2. De fil. Presbyt. in 6. vbi dicitur diſpenſationem ad plura beneficia nullam fuiſſe, quia data fuerat illegitimo, qui in ſua petitione, non expreſſerat defectum natalium: & non erat veriſimile voluiſſe Pontificem hanc illi gratiam concedere, quâ, propter hunc defectum, erat magis indignus. Exempla ſunt, ſi qui petunt diſpenſationem ſuper impedimento matrimonii, ſcienter contraxerunt cum illo; vel ignoranter quidem, ſed non præmiſſis proclamationibus; debent hoc exprimere: quia longè difficilior redditur diſpenſatio propter hanc circunſtantiam; vt patet ex Trident. ſeſſione 24. cap. 5. de Reformatione matrimonii, vbi ſtatuit, vt ſi quis intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præ-

cundo. Nam loquitur ibi de copula habita post matrimonium scienter contractum cum impedimento consanguinitatis, & affinitatis: non autem de copula inter solutos habita, vel etiam post sponsalia dumtaxat.

Quæritur sextò, vtrum si obtenta dispensatione super affinitate ex copula illicita, contingat iterum copulam similem exerceri, irretur dispensatio? Respondeo, si copula rursus habeatur post datam dispensationem à Pontifice, & consummatam illius concessionem à Prælato, vel à iudice ecclesiastico, cui solet Pontifex eam committere, vt videat si preces veritate nitantur, vel à confessario, cui committitur in foro conscientiæ: non sufficere dispensationem illam ad contrahendum matrimonium. Quia licet prius impedimentum sublatum fuerit: tamen nouum contraxit, factus iterum affinis per copulam post habitam. Quemadmodum si quis voueret iterum castitatem perpetuam post obtentam dispensationem à priori voto, egeret noua dispensatione propter impedimentum sibi ex priori extincto, inductum à secundo voto.

36. Valeatne dispensatio circa impedimentum superueniens prioti simile?

Nec obest, quòd si quis sæpius cum eadem fornicatus sit, non tenetur id exprimere petendo dispensationem super affinitate inde contracta: quia non propterea multiplicantur affinitates, ita vt plures simul existant, sed tantùm multiplicantur actiones, quibus contraheretur affinitas, si antea non esset: Sicut quando excommunicatus pluries celebrat in statu eiusdem excommunicationis, non propterea contrahit plures irregularitates, sed facit actum, propter quem contraheret, nisi iam contraxisset. Respondeo enim diuersam esse rationem de eo qui moraliter sublata affinitate priùs contracta iterum eam reducit, propter actum qui est sufficiens illius causa, quique illam parit, si nondum est. Similis enim est illi, qui obtenta absolutione ab irregularitate, iterum celebraret in statu excommunicationis: qui sine dubio iterum similem irregularitatem incurreret.

37. Confirmatur, quia suppositâ communi sententiâ, quòd affinitas orta ex copula illicita, quamuis occulta, inducat impedimentum petendi debitum: si quis post obtentam absolutionem in foro conscientiæ, super peccato præterito, & dispensationem ab habente priuilegium dispensandi super impedimento inde orto: si inquam, postea copulam similem exerceat, eget sine dubio noua dispensatione super affinitate, & impedimento rursus contracto propter nouum peccatum incestus. Par autem est ratio, vt egeat similiter, qui post obtentam, & consummatam concessionem dispensationis iterum copulam habet cum consanguinea eius quam ducere vult, in primo, vel secundo gradu: ergo &c. Consultò autem addidi *& consummatam concessionem*: quia secus dicendum est, si copula iterum habita fuerit antequam iudex, vel alius à Papa commissus, illam, cognita veritate, eius nomine concesserit. Nam tunc valet dispensatio ad extinguendum quidquid eam præcessit, seu totam affinitatem eo vsque contractam cum tali fœmina.

Quæritur 7. vtrum quando dispensatur in voto castitatis perpetuæ, vel non ineundi matrimonium, dispensatio valeat pro sola prima vice: ita vt, mortua coniuge, non possit impetrare ad secundas nuptias conuolare? Respondeo negatiuè, nisi diserte id exprimatur, vt fieri solet his verbis: *ita vt si fœminæ, cui coniungetur, superuixerit, viuat postea cœlibs, & in castitate, vtpote eadem voto obligatus.* Quod adhuc intelligendum est de coniunctione per matrimonium validum: alioqui dispensatio non habuisset effectum. Et de matrimonio consummato: nam dispensatio ad hoc præciputè datur: quippe quod solum opponitur directè voto castitatis: ideoque illa non habet plerè suum effectum ante consummationem matrimonii. Ratio huius responsi est, quia quando mens summi Pontificis est restringere dispensationem ad primum matrimonium; id expressè in literis cauet, ne alioqui præsumatur simpliciter, & absolutè dispensare, iuxta intentionem petentium. Loquimur autem de dispensatione data à summo Pontifice, habente potestatem absolutam dispensandi; non autem ab alio inferiore habente limitatam, ad dispensandum dumtaxat pro aliquo casu particulari, propter vrgentem illius necessitatem. Nam talis dispensatio primo actu finitur: cùm non excedat facultatem dispensantis ad illum limitatam. Excipit etiam Sanch. lib. 8. disp. 31. n. 13. nisi Papa limitet dispensationem ad certam personam, cui specialiter vult gratificari, aut eius honori consulere; putà, si dispenset cum Petro, vt ducat Luciam quam defloruit. Quando autem Pontifex dispensat cum aliquo super voto castitatis, vt contrahat matrimonium ad habendos liberos, ne illustris familia extinguatur: non est censendus limitare dispensationem ad vnicum matrimonium, tametsi liberos ex illo procreauerit.

38. Dispensatio voti castitatis quousque extendatur.

Quæritur octauò vtrum dispensatio possit illi prodesse, qui iam ei renunciauit? Respondeo affirmatiuè, nisi superior acceptauerit renunciationem. Nam alioqui censetur manere in eadem voluntate dispensandi, quam inferior potest iterum acceptare. Confirmatur ex capite septimo, de procuratoribus, in sexto, vbi sic habetur: *Licet is qui procurator constituitur ab absente, dixerit præsentatum sibi suscipere nolle tum: hoc tamen nequaquam obstante, constituens in eadem perstiterit voluntate, sum acceptare poterit, quandocunq.*

39. Prosit ne dispensatio post renunciationem?

Hoc tamen intellige, nisi per renunciationem nouum impedimentum simile priori induxerit, propter quod noua dispensatione opus sit. Vt facit ille qui tacitè iterum vouet, aut iurat, renuncians dispensationi voti aut iuramenti priùs facti, & intendens æq; Deo se iam obligare, ac si dispensationem non obtinuisset: siue prioris voti, aut iuramenti obligationem renouare, postquam semel dispensationem acceptauit.

40. Quid faciendũ si eius valor est dubius?

Quæritur vltimò, quid faciendum sit, quando valor dispensationis est dubius? Respondeo dubium illud posse contingere, vel circa impetrationẽ dispensationis, vel circa eius durationem. Circa primum, affirmant aliqui generaliter iudicandum esse non valere: quia in dubio melior est conditio possidentis: Impedimentum autem est in possessione: Quare in fauorem illius iudicandum est. Alii contra generaliter dicunt præsumendum esse valere, & in meliorem partem accipiendum: quia in dubio præsumitur pro valore actus, vt dicitur cap. *Abbati*, de verb. signific. Quam sententiam veram esse puto, dum modo dubium non sit purum, & negatiuum, sed probabiles sint rationes, aut Doctorum sententiæ iudicantes probabiliter id, de quo dubitatur, non pertinere ad substantiam actus, id est, defectum qui contigit per reticentiam veri, aut expressionem falsi, non pertinere ad causam finalem dispensationis. Nam postulans censendus est muneri suo satisfeciſſe, quando proposuit quidquid est necessarium secundum probabile iudicium prudentum. Ad maiorem verò securitatem faciet petere ab Episcopo authenticam dubii decisionem, & declarationem validitatis.

41. Cessare causa finali cessante?

Circa secundum, affirmant aliqui, quos refert, & sequitur Sanch. libro octauo, disputatione trigesima, numero decimo quarto, Si causa finalis, dispensationis cessaret, antequam contrahatur matrimonium, non valere amplius dispensationem: quia non datur pro tempore, quo cessat illius causa: & sicut lex definit obligare, cessante penitus tota illius ratione, ita eadem cessante definit vim habere dispensatio: facilius enim tollitur ius extraordinarium, & speciale, cuiusmodi est dispensatio, & priuilegium; quàm ius commune. Quod confirmari potest variis exemplis. Si quis enim dispensatur à ieiunio quadragesimæ propter infirmitatem, non valet dispensatio ea cessante. Si Canonicus dispensatur à choro propter ingentes occupationes, cessat dispensatio illis desinentibus, otioque pristino ei reddito. Ergo similiter si quis obtineat dispensationem ducendi consanguineam, quia hæc propter defectum dotis non reperit alium dignum se; si dives fiat, reperiat, non durat dispensatio.

Alii, inter quos est Suarez lib. 8. cap. 30. num. 6. & 7. dicunt valere nihilominus, nisi propter aliquam circumstantiam vsus illius reddatur illicitus: quia dispensatio est beneficium Principis: quod, vt dicitur regula decima sexta, de regulis iuris in 6. debet esse perpetuum. Nec obest quod sine tali causa non fuisset impetrata: quia non quidquid requiritur vt res fiat, est necessarium ad illius conseruationem. Alii denique vt Aegic. dub. cit. n. 97. & sequentibus, distinctione vtendum esse volunt. Nam, inquiunt, vel priuilegia derogant iuri communi: aut priuati alicuius vel non, sed tantùm continent merum fauorem. Si primum: non durant cessante causa finali concessionis: vt probant exempla in odo allata. Si secundum: durant nihilominus. Quia cùm exigua causa requiratur ad illorum impetrationem; honestas exigit, vt semel data non reuocentur, nisi eorum continuatio pareret alia incommoda.

42. Respondetur cũ distinctione.

Verùm cùm hic agatur de dispensationibus, & dispensatio semper deroget iuri saltem cõmuni, quod relaxat: non video quomodo hæc distinctio locum habere possit in præsenti quæst. de impedimentis matrimonii. Quare potiùs vtendum censeo alia distinctione, quam Aegid. tradit eodem loco. Quia nimirum vel dispensatio transfert quodammodo personã ad alium statum vel non, sed eam relinquens in eodem statu, dat tantùm facultatẽ ad exercendos aliquos actus, quos sine dispensatione non posset validè, aut licitè exercere. Si primum: non definit valere dispensatio, definente causa finali. Puta si quis dispensatus fuit à voto simplici castitatis, vt cognatam pauperem duceret, vel illustrem familiam, alioquin extinguendam, conseruaret. Nam per legitimam voti relaxationem persona est mutata, & facta libera perinde ac si non vouisset: votumque semel extinctum non reuiuiscit, si cognata fiat dives, vel oriatur aliquis à parentibus antea infœcundis, qui familiam propagare possit. Similiter si quis factus est legitimus propter morum honestatem, & consequenter accepit facultatem suscipiendi Ordines sacros, & obtinendi Beneficia ecclesiastica: tenet dispensatio, quãuis postea improbus fiat. Quia dispensatio eum transtulit ad alium statum, & extinxit defectum natalium, qui non redit per malos eius mores: neque enim illi faciunt, vt sit iterum illegitimus. Contra verò, dispensationes secundi generis cessant causa finali cessante; vt euidenter patet exemplis supra relatis num. 41. neque negatur à Suare, & aliis secundæ sententiæ asserioribus. Satisque patet rationabilem dispẽsantis voluntatem talem esse debere, & contrarium imprudenter, præsumi.

43. Soluuntur argumenta contraria.

Ad argumenta primæ sententiæ dicendum est dispensationes primi generis dari in perpetuum, quia transforunt personam in alium statum perpetuum; & leges quæ simile quid statuerent, durarent similiter: puta quæ legi-

Digitized by Google

timarent spurios propter honestatē morum aliquot annis probatam. Illæ vero leges quæ versantur circa actus humanos, quos præcipiunt, aut prohibent, sunt similes priuilegiis secundi generis: ideoque cessant, quando penitùs, & vniuersaliter cessat causa finalis. Ad argumentum secunda opinionis dico priuilegium Principis censendum esse perpetuum quando in eius vtu durante post cessationem causæ, nulla apparet indecentia, quæ rationabiliter Principem mouere debuerit ad non vlteriùs extendendum priuilegium; secus non.

SECTIO V.

Qua ratione Matrimonium inualidè contractum propter aliquod impedimentum, eo deinde sublato possit reualidari?

44. Qui fictè consensit debet postea verè consentire.

DVpliciter potest matrimonium inualidè contrahi. Nimirum vel propter defectum consensus: vel propter aliquod impedimentum dirimens, siue notum, siue occultum. De priori diximus supra disp. 71. sect. 4. concluf. 2. & 3. vbi asseruimus, quando matrimonium nullum fuit ex defectu consensus, necessarium esse, vt qui fictè consensit, iterum verè consentiat, non interiùs solùm, sed cum externo aliquo signo consensus interni, alteri parti exhibito: siue vterque antea fictè contraxerit: siue vnus tantùm. Quo in casu sufficit illum renouare consensum, quandiu verus consensus alterius non fuit reuocatus, neque morabiter esse desiit, sed potiùs durat habitualiter, & virtualiter in effectibus ex eo secutis: putà, quia semper huc vsque vi illius, alterum coniugis loco habuit. Neque necessarium est monere alterum de inualiditate prioris consensus, quasi aliter matrimonium reualidari nequeat: sed vt non frustretur gratiâ Sacramenti, procurandum est, vt sit in statu gratiæ, quando actu consentiet, & sacramentum perficietur, ne indignè suscipiens ponat obicem illius effectui. Hoc autem fieri cōmodè poterit si ex. gr. consentiat eo die, quo alter. sacramenta confessionis, & Eucharistiæ receperit. Atque ita sentiunt D. Thom. D. Bonauent. D. Anton. Palud. Ricard. Viguer. Henriq. aliique plurimi, quos refert & sequitur sanch. lib. 2. de matrim. disp. 32. n. 9.

45. Non est necesse vt vterque.

Contrarium verò sentiunt nonnulli à Sanche relati eadem disp. n. 8. quibus è recentioribus accesserunt Pontius lib. 4. cap. 24. & Comitol. lib. 1. Responsorum moral. quæst. 120. affirmantes requiri nouum vtriusque consensum. Probant. 1. quia forma contractus est consensus legitimus vtriusque coniugis, per signa expressus. Sed ab initio non fuit hæc forma adhibita, cùm defuerit consensus vnius: ergo iterum debet adhiberi ea forma vt constet contractus 2. Quando consensus cadit super materiam illegitimam, requiritur nouus vtriusque consensus. Atqui quando cadit super nolentem, cadit super materiam illegitimam, & inhabilem: ergo debet renouari. Confirmatur, quia consensus per errorem datus circa inhabilitatem personæ nullus est. Atqui consensus circa nolentem fuit datus ex errore circa inhabilitatem personæ: ergo nullus est. Si autem nullus est, non durat: quia non potest intelligi permanere consensus qui nunquam fuit: & iste nunquam fuit, si ab initio nullus fuit. Quarto denique, & præcipuè probant ex declaratione Clementis VIII. qui, vt refert Comitol. loco cit. consultus super matrimonio fœminæ cuiusdam primariæ cum viro primario, cum quo plures annos manserat sine consensu in matrimonium, liberosque ex illo susceperat, ac tandem ad se rediens matrimonium reualidare cupiebat, respondit esse necessarium nouum consensum vtriusque coram parocho, & testibus, admonito priùs marito de matrimonii nullitate: sed ad euitandum scandalum Sanctitatem suam dispensare, vt secretò intret se contrahant, renouato consensu, cum legitimatione prolis.

46. Soluuntur argumenta contrariæ sententiæ.

Ad primum respondeo, formam illam non fuisse quidem integrè adhibitam ab initio, sed ex parte, sufficereque vt postea compleatur accedente consensu alterius: sicut ordinariè fit, quando ambo coniuges successiuè consentiunt interiùs, & signa edunt interni consensus: sicut etiam necessariò fit, quando longè remoti contrahunt per procuratores. Ad secundum dico nouum quidem requiri consensum, quando prior cecidit super materiam illegitimam, & inhabilem: quia tunc consensus ille nullus fuit, ideoque non potest continuari. Sed non est verum quod assumitur in minori argumenti propositi, eum qui non consensit, esse materiam illegitimam, & inhabilem. Nam inhabilis non est, qui potest contrahere si velit, & à quo nihil aliud desideratur, quàm vt velit: qui denique habet totam potentiam contrahendi expeditam, & habilem, sed eam solùm non reducit in actum secundum, quia non vult. Ad tertium respondeo maiorem non esse veram nisi de errore circa personam, aut conditionem eius seruilem, iuxta ea quæ diximus disp. 74. sect. 1. & 2. Minorem autem esse falsam patet ex proximè dictis circa secundum argumentum. Ad quartum respondeo declarationem illam, seu potiùs responsum ad simplicem, & priuatam consultationem Patris Stephani Tuccii, vt præ se fert narratio huius historiæ apud Comitolum, potuisse dari à Clemente Octauo vt priuato doctore iuxta probabilem multorum Doctorum opinionem, qui putant illud planè necessarium esse. Cuius nihilominus

contrarium à Pio V. responsum fuisse circa modum contrahendi coram parocho, & testibus, affirmat Nauar. cap. 22. Manual. n. 70. & cap. 16. in noua editione n. 37. addens sacrum pœnitentiæ prætorũ ea declaratione frequenter vti. Nam interdum Pontifices non solùm priuatim, & viua voce tantũ, respondent ad casus particulares, iuxta probabilem Doctorum sententiam, non adimendo tamen probabilitatem contrariæ sententiæ; verum etiam publicè, & in scriptis authenticis, vt patet ex cap. *Maiores*, de Baptismo. Et si altera harum declarationũ Pij V. & Clementis VIII. debet in dubium vocari, debet ista potiùs solo Comitoli testimonio nixa, réferentis ex literis priuatis P. Stephani Tuccij, quàm altera, quæ vltra Nauarri testimonium, confirmatur praxi Romanæ pœnitentiariæ.

47. Contrahẽdũ iterum sublato impedimẽto.

De posteriori modo, qui est proprius huius loci, quando scilicet matrimonium fuit inualidum propter aliquod impedimentũ dirimens, certum est 1. & extra controuersiam, tollendum priùs illud esse: quia eo durante matrimonium non potest validari. 2. Eo sublato contrahendum iterum esse, quia prior contractus fuit inualidus. 3. Si prior contractus non fuit celebratus coram parocho, & testibus illis in locis, vbi Tridentini constitutio de clandestinis recepta est, debere necessariò coram illis contrahi: quia non magis postea contrahere possunt sine illorum præsentia, cùm Tridentinum irritet contractum sine illis celebratum. Quod tamen intellige, nisi obtineant dispensationem aliter contrahendi: vel nisi postea contrahant eo in loco vbi nondum prædicta cõstitutio promulgata, & recepta fuerit.

48. An etiã in facie Ecclesiæ.

His suppositis, triplex superest difficultas. Prima, vtrum quando matrimonium in facie Ecclesiæ contractũ fuit inualidè, propter aliquod impedimentum occultum, postea eo sublato sit necessariò contrahendum iterum coram Parocho, & testibus. Respondeo cum Nauar. cap. 22. Manual. n. 70. Henrique lib. 11. cap. 3. n. 6. Vega lib. 6. Sũmæ casu 93. Sanche lib. 2. disp. 37. n. 3. Aegid. Con. disp. 24. dub. 10. n. 83. & aliis, sufficere vt clam inter se contrahant sine Parocho, & testibus. Probatur primò ex declaratione Pii V. cuius Nauarrus testis est loco sup. cit. Secundò quia Tridentinum sess. 24. capite 1. irritat tantùm ea matrimonia clandestina, ex quibus nata sunt sequi incommoda ibi recensita, quæ nimirum defectu Parochi, & testium non possunt probari fuisse contracta. Atqui istud de quo agimus non est tale, quia non minùs probari potest in facie Ecclesiæ fuisse contractum, quàm alia. Supponimus enim impedimentum ita esse occultum vt non possit probari in foro texterno. Namalioqui fatemur esse necessarium contrahere iterum coram Parocho, & testibus, vt rectè docent Sanches supra num. 11. Aegid. Con. disputatione 24. numero 85. Henriques loco citato, Bonacina quæst. 3. de matrimon. punct. 15. §. vltimo. Ratio est, quia tale matrimonium non est sufficienter probabile in facie Ecclesiæ, cùm in foro externo constare possit de prioris contractus inualiditate, & nullo modo de valore posterioris. Idemque dicendum est, si impedimentum Parocho, & testibus assistentibus notum sit: secus autem si vni tantùm illorum, ita vt non sit probabile in foro externo. Nam vt rectè ait Aegidius disputatione 24. num. 83. Parochus & testes non adhibentur vt testentur coniuges omnino validè, & sine vllo defectu occulto consensisse: quomodo enim scire possunt an verè, vel fictè consenserint interius? Sed vt testentur eos validè cõtraxisse, quantum exteriùs apparere potest, & probari in foro externo: quod Ecclesiæ sufficit ad habendum hoc matrimonium pro legitimo, cogendosque coniuges ad cohabitandum, donec contrarium legitimè probetur. Non potest autem probari in foro externo, si vnus tantùm sciat impedimentum, Parochus scilicet, vel alter testium. Ergo sufficit ita contraxisse, vt satisfiat intentioni Ecclesiæ, & non est opus iterum coram parocho, & testibus contrahere sublato impedimento.

49. Saltem è clausula dispensãt id fecit.

Contra hoc responsum sentiunt aliqui quos sequitur Basil. Pont. libro quinto de matrim. cap. 6. Sed eius argumentis satisfecimus disp. 71. sect. 5. vbi eandem difficultatem attigimus. Addo in præsens cum Sanche, & Bonacina supra cit. id quod diximus de impedimento occulto, locum habere etiam quando confessarius virtute Pontificiæ facultatis sibi commissæ dispensat, quamuis in rescripto soleat hæc clausula poni, *si ita est, eum eis dispensa, vt inter se publicè, & seruatâ Tridentini formâ contrahant.* Nam confessarius, licet non possit virtute huius facultatis concedere vt occultè contrahant: potest tamen dispensare in impedimento: quo sublato matrimonium potest occultè iniri à coniugibus, absque Parocho, & testibus, quando impedimentum est occultum, neque est periculum vt detegatur, & sufficienter probari possit in foro externo.

50. Est opus vtriusque consensu iterum.

Altera difficultas est, vtrum sit opus nouo consensu vtriusque coniugum post sublatum impedimentum: an verò sufficiat eum consentire, qui impedimenti conscius est, quandò ab altero ignoratur? Respondeo nouum consensum vtriusque necessariò requiri, vt rectè docent Diuus Thom. Scot. Ricard. Gabr. Caiet. Abul. Palacius, Ledesma, Henriq. Aragon. Nauar. Siluest. aliisque plurimi, quos refert, & sequitur Sanchez libro secundo, disput. 35. numero 2. Ratio est, quia prior consensus fuit inualidus ex parte vtriusque, eò quòd cecidit in materiam seu personam inhabilem ad contrahendum: ergo perinde est ac si nunquam fuerit, quia reuera

nullus fuit. Ergo non durat: quia duratio, seu permanentia in esse, supponit esse eiusdem rei; & quod nunquam fuit, non durat. Ergo cùm opus alio consensu vtriusque coniugum, *postquam facti sunt habiles ad contrahendum. Neque sufficit consensum interiùs renouare: sed debent sibi inuicem notum facere, mutuóque acceptare sensibiliter: quia cùm prior contractus fuerit omnino inualidus, opus est nouo contractu humano, id est, sensibiliter facto, in quo consistit essentia matrimonii.

55. Contraria sententia.

Contrarium sentiunt aliqui, quorum meminit Sanch. lib. 2. disp. 35. num. 1. & disp. 36. num. 2. affirmantes si quis cum serua contraxerit putans esse ingenuã (quod matrimonium nullum fuit propter errorem conditionis) & postea cum eadem manumissa, ignorans manumissionem, affectu maritali copulatur, perficere hoc ipso præcedens matrimonium, eò quòd prior consensus durat in serua manumissa, sufficitque alterum consentire impedimento sublato. Quod vt minimum esse probabile docent Palud. Dominic. Sot. Lopez, & alii à Sanche ibidem relati. Si autem hoc sufficit in hoc impedimento, par est ratio vt sufficiat in aliis. Ergo &c. Addi potest 2. nullam esse rationem cur in hoc casu requiratur consensus vtriusque, & non sufficiat alterum consentire: sicut in casu præcedenti, quando vnus fictè consensit. Nam sicut matrimonii nullitas contingere potest ex defectu consensus vnius tantùm, qui fictè contraxit: ita potest contingere ratione impedimenti ex parte vnius dun taxat se tenentis. Vt si contrahens sit subdiaconus, qui postea occultè petat dispensationem: cur in hoc casu necessarium est mulierem de nouo consentire: cùm non minùs duret eius consensus ab initio datus, & voluntas acceptandi consensum alterius, quando validè consentiet. Adde tertiò, professionem factam à Religioso sine verò ipsius consensu, ratificari postèa ipso verè consentiente, sine nouo consensu Prælati, qui eam admisit: quamuis ad illius valorem necessarius sit vtriusq; consensus, siue traditio Religiosi, & acceptatio Prælati. Nimirum quia sufficit supplere quòd defuit, vt opus inchoatum perficiatur. Ergo similiter in matrimonio sufficit adhibere consensum validum, & legitimum, qui defuit.

46. Soluuntur primũ eius argum.

Ad primum Respondeo falsum assumi, & ab auctoribus citatis malè asseri, nisi hoc tantùm dicere velint, quòd ad tale matrimonium instaurandum, sufficiebat eo tempore, & loco, quo Tridentini constitutio non obstabat, vt sublato impedimento seruitutis, affectu maritali se cognoscerent, & per hoc sibi mutuò significarent velle se quoad possent copulari, & viuere vt coniuges: quæ voluntas sufficienter verbis, aut actu illo significata, iam erat efficax & matrimonium inter eos constituebat: posito scilicet quòd talis esset, vt non habita ratione prioris contractus inualidi, vellent efficaciter hic & nunc iungi vt coniuges. Nam alioqui quòd non reualidetur matrimonium, si tantùm vi consensus antiqui copulentur, docent expresè Glossa in cap. finale De coniugio seruorum, in fine, Rosella, Sylvest. Nauar. Adrian. aliique plurimi relati à Sanche lib. 2. disp. 36. num. 3.

53. Diluitur secundum.

Ad secundum, dico rationem differentiæ suprà datam fuisse: quia consensus alterius circa personam inhabilem propter impedimentum dirimens, nullus fuit, ideóque non durat: secus autem consensus datus circa personam habilem tametsi nondum volentem, sed differentem verè interiùs cõsentire. Ad tertium respondeo distinguendum esse. Vel enim professio fuit inualida solùm ob defectum consensus, cùm alioqui persona capax esset: vel propter aliquod impedimentum, & inhabilitatem personæ, putà, quia nondum expleuerat annum ætatis decimum sextum, vel annum probationis. In primo casu sufficit quòd postea consentiat, velitque suam professionem valere, & exteriùs id significet, vt professum se gerendo. In secundo oportet professionem iterum admitti à Prælato, aliquo actu externo: quia prior acceptatio fuit circa personam inhabilem, adeóque inualida: vt rectè docet Sanch. lib. 2. disp. 35. num. 4. atque ita par in eo est Professionis, & matrimonii conditio. Sufficit tamen ad eam reualidandam, quòd Prælatus conscius impedimenti admittat ad actus professorum religiosum illum similiter conscium defectus, & iam consentientem postquam cessauit impedimentum: quia tunc est tacita professio, vt dicitur cap. *Vidua*, de Regularibus. Addit Aegid. disp. 24. in fine, quamuis noua acceptatione formali Prælati opus esset per se loquendo, quia prior eius acceptatio fuit inualida; ius tamen supplere illius defectum, acceptando tacitam Religiosi professionem postea factam. Potest enim ius supplere consensum Prælati. Debet tamen Religiosus esse conscius prioris defectus, & impedimenti. Nam si tantùm ex errore actus Professi exerceret, putãdo se ad id teneri vi Professionis malè factæ, & continuando parere obligationi malè præsumptæ: id non sufficeret, vt tacitè & validè profiteretur de nouo.

54. Sitne monendus alter de nullitate prioris contractus?

Tertia difficultas est, vtrum ad ratificandum matrimonium inualidè cõtractum propter impedimentum occultum, eo sublato necessarium sit monere alterum coniugem de nullitate prioris matrimonii, vel eã tacitã sufficiat renouare consensum? Affirmãt aliqui hoc secundum sufficere: quia sublato impedimento iam sunt habiles ad contragendum: ergo dummodo consentiant in præsens, & exteriùs consensum mutuò significent, valet matrimonium. Pro hac sententia refert Sanchez disput. 36. n. 2. Paludanum, Angelum, Dom. Sotum, Lopes, Petrum Ledesmam, Caiet. & plures alios.

Digitized by Google

quàm circa factũ. Circa ius quidem, si v. g. habuit rem cum consanguinea coniugis in primo, vel secundo gradu, sed ignorauit esse impedimentum dirimens matrimonium. Circa factum verò, si ex. gr. bona fide credit priorem coniugem esse mortuum, sufficientemque inquisitionem adhibuit priusquam cum alio contraheret: & tamen confessarius certò scit adhuc illum viuere. Neque admittenda est aliquorum distinctio affirmantium teneri confessarium admonere poenitentem in casu prædicto, si eius ignorantia est circa ius diuinum: secus autẽ, si circa ius humanum, vel circa factum: eò quòd, inquiunt, ignorantia iuris diuini nunquam est inuincibilis, nisi deficiente aliquo, qui instruat: pertinet autem ad confessarium instruere, cum sit proprius pastor, vel eius vicem habeat: & alioquin approbat errorem, cui non resistit, vt dicitur cap. *Error*, dist. 83. meliusque est permittere scandalum nasci, quàm veritatem relinqui, cap. *Qui scandalizauerit*, de regulis iuris.

58. Ad primum enim respondeo ignorantiam circa ius humanum, vel circa factum, plerumque posse non minùs facilè tolli, si non deest, qui sufficienter instruat. Sicut autem qui potest circa illud instruere, non tenetur in circumstantiis supradictis: ita neque circa ius diuinum, quando ex instructione non minus timetur periculi, aut scandali. Ad secundum dico canonem illum intelligendum esse de publico Doctore, vel concionare, cuius doctrina, quia ordinatur ad bonum publicum, non debet omitti propter malum priuatum: neque ob periculum scandali aliquorum, cessare debet ille à resistendo malis communibus: vt post Dominicũ Sotum, Ledesmam, & alios interpretatur Sanch. disp. cit. num. 19. Ad tertium dico regulam illam iuris esse intelligendam, quando aliquid non potest fieri, vel non potest omitti sine peccato. Tunc enim non debet, nec licitè potest aliter fieri propter scandalum aliquorum inde acceptum. Secus verò quando non est moralis necessitas obligans sub peccato ad agendum id quod non agitur, vel ad omittendum id quod non omittitur.

59. Et non est periculũ maioris mali. Dixi præterea in secunda parte conclusionis, modò non sit periculum maioris mali, & communis detrimenti: vt si scandalum sit publicum, quia sciunt alii communiter matrimonium nullum esse. Nam tunc scandalum publicum priuato præferendum est. Addunt aliqui, nisi immineat præiudicium tertii. Sed puto cum Sanche supra num. 10. teneri confessarium consulere potiùs saluti poenitentis, quàm præiudicio tertii. Ideóque si admonitio non sit ei profutura, sed nocitura potiùs, non debet admonere: vt si viuit adhuc prior illius coniux, quem bona fide mortuum esse putat. Similiterque non tenetur confessarius monere de restitutione faciendã poenitentem, qui bona fide possidet, & monenti non parebit, propter magnam restituend. difficultatem; putà si bona fide credit se esse primogenitum, & primogeniti bonis, ac priuilegiis gaudet, cum præiudicio veri primogeniti: vel credit se talis parentis esse filium, eiusque hæreditatem adeptus est in præiudicium hæredis naturalis.

60. Non tamẽ inducere ad vsum matrimonii. Dico secundo, non posse tamen confessarium sponte sua præcipere, vel hortari pœnitentem, vt debitum coniugale reddat stante impedimento dirimente matrimonium: quia hoc esset sponte ad actum de se malum incitare. Neque etiam potest illum in suo errore confirmare positiuè, & directè, siue ab illo interrogetur, siue non. Et nihilominus non potest absoluere pœnitentem ita actualiter affectum, vt nolit reddere debitum alteri grauiter exigenti, propter odium, indignationem, vel aliam causam iniustam: quia ex conscientia erronea est in continuo affectu peccati mortalis. Tenetur verò aperire veritatem, si poenitens dubius ipsum interroget; quia tunc cessat bona fides, & ignorantia inuincibilis. Et confessarius non manifestando veritatem in eo casu, censetur approbare errorem, vt docent Henriq. Sanch. Suar. Aegid. Reginaldus, & alii quos refert, & sequitur Bonac. quæst. 3. punct. vlt. num. 11. Sed hoc intelligendum puto, si poenitens dubitet rationabiliter: alioqui, si periculum imminet, dicendum illi potiùs est rationem dubitandi, quam proponit nullam esse.

61. Debet monere & deferre antequam contrahatur. Dico tertiò, supradicta omnia esse intelligenda de matrimonio iam contracto. Nam antequã contrahatur, tenetur non modò parochus, sed & quilibet alius, qui satis nouit impedimentũ, reuelare quantum commodè potest, quia tenetur ex charitate peccatũ proximi impedire, quando id potest sine graui suo incommodo, vel aliorum scandalo. Dixi autem, si satis nouit: nam si tantùm nouit ex auditu incerto, id est, non recordatur, à quo, vel à quibus audiuerit; vel si fide digni non sunt, à quibus accepisse se meminit: non tenetur manifestare: quia inutile foret illius testimonium. Nihil enim probat testimonium vnius vt dicitur cap. *Licet vniuersis*, de Testib. Eamque ob causam excusant aliqui ab obligatione denunciandi eum, qui solus nouit impedimentum; quia non proderit eius manifestatio, cùm vnus testis solus non probet, neque sufficiat ad impediendum matrimonium, supposito quòd contrahentes priuatim de illo admoniti nolunt desistere. Ita Pontius lib. 5. cap. 34. num. 5. & sequentibus, post Maiorem in 4. dist. 21. q. 2. art. 3. Sed meliùs alii cùm Sanche lib. cit. disp. 13. num. 2. dicunt teneri deferre, nisi aliunde exculetur propter graue incommodum, aut periculum damni notabilis, vel scandali, vt in exemplis à Pontio ibid. allatis num. 10. Quia licet probare solus nequeat, & impedire matrimoniũ: tamen ape-

rit Prælato viam inquirendi diligenter, & agendi cum contrahentibus, vtendique nominibus, & aliis Ecclesiæ mediis ad detegendum impedimentum, quoad fieri poterit.

62. Si potest sine graui incommodo. Dixi etiam, si potest sine graui incommodo &c. quia si timet probabiliter magnum damni periculum, aut scandalum ex denunciatione, non tenetur, licet probare possit: Nam correptio fraterna non obligat cum tanto incommodo: vt bene docent in præsenti quæstione Sanch. lib. 3. disp. 13. num. 4. Pontius lib. 5. cap. 34. num. 2. & alij, quos ipsi citant. Priùs tamen quàm detegatur impedimentum, seruari debet ordo fraternæ correptionis, monendo impeditos vt desistant à contrahendo, si denunciatio illis infamiæ paritura sit, vel aliud inconueniens malitura.

63. Tenetur Parochus inquirere. Tenetur etiam Parochus inquirere de impedimentis & coniuges tenentur interroganti respondere, quamuis impedimentum occultum sit, & non possit sine ipsorum infamia manifestari. Debent enim nihilominus vel manifestare impedimentum, vel desistere à matrimonio petendo, quæsito alio prætextu. Quia non possunt scienter, & liberè contrahere cum tali impedimento: neque interrogantur ad pœnam de illis fatendam, in quo nimis durum esset illos agere testes contra seipsos: sed ad damnum castitatis, & sacramenti auertendum, impediendumque ne concubinatum matrimonii prætextu exerceant. Excipe casum quo dispensationem occultè impetrauerint. Tũc enim possunt illud legitimè dissimulare; æquè ac Parochus, vt dicam mox. Neque tunc obligantur interroganti respondere, licet sub iuramento interrogentur. Quia non inquiritur, nisi ad peccatum impediendum: nullum autem est illius periculum, quando impedimentum est occultum, & obtenta dispensatio, vt supponimus.

64. Et deferre ad ordinarium. Postquam autem Parochus impedimentum deprehendit, tenetur illud deferre ad Ordinarium, qui est iudex in hac causa, & in foro externo ecclesiastico: quamuis occultum illud sit: nisi contrahentes moniti malint non vlteriùs progredi. Debetque desistere à proclamationibus faciendis, si nondum factæ, vel absolutæ sunt: & prorsus negare matrimonium, etiamsi publicè petatur: non ob tamen impedimenti notitia non sit orta ex confessione sacramentali, vt dicemus paulò post. Ita colligitur ex cap. finali De clãdest. desponsat. Et ratio est, quia non debet assistere matrimonio inualido, ex quo futurum est vt contrahentes maneant in perpetuo statu fornicationis. Quin potiùs tenetur ex charitate id impedire; atque etiam ex officio sibi iniuncto ab Ecclesia obligatur videre, & cauere, ne contractus inualidè fiat.

65. Nisi nouerit tantũ ex cõfessione. Excipiendus tamen est casus, quo Parochus tantùm nouit impedimentum ex confessione: quia non potest propter hanc notitiam negare sacramentum, vel assistentiam suam petenti, etiam occultè: neque vti notitiâ confessionis ad externum regimen pœnitentis, aut eum deducere extra forum sacramenti pœnitentiæ, vt probauimus alibi disputando de sigillo confessionis. Quare tunc debet tanti minimodo inducere, quoad potest, in ipsa confessione pœnitentem, vt desistat à contrahendo matrimonio, donec obtineatur dispensatio: vel si non potest differri eò vsque sine scandalo, suadere vt contrahat consensu interiùs conditionato, si Papa dispensauerit, & interea proponat abstinere, vel voueat eo vsque castitatem: idemque vel ipse à coniuge, vel Parochus cum illius consensu obtineat. Quia necessitas vitandi scandali licitum eis facit ita contrahere, & excusat periculum, in quod se coniiciunt habitando simul interea dũ obtinetur dispensatio. Supponimus enim non posse aliter vitari scandalum: Et ius ipsum concedit coniugibus simul habitantibus integrum biennium, intra quod possint abstinere ab vsu coniugij, & deliberare de statu vitæ mutandæ per ingressum Religionis. Atque hoc licitè consuli à Parocho, & ab illis fieri posse affirmat Pontius lib. 5. cap. 35. num. 4. post Ludouic. Beiam, quem citat. Diximus etiam alibi, esse probabile posse Episcopum dispensare in tanta necessitate vt contrahatur matrimonium, si non potest differri. Quòd si non possunt moræ dispensationem ab illo obtinere, vel si nolunt Parochi monitis acquiescere, perstantque in petenda ipsius assistentia; tenetur assistere perinde ac si impedimentum non nouisset in confessione.

66. Quid si solus nouit & probare nequit? Excipiendus etiam est casus, secundũ aliquos, quo licet Parochus nouerit impedimentum extra confessionem, solus tamen nouit, neque probare potest: quia tunc inutiliter deferret ad Ordinarium. Ita Pont. ibid. num. 5. Sed probabilius puto cum Sanche supra citato: teneri etiam tunc deferre ad Ordinarium, vt inquirat diligentiùs: sicut de aliis denũciantibus diximus paulò ante. Quod tamen intelligo si sit spes aliqua proficiendi, & detegendi impedimentũ: alioqui non esset frustra & inutiliter laborandum. Ipse verò Ordinarius, si solus nouit impedimentum, quod aliter probare nequeat, debet admittere ad matrimoniũ; quia debet iudicare secundum allegata, & probata, non autem secundum suam priuatam notitiam. Nisi habeat superiorem, ad quem sine magno incommodo, suæque dignitatis detrimento recurrere possit, & apud illum testem agere super impedimento, cum spe fructus. Quod vix accidere potest, si diligenter ipse inquisiuit, & omnia Ecclesiæ remedia adhibuit.

97. Aut si compellitur ab Episcopo vt assistat? Excipiendus denique est casus, in quo Parochus compelliturab Episcopo assistere matrimonio, eò quòd contracturus (falsò licet) apud eum probauit se non esse ligatum impedimento. Tunc enim Parochus

ex iusta causa fungitur suo munere, ideoque peccatum non debet illi imputari: vt bene docent Henriq. lib. 1. de Sacram. cap. 30. num. 6. Sanch. lib. 3. disp. 15. num. 12. Bonacina quæst. 3. de Matrim. punct. vlt. num. 13. Præterea, si dispensatio impedimenti obtenta fuit in foro conscientiæ, Parochus potest illud dissimulare in foro externo, & sponsos coniungere: quia tunc contrahunt sine peccato. Dummodo tamen nemo impedimentum denunciauerit Parocho: quia tunc debet Parochus impedimentum deferre ad Ordinarium, si sponsi velint vlteriùs procedere ad matrimonium contrahendum. Nullus tamen tenetur ad denunciandum Parocho impedimentum occultum, cuius dispensationem habitam esse nouit pro solo foro conscientiæ. Quòd si contracto matrimonio impedimentum illud detegatur, & publicetur, impetranda erit ratificatio dispensationis pro foro externo. Et interea separandi erunt contrahentes per iudicem, donec illam obtineant. Quia dispensatio pro solo foro conscientiæ, non prodest, neque operatur in foro externo. Ita Bonacina punct. citato. numero 15. post Nauarrum, Sanchez, & alios ab eo relatos.

DISPVTATIO SEPTVAGESIMA OCTAVA,

De Debito coniugali, & legitimo vsu matrimonii.

Sectio I. *De obligatione reddendi debitum, & causis ab illo excusantibus.*

Sectio II. *De peccatis coniugum in vsu matrimonii.*

Sectio III. *An, & quomodo votum illicitam reddat petitionem, aut redditionem debiti coniugalis?*

Sectio IV. *Possitne vnus coniugum irritare votum alterius de non petendo, aut non reddendo debito, vel de seruanda continentia, vel quælibet alia eius vota?*

DE coniugali debito disputat S. Thom. q. 64. Supplem. & art. 1. docet teneri coniuges ad debitum sibi mutuò reddendum, quantum patitur vtriusque incolumitas, alioqui enim ordo naturæ postulat, vt individui sui conseruationi consulat potiùs, quàm generationi prolis. 2. Teneri etiam virum reddere vxori, licet non petenti expressè propter verecundiam, sed aliter significanti se id velle. 3. Virum & vxorem in eo esse æquales quòd sicut tenetur vir vxori in actu coniugali, & dispensatione domus, ad id quod viri est: ita vxor ad id quod vxoris est. Quantum tamen ad actum coniugalem, id quod in eo nobilius est, viro debetur: atque etiam quantum ad dispensationem domus, in qua vxor regitur, & vir regit: & eatenus sunt inæquales in matrimonio. 4. Cùm sibi inuicē teneantur cōiuges reddere debitum, non potest vnus sine cōsensu alterius vouere continentiam, & si vouerit, peccat; neque debet seruare votū, sed agere pœnitentiam de voto malè facto. 5. Non licere debitum coniugale petere iis diebus, in quibus præcipuè spiritualibus exerciciis vacandum est: quia carnalis delectatio rationem deprimit, redditque

hominem ineptum ad spiritalia. 6. Non esse graue peccatum petere debitũ die festo. Maius tamen peccatum, esse si petatur solâ delectationis causâ, quàm si propter timorem, & periculum incontinentiæ. 7. Denique affirmat teneri coniugem reddere debitum petenti quocunque die, & tempore: saluâ tamen honestate in illo actu requisita.

De diuortio autem tractat quæst. 62. & art. 1. docet licere viro dimittere vxorem in pœnam illius, qui fidem fregit adulterando; & in fauorẽ illius, qui fidem seruauit: vt non sit adstrictus ad reddendum ei debitum, qui non seruauit fidem: Dummodo tamen vtrique non sint æqualiter culpabiles, & exceptis quibusdam aliis casibus. 2. Non teneri virum dimittere vxorem fornicantem, si illam de peccato pœniteat: quia dimissio est in pœnam: & pœna corrigens non requiritur, vbi emendatio iam præcessit. Si autem non poeniteat, tenetur vir eam dimittere, ne peccato eius consentire videatur, dum correctionem debitam non apponit. 3. Posse virum proprio arbitrio dimittere vxorem, quoad thorum dumtaxat, statim atque ipsius fornicatio certò illi constat: neq; teneri debitum reddere, nisi per Ecclesiam compellatur: & taliter reddendo nullum suo iuri præiudiciũ facere. Sed quoad thorum simul, & cohabitationem, non potest eam dimittere, nisi iudicio Ecclesiæ. Et si aliter dimissa fuerit, debet vir cogi ad cohabitandum, nisi possit in continenti probare fornicationem. Hæc autem dimissio vocatur diuortium. Ideóque diuortium non potest fieri, nisi iudicio Ecclesiæ. 4. In causa diuortii virum, & vxorem ad paria iudicari: ita vt idem sit licitum & illicitum vni, quod alteri. Licet causa diuortii sit maior in adultetio fœminæ, quàm ipsius viri: quia quantum ad bonum prolis plus nocet adulterium vxoris, quàm viri. 5. Diuortium non dare facultatem ineundi aliud matrimonium: quia manet inter viuentes coniugale vinculum, quod neque separatio, neque iunctio cum alio potest dirimere. 6. Denique si vxor post diuortium pœnitentiam agens, emendata fuerit, potest eam sibi vir reconciliare. Sin autẽ in peccato incorrigibilis maneat, non debet eam reassumere, ne ipsius peccato consentire videatur: sicut propter eandem rationem non potest eam retinere licitè, nolentem à peccato desistere.

SECTIO I.

De obligatione reddendi debitum, & causis ab illo excusantibus.

1. PAuca, quæ pudor, & honestas dicere permittunt de vsu matrimonii, & peccatis in eo contingentibus, breuiter explicanda sunt: cætera in casu necessitatis videri poterunt apud Sanchez toto lib. 9. vbi casus omnes, qui contingere solent, fusè, & perspicuè exponit. De iisdem etiam fusiùs inter alios recentiores scripserunt Basil. Pontius toto lib 10. Bonac. quæst. 4. de Matrim. & Aegid. Coninc disp. 34.

Obligatio reddendi qualis & quãta sit?

Quod ergo attinet ad quæstionem in titulo sectionis propositam, dicendum est quemlibet coniugum teneri ex iustitia reddere debitum alteri, quoties hic pro suo iure, petit, & coniux potest reddere commodè: grauiterque peccare si negat petenti seriò, & instanter, sine causa excusante legitima. Prima pars assertionis patet ex natura contractus matrimonii obligante ex iustitia vt alter alteri debitum reddat: & confirmatur ab Apost. 1. Corinth. 7. v. 3. & seq. *Vxori vir debitum reddat: similiter autem & vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare inuicem &c.* Secunda pars probatur

probatur, quia materia est grauis, & habet communiter adiunctum graue periculum incontinentiæ in altero coniuge. Vnde sequitur peccare coniuges, qui mediis licet alioqui licitis, vt nimis remissis, aut pœnitentiis, inuita parte altera, reddunt se impotentes ad satisfaciendū coniugali debito. Quia nemo potest licitè reddere se impotentē ad id, ad quod tenetur. Peccant etiam coniuges, qui sine iusta causa diu absunt à coniuge: quia per absentiam impeditur facultas reddendi debitum. Ita Navar. Valent. Sanch. & alii, quos citat, & sequitur Aegid. disp. 34. numero 16. & sequentibus, & Bonac. q. 4. punct. 1.

2. Excusat 1. periculū salutis corporalis.

Addidi autē peccare si negat absque causa excusante legitima: quia multa excusant à necessitate reddendi debitum. Primum est, si coniux non potest reddere sine notabili periculo salutis corporalis. Quia contractus humani non obligant cum tanto incommodo. Imò communiter peccat tam qui petit, quàm qui reddit cum tali periculo: quia nō potest vitam suam, vel alienam exponere sine graui necessitate. Si tamen necessitas, vel periculum sit maioris mali, puta incontinentiæ, quæ meliùs aliter vitari nequeat: possunt sine peccato petere, ac reddere: vt contingit in morbis diuturnis, quamuis periculosis: quia non tenentur tūeri corporis valetudinē cum tanto animæ periculo, in tam longa, difficili, & importuna lucta cōtra stimulos carnis. Nec obest quòd in prole nascitura sit periculū infectionis. Quia hoc non intenditur: & melius est proli nasci talē, quàm omnino non nasci. Iuxta quæ explicari potest caput secundum de coniugio leprosorum, vbi dicitur coniugē sanam teneri reddere debitum viro leproso: nisi potiùs hoc intelligendum sit de lepra non contagiosa, nec inducente mortis, aut infectionis periculum, vt colligi potest ex c. 1. eod. tit.

Secunda causa excusans est remissio legitima obligationis reddendi debitum. Vt si alter de consensu alterius vouerit castitatem, vel ambo mutuo consensu: & consentiendo renunciauerint iuri suo implicitè, vel explicitè. Dixi, si alter de consensu alterius vouerit castitatem: quia si vouit absque illius consensu, siue ante contractum matrimonii, siue post: non potest quidem debitum petere, sed tamen reddere tenetur, etiam tacitè quomodocunque aut præsumptiuè petenti. Quia non potest derogare iuri alterius, quod per matrimonium ei traditum est. Addo posse etiam petere à periclitāte circa continentiam: quia cum in gratiā solius coniugis petat, magis reddit, quàm petit: & coniux potest tunc, & debet censeri petere tacitè, & præsumptiuè. Tenetur tamen coniuge mortua, aut consentiente, aut adulterante, & dante causam diuortii, seruare absolutè castitatem, si eam absolutè vouit: quia tunc cessat obligatio, reddendi per matrimonium contracta.

3. Si altera pars remittit obligationem

4. Dixi præterea, si consentiens iuri suo renunciauerit. Alioquin enim potest id licitè petere, & coniux tenetur reddere. Quia simplex consensus in votum non tollit obligationem reddendi: nisi explicitè iuri suo renunciet, vel implicitè saltem, vt facere videtur, quando est consensus ad absolutam, & perpetuam castitatem, quæ esse nequit, nisi vouens se obliget ad non reddendum debitum: & consequenter nisi alter cedat iuri petendi, cùm huic voto cōsentit. Quādo autem vnus tantùm vouit castitatem: peccat quidem petendo debitum, quia facit contra votum: potest tamen, & tenetur alteri petenti reddere, quia vouens non amisit dominium, neque vlum dominii in corpus coniugis: ideòque non liberatur coniux obligatione reddendi: neque propterea cooperatur peccato alterius, vt explicabitur paulò post. Sicut qui pecuniam mihi creditam promisit alteri, non amisit ius ad illam repetendam: neque ego eximor ab obligatione reddendi, licet eam petat ex animo illam consumendi contra promissionem. Et qui reddit debitum petenti ex creditori exigenti ex intentione vtendi: non propterea cooperatur ipsius peccato, neque ius habet negandi debitum. Excepto casu, quo tantillum differendo solutionem, posset sine notabili incommodo impedire omnino peccatum alterius: tunc enim teneretur ex charitate differre. Ita post Lessium, & alios docet Aegid. disp. cit. n. 31.

5. Diuortiū legitimum.

Tertia causa excusans est diuortium legitimum, vel quæuis causa sufficiens ad illud, siue perpetuum, siue temporale: & siue causa illa sit notoria & publica, siue occulta, sed certa: quandiu enim durat, non tenetur innocens reddere debitum alteri, licet exigenti: qua de re plura dicemus sequenti disputat. præcipuè sect. 1. & 5.

Difficultas patiendi maxima.

Quarta causa est, quando coniux experta est se non posse filios viuos in lucem edere, in quo & ipsa incurrit graue periculum vitæ. Tunc enim non peccat negando, nisi id necessarium omnino esset ad vitandum periculum incontinentiæ, vel aliud maius malum.

Paupertas.

Quintò addunt aliqui, quando coniuges non possunt alere tot liberos, quot susciperent, sine maxima difficultate & incōmoditate. Quia solutio aliorum debitorum nō obligat cum tanto incōmodo. Et hoc censeo probabile, modò absit periculū incontinentiæ, cum Sanch. Ledesma, & aliis, quos refert, & sequitur Bonac. punct. cit. n. 13. Item, si mulier, ob paupertatem, prolem lactandam alteri date non possit, nec aliter illi prodere; & ex copula pateretur lactis inopiam.

6. Menstruæ.

Sextò, peccatū veniale cōmuniter esse dicitur accedere ad mēnstruatā: propter indecentiam illius actus: nisi quid aliud excuset, vt periculum incontinentiæ. Et peccatū esse mortale accedere ad grauidā, si est periculum aborsus, & proles iam formata sit. Atq; in vtroque casu non tantum posse, sed etiam teneri coniugem negare debitum petenti, ad vitandū peccatum. Sed hac de re

quid sentiendum sit dicemus sect. sequenti, num. 21. & 22.

7. Ebrietas vel furor & amentia.

Septimò, si coniux petens sit ebrius, an ès aut furiosus, quando petit, non tenetur alter reddere: quia non petit humano modo, estque incapax vsus omnis dominii. Potest tamen reddere si velit, modò periculum non immineat proli conceptæ: vt si mulier esset perpetuò furiosa, quæ fœtum suffocatura esset ante vel post partum. Per accidens tamen ad vitandum grauius malum teneri potest aliquando sanus reddere debitum amenti id exigenti.

7.

8. Indeterpetitio.

Octauò, non tenetur coniux debitum reddere si alter petit indebitè, & indecenter, indecentia se tenente ex parte actus externi, qui ratione alicuius circunstantiæ sit in se illicitus hic, & nunc. Vt si petat modo ex se impediente generationem, quod est mortale: aut in loco sacro sine necessitate, quæ contingere potest, si coniuges teneantur diu eo inclusi, veluti carcere diuturno, sine potestate egrediendi: vel quando copula est grauiter noxia alterutri coniugi, aut proli iam conceptæ, & grauius malum non imminet, iuxta exempla superiùs allata. Ratio est, quia cùm externa copula sit tunc in se peccatum, à neutro potest licitè exerceri: ideóque non solùm potest, sed debet etiam negari. Dixi autem, si indecentia se teneat ex parte actus externi &c. quia si indecentia non afficiat ipsum actum externum secundum se, sed solùm personam exigentis, vt quia vouit castitatem, aut malo fine petit debitum; tunc actus externus secundum omnes circunstantias, quæ ipsum secundum se afficiunt, manet alteri parti licitus: ideoque potest ab illa debitum reddi, atque etiam debet, si non sit alia iusta causa negandi. Et licet cooperetur externæ actioni, quæ ex parte alterius peccatum est, non tamen ei cooperatur, quà peccatum est: quia nullo modo est alteri causa cur aut debitum exigat, aut tali animo exigat: sed solùm ei cooperatur, quatenus est actio sibi licita. Sicut qui iusta de causa mutuum sumit ab vsurario dante ad vsuram; aut eleemosynam, à dante mala intentione, non propterea censetur cooperari ipsorum peccato. Ita Aegidius Con. disp. 34. dub. 4.

8. Dices, non licet reddere furioso propriũ gladium, si vult eo seipsum, vel aliũ occidere. Ergo nec coniugi petenti debitum licet reddere in casu prædicto, cùm petens animam propriam occidat per illum actum. Respondeo 1. petentem iam animam suam occidisse per actum internum, quem alter impedire nequit, sed ad summum actum externum, idque non sine periculo grauis alterius mali: odii scilicet erga coniugem, & incontinentiæ deterioris. Verendum enim est ne alter inde sumat occasionem peccandi contra naturam, vel adulterandi cum aliis. Respondeo 2. cum Aegid. suprà cit. antecedens non esse verum, quando grauius aliquod malum prudenter timetur ex negatione, quàm ex redditione gladii: vt communiter contingit in negatione debiti coniugalis: ideóque communiter in casu proposito illa licita est. Si tamen coniux sine grauiori incommodo posset negare debitum, neq; periculum esset grauioris mali; teneretur negare ex charitate: quia tenetur quisque impedire alterius peccatum, quando cõmodè potest. Sed quia id rarò contingit: consultius foret, & efficacius ad vitandum peccatum, si coniux prævidens alterum malè petiturum, ipsum præueniret: potest enim ipse petere sine peccato: & alter potest licitè ei petenti reddere. Vel si ad vitandam saltem actus externi malitiam, peteret ipse vicissim antequam reddat; & postea redderet: non animo alteri obsequendi, sed iure suo vtendi. Ad hoc tamen non sunt obligandæ honestæ matronæ, quibus ob innatũ pudorem id grauissimum esset.

9. Affinitas cũ coniuge.

Nonò, qui per copulam illicitam contraxit affinitatẽ cum coniuge post contractum matrimoniũ: non potest debitũ petere: potest tamen, & tenetur petenti reddere. Ita Sanch. & alii quos refert, & sequitur Bonac. q. 4. punct. 2. n. 2. Ratio primæ partis est, quia caret iure petendi, quo priuatur in pœnã incestus, in primo scilicet, vel in secundo gradu cõmissi, c. 1. & seqq. *De eo qui cognouit*. Secunda verò pars probatur, quia culpa venius non debet nocere alteri innocenti, nec pœna debet ad illum extendi. Innocenti, inquam, quia si fuit particeps delicti, priuatur quoque iure petendi, c. *Discretionem*, De eo qui cognouit &c. Excipiendi tamen sunt à priori parte, vt alibi diximus, qui per vim absolutam coacti sunt ad incestum, vel per metum cadentem in virum constantem: vel qui factum, aut ius ignorauerunt, id est, nesciuerunt esse consanguineam, vel hanc pœnam fuisse tali copulæ adiunctam: & deniq; vt addunt aliqui, si factum adeo sit occultũ, vt probari nequeat; vel etiam si sententia iudicis hanc pœnam infligentis, vel crimen declarantis nondũ accesserit; quod postremum docent Palacius, & Simancas: Primum verò, Abbas, Siluester, Angel. Domin. Sot. Em. Sa, & Ludouic. Lopes, locis à Sanch. relatis lib. 7. disp. 15. num. 13.

10. 10 Cognatio spiritalis.

Decimò, existimant aliqui cognationem spiritalem scienter contractã ab altero, vel ab vtroque coniuge, eos priuare iure petendi, vel etiam reddendi debitum. Sed hoc nõ clarè constat vllo iure. In pœnis autem, & odiosis mitior pars sequenda est. Ideóque meritò id negant Suar. tom. 3. in 3. part. q. 67. a. 8. §. penult. in fine, & Aegid. disp. 34. dub. 8. n. 69. Quorum sententiam probabilem esse fatentur Bonac. punct. 2. n. 4. & Sanch. lib. 9. disp. 26. vbi n. 6. plures alios citat: licet oppositæ velut probabiliori adhæreat num. 7.

11. 11. Dubiũ de impedimento impitante.

Vndecimò, Coniux, qui mala fide contraxit matrimoniũ, dubius de aliquo impedimẽto dirimẽte non potest petere debitum: quia per matr. ita contractũ non acquisiuit

ius petendi. Possessio enim malâ fide inceptа non tribuit ius. Tenetur tamen reddere alteri petenti, qui bona fide contraxit, & non dubitat. Nam hic habet ius petendi, quo non potest spoliari ob malam fidem alterius, donec constet matrimonium esse inualidum. Quando autem vterque mala fide contraxit: neuter potest petere, aut reddere: quia neuter acquisiuit ius: petere autem, vel reddere supponit ius ad petendum, vel reddendum. Quòd si matrimonium bona quidem fide contractum est, sed postea suboritur dubium de ipsius validitate: dubitans non potest petere debitum antequam sufficientem diligentiam adhibuerit ad inquirendam veritatem: quia exponeret se periculo fornicationis: tenetur tamen alteri reddere non dubitanti; quia alter habet ius petendi, & est in possessione, quâ non priuatur ob dubium alterius.

Quid si vterque dubitet?

12. Dices, manere periculum fornicationis in reddendo. Respondeo, esse quoque periculum iniustitiæ in non reddendo: & ex duobus malis minus eligendum esse. Periculum autem iniustitiæ, per se loquendo, grauius est periculo fornicationis.

Instabis, quia si dubium est de valore matrimonii, eò quòd dubitetur de morte prioris coniugis, incurritur periculum peccandi contra ius illius. Ergo in eo casu non potest licitè reddi debitum: quia incurritur periculum maioris mali, faciendi scilicet contra temperantiam, & contra iustitiam. Respondeo, in eo casu possessionem præsentis coniugis præualere dubio de vita alterius: ideóque non obstante hoc dubio debere reddi debitum coniugi præsenti.

13. Dixi teneri reddere alteri non dubitanti: quia si vterque dubitat, neuter potest petere, aut reddere. Neuter enim habet ius petendi: & vterque reddendo exponit se periculo fornicationis sine iusta causa, cum neuter habeat ius petendi ante sufficientem diligentiam adhibitam. Eâ verò adhibitâ, si res adhuc sit dubia, vel opiniones vtrinque probabiles, & matrimonium bona fide contractum est, possunt coniuges deponere dubium, vel sequi opinionem sibi fauorabilem, & petere mutuò, ac reddere: vt rectè docent Bañes, Victoria, Lopes, Henriq. Ledesma, Conradus, Angles, Vega, Palatius, & alii, quos citant, & sequuntur Sanc. lib. 2. de Matrim. disp. 41. q. 4. & ex parte Salas 1. 2. tract. 8. disp. vnica, sect. 22. Ratio præcipua est, quia sicut in aliis contractibus, qui bona fide rem accepit, & postea dubitat, iustè potest illam retinere, & consumere, postquam factâ sufficienti inquisitione, non inuenit veritatem: melior enim est conditio possidentis: Sic in matrimonio &c. Neque propter dubium inuincibile cogendus est in perpetuum ab vsu rei suæ abstinere. Eodemque sensu rectè exponit Sanch. disp. cit. n. 53. caput *Dominus*, De secundis nuptiis, & caput *Inquisitioni*, De sententia excom. Si autem mala fide contractum fuit: contrahendum est iterum priuatim bona fide, & iudicandum nullum esse impedimentum, quandoquidem facta diligenti, & sufficienti inquisitione non constat de contrario. Loquer autem de dubio vero, & rationabili. Scrupuli enim, & leuia indicia, & suspiciones contemni debent, neque ad faciendam inquisitionem obligant: à qua etiam excusantur illi, quibus impossibile iure videtur veritatem inuenire posse. Videantur Salas, & Sanc. locis supra citatis, Aegid. disp. 34. dub. 10. & Bonac. q. 4. punct. 4. qui in his omnibus, fere notis cum sentiunt.

Quid faciendum, quando vterq?

Duodecimò, qui moraliter certus est matrimonium esse inualidum; nec petere potest, nec reddere debitum: vt colligitur ex cap. *Dominus*, De secundis nuptiis: & patet, quia certò peccaret peccato fornicationis accedendo ad alienum, vel alienâ, seu non suam. Neque excusat ignorantia alterius partis, vel præceptum Ecclesiæ iudicantis secundum præsumptionem, licet addatur præcepto excommunicatio, quæ coram Deo nulla est in hoc casu. Non debet autem coniux id facilè credere: neque sufficit quòd alter id asserat, affirmans v. g. se non seriò consensisse: quia si potuit tunc decipere, potest etiam nunc mentiri. Non sufficit etiâ quòd id testetur vir vnus, grauis licet, & bonus, quamuis iuramento adhibito. Nam in re tanti momenti duo testes vt minimum necessarii sunt. Qua de re plura Bonac. suprà cit. n. 16. & sequentibus.

14. 12. Inualiditas matrimonii certa.

Decimo tertiò, Coniuges intra bimestre post initum matrimonium, non tenentur reddere debitum, nisi id seu el contumauerint. Quia, vt alibi dictum fuit, Ecclesia totum hoc tempus illis concedit, vt ante consummationem matrimonii cogitent de ingredienda Religione, si velint.

15. 13. Bimestre à iure concessum.

Decimo 4. Excusat etiã à reddendo nimia petendi frequentia, & importunitas: quia coniuges non obligantur ad tã duram, & importunã seruitutẽ. Item si petatur tempore, vel loco indebito: vt si statim post refectionem, quod nisi cum graui incommodo, vel periculo fieri solet: vel si loco, aut modo non satis occulto; ad quæ & similia nemo se obligasse meritò censetur.

16. 14. Nimia frequentia, vel modus indebitus.

Decimo 5. Excusatur etiã à graui saltem peccato coniux debitum negans, quando alter remissè petit, aut rogatus facilè acquiescit. Tunc enim non censetur iste iure suo vti ad alterum grauiter obligandum: & vt supponimus abest graue periculum incontinentiæ. Ita Sanhc. & alii, quos refert, & sequitur Bonac. q. 4. de Matr. punct. 1. n. 1. quorum aliqui excusant etiã à mortali coniugem semel aut rarò negantẽ debitum: quia ob partitatẽ materiæ non videtur facere grauem iniuriã. Sed hoc verum esse non puto, si instãter ille petat, præsertim cũ periculo incontinentiæ. Et hactenùs de causis excusantibus: quarum aliquæ breuiter perstrictæ, paulò vberiùs sequenti sect. explicabuntur.

17. 15. Si leuiter petatur.

SECTIO II.

De peccatis coniugum in vsu matrimonii.

17. COniuges multis modis peccare possunt in vsu matrimonii legitimè contracti: quorum præcipui, vel communiores continentur his versibus,

Sit modus, & finis, fine dãno, soluere, cohære:
Sit locus, & tempus, tactus, ne spernito votũ.

Possunt peccare in modo.

Per *Modũ* intellige 1. moderationem in vsu matrimonii. 2. modum naturalem, & decentem, atque aptum generationi. Circa primum, nota coniuges posse in eo peccare per excessum, & defectum. Priori modo, si nimis indulgent libidini, similes illis, de quibus sermo est Tob. 6. v. 17. Posteriori, si alter eorum contra alterius voluntatem se reddit scienter, & liberè impotentem ad debitum moderatè reddendum, siue per media illicita, vt per crebras pollutiones voluntarias, aut adulteria: quia eodem iure quo tenetur vxori reddere debitum tenetur pariter non se impotentem reddere ad soluendum: quare hoc ipsum, tanquam speciale peccatum tenetur explicare in confessione. Siue etiam per media alioqui de se licita, & vel indifferentia, vel honesta, reddat se notabiliter ineptum ad satisfaciendum moderatè vxori: vt si per nimia, & extraordinaria ieiunia, vel immoderatas vigilias. Secus autem si per moderata exercitia spiritalia, vel corporalia de se licita redditur solùm minùs potens, & robustus: quia non propterea tenetur ab huiusmodi exercitiis, præsertim verò spiritualibus, & sanctis abstinere. Similiterque peccaret mulier quæ ita se ieiuniis & vigiliis extenuaret, vt deformem & exosam viro se redderet, illumque in periculum incontinentiæ coniiceret, & alios quærendi amores occasionem daret. Ex quo etiam fit vt neque vxor, neque maritus vouere possint sine consensu alterius immodicas huiusmodi vigilias, aut ieiunia: sicut neque longas peregrinationes: quia huiusmodi vota fiunt in præiudicium alterius: & neuter habet potestatem sui corporis contra debitum coniugale. Imò neq; ieiunia aliũde præcepta eos obligant cum prædicto incõmodo. Nam præceptum iustitiæ circa debitum coniugale fortiùs obligat, quàm lex ecclesiastica seruandi ieiunium. Hoc, inquam, debitum tam graue est, vt interdum etiam excusentur coniuges à ieiuniis ecclesiasticis, si propter valetudinis imbecillitatẽ non possunt aliter ei satisfacere. Quia lex iustitiæ, qua alter alteri tenetur ad moderatũ vsum coniugii, magis eos obligat, quàm præceptum ecclesiasticum: vt rectè docent Nauar. Sanchez. Valent. & alii quos citãt & sequuntur Bonac. q. 4. de Matrim. p. 1. & Coninc disp. 34. n. 18.

Circa secundum, peccant etiam coniuges qui sine causa & necessitate aliqua excusante non seruant in copula naturalẽ modum, & humanum. Quam culpam multi generaliter mortalem esse dicunt: sed alii meliùs, quos refert, & sequitur Sanchez lib. 9. disp. 16. docent non esse plusquam venialem, dummodo fiat in vase legitimo, & generatio non impediatur, vt vix contingit ratione situs dumtaxat, quia virtus attractiua matricis satis obstat huic periculo: quam ob causam non tenentur confessarii inquirere à poenitentibus, qui de situ variato cõfitentur, num generationem impediuerint, dummodo nihil aliud fecerint, neque voluntatem impediendi habuerint. Dixi autẽ, *sine causa, & necessitate aliqua excusante*: quia debiti situs inuersio retento vase naturali, culpa etiam veniali caret, quando non sponte, & gratia captandæ voluptatis, sed ex necessitate, & iusta aliqua de causa fit: quia scilicet dispositio corporis viri, aut mulieris non patitur aliter fieri; & copula exigitur, vel redditur ob fines honestos, putà, vt vitetur periculum incontinentiæ, vel vt proles suscipiatur ad conseruationem familiæ, & cultus diuini amplificationem. Dixi præterea, *retento vase naturali*: quia alioqui semper grauissimum peccatum est, si in alio copulam Sodomiticam exerceant, siue eam consummẽt, siue non. Qua de re plura Sanch. lib. 9. disp. 17. & 18.

18.

Per, *finem*, intellige finem honestum, & licitum, quem coniuges sibi proponere debent in vsu matrimonii, vel scilicet prolem suscipiendi, vel medendi concupiscentiæ, & vitandi periculum incontinentiæ, vel fouendi mutuum amorem coniugalem, vel tuendi, aut restaurandi valetudinem, quando ad eum finem necessarius, aut vtilis est, moderatus vsus coniugii legitimi. An verò etiam delectationis gratiâ sine peccato exerceri possit, diximus alibi plerumque hanc intentionem non vacare culpa veniali: quia qui non intendunt aliud, solent in eam ferri immoderatè, & cum excessu repugnante virtuti temperantiæ: qui tamen excessus communiter non excedit peccatum veniale. Semoto verò illo excessu, non satis constare quòd peccent coniuges, quamuis solam delectationem sibi expressè proponant, non exclusis vitiosè aliis finibus nobilioribus. Quia delectatio illa inter coniuges licita est: & non tenentur sub pœna peccati reddere illam honestam per aliquem finem honestum expressè intentum: cùm probabilius sit licere hominibus exercere actus indifferentes, vt suppono ex dictis in tractatu De actibus humanis. Omnino autem certum esse debet, intentionem illam, si mala est, non excedere culpam venialem, excepto casu, quo matrimonii fines excederet: quia scilicet coniux vel delectatur de alio non coniuge, quasi cum illo

19.

2. Ex parte finis.

rem haberet: vel ita capitur voluptate, vt habeat actu voluntatem accedendi ad coniugem præsentem, quamuis coniux non esset. Tunc enim habet actu voluntatem fornicandi, quæ licet conditionata sit, mortali tamen culpâ non vacat, vt rectè ait S. Thō. in 4. dist. 31. q. 2. art. 3.

20. *sine damno*, id est, sine periculo grauis morbi, vel detrimenti. Nam 1. non tenetur coniux reddere debitum cum detrimento propriæ salutis corporalis, vt diximus sect. præcedenti, & confirmatur à D. Thom. in 4. dist. 32. q. vnica, a. 1. in corp. & q. 64. supplem. art. 1. Quia, inquit, non tenetur reddere nisi secundum rectum naturæ ordinem, qui est vt priùs individui propriæ incolumitati consulatur, quàm prolis generationi. Vnde etiam natura prius prospicit individui conseruationi per potentiam nutritiuam, quàm generationi prolis per formationem feminis ex alimento superfluo nutritioni. Quin etiam peccat, si petit, aut reddit cum notabili detrimento salutis corporalis: quia non habet dominium propriæ vitæ, sed obligatur ad moderatam illius conseruationem. Tenetur etiam negare alteri cum simili suo periculo petenti. Huiusmodi periculum est, si iam alter eorum febri, vel alio graui morbo laboret, vel si sæpius, & immoderatè petendo, notabiliter vires extenuet: vel si coniux sit leprosus, & infectionis periculum alteri immineat. Excipe tamen, nisi maius aliquod bonum contrarium exigat: puta si propter bonum totius regni & pacem publicam necessarium sit Principem suscipere prolem, & hæredem relinquere, quamuis sine notabilis damni periculo coniugalem copulam exercere non possit: vel si coniux aliter nequeat incontinentiæ periculum vitare: quod tamen vix contingit, cùm non desint alia remedia: quâ de causa multi censent non teneri coniugem reddere debitum petenti, cum notabili periculo valetudinis propriæ, vel coniugis. Excipe etiam, nisi quis sciens cum leprosa, vel alio morbo diuturno laborante contraxerit: quia per matrimonium se obligauit ad cohabitationem, & ad reddendum debitum. Quin etiam licet vitium ignorauerit, aut lepra postea orta sit; potest, si velit amorem coniugalem, & incontinentiæ periculum tam diuturnum, præponere aliquali periculo infectionis: quodque suprà dixi, non posse coniugem licitè reddere debitum cum periculo valetudinis, intelligendum est, cum hoc temperamento, & de morbis non adeo diuturnis.

3 Rarior damni imminentis.

21. Secundò, excusat etiam à peccato, & à reddendo debito, magnum detrimentum in bonis fortunæ, aut famæ, vel spes magnæ vtilitatis comparandæ, propter quam sit necessarium diu abesse à coniuge. Item etiam periculum damni proli imminentis propter quod multi damnant peccati mortalis coniugem petentem aut reddentem debitum tempore menstrui ordinarii, & consueti fœminis: quia periculum est ne proles tunc concepta infectetur lepra. Sed meliùs, alii, quos refert & sequitur Sanch. lib. 9. disp. 21. n. 6. & sequentibus, docent ad summum culpam esse venialem exigere eo tempore: idque non tam propter periculū damni prædicti, quod nullum, aut adeo rarum est, vt illius non sit habenda ratio (Quā multi enim concipiuntur eo tempore sine tali incommodo) sed propter aliquam indecentiam accedendi eo tempore, si possit absque incontinentiæ periculo, vel alio incommodo notabili expectari dum ea fœditas præterierit; quod addo, quia alioquin nec culpa quidem venialis est exigere: multóque minùs tenetur vxor negare, vel passionem suam aperire coniugi cum periculo excitandi in illo horrorem, vel dandi occasionem quærendi amores illicitos. Prohibitio autem accessus ad menstruatam, facta sub pœna mortis, Leuit. 20. v. 18. propter legalem immunditiam & horrorem, partim cerimonialis erat, partim iudicialis; & per legem Euangelicā abrogata fuit. Sicut & lex altera præcipiens obseruari tempus purificationis, quod erat quadraginta dierum post partum masculi: & octoginta, post partum fœmineæ prolis: quo tempore mulier immūda erat, & ab ingressu templi prohibebatur: eodemque toto tempore videtur vsus coniugii fuisse interdictus. Si tamen aliquot diebus intra illud tempus cōtingat immunditia naturalis similis illi, quæ tempore menstrui; idem de vtraque iudicandum esset: aut si periculum foret grauis nocumenti decumbenti adhuc ex dolore partus: tuncque de grauitate aut leuitate culpæ exigentis debitum, aut reddentis, iudicandum esset ex quantitate periculi, & nocumenti.

Peccemne qui accedūt ad menstruatam.

22. Sunt etiam qui putent esse peccatū habere rem cum vxore iam prægnante. Sed meliùs id negant alii, semoto periculo aborsus, vel suffocationis prolis iam conceptæ; licet interdum fortasse noua copula conceptionē ex priore impeditura sit: quia non tenentur coniuges adeo prolis conceptioni consulere: & matrimonium non prolis tantum gratiâ, sed etiam in remedium incontinentiæ institutum fuit. Non esset autem remedium, sed potiùs irritamentū, si coniuges tanto tēpore cogerentur abstinere ab vsu matrimonii: cùm plurimæ longè maiori parte temporis soleant esse grauidæ. Eandemque ob causam meliùs sentiunt, qui dicunt non peccare coniugem accedentem ad vxorem eo tempore quo infantem lactat. Nam alioqui pauperes, qui non possunt aliis lactandum tradere, cogerentur toto biennio abstinere ab vsu coniugii: quod esset eos grauibus peccandi occasionibus exponere. Neque damnū ex eo imminens proli lactenti, vel concipiēdæ ex copula (quod infrequēs, & exiguū est) obligat coniuges ad illud præcauendum cū tanto suo incōmodo, tamque graui difficultate. Certè pauperū proles, qui non abstinēt eo tempore, non minùs sanæ, ac vegetæ

Vel ad prægnantem.

ſunt quàm diuitum, qui ſolent lactandas aliis tradere. Si tamen mulier paupercula experiretur ſiccari vbera, & non ſufficere lactandæ proli, aut lac periculoſum euadere propter copulam: excuſaretur à debito reddendo propter illud incommodum: neque vir tunc poſſet exigere, aut illa reddere ſine peccato, niſi maius vrgeret incommodum, cogeretque aliquando ſoluere.

23. Vel ſi copulã imperfectam exerceant.

Sequitur quarta particula *Solue*: quâ ſignificatur coniugale debitum perfectè, & integrè reddendum eſſe, eo modo, qui ex ſe ad generationem ſufficiat. Quod niſi fiat, damnant plurimi peccati mortalis vxorem, æquè ac maritum, voluntariè deficientem hac in parte: quia impeditur generatio, ad quam copula refertur ex natura ſua, & actus ille fruſtratur ſuo fine. Alii fœminam excuſant, niſi periculum ſit incontinentiæ: quia id ex parte ipſius non cenſetur eſſe neceſſarium ad generationem. Quidam etiam excuſant vtrumque: quia non ſemper tenentur illam intendere, aut ponere quidquid eſt neceſſarium: modò nihil aliud indecenter, & contra naturam fiat. Qua de re plura, quæ honeſtè dici nequeunt, videri poterunt in caſu neceſſitatis apud Sanch. lib 9. diſp. 19.

24. Tenentur coniuges ſimul habitare.

Quinta particula, *Cohære*, ſignificat obligari coniuges ad ſimul habitandum: ita vt peccẽt ſi abſque iuſta cauſa, vel mutuo conſenſu ſe diu ſeparent. Eodem enim iure quo tenentur reddere debitum, tenentur cohabitare ad reddẽdũ. Eandemq; obligationẽ Alexand. III. c. 1. & 2. *De coniugio leproſorũ*, colligit ex illis Chriſti verbis Matth. 5. *Omnis qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari*: & ex iſtis Gen. 2. *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* Cùm enim, inquit, vir, & vxor vna caro ſint, non debet alter ſine altero diutius eſſe. Eandem quoque obligationẽ ſignificat particula illa definitionis matrimonii cõmuniter receptæ, *individuam vitæ conſuetudinem retinens.* Quòd ſi coniuges ſecus faciunt, poſſunt compelli ad cohabitandum, tum per iudices eccleſiaſticos, vt patet ex cap. *Literas*, de reſtitutione ſpoliatorum, in fine, tum etiam per iudices laicos, vt poſt Gloſſam capitis *Non eſt*, *deſponſalibus*, *V. Vxores*, Abbatem, Præpoſitum, Andream, & plures alios docet Sanch. l. 9. diſp. 4. n. 7. Hæc tamen obligatio non impedit, quin iuſta de cauſa poſſit maritus abeſſe diu, ſiue propter bonum publicum, vt ſi Rex ad bellum vocet, vel ſi proficiſcatur ad ſubſidium terræ ſanctæ, vt expreſsè permittitur c. *Ex multa*, de voto, §. *In tanta*: Siue etiam propter bonum priuatum, quoties id prudenter iudicatur eſſe neceſſarium, ad aliquid tanti momenti, vt vxor eſſe neque à trationabiliter inuita: quod frequenter contingit. Neque tenetur vir vxorem ſecum ducere, licet ipſa velit, quando vel nõ decet, vel non poteſt commodè fieri. Et vice verſa, non tenetur vxor ſequi virum id volentem, niſi quando ſtatum ipſius id decet, & non valde incommodum eſt.

25. Etiam dote nõ ſoluta.

Neq; maritum excuſat ab obligatione cohabitandi, quòd dos ei promiſſa, perſoluta non ſit: quidquid dicant Hoſtienſ. Andr. Bald. & plures alii relati à Sanche lib. 9. diſp. 5. nũm. 11. & 12. Quia licet tunc excuſetur ab obligatione illam alendi, propter quam dos conſtituitur, vt fuſiùs docet ibidem auctor cit. de qua etiam obligatione generaliùs tractat diſp. 4. n. 19. & ſeqq. docens quibus aliis in caſibus non teneatur maritus alimenta vxori præſtare: licet, inquam, propter dotem non ſolutam, liber ſit ab obligatione alendi vxorem: ſecus tamen ab obligatione cohabitandi, quæ non oritur ex ſolutione dotis, ſed ex ipſa natura matrimonii, quod ſicut obligat ad reddendum debitum coniugale, ita & ad cohabitandum vt reddatur, & ad mutua obſequia ſibi præſtanda in ordine ad generationem prolis, honeſtamque educationem. Aliis ergo remediis iuris viro vtendum eſt ad dotem obtinendam; neque ſi non obtineat poteſt idcirco matrimonii contractum reſcindere, cùm ſit inſolubilis propriâ contrahentium voluptate, vt alibi oſtendimus.

26. Neq; morbus excuſat niſi contagioſus.

Non excuſat etiam morbus diuturnus, aut perpetuus alterius coniugis; niſi ſit contagioſus, & infectionis periculum ex cohabitatione immineat. Quo ſenſu intelligendus eſt textus capitis 2. de coniugio leproſ. ſic dicens: *Quoniam nemini licet (excepta cauſa fornicationis) vxorem dimittere: conſtat quod ſiue mulier leprâ percuſſa fuerit, ſeu aliâ grani infirmitate detenta, non eſt à viro propterea ſeparanda, vel etiam dimittenda.* Et quod dicitur cap. 1. eod. tit. *Mandamus quatenus vt vxores viros, & viri vxores, qui lepræ morbum incurrunt, ſequantur, & eis coniugali affectione miniſtrent, ſolitis exhortationibus inducere non poſponas. Si vero ad hoc induci non poterunt, eis arctiùs iniungas, vt vterque altero viuente continentiam ſeruet.* Intelligenda, inquam, hæc ſunt, quando non eſt graue periculum infectionis, quo in caſu monendi ſunt, vt ſimul habitent, atque etiã cogendi, niſi propter naturalem horrorem, quem admodum vehementem patiuntur aliqui, ad hoc induci non poſſunt: qui permittendi ſunt viuere ſeparatim, ſeruatâ continentiâ. Hoc tamen in caſu, atque etiam quando periculum infectionis eſt, debent non longiùs abeſſe ab inuicem, quàm horror, aut periculum exigat, ſed quoad fieri poteſt, habitare propiùs in eadem domo, vel extra, vt ſibi mutuò ſolatium, & alia officia coniugalia præſtent. Siq; prolem ſuſceperunt, debet illa, ſi ſana eſt, apud ſanum habitare, vt periculum infectionis euadat.

27. Peccant ſi copulantur loco indebito.

Sexta particula, *Si locus*, ſignificat peccare coniuges, ſi exerceant debitum coniugale loco indebito: vt ſi in loco publico, ſeu coram aliis: vbi nec quidem alios actus coniugales parum honeſtos exercere licitè poſſunt,

Digitized by Google

ob scandalum: vel si in loco sacro, excepto casu necessitatis moralis in diuturna detentione coniugum, ibi velut in carcere inclusorum. Nam alioqui graue peccatum sacrilegii est, & locum sacrum polluens, non solùm petere, verùm etiam reddere: quia circunstantia loci sacri non minùs respicit reddentem, quàm petentem. Qua de re plura videri possunt apud Sanch. lib. 9. disp. 15. num. 4. & seqq. Nomine autem loci sacri, qui pollutur per copulam coniugalem, intelliguntur non modò Ecclesiæ, seu templa, vel oratoria ab Episcopo consecrata, vel benedicta: sed etiam cœmeteria, & claustra religiosorum, sepulturæ fidelium destinata, & benedicta in eum finem: vt fusiùs exponit idem auctor num. 23. & seqq. disput. citatæ.

28. Septima particula, *Et tempus*, significat peccari etiam si exerceatur tempore disconuenienti, vt si quis intra bimestre à iure concessum cogere velit coniugem ad reddendum debitum: vel si habeatur copula ante præmissas denunciationes, iuxta ea, quæ diximus disput. 70. sect. 8. Addunt aliqui peccare coniuges si exerceant diebus festis, vel Rogationum, aut ieiuniorum indictorum ab Ecclesia, vel eo die, quo Eucharistia recipienda est, vel quando alter coniugum excommunicationi subiacet, vel etiam tempore amentiæ, præsertim vxoris. Sed quod attinet ad dies festos, & Rogationum, aut Supplicationum, aut ieiuniorum; consilium tantùm est, non præceptum coniugibus datum, abstinendi à copula, vt melius vacetur orationi: in eum que sensum intelligendi sunt canones, & SS. Patres citati in contrarium à plerisque aliter sentientibus, vt bene docent Sanch. libro nono, disput. 12. numero quinto, & plurimi ab eo relati. Quia diebus festis prohibentur tantùm opera seruilia, cuiusmodi istud non est. Diebus autem Rogationum, & supplicationum, non tenentur fideles cum tanta saltem attentione orare. Diebus denique ieiuniorum non obligantur aliter carnem macerare, quàm per abstinentiam à quantitate, & qualitate ciborum prohibitorum. Quod verò spectat ad Eucharistiam, magis quidem decet eodē die quo recipienda est, abstinere à petendo debito: non tamen est damnandus, qui petit prolis generandæ causa, vel ad vitandum incontinentiæ periculum, aut alium finem honestum, multóque minùs qui petenti reddit. Neque prohibendi sunt coniuges, sed in bona fide relinquendi, præsertim si ob festi solemnitatem, aut Iubilæi lucrandi causá, vel alio speciali motiuo bono accedere velint ad communionem: seque pacato animo, & satis disposito esse existiment: iuxta monitum D. Gregorii relatum cap. *Vir cum propria*, 33. quæst. 4. *Si quis*, inquit, *sua coniuge non cupidine voluptatis coptus, sed solum liberorum procreandorum gratiâ vtitur, &c. de sumendo corporis Dominici, sanguinisque mysterio, sine relinquendus est iudicio quia à nobis prohiberi non debet accipere.* Idemque docent Alensis, Albertus, D. Thom. Bonauent. Palud. Gabriel, Gerson, Adrian. Siluest. aliique plurimi, quos refert, & sequitur Sanch. lib. 9. disp. 13. n. 5.

Vel tempore disconuenienti.

An; etiam si die communionis?

Itaque quod dicitur in cap. *Omnis homo*, De consecrat. dist. 2. vt communicaturus tribus, quatuor, aut octo diebus præcedentibus abstineat à copula coniugali, consilium est, non præceptum: sicut, & quod ait Augustin. serm. 216. & 244. de Tempore, vt communicaturi in Pascha toto tempore quadragesimali abstineant. Ad caput autem *Sciatis*, 33. quæst. 4. sic dicens, *Quicunque vxori debitum reddit, vacare non potest orationi, nec de carnibus Agni comedere debet.* Itemque paulò post, *Si panes Propositionis ab iis, qui vxores suas tetigerant, comedi non poterant; quantò magis panis, qui de cœlo descendit, non potest ab his, qui coniugalibus paulo ante hæserunt complexibus, violari, atque contingi.* Ad hoc, inquam, Respondeo cum D. Thom. in 4. dist. 32. quæst. vnica art. 1. ad 1. canonem hunc loqui de ministris Ecclesiæ coniugatis, quales sunt Sacerdotes Græci, quibus prohibitum est celebrare, quo die vacarunt coniugio. Vel vt ait Archidiac. in eundem canonem, consilium tantùm illud est, non præceptum, si generaliùs loquitur: & quod dicit, *Non potest*, &c. intelligendum est quòd non possit adeo decenter. Quamquam etiam plerumque non potest sine aliqua veniali culpa, propter hebetudinem mentis, aut indispositionem relictam ex culpa, præsertim si copula solius voluptatis gratiâ fuit exercita.

29. Soluitur obiectio.

Excommunicatio verò non impedit officia coniugalia, & mutuam communicationem alioqui licitam inter coniuges: vt dicitur cap. *Quoniam multos*, 11. quæst. 3. Nisi excommunicatio lata sit in causa matrimonii, de cuius valore mota sit controuersia: vel si iam per diuortium separati fuerint. Tempore autem amentiæ, tametsi per se loquendo, & ex natura rei, sanus non teneatur tunc reddere insano petenti, quia non petit humano modo, sed perinde ac si in somnis, vel in ebrietate peteret: potest tamen licitè reddere, atque etiam petere: dummodo non sit periculum ne mulier insana fœtum in vtero suffocet: quod non est timendum, si non est furiosa, sed mitis, & pacifica, multóque minùs si est sterilis. Interdum etiam per accidens tenetur sanus reddere si periculum est, ne coniux amens ad aliam accedat negato sibi debito, vel aliud graue malum prudēter timeatur. Quòd si amba essent amentes perpetuò, separandi essent, & peccarent si qui eos excitarent ad copulam, cum periculo conceptionis prolis. Quia licet ipsi amentes non peccent in ea exercenda, defectu libertatis: malè tamen inducuntur ad copulam, & generationem prolis carituræ parentibus, qui eam honestè educare, & instruere possint. Propter quod etiam vagus connubitus prohibi-

30. Excōmunicatio nō impedit.

Digitized by Google

tus est, tanquam honestæ prolis educationi repugnans.

31. Licentne tactus, aspectus, & colloquia, & cogitationes morosæ inter coniuges?

Octaua particula *Tactus*, significat abstinendum esse coniugibus à tactibus, & aliis actibus impudicis sibi illicitis. Circa quos tactus, & aspectus, & colloquia, & cogitationes morosas inter ipsos coniuges, notandum est non peccare, saltem mortaliter, in huiusmodi, nisi sint nimii, & valdè intemperantes; vel nisi adsit periculum pollutionis extra actum coniugalem. Ratio est, quia ideo solùm inter solutos hæc illicita sunt, quia excitant delectationem illi similem, quæ habetur per copulam, & ad illam quodammodo tendunt. Ergo quibus copula non est illicita, non est etiam illicita ista delectatio, neque alia supradicta, quæ sunt illius causa, nisi fuerit in illis excessus, & intemperantia; in quo casu erunt peccatum saltem veniale: aut nisi graue sit periculum pollutionis extra actum coniugalem; in quo casu erunt peccatum mortale: exceptis tamen osculis, amplexibus, & aliis actibus turpitudine carentibus, & exerceri solitis à coniugibus, ad indicandum, fouendumque amorem mutuum, vt ait Sanchez lib. 9. disput. 45. num. 38. Atque hoc etiam verum est, quamuis copula sit per accidens illicita coniugibus, putà, ratione periculi, vel damni sibi, aut alterutri coniugi, aut proli imminentis, vel ratione morbi. Secus autem si valor matrimonii dubius esset, aut si ambo votum castitatis absolutum mutuo consensu emisissent. Ita Aegid. Con. disput. 34. dubit. 11. & Sanches lib. 9. disput. 44. & sequentibus, vbi de his fusissimè disputat.

32. Peccant si agunt contra votum.

Vltima particula, *Nec spernito votum*, significat cauendum esse coniugibus ne reddendo debitum, vel se ad illud obligando, peccent contra votum obsistens vsui aut contractui matrimonii, si eo sunt obstricti. Nimirum contra votum virginitatis, aut castitatis, aut non petendi debitum, aut ingrediendi religionem, aut suscipiendi sacros Ordines, aut abstinendi à nuptiis, seu non ineundi matrimonium, aut votum solemne emissum in susceptione sacrorum Ordinum, vel in professione religiosa, quod votum, si matrimonium antecedat, illud irritum reddit: si sequatur, illius vsum impedit, eo modo, qui sequenti sectione explicabitur. De hoc enim voto, & de aliis prædictis multa per breues quæstiunculas exponenda sunt.

SECTIO III.

An, & quomodo votum impediat vsum matrimonii?

33. Quomodo votum virginit. im pedit matrimoniũ?

VT igitur de votis illis singillatim agamus, quæritur primò, an & quomodo votum virginitatis, aut castitatis impediat matrimonium? Respondeo votum virginitatis dupliciter posse fieri. Primò, ita vt voluentis intentio expressa sit de seruanda carnis integritate, abstinendoque à primo actu venereo, quo virginitas perditur: ad continentiam verò ab aliis actibus, nolit se obligare, nisi secundariò, & consequenter ad abstinentiam à primo. Et qui sic vouit, peccat mortaliter contra votum in primo illo actu, quo sponte perdit virginitatem petendo debitum, non in aliis deinceps; quia per primum actum extincta fuit obligatio voti: quippe quod non obligat ad abstinendum ab istis, nisi mediante abstinentia à primo, quæ iam est illi facta impossibilis. Peccat etiam grauiter contrahendo matrimonium, & coniiciendo se in periculum violandi votum, nisi sufficienter id cauerit, quod sine valde speciali Dei auxilio fieri nequit, nec sine ipsius reuelatione, aut instinctu eximio prudenter sperari potest. Sed postquam matrimonium contraxit, tenetur coniugi petenti debitum reddere, nisi ille se obligauerit ex iustitia ad non petendum, vel ambo mutuo consensu continentiam vouerint. Tenetur, inquam, post bimestre concessum à iure, & non ante, nisi sponte priùs matrimonium consummauerit.

34. Et votum perpetuæ castitatis.

Secundò potest ita concipi votum virginitatis, vt sit promissio perpetuæ abstinentiæ primò, & per se. Et sic coincidit cum voto perpetuæ castitatis: cum hac tantùm differentia, quòd importat carnis integritatem nondum amissam fuisse, sed quoad extera, & quod attinet ad præsentem quæstionem, de illis eodem modo philosophandum est. Et contra vtrumque peccat coniux tali voto ligatus, quotiescunque petit debitum: quia manet semper illius obligatio, tenenturque illud seruare, quantum in se est: tametsi potest licitè, imò etiam tenetur reddere, supposito matrimonio: quia vinculum matrimonii, quod traditionem continet, eiusque obligatio fortior est promissione voti. Quisquis autè hoc secundo modo, æque ac illo priore vouit antequã iniret matrimoniũ, grauiter peccat illud ineundo, exponẽdo se periculo frangẽdi votum, nisi firmum habeat animum abstinẽdi perpetuò, certus de consensu, & permissu coniugis, vel ingrediendi Religionem, aut suscipiendi Ordines Sacros ante consummationem matrimonii, cum eiusdem consensu; absitque periculum inconstantiæ, & mutationis voluntatis, quod vix contingit. Quare ordinariè grauiter peccant, qui post tale votum contrahunt. Non tenentur tamen ingredi Religionem intra bimestre à iure concessum, vt votum castitatis seruent: quia non obligantur vti medio illo extrinseco adeo difficili, & longè votum ipsum superante, vt illud seruent. Quod non obscurè docet Ioannes XXII. in Extrauagante *Antiquæ*, de voto, verbis illis: *Ad ingressum huiusmodi sic ordinatum (si matrimonium consummatum non fuerit) per Dioecesanum instanter moneri præcipimus, & inducí. Quòd si forsitan venerit adimplere: in-*

sum (si sponsa eius institerit) per censuram ecclesiasticam compellendum determinus contractum matrimonium consummare. Quibus vltimis verbis, vt rectè notat Glossa, verbo *Renuerit*, significat Pontifex licere illi renuere. Nam alioqui non relinqueretur id eius optioni, neque permitteretur renuere: sed omnino compelleretur ad ingrediendum. Et quamuis specialiter ibi sermo sit de coniuge promoto ad sacrum Ordinem post matrimonium ratum: par, aut maior est ratio vt non teneatur ingredi Religionem, qui vouit castitatem ante matrimonium, neque ad hoc compelli possit, sed potiùs ad reddendum debitum, si nolit ingredi.

35. Et votum ingrediendi Religionem impediat vsum coniugii? Respondeo, eum qui vouit ingredi religionem antequam iniret matrimonium, peccare mortaliter prima vice quâ matrimonium consummat, siue petendo, siue etiam reddendo ante bimestre à iure concessum, vel etiam post, quia potest adhuc, & tenetur implere votum: & consummando reddit se impotentem ad illud implendum, si coniux nolit consentire, & præstare quidquid ex parte ipsius necessarium est. Sed postquam semel consummauit, licet illi deinceps petere, & reddere: quia obligando se dumtaxat ad ingressum religionis, nondum se obligauit ad obseruantiam castitatis, sicut neque paupertatis, & obedientiæ. Hanc enim obligationem non suscipit, nisi quando actu profitetur in religione, seu quando vota religiosa nuncupat. Sicut qui vouit Ordines sacros recipere, non propterea obligatur ad officium recitandum, & ad alias Ordinis functiones, donec actu recipiat. Tenebitur tamen vxore mortua Religionem ingredi, si sit illi superstes: atque etiam si oriatur iusta causa perpetui diuortii propter adulterium coniugis, si vouens ipse non sit reus eiusdem criminis. Quia iam sublato impedimento potest, & tenetur votũ suum implere, quod non fuit extinctum, sed suspensum dumtaxat per matrimonium consummatum. Nisi tamen propter rerum mutationem, votum illud iam non sit de meliori bono, respectu illius, vel moraliter possibili. Vt si iam est senex, & ineptus religioni ineundæ: vel si melius sit vt curam liberorum, & rei domesticæ habeat, propter illius necessitatem.

36. Et votum suscipiendi ordines sacros. Quæritur tertiò, An, & quomodo votũ suscipiendi Ordines sacros impediat vsum matrimonii? Respondeo, quisquis eo obstrictus contrahit matrimonium, non tenetur, vt votum seruet, ingredi religionem: sicut decidit in extrauagante *Antiquæ*, supra relata: & peccauit quidem ineundo matrimonium, per quod fit impotens ad votũ implendum vxore non consentiente: sed non peccat exigendo, aut reddendo debitum coniugale: quia non vouit castitatem, sed receptionem Ordinis, ad quam iam non tenetur, quandiu durabit impedimentum, & obligatio manendi cum vxore: sed illâ mortuâ, vel datâ causa diuortii perpetui, tenebitur illud implere. Idemque sentiendum est de eo, qui post votum abstinendi à nuptiis, matrimonium contrahit. Peccat enim contra votum nubendo: sed postea non peccat petendo, aut reddendo debitum, neque tenetur religionem ingredi ante consummationẽ, quia nihil aliud vouit, quàm abstinere à contrahendo matrimonio: ab vsu verò illius, non nisi mediante, & supposita abstinentia à matrimonio ipso contrahendo: quæ fuit primaria & immediata huius voti materia: illaque facta iam impossibili, quãdo contraxit, non tenetur ampliùs ad secundariam, id est, ad abstinendum ab vsu: simili modo quo supra diximus de vouente virginitatem præcisè. Tenebitur tamen ille, vi voti, abstinere à secundis nuptiis, si absolutè vouit non nubere, & coniugi superstes sit.

Et hactenus de votis emissis ante matrimonium. Iam verò quia possunt etiam post illud contractum, & ratum, vel etiam consummatum emitti: quæritur quartò, an & quomodo eiusmodi vota tunc emissa obsistant vsui licito matrimonii? Respondeo & dico primò, si post matrimonium contractum, & nondum consummatum emittatur votum ingrediendi Religionem, obligat ad ingrediendum, peccatque mortaliter vouens prima vice, quâ consummat, siue petendo, siue reddendo debitum, quia se reddit impotentem ad implendum votum, quod adhuc potest, & tenetur implere. Postquam autem semel consummauit, non potest illud implere sine consensu coniugis, durante illo matrimonio, neque peccat in vsu matrimonii, nisi detur causa diuortii perpetui: tunc enim votum implere tenebitur, aut etiam post mortem coniugis, si ei superuiuat. Idemque dicendum est, si emisit votum suscipiendi Ordines sacros ante, vel post consummationem matrimonii. Cum moderatione tamen adhibita num. 35 in fine.

37. Quid si votum ingrediendi relig. fiat post matrimonium?

Dico secundò, si coniux emittat votum castitatis, sine consensu alterius coniugis, obligatur vi illius ad non petendum debitum: sed tenetur petenti reddere, quando ille ius habet petendi: aliter non, & peccat reddendo: vt si reddat intra primum bimestre à iure concessum, vel post diuortium legitimum. Potest autem validè, & licitè tale votum emittere intendens se obligare ad non petendum debitum, etiam sine consensu coniugis: quia lex matrimonii non eum obligat ad petendum, sed ad reddendum dumtaxat: ideoque non peccat contra obligationem matrimonii, si non petit, potestque ad id se obligare propter fines honestos, & altiores, putà, vt melius vacet orationi, & studio propriæ salutis. Neque dicas id fieri in damnum, & præiudicium vxoris, quæ præ pudore nunquam debitum petitura est. Respondeo enim, quod diximus teneri nihilominus vouentem reddere petenti, intelli-

38. Aut votum castit. sine consensu coniugis.

Digitized by Google

ligendum esse de petitione etiam interpretatiua, & virtuali: vt si coniux quomodocunque significet, aut si periclitetur eius continentia. Maritus autem ad plus non tenetur, & iure suo vti potest, seu libertate abstinendi sibi permissa per leges matrimonii. An verò possit tale votum ab vxore irritari dicemus infrà, sequenti. Confirmatur ex cap. *Quidam* De conuersione coniugatorum, vbi clarè significatur valere votum non petendi ex illum sine consensu vxoris: secus autem votum non reddendi. *Premisit*, inquit, *se non exigere debitum, quod in eius potestate erat: ideo quoad hoc votum tenuit.* Et scilicet non quoad non reddere: quia in eius potestate istud non est. Magna tamen prudentia in eiusmodi votis emittendis opus est: propter periculum eius, qui priuat se libertate petendi, coactus tamen habitare cum coniuge.

39. Vel etiam cum illius consensu.

Dico tertiò, Si vnus coniugum de consensu alterius vouit castitatem, tenetur nihilominus petenti debitum reddere: quia pars altera consentiens illius voto, non propterea seipsam priuauit iure petendi, sed tantum consensit, vt coniux quantum in ipso est, castitatem seruet, & ad illam seruandam se obliget, possitque thoro separari, ne petendi periculo se exponat. Est enim eius licentia ita interpretanda, vt quoad fieri potest consentienti non noceat: debetque præsumi talis esse illius intentio tacita, nisi contrarium exprimat: vt post Innocentium, Andream, D. Antonin. Siluest. Nauarr. & plures alios docet Sanch. lib. 9. disput. 36. nu. 5. Si autem expresè consenserit, vt voueret omnimodam continentiam: tunc non potest petere, nisi irritando votum priùs factum de ipsius licentia: quod nihilominus irritare potest, etiam licitè, existente causa legitima. Irritatque tacitè, aut potiùs suspendit, saltem quoad præsentem actum, eo ipso quòd petit non immemor voti; vel de illo admonitus à vouente, non desistit petere. Imò licet non irritet; quia tamen consentiendo ius petendi non abdicauit, tenetur iste debitum reddere exigenti pro iure suo: quia ius matrimonii præualet iuri voti.

40. Potestne illi petenti debitum reddi?

Si autem ille ipse qui vouit, petit debitum, maior difficultas est vtrum pars altera, quæ consensit illius voto, teneatur reddere. Multique censent non posse reddere sine peccato mortali: quia cooperaretur violationi voti, in quod ipsa consensit. Ita Diuus Anton. Silu. Nauarr. Lopez, Manuel, Vega, & Ledesma locis relatis à Sanche disp. 36. num. 10. Sed melius alii, quibus ipse adhæret paulò post, docent teneri adhuc reddere. Quia votum non priuat vouentem iure iustitiæ, quod habet, vt coniux debitum sibi reddat: & licentia concessa per alterum coniugem non derogat iuri petendi, vel obligationi reddendi, quam iste habet. Neutrum enim abdicat iure suo: sed tantùm facit, vt vouens obligetur virtute Religionis, ad non petendum, & sacrilegè faciat, si petit. Ergo alter potest, & tenetur reddere non obstante voto istius, in quod consensit. Ad fundamentum autem contrariæ sententiæ respondendum est, non propterea cooperari violationi voti, neque hoc intendere: sed tantùm satisfacere debito iustitiæ: sicut ille qui reddit debitum pecuniarium, quia debet ex iustitia, non cooperatur malo vsui volentis illud impendere in luxum, & ebrietatem.

41. Si ambo mutuo consensu vouerunt, neuter potest petere aut reddere.

Dico quartò, Si ambo mutuo consensu votum continentiæ emiserunt, atque ita iuri petendi renunciarunt saltem implicitè per talem consensum; neuter potest sine peccato mortali petere, aut reddere: quia mutuò se liberarunt seruitute vsus matrimonii: & obligatur vi voti seruare quoad possunt, continentiam, quam Deo promiserunt. In hunc sensum intelligo caput *Quod Deo*, 33. qu. 5. sumptum ex D. August. epist. 199. ad Ecditiam, cuius verba sunt: *Quæ Deo pari consensu voueratis, perseueranter vsque in finem reddere debuistis: à quo proposito si ille lapsus est, tu saltem instantissimè perseuera.* Atque ita docent Innocent. Abbas, Andreas, Cardinal. Henricus, Turrecrem. Siluest. Tabien. Nauarr. D. Anton. Albert. Magnus, Gabr. Dion. Sotus, Henriq. Ledesma, Aragon. Azor, & alii quos refert, & sequitur Sanchez disput. 37. num. 10. licet nonnulli ab eo relati numero præcedenti sentiant posse in eo casu, & teneri vtrumque alteri petenti reddere, quamuis neuter possit licitè petere. Sed illi malè supponunt eos iuri petendi non renunciasse vouendo modo supra dicto. Nam vt rectè ait Less. lib. 2. de Iust. cap. 40. n. 96. vterque ita ex pacto vouendo, & ex condicto, mutuo consensu, omni iure suo ad actum matrimonii cedere censetur, vel etiam ex presè cedit: vt patet ex cap. *Dudum*, De conuersione coniugatorum. Ideo enim coniuges mutuum consensum, & votum mutuum exigunt, vt sese omnino tutos præstent à mutua petitione. At non essent omnino tuti, nisi renunciarent omni iuri, quod ad illum actum habent: qui enim iuri suo non renunciauit, potest alterum cogere ad reddendum: eo autem renunciato, non potest: ad quod etiam non parum iuuat illud votum, quo renuncians iuri erga coniugem, obstringit se Deo. Nam petendo non solùm iniuriam faceret coniugi, sed etiam sacrilegus, & infidelis esset erga Deum.

42. Nisi postea renuncient abdicationis iuris.

Notandum tamen, quòd si post tale votum, mutuo consensu factum, coniuges vicissim remittant abdicationem iuris, quam mutuo consensu fecerunt, non possunt quidem petere debitum propter votum: sed tamen obligantur ad reddendum petenti: quia iam petit ex iure iustitiæ prævalente obligationi voti. Possunt autem validè remittere: quia perpetuitas, & insolubilitas non est de natura huius renunciationis, seu pacti quo se abdicarunt iure petendi, ita vt mutuo cõsensu partium non possit rescindi, sicut alii contractus humani: & simplex votum casti-

ratis non aufert dominium proprii corporis, neque impedit quin validè possit alteri tradi ad vsum coniugii: vt patet in illis, qui post tale votum simplex validè contrahunt. Neque propterea votum irritatur: sed mutatur eius materia, & iuri alterius subiicitur, simulque pactum de non petendo pro suo iure, rescinditur. Quemadmodum autem si pepigissent de non petendo, & non reddendo, absque voto; pactum illud quamuis validum, posset ab illis postea dissolui mutuo consensu: ita potest rescindi validè, licet votum accesserit. Est tamen differentia inter vtrumque casum: quòd in priori possent tunc licitè petere, & reddere, in posteriori nō possunt licitè petere, quia votum obstat, & seruandum est, quoad permittit lex matrimonii: possunt tamen, & tenentur reddere.

43. Non possūt renunciare post votum solemne.

Notandum etiam, hoc intelligendum esse de simplici voto castitatis. Nam si alteruter de consensu alterius votum solenne emisit in professione Religionis approbatæ; vel si maritus suscepit sacros Ordines de consensu vxoris profitentis religionem, aut vouentis castitatem in manibus Episcopi; non possunt amplius ad pristinum statum redire, sibique mutuò dare potestatem petendi, aut reddēdi debitum coniugale, in iniuriam status noui, quem susceperunt. Sin autem vnus absque consensu alterius vouit in Religione, professio est inualida: tenenturque ad coniugem redire, & votum castitatis ab illo emissum non eum obligat, quatenus continet promissionem de non reddendo debitō, præiudicatque iuri alterius non consentientis: vt dicitur cap. *Quidam*, & cap. *Placet*, De conuersion. coniugat. Valet tamen quoad hoc, vt non possit licitè petere debitum, & mortua coniuge nequeat aliam ducere, vt dicitur cap. *Quidam*, sup. cit. Item si maritus absque vxoris consensu sacros ordines accipiat ante vel post consummationem matrimonii: tametsi valida est ordinatiō: non tenetur tamen, neque potest seruare votum solemne castitatis, in præiudicium vxoris. Ac denique siue vxor, siue maritus voueat aliquid in præiudicium alterius de materia ipsi subiecta, sine ipsius consensu, non valet tale votum: vel potest ab alio coniuge irritari, aut suspendi, vt dicemus sectione sequenti.

SECTIO IV.

Possitne vnus coniugum irritare votum alterius de non petendo, aut reddendo debito, vel de seruanda continentia, vel quælibet alia eius vota?

44. Potestas irritandi duplex, directa, & indirecta.

NOta primò, Aliud esse irritare votum, & aliud suspendere tantùm illius executionem. Secundò, potestatem irritandi, vel suspendendi votum duplicem esse posse. vnam directam, quoad ipsam voluntatem vouentis: alteram indirectam, ratione materiæ ipsius voti, quæ ab alterius iure pendet, ideoque votum circa illam potest ab ipso irritari, vel suspendi. Nam, vt rectè ait Sanch. lib. 9. disp. 39. n. 2. dupliciter potest vnus alteri subiici quoad vtorum irritationem, aut suspensionem. Videlicet, vel quoad ipsam voluntatem vouentis: quando scilicet quis siue à natura, siue à iure positiuo habet dominium, aut quasi dominium in voluntatem eius qui vouet, vt illam dirigat ne imprudenter vota emittat. Quo pacto subditur filius impubes patri, & religiosus Prælato. Vel secundò, quoad materiam voti dumtaxat, quia scilicet ipsi subiecta est, & per votum, aut per voti executionem disponitur de illa in ipsius præiudicium.

His præsuppositis, consentiunt doctores, vxorem non posse irritare, aut suspendere vota mariti, nisi hoc secundo modo: ea scilicet quæ fiunt de materia ipsi subiecta ratione matrimonii, & quorum executio vergit in ipsius præiudicium, quatenus debito coniugali præiudicant, vel honestæ prolis educationi, aut rectæ gubernationi familiæ. Vt si maritus votum emittat de seruanda continentia, vel de longa peregrinatione, vel de vigiliis, & ieiuniis immoderatis, aut de immodicis eleemosynis in detrimentum familiæ largiendis, vel de bonis ipsius paraphernalibus, aut si quæ alia per contractū matrimonii, aut communi iure, vel consuetudine, sunt ipsius propria, vel reseruantur eius dispositioni: siue hæc vota fuerint facta sine ipsius consensu, siue etiam cum illo, retento, aut recuperato iure irritandi, aut suspendendi: & siue fuerint ab illo facta tēpore matrimonii cum ista contracti, siue antea, etiam de cōsensu prioris vxoris. Nam si eorum executio præiudicat secundæ vxori, habet ista ius suspendendi, vt prospiciat suæ indemnitati circa materiam iam sibi subiectam. Hoc autem intellige quandiu manet illa subiectio. Nam vxore mortua, vel facto diuortio legitimo, tenebitur maritus ad cōtinentiam, si eam vouit, & ad alia quæ iam non pendent à potestate vxoris: quāndiu durabit diuortium. Quod addo, quia coniux innocens admittat nocentem ad reconciliationem, par ius habebit iste irritandi, aut suspendendi, ac antea: quia iam ad pristinū statum restituti sunt.

45. Potest vxor indirectè irritare vota mariti.

De marito autem respectu vxoris, certum pariter est, posse illum saltem indirectè, & ratione materiæ sibi subiectæ, irritare, aut suspendere vota vxoris. Neque enim iure dubitari potest, minorem in eo esse mariti potestatem erga vxorem, quàm vxoris erga maritum. Imò, quia maior est potestas viri, qui est caput mulieris, & dominus familiæ, ac gubernator, pluraque illi subiiciuntur, quàm vxori; ampliorem quoque habet potestatem irritandi vota ratione amplioris materiæ illi subiectæ: circa ea videlicet de quibus validè, & licitè potest sine consensu vxoris disponere: quamuis vxor de iisdem

46. Et maritus vota vxoris.

Digitized by Google

disponere nequeat sine consensu viri. Dubium verò est inter Theologos, vtrum etiam directè possit maritus irritare vota vxoris, adeoque vel omnia, vel multò plura, quàm quæ ratione materiæ sunt ei subiecta?

47. Affirmant aliqui posse etiam directè.

Affirmant aliqui, quos refert, & sequitur Sanch. lib. 9. disp. 39. & seqq. Probátque primò, & præcipuè ex cap. 30. Numer. v. 7. vbi Deus per Moysem sic præcipit: *Si maritum habuerit, & vouerit aliquid*, &c. *si audiens vir statim contradixerit, & irritas fecerit pollicitationes eius, verbaque quibus obstrinxerat animam suam, propitius erit ei Dominus.* Et paulò inferiùs v. 14. *Si voverit, & iuramento se constrinxerit, vt per ieiunium, vel cæterarum rerum abstinentiam affligat animam suam: in arbitrio viri erit, vt faciat, sive non faciat.* In quæ verba D. Augustin. lib. 4. in Heptateuchum q. 59. in Numeros, sic habet, *Manifestum est ita voluisse Legem, foeminam sub viro esse, vt nulla eius vota, quæ abstinentiæ causa voverit, reddantur ab ea, nisi auctor vir fuerit permittendo.* Et Ambros. lib. de Paradiso, cap. 10. *Euidentissimè*, inquit, *apparet, ita virum esse caput mulieris, vt nulla vota abstinentiæ, vel religiosæ conuersationis, liceat sibi sine eius licentia Deo offerre.* Probat deinde hac ratione: Quia licet vir, & mulier pares sint quoad actum coniugalem: tamen in aliis vir est caput mulieris, & mulier est sub viri potestate, vt dicitur Ephes. 5. v. 23. & Gen. 3. vers. 16. Omnes autem actiones corporis subduntur capiti, & ab eo reguntur. Quare viri est regere voluntatem vxoris, ne imprudenter voueat. Meritóque mulier quoad hoc viro subiecta est, quia est lenis, & imprudens, facilitque in votis emittendis. Itaque vir habet dominium, aut quasi dominium in voluntatem vxoris, & non tantùm in materiam promissam: ac proinde potest omnia eius vota irritare: sicut prælatus vota religiosi, & pater vota filii impuberis. Quod denique confirmant auctoritate D. Thomæ 2. 2. q. 88. a. 8. ad 3. vbi dicit, *Nullum votum Religiosi esse firmum, nisi de consensu prælati: sicut nec votum puellæ existentis in domo, nisi sit de consensu patris: neque vxoris, nisi sit de consensu mariti.*

48. Vera sententia, non posse.

Contraria sententia longè probabilior est, quam tenent Angel. v. *Votum* 2. n. 8. Siluest. v. *Votum* 5. n. 2. & 3. Nauarr. cap. 12. Manual. n. 64. Suar. lib. 6. de Voto, cap. 4. Lessius lib. 2. de Iustitia, cap. 40. dub. 15. Pontius lib. 10. de Matrim. cap. 17. qui plures alios citat, & Canonistæ cõmuniter, vt testatur Lessius loco cit. Fundamentum præcipuum huius sententiæ est, quia tanta subiectio vxoris respectu viri, nullo satis firmo argumento probatur, vt patebit ex solutione propositorum ab aduersariis: & minùs est rationi consentanea. Nam vt rectè ait Suarez cap. cit. subiectio vxoris ad virum nascitur tantùm ex contractu, & vinculo matrimonii: debetque illi esse commensurata, vt effectus suæ causæ. Non enim interuenit ibi alia promissio specialis, vel ratio obligationis, vt per se constat. Atqui ex vi contractus, & vinculi matrimonialis tequitur tantùm subiectio necessaria, & conueniens ad talem statum, id est ad vtum matrimonii, & mutuam cohabitationem, educationem liberorum, & gubernationem familiæ. Ergo maior subiectio vxoris ad virum asseritur sine rationabili fundamento. Et consequenter dependentia vxoris à viro quoad vota, non est nisi ratione prædictæ subiectionis circa illam materiam: non autem circa ipsam voluntatem vxoris: ita vt non alia possit irritare ipsius vota, nisi ea quæ versantur circa vsum matrimonii, educationem liberorum, & gubernationem familiæ.

49. Confirmatur.

Confirmatur, quia maior subiectio non est necessaria ratione matrimonii. Ergo asseritur sine fundamento. Debet enim ex illo peti, & mensurari: cùm certum sit non extendi ad omnia, sed habere certos limites. Neque enim potest maritus quidlibet vxori præcipere, aut prohibere, vel de illa vti volet disponere in spiritalibus, aut temporalibus, etiam licitis aliunde, vt per se manifestum est, cùm non sit serua, sed compar & socia minor in familiæ administratione. Itaque cùm certum sit subiectionem vxoris respectu viri certos habere limites, non possunt illi melius præscribi, quàm ex lege & natura ipsius matrimonii, ex quo oritur hæc subiectio: nam media debent esse fini proportionata, & effectus suæ causæ. Ergo cùm tanta subiectio vxoris non oriatur ex ipsa natura contractus, & vinculi matrimonii: contra rationem est illam asserere, & marito tribuere iu grauamen & iniuriam vxoris.

50. Soluitur 1. arg. contrariæ sent.

Ad primum verò argumentum contrariæ sententiæ dicendum est, vel in eo Scripturæ loco sermonem esse tantùm de votis abstinentiæ coniugalis, & aliis corporalibus, quæ aliquo modo ratione materiæ subiiciuntur potestati mariti, vt aliqui interpretantur; quibus fauent verba relata ex versu 14. eiusdem cap. 30. Numer. Vel potiùs, quia textus videtur loqui generaliùs, Respondeo cum Lessio dub. cit. num. 89. præceptum illud cerimoniale, vel iudiciale fuisse, pertinens ad politiam illius populi: ac proinde iam abrogatum esse per legem Euangelicam. Quæ responsio confirmatur ex aliis ibidem additis. Nam ibi statuitur vt pater irritare possit omnia vota filiæ, quandiu manebit in eius domo, etiam vltra annos pubertatis: quod certè non est de iure naturæ: Et vt vota firmentur sola taciturnitate parentis vel mariti, rataque sint nisi statim contradixerint: quod etiam non est de iure naturali, vi cuius pater, & maritus differre possunt consensum, & tacere, ac non contradicere ad tempus, seruato iure irritandi.

51. Diluitur secundum.

Ad secundum Respondeo, Augustinum & Ambrosium intelligi posse similiter de iure positiuo cerimoniali, aut iudiciali per eam legem statuto, quod iam cessauerit. Quamquam id quod refertur ex Ambrosio, non

non reperitur loco citato, sed additur, aut tanquam ex illo refertur à Gratiano cap. fin. 33. q. 5. Augustinus verò restringit potiùs legem illam Numerorum ad vota abstinentiæ, sub quibus comprehendit illa, quæ fiunt de rebus affligentibus corpus, & similia quæ solent iuri matrimonii præiudicare. Quamquam, etiamsi non præiudicent aliqua: si tamen maritus ægrè ferat eorum obseruationem, putà de moderata abstinentia vxoris, ex deuotione, & voto suscepta, ita vt inde minuatur amor coniugalis, vel turbetur pax domestica: potest, & debet vxor abstinere à talis voti executione in talibus circunstantiis: quia melius est non exequi; & debuit vouendo subintelligere, se id facturam, si commodè possit, sine perturbationis, & scandali occasione.

52. Ad tertium. Ad tertium, Dico vxorem viro non subiici in omnibus, sed in iis, quæ ad vsum matrimonii, & filiorum educationem, & administrationem familiæ pertinent: neque potest ei maritus prohibere v. g. ne det eleemosynas, vt solent aliæ bonæ & honestæ matronæ suæ conditionis. Cur ergo poterit prohibere ne id vouerat, aut hoc votum irritare? Non est etiam adeo tenuis iudicii, vt eius voluntas debeat ex natura rei esse viro subiecta ad quicquam validè vouendum. Alioqui nihil posset vouere validè sine viri consensu: posset quoque vir irritare omnia illius vota emissa constante matrimonio: quod est falsum: nam irritare nequit votum ab illa emissum post matrimonium ratum, & nondum consummatum de ingressu religionis, vt fatentur ipsimet aduersarii. Sed neque ius parentum irritandi omnia vota personalia filiorum impuberum, & realia etiam puberũ vsq; ad annum 25. expletum (id est, quamdiu sunt in domo) est naturale, sed potiùs positiuum circa pleraque, apponens tacitam illam conditionem votis omnibus huiusmodi personarum, restringensque eorum voluntatem plus quàm exigat ius naturale, vt rectè ait Less. dub. cit. n. 89. in fine.

53. D. Thomas non aduersatur. Ad quartum Respondeo D. Thom. esse accommodatè intelligendum de votis, quorum materia subdita est Prælato, patri, vel marito. Nam alioqui certum est non omnia vota puellæ existentis in domo patris, etiam post pubertatem, ab illo nunc irritari posse. Adde quòd, vt rectè notat Posit. lib. 10. cap. 17. n. 3. idem S. Doctor 2. 2. q. 32. a. 8. ad 2. docet vxorem posse sine mariti facultate dare eleemosynam aliquam de bonis sibi propriis. Ergo supponit maritum non habere potestatem in voluntatem vxoris quoad omnia. Ergo ex mente D. Thomæ potest vxor sine cõsensu mariti votum facere de tali eleemosyna largienda. Ergo & de aliis bonis operibus, quæ sine consensu mariti, & absq; illius præiudicio possunt ab ipsa fieri: multòque magis de iis, quæ tenetur aliunde facere, ex præcepto diuino, vel ecclesiastico: vt de seruãda cõtinentia coniugali, de audiendo sacro diebus festis, de seruandis Ecclesiæ abstinentiis, & ieiuniis, quando legitima causa non excusabit.

Ex dictis collige 1. non posse maritũ irritare votũ vxoris de non petendo debito: quia vi matrimonii nõ tenetur petere, neq; quoad hoc viro subiecta est. Sicut vice versa nõ potest vxor irritare votum mariti de non petendo: quia maritus non est vxori subiectus ad petendum, sed tantùm ad reddendum debitũ. Neque dicas tale votum fieri in præiudicium vxoris, quæ, propter pudorem sui sexus naturaliter, vel non audebit petere, vel non nisi grauatè petet. Respondeo enim teneri quidem maritum reddere nõ solum expressè petenti, verùm etiam quomodocunque significanti, vel etiam indigenti, & periclitanti de cõtinentia: sed ad plus non obligari, & iure suo vti posse. Si tamen vxor est adeo pudibunda vt hoc adhuc illi graue esset, & amor coniugalis inde non parum tepesceret: sufficeret hoc ad votum non seruandum, imò secundum probabilem multorum sententiam ad suspendendum, aut irritandum, velut vxoris iuri præiudicans in tali circunstantia. 54. Non potest irritare votum de non petendo debito.

Collige 2. non posse quoque maritum irritare votum vxoris de opere implendo post ipsius mortem: vt de continentia seruanda tempore viduitatis, vel de Religione tunc ingredienda: quia sunt de materia non amplius subiecta viro. Neque etiam vota facta à muliere ante matrimonium, nisi eorum materia fiat ipsa viro subiecta: tunc enim potest illa irritare, vel suspendere, prout suo iuri seruãdo necessarium erit: vel etiam nisi emissa fuerint à muliere ante pubertatem. Probabile enim est quod ait Less. cap. sup. cit. n. 92. maritũ posse irritare vota vxoris ab illa emissa ante pubertatem: sicut poterant à parente, vel tutore irritari: quia maritus succedit in locum parentis, tutoris, & curatoris, ad gubernandam eandem voluntatem, eiusque leuitati, & imprudentiæ ante pubertatem, succurrendum. Quare sicut votum tunc emissum pendebat tacitè ab eorum consensu: ita etiam pendet à consensu mariti, qui succedit in eorum potestatem. Vnde si puella emisit votum Religionis ante pubertatem, vel votum reale adhuc minor existens, id est, ante annum 25. expletum, absque eorum, quibus suberat, facultate: maritus potest ea irritare post matrimonium, siue consummatum, siue ratum dumtaxat: quia statim post contractum matrimonii succedit in illorum potestatem. 55. Neque de opere implẽdo post ipsius mortem.

Collige 3. non posse quoque irritare votum vxoris de non reddẽdo debito intra primum bimestre, vel votum tunc emissum de ingressu Religionis: quia ius vtrumque illi permittit, & non tenetur parere viro exigenti oppositum. Neque etiam votum de cõtinentia seruãda, tunc factum, vel etiam post: ita vt licet postea votum frangat consummando matrimonium, non teneatur post mortem mariti continere sicut vouit, quando voti materia non pendebit amplius à potestate viri. Tempore autem matrimonii potest à marito suspendi hoc votum, quantum spectat ad ius quod habet exigendi debitum coniugale, cui sine ipsius consensu præiudicare non potuit. 56. Neque vota quædam facta intra primum bimestre.

Differentia verò est inter suspensionem, 56.

Aliud est irritare, & aliud suspendere.

& irritationem voti: quòd votum semel irritatum nunquam reuiuiscit: quia extinctum fuit: & obligatio voti semel extincta nunquam amplius redit. At suspensum, & veluti mortificatum dumtaxat, viuificatur, & obligat elapso tempore, pro quo suspendebatur. Ad dignoscendum autem vtrum maritus irritauerit, aut suspenderit tantùm votum vxoris, attendendum est tempus quo emissum fuit: nam si ante pubertatē vouit mulier, potest maritus irritare, vt suprà diximus: & censendus est irritasse, nolens vt impleretur, nisi contrarium significauerit. Attendenda est etiam materia voti, & vouendi modus. Nam si mulier vouit tantùm pro tempore matrimonii, de materia viro subiecta: clarum est irritari à marito, eo ipso quòd sciens non vult vt pro eo tempore impleatur. Sin autem absolutè vouit ante, vel post contractum matrimonium, pro toto vitæ suæ tempore, & materia de se perpetua est: non potest à marito irritari, sed suspendi tantùm pro tempore matrimonii. Quòd si materia neque est perpetua, neque satis constat vtrum mulier vouens intentionem suam circa illam limitauerit ad tempus matrimonii, iudicandum est benignius in illius fauorem, vt rectè ait Suarez cap. cit. num. 18. ita vt votum restringatur ad statum præsentis matrimonii, & consequenter potuerit à marito irritari. Sic enim præsumendum est, quando contrarium non constat, quia solent homines vitæ suæ rationem instituere secundum præsentem statum: & status viduitatis incertus est secundum se, multóque magis quoad ætatem, & vires corporis tunc futuras: quare non est credibile voluisse mulierem se obligare pro illo statu, nisi expresè hoc intenderit: neque ex illius verbis hoc iudicandum est, nisi discretè declarauerit. Et hæc sunt æquè intelligenda de irritatione, aut suspensione votorū mariti, quæ possunt ab vxore irritari, aut suspendi: simili enim modo de vtrisque hac in parte philosophandum est.

Quomodo dignoscuntur.

Cæterùm ad irritandum non sufficit coniugem negare facultatem faciendi illud, ad quod votum obligat: nisi neget vniuersaliter, aut habeat notitiam voti, quo non obstante nolit absolutè vt faciat: vel generaliter dicat se irritare omnia illius vota quantum potest. Tenetur autem, qui vouit manifestare coniugi votum suum, quando ad illius impletionem id necessarium est, & sine nimia difficultate fieri potest, & vtile futurum speratur. Ad hoc enim se obligauit hoc ipso quòd vouit circa materiam, quam nouit subiectam esse coniugi, non autem ad petendum inutiliter, neque ad obtinendum per media extraordinaria, & nimis difficilia, nisi hoc ipsum vouendo expresserit. Item licet coniux peccet irritando sine causa votum coniugis, postquam de ipsius consensu factum fuit: &, vt probabilius arbitror, peccet etiam per inconstantiam coniux si petat sine causa irritationem, vel suspensionem voti à se emissi: valet tamen irritatio, quando coniux irritādi ius retinuit consentiendo, vel amissum recuperauit, altero coniuge restituente, eo modo, quo supra diximus n. 42.

57. Quid requiratur ad irritandum?

DISPVTATIO SEPTVAGESIMA NONA.

De Diuortio.

Sectio I. *Quid sit diuortium: & vtrum adulterium sit sufficiens illius causa?*

Sectio II. *Vtrum ad diuortium licitè faciendum requiratur sententia iudicis?*

Sectio III. *Vtrum coniux teneatur dimittere adulterum persistentem mœchari: aut resipiscentem admittere?*

Sectio IV. *Vtrum si post latam sententiam comperiatur iudicem fuisse deceptum; aut qui diuertit, admittat adulterium; debeant coniuges reconciliari?*

Sectio V. *An, & quæ sint aliæ causæ legitimæ faciendi diuortium?*

DE diuortio disputat S. Thom. quæst. 62. supplem. Cuius doctrina, quia initio præcedentis disputationis (quanquam alieno loco) relata fuit, non est hîc repetenda, sed exponenda sequentibus sectionibus, quibus natura seu ratio, & causæ Diuortii, modusque in illo faciendo, continuando, aut rescindendo seruandus, & diuertendi obligatio, causæque ab illa excusantes vberiùs explicabuntur.

Digitized by Google

SECTIO I.

Quid ſit diuortium? & vtrum adulterium ſit ſufficiens illius cauſa?

1. Diuortium quid ſit?

DIuortium dicitur, quòd coniux alter ab altero diuertat, ſiue ſeparetur. Quæ ſeparatio triplex eſſe poteſt. Prima, quoad ipſum vinculum matrimonii. Secunda, quoad thorum tantùm. Tertia, quoad thorum, & cohabitationem, manente vinculo matrimonii. De prima ſufficiunt quæ diximus diſputatione ſeptuageſima ſecunda, ſectione ſexta, ſeptima, & octaua, de indiſſolubilitate matrimonii. De ſecunda patet ex dictis diſputat. præcedenti, ſectione prima, vbi de cauſis excuſantibus à redditione debiti. De tertia, quæ magis communiter diuortium appellatur, nunc differendum eſt, & in primis quærendum vtrum adulterium ſit cauſa ſufficiens ad faciendum diuortium?

2. Adulterium eſt ſufficiens illius cauſa.

Reſpondeo affirmatiuè. Id enim patet ex Matth. 5. *Qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa*: &c. cap. *Gaudemus*, cap. *Ex literis*, De diuortiis. Ratio eſt, quia iuris naturalis eſt, vt frangenti fidem fides non ſeruetur. Fides autem in matrimonio data violatur perfectè ac directè per fornicationem: quia peccat coniux à coniuge ſe diuidit, & fit vna caro cum alio. Confirmatur: quia coniuges non cenſentur ſe obligaſſe per contractum matrimonii ad habitandum diutius cum altera parte, quàm hæc fidem, & thorum immaculatum ſeruauerit. Quare ex ipſa natura contractus matrimonii, ipſoque iure naturali oritur, vt poſſit coniux ab adultero diuertere: & non tantùm ex inſtitutione, aut conceſſione diuina, vt nonnulli perperam exiſtimarunt. Vnde ſequitur poſſe quoque ab infidelibus, & propter adulterium in infidelitate commiſſum, fieri diuortium, vt rectè docet S. Thom. in 4. diſt. 39. q. vnica in fine.

3. Tam reſpectu vxoris, quàm viri.

Hinc etiam ſequitur, poſſe vxorem diuertere à viro propter ipſius adulterium, æquè ac virum ab vxore: cùm obligatio fidei coniugalis ſeruandæ ſit mutua: & illius violatio det alteri innocenti ius diuertendi. Quod de vxore Paulus non obſcurè ſignificat 1. Corinth. 7. ſic dicens: *His, qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus vxorem à viro non diſcedere. Quod ſi diſceſſerit: manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Hac enim diſiunctione ſignificat Apoſtolus ſe loqui de iuſta diſceſſione, ſeu diuortio legitimo: alioqui non daret illi optionem, vt vel innupta maneat in eo ſtatu, vel marito reconcilietur. Idem etiam tradit Concilium Mileuitan. canone decimo ſeptimo, cuius verba referuntur cap. *Placuit*, 32. quæſt. 7. hunc in modum: *Placuit vt ſecundum Euangelicam, & Apoſtolicam diſciplinam neque dimiſſus ab vxore, neque dimiſſa à marito alteri coniungantur: ſed ita maneant, aut ſibimet reconcilientur. Quòd ſi contempſerint, ad pœnitentiam redigantur.* Idem quoque habetur cap. *Apoſtolus*, & cap. *Vxor*, eodem titulo, quorum primum deſumptum eſt ex D. Auguſtino De ſermone Domini in monte, cap. 26. poſterius tribuitur Ambroſio in commentario cap. 7. epiſtolæ 1. ad Corinthios.

4. Contraria ſententia.

Quare meritò damnatur temeritatis Caiet. contrarium ſcribens in caput decimum nonum Matth. circa illa verba, *Quicunque dimiſerit vxorem ſuam* &c. affirmantque ſolis viris permiſſum eſſe diuertere propter adulterium. Quia Chriſtus, inquit, de ſolis viris loquitur legem diuortii tradens Matth. 5. & 19. de mulieribus autem ſolis mentio fit cap. *Gaudemus*, & cap. *Ex literis*, de Diuortiis: & repudium in lege Moſaica viris tantùm permittebatur, Deuteron. 24. Illi autem ſuccedit diuortium in lege Euangel. vt patet ex Matthæi 5. Neque par eſt ratio, vt poſſit vxor à viro adulterante diuertere: quia vxoris adulterium longè deterius eſt propter incertitudinem prolis, & maiorem infamiam viro irrogatam. Iam que inualuit conſuetudo vt mulieres non diuertant à viris propter adulterium.

5. Reſpondetur eius argumentis.

Ad quæ omnia Reſpondeo primò, Fieri mentionem de ſolis viris in locis Scripturæ, & iuribus citatis: quia frequens eſt, vt nomine maſculino vtantur ad ſexum vtrumque comprehendendum: & in præſenti conprehenſum à Chriſto fuiſſe, ſignificauit Paulus verbis ſuprà relatis ex epiſt. 1. ad Corinth. Secundò, diuortium non ſucceſſiſſe repudio Iudaico: maléque id colligi ex Matth. 5. Nam Chriſtus ibi tantùm modò repudium improbauit, & diuortium conceſſit in cauſa adulterii. Neque verò repudium fiebat apud Iudæos propter adulterium, quod potiùs morte puniebatur: lapidabantur enim adulteræ: vel probabantur aquis Zelotypiæ, ſi de illo ſuſpectæ erant; vt vel innocentes declararentur; vel, ſi nocentes erant, earum vi diſrumperentur. Tertiò, non obſtare quòd adulterium ex parte vxoris ſit grauius: quia, vt rectè ait D. Thom. q. 62. Supplem. art. 4. in corp. licet cauſa diuortii ſit maior in vno, quàm in alio, eſt tamen ſufficiens in vtroque. Diuortium enim pœna eſt adulterii, quatenus eſt contra fidem matrimonii, ad quam coniuges ſibi inuicem æqualiter tenẽtur: tantúmque contra illam peccat adulterium vnius, quàm adulterium alterius. Licet quantum ad bonum prolis plus peccet adulterium vxoris: & ſic maiorem det cauſam diuortii. Verùm, ſicut iuſtè omnes homicidæ damnantur pœnâ mortis, licet vnus grauiùs peccet occidendo, quàm alius: propterea quòd omnis iniuſta hominis occiſio eſt digna pœnâ mortis: ſic vtriuſque adulterium iuſtè punitur pœnâ diuortii, quia ſufficientem cauſam illius dat. Non obeſt etiam, quòd non ſolent mulieres à viris diuertere propter ipſorum adulterium,

vt solent viri ab vxoribus. Nam desuetudo, vel consuetudo contraria non potest ius naturale, & diuinum abrogare. Quale istud esse ostendimus supra num. 2. Quare ius habent vxores diuertendi si velint à mariris adulterantibus.

6. Requiritur adulterium perfectum.

Quæritur secundò, quænam requirantur vt diuortium legitimè fiat propter adulterium? Respondeo, requiri primò vt adulterium perfectum sit, & consummatum, id est, tale, aut simile illi, ex quo per se generatio sequitur: quia per illud solum fit perfectè contra fidem matrimonii per diuisionem carnis à coniuge, & vnionem cum alio, vt fiat vna caro cum illo. Quare non sufficit sola voluntas adulterandi, vel oscula, & tactus impudici, quamuis eo animo facti, vt perueniatur ad adulterium, nisi illud reipsa consummetur. Non requiritur tamen adulterium naturale, sed sufficit etiam bestialitas, aut Sodomia cum alio à coniuge. Quia per eam non minùs coniux diuiditur à carne coniugis, & peccat contra matrimonii fidem. Licet contrarium doceant Innocent. in cap. 1. de Adulteriis num. 1. Abulensis in cap. 5. Matth. quæst. 233. & quidam alii relati à Sanche lib. 10. disput. 4. num. 2. quorum argumentum præcipuum est, quia pœnæ sunt restringendæ quantum patitur verborum proprietas: hæc autem non sunt propriè adulterium. Ergo, &c. Sed falsò supponunt legem diuortii esse positiuam pœnalem; cùm, vt nu. 2. ostendimus, naturale ius sit, in eo consistens, quòd non tenetur coniux innocens seruare fidem illi qui legem matrimonii violauit, diuidendo carnem suam cum alio: fit autem diuisio non adulterio solùm naturali: verùm etiam quouis alio concubitu illicito. Atque ita docent communiter Theologi & Canonistæ, quorum plurimos refert Sanchez num. 3. disp. cit.

7. Et moraliter certum.

Secundò, adulterium debet constare, & moraliter saltem certum esse coniugi diuertenti ab altero adulterante. Quia si res est incerta, possessio stat pro altero: & in dubio nemo priuandus est sua possessione. Dicitur autem moraliter certus qui habet argumenta, quæ in foro externo probata sufficerent ad conuincendum adulterium. Posita verò hac certitudine potest coniux innocens negare debitum nocenti, & in foro conscientiæ ab illo diuertere quoad thorum, sine sententia iudicis: quia potest secretò, & sine scandalo id fieri: & ius illud à natura est, neque per sententiam iudicis acquiritur. Verùm vt separetur quoad habitationem requiritur sententia, propter scandalum, & ordinem fori externi in æquitate naturali fundatum: nisi adulterium ita publicum, & notorium esset, vt nulla posset tergiuersatione celari. Tunc enim propria auctoritate liceret diuertere: neque audiretur coniux desertus petens alterum cogi ad te redire, vt dicemus sect. sequenti.

8. Tertiò, requiritur vt adulterium fuerit scienter, & liberè commissum. Quia sola iniuriosa fidei tractio dat facultatem diuertendi. Quare si coniux bona fide credidit alterum esse mortuum; aut se accedere ad suum, ignorans inuincibiliter esse alienum: non sufficit ad legitimum diuortium: quia talis copula vacat formaliter culpâ adulterii. Addunt aliqui metum etiam cadentem in constantem virum excusare. Sed hoc alii meritò reiiciunt: quia tenetur coniux mori potiùs, quàm fidem matrimonii violare. Venia tamen dignior est, qui ita peccat.

Scienterq; & liberè cõmissum.

9. Vtque diuertens nõ sit reus adulterii.

Quartò, requiritur, vt coniux diuertens ab altero propter adulterium, non sit ipse reus adulterii. Si enim ambo rei sunt; neuter potest ab altero diuertere, capite quarto & quinto de Diuortiis. Ratio est, quia compensatur mutua iniuria: & non debet gaudere hoc iure qui in simili est crimine. Nam vt dicitur cap. 4. primo, causa trigesima secunda, quæstione sexta. *Nihil iniquius, quàm fornicationis causâ dimittere vxorem, si & ipse coniux fornicari. Occurrit enim tibi, In quo alterum iudicas, teipsum condemnas: eadem enim agis, quæ iudicas.* Nec refert quòd vnus adulterium naturale, alter Sodomiam commiserit, aut bestialitatem: vel vter prior cœperit: aut vter sæpius peccarit: aut quòd peccatum vnius sit occultum, & alterius publicum. Quia vterque vere fidem matrimonii fregit, & soli innocenti conceditur diuortium: & iura rationem habent fractionis fidei, non autem numeri, vel temporis, vel aliarum huiusmodi differentiarum. Et quamuis adulterium vnius adeo sit occultum, vt nequeat in foro externo probari: tamen in foro conscientiæ, in quo probatio non requiritur, sed sola cognitio veritatis, non poterit adulter occultus petere diuortium, sed tenebitur in conscientia compensare adulteria: sicut qui verè debet alteri centum aureos, quamuis occultè, & ita vt creditor non possit debitum probare in foro externo: tamen in foro conscientiæ non potest ab eodem simile debitum repetere, sed tenetur vti compensatione. Vnde colligo graue peccatum esse aliter facere: contra Henriquem libro vndecimo, capite decimo septimo, numero tertio, dicentem esse tantùm culpam venialem, si vir occultus adulter vxorem manifestè adulteram accuset, & dimittat, tametsi monita pœnituit, & emendata est.

10. Ne quidẽ occultè.

Nec obest caput *Significasti*, de Diuortiis, vbi videtur requiri ad huiusmodi compensationem, vt vtriusque adulterium sit notorium. Nam vt rectè exponit Sanches libro decimo, disputatione sexta, numero nono, post Innocentium & Hostiensem in caput *Significasti* suprà citat. non ibi agitur de compensatione facienda in foro conscientiæ: sed de modo, quo iudici procedendum est, quando in foro externo mulier à viro dimissa petit restitutionem,

& vir illam impedit per exceptionem adulterii notorii. Tunc enim mulier audienda non eſt, & reſtituenda, niſi contra ſuum adulterium notorium opponat adulterium viri pariter notorium, factique illud probet in iudicio. Vt tamen debeat fieri compenſatio, etiam in foro conſcientiæ, oportet certum eſſe vtriuſque adulterium. Nam ſi vnius quidem certum eſt, alterius autem dubium, non licet illi, qui certus eſt, compenſatione vti propter adulterium dubium coniugis: quia debiti liquidi ad non liquidum non eſt compenſatio. lege finali, Codice De compenſationibus.

11. Neque conſenſerit adulterio coniugis.

Quintò requiritur vt coniux non conſenſerit adulterio coniugis, ad illud inducendo, aut permittendo ſcienter & liberè, cùm facilè poſſit impedire; quia ſic volens, & conſentiens, priuat ſe iure diuertendi, & puniendi coniugem propter crimen cuius ipſe cauſa & particeps fuit. At hoc non eſt intelligendum de caſu, in quo coniux ſuſpectam habens coniugem de adulterio, permittit, ſeu non prohibet iterum cadere, vt eam deprehendat: quia permittit ex iuſta cauſa. Non adimit quoque ius diuertendi, quòd coniux indirectè dederit alteri occaſionem labendi; putà, quia iratus domo expulit, aut ſufficientia ad ſuſtentationem negauit, aut debitum coniugale non reddidit. Niſi hæc, & ſimilia ea intentione faceret, vt conpars adulterium perpetraret: quia tunc tacitè conſentiret. Ita Sanchez, Henriquez, Silueſter, & alii, quos citant, & ſequuntur Aegidius Coninc diſputatione 35. dubio 1. numero 7. & Bonacina quæſt. 4. de Matrimonio, puncto 5. num. 14. licet in nonnullis ex prædictis caſibus contrarium ſentiant plerique, vt videre eſt apud Sanch. lib. 10. diſp. 5. n. 7. & ſequentibus.

12. Et non remiſerit iniuriam nocenti.

Sextò requiritur vt coniux innocens non remiſerit nocenti iniuriam tacitè, vel expreſsè. Vbi vir conſcius adulterii vxoris, eam liberè, & ſine coactione cognouerit: vel dimiſſam ad ſe reuocauerit. Tunc enim non poteſt iterum dimittere, niſi relabatur. Imò neque deinceps poteſt negare debitum petenti, poſtquam ſemel reddidit. Quia vel ſemel reddendo præſumitur ceſſiſſe iure ſuo, ac per legum diſpoſitionem reipſa cedit, ſeu potiùs ius negandi amittit. Vel etiam, ſi poſt notum adulterium coniugis, eam retinet, & cum ea verſatur affectu maritali, colloquendo familiariter, oſculando, amplexando, ac denique vt coniugem habendo: vt traditur lege *Crimen*, 11. Cod. ad legem Iuliam de adulteriis, quæ ſic ait: *Crimen adulterii maritum, retentâ in matrimonio vxore, inferre non poſſe, nemini dubium eſt.* Vbi notanda verba illa, *Retentâ in matrimonio*, id eſt, veluti coniuge, & maritali animo: non autem retentâ vt extraneâ, loco ſeparatâ, vel mensâ, & thoro; vel incluſâ vt accuſetur, & puniatur; vel dum aliquandiu expectatur tempus, quo commodiùs dimitti poſſit. Qua de re tota plura vide apud Sanch. diſputatione decima quarta, numero decimo ſeptimo, & ſequentibus.

13. Quomodo cenſetur remittere?

Ad hoc tamen vt condonare cenſeatur modo ſupradicto, requiritur vt coniux retinens, vel debitum reddens, aut exigens, certus ſit de adulterio compartis. Nam ſi dubitat ſolùm, tenetur exigenti reddere, & reddendo non præiudicat iuri ſuo: imò etiam neque petendo: niſi probabiles habeat coniecturas, & violentas præſumptiones adulterii, quibus meritò inducatur ad credendum fuiſſe commiſſum: tunc enim non poteſt exigere, neque etiam petere niſi condonando, & cedendo iure ſuo: cùm res moraliter certa iam illi ſit. Quia verò fieri poteſt, vt reus plures dederit cauſas diuortii, quarum vna erit nota innocenti exigenti, aut reddenti debitum, vel retinenti coniugem affectu maritali, non aliæ: putà, ſi fuit adulter, & Sodomita, vel damnatus de hæreſi: coniux condonans crimen & cauſam ſibi notam, retinet ius diuertendi propter cauſas ſibi occultas, quando ipſi innotuerint. Requiritur præterea vt innocens ſponte debitum reddat. Nam ſi id facit coactus auctoritate iudicis, ius ſuum non amittit: dum modo ipſe non exigat: hoc enim ipſi voluntarium eſt, neque ad id compelli poteſt à iudice. Similiterque vxor non priuatur iure ſuo, ſi reddit debitum viro adultero, metu graui coacta, ne videlicet malè ab eo tractetur, quia ſæuus, & crudelis eſt. Idem que dicendum ſi quis reddat ex conſcientia erronea, credens ſe ad id obligari in conſcientia: quia tunc non ſponte reddit ſed coactus errore conſcientiæ, & metu peccandi, alioquin non redditurus.

14. Quid ſi poſt reconciliationem vnius adulterentur?

Septimò, ſi coniuges reconcilientur poſt alterius, aut vtriuſque adulterium: qui prior peccabit deinceps, poterit ab altero dimitti. Quia per renunciationem prior iniuria fuit omnino abolita: iamque perinde ſe habent, quoad ius dimittendi, ac ſi eſſent innocentes. Ex charitate tamen, & gratitudine is, cui alter pepercit, deberet ei parcere, cæteris paribus. Item quando vterque commiſit adulterium, ſed alter iam emendatus eſt, & monuit alterum, vt ſe pariter emendet, & concorditer viuant; qui tamen noluit, ſed iterum lapſus eſt, pergitque malè viuere: poteſt emendatus dimittere alterum: quia iam reputatur innocens; & quia ex parte ſua perinde ſe habet, ac ſi reconciliati fuiſſent. Cùm enim hic offerat alteri reconciliationem, & alter teneatur eam accepere: eius oblatio reputatur in fauorem ipſius, perinde ac ſi obtinuiſſet. Atqui ſi facta eſſet reconciliatio, poſſet dimittere peccantem iterum, vt ſupra diximus; ergo, &c.

15.

Denique ea omnia, quæ diximus de iure

Sintne pares vir & vxor quoad ius diuertendi?

diuertendi propter adulterium, intelligenda sunt tam de vxore, quàm de marito: quia vtrique par est ius ad diuertendum: licet ex delicto vxoris maior sequatur infamia, & damnum prolis: atque eapropter in foro externo hæc duriùs tractetur. Quamuis enim pares sint coniuges quoad accusationem ciuilem propter adulterium, ad faciendum diuortium, & amittendam dotem, aut donationem propter nuptias: tamen quoad accusationem criminalem non sunt pares: quia viro quidem permittitur accusare vxorem adulteram criminaliter, vt damnetur pœna capitis: at non vxori accusare virum: vt habetur lege 1. Cod. ad legê Iuliam, De Adulteris, & cap. *Apud misericordem*, 32. qu. 1. §. *Publico iudicio*. Vnde viro criminaliter accusante vxorem adulteram, non admittetur exceptio mulieris simile adulterium viro obiicientis. Hinc etiam fit, vt si maritus velit accusare criminaliter vxorem adulteram, non teneatur ei reddere debitum, quamuis ipse quoque adulterii reus sit: ne iuri suo præiudicet, & condonando crimen, accusandi ius amittat. Neque peccat maritus adulter accusans criminaliter vxorem, vt capite damnetur: quia propter maiorem infamiam, & iniuriam vxoris adulterantis, non compensantur quoad hoc vtriusque adulteria: & forum externum hoc ius marito concedens, non nititur falsa præsumptione, sed æquitate rei. Quare in hoc casu idem in foro conscientiæ licitum est, quod in foro externo: vt fusiùs docet Sánch. lib. 10. dis. p. 8. nu. 45. & sequentibus.

SECTIO II.

Vtrum ad Diuortium licitè faciendum requiratur sententia iudicis?

16. Nô requiritur sententia si est publicum.

RÉspondeo & dico primò, Si adulterium est ipso facto publicum, & adeo notorium, vt nulla possit tergiuersatione celari: non tenetur innocens expectare sententiam iudicis, sed potest licitè sine illa diuertere. Ita docent Nauarr. cap. 22. Manual. n. 23. in fine, Siluest. v. Adulterium, num. 8. Angelus eod. verbo n. 3. Sanch. lib. 10. disp. 12. nu. 25. Coninx disp. 35. dub. 1. nu. 2. Pontius lib. 9. cap. 18. Diana parte 3. tract. 4. de Sacram. resolut. 257. & alii quos isti citant. Probatur ex cap. *Significasti*, de Diuort. vbi Alexander III. respondit eum qui propter adulterium ab vxore diuerterat sine iudicio Ecclesiæ, ad eam recipiendam minimè debere compelli, si notorium crimen erat; & non constabat ipsum incidisse quoque in adulterium. *Si notorium est*, inquit, *mulierem ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam præfatus vir cogi non debet, nisi constaret ipsum cum alia adulterium commisisse*. Quibus verbis Pontifex non obscurè significat, potuisse licitè eam dimittere propria auctoritate, & ante iudicium Ecclesiæ: alioqui enim cogendus erat eam recipere, & reiecta debebat in possessionem restitui, donec per sententiam separaretur, iuxta caput *Ex conquestione*, De restitut. spoliat. Ex eodemque capite *Significasti*, constat non audiendum esse in foro externo coniugem reiectum propter adulterium notorium, si petit restitutionem, nisi opponat alteri crimen eiusdem generis, quod in iudicio probare possit. Et cap. penult. *De adulteriis*, idem statuitur his verbis: *Mandamus (quatenus, nisi tibi constiterit, vel per euidentiam rei, vel per confessionem legitimam mulieris, quòd adulterata sponte fuisset) adulterii etiam, quod vir dicitur commisisse, probatione cessante, ipsum recipere compellas eandem*. Et nimirum non compellas, si constiterit, sed dimissionem vt legitimam approbes.

17. Confirmatur.

Ad idem confirmandum iuuat caput *Ex parte*, De sponsalibus, vbi dicitur, nemini licere vxorem suam sine manifesta causa fornicationis dimittere. Vnde à contrario sensu infertur licere, si fornicatio sit notoria: ne frustra addatur hæc exceptio. Fauet etiam ratio, quia coniux innocens non acquirit ius diuertendi per sententiam iudicis, sed illud habet à natura ipsa contractus matrimonii non obligantis ad manendum cum coniuge violante fidem. Quare tunc tantùm requiritur sententia iudicis, quando res non est adeo notoria, quin possit aliqua tergiuersatione celari: ad vitandum scandalum, & alia incommoda, quæ tunc possent oriri ex separatione facta auctoritate propria. Quod periculum cessat, quando adulterium est notorium in gradu supradicto.

18. Occurritur obiectioni.

Neque huic sententiæ obstat caput *Porro*, De diuortiis, prohibens quemquam vxorem dimittere propter impedimentum dirimens, etiam notorium, cuiusmodi erat impedimentum illud consanguinitatis, de quo specialiter ibi agitur. Respondeo enim sermonem ibi esse de dimissione quoad vinculum, quæ res maioris momenti est, & iudicio Ecclesiæ meritò reseruatur, in cuius facie contrahuntur matrimonia, estque conueniens, vt non nisi eiusdem iudicio, & auctoritate dissoluantur, seu nulla declarentur. Hîc autem loquimur de dimissione tantùm quoad thorum, & cohabitationem, manente vinculo matrimonii. Non obest etiam caput *Seculares*, 33. quæst. 2. sumptum ex Concilio Agathensi cap. 25. vbi excommunicantur, qui vxores suas abiiciunt, antequam apud Episcopos dissidii causas dixerint, & priusquam in iudicio damnentur. Nam ibi non est sermo de illis, qui dimittunt propter crimen adulterii publicum, & notorium: Sed de illis *qui coniugale consortium nulla grauiori culpa dimittunt; & nullas causas dissidii probabiliter proponentes propterea sua matrimonia dimittunt, vt aut illicita, aut aliena præsumant.*

Digitized by Google

19. Secus autē ſi eſt occultum.

Dico ſecundò, ſi adulterium eſt occultum, non poteſt innocens auctoritate propria, & ſine iudicio Eccleſiæ diuortium facere, ne quidem occultè coniugem adulteram eiiciendo, aut fugiendo in regiones exteras. Hoc à fortiori docent D. Thom. in 4. diſt. 35. q. 1. art. 3. Bonauent. ibid. art. 1. q. 3. Ricard. ibid. qui permittunt tantùm dimitti quoad thorum, & non quoad cohabitationem, licet adulterium notum ſit, donec accedat Eccleſiæ ſententia. Idem etiam tenent Pont. lib. 9. cap. 18. num. 6. & plures alii ab eo relati. Probatur ex cap. *ſignificaſti*, de Diuortiis, & cap. *Ex parte*, de Sponſalib. quæ, vt hoc liceat, requirunt crimen eſſe notorium, & cap. *Sæculares*, ſupra cit. Fauet etiam ratio, quia ex oppoſito ſequerentur grauia incommoda. Nam crimen occultum, & fortè etiam dubium, & falſum, hac ſeparatione ſæpe diuulgaretur: multique ſumerent inde occaſionem diuertendi ab vxoribus, quas iam haberent odio, prætextu occulti adulterii ſibi ſat noti, quāuis illud probare nequeant. Quare meritò leges eccleſiaſticæ prohibent tam facilè dimitti à quoquā, vt generaliter viam præcludant iniquitati, & malitiæ coniugum: ſtatuuntque vt liceat ſic eiectis petere in iudicio reſtitutionem, neque admittatur exceptio alterius partis opponentis adulterium occultum, donec eiectus fuerit in priſtinum ſtatum, quoad habitationem reſtituitus: quo facto auditur excipiens: & ſi probauerit adulterium, permittetur diuortium. Sin minùs, cogetur perſiſtere in matrimonio: argumento capitis *Ex conqueſtione*, De reſtitutione ſpoliatorum.

20. Contraria ſententia

Contrarium ſentiunt Palud. in 4. diſt. 35. q. 1. art. 3. concluſ. 3. Panormit. in cap. vlt. de adulteriis, & Sanch. lib. 10. diſp. 12. num. 31. vbi plures alios citat. Quorum præcipuum argumentum ſumitur ex c. *Agathoſa*, 27. q. 2. vbi Gregor. Mag. præcipit vt maritus, qui ſine vxoris conſenſu monaſterium ingreſſus erat, ab illo extrahatur, & vxori reſtituatur, dummodo hæc quondam fornicationis crimen (propter quod licet viro dimittere vxorem) non commiſerit. Addunt in cap. *Dixit Dominus*, 32. q. 1. ſumpto ex Hieronymo in cap. 19. Matth. non aliud requiri ad dimittendam vxorem, niſi fornicationem, iuxta illud Chriſti, *Quicunque dimiſerit* &c. Quia ſcilicet Chriſtus generaliter, & abſolutè affirmat licitam eſſe dimiſſionem coniugis propter adulterium, non diſtinguens inter publicum, & occultum: ideóque ex illis Chriſti verbis ſic infert Hieronymus cap. cit. *vbicunque eſt igitur fornicatio, vel fornicationis ſuſpicio, libere vxor dimittitur.* Liberè, inquit, hoc eſt, propria voluntate, abſque alia ſententia: hoc enim vox illa ſignificat iuxta ſtylum iuris Canonici.

21. Satisfit eius argumentis.

Sed ad primum Reſpondeo, Gregorium manifeſtè loqui de adulterio non occulto, ſed de quo ſatis conſtet in foro externo: vt patet ex his eius verbis: *ſi verò nihil horum eſt, nec quondam fornicationis crimen (propter quod licet viro dimittere vxorem) prædictam mulierem commiſiſſe cognouerit, ne illius conuerſio relictæ in ſæculo fieri poſſit perditionis occaſio, volumus vt maritum ſuum illi, etiamſi iam tonſuratus eſt, reddere debeas, omni excuſatione ceſſante.* Ad ſecundum dico Hieronymum quoque intelligendum eſſe de fornicatione notoria, vel ſuſpicione adulterii violenta, quæque talis ſit, vt ſi probetur in foro externo, manifeſtè ſufficiat ad celebrandum diuortium, & reipſa probari poſſit. Alioquin ex hoc argumento generaliter intellecto, vt verba ſonant, inferretur quamcunque ſuſpicionem fornicationis ſufficere ad dimittendam, aut domo pellendam vxorem, quod abſurdiſſimum eſt, & iniuriis, ſcandaliſque plurimis viam aperiret. Qualis autem debeat eſſe ſuſpicio violenta, vt ſit ſufficiens, deciditur in cap. *Literis*, De præſumptionibus, his verbis: *Solum cum ſola* &c. Quod ita intelligendum eſt, vt vel eadem, vel ſimilis, & æquialens ſufficiat. Ex eodemque cap. & aliis iuribus ſupra citatis intelligendum eſt de qua fornicatione Chriſtus loquatur Matth. 5. & 19. dicens licere propter eam dimittere fornicantem. 22. Altera obiectio.

Opponit 2. Sanch. diſp. cit. cap. *De Benedicto*, 32. q. 1. vbi, inquit, Pelagius Pontifex decidit non compellendum eſſe virum recipere vxorem, quæ ab ipſo receſſit, & fornicata eſt. Si autem ſententia diuortii deſideraretur, compelleretur vtique ad illam recipiendam. Item in foro conſcientiæ non tenetur quiſquam ſeruare fidem contractus eiuſdem fidei violatori. Et cùm in eodem foro licita ſit dimiſſio coniugis adulteri quoad thorum, & debitum coniugale: ergo etiam, quoad habitationem, ſi ſcandalum ceſſet: cùm maior ſit obligatio reddendi debitum, & ex illa conſurgat obligatio cohabitandi. Addi poteſt non aliter excuſari à culpa factum Sancti Ioſeph ſponſi Beatæ Virginis, quando Matth. 1. voluit occultè eam dimittere, grauiter ſuſpicans ex adulterio conceptiſſe. Nam quod aliqui dicunt, cauſam huius voluntatis fuiſſe non ſuſpicionem adulterii, ſed reuerentiam erga ſanctitatem eximiam B. Virginis, cuius conſortio indignum ſe eſſe credebat: Hoc, inquam, à veritate alienum eſt, & textui minimè conſentaneum. Nam Angelus ſuadens ne dimitteret, vt ſuſpicionem illam remoueret, dixit, *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Id eſt, ne putes aliunde concepiſſe, neque propter malam de ea ſuſpicionem ab illa recedas. Atqui ſi non ſuſpicio, ſed reuerentia ſanctitatis eximiæ B. Virginis, fuiſſet illi cauſa volendi recedere; non eam ſuſtuliſſet, ſed auxiſſet hæc Angeli admonitio.

Ad primum Reſpondeo caput *De Benedicto* perperam allegari, cùm in eo ſit ſermo de vxore cuius adulterium publicum erat, & euidenter notorium, quippe quæ diu habi- 23.

tauerat: & adhuc habitabat cum concubinario, à quo facinorosè sublata fuerat, & à quo Pontifex iubet eam separari, viroque restitui, si eam sine dolo recipere voluerit. Ad secundum, dico vnumquemque in foro conscientiæ teneri non detegere crimen occultum alterius: vt fit per separationem publicam: & quamuis possit tunc negare debitum adultero, quod occultè fit, & neminem conscio: secus tamen debitum simul, & cohabitationem: quæ duo simul sumpta, sunt euidenter aliquid maius, quàm sola debiti negatio: neque ex eo quòd liceat primum negare, bene infert Sanch. posse vtrumque simul negari licitè. Ad tertium Respondeo, vt sanctus Ioseph à culpa excusetur, sufficere quòd opinionem probabilem, & tutam in praxi sequi voluerit, affirmantem posse licitè, sed occultè, & sine scandalo, dimitti vxorem propter adulterium moraliter certum, aut coniecturam violentam, qualem ipse habere se credebat, certissimus B. Virginem non concepisse suâ ipsius operâ. Vt tamen prorsus excusetur à culpa, addendum est, hanc eius voluntatem fuisse inefficacem, & suspensam propter indicia contraria, quæ prudenter omnia consideranti rem incertam, vt minimum, faciebant: sanctitatem videlicet eximiam B. Virginis, & diuinum spiritum, qui in eius vultu, oculis, verbis, & omnibus actionibus mirabiliter sese prodebat, modestiamque planè angelicam, & virtutes cæteras supra modum heroicas. Estque credibile Iosephum anxium, & fluctuantem animo ad Dei consilium precibus implorandum, & rei veritatem discendam confugisse, sicut reipsa didicit, Deo per Angelum reuelante.

24. Adulterium occultum sufficit ad separationem thori.

Dico tertiò, Quando adulterium licet occultè est certum, potest licitè coniux innocens, de eo certus, abstinere à debito reddendo, non expectatâ sententiâ Ecclesiæ. Ita D. Thom. in 4. dist. 35. q. vnica art. 3. in corp. D. Bonauent. D. Antoninus, Paludan. Ricard. Durand. Abulens. Siluest. Angel. Turrecrem. Hostiens. Andreas, aliique plurimi Theologi, & Canonistæ, quos refert, & sequitur Sanch. lib. 10. disp. 12. num. 5. Ratio præcipua est, quia nemo tenetur in conscientia seruare fidem coniugalem reddendo debitum ei, qui non seruauit: cùm ex natura rei in ipso contractu matrimonii hæc conditio tacitè includatur, vt fides seruetur inuiolatè eam seruanti, secus non. Neq; in eo periculum scandali est, aut diffamationis, seu reuelationis criminis occulti: cùm negatio debiti occultè fiat; secus ac separatio quoad habitationem, quæ vix latere potest. Confirmatur, quia alioqui teneretur coniux innocens condonare crimen adultero, si teneretur in conscientia ei reddere debitum. Nam hoc ipso quòd sponte reddit, id est, sine coactione, vel ignorantia: censetur ad Ecclesia debitum condonare, vt diximus sect. præcedenti. Neque dicas iustum non esse, vt coniux ipse sit iudex & executor tam grauis pœnæ circa iniuriam ibi illatam. Nam hoc non fit per modum pœnæ, & vindictæ: sed ob defectum conditionis essentialiter inclusæ in contractu matrimonii: qui defectus facit vt violator fidei coniugalis non habeat ius exigendi debitum ab eo, qui fidem seruauit: adeóque alter non teneatur reddere.

Addo, licet pars altera coniueratur apud Iudicem ecclesiasticum de debito sibi negato, & iudex propter defectum probationis innocentem compellat reddere sub poena excommunicationis latæ sententiæ: nihilominus non teneri, quantum est ex natura rei, & excommunicationem nullam esse, vtpote in falsa præsumptione fundatam; neque tale præceptum obligare in foro conscientiæ. Per accidens tamen, ratione scandali vitandi, obligabitur, ne videatur contemnere excommunicationem, cuius iniustitiam probare non potest; neue existimetur in illa infordescere, ac post annum incurrat in suspicionem hæresis, iuxta caput *Cum contumacia*, de Hæreticis in 6. iunctâ communi Doctorum interpretatione; & Trident. sess. 25. cap. 3. de reform. in fine. Sic tamen reddendo non priuabitur iure suo faciendi diuortium, si possit tandem in foro externo probare adulterium: quia non sponte facit, neque reconciliatur parti adulteræ, cui solùm coactus à iudice, & metu scandali debitum reddit. Suppono autem adulterium illi euidenter, aut certò notum esse. Nam si dubium, aut moraliter incertum est, non potest coniugem iure exigendi spoliare, donec res certò constet. Neque alter, licet nocens, & sibi conscius adulterii, tenetur prodere se ipsum, & abstinere ab exigendo debito. At si nouit innocentem esse certum de adulterio à se commisso, non potest in conscientia eum cogere ad reddendum debitum, neque ad hoc implorare opem iudicis.

25. Quid si innocens excommunicetur nisi reddat.

SECTIO III.

Vtrum coniux teneatur dimittere alterum persistentem moechari, aut respiscentem admittere?

26. Non tenetur dimittere per se loquendo.

Respondeo, & dico primò, Neque maritus tenetur dimittere vxorem adulterantem, neque vxor maritum, per se loquendo, & præcisè, quantum est ex sola ratione adulterii: quamuis illud sit publicum & pertinax. Ita Sanch. lib. 10. disp. 13. n. 6. vbi certum apud omnes id esse testatur. Ratio præcipua est, quia Christus Matth. 5. & 19. non præcepit, sed permisit diuortium propter adulterium, vt liquet ex textu, & confirmat D. Augustin. relatus in c. *Idololatria*, 28. q. 1. his verbis: *Dominus permisit causâ fornicationis vxorem dimitti. Sed quia permisit, non iussit, dedit locum Apostolo me-*

Digitized by Google

nendi, vt qui voluerit non dimittat vxorẽ infidelem &c. Adde quòd diuortium non est institutum in grauamen innocentis, ad eum priuandum iure quod habet in corpus coniugis: sed potiùs in fauorem ipsius, dando illi ius diuertendi, si velit; & in pœnam adulteri, qui iustè potest deseri ab innocente, aut domo expelli. Esset autem in grauamen innocentis, si per se loquendo teneretur ipse diuertere, seque priuare coniuge: neque posset hanc pœnam condonare cedendo iure suo, vt vitet incommoda sibi, vel liberis, & familiæ prouentura ex diuortio. Confirmatur ex cap. *Quemadmodum*, de Iureiuran. §. vlt. vbi dicitur posse virũ iurare vxori numquam se illam accusaturum de adulterio ad faciendum diuortium: & tutius esse non accusare, si hoc iurauit. Atqui non posset hoc iurare, si teneretur per se loquendo eam dimittere, & accusare, quando opus erit ad faciendum diuortium: quia iuramentum esset de re illicita: ergo &c.

27. Per accidẽs tenetur multas ob causas

Dico secundò, Per accidens tamen obligari potest maritus ad dimittendam vxorem adulteram, & persistentem in adulterio. Si nimirum spes est, fore vt per dimissionem corrigatur, & aliter corrigi nequeat: vel si id necessarium est ad vitandum scandalum, & ad tollendam suspicionem existimantium conniuere maritum malæ vitæ vxoris, vel quod deterius est, esse complicem criminis, & lenonem eius agere; aut etiam ne veros, & legitimos liberos priuet hæreditatis parte, deuoluenda ad spurios, propter incertitudinem prolis. Probatur, quia saltem hoc sensu verum esse debet quod ait Sapiẽs Prouerb. 18. v. 23. *Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum. Qui autem tenet adulteram, stultus est, & impius.* Et auctor operis imperfecti in Matth. homil. 32. relatus cap. 1. *Sicut crudelis* 32. q. 1. *Sicut crudelis, & iniquus est, qui castam dimittit vxorem; ita fatuus est, & iniustus, qui retinet meretricem. Patronus enim turpitudinis est.* Et cap. *si vir*, De adulteriis: *Si vir sciens vxorem suam deliquisse, quæ non egerit poenitentiam, sed permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit, & eius peccati particeps.* Et cap. *Quemadmodum*, De Iureiurando, §. vlt. dicitur, si primò, & secundò correpta resipiscere nolit, dicendum esse Ecclesiæ, vt tanquam ethnica, & publica deinde vitetur, ne alioqui libera ei præbeatur peccandi facultas propter impunitatem peccati: & quamuis iureiurando maritus illi promiserit se nunquam eam denunciaturum ad diuortium celebrandum, posse nihilominus eam denunciare ad poenitentiam peragendam. Et cap. *Non solùm*, 28. q. 1. dicitur recedendum esse ab illa, quæ moechari pergit, & poenitentiam non agit: quoniam alioqui maritus non recedens fit particeps peccati illius. Et cap. *Si quis vxorem*, 1. & 2. Causa 32. q. 1. dicitur poenitentiam duorum, triumue annorum imponendam esse marito, qui sciens vxorem adulteram esse, voluerit nihilominus eam habere in matrimonio: ni si videlicet mulier ab adulterio recedere voluerit, vt addit Glossa ibid.

28. Multa tamen excusant.

Dico tertiò, communiter tamen hanc obligationem non vrgere: quia tam multæ causæ ab illa excusant, vt rarò contingat nullam earum occurrere. Nam cùm tria capita sint, ex quibus illa obligatio oriri potest: videlicet præceptum fraternæ correptionis, necessitas vitandi scandalum, & pietas erga prolem legitimam, debitumque cauendi ne frandetur hæreditate: Quod ad primum attinet, potest maritus communiter aliis mediis vxorem emendare, eam grauiter reprehendens, timoremque Dei, & poenas inferni proponens, & seuerè custodiens, punienſque moderatè, quantum ipsi permittit maritalis potestas, & ius acquisitum per matrimonii contractum. Quòd si hæc non sufficiant non est sperandum moraliter fore vt per dimissionem corrigatur; sed potiùs timendum ne liberiùs peccet, nullâ iam habitâ mariti reuerẽtiâ, & sui iuris facta. Præceptum autem fraternæ correptionis non obligat, vbi moraliter non affulget spes emendationis: neque casus metaphysici hîc expectandi, vel indagandi sunt. Adde quòd præceptum fraternæ correptionis non obligat cum graui corrigentis incommodo. Potest autem marito esse graue dimittere vxorem, propter infamiam quâ in illa accusanda, & in triplici sententia conformi obtinenda subiturus est; & propter sumptus in iudicio faciendos: & propter incommoda, quæ subibit regendo familiam destitutus vxoris ope: & denique propter carnis stimulos, periculumque incõtinentiæ, in quod frequenter se coniiciũt, qui vxores dimittunt.

29.

Quod verò spectat ad scandalum, potest communiter illud aliâ viâ sufficienter remoueri. Et quidem si adulterium est occultum, scandalum nullum est. Sin autem est publicum; sufficit vt maritus publicè corrigat vxorem, & seriò emendare conetur, ac puniat etiâ quoad licet, ne videatur crimini consentire. Quòd si qui adhuc scandalizantur, non datur scandalum à marito: neque iam tenetur ipse perperam ab aliis acceptum vitare. dimittendo coniugem suam cũ tanto suo incõmodo, quantum incurreret, si cogeretur cœlebs viuere, & molestam atque periculosam contra stimulos carnis luctam pati, familiam solus regere, videreque coniugem liberiùs moechari: vt rectè docet Aegid. Con. disp. 35. dub. 3. num. 19. post Sotum, Paludan. Rosellam, & Sanch. locis ab eo citatis.

Quòd denique attinet ad vitandum periculum nocendi proli legitimæ, falsosque hæredes supponendi; non tenetur maritus illud vitare cum tanto incommodo, quantum communiter ex separatione contingit: neq; ipsi culpæ tribuendũ illud erit, si fiat ipso renitente, & adhibente omnia media, quæ potest adhibere sine graui incõmodo.

30. Quid vetet hæc obligatio.

Vnde collige 1. verum esse quod ait Sot. in 4. dist. 36. quæst. vnica, art. 2. in fine, præceptum de adultera dimittenda tot patì exceptiones, vt extenuatissimum relinquatur. Non tamen ita vt vnquam obliget: alioquì sic stricta canones supra citati iuberent dimitti. 2. Falsum esse quod dicunt aliqui, debere potiùs virum pati excommunicationem, qi àm retinere vxorem adulteram: neque enim illam tenetur abiicere cum tanto suo incommodo, & scandalo publico. Tertiò, pariter falsum esse quod alii dicunt, teneri virum sub poena peccati mortalis dimittere vxorem adulteram, licet adulterium sit occultum, ipsique soli notum: quia, inquiunt, præceptum ecclesiasticum ad id obligat. Nam in eo casu ne quidem potest licitè dimittere, vt probauimus sect. præcedenti: & Ecclesia in canonibus sup. citatis, non cordit nouum ius, sed tantùm exponit obligationem naturalem, quæ non est, nisi in casibus suprà explicatis, grauiterque tunc obligat, nisi causa rationabilis excuset, vt frequenter contingit: & denique non tenetur vir seipsum, vxoremque suam, & familiam infamare, detegendo crimen eius occultum: præsertim cum possit aliter illi mederi, vel hoc remedium inutile, ac perniciosum futurum sit. Quartò, falli pariter qui dicunt teneri virum alimenta negare vxori adulteræ persistenti mœchari. Neque enim obligatur vti remedio tam acerbo, ex quo etiam, moraliter loquendo, obstinatior fiet: & si dimittatur, magis seipsam prostituet, vt inde victum quærat: neque ius habet maritus eam domi continendi inuitam sine alimentis, & fame necandi. Collige 5. excusari virum ab hac dimissione propter periculum salutis propriæ spiritualis, si inde periclitetur ipsius continentia: atque etiam propter damnum spirituale ipsius vxoris, quando prudenter timetur ne inde fiat deterior, vel spes est fore, vt resipiscat, si retineatur.

31. Quantũ, & quando maritus obligetur?

In his tamen casibus, in quibus prudenter speratur fore vt dimissio proficiat, & graue damnũ ex ea non incurrit maritus, tenetur sub poena grauis peccati dimittere, si aliter corrigi nequit, vel scandalum aliter non potest tolli: vt satis per se patet, & euincunt canones allegati num. 27. Neque excusat ab hac obligatione, quòd vir ipse non sit innocens. Nam licet ius non habeat diuertendi simpliciter propter adulterium, quando ipse quoque reus est adulterii: imò neque, per se loquendo, ius habeat diuertendi ad tempus propter illud, iuxta ea quæ suprà diximus num. 8. & 9. Per accidens tamen, propter legem fraternæ correptionis, & præceptum vitandi scandalum, tenetur ad tempus diuertere, si illud necessarium sit, & vtile futurum ad hunc finem: quia propter adulterium suum non definit esse caput mulieris, & obligari ad ipsam regendam, & corrigendam, quamdiu vult secum habitare: neque minùs tenetur amouere scandalum, & suspicionem, quòd ipse vxoris peccato cõniueat: vt facilè credetur, si adulterium mariti est occultum, cùm crimen vxoris publicum & notorium sit. Sed si notum quoque fit adulterium viri; debet priùs scandalum ex parte sua tollere, seipsum que emendare. Nam tametsi delicta non sunt paria quoad infamiam, & detrimentum prolis: multòque leuius iudicatur ipsius adulterium, neque per leges adeo punitur: ideóque ius adhuc aliquod habet corrigendi vxorem, vt pote magis reprehensibilem: indecens tamen esse videtur dimittere vxorem propter adulterium, quando & ipse conuincitur, pergitque adulterari. Quin etiam licet eius peccatum sit occultum, debet in seipso corrigere, quod in coniuge reprehendit.

32. Vxor innocens nõ tenetur dimittere virum.

Dico 4. vxorem innocentem multò minùs teneri dimittere virum persistentem mœchari. Primò, quia ex præcepto correctionis fraternæ minùs tenetur virum corrigere, cuius non est superior: neque ius habet vtendi diuortio tanquam poenâ ad illum finem, quia punire est actus superioris: tametsi potest vtendo iure suo, diuertere, si velit. Cúmque multò maiora incommoda communiter patiatur vxor ex diuortio, viri præsidio, & subsidio destituta: minùs tenetur se illis exponere, vt maritum corrigat. Minùs etiam spei communiter est fore, vt hæc correctio proficiat. Præceptum quoque vitandi scandalum minùs illam obligat: cùm omnes sciant, molestissimum esse vxoribus adulterium maritorum, ægerriméque illud ferre. Periculum verò nocendi proli propter incertitudinem, nullum est ex parte fœminæ, quæ si pudica, & marito fidelis est, partus certos semper edit: eaque fortè de causa canones supra allegati loquentes de obligatione dimittendi, mentionem faciunt solius mariti, excepto canone *Si quis vxorem* 1. Causa 32. q. 1. vbi additur virum, & vxorem non ad imparia iudicari: & iniungendam illi esse duorum annorum poenitentiam, si cum viro adultero coniuncta sit, & nisi abstinuerit ab eius matrimonio, donec ille poenitentiam egerit. Sed hic canon non maiorem habet auctoritatem, quàm Pseudo Chrysostomus, ex quo fuit desumptus: & intelligendus est cum limitationibus supra recensitis, quarum aliqua vix vnquam deest.

33. Teneaturne qui dimisit reconciliari pœnitenti?

Dico quintò, coniugem innocentem, qui diuertit ab altero nocente propter adulterium non teneri per se loquendo ei reconciliari, quamuis emendato: licet possit, si velit, & interdum per accidens charitas, vel debitum honestatis ad id obliget, vel cura propriæ salutis, & studium proprii boni, vel necessitas vitandi maius incommodum. Ratio primæ partis est, quia resipiscentia alterius non eum priuat iure diuertendi in perpetuum, & nunquam amplius ad thorum suum admittendi eum qui perpetuæ separationis iustam causam dedit. Idque apud

omnes certum esse testatur Sanch. disp. 13. num. 1. Posterior verò pars eiusdem assertionis probatur ex cap. *Si vir*, Deadulteriis, vbi postquam dixit virum scientem vxorem fornicatam esse, debere illam dimittere, ne permanendo cum illa sit reus, & particeps eius peccati: addit: *Quod si mulier dimissa egerit poenitentiam, & voluerit ad virum suum reuerti, debet, sed non sæpe, accipere peccatricem.* Quod postremum ideo dicit, ne frequentia, & facilitas reconciliationis fiat illi occasio peccandi liberiùs: cùm è contrario idcirco debeat illam maritus recipere in gratiam semel aut iterum, vt eam in proposito vitæ melioris confirmet, & à peccando impediat. Potest itaque maritus, & interdum debet ex charitate, aut honestate ei reconciliari, vt ipsius saluti consulat, vel etiam suæ ipsius propriæ, vel commodis familiæ, & liberorum educationi, cui iam correcta vacare poterit, maritumque leuare graui onere, vel ad tollendam, aut minuendam domus infamiam, aliosque bonos fines.

34. Possitne cogere vt redeat?

Addo, non tantùm posse illi reconciliari si velit, verùm etiam posse cogere vt redeat. Quia reus non liberatur à debito quod habet erga innocentem: & diuortium in odiũ nocentis, & fauorem innocentis concessum est: non autem in illius grauamen, priuando ipsum iure quod habet in corpus coniugis: & in fauorẽ nocentis, eum liberando seruitute coniugii. Idque verum etiam est, quamuis accesserit sententia Ecclesiæ. Quia sententia diuortii lata fuit in pœnam adulteri, & in fauorem innocentis: non autem contra illius ius, vel in ipsius præiudicium: præiudicaret autem, si adimeret ius repetendi coniugem, & obligandi ad cohabitandum. Hinc sequitur adulterum non posse sine consensu alterius suscipere statum incompossibilem reditui; putà, statum Religionis, aut Ordinis sacri. Potest tamen è contrario innocens, altero licet inuito; vt habetur ex cap. *Agathosa* 27. q. 2. & cap. *Constitutus*, cap. *Veniens*, De conuerl. coniugat. Quia adulter amisit ius exigendi debitum coniugale, & cohabitationem; potestque in perpetuũ ab innocente deseri. Quod tamen, iuxta ea, quæ diximus num. 19. ita intelligendum est, vt neque innocens Ordinem sacrum suscipiat, neque Religionem profiteatur, quamdiu delictum alterius est occultum, adeo vt in foro externo probari nequeat, licet alioquin ipsi certum sit. Tunc enim iuxta probabiliorem sententiam, quã ibidem secuti sumus, non habet ius diuortium faciendi quoad habitationem: & si pars dimissa eum repetat, cogetur non probato delicto ad vxorem redire, non sine aliqua iniuria, aut infamia Ordinis, aut Religionis, veluti promotus, aut professus illegitimè. Quare necessarium est vt vel sententia diuortii præcesserit: vel crimen adeo publicum, & notorium sit, vt nulla possit tergiuersatione celari.

Notandum præterea, quòd si reus diu, ac sæpius petiit ab innocente reconciliationem; & neque obtinuit, neque moraliter spes est obtinendi: potest tunc Ordines suscipere, aut ingredi Religionem, altero saltem priùs admonito. Quia tunc ille censetur tacitè consentire: & non tenetur hic perpetuò manere in statu incerto, & difficili, sed potest suæ saluti consulere, certum aliquem statum meliorem eligendo. Neque necesse est hanc monitionem fieri ab Episcopo, vt aliqui existimant: sufficit enim si per se, aut per alium fide dignum ipse moneat. Item si per sententiam criminalem iudicis sæcularis adultera mittatur in monasterium; intra biennium viro recipere illam licebit; sed si eo transacto, monasticum habitum susceperit: ibi dum viuet, permanebit, neque à viro ampliùs repeti poterit, vt statuitur in Authentica *Sed hodie*, *Cod. ad legem Iuliam De adulteriis*, quæ non fuit correcta per ius canonicum cap. *Gaudemus*, *De conuersione coniugatorum*, vt male quidam autumant. Si tamen post biennium non profiteatur, aut si toto biennio fornicari pergat; licebit adhuc marito eam repetere, quando ante professionem digna erit, quæ recipiatur. Probabile etiam est, & à multis assertũ, quos refert, & sequitur Sanch. lib. 10. disp. 18. num. 14. validè adulterum mutare statum post sententiam diuortii, si id sciat innocens, & non contradicat, cùm possit: quia hoc ipso videtur ei tacitè licentiam concedere.

35. Potestne reus ingredi religionẽ aut ordinem sacrum suscipere?

Quando etiam siue reus, siue innocens statum mutauit, & Ordines sacros suscepit, aut Religionem professus est; non tenetur alter Religionem ingredi, aut votum emittere castitatis: quia nullo iure ad id obligatur: nam in cap. *Sanè*, & cap. *Significauit*, De conuersione coniugat. sermo tantùm est, quando matrimonium est integrum, & illæsum: non autem quando factum est diuortium propter adulterium, aut aliud crimen. Præterea vxor dimissa, eius, qui Ordines suscepit, non tenebitur post eius obitum abstinere à secundis nuptiis: quia de illa id nullo iure statuitur: sed tantum de iis, quæ licentiam maritis dederunt, suoque iuri eos retinendi renunciarunt: secus ac adulteræ, quibus inuitis, & iure suo propter crimen priuatis, coniuges initiãtur sacris Ordinibus, aut profitentur in Religione. cap. *Quis sunt*, distinct. 28. & cap. *Seriatim*, dist. 32. Idemque dicendum de coniugibus quæ propter furorem perpetuum, aut sæuitiam mariti incorrigibilem, faciunt diuortium, vt dicemus sect. 5.

36. Teneatur ne tunc alter quoque ingredi aut vouere?

disponere nequeat sine consensu viri. Dubium verò est inter Theologos, vtrum etiam directè possit maritus irritare vota vxoris, adeóque vel omnia, vel multò plura, quàm quæ ratione materiæ sunt ei subiecta?

47. Affirmant aliqui posse etiam directè.

Affirmant aliqui, quos refert, & sequitur Sanch. lib. 9. disp. 39. & seqq. Probátque primò, & præcipuè ex cap. 30. Numer. v. 7. vbi Deus per Moysem sic præcipit: *Si maritum habuerit, & vouerit aliquid, &c. si audiens vir statim contradixerit, & irritas fecerit pollicitationes eius, verbaque quibus obstrinxerat animam suam, propitius erit ei Dominus.* Et paulò inferiùs v. 14. *Si vouerit, & iuramento se constrinxerit, vt per ieiunium, vel cæterarum rerum abstinentiam affligat animam suam: in arbitrio viri erit, vt faciat, sive non faciat.* In quæ verba D. Augustin. lib. 4. in Heptateuchum q. 59. in Numeros, sic habet, *Manifestum est ita voluisse Deum, fœminam sub viro esse, vt nulla eius vota, quæ abstinentiæ causa vouerit, reddantur rata, nisi auctor vir fuerit permittendo.* Et Ambros. lib. de Paradiso, cap. 10. *Euidentissimè*, inquit, *apparet, ita virum esse caput mulieris, vt nulla vota abstinentiæ, vel religiosæ conuersationis, liceat sibi sine eius licentia Deo offerre.* Probat deinde hac ratione: Quia licet vir, & mulier pares sint quoad actum coniugalem: tamen in aliis vir est caput mulieris, & mulier est sub viri potestate, vt dicitur Ephes. 5. v. 23. & Gen. 3. vers. 16. Omnes autem actiones corporis subduntur capiti, & ab eo reguntur, Quare viri est regere voluntatem vxoris, ne imprudenter voueat. Meritóque mulier quoad hoc viro subiecta est, quia est lenis, & imprudens, facilisque in votis emittendis. Itaque vir habet dominium, aut quasi dominium in voluntatem vxoris, & non tantùm in materiam promissam: ac proinde potest omnia eius vota irritare: sicut prælatus vota religiosi, & pater vota filii impuberis. Quod denique confirmant auctoritate D. Thomæ 2. 2. q. 88. a. 8. ad 3. vbi dicit, *Nullum votum Religiosi esse firmum, nisi de consensu prælati: sicut nec votum puellæ existentis in domo, nisi sit de consensu patris: neque vxoris, nisi sit de consensu mariti.*

48. Vera sententia, non posse.

Contraria sententia longè probabilior est, quam tenent Angel. v. *Votum* 2. n. 8. Siluest. v. *Votum* 5. n. 2. & 3. Nauarr. cap. 12. Manual. n. 64. Suar. lib. 6. de Voto, cap. 4. Lessius lib. 2. de Iustitia, cap. 40. dub. 15. Pontius lib. 10. de Matrim. cap. 17. qui plures alios citat, & Canonistæ cõmuniter, vt testatur Lessius loco cit. Fundamentum præcipuum huius sententiæ est, quia tanta subiectio vxoris respectu viri, nullo tacis firmo argumento probatur, vt patebit ex solutione propositorum ab aduersariis: & minùs est rationi consentanea. Nam vt rectè ait Suarez cap. cit. subiectio vxoris ad virum nascitur tantùm ex contractu, & vinculo matrimonii: debetque illi esse commensurata, vt effectus suæ causæ. Non enim interedit ibi alia promissio specialis, vel ratio obligationis, vt per se constat. Atqui ex vi contractus, & vinculi matrimonialis sequitur tantùm subiectio necessaria, & conueniens ad talem statum, id est ad vtum matrimonii, & mutuam cohabitationem, educationem liberorum, & gubernationẽ familiæ. Ergo maior subiectio vxoris ad virum asseritur sine rationabili fundamento. Et consequenter dependentia vxoris à viro quoad vota, non est nisi ratione prædictæ subiectionis circa illam materiam: non autem circa ipsam voluntatem vxoris: ita vt non alia possit irritare ipsius vota, nisi ea quæ versantur circa vsum matrimonii, educationem liberorum, & gubernationem familiæ.

49. Confirmatur.

Confirmatur, quia maior subiectio non est necessaria ratione matrimonii. Ergo asseritur sine fundamento. Debet enim ex illo peti, & mensurari: cùm certum sit non extendi ad omnia, sed habere certos limites. Neque enim potest maritus quidlibet vxori præcipere, aut prohibere, vel de illa vti volet disponere in spiritalibus, aut temporalibus, etiam licitis aliunde, vt per se manifestum est, cùm non sit serua, sed compar & socia minor in familiæ administratione. Itaque cùm certum sit subiectionem vxoris respectu viri certos habere limites, non possunt illi meliùs præscribi, quàm ex lege & natura ipsius matrimonii, ex quo oritur hæc subiectio: nam media debent esse fini proportionata, & effectus suæ causæ. Ergo cùm tanta subiectio vxoris non oriatur ex ipsa natura contractus, & vinculi matrimonii: contra rationem est illam asserere, & marito tribuere iugumen & iniuriam vxoris.

50. Soluitur 1. arg. contrariæ sent.

Ad primum verò argumentum contrariæ sententiæ dicendum est, vel in eo Scripturæ loco sermonem esse tantùm de votis abstinentiæ coniugalis, & aliis corporalibus, quæ aliquo modo ratione materiæ subiiciuntur potestati mariti, vt aliqui interpretantur; quibus fauent verba relata ex versu 14. eiusdem cap. 30. Numer. Vel potiùs, quia textus videtur loqui generaliùs, Respondeo cum Lessio dub. cit. num. 89. præceptum illud cerimoniale, vel iudiciale fuisse, pertinens ad politiam illius populi: ac proinde iam abrogatum esse per legem Euangelicam. Quæ responsio confirmatur ex aliis ibidem additis. Nam ibi statuitur vt pater irritare possit omnia vota filiæ, quandiu manebit in eius domo, etiam vltra annos pubertatis: quod certè non est de iure naturæ: Et vt vota firmentur sola taciturnitate parentis vel mariti, rataque sint nisi statim contradixerint: quod etiam non est de iure naturali, vi cuius pater, & maritus differre possunt consensum, & tacere, ac non contradicere ad tempus, seruato iure irritandi.

51. Diluitur secundum.

Ad secundum Respondeo, Augustinum & Ambrosium intelligi posse similiter de iure positiuo cerimoniali, aut iudiciali per eam legem statuto, quod iam cessauerit. Quamquam id quod refertur ex Ambrosio, non

non reperitur loco citato, sed additur, aut tanquam ex illo refertur à Gratiano cap. fin. 33. q. 5. Augustinus verò restringit potiùs legem illam Numerorum ad vota abstinentiæ, sub quibus comprehendit illa, quæ fiunt de rebus affligentibus corpus, & similia quæ solent iuri matrimonii præiudicare. Quamquam, etiamsi non præiudicent aliqua: si tamen maritus ægrè ferat eorum obseruationem, putà de moderata abstinentia vxoris, ex deuotione, & voto suscepta, ita vt inde minuatur amor coniugalis, vel turbetur pax domestica: potest, & debet vxor abstinere à talis voti executione in talibus circunstantiis: quia melius est non exequi; & debuit vouendo subintelligere, seu id facturam, si commodè possit, sine perturbationis, & scandali occasione.

52. Ad tertium, Dico vxorem viro non subiici in omnibus, sed in iis, quæ ad vsum matrimonii, & filiorum educationem, & administrationem familiæ pertinent: neque potest ei maritus prohibere v. g. ne det eleemosynas, vt solent aliæ bonæ & honestæ matronæ suæ conditionis. Cur ergo poterit prohibere ne id voueat, aut hoc votum irritare? Non est etiam adeo tenuis iudicii, vt eius voluntas debeat ex natura rei esse viro subiecta ad quicquam validè vouendum. Alioqui nihil posset vouere validè sine viri consensu; posset quoque vir irritare omnia illius vota emissa constante matrimonio: quod est falsum: nam irritare nequit votum ab illa emissum post matrimonium ratum, & nondum consummatum de ingressu religionis, vt fatentur ipsimet aduersarii. Sed neque ius parentum irritandi omnia vota personalia filiorum impuberum, & realia etiam puberũ vsq; ad annum 25. expletum (id est, quatenus sunt minores) est naturale, sed potiùs positiuum circa pleraque, apponens tacitam illam conditionem votis omnibus huiusmodi personarum, restringensque eorum voluntatem plus quàm exigat ius naturale, vt rectè ait Less. dub. cit. n. 89. in fine.

Ad tertium.

53. Ad quartum Respondeo D. Thom. esse accommodatè intelligendum de votis, quorum materia subdita est Prælato, patri, vel marito. Nam alioqui certum est non omnia vota puellæ existentis in domo patris, etiam post pubertatem, ab illo nunc irritari posse. Adde quòd, vt rectè notat Posit. lib. 10. cap. 17. n. 3. idem S. Doctor 2. 2. q. 32. a. 8. ad 2. docet vxorem posse sine mariti facultate dare eleemosynam aliquam de bonis sibi propriis. Ergo supponit maritum non habere potestatem in voluntatem vxoris quoad omnia. Ergo ex mente D. Thomæ potest vxor sine cõsensu mariti votum facere de tali eleemosyna largienda. Ergo & de aliis bonis operibus, quæ sine consensu mariti, & absq; illius præiudicio possunt ab ipsa fieri: multóque magis de iis, quæ tenetur aliunde facere, ex præcepto diuino, vel ecclesiastico: vt de seruãda cõtinentia coniugali, de audiendo sacro diebus festis, de seruandis Ecclesiæ abstinentiis, & ieiuniis, quando legitima causa non excusabit.

D. Thomas non aduersatur.

Ex dictis colligo 1. non posse maritũ irritare votũ vxoris de non petendo debito: quia vi matrimonii nõ tenetur petere, neq; quoad hoc viro subiecta est. Sicut vice versa nõ potest vxor irritare votum mariti de non petendo: quia maritus non est vxori subiectus ad petendum, sed tantùm ad reddendum debitũ. Neque dicas tale votum fieri in præiudicium vxoris, quæ, propter pudorem sexus sui naturaliter, vel non audebit petere, vel non nisi grauatè petet. Respondeo enim teneri quidem maritum reddere nõ solum expressè petenti, verùm etiam quomodocunque significanti, vel etiam indigenti, & periclitanti de cõtinentia; sed ad plus non obligari, & iure suo vti posse. Si tamen vxor est adeo pudibunda vt hoc adhuc illi graue esset, & amor coniugalis inde non parum tepesceret: sufficeret hoc ad votum non seruandum, imò securum probabilem multorum sententiam ad suspendendum, aut irritandum, velut vxoris iuri præiudicans in tali circunstantia.

54. Non potest irritare votum de 16 petendo debito.

Collige 2. non posse quoque maritum irritare votum vxoris de opere implendo post ipsius mortem: vt de continentia seruanda tempore viduitatis, vel de Religione tunc ingredienda: quia fiunt de materia non amplius subiecta viro. Neque etiam vota facta à muliere ante matrimonium, nisi eorum materia fiat viro subiecta: tunc enim potest illa irritare, vel suspendere, prout suo iuri seruãdo necessarium erit: vel etiam nisi emissa fuerint à muliere ante pubertatem. Probabile enim est quod ait Less. cap. sup. cit. n. 92. maritũ posse irritare vota vxoris ab illa emissa ante pubertatem: sicut poterant à parente, vel tutore irritari: quia maritus succedit in locum parentis, tutoris, & curatoris, ad gubernandam eandem voluntatem, eiusque leuitati, & imprudentiæ ante pubertatem, succurrendum. Quare sicut votum tunc emissum pendebat tacitè ab eorum consensu: ita etiam pendet à consensu mariti, qui succedit in eorum potestatem. Vnde si puella emisit votum Religionis ante pubertatem, vel votum reale adhuc minor existens, id est, ante annum 25. expletum, absque eorum, quibus suberat, facultate: maritus potest ea irritare post matrimonium, siue consummatum, siue ratum dumtaxat: quia statim post contractum matrimonii succedit in illorum potestatem.

55. Neque de opere implẽdo post ipsius mortem.

Collige 3. non posse quoque irritare votum vxoris de non reddẽdo debito intra primum bimestre, vel votum tunc emissum de ingressu Religionis: quia ius vtrumque illi permittit, & non tenetur parere viro exigenti oppositum. Neque etiam votum de cõtinentia seruãda, tunc factum, vel etiam post: ita vt licet postea votum frangat consummando matrimonium, non teneatur post mortem mariti continere sicut vouit, quando voti materia non pendebit amplius à potestate viri. Tempore autem matrimonii potest à marito suspendi hoc votum, quantum spectat ad ius quod habet exigendi debitum coniugale, cui sine ipsius consensu præiudicare non potuit.

56. Neque vota quædam facta intra primum bimestre.

Differentia verò est inter suspensionem, 56.

Aliud est irritare, & aliud suspendere.

& irritationem voti: quòd votum semel irritatum nunquam reuiuiscit: quia extinctum fuit: & obligatio voti semel extincta nunquam amplius redit. At suspensum, & veluti mortificatum dumtaxat, viuificatur, & obligat elapso tempore, pro quo suspendebatur. Ad dignoscendum autem vtrum maritus irritauerit, aut suspenderit tantùm votum vxoris, attendendum est tempus quo emissum fuit: nam si ante pubertatē vouit mulier, potest maritus irritare, vt suprà diximus; & censendus est irritasse, nolens vt impleretur, nisi contrarium significauerit. Attendenda est etiam materia voti, & vouendi modus. Nam si mulier vouit tantùm pro tempore matrimonii, de materia viro subiecta: clarum est irritari à marito, eo ipso quòd sciens non vult vt pro eo tempore impleatur. Sin autem absolutè vouit ante, vel post contractum matrimonium, pro toto vitæ suæ tempore, & materia de se perpetua est: non potest à marito irritari, sed suspendi tantùm pro tempore matrimonii. Quòd si materia neque est perpetua, neque satis constat vtrum mulier vouens intentionem suam circa illam limitauerit ad tempus matrimonii, iudicandum est benignius in illius fauorem, vt rectè ait Suarez cap. cit. num. 18. ita vt votum restringatur ad statum præsentis matrimonii, & consequenter potuerit à marito irritari. Sic enim præsumendum est, quando contrarium non constat, quia solent homines vitæ suæ rationem instituere secundum præsentem statum: & status viduitatis incertus est secundum se, multóque magis quoad ætatem, & vires corporis tunc futuras: quare non est credibile voluisse mulierem se obligare pro illo statu, nisi expresè hoc intenderit: neque ex illius verbis hoc iudicandum est, nisi diserte declarauerit. Et hæc sunt æquè intelligenda de irritatione, aut suspensione votorū mariti, quæ possunt ab vxore irritari, aut suspendi: simili enim modo de vtriusque hac in parte philosophandum est.

Quomodo dignoscuntur.

Cæterùm ad irritandum non sufficit coniugem negare facultatem faciendi illud, ad quod votum obligat: nisi neget vniuersaliter, aut habeat notitiam voti, quo non obstante nolit absolutè vt faciat: vel generaliter dicat se irritare omnia illius vota quantum potest. Tenetur autem, qui vouit manifestare coniugi votum suum, quando ad illius impletionem id necessarium est, & sine nimia difficultate fieri potest, & vtile futurum speratur. Ad hoc enim se obligauit hoc ipso quòd vouit circa materiam, quam nouit subiectam esse coniugi, non autem ad petendum inutiliter, neque ad obtinendum per media extraordinaria, & nimis difficilia, nisi hoc ipsum vouendo expresserit. Item licet coniux peccet irritando sine causa votum coniugis, postquam de ipsius consensu factum fuit: &, vt probabilius arbitror, peccet etiam per inconstantiam coniux si petat sine causa irritationem, vel suspensionem voti à se emissi: valet tamen irritatio, quando coniux irritādi ius retinuit consentiendo, vel amissum recuperauit, altero coniuge restituente, eo modo, quo supra diximus n. 42.

57. Quid requiratur ad irritandum?

DISPVTATIO SEPTVAGESIMA NONA,

De Diuortio.

Sectio I. *Quid sit diuortium: & vtrum adulterium sit sufficiens illius causa?*

Sectio II. *Vtrum ad diuortium licitè faciendum requiratur sententia iudicis?*

Sectio III. *Vtrum coniux teneatur dimittere adulterum persistentem mœchari: aut resipiscentem admittere?*

Sectio IV. *Vtrum si post latam sententiam comperiatur iudicem fuisse deceptum; aut qui diuertit, admittat adulterium; debeant coniuges reconciliari?*

Sectio V. *An, & quæ sint aliæ causæ legitimæ faciendi diuortium?*

DE diuortio disputat S. Thom. quæst. 62. supplem. Cuius doctrina, quia initio præcedentis disputationis (quanquam alieno loco) relata fuit, non est hîc repetenda, sed exponenda sequentibus sectionibus, quibus natura seu ratio, & causæ Diuortii, moduſque in illo faciendo, continuando, aut rescindendo seruandus, & diuertendi obligatio, causæque ab illa excusantes vberiùs explicabuntur.

Digitized by Google

SECTIO I.

Quid ſit diuortium? & vtrum adulterium ſit ſufficiens illius cauſa?

1. Diuortium quid ſit?

DIuortium dicitur, quòd coniux alter ab altero diuertat, ſiue ſeparetur. Quæ ſeparatio triplex eſſe poteſt. Prima, quoad ipſum vinculum matrimonii. Secunda, quoad thorum tantùm. Tertia, quoad thorum, & cohabitationem, manente vinculo matrimonii. De prima ſufficiunt quæ diximus diſputatione ſeptuageſima ſecunda, ſectione ſexta, ſeptima, & octaua, de indiſſolubilitate matrimonij. De ſecunda patet ex dictis diſputat. præcedenti, ſectione prima, vbi de cauſis excuſantibus à redditione debiti. De tertia, quæ magis communiter diuortium appellatur, nunc differendum eſt, & in primis quærendum vtrum adulterium ſit cauſa ſufficiens ad faciendum diuortium?

2. Adulterium eſt ſufficiens illius cauſa.

Reſpondeo affirmatiuè. Id enim patet ex Matth. 5. *Qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa*; &c. cap. *Gaudemus*, cap. *Ex literis*, De diuortiis. Ratio eſt, quia iuris naturalis eſt, vt frangenti fidem fides non ſeruetur. Fides autem in matrimonio data violatur perfectè ac directè per fornicationem: quia peccat coniux à coniuge ſe diuidit, & fit vna caro cum alio. Confirmatur: quia coniuges non cenſentur ſe obligaſſe per contractum matrimonii ad habitandum diutius cum altera parte, quàm hæc fidem, & thorum immaculatum ſeruauerit. Quare ex ipſa natura contractus matrimonii, ipſoque iure naturali oritur, vt poſſit coniux ab adultero diuertere: & non tantùm ex inſtitutione, aut conceſſione diuina, vt nonnulli perperam exiſtimarunt. Vnde ſequitur poſſe quoque ab infidelibus, & propter adulterium in infidelitate commiſſum, fieri diuortium, vt rectè docet S. Thom. in 4. diſt. 39. q. vnica in fine.

3. Tam reſpectu vxoris, quàm viri.

Hinc etiam ſequitur, poſſe vxorem diuertere à viro propter ipſius adulterium, æquè ac virum ab vxore: cùm obligatio fidei coniugalis ſeruandæ ſit mutua: & illius violatio det alteri innocenti ius diuertendi. Quod de vxore Paulus non obſcurè ſignificat 1. Corinth. 7. ſic dicens: *His, qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus vxorem à viro non diſcedere. Quod ſi diſceſſerit: manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Hæc enim diſiunctione ſignificat Apoſtolus ſe loqui de iuſta diſceſſione, ſeu diuortio legitimo: alioqui non daret illi optionem, vt vel innupta maneat in eo ſtatu, vel marito reconcilietur. Idem etiam tradit Concilium Mileuitan. canone decimo ſeptimo, cuius verba referuntur cap. *Placuit*, 32. quæſt. 7. hunc in modum: *Placuit vt ſecundum Euangelicam, & Apoſtolicam diſciplinam neque dimiſſus ab vxore, neque dimiſſa à marito alteri coniungantur: ſed ita maneant, aut ſibimet reconcilientur. Quòd ſi contempſerint, ad pœnitentiam redigantur.* Idem quoque habetur cap. *Apoſtolus*, & cap. *Vxor*, eodem titulo, quorum primum deſumptum eſt ex D. Auguſtino De ſermone Domini in monte, cap. 26. poſterius tribuitur Ambroſio in commentario cap. 7. epiſtolæ 1. ad Corinthios.

4. Contraria ſententia.

Quare meritò damnatur temeritatis Caiet. contrarium ſcribens in caput decimum nonum Matth. circa illa verba, *Quicunque dimiſerit vxorem ſuam* &c. affirmans ſolis viris permiſſum eſſe diuertere propter adulterium. Quia Chriſtus, inquit, de ſolis viris loquitur legem diuortii tradens Matth. 5. & 19. de mulier autem quæ ſolis mercibus fit cap. *Gaudemus*, & cap. *Ex literis*, de Diuortiis: & repudium in lege Moſaica viris tantùm permittebatur, Deuteron. 24. Illi autem fuccreſſit diuortium in lege Euangel. vt patet ex Matthæi 5. Neque par eſt ratio, vt poſſit vxor à viro adulterante diuertere: quia vxoris adulterium longè deterius eſt propter incertitudinem prolis, & maiorem infamiam viro irrogatam. Iam que inualuit conſuetudo vt mulieres non diuertant à viris propter adulterium.

5. Reſponderur eius argumentis.

Ad quæ omnia Reſpondeo primò, Fieri mentionem de ſolis viris in locis Scripturæ, & iuribus citatis: quia frequens eſt, vt nomine maſculino vtantur ad ſexum vtrumque comprehendendum: & in præſenti conprehenſum à Chriſto fuiſſe, ſignificauit Paulus verbis ſuprà relatis ex epiſt. 1. ad Corinth. Secundò, diuortium non ſucceſſiſſe repudio Iudaico: maléque id colligi ex Matth. 5. Nam Chriſtus ibi tantùm modò repudium improbauit, & diuortium conceſſit in cauſa adulterii. Neque verò repudium fiebat apud Iudæos propter adulterium, quod potiùs morte puniebatur: lapidabantur enim adulteræ: vel probabantur aquis Zeloſypiæ, ſi de illo ſuſpectæ erant; vt vel innocentes declararentur; vel, ſi nocentes erant, earum vi diſrumperentur. Tertiò, non obſtare quòd adulterium ex parte vxoris ſit grauius: quia, vt rectè ait D. Thom. q. 62. Supplem. art. 4. in corp. licet cauſa diuortii ſit maior in vno, quàm in alio, eſt tamen ſufficiens in vtroque. Diuortium enim pœna eſt adulterii, quatenus eſt contra fidem matrimonii, ad quam coniuges ſibi inuicem æqualiter tenẽtur: tantúmque contra illam peccat adulterium vnius, quàm adulterium alterius. Licet quantum ad bonum prolis plus peccet adulterium vxoris: & ſic maiorem det cauſam diuortii. Verùm, ſicut iuſtè omnes homicidæ damnantur pœnâ mortis, licet vnus grauiùs peccet occidendo, quàm alius: propterea quòd omnis iniuſta hominis occiſio eſt digna pœnâ mortis: ſic vtriuſque adulterium iuſtè punitur pœnâ diuortii, quia ſufficientem cauſam illius dat. Non obeſt etiam, quòd non ſolent mulieres à viris diuertere propter ipſorum adulterium,

vt solent viri ab vxoribus. Nam desuetudo, vel consuetudo contraria non potest ius naturale, & diuinum abrogare. Quale istud esse ostendimus supra num. 2. Quare ius habent vxores diuertendi si velint à mariris adulterantibus.

6. Requiritur adulterium perfectum.

Quæritur secundò, quænam requirantur vt diuortium legitimè fiat propter adulterium? Respondeo, requiri primò vt adulterium perfectum sit, & consummatum, id est, tale, aut simile illi, ex quo per se generatio sequitur: quia per illud solum fit perfectè contra fidem matrimonii per diuisionem carnis à coniuge, & vnionem cum alio, vt fiat vna caro cum illo. Quare non sufficit sola voluntas adulterandi, vel oscula, & tactus impudici, quamuis eo animo facti, vt perueniatur ad adulterium, nisi illud reipsa consummetur. Non requiritur tamen adulterium naturale, sed sufficit etiam bestialitas, aut Sodomia cum alio à coniuge. Quia per eam non minùs coniux diuiditur à carne coniugis, & peccat contra matrimonii fidem. Licet contrarium doceant Innocent. in cap. 1. de Adulteriis num. 1. Abulensis in cap. 5. Matth. quæst. 233. & quidam alii relati à Sanche lib. 10. disput. 4. num. 2. quorum argumentum præcipuum est, quia pœnæ sunt restringendæ quantum patitur verborum proprietas: hæc autem non sunt propriè adulterium. Ergo, &c. Sed falsò supponunt legem diuortii esse positiuam pœnalem; cùm, vt nu. 2. ostendimus, naturale ius sit, in eo consistens, quòd non tenetur coniux innocens seruare fidem illi qui legem matrimonii violauit, diuidendo carnem suam cum alio: fit autem diuisio non adulterio solùm naturali: verùm etiam quouis alio concubitu illicito. Atque ita docent communiter Theologi & Canonistæ, quorum plurimos refert Sanchez num. 3. disp. cit.

7. Et moraliter certum.

Secundò, adulterium debet constare, & moraliter saltem certum esse coniugi diuertenti ab altero adulterante. Quia si res est incerta, possessio stat pro altero: & in dubio nemo priuandus est sua possessione. Dicitur autem moraliter certus qui habet argumenta, quæ in foro externo probata sufficerent ad conuincendum adulterium. Posita verò hac certitudine potest coniux innocens negare debitum nocenti, & in foro conscientiæ ab illo diuertere quoad thorum, sine sententia iudicis: quia potest secretò, & sine scandalo id fieri: & ius illud à natura est, neque per sententiam iudicis acquiritur. Verùm vt separetur quoad habitationem requiritur sententia, propter scandalum, & ordinem fori externi in æquitate naturali fundatum: nisi adulterium ita publicum, & notorium esset, vt nulla posset tergiuersatione celari. Tunc enim propria auctoritate liceret diuertere: neque audiretur coniux desertus petens alterum cogi ad te redire, vt dicemus sect. sequenti.

8. Tertiò, requiritur vt adulterium fuerit scienter, & liberè commissum. Quia sola iniuriosa fidei fractio dat facultatem diuertendi. Quare si coniux bona fide credidit alterum esse mortuum; aut se accedere ad suum, ignorans inuincibiliter esse alienum: non sufficit ad legitimum diuortium: quia talis copula vacat formaliter culpâ adulterii. Addunt aliqui metum etiam cadentem in constantem virum excusare. Sed hoc alii meritò reiiciunt: quia tenetur coniux mori potiùs, quàm fidem matrimonii violare. Venia tamen dignior est, qui ita peccat.

Scienterq; & liberè cõmissum.

9. Vtque diuertens nõ sit reus adulterii.

Quartò, requiritur, vt coniux diuertens ab altero propter adulterium, non sit ipse reus adulterii. Si enim ambo rei sunt; neuter potest ab altero diuertere, capite quarto & quinto de Diuortiis. Ratio est, quia compensatur mutua iniuria: & non debet gaudere hoc iure qui in simili est crimine. Nam vt dicitur cap. 4. primo, causa trigesima secunda, quæstione sexta. *Nihil iniquius, quam fornicationis causâ dimittere vxorem, si & ipse committitur fornicari. Occurrit enim illud, In quo alterum iudicas, teipsum condemnas: eadem enim agis, quæ iudicas.* Nec refert quòd vnus adulterium naturale, alter Sodomiam commiserit, aut bestialitatem: vel vter prior cœperit: aut vter sæpius peccarit: aut quòd peccatum vnius sit occultum, & alterius publicum. Quia vterque verè fidem matrimonii fregit, & soli innocenti conceditur diuortium: & iura rationem habent fractionis fidei, non autem numeri, vel temporis, vel aliarum huiusmodi differentiarum. Et quamuis adulterium vnius adeo sit occultum, vt nequeat in foro externo probari: tamen in foro conscientiæ, in quo probatio non requiritur, sed sola cognitio veritatis, non poterit adulter occultus petere diuortium, sed tenebitur in conscientia compensare adulteria: sicut qui verè debet alteri centum aureos, quamuis occultè, & ita vt creditor non possit debitum probare in foro externo: tamen in foro conscientiæ non potest ab eodem simile debitum repetere, sed tenetur vti compensatione. Vnde colligo graue peccatum esse aliter facere: contra Henriquem libro vndecimo, capite decimo septimo, numero tertio, dicentem esse tantùm culpam venialem, si vir occultus adulter vxorem manifestè adulteram accuset, & dimittat, tametsi monita pœnituit, & emendata est.

10. Ne quidẽ occultè.

Nec obest caput *Significasti*, de Diuortiis, vbi videtur requiri ad huiusmodi compensationem, vt vtriusque adulterium sit notorium. Nam vt rectè exponit Sanches libro decimo, disputatione sexta, numero nono, post Innocentium & Hostiensem in caput *Significasti* suprà citat. non ibi agitur de compensatione facienda in foro conscientiæ: sed de modo, quo iudici procedendum est, quando in foro externo mulier à viro dimissa petit restitutionem,

& vir illam impedit per exceptionem adulterii notorii. Tunc enim mulier audienda non eſt, & reſtituenda, niſi contra ſuum adulterium notorium opponat adulterium viri pariter notorium, talitque illud probet in iudicio. Vt tamen debeat fieri compenſatio, etiam in foro conſcientiæ, oportet certum eſſe vtriuſque adulterium. Nam ſi vnius quidem certum eſt, alterius autem dubium, non licet illi, qui certus eſt, compenſatione vti propter adulterium dubium coniugis: quia debiti liquidi ad non liquidum non eſt compenſatio, lege finali, Codice De compenſationibus.

11. Neque conſenſerit adulterio coniugis.

Quintò requiritur vt coniux non conſenſerit adulterio coniugis, ad illud inducendo, aut permittendo ſcienter & liberè, cùm facilè poſſit impedire; quia ſic volens, & conſentiens, priuat ſe iure diuertendi, & puniendi coniugem propter crimen cuius ipſe cauſa & particeps fuit. At hoc non eſt intelligendum de caſu, in quo coniux ſuſpectam habens coniugem de adulterio, permittit, ſeu non prohibet iterum cadere, vt eam deprehendat: quia permittit ex iuſta cauſa. Non adimit quoque ius diuertendi, quòd coniux indirectè dederit alteri occaſionem labendi; putà, quia iratus domo expulit, aut ſufficientia ad ſuſtentationem negauit, aut debitum coniugale non reddidit. Niſi hæc, & ſimilia ea intentione faceret, vt con pars adulterium perpetraret: quia tunc tacitè conſentiret. Ita Sanchez, Henriquez, Sinneſter, & alii, quos citant, & ſequuntur Aragonius Coninc diſputatione 35. dubio 1. numero 7. & Bonacina quæſt. 4. de Matrimonio, puncto 5. num. 14. licet in nonnullis ex prædictis caſibus contrarium ſentiant plerique, vt videre eſt apud Sanch. lib. 10. diſp. 5. n. 7. & ſequentibus.

12. Et non remiſerit iniuriam nocenti.

Sextò requiritur vt coniux innocens non remiſerit nocenti iniuriam tacitè, vel expreſsè. Vt ſi vir conſcius adulterii vxoris, eam liberè, & ſine coactione cognouerit: vel dimiſſam ad ſe reuocauerit. Tunc enim non poteſt iterum dimittere, niſi relabatur. Imò neque deinceps poteſt negare debitum petenti, poſtquam ſemel reddidit. Quia vel ſemel reddendo præſumitur ceſſiſſe iure ſuo, ac per legum diſpoſitionem reipſa cedit, ſeu potiùs ius negandi amittit. Vel etiam, ſi poſt notum adulterium coniugis, eam retinet, & cum ea verſatur affectu maritali, colloquendo familiariter, oſculando, amplexando, ac denique vt coniugem habendo: vt traditur lege *Crimen*, 11. Cod. ad legem Iuliam de adulteriis, quæ ſic ait: *Crimen adulterii maritum, retentâ in matrimonio vxore, inferre non poſſe, nemini dubium eſt.* Vbi notanda verba illa, *Retentâ in matrimonio*, id eſt, veluti coniuge, & maritali animo: non autem retentâ vi extraneâ, loco ſeparatâ, vel mensâ, & thoro; vel incluſâ vt accuſetur, & puniatur; vel dum aliquandiu expectatur tempus, quo commodiùs dimitti poſſit. Qua de re tota plura vide apud Sanch. diſputatione decima quarta, numero decimo ſeptimo, & ſequentibus.

13. Quomodo cenſetur remittere?

Ad hoc tamen vt condonare cenſeatur modo ſupradicto, requiritur vt coniux retinens, vel debitum reddens, aut exigens, certus ſit de adulterio compartis. Nam ſi dubitat ſolùm, tenetur exigenti reddere, & reddendo non præiudicat iuri ſuo: imò etiam neque petendo: niſi probabiles habeat coniecturas, & violentas præſumptiones adulterii, quibus meritò inducatur ad credendum fuiſſe commiſſum: tunc enim non poteſt exigere, neque etiam petere niſi condonando, & cedendo iure ſuo: cùm res moraliter certa iam illi ſit. Quia verò fieri poteſt, vt reus plures dederit cauſas diuortii, quarum vna erit nota innocenti exigenti, aut reducenti debitum, vel retinenti coniugem affectu maritali, non alia: putà, ſi fuit adulter, & Sodomita, vel damnatus de hæreſi: coniux condonans crimen & cauſam ſibi notam, retinet ius diuertendi propter cauſas ſibi occultas, quando ipſi innotuerint. Requiritur præterea vt innocens ſponte debitum reddat. Nam ſi id facit coactus auctoritate iudicis, ius ſuum non amittit: dum modo ipſe non exigat: hoc enim ipſi voluntarium eſt, neque ad id compelli poteſt à iudice. Similiterque vxor non priuatur iure ſuo, ſi reddit debitum viro adultero, metu graui coacta, ne videlicet malè ab eo tractetur, quia ſæuus, & crudelis eſt. Idem que dicendum ſi quis reddat ex conſcientia erronea, credens ſe ad id obligari in conſcientia: quia tunc non ſponte reddit ſed coactus errore conſcientiæ, & metu peccandi, alioqui non redditurus.

14. Quid ſi poſt reconciliationem vnus adulteretur?

Septimò, ſi coniuges reconcilientur poſt alterius, aut vtriuſque adulterium: qui prior peccabit deinceps, poterit ab altero dimitti. Quia per renunciationem prior iniuria fuit omnino abolita: iamque perinde ſe habent, quoad ius dimittendi, ac ſi eſſent innocentes. Ex charitate tamen, & gratitudine is, cui alter pepercit, deberet ei parcere, cæteris paribus. Item quando vterque commiſit adulterium, ſed alter iam emendatus eſt, & monuit alterum, vt ſe pariter emendet, & concorditer viuant; qui tamen noluit, ſed iterum lapſus eſt, pergitque malè viuere: poteſt emendatus dimittere alterum: quia iam reputatur innocens; & quia ex parte ſua perinde ſe habet, ac ſi reconciliati fuiſſent. Cùm enim hic offerat alteri reconciliationem, & alter teneatur eam acceptare: eius oblatio reputatur in fauorem ipſius, perinde ac ſi obtinuiſſet. Atqui ſi facta eſſet reconciliatio, poſſet dimittere peccantem iterum, vt ſupra diximus: ergo, &c.

15. Denique ea omnia, quæ diximus de iure

Sintne pares vir & vxor quoad ius diuertendi

diuertendi propter adulterium, intelligenda sunt tam de vxore, quàm de marito: quia vtrique par est ius ad diuertendum: licet ex delicto vxoris maior sequatur infamia, & damnum prolis: atque eapropter in foro externo hæc duriùs tractetur. Quamuis enim pares sint coniuges quoad accusationem ciuilem propter adulterium, ad faciendum diuortium, & amittendam dotem, aut donationem propter nuptias: tamen quoad accusationem criminalem non sunt pares: quia viro quidem permittitur accusare vxorem adulteram criminaliter, vt damnetur pœna capitis: at non vxori accusare virum: vt habetur lege 1. Cod. ad legê Iuliam, De Adulteris, & cap. *Apud misericordem*, 32. qu. 1. §. *Publico iudicio*. Vnde viro criminaliter accusante vxorem adulteram, non admittetur exceptio mulieris simile adulterium viro obiicientis. Hinc etiam fit, vt si maritus velit accusare criminaliter vxorem adulteram, non teneatur ei reddere debitum, quamuis ipse quoque adulterii reus sit: ne iuri suo præiudicet, & condonando crimen, accusandi ius amittat. Neque peccat maritus adulter accusans criminaliter vxorem, vt capite damnetur: quia propter maiorem infamiam, & iniuriam vxoris adulterantis, non compensantur quoad hoc vtriusque adulteria: & forum externum hoc ius marito concedens, non nititur falsa præsumptione, sed æquitate rei. Quare in hoc casu idem in foro conscientiæ licitum est, quod in foro externo: vt fusiùs docet Sanch. lib. 10. disp. 8. nu. 45. & sequentibus.

SECTIO II.

Vtrum ad Diuortium licitè faciendum requiratur sententia iudicis?

16. Nó requiritur sententia si est publicum.

REspondeo & dico primò, Si adulterium est ipso facto publicum, & adeo notorium, vt nulla possit tergiuersatione celari: non tenetur innocens expectare sententiam iudicis, sed potest licitè sine illa diuertere. Ita docent Nauarr. cap. 22. Manual. n. 23. in fine, Siluest. v. Adulterium, num. 8. Angelus eod. verbo n. 3. Sanch. lib. 10. disp. 12. nu. 25. Coninx disp. 35. dub. 1. nu. 2. Pontius lib. 9. cap. 18. Diana parte 3. tract. 4. de Sacram. resolut. 257. & alii quos isti citant. Probatur ex cap. *Significasti*, de Diuort. vbi Alexander III. respondit eum qui propter adulterium ab vxore diuerterat sine iudicio Ecclesiæ, ad eam recipiendam minimè debere compelli, si notorium crimen erat; & non constabat ipsum incidisse quoque in adulterium. *Si notorium est*, inquit, *mulierem ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam præfatus vir cogi non debet, nisi constaret ipsum cum alia adulterium commisisse*. Quibus verbis Pontifex non obscurè significat, potuisse licitè eam dimittere propria auctoritate, & ante iudicium Ecclesiæ: alioqui enim cogendus erat eam recipere, & reiecta debebat in possessionem restitui, donec per sententiam separaretur, iuxta caput *Ex conquestione*, De restitut. spoliat. Ex eodemque capite *Significasti*, constat non audiendum esse in foro externo coniugem reiectum propter adulterium notorium, si petit restitutionem, nisi opponat alteri crimen eiusdem generis, quod in iudicio probare possit. Et cap. penult. *De adulteriis*, idem statuitur his verbis: *Mandamus (quatenus, nisi tibi constiterit, vel per euidentiam rei, vel per confessionem legitimam mulieris, quòd adulterata sponte fuisset) adulterii etiam, quod vir dicitur commisisse, probatione cessante, ipsum recipere compellas eandem*. Et nimirum non compellas, si constiterit, sed dimissionem vt legitimam approbes.

17. Confirmatur.

Ad idem confirmandum iuuat caput *Ex parte*, De sponsalibus, vbi dicitur, nemini licere vxorem suam sine manifesta causa fornicationis dimittere. Vnde à contrario sensu infertur licere, si fornicatio sit notoria: ne frustra addatur hæc exceptio. Fauet etiam ratio, quia coniux innocens non acquirit ius diuertendi per sententiam iudicis, sed illud habet à natura ipsa contractus matrimonii non obligantis ad manendum cum coniuge violante fidem. Quare tunc tantùm requiritur sententia iudicis, quando res non est adeo notoria, quin possit aliqua tergiuersatione celari: ad vitandum scandalum, & alia incommoda, quæ tunc possent oriri ex separatione facta auctoritate propria. Quod periculum cessat, quando adulterium est notorium in gradu supradicto.

18. Occurritur obiectioni.

Neque huic sententiæ obstat caput *Porro*, De diuortiis, prohibens quemquam vxorem dimittere propter impedimentum dirimens, etiam notorium, cuiusmodi erat impedimentum illud consanguinitatis, de quo specialiter ibi agitur. Respondeo enim sermonem ibi esse de dimissione quoad vinculum, quæ res maioris momenti est, & iudicio Ecclesiæ meritò reseruatur, in cuius facie contrahuntur matrimonia, estque conueniens, vt non nisi eiusdem iudicio, & auctoritate dissoluantur, seu nulla declarentur. Hîc autem loquimur de dimissione tantùm quoad thorum, & cohabitationem, manente vinculo matrimonii. Non obest etiam caput *Seculares*, 33. quæst. 2. sumptum ex Concilio Agathensi cap. 25. vbi excommunicantur, qui vxores suas abiiciunt, antequam apud Episcopos dissidii causas dixerint, & priusquam in iudicio damnentur. Nam ibi non est sermo de illis, qui dimittunt propter crimen adulterii publicum, & notorium: Sed de illis *qui coniugale consortium nulla grauiori culpa dimittunt; & nullas causas dissidii probabiliter proponentes propterea sua matrimonia dimittunt, vt aut illicita, aut aliena præsumant*.

Digitized by Google

19. Secus autẽ ſi eſt occultum.

Dico ſecundò, ſi adulterium eſt occultum, non poteſt innocens auctoritate propria, & ſine iudicio Eccleſiæ diuortium facere, ne quidem occultè coniugem adulteram eiiciendo, aut fugiendo in regiones exteras. Hoc à fortiori docent D. Thom. in 4. diſt. 35. q. 1. art. 3. Bonauent. ibid. art. 1. q. 3. Ricard. ibid. qui permittunt tantùm dimitti quoad thorum, & non quoad cohabitationem, licet adulterium notum ſit, donec accedat Eccleſiæ ſententia. Idem etiam tenent Pont. lib. 9. cap. 18. num. 6. & plures alii ab eo relati. Probatur ex cap. *ſignificaſti*, de Diuortiis, & cap. *Ex parte*, de Sponſalib. quæ, vt hoc liceat, requirunt crimen eſſe notorium, & cap. *Sæculares*, ſupra cit. Fauet etiam ratio, quia ex oppoſito ſequerentur grauia incommoda. Nam crimen occultum, & fortè etiam dubium, & falſum, hac ſeparatione ſæpe diuulgaretur: multique ſumerent inde occaſionem diuertendi ab vxoribus, quas iam haberent odio, prætextu occulti adulterii ſibi ſat noti, quãuis illud probare nequeant. Quare meritò leges eccleſiaſticæ prohibent tam facilè dimitti à quoquã, vt generaliter viam præcludant iniquitati, & malitiæ coniugum: ſtatuuntque vt liceat ſic eiectis petere in iudicio reſtitutionem, neque admittatur exceptio alterius partis opponentis adulterium occultum, donec eiectus fuerit in priſtinum ſtatum, quoad habitationem reſtitutus: quo facto auditur excipiens: & ſi probauerit adulterium, permitteretur diuortium. Sin minùs, cogetur perſiſtere in matrimonio: argumento capitis *Ex conqueſtione*, De reſtitutione ſpoliatorum.

20. Contraria ſententia

Contrarium ſentiunt Palud. in 4. diſt. 35. q. 1. art. 3. concluſ. 3. Panormit. in cap. vlt. de adulteriis, & Sanch. lib. 10. diſp. 12. num. 31. vbi plures alios citat. Quorum præcipuum argumentum ſumitur ex c. *Agathoſa*, 27. q. 2. vbi Gregor. Mag. præcipit vt maritus, qui ſine vxoris conſenſu monaſterium ingreſſus erat, ab illo extrahatur, & vxori reſtituatur, dummodo hæc quondam fornicationis crimen (propter quod licet viro dimittere vxorem) non commiſerit. Addunt in cap. *Dixit Dominus*, 32. q. 1. ſumpto ex Hieronymo in cap. 19. Matth. non aliud requiri ad dimittendam vxorem, niſi fornicationem, iuxta illud Chriſti, *Quicunque dimiſerit* &c. Quia ſcilicet Chriſtus generaliter, & abſolutè affirmat licitam eſſe dimiſſionem coniugis propter adulterium, non diſtinguens inter publicum, & occultum: ideóque ex illis Chriſti verbis ſic infert Hieronymus cap. cit. *Vbicunque eſt igitur fornicatio, vel fornicationis ſuſpicio, liberè vxor dimittitur.* Liberè, inquit, hoc eſt, propria voluntate, abſque alia ſententia: hoc enim vox illa ſignificat iuxta ſtylum iuris Canonici.

21. Satisfit eius argumentis.

Sed ad primum Reſpondeo, Gregorium manifeſtè loqui de adulterio non occulto, ſed de quo ſatis conſtet in foro externo: vt patet ex his eius verbis: *Si verò nihil horum eſt, nec quondam fornicationis crimen (propter quod licet viro dimittere vxorem) prædictam mulierem commiſiſſe cognouerit, ne illius conuerſio relictæ in ſæculo fieri poſſit perdimonis occaſio, volumus vt maritum ſuum illi, etiamſi iam tonſuratus eſt, reddere debeas, omni excuſatione ceſſante.* Ad ſecundum dico Hieronymum quoque intelligendum eſſe de fornicatione notoria, vel ſuſpicione adulterii violenta, quæque talis ſit, vt ſi probetur in foro externo, manifeſtè ſufficiat ad celebrandum diuortium, & reipſa probari poſſit. Alioquin ex hoc argumento generaliter intellecto, vt verba ſonant, inferretur quamcunque ſuſpicionem fornicationis ſufficere ad dimittendam, aut domo pellendam vxorem, quod abſurdiſſimum eſt, & iniuriis, ſcandaliſque plurimis viam aperiret. Qualis autem debeat eſſe ſuſpicio violenta, vt ſit ſufficiens, deciditur in cap. *Literis*, De præſumptionibus, his verbis: *Solum cum ſola* &c. Quod ita intelligendum eſt, vt vel eadem, vel ſimilis, & æquiualens ſufficiat. Ex eodemque cap. & aliis iuribus ſupra citatis intelligendum eſt de qua fornicatione Chriſtus loquatur Matth. 5. & 19. dicens licere propter eam dimittere fornicantem.

22. Altera obiectio.

Opponit 2. Sanch. diſp. cit. cap. *De Benedicto*, 32. q. 1. vbi, inquit, Pelagius Pontifex decidit non compellendum eſſe virum recipere vxorem, quæ ab ipſo receſſit, & fornicata eſt. Si autem ſententia diuortii deſideraretur, compelleretur vtique ad illam recipiendam. Item in foro conſcientiæ non tenetur quiſquam ſeruare fidem contractus eiuſdem fidei violatori. Et cùm in eodem foro licita ſit dimiſſio coniugis adulteri quoad thorum, & debitum coniugale: ergo etiam, quoad habitationem, ſi ſcandalum ceſſet: cùm maior ſit obligatio reddendi debitum, & ex illa conſurgat obligatio cohabitandi. Addi poteſt non aliter excuſari à culpa factum Sancti Ioſeph ſponſi Beatæ Virginis, quando Matth. 1. voluit occultè eam dimittere, grauiter ſuſpicans ex adulterio concepiſſe. Nam quod aliqui dicunt, cauſam huius voluntatis fuiſſe non ſuſpicionem adulterii, ſed reuerentiam erga ſanctitatem eximiam B. Virginis, cuius conſortio indignum ſe eſſe credebat: Hoc, inquam, à veritate alienum eſt, & textui minimè conſentaneum. Nam Angelus ſuadens ne dimitteret, vt ſuſpicionem illam remoueret, dixit, *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Id eſt, ne putes aliunde concepiſſe, neque propter malam de ea ſuſpicionem ab illa recedas. Atqui ſi non ſuſpicio, ſed reuerentia ſanctitatis eximiæ B. Virginis, fuiſſet illi cauſa volendi recedere; non eam ſuſtuliſſet, ſed auxiſſet hæc Angeli admonitio.

23.

Ad primum Reſpondeo caput *De Benedicto* perperam allegari, cùm in eo ſit ſermo de vxore cuius adulterium publicum erat, & euidenter notorium, quippe quæ diu habi-

tauerat: & adhuc habitabat cum concubinario, à quo facinoroè sublata fuerat, & à quo Pontifex iubet eam separari, viroque restitui, si eam sine dolo recipere voluerit. Ad secundum, dico vnumquemque in foro conscientiæ teneri non detegere crimen occultum alterius: vt fit per separationem publicam: & quamuis possit tunc negare debitum adultero, quod occultè fit, & nemine conscio: secus tamen debitum simul, & cohabitationem: quæ duo simul sumpta, sunt euidenter aliquid maius, quàm sola debiti negatio: neque ex eo quòd liceat primum negare, bene infert Sanch. posse vtrumque simul negari licitè. Ad tertium Respondeo, vt sanctus Ioseph à culpa excusetur, sufficere quòd opinionem probabilem, & tutam in praxi sequi voluerit, affirmantem posse licitè, sed occultè, & sine scandalo, dimitti vxorem propter adulterium moraliter certum, aut coniecturam violentam, qualem ipse habere se credebat, certissimus B. Virginem non concepisse suâ ipsius operâ. Vt tamen prorsus excusetur à culpa, addendum est, hanc eius voluntatem fuisse inefficacem, & suspensam propter indicia contraria, quæ prudenter omnia consideranti rem incertam, vt minimum, faciebant: sanctitatem videlicet eximiam B. Virginis, & diuinum spiritum, qui in eius vultu, oculis, verbis, & omnibus actionibus mirabiliter sese prodebat, modestiamque planè angelicam, & virtutes cæteras supra modum heroicas. Estque credibile Iosephum anxium, & fluctuantem animo ad Dei consilium precibus implorandum, & rei veritatem discendam confugisse, sicut reipsa didicit, Deo per Angelum reuelante.

24. Adulterio occultum sufficit ad separationem thori.

Dico tertiò, Quando adulterium licet occultè est certum, potest licitè coniux innocens, de eo certus, abstinere à debito reddendo, non expectatâ sententiâ Ecclesiæ. Ita D. Thom. in 4. dist. 35. q. vnica art. 3. in corp. D. Bonauent. D. Antoninus, Paludan. Ricard. Durand. Abulens. Siluest. Angel. Turrecrem. Hostiens. Andreas, aliique plurimi Theologi, & Canonistæ, quos refert, & sequitur Sanch. lib. 10. disp. 12. num. 5. Ratio præcipua est, quia nemo tenetur in conscientia seruare fidem coniugalem reddendo debitum ei, qui non seruauit: cùm ex natura rei in ipso contractu matrimonii hæc conditio tacitè includatur, vt fides seruetur inuiolatè eam seruanti, secus non. Neq; in eo periculum scandali est, aut diffamationis, seu reuelationis criminis occulti: cùm negatio debiti occultè fiat; secus ac separatio quoad habitationem, quæ vix latere potest. Confirmatur, quia alioqui teneretur coniux innocens condonare crimen adultero, si teneretur in conscientia ei reddere debitum. Nam hoc ipso quòd sponte reddit, id est, sine coactione, vel ignorantia: censetur ab Ecclesia debitum condonare, vt diuinus sect. præcedenti. Neque dicas iustum non esse, vt coniux ipse sit iudex & executor tam grauis pœnæ circa iniuriam ibi illatam. Nam hoc non fit per modum pœnæ, & vindictæ: sed ob defectum conditionis essentialiter includæ in contractu matrimonii: qui defectus facit vt violator fidei coniugalis non habeat ius exigendi debitum ab eo, qui fidem seruauit: adeóque alter non teneatur reddere.

Addo, licet pars altera conqueratur apud Iudicem ecclesiasticum de debito sibi negato, & iudex propter defectum probationis innocentem compellat reddere sub pœna excommunicationis latæ sententiæ: nihilominus non teneri, quantum est ex natura rei, & excommunicationem nullam esse, vtpote in falsa præsumptione fundatam; neque tale præceptum obligare in foro conscientiæ. Per accidens tamen, ratione scandali vitandi, obligabitur, ne videatur contemnere excommunicationem, cuius iniustitiam probare non potest; neue existimetur in illa infordescere, ac post annum incurrat in suspicionem hæresis, iuxta caput *Cum contumacia*, de Hæreticis in 6. iunctâ communi Doctorum interpretatione; & Trident. sess. 25. cap. 3. de reform. in fine. Sic tamen reddendo non priabitur iure suo faciendi diuortium, si possit tandem in foro externo probare adulterium: quia non sponte facit, neque reconciliatur parti adulteræ, cui solùm coactus à iudice, & metu scandali debitum reddit. Suppono autem adulterium illi euidenter, aut certò notum esse. Nam si dubium, aut moraliter incertum est, non potest coniugem iure exigendi spoliare, donec res certò constet. Neque alter, licet nocens, & sibi conscius adulterii, tenetur prodere se ipsum, & abstinere ab exigendo debito. At si nouit innocentem esse certum de adulterio à se commisso, non potest in conscientia eum cogere ad reddendum debitum, neque ad hoc implorare opem iudicis.

25. Quid si innocens excommunicetur nisi reddat.

SECTIO III.

Vtrum coniux teneatur dimittere alterum persistentem mœchari, aut respiscentem admittere?

REspondeo, & dico primò, Neque maritus tenetur dimittere vxorem adulterantem, neque vxor maritum, per se loquendo, & præcisè, quantum est ex sola ratione adulterii: quamuis illud sit publicum & pertinax. Ita Sanch. lib. 10. disp. 13. n. 6. vbi certum apud omnes id esse testatur. Ratio præcipua est, quia Christus Matth. 5. & 19. non præcepit, sed permisit dimortium propter adulterium, vt liquet ex textu, & confirmat D. Augustin. relatus in c. *Idololatria*, 28. q. 1. his verbis: *Dominus permisit causâ fornicationis vxorem amitti. Sed quòd permisit, non iussit, dedit locum Apostolo mo-*

26. Non tenetur dimittere per se loquendo.

nendi, vt qui voluerit non dimittat vxorẽ infidelem &c. Adde quòd diuortium non eſt inſtitutum in grauamen innocentis, ad eum priuandum iure quod habet in corpus coniugis: ſed potiùs in fauorem ipſius, dando illi ius diuertendi, ſi velit; & in pœnam adulteri, qui iuſtè poteſt deſeri ab innocente, aut domo expelli. Eſſet autem in grauamen innocentis, ſi per ſe loquendo teneretur ipſe diuertere, ſeque priuare coniuge: neque poſſet hanc pœnam condonare cedendo iure ſuo, vt vitet incommoda ſibi, vel liberis, & familiæ prouentura ex diuortio. Confirmatur ex cap. *Quemadmodum*, de Iureiuran. §. vlt. vbi dicitur poſſe virũ iurare vxori nunquam ſe illam accuſaturum de adulterio ad faciendum diuortium: & tutius eſſe non accuſare, ſi hoc iurauit. Atqui non poſſet hoc iurare, ſi teneretur per ſe loquendo eam dimittere, & accuſare, quando opus erit ad faciendum diuortium: quia iuramentum eſſet de re illicita: ergo &c.

27. **Per accidẽs tenetur multas ob cauſas**

Dico ſecundò, Per accidens tamen obligari poteſt maritus ad dimittendam vxorem adulteram, & perſiſtentem in adulterio. Si nimirum ſpes eſt, fore vt per dimiſſionem corrigatur, & aliter corrigi nequeat: vel ſi id neceſſarium eſt ad vitandum ſcandalum, & ad tollendam ſuſpicionem exiſtimantium conniuere maritum malæ vitæ vxoris, vel quod deterius eſt, eſſe complicem criminis, & lenonem eius agere: aut etiam ne veros, & legitimos liberos priuet hæreditatis parte, deuoluenda ad ſpurios, propter incertitudinem prolis. Probatur, quia ſaltem hoc ſenſu verum eſſe debet quod ait Sapiẽs Prouerb. 18. v. 23. *Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum. Qui autem tenet adulteram, ſtultus eſt, & impius.* Et auctor operis imperfecti in Matth. homil. 32. relatus cap. 1. *Sicut crudelis* 32. q. 1. *Sicut crudelis, & iniquus eſt, qui caſtam dimittit vxorem; ita ſtultus eſt, & iniuſtus, qui retinet meretricem. Patronus enim turpitudinis eſt.* Et cap. *Si vir*, De adulteriis: *Si vir ſciens vxorem ſuam deliquiſſe, quæ non egerit poenitentiam, ſed permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit, & eius peccati particeps.* Et cap. *Quemadmodum*, De Iureiurando, §. vlt. dicitur, ſi primò, & ſecundò correpta reſipiſcere nolit, dicendum eſſe Eccleſiæ, vt tanquam ethnica, & publica deinde vitetur, ne alioqui libera ei præbeatur peccandi facultas propter impunitatem peccati: & quamuis iureiurando maritus illi promiſerit ſe nunquam eam denunciaturum ad diuortium celebrandum, poſſe nihilominus eam denunciare ad poenitentiam peragendam. Et cap. *Non ſolùm*, 28. q. 1. dicitur recedendum eſſe ab illa, quæ mœchari pergit, & poenitentiam non agit: quoniam alioqui maritus non recedens fit particeps peccati illius. Et cap. *Si quis vxorem*, 1. & 2. Cauſa 32. q. 1. dicitur poenitentiam duorum, triumue annorum imponendam eſſe marito, qui ſciens vxorem adulteram eſſe, voluerit nihilominus eam habere in matrimonio: ni ſi videlicet mulier ab adulterio recedere voluerit, vt addit Gloſſa ibid.

Dico tertiò, communiter tamen hanc obligationem non vrgere: quia tam multæ cauſæ ab illa excuſant, vt rarò contingat nullam earum occurrere. Nam cùm tria capita ſint, ex quibus illa obligatio oriri poteſt: videlicet præceptum fraternæ correptionis, neceſſitas vitandi ſcandalum, & pietas erga prolem legitimam, debitumque cauendi ne frandetur hæreditate: Quod ad primum attinet, poteſt maritus communiter aliis mediis vxorem emendare, eam graniter reprehendens, timoremque Dei, & poenas inferni proponens, & ſeuerè cuſtodiens, punienſque moderatè, quantum ipſi permittit maritalis poteſtas, & ius acquiſitum per matrimonii contractum. Quòd ſi hæc non ſufficiant non eſt ſperandum moraliter fore vt per dimiſſionem corrigatur; ſed potiùs timendum ne liberiùs peccet, nullâ iam habitâ mariti reuerẽtiâ, & ſui iuris facta. Præceptum autem fraternæ correptionis non obligat, vbi moraliter non affulget ſpes emendationis; neque caſus metaphyſici hîc expectandi, vel indagandi ſunt. Adde quòd præceptum fraternæ correptionis non obligat cum graui corrigentis incommodo. Poteſt autem marito eſſe graue dimittere vxorem, propter infamiam quâ in illa accuſanda, & in triplici ſententia conformi obtinenda ſubiturus eſt; & propter ſumptus in iudicio faciendos: & propter incommoda, quæ ſubibit regendo familiam deſtitutus vxoris ope: & denique propter carnis ſtimulos, periculumque incõtinentiæ, in quod frequenter ſe coniiciũt, qui vxores dimittunt.

28. **Multa tamen excuſant.**

Quod verò ſpectat ad ſcandalum, poteſt communiter illud aliâ viâ ſufficienter remoueri. Et quidem ſi adulterium eſt occultum, ſcandalum nullum eſt. Sin autem eſt publicum; ſufficit vt maritus publicè corrigat vxorem, & ſeriò emendare conetur, ac puniat etiã quoad licet, ne videatur crimini conſentire. Quòd ſi qui adhæc ſcandalizantur, non datur ſcandalum à marito: neque iam tenetur ipſe perperam ab aliis acceptum vitare, dimittendo coniugem ſuam cũ tanto ſuo incõmodo, quantum incurreret, ſi cogeretur cœlebs viuere, & moleſtam atque periculoſam contra ſtimulos carnis luctam pati, familiam ſolus regere, videreque coniugem liberiùs mœchari: vt rectè docet Aegid. Con. diſp. 35. dub. 3. num. 19. poſt Sotum, Paludan. Roſellam, & Sanch. locis ab eo citatis.

29.

Quòd denique attinet ad vitandum periculum nocendi proli legitimæ, falſoſque hæredes ſupponendi; non tenetur maritus illud vitare cum tanto incommodo, quantum communiter ex ſeparatione contingit: neq; ipſi culpæ tribuendũ illud erit, ſi fiat ipſo renitente, & adhibente omnia media, quæ poteſt adhibere ſine graui incõmodo.

omnes certum esse testatur Sanch. disp. 13. num. 1. Posterior verò pars eiusdem assertionis probatur ex cap. *Si vir*, De adulteriis, vbi postquam dixit virum scientem vxorem fornicatam esse, debere illam dimittere, ne permanendo cum illa sit reus, & particeps eius peccati: addit: *Quod si mulier dimissa egerit poenitentiam, & voluerit ad virum suum reuerti, debet, sed non sæpe, accipere peccatricem.* Quod postremum ideo dicit, ne frequentia, & facilitas reconciliationis fiat illi occasio peccandi liberiùs: cùm è contrario idcirco debeat illam maritus recipere in gratiam semel aut iterum, vt eam in proposito vitæ melioris confirmet, & à peccando impediat. Potest itaque maritus, & interdum debet ex charitate, aut honestate ei reconciliari, vt ipsius saluti consulat, vel etiam suæ ipsius propriæ, vel commodis familiæ, & liberorum educationi, cui iam correcta vacare poterit, maritumque leuare graui onere, vel ad tollendam, aut minuendam domus infamiam, aliosque bonos fines.

34. Possitne cogere vt redeat?

Addo, non tantùm posse illi reconciliari si velit, verùm etiam posse cogere vt redeat. Quia reus non liberatur à debito quod habet erga innocentem: & diuortium in odiũ nocentis, & fauorem innocentis concessum est: non autem in istius grauamen, priuando ipsum iure quod habet in corpus coniugis: & in fauorẽ nocentis, eum liberando seruitute coniugii. Idque verum etiam est, quamuis accesserit sententia Ecclesiæ. Quia sententia diuortii lata fuit in pœnam adulteri, & in fauorem innocentis: non autem contra illius ius, vel in ipsius præiudicium: præiudicaret autem, si adimeret ius repetendi coniugem, & obligandi ad cohabitandum. Hinc sequitur adulterum non posse sine consensu alterius suscipere statum incompossibilem reditui; putà, statum Religionis, aut Ordinis sacri. Potest tamen è contrario innocens, altero licet inuito; vt habetur ex cap. *Agathosa* 27. q. 2. & cap. *Constituit*, cap. *Veniens*, De conuert. coniugat. Quia adulter amisit ius exigendi debitum coniugale, & cohabitationem; potestque in perpetuũ ab innocente deseri. Quod tamen, iuxta ea, quæ diximus num. 19. ita intelligendum est, vt neque innocens Ordinem sacrum suscipiat, neque Religionem profiteatur, quamdiu delictum alterius est occultum, adeo vt in foro externo probari nequeat, licet alioquin ipsi certum sit. Tunc enim iuxta probabiliorem sententiam, quã ibidem secuti sumus, non habet ius diuortium faciendi quoad habitationem: & si pars dimissa eum repetat, cogetur non probato delicto ad vxorem redire, non sine aliqua iniuria, aut infamia Ordinis, aut Religionis, veluti promotus, aut professus illegitimè. Quare necessarium est vt vel sententia diuortii præcesserit: vel crimen adeo publicum, & notorium sit, vt nulla possit tergiuersatione celari.

Notandum præterea, quòd si reus diu, ac sæpius petiit ab innocente reconciliationem; & neque obtinuit, neque moralis spes est obtinendi: potest tunc Ordines suscipere, aut ingredi Religionem, altero saltem priùs admonito. Quia tunc ille censetur tacitè consentire: & non tenetur hic perpetuò manere in statu incerto, & difficili, sed potest suæ saluti consulere, certum aliquem statum meliorem eligendo. Neque necesse est hanc monitionem fieri ab Episcopo, vt aliqui existimant: sufficit enim si per se, aut per alium fide dignum ipse moneat. Item si per sententiam criminalem iudicis sæcularis adultera mittatur in monasterium; intra biennium viro recipere illam licebit: sed si eo transacto, monasticum habitum susceperit: ibi dum viuet, permanebit, neque à viro amplius repeti poterit, vt statuitur in Authentica *Sed hodie*, *Cod. ad legem Iuliam De adulteriis*, quæ non fuit correcta per ius canonicum cap. *Gaudemus*, *De conuersione coniugatorum*, vt male quidam autumant. Si tamen post biennium non profiteatur, aut si toto biennio fornicari pergat; licebit adhuc marito eam repetere, quando ante professionem digna erit, quæ recipiatur. Probabile etiam est, & à multis asserẽ, quos refert, & sequitur Sanch. lib. 10. disp. 16. num. 14. validè ad alterum mutare statum post sententiam diuortii, si id sciat innocens, & non contradicat, cùm possit: quia hoc ipso videtur ei tacitè licentiam concedere.

35. Potestne reus ingredi religionẽ aut ordinem sacrum suscipere?

Quando etiam siue reus, siue innocens statum mutauit, & Ordines sacros suscepit, aut Religionem professus est; non tenetur alter Religionem ingredi, aut votum emittere castitatis: quia nullo iure ad id obligatur: nam in cap. *Sanè*, & cap. *Significauit*, De conuersione coniugat. sermo tantùm est, quando matrimonium est integrum, & illæsum: non autem quando factum est diuortium propter adulterium, aut aliud crimen. Præterea vxor dimissa, eius, qui Ordines suscepit, non tenebitur post eius obitum abstinere à secundis nuptiis: quia de illa id nullo iure statuitur: sed tantum de iis, quæ licentiam maritis dederunt, suoque iuri eos retinendi renunciarunt; secus ac adulteræ, quibus inuitis, & iure suo propter crimen priuatis, coniuges initiãtur sacris Ordinibus, aut profitentur in Religione. cap. *Quæ sunt*, distinct. 28. & cap. *Seriatim*, dist. 32. Idemque dicendum de coniugibus quæ propter furorem perpetuum, aut sæuitiam mariti incorrigibilem, faciunt diuortium, vt dicemus sect. 5.

36. Tenetur ne tunc alter quoque ingredi aut vouere?

constat causam illam in iudicium fuisse delatam: & verba relata significant Prælatum sic statuisse per sententiam latam aduocato capituli sui consilio; id enim sonat vox *Inuenieris*, auctoritate scilicet iudiciali, & per sententiam. Estque plane friuola coniectura, & illatio præfati auctoris, fundata in particula *priuatim*: quippe quæ eo loco nihil aliud sibi vult, quàm vt ab inuicem separati continentiam seruarent: sicut manifestè indicant verba proximè sequentia. Sic enim habet textus relatus, postquam verbis præcedentibus narrauit quomodo causa ad forum ecclesiasticum delata fuerit, & compertum adulterium: *Sanè*, inquit, *tu conuocato Capitulo tuorum ex eorumdem consilio vtique priuatim continentiam iniunxeris obseruandam, ita quod castè viuerent ab inuicem segregati.* Quæ postrema verba, *ab inuicem segregati*, sunt explicatio præcedentium *vtique priuatim*, &c.

42. Probatur ratione. Fauet etiam ratio, & æquitas: quia æquissimum est vt vna iniuria compensetur per alteram; & consequenter vt hæc compensatio peti possit à iudice, ad illamque compellatur qui vterò eam facere recusat. Nec obest quòd sententia diuortii accesserit: nam sententia Ecclesiæ non dat coniugi maius aliquod ius, sed tantùm declarat ius, quod habet coniux propter alterius adulterium: quod ius non est aliud, quàm vt innocens possit negare nocenti consortium, & ab illo diuertere propter fornicationem, dummodo ipse ab eodem peccato abstineat. Alioqui enim sicut non potest dimittere, ita neque diuortium continuare.

43. Confirmatur, quia ius admittens compensationem adulteriorum, naturale, & diuinum est. Aequi sententia iudicis non aufert ius naturale, & diuinum: ergo non adimit ius petendi compensationem, & obligationem illius faciendæ. Item sententia illa fuit lata secundum statum præsentem coniugum eo tempore, quo lata fuit, & in fauorem innocentis contra nocentem. Ergo non tollit reo ius compensationis, si innocens fiat postea nocens: & iniqua esset, si permitteret dimittenti fornicari quantum vellet, negato iure agendi contra illum ad petendam compensationem, coniugi, quæ semel tantùm in adulterium lapsa fuerit, posteaque se emendauerit. Hoc enim esset fauere iniquitati, & dare causam intemperantibus adulterandi libetiùs. Magisque apparet hæc iniustitia, si maritus propter vnicum adulterium dimissus, iam emendatus, non possit accusare, & reuocare vxorem, passim iam liberè, impudenterque se aliis prostituentem.

44. Confirmatur 2. quia dimittens, quoties postea fornicatur viuente coniuge, verè adulter est: manet enim nihilominus vinculum matrimonii, & obligatio abstinendi à copula cum alio. Ergo facit iniuriam coniugi legitimæ. Ergo iniustum est negare illi actionem, & petitionē compensationis pro tali iniuria. Denique sicut sententia diuortii includit tacitè hanc conditionem in fauorem innocentis, *nisi velit ipse iniuriam condonare, vel dimissum reuocare*: ita par est, vt in fauorem nocentis illam contineat, *nisi innocens in simile crimen labatur, detque nocenti ius petendi compensationem.*

45. Contrariam verò, & negantem sententiā tenent D. Thom. in 4. dist. 35. q. vnica a. 6. ad 4. Durand. ibid. quæst. 2. n. 8. Sot. dist. 36. q. vnica a. 6. ad 3. Henriq. lib. 11. de Matrim. c. 17. n. 3. Archidiacon. Innocent. Abbas, & plures alii, quos refert, & sequitur Sanch. lib. 10. disp. 9. n. 30. cuius argumenta hæc sunt: Primò, quia nihil bene definitum, postea retractandum est, c. *Quod bene*, 6. q. 4. iunctā Glossā. Secundò, seruitus semel amissa non renascitur. c. *Quæris*, De consecrat. dist. 4. Seruitus autem coniugis innocentis amittitur latā sententiā diuortii. Tertiò, licet exceptio adulterii per simile adulterium extinguatur; non tamen exceptio rei iudicatæ perimitur per simile crimen post sententiam commissum. Quartò, coniux fornicans post diuortium non peccat contra dimissum: quippe qui iure in corpus eius destitutus est per sententiam. Sicut ergo quando vnus coniugum mœchatur conniuente altero, non facit illi iniuriam: & idcirco ille non habet ius diuertendi: ita quia fornicans post dimissionem non facit iniuriam dimisso, nullum ius ei dat agendi contra ipsum ad rescindendam sententiam diuortii. Quintò denique, sententia diuortii tota est in fauorem innocentis, & in odium rei transit in rem iudicatam, quoad ea omnia, quæ contra illum faciunt. Quare non fertur cum hac tacita conditione, *si innocens pudicè vixerit*: sed in perpetuum absoluit eum à seruitute matrimonii, si sponte nolit dimissum reuocare.

46. Ex his duabus sententiis prior sicut auctoritate potior est, & communior inter Doctores; ita etiam ratione probabilior, melioribusque innixa fundamentis esse mihi videtur. Quare ad primum argumentum posterioris sententiæ Respondeo primò, nimis probare: nam plerique illius assertores, & nominatim Sanch. disp. cit. n. 30. & 31. docent iudicem posse, & debere ex officio reconciliare coniuges, etiam post sententiam latam, & confirmatam, quando id necessarium est ad vitandum periculum incontinentiæ, vel scandalum datum à dimittente, præsertim si perditè viuat. Quare saltē in eo casu potest, ac tenetur rescindere quod bene definiuit. Secundò, & directè Respondeo, sententiam illam, vt bene definiat, hoc sensu intelligendam esse, quòd diuortium innocenti permittat, quandiu ille propter idem peccatum, & æqualem, aut maiorem iniuriam non dabit ansam dimisso petendi compensationem.

46. Ad secundum (quanquam hæc sententia non legitur in capite citato, quod est 129. dist. 4. de Consec.) dico seruitutem semel amissam nunquam renasci, nisi detur causa sufficiens in eam reincidendi: vel quando fuit extincta absolutè, & independenter ab omni conditione: sed non ita extinguitur seruitus matrimonii per sententiam diuortii, vt patet ex rationibus allatis in fauorem primæ sententiæ. Ad tertium dico, contrarium satis apertè constare in causa diuortii cap. *Ex literis*, relato & expenso sup. num. 41. Ad quartum, negq; antecedens. Manet enim dimittens, æquè ac dimissus, obligatus vinculo matrimonii ad abstinendum à copula cum persona aliena: quia ius illud acquisitum vtrique per contractum matrimonii tandiu manet, quandiu durat ipsum matrimonii vinculum. Neque par est ratio de eo, qui consentit adulterio vxoris. Quãquam neque istius conniuentia facit, vt non sit verè adulterium, ipsi, tanquam marito, & vinculo matrimonii iniurioſum: quia non potest efficaciter iuri illi renunciare, & hanc iniuriam suo consensu impedire. Quare si non fit illi volenti iniuria, vt homini, fit tamen vt marito. Sicut si clericus volens percutiatur iniustè, non fit illi iniuria vt homini, fit tamen vt clerico, & statui clericali, cuius iuri non potest ipse renunciare efficaciter. Ad quintum patet ex dictis numero 42. & 43. æquitatem postulare, vt conditio illa subintelligatur in sententia; & iniquam esse, si tam rigidè feratur contra nocentem, vt neget illi petitionem compensationis propter similem, vel longè maiorem iniuriam à dimittente sibi postea irrogatam.

47. Lapsus in fornicationẽ debet rescindere diuortiũ.

Hinc collige primò, iuxta probabiliorem opinionem, quam secuti sumus, non modò post sententiam iudicis cogentis ad reconciliationem, sed etiam ante, in foro conscientiæ, teneri ad rescindendum diuortium eum, qui lapsus est in fornicationem post diuortii sententiam; etiam postquam illa transiit in rem iudicatam. Secundò, teneri reum, si cum semiplena probatione interrogatur à iudice, fateri suum adulterium, vt cogatur ad reconciliationem, si eam sponte inire non vult. Tertiò, neutrum in eo casu posse licitè alteri petenti negare reditum ad coniugale consortium: quia iã ambo ad paria iudicantur quoad hoc propter compensationem criminum. Quintò, coniugem dimissum habere ius recuperandi dotem amissam, & alia, quibus priuabatur ob adulterium, per sententiam diuortii. Quintò denique, hæc omnia intelligenda esse etiam de illo qui post dimissionem, & obtentam sententiam diuortii statum mutauit profitendo Religionem, aut suscipiendo sacros Ordines, si antequam profiteretur, aut acciperet Ordinem sacrum lapsus est in adulterium. Tunc enim, tanquam malè promotus sine consensu coniugis, aut inualidè professus, cogendus est redire ad dimissum habentem ius repetendi, & exigendi compensationem.

48. Nisi fit professus, vel ordinẽ sacrum acceperit.

Dixi autem, si antequam profiteretur, lapsus est in adulterium, etiam tempore Nouitiatus: vel si antequam sacrum ordinem reciperet, etiam tunc, quando in Minoribus constitutus erat. Nam tunc quoque datur locus compensationi: & ius alterius coniugis adhuc prævalet. Secus autem si fornicatur postquam reipsa professus est, aut sacrum Ordinem accepit: quia iam vinculum Religionis, cui se adstrinxit, aut status Ordinis sacri, fortius est, impeditque ius coniugis priùs dimissi, ne statui clericali, aut religioso maior fiat iniuria, & vt vitentur scandala, quæ ex oppositio facilè contingerent: & denique ius iam antea legitimè acquisitum Monasterio per professionem, non perditur ob delictum Monachi.

SECTIO V.

An, & quæ sint aliæ causæ legitimæ faciendi diuortium?

49. Periculũ grauis dãni corporalis sufficit ad diuortium.

HVc vsque diximus de diuortio propter adulterium carnale. Superest addere plures alias esse causas legitimas faciẽdi diuortium, quæ ad tres reuocari possunt. Prima est damnum, aut periculum grauis damni corporalis, sine quo non possunt coniuges cohabitare. Cuiusmodi est sæuitia mariti tanta, vt meritò ab ea timeatur magnum aliquod incommodum. Est enim causa sufficiens diuertendi, nisi maritus sufficientem cautionem exhibuerit de non offendenda vxore, vt dicitur cap. *Literas*. De restitut. spoliatorum. Idque verum est non solùm de sæuitia præterita, sed etiam de futura meritò timenda. Quia iure potest quisque sibi consulere, neque tenetur cum tanto suo incommodo obligationi cohabitandi satisfacere. Hinc vxor habet ius sufficiens deserendi concubinarium: quia concubinarii sæuire solent in proprias vxores, & concubinæ insidiari vitæ propriæ coniugis. Idque siue domi eam teneat, siue extra. Huiusmodi etiam est furor, & insania alterius coniugis ita vehemens, vt alter subeat graue periculum cohabitando: vel si vir sæpe inebrietur cum periculo vitæ, vel grauis nocumenti vxoris propter ardorem iracundiæ vino excalefactæ. Item si alter sit veneficus, aut magiæ deditus: huiusmodi enim solent etiam coniunctissimis nocere, cùm à Dæmone agantur. Item si alter tentauit alterum occidere: aut si morbo contagioso laboret, quod sine separatione vitari non possit.

50. Requisitum iudicium.

Notandum tamen, coniugem timentem periculum ob sæuitiam alterius, non posse ab illo recedere auctoritate propria, nisi periculum sit in mora, & iudex faciè adiri nequeat: quamuis alioqui sæuitia

notoria sit. Quare si detur sufficiens cautio securitatis, expectanda erit sententia diuortii. Notandum etiam, facta separatione propter sæuitiam, non esse obligationem reddendi debitum: sed posse iustè negari, vt alter efficax remedium suæ sæuitiæ adhibere satagat, tractetque coniugem, sicuti debet ex contractu matrimonii obligantis ad cohabitandum pacificè. Nota 3. separationem ob sæuitiam fieri posse, licet alter aliquam sæuiendi occasionem dederit: putà, quia commisit adulterium. Nam si durius tractetur, quàm permittat lex matrimonii, potest alter licet nocens vitare ipsius sæuitiam, mortisque vel alterius grauis damni periculum, probabiliter imminens ab eius iracundia, vt constat ex cap. *De Benedicto*, 32. q. 1. & aliis iuribus relatis à Sanche lib. 10. disp. 18. num. 5.

51. Malũ debet esse graue.

Debet autem malũ, quod prudenter timetur, esse graue, & quale ad metũ viri constãtis requiritur: quod quale esse debeat, & quomodo respectiuè considerandum sit, diximus alibi disp. 71. sect. 6. Nam diuortium est res grauissima, nec nisi valde graui de causa fieri debet. Huiusmodi sunt, si alter alterius vitæ insidietur, vel palam adoriatur. Si alter alterum grauiter verberet. Si maritus præ sæuitia infantem in vtero matris iam bis aut ter necauit. Si sæpe inter illos oriantur graues discordiæ, & magna iurgia, vel graues minæ cum effectu: nam alioqui solæ minæ inefficaces non sufficiunt: quia non dant iustam causam grauis metus. Huiusmodi etiam causa sufficiens est, si vnus alterius bona deprædetur, aut dilapidet, nec possit aliter id impediri, quàm per separationem corporum, & bonorum. Si mulier liberos interficiat. Si parentes alterius coniugum simul habitent cum illis, vel eos crebrò adeant, sintque adeò sæui marito, vel vxori, vt grauem metum incutiant, nec nisi per separationem à se inuicem vitari possint. Quia verò causa timendi debet esse iusta, & rationabilis, pertinet ad iudicem de illa cognoscere, & prouidere de cautione sufficienti, vel concedere diuortium, si illa dari nequit: putà, si odium inter coniuges capitale est: nam cautio non mutat affectum. Cuiusmodi autem cautio in negotio, de quo agimus, dari possit, aut debeat, vide apud Sanchem lib. 10. disp. 18. n. 40. & sequentibus.

52. Esse licitũ discretè mutare statum.

Nota denique, si causa diuortii propter sæuitiam, aut alia supradicta, sit perpetua, quia non potest sperari probabiliter fore vt cesset; licitũ esse diuertenti transire ad Religionẽ, vel accipere sacros Ordines, saltẽ post obtentam sententiam iudicantem diuortium esse perpetuum. Secus autem si temporale tantùm: quia tunc, coniux non priuatur iure recuperandi coniugem, causa cessante per ipsius emendationem. Si autem postea comperiatur iudicẽ fuisse deceptum, & causam non esse perpetuam: retractanda erit sententia, & faciendum circa statum assumptum, vt supra diximus de statu mutato propter adulterium falsò præsumptum, aut compertandum, sect. præced. n. 38. & 41. Quamuis nonnulli à Sanche relati disp. 18. n. 49. existiment non teneri redire ad coniugem eum, qui statum mutauit post sententiam diuortii perpetui propter sæuitiam: sed istum hoc debere suæ obstinationi, & tardæ conuersioni imputare, eiusque pœnam ferre.

53. Sufficit etiã periculum grauis dãni spirit.

Secunda causa est damnum, vel periculum grauis damni spiritualis: vt si alter conetur alterum ad peccandum pertrahere. Potest enim, & tenetur quisque vitare periculum peccandi, deserendo etiam coniunctissimos: iuxta illud Matth. 18. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proice abs te.* Et licet cum vinculo matrimonii coniunctum sit debitum cohabitandi, grauior tamen est obligatio vitandi periculum peccandi: ideóque licet ab eo recedere, qui causam prebet recedendi à Deo. Neque tantùm licet, verùm etiam debet recedi, si peccatum, aut periculum aliter vitari non possit: nisi fortè recedendo maius periculum incurreretur.

Occurritur obiectioni.

Nec obstat caput 2. De diuortiis, vbi videtur limitari ius diuertendi ad fornicationem carnalem, & spiritualem per infidelitatem, si vir coniugem suam ad infidelitatis malefitium trahere conetur. *Mulier*, inquit, *pro furto, vel alio crimine viri sui (nisi fidei suæ religionem corrumpere velit) ab eo separari non debet.* Respondeo enim cum Sanche libro decimo, disputatione decima septima, numero quinto, canonẽ hunc loqui secundum id qnod regulariter fit, Regulariter autem coniux infidelis conatur trahere coniugem ad suam religionem, quia putat hoc esse necessarium ad salutem animæ ipsius: secus autem ad alia vitia, quæ potiùs iudicat nocere ipsius saluti, & incommodare familiæ. Ideóque permittit canon citatus diuertere propter infidelitatem, cui periculum subuersionis est communiter annexum: secus autem aliis. Sed non negat, si quando ab illis graue periculum immineat, posse coniugem fugere diuertendo ab eo, qui ad vitium nititur innocentem pertrahere. Vt si, verbi gratia, maritus lenonem vxoris agat; si viros impudicos eam solicitantes domum intromittat, & periculo peccandi exponat: si cogat eam latrociniorum suorum participem esse, vel vsuras exercere: propter quæ, & similia non modò potest, verùm etiam tenetur diuertere, si aliter nequeat peccandi periculum euadere. Neque potest hoc iure cedere per redditionem debiti, seu potiùs ab hac obligatione naturali seipsam eximere: non tamen propterea potest ampliùs, & diutiùs dimittere, quàm ad periculum vitandum necessarium sit, id est, quamdiu illud durat; quare tenebitur reconciliari quando coniux resipuerit.

54. Sufficit etiã lapsus in hæresin vel apostasiã.

Eódem pertinet altera causa diuortii, cuius obiter mentionem fecimus explicando caput 2. De diuortiis: si nimirum alter coniugum in hæresim incidat, vel apostasiam à fide: iuxta illud Titi 3. *Hæreticum hominem post vnã, & secundam correptionem deuita.* Et quidem hæresis fornicatio quædam spiritualis est, vt dicitur cap. *Idololatria*, 28. quæst. 1. Et communiter talium cohabitatio periculosa est tam coniugi, quàm proli. Neque necessarium est expectare sententiam diuortii, vt habetur ex cap. 6. de Diuortiis, statuente coniugem, quæ viro suo labente in hæresim, ipsius consortium sine iudicio Ecclesiæ declinauit, debere tantùm ei restitui, quando resipuerit, & ab hæresi ad fidem catholicã redierit. Nimirum quia iure suo legitimè diuertit: ita tamen vt cessante periculo, & causã huius discessionis, cessare debeat effectus. Quod & in aliis casibus supradictis intelligendum est: vt nimirum diuortium sit perpetuum, si causa sẽper maneat: temporale verò tantummodo, si cesset. Tuneque non potest coniux diuertens mutare statum, suscipiendo Ordinẽ sacrũ, vel ingrediendo Religionem, sine consensu coniugis: quia iniuriam illi faceret priuando iure regressus, hoc impedimento temporali sublato. Vnde si mutet statum, poterit à resipiscente reuocari.

55. Tenenturne recipere resipiscentẽ à lapsu?

Loquimur autem de hæretico non damnato, & separato per iudicium Ecclesiæ. Nam de isto alia est ratio. Statuitur enim cod. cap. coniugem non teneri recipere alterum in hæresim lapsum, & iudicio Ecclesiæ condemnatum, vel separatum, etiamsi resipuerit. *Si verò*, inquit, *iudicio Ecclesiæ ab eo receſſit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellandam.* Quare tunc illi liberum erit mutare statum, & transire ad Religionem: vt dicitur cap. fimali De conuers. coniugat. Neque opus est speciali sententia diuortii: sed sufficit fuisse iudicio Ecclesiæ damnatum, vt hæreticum, & declaratum. Nam hoc ius diuertendi in perpetuum, est pœna quædam, consequens hæresim, eo ipso quòd aliquis declaratur hæreticus: simul enim damnatur hac pœnâ, sicut & amissione honorum, & cæteris poenis hæreticorum. Meritò autem statuit Ecclesia in odium hæresis, vt priuetur hæreticus omni iure quod habebat cohabitandi cum coniuge. Nam hæresis digna est, vt priuetur non tantùm illo iure, sed & omnibus bonis, atque etiam vitâ ipsâ. Præterquam quòd infamia grauis, & perpetua est alteri coniugi, sic damnato, adhærere. Quin etiam si matrimonium ratum esset dumtaxat, & nondum consummatum; probabile est posse dissolui à Summo Pontifice, etiam quoad vinculum, propter lapsum alterius in hæresim, vt docet Sanch. lib. 10. disp. 15. n. 7. in fine, licet verius putet oppositũ. Attamen per lapsum in hæresim dantem iustã causam diuortii, non est intelligendus vnus, aut alter actus infidelitatis: sed quando accedit pertinacia, præcipuè, si duret vsq; ad condemnationem Ecclesiæ. Nam si coniux potest facilè reduci, non est dimittendus, & tam graui pœna multandus.

56. Non compensatur fornicatio carnalis per spiritalem.

Nota præterea non dari compensationem inter fornicationem spiritualem per hæresim, & carnalem per adulterium: ita vt neutri diuertere liceat, si vnus, in vnã, alter in alteram labatur. Sunt enim diuersi generis: & neutra reparat iniuriam alterius, aut damnum ex illa imminens: id est: adulterium non facit, vt non incurratur periculũ fidei habitando cum hæretico: & hæresis non reparat violationem fidei coniugalis, neque facit, vt innocens hac in parte teneatur seruare illam, ei qui violauit. Item, si hæreticus fuit damnatus, & declaratus per sententiam Ecclesiæ, adulterium alterius non restituit illi ius, quo in poenam, & odium hæresis fuit priuatus absolutè, & independenter à peccato futuro coniugis. Imò quamuis alter coniux in hæresim quoque inciderit, similemque poenam incurrerit per iudicium, & declarationem Ecclesiæ; non eximitur prior à poena, in quam semel incidit, vt scilicet priuetur fidelitate sibi debita ab hominibus, qui Deo fidem non seruauit. Neque enim rationi per se consentaneum est, neque etiam iure positiuo statutum, vt ius in poenam peccati amissum recuperetur eo ipso, quòd alter sit obnoxius eiusdem poenæ: sed potiùs poena multiplicatur, sicut delictum; & vterque punitur simili poena ob simile peccatum. Neque par est ratio de adulterio carnali. Nam ius diuertendi propter illud, non datur nisi in fauorem innocentis, & coniugalem fidem seruantis. Non est autem innocens, quando labitur ipse in adulterium. Quare hoc ipso amittit ius diuertendi, & tenetur vti compensatione. Similiter non datur compensatio adulterii cum fœuitia, morbo contagioso, & aliis causis diuortii supra enumeratis, & recensitis n. 40. & sequentibus. Quare his non obstantibus potest vterque ab altero diuertere, propter causam sufficientem ab illo datam.

57. Possunt diuertere ex mutuo consensu.

Tertia causa est consensus mutuus coniugum: qui sicut propter orationem, & vt meliùs Deo seruiant, possunt ad tempus se thoro separare 1. Corinth. 7. ita & perpetuam continentiam vouere, nisi periculum sit incontinentiæ, vt docet S. August. epist. 199. ad Ecditiam. Possunt etiam ob eandem causam diuertere, & Religionem ingredi, vel sacros Ordines recipere, vt confirmatur exemplo sanctorum, & illo Christi Matth. 19. *Omnis, qui reliquerit domum, vel vxorem.* Sed si vir Religionem ingrediatur, aut sacros Ordines recipiat; debet vxor vel Monialis fieri: vel si sit senex, neque suspecta de incontinentia potest in sæculo manere voto castitatis emisso, cap. 1. 4. & 6. De conuers. coniug. Supponimus autẽ matrimoniũ fuisse consummatũ. Quia si ratũ tantùm fuit, dissoluitur etiam quoad vinculũ

Digitized by Google

per ingressum Religionis. Quod intellige de ingressu, quem sequatur effectus, nempe professio solemnis: nam licet iura antiqua loquantur tantùm de ingressu: sic tamen explicantur per Extrauag. *Antiquæ*, de Voto, & cap. *Ex parte tua*, De conuers. coniug. & Trident. sess. 24. can. 6.

58. Soluitur obiectio.

Dices, Christum Matth. 5. his verbis, *Qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari*, clare affirmare, non aliam esse causam legitimam faciendi diuortium, præter fornicationem, siue adulterium. Ergo aliæ causæ, quas assignauimus, non sunt legitimæ. Respondeo 1. Dictiones exceptiuas non excludere alios casus in iure expressos. Atqui in Euangelio ipso, nouoq; Testamento, excipiuntur alii casus, locis supra relatis ex Matth. 18. & 19. Tit. 3. & 1. Corinth. 7. Respondeo 2. Christum ibi loqui de coniugibus vt tales sunt, & de causa diuortii inter ipsos, vt tales, seu quæ ipsorum propria est, non autem cõmunis cum aliis. Cuiusmodi est sola fornicatio carnalis, directè oppositа fidei coniugali, & substantiæ matrimonii. At verò quòd separari etiam possint, quia vnius conuersatio est alteri perniciosa ob hæresim, scandalum, morbum contagiosum, sæuitiam, aut aliud graue incommodum, vel ex mutuo consensu; est quid commune omnibus hominibus quomodocunque sociatis, habeturque à iure ipso naturali: Neque erat opus explicari à Christo eo loco, vbi specialiter agebatur de matrimonio, & de coniugibus, vt talibus.

59. Respondeo 3. Christum loqui de diuortio, vel dimissione, quæ in perpetuum fieri potest iure naturali per se, ex vi ipsius contractus matrimonii, inuito altero coniuge, & in pœnam criminis contra ipsum directè commissi, siue contra dominium corporum, quod ex essentia matrimonii sequitur. Cuiusmodi crimen est adulterium dumtaxat. Non autem de ea, quæ fieri potest in pœnã quomodocunq; vel ad periculum graue mali corporalis, aut spiritualis vitandum, secundum ius naturale, quod quisque habet vitandi malum proprium: vel ex mutuo consensu coniugum propter maius aliquod bonum; cuius vltimi exempla in veteri historia ecclesiastica multa sunt. Neque verò sine errore dici potest, solam fornicationem esse causam legitimam faciendi diuortium: cùm Tridẽt. sess. 24. can. 8. contrarium diserte pronunciet his verbis: *Si quis dixerit Ecclesiã errare, cùm ob multas causas separationem inter coniuges quoad thorum, seu quoad cohabitationem, ad certum, incertumue tempus fieri posse decreuit, anathema sit*

60. Debeãne filii sequi innocentẽ?

Quando autem diuortium fit propter crimen, debent filii sequi partem innocentem, quia potior est illius conditio. Nisi innocens sit infidelis, & nocens fidelis; nam tunc, in fauorem fidei, proles fideli tradenda est, ne alterius erroribus inficiatur, iuxta caput finale de conuersione infidelium. Vel si maritus in culpa sit, & vxor ad secundas nuptias transierit: tunc enim proles a viro ali debet. Vel nisi nocens sit diues, & innocens pauper: tunc enim pauper hoc onere leuandus est. Præterea, si diuortium patris culpâ factum est, & soboles apud matrem educatur, sicuti debet exceptis casibus supradictis, alenda est expensis patris. Sin autem culpa matris: potest ipsa cogi ad expensas necessarias, vt apud patrem alatur: Antequam verò ad id cogatur per sententiam iudicis, tenetur solùm ad eas expensas, ad quas secluso delicto obligabatur iure communi, secundum quod mater tenetur alere infantem primo triennio, & de reliquo pater ei prouidere debet. Idemque faciendum est, quando culpâ vtriusque contingit diuortium; vel sine culpa, ex mutuo consensu; vt fusius docet Sanch. lib. 10. disp. vlt. per totam.

61. Possitne vir vxori adulteræ alimenta negare?

Vlteriùs, si diuortium fiat propter adulterium, potest vir vxori adulteræ alimenta negare in foro conscientiæ, nisi crimen occultum sit, & ex denegatione sequatur periculum scandali. Sed in foro externo cogetur ea ministrare, donec sententia diuortii accedat, vt post Angelum, Siluestrum, Domin. Sotum, Ledesmam, & plures alios docet auctor citatus disp. 8. eiusdem lib. num. 24. & 25. Punitur etiam adultera per leges ciuiles, & canonicas amissione dotis, quæ viro innocenti acquiritur, capite *Plerumque*, De donationibus inter virum, & vxorem, & lege *Consensu*. §. 4. Cod. De repudiis; siue vir vxorem accuset criminaliter, siue ciuiliter tantùm: & siue dos iam ei persoluta sit, siue promissa tantùm tempore adulterii: nam viro applicari debet, vt fusiùs docet, & probat Sanch. disput. cit. numero 4. & 5. excepto casu, quo vir stipulatus sit reddere dotem soluto matrimonio: vel quo vxorem in adulterio deprehensam interfecerit. Nam legale commodum non consequitur, qui sibi ius dicit auctoritate propria, etiam lege permittente, L. *Interdum fur*, §. *Qui furem*. ff. De furtis. Priuatur etiam adultera dotalitio, seu donatione propter nuptias, vt dicitur cap. *Plerumque*, supra citato. Similiterque vxor lucratur donationem propter nuptias ob adulterium viri, vt dicitur lege *Consensu*, supra cit. §. *Si verò*. Addunt aliqui priuari etiam adulteram amissione bonorum Paraphernalium, & aliorum, si quæ habebat propria, quæ viro adiudicantur, vt docet Glossa in capite *Plerumque*, citato, Felin. Couarruu. & alii relati à Sanche numero 7. qui tamen satis efficaciter id non probant.

62. Quid si postea reconcilientur?

Sed ad has pœnas incurrendas requiritur sententia iudicis. Et si postea reconcilientur coniuges, etiam post latam diuortii, & pœnæ sententiam, reddenda erunt omnia bona propter adulterium amissa, si nihil in pactum deductum fuit. Etenim remissio siue

n delictis, siue in pœnis, est fauorabilis naturæ suæ, & extendenda quoad fieri potest: sicut è contrario, pœnæ sunt odiosæ, & restringendæ. Confirmatur ex cap. *Plerumque*, tup. cit. cuius verba sunt: *Si mulier ob fornicationem, iudicio Ecclesiæ, aut propria voluntate à viro recesserit, nec reconciliata sit eidem, dotẽ, vel dotalium repetere non valebit.* Quibus postremis verbis, *Nec reconciliata sit* &c. significat posse repetere si reconcilietur. Ad incurrendas quoque has pœnas necessarium est alterum coniugem esse innocentem, id est, non fuisse causam, vel cõplicem adulterii à coniuge admissi, vel non incidisse in simile peccatum adulterando cum alio. Nam alioqui vnius crimen compensatur quoad has poenas, alterius crimine: licet adulterium vxoris sit deterius, & ignominiosius adulterio mariti. Nec refert quòd vnius delictum sit occultum, & alterius publicum. Nã adulter occultus non propterea potest in foro conscientiæ diuortium facere in poenam huius criminis, & bona coniugis sibi applicare per sententiam iudicis: sique id fecerit; tenetur in conscientia redire ad coniugem, & bona restituere: quia delicta illa cõpensantur per leges quoad hoc: & iura non adiudicant bona nocentis alteri pariter adulterii reo: sed innocenti.

63. Non potest licitè occidi à marito adultera.

Permittunt etiam leges ciuiles marito occidere vxorem deprehensam in adulterio. Sed contrarium statuitur iure canonico cap. *Interhæc*, 33, q. 2. vbi Nicolaus I. dicit *licere secundum legem mundanam, non tamen secundum legem ecclesiasticam, vxorem adulteram interficere.* Quamquam verbum *licere*, & permissio illa debent potiùs intelligi de tolerantia, & impunitate propter vehementiam doloris, & iracundiæ mariti deprehendentis vxorem in adulterio, quàm de licentia iuris per leges ciuiles concessa in tali casu: ita scilicet, vt non concedant facultatem id iure, & licitè faciendi, sed permittant solùm impunè fieri. Nam iniustè concederetur facultas generalis occidendi reũ parte inauditâ, cuius iniuria potest aliter impediri, aut puniri, auctoritate publica: præsertim verò cùm æternæ damnationi manifestè exponatur adultera in flagranti delicto interfecta. Atque ita docent D. Thom. D. Bonauent. Durand. Ricard. Palud. Gabr. Maior, Bañez, Vega, Nauar. Valent. & alii plurimi, quos refert, & sequitur Sanch. lib. 10. disp. 8. num. 39. contra Gomesium, Iulium Clarum, & paucos alios ab eodem relatos num. 37. in fine.

64. Contraria sententia.

Qui obiiciunt 1. licitum esse interficere nocentem, auctoritate legum, dummodo non vindictæ animo, sed iustitiæ zelo id fiat. Atqui maritus interficit auctoritate legis; ergo &c. Neque dicas legem solùm permittere vt impunè fiat, non autem concedere vt fiat licitè in pœnam delicti: nam verba legis significant concessionem iuris, vt intellexit Nicolaus Papa I. verbis supra relatis, dicens licere secundum legem mundanam, id est, ciuilem, interficere vxorem adulteram: & alioqui debebant potiùs leges ciuiles id prohibere, ac seuerè punire, quàm permittere vt sine iure, ac proinde cum grauissimo scelere vir vxorem impunè interficiat.

Respondeo, licitum quidem esse interficere reum auctoritate legis iubentis, aut iuris licentiam dantis; at non impunè solum permittentis, & licentiam facti concedentis ad maius malum vitandum: cuiusmodi est lex de qua nunc sermo est. Quamquam nulla eiusmodi extat in iure Cæsareo, quod tantùm permittit marito occidere adulterũ, si vilis sit, & tũc vxorem accusare in iudicio, vt puniatur, lege 2. ff. De adulteriis, & lege *Gracchus*, Cod. De adulter. vt post Couarruuiam notauit Lessius lib. 2. de Iustit. cap. 9. num 15. Neque vllam huiusmodi legem agnouit, aut probauit D. Augustin. lib. 2. De adulterinis coniug. cap. 15. vbi postquã quæsiuit à Pollentio vtrum marito Christiano liceat, vel secundum veterem Dei legem, vel Romanorum, adulterum occidere (Sic enim legendum est, non autem, *abiicere*, vt corruptè aliqui legunt) respondet paulò post negatiuè, hunc in modum: *si autem, quod verius dicitur, non licet homini christiano adulteram coniugem occidere, sed tantum dimittere, quis est tam demens, qui ei dicat, Fac quod non licet, vt tibi liceat quod non licet? Cum enim vtrumque secundum legem Christi illicitum sit, siue adulteram occidere, siue illa viuente alteram ducere, ab vtroque abstinendum est, non illicitum pro illicito faciendum.*

63. Soluitur primũ eius argum.

66.

Nicolaus autem cap. cit. loquitur de lege Longobardorum, quæ tunc seruabatur in Italia, vt ait Glossa in cap. cit. *Interhæc*, 33. q. 2. verbo *Liceat*: quæ si amplius concedebat, quàm quod supra diximus, improbatur ibid. ab eodem Pontifice. Interdum verò leges humanæ, quarum gubernatio suauis esse debet, & humanæ fragilitati accommodata, permittunt aliquid impunè fieri, quando impediri nequit, nisi admodum violenter, vel cum periculo maioris mali: vt contingit in præsenti. Nam difficillimum est maritis iram, seu potiùs furorem cohibere in tali casu; & maius malum esset, vxore interfecta, maritum quoque pœnâ meritâ plectere, liberosque vtroque parente orbatos, & maiore ignominia affectos relinquere.

67. Soluitur secundum.

Obiiciunt 2. licere iure naturali, & per leges ciuiles, atque ecclesiasticas, occidere iniustum inuasorem, ad res proprias tuendas. Ergo etiam ad tuendum honorem, qui læditur per adulterum. Est enim honor maius bonum, quàm pecuniæ, & alia bona fortunæ. Respondeo, licitum esse occidere inuasorem rerum nostrarum, quando, & quatenus id necessarium est ad eas tuendas contra ipsius inuasionem: quia scilicet aliter defendi nequeunt, &, vt suppono, sunt

te

notabiles, magnique momenti: sed non ad sumendam vindictam criminis ab eo commissi, contra quod aliter per viam accusationis, & iudicij procedendum est. Similiterque liceret marito interficere inuasorem pudicitiæ vxoris, tentantem ipsam violare, si aliter non posset repelli eius inuasio, & violentia. Id enim esset iusta, & moderata rei suæ defensio. At occidere vxorem deprehensam in adulterio, non est vti defensione necessaria ad repellendam inuasionem, quippe quæ potest aliter cohiberi: sed vindictam sumere de iniuria sibi ab vxore illata, quod illicitum est.

68. Obiiciunt tertiò, adulteras esse morte dignas; & pœnam mortis per leges statutam illis fuisse, vt diximus suprà: Ergo leges ciuiles potuerunt dare maritis facultatem exequendi hanc pœnam, veluti ministris iustitiæ, concedendo vt interficiant, si deprehendunt in adulterio. Neque dicas iniustum esse concedere vt puniatur adultera inaudita. Nam excessus notorius non eget examine, vt dicitur cap. *Bonæ* 1. de Electione: & quando crimen est notorium per deprehensionem, nec vllatenus excusari potest, non est necessaria citatio, neque sententia ad pœnam infligendam, vt dicit Bartolus, & probat ex lege, *Iclus fustium*, num. 1. *De his qui notantur infamia.*

69. Satisfit tertiæ obiectioni. Ad primum respõdeo, posse quidem leges dare maritis facultatem occidendi vxores adulterii conuictas, & damnatas in iudicio, ipsorumque potestati à iudice traditas, vt in quibusdam regnis fit. Sed iniquum esse permittere, vt licitè occidant, quando eas deprehendunt in flagranti delicto, absque vlla forma iudicij: tum quia sine vlla necessitate exponunt earum animas æternæ damnationi, cùm possint facilè teneri, accusari, & puniri iuridicè: tum etiam quia sic daretur occasio maritis insidiandi vitæ vxorum, & inimicorum suorum, eosque simul interficiendi, simulato prætextu, quòd in adulterio deprehenderint, vt aliquando contigisse certum est. Ad secundum dico non esse habendum pro notorio id de quo multæ possunt esse rationes dubitandi; vtrum videlicet maritus adulterio consenserit, vel insidiari voluerit, vel mulier vim passa sit, & similia. Sed neque, licet crimen notorium sit, puniri statim debet sine vlla forma iudicij, & cum periculo salutis animæ, quando neque damnum est, neque periculum in mora.

70. Opponunt quartò, Illud Nicolai I. relatum Causa 33. quæst. 2. cap. 5. *Interfectores suarum coniugum, cùm non dubium adulterarum, quia aliud habendi sunt, quàm homicidæ: ac per hoc ad pœnitentiam redigendi.* Quibus verbis significat non esse homicidas, si interfecerint adulteras: & non esse subiiciendos pœnitentiæ, quia non peccarunt. Itemque illud Steph. V. ad Hastulphum vxoris suæ interfectorem 33. q. 2. cap. 8. *Non inuenimus, nisi eam cum alio viro nefariam rem facientem*: quasi dicat potuisse licitè in eo casu occidere.

71. Refellitur quarta. Ad primum Respondeo cum Glossa, sensum Nicolai esse, quòd multò grauiùs peccent, qui occidunt non adulteras, ideoque sint publicæ pœnitentiæ subiiciendi, à qua excusentur qui passionis vehementia abrepti deprehensas in flagranti delicto interficiunt. Stephanus verò ita loquitur ad exaggerandum crimen Hastulphi, eo iniustiùs, & crudeliùs interficientis, quòd (vt ait) nulla data causa seu occasione mortis, neque resistentem, neque insidiantem quoquo modo, neque cum alio viro deprehensam, sed concitatus à Diabolo, impio furore inflammatus, latronum more atrociùs eam gladio suo, crudelior omni bestiâ interemerit. Porrò textus ille nobis potiùs fauet. Nam cùm Hastulphus adulterium prætexeret, & testem vnicum ad probandum adduceret: grauiter carpitur à Stephano, & seueram pœnitentiam subire cogitur. *Quia*, inquit, *priùs causa criminis erat subtiliter inuestiganda, & tunc si ita fuisset inuenta, secundum legis tramitem debuit accipere vltionis vindictam.* Quibus verbis significat debuisse priùs examinari causam adulterij, & testes sufficientes, aut alias probationes adhiberi, priusquam morte afficeretur velut adultera: quod certè necessarium non fuisset, si licuisset illi deprehensam in adulterio occidere auctoritate propria, & sine forma iudicij.

Digitized by Google

DISPVTATIO OCTVAGESIMA.

De filiis illegitimis, & eorum legitimatione, præcipuè per matrimonium.

Sectio I. *Qui filii sint illegitimi?*

Sectio II. *An, & quomodo purgetur vitium originis per sequens matrimonium?*

Sectio III. *Quibus aliis modis legitimetur proles? & de effectibus legitimationis.*

DE filiis illegitimè natis disputat S. Thomas quæst. 68. & vlt. de matrimonio. Docetque 1. quadruplicem esse statum filiorum (quo nomine sexum vtrumque intellige) Quidam enim sunt naturales, & legitimi, sicut illi qui nascuntur ex vero, & legitimo matrimonio. Quidam naturales, & illegitimi, vt filii qui nascuntur ex simplici fornicatione. Quidam legitimi, & non naturales, sicut filii adoptiui. Quidam nec legitimi, nec naturales, sicut spurii, nati de adulterio, vel de stupro: tales enim nascuntur & contra legem positiuam, & contra legem naturæ expressè. Docet secundò liberos illegitimos duplici damno affici. Vnum est, quia non admittuntur ad actus legitimos, sicut ad officia, vel dignitates, quæ requirunt aliquam honestatem in illis qui hæc exercent. Alterum est, quòd non succedunt in hæreditate paterna. Sed tamen naturales filii possunt in sexta, vel septima parte succedere: spurii autem in nulla: iure tamen naturali parentes eis in necessariis prouidere tenentur. Docet tertiò, filios illegitimos posse legitimari: non quidem ita vt fiat de legitima copula natus, qui ex illegitima conceptus fuit: nam copula illa præteriit; & nunquam potest fieri legitima, quæ semel illegitima fuit. Sed dicitur legitimari, inquantum damna, quæ illegitimus filius incurrit, subtrahuntur per legis auctoritatem. Quod sex modis contingit: duobus quidem secundum canones: sex verò aliis secundum leges ciuiles: quos in textu recenset D. Thomas, & nos sequentibus sectionibus exponemus.

SECTIO I.

Qui filii sint illegitimi?

1. Qui nascũtur ex parentibus non matrimonio iũctis inter se.

ILlegitimi dicuntur, qui nati sunt ex copula illegitima, id est, habita à parentibus non coniunctis inter se matrimonio. Qui parentes si nullum habent impedimentum, quò minùs valide inter se contrahere possint; liberi ab illis suscepti ex copula illicita, dicuntur naturales: si secus, vocantur spurii: vt qui nascuntur ex adulterio, vel incestu. Excipe tamen primò, casum, quo matrimonium bona fide vtriusque contractum fuit in facie Ecclesiæ, quamuis inualidè propter occultum impedimentum. Nam filii nati ex illo, ante diuortium, & concepti ante sententiam latam, habentur pro legitimis, atque in paterna bona hæreditario iure succedunt, deque parentum facultatibus nutriri debent, vt dicitur cap. *Cùm inter*, Qui filii sint legitimi: id est, ali debent communibus eorum expensis, detecta inualiditate, & rescisso matrimonio. Quia cùm vterque fuerit in bona fide, debet hoc onus esse commune vtrique: nec vlla est ratio cur proles debeat vni onerosior esse, quàm alteri. Idque intelligendum est de prole licet minore triennio.

Saltẽ præsumptiuè & bona fide, in facie Ecclesiæ.

2. Altero saltẽ ignorante impedimentũ

Excipe secundò casum, quo matrimonium fuit contractum in facie Ecclesiæ cum bona fide alterius coniugis ignorantis impedimentum, altero licet eius conscio: iuxta caput *Ex tenore*, eod. tit. vbi dicitur, legitimum esse reputandum eum, qui natus est ex coniugato, qui viuente prima vxore contraxerat matrimonium in facie Ecclesiæ cum secunda ignara prioris coniugii. Sed tunc proles, soluto matrimonio, alenda erit ab eo, qui fuit in mala fide, nisi pauper sit, & alter locuples: quia non est æquum, vt coniux bonæ fidei grauetur hoc onere, sed illud à decipiente ferri debet, si possit. Sin autem vterque mala fide contraxit, impedimenti conscius; filii sunt illegitimi, iuxta caput *Causam* 1. qui filii sint legitimi: & de illorum alimentis iudicandum est, vt de aliis illegitimis, qui, vt ait D. Thom. quæst. 68. Supplem. art. 2. in corp. debent ab vtroque ali, & cogendus vterque est vt eis prouideat de rebus necessariis. Idemque traditur in cap. *Cùm haberet*, De eo qui duxit in matrim. quam polluit per adulterium. Quin etiam licet impedimentum fuerit vtrique, aut vni eorum ignotum: si tamen non contraxerunt in facie Ecclesiæ, proles ab illis concepta censetur illegitima, vt constat ex cap. finali de clandest. desponsat. 5. *Si quis verò*: propter culpam parentum clam contrahentium: quâ seclusâ, proles haberetur pro legitima, ratione bonæ fidei vtriusque, aut alterius parentis, iuxta caput *Cùm inter*, & caput *Ex tenore*, supra citata.

3. Vel si impedimentũ est Ecclesiast. & parentes infideles.

Excipe tertiò casum, quo impedimentum est tantummodo canonicum, & filii à parentibus infidelibus fuerunt concepti eo tẽpore, quo adhuc erant infideles, & nondum subiacebant legibus Ecclesiæ, vt decisum habetur cap. vlt. *Qui filii sint legitimi*, vbi Innocentius III. sic statuit: *Prolem de infidelium coniunctionibus natam, qui secundo, vel tertio, vel vlteriore gradu, secundum opinionem illorum, matrimoniali contraxerunt affectu, post fidem receptam (vtilitate publica suadente) legitimam, volumus reputari.* Idemque sentiendum esse docet Molina tom. 1. de Iustitia, tract. 2. disp. 165. licet iuxta leges suas contraxerint cum aliquo impedimento dirimente iure diuino, aut naturali: vt si Iudæus repudiata vxore legitima, iunxerit sibi aliam priore adhuc viuente: vel plures simul duxerit. Quia bona fide contraxit licitum id esse existimans. Et alioquin infideles auerterentur à Christiana religione amplectẽda, si eorum proles ita suscepta haberetur pro illegitima. Quare vtilitas publica postulat, vt pro legitima habeatur.

4. Naturales & spurii differunt.

Est autem differentia inter illegitimos, naturales, & spurios: quòd naturales legitimantur per sequens parentum coniugium: secus autem spurii: vt habetur ex cap. *Tanta*, Qui filii sint legitimi. Vtrisque verò commune est, quòd ad probandam prolem esse illegitimam, standum est verbo viri & mulieris, nisi indiciis, & testibus probetur contrarium, quorum probatio debet præferri famæ vicinæ, & parentum depositioni, iuxta cap. *Transmissæ*, & cap. *Per tuas literas*, eod. tit. Pertinetque ad iudicem Ecclesiasticum de hac causa cognoscere. An scilicet quis de legitimo matrimonio sit natus: & si illegitimitas opponatur petenti hæreditatem, coram iudice sæculari; quæstio ad iudicem ecclesiasticum remittenda est, vt oppositio natiuitatis ab eo decidatur intra duos menses: quibus elapsis quæstio de hæreditate decidetur à iudice sæculari, quamuis intra illud tempus illegitimitas probari nequiuerit: vt statuitur cap. *Causam* 2. & cap. *Lator præsentium*, eod. tit.

5. Sintne il. legitimi, nati ex parentibus voto obstricte.

His præmissis quæritur primò, vtrum inter illegitimos censeri debeant, qui concipiuntur ex copula sacrilega parentum, coniugatorum quidem, sed voto castitatis mutuo consensu obstrictorum? Affirmant Angelus v. *Matrimonium* 3. Impedimento 5. num. 5. Supplem. Gabriel. in 4. dist. 32. quæst. vnica art. 2. post septimam conclusionem, versu *Quid si vterque*, & quidam alii hoc præcipuè argumento persuasi, quòd matrimonium inter huiusmodi personas non est amplius verũ matrimonium quoad vsum copulæ coniugalis, ideoque qui ex illis nascuntur, perinde se habent, ac si à solutis conciperentur. Sed hæc sententia velut improbabilis reiicienda est. Primò, quia quicunque nascuntur ex parentibus vero matrimonio iunctis, sunt legitimi, vt dicitur Lege *Filium* 6. ff. De iis qui sunt sui, vel alien

Respondetur negat.

Digitized by Google

iuris. At isti nascuntur ex parentibus vero matrimonio iunctis: cùm supponamus votum castitatis, quod emiserunt, siue ante, siue post contractum matrimonium, esse simplex dumtaxat, & non illud dirimere.

6. Nec obest quòd parentes peccant per copulam sacrilegam, quam exercent sine dispensatione voti. Nam parentum culpa non debet nocere liberis, nisi in casibus iure expressis, vt dicitur in Cod. *Ne filius pro patre*, per totum. Nullibi autem ex primitur vt pro tali copula, & culpa parentum, filii sint illegitimi. Nam in cap. *Literas*, de filiis Presbyterorum, quod vnicum in contrarium proferri potest verisimiliter, sermo est de liberis à patre genitis, postquam ille ad sacros Ordines promotus fuit: ac ne quidem ibi statuitur esse propterea illegitimos, vt ostendemus paulò post. Confirmatur, quia filios reputari illegitimos ob culpam parentum, est pœnale, & odiosum: ac proinde non debet ampliari, sed restringi ad casus iure expressos: cuiusmodi est ille qui habetur in cap. finali de clandestina desponsat. vt paulò ante diximus.

7. Confirmatur. Probatur secundò, quia verum matrimonium vim illam habet, vt liberi ante illud concepti per copulam illicitam, à solutis, id est, carentibus impedimento dirimente, fiant legitimi per matrimonium subsequens parentum. cap. *Tanta*, Qui filii sint legitimi. Ergo multò magis debet habere vim vt liberi eo consistente concepti, sint legitimi, quamuis parentes peccent in copula propter aliquod impedimentum prohibens tantùm, cuiusmodi est votum simplex castitatis emissum consensu mutuo. Plus enim debet operari radix, & causa naturalis legitimationis, quæ est verum matrimonium; quàm culpa parentum accidentaliter superueniens: & causa tendens ad fauorem prolis innocentis, fortior esse debet, quàm quæ tendit ad odium, & pœnam ipsius propter culpam parentum. Neque obest argumentum contrariæ sententiæ, quia matrimonium illud non desinit esse verum, atque legitimum licet contrahatur cum impedimento prohibente tantùm, vel eius vsus reddatur illicitus per votum simplex castitatis ei superueniens.

8. Nati ex Professo, & coniuge relicta, sunt illegitimi. Quæritur secundò. Vtrum si alter coniugum sacros Ordines suscipiat, vel in Religione profiteatur, aut etiam vterque ad eam transierit, proles ab illis postea suscepta sit illegitima? Respondeo, & dico primò. Si ante consummationem matrimonii alter cõiugum transeat ad Religionem, & post Professionem rem habeat cum coniuge relicta, proles inde suscepta erit illegitima. Ratio est, quia matrimonium fuit dissolutum quoad vinculum: quare non nascitur ex personis vero matrimonio iunctis. Imò etiam quia iam vna illarum impeditur per votum solemne castitatis, ne possit iterum cum alia contrahere, proles spuria est. Idemque dicendum esset in casu, quo summus Pontifex dissolueret matrimonium nondum consummatum, vt maritus promoueretur ad sacros Ordines, propter magnum Ecclesiæ bonum id exigens: vt fieri posse docent nonnulli, quorum sententiam probabilem esse diximus disput. 72. sect. 4. Quia tamen id non fit vi solius promotionis ad sacros Ordines sine maiori, & extraordinario beneficio sedis Apostolicæ, iuxta Extrauagantem *Antiquæ*, De voto: ideirco idem secundum ius commune, & ordinarium sentiendum est, siue quis promoueatur ad sacros Ordines ante matrimonium consummatum, siue post: quia matrimonii vinculum æquè stat in vtroque casu. Quid autem de illo sentiendum sit dicemus paulò post.

9. At non ex relicta si alteri nupsit, Porro, si facta dissolutione vinculi matrimonii, per Professionem religiosam, emissam ante illius consummationem, pars derelicta conuolet ad secundas nuptias; non est dubitandum prolem ex secundo matrimonio conceptam fore legitimam. Et confirmatur ex cap. *Perlatum*, Qui filii sint legitimi, vbi dicitur legitimos esse liberos susceptos à muliere, quæ nupsit alteri, separata à primo viro per sententiam Ecclesiæ diuortium facientis, & concedentis facultatem nubendi alteri propter nullitatem prioris matrimonii. Perinde autem est siue ab initio matrimonium fuerit inualidum, siue postea irritum factum sit: nam secundum matrimonium, postea contractum, est æquè verum, ac legitimum: & consequenter proles æquè legitima censeri debet.

10. Neque si vir inuita vxore accepit ordines, vel est professus, Dico secundò, Si post matrimonium etiam ratum dumtaxat vir suscipiat sacros Ordines inuitâ vxore, vel insciâ: vel si post consummationem alter coniugum altero ignaro, vel inuito transeat ad Religionem, & in ea profiteatur, posteaque copulam inter se habeant; filii inde concepti erunt legitimi. Probatur, quia licet Ordines sacri fuerint validè suscepti à coniugato, siue ante, siue post matrimonii consummationem: tamen quia illegitimè suscipiuntur, & contra iuris dispositionem, contradicente, vel ignara coniuge; non possunt ipsius iuri officere, neque soboli nocere: teneturque ille ad vxorem volentem redire, & coniugale debitum ei reddere; quamuis non possit petere, propter votum castitatis quod emisit. Professio quoque religiosa tali modo facta non nocet coniugi, vel soboli; quia est inualida, vt dicitur cap. *Quidam*, & cap. *Placet*, De conuers. coniugat. Quare legitima erit soboles, siue concipiatur ipso debitum reddente solùm, vt licitè potest, & tenetur; siue etiam petente, quod licitè non potest sine dispensatione voti: quia culpa parentis in copula non præiudicat natiuitati prolis, nisi in casibus iure expressis, vt diximus in solutione 1. quæstionis, num. 6.

11. Neque si ambo sunt adhuc ligati vinculo matrimonii. Dico tertiò, probabilius mihi videri liberos susceptos ex personis vero adhuc matrimonio iunctis, quarum altera suscepit sacros Ordines, aut in Religione professio-

Digitized by Google

nem emisit, vel etiam vtraque professa est, non esse illegitimos. Probatur, quia nascuntur nihilominus ex personis vero, & legitimo matrimonio coniunctis: cùm neque Ordo sacer, neque Professio religiosa dirimant vinculum matrimonii consummati. Supponimus autem eos esse Professos post consummationem matrimonii: quoad Ordines verò, nihil interest vtrum ante, vel post: quia æquè manet vinculum coniugale, vt paulò ante diximus.

12. Solvitur obiectio.

Neque obstat caput *Literas*, de filiis Presbyterorum, vbi Clemens III. permittit ordinari in clericum, & ad Beneficium ecclesiasticum promoueri eum, qui à patre constituto in Sacerdotio, de vxore legitima natus, & conceptus fuerat: significatque non potuisse aliter ordinari, & promoueri: quia, inquit, paterna incontinentia à filiis, modis omnibus propelli debet. Respondeo enim ex eo tantùm haberi, filium ita natum esse irregularem, vt docent ibid. Glossa v. *Legitima*, Ostiensis v. *Permittimus*, Ioan. Andr. n. 6. & Abbas num. 7. Idemque sentiendum est de liberis conceptis à parentibus post matrimonium consummatum professis: esse scilicet irregulares, & incapaces Ordinum, & Beneficiorum ecclesiasticorum. Sed non inde sequitur tales esse simpliciter illegitimos quoad successionem, & alios honores, vt rectè docet Sanch. lib. 9. disp. 38. num. 7. post Cardinalem, Rainerium, Goffredum, Abbatem, Astensem, Bellameram, Maiolum, & Antonium, locis ab eo citatis, qui prædictum caput *Literas* in hunc sensum exponunt.

SECTIO II.

An, & quomodo purgetur vitium originis per subsequens Matrimonium?

13. Filii naturales legitimantur per matr. subsequet.

DIco primò, filios illegitimos naturales, id est, conceptos à parentibus solutis, & nullum habentibus impedimentum dirimens, legitimari eo ipso, quòd parentes contrahunt postea matrimonium inter se; secus autem spurios. Vtraque pars conclusionis habetur ex cap. *Tanta*, Qui filii sint legitimi, vbi sic habetur; *Tanta est vis matrimonii, vt qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur. Si autem vir viuente sua vxore, aliam cognouerit, & ex ea prolem susceperit, licet post mortem vxoris eandem duxerit, nihilominus spurius erit filius, & ab hæreditate repellendus: præsertim si in mortem vxoris prioris alteruter eorum aliquid fuerit machinatus.* Ex quibus verbis, *Tanta est vis matrimonii*, inferunt aliqui hanc vim inesse matrimonio ex propria ipsius natura, non autem ex humana constitutione. Sed alii meliùs dicunt hoc illi conuenire constitutione Ecclesiæ, atque etiam ciuili, L. *Cùm quis*, & L. *Nuptæ*, C. de Natural. liber. §. vlt. Instit. de nuptiis §. *Necnon eos*, aliisque pluribus. Quanquam hæc iuris ciuilis dispositio non semper eadem fuit, vt adductis variis iuribus ciuilibus ostendit Pontius lib. 11. cap. 1. num. 3. & sequentibus; ex qua legum varietate confirmatur quod diximus, hanc rem pendere ab humana constitutione.

14. Quocunq; tempore illud ineatur.

Quoniam autem caput *Tanta* citatum, atque etiam caput *Conquestus*, eod. tit. loquuntur absolutè de matrimonio subsequente, & materia fauorabilis est; sequitur, matrimonium hanc vim habere, quocunque tempore ineatur, etiamsi in ipso mortis articulo, vt rectè docent Molina, Lopes, Couarruu. Azor, & alii, quos refert, & sequitur Pontius cap. cit. num. 9. vel licet matrimonium ratum tantummodo sequatur: quia & illud verum matrimonium est: & siue immediatè sequatur, siue mediante matrimonio cum alia: vt si quis post susceptos liberos ex Catharina concubina, ducat Luciam, & mortua Lucia, ducat Catharinam; filii suscepti ex Catharina fiunt legitimi, dummodo vterque soluti fuerint, & nullo adstricti impedimento dirimente, quando eos susceperunt: Et siue ante istorum susceptionem habuerint parentes alios liberos, ex matrimonio præcedenti legitimo, siue non, putà si viduus ex vidua suscepit: Et denique siue susceperit ex concubina, siue ex quacunque alia soluta: quia prædictum caput *Tanta*, nihil excipit, & amplè intelligendum est, quantum patitur verborum proprietas. Neque necessarium est, vt in matrimonio celebrando confecta fuerint instrumenta dotalia: quia iura citata nihil aliud requirunt, quàm subsequens matrimonium. Secundum ius autem canonicum (cuius hac in re magis habenda est ratio) verum est matrimonium, licet fiat sine dotalibus instrumentis.

15. Etiam [illegible] matrimonium fide præsumptum.

Quin etiam probabile est sufficere ad hūc effectum matrimonium bona fide præsumptum, vel vtriusque, vel alterius coniugis, si contrahatur in facie Ecclesiæ, licet cum impedimento irritante, ignorato ab vtroque vel ab altero coniugum. Nam sicut proles susceptæ ex tali matrimonio est legitima, vt diximus sect. præced. patetque ex cap. *Cum inter*, cap. *Perlatum*, & cap. *Ex tenore*, Qui filii sint legitimi: [illegible] proles ante illud susceptæ legitimatur [illegible] vi: quia per fictionem iuris retrotrahitur ad tempus ante susceptam prolem, vt docet Pontius cap. sup. cit. num. 13. post Molinam, & alios ibidem relatos: addens hanc esse legislatorum voluntatem in iuribus citatis: vt colligi potest ex fine legis, & ratione, quæ ipsos mouit ad ita disponendum in fauorem matrimonii: vt nimirum tolleretur dedecus reipublicæ, correctis natalium defectibus: & parentes alliciantur ad desistendum à turpi consuetudine, ineundumque inter se matrimonium: alliciantur, inquam, spe legitimationis prolis iam susceptæ, cuius etiam amor ad hoc eos inducit. Quando autem bona fide

contrahunt, vterque, vel alteruter, faciunt quod in ipsis est, vt matrimonium valeat. Quare æquum est vt huiusmodi matrimonium vim habeat legitimandi prolem antea susceptam: sicut valet ad legitimandam eam, quæ postea suscipitur ex tali matrimonio bona fide præsumpto.

16. Quanquã id minus certo asseritur.

Fatendum tamen est id esse incertum, quia ex nullo textu habetur expressè, sed elicitur solùm per probabilem consequentiam in æquitate quadam naturali fundatam. Neque desunt, qui contrarium sentiant cum Panormitano in cap. *Tanta*, Qui filii sint legitimi, in fine; Couarruuia part. 2. de Matrim. cap. 8. §. 2. num. 20. & aliis relatis à Pontio suprà n. 14. quia, inquiunt, caput *Tanta*, hanc vim solùm tribuit matrimonio: debetque propriè intelligi, de vero scilicet matrimonio, non autem de putativo solùm, & præsumpto. Et alioqui non ipsum matrimonium, sed bona fides & præsumptio haberet hanc vim, & hunc effectum in casu proposito. Sed hæc ratio non conuincit, neque probabilitatem adimit priori sententiæ. Nam responderi facilè potest, caput *Tanta*, extendi posse verisimiliter ad matrimonium bona fide præsumptum, attento fine legis, & iis, quæ adduntur cap. *Cum inter*, cap. *Peruenit*, & cap. *Ex tenore* eod. tit. Neque propterea hæc vis, aut hic effectus tribuetur soli bonæ fidei coniugum, sed ipsi matrimonio bona fide præsumpto, & celebrato in facie Ecclesiæ: sicut eidem tribuenda est legitimatio prolis post illud matrimonium susceptæ, vt fatentur aduersarii, & habetur ex canonibus proximè citatis. Addidi autem, *& celebrato in facie Ecclesiæ*: quia non sufficeret matrimonium præsumptum, neque bona fides, nisi accederet approbatio Ecclesiæ, id est, nisi ab ipsa Ecclesia, coram qua celebratur, præsumeretur esse validum, & pro tali haberetur propter ignorantiam impedimenti occulti, vt constat ex iuribus supra citatis, & cap. *Quod nobis*, eod. tit. vbi nati ex clandestino matrimonio dicuntur esse legitimi, & hæredes, si postmodum ab Ecclesia matrimonium illud fuerit comprobatum: aliter non.

17. Nati post matrimonium præsumptum legitimantur, si bona fide, & in facie ecclesiæ.

Verùm quidquid de liberis ante matrimonium præsumptum nati sentiendum sit: certum omnino est legitimari eos, qui post illud contractum nascuntur: dummodo fuerit celebratum in facie Ecclesiæ, id est, præmissis denunciationibus, iuxta caput *Cum inhibitio*, De clandest. desponsat. atque etiam coram parocho, & testibus, vbi Tridentini constitutio recepta est. Dummodo etiam bona fide contractum fuerit, id est, cum ignorantia impedimenti vtriusque coniugum, vel alterius: & bona fides duraverit saltem vsque ad tempus conceptionis, vt colligitur ex cap. *Ex tenore*, sup. cit. Nam licet matrimonium fuerit bona fide contractum, si tamen illa defuit tempore conceptionis, proles erit illegitima. Si verò eo vsque duravit, legitima est, licet pater moriatur, vel matrimonium dissoluatur per sententiam, antequam proles nascatur. Hinc colligo, si quæ mulier credens post sufficientem inquisitionem mortuum esse priorem coniugem, alteri nubat bona fide in facie Ecclesiæ, liberos ex illo conceptos fore legitimos, quamuis postea comperta veritate, matrimonium dissoluatur. Idemque dicendum de quolibet alio matrimonio similiter contracto cum aliquo ex aliis impedimentis dirimentibus, deque filiis ex eo conceptis bona fide durante.

18. An etiam lite mota super valore matr;

Addit Pontius lib. 11. cap. 8. num. 6. & 7. legitimos quoque esse filios procreatos ex tali matrimonio lite mota super illius validitate, sed adhuc pendente, & antequam sententia feratur de nullitate: quia, inquit, litispendentia non impedit quin proles sit legitima antequam matrimonium nullum esse declaretur. Atque hoc etiam verum esse, quamuis lite pendente facta fuerit per sententiam separatio thori, & sub pœna excommunicationis prohibitum ne cohabitent. Quia, inquit, excommunicatio contra parentes lata, & eorum copulam, non debet proli nocere, neque ipsos constituit in mala fide. Ad quod confirmandum adduci potest cap. *Cùm inter*, Qui filii sint legitimi, vbi dicitur filios qui concepti fuerunt ante sententiam diuortii canonicè prolatam, non minùs haberi debere pro legitimis, & in paterna bona hæreditario iure succedere. Quia non debent exinde sustinere iacturam, posito quòd parentes eorum publicè sine contradictione Ecclesiæ, inter se contraxisse noscantur.

19.

Sed hoc verum esse non puto. Quia cùm bona fides requiratur in matrimonio præsumpto, vt vim habeat legitimandi, quemadmodum fatetur auctor citatus eodem cap. 8. num. 3. Et bona fides consistat in eo quòd coniuges ignorent impedimentum irritans ipsorum matrimonium; atque cum tali ignorantia contrahant, & exerceant copulam coniugalem, vt idem quoque affirmat ibidem: Eo ipso, quòd tollitur hæc ignorantia per dubium rationabile subortum de valore matrimonii, tollitur quoque bona fides. Ac ficut illi non contraxissent bona fide, si contraxissent in tali dubio, nondum facta sufficienti inquisitione ad illud tollendum: ita nec copulam exercent bona fide, quando exercent in tali dubio ante sufficientem inquisitionem veritatis, & quandiu lis, super matrimonii valore mota, manet indecisa; præsertim quandiu interdicta illis est cõpula propter periculum, ne fornicaria sit. Atqui filii non sunt legitimi si non durat bõna fides vsque ad tempus conceptionis, vt supra diximus, & sæpe affirmat idem auctor cap. 8. num. 3. Ergo &c. Confirmatur ex cap. *Cùm inhibitio*, §. *si quis verò*, De clandest. desponsat. vbi dicitur, De parentum ignorãtia prolem nullum habere subsidium, cùm illi taliter contrahendo, non expertes scientiæ, vel saltem affectatores ignorantiæ esse

esse videantur. Ad caput autem *Cùm inter*, citatum in contrarium, Respondeo intelligendum illud esse quando adhuc tempore conceptionis vterque vel alteruter parentum non est conscius dubij rationabilis moti super valore matrimonij.

20. Nonrequiritur consensus parentum, aut filiorum.

Cæterum ad effectum legitimationis per subsequens matrimonium, non requiritur parentum, aut filiorum consensus: quia Ius Canonicum cap. *Tanta*, non apponit hanc conditionem, sed tantùm vt careant impedimento dirimente, quo si ligentur, & vterque sit illius conscius, proles non legitimabitur per sequens matrimonium, sed spuria manebit: siue illud impedimentum sit iuris naturalis aut diuini, siue humani tantùm & dispensabilis: vt patet ex capite *Tanta*, & cap. *Referente nobis*, Qui filij sint legitimi: in quorum priore dicitur, si quis viuente vxore sua aliam cognoscat, & ex ea prolem suscipiat, posteaque vxore mortua illam ducat in matrimonium, nihilominus filium ex ea susceptum spurium fore, & ab hæreditate repellendum. In posteriore dicitur esse illegitimos, qui nati sunt à parentibus inter quos matrimonium contrahi non potuit, publicæ honestatis iustitia prohibente. Idemque sentiendum est de impedimento consanguinitatis, affinitatis, disparis cultus, ordinis sacri, aut voti solemnis, & aliis quibuslibet dirimentibus. Secus autem de prohibentibus tantùm; vt si parentes erant obstricti voto simplici castitatis, vel si pater minores tantùm Ordines susceperat, quamuis simul haberet Beneficium Ecclesiasticum: vel mater erat alteri promissa per sponsalia. Hæc enim non impediunt quò minus valide, quamuis illicitè, possint inter se contrahere: sique postea contrahunt non obtentâ licet dispensatione impedimenti, verum erit matrimonium: ac proinde vim habebit prolem legitimandi.

21. Sufficit patentes caruisse impedimento tempore conceptionis.

Sufficit autem ad hunc effectum, quòd parentes tempore conceptionis caruerint omni impedimento dirimente, licet postea ante tempus natiuitatis in aliquod inciderint: vt si interea vnus eorum cognouit consanguineam alterius in primo vel secundo gradu, contraxitque impedimentum affinitatis. An verò etiam sufficiat non habere illos impedimentum tempore natiuitatis, licet habuerint tempore conceptionis, putà, si erant consanguinei vel affines intra gradus prohibitos quando copulam habuerunt, sed ante partum sobolis ex tali copula conceptæ obtinuerunt dispensationem, factique sunt habiles ad contrahendum: vtrum, inquam, id sufficiat, controuersum est. Negant enim plures Canonistæ relati à Pontio libro vndecimo, capite tertio, numero tertio: quibus adhæret Suarez, disputatione quinquagesima de Censuris sectione prima, numero 3. Eorumque sententia probabilior esse mihi videtur: quia in cap. *Tanta*, Qui filij sint legitimi, habetur solùm ratio conceptionis, & non natiuitatis, cum sic dicitur: *Si autem vir, viuente vxore sua, aliam cognouerit, & ex ea prolem suscperit, licet post mortem vxoris eandem duxerit, nihilominus spurius erit filius.* Quibus verbis, vt filius spurius sit, tantùm requiritur fuisse impedimentum quando interuenit copula: ita vt licet ante partum mortua fuisset vxor adulteri, & ille matrimonium contraxisset cum ea, ex qua filium genuit; ille nihilominus illegitimus foret & spurius. Nimirum quia iura respiciunt non ad natiuitatem, in qua nulla interuenit culpa; sed ad copulam turpem & illiciram, quam nolunt purgari per matrimonium subsequens, si habita fuit inter personas inhabiles ad contrahendum, propter impedimentum dirimens.

22. Sufficitne vel tunc, vel tempore natiuitatis.

Contrarium verò sentiunt Ioannes Andreas, Cardin. Couarruuias, Lopez, Cuiacius, Sairus, Molina, Azor, & alij quos referunt & sequuntur Pontius ibidem numero secundo, & Sanchez libro octauo de Matrim, disput. 7. num. 19. hoc præcipuè argumento inducti: quia in fauorabilibus liberum est habere rationem conceptionis, aut partus; prout hoc aut illud tempus liberis magis expedit: in odiosis verò partus ratio est habenda: vt dicitur in lege *Nuper*, Codice de Naturalibus liberis, & in Nouella octuagesima nona Iustiniani, capite octauo, quæ à iure canonico correcta nusquam fuerunt. Sed respondendum est hanc regulam solùm habere locum quando verba & ratio legis permittunt fieri hanc extensionem: secus autem quando illi resistunt, vt in præsenti fit. Fateor tamen hanc sententiam esse valde probabilem.

SECTIO III.

Quibus aliis modis legitimetur proles? & de effectibus legitimationis.

23. Legitimatur etiam per rescriptum Principis.

VLtra hunc modum, de quo hucusque diximus, legitimandi prolem per matrimonium subsequens, alij multi sunt deinceps explicandi: quorum vnus sit per rescriptum Principis tollentis vitium originis. Hoc enim ius habent omnes & soli supremi Principes, & respublicæ liberæ, quæ nullum agnoscunt superiorem in temporalibus, habentque supremam leges condendi potestatem. Ratio est, quia legitimare prolem, vt rectè Diuus Thomas, quæstione sexagesima octaua Supplem. articulo tertio in corpore, non est efficere vt nata fit de copula legitima; hoc enim est impossibile: quia copula illa transiuit: & nunquam potest fieri legitima, ex quo semel fuit illegitima. Sed dicitur legitimari, inquantum damna, quæ filius illegitimus incurrit, subtrahuntur per legis

Digitized by Google

auctoritatem. Quæ damna sunt duplicia, vt addit idem S. Doctor art. 2. eiusdem quæst. Vnum in eo consistit, quòd illegitimi non admittuntur ad actus legitimos, sicut ad officia, vel dignitates ciuiles aut ecclesiasticas, quæ requirunt aliquam honestatem in illis qui hæc exercent. Alterum est, quòd non succedunt in hæreditate paterna: sed naturales filij succedere possunt in sexta parte tantùm, vel septima: spurij autem in nulla parte, quamuis ex iure naturali parentes eis de necessariis prouidere teneantur: vnde pertinet ad solicitudinem Episcopi vtrumque parentem cogere vt eis prouideant. Quoniam autem hæc inhabilitas, siue ad officia & dignitates, ecclesiasticas aut ciuiles, siue ad hæreditatem paternam inducta fuit per leges ecclesiasticas aut ciuiles; ab illis solùm tolli potest, qui possunt in legibus iisdem dispensare, vel eas relaxare, aut abrogare. Hoc autem per se ad eosdem pertinet, ad quos spectat leges eaſdem condere: id est, ad supremos Principes Ecclesiasticos, aut seculares: quorum priores, nempe Ecclesiastici Principes, legitimare possunt, siue habilitare quoad officia, & dignitates ecclesiasticas ac spirituales: alij verò quoad ciuiles, & temporales. Quoniam autem legitimare est actus pertinens ad supremum gradum mixti imperij, quem maximum Bartholus aliique Iurisconsulti appellant: idcirco actus ille habilitandi reseruatur supremæ potestati vtriusque reipublicæ ciuilis, & ecclesiasticæ, sicut & leges circa illegitimos statuere.

Pertinet hoc ius ad supremos Principes.

24. *Ecclesiasticos & ciuiles: & differentia inter vtrosque.*

Itaque potest Summus Pontifex, qui solus est supremus Princeps, & caput totius Ecclesiæ visibilis iure diuino, legitimare quoad spiritualia, in toto orbe Christiano: quoad temporalia verò, non nisi iis in locis, vbi temporalis est Dominus, id est, in patrimonio Beati Petri, in quo & Summi Pontificis auctoritatem exercet, & supremi Principis exequitur potestatem. In aliis verò non nisi indirectè, & casualiter, si quando interdum magna necessitas spiritualis hoc exigit, vt dicit Innocentius III. cap. *Per venerabilem.* Qui filij sint legitimi, & fusiùs exponit Pontius libro 11. capite quinto, numero sexto, & sequentibus. Directè verò id pertinet ad supremos Principes eorundem locorum, ad quos spectat ciuilis iurisdictio, & potestas ferendi leges ciuiles, eaſque relaxandi, respectu locorum, & personarum temporaliter sibi subditarum. Eorum tamen legitimatio non potest reddere habiles ad Ordines, & ad Officia, vel Beneficia ecclesiastica, quæ sunt spiritualia: sed tantùm ad temporalia; veluti ad successiones ex testamento, & ab intestato, ad honores, & dignitates, & officia ciuilis reipublicæ, & ad parentum nobilitatem. Hoc tamen ipso quòd reddunt habilem ad temporalia bona parentum, consequenter etiam habilitant ad ius patronatus, si quod illis annexum est, quippe quod necessariò sequitur huiusmodi bona, transitque ad quoscunque legitimos eorum possessores, tanquam accessorium.

Notandum etiam, supremos Principes ecclesiasticos, siue temporales, qui potestatem habent legitimandi, posse eam delegare, & non solùm per seipsos immediatè, sed & per alios, quibus commiserint, exercere. Atque ita Summus Pontifex solet eam concedere suis legatis: & Imperator Comitibus Palatinis: & Reges possunt eam committere Senatibus, vel aliis sibi inferioribus. Neque obest quòd leges excludentes illegitimos à temporalibus supra dictis, sunt iuris ciuilis Cæsarei: ex quo videtur sequi quòd non nisi ab Imperatore abrogari, vel relaxari possint: pari scilicet potestate, qua conditæ fuerunt. Respondeo enim ius Cæsareum non habere vim in terris Imperatori minimè subiectis, nisi quatenus earum Principes, & Domini supremi illud acceptarunt, aut confirmarunt, & tanquam leges à se latas proposuerunt, non aliter, quàm sua ipsorum auctoritate valituras. Quare possunt eaſdem abrogare; vel relaxare, earumque rigorem circa aliquem temperare, vel penitùs adimere. Non obest etiam quòd interdum legitimatio nocet quibusdam aliis, habentibus, v. g. ius succedendi hæreditati, deficientibus liberis verè legitimis. Nam supremi Principes habent iure alto potestatem præiudicandi particularibus propter bonum commune, quando necessitas, vel vtilitas publica id postulat. Vtrum autem potestas ab illo commissa delegatis, eo vsque extendatur, vt etiam cum præiudicio tertij legitimare possint, pendet ex forma priuilegij eis concessi, quod attentè, & diligenter expendendum est. Ex ipso etiam rescripto Principis per se legitimantis indicandum est, quo vsque illud præiudicium se extendat, & vtrum etiam ad maioratum habilitet, quod rarò fieri dicemus paulò post.

25. *Possunt aliis delegare hanc potestatem.*

Cùm autem legitimatio sit actus iurisdictionis, non possunt Principes eam exercere, nisi circa sibi subditos respectiuè; ita vt nullus possit legitimare alienum, etiam quoad successionem bonorum existentium in suo territorio. Potest tamen quilibet quoscunque sibi subditos, quoad ea, in quibus sunt subiecti: etiam proprios filios: quippe qui sunt nihilominus subditi patri, vt Principi. Quam aliquorum veterum sententiam fuisse significat Innocentius III. cap. *Per venerabilem* sup. cit. & eandem expresè docent Abbas ibidem n. 13. Molina tom. 1. de Iustit. tract. 2. disp. 173. §. *Principes, qui superiorem*, & alij quos refert Pontius lib. 11. cap. 6. n. 4. licet non pauci probabiliter contrarium sentiant, relati ibidem n. 5. hæc præcipuè nixi ratione, quia legitimatio non est actus iurisdictionis purè voluntarius, sed ex parte cõtentiosæ, quam pater erga filium exercere non potest. Rectè verò negat Molina loco cit. hanc legitimationem sufficere,

26. *Non potest exerceri nisi erga subditos.*

Digitized by Google

vt filius patri succedat in regno, iis in locis, vbi ius regnandi hæreditarium est: & institutio regni, eiusque leges fundamentales ferunt, vt non nisi legitimi succedant. Quamuis autem causa requiratur, vt detur licita legitimatio: valet tamen licet à Principe concedatur sine causa: secus autem si à delegato: quia Princeps non est censendus commisisse illi potestatem dispensandi, aut relaxandi legem suam, nisi rationabiliter.

27. Differentia inter legitim. eccles. & ciuilem.

Est quoque notandum discrimen inter legitimationem, quæ fit per rescriptum Principis, & eam, quæ fit per matrimonium subsequens: quòd hæc habilitat solùm naturales, vt diximus sect. præced. id est, conceptos à solutis carentibus impedimento dirimente, saltem cognito. Illa verò valet ad legitimandos etiam spurios, vt patet ex vsu communi. Et ratio est, quia inhabilitates quorumcunque legitimorum, inductæ iure canonico, aut ciuili, a què subiacent supremis Principibus Ecclesiasticis, aut temporalibus. Est etiam aliud discrimen inter legitimationem factam per sequens matrimonium, & eam quæ fit per rescriptum Principis; quòd ad istam requiritur consensus parentum, & filiorum, iuxta Authenticam, *Quibus modis naturales efficiantur sui.* §. *Generaliter*: Secus verò ad illam: nam potiùs ipso iure (vel vt alij volunt, ex ipsa rei natura) inuitis licet parentibus, & liberis, matrimonium hunc habet effectum. Latiùs etiam patet prior legitimatio, cùm sit plenissima, & omnes tollat inhabilitates illegitimorum: quippe quæ simul iure canonico, & ciuili statuta est, absque vllius inhabilitatis reseruatione, quæ vtrouis iure introducta fuerit. At legitimatio per rescriptum Principis temporalis tollit dumtaxat inhabilitates iure ciuili inductas, cùm aliæ iure Ecclesiastico staturæ non subiaceant illius potestati. Et è contrario, Princeps Ecclesiasticus non tollit nisi canonicas, & ecclesiasticas, excepto casu, quo necessitas boni spiritualis plus requirit: vel nisi sit Princeps etiam temporalis illius loci. Est & alia differentia, inter vtramque legitimationem, quòd illa, quæ fit per matrimonium subsequens non reuocatur propter ingratitudinem filij. At verò quæ fit per rescriptum Principis reuocatur propter ingratitudinem, quoad successionem in bonis eius parentis, cui fuerat legitimatus, vt ex communi sententia docet Molina tom. 1. tractatu 2. disput. 172. §. *Vt naturales filij.*

28. Quænam requiratur vt rescriptum sit validum.

Porro vt legitimatio per rescriptum obtenta sit valida, requiritur primò, vt legitimanti proponatur in petitione quidquid eum à legitimatione simpliciter aut tali modo concedenda retrahere poterat rationabiliter: alioquin erit subreptitia, vt colligitur ex cap. *Super literis*, & cap. *Postulastis* De rescriptis, cap. *Dudum*, 2. de Electione, & cap. vlt. De filiis Presbyterorum in 6. Itaque explicandum est, sitne spurius, aut naturalis: & si spurius; vtrum natus ex adulterio, vel incestu, vel sacrilegio. Et si ex adulterio; vtrum ex altera parte tantùm, an ex vtraque. Si ex incestu; in quo gradu, & vtrum cum matre, filia, vel sorore, matertera, consobrina, &c. Si ex sacrilegio; vtrum ex Sacerdote, vel ex Monacho, aut Religioso, vel Moniali: & vtrum ambo, vel vnus tantùm essent his modis obstricti Deo per votum solemne. Item exprimendum est, simulne concurrerint adulterium & incestus, aut sacrilegium. Nisi enim exprimantur hæ qualitates, legitimatio est inualida, licet Princeps dicat se eam concedere ex certa scientia, vel de plenitudine potestatis, vel se omnem defectum supplere. Excipit Molina tract. cit. disp. 73. §. *Hinc colligitur*, nisi Princeps dicat, ex quocunque coitu illegitimo sit conceptus. Verùm, vt rectè addit, etiam tunc videndum est, sitne qualitas aliqua huiusmodi, vt si Principi expressa fuisset, non legitimasset. Nam in concessione generali non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus, de Regulis iuris in 6.

29. Deinde secundò exprimendum est potuerintne cōmodè, & sine magna difficultate legitimari proles per subsequens matrimonium. Nam si parentes sine dedecore, alioue magno incommodo contrahere potuerunt, & hoc non exprimitur Principi: inualida erit legitimatio, propter reticentiam circunstantiæ, quæ Principem rationabiliter auertere poterat ab illa concedenda, vt dicitur Authentica, *Quibus modis naturales filii efficiantur legitimi.* §. *Sit igitur licentia.* Tertiò, si legitimatio fiat, vt proles succedat in bonis paternis, explicandum est, habeatne pater alios filios legitimos. Alioqui tacetur aliquid, quod Principem mouere poterat ad eam negandam: ob præiudicium, quod inde sequitur filiis legitimis. Ac proinde rescriptum habebitur pro subreptitio, & inualido. Et specialiter iure ciuili cautum est, vt non detur legitimatio, nisi non extantibus aliis filiis legitimis, Nouella, *Quibus modis naturales efficiantur legitimi*, §. *Sit igitur*, & in Authentica, *Quibus modis naturales efficiantur sui.* Quartò denique si legitimatio fiat patre mortuo, citandi sunt agnati, & successores patris ab intestato, ad quos ius succedendi delatum est: ne iuri ipsis quæsito noceatur, inuitis iisdem, & inauditis. Quod Princeps non censetur voluisse, nisi quando ex voluntate patris facit hæredem illum, quem pater ipse testamento suo legitimum fieri, & hæredem postulauit: vel quando de plenitudine potestatis significat se eorum iuri derogare propter bonum commune.

30. Alij modi legitimandi.

Et hactenus de legitimatione per rescriptum: vltra quem modum quatuor alios recenset D. Thom. q. 68. Supplem. a. 3. in corp. quibus secundum leges ciuiles potest fieri legitimatio, vt habetur in Authentica, *Quibus modis naturales efficiantur*

legitimi, & in Authentica *Quibus modis efficiuntur sui*, & in Authenticis, quæ habentur post legem *Nuper*, Cod. de Naturalibus liberis, aliisque locis. Primus est, si pater filium naturalem curiæ Imperatoris offerat: Ex hoc enim ipso legitimatur propter curiæ honestatem, vt dicitur in Nouella octuagesima nona, §. *Primus itaque*: vel etiam curiæ Principis, aut ciuitatis, à qua sumpsit originem, vel cuius incola iam est: vt scilicet in perpetuum munera curialia exerceat, illisque se, ac liberos suos addicat. Sed hæc veluti consecratio curialium, & hic modus ligitimandi non est amplius in vsu. De illo autem plura videri possunt apud Pontium toto fere capite decimo, libri vndecimi de Matrimonio. Secundus est, si pater in testamento suo filium nominet legitimum, & hæredem; & filius postmodum testamentum Imperatori, seu Principi offerat, petens scilicet, vt velit legitimare. Tunc enim subsecuto consensu Principis (qui facilè dabitur, si pater non reliquit prolem legitimam) efficitur ille legitimus post mortem patris, illiusque bonis succedit, vt habetur in Authentica *Quibus modis naturales efficiantur sui*, §. *Si vero is*. Tertius est, si nullus sit filius legitimus, & ipsemet filius seipsum Principi offerat. Quartus, si pater in publico instrumento, aut testamento, cum trium testium subscriptione, eum legitimum nominet, nec adiiciat naturalem. Tunc enim præsumitur natus ex legitimo matrimonio occulto, & solis parentibus noto, nisi contrarium aliunde constet. Sed hic modus post Tridentinum irritans clandestina matrimonia, locum non habet, vbicunque saltem eius constitutio recepta est. Alii quoque à D. Thoma recensiti, excepto secundo, non sunt amplius in vsu. Quare non est cur in iis explicandis diutius immoremur.

31. Domi nati ex coniuge habentur pro legitimis.

Illis verò addendus est alius etiam nunc receptus, quo propter bonam fidem in fauorem liberorum conceptam, censentur esse legitimi, qui tales fortè non sunt. Nam omnes qui marito nati sunt domi ex vxore eius legitima, censentur esse legitimi, & eo ipso præsumuntur esse mariti, nisi probentur esse ex adulterio susceptí, Lege *Filium*, ff. De his qui sui, vel alieni iuris. Imò etiam licet alibi nascantur, sed eo loco vbi vxor habitat marito non inuito, & quò sæpius accedere solet, ita vt ex eo proles potuerit concipi. Nam tunc etiam habetur pro legitima, nisi probetur contrarium: neque ad probandum sufficit testimonium ipsius matris in contrarium, quia matris professio filio nocere non debet, vt dicitur lege penultima, ff. De probationibus, & fusiùs docet Couarruu. 2. part. De matrim. cap. 8. §. 3. nu. 10. Neque est digna cui credatur in re tanti momenti: quia si potuit adulterari, potest æquè facilè mentiri.

Similiter illi, quorum origo est ignota, quia eorum parentes ignorantur (cuiusmodi esse solent expositi) præsumuntur esse legitimi, quamuis eorum plerique sint ex copula illicita procreati. Quia in dubio iudicandum est in fauorem prolis. Et licet moraliter certum sit aliquos aut plures ex illis illegitimè nasci: tamen de nullo in particulari id certum est, nisi accedat alia probatio: cùm etiam interdum parentes legitimi, rei familiaris angustiis pressi, genuinam prolem exponant, cui non possunt suppeditare necessaria. Atque ita docent Paleotus, Sayrus, Piasecius, & alii quos refert, & sequitur Pontius libro vndecimo, cap. 9. num. 4. vbi fusiùs hanc sententiam confirmat, contra Couarruuiam, Alciatum, Henricum, Auilam, Maiolum, Hugolinum, & Tolet. ibidem relatos numero quinto. Fauet etiam Bulla Gregorii XIII. cuius meminerunt Henriq. libro decimo quarto, cap. 8. §. 10. & Auila part. 7. de Censuris, dispur. 3. dubit. 9. in qua statuit, vt expositi habeantur pro legitimis, & puri sanguinis. Adde, quòd in dubio nemo debet censeri infamis, argumento capitis vltimi de præsumptionibus in fine. Illegitimitas autem, & irregularitas ex natalibus est quædam infamia facti. Quare in dubio nemo talis censeri debet. Nec obest quòd hæc præsumptio plerumque fallit, cùm multi expositorum sint verè illegitimi. Nam satius est plures immeritos ab hac infamia absoluere, defectu probationis sufficientis; quàm vel vnicum innocentem damnare. Hinc sequitur, tales non esse habendos pro irregularibus ex defectu natalium, veluti spurios, vt præter supra citatos docent Mercerus, Malder. Præpositus, Salas, Pesantius, Turrian. Corneius, Auila, Coninck, Perrin. & Henriquez, quos refert & sequitur Diana parte 4. tract. 2. resolut. 58.

32. An etiam expositi, & à ij incertæ originis.

Quod denique attinet ad effectus legitimationis, discrimen est inter eos, qui legitimantur per matrimonium subsequens, & eos, qui per rescriptum Principis. Nam priores æquiparantur quoad omnia filiis natis ex matrimonio legitimo, suntque planè habiles ad eadem: nimirum ad Ordines, Officia, & Beneficia, & dignitates quascunque ecclesiasticas, etiam Episcopalem, absque vlla dispensatione: ad successionem hæreditatis paternæ, vel legitimam illius portionem, ad feudalia, & primogenia, seu maioratus, cæteraque omnia, quæ per ius commune, aut municipale conceduntur verè legitimis. Item donationes anteà factæ à parentibus non minùs per eorum natiuitatem reuocantur: nec minùs excluduntur substituti patri, vel matri sub hac clausula, si absque liberis legitimis decesserit. Addunt aliqui præponi etiam aliis postea natis non solùm ex eodem matrimonio, verum etiam ex alio interiecto: vt si quis filium ex Martha concubina primum susciperit, tum alios ex Catharina, quam duxit in vxorem, eaque mortua, si ducat Martham,

33. Effectus legitimationis.

filius ex ea procreatus anteponetur aliis ex Catharina genitis, vt docent Couarruuias 2. part. de Matrimonio, cap. 8. §. 2. num. 25. Caniſ. in cap. *Tanta*, Qui filii ſint legitimi, & Pont. lib. 11. cap. 11. num. 8. Sed meliùs Molina Iuriſconſultus lib. 3. de Primogeniis cap. 1. num. 7. Tiraquel. de eodem argumento quæſt. 34. num. 5. & Azor parte 2. lib. 2. cap. 13. quæſt. 15. docent non debere præponi liberis natis ex matrimonio interiecto: quia iſti ſunt priùs legitimi, quàm nati ex Martha concubina: ideoque priùs acquiſiuerunt ius primogenituræ, ſuntque verè primogeniti legitimi.

34. Legitimatio per matrimonium ſubſequés plures habet effectus.

Porrò iſte effectus legitimationis tam vniuerſalis, & latè patens, debet æquè intelligi de legitimatis per matrimonium in prætum patum, & bona fide celebratum in facie Eccleſiæ; vel per bonam fidem conceptam in gratiam filiorum. Cùm iſti omnes æquè habeantur prò veris legitimis. At non ita dicendum eſt de legitimatis per reſcriptum Principis: nam eorum legitimatio non tot habet effectus. Vt enim ſuprà diximus, non tollit inhabilitates iure canonico inductas, ſi fiat à Principe ſæculari: neque inductas iure ciuili, ſi fiat à Principe tantùm eccleſiaſtico. Item legitimatus per reſcriptum Principis tantùm, quan uis poſſit ſuccedere in aliis bonis, æquè ac legitimi: non tamen in maioratu, aut in feudo, niſi ſufficienter id exprimatur in reſcripto, quod alioqui non cenſetur eò vſque extendi, vt conſtat ex §. *Naturalis*, Si de feudo defuncti, &c. Quia tamen in aliis non differt à legitimis, vt parenti, cui fuit legitimatus, ſuccedat tam ex teſtamento, quàm ab inteſtato, æquè ac alii conſanguinei: poteſt agere contra teſtamentum velut inofficioſum, ſi in eo prætereatur, perinde atque alii legitimi; vt dicitur in Authentica *Quibus modis naturales efficiantur ſui.* §. *Et quoniam vat. e.* §. *Reliqui*, & §. *Si igitur ergo*, verſu *Sit igitur licentia*: & in Authentica *Quibus modis naturales efficiantur legitimi*, §. *Liceat*, & Inſtitut. de Hæred. quæ ab inteſtato deferuntur. §. *Quibus connumerari*. Sed hæc, & alia eiuſdem generis ad Iuriſconſultos magis, quàm ad Theologos pertinent. Fuſiùs verò explicata videri poſſunt apud Molinam tom. 1. tract. 2. de Iuſtit. diſput. 171. & pluribus ſequentibus. Hactenus ergo de Sacramento Matrimonii, ad maiorem Dei gloriam, dictum ſit.

APPENDIX
AD DISPVTATIONEM XXVII.
DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Seu breuis ſolutio quarundam difficultatum circa illam propoſitarum.

35. DVm hæc in lucem ederentur, vnus ex celebrioribus Doctoribus Pariſienſibus aliquot mihi difficultates propoſuit circa ea quæ ſcripſi tomo ſuperiore, diſp. 27. De materia, & forma Sacramenti Confirmationis: quibus hoc loco ſatisfacere viſum fuit: vt ſi quis alius fortè in eaſdem inciderit, non diutiùs expectet earum ſolutionem, donec in ſecunda editione hæc ipſa poſſint ſuo loco reponi. Dicam ergo enucleatiùs, quæ ipſe exponi poſtulauit: non alio certè animo, niſi vt veritas magis eluceſcat: quod tum ipſi, tum aliis in eaſdem difficultates incurſuris, gratum fore exiſtimo.

Prima difficultas.

Prima difficultas in eo verſatur, quòd diſp. 2. & de Bapt. ſect. 2. n. 14. protuli locum ex Actor. 8. v. 17. ad probandam cerimoniam imponēdi manus, quæ in Baptiſmo fit, his verbis: *Impoſitio verò manuum fit exemplo Chriſti, qui ſæpius paruulis ad ſe venientibus manus imponebat, vt Matth. 19. & Apoſtolorum manus imponere ſolitorum iis, pro quibus orabant, vt Act. 8. 9. & 13.* At verò diſp. 27. ſect. 1. n. 5. probo ſacramentum Confirmationis, illiuſque effectus per eundem locum Act. 8. Atque ita vnum eundemque Scripturæ locum inſeruire facio ad probanda duo valde diſtincta: vnam ſcilicet Baptiſmi cerimoniam accidentalem, & alteram eſſentialem Sacramento Confirmationis, ſeu potiùs veritatem, & effectum huius ſacramenti.

Quæ difficultas vt aliquid momenti habeat, præſupponere debet probatum à me fuiſſe, manus imponi iis, qui baptizantur,

propterea quòd Apostoli eâdem cerimoniâ in Baptismo conferendo vsi fuerint ad eumque finem producta à me fuisse locum illũ Act. 8. quo vtor postea ad probandum Sacramentum Confirmationis: volens vt vnus idemque locus vtrique Sacramento probando inseruiat.

Enervatur

Sed id à mea intentione, & à verbis suprà relatis ex disp. 26. longè abest. Neque enim dico vtendum esse cerimonia imponendi manus in Baptismo, quia Christus & Apostoli eâdem cerimoniâ in eodem Sacramento administrando vsi sunt: cuius etiam rei sufficiens in Scriptura fundamentum non reperio. Neque etiam affero impositionem manuum, de qua fit mentio Act. 8. vers. 17. factam fuisse ab Apostolis Baptismum conferentibus: sicut neque dicere volui Christum dedisse Baptismum infantibus, quando manus illis imponebat, Matth. 19. vel Apostolos baptizasse Saulum, & Barnabam, quãdo manus illis imposuerunt Act. 13. v. 3. (Quis enim nescit Saulum iam antea fuisse baptizatum ab Anania, Act. 9. & Barnabam multò priùs inter Christianos, & discipulos, velut vnum ex illustrioribus recenseri Actor. 4. v. 36. & 37.) Neque etiam dicere volui impositionem manuum Ananiæ super eundem Saulum fuisse vsurpatam velut Baptismi cerimoniam Act. 9. vers. 17. quibus omnibus locis vsus sum in fauorem illius cerimoniæ. Sed tantùm dixi (idque satis perspicuè, nisi fallor, & disertis verbis expressi) Ecclesiam vti hac cerimonia adiungendi impositionem manuum orationi, quam pro baptizatis facit, exemplo Christi, & Apostolorum, ac Discipulorum, quisæpe manus imponebant super eos, pro quibus orabant. Fundans hanc imitationem in generalitate, siue vniuersalitate orationis, non in identitate specifica eiusdem Sacramenti. In quo quid iure possit reprehendi non video. Quidni enim possit Ecclesia orando pro aliquo, siue in baptismo, siue alibi, imitari Christum & Apostolos solitos imponere manus super eos, pro quibus orabant. Nec obstat quod opponit D. Doctor, eundem Scripturæ locum applicari duobus valde distinctis. Respondeo enim duo illa distincta licet, & aliunde differentia, conuenire tamen in eo, in quo à me comparantur, & propter quod idem Scripturæ locus illis applicatur: nimirum in eo quòd vtrobique pro aliquo oretur.

37. Certè si dicerem cum Tertulliano lib. de Baptismo cap. 7. vnctionem in Baptismo fieri exemplo vnctionis sacerdotum legis Mosaicæ Leuit. 18. & adderem vnctionem sacerdotum Euangelicorum fieri quoque exemplo eiusdem cerimoniæ circa veteres Sacerdotes vsurpatæ: nemo iure me reprehenderet: tamesi eundem Scripturæ locum, & idem exemplum applicarem duabus cerimoniis, non minùs inter se differentibus, quàm vnctio Baptismalis discrepet ab vnctione Confirmationis. Vel si dicerem sacerdotes cõsecrando, & fideles orando leuare oculos in cœlum exemplo Christi, qui Patrem orans oculos in cœlum tollebat. Ioan. 17. vers. 1. aliisque locis. Quæ duo exempla, omissis multis aliis id genus, satis superque sufficiunt ad ostendendum æquo lectori non posse hunc agendi modum meritò improbari: & hanc primam difficultatem à D. Doctore propositam iusto fundamento carere. Longè verò difficiliùs mihi quisquam persuaderet vnam eandemque Christi, vel Apostolorum actionem, vni tantùm rei, exempli loco seruire posse; & non potiùs omnibus, quæ aliquam cum illa similitudinem habent, licet alioqui diuersæ, differentesque inter se existant.

Secunda difficultas in eo consistit, Cur potius vtar verbis Tertulliani lib. de Bapt. cap. 7. ad probandam vnctionem baptismalem, quàm ad probandam alteram, sacramento Confirmationis essentialem, vt ego existimo cum D. Thoma, & con muni Theologorum sententia? Et vice versa, cur alterum locum Tertulliani ex lib. de resurrect. carnis cap. 8. produco ad probandam vnctionem Confirmationis, potiùs quàm ad vnctionem Baptismi: cùm aliqui Doctores Catholici contrario fine his locis vsi sint? Item, cur verba ista Cypriani epist. 70. siue lib. 1. epist. 12. *Vngi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, &c.* applico potiùs vnctioni Confirmationis, quàm Baptismi, cui æquè conuenit, ac locus primo relatus ex Tertulliano cap. 7. de Bap. & reipsa illi applicatur à non paucis Doctoribus Catholicis.

38. Secunda difficultas

D. Thom. 3 p. q. 72. a. 2.

Respondeo, primum illud testimonium Tertulliani lib. de Bapt. cap. 7. intellectum à me fuisse de cerimonia Baptismi potiùs, quàm de vnctione essentiali Confirmationis: quia Tertullianus de illa satis perspicuè loquitur, nihilque dicit, propter quod debeat applicari Sacramento Confirmationis, de quo tãtùm incipit loqui sequenti cap. 8. vt rectè à Pamelio optimo, & celeberrimo eius interprete obseruatum fuit annot. 48. & 54. in eundem librum. Et quamuis, vt ab eodem auctore sapienter additur, Tertullianus citato cap. 8. sacramentum illud exprimat non ine manuum impositionis more antiquæ Ecclesiæ: tamen quòd etiam cum vnctione olei fieri soleret, satis indicat comparatio, quam ibidem subiungit, Spiritus sancti, & columbæ in arcam Noë cum olea reuersæ. Et apertiùs idem significauit lib. de Resurrect. carnis cap. 8. sic dicens de eodem sacramento: *Caro signatur, vt & anima muniatur*: illo videlicet sacri Chrismatis signaculo, de quo Dionysius capite secundo Ecclesiast. Hierarc. sic ait: *Baptizatum indutum alba veste ad Pontificem ducunt. Ille diuino ac prorsus deifico vnguento virum signat, & sacratissimæ communionis participem facit*, id est, sacramenta Confirmationis, & Eucharistiæ statim post Baptismum illi administrat, vt fieri solebat in antiqua Ecclesia. Et Prudentius in

Enodeatur.

Digitized by Google

Psychomachia, *Post inscripta oleo frontis signacula* &c. Ad idemque alludit idem Tertullianus lib. de Præscrip. cap. 40. sic dicens: *Signat illic in frontibus milites suos.* Quo autem sensu addiderit in fine capitis initio citati, vnctionem illam baptismalem proficere spiritaliter, explicabitur paulò post, num. 41.

39. Expeditur locus Tertulliani.

Secundus locus Tertulliani ex cap. 8. lib. De resurrect. carnis, sic habet, & integrè sic à me refertur disp. 27. num. 14. *Caro abluitur, vt anima emaculetur. Caro vngitur, vt anima consecretur. Caro signatur, vt & anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, vt & anima spiritu illuminetur. Caro corpore, & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur.* Cuius loci priora verba, *Caro abluitur, vt anima emaculetur*, manifestè ad Baptismum pertinent: sicuti postrema, *Caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur*, perspicuè spectant ad Eucharistiam. Illa vero, *Caro vngitur, vt anima consecretur*, à nonnullis Doctoribus Catholicis referuntur ad vnctionem cerimonialem Baptismi. Addit què Pamelius annot. 73. in eundem librum, posse fortasse ad extremam vnctionem referri. Quorum neutrum nobis obest, dummodo verba sequentia. *Caro signatur, vt & anima muniatur: Caro manus impositione adumbratur, vt & anima spiritu illuminetur*, ad Confirmationem referantur, vt referri debere docet idem Pamelius annot. 54. in librum Tertulliani de Bapt. & alii communiter, atque omnino referri debere existimo. Nam habita ratione proprietatis verborum, & styli Tertulliani energiâ pleni & emphasi, magisque sensu, quàm verbis abundantis, multò melius Confirmationi conueniunt, quàm vnctioni cerimoniali Baptismi. Significat enim verbis illis Tertullianus cõsignationem istam, id est, frontis vnctionem chrismaticam, quâ Christi milites signabantur, vt ex eodem suprà vidimus, corroborare animam contra insultus inimicorum fidei visibilium, & inuisibilium: siue vt loquitur Cyprianus epist. 70. plenitudinem conferre Spiritus sancti ad robur fidei. Idem quippe est *Muniatur*, hoc loco, atque, corroboretur, confirmetur in fide, & præparetur ad luctam cum hostibus fidei, vnctione velut athletica. Manifestum est autem id verè, propriè, exactèque loquendo non fieri per vnctionem cerimonialem Baptismi inefficacem, id est, non effectiuam gratiæ sanctificantis, & corroborantis animam: sed per signaculum Confirmationis, quæ gratiam in Baptismo acceptam auget ex opere operato: & vt loquuntur SS. Patres à me relati eadem disp. 27. Baptismum perficit, seu consummat, plenumque seu perfectum christianum facit, ac velut ab infantia vitæ spiritalis per Baptismum acceptæ, ad virilem ætatem adducit, mentique robur adiicit, ad insultus inimicorum fidei superandos: quod etiam verba ipsa formæ eiusdem sacramenti significant, *Signo te signo crucis, & confirmo chrismate salutis*, &c.

40.

Aduerto præterea Tertul. hæc dicere conformiter ad id quod antea pronũciauerat de Baptismo, *Caro abluitur, vt anima emaculetur*: quodque postea subiecit de Eucharistia, *Caro corpore, & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur.* Quorum verborum connexio, vt melior fit, omnino postulat, vt quemadmodum per ablutionem Baptismi, anima verè, & ex opere operato emaculatur: & per Eucharistiam verè, ac propriè, efficaciterque de Deo saginatur, id est, abundè reficitur Christi Dei & Domini nostri sacratissimo corpore, & gratiâ per ipsum in modum nutritionis spiritalis copiosè acceptâ: ita per illam confignationem, & manus obumbrationem anima verè, ac propriè, & ex opere operato muniatur, seu corroboretur gratiâ sanctificante, atque à diuino Spiritu per eandem illuminetur. Qua etiam de causa puto verba illa, *Caro vngitur, vt anima consecretur*, multò melius ad vnctionem Confirmationis propriam referri, vi cuius anima verè, ac propriè, efficaciterque consecratur, seu sacra fit, & sancta, quàm ad Baptismi cerimoniam, quæ vim illam non habet. Expendo denique vocem *Signatur*, quâ Sancti Patres solent Confirmationis sacramentum designare: vt Dionys. lib. de Eccles. hierarc. c. 2. parte 2. in fine, Ambros. lib. 3. de Sacram. cap. 2. Cyprian. epist. 73. ad Iubaianum, Innocentius I. epist. 1. ad Decentium cap. 3. & cuius forma verbis istis exprimitur in Ecclesia Græca, *Signaculum doni Spiritus sancti*, vt testatur Arcudius lib. 2. de Sacram. cap. 5. Quare si qui alii Doctores Catholici hunc Tertulliani locum aliter intellexerunt: non satis eius verba expenderunt, neque illius mentem assecuti sunt.

41. Et alter locus Cypriani.

Simili modo respondendum est obiectioni propositæ circa testimonium D. Cypriani, relatum ex lib. 1. epist. 12. aliàs epist. 70. Circa quod inquirit D. Doctor, cur potius illud applicem vnctioni Confirmationis, quàm Baptismi cerimoniæ, cùm isti possit æquè applicari, ac locus primò relatus ex Tertulliano lib. de Bapt. cap. 7. Cui respondeo D. Cyprianum satis manifestè tribuere effectum gratiæ sanctificantis vnctioni, de qua ibi loquitur. Nam illius verba hæc sunt: *Vngi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, vt accepto chrismate, id est, vnctione, esse vnctus Dei, & habere in se gratiam Christi posit.* Quare non potest locus iste de cerimoniali vnctione Baptismi intelligi, quæ vt fatentur omnes, non est gratiæ effectiua. Qua etiam de causa malè hic locus Cypriani comparatur cum altero Tertulliani suprà explicato, in quo effectum illum non tribuit vnctioni, de qua ibi sermonem facit: sed tantùm affirmat, vt superiùs indicaui, vnctionem illam adhiberi ad instar vnctionis Sacerdotum antiquæ legis. *Exinde*, inquit, *egressi de lauacro perungimur benedicta vn-*

ctione, de pristina disciplina, qua vngui oleo de cornu in sacerdotium solebant. Et quamuis addat vnctionem illam carnaliter currere, sed spiritaliter proficere: non sequitur, neq; affirmatur à Tertulliano, quòd profit ad sanctificantem gratiam conferendam: sicut de Baptismo immediatè post subiungit, spiritalem eius effectum esse, quòd à delictis liberemur, videlicet gratiæ per Baptismum infusę. Ad quid aliud verò prosit spiritualiter dixi cum D. Thoma disp. 26. sect. 4. num. 36. Nimirum ad imperrandam virtutem aliquam conseruandi gratiam baptismalem, per Ecclesiæ suffragia huic cerimoniæ in eum finem applicata: vt scilicet Deus potestatem Dæmonis tentantis coerceat, detque auxilia efficacia ad resistendum tentationibus, gratiamque in baptismo acceptam velut stolam candidam vsque in finem vitæ constanter retinendam, & perferendam ad tribunal Christi.

42. Tertia difficultas. Tertia difficultas oritur, inquit, ex ista reflexione supra præcedentem: Nemo potest cum ratione obligari, vt credat Confirmationem esse verè sacramentum, cùm Doctores catholici non conueniãt inter se, quoad applicationem, & verum sensum locorum sanctorum Patrum, id est, testium eius traditionis, super qua veritatem huius sacramenti stabilio. Quæ reflexio, inquit, fieri nequit contra eos, qui volunt, quidquid est sacramento necessarium, reperiri facilè in Actis Apostolorum cap. 8. & in traditione. Videlicet impositionem manuum, quæ sit materia: orationem, quæ sit forma: promissionem gratiæ, & institutionẽ diuinam, quæ patent ex effectu, *Accipiebant Spiritum sanctum.* Quo in casu, inquit, vnctio erit tantùm pars integrans sacramenti Confirmationis: sicut vnctio baptismalis est pars integrans sacramenti Baptismi. Quòd autem reflexio supradicta fieri nequeat aduersus istam sententiam, probat, quia locus ille Actorum non ita diuersimodè applicatur à Doctoribus catholicis, sicut testimonia SS. Patrum à me producta. Ac tandem quærit num hæc secunda sententia, quam insinuat, sit aptior refutandis hæreticis huius temporis, quàm prior à me tradita, propter istam reflexionem à se propositam.

43. Diluitur. Ad primam partem huius difficultatis respondeo, Illam fore vtcunque considerabilem, si testimonia Patrum, & antiquæ traditionis, super qua veritatem huius sacramenti stabilio, non alia forent, præter illa duo, quæ D. Doctor proposuit, quæque affirmat diuersimodè à Doctoribus catholicis applicari, & exponi. Sed cùm alia multa in eadem disputatione protulerim certa, & illustria, quibus neque ipse quicquam obiecit, neque vllus alius potest cum ratione contradicere: non video cur iure reprehẽdi possit, prolata simul à me fuisse duo illa Tertulliani, & Cypriani testimonia, quæ si bene expendantur, sunt ad idem confirmandum perappositа, & efficacia, vt iam satis superque ostendimus. Nec obest quòd, vt ipse ait, nonnulli scriptores catholici aliò illa detorserunt, eorum sensum minùs bene assecuti, vt sapius contingit illis, qui Patres cursim, & minùs attentè legunt. Id enim non impedit, quò minùs alii meliùs sensum eorum assecuti, ad propositum nostrum illis vtantur efficaciter. Quemadmodum licet nonnulli de Doctoribus catholicis senserint Christum Ioan. 6. non esse locutum de sacramento Eucharistiæ: hoc non obstat, quò minùs alii fere omnes ex eo capite confirment efficaciter veram, & realem præsentiam corporis, & sanguinis Christi in hoc sacramento.

Ad secundam dico, In solo cap. 8. Actorum non reperiri facilè quidquid sacramento Confirmationis est necessarium. Vbi enim reperietur necessarium, & essentiale illi esse, vt aliqua vocalis oratio adhibeatur loco formæ? An fortè in verbis illis v. 15. *Orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctum?* Sed cùm oratio mente, non minus quàm voce fieri possit: quomodo hinc facilè constat Apostolos orasse vocaliter, & hanc orationem velut essentialem loco formæ adhibuisse? Quòd si traditio SS. Patrum verbis Scripturæ adiungenda est ad habendam veram, & integram notitiam huius sacramenti: æquè facilè per illam constat vnctionem fuisse in eo celebrando adhibitam: neque quisquam dissimulare potest produci à Doctoribus catholicis (sicut & ipse produxi eádem disp.) multa veterum testimonia, quæ clarè ostendunt sacramentum Confirmationis fuisse vnguenti sacri, & viuifici consignatione celebratum, eidemque vnctioni effectum gratiæ sanctificantis tribuunt. 44.

Ad tertiam dico, Vt faciliùs refutentur hæretici, non debere impugnari catholicos, & impeti communem eorum sensum, eleuarique auctoritatem Concilii generalis, vnctionem chrismatis assignantis pro materia Confirmationis, & constantem SS. Patrum doctrinam, qui perspicuè huic vnctioni, & consignationi tribuunt efficaciam gratiæ, & infusionis Spiritus sancti. Nam sine his incommodis (quæ prudens quisque vitare debet, quoad fieri potest) refutari queunt satis efficaciter hæretici, & sufficientes probationes veritatis huius sacramenti adduci: quod tum à multis aliis eiusdem nobiscum sententiæ (quæ vt dixi, communissima est) tum à nobis ipsis abundè præstitum fuit tribus primis sectionibus citatæ disp. 27. Alienum verò esse putò à veritate, æquè ac à cõmuni Theologorum doctrina, vnctionem cerimonialem Baptismi esse partem integralem illius sacramenti, & non potiùs esse illi merè accidentalem, æquè ac alias cerimonias in Baptismo solemni adhiberi solitas. 45.

Quarta difficultas est circa ista verba D. Ambros. lib. 2. de Sacram. cap. 7. *Ergo* 46. Quarta difficultas.

merſiſti. Veniſti ad ſacerdotem. Quid tibi dixit? Deus, inquit, Pater omnipotens, qui te regenerauit ex aqua, & Spiritu S. conceſſitque tibi peccata tua, ipſe te vngit in vitam æternam. Quæ verba tanquam pro forma Confirmationis dicta accepi diſp. 27. ſect. 3. Et tamen eadē illa ſunt cū iſtis, quæ diſp. 26. ſect. 4. retuli veluti formā vnctionis Baptiſmi, *Deus omnipotens Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui te regenerauit ex aqua, & Spiritu ſancto, quique dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum, ipſe te liniat chriſmate ſalutis in vitam æternam.* Quæ inquit, verba non continent niſi diuerſam expreſſionem eiuſdem rei, & non ſufficiunt ad ſtatuendas formas eſſentialiter differentes.

47. Soluitur. Reſpondeo, Quando diſp. 27. ſect. 3. n. 19. inter varias formas ſacramenti Confirmationis hanc retuli ex Ambroſio lib. 2. de Sacram. cap. 7. id feci non ex meo, ſed ex eorum ſenſu, qui putant Ambroſium ibi loqui de vnctione, & forma ſacramenti Cōfirmationis, motiſ hac præcipuè ratione, quòd Ambroſius per ſacerdotem, Epiſcopum intelligat, vt volent antiqui: quódque mos eſſet vetereis Eccleſiæ baptizatos ſtatim deducere ad Epiſcopum, vt ab illo ſacramentum Confirmationis acciperent: videaturque Ambroſius idem dicere, quod Dionyſ. cap. 2. de Eccleſiaſt. Hierarc. ſic aiens, *Baptizatum veſte alba indutum ad Pontificem ducunt, vt diuino ac deificoprorſus vnguento virū ſignet.* Verùm, quòd Ambroſ. ibi loquatur potiùs de Baptiſmo, quódque de Sacramento Confirmationis loqui tantùm incipiat ſequenti lib. 3. cap. 2. dixi eādem diſp. 27. ſect. 1. num. 10. & ſignificat ipſemet initio capitis primi eiuſdem libri. Quare poſt illa verba ſect. 3. n. 19. *Et apud Ambroſ. lib. 2. de Sacram. cap. 7. in fine, hæc traditur,* ſupplenda ſunt, & à typographo malè prætermiſſa, hæc tria verbula, *vt quibuſdam videtur*, quæ in ſecunda editione (ſi Deus faxit) ſuo loco reponi curabimus.

48. Alia verò his ſimilia, à me relata diſp. 26. de Bapt. ſect. 4. non referuntur ex Ambroſio, ſed ex Romano Rituali, vbi præſcribitur, vt in vnctione baptiſmali vſurpetur hæc verborum formula; quæ fortè ex Ambroſio deſumpta fuit, parumque differt ab illius verbis: vnde magis confirmatur quod ſuprà dixi, Ambroſium ibi de Baptiſmo, non de Confirmatione loqui. Verumtamen ratio, quā mouetur D. Doctor vt affirmet non poſſe Confirmationi conuenire, parum efficax eſſe mihi videtur: quia ſcilicet, inquit, non poſſunt ſufficere eadē verba ad conſtituendas formas eſſentialiter differentes. Quod certè dici nequit, niſi contra omnium Theologorum ſenſum: quippe quorum plurimi affirmant abſolutè, & nullus eorum negat probabile ſaltem eſſe, verba iſta, *Abſoluo te*, ſufficere ad formam eſſentialem ſacramenti Pœnitentiæ, & formam abſoluendi ab excommunicatione, ſiue intrà ſacramentum, ſiue extra: quarum tamen prior eſt verè ſacramentalis: poſterior eſt cerimonia tantùm eccleſiaſtica: neque minùs differunt eſſentialiter inter ſe, quàm cerimonialis vnctio Baptiſmi, & ſacramentalis vnctio Confirmationis. Si autē ſufficit, iuxta communiſſim à Theologorum ſententiam, diuerſa intentio, & determinatio proferentis verba illa materialiter eadem, applicantiſque vel ad peccata remittenda, vel ad tollendam excommunicationem, iuxta ſenſum à ſe intentum, qui verbis illis ſufficienter exprimi poteſt. Quidni pariter ſufficere queant verba relata ex Ambroſio, & Rituali Romano, diuerſā pariter intentione prolata, & ad effectus diuerſos applicata? Nam quòd etiam effectus Confirmationis ſatis per illa ſignificari poſſit, oſtendimus ead. ſect. num. 20. cóque præcipuè fine, formam illam velut olim vſitatam ex aliquorum ſententia retulimus.

Quinta difficultas oritur, inquit, ex iſta parentheſi, quæ habetur diſp. 27. de Confirmat. ſect. 2. *Innocentius I. epiſt. ad Decentium cap. 3. ſcribit, Presbyteris chriſmate baptizatos (in vertice ſupple, vt nunc fit) vngere licet*, &c. Quærit enim, cur potiùs Innocentium interpreter ex vſu præſenti, quàm ex epiſtola Gregorii magni ſic ſcribentis? *Presbyteri baptizatos infantes ſignare ſacro in frontibus chriſmate non præſumant, ſed Presbyteri baptizatos vngant in pectore, vt Epiſcopi poſtmodum vngere debeant in fronte.* Vel, vt habetur in quibuſdam antiquis editionibus & manuſcriptis: *Presbyteri baptizatos infantes ſignare in frontibus bis chriſmate non præſumat: ſed Presbyteri baptizatos tangant in pectore, vt Epiſcopi poſtmodum tangere debeant in fronte.* Cur, inquit, vſus huius temporis, quo canones & decreta eccleſiaſtica ſtatuta non fuerunt, aptior eſt intelligendis, & explicandis iiſdem canonibus, & decretis: quàm vſus, atque diſciplina illius temporis quo ſancita fuerint, vel alterius propiùs ad illud accedentis, & non adeò remoti? 49. Quinta difficultas

Reſpondeo, iuxta hanc ipſam regulam à Doctore ſapienter aſſignatam multò latius eſſe Innocentium explicare per Ambroſium eius contemporaneum, qui lib. 3 de Sacram. cap. 1. ita ſcribit: *Heſterno die de fonte baptiſmatis diſputauimus, cuius ſpecies veluti quædā ſepulcri forma eſt: in quem credentes in Patrem, & Filium, & Spiritum S. recipimur, & demergimur, & reſurgimus, hoc eſt, reſuſcitamur. Accipis autem myſterium, hoc eſt, vnguentum ſupra caput? Quare ſupra caput. Quia ſenſus ſapientis in capite eius* &c. Clariſſimēque patet ex ipſo textu D. Ambroſium ibi loqui de vnctione Baptiſmi, non autem de Confirmatione, de qua tantùm ſermonem inchoat ſequenti cap. 2. Libros autem illos de ſacramentis eſſe verè Ambroſii non dubitant Bellarmin. Perronius Cardin. & plures alii in lectione SS. Patrum optimè verſati. 50.

Sexta difficultas oritur, inquit, ex his verbis diſp. 27. ſect. 3. num. 37. prope 51.

Digitized by Google

finem : *Quis credat Concilium particulare Arauſicanum contra ſententias Summi Pontificis, & vſum communem illius temporis Eccleſiæ Latinæ, ſiue Occidentalis, ſtatuiſſe?* Vbi ſupponere me dicit omnes Eccleſias Occidentis vſurpaſſe tunc temporis duas vnctiones poſt Baptiſmum, ſicut Eccleſiæ Romanæ mos erat. Vnam poſt egreſſum è lauacro, vt loquitur Tertullianus à me laudatus diſp. 26. Alteram poſt impoſitionem manuum, vt patet ex ſacramentali Gregorii Magni, & facilè deducitur ex Decretali Innocentii. Tum à me poſtulat, vt vſum illum fuiſſe communem totius Occidentis probem aliquot teſtimoniis SS. Patrum in aliis Eccleſiis degentium, qui vel Concilium Arauſicanum præceſſerint, vel eodem tempore, aut non longè poſt vixerint. Neque enim ſcire poſſum fuiſſe illum communem vſum, ſi nullus eo tempore mentionem eius fecit. Neque æquum eſt, vt velim meæ aſſertioni ſine vlla probatione fidem haberi. Deinde, cùm affirmem, inquit, fuiſſe in tota Occidentali Eccleſia vſum duplicis illius vnctionis : ſi teſtimonia Patrum, quæ proferam, de vnctione loquantur ſimpliciter, & indiſtinctè, id eſt, non deſignando expreſsè hanc vel illam ; oportet certum à me indicium tradi, quò deprehendatur de quonam ex illis vnctionibus loquantur.

52. Expéditur.

Reſpondeo primò, dicere *vſum communem*, non eſſe idem ac dicere *Omnes Eccleſias Occidentis*. Qui enim diceret ex. gr. vſum communem Eccleſiæ Occidentalis eſſe inchoare ieiunium quadrageſimale à feria 4. Cinerum ; non propterea diceret Eccleſiam Mediolanenſem ita facere. Secundò, affirmare vſum communem Occidentalis Eccleſiæ talè fuiſſe, & id probare teſtimonio Innocentii I. non eſt ſine teſte loqui, velleque vt mihi ſimpliciter id affirmanti fides habeatur. Quis enim recuſet teſtimonium ſupremi, & vniuerſalis Eccleſiæ paſtoris circa praxim Eccleſiæ, præſertim tam ſancti, tamque vigilantis, & eruditi Pontificis, cui ignota eſſe non potuit? Aut quis ſibi perſuadeat communem vſum Occidentalis Eccleſiæ in adminiſtratione ſacramentorum non fuiſſe conformem doctrinæ generali paſtoris eius vniuerſalis, & praxi omnium aliarum matris, Romanæ Eccleſiæ? Quis etiam non videt Innocentium verbis à me relatis diſp. illa 27. ſect. 3. num. 27. loqui vniuerſaliter de presbyteris, non autem de ſolis presbyteris Eccleſiæ Romanæ peculiariter ſumptæ? Sic enim habent : *Presbyteris chriſmate baptizatos vngere licet* (in vertice) *ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum : non tamen frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis, cùm tradunt Spiritum ſanctũ paracletum.* Si tamen alia veterum teſtimonia ex aliis Eccleſiis iſti addenda ſunt: oſtendi iam antea numero 38. & ſeqq. Tertullianum de his duabus vnctionibus loqui lib. de Bapt. cap. 7. & lib. de Reſurrect. cap. 8. denique indicia quibus certò inter ſe diſcerni valeant. Et Ambroſium loqui de priori, hoc eſt, de baptiſmali, verbis antea relatis ex lib. 3. de Sacram. cap. 1. De poſteriori autem cap. 2. eiuſdem libri, *Sequitur ſpirituale ſignaculum* &c. Et lib. de iis, qui in myſteriis initiantur cap. 7. *Signauit te Deus Pater, confirmauit Chriſtus Dominus, & dedit pignus Spiritus in cordibus tuis.* Neque enim dubitandum eſt ipſum loqui de eodẽ ſignaculo, de quo Prudentius eius contemporaneus, cùm ait :

Poſt inſcripta oleo frontis ſignacula, per quæ
Vnguentum regale datum iſti, & Chriſma perenne.

Quòdque ibidem loquatur de conſignatione Confirmationis, ſiue vnctione Chriſmatica ipſius propria, manifeſtè patet ex eo quòd effectum gratiæ illi tribuit, ſiue infuſionem Spiritus ſancti, eiuſque donorum. Auguſtinus quoque de priori loquitur ſermone 206. de Tempore : & de poſteriori lib. 2. contra literas Petiliani cap. 104. Differentiaque inter vtramque ſatis perſpicuè iiſdem locis exprimitur. De eadem etiam loquitur S. Pacianus Epiſcopus Barcinonenſis in ſermone de Baptiſmo, cùm ſic ait : *Lauacro peccata purgantur. Chriſmate Spiritus ſanctus ſuper funditur. Vtraque verò iſta manus & ore Antiſtitis impetramus.* Vbi, per illa verba, *Chriſmate Spiritus ſanctus ſuper funditur*, ſatis apertè ſignificat ſe loqui de vnctione Confirmationis verè ſacramentali ; & efficaci gratiæ. Nam, vt ſæpius dixi, cerimonialis vnctio Baptiſmi non hunc præſtat effectum. De eadem quoque loquitur & neceſſariam eſſe affirmat Cyprianus verbis ſupra relatis, & expenſis num. 41. En igitur teſtimonia veterum Arauſicano Concilio antiquiorum, ex aliis Eccleſiis, Carthaginenſi & Hipponenſi in Africa, Mediolanenſi in Italia, Barcinonenſi in Hiſpania. Vt omittam illum ipſum, cui ſic ſcribit Innocentius, fuiſſe Epiſcopum Eugubinum, hoc eſt alterius Eccleſiæ quàm Romanæ, eo ſenſu quo D. Doctor intelligit. Modus autem generalis certò & exactè diſcernendi de vtra vnctione loquantur Patres in iſtis, & ſimilibus teſtimoniis (plura enim proferri poſſent, ſi opus foret) iſte eſt, vt attentè expendantur eorũ verba, diligenterque illorum ſenſus, & Patrum intentio inſpiciatur, & ſubtiliter penetretur : quod plerique non faciunt, minúſque facere apti ſunt, doctrinâ Theologiæ Scholaſticæ (quæ clauis eſt intelligentiæ Scripturæ, & Patrum) deſtituti, ingeniique acumine, & iudicii ſoliditate parum à natura inſtructi.

53.

Septima difficultas eſt, Cur exiſtimem canonem 1. Arauſicani Concilii I. obſcurũ eſſe, propter rationes ex Aurelio tranſcriptas : & non potiùs clarum, & facilem eſſe, propter ea, quæ de illo à R. P. Iacobo Sirmundo ſcripta fuerunt, & à viro clariſſimo Petro de Marca Præſide Nauarro-Palenſi, in fine diſſertationis de primatu Lugdunẽſi

54. Septima difficultas.

Quòdque dixi Canonem illum obſcurum eſſe tum propter lectionum varietatem, tũ propter verborum perplexitatem, poteſt, inquit, retorqueri in teſtimonia Sanctorum Patrum à me allegata pro vnctione Confirmationis: de quorum ſingulis dici poteſt: Hic locus eſt obſcurus: propter diuerſum vſum, ad quem, Scholaſtici Doctores illum adhibent, ita vt nihil certi poſſit ex illo colligi. Idem quoque dici poteſt de loco Actorum à me producto, ſimul ad probandam cerimoniam Baptiſmi, & veritatem ſacramenti Confirmationis, deque aliis Scripturæ locis, quorum plures reperiuntur lectiones diuerſæ, maiorque in illis eſt verborum perplexitas, quàm in canone Arauſicano.

55. Reſpondeo, Canonem illum Arauſicanum non mihi ſoli, ſed quamplurimis aliis obcurum adhuc, & difficilem videri, non obſtante luce quam R. P. Iacobus Sirmundus illi afferre conatus eſt, & iis, quæ à prædicto illuſtriſſimo Præſide fuerunt addita in tractatu citato. Qui licet nondum in manus meas venerit, non poſſum tamen mihi perſuadere clarum, & facilem ab eo redditum fuiſſe: cùm videam omnes fere Theologos lectionem illam, negatione additâ, & expoſitionem canonis Arauſicani ſuſpectam habere: imò etiam pleroſque verbis aſperioribus inſectari. Et quamuis prædictos auctores maximopere veneror, vt par eſt, plurimique facio, neque dubito vtrumque in SS. Patrum, & Conciliorum lectione optimè verſatum eſſe: non exiſtimo tamen id à me ipſos exigere, vt relicta communi Theologorum ſententia, atque in primis D. Thomæ, ſolidis, vt mihi quidem, plurimiſque aliis videtur, argumentis, & generalis Concilii Florentini auctoritate munita; ſequar peculiares ipſorum opiniones, ſi expenſis eorum rationibus (vt certè expendi, quas R. P. Sirmundus propoſuit) ſatisfacere minùs mihi poſſim.

Rejectitur.

56. Quod verò addit Opponens, rationes, quas in contrarium attuli, fuiſſe ex Aurelio tranſcriptas, veritati minus conſentaneũ eſt: pace illius dixerim. Poſſum enim certiſſimè affirmare: & Deum in teſtem adſciſcere, nihil me vnquam ex illo auctore tranſcripſiſſe. Cuius ſcribendi modus parum modeſtus, & Theologo dignus (ne quid aſperius dicam) me prorſus ab eo legendo determit, inſpectis curſim variis eius locis, vbi vix quicquam reperi quod non mihi grauiter diſpliceret. Si autem vtrique noſtrum eædem rationes occurrerunt, ſignum eſt facilè obuias eſſe: cùm ingenia tam diuerſa illas excogitauerint.

57. Cæteris, quæ addit Opponens, de reflexione, ſeu retorſione obiectionis meæ in teſtimonia Scripturæ, & SS. Patrum à me producta, exiſtimo abundè ſatisfactum ſuiſſe paulò ſuperiùs num. 36. & ſeqq. reſpondendo primæ, & ſecundæ difficultati. Speciatim verò quod ad Scripturam attinet, eiuſque lectiones, & interpretationes diuerſas; non ignorat D. Doctor ſolam verſionem vulgatam eſſe authenticam; ſtatuique à Tridentino ſeſſ. 4. initio Decreti *de editione, & vſu ſacrorum librorum*, vt pro tali habeatur, & vt nemo illam reiicere quouis prætextu audeat vel præſumat: adeóque verſiones alias quaſcunque illi poſtponendas eſſe. Si textus aliquis, aut lectio canonis Arauſicani proferretur, de quo Eccleſia ſic ſtatuiſſet; illi facilè, ac ſine vlla dubitatione acquieſcerem. In Scripturæ autem interpretatione ſtatuit idem Concilium, & præcipit loco cit. poſt Lateranenſe ſub Leone X. vt nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus fidei, & morum, ad ædificationem doctrinæ chriſtianæ pertinentium, ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarũ ſanctarum, aut etiam contra vnanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam interpretari audeat. Ex hac igitur regula generali de vero ſenſu Scripturæ iudicandum eſt. Illam autem ſecutus ſum, quando locum relatum, ex Act. 8. de ſacramento Confirmationis expoſui. De eiuſdé verò applicatione ad cerimoniam quãdam baptiſmi, ſufficiunt quæ dixi num. 36. & 37.

58. Moneo præterea longè differre iſta duo: Proferre inter pleraque alia teſtimonia clara, & facilia, vnum, aut alterum malè à quibuſdam catholicis intellectum, ſed tamen appoſitum, & efficax, ad confirmandam veritatem communiter receptam, & aliunde bene ſtabilitam: &, doctrinam à communi abhorrentem, Concilio Florentino minùs conſentaneam, vt mihi cum plurimis aliis videtur, tantaſque turbas inter catholicos excitantem, fundare in canone diuerſimodè, & contradictoriè relato in variis exemplaribus: & cuius verba perplexa meritò videntur quamplurimis, iis non obſtantibus, quæ à ſuprædictis auctoribus ad eius illuſtrationem ſcripta ſunt. Primum à me factum eſt. Secundum præſtat D. Doctor, cum paucis aliis eiuſdem cum illo ſententiæ. Vtrum potiori iure fiat, ſapiens lector facilè iudicabit.

59. Octaua difficultas.

Octaua, & vltima difficultas plures continet partes. Prima eſt, cur Leoni I. tribuã epiſtolam de Chorepiſcopis, quæ eſt Leonis III. & D. Cypriano tractatum de Vnctione chriſmatis, qui illius non eſt, ſed eius auctor eſt Abbas quidam Bonæ vallis. Secunda eſt, cur affirmem canonem Arauſicani Concilii correctum, & explicatum à P. Iacobo Sirmundo, contradicere Decretali Innocentii I. quod, inquit, non videtur eſſe verum. Nam Concilium iſtud declarat ſolùm non eſſe neceſſarias duas vnctiones poſt Baptiſmum: contra eos, qui exiſtimare potuiſſent duas vnctiones Romæ adhiberi ſolitas ex eodem chriſmate, non minùs eſſe neceſſarias, quàm Baptiſmum, & impoſ-

Digitized by Google

tionem manuum, cuius mentio fit in Actis Apostolorum, & in Decretali Innocentii. Sicut etiam idem Concilium declarat has duas vnctiones non esse malas, neque perniciolas: Contra eos, qui potuissent existimare iterationem vnctionis non minùs esse prohibitam à sacris canonibus: quàm iterationem Baptismi. Iuxta quæ, sufficeret absolutè vnica vnctio post Baptismum: quæ si cogente aliqua necessitate, prætermissa fuisset in baptismo, fieret postea ab Episcopo hac de re admonito, quando manus baptizato imponebat, id est, sacramentum Confirmationis illi administrabat. Tertia est, quia cũ dico fuisse adhibitas duas vnctiones post Baptismum in Latina Ecclesia; videor insinuare non fuisse duas pariter in Ecclesia Græca. Quod si ita est; petit vt explicé de qua loquantur Patres Græci, Iustinus, Basilius, & alii à me allegati: modumque aperiam id discernendi. Quinta est, cur difficultatem patiar circa intelligentiam canonis Arausicani: & nullam patiar in citando, sub nomine Iustini martyris, libro de quæstionibus ad Orthodoxos: licet in eo citentur Irenæus, vt martyr, & Origenes, ambo Iustino posteriores? Quinta denique est circa verba à me relata disp. 27. num. 19. ex edicto Constantini, quod habetur tomo 1. Conciliorum ante Concilium Nicænum I. Quærit enim, cur vnctio, de qua loquitur ibi Constantinus, non sit eadem cum illa, de qua loquuntur Tertull. lib. de Bapt. cap. 7. aliique Patres à me relati pro cerimoniali vnctione Baptismi. Ac si quæ mihi noua ratio occurrerit, qua edictum illud vere Constantini esse probare possim, rem gratam inquit me ipsi facturum, & ciuibus Romanis.

60. Enodatur singulæ illius partes.

Ad primam partem huius difficultatis Respondeo, neque moris mei, neque ingenii esse, facilè discedere à communi sensu Doctorum Catholicorum, id est, sine gra uibus, & vrgentibus testimoniis, aut rationibus. Nihil autem horum audiui, aut legi huc vsque, propter quod mihi persuaderem epistolam 86. de Chorepiscopis, aliàs 88. D. Leonis I. relatam disp. 27. sect. 3. n. 27. nõ esse veré illius, sed potius Leonis I II. Et contrà, video Bellarminum lib. de Scrip. eccles. aliosque in Patrum scriptis examinandis, & recensendis accuratos, id ne quidem in dubium reuocare.

61. Ad secundam: Non ignoro quid sentiant eruditi de auctore tractatus de vnctione chrismatis, totiusq; libri de Cardinalibus Christi operibus, qui habetur inter opera D. Cypriani. Sed scrupulosiùs, aut nimis seuerè mecum agi existimo, si ferri nequit me in eo citando sequi morem communem Theologorum, non solùm antiquorum, vt D. Thomæ, sed & recentiorum, qui scripserunt ab eo tempore, quo Critici magis florere cœperunt: addendo interdum, & expressè significando auctorem illum, tametsi non est Cyprianus, grauem nihilominus, & antiquum esse, ac Cypriani contemporaneum, vt ostendit inscriptio eiusdem libri Cornelio Papæ dicati: quemadmodum feci disp. 30. de Eucharist. sect. 3. num. 18. aliisque locis. Moneo quoque, vt suprà, aliud esse referre sub nomine Cypriani (sicut communiter fit) testimoniũ auctoris grauis, & probi, & æquè antiqui, ad probandam praxim Ecclesiæ illius temporis circa materiam sacramenti Confirmationis: & aliud, Velle in canone contradictoriè relato à quamplurimis, fundare doctrinam communissimæ Theologorum & Catholicorum sententiæ aduersam.

62. Quod verò ait, illius libri auctorem esse Abbatem quendam Bonæ Vallis, vt testantur veteres quidam manuscripti: puto à vero alienum esse, propter rationem ante allatam, ex libri inscriptione desumptam, quæ illum esse longè antiquiorem ostendit. Existimoque hanc attributionem ex simili errore proficisci, quo aliqui affirmant libros de Imitatione Christi, Gersoni vulgò attributos, esse Thomæ de Kempis, propter quoddam manuscriptum, in fine cuius affirmat se illos scripsisse anno 1441. Cùm tamen scripserit non componendo, sed trãscribendo priùs editos à quodam Ioanne Gersen religioso Italo, qui postea, per vnius literæ mutationem, Gallus ex Italo factus est, dictusque Ioannes Gerson, Parisiensis Vniuersitatis Cancellarius.

63. Quòd autem spectat ad testimoniũ Innocentii I. relatum eadem disp. 27. sect. 3. n. 27. non aliud opus est, quàm verba ipsius inspicere, vt clarè videatur docere hunc Pontificem, licere quidem Presbyteris vngere chrismate baptizatos, sed non eorum frontem signare ex eodem oleo, quod solis, inquit, debetur Episcopis, cùm tradunt Spiritum sanctum paracletum: ac proinde necessariam esse vnctionem istam omnibus illis, qui volunt ope sacramenti Confirmationis accipere Spiritum sanctum: quandoquidem, vt idem Pontifex affirmat eodem loco, *solis deberi Pontificibus, vt vel consignent, vel Paracletum spiritum tradant, non solùm consuetudo ecclesiastica demonstrat: verùm & illa lectio Actuum Apostolorum, quæ asserit Petrum, & Ioannem esse directos, qui iam baptizatis traderent Spiritum sanctum.* Quibus similia scribit Damasus Papa epist. 4. de Chorepiscopis. Itaque prior vnctio, quæ cerimonia Baptismi est, & à Presbyteris dari potest, necessaria erat ex præcepto Ecclesiæ, vt Baptismus solemniter ritu ab illa præscripto administraretur: quem ritum antiquissimum esse patet ex Dionysio, & aliis à me relatis disp. 26. sect. 2. num. 16. Altera verò Episcopis tantùm permissa necessaria erat vel ex præcepto Christi, vt ego probabilius existimo, & probare conatus sum disp. 27. sect. 4. num. 39. vel saltem ex suppositione quòd baptizatus vellet per Confirmationem accipere Spiritum sanctum ad robur fidei, plenusque, & perfectus

ctus Christianus fieri, iuxta verba Innocẽtii I. modò relata: & Vrbani Papæ epist. 1. c. 7. sic dicentis: *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum* (confignationem modo supradicto ex Innocentio) *Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, vt plenι Christiani inueniantur. Quia cùm Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam, & constantiam dilatatur.* Quare si contrarium statuit canon Arausicanus, voluitque has duas vnctiones post Baptismum non esse necessarias sensu supradicto, vt illum refert, & interpretatur Opponens, manifestum est contradicere Decretali Innocentii I. cuius verba retulimus, & expendimus.

64. Ad tertiam Respondeo, nullam à me factam in eo fuisse comparationem inter Ecclesias Latinam, & Græcam: neque vsquam affirmatum, illam duas vnctiones post Baptismum adhibere consueuisse, non illam. Neque ex eo quod dixi, duas fuisse adhibitas in Latina Ecclesia, inferri potest me contrarium affirmare, vel insinuare de Græca: nisi nimis seuerè, & rigidè mecum agendo, plusque mihi tribuendo, quàm dixerim. Quasi verò dicere ex. gr. vnum ieiunium quadragesimale seruari in Ecclesia Latina, sit propterea negare, vel contrarium insinuare de Græca? Quare cùm nihil tale asseruerim, non est opus vt tempus aliis rebus mihi necessarium impendam inquirendis, vel expendendis testimoniis Patrum Græcorum, quibus probem quod perperam, & immeritò mihi tribuitur, & cuius potiùs oppositum asserui, quando eorum testimonia protuli pro vtraque vnctione disp. 26. sect. 2. num. 16. & d. 27. sect. 3. n. 17.

65. Ad quartam, idem Respondeo quod suprà dixi de auctore libri de Cardinalibus Christi operibus, citari solito sub nomine D. Cypriani. Neque addo rationes à Doctore propositas, vt ostendat librum illum *de quæstionibus ad Orthodoxos*, non esse Iustini Martyris, fuisse transcriptas ex Bellarmino lib. de Script. ecclesiast. Quia scio eaidem facilè potuisse in mentem illius venire: & nolo in eo peccare, quod notaui n. 56.

Ad quintam Respondeo, tam perspicuum esse, Edictum Constantini à me citatum disp. 27. sect. 3. num. 27. loqui de vnctione Confirmationis; vt ad id ostendendum, euidenterque probandum, sufficiat sola eius verba referre. Sic enim loquitur Constantinus paulò ante medium illius Edicti: *Leuato me de venerabili fonte, indυto vestibus candidis, septiformis gratiæ sancti Spiritus consignationem adhibuit, beati chrismatis vnctione, & vexillum sanctæ crucis in mea fronte liniuit, dicens: signet te Deus sigillo fidei suæ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. in confignatione fidei.* Quo autem iure à me postuletur, vt Edictum illud verè Constantini esse confirmem, si quas nouas habeo rationes ad id probandum, non video: cùm ibidem satis apertè significauerim me non ita sentire, verbis illis, *si tamen verè illius est.* Neque enim penitùs ignoro quid de illo scripserint tum plures alii, tum speciatim eruditissimus Cardinalis Baronius tom. 3. & 12. Annalium ecclesiasticorum. 66.

Et hæc de propositis difficultatibus dicta sufficiant. Ex quibus facilè prudens lector coniciet, quid iudicandum sit de aliis id genus, si quæ forsan aliæ (vt istæ) sparsæ fuerint in vulgus, aut deinceps spargentur, hoc præsertim tempore, quo Scriptores nostræ Societatis tam facilè & seuerè à nonnullis reprehenduntur.

FINIS.

auctoritatem. Quæ damna sunt duplicia, vt addit idem S. Doctor art. 2. eiusdem quæst. Vnum in eo consistit, quòd illegitimi non admittuntur ad actus legitimos, sicut ad officia, vel dignitates ciuiles aut ecclesiasticas, quæ requirunt aliquam honestatem in illis qui hæc exercent. Alterum est, quòd non succedunt in hæreditate paterna: sed naturales filij succedere possunt in sexta parte tantùm, vel septima: spurij autem in nulla parte, quamuis ex iure naturali parentes eis de necessariis prouidere teneantur: vnde pertinet ad solicitudinem Episcopi vtrumque parentem cogere vt eis prouideant. Quoniam autem hæc inhabilitas, siue ad officia & dignitates, ecclesiasticas aut ciuiles, siue ad hæreditatem paternam inducta fuit per leges ecclesiasticas aut ciuiles; ab illis solùm tolli potest, qui possunt in legibus iisdem dispensare, vel eas relaxare, aut abrogare. Hoc autem per se ad eosdem pertinet, ad quos spectat leges eisdem condere: id est, ad supremos Principes Ecclesiasticos, aut sæculares: quorum priores, nempe Ecclesiastici Principes, legitimare possunt, siue habilitare quoad officia, & dignitates ecclesiasticas ac spirituales: alij verò quoad ciuiles, & temporales. Quoniam autem legitimare est actus pertinens ad supremum gradum mixti imperij, quem maximum Bartholus aliique Iurisconsulti appellant: idcirco actus ille habilitandi reseruatur supremæ potestati vtriusque reipublicæ ciuilis, & ecclesiasticæ, sicut & leges circa illegitimos statuere.

Pertinet hoc ius ad supremos Principes.

24. *Ecclesiasticos & ciuiles: & differentia inter vtrosque.*

Itaque potest Summus Pontifex, qui solus est supremus Princeps, & caput totius Ecclesiæ visibilis iure diuino, legitimare quoad spiritualia, in toto orbe Christiano: quoad temporalia verò, non nisi iis in locis, vbi temporalis est Dominus, id est, in patrimonio Beati Petri, in quo & Summi Pontificis auctoritatem exercet, & supremi Principis exequitur potestatem. In aliis verò non nisi indirectè, & casualiter, si quando interdum magna necessitas spiritualis hoc exigit, vt dicit Innocentius III. cap. *Per venerabilem.* Qui filij sint legitimi, & fusiùs exponit Pontius libro 11. capite quinto, numero sexto, & sequentibus. Directè verò id pertinet ad supremos Principes eorundem locorum, ad quos spectat ciuilis iurisdictio, & potestas ferendi leges ciuiles, easque relaxandi, respectu locorum, & personarum temporaliter sibi subditarum. Eorum tamen legitimatio non potest reddere habiles ad Ordines, & ad Officia, vel Beneficia ecclesiastica, quæ sunt spiritualia: sed tantùm ad temporalia; veluti ad successiones ex testamento, & ab intestato, ad honores, & dignitates, & officia ciuilis reipublicæ, & ad parentum nobilitatem. Hoc tamen ipso quòd reddunt habilem ad temporalia bona parentum, consequenter etiam habilitant ad ius patronatus, si quod illis annexum est, quippe quod necessariò sequitur huiusmodi bona, transitque ad quoscunque legitimos eorum possessores, tanquam accessorium.

Notandum etiam, supremos Principes ecclesiasticos, siue temporales, qui potestatem habent legitimandi, posse eam delegare, & non solùm per seipsos immediatè, sed & per alios, quibus commiserint, exercere. Atque ita Summus Pontifex solet eam concedere suis legatis: & Imperator Comitibus Palatinis: & Reges possunt eam committere Senatibus, vel aliis sibi inferioribus. Neque obest quòd leges excludentes illegitimos à temporalibus supra dictis, sunt iuris ciuilis Cæsarei: ex quo videtur sequi quòd non nisi ab Imperatore abrogari, vel relaxari possint: pari scilicet potestate, qua conditæ fuerunt. Respondeo enim ius Cæsareum non habere vim in terris Imperatori minimè subiectis, nisi quatenus earum Principes, & Domini supremi illud acceperunt, aut confirmarunt, & tanquam leges à se latas proposuerunt, non aliter, quàm sua ipsorum auctoritate valituras. Quare possunt easdem abrogare; vel relaxare, earumque rigorem circa aliquem temperare, vel penitùs adimere. Non obest etiam quòd interdum legitimatio nocet quibusdam aliis, habentibus, v. g. ius succedendi hæreditati, deficientibus liberis verè legitimis. Nam supremi Principes habent iure alto potestatem præiudicandi particularibus propter bonum commune, quando necessitas, vel vtilitas publica id postulat. Vtrum autem potestas ab illo commissa delegatis, eo vsque extendatur, vt etiam cum præiudicio tertij legitimare possit, pendet ex forma priuilegij eis concessi, quod attentè, & diligenter expendendum est. Ex ipso etiam rescripto Principis per se legitimantis indicandum est, quo vsque illud præiudicium se extendat, & vtrum etiam ad maioratum habilitet, quod rarò fieri dicemus paulò post.

25. *Possunt aliis delegare hanc potestatem.*

26. *Non potest exerceri nisi erga subditos.*

Cùm autem legitimatio sit actus iurisdictionis, non possunt Principes eam exercere, nisi circa sibi subditos respectiuè; ita vt nullus possit legitimare alienum, etiam quoad successionem bonorum existentium in suo territorio. Potest tamen quilibet quoscunque sibi subditos, quoad ea, in quibus sunt subiecti: etiam proprios filios: quippe qui sunt nihilominus subditi patri, vt Principi. Quam aliquorum veterum sententiam fuisse significat Innocentius III. cap. *Per venerabilem* sup. cit. & eandem expresè docent Abbas ibidem n. 13. Molina tom. 1. de Iustit. tract. 2. disp. 173. §. *Principes, qui superiorem*, & alij quos refert Pontius lib. 11. cap. 6. n. 4. licet non pauci probabiliter contrarium sentiant, relati ibidem n. 5. hæc præcipuè nixi ratione, quia legitimatio non est actus iurisdictionis purè voluntarius, sed ex parte cõtentiosæ, quam pater erga filium exercere non potest. Rectè verò negat Molina loco cit. hanc legitimationem sufficere,

Digitized by Google

vt filius patri succedat in regno, iis in locis, vbi ius regnandi hæreditarium est: & institutio regni, eiusque leges fundamentales ferunt, vt non nisi legitimi succedant. Quamuis autem causa requiratur, vt detur licita legitimatio: valet tamen licet à Principe concedatur sine causa: secus autem si à delegato: quia Princeps non est censendus commisisse illi potestatem dispensandi, aut relaxandi legem suam, nisi rationabiliter.

27. Differentia inter legitim. eccles. & ciuilem.

Est quoque notandum discrimen inter legitimationem, quæ fit per rescriptum Principis, & eam, quæ fit per matrimonium subsequens: quòd hæc habilitat solùm naturales, vt diximus sect. præced. id est, conceptos à solutis carentibus impedimento dirimente, saltem cognito. Illa verò valet ad legitimandos etiam spurios, vt patet ex vsu communi. Et ratio est, quia inhabilitates quorumcunque legitimorum, inductæ iure canonico, aut ciuili, a què subiacent supremis Principibus Ecclesiasticis, aut temporalibus. Est etiam aliud discrimen inter legitimationem factam per sequens matrimonium, & eam quæ fit per rescriptum Principis; quòd ad istam requiritur consensus parentum, & filiorum, iuxta Authenticam, *Quibus modis naturales efficiantur sui.* §. *Generaliter*: Secus verò ad illam: nam potiùs ipso iure (vel vt alij volunt, ex ipsa rei natura) inuitis licet parentibus, & liberis, matrimonium hunc habet effectum. Latiùs etiam patet prior legitimatio, cùm sit plenissima, & omnes tollat inhabilitates illegitimorum: quippe quæ simul iure canonico, & ciuili statuta est, absque vllius inhabilitatis reseruatione, quæ vtrouis iure introducta fuerit. At legitimatio per rescriptum Principis temporalis tollit dumtaxat inhabilitates iure ciuili inductas, cùm aliæ iure Ecclesiastico statutæ non subiaceant illius potestati. Et è contrario, Princeps Ecclesiasticus non tollit nisi canonicas, & ecclesiasticas, excepto casu, quo necessitas boni spiritualis plus requirit: vel nisi sit Princeps etiam temporalis illius loci. Est & alia differentia, inter vtramque legitimationem, quòd illa, quæ fit per matrimonium subsequens non reuocatur propter ingratitudinem filij. At verò quæ fit per rescriptum Principis reuocatur propter ingratitudinem, quoad successionem in bonis eius parentis, cui fuerat legitimatus, vt ex communi sententia docet Molina tom. 1. tractatu 2. disput. 172. §. *Vt naturales filij.*

28. Quænam requirãtur vt rescriptum sit validum.

Porro vt legitimatio per rescriptum obtenta sit valida, requiritur primò, vt legitimanti proponatur in petitione quidquid eum à legitimatione simpliciter aut tali modo concedenda retrahere poterat rationabiliter: alioquin erit subreptitia, vt colligitur ex cap. *Super literis*, & cap. *Postulastis* De rescriptis, cap. *Dudum*, 2. de Electione, & cap. vlt. De filiis Presbyterorum in 6. Itaque explicandum est, sitne spurius, aut naturalis: & si spurius; vtrum natus ex adulterio, vel incestu, vel sacrilegio. Et si ex adulterio; vtrum ex altera parte tantùm, an ex vtraque. Si ex incestu; in quo gradu, & vtrum cum matre, filia, vel sorore, matertera, consobrina, &c. Si ex sacrilegio; vtrum ex Sacerdote, vel ex Monacho, aut Religioso, vel Moniali: & vtrum ambo, vel vnus tantùm essent his modis obstricti Deo per votum solemne. Item exprimendum est, simulne concurrerint adulterium & incestus, aut sacrilegium. Nisi enim exprimantur hæ qualitates, legitimatio est inualida, licet Princeps dicat se eam concedere ex certa scientia, vel de plenitudine potestatis, vel se omnem defectum supplere. Excipit Molina tract. cit. disp. 73. §. *Hinc colligitur*, nisi Princeps dicat, ex quocunque coitu illegitimo sit conceptus. Verùm, vt rectè addit, etiam tunc videndum est, sitne qualitas aliqua huiusmodi, vt si Principi expressa fuisset, non legitimasset. Nam in concessione generali non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus, de Regulis iuris in 6.

29.

Deinde secundò exprimendum est potuerintne cõmodè, & sine magna difficultate legitimari proles per subsequens matrimonium. Nam si parentes sine dedecore, alioue magno incommodo contrahere potuerunt, & hoc non exprimitur Principi: inualida erit legitimatio, propter reticentiam circunstantiæ, quæ Principem rationabiliter auertere poterat ab illa concedenda, vt dicitur Authentica, *Quibus modis naturales filii efficiantur legitimi.* §. *Sit igitur licentia.* Tertiò, si legitimatio fiat, vt proles succedat in bonis paternis, explicandum est, habeatne pater alios filios legitimos. Alioqui tacetur aliquid, quod Principem mouere poterat ad eam negandam: ob præiudicium, quod inde sequitur filiis legitimis. Ac proinde rescriptum habebitur pro subreptitio, & inualido. Et specialiter iure ciuili cautum est, vt non detur legitimatio, nisi non extantibus aliis filiis legitimis, Nouella, *Quibus modis naturales efficiantur legitimi*, §. *Sit igitur*, & in Authentica, *Quibus modis naturales efficiantur sui.* Quartò denique si legitimatio fiat patre mortuo, citandi sunt agnati, & successores patris ab intestato, ad quos ius succedendi delatum est: ne iuri ipsis quæsito noceatur, inuitis illdem, & inauditis. Quod Princeps non censetur voluisse, nisi quando ex voluntate patris facit hæredem illum, quem pater ipse testamento suo legitimum fieri, & hæredem postulauit: vel quando de plenitudine potestatis significat se eorum iuri derogare propter bonum commune.

30. Alij modi legitimandi.

Et hactenus de legitimatione per rescriptum: vltra quem modum quatuor alios recensет D. Thom. q. 68. Supplem. a. 3. in corp. quibus secundum leges ciuiles potest fieri legitimatio, vt habetur in Authentica, *Quibus modis naturales efficiantur*

Digitized by Google

legitimi, & in Authentica *Quibus modis efficiantur sui*, & in Authenticis, quæ habentur post legem *Nuper*, Cod. de Naturalibus liberis, aliisque locis. Primus est, si pater filium naturalem curiæ Imperatoris offerat: Ex hoc enim ipso legitimatur propter curiæ honestatem, vt dicitur in Nouella octuagesima nona, §. *Primus itaque*: vel etiam curiæ Principis, aut ciuitatis, à qua sumpsit originem, vel cuius incola iam est: vt scilicet in perpetuum munera curialia exerceat, illisque se, ac liberos suos addicat. Sed hæc veluti consecratio curialium, & hic modus legitimandi non est amplius in vsu. De illo autem plura videri possunt apud Pontium toto fere capite decimo, libri vndecimi de Matrimonio. Secundus est, si pater in testamento suo filium nominet legitimum, & hæredem; & filius postmodum testamentum Imperatori, seu Principi offerat, petens scilicet, vt velit legitimare. Tunc enim subsecuto consensu Principis (qui facilè dabitur, si pater non reliquit prolem legitimam) efficitur ille legitimus post mortem patris, illiusque bonis succedit, vt habetur in Authentica *Quibus modis naturales efficiantur sui*, §. *si vero is*. Tertius est, si nullus sit filius legitimus, & ipsemet filius seiptum Principi offerat. Quartus, si pater in publico instrumento, aut testamento, cum trium testium subscriptione, eum legitimum nominet, nec adiiciat naturalem. Tunc enim præsumitur natus ex legitimo matrimonio occulto, & solis parentibus noto, nisi contrarium aliunde constet. Sed hic modus post Tridentinum irritans clandestina matrimonia, locum non habet, vbicunque saltem eius constitutio recepta est. Alii quoque à D. Thoma recensiti, excepto secundo, non sunt amplius in vsu. Quare non est cur in iis explicandis diutius immoremur.

31. Boni nati ex coniuge habentur pro legitimis.

Illis verò addendus est alius etiam nunc receptus, quo propter bonam fidem in fauorem liberorum conceptam, censentur esse legitimi, qui tales fortè non sunt. Nam omnes qui marito nati sunt domi ex vxore eius legitima, censentur esse legitimi, & eo ipso præsumuntur esse mariti, nisi probentur esse ex adulterio suscepti. Lege *Filium*, ff. De his qui sui, vel alieni iuris. Imò etiam licet alibi nascantur, sed eo loco vbi vxor habitat marito non inuito, & quò sæpius accedere solet, ita vt ex eo proles potuerit concipi. Nam tunc etiam habetur pro legitima, nisi probetur contrarium: neque ad probandum sufficit testimonium ipsius matris in contrarium, quia matris professio filio nocere non debet, vt dicitur lege penultima, ff. De probationibus, & fusiùs docet Couarruu. 2. part. De matrim. cap. 8. §. 3. nu. 10. Neque est digna cui credatur in re tanti momenti: quia si potuit adulterari, potest æquè facilè mentiri.

Similiter illi, quorum origo est ignota, quia eorum parentes ignorantur (cuiusmodi esse solent expositi) præsumuntur esse legitimi, quamuis eorum plerique sint ex copula illicita procreati. Quia in dubio iudicandum est in fauorem prolis. Et licet moraliter certum sit aliquos aut plures ex illis illegitimè nasci: tamen de nullo in particulari id certum est, nisi accedat alia probatio: cùm etiam interdum parentes legitimi, rei familiaris angustiis pressi, genuinam prolem exponant, cui non possunt suppeditare necessaria. Atque ita docent Paleotus, Sayrus, Piasecius, & alii quos refert, & sequitur Pontius libro vndecimo, cap. 9. num. 4. vbi fusiùs hanc sententiam confirmat, contra Couarruuiam, Alciatum, Henricum, Auilam, Maiolum, Hugolinum, & Tolet. ibidem relatos numero quinto. Fauet etiam Bulla Gregorii XIII. cuius meminerunt Henriq. libro decimo quarto, cap. 8. §. 10. & Auila part. 7. de Censuris, dispur. 3. dubit. 9. in qua statuit, vt expositi habeantur pro legitimis, & puri sanguinis. Adde, quòd in dubio nemo debet censeri infamis, argumento capitis vltimi de præsumptionibus in fine. Illegitimitas autem, & irregularitas ex natalibus est quædam infamia facti. Quare in dubio nemo talis censeri debet. Nec obest quòd hæc præsumptio plerumque fallit, cùm multi expositorum sint verè illegitimi. Nam satius est plures immeritos ab hac infamia absoluere, defectu probationis sufficientis; quàm vel vnicum innocentem damnare. Hinc sequitur, tales non esse habendos pro irregularibus ex defectu natalium, veluti spurios, vt præter supra citatos docent Mercerus, Malder. Præpositus, Salas, Pesantius, Turrian. Corneius, Auila, Coninck, Perrin. & Henriquez, quos refert & sequitur Diana parte 4. tract. 2. resolut. 58.

32. An etiam expositi, & à ij incertæ originis.

Quod denique attinet ad effectus legitimationis, discrimen est inter eos, qui legitimantur per matrimonium subsequens, & eos, qui per rescriptum Principis. Nam priores æquiparantur quoad omnia filiis natis ex matrimonio legitimo, suntque planè habiles ad eadem: nimirum ad Ordines, Officia, & Beneficia, & dignitates quascunque ecclesiasticas, etiam Episcopalem, absque vlla dispensatione: ad successionem hæreditatis paternæ, vel legitimam illius portionem, ad feudalia, & primogenia, seu maioratus, cæteraque omnia, quæ per ius commune, aut municipale conceduntur verè legitimis. Item donationes anteà factæ à parentibus non minùs per eorum natiuitatem reuocantur: nec minùs excluduntur substituti patri, vel matri sub hac clausula, si absque liberis legitimis decesserit. Addunt aliqui præponi etiam aliis postea natis non solùm ex eodem matrimonio, verum etiam ex alio interiecto: vt si quis filium ex Martha concubina primum susceperit, tum alios ex Catharina, quam duxit in vxorem, eaque mortua, educat Martham,

33. Effectus legitimationis.

filius ex ea procreatus anteponetur aliis ex Catharina genitis, vt docent Couarruuias 2. part. de Matrimonio, cap. 8. §. 2. num. 35. Caniſ. in cap. *Tanta*, Qui filii ſint legitimi, & Pont. lib. 11. cap. 11. num. 8. Sed meliùs Molina Iuriſconſultus lib. 3. de Primogeniis cap. 1. num. 7. Tiraquel. de eodem argumento quæſt. 34. num. 5. & Azor parte 2. lib. 2. cap. 13. quæſt. 15. docent non debere præponi liberis natis ex matrimonio interiecto: quia iſti ſunt priùs legitimi, quàm nati ex Martha concubina: ideoque priùs acquiſiuerunt ius primogenituræ, ſuntque verè primogeniti legitimi.

34. Legitimatio per matrimonium ſubſequens plures habet effectus.

Porrò iſte effectus legitimationis tam vniuerſalis, & latè patens, debet æquè intelligi de legitimatis per matrimonium præſumptum, & bona fide celebratum in facie Eccleſiæ; vel per bonam fidem conceptam in gratiam filiorum. Cùm iſti omnes æquè habeantur prò verè legitimis. At non ita dicendum eſt de legitimatis per reſcriptum Principis: nam eorum legitimatio non tot habet effectus. Vt enim ſuprà diximus, non tollit inhabilitates iure canonico inductas, ſi fiat à Principe ſæculari: neque inductas iure ciuili, ſi fiat à Principe tantùm eccleſiaſtico. Item legitimatus per reſcriptum Principis dumtaxat, quan uis poſſit ſuccedere in aliis bonis, æquè ac legitimi: non tamen in maioratu, aut in feudo, niſi ſufficienter id exprimatur in reſcripto, quod alioqui non cenſetur eò vſque extendi, vt conſtat ex §. *Naturalis*, Si de feudo defuncti, &c. Quia tamen in aliis non differt à legitimis, vt parenti, cui fuit legitimatus, ſuccedat tam ex teſtamento, quàm ab inteſtato, æquè ac alii conſanguinei: poteſt agere contra teſtamentum velut in officioſum, ſi in eo prætereatur, perinde atque alii legitimi; vt dicitur in Authentica *Quibus modis naturales efficiantur ſui.* §. *Et quoniam vero.* §. *Reliqui*, & §. *Si quis ergo*, verſus *Sit igitur licentia*: & in Authentica *Quibus modis naturales efficiantur legitimi*, §. *Liceat*, & Inſtitut. de Hæred. quæ ab inteſtato deferuntur. §. *Quibus connumerari.* Sed hæc, & alia eiuſdem generis ad Iuriſconſultos magis, quàm ad Theologos pertinent. Fuſiùs verò explicata videri poſſunt apud Molinam tom. 1. tract. 2. de Iuſtit. diſput. 171. & pluribus ſequentibus. Hactenus ergo de Sacramento Matrimonii, ad maiorem Dei gloriam, dictum ſit.

APPENDIX
AD DISPVTATIONEM XXVII.
DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Seu breuis ſolutio quarundam difficultatum circa illam propoſitarum.

35. DVm hæc in lucem ederentur, vnus ex celebrioribus Doctoribus Pariſienſibus aliquot mihi difficultates propoſuit circa ea quæ ſcripſi tomo ſuperiore, diſp. 27. De materia, & forma Sacramenti Confirmationis: quibus hoc loco ſatisfacere viſum fuit: vt ſi quis alius fortè in eaſdem inciderit, non diutiùs expectet earum ſolutionem, donec in ſecunda editione hæc ipſa poſſint ſuo loco reponi. Dicam ergo enucleatiùs, quæ ipſe exponi poſtulauit: non alio certè animo, niſi vt veritas magis eluceſcat: quod tum ipſi, tum aliis in eaſdem difficultates incurſuris, gratum fore exiſtimo.

Prima difficultas.

Prima difficultas in eo verſatur, quòd diſp. 26. de Bapt. ſect. 2. n. 14. protuli locum ex Actor. 8. v. 17. ad probandam cerimoniam imponẽdi manus, quæ in Baptiſmo fit, his verbis: *Impoſitio verò manuum fit exemplo Chriſti, qui ſæpius paruulis ad ſe venientibus manus imponebat, vt Matth. 19. & Apoſtolorum manus imponere ſolitorum iis, pro quibus orabant, vt Act. 8. 9. & 13.* At verò diſp. 27. ſect. 1. n. 5. probo ſacramentum Confirmationis, illiuſque effectus per eundem locum Act. 8. Atque ita vnum eundemque Scripturæ locum inſeruire facio ad probanda duo valde diſtincta: vnam ſcilicet Baptiſmi cerimoniam accidentalem, & alteram eſſentialem Sacramento Confirmationis, ſeu potiùs veritatem, & effectum huius ſacramenti.

Quæ difficultas vt aliquid momenti habeat, præſupponere debet probatum à me fuiſſe, manus imponi iis, qui baptizantur,

propterea quòd Apostoli eâdem cerimoniâ in Baptismo conferendo vsi sunt: ad eumque finem productum à me fuisse locum illũ Act. 8. quo vtor postea ad probandum Sacramentum Confirmationis: volens vt vnus idemque locus vtrique Sacramento probando inseruiat.

Eœruatur

Sed id à mea intentione, & à verbis suprà relatis ex disp. 26. longè abest. Neque enim dico vtendum esse cerimonia imponendi manus in Baptismo, quia Christus & Apostoli eâdem cerimoniâ in eodem Sacramento administrando vsi sunt: cuius etiam rei sufficiens in Scriptura fundamentum non reperio. Neque etiam affero impositionem manuum, de qua fit mentio Act. 8. vers. 17. factam fuisse ab Apostolis Baptismum conferentibus: sicut neque dicere volui Christum dedisse Baptismum infantibus, quando manus illis imponebat, Matth. 19. vel Apostolos baptizasse Saulum, & Barnabam, quãdo manus illis imposuerunt Act. 13. v. 3. (Quis enim nescit Saulum iam antea fuisse baptizatum ab Anania, Act. 9. & Barnabam multò priùs inter Christianos, & discipulos, velut vnum ex illustrioribus recenseri Actor. 4. v. 36. & 37.) Neque etiam dicere volui impositionem manuum Ananiæ super eundem Saulum fuisse vsurpatam velut Baptismi cerimoniam Act. 9. vers. 17. quibus omnibus locis vsus sum in fauorem illius cerimoniæ. Sed tantùm dixi (idque satis perspicuè, nisi fallor, & disertis verbis expressi) Ecclesiam vti hac cerimonia adiungendi impositionem manuum orationi, quam pro baptizatis facit, exemplo Christi, & Apostolorum, ac Discipulorum, qui sæpe manus imponebant super eos, pro quibus orabant. Fundans hanc imitationem in generalitate, siue vniuersalitate orationis, non in identitate specifica eiusdem Sacramenti. In quo quid iure possit reprehendi non video. Quidni enim possit Ecclesia orando pro aliquo, siue in baptismo, siue alibi, imitari Christum & Apostolos solitos imponere manus super eos, pro quibus orabant. Nec obstat quod opponit D. Doctor, eundem Scripturæ locum applicari duobus valde distinctis. Respondeo enim duo illa distincta licet, & aliunde differentia, conuenire tamen in eo, in quo à me comparantur, & propter quod idem Scripturæ locus illis applicatur: nimirum in eo quòd vtrobique pro aliquo oretur.

37. Certè si dicerem cum Tertulliano lib. de Baptismo cap. 7. vnctionem in Baptismo fieri exemplo vnctionis sacerdotum legis Mosaicæ Leuit. 18. & adderem vnctionem sacerdotum Euangelicorum fieri quoque exemplo eiusdem cerimoniæ circa veteres Sacerdotes vsurpatæ: nemo iure me reprehenderet: tametsi eundem Scripturæ locum, & idem exemplum applicarem duabus cerimoniis, non minùs inter se differentibus, quàm vnctio Baptismalis differt ab vnctione Confirmationis. Vel si dicerem sacerdotes cõsecrando, & fideles orando leuare oculos in cœlum exemplo Christi, qui Patrem orans oculos in cœlum tollebat. Ioan. 17. vers. 1. aliisque locis. Quæ duo exempla, omissis multis aliis id genus, satis superque sufficiunt ad ostendendum æquo lectori non posse hunc agendi modum meritò improbari: & hanc primam difficultatem à D. Doctore propositam iusto fundamento carere. Longè verò difficiliùs mihi quisquam persuaderet vnam eãdemque Christi, vel Apostolorum actionem, vni tantùm rei, exempli loco seruire posse; & non potiùs omnibus, quæ aliquam cum illa similitudinem habent, licet alioqui diuersæ, differentesque inter se existant.

38. Secunda difficultas in eo consistit, Cur potius vtar verbis Tertulliani lib. de Bapt. cap. 7. ad probandam vnctionem baptismalem, quàm ad probandam alteram, sacramento Confirmationis essentialem, vt ego existimo cum D. Thoma, & communi Theologorum sententia? Et vice versa, cur alterum locum Tertulliani ex lib. de resurrect. carnis cap. 8. produco ad probandam vnctionem Confirmationis, potiùs quàm ad vnctionem Baptismi: cùm aliqui Doctores Catholici contrario fine his locis vsi sint? Item, cur verba ista Cypriani epist. 70. siue lib. 1. epist. 12. *Vngi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, &c.* applico potiùs vnctioni Confirmationis, quàm Baptismi, cui æquè conuenit, ac locus primo relatus ex Tertulliano cap. 7. de Bapt. & reipsa illi applicatur à non paucis Doctoribus Catholicis.

Secunda difficultas

D. Thom. 3 P. q. 72. a. 2.

Respondeo, primum illud testimonium Tertulliani lib. de Bapt. cap. 7. intellectum à me fuisse de cerimonia Baptismi potiùs, quàm de vnctione essentiali Confirmationis: quia Tertullianus de illa satis perspicuè loquitur, nihilque dicit, propter quod debeat applicari Sacramento Confirmationis, de quo tãtùm incipit loqui sequenti cap. 8. vt rectè à Pamelio optimo, & celeberrimo eius interprete obseruatum fuit annot. 48. & 54. in eundem librum. Et quamuis, vt ab eodem auctore sapienter additur, Tertullianus citato cap. 8. sacramentum illud exprimat non ine manuum impositionis more antiquæ Ecclesiæ: tamen quòd etiam cum vnctione olei fieri soleret, satis indicat comparatio, quam ibidem subiungit, Spiritus sancti, & columbæ in arcam Noë cum olea reuersæ. Et apertiùs idem significauit lib. de Resurrect. carnis cap. 8. sic dicens de eodem sacramento: *Caro signatur, vt & anima muniatur*: illo videlicet sacri Chrismatis signaculo, de quo Dionysius capite secundo Ecclesiast. Hierarc. sic ait: *Baptizatum indutum alba veste ad Pontificem ducunt. Ille diuino ac prorsus deifico vnguento virum signat, & sacratissimæ communionis participem facit*, id est, sacramenta Confirmationis, & Eucharistiæ statim post Baptismum illi administrat, vt fieri solebat in antiqua Ecclesia. Et Prudentius in

Enucleatur.

Digitized by Google

Psychomachia, *Post inscriptæ oleo frontis signacula* &c. Ad idemque alludit idem Tertullianus lib. de Præscrip. cap. 40. sic dicens: *Signat illic in frontibus milites suos.* Quo autem tenùs addiderit in fine capitis initio citati, vnctionem illam baptismalem proficere spiritaliter, explicabitur paulò post, num. 41.

39. Expeditur locus Tertulliani.

Secundus locus Tertulliani ex cap. 8. lib. De resurrect. carnis, sic habet, & integrè sic à me refertur disp. 27. num. 14. *Caro abluitur, vt anima emaculetur. Caro vngitur, vt anima consecretur. Caro signatur, vt & anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, vt & anima spiritu illuminetur. Caro corpore, & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur.* Cuius loci priora verba, *Caro abluitur, vt anima emaculetur*, manifestè ad Baptismum pertinent: sicuti postrema, *Caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur*, perspicuè spectant ad Eucharistiam. Illa vero, *Caro vngitur, vt animâ consecretur*, à nonnullis Doctoribus Catholicis referuntur ad vnctionem cerimonialem Baptismi. Addit que Pamelius annot. 73. in eundem librum, posse fortasse ad extremam vnctionem referri. Quorum neutrum nobis obest, dummodo verba sequentia, *Caro signatur, vt & anima muniatur: Caro manus impositione adumbratur, vt & anima spiritu illuminetur*, ad Confirmationem referantur, vt referri debere docet idem Pamelius annot. 54. in librum Tertulliani de Bapt. & alii communiter, atque omnino referri debere existimo. Nam habita ratione proprietatis verborum, & styli Tertulliani energiâ pleni & emphasi, magisque sensu, quàm verbis abundantis, multò melius Confirmationi conueniunt, quàm vnctioni cerimoniali Baptismi. Significat enim verbis illis Tertullianus cõsignationem istam, id est, frontis vnctionem chrismaticam, quâ Christi milites signabantur, vt ex eodem suprà vidimus, corroborare animam contra insultus inimicorum fidei visibilium, & inuisibilium: siue vt loquitur Cyprianus epist. 70. plenitudinem conferre Spiritus sancti ad robur fidei. Idem quippe est *Muniatur*, hoc loco, atque, corroboretur, confirmetur in fide, & præparetur ad luctam cum hostibus fidei, vnctione velut athletica. Manifestum est autem id verè, propriè, exactéque loquendo non fieri per vnctionem cerimonialem Baptismi inefficacem, id est, non effectiuam gratiæ sanctificantis, & corroborantis animam: sed per signaculum Confirmationis, quæ gratiam in Baptismo acceptam auget ex opere operato: & vt loquuntur SS. Patres à me relati eadem disp. 27. Baptismum perficit, seu consummat, plenumque seu perfectum christianum facit, ac velut ab infantia viræ spiritalis per Baptismum acceptæ, ad virilem ætatem adducit, mentique robur adiicit, ad insultus inimicorum fidei superandos: quod etiam verba ipsa formæ eiusdem sacramenti significant, *Signo te signo crucis, & confirmo chrismate salutis*, &c.

Aduerto præterea Tertul. hæc dicere conformiter ad id quod antea pronũciauerat de Baptismo, *Caro abluitur, vt anima emaculetur*: quodque postea subiecit de Eucharistia, *Caro corpore, & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur.* Quorum verborum connexio, vt melior fit, omnino postulat, vt quemadmodum per ablutionem Baptismi, anima verè, & ex opere operato emaculatur: & per Eucharistiam verè, ac propriè, efficaciterque de Deo saginatur, id est, abundè reficitur Christi Dei & Domini nostri sacratissimo corpore, & gratiâ per ipsum in modum nutritionis spiritalis copiosè acceptâ ita per illam configurationem, & manus obumbrationem anima verè, ac propriè, & ex opere operato muniatur, seu corroboretur gratiâ sanctificante, atque à diuino Spiritu per eandem illuminetur. Qua etiam de causa puto verba illa, *Caro vngitur, vt anima consecretur*, multò melius ad vnctionem Confirmationis propriam referri, vi cuius anima verè, ac propriè, efficaciterque consecratur, seu sacra fit, & sancta; quàm ad Baptismi cerimoniam, quæ vim illam non habet. Expendo denique vocem *Signatur*, quâ Sancti Patres solent Confirmationis sacramentum designare: vt Dionys. lib. de Eccles. Hierarc. c. 2. parte 2. in fine, Ambros. lib. 3. de Sacram. cap. 2. Cyprian. epist. 73. ad Iubaianum, Innocentius I. epist. 1. ad Decentium cap. 3. & cuius forma verbis istis exprimitur in Ecclesia Græca, *Signaculum doni Spiritus sancti*, vt testatur Arcudius lib. 2. de Sacram. cap. 6. Quare si qui alii Doctores Catholici hunc Tertulliani locum aliter intellexerunt: non satis eius verba expenderunt, neque illius mentem assecuti sunt.

40.

41. Explicatur locus Cypriani.

Simili modo respondendum est obiectioni propositæ circa testimonium D. Cypriani, relatum ex lib. 1. epist. 12. aliàs epist. 70. Circa quod inquirit D. Doctor, cur potius illud applicem vnctioni Confirmationis, quàm Baptismi cerimoniæ, cùm isti possit æquè applicari, ac locus primò relatus ex Tertulliano lib. de Bapt. cap. 7. Cui respondeo D. Cyprianum satis manifestè tribuere effectum gratiæ sanctificantis vnctioni, de qua ibi loquitur. Nam illius verba hæc sunt: *Vngi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, vt accepto chrismate, id est, vnctione, esse vnctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit.* Quare non potest locus iste de cerimoniali vnctione Baptismi intelligi, quæ vt fatentur omnes, non est gratiæ effectiua. Qua etiam de causa malè hic locus Cypriani comparatur cum altero Tertulliani suprà explicato, in quo effectum illum non tribuit vnctioni, de qua ibi sermonem facit: sed tantùm affirmat, vt superiùs indicaui, vnctionem illam adhiberi ad instar vnctionis Sacerdotum antiquæ legis. *Exinde*, inquit, *egressi de lauacro perungimur benedicta vn-*

ctione, de pristina disciplina, qua vngui oleo de cornu in sacerdotium solebant. Et quamuis addat vnctionem illam carnaliter currere, sed spiritaliter proficere: non sequitur, neq; affirmatur à Tertulliano, quòd profit ad sanctificantem gratiam conferendam: sicut de Baptismo immediatè post subiungit, spiritalem eius effectum esse, quòd à delictis liberemur, vt scilicet gratiæ per Baptismum infusæ. Ad quid aliud verò profit spiritualiter dixi cum D. Thoma disp. 26. sect. 4. num. 36. Nimirum ad impetrandam virtutem aliquam conseruandi gratiam baptismalem, per Ecclesiæ suffragia huic cerimoniæ in eum finem applicata: vt scilicet Deus potestatem Dæmonis tentantis coerceat, detque auxilia efficacia ad resistendum tentationibus, gratiamque in baptismo acceptam velut stolam candidam vsque in finem vitæ constanter retinendam, & perferendam ad tribunal Christi.

42. Tertia difficultas. Tertia difficultas oritur, inquit, ex ista reflexione supra præcedentem: Nemo potest cum ratione obligari, vt credat Confirmationem esse verè sacramentum, cùm Doctores catholici non conueniãt inter se, quoad applicationem, & verum sensum locorum sanctorum Patrum, id est, testium eius traditionis, super qua veritatem huius sacramenti stabilio. Quæ reflexio, inquit, fieri nequit contra eos, qui volunt, quidquid est sacramento necessarium, reperiri facilè in Actis Apostolorum cap. 8. & in traditione. Videlicet impositionem manuum, quæ sit materia: orationem, quæ sit forma: promissionem gratiæ, & institutionẽ diuinam, quæ patent ex effectu, *Accipiebant Spiritum sanctum.* Quo in casu, inquit, vnctio erit tantùm pars integrans sacramenti Confirmationis: sicut vnctio baptismalis est pars integrans sacramenti Baptismi. Quòd autem reflexio supradicta fieri nequeat aduersus istam sententiam, probat, quia locus ille Actorum non ita diuersimodè applicatur à Doctoribus catholicis, sicut testimonia SS. Patrum à me producta. Ac tandem quærit num hæc secunda sententia, quam insinuat, sit aptior refutandis hæreticis huius temporis, quàm prior à me tradita, propter istam reflexionem à se propositam.

43. Diluitur. Ad primam partem huius difficultatis respondeo, Illam fore vtcunque considerabilem, si testimonia Patrum, & antiquæ traditionis, super qua veritatem huius sacramenti stabilio, non alia forent, præter illa duo, quæ D. Doctor proposuit, quæque affirmat diuersimodè à Doctoribus catholicis applicari, & exponi. Sed cùm alia multa in eadem disputatione protulerim certa, & illustria, quibus neque ipse quicquam obiecit, neque vllus alius potest cum ratione contradicere: non video cur iure reprehẽdi possit, prolata simul à me fuisse duo illa Tertulliani, & Cypriani testimonia, quæ si bene expendantur, sunt ad idem confirmandum perappositа, & efficacia, vt iam satis superque ostendimus. Nec obest quòd, vt ipse ait, nonnulli scriptores catholici alio illa detorserunt, eorum sensum minùs bene assecuti, vt sæpius contingit illis, qui Patres cursim, & minùs attentè legunt. Id enim non impedit, quò minùs alii meliùs sensum eorum assecuti, ad propositum nostrum illis vtantur efficaciter. Quemadmodum licet nonnulli de Doctoribus catholicis senserint Christum Ioan. 6. non esse locutum de sacramento Eucharistiæ: hoc non obstat, quò minùs alii fere omnes ex eo capite confirment efficaciter veram, & realem præsentiam corporis, & sanguinis Christi in hoc sacramento.

Ad secundam dico, In solo cap. 8. Actorum non reperiri facilè quidquid sacramento Confirmationis est necessarium. Vbi enim reperietur necessarium, & essentiale illi esse, vt aliqua vocalis oratio adhibeatur loco formæ? An fortè in verbis illis v. 15. *Orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctum?* Sed cùm oratio mente, non minus quàm voce fieri possit: quomodo hinc facilè constat Apostolos orasse vocaliter, & hanc orationem velut essentialem loco formæ adhibuisse? Quòd si traditio SS. Patrum verbis Scripturæ adiungenda est ad habendam veram, & integram notitiam huius sacramenti: æquè facilè per illam constat vnctionem fuisse in eo celebrando adhibitam: neque quisquam dissimulare potest produci à Doctoribus catholicis (sicut & ipse produxi eádem disp.) multa veterum testimonia, quæ clarè ostendunt sacramentum Confirmationis fuisse vnguenti sacri, & viuifici consignatione celebratum, eidemque vnctioni effectum gratiæ sanctificantis tribuunt. 44.

Ad tertiam dico, Vt faciliùs refutentur hæretici, non debere impugnari catholicos, & impeti communem eorum sensum, eleuarique auctoritatem Concilii generalis, vnctionem chrismatis assignantis pro materia Confirmationis, & constantem SS. Patrum doctrinam, qui perspicuè huic vnctioni, & consignationi tribuunt efficaciam gratiæ, & infusionis Spiritus sancti. Nam sine his incommodis (quæ prudens quisque vitare debet, quoad fieri potest) refutari queunt satis efficaciter hæretici, & sufficientes probationes veritatis huius sacramenti adduci: quod tum à multis aliis eiusdem nobiscum sententiæ (quæ vt dixi, communissima est) tum à nobis ipsis abundè præstitum fuit tribus primis sectionibus citatæ disp. 27. Alienum verò esse putò à veritate, æquè ac à cõmuni Theologorum doctrina, vnctionem cerimonialem Baptismi esse partem integralem illius sacramenti, & non potiùs esse illi merè accidentalem, æquè ac alias cerimonias in Baptismo solemni adhiberi solitas. 45.

Quarta difficultas est circa ista verba D. Ambros. lib. 2. de Sacram. cap. 7. *Ergo* 46. Quarta d: ficultas.

Digitized by Google

merſiſti. Veniſti ad ſacerdotem. Quid tibi dixit? Deus, inquit, Pater omnipotens, qui te regenerauit ex aqua, & Spiritu S. conciſſique tibi peccata tua, ipſe te vngit in vitam æternam. Quæ verba tanquam pro forma Confirmationis dicta accepi diſp. 27. ſect. 3. Et tamen eadē illa ſunt cū iſtis, quæ diſp. 26. ſect. 4. retuli veluti formā vnctionis Baptiſmi, *Deus omnipotens Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui te regeneraut ex aquā, & Spiritu ſancto, quique dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum, ipſe te liniat chriſmate ſalutis in vitam æternam.* Quæ inquit, verba non continent niſi diuerſam expreſſionem eiuſdem rei, & non ſufficiunt ad ſtatuendas formas eſſentialiter differentes.

47. Soluitur. Reſpondeo, Quando diſp. 27. ſect. 3. n. 19. inter varias formas ſacramenti Confirmationis hanc retuli ex Ambroſio lib. 2. de Sacram. cap. 7. id feci non ex meo, ſed ex eorum ſenſu, qui putant Ambroſium ibi loqui de vnctione, & forma ſacramenti Cōfirmationis, moti hac præcipuè ratione, quòd Ambroſius per ſacerdotem, Epiſcopum intelligat, vt volent antiqui: quodque mos eſſet veteris Eccleſiæ baptizatos ſtatim deducere ad Epiſcopum, vt ab illo ſacramentum Confirmationis acciperent: videaturque Ambroſius idem dicere, quod Dionyſ. cap. 2. de Eccleſiaſt. Hierarc. ſic ait, *Baptizatum veſte alba indutum ad Pontificem ducunt, vt diuino ac deifico prorſus vnguento virū ſignet.* Verūm, quòd Ambroſ. ibi loquatur potiùs de Baptiſmo, quódque de Sacramento Confirmationis loqui tantùm incipiat ſequenti lib. 3. cap. 2. dixi eādem diſp. 27. ſect. 1. num. 10. & ſignificat ipſemet initio capitis primi eiuſdem libri. Quare poſt illa verba ſect. 3. n. 19. *Et apud Ambroſ. lib. 2. de ſacram. cap. 7. in fine, hæc traditur*, ſupplenda ſunt, & à typographo malè prætermiſſa, hæc tria verbula, *vt quibuſdam videtur*, quæ in ſecunda editione (ſi Deus faxit) ſuo loco reponi curabimus.

48. Alia verò his ſimilia, à me relata diſp. 26. de Bapt. ſect. 4. non referuntur ex Ambroſio, ſed ex Romano Rituali, vbi præſcribitur, vt in vnctione baptiſmali vſurpetur hæc verborum formula; quæ fortè ex Ambroſio deſumpta fuit, parumque differt ab illius verbis: vnde magis confirmatur quod ſupra dixi, Ambroſium ibi de Baptiſmo, non de Confirmatione loqui. Verumtamen ratio, quâ mouetur D. Doctor vt affirmet non poſſe Confirmationi conuenire, parum efficax eſſe mihi videtur: quia ſcilicet, inquit, non poſſunt ſufficere eadē verba ad conſtituendas formas eſſentialiter differentes. Quod certè dici nequit, niſi contra omnium Theologorum ſenſum: quippe quorum plurimi affirmant abſolutè, & nullus eorum negat probabile ſaltem eſſe, verba iſta, *Abſolue te*, ſufficere ad formam eſſentialem ſacramenti Pœnitentiæ, & formam abſoluendi ab excommunicatione, ſiue intrà ſacramentum, ſiue extra: quarum tamen prior eſt verè ſacramentalis: poſterior eſt cerimonia tantùm eccleſiaſtica: neque minùs differunt eſſentialiter inter ſe, quàm cerimonialis vnctio Baptiſmi, & ſacramentalis vnctio Confirmationis. Si autē ſufficit, iuxta communiſſimā Theologorum ſententiam, diuerſa intentio, & determinatio proferentis verba illa materialiter eadem, applicantiſque vel ad peccata remittenda, vel ad tollendam excommunicationem, iuxta ſenſum à ſe intentum, qui verbis illis ſufficienter exprimi poteſt. Quidni pariter ſufficere queant verba relata ex Ambroſio, & Rituali Romano, diuerſā pariter intentione prolata, & ad effectus diuerſos applicata? Nam quòd etiam effectus Confirmationis ſatis per illa ſignificari poſſit, oſtendimus ead. ſect. num. 20. eóque præcipuè fine, formam illam velut olim vſitatam ex aliquorum ſententia retulimus.

49. Quinta difficultas. Quinta difficultas oritur, inquit, ex iſta parentheſi, quæ habetur diſp. 27. de Confirmat. ſect. 2. *Innocentius I. epiſt. ad Decentium cap. 3. ſcribit, Presbyteris chriſmate baptizatos (in vertice ſupple, vt nunc fit) vngere licet*, &c. Quærit enim, cur potiùs Innocentium interpreter ex vſu præſenti, quàm ex epiſtola Gregorii magni ſic ſcribentis? *Presbyteri baptizatos infantes ſignare ſacro in frontibus chriſmate non præſumant, ſed Presbyteri baptizatos vngant in pectore, vt Epiſcopi poſtmodum vngere debeant in fronte.* Vel, vt habetur in quibuſdam antiquis editionibus & manuſcriptis: *Presbyteri baptizatos infantes ſignare in frontibus bis chriſmate non præſumāt: ſed Presbyteri baptizatos tangant in pectore, vt Epiſcopi poſtmodum tangere debeant in fronte.* Cur, inquit, vſus huius temporis, quo canones & decreta eccleſiaſtica ſtatuta non fuerunt, aptior eſt intelligendis, & explicandis iiſdem canonibus, & decretis: quàm vſus, atque diſciplina illius temporis quo ſancita fuerint, vel alterius propiùs ad illud accedentis, & non adeò remoti?

50. Reſpondeo, iuxta hanc ipſam regulam à Doctore ſapienter aſſignatam multò latius eſſe Innocentium explicare per Ambroſium eius contemporaneum, qui lib. 3 de Sacram. cap. 1. ita ſcribit: *Heſterno die de fonte baptiſmatis diſputauimus, cuius ſpecies veluti quædā ſepulcri forma eſt in quem credentes in Patrem, & Filium, & Spiritum S. recipimur, & demerginur, & reſurgimus, hoc eſt, reſuſcitamur. Accipis autem myſterium, hoc eſt, vnguentum ſupra caput? Quare ſupra caput. Quia ſenſus ſapientis in capite eius* &c. Clariſſimēque patet ex ipſo textu D. Ambroſium ibi loqui de vnctione Baptiſmi, non autem de Confirmatione, de qua tantùm ſermonem inchoat ſequenti cap. 2. Libros autem illos de ſacramentis eſſe verè Ambroſii non dubitant Bellarmin. Perronius Cardin. & plures alii in lectione SS. Patrum optimè verſati.

51. Sexta difficultas oritur, inquit, ex his verbis diſp. 27. ſect. 3. num. 27. prope

finem : *Quis credat Concilium particulare Arauſicanum contra ſententias Summi Pontificis, & vſum communem illius temporis Eccleſiæ Latinæ, ſiue Occidentalis, ſtatuiſſe?* Vbi ſupponere me dicit omnes Eccleſias Occidentis vſurpaſſe tunc temporis duas vnctiones poſt Baptiſmum, ſicut Eccleſiæ Romanæ mos erat. Vnam poſt egreſſum è lauacro, vt loquitur Tertullianus à me laudatus diſp. 26. Alteram poſt impoſitionem manuum, vt patet ex ſacramentali Gregorii Magni, & facilè deducitur ex Decretali Innocentii. Tum à me poſtulat, vt vſum illum fuiſſe communem totius Occidentis probem aliquot teſtimoniis SS. Patrum in aliis Eccleſiis degentium, qui vel Concilium Arauſicanum præceſſerint, vel eodem tempore, aut non longè poſt vixerint. Neque enim ſcire poſſum fuiſſe illum communem vſum, ſi nullus eo tempore mentionem eius fecit. Neque æquum eſt, vt velim meæ aſſertioni ſine vlla probatione fidem haberi. Deinde, cùm affirmem, inquit, fuiſſe in tota Occidentali Eccleſia vſum duplicis illius vnctionis : ſi teſtimonia Patrum, quæ proferam, de vnctione loquantur ſimpliciter, & indiſtinctè, id eſt, non deſignando expreſsè hanc vel illam ; oportet certum à me indicium tradi, quo deprehendatur de quanam ex illis vnctionibus loquantur.

52. Expeditur.

Reſpondeo primò, dicere *vſum communem*, non eſſe idem ac dicere *Omnes Eccleſias Occidentis*. Qui enim diceret ex. gr. vſum communem Eccleſiæ Occidentalis eſſe inchoare ieiunium quadrageſimale à feria 4. Cinerum ; non propterea diceret Eccleſiam Mediolanenſem ita facere. Secundò, affirmare vſum communem Occidentalis Eccleſiæ talè fuiſſe, & id probare teſtimonio Innocentii I. non eſt ſine teſte loqui, velleque vt mihi ſimpliciter id affirmanti fides habeatur. Quis enim recuſet teſtimonium ſupremi, & vniuerſalis Eccleſiæ paſtoris circa praxim Eccleſiæ, præſertim tam ſancti, tamque vigilantis, & eruditi Pontificis, cui ignota eſſe non potuit? Aut quis ſibi perſuadeat communem vſum Occidentalis Eccleſiæ in adminiſtratione ſacramentorum non fuiſſe conformem doctrinæ generali paſtoris eius vniuerſalis, & praxi omnium aliarum matris, Romanæ Eccleſiæ? Quis etiam non videt Innocentium verbis à me relatis diſp. illa 27. ſect. 3. num. 27. loqui vniuerſaliter de presbyteris, non autem de ſolis presbyteris Eccleſiæ Romanæ peculiariter ſumptæ? Sic enim habent : *Presbyteris chriſmate baptizatos vngere licet* (in vertice) *ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum : non tamen frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis, cùm tradunt Spiritum ſanctum Paracletum.* Si tamen alia veterum teſtimonia ex aliis Eccleſiis iſti addenda ſunt: oſtendi iam antea numero 38. & ſeqq. Tertullianum de his duabus vnctionibus loqui lib. de Bapt. cap. 7. & lib. de Reſurrect. cap. 8. denique indicia quibus certò inter ſe diſcerni valeant. Et Ambroſium loqui de priori, hoc eſt, de baptiſmali, verbis antea relatis ex lib. 3. de Sacram. cap. 1. De poſteriori autem cap. 2. eiuſdem libri, *Sequitur ſpirituale ſignaculum* &c. Et lib. de iis, qui in myſteriis initiantur cap. 7. *Signauit te Deus Pater, confirmauit Chriſtus Dominus, & dedit pignus Spiritus in cordibus tuis.* Neque enim dubitandum eſt ipſum loqui de eodem ſignaculo, de quo Prudentius eius contemporaneus, cùm ait :

Poſt inſcripta oleo frontis ſignacula, per quæ
Vnguentum regale datum eſt, & Chriſma perenne.

Quòdque ibidem loquatur de conſignatione Confirmationis, ſiue vnctione Chriſmatica ipſius propria, manifeſtè patet ex eo 53.
quòd effectum gratiæ illi tribuit, ſiue infuſionem Spiritus ſancti, eiuſque donorum. Auguſtinus quoque de priori loquitur ſermone 206. de Tempore : & de poſteriori lib. 2. contra literas Petiliani cap. 104. Differentiaque inter vtramque ſatis perſpicuè iiſdem locis exprimitur. De eadem etiam loquitur S. Pacianus Epiſcopus Barcinonenſis in ſermone de Baptiſmo, cùm ſic ait : *Lauacro peccata purgantur. Chriſmate Spiritus ſanctus ſuperfunditur. Vtraque verò iſta manu & ore Antiſtitis impetramus.* Vbi, per illa verba, *Chriſmate Spiritus ſanctus ſuperfunditur*, ſatis aperte ſignificat ſe loqui de vnctione Confirmationis verè ſacramentali ; & efficaci gratiæ. Nam, vt ſæpius dixi, cerimonialis vnctio Baptiſmi non hunc præſtat effectum. De eadem quoque loquitur & neceſſariam eſſe : ffirmat Cyprianus verbis ſupra relatis, & expenſis num. 41. En igitur teſtimonia veterum Arauſicano Concilio antiquiorum, ex aliis Eccleſiis, Carthaginenſi & Hipponenſi in Africa, Mediolanenſi in Italia, Barcinonenſi in Hiſpania. Vt omittam illum ipſum, cui ſic ſcribit Innocentius, fuiſſe Epiſcopum Eugubinum, hoc eſt alterius Eccleſiæ quàm Romanæ, eo ſenſu quo D. Doctor intelligit. Modus autem generalis certò & exactè diſcernendi de vtra vnctione loquantur Patres in iſtis, & ſimilibus teſtimoniis (plura enim proferri poſſent, ſi opus foret) iſte eſt, vt attentè expendantur eorũ verba, diligenterque illorum ſenſus, & Patrum intentio inſpiciatur, & ſubtiliter penetretur : quod plerique non faciunt, minúſque facere apti ſunt, doctrinâ Theologiæ Scholaſticæ (quæ clauis eſt intelligentiæ Scripturæ, & Patrum) deſtituti, ingeniique acumine, & iudicii ſoliditate parum à natura inſtructi.

Septima difficultas eſt, Cur exiſtimem canonem 1. Arauſicani Concilii I. obſcurũ eſſe, propter rationes ex Aurelio tranſcriptas : & non potiùs clarum, & facilem eſſe, propter ea, quæ de illo à R. P. Iacobo Sirmundo ſcripta fuerunt, & à viro clariſſimo Petro de Marca Præſide Nauarro. Palenſi, in fine diſſertationis de primatu Lugdunẽſi

54. Septima difficultas.

Quódque dixi Canonem illum obſcurum eſſe tum propter lectionum varietatem, tũ propter verborum perplexitatem, poteſt, inquit, retorqueri in teſtimonia Sanctorum Patrum à me allegata pro vnctione Confirmationis: de quorum ſingulis dici poteſt: Hic locus eſt obſcurus: propter diuerſum vſum, ad quem, Scholaſtici Doctores illum adhibent, ita vt nihil certi poſſit ex illo colligi. Idem quoque dici poteſt de loco Actorum à me producto, ſimul ad probandam cerimoniam Baptiſmi, & veritatem ſacramenti Confirmationis, deque aliis Scripturæ locis, quorum plures reperiuntur lectiones diuerſæ, maiorque in illis eſt verborum perplexitas, quàm in canone Arauſicano.

55. Reſpondeo, Canonem illum Arauſicanum non mihi ſoli, ſed quamplurimis aliis obcurum adhuc, & difficilem videri, non obſtante luce quam R. P. Iacobus Sirmundus illi afferre conatus eſt, & iis, quæ à prædicto illuriſſimo Præſide fuerunt addita in tractatu citato. Qui licet nondum in manus meas venerit, non poſſum tamen mihi perſuadere clarum, & facilem ab eo redditum fuiſſe: cùm videam omnes fere Theologos lectionem illam, negatione additâ, & expoſitionem canonis Arauſicani ſuſpectam habere: imò etiam pleroſque verbis aſperioribus inſectari. Et quamuis prædictos auctores maximopere veneror, vt par eſt, plurimique facio, neque dubito vtrumque in SS. Patrum, & Conciliorum lectione optimè verſatum eſſe: non exiſtimo tamen id à me ipſos exigere, vt relicta communi Theologorum ſententia, atque in primis D. Thomæ, ſolidis, vt mihi quidem, plurimiſque aliis videtur, argumentis, & generalis Concilii Florentini auctoritate munita; ſequar peculiares ipſorum opiniones, ſi expenſis eorum rationibus (vt certè expendi, quas R. P. Sirmundus propoſuit) ſatisfacere minùs mihi poſſim.

Repellitur.

56. Quod verò addit Opponens, rationes, quas in contrarium attuli, fuiſſe ex Aurelio tranſcriptas, veritati minus conſentaneũ eſt: pace illius dixerim. Poſſum enim certiſſimè affirmare: & Deum in teſtem adſciſcere, nihil me vnquam ex illo auctore tranſcripſiſſe. Cuius ſcribendi modus parum modeſtus, & Theologo dignus (ne quid aſperius dicam) me prorſus ab eo legendo deterruit, inſpectis curſim variis eius locis, vbi vix quicquam reperi quod non mihi grauiter diſpliceret. Si autem vtrique noſtrum eædem rationes occurrerunt, ſignum eſt facilè obuias eſſe: cùm ingenia tam diuerſa illas excogitauerint.

57. Cæteris, quæ addit Opponens, de reflexione, ſeu retorſione obiectionis meæ in teſtimonia Scripturæ, & SS. Patrum à me producta, exiſtimo abundè ſatisfactum fuiſſe paulò ſuperiùs num. 36. & ſeqq. reſpondendo primæ, & ſecundæ difficultati. Speciatim verò quod ad Scripturam attinet, eiuſque lectiones, & interpretationes diuerſas; non ignorat D. Doctor ſolam verſionem vulgatam eſſe authenticam; ſtatuique à Tridentino ſeſſ. 4. initio Decreti *de editione, & vſu ſacrorum librorum*, vt pro tali habeatur, & vt nemo illam reiicere quouis prætextu audeat vel præſumat: adeóque verſiones alias quaſcunque illi poſtponendas eſſe. Si textus aliquis, aut lectio canonis Arauſicani proferretur, de quo Eccleſia ſic ſtatuiſſet; illi facilè, ac ſine vlla dubitatione acquieſcerem. In Scripturæ autem interpretatione ſtatuit idem Concilium, & præcipit loco cit. poſt Lateranenſe ſub Leone X. vt nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus fidei, & morum, ad ædificationem doctrinæ chriſtianæ pertinentium, ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarũ ſanctarum, aut etiam contra vnanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam interpretari audeat. Ex hac igitur regula generali de vero ſenſu Scripturæ iudicandum eſt. Illam autem ſecutus ſum, quando locum relatum, ex Act. 8. de ſacramento Confirmationis expoſui. De eiuſdẽ verò applicatione ad cerimoniam quãdam baptiſmi, ſufficiunt quæ dixi num. 36. & 37.

58. Moneo præterea longè differre iſta duo: Proferre inter pleraque alia teſtimonia clara, & facilia, vnum, aut alterum malè à quibuſdam catholicis intellectum, ſed tamen appoſitum, & efficax, ad confirmandam veritatem communiter receptam, & aliunde bene ſtabilitam: &, doctrinam à communi abhorrentem, Concilio Florentino minùs conſentaneam, vt mihi cum plurimis aliis videtur, tantaſque turbas inter catholicos excitantem, fundare in canone diuerſimodè, & contradictoriè relato in variis exemplaribus: & cuius verba perplexa meritò videntur quamplurimis, iis non obſtantibus, quæ à ſupradictis auctoribus ad eius illuſtrationem ſcripta ſunt. Primum à me factum eſt. Secundum præſtat D. Doctor, cum paucis aliis eiuſdem cum illo ſententiæ. Vtrum potiori iure fiat, ſapiens lector facilè iudicabit.

59. Octaua difficultas.

Octaua, & vltima difficultas plures continet partes. Prima eſt, cur Leoni I. tribuã epiſtolam de Chorepiſcopis, quæ eſt Leonis III. & D. Cypriano tractatum de Vnctione chriſmatis, qui illius non eſt, ſed eius auctor eſt Abbas quidam Bonæ vallis. Secunda eſt, cur affirmem canonem Arauſicani Concilii correctum, & explicatum à P. Iacobo Sirmundo, contradicere Decretali Innocentii I. quod, inquit, non videtur eſſe verum. Nam Concilium iſtud declarat ſolùm non eſſe neceſſarias duas vnctiones poſt Baptiſmum: contra eos, qui exiſtimare potuiſſent duas vnctiones Romæ adhiberi ſolitas ex eodem chriſmate, non minùs eſſe neceſſarias, quàm Baptiſmum, & impoſi-

finem : *Quis credat Concilium particulare Arausicanum contra sententias Summi Pontificis, & vsum communem illius temporis Ecclesiæ Latinæ, siue Occidentalis, statuisse?* Vbi supponere me dicit omnes Ecclesias Occidentis vsurpasse tunc temporis duas vnctiones post Baptismum, sicut Ecclesiæ Romanæ mos erat. Vnam post egressum è lauacro, vt loquitur Tertullianus à me laudatus disp. 26. Alteram post impositionem manuum, vt patet ex sacramentali Gregorii Magni, & facilè deducitur ex Decretali Innocentii. Tum à me postulat, vt vsum illum fuisse communem totius Occidentis probem aliquot testimoniis SS. Patrum in aliis Ecclesiis degentium, qui vel Concilium Arausicanum præcesserint, vel eodem tempore, aut non longè post vixerint. Neque enim scire possum fuisse illum communem vsum, si nullus eo tempore mentionem eius fecit. Neque æquum est, vt velim meæ assertioni sine vlla probatione fidem haberi. Deinde, cùm affirmem, inquit, fuisse in tota Occidentali Ecclesia vsum duplicis illius vnctionis : si testimonia Patrum, quæ proferam, de vnctione loquantur simpliciter, & indistinctè, id est, non designando expresè hanc vel illam ; oportet certum à me indicium tradi, quo deprehendatur de quenam ex illis vnctionibus loquantur.

52. Expeditur.

Respondeo primò, dicere *vsum communem*, non esse idem ac dicere *Omnes Ecclesias Occidentis*. Qui enim diceret ex. gr. vsum communem Ecclesiæ Occidentalis esse inchoare ieiunium quadragesimale à feria 4. Cinerum ; non propterea diceret Ecclesiam Mediolanensem ita facere. Secundò, affirmare vsum communem Occidentalis Ecclesiæ talè fuisse, & id probare testimonio Innocentii I. non est sine teste loqui, velleque vt mihi simpliciter id affirmanti fides habeatur. Quis enim recusет testimonium supremi, & vniuersalis Ecclesiæ pastoris circa praxim Ecclesiæ, præsertim tam sancti, tamque vigilantis, & eruditi Pontificis, cui ignota esse non potuit? Aut quis sibi persuadeat communem vsum Occidentalis Ecclesiæ in administratione sacramentorum non fuisse conformem doctrinæ generali pastoris eius vniuersalis, & praxi omnium aliarum matris, Romanæ Ecclesiæ? Quis etiam non videt Innocentium verbis à me relatis disp. illa 27. sect. 3. num. 27. loqui vniuersaliter de presbyteris, non autem de solis presbyteris Ecclesiæ Romanæ peculiariter sumptæ? Sic enim habent : *Presbyteris chrismate baptizatos vngere licet* (in vertice) *sed quod ab Episcopo fuerit consecratum : non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cùm tradunt Spiritum sanctum paracletum.* Si tamen alia veterum testimonia ex aliis Ecclesiis isti addenda sunt: ostendi iam antea numero 38. & seqq. Tertullianum de his duabus vnctionibus loqui lib. de Bapt. cap. 7. & lib. de Resurrect. cap. 8. denique indicia quibus certò inter se discerni valeant. Et Ambrosium loqui de priori, hoc est, de baptismali, verbis antea relatis ex lib. 3. de Sacram. cap. 1. De posteriori autem cap. 2. eiusdem libri, *Sequitur spirituale signaculum* &c. Et lib. de iis, qui in mysteriis initiantur cap. 7. *Signauit te Deus Pater, confirmauit Christus Dominus, & dedit pignus Spiritus in cordibus tuis.* Neque enim dubitandum est ipsum loqui de eodem signaculo, de quo Prudentius eius contemporaneus, cùm ait :

Post inscripta oleo frontis signacula, per quæ
Vnguentum regale datum est, & Chrisma perenne.

53. Quòdque ibidem loquatur de consignatione Confirmationis, siue vnctione Chrismatica ipsius propria, manifestè patet ex eo quòd effectum gratiæ illi tribuit, siue infusionem Spiritus sancti, eiusque donorum. Augustinus quoque de priori loquitur sermone 206. de Tempore : & de posteriori lib. 2. contra literas Petiliani cap. 104. Differentiaque inter vtramque satis perspicuè iisdem locis exprimitur. De eadem etiam loquitur S. Pacianus Episcopus Barcinonensis in sermone de Baptismo, cùm sic ait : *Lauacro peccata purgantur. Chrismate Spiritus sanctus superfunditur. Vtraque verò ista manu & ore Antistitis impetramus.* Vbi, per illa verba, *Chrismate Spiritus sanctus superfunditur*, satis apertè significat se loqui de vnctione Confirmationis verè sacramentali, & efficaci gratiæ. Nam, vt sæpius dixi, cerimonialis vnctio Baptismi non hunc præstat effectum. De eadem quoque loquitur & necessariam esse affirmat Cyprianus verbis supra relatis, & expensis num. 41. En igitur testimonia veterum Arausicano Concilio antiquiorum, ex aliis Ecclesiis, Carthaginensi & Hipponensi in Africa, Mediolanensi in Italia, Barcinonensi in Hispania. Vt omittam illum ipsum, cui sic scribit Innocentius, fuisse Episcopum Eugubinum, hoc est alterius Ecclesiæ quàm Romanæ, eo sensu quo D. Doctor intelligit. Modus autem generalis certò & exactè discernendi de vtra vnctione loquantur Patres in istis, & similibus testimoniis (plura enim proferri possent, si opus foret) iste est, vt attentè expendantur eorum verba, diligenterque illorum sensus, & Patrum intentio inspiciatur, & subtiliter penetretur : quod plerique non faciunt, minúsque facere apti sunt, doctrinâ Theologiæ Scholasticæ (quæ clauis est intelligentiæ Scripturæ, & Patrum) destituti, ingeniique acumine, & iudicii soliditate parum à natura instructi.

54. Septima difficultas est, Cur existimem canonem 1. Arausicani Concilii I. obscurum esse, propter rationes ex Aurelio transcriptas : & non potiùs clarum, & facilem esse, propter ea, quæ de illo à R. P. Iacobo Sirmundo scripta fuerunt, & à viro clarissimo Petro de Marca Præside Nauarro-Palensi, in fine dissertationis de primatu Lugdunensi

Septima difficultas.

Digitized by Google

Quódque dixi Canonem illum obſcurum eſſe tum propter lectionum varietatem, tũ propter verborum perplexitatem, poteſt, inquit, retorqueri in teſtimonia Sanctorum Patrum à me allegata pro vnctione Confirmationis: de quorum ſingulis dici poteſt: Hic locus eſt obſcurus: propter diuerſum vſum, ad quem, Scholaſtici Doctores illum adhibent, ita vt nihil certi poſſit ex illo colligi. Idem quoque dici poteſt de loco Actorum à me producto, ſimul ad probandam cerimoniam Baptiſmi, & veritatem ſacramenti Confirmationis, deque aliis Scripturæ locis, quorum plures reperiuntur lectiones diuerſæ, maiorque in illis eſt verborum perplexitas, quàm in canone Arauſicano.

55. Reſpondeo, Canonem illum Arauſicanum non mihi ſoli, ſed quamplurimis aliis obcurum adhuc, & difficilem videri, non obſtante luce quam R. P. Iacobus Sirmundus illi afferre conatus eſt, & iis, quæ à prædicto illuriſſimo Præſide fuerunt addita in tractatu citato. Qui licet nondum in manus meas venerit, non poſſum tamen mihi perſuadere clarum, & facilem ab eo redditum fuiſſe: cùm videam omnes fere Theologos lectionem illam, negatione additâ, & expoſitionem canonis Arauſicani ſuſpectam habere: imò etiam pleroſque verbis aſperioribus inſectari. Et quamuis prædictos auctores maximopere veneror, vt par eſt, plurimique facio, neque dubito vtrumque in SS. Patrum, & Conciliorum lectione optimè verſatum eſſe: non exiſtimo tamen id à me ipſos exigere, vt relicta communi Theologorum ſententia, atque in primis D. Thomæ, ſolidis, vt mihi quidem, plurimiſque aliis videtur, argumentis, & generalis Concilii Florentini auctoritate munita; ſequar peculiares ipſorum opiniones, ſi expenſis eorum rationibus (vt certè expendi, quas R. P. Sirmundus propoſuit) ſatisfacere minùs mihi poſſim.

Reſpondetur.

56. Quod verò addit Opponens, rationes, quas in contrarium attuli, fuiſſe ex Aurelio tranſcriptas, veritati minus conſentaneũ eſt: pace illius dixerim. Poſſum enim certiſſimè affirmare; & Deum in teſtem adſciſcere, nihil me vnquam ex illo auctore tranſcripſiſſe. Cuius ſcribendi modus parum modeſtus, & Theologo dignus (ne quid aſperius dicam) me prorſus ab eo legendo deterruit, inſpectis curſim variis eius locis, vbi vix quicquam reperi quod non mihi grauiter diſpliceret. Si autem vtrique noſtrum eædem rationes occurrerunt, ſignum eſt facilè obuias eſſe: cùm ingenia tam diuerſa illas excogitauerint.

57. Cæteris, quæ addit Opponens, de reflexione, ſeu retorſione obiectionis meæ in teſtimonia Scripturæ, & SS. Patrum à me producta, exiſtimo abundè ſatisfactum fuiſſe paulò ſuperiùs num. 36. & ſeqq. reſpondendo primæ, & ſecundæ difficultati. Speciatim verò quod ad Scripturam attinet, eiuſque lectiones, & interpretationes diuerſas; non ignorat D. Doctor ſolam verſionem vulgatam eſſe authenticam; ſtatuique à Tridentino ſeſſ. 4. initio Decreti *de editione, & vſu ſacrorum librorum*, vt pro tali habeatur, & vt nemo illam reiicere quouis prætextu audeat vel præſumat: adeóque verſiones alias quaſcunque illi poſtponendas eſſe. Si textus aliquis, aut lectio canonis Arauſicani proferretur, de quo Eccleſia ſic ſtatuiſſet; illi facilè, ac ſine vlla dubitatione acquieſcerem. In Scripturæ autem interpretatione ſtatuit idem Concilium, & præcipit loco cit. poſt Lateranenſe ſub Leone X. vt nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus fidei, & morum, ad ædificationem doctrinæ chriſtianæ pertinentium, ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarũ ſanctarum, aut etiam contra vnanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam interpretari audeat. Ex hac igitur regula generali de vero ſenſu Scripturæ iudicandum eſt. Illam autem ſecutus ſum, quando locum relatum, ex Act. 8. de ſacramento Confirmationis expoſui. De eiuſdẽ verò applicatione ad cerimoniam quãdam baptiſmi, ſufficiunt quæ dixi num. 36. & 37.

58. Moneo præterea longè differre iſta duo: Proferre inter pleraque alia teſtimonia clara, & facilia, vnum, aut alterum malè à quibuſdam catholicis intellectum, ſed tamen appoſitum, & efficax, ad confirmandam veritatem communiter receptam, & aliunde bene ſtabilitam: &, doctrinam à communi abhorrentem, Concilio Florentino minùs conſentaneam, vt mihi cum plurimis aliis videtur, tantaſque turbas inter catholicos excitantem, fundare in canone diuerſimodè, & contradictoriè relato in variis exemplaribus: & cuius verba perplexa meritò videntur quamplurimis, iis non obſtantibus, quæ à ſupradictis auctoribus ad eius illuſtrationem ſcripta ſunt. Primum à me factum eſt. Secundum præſtat D. Doctor, cum paucis aliis eiuſdem cum illo ſententiæ. Vtrum potiori iure fiat, ſapiens lector facilè iudicabit.

59. Octaua difficultas.

Octaua, & vltima difficultas plures continet partes. Prima eſt, cur Leoni I. tribuã epiſtolam de Chorepiſcopis, quæ eſt Leonis III. & D. Cypriano tractatum de Vnctione chriſmatis, qui illius non eſt, ſed eius auctor eſt Abbas quidam Bonæ vallis. Secunda eſt, cur affirmem canonem Arauſicani Concilii correctum, & explicatum à P. Iacobo Sirmundo, contradicere Decretali Innocentii I. quod, inquit, non videtur eſſe verum. Nam Concilium iſtud declarat ſolùm non eſſe neceſſarias duas vnctiones poſt Baptiſmum: contra eos, qui exiſtimare potuiſſent duas vnctiones Romæ adhiberi ſolitas ex eodem chriſmate, non minùs eſſe neceſſarias, quàm Baptiſmum, & impoſi-

ctus Christianus fieri, iuxta verba Innocẽtii I. modò relata: & Vrbani Papæ epist. 1. c. 7. sic dicentis: *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum* (confignationem modo supradicto ex Innocentio) *Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, vt pleni Christiani inueniantur. Quia cùm Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam, & constantiam dilatatur.* Quare si contrarium statuit canon Arausicanus, voluitque has duas vnctiones post Baptismum non esse necessarias sensu supradicto, vt illum refert, & interpretatur Opponens, manifestum est contradicere Decretali Innocentii I. cuius verba retulimus, & expendimus.

64. Ad tertiam Respondeo, nullam à me factam in eo fuisse comparationem inter Ecclesias Latinam, & Græcam: neque vsquam affirmatum, illam duas vnctiones post Baptismum adhibere consueuisse, non illam. Neque ex eo quod dixi, duas fuisse adhibitas in Latina Ecclesia, inferri potest me contrarium affirmare, vel insinuare de Græca: nisi nimis seuerè, & rigidè mecum agendo, plusque mihi tribuendo, quàm dixerim. Quasi verò dicere ex. gr. vnum ieiunium quadragesimale seruari in Ecclesia Latina, sit propterea negare, vel contrarium insinuare de Græca? Quare cùm nihil tale asseruerim, non est opus vt tempus aliis rebus mihi necessarium impendam inquirendis, vel expendendis testimoniis Patrum Græcorum, quibus probem quod perperam, & immeritò mihi tribuitur, & cuius potiùs oppositum asserui, quando eorum testimonia protuli pro vtraque vnctione disp. 26. sect. 2. num. 16. & d. 27. sect. 3. n. 17.

65. Ad quartam, idem Respondeo quod suprà dixi de auctore libri de Cardinalibus Christi operibus, citari solito sub nomine D. Cypriani. Neque addo rationes à Doctore propositas, vt ostendat librum illum *de quæstionibus ad Orthodoxos*, non esse Iustini Martyris, fuisse transcriptas ex Bellarmino lib. de Script. ecclesiast. Quia scio eaidem facilè potuisse in mentem illius venire: & nolo in eo peccare, quod notaui n. 56.

Ad quintam Respondeo, tam periculum esse, Edictum Constantini à me citatum disp. 27. sect. 3. num. 27. loqui de vnctione Confirmationis; vt ad id ostendendum, euidenterque probandum, sufficiat sola eius verba referre. Sic enim loquitur Constantinus paulò ante medium illius Edicti: *Leuato me de venerabili fonte, induto vestibus candidis, septiformis gratiæ sancti Spiritus consignationem adhibuit, beati chrismatis vnctione, & vexillum sanctæ crucis in mea fronte liniuit, dicens: Signet te Deus sigillo fidei suæ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. in consignatione fidei.* Quo autem iure à me postuletur, vt Edictum illud verè Constantini esse confirmem, si quas nouas habeo rationes ad id probandum, non video: cùm ibidem satis apertè significauerim me non ita sentire, verbis illis, *si tamen verè illius est.* Neque enim penitùs ignoro quid de illo scripserint tum plures alii, tum speciatim eruditissimus Cardinalis Baronius tom. 3. & 12. Annalium ecclesiasticorum. 66.

Et hæc de propositis difficultatibus dicta sufficiant. Ex quibus facilè prudens lector coniiciet, quid iudicandum sit de aliis id genus, si quæ forsan aliæ (vt istæ) sparsæ fuerint in vulgus, aut deinceps spargentur, hoc præsertim tempore, quo Scriptores nostræ Societatis tam facilè & seuerè à nonnullis reprehenduntur.

FINIS.

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE,

qui in hoc volumine illuſtrantur.

Litera D. deſignat diſputationem. N. numerum. P. paginam.

Geneſis.

Cap. 1. v. 28. Reſcite, & multiplicamini, & replete terrã. d. 69. n. 78. & 79. pag. 694. & n. 82. pag. 695.

2. v. 18. Non eſt bonum eſſe hominem ſolum: faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. d. 69. n. 77. pag. 694.

2. v. 24. Erunt duo in carne vna. d. 72. num. 30. pag. 777.

6. v. 6. Pœnituit eum quòd hominem feciſſet, & tactu dolore cordis intrinſecùs. diſp. 41. n. 3. p. 4.

29. v. 21. Da mihi vxorem meam, quia iam tempus impletum eſt, vt ingrediar ad eam. d. 70. num. 3. p. 699.

Exodus.

Cap. 7. v. 3. Indurabo cor eius, *Pharaonis*, d. 44. n. 3. p. 41.

Leuiticus.

Cap. 9. v. 27. Neque in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam. d. 68. n. 5. p. 647.

21. v. 5. Non radent caput, nec barbam. d. 68. n. 5. & 6. ibid.

Numeri.

Cap. 30. v. 7. Si maritum habuerit, & vouerit aliquid, & ſemel de ore eius verbum egrediens animã eius obligauerit iuramẽto: quo die audierit vir, & non contradixerit, vori rea erit, reddetque quodcunque promiſerat. Sin autem audiens ſtatim contradixerit, & irritas fecerit pollicitationes eius, verbaque quibus obſtrinxerat animam ſuam: propitius erit ei Dominus. d. 78. n. 47. p. 900.

ibid. v. 14. Si vouerit, & iuramento ſe conſtrinxerit, vt per ieiunium, vel cæterarum rerum abſtinentiam affligat animam ſuam, in arbitrio viri erit vt faciat, ſiue non faciat. ibid.

Deuteronomium.

4. v. 29. Cúmque quæſieris Dominum Deũ tuum, inuenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ. d. 48. n. 99. p. 139.

21. v. 15. Si habuerit homo vxores duas vnam dilectam, & alteram odioſam, genuerintque ex eo liberos, & fuerit filius odioſæ primogenitus, voluerítque ſubſtantiam inter filios ſuos diuidere: non poterit filiũ dilectæ facere primogenitũ, & præferre filio odioſæ. d. 72. n. 28. p. 777.

24. v. 1. Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem: ſcribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua. d. 72. n. 84. p. 791. & n. 89. p. 793. & n. 91. 92. ibid.

v. 4. Non poterit prior maritus recipere eam in vxorem: quia pollura eſt, & abominabilis facta eſt coram Domino. ibid.

32. v. 4. Dei perfecta ſũt opera. d. 41. n. 79. p. 59.

Libri Regum.

1. Reg. 21. v. 4. Si mundi ſunt pueri, maximè à mulieribus. d. 69. n. 14. p. 677.

2. Reg. 5. v. 2. Tu paſces populum meum Iſraël. d. 55. n. 31. p. 352.

2. Reg. 12. v. 14. Verumtamen quoniã blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc filius qui natus eſt tibi, morte morietur. d. 44. n. 82. p. 60. &. d. 64. n. 30. & 31. p. 579.

3. R. 8. v. 30. Quodcunque orauerint in loco iſto &c. propitius eris. d. 45. n. 23. p. 78.

3. R. 17. v. 18. Quid mihi, & tibi vir Dei? Ingreſſus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum. d. 46. n. 15. p. 94.

Tobiæ liber.

Cap. 6. v. 17. Hi namque qui coniugium ita ſuſcipiunt, vt Deum à ſe, & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, habet ppreſtatem dæmonium ſuper eos. d. 72. n. 12. p. 771.

Digitized by Google

Index locorum Sacræ Scripturæ.

Psalmorum liber.

Psal. 31. v. 1. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum d. 44. n. 67. p. 56.

Ibid. v. 1. 5. Dixi cõfitebor aduersum me iniustitiã meã Domino &c. d. 44. n. 35. p. 47.

68. v. 1. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. d. 64. n. 17. p. 575.

80. v. 13. Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum: ibunt in adinuẽtionibus suis. d. 44. n. 12. p. 41.

127. v. 1. Beati omnes qui timent Dominum d. 48. n. 87. p. 136.

118. v. 63. Particeps ego sum omnium timentiũ te, &c. d. 63. n. 36. p. 556.

146. v. 3. Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum d. 41. n. 30. p. 10.

Prouerbia.

Cap. 18. v. 23. Qui expellit mulierem bonam, expellit bonũ: qui autẽ tenet adulterã, stultus est, & impius. d. 79. n. 27. p. 909.

24. v. 16. Septies cadet iustus, & resurget d. 64. n. 28. p. 578.

27. v. 23. Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera d. 53. n. 36. p. 277.

Ecclesiastes.

Cap. 7. v. 14. Considera opera Dei quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit. d. 44. n. 14. pag. 41.

Sapientia.

Cap. 9. v. 6. Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum. d. 64. n. 38. p. 581.

12. v. 10. Nequã est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum: & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. d. 44. n. 9. p. 41.

Ecclesiasticus.

Cap. 3. v. 27. Qui amat periculum, peribit in illo. d. 75. n. 14. p. 840.

11. v. 3. Si ceciderit lignũ ad Austrum, aut ad Aquilonẽ, in quocunque loco ceciderit, ibi erit. d. 64. n. 39. & 40. p. 581.

13. v. 1. Qui tetigerit picẽ, inquinabitur ab ea. d. 75. n. 14. p. 840.

34. v. 23. Dona iniquorũ non probat altissimus: nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis d. 45. n. 53. p. 87.

Isaias.

Cap. 6. v. 10. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & cõuertatur, & sanem eum. d. 44. n. 13. p. 41.

22. v. 22. Dabo clauem domus Dauid super humerum eius: & aperiet, & non erit, qui claudat. d. 56. n. 26. p. 350

30. v. 15. Cum ingemueris, tunc saluus eris *iuxta versionem LXX.* d. 44. n. 35. & 37. p. 47.

v. 19. Plorans nequaquã plorabis: miserans misereberis tui. Advocẽ clamoris tui statim ut audierit respõdebit tibi. d. 44. n. 37. p. 48.

Hieremias.

Cap. 3. v. 1. Vulgò dicitur, si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo duxerit virũ alterum: nunquid reuertetur ad eum vltra? Nunquid non polluta: & contaminata erit mulier illa? d. 72. n. 84. & 90. p. 791.

9. v. 26. Visitabo super omnes, qui attonsi sunt in comã. d. 68. n. 5. & 7. p. 647. & 648.

31. v. 18. Conuerte me Domine, & conuertar: postquam enim conuertisti me, egi pœnitentiam. d. 48. n. 89. & 90. p. 157.

Ezechiel.

Cap. 18. v. 21. Si autem impius egerit pœnitẽtiam &c. omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor d. 64. num. 41. p. 581.

v. 24. Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatẽ &c. omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur. d. 46. n. 18 & 19. p. 94 & d. 47. n. 15. p. 104.

33. v. 12. Impietas impii non nocebit ei in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua. d. 44. n. 35. p. 47. & n. 84. p. 60.

Ioel.

Cap. 2. v. 25. Reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, & rubigo, & eruca. d. 47. n. 9. p. 102.

Michæas.

Cap. 4. v. 10. Dole, & satage filia Sion, quasi parturiens. d. 48. n. 99. p. 139.

Nahum.

Cap. 1. v. 9. Non consurget duplex tribulatio, *vel vt habet alia versio*, Non iudicabit bis in idipsum. d. 46. n. 10. p. 93.

Malachias.

Cap. 2. v. 16. Cùm odio habueris, dimitte dicit Dominus d. 72. n. 86. p. 792.

Libri Machabæorum.

Lib. 2. c. 12. v. 43. Facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymã offerri pro peccatis mortuorum sacrifi-

Digitized by Google

cium. D. 64. num. 3. p. 512.
v. 44. Bene & religiosè de resurrectione cogitãs &c. d. 64. n. 6. ibid.
v. 46. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. 64. n. 3. ibid.
25. v. 39. Et si quidem bene, & vt historiæ competit, hoc & ipse velim: sin autem minus dignè, concedendum est mihi. d. 64. n. 5.

Matthæus.

Cap. 1. v. 20. Ioseph fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam. d. 79. num. 22. & 23. p. 907.
3. v. 2. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. disput. 41. n. 15. p. 7.
5. v. 22. Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio &c. d. 64. n. 28. p. 578
v. 32. Omnis qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat. d. 78. num. 24. p. 894. & d. 79. n. 58.
6. v. 12. Dimitte nobis debita nostra &c. d. 45. n. 23. p. 78. & n. 46. p. 85.
10. v. 33. Cùm persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliã. d. 65. n. 51. & 52. p. 603.
12. v. 32. Quicunq; dixerit verbum contra filiũ hominis, remittetur ei. Quicunque autẽ dixerit verbum contra Spiritum S. non remittetur ei neque in hoc sæculo, neq; in futuro. d. 64. n. 10. & seqq. p. 574. & d. 44. n. 8. p. 40. & d. 45. n. 35. p. 81.
14. v. 4. Non licet tibi habere vxorem fratris tui. d. 76. n. 8. p. 853.
16. v. 18. Tu es Petrus, & super hanc Petrã ædificabo Ecclesiam meam &c. d. 56. n. 4. p. 344. & d. 68. n. 43. & seq. p. 658.
v. 19. Tibi dabo Claues regni cœlorũ, & quodcunque solueris &c. d. 56. n. 26. p. 350. & d. 57. n. 16. p. 367. & d. 67. n. 60. p. 640.
18. v. 15. Si peccauerit in te frater tuus &c. Dic Ecclesiæ &c. d. 58. n. 2. p. 373.
v. 18. Amen dico vobis, quodcunque alligaueritis super terram &c. d. 41. n. 22. p. 8. & d. 57. n. 16. p. 367. & d. 58. n. 6. p. 374.
v. 22. Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies d. 43. n. 17. p. 33.
v. 32. & 33. Serue nequam omne debitum dimisi tibi, quoniã rogasti me: nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui &c. & v. 35. Sic & pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis &c. d. 46 n. 16. & 17. p. 94.
19. v. 5. Erunt duo in carne vna &c. d. 72. n. 30. p. 777.
ibid. Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ. d. 78. n. 24. p. 894.
v. 6. Quod ergo Deus coniunxit homo non separet d. 71. n. 110. & 111. p. 760. & d. 72. n. 46. p. 781.
v. 7. Quid ergo Moyses mandauit nobis dare libellum repudii & dimittere? Ait illis: Quoniã Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras: ab initio autem non fuit sic. d. 72. num. 84. & 88. p. 791. & 792.
v. 9. Quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur; & qui dimissam duxerit, mœchatur. d. 72. n. 50. 55. & 56. p. 782. & 783. & d. 79. n. 4. p. 903. & n. 20. p. 907.
v. 29. Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrẽ aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet &c. d. 79. n. 57. d. 916.
22. v. 32. Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Non est Deus mortuorum, sed viuentium. d. 64. n. 8. p. 573.

Marcus.

Cap. 3. v. 29. Qui autẽ blasphemauerit in Spiritum S. non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti. d. 44. n. 8. p. 40.
10. v. 11. Quicunque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. d. 72. n. 51. p. 782.

Lucas.

Cap. 7. v. 47. Remittuntur ei peccata multa, quoniã dilexit multum. d. 44. n. 40. p. 49.
v. 21. Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus? d. 57. n. 7. p. 363.
12. v. 50. Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor vsque dum perficiatur? d. 64. n. 17. p. 575.
15. v. 22. Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manus eius, & calceamenta in pedes eius d. 47. num. 1. p. 101.
16. v. 18. Omnis qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam ab eo ducit, mœchatur d. 72. n. 51. p. 782.
17. v. 10. Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. d. 63. n. 41. p. 557.
24. v. 46. Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die: & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes. d. 41. n. 46. p. 15. & num. 51. p. 16.

Ioannes.

Cap. 5. v. 14. Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat d. 46. num. 33. p. 98.
11. v. 43. Lazare veni foras. Et statim prodiit &c. disput. 57. numero 15. p. 366. & num. 24. p. 367.
20. v. 22. Accipite Spiritum S. quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis. d. 41. n. 19. p. 8. & d. 49. n. 46. p. 188. & d. 57. n. 3. p. 362.

Digitized by Google

Index locorum Sacræ Scripturæ.

Pſalmorum liber.

Pſal. 31. v. 1. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum d. 44. n. 67. p. 56.

Ibid. v. 1. 5. Dixi cõfitebor aduerſum me iniuſtitiã meã Domino &c. d. 44. n. 35. p. 47.

68. v. 1. Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia. d. 64. n. 17. p. 575.

80. v. 13. Et dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum: ibunt in adinuẽtionibus ſuis. d. 44. n. 12. p. 41.

127. v. 1. Beati omnes qui timent Dominum d. 48. n. 87. p. 136.

118. v. 63. Particeps ego ſum omnium timentiũ te, &c. d. 63. n. 36. p. 556.

146. v. 3. Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum d. 41. n. 30. p. 10.

Prouerbia.

Cap. 18. v. 23. Qui expellit mulierem bonam, expellit bonũ: qui autẽ tenet adulterã, ſtultus eſt, & impius. d. 79. n. 27. p. 909.

24. v. 16. Septies cadet iuſtus, & reſurget d. 64. n. 28. p. 578.

27. v. 23. Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera d. 53. n. 36. p. 277.

Eccleſiaſtes.

Cap. 7. v. 14. Conſidera opera Dei quod nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit. d. 44. n. 14. pag. 41.

Sapientia.

Cap. 9. v. 6. Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum. d. 64. n. 38. p. 581.

12. v. 10. Nequã eſt natio eorum, & naturalis malitia ipſorum: & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. d. 44. n. 9. p. 41.

Eccleſiaſticus.

Cap. 3. v. 27. Qui amat periculum, peribit in illo. d. 75. n. 14. p. 840.

11. v. 3. Si ceciderit lignũ ad Auſtrum, aut ad Aquilonẽ, in quocunque loco ceciderit, ibi erit. d. 64. n. 39. & 40. p. 581.

13. v. 1. Qui tetigerit picẽ, inquinabitur ab ea. d. 75. n. 14. p. 840.

34. v. 23. Dona iniquorũ non probat altiſſimus: nec in multitudine ſacrificiorum eorum propitiabitur peccatis d. 45. n. 53. p. 87.

Iſaias.

Cap. 6. v. 10. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & cõuertatur, & ſanem eum. d. 44. n. 13. p. 41.

22. v. 22. Dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius: & aperiet, & non erit, qui claudat. d. 56. n. 26. p. 350

30. v. 15. Cum ingemueris, tunc ſaluus eris *iuxta verſionem LXX.* d. 44. n. 35. & 37. p. 47.

v. 19. Plorans nequaquã plorabis: miſerans miſerebitur tui. Advocé clamoris tui ſtatim vt audierit reſpõdebit tibi. d. 44. n. 37. p. 48.

Hieremias.

Cap. 3. v. 1. Vulgò dicitur, ſi dimiſerit vir vxorem ſuam, & recedens ab eo duxerit virũ alterum: nunquid reuertetur ad eum vltra? Nunquid non polluta: & contaminata erit mulier illa? d. 72. n. 84. & 90. p. 791.

9. v. 26. Viſitabo ſuper omnes, qui attonſi ſunt in comã. d. 68. n. 5. & 7. p. 647. & 648.

31. v. 18. Conuerte me Domine, & conuertar: poſtquam enim conuerti ſti me, egi pœnitentiam. d. 48. n. 89. & 90. p. 157.

Ezechiel.

Cap. 18. v. 21. Si autem impius egerit pœnitẽtiam &c. omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor d. 64. num. 41. p. 581.

v. 24. Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatẽ &c. omnes iuſtitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur. d. 46. n. 18 & 19. p. 94 & d. 47. n. 15. p. 104.

33. v. 12. Impietas impii non nocebit ei in quacunque die conuerſus fuerit ab impietate ſua. d. 44. n. 35. p. 47. & n. 84. p. 60.

Ioel.

Cap. 2. v. 25. Reddam vobis annos, quos comedit locuſta, bruchus, & rubigo, & eruca. d. 47. n. 9. p. 102.

Michæas.

Cap. 4. v. 10. Dole, & ſatage filia Sion, quaſi parturiens. d. 48. n. 99. p. 139.

Nahum.

Cap. 1. v. 9. Non conſurget duplex tribulatio, *vel vt habet alia verſio*, Non iudicabit bis in idipſum. d. 46. n. 10. p. 93.

Malachias.

Cap. 2. v. 16. Cùm odio habueris, dimitte dicit Dominus d. 72. n. 86. p. 792.

Libri Machabæorum.

Lib. 2. c. 12. v. 43. Facta collatione, duodecim millia drachmas argenti miſit Hieroſolymã offerri pro peccatis mortuorum ſacrifi-

cium. D. 64. num. 3. p. 512.

v. 44. Bene & religiosè de resurrectione cogitãs &c. d. 64. n. 6. ibid.

v. 46. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. 64. n. 3. ibid.

15. v. 39. Et si quidem bene, & vt historiæ competit, hoc & ipse velim: sin autem minus dignè, concedendum est mihi. d. 64. n. 5.

Matthæus.

Cap. 1. v. 20. Ioseph fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam. d. 79. num. 22. & 23. p. 907.

3. v. 2. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. dispu. 41. n. 15. p. 7.

5. v. 22. Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio &c. d. 64. n. 38. p. 578

v. 32. Omnis qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat. d. 78. num. 24. p. 894. & d. 79. n. 58.

6. v. 12. Dimitte nobis debita nostra &c. d. 45. n. 23. p. 78. & n. 46. p. 85.

10. v. 33. Cùm persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliã. d. 65. n. 51. & 52. p. 603.

12. v. 32. Quicunq; dixerit verbum contra filiũ hominis, remittetur ei. Quicunque autẽ dixerit verbum contra Spiritum S. non remittetur ei neque in hoc sæculo, neq; in futuro. d. 64. n. 10. & seqq. p. 574. & d. 44. n. 8. p. 40. & d. 45. n. 35. p. 81.

14. v. 4. Non licet tibi habere vxorem fratris tui. d. 76. n. 8. p. 853.

16. v. 18. Tu es Petrus, & super hanc Petrã ædificabo Ecclesiam meam &c. d. 56. n. 4. p. 344. & d. 68. n. 43. & seq. p. 658.

v. 19. Tibi dabo Claues regni cœlorũ, & quodcunque solueris &c. d. 56. n. 26. p. 350. & d. 57. n. 16. p. 367. & d. 67. n. 60. p. 640.

18. v. 15. Si peccauerit in te frater tuus &c. Dic Ecclesiæ &c. d. 58. n. 2. p. 373.

v. 18. Amen dico vobis, quodcunque alligaueritis super terram &c. d. 41. n. 22. p. 8. & d. 57. n. 16. p. 367. & d. 58. n. 6. p. 374.

v. 22. Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies d. 43. n. 17. p. 33.

v. 32. & 33. Serue nequam omne debitum dimisi tibi, quoniã rogasti me: nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui &c. & v. 35. Sic & pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis &c. d. 46 n. 16. & 17. p. 94.

19. v. 5. Erunt duo in carne vna &c. d. 72. n. 30. p. 777.

ibid. Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ. d. 78. n. 24. p. 894.

v. 6. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet d. 71. n. 110. & 111. p. 760. & d. 72. n. 46. p. 781.

v. 7. Quid ergo Moyses mandauit nobis dare libellum repudii & dimittere? Ait illis: Quoniã Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras: ab initio autem non fuit sic. d. 72. num. 84. & 88. p. 791. & 792.

v. 9. Quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur; & qui dimissam duxerit, mœchatur. d. 72. n. 50. 55. & 56. p. 782. & 783. & d. 79. n. 4. p. 903. & n. 20. p. 907.

v. 29. Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrẽ aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet &c. d. 79. n. 57. d. 916.

22. v. 32. Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Non est Deus mortuorum, sed viuentium. d. 64. n. 8. p. 573.

Marcus.

Cap. 3. v. 29. Qui autẽ blasphemauerit in Spiritum S. non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti. d. 44. n. 8. p. 40.

10. v. 11. Quicunque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. d. 72. n. 51. p. 782.

Lucas.

Cap. 7. v. 47. Remittuntur ei peccata multa, quoniã dilexit multum. d. 44. n. 40. p. 49.

v. 21. Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus? d. 57. n. 7. p. 363.

12. v. 50. Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor vsque dum perficiatur? d. 64. n. 17. p. 575.

15. v. 22. Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manus eius, & calceamenta in pedes eius d. 47. num. 1. p. 101.

16. v. 18. Omnis qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam ab eo ducit, mœchatur d. 72. n. 51. p. 782.

17. v. 10. Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. d. 63. n. 41. p. 557.

24. v. 46. Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die: & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes. d. 41. n. 46. p. 15. & num. 51. p. 16.

Ioannes.

Cap. 5. v. 14. Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat d. 46. num. 33. p. 98.

11. v. 43. Lazare veni foras. Et statim prodiit &c. dispu. 57. numero 15. p. 366. & num. 24. p. 367.

20. v. 22. Accipite Spiritum S. quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis. d. 41. n. 19. p. 8. & d. 49. n. 46. p. 188. & d. 57. n. 3. p. 362.

Digitized by Google

Index locorum Sacræ Scripturæ.

21. v. 15. Pasce agnos meos, pasce oues meas. d. 56. n. 9. p. 345. & n. 27. p. 351.
14. v. 2. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. d. 63. num. 35. p. 556.

Acta Apostolorum.

Cap. 8. v. 21. Non est tibi pars. neque sors in sermone isto &c. D. 58. n. 3. p. 374.
9. v. 18. Multique credentium veniebant confitentes, & enunciantes actus suos &c. D. 41. n. 28. p. 10.
14. v. 22. Cum constituissent illis per singulas Ecclesias Presbyteros. D. 66. num. 4. p. 606.
15. v. 9. Fide purificans corda eorum. D. 42. num. 21. p. 44.
v. 24. Quoniam audiuimus, quia quidam ex nobis exeuntes turbauerunt vos verbis, euertentes animas vestras: quibus non mandauimus. d. 67. n. 75. p. 643.
26. v. 20. Annunciabam, vt pœnitentiam ageret, & conuerterentur ad Deum, digna opera pœnitentiæ facientes &c. nihil extra dicens, quàm ea quæ Prophetæ locuti sũt futura. d. 41. n. 46. & 48. p. 15.

Pauli epistola ad Romanos.

Cap. 3. v. 24. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu. d. 44. n. 77. p. 59.
8. v. 1. Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu. d. 44. n. 73. pag. 58. & d. 64. n. 41. p. 581.
v. 8. Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. d. 69. num. 13. p. 677.
10. v. 15. Quomodo prædicabunt nisi mittantur? d. 67. num. 65. p. 641.
11. v. 29. Sine pœnitentia enim sunt dona, & vocatio Dei. d. 46. num. 6. p. 91.

Epistola I. ad Corinthios.

Cap. 3. v. 11. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est. &c. d. 56 n. 5. & 8. p. 344.
v. 15. Saluus erit, sic tamen quasi per ignem. d. 64. n. 21. p. 576.
5. v. 1. Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat. d. 76. n. 10. p. 854.
v. 3. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui vt præsens &c. tradere huiusmodi Satanæ in interitũ carnis, vt spiritus saluus sit. d. 58. n. 6. p. 374.
v. 12. Quid enim mihi de iis qui foris sunt iudicare. d. 44. n. 6. p. 40.
7. v. 2. Propter fornicationem autem vnusquisq; suam vxorem habeat, & vnaquæque suũ virum habeat. d. 72. n. 8. p. 770.
v. 3. Vxori vir debitum reddat, similiter autem & vxor viro. d. 78. n. 1. p. 888.
v. 4. Mulier sui corporis potestatem non habet sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. d. 72. n. 1. p. 768.
v. 6. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. d. 69. n. 86. p. 696.
v. 7. Volo enim omnes vos esse sicut meipsum: sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo. d. 67. n. 43. p. 636.
v. 9. Melius est nubere, quàm vri. d. 67. n. 44.
v. 10. Iis autem, qui matrimonio iuncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. d. 72. n. 41. p. 780. & n. 52. p. 782. & d. 79. n. 3. p. 903.
v. 12. Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam &c. d. 72. n. 76. p. 789.
v. 28. Si nupserit virgo, non peccauit. d. 71. n. 126. p. 764.
v. 39. Cui vult nubat: tantùm in Domino. d. 75. n. 3. p. 838.
11. v. 28. Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. d. 43. n. 16. p. 33. & d. 55. n. 38. p. 332.
v. 31. Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur. Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. d. 52. n. 7. p. 210.
15. v. 29. Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? d. 64. n. 16. & seqq. p. 575.
v. 32. Quid mihi prodest, si mortui non resurgũt? Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur. d. 64. n. 8. p. 573.
v. 41. Stella differt à stella claritate: sic resurrectio mortuorum. d. 63. n. 35. p. 556.

II. Ad Corinthios.

2. v. 10. Cui autem aliquid donastis, & ego: nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi. d. 63. n. 46. p. 558. & n. 48. p. 559.
3. v. 7. Quod si ministratio mortis literis deformata in lapidibus fuit in gloria &c. Quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria? d. 67. n. 47. p. 637.
3. v. 10. Vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum. d. 64. n. 39. & 40. p. 581.
6. v. 14. Nolite iugum ducere cum infidelibus. d. 75. n. 3. p. 837.
7. v. 10. Tristitia quæ secundum Deum est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. d. 51. n. 7. p. 210.
11. v. 1. Vtinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ: sed & supportate me. d. 64. n. 5. p. 572.
v. 6 Nam etsi imperitus sermone, sed non scientia, d. 64. n. 5. p. 572.
12. v. 11. Factus sum insipiẽs, vos me coegistis. ib.

Ad Galatas.

Cap. 3. v. 4. Tanta passi estis sine causa? Si tamen

Digitized by Google

ſine cauſa. d. 47. n. 10. p. 103.

6. v. 6. Vnuſquiſque onus ſuum portabit. d. 63. numero 43. pagina 558.

Ad Epheſios.

Cap. 4. v. 11. Ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, &c. d. 67. n. 48. p. 637.

5. v. 32. Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia. d. 69. n. 7. p. 675.

Ad Philippenſes.

Cap. 1. v. 1. Omnibus Sanctis, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis, & Diaconibus. d. 66. n. 37. p. 614.

Ad Coloſſenſes.

Cap. 1. v. 24. Gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia. d. 63. n. 10. p. 549.

I. ad Timotheum.

Cap. 2. v. 15. Saluabitur autem per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione, cum ſobrietate. d. 69. n. 9. p. 675.

3. v. 2. Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris virum. d. 67. n. 38. p. 635.

4. v. 1. In nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, &c. prohibentium nubere. d. 67. n. 39. p. 635.

v. 14. Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per Prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterij. d. 66. n. 3. p. 606.

5. v. 11. Cum luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. d. 67. n. 27. p. 633.

v. 19. Aduerſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. d. 68. n. 29. p. 654.

II. ad Timotheum.

Cap. 1. v. 6. Admoneo te vt reſuſcites gratiam, quæ in te eſt per impoſitionem manuum mearum. d. 66. n. 4. p. 606.

Ad Titum.

Cap. 1. v. 5. Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per ciuitates Presbyteros. d. 67. n. 57. p. 639.

3. v. 10. Hæreticum hominem poſt vnam, & ſecundam correptionem deuita. d. 79. n. 54. p. 916.

Ad Hebræos.

Cap. 5. v. 4. Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificauit, vt Pontifex fieret, &c. d. 67. n. 46. p. 637.

6. v. 4. Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cœleſte, &c. rurſus renouari ad pœnitentiam. d. 41. n. 42. p. 14.

v. 10. Non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius. d. 47. n. 1. p. 103.

9. v. 14. Emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti. d. 47. n. 6. p. 102.

10. v. 26. Voluntariè peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia. d. 41. n. 42. p. 14.

12. v. 17. Non enim inuenit pœnitentiæ locum, quamuis cum lacrymis inquiſiſſet eam. d. 44. n. 12. p. 41.

13. v. 4. Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. d. 67. n. 37. p. 635.

Epiſtola Iacobi.

Cap. 1. v. 15. Peccatum, cùm conſummatum fuerit, generat mortem. d. 44. n. 59. p. 54.

Cap. 2. v. 10. Quicunque autem totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus. d. 46. n. 12. p. 93.

v. 13. Iudicium ſine miſericordia illi qui non fecit miſericordiam. d. 46. n. 17. p. 94.

3. v. 2. In multis offendimus omnes. d. 64. n. 28. p. 578.

5. v. 14. Infirmatur quis in vobis? Inducat Preſbyteros Eccleſiæ, &c. d. 63. n. 2. p. 590.

Epiſtola I. D. Petri.

Cap. 5. v. 2. Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, prouidentes non coactè, &c. d. 56. n. 31. p. 352.

Epiſtola II. D. Petri.

Cap. 2. v. 3. Deus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti. d. 44. n. 2. p. 39.

Epiſtola I. Ioannis.

Cap. 1. v. 7. Sanguis eius emundat nos ab omni peccato. d. 45. n. 45. p. 84.

v. 8. Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus. d. 64. n. 28. p. 578.

v. 9. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus vt remittat nobis. d. 41. n. 28. p. 10.

2. v. 2. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam

pro totius mundi. d. 63. n. 29. p. 554.
3. v. 9. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet: & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. d. 44. n. 36. p. 47.
v. 15. Qui non diligit, manet in morte. d. 44. n. 25. p. 45.
4. v. 7. Omnis qui diligit, ex Deo natus est. d. 44. n. 36. p. 47.
v. 13. Vt sciatis quia vitam æternam habetis, qui creditis in nomine Filij Dei. d. 44. n. 20. pag. 43.
v. 16. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico vt roget quis. d. 44. n. 10. & 11. p. 41. & d. 55. n. 24. p. 328.

Apocalypsis.

Cap. 3. v. 7. Hæc dicit Sanctus, & verus, qui habet clauem Dauid, &c. d. 56. num. 26. p. 350.
v. 15. Vtinam frigidus esses, aut calidus: sed quia tepidus es, &c. d. 48. n. 99. p. 139. & n. 103. p. 140.
Cap. 14. v. 13. Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit Spiritus vt requiescant à laboribus suis. d. 64. n. 38. p. 581.

INDEX DISPVTATIONVM ET SECTIONVM, QVÆ HOC Volumine continentur.

TRACTATVS QVARTVS.

De Sacramento Pœnitentiæ.

DISPVTATIO XLI.

An sit aliquod Pœnitentiæ Sacramentum? p. 3.

Sect. 1. Status quæstionis, & variæ notiones nominis Pœnitentiæ. p. 4.
2. Pœnitentiam esse Sacramentum probatur ex Scriptura. p. 8.
3. Idem probatur ex Patribus, & consensu Ecclesiæ. p. 10.
4. Idem rationibus confirmatur. 13.
5. Soluuntur hæreticorum argumenta in contrarium. 15.

DISPVTATIO XLII.

De natura Sacramenti Pœnitentiæ. p. 18.

Sect. 1. Quæ sit huius Sacramenti materia & forma? 19.
2. Refutantur duæ opiniones contrariæ. 21.
3. Aliæ sententiæ nobis oppositæ refelluntur. 24.
4. Vtrum impositio manuum requiratur ad hoc Sacramentum? 26.

DISPVTATIO XLIII.

De necessitate, & vsu Sacramenti Pœnitentiæ. p. 28.

Sect. 1. An Sacramentum Pœnitentiæ sit necessarium ad salutem? p. 29.
2. Occurritur hæreticorum obiectionibus, contra necessitatem Sacramenti pœnitentiæ. 31.
3. An & quomodo Sacramentum Pœnitentiæ iterari possit? 33.

DISPVTATIO XLIV.

De effectu Sacramenti Pœnitentiæ & primò quoad remissionem peccatorum mortalium. p. 37.

Sect. 1. An per pœnitentiam omnia peccata remitti possint? 38.
2. An & quomodo peccatum mortale remitti potest sine Sacramento pœnitentiæ? 42.
3. An contritio sine dilectione sufficiat ad iustificationem: & vice versa, an sufficiat dilectio sine contritione? 44.
4. An contritio iustificet semper à peccato eodem instantiæ 47.
5. An de potentia absoluta peccatum habituale remitti possit sine pœnitentia? 49.
6. Soluuntur obiectiones opinionum contrariarum? 51.
7. Aliæ duæ sententiæ refutantur. 55.
8. Vtrum per pœnitentiam possit vnum mortale remitti sine alio. 58.
9. Vtrum remissa culpa per pœnitentiam remittatur reatus pœnæ. 59.
10. Soluuntur aliquot quæstiones circa doctrinam propositam. 63.
11. An de potentia absoluta possit Deus remittere culpam retenta pœna æterna. 65.
12. An remissio peccati sit effectus primarius Sacramenti Pœnitentiæ. 68.

DISPVTATIO XLV.

De remissione peccatorum venialium. 72.

Sect. 1. An, & quomodo remittantur venialia per Sacramentum Pœnitentiæ, & per alia Sacramenta? 73.
2. An Sacramentalia vim habeant remittendi venialia ex opere operato? 77.

Digitized by Google

Index Disputationum & Sectionum.

3. De remissione venialium ex opere operantis: & vtrum post hanc vitam remittantur? 79.
4. Quando, & quomodo remittuntur iustis peccata venialia post hanc vitam? 81.
5. An peccatũ veniale remitti possit sine gratiæ infusione, vel sine aliquo beneficio gratiæ? 84.
6. An veniale remitti possit ei, cui non est remissum mortale: vel vnum veniale sine alio? 87.

DISPVTATIO XLVI.

De redditu peccatorum per Pœnitentiam remissorum. pag. 89.

SECT. 1. Vtrum peccata per Pœnitentiam remissa redeant per subsequens peccatum? 90.
2. Soluuntur obiectiones contra doctrinam propositam. 93.
3. An peccata semel remissa redire possint de potentia absoluta? 95.
4. De ingratitudine peccantis post remissionem peccatorum. 96.
5. Aliæ duæ conclusiones de eadem ingratitudine. 98.

DISPVTATIO XLVII.

De virtutum recuperatione, & reuiuiscentia meritorum per Pœnitentiam. p. 100.

SECT. 1. Vtrum per Pœnitentiam virtutes amissæ recuperentur, & merita reuiuiscant? 101.
2. Vtrum merita mortificata reuiuiscant per Pœnitentiam ex iustitia, vel ex misericordia? 104.
3. An virtutes per Pœnitentiam integrè redeant, & merita perfectè reuiuiscant? 107.
4. An certum sit merita perfectè reuiuiscere per quamcunque Pœnitentiam sufficientem ad iustificationem? 111.

DISPVTATIO XLVIII.

De partibus materialibus sacramenti Pœnitentiæ: & primò, de Contritione. p. 114.

SECT. 1. An primus actus pœnitentis debeat esse necessariò virtutis Pœnitentiæ specialiter sumptæ? 116.
2. Soluuntur aliquot difficultates circa prædicta de virtute Pœnitentiæ. 120.
3. An primus actus pœnitentis debeat esse contritio, vel attritio, & quid illæ sint? 123.
4. An contritio, vel attritio debeat esse sensibilis, & vniuersalis? 127.
5. Difficultas circa doctrinam præcedentem de vniuersalitate contritionis. 129.
6. An propositum non peccandi de cætero debeat esse formale, & expressum? 132.
7. De attritione ex metu pœnarum, & gehennæ. 135.
8. An contritio, vel attritio sacramentalis debeat esse actus supernaturalis. 137.
9. An contritio, vel attritio debeat necessariò esse alicuius magnæ intensionis, aut durationis? 139.
10. An, & quomodo contritio, vel attritio sit detestatio peccati super omnia? 140.
11. An contritio, vel attritio debeat necessariò præcedere absolutionem, aut confessionem, aut toties iterari, quoties illæ iterantur? 145.
12. An contritio, vel attritio sufficiens ad Sacramentum, sufficiat ad effectum? 148.

DISPVTATIO XLIX.

De Confessione: & primò de illius necessitate. 150.

SECT. 1. Quid sit Confessio sacramentalis, quæue illius conditiones? 151.
2. An confessio sit necessaria ex præcepto diuino vel ecclesiastico. 152.
3. Quinam, & quando obligentur præcepto confessionis? 156.
4. Quænam excusent à præcepto confessionis? 159.
5. Vtrum si Christus Confessionem non præcepisset, potuisset ab Ecclesia præcipi? 160.
6. Soluitur alia difficultas circa doctrinam propositam. 162.
7. Quomodo tempus annuæ Confessionis præceptæ in Concilio Lateran. computandum sit; & qualis Confessio requiratur, vt satisfiat huic præcepto? 165.
8. De necessitate Confessionis ante Communionem, vel etiam post respectu Sacerdotum celebrantium non præmiss. Confessione? 169.
9. De necessitate Pœnitentiæ, abstrahendo à Sacramentali, & non sacramentali. 171.
10. Quo tempore obliget præceptum naturale pœnitentiæ? 175.

DISPVTATIO L.

De qualitate, & integritate Confessionis. p. 178.

SECT. 1. An Confessio debeat necessariò voce fieri, vel secretò, vel sine mendacio, & sine mala intentione? 179.
2. An Confessio debeat fieri in præsentia Sacerdotis? 182.
3. An, & quomodo necesse sit integrè confiteri? 186.
4. An, & quomodo circunstantiæ peccatorum explicandæ sint? 189.
5. Refellitur noua quædam sententia. 191.
6. Notantur aliqua de circunstantiis. 192.
7. Quomodo numerus peccatorum mortalium explicandus sit? 197.
8. An, & quomodo peccata dubia confitenda sint? 199.
9. Quæ causæ excusent ab integritate Confessionis? 201.
10. De aliis causis excusantibus. 204.

DISPVTATIO LI.

De satisfactione. p. 207.

SECT. 1. An & quomodo possint homines satisfacere pro peccatis? 209.
2. Quibus, & qualibus operibus satisfieri possit? & primò, de conditionibus requisitis ex parte satisfacientis. 212

Digitized by Google

Index Disputationum & Sectionum.

3. De conditionibus requisitis ex parte operis. 213.
4. De conditionibus requisitis ex parte Dei. 216.
5. De necessitate satisfactionis: & primò, an Confessarius teneatur imponere conuenientem satisfactionem, & pœnitens quoque teneatur eam implere? 217.
6. An satisfactio necessaria fuisset iure naturali, quamuis Christus Sacramentum Pœnitentiæ non instituisset? 221.
7. De effectu satisfactionis sacramentalis. 222.
8. Soluuntur aliæ tres quæstiones de effectu satisfactionis. 224.
9. Verum defectus satisfactionis suppleri possit per satis-passionem. 226.
10. Verùm satisfactio debeat impleri necessariò ante absolutionem. 228.
11. Respondetur argumentis aduersariorum. 231.

DISPVTATIO LII.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ. 235.

SECT. 1. An, & quæ verba sint de essentia formæ? ibidem.
2. Quid significent verba formæ, *Ego te absoluo*, &c. 238.
3. An forma Sacramenti Pœnitentiæ deprecatiuo modo enunciari, vel absenti dari possit? 240.
4. An absolutio dari possit sub conditione, & à pluribus simul? 242.

DISPVTATIO. LIII.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ. p. 246.

SECT. 1. An solus Sacerdos sit Minister Sacramenti Pœnitentiæ? 247.
2. An præter potestatem Ordinis sacerdotalis requiratur iurisdictio, & quotuplex illa sit, quibusue competat, & quomodo? 248.
3. Soluuntur aliquæ difficultates circa doctrinam præcedentem. 252.
4. An vlterius requiratur approbatio Episcopi? 256.
5. Sufficiatne approbatio petita, sed iniustè negata. 258.
6. Cuiusnam Episcopi approbatio necessaria sit? 265.
7. An requiratur in Religiosis licentia proprij parochi? 268.
8. Soluuntur obiectiones contrariæ. 274.
9. Amplior confirmatio doctrinæ præcedentibus sectionibus propositæ. 279.
10. De Ministro idoneo circa casus reseruatos. 287.
11. An, & quomodo indirectè dari possit absolutio à reseruatis? 291.
12. Soluuntur aliæ duæ quæstiones circa absolutionem à reseruatis. 292.
13. De bonitate, & scientia in confessario requisita. 296.
14. De aliis obligationibus Confessarij, audiendi, examinandi, & disponendi pœnitentem. 299.
15. De obligatione corrigendi errores pœnitentis, & supplendi defectus in administrando Sacramento commissos. 301.

DISPVTATIO LIV.

De Sigillo Confessionis. p. 305.

SECT. 1. An Confessarius extra confessionem vti possit notitia per confessionem accepta? 306.
2. Notantur aliqua circa doctrinam præcedentem. 309.
3. An alij præter Confessarium teneantur obligatione sigilli? 310.
4. Ex qua Confessione oriatur obligatio sigilli, & quænam sit eius materia? 313.
5. Soluuntur aliæ duæ quæstiones de sigillo Confessionis. 315.

DISPVTATIO LV.

De solemni ritu Pœnitentiæ. 318.

SECT. 1. Quis fuerit ritus publicæ, & solemnis Pœnitentiæ in antiqua Ecclesia? 319.
2. Fuerintne eo solum fine vsurpata, vt satisfieret Ecclesiæ? 323.
3. Pro quibusnam peccatis imponeretur publica, & solemnis pœnitentia? 326.
4. Soluuntur variæ quæstiones circa publicam Pœnitentiam. Fuerintne alia publica præter solemnem: vigeatne adhuc illius obligatio: & num vsus priuatæ Confessionis, qui nunc est, ab illa fluxerit? 329.
5. Alia noua dogmata circa Pœnitentiam publicam refutantur. 332.

TRACTATVS V.

DE POTESTATE CLAVIVM earumque vsu, præcipuè quoad Censuras & Indulgentias.

DISPVTATIO LVI.

De potestate Clauium Ministris Ecclesiæ concessa. p. 342.

SECT. 1. An, & quomodo habet Ecclesia claues regni cœlorum? 343.
2. Soluuntur argumenta hæreticorum in contrarium. 345.
3. Quid per claues regni cœlorum Petro datas, eiusque successoribus intelligendum sit? 350.
4. Fuerintne aliis concessæ claues Ecclesiæ, & quibusnam committi possint. 353.
5. Circa quos possint Ecclesiæ claues exerceri, & quos effectus habent? 357.

DISPVTATIO LVIII.

De potestate Clauium circa remissionem peccatorum. p. 360.

SECT. 1. Dederitne Christus ministris Ecclesiæ

Index Diſputationum & Sectionum.

poteſtatem remittendi peccata poſt Baptiſmum commiſſa? 361.
2. Soluuntur obiectiones contra doctrinam propoſitam. 363.
3. Verum hæc poteſtas valeat ad culpam ipſam remittendam, & non tantùm ad pœnas? 366.
4. Sitne hæc poteſtas Ordinis tantùm, an etiam iuriſdictionis, & ſcientiæ, ac poteſtatis. 370.

DISPVTATIO LVIII.

De poteſtate Clauium ad Cenſuras ferendas, deque Cenſuris in communi. p. 372.

SECT. 1. Habeatne Eccleſia poteſtatem ferendi Cenſuras? 373.
2. Quid ſit Cenſura, & quotuplex? 376.
3. De cauſis illius: ſeu quinam poſſint ferre Cenſuras, & circa quos, quaue de cauſa? 378.
4. Poſſitne aliquis multis de cauſis ſubiectus eſſe ſimùl pluribus Cenſuris? 382.
5. Quænam excuſent à Cenſura incurrenda? 384.
6. Quomodo debeat ferri Cenſura, vel denunciari? 387.
7. De modo tollendi Cenſuram, & à quo tolli poſſit? 391.

DISPVTATIO LIX.

De Cenſuris in particulari: & primò de Excommunicatione. p. 395.

SECT. 1. Quid, & quotuplex ſit Excommunicatio, quinam ſint illius effectus? 398.
2. De primo effectu Excommunicationis, qui eſt priuatio paſſiuæ communicationis Sacramentorum? 402.
3. De ſecundo effectu, qui eſt priuatio adminiſtrationis Sacramentorum. 405.
4. De tertio effectu, qui eſt priuare ſuffragiis Eccleſiæ. 410.
5. De quarto effectu, qui eſt priuatio diuinorum Officiorum: ita vt excommunicatus non poſſit illis intereſſe, nec illa celebrare. 413.
6. De quinto effectu, qui eſt priuatio eccleſiaſticæ ſepulturæ. 415.
7. De ſexto effectu, qui eſt inhabilitas ad Beneficia eccleſiaſtica. 418.
8. De ſeptimo effectu, qui eſt reddere irrita Reſcripta Apoſtolica ab excommunicato impetrata. 425.
9. De octauo effectu, qui eſt priuatio iuriſdictionis eccleſiaſticæ. 427.
10. De nono effectu, qui eſt priuare communicatione forenſi. 430.
11. De decimo effectu, qui eſt priuare omni communicatione ciuili cum fidelibus. 435.
12. De aliis duobus effectibus maioris Excommunicationis: & quantum ſit peccatum communicare cum excommunicatis. 439.
13. De cauſis maioris Excommunicationis. 441.
14. Quæ cauſæ excuſent ab Excommunicatione incurrenda; illa præſertim, quæ fertur ad finem reuelationis? 444.
15. Quomodo tollatur Excommunicatio: & quid præſtandum ſit confeſſario circa pœnitentem excommunicatum? 446.
16. De Excommunicationibus in particulari, & primò de illis, quæ ſolent ferri ab homine propter aliquod damnum temporale. 449.
17. De Excommunicatione lata in percuſſores clericorum. 453.
18. De Excommunicatione propter hæreſim, & lectionem librorum prohibitorum. 456.
19. De aliis Excommunicationibus Papæ reſeruatis in Bulla Cœnæ. 459.
20. De aliis Excommunicationibus in Iure reſeruatis, vel extra Corpus Iuris. 466.
21. De Excommunicationibus à Iure non reſeruatis Summo Pontifici: & ſintne aliquæ illarum Epiſcopis reſeruatæ. 471.

DISPVTATIO LX.

De Suſpenſione, Depoſitione, & Degradatione. p. 477.

SECT. 1. Quid, & quotuplex ſit Suſpenſio? 478.
2. De cauſis, & effectibus Suſpenſionis, & quomodo tollatur? 480.
3. Quomodo differat à Depoſitione, & Degradatione. 482.
4. De Suſpenſionibus in particulari, & ipſo Iure latis: ac primò contra Clericos generaliter propter peccatum circa Ordines. 484.
5. De Suſpenſionibus latis in Clericos peccantes contra alias obligationes eorum proprias. 490.
6. De Suſpenſionibus in eoſdem latis propter alia peccata illis communia cum laicis. 493.
7. De Suſpenſionibus à Iure latis contra Epiſcopos & Capitula. 496.
8. De Suſpenſionibus à Iure latis contra Regulares. 498

DISPVTATIO LXI.

De Interdicto, & Ceſſatione à Diuinis. p. 500.

SECT. 1. Quid, & quotuplex ſit Interdictum? 501.
2. De cauſis & effectibus Interdicti. 503.
3. De Interdictis à Iure latis. 508.
4. Quomodo differant Interdictum & Ceſſatio à diuinis? 510.
5. De relaxatione Interdicti. 513.

DISPVTATIO LXII.

De Irregularitate. p. 515.

SECT. 1. Quid, & quotuplex ſit irregularitas? ibidem.
2. De Irregularitatibus ex delicto. 517.
3. Soluuntur aliquæ dubitationes circa Irregularitatem ex homicidio culpabili, & mutilatione. 522.
4. Tres aliæ quæſtiones circa eandem Irregularitatem explicantur. 526.
5. De ſex prioribus Irregularitatibus ex defectu. 528.
6. De tribus aliis Irregularitatibus, ex defectu Sacramenti, lenitatis, & famæ. 533.
7. De cauſis, & effectibus Irregularitatis. 539.

Index Disputationum & Sectionum.

8. A quibus, & quomodo tolli potest Irregularitas? 543.

DISPVTATIO LXIII.

De potestate Clauium ad conferendas Indulgentias. pag. 546.

SECT. 1. An satisfactio vnius possit alteri prodesse, & de suffragiis. 547.
2. An satisfactio pro altero oblata prosit illi infallibiliter? 550.
3. Quæ conditiones requirantur vt vnius satisfactio prosit aliis? 551.
4. Sitne in Ecclesia thesaurus superabundantium satisfactionum Christi, & Sanctorum, qui per Indulgentias dispensari possit, & applicari fidelibus? 553.
5. Sitne in Ecclesia potestas dispensandi thesaurum illum per Indulgentias? 558.
6. A quo, & quibus Indulgentiæ concedi possint? 560.
7. Vtrum ad valorem Indulgentiarum requiratur causa legitima? 564.
8. De modo concedendi Indulgentias, deque earum effectu. 567.

DISPVTATIO LXIV.

De Indulgentiis, quæ applicantur defunctis: & de Purgatorio. p. 570.

SECT. 1. Veritas Catholica proponitur, & probatur ex Scriptura veteris Testamenti. 571.
2. Probatur eadem veritas ex nouo Testamento. 573.
3. Confirmatur eadem veritas aliis duobus Scripturæ testimoniis. 575.
4. Probatur eadem veritas ex Patribus, & perpetuo sensu Ecclesiæ. 577.
5. Confirmatur eadem veritas ratione Theologica 578.
6. Obiectiones hæreticorum soluuntur, & explicantur nonnulla de statu, & loco animarum Purgatorij. 580.

TRACTATVS VI.

DE TRIBVS VLTIMIS Sacramentis, Extrema Vnctione, Ordine, & Matrimonio.

DISPVTATIO LXV.

De Sacramento Extremæ Vnctionis. p. 588.

SECT. 1. Vtrum Extrema Vnctio sit Sacramentum? 589.
2. Respondetur argumentis contrariis. 591.
3. Quæ sit huius Sacramenti materia & forma? 593.
4. De effectu Extremæ Vnctionis. 596.
5. De subiecto, & Ministro Extremæ Vnctionis. 598.
6. De obligatione recipiendi, vel administrandi hoc Sacramentum. 601.

DISPVTATIO LXVI.

De Sacramento Ordinis: & primò de illius essentia, & effectibus p. 604.

SECT. 1. An sit aliquod Sacramentum Ordinis? 606.
2. Quænam, & quotuplex ordinatio sit Sacramentum? 608.
3. Refutantur contrariæ sententiæ: ostenditurque Episcopatum esse Ordinem distinctum à Sacerdotio. 611.
4. Quæ sit Ordinum singulorum materia, & forma? 614.
5. Vera sententia, & solutio obiectionum. 617.
6. De effectibus Sacramenti Ordinis. 621.

DISPVTATIO LXVII.

De subiecto, & Ministro Sacramenti Ordinis. p. 623.

SECT. 1. Quinam sint capaces huius Sacramenti recipiendi? & de conditionibus necessariis ad licitè recipiendum. 625.
2. A quibusnam potest validè, aut licitè hoc Sacramentum administrari? 629.
3. De continentia seruanda ab illis, qui maioribus Ordinibus initiantur. 632.
4. Respondetur argumentis contrariæ sententiæ. 634.
5. De electione, & vocatione, seu missione sacrorum, & legitimorum Ministrorum Ecclesiæ. 637. 637.
6. Aliæ duæ quæstiones de eadem re. 641.
7. Refutantur euasiones hæreticorum. 642.

DISPVTATIO LXVIII.

De annexis Sacramento Ordinis, & variis Ecclesiæ Ministris in particulari. p. 645.

SECT. 1. De Tonsura clericali. 646.
2. De officiis, seu ministeriis singulorum Ordinum. 649.
3. Vtrum supra Sacerdotium debeat esse aliqua potestas Episcopalis? 652.
4. Quid senserint Hieronymus, & Ambrosius de differentia inter Episcopum, & Presbyterum? 655.
5. Vtrum supra Episcopos sit aliquis superior in Ecclesia? 658.
6. De Hierarchia Ecclesiastica, & variis eius ordinibus, ac functionibus. 662.
7. Potuerintne aliquæ functiones Hierarchicæ committi Regularibus sine præiudicio Hierarchiæ Ecclesiasticæ? 667.

DISPVTATIO LXIX.

De Sacramento Matrimonij. p. 671.

SECT. 1. An Matrimonium sit Sacramentum nouæ legis proprie dictum? 673.
2. Soluuntur

Digitized by Google

Index Disputationum & Sectionum.

2. Soluuntur argumenta contra doctrinam propositam. 676.
3. De materia, & forma huius Sacramenti. 679.
4. Refutantur aliæ sententiæ, & statuitur vera. 681.
5. Corollaria ex præcedentibus: deque Ministro, & subiecto Sacramenti Matrimonij. 685.
6. Possitne ratio Sacramenti separari à contractu Matrimonij inter Christianos? 687.
7. Possitne Matrimonium priùs contractum ciuiliter, fieri postea Sacramentum? 690.
8. De institutione, & præcepto, & fine Matrimonij. 692.

DISPVTATIO LXX.

De Sponsalibus, & aliis ad Matrimonium prærequisitis. p. 697.

Sect. 1. Quid sint sponsalia, & quænam ad illorum valorem requirantur? 698.
2. Soluuntur duæ difficultates circa præcedentem doctrinam. 701.
3. Quibus modis contrahantur sponsalia? 704.
4. A quibus possint validè, & licitè contrahi? 708.
5. Quos effectus habeant sponsalia? & primò de obligatione ex illis orta. 711.
6. De aliis effectibus sponsalium. 716.
7. Quibus modis dissoluantur sponsalia? 717.
8. De aliis causis sufficientibus ad dissoluendum. 721.
9. De quibusdam aliis prærequisitis ad Matrimonium licitè, aut validè contrahendum. 724.

DISPVTATIO LXXI.

De consensu, & verbis, vel aliis signis ad essentiam Matrimonij necessarijs. p. 728.

Sect. 1. Sitne consensus coniugum essentialiter requisitus ad Matrimonium, ita vt sine illo fieri absolutè nequeat? 730.
2. Vtrum consensus ad Matrimonium necessariò debeat verbis, aut aliis signis æquiualentibus exprimi? 732.
3. Qualia debeant esse verba, vel alia signa, quibus consensus internus exprimitur? 735.
4. Qualis debeat esse consensus: & primò an necessariò debeat esse verus, quidue facere teneantur, qui fictè contraxerunt? 738.
5. Vtrum consensus per verba de præsenti expressus occultè, seu contractus clandestinus sufficiat ad Matrimonium? 741.
6. Vtrum consensus debeat esse liber non solùm à necessitate, sed etiam à metu, & coactione? 747.
7. Debeatne necessariò consensus esse absolutus, & liber ab omni conditione? 751.
8. Vtrum consensus debeat necessariò dari in præsentia contrahentium? 756
9. Requiraturne consensus aliorum, quàm ipsorum contrahentium? 759.
10. Quodnam debeat esse obiectum consensus coniugalis? 763.

DISPVTATIO LXXII.

De bonis, & effectibus, vel proprietatibus Matrimonij: præcipueque de vnitate, & indissolubilitate. pag. 767.

Sect. 1. An & quæ bona necessaria sint ad excusandum Matrimonium? 768.
2. Qualis sit vnitas Matrimonij? & primò, liceatne ad secundas nuptias conuolare. 772.
3. Possintne validè, aut licitè plures vxores simul haberi? 775.
4. An & quomodo vinculum Matrimonij sit insolubile? 779.
5. Quo iure Matrimonium sit necessariò vnius cum vna, & inducat vinculum insolubile? 784.
6. Soluuntur aliquæ dubitationes circa insolubilitatem Matrimonij. 788.
7. An & quomodo solueretur Matrimonij vinculum inter Iudæos per libellum repudij? 791.
8. Quo iure soluitur Matrimonium ratum Christianorum in quibusdam casibus: & quomodo probanda inualiditas Matrimonij vt dissoluatur? 794.

DISPVTATIO LXXIII.

De impedimentis Matrimonij in genere, & speciatim de prohibentibus. p. 798.

Sect. 1. Prænotantur nonnulla de impedimentis, eorumque diuisione in prohibentia, & dirimentia. 799.
2. Inquiruntur aliqua circa potestatem, & modum apponendi impedimentum Matrimonio. 801.
3. Quæ, quotue sint impedimenta prohibentia tantùm, & quantum obligent? 804.
4. De septem aliis impedimentis prohibentibus. 810.
5. Quæ, quotue sint impedimenta dirimentia: & quænam illorum obligatio? 813.

DISPVTATIO LXXIV.

De impedimentis dirimentibus in particulari: & primò de quinque prioribus, Erroris, Conditionis, Voti, Cognationis, & Criminis. p. 816.

Sect. 1. De impedimento erroris: vtrum error circa personam, vel eius qualitatem irritet Matrimonium, & quo iure? 818.
2. Quomodo error circa conditionem seruilem irritat Matrimonium: & quomodo serui validè, aut licitè contrahere possunt? 821.
3. De impedimento voti solemnis. 829.
4. De impedimento triplicis cognationis, carnalis, spiritualis, & legalis. 826.
5. De impedimento criminis. 833.

DISPVTATIO LXXV.

De quinque aliis impedimentis dirimentibus, Disparis cultus, Coactionis, Ordinis, Ligaminis, & Honestatis. p. 835.

Sect. 1. De impedimento disparis cultus. 837.

Index Disputationum & Sectionum.

2. De impedimentis coactionis, & Ordinis. 841.
3. De impedimento ligaminis. 844.
4. De impedimento publicæ honestatis. 846.

DISPVTATIO LXXVI.

De quatuor postremis impedimentis Affinitatis, Impotentiæ, Clandestinitatis, & Raptus. p. 850.

SECT. 1. De impedimento Affinitatis. 852.
2. De impedimento Impotentiæ. 855.
3. Soluuntur variæ quæstiones circa idem impedimentum. 858.
4. Notantur aliqua de impedimento Maleficij. 862.
5. De impedimentis Clandestinitatis, & Raptus. 865.

DISPVTATIO LXXVII.

De Dispensatione super impedimentis Matrimonij. p. 868.

SECT. 1. Quis possit dispensare in impedimentis Matrimonij. 869.
2. Quænam sint iustæ causæ dispensandi, in impedimentis Matrimonij? 871.
3. De causis propter quas nulla redditur dispensatio. 875.
4. Soluuntur aliæ quæstiones de eadem re. 878.
5. Qua ratione Matrimonium inualidè contractum propter aliquod impedimentum, eo sublato potest reualidari. 881.
6. Vtrum Confessarius monere debeat pœnitentem de impedimento Matrimonij bona fide contracti. 884.

DISPVTATIO LXXVIII.

De debito coniugali, & legitimo vsu Matrimonii. pag. 887.

SECT. 1. De obligatione reddendi debitum, & de causis ab illo excusantibus. 888.
2. De peccatis coniugum in vsu Matrimonij. 892.
3. An & quomodo votum illicitam reddat petitionem, aut redditionem debiti coniugalis? 896.
4. Possitne vnus coniugum irritare votum alterius de non petendo aut reddendo debito, vel de seruanda continentia, vel quælibet alia eius vota? 899.

DISPVTATIO LXXIX.

De Diuortio. p. 902.

SECT. 1. Quid sit diuortium, & vtrum adulterium sit sufficiens illius causa? 903.
2. Vtrum ad Diuortium licitè faciendum requiratur sententia iudicis? 906.
3. Vtrum coniux teneatur dimittere alterum persistentem mœchari, aut resipiscentem admittere? 908.
4. Vtrum si post latam sententiam comperiatur iudicem fuisse deceptum, aut qui diuertit, committat adulterium, debeant coniuges reconciliari? 912.
5. An & quæ sint aliæ causæ legitimæ faciendi diuortium? 914.

DISPVTATIO LXXX.

De filiis illegitimis, eorumque legitimatione, præcipuè per Matrimonium. p. 920.

SECT. 1. Qui filij sint illegitimi? 921.
2. An, & quomodo filij illegitimi legitimentur per subsequens Matrimonium? 923.
3. Quibus aliis modis legitimetur proles? & de effectibus legitimationis. 925.
Appendix ad disputationem 27. de Confirmatione: siue breuis solutio quarundam difficultatum circa illam propositarum. 929.

INDEX RERVM

PRÆCIPVARVM QVÆ

in hoc volumine continentur.

Litera D. diſputationem. N. numerum. P. paginam deſignat.

A

Abſolutio.

ABSOLVTIO eſt forma Sacramenti Pœnitentiæ. d. 42. n. 1. p. 19.
Tota ſignificatio, & efficacia Sacramenti non eſt in illa ſola. n. 11. p. 22.
Eſt vera peccatorum remiſſio. d. 51. num. 106. p. 231.
Poſſintne abſolui ruſtici affirmantes tantùm ſe peccaſſe. d. 50. n. 40. p. 187.
Ad formam abſolutionis requiruntur verba propriè dicta. d. 52. n. 2. p. 236.
Quænam ſint eſſentialia. n. 7. p. 237.
Sufficiatne dicere, *Abſolvo*. n. 8. ibid.
Non eſt neceſſaria inuocatio expreſſa Trinitatis. n. 9. ibid.
Significant veram remiſſionem peccatorum. n. 10. p. 238.
Non autem oſtendo te eſſe abſolutum. n. 12. ibid.
Remittunt ipſam culpam. n. 18. p. 239.
Nec tantùm liberant ab obligatione confitendi. n. 19. p. 240.
Quomodo poſſit verificari forma circa peccata iam ante remiſſa. n. 20. ibid.
Non valet in ſenſu deprecatiuo. n. 21. ibid.
Abſolutio ab excommunicatione non poteſt dari forma deprecatiua. n. 25. p. 241.
Abſolutio Sacramentalis non poteſt dari abſenti. n. 28. p. 242.
Poteſt dari validè ſub conditione de præterito, vel de præſenti, ſed non de futuro. n. 29. & 30. ibid. & p. 243.
Poteſt dari à pluribus ſimul. n. 39. p. 245.
Sitne tunc multiplex effectus Sacramenti, n. 40. ibid.
Solus Sacerdos poteſt abſoluere à peccatis. d. 53. n. 1. p. 247.
Laicus abſoluens ſitne irregularis. n. 3. p. 248.
Iuriſdictio eſt neceſſaria ad abſoluendũ. n. 5. ibid.
Quilibet Sacerdos poteſt abſoluere in periculo mortis. d. 53. n. 15. p. 251.
Etiam degradatus, & apoſtata. n. 16. ibid.
Quid faciendum tunc abſoluto à reſeruatis. n. 17. p. 252.
Poteſtas abſoluendi à peccatis eſt poteſtas Ordinis ſacerdotalis. d. 57. n. 27. p. 370.
Requiritur ſimul poteſtas iuriſdictionis. num. 29. ibid.
Et clauis ſcientiæ, & poteſtatis. n. 32. p. 371.
Abſolutio à Cenſuris, *vide*, Cenſuræ.

Acoluthus.

Acoluthorum ordinatio ſitne verè Ordo ſacramentalis. d. 66. n. 11. p. 510.
Acoluthorum officium. d. 68. n. 14. p. 649.

Actus.

Actus pœnitentis ſunt materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ. d. 42. n. 2. p. 19.
Quomodo ad illud ſe habeant. n. 4. ibid.
Cur dicantur eſſe quaſi materia. n. 5. p. 20.
Actus poteſt eſſe dupliciter conditionatus. d. 48. n. 23. p. 121.
Actus ex motiuo generali cadítne neceſſariò in omnia ſingularia. n. 96. p. 129.
Non tenemur ſemper agere, quod eſt optimum. n. 85. p. 136.
Actus imperatus ſitne liber poſito imperante. d. 50. n. 11. p. 180.
Actus externus quomodo multiplex. d. 58. n. 37. p. 383.

Adoptio.

Quid ſit adoptio. d. 74. n. 54. p. 833.
Quomodo, & quo iure irritat matrimonium. n. 55. ibid.

Adulterium.

Adulterium non ſoluit vinculum matrimonij, ita vt liceat aliam ducere. d. 72. n. 31. & ſequent. p. 777. & n. 50. p. 782.
Olim pars adultera priuabatur ſecundis nuptiis poſt mortem prioris coniugis. n. 36. p. 778.
Adulterium cum machinatione mortis coniugis, aut cum matrimonio attentato, vel promiſſo dirimit matrimonium. d. 74. n. 56. p. 833.
Idque iure ſolùm poſitiuo. n. 57. ibid.
Quæ cõditiones ad hoc requirantur. n. 60. p. 834.
Contrarius error hæreticorum. n. 63. p. 835.
Adulterium eſt ſufficiens cauſa diuortij. d. 79. n. 2. p. 905.
Quænam ad hoc requirantur. n. 6. & ſeqq. p. 904.
Si eſt publicum, non requiritur ſententia iudicis. n. 16. p. 906.
Si eſt occultum, & certum, ſufficit ad ſeparationem thori. n. 24. p. 908.
Poſſitne vir vxori adulteræ alimenta negare, num. 61. p. 917.
Aliæ pœnæ adulteræ. ibid.
Incurruntne poſt reconciliationem. n. 62. ibid.
Non poteſt licitè occidi à marito adultera. n. 63. & ſeqq. p. 918.
Adulterium non compenſatur per fornicationem ſpiritualem, ideſt, lapſum in hæreſim, vel apoſtaſim à fide. n. 56. p. 916.

Index rerum præcipuarum.

Ætas.

Ætatis defectus facit irregularem. d. 62. n. 62. p. 538.

Affinitas

Quid sit affinitas. d. 76. n. 1. p. 852.
Oritur ex copula etiam illicita, n. 3. ibid.
Inter quos oriatur. n. 5. ibid.
Gradus illius quomodo computandi, n. 6. ibid.
Quo iure irritat matrimonium, n. 7. p. 853.
Quid circa hoc possit Summus Pontifex. ibid.
Constitutio Mosaica circa illud iam non obligat. n. 9. ibid.
Dirimatne iure naturali primus gradus affinitatis. ibidem.
Superueniens matrimonio impedit illius vsum. n. 2. p. 854.
Quid si occulta sit. n. 12. ibid.
Non oritur nisi ex copula cum consanguineis coniugis. n. 13. ibid.
Pœnæ contrahentium cum tali impedimento. n. 14. ibid.
Affinitas cum coniuge quomodo impedit vsum matrimonij. d. 78. n. 9. p. 890.

Amens, & amentia.

Possintne amentes validè ordinari. d. 67. num. 7. p. 627.
Sintne capaces matrimonij contrahendi. d. 71. n. 63. p. 747.
Amentia coniugis excusat à reddendo debito. d. 78. n. 6. p. 890.

Anima.

Quæstiones de animæ immortalitate, & de resurrectione erant connexæ apud Iudæos. d. 64. n. 8. p. 573.

Antiochus.

Antiochus cur non exauditus. d. 44. n. 12. p. 41.

Apostatæ.

Apostatæ ab ordine religioso recipientes Ordines sacros, suspensionem incurrunt. d. 60. nu. 86. p. 498.

Apostoli.

Apostoli quomodo pares, & impares. d. 56. n. 17. p. 357.
Non omnes Apostoli fuerunt coniugati. d. 67. n. 40. p. 636.
De solo Petro id constat. ibid.

Appellatio.

Appellantes à Papa ad futurum Concilium excommunicantur. d. 59. n. 217. p. 459.
An etiam qui dant consilium appellandi, n. 218. ibid.

Approbatio.

Approbatio requiritur ad audiendas confessiones sæcularium, d. 53. n. 32. p. 256.
Exceptis habentibus Beneficium parochiale. n. 33. ibid.
Sine illa absolutio est inualida, n. 34. ibid.
Quomodo danda approbatio, n. 35. p. 257.
Episcopus approbans quinam esse debeat, n. 36. ibid.
Approbatio est authenticũ testimoniũ, n. 37. ibid.
Possitne reuocari sine iusta causa, n. 38. ibid.
Peccat, qui eam iniustè negat, aut limitat, n. 39. p. 258.
Sufficiatne approbatio iniustè negata, n. 40. & seqq. ibid.
Possitne negari approbatio, quia sufficiunt alij confessarij. n. 61. p. 264.
Sufficiatne approbatio vnius Episcopi, ita vt semel approbatus, sit vbique, & semper approbatus, n. 62. p. 265.
Episcopi habent ius examinandi, quos ipsi non approbarunt, n. 73. p. 268.
Possintne pro libito, & ad nutum, n. 74. ibid.

Aqua.

Aqua lustralis remittitne peccata venialia, d. 45. n. 24. 78.

Arma.

Arma deferentes infidelibus excommunicantur, d. 59. n. 228. p. 461.
An etiam mercatores apud eos morantes, & illis vendentes, n. 231. p. 462.

Aspectus.

Aspectus inhonesti liceantne inter coniuges, d. 78. n. 31. p. 896.

Assasini.

Qui occidunt per Assasinos, excommunicantur, d. 59. n. 289. p. 474.
Et qui mandant occidere, licet effectus non sequatur, ibid.

Attritio.

Sola Attritio non tollit peccatum mortale, d. 44. n. 22. p. 44.
Quælibet Attritio hominis iusti de omnibus venialibus non omnia tollit, d. 45. n. 20. p. 75.
Attritio iusti non est meritoria de condigno, n. 13. p. 76.
Attritio vniuersalis de omnibus venialibus cur tollit vnum potius quàm aliud, n. 14. ibid.
Attritio sufficit Sacramento Pœnitentiæ, d. 48. n. 33. p. 123.
Non est verum sufficere solùm si transeat in Contritionem, n. 38. p. 125.
Neque requiritur Contritio ex Dei præcepto, n. 39. ibid.
Attritio, vel Contritio est planè necessaria Sacramento Pœnitentiæ. n. 41. p. 125.
Voluntas confitendi, & obtinendi absolutionem non sufficit. n. 42. ibid.
Quid sit Attritio, n. 43. p. 126.
Quomodo conuenit cum Contritione, n. 44. ibid.
Quomodo differt ab eadem. n. 45. ibid.
Possitne fieri Contritio, n. 46. ibid.
Debeatne esse sensibilis, id est, redundare in partem sensitiuam. n. 47. p. 127.
Debet esse vniuersalis circa vniuersa mortalia commissa. n. 49. ibid.
Non est necesse vt sit vniuersalis circa venialia. n. 51. p. 128.
Sufficit confusa. n. 53. ibid.
Attritio ex motiuo generali est necessariò de omnibus peccatis. n. 56. p. 129.
Attritio ex metu pœnarũ & gehennæ. n. 82. p. 135.
Pœnæ dupliciter ad illam mouere possunt. ibid.
Metus pœnarum non debet esse purè humanus, & naturalis. n. 83. ibid.
Idem dicendum de Attritione concepta ex turpitudine peccati. n. 84. ibid.
Debet esse absoluta, & efficax. n. 85. p. 136.
Qualis debeat esse metus pœnarum. n. 86. ibid.
Attritio Sacramentalis debet esse actus supernaturalis. d. 48. n. 88. p. 137.
Etiam quoad substantiam. n. 93. p. 138.
Non debet esse necessariò alicuius magnæ intensionis, aut durationis. n. 95. p. 139.

Quomodo debet esse ex toto corde. n. 101. ibid.
Attritio vniuersalis cadit inæqualiter æstimatiuè in peccata. n. 103. p. 140.
Quomodo debet esse detestatio peccati super omnia. n. 104. ibid.
Attritio detestatur culpam ipsam, & non pœnam tantum. n. 110. p. 142.
Attritio, & Contritio detestantur vnum peccatùm magis quàm aliud. n. 117. p. 143.
Detestantur æqualiter futurum, & præteritum, n. 118. ibid.
Non sunt propriè de peccato alieno. n. 119. p. 144.
Attritio vel Contritio debent necessariò præcedere absolutionem. n. 123. p. 145.
Sed non necessariò ipsam confessionem. n. 124. ibidem.
Debent moraliter vniri absolutioni. n. 127. ibid.
Et non nimis diu ab illa distare. n. 128. ibid.
Debent à pœnitente referri ad absolutionem. n. 129. p. 146.
Deberque illa relatio præcedere aliquatenus Contritionem, aut Attritionem. n. 130. ibid.
Sitne toties iteranda Contritio, vel Attritio, quoties Confessio, & Absolutio. numero 136. p. 147.
Attritio, vel Contritio sufficiens ad Sacramentum, sufficit etiam ad effectum. n. 141. p. 148.

B

Baptismus.

Baptismus, & Pœnitentia sunt Sacramenta diuersa. d. 41. n. 52. p. 17.
Baptismus non delet peccata post illum commissa. n. 53. ibidem.
In Baptismo fit verè & propriè peccatorum remissio. d. 49. n. 11. p. 153.
Sitne in Baptismo potestas retinendi peccata. ibid. n. 16. p. 159.
Baptismus datur validè ab excommunicato non tolerato. d. 59. n. 29. p. 406.
Irregularitas ex duplici Baptismo. d. 62. n. 21. p. 520.
Imprudenter, aut fictè baptizatus est irregularis. n. 22. ibid.
Sæpius baptizatus fit toties irregularis. num. 23. p. 521.
Baptizatus scienter ab hæretico est irregularis. n. 24. ibid.
Baptismus tollit aliquas irregularitates. num. 102. p. 543.
Baptismus pro mortuis. d. 64. n. 16. p. 575.
Baptismus quomodo perficit matrimonium anteà contractum. d. 69. n. 67. p. 691.
Quomodo facit illud esse ratum inter infideles, qui antea contraxerunt. n. 69. p. 692.
Fiatne tunc matrimonium Sacramentum vi Baptismi. n. 70. ibid.
Catechismus in Baptismo est impedimentum prohibens matrimonium. d. 73. n. 42. p. 807.
Quomodo contrahitur hoc impedimentum. n. 43. ibidem.
Ad quos gradus se extendit. n. 44. p. 808.
Susceptio propriæ sobolis in Baptismo est impedimentum prohibens. n. 61. p. 818.
Baptizatus non potest validè contrahere matrimonium cum non baptizata, & vice versa. d. 75. n. 10. p. 837.
Neque sufficit esse Catechumenum. n. 2. ibidem.
Quo iure irritetur. n. 3. & seqq. ibid.

Beneficium.

Beneficia ecclesiastica non possunt validè conferri excommunicatis, etiam toleratis. d. 59. n. 71. & 72. p. 418. & 419.
Tenentur illi fructus restituere. ibid. p. 419.
An etiam fructus Beneficij prius accepti. num. 73. ibidem.
Quid intelligendum nomine collationis irritæ Beneficij respectu excommunicati. n. 85. p. 422.
Reualidaturne collatio per absolutionem ab excommunicatione. n. 86. p. 423.
An validè acceptent Beneficium priùs sibi collatum. n. 88. ibid.
Quale peccatum sit dare Beneficium excommunicato, vel accipere. n. 90. p. 424.
Quâ pœnâ puniatur. n. 91. ibid.
Quid faciendum excommunicato, vt retineat Beneficium inualidè collatum. n. 92. ibid.

Bigami.

Bigami sunt irregulares. d. 62. n. 64. p. 533.
Bigamia inducens irregularitatem est triplex: vera, interpretatiua, & similitudinaria. ibid.
Bigamia non est illicita in lege noua. d. 72. n. 13. & seqq. p. 772.
Cur secundæ nuptiæ non benedicuntur? n. 17. p. 773.
Cur pœnæ olim iunctæ bigamis. n. 18. ibid.
Exponuntur Patres qui bigamiam improbare videntur. n. 21. p. 774.

Bona opera.

Valent coniunctim ad merendum, & ad satisfaciendum. d. 63. n. 32. & 34. p. 555.
Opera bona mortificata per peccatum, reuiuiscunt per pœnitentiam. d. 47. n. 8. p. 102. & n. 16. & seqq. p. 104.

Cadauer.

Exenterantes cadauera excommunicantur. d. 59. n. 263. p. 469.

Cantores.

Cantores siue Psalmistæ erant olim inter minores Ordines. d. 66. n. 23. p. 610.

Capitulum.

Suspensiones latæ contra Capitula. d. 60. n. 85. p. 498.

Cardinales.

Qui hostiliter insequuntur Cardinales, excommunicantur. d. 59. n. 235. p. 463.
Cardinales malè procedentes in electione Summi Pontificis excommunicantur. ibid. num. 271. p. 470.

Casus reseruati.

Quid faciendum absoluto à casibus reseruatis in articulo mortis. d. 53. n. 17. p. 252.
Reseruatio peccatorum excusat ab integritate confessionis. d. 50. n. 115. p. 204.
Quomodo confiteri debet habens reseruata. n. 117. p. 205.
Teneaturne pœnitens confiteri de reseruatis. n. 120. ibid.
An saltem quoad actum internum. n. 122. ibid.

Catechismus.

Catechismus in Baptismo est impedimentum prohibens matrimonium. d. 73. n. 42. p. 807.
Quomodo cõtrahitur hoc impedimentũ. n. 43. ibi.

Index rerum præcipuarum.

Ad quos gradus ſe extendit. n. 44. p. 808.

Ceſſatio à diuinis.

Ceſſatio à diuinis quid ſit, d. 61. n. 34. p. 510.
Non eſt cenſura. ibid.
Non fertur in perſonas, ſed in loca tantum. ibid.
Eſt maior interdicto. ibid.
Priuilegia conceſſa pro Interdicto non extenduntur ad ceſſationem à diuinis. n. 35. ibid.
Non priuat ſepultura eccleſiaſtica. n. 36. p. 511.
Prohibet Officia diuina. n. 37. ibid.
Permittit dari aliqua Sacramenta. n. 38. ibid.
Conuenit cum Interdicto in cauſis, & modo quo fertur. n. 39. p. 512.
Quænam ſeruanda ſint in ea indicenda. n. 40. ibid.
Quid ſi feratur iniuſtè. n. 41. ibid.
Quomodo tollatur. n. 43. ibid.

Cenſura.

Habeatne Eccleſia poteſtatem ferendi Cenſuras, d. 58. n. 1. & ſeqq. p. 373.
Probatur habere. n. 2. ibid.
Bonum Eccleſiæ regimen id poſtulat. n. 5. p. 374.
Cenſuræ priuãt bonis communibus ſpiritualibus. n. 6. ibidem.
Sunt metuendæ. n. 7. p. 375.
Faciunt ad ædificationem. n. 8. ibid.
Non leuiter, & facilè ferendæ. ibid.
Quibus bonis ſpiritualibus priuent. n. 9. ibid.
Abiunt à crudelitate. n. 10. ibid.
Poteſtas eas ferendi eſt à Chriſto. n. 12. p. 376.
Cenſuræ definitio. n. 13. ibid.
Triplex eiuſdem diuiſio. n. 17. p. 377.
Poteſtas duplex ferendi cenſuras. n. 23. p. 378.
Quibuſnam competat ordinaria. ibid.
Et quibus delegata. n. 24. ibid.
Quæ requirantur ad illius vſum. n. 25. p. 379.
Non poſſunt ferri niſi erga ſubditum. n. 28. p. 350.
An erga regulares exemptos. n. 29. ibid.
Et viatores, aut peregrinos. n. 30. ibid.
Non poſſunt ferri niſi propter peccatũ. n. 32. ibid.
Illudque externum, & cum contumacia. ibid.
Et completum in ſua ſpecie. n. 33. p. 381.
Quomodo comprehendunt mandantes, & conſulentes. n. 34. ibid.
Poſſuntne ferri pro peccatis committendis. ibid. p. 382.
Poteſt aliquis multis cenſuris ſimul ligari, & eiuſdem rationis, & diuerſæ. n. 34. ibid.
Quomodo multæ cenſuræ incurruntur ab eodem. n. 35. ibid.
Ignorantia iuris, & facti excuſat à cenſuris. n. 40. p. 384.
Et defectus voluntarij. n. 43. p. 385.
Et impotentia phyſica, vel moralis. n. 44. ibid.
Et metus grauis. n. 45. p. 386.
Et iniuſtitia ſententiæ. n. 46. ibid.
Et exceptio ferentis cenſuram. n. 47. ibid.
Et appellatio legitima. n. 48. ibid.
Et conſenſus alterius partis. n. 49. p. 387.
Ad cenſuram ferendam non requiritur determinata forma verborum. d. 58. n. 51. p. 387.
Monitio quomodo, & quando neceſſaria. ibidem.
Debet ferri determinatè in ſpecie. n. 53. p. 388.
Si per ſententiam, debet ferri ſcripto. num. 54. ibidem.
Debet ſequi denunciatio. n. 55. p. 389.
Modus denunciandi. n. 56. ibid.
Debet illa fieri à iudice. n. 58. ibid.
Poteſtne denunciari, ſi fuit iniuſta. n. 59. & ſeqq. ibidem.
Cenſura poteſt tolli ſine verbis. n. 63. p. 391.
Et vel abſolutè, vel ſub conditione. n. 64. ibid.
Et ad reincidentiam. ibid.
Et vel in foro interno, vel in vtroque. n. 65. ibid.
Quid ſit abſolutionem illius dari in foro conſcientiæ. ibid. p. 392.
Poteſt vna tolli ſine alia. ibid.
Quis poteſt à cenſura iuris abſoluere. n. 66. ibid.
Et à latis ab homine. n. 67. ibid.
Notanda pro cenſuris oblitis in confeſſione. n. 68. p. 393.
Et pro delegatis abſoluentibus à cenſuris. n. 70. ibidem.
Et pro abſoluendis virtute Iubilæi. n. 71. ibid.
Quilibet poteſt ab illis abſoluere in periculo mortis. n. 72. ibid.
Ordo tamen eſt ſeruandus, ſi plures poſſint, & velint. n. 73. p. 390.
Non abſoluunt tunc niſi ad reincidentiam. n. 74. ibidem.
Sic abſolutus non eſt priuandus ſepultura eccleſiaſtica. n. 75. ibid.
Grauantes propter cenſuram eum, qui tulit, excommunicantur. d. 59. n. 254. p. 467.
Et non recurrentes ad ſuperiorem vt directè abſoluantur ab illa. n. 255. ibid.

Character.

Quilibet Ordo ſacramentalis imprimit characterem. d. 66. n. 72. p. 621.
Character Sacerdotalis eſt duplex. ibid. n. 76. & 77. p. 622.

Charitas.

Charitas magis deteſtatur peccatum proprium leue, quàm alienum graue. d. 48. n. 119. p. 144.
Actus charitatis, ſiue contritionis, ſiue dilectionis habet vim delendi peccatum mortale. n. 44. n. 24. & ſeqq. p. 44.

Chriſtus.

Chriſti merita non applicantur ſemper ad totam pœnam cum culpa delendam. d. 64. num. 31. p. 579.
Non applicantur illa per fidem non imputationis. n. 32. ibid.
Sed per veram fidem, & per Sacramenta. n. 33. ibidem.

Circunſtantia.

Circunſtantiæ peccatorum duplices: ſpeciem mutantes, & aggrauantes. d. 50. n. 49. p. 189.
Circunſtantiæ aggrauantes ſunt duplices. n. 52. ibidem.
Suntne explicandæ in confeſſione. n. 49. & ſeqq. ibidem.
Circunſtantiæ ſeptem numerantur. n. 65. p. 192.
Exponuntur ſingulæ ſpeciatim. n. 66. & ſeqq. p. 193.
Circunſtantiæ omiſſæ quomodo aperiendæ. n. 82. p. 197.

Chorepiſcopi.

Chorepiſcopi erantne vere Epiſcopi. d. 67. n. 17. & 18. p. 630.

Clandeſtinum.

Clandeſtinum Matrimonium, *Vide*, Matrimonium.

Index locorum Sacræ Scripturæ.

Claues.

Ecclesia habet claues regni cœlorum, d. 56. n. 1. p. 343.
Debent perpetuò in ea manere. n. 2. ibid.
Fuerunt datæ Petro immediatè. n. 4. ibid.
Significant propriè supremam potestatem Ecclesiæ. n. 26. p. 350.
Non significant nudum ministerium verbi n. 29. p. 351.
Soli Petro, & successoribus Romanis Pontificibus datæ sunt hoc sensu, etiam secluso Paulo. n. 33. & seqq. p. 353.
Quo sensu, & quomodo aliis datæ. n. 37. p. 354.
Differentia inter Petrum, & alios Apostolos quoad Claues. n. 38. & 39. ibid.
Clauis Iurisdictionis quibus committi possit. nu. 45. p. 356.
Etiamne fœminis. n. 46. ibid.
Habuerintne Claues sacerdotes legis Mosaicæ. n. 47. p. 357.
Retineantne Clauium potestatem, aut vsum mali Ecclesiæ ministri. n. 48. ibid.
Possintne solùm exerceri in subditos. num. 50. p. 358.
Potestas Clauium est iuridica ex parte tantùm. n. 51. ibid.
Actus Clauium est multiplex. n. 52. ibid.
Latius patet quàm ligare, & soluere. ibid. p. 359.
Cur vocentur Claues regni cœlorum, & non etiam inferni. n. 54. ibid.
Valeatne potestas Clauium ad remittenda peccata. d. 57. n. 1. p. 361.
Neque solùm ad pœnam, sed etiam ad culpam ipsam. n. 13. & 22. p. 366.
Quomodo ligant quoad culpam. n. 25. p. 367.

Clerici.

Clericorum percussores vitandi. d. 59. nu. 12. p. 401.
Excommunicatio cõtra illos comprehendit etiam mandantes, & consulentes. n. 200. p. 454.
Incurritur ipso facto. n. 201. ibid.
Potest Episcopus ab illa interdum absoluere. nu. 202. p. 455.
Et vices suas alteri committere. n. 203. ibid.
Quinam ab illa excusentur. n. 204. ibid.
Clerici laicè vestiti suspenduntur. d. 60. nu. 53. p. 490.
Et grauantes Ecclesiam debitis, & obligationibus. n. 54. ibid.
Et occupantes bona Prælati defuncti. n. 55. ibid.
Et publicè notati graui crimine. n. 68. p. 493.
Vel concubinarii. n. 69. ibid.

Cogitationes morosæ.

Liceantne inter coniuges, & tactus & colloquia. d. 78. n. 31. p. 896.

Cognatio.

Cognatio carnalis, seu consanguinitas dirimit matrimonium. d. 74. n. 45. p. 829.
Gradus consanguinitatis quid sit. n. 48. p. 830.
Primus saltem dirimit matrimonium iure naturali. n. 47. ibid.
Cognatio spiritalis quid sit. n. 50. p. 831.
Ex quibus sacramentis oriatur. ibid.
Irritat matrimonium iure solùm ecclesiastico. nu. 51. p. 832.
Quænam requirantur ad illam contrahendam. ibi.
Impeditne vsum matrimonii. d. 78. n. 10. p. 890.
Cognatio legalis quid sit, & quomodo dirimat matrimonium, & quo iure. d. 74. n. 54. & 55. p. 833.

Communio.

Communio inter fideles. d. 63. n. 8. p. 549.
Extenditur etiam ad defunctos. n. 6. ibid.
Quomodo ante communionem necessaria est confessio. d. 49. n. 33. p. 159.

Compromissarius.

Compromissarii eligentes indignum ad Episcopatum excommunicãtur, vel ad dignitatem superiorem. d. 60. n. 38. p. 491.

Conceptio B. V.

Conceptio B. V. & excommunicatio lata illius occasione. d. 59. n. 269. p. 470.
Suspensio lata eiusdem occasione. d. 60. nu. 76. p. 496.

Concilium.

Appellantes à Papa ad futurum Concilium excommunicantur. d. 59. n. 217. p. 459.
An etiam qui dant consilium appellandi? nu. 218. ibid.
Concilii Prouincialis statuta non promulgantes suspenduntur. d. 60. n. 81. p. 497.

Concubina.

Concubinæ nomen ambiguum in Scriptura. d. 72. n. 29. p. 777.

Concupiscentia.

Concupiscentiæ remedium quomodo potest intendi à contrahentibus matrimonium. d. 72. n. 7. p. 770.

Conditio & conditionatum.

Actus conditionatus est duplex. d. 48. num. 23. p. 121.
Detestatio peccati estne actus conditionatus. nu. 24. ibid.
Aliud est conditio de futuro, aliud veritas futuritionis. d. 52. n. 36. p. 244.
Possitne dari forma absolutionis sub conditione. n. 29. p. 242.
Vel matrimonium contrahi validè sub conditione de futuro. n. 31. p. 243.
Conditionis nomine quid intelligendum. d. 71. n. 77. p. 751.
Potest esse multiplex. n. 78. ibid.
Qualis apponi possit matrimonio. n. 79. ibid.
Conditio de præsenti, vel de præterito non suspendit consensum, secus autem conditio de futuro. n. 81. p. 752.
Positio conditionis debet innotescere contrahentibus. n. 83. p. 753.
Illâ positâ non est opus nouo consensu. ibid.
Alia sacramenta non possunt fieri sub conditione de futuro, sicut matrimonium. n. 92. p. 755.
Quænam conditio perficit matrimonium. nu. 94. ibid.
Conditio impossibilis, aut repugnans illud impedit. n. 95. ibid.
Semperne impediat in foro externo. n. 97. p. 756.

Confessarius.

Quæ bonitas, & scientia sit confessario necessaria. d. 53. n. 162. p. 296.
Quorum, & quanta scientia esse debeat. nu. 161. & seqq. ibid.
Requiraturne ad valorem sacramenti. n. 166. ibid.

Index rerum præcipuarum.

Debeatne cognoſcere omnes ſpecies peccatorum in confeſſione expoſitorum. n. 170. p. 297.
Debet cenſere de peccatis ex conſcientia pœnitentis. n. 171. ibid.
Cautè tamen, & rarò interrogandum quâ conſcientiâ peccauerit. n. 172. p. 298.
In dubiis mitior pars ſequenda Confeſſario. num. 173. ibid.
Debet cognoſcere ſtatum pœnitentis. num. 174. ibid.
Prudentia adhibenda. n. 175. ibid.
Quinam teneantur audire confeſſiones. n. 176. p. 299.
Parochus quoties teneatur. n. 177. ibid.
Vnde metienda illius obligatio. n. 179. ibid.
Tenetur quilibet Sacerdos in caſu extremæ neceſſitatis. n. 180. ibid.
Parochus tenetur etiam in graui. n. 181. ibid.
Teneanturne alii in pari caſu. ibid. p. 300.
Quandónam tenetur Confeſſarius examinare pœnitentem. n. 182. ibid.
Non debet nimis inquirere. n. 183. ibid.
Quid ſi pœnitens neget peccatum notum confeſſario. n. 184. ibid.
Non debet dubitare ſine cauſa de diſpoſitione pœnitentis. n. 185. p. 301.
Cauſæ iuſtæ dubitandi. ibid.
Quinam dimittendi ſine abſolutione. n. 186. ibid.
Quinam excuſandi. n. 187. ibid.
De quibus erroribus monendus pœnitens. n. 188. ibid.
Non eſt confirmandus in errore. n. 189. p. 302.
Non debet impedire confeſſarius ne pœnitens ſequatur opinionem probabilem. n. 190. ibid.
Quid ſi erret pertinaciter. n. 192. ibid.
Quid agendum confeſſario, qui abſoluit inualidè à reſeruatis. n. 193. ibid.
Quid ſi defuit iuriſdictio. n. 194. p. 303.
Vel ſi non ſatis examinauit pœnitentem. nu. 196. ibid.
Vel ſi malè obligauit pœnitentem ad reſtituendum, aut quid aliud. n. 197. p. 304.
Non poteſt vti notitiâ confeſſionis inuito pœnitente extra confeſſionem. d. 54. n. 1. p. 306.
An & quomodo approbatio neceſſaria ſit audiendis confeſſionibus. d. 53. nu. 32. & ſeqq. p. 256.
Sitne Regularibus neceſſaria licentia Parochi. nu. 75. p. 268.
Confeſſarius non tenetur in certis caſibus monere pœnitentem de impedimento matrimonii bona fide contracti. d. 77. n. 56. p. 884.
Non tamen poteſt eum inducere ad vſum matrimonii. n. 60. p. 885.

Confeſſio.

Confeſſionis neceſſitas non fuit primò impoſita ab Innocentio III. d. 43. n. 9. p. 31.
Confeſſio publica tantùm fuit ſublata à Nectario ibid. n. 10.
Error Gratiani circa neceſſitatem confeſſionis. n. 11. ibid.
Quo ſenſu Patres hortentur ſoli Deo confiteri. n. 9. p. 32.
Explicatur locus Chryſoſtomi hac de re. nu. 11. ibid.
Confeſſio de venialibus non eſt neceſſaria. d. 42. n. 3. p. 19. & d. 45. n. 15. p. 76.
Nomen confeſſionis varias habet notiones. d. 49. n. 1. p. 151.
Definitio Confeſſionis Sacramentalis. ibid.
Illius conditiones. n. 2. ibid.
Non omnes ſunt ſubſtantiales. n. 3. ibid.
Confeſſio peccatorum eſt actus virtutis. ibid.
Vnde oriatur illius neceſſitas. n. 4. p. 152.
Eſt neceſſaria iure diuino, atque etiam iure eccleſiaſtico. n. 5. & 6. ibid.
Determinatio annuæ confeſſionis eſt ab Eccleſia. n. 7. ibid.
Vnde colligatur neceſſitas confeſſionis ex iure diuino. n. 8. p. 153.
Qnomodo colligitur ex verbis Chriſti Ioan. 20. n. 18. p. 155.
Quinam obligentur ad confeſſionem. nu. 21. & ſeqq. p. 156.
Obligat eius præceptum in articulo mortis. n. 26. p. 157.
Obligetne propter periculum obliuionis. nu. 27. ibid.
Obligat ſæpius, quàm in periculo mortis. n. 28. p. 158.
Sed non ſtatim poſt peccatum. n. 29. ibid.
Poſſitne longè poſt differri. n. 30. ibid.
Quomodo eſt neceſſaria ante Communionem. nu. 33. p. 159.
Singulis annis ſemel ad minus confitendum. n. 34. ibid.
Excuſat impotentia etiam moralis. n. 36. ibid.
Nemo tenetur confiteri per interpretem. n. 37. p. 160.
Ne quidem in articulo mortis. n. 38. ibid.
Quid tunc faciendum ei qui dubitat, ſitne contritus. n. 40. ibid.
Confeſſio potuit à Chriſto variis modis inſtitui. n. 41. ibid.
Poteſt & variis modis præcipi. n. 42. p. 161.
Si Chriſtus non inſtituiſſet confeſſionem, Eccleſia non poſſet eam præcipere. ibid.
Quid ſi Chriſtus eam liberam reliquiſſet. nu. 43. ibid.
Poſſetne tunc Eccleſia præcipere ſaltem confeſſionem de peccatis externis. n. 44. ibid.
Potuit Eccleſia præcipere annuam confeſſionem. n. 46. ibid.
Præcepta fuit in Lateranenſi. n. 47. p. 162.
Poſſitne præcipere iteratam confeſſionem peccatorum abſolutorum. n. 48. ibid.
Quid dicendum de peccatis Papæ reſeruatis. n. 58. p. 164.
Ignorantia reſeruationis non tollit debitum adeundi ſuperiorem. n. 62. p. 165.
Quomodo tempus annuæ confeſſionis computandum ſit. d. 49. n. 63. & ſeqq. p. 165.
Quot anni, tot confeſſiones eſſe debent. ibid.
Sufficiatne confiteri quolibet anni die. nu. 64. p. 166.
Qui omiſit vno anno confeſſionem, tenetur altero quamprimum confiteri. n. 67. ibid.
Non ſatisfit vnica confeſſione pro duobus annis. n. 71. p. 167.
Ad ſatisfaciendum præcepto Eccleſiæ ſufficit confeſſio formaliter integra. n. 74. ibid.
Non ſufficit confeſſio de venialibus lapſo poſtea

Index rerum præcipuarum.

in peccatum mortale. n. 75. p. 168.
Sufficitne confessio sacrilega. n. 76. ibid.
Necessitas confessionis ante communionem. nu. 79. p. 169.
Teneaturne iterum confiteri, qui est oblitus aliquod mortale. ibid.
Præceptum confessionis ante Missę celebrationem. n. 86. p. 170.
Comprehenditne illos, qui substituuntur ad sacrificium perficiendum. ibid.
Atque etiam eos, qui celebrant absque necessitate. n. 87. ibid.
Quomodo quamprimum post celebrationem confitendum. n. 89. p. 171.
Non est essentiale confessioni vt voce fiat. d. 50. n. 1. p. 179.
Ac ne quidem est in præcepto. n. 3. ibid.
Neque etiam vt secretò fiat. n. 5. ibid.
Peccatum veniale non obstat eius valori. n. 7. p. 180.
Confiteri ex intentione vanæ gloriæ sine peccatum mortale. ibid. n. 9.
Non omne mendacium in confessione est mortale. n. 13. p. 181.
Debeatne confitens explicare quòd aliàs de iisdem peccatis confessus sit. n. 14. ibid.
Confessio non potest fieri absenti simpliciter. nu. 18. p. 182.
Potest tamen absenti secundum quid. n. 19. ibid.
Vsus illius confessionis olim circa infirmos. n. 20. ibid.
Quomodo confessio confusa sit valida. n. 22. p. 183.
Quomodo sufficiat ad ferendum prudẽs iudicium. n. 24. ibid.
Quam nouam notitiam det. n. 25. p. 184.
Decretum Clemẽtis VIII. de confessione facta absenti. n. 26. ibid.
Testes debent esse circunstantes. n. 33. p. 185.
Quid fieri possit, & debeat in praxi. n. 36. p. 186.
An, & quomodo necessarium sit integrè confiteri. n. 37. ibid.
Integritas formalis est de essentia confessionis. n. 38. ibid.
Confessio per se debet esse de singulis mortalibus. n. 45. & seqq. p. 188.
Non sufficit dare signa confusa extra casum necessitatis. n. 44. p. 187.
Possintne absolui rustici, qui dicunt tantùm se peccasse. n. 40. ibid.
Circunstantiæ mutantes speciem sunt exprimendæ. n. 50. p. 189.
Itemque aggrauantes, quæ faciunt mortale de veniali. n. 53. p. 190.
Quid sentiendum de aliis aggrauantibus. nu. 54. ibid.
Circumstantiæ minuentes sintne explicandæ. nu. 57. p. 191.
Iudicium fori pœnitentiæ qualem requirat notitiam causæ. n. 62. p. 192.
Benignè sentiendum de rigore confessionis. n. 63. ibid.
Negotium confessionis est moraliter spectandum. n. 64. ibid.
Quomodo circunstantiæ sint explicandæ. n. 65. & seqq. ibid.
Circunstantiæ omissæ quomodo aperiendæ. n. 82. p. 197.
Numerus peccatorum mortalium quomodo explicandus. n. 83. ibid.
Qua diligentia inquirendus. n. 85. p. 198.
Peccata dubia sintne confitenda. n. 90. p. 199.
Quæ causæ excusent ab integritate confessionis. n. 98. p. 201.
Excusat obliuio post sufficientem diligentiam. ibid.
Et impotentia confitendi integrè. n. 99. ibid.
Possitne absolui moribundus nullo signo dato. nu. 100. ibid.
Excusat etiam periculum grauis nocumenti. num. 105. p. 202.
Quid si prodenda sit confessario tertia persona. n. 106. & seq. ibid.
Sigillum non est violandum propter integritatem confessionis. n. 114. p. 204.
Reseruatio peccatorum excusat ab integritate. n. 115. ibid.
Quomodo confiteri debet habens reseruata. nu. 117. p. 205.
Superior non potest dimidiare illius confessionem sine necessitate. n. 118. ibid.
Teneaturne pœnitens confiteri inferiori de reseruatis. n. 120. ibid.
An saltem quoad actum internum. n. 122. ibid.
Non excusat ab integritate multitudo pœnitentium. n. 123. p. 206.
Confitendum postea de omissis. n. 124. ibid.
Quid facere teneatur, qui peccauit contra integritatem confessionis. n. 124. ibid.
Rustici quomodo hac in parte iuuandi. num. 125. ibid.
Obsitne integritati confiteri vni mortalia, & alteri venialia. n. 126. ibid.
An & quomodo approbatio sit necessaria audiendis confessionibus. d. 53. n. 32. & seqq. p. 256.
An etiam licentia Parochi. ibid. n. 75. p. 268.

Consensus.

Consensus in copulam est absolutè necessarius ad matrimonium. d. 71. n. 121. & seqq. p. 763.
Etiamne ex parte contrahentis. ibid. nun. 130. p. 765. Vide matrimonium.

Conservator.

Iudices Conseruatores qui potestatem suam excedunt, suspensionem incurrunt. d. 60. nu. 65. p. 493.

Consuetudo.

Consuetudo potest inducere, & tollere impedimenta matrimonii. d. 73. nu. 229. & seqq. p. 803.

Contractus.

Contractus Matrimonii. Vide matrimonium.

Continentia.

Continentia seruanda à clericis constitutis in Ordinibus sacris. d. 67. n. 23. p. 632.
Mos diuersus circa illam in Ecclesia Orientali, & Occidentali. ibid.
Obligatio ad illam est iuris ecclesiastici. nu. 24. ibid.
Est quoad aliquos iuris etiam Apostolici. nu. 26. ibid.
Sacri Ordines ad illam obligant tum ex voto, tum ex præcepto ecclesiastico. n. 31. p. 633.

Digitized by Google

Index rerum præcipuarum.

Quomodo poteſt continentia præcipi ab Eccleſia. n.32.p.634.
Fabula de Paphnutio circa continentiam clericalem.n.42.p.636.
Votum continentiæ eſt de meliori bono. num.44. ibid.
Non temerè tamen emittendum.n.43.ibid.

Contritio.

Contritio quid ſit, & quomodo differt ab attritione. d.48.n.43.p.126.
Quomodo iuſtificat contritio cum voto ſacramenti.d.43.n.2.5.& 6.p.27.& 28.
Votum Sacramenti incluſum in contritione ſufficit.ibid.
Contritio perfecta tollit peccatum. d. 44.nu.18. p.43.
Etiam ſine actu dilectionis.n.24.p.44.
Poſſitne quis eleuari ſimul ad contritionem, & dilectionem.n.33.p.47.
Quid ſi velit diligere, & non conteri.n.34.ibid.
Contritio iuſtificat eodem inſtanti, quo eſt.n.35. & ſeqq.ibid.
Non tollit peccata ſine Dei acceptatione libera. n.77.p.59.
Contritio non eſt determinatè neceſſaria Sacramento Pœnitentiæ.d.48.n.33.p.123.
Qualis eſſe debeat quando eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ.n.47.& ſeqq.p.127.
Contritio vniuerſalis deteſtatur virtualiter vnum peccatum pluſquam aliud.n.117.p.143.
Deteſtatur æqualiter peccatum futurum, & præteritum.n.118.ibid.
Non eſt de peccato alieno.n.119.p.144.
Sitne obligatio ad contritionem in articulo mortis.d.49.n.98.p.174.
Non tenetur peccator conteri ſtatim ac peccauit. n.105.p.176.
Neque etiam prima die Dominica poſt. n. 111.p. 177.
Contritio non præſupponitur neceſſariò abſolutioni.d.57.n.24.p.367.

Corpus.

Corporis defectus facit irregularem. d. 62.n.61. p.532.
Quantus ille eſſe debeat.ibid.

Conuentus.

Suſpenſiones latæ contra Conuentus. d.60.n.85. p.498.

Curia.

Curiale officium reddit irregularem. d.62.nu.76. p.539.

D.

Debitum.

Obligatio reddendi debitum coniugale qualis, & quanta ſit.d.78.n.1.p.888.
Excuſat ab ea periculum ſalutis corporalis. n.2.p. 889.
Vel ſi altera pars remittit obligationem.n.3.ib.
Et diuortium legitimum.n.5.ibid.
Et difficultas maxima pariendi.ibid.
Et paupertas, ſeu impotentia alendi plures liberos.ibid.
Et menſtrua.n.6.ibid.
Et ebrietas, vel furor, & amentia petentis.ibid.p. 890.
Et indecens petitio.n.7.ibid.
Et affinitas contracta cum coniuge.n.9.ibid.
An etiam cognatio ſpiritualis.n.10.ibid.
Et dubium de impdimento irritante.n.11.ibid.
Quid ſi vnus tantùm dubitet.ibid.p.891.
Quid faciendum quando vterque.n.13.ibid.
Et inualiditas matrimonii certa.n.14.ibid.
Et bimeſtre à iure conceſſum.n.15.ibid.
Et nimia frequentia, vel modus indebitus.ibid.
Peccetne grauiter negans leuiter petenti.nu.16. ibid.
Peccata in eius vſu contingentia. n.17.& ſeqq.p. 892.
Excommunicatio non illud impedit. num. 30.p. 895.
Votum caſtitatis quomodo impediat. num. 33.p. 896.
Aut votum ingrediendi Religionem, aut ſuſcipiendi Ordines ſacros.n.35.& ſeqq.897.
Aut votum caſtitatis ſine conſenſu coniugis. nu. 38.ibid.
Vel etiam cum illius conſenſu.n.39.p.898.

Decimæ.

Regulares vſurpantes decimas ſuſpenſionem incurrunt.d.60.n.89.p.499.
Et ſi non obligant ſuos pœnitentes ad eas ſoluendas.n.92.p.500.

Degradatio.

Degradatio quid ſit, & quomodo differat à ſuſpenſione.d.60.n.18.p.482.
Quomodo differat à depoſitione.n.20.ibid.
Quæ ſolemnitas ad eam requiratur. num.22.p. 483.
Quot Epiſcopi ad illam neceſſarii. n.23. ibid.
Quomodo differant Degradatio realis, & verbalis. n.24.ibid.
Cauſa propter quam Degradationis.n.25.p.484.

Delectatio.

Peccentne coniuges contrahendo, vel vtendo matrimonio propter delectationem. d.72.nu.12. p.771.

Depoſitio.

Quid & quotuplex ſit. d.60.n.18.& 19.p.482.
Quomodo differat à ſuſpenſione; & Degradatione.d.18.& 20.ibid.

Deus.

Quomodo Deus deſerit peccatores. d.44.nu.14. p.41.
Non deſerit niſi ad tempus.ibid.p.42.
Ne maximos quidem peccatores.n.15.ibid.
Quomodo Dei perfecta ſunt opera.n.79.p.59.
Deus non odit quemcunque punit.n.112.p.68.
Deus dupliciter eſt auctor matrimonii, & aliorum Sacramentorum.d.71.n.111.p.760.

Diaconus.

Diaconi ordinatio, eſt verè ſacramentalis. d.64. n.17.p.609.
Quomodo fiat in Latina Eccleſia.n.45.p.615.
Quomodo in Græca.n.46.p.616.
Diaconorum officia.d.68.n.16.p.650.
Illorum eſt Euangelium in Miſſa ſolenni legere.n. 17.ibid.
Et olim Sacramentum Euchariſtiæ diſtribuere. ibid.
Et multa alia in Miſſa obire miniſteria. nu.18.p. 651.
Baptizare, & inſtruere Catechumenos. n.20.ibid.

Digitized by Google

Index rerum præcipuarum.

Prædicare. n. 21. ibid.
Bona Eccleſiæ pauperibus diſtribuere. p. 652.

Dilectio.

Dilectio Dei tollit peccatum mortale. d. 44. nu. 19. p. 43.
Etiam ſine contritione. n. 24. p. 44.
Suffi ſatne in omni caſu. n. 31. p. 46.
Poſſitne eleuari peccator ad contritionem ſimul & dilectionem. n 33. p. 47.
Quid ſi velit diligere, & non conteri. n. 34. ibid.
Dilectio iuſtificat eodem inſtanti. n. 36. ibid.

Diſpenſatio.

Diſpenſatio ſuper impedimentis matrimonii ad quos pertineat, & quomodo. d. 77. n. 1. & ſeqq. p. 869.
Poteſtne delegari. n. 10. p. 871.
Iuſta cauſa requiritur interdum ad diſpenſandum validè. n. 11. ibid.
Interdum ſolùm ad licitè. n. 12. p. 872.
Peccat alioqui tam qui petit, quàm qui accipit diſpenſationem. ibid.
Cauſæ diſpenſandi debent ad bonum commune ſpectare. n. 13. ibid.
Maior cauſa pro maiori impedimento requiritur. n. 14. p. 873.
Cauſæ diſpenſandi in prohibentibus iure naturali vel diuino. n. 15. ibid.
Et in prohibentibus, vel irritantibus iure humano. n. 17. p. 874.
Sat eſt vnam, vel plures ſimul ſufficere. num. 19. ibid.
Cauſa propter quam nulla redditur diſpenſatio, duplex eſt: reticentia veri, aut expreſſio falſi. n. 20. p. 875.
Nimirum ſi tacetur id quod ius exprimi iubet. nu. 22. ibid.
Vel quando pertinet ad cauſam finalem, & non impulſiuam tantùm. n. 23. ibid.
Quomodo hæ cauſæ dignoſcuntur. n. 24. p. 876.
Quid ſi gratia conceſſa eſt diuiſibilis. n. 26. ibid.
Debentne omnia impedimenta ſimul explicari, quando plura ſunt. n. 27. ibid.
Non debent ſi ſunt diuerſæ rationis. num. 29. p. 877.
Secus autem ſi eiuſdem quodammodo. n. 30. ibid.
Quid ſi ſeparentur ſine cauſa. n. 31. ibid.
Circunſtantia aggrauans impedimentum debet exprimi. n. 32. ibid.
Debetne exprimi diſpenſatio prius obtenta ſuper ſimili impedimento. n. 33. p. 878.
Vel quòd diſpenſatio priùs negata fuerit. nu. 34. ibid.
Vel quòd habita ſit copula cum conſanguinea, pro qua ducenda petitur diſpenſatio. num. 35. ibid.
Valeatne diſpenſatio contra impedimentum ſuperueniens priori ſimile. n. 36. p. 879.
Diſpenſatio voti caſtitatis quouſque extendatur. n. 38. ibid.
Poſſitne diſpenſatio poſt renunciationem. nu. 39. ibid.
Quid faciendum ſi eius valor eſt dubius. nu. 40. p. 880.
Ceſſatne cauſa finali ceſſante. n. 41. ibid.
Poſſitne vir diſpenſare in votis vxoris, & vxor in votis viri. d. 78. n. 44. & ſeqq. p. 899.

Diuortium.

Diuortium quid ſit. d. 79. n. 1. p. 903.
Adulterium eſt ſufficiens illius cauſa, tam reſpectu viri, quàm vxoris. n. 2. & 3. ibid.
Si tamen adulterium perfectũ eſt, & moraliter certum, ſcienterque & liberè commiſſum. nu. 6. 7. & 8. p. 904.
Neque diuertens ſit reus adulterii. Ne quidem occultè. n. 9. & 10. ibid.
Neque conſenſerit adulterio coniugis. nu. 11. p. 905.
Et non remiſerit iniuriam nocenti. n. 12. ibid.
Quomodo cenſetur remittere. n. 13. ibid.
Quid ſi poſt reconciliationem vnus adulteretur. n. 14. ibid.
Sintne pares vir, & vxor quoad ius diuertendi. nu. 15. p. 906.
Requirituine ſententia iudicis ad diuortium licitè faciendum. n. 16. ibid.
Non requiritur ſi eſt publicum. ibid.
Secus autem ſi eſt occultum. n. 19. p. 907.
Tunc tamen ſufficit ad ſeparationem thori. n. 24. p. 908.
Quid ſi innocens excommunicetur niſi reddat debitum occulto adultero. n. 25. ibid.
Teneaturne coniux dimittere alterum perſiſtentem mœchari. n. 26. ibid.
Non tenetur per ſe loquendo. ibid.
Secus autem per accidens multis de cauſis. nu. 27. p. 909.
Pleraque tamen excuſant. n. 28. ibid.
Et rarò vrget hæc obligatio. n. 30. p. 910.
Quantum, & quando maritus obligetur. nu. 31. ibid.
Vxor innocens non tenetur dimittere virum. nu. 32. ibid.
Teneaturne qui dimiſit, reconciliari pœnitenti. n. 33. ibid.
Poteſtne cogere vt redeat. n. 34. p. 911.
Poteſtne reus ingredi Religionem, aut Ordinem ſacrum ſuſcipere. n. 35. ibid.
Viro ingrediente, aut ſuſcipiente Ordinem ſacrum poſt diuortium, teneaturne vxor ingredi, aut vouere. n. 36. ibid.
Si poſt latam ſententiam diuortii comperiatur iudicem fuiſſe deceptum, & neuter coniugum mutauit ſtatum, debent reconciliari. nu. 37. p. 912.
Si innocens mutauit ſtatum debet redire, & reddere debitum. n. 38. ibid.
Debet alterum reuocare, licet vterque vouerit caſtitatem. n. 39. ibid.
Si poſt diuortium alter committat adulterium, crimina debent compenſari. n. 40. & ſeqq. ibid.
Lapſus diuertentis in fornicationem debet reſcindere diuortium. n. 47. p. 914.
Niſi ſit profeſſus, vel Ordinem ſacrum acceperit. n. 48. ibid.
Periculum grauis damni corporalis ſufficit ad diuortium. n. 49. ibid.
Requiraturne iudicis auctoritas. n. 50. ibid.
Malum quod timetur debet eſſe graue. nu. 51. p. 915.
Eſtne licitum diuertens mutare ſtatum. n. 52. ib.
Sufficit etiam periculum grauis damni ſpiritualis. n. 53. ibid.

Index rerum præcipuarum.

Et lapſus in hæreſim vel apoſtaſiam. n.54.p.916.
Teneaturne diuertens admittere reſipiſcentem à lapſu.n.55.ibid.
Non compenſatur quoad diuortium fornicatio carnalis per ſpiritualem.n.56.ibid.
Debeantne filii ſequi innocentem.n.60.p.917.
Poſſitne vir vxori adulteræ alimenta negare poſt diuortium. n.61.ibid.
Quas alias pœnas incurrat adultera.ibid.
Quid ſi poſtea reconcilientur.n.62.ibid.
Poſſunt etiam coniuges diuertere ex mutuo conſenſu.n.57.p.916.

Dogmatiſtæ.

Dogmatiſtarum error circa neceſſitatem contritionis in ſacramento Pœnitentiæ. d.48.nu.33. & ſeqq.p.123.
Et quòd ſatisfactio debeat præire abſolutioni. d. 51.n. 97.& ſeqq.p.228.
Et circa publicam pœnitentiam.d.55.num.12.& ſeqq.p.323.& n.40.p.332.
Et contra incorruptibilitatem Eccleſiæ in doctrina morum,& fidei.n.41.& 42.p.333.
Et contra veritatem ſacramenti Pœnitentiæ. nu. 43.p.334.
Et contra ſigillum Confeſſionis.n.46.ibid.
Et contra ſufficientiam attritionis.n.47.p.335.
Et contra efficaciam abſolutionis.n.49.ibid.
Et circa diſpoſitionem exigendam à pœnitente ante abſolutionem.n.50.ibid.

Dominium.

Dominium directum poteſt ſeparari ab vtili. d. 71.n.123.p.763.

Duellum.

Duellantes excommunicantur. d.59. num.275.p. 471.
Clerici duellantes incurrunt ſuſpenſionem. d.60. n.78.p.496.

E.

Eccleſia, & Eccleſiaſtici.

Error nouorum Dogmatiſtarum de corruptione Eccleſiæ.d.55.n.40.& ſeqq.p.332.
Excommunicantur qui auocant cauſas eccleſiaſticas.d.59.n.238.p.463.
Et qui perſonas eccleſiaſticas trahunt ad ſuum tribunal contra iuris diſpoſitionem. num. 239.p. 464.
Et qui impediunt iuriſdictionem eccleſiaſticam. n.240.ibid.
Et qui auertunt prouentus eccleſiaſticos.nu.241. ibid.
Et qui tributa imponunt perſonis eccleſiaſticis.n. 243.ibid.& n.288.p.474.
Et qui criminaliter eas tractant ſine licentia Sanctæ Sedis.n.244.p.465.
Et ſpoliantes Eccleſias.n.252.p.467.
Et alienantes bona eccleſiaſtica.n.270.p.470.
Eccleſiam grauantes debitis, & obligationibus incurrunt ſuſpenſionem.d.60.n.54.p.490.
Eccleſiæ prohibitio eſt vnum de impedimentis prohibentibus matrimonium. d. 73. nu. 28. p. 804.
Quo ſenſu Eccleſia non poteſt mutare ſubſtantiam Sacramenti[illegible].73.n.6.p.800.
Eccleſiarum vacantium bona occupantes incurrunt ſuſpenſionem.d.60.n.82.p.497.

Electio, & Electores.

Electio miniſtrorum Eccleſiæ ad quem pertineat. d.67.n.46.p.637.
Debet eſſe à Deo mediatè, vel immediatè.ibid.
Quibus conuenit neceſſariò.n.49.ibid.
Sitne neceſſarius populi conſenſus.nu.51.p.638.
Electio hæreticorum eſt nulla.n.67.p.641.
Electores Epiſcopi non eum monentes ſuſpenduntur. d.60.n.57.p.491.
Eligentes ad Epiſcopatum, vel ad alia Beneficia contra formam præſcriptam à canonibus, ſuſpenduntur.n.59.p.491.
Vel ante ætatem legitimam.n.60.p.492.
Vel qui malè opponunt aliquid perſonæ electi.n. 61.ibid.
Et eligentes per ſæcularem poteſtatem. num.62. ibid.

Epiſcopus, & Epiſcopatus.

Epiſcopus tenetur dare approbationem ad audiendas confeſſiones, & gratis. d. 53.nu.35.p. 257.
Peccat ſi negat,aut iniuſtè limitat.n.39.p.258.
Non poteſt confiteri non approbato. num.64. p. 265.
Poteſt abſolui à reſeruatis ſibi, per confeſſarium à ſe electum.n.132.p.288.
Et à reſeruatis Papæ, ſed occultis.n.133.ibid.
Quomodo ab hæreſi.n.134.p.289.
Et ab excommunicatione, lata in percuſſores clericorum.n.135.ibid.
Epiſcopatus quo ſenſu dicitur eſſe vnus à D. Cypriano.d.56.n.19.& ſeqq.p.348.
Et eius pars teneri in ſolidum à ſingulis. nu. 21.p. 349.
Cæteri omnes Epiſcopatus pendent à Petro, & ſucceſſoribus.n.22.ibid.
Quomodo Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis. n.44.p. 356.
Poſſitne Epiſcopus excommunicare extraneos. d. 58.n.26.p.739.
Vel in loco exempto. ibid.
Vel ſubditum extra territorium,ſeu poſitum extra propriam Diœceſim.n.27.ibid.
Epiſcopi poſſunt abſoluere à caſibus occultis Papæ reſeruatis.d.59.n.174.p.446.
Inſequentes hoſtiliter Epiſcopos, & ejicientes è Diœceſi excommunicantur. ibid. num.235. p. 463.
Poſſintne Epiſcopi abſoluere à caſibus occultis Bullæ Cœnæ. n.247.& 248.p.465.
Epiſcopus Simoniacè ordinans incurrit ſuſpenſionem. d.60.n.79.p.496.
Vel ordinans in alienа Diœceſi ſine licentia Ordinarii loci.n.80.ibid.
Et Epiſcopi non promulgantes intra ſex menſes ſtatuta Concilii Prouincialis.n.81.p.497.
Aliæ ſuſpenſiones latæ contra Epiſcopos. ibid. & ſeqq.
Epiſcopi poſſunt tollere aliquas irregularitates.d. 62.n.104.p.543.
Et omnes ex delicto occulto prouenientes, excepto homicidio voluntario.ibid.
Quid ſibi velit illa exceptio. nu.112.& 113.p. 545.
Poſſunt diſpenſare etiam per alium.n.108.p.544.
Habent poteſtatem diſpenſandi omnes ſibi ſubditos,

Index rerum præcipuarum.

tos, etiam regulares. n. 109. ibid.
Possunt dispensare in homicidio non voluntario, & mutilatione pura, n. 110. p. 545.
Et cum Clerico reuertente ab hæresi. n. 111. ibid.
Episcopatus est Ordo sacramentalis. d. 66. n. 14. p. 609.
Est maior sacerdotio iure diuino, n. 32. p. 612.
Hæresis Aerij circa hoc. n. 35. p. 613.
Explicantur loca Hieronymi, & Augustini in contrarium allata. n. 37. ibid. & d. 68. n. 33. & seqq. p. 655.
Episcopatus supponit sacerdotium. d. 66. n. 39. p. 614.
Quomodo ordinentur Episcopi in Ecclesia Latina. n. 41. ibid.
Et in Græca. n. 42. p. 615.
Episcopus est minister ordinarius Sacramenti Ordinis. d. 67. n. 14. p. 629.
Possitne ordinare validè, si est excommunicatus, suspensus, degradatus, hæreticus. n. 15. ibid.
Solus potest conferre Sacerdotium. n. 16. ibid.
Possitne Episcopus ab vno solo Episcopo ordinari. n. 21. p. 631.
Quo sensu Episcopus dicitur vnius vxoris vir. nu. 38. p. 635.
Ad quid teneatur erga vxorem relictam. n. 41. p. 636.
Episcopus est superior Ordine sacerdotibus. d. 68. n. 26. p. 653.
Atque etiam iurisdictione. n. 29. p. 654.
Episcopatus includit Ordinem, & iurisdictionem. n. 33. p. 655.
Fuerunt ab initio Episcopi. n. 35. ibid.
Debent virtute, æque ac gradu præcellere. n. 40. p. 657.
Quales debeant eligi. n. 41. ibid.
Paterna mansuetudo illis necessaria. n. 42. p. 658.
Papa est Episcopis superior iure diuino. n. 43. & seqq. ibid.
Non possunt apponere impedimenta irritantia matrimonium. d. 73. n. 19. p. 802.
Neque possunt in sua Diœcesi quicquid Papa in tota Ecclesia. ibid.
Episcopi dispensant in impedimentis matrimonium prohibentibus. d. 77. n. 1. p. 869.
Interdum etiam in dirimentibus. n. 4. ibid.
Si impedimentum est occultum, & matrimonium bona fide contractum in facie Ecclesiæ, & non potest recurri ad Pontificem. num. 5. & seqq. p. 870.
An etiam ante contractum. n. 8. ibid.
Potest Episcopus hanc potestatem delegare. n. 10. p. 871.

Error.

Error circa personam siue antecedens, siue concomitans est impedimentum irritans matrimonium. d. 74. n. 3. p. 818.
Non potest Ecclesia hunc defectum supplere. n. 6. p. 819.
Non irritat error circa qualitatem personæ. n. 7. p. 820.
Nisi ad illam determinetur intentio. n. 8. ibid.
Vel recidat in errorem personæ. n. 10. ibid.
Soluuntur variæ quæstiones circa huiusmodi errores. n. 11. & seqq. p. 821.
Grauiter peccat qui fallit in re graui circa matrimonium. n. 16. ibid.
Error circa seruilem conditionem personæ matrimonium irritat. n. 17. ibid.
Quis, & qualis hic error esse debeat. ibid. p. 822.
Sufficitne personâ paulò post fieri liberâ. n. 18. ibi.
Hæc irritatio est à iure positiuo. n. 19. ibid.
Quid faciendum errore detecto. n. 25. p. 824.

Esaü.

Quomodo non inuenit Esaü pœnitentiæ locum. d. 44. n. 12. p. 41.

Eucharistia.

Græci tradunt Eucharistiam in ordinatione, loco Chrismatis. d. 66. n. 44. p. 615.
Quomodo confessio necessaria ante sumptionem Eucharistiæ. d. 49. n. 79. p. 169.

Excommunicatio.

Absolutio ab excommunicatione non potest dari formâ deprecatiuâ. d. 52. n. 25. p. 241.
Excommunicatio quid, & quotuplex sit. d. 59. n. 1. p. 398.
Quibus bonis priuat Excommunicatio minor. n. 2.
Possitne aliis priuare. n. 3. ibid.
Causa cur incurratur. n. 4. p. 399.
Quis ab illa potest absoluere. ibid.
Quibusnam priuat maior Excõmunicatio. n. 5. ibi.
Multiplex diuisio maioris Excommunicationis. n. 6. ibidem.
Excõmunicati vitandi quinam sint. n. 7. p. 400.
Effectus maioris Excõmunicationis. n. 13. p. 401.
Excommunicatus grauiter peccat recipiendo Sacramenta. n. 15. p. 402.
Etiamsi sit toleratus. n. 16. p. 403.
Liceatne dare Sacramenta excommunicatis. num. 17. ibid.
Quid in casu necessitatis. n. 18. ibid.
Validè recipiuntur ab excommunicato exceptâ pœnitentiâ. n. 19. p. 404.
Debetne priùs absolui ab excommunicatione, quàm à peccatis. n. 21. ibid.
Pœnæ contra excommunicatos dantes, aut recipientes Sacramenta. n. 22. ibidem.
Quid si dentur non vitandis. n. 23. p. 405.
Excommunicatus toleratus administrat validè Sacramenta. 24. ibid.
Atque etiam licitè aliis petentibus. n. 25. p. 406.
An etiam non petentibus. n. 26. ibid.
Quid si non est toleratus. n. 28. ibid.
Grauiter peccat ministrando. n. 32. p. 408.
Quæ necessitas eum excuset. n. 33. ibid.
Incurrit etiam irregularitatem. n. 35. p. 409.
Licet non ministret solemniter. n. 36. ibid.
Atque etiã si exercet alios actus ordinis. n. 37. ibi.
Peccétne qui ab illo Sacraméta recipiunt. n. 3. ibi.
Quibus suffragiis priuat excõmunic. n. 39. p. 410.
An soli non tolerati illis priuentur. n. 41. ibid.
Non sufficit esse contritos vt oretur pro excommunicatis. n. 44. p. 411.
Prosintne illis communia suffragia, si pro illis offerantur. n. 46. p. 412.
Quomodo eis prosit sacrificium Missæ. n. 48. ibid.
Excommunicati non possunt illi interesse. n. 50. p. 413.
Non celebrandum coram non toleratis, si moraliter assistant. n. 52. & 53. ibid.
Teneanturne procurare absolutionem, vt assistant diebus festis. n. 54. p. 414.
Prohibita illis est communicatio aliis Officiis di-

Index rerum præcipuarum.

uinis. numero 55. ibidem.
Quæ ſint illa Officia diuina. n. 56. ibid.
Grauiter peccant, ſi iubent ea fieri coram ſe. n. 58. p. 415.
Poſſunt tamen priuatim orare, etiam in templo. n. 59. ibid.
Non liberantur ab onere recitandi Officium, ſi tenentur aliunde. ibid.
Priuantur ſepulturâ eccleſiaſticâ. n. 60. p. 415.
Quid agendum, ſi in loco ſacro ſepulti fuerint. n. 61. p. 416.
Priuantur etiam officio, & honore funebri. n. 62. ibidem.
Intellige ſi non ſint tolerati. n. 63. ibid.
Quid ſi toleratus mortuus eſt impœnitens. n. 64. ibidem.
Qui eos ſepeliunt in loco ſacro, excommunicantur. n. 65. p. 417.
Quinam incurrunt illam excõmunicat. n. 66. ibid.
Itemque qui ſepeliunt hæreticos in loco ſacro. n. 67. ibid.
Quid ſi alibi cum cerimoniis eccleſiaſticis. n. 68. p. 418.
Quis dicatur locus ſacer quoad hoc. n. 69. ibid.
Quid ſi in loco vicino. n. 70. ibid.
Beneficium non poteſt validè conferri excommunicato etiam tolerato. n. 71. & 72. ibid.
Tenetur fructus reſtituere. ibid.
An etiam fructus Beneficij ante accepti. n. 73. & ſeqq. p. 419.
Poſſitne penſio ipſi dari validè. num. 79. & ſeqq. p. 421.
Collationis nomine quid hic comprehendatur. n. 85. p. 422.
Reualidaturne collatio Beneficij per abſolutionem ab excommunicatione. n. 86. p. 423.
Vtrum excommunicatus acceptet validè Beneficium priùs ſibi collatum. n. 88. ibid.
Quale peccatum ſit dare Beneficium excommunicato, vel accipere. n. 90. p. 424.
Quâ pœnâ puniatur. n. 91. ibid.
Quid faciendum excommunicato vt retineat Beneficium inualidè ſibi collatum. n. 92. ibid.
Excommunicatio maior irritat Reſcripta. n. 93. p. 425.
Non alia quàm Pontificia. n. 94. ibid.
Quid ſentiendũ de imperialibus, & regiis. n. 96. ibi.
Pertinet hæc pœna ad excommunicatos, etiam occultos. n. 98. p. 426.
Non eſt ampliùs in vſu exceptis certis caſibus. n. 100. ibid.
Excommunicatio maior priuat iuriſdictione. num. 101. p. 427.
Actus illius ſunt irriti, ſi fiant à non tolerato. nu. 102. ibid.
Fiunt validè à tolerato, quamdiù non repellitur. n. 103. ibid.
Illicitè tamen, ſi ſponte ab illo exercentur. n. 104. p. 428.
Poſſitne validè excommunicare, ſuſpendere, vel interdicere. n. 105. ibid.
An etiam conferre Beneficia. n. 106. ibid.
Non eſt valida electio facta à ſolis excommunicatis. n. 108. ibid.
Quid ſi non à ſolis. n. 110. p. 429.
Vel ſi à toleratis. n. 111. ibid.
Excommunicatus toleratus poteſtne validè præſentare ad Beneficium, vel poſtulare, inſtituere, reſignare, mittere in poſſeſſionem. n. 113. & 114. p. 430.
Excommunicatio maior priuat forenſi communicatione. n. 115. ibid.
Quomodo iudicem arceat à ferendo iudicio. n. 116. ibid.
Poſſitne excommunicatus eligi in iudicem. n. 118. p. 431.
Poteſtne fungi munere Aduocati. n. 119. ibid.
Aut munere Procuratoris. n. 121. ibid.
Aut officio tabellionis. n. 123. p. 432.
Poſſitne eſſe Actor in iudicio. n. 125. p. 433.
Poteſt repelli eius procurator, licet non excommunicatus. n. 126. ibid.
Poteſt agere in cauſa propriæ excommunicationis. n. 127. ibid.
Poteſtne, aut debet admitti in teſtem. num. 128. p. 434.
Non poteſt licitè ſe ingerere. n. 129. ibid.
Idem dicendum de actibus publicis extraiudicialibus. n. 130. ibid.
Poſſitne, aut teneatur comparere in iudicio. n. 131. & ſeqq. ibid.
Excommunicatus priuatur ciuili ſeu politica communicatione. n. 134. p. 435.
Quibus prohibeatur illa communicatio. ibid.
Qualis & quanta prohibeatur. n. 135. ibid.
Non attingit hæc prohibitio niſi nominatim excommunicatos. n. 137. p. 436.
Ab illa excuſat vtilitas corporalis, aut ſpiritualis. n. 138. ibid.
Et lex matrimonij. n. 139. ibid.
Et ſubiectio, ac reuerentia erga dominos & parentes. n. 140. p. 437.
Poſſunt viciſſim parentes, & domini communicare cũ filiis & ſeruis excõmunicatis. n. 142. p. 438.
Quid ſi famuli poſt excommunicationem cum illis contraxerint. n. 143. ibid.
Excuſat etiam ignorantia iuris, vel facti. n. 145. ibidem.
Et periculum grauis damni ſpiritualis, aut corporalis. n. 146. p. 439.
Quibus in caſibus excommunicatio maior inducit aliam minorem, aut maiorem. n. 147. ibid.
Inſordeſcens per annum in excommunicatione eſt ſuſpectus de hæreſi. n. 151. p. 440.
Excommunicati debent intra annum ſe purgare. n. 153. p. 441.
Sintne priuati Beneficio. n. 154. ibid.
Cauſa efficiens excommunicationis. n. 155. ibid.
Quomodo poteſt epiſcopalis vbique ligare. num. 156. ibid.
Cauſa finalis. n. 157. p. 442.
Cauſa materialis, ſeu quinam poſſunt excommunicari. n. 158. ibid.
Cauſa propter quam. n. 159. & 160. ibid.
Cauſa formalis, ſeu modus quo ferri debet. num. 163. p. 444.
Si fertur ab homine debet præcedere monitio canonica. n. 164. ibid.
Quæ cauſæ excuſent à maiori excommunicatione incurrenda. n. 165. ibid.
Quænam excuſent ab illa, quæ fertur ad finem reuelationis. n. 168. p. 445.

Index rerum præcipuarum.

Pœnitens est priùs absoluendus ab excommunicatione, quàm à peccatis. n. 171. p. 446.
Quis potest absoluere à minori excommunicatione, vel à maiori non reseruata. numero 172. ibidem.
Et à reseruata à iure. n. 173. ibid.
Absolutio ab illa per Iubilæum valetne in vtroque foro. n. 175. p. 447.
Exigenda priùs satisfactio, si debetur. n. 176. ibidem.
Quo in casu non possint ab ea absoluere priuilegiati. n. 177. ibid.
Quis potest tollere excommunicationem ab homine. n. 177. & 178. ibid.
Modus absoluendi. n. 179. p. 448.
Absoluens ab excommunicatione debet esse liber à coactione. n. 180. ibid.
Absolutio ad reincidentiam. n. 181. ibid.
Quomodo danda in articulo mortis. n. 182. ibid.
Cerimoniæ absolutionis solemnis. n. 183. p. 449.
Excommunicationes, quæ solent ferri ab homine ad denunciandum, ob aliquod damnum temporale non possunt fieri nisi ab Episcopo. n. 184. ibid.
Nec nisi pro re magni momenti. n. 185. p. 450.
An pro causis criminalibus. n. 186. ibid.
Semperne præsupponunt grauem culpam. n. 187. ibidem.
Modus ferendi huiusmodi excommunicationes. n. 189. p. 451.
Non debent ferri nisi ad instantiam partis. n. 190. ibidem.
Causæ ab illa excusantes. n. 192. p. 452.
Non incurruntur ante lapsum temporis præfixi ad reuelandum. n. 193. ibid.
Monitorij verba bene expendenda. num. 194. ibidem.
Excommunicatio lata in percussores Clericorum, n. 195. p. 453.
Quid significet particula, *si quis suadente diabolo*. n. 196. ibid.
Quis intelligatur nomine Clerici. n. 197. ibid.
Et nomine Monachi. n. 198. ibid.
Quid per manus violentas. n. 199. p. 454.
Comprehendit mandantes & consulentes n. 200. ibidem.
Incurritur ipso facto. n. 201. ibid.
Potest Episcopus ab illa interdum absoluere. n. 209. p. 455.
Quinam ab illa excusantur. n. 204. ibid.
Excommunicatio contra hæreticos, & propter hæresim, vel lectionem librorum prohibitorum, n. 206. p. 456.
Excommunicationes Bullæ Cœnæ. d. 59. n. 217. & seqq. p. 459.
Non cessant per mortem Pontificis. n. 245. p. 465.
Sunt quodammodo à iure. ibid.
Reseruantur Papæ, & quidem valde strictè. n. 246. & 247. ibid.
Possintne Episcopi ab illis absoluere in certis casibus. n. 248. p. 466.
Excommunicationes reseruatæ in Decreto, & in libris Decretalium. n. 246. ibid.
Reseruatæ in sexto Decret. n. 253. p. 467.
In Clementinis. n. 256. ibid.
In Extrauagantibus. n. 263. p. 469.
Extra corpus iuris. n. 270. p. 470.
Sintne in Iure excommunicationes reseruatæ Episcopis. n. 276. p. 471.
Excommunicationes non reseruatæ in Decreto. n. 283. p. 473.
In Decretalibus. n. 284. ibid.
In 6. Decretalium. n. 285. ibid.
In Clementinis. n. 291. p. 475.
Extra corpus Iuris. n. 296. p. 476.
Excommunicatus recipiens Ordinem sacrum est irregularis. d. 62. n. 25. p. 521.
Et si Ordinem acceptum exerceat in statu excommunicationis. n. 28. p. 522.
Excommunicantur qui auocant causas ecclesiasticas. d. 59. n. 238. p. 463.
Et qui personas ecclesiasticas trahunt ad suum tribunal seculare contra iuris dispositionem. ibid. n. 239. p. 464.
Et qui impediunt iurisdictionem ecclesiasticam. n. 240. ibid.
Et qui auertunt prouentus Ecclesiasticos. n. 241. ibid.
Et qui tributa imponunt personis Ecclesiasticis. n. 243. ibid. & n. 288. p. 474.
Et qui criminaliter eas tractant sine licentia sanctæ Sedis. n. 244. p. 465.
Excommunicatio contra duellantes. d. 59. num. 275. p. 471.
Excommunicatio est impedimentum prohibens matrimonium. disp. 73. n. 89. p. 805.

Exenterare.

Exenterantes cadauera excommunicantur. d. 73. n. 263. p. 469.

Exorcistæ.

Exorcistæ olim non fiebant per ordinationem. d. 66. n. 22. p. 610.
Exorcistarum munus. d. 68. n. 13. p. 649.

Expositi.

Expositi sintne habendi pro legitimis. d. 80. n. 32. p. 928.
Sintne irregulares. ibid.

Extrema Vnctio.

Extrema Vnctio est verè ac propriè Sacramentum. d. 65. n. 1. & seqq. p. 589.
Vnctio, de qua D. Iacobus, non erat tantùm ad curandum corpus. n. 7. p. 591.
Vnctio duplex, curatiua & sacramentalis. nu. 8. ibidem.
Vnctio D. Iacobi est eadem cum nostra Sacramentali. n. 9. p. 592.
Habet effectum infallibilem gratiæ. numero 10. ibidem.
Et omnia, quæ vel ipsi hæretici requirunt ad rationem Sacramenti. n. 11. ibid.
Materia eius remota est oleum; proxima, vnctio. n. 12. p. 593.
Forma eiusdem Sacramenti. n. 13. ibid.
Oleum est essentialiter necessarium. numero 14. ibidem.
Sufficiatne Chrisma. ibid.
Aliqua benedictio Episcopi est illi essentialis. n. 15. p. 594.

Index rerum præcipuarum.

Nimirum per se, vel per alium. n. 16. ibid.
Sintne plures vnctiones necessariæ essentialiter. n. 17. ibid.
Quæ sint necessariæ ex præcepto. n. 18. ibid.
Potestne ab vno inchoari, & per alium perfici. n. 20. p. 595.
Sitne forma essentialiter deprecatiua. num. 21. ibidem.
Quæ verba sint essentialia formæ. numero 23. p. 596.
Effectus Extremæ-Vnctionis. n. 24. ibid.
Quæ peccata dimittat. n. 25. ibid.
Disponit ad fœlicem exitum ex hac vita. num. 26. p. 597.
Alleuiat animam infirmi. n. 27. ibid.
Quo instanti gratiam confert. n. 29. ibid.
Definitio huius Sacramenti. ibid. p. 598.
Soli adulti, & infirmi, & peccatores sunt illius capaces n. 30. & seqq. ibid.
Infirmitas debet esse grauis. n. 33. p. 599.
Quomodo potest hoc Sacramentum iterari. n. 34. ibid.
Quando conferendum. n. 35. ibid.
Recipiens debet esse in gratia, & non excommunicatus. n. 36. ibid.
Quid si careat aliqua parte vngenda. numero 37. ibidem.
Solus Sacerdos est illius minister. num. 38. p. 600.
Et ordinariè solus pastor, vel ab eo delegatus. n. 39. ibid.
Possunt tamen alij in casu necessitatis licitè ministrare. ibid.
Quid requiratur vt Parochus, vel alius licitè ministret. n. 40. ibid.
Quid si Parochus sit excommunicatus, aut suspensus. n. 41. ibid.
Sitne aliqua obligatio recipiendi hoc Sacramentum per se loquendo. numero 42. & sequentib. p. 601.
An saltem per accidens. n. 47. p. 602.
Quæ obligatio illud administrandi. numero 48. ibidem.
Teneanturne Parochi cum periculo vitæ. num. 49. ibidem.
Quomodo administrandum. n. 53. p. 603.
Sitne dandum post Viaticum. ibid.

F

Falsarii.

Falsarij literarum Apostolicarum excommunicantur. d. 59. n. 226. p. 461.
Et qui detinent falsas literas Apostolicas. ibid. 250. p. 466.

Fama.

Bonæ famæ defectus facit irregularem. disp. 62. n. 86. p. 539.

Fides, & Fidelis.

Communio inter fideles. d. 63. n. 8. p. 549.
Conuersio ad fidem soluit matrimonium infidelium. d. 73. n. 42. p. 780.
Sufficit infidelem nolle conuerti. ibid. n. 76. p. 789.
Quandonam soluitur hoc matrimonium. n. 78. ibidem.
Quandonam potest fidelis, aut infidelis contrahere cum alio. n. 80. p. 790.

Fœmina.

Fœminę ingredientes virorum monasteria excommunicantur. d. 59. n. 273. p. 470.
Sintne capaces iurisdictionis ecclesiasticæ. d. 56. n. 46. p. 356.
Sunt incapaces Sacramenti Ordinis. d. 67. n. 18 p. 625.
Quæ fuerint olim Diaconissæ, Presbyteræ, & Episcopæ. ibid. n. 2.
Cogentes fœminam ingredi religionem Monialium excommunicantur. d. 59. num. 298. p. 476.

Fornicatio.

Fornicans cum sponso, vel sponsa alterius committit grauem iniuriam specialiter exprimendam in confessione. d. 70. num. 70. & 71. p. 716.

Fossarii.

Fossarij, siue laborantes erant olim inter minores Ordines. d. 66. n. 24. p. 611.

Futurum.

Futurum, & veritas futuritionis non sunt idem. d. 71. n. 82. p. 752.
Conditio de futuro sufficiatne ad matrimonium perficiendum, quando impletur. n. 83. & seqq. p. 753.
Alia Sacramenta non possunt fieri sub conditione de futuro, vt Matrimonium. n. 92. p. 755.

G

Gabella.

Nouas Gabellas imponentes excommunicantur. d. 59. n. 224. p. 460.

Gloria.

Intentio vanæ gloriæ in confessione sitne peccatum mortale. d. 50. n. 9. & 10. p. 180.

Graduati.

Non exigentes iuramentum à Graduatis incurrunt suspensionem. d. 60. n. 56. p. 491.

Gratia.

Gratia, & peccatum mortale non opponuntur priuatiuè. d. 44. n. 59. p. 54.
Potest absolutè istud tolli sine illius infusione. n. 60. ibid.
Potest etiam Deus sine illa deponere odium contra peccatorem. n. 61. ibid.
Habere gratiam cum peccato mortali non est esse perfectè iustum. n. 76. p. 59.
Quomodo remissio peccati mortalis est effectus formalis gratiæ n. 120. p. 70.
Non est effectus primarius. n. 121. ibid.
Probatur esse secundarium. n. 122. ibid.
Sola gratiæ infusio non repugnat venialibus. d. 45. n. 17. p. 77.
Gratia perfectè restituitur per pœnitentiam. d. 47. n. 35. p. 109.
Etiam illa, quæ acquisita fuit per Sacramenta. n. 36. ibid.
Gratia, & virtutes supernaturales statim restituuntur. n. 38. ibid.

H

Hæresis, & Hæretici.

Hæretici excommunicantur ipso iure. d. 59. num. 206. p. 456.
Duo requiruntur ad hanc excommunicationem. ibidem.

Digitized by Google

Index rerum præcipuarum.

Eſt reſeruata Papæ. n. 207. ibid.
Poſſintne Epiſcopi ab illa abſoluere. n. 208. & 209. p. 457.
Excommunicantur etiam credentes hæreticorum, & receptatores, & fautores, & defenſores. n. 210. & ſeqq. ibid.
Et qui legunt libros hæreticos, vel retinent, vel defendunt, vel imprimunt. num. 215. & 216. p. 458.
Sæculares cognoſcentes de crimine hæreſis excommunicantur, vel non ferentes auxilium Inquiſitoribus. n. 289. p. 474.
Clericus reuertens ab hæreſi poteſt diſpenſari ab irregularitate per Epiſcopum. d. 62. num. 111. p. 545.
Hæreticorum filij, & nepotes, ſintne irregulares. d. 62. n. 52. p. 529.
Hæreticorum electio, ordinatio, & vocatio, ſeu miſſio nulla eſt. d. 67. n. 67. p. 641.
Hæreticorum matrimonium quomodo validum. d. 71. n. 54. p. 744.
Lapſus coniugis fidelis in hæreſim non ſoluit matrimonium. d. 72. n. 72. p. 788.
Hæreticorum matrimonium cum Catholicis eſt illicitum. d. 75. n. 6. p. 838.
Eſt tamen validum. n. 8. p. 839.
Poſſitne aliquando excuſari à peccato. n. 10. ibid.
Liceatne cum periculo ſubuerſionis. num. 13. p. 840.
Poſſintne Parochus & teſtes licitè aſſiſtere tali matrimonio. n. 16. p. 841.
Lapſus in hæreſim, vel apoſtaſiam à fide ſufficit ad diuortium. d. 79. n. 54. p. 916.
Teneaturne diuertens admittere reſipiſcentem à lapſu. n. 55. ibid.
Non compenſatur hoc crimen per fornicationem carnalem. n. 56. ibid.

Hermaphroditus.

Hermaphroditi quomodo poſſunt contrahere matrimonium. d. 76. n. 30. p. 858.

Hierarchia.

Quid ſit Hierarchia. d. 68. n. 56. p. 662.
Explicatur eius definitio. n. 59. p. 663.
Tres eius actiones, purgare, illuminare, & perficere. n. 56. ibid.
Verſatur circa tria genera perſonarum. num. 60. ibidem.
Tres ordines Hierarcharum. n. 61. p. 664.
Tria requiruntur ad Hierarchiam. n. 62. ibid.
Eius ſubiectum, & obiectum. n. 63. ibid.
Regulares quomodo ad illam pertinent. num. 64. ibidem.
Poſſintne illis concedi functiones hierarchicæ ſine præiudicio eccleſiaſticæ Hierarchiæ. n. 74. & ſeqq. p. 667.

Homicidium.

Irregulares ex homicidio. d. 62. n. 19. p. 519.
Quis dicatur occidere. n. 20. p. 520.
Quomodo differant irregularitas ex homicidio, & ex mutilatione. n. 29. p. 522.
Homicidium diſtinguitur in voluntarium, & caſuale. n. 30. ibid.
Quomodo caſuale facit irregularem. num. 31. p. 523.
Quid ſi ſequatur ex actione illicita. n. 32. ibid.
Varij modi, quibus homicidium caſuale facit irregularem. n. 40. p. 525.
Sufficiatne ad vitandam irregularitatem mutaſſe voluntatem, vel conſilium, aut mandatum reuocaſſe. n. 42. p. 526.
Quid intelligatur nomine conſilij, vel mandati. n. 43. ibid.
Ratihabitio non ſufficit ad irregularitatem ex homicidio. n. 44. p. 527.
Quæ cauſæ excuſent ab illa incurrenda. num. 48. p. 528.
Irregularitas ex homicidio iuſto propter defectum lenitatis. *Vide* Lenitas.

Honeſtas.

Honeſtatis publicæ impedimentum quid ſit. d. 75. n. 36. p. 846.
Quouſque extendatur. n. 37. ibid.
Vnde naſcatur. num. 38. ibid.
Non eſt niſi cum conſanguineis ſponſi, vel ſponſæ in primo gradu. n. 39. p. 847.
Et ſponſalia debent fuiſſe valida. n. 40. ibid.
Excuſat defectus etiam internus. n. 41. ibid.
Non incurritur, niſi à Chriſtianis. n. 43. ibid.
Hoc impedimentum eſt perpetuum. num. 44. p. 848.
Sponſalia poſteriora cum conſanguineis ſponſo, vel ſponſæ, non illi derogant. n. 46. ibid.
Oritur etiam ex matrimonio rato. n. 47. p. 849.
Atque etiam irrito aliunde, quàm ex defectu conſenſus. n. 48. ibid.

Illegitimi.

Illegitimi ſunt qui naſcuntur ex parentibus non matrimonio iunctis inter ſe. diſp. 80. num. 1. p. 921.
Saltem præſumptiuè & bona fide in facie Eccleſiæ. ibidem.
Altero ſaltem ignorante impedimentum. n. 2. ibidem.
Vel ſi impedimentum eſt tantùm eccleſiaſticum, & parentes ſunt infideles. n. 3. ibid.
Quomodo differunt naturales, & ſpurij, num. 1. & 4. ibid.
Sintne illegitimi qui naſcuntur ex parentibus obſtrictis voto caſtitatis. n. 5. ibid.
Nati ex Profeſſo, & coniuge relicta ante conſummationem matrimonij, ſunt illegitimi, & ſpurij. n. 8. p. 922.
At non ex relicta ſi alteri nupſit. n. 9. ibid.
Neque ſi vir inuita vxore accepit Ordines, vel eſt Profeſſus poſt conſummationem. num. 10. ibid.
Neque ſi ambo ſunt adhuc ligati vinculo matrimonij. n. 11. ibid.
Filij naturales legitimantur per matrimonium ſubſequens. n. 13. p. 923.
Quocunque tempore illud ineatur. numero 14. ibidem.
Etiam per matrimonium bona fide præſumptum. n. 15. ibid.
Quamquam id minus certum eſt. numero 16. p. 924.

Digitized by Google

Index rerum præcipuarum.

Nati post matrimonium præsumptum legitimantur si bona fide, & in facie Ecclesiæ contractum fuit. n. 17. ibid.
An etiam lite mota super valore matrimonij, & adhuc pendente. n. 18. ibid.
Non requiritur consensus parentum, aut filiorum ad legitimationem per subsequens matrimonium. n. 20. p. 925.
Sufficit parentes caruisse impedimento dirimente tempore conceptionis. n. 21. ibid.
Sufficitne, vel tunc, vel tempore natiuitatis. n. 22. ibid.
Legitimatur etiam proles per rescriptum Principis. n. 23. ibid.
Pertinet hoc ius ad Principes supremos. n. 23. & 24. p. 926.
Differentia quoad hoc inter Principes Ecclesiasticos, & ciuiles. ibid.
Possunt aliis delegare hanc potestatem. n. 25. ibid.
Erga quos potest exerceri. n. 26. ibid.
Differentia inter legitimationem factam à Principe Ecclesiastico, & factam à Principe temporali. n. 27. p. 927.
Quænam requirantur vt Rescriptum sit validum. n. 28. ibid.
Alij modi legitimandi. n. 30. ibid.
Qui in domo mariti nascuntur ex coniuge simul habitante, censentur legitimi, nisi contrarium probetur. n. 31. p. 928.
Sintne habendi pro legitimis illi, quorum origo est ignota, vt infantes expositi. n. 32. ibid.
Effectus legitimationis quinam sint, & quàm latè pateant. n. 33. ibid.
Legitimatio per matrimonium subsequens plures habet effectus, quàm per Rescriptum. n. 34. p. 929.
Illegitimi sunt irregulares. d. 62. n. 50. p. 529.

Impedimentum.

Impedimentum dirimens superueniens sponsalibus ea dissoluit. d. 70. n. 96. p. 723.
Secus si prohibens tantùm. n. 97. ibid.
Impedimenta matrimonij. *Vide* Matrimonium.
Impedimentorum dispensatio. *Vide* Dispensatio.
Dubium de impedimento irritante quomodo impedit vsum matrimonij. d. 78. n. 11. & seqq. p. 890.

Impotentia.

Impotentia ad copulam dirimit matrimonium. d. 76. n. 15. & seqq. p. 855.
Quotuplex illa sit. n. 17. ibid.
Perpetua, & absoluta dirimit simpliciter matrimonium. n. 18. ibid.
Respectiua dirimit tantùm respectiuè. n. 20. p. 856.
Vnde oriatur prædicta impotentia. n. 21. ibid.
Quandonam matrimonium est dissoluendum propter impotentiam, & quomodo. n. 25. p. 857.
Quid si malè iudicatum fuit. n. 27. p. 858.
Impotentia ad generationem, vel ad partum non dirimit matrimonium. n. 29. ibid.
Quo iure impotentia dirimit matrimonium. n. 31. ibid.
An iure solùm Ecclesiastico. n. 32. p. 759.
Quid si pars altera non eamnouit. n. 33. ibid.
Vel si ambo continentiam seruare intendant. n. 35. ibid.
Ostenditur perinde irritare. n. 36. p. 860.
Peccetne qui contrahit cum tali impedimento. n. 41. p. 861.
Quid faciendum in dubio de impotentia. n. 42. ibid.
Impotentia ex maleficio qualis, & quotuplex. n. 44. & seqq. p. 862.
Remedia contra illam. n. 46. & seqq. ibid.

Impubes.

Impuberum contractus de præsenti habet vim sponsalium. d. 70. n. 29. p. 706.
Parentes possunt contrahere pro illis sponsalia. n. 35. p. 707.
Atque etiam tutores, & curatores. n. 38. p. 708.
Sufficiatne impuberes tacere. n. 36. & 37. p. 707.
Si spondent ipsimet, debent expleuisse septennium. 42. p. 708.
Nisi malitia suppleat ætatem. n. 45. p. 709.

Incendiarii.

Incendiarij excommunicantur. d. 59. num. 251. p. 456.

Incestus.

Incestus est impedimentum prohibens matrimonium. d. 73. n. 53. p. 810.
Etiamsi incestuosus non sit coniugatus. n. 54. ibid.
Quæ conditiones requirantur ad incurrendum hoc impedimentum. n. 55. p. 811.
Incestus debet esse notorius. n. 56. ibid.
Vigeatne adhuc hoc impedimentum. n. 65. & 66. p. 813.

Indulgentia.

Indulgentiarum fundamentum quotuplex. d. 63. n. 1. p. 547.
Est in Ecclesia thesaurus Indulgentiarum. n. 27. & seqq. p. 553.
Thesaurus ille constat etiam satisfactionibus Sanctorum. n. 32. p. 555.
Ecclesia habet à Deo potestatem illum applicandi. n. 38. p. 556.
Satisfactiones Christi non egent satisfactionibus Sanctorum, vt thesaurus ille applicetur. ibid. p. 557.
Soluuntur hæreticorum argumenta in contrarium. n. 40. ibid.
Ecclesia potest dispensare hunc thesaurum per Indulgentias. n. 44. p. 558.
Vsus Indulgentiarum in antiqua Ecclesia. n. 50. p. 560.
Potestas illa primò, & præcipuè conuenit Summo Pontifici. n. 52. ibid.
Quomodo conuenit etiam Episcopis. n. 53. p. 561.
Quid requiratur ad illius vsum. ibid.
Possunt Indulgentiæ applicari defunctis. n. 55. ibidem.
Aliter tamen, quàm viuis, & per modum solutionis tantùm. n. 57. p. 562.
Non enim per modum absolutionis. n. 58. ibid.
Profitentne illis infallibiliter. ibid. p. 563.
Potestas concedendi Indulgentias non est iurisdictionis adæquatè. n. 59. ibid.
Ad valorem Indulgentiarum requiritur causa legitima. n. 63. p. 564.
Quæ causa sit proportionata. n. 66. p. 565.
Quænam ad illam requirantur. n. 67. ibid.
Causa debet esse pia. n. 69. p. 566.
Modus eas concedendi duplex, vnus absolutionis,

Index rerum præcipuarum.

alter ſolutionis, ſiue ſuffragij. n. 74. p. 567.
Ad lucrandas Indulgentias oportet eſſe in gratia. n. 75. ibid.
Et implere opus iniunctum. ibid.
Semperne iniungatur. n. 76. ibid.
Effectus Indulgentiarum liberatio à pœna. n. 78. ibid.
Ceſſetne per illas obligatio pœnitentiarum à Confeſſario impoſitarum. n. 79. p. 568.
Non ſatisfit per Indulgentiam plenariam pro Miſſis debitis pro defunctis. n. 84. p. 569.
Non omnis Indulgentia eſt plenaria. n. 85. ibid.
Earum multiplex varietas. ibid.

Indurare.

Quomodo Deus dicitur indurare peccatores. d. 44. n. 13. p. 41.

Infamia.

Infamia duplex. d. 62. n. 15. p. 518.
Irregularitas ex delicto infami, ex quali peccato oriatur. n. 16. p. 519.
Infamia debet eſſe canonica. d. 17. ibid.
Infamia iuris, & facti differunt. n. 18. ibid.

Infans.

Infantes ſunt capaces Sacramenti Ordinis. d. 67. n. 3. p. 626.
Ad quid teneatur infans ordinatus. n. 10. p. 628.
Teneaturne abſtinere à matrimonio poſt ætatem adultã contrahendo. d. 75. n. 22. p. 842.
Infantes domi nati ex coniuge habentur pro legitimis niſi contrarium probetur. d. 80. n. 31. p. 928.
Sitne idem ſentiendum de infantibus expoſitis. n. 32. ibid.

Infideles.

Deferentes arma infidelibus excommunicantur. d. 59. n. 228. p. 461.
Eorumque adiutores contra Chriſtianos. n. 230. p. 462.
An etiam mercatores Chriſtiani apud eos morantes, & arma illis vendentes. n. 231. ibid.

Ingratitudo.

Ingratitudo duplex, materialis, & formalis. d. 46. n. 27. p. 96.
Formalis non ineſt in omni peccato. n. 27. ibid.
Et eſt duplex. n. 29. p. 97.
Ingratitudo directa eſt ſpeciale peccatum. n. 30. ibidem.
Atque etiam obliqua. n. 31. ibid.
Peccata remiſſa non redeunt æquiualenter propter ingratitudinem. n. 38. p. 98.
Redeatne pœna damni. n. 39. p. 99.
Remiſſio peccatorum non eſt tota, & ſola cauſa ingratitudinis. n. 41. ibid.

Innocentia.

Eſtne maius beneficium innocentia, quàm remiſſio peccatorum. d. 46. n. 42. p. 99.
Non poteſt id vna regula generali definiri. n. 44. p. 100.
Innocentia non recuperatur per pœnitentiam. d. 47. n. 4. p. 101.

Integritas.

Integritas confeſſionis. *Vide* Confeſſio.

Inquiſitores.

Inquiſitores malè procedentes excommunicantur. d. 59. n. 256. p. 467.
Et incurrunt ſuſpenſionem. d. 60. n. 84. p. 497.

Intellectus.

Intellectus non conſentit falſitati cognitæ, vt neque voluntas malo, quod odit. d. 48. n. 23. p. 121.

Interdictum.

Quid ſit Interdictum. d. 61. n. 1. p. 501.
Diuiditur in locale, perſonale, & mixtum. n. 2. ibidem.
Itemque in generale, & particulare. ibid.
Populo ſolùm interdicto clerus non interdicitur; & vice verſa. n. 3. ibid.
Neque Regulares, ſi clerici tantùm. ibid.
Neque perſonæ, quando locus dumtaxat. n. 4. ibidem.
Interdictum generale comprehendit innocentes. ibidem.
Comprehendatne peregrinos, & infantes, & amentes. n. 5. ibid.
Interdictum vrbis comprehendit ſuburbia. n. 6. p. 502.
Sententia Interdicti non debet eſſe vaga. n. 7. ibid.
Interdictum aliud eſt à iure, aliud ab homine. n. 8. ibidem.
Notanda circa Interdictum pro regno Galliæ. ibidem.
Et pro Regularibus exemptis. n. 9. ibid.
Interdictum aliud eſt totale, aliud partiale. n. 10. p. 503.
Item aliud eſt cenſura, & aliud pœna. ibid.
Cauſa efficiens Interdicti n. 11. ibid.
Cauſa materialis proxima, & remota. num. 12. p. 524.
Cauſa formalis, ſeu modus ferendi. n. 13. ibid.
Per Interdictum prohibetur celebratio diuini Officij. n. 14. ibid.
Remittitur tamen in quibuſdam Feſtis ſolemnioribus. n. 15.
Prohibetur etiam vſus quorundam Sacramentorum. n. 16. p. 505.
Non tamen Baptiſmi, Confirmationis, & Pœnitentiæ. ibid. & n. 17.
Neque Euchariſtiæ per modum Viatici. n. 18. ibid.
Prohibetur Extrema Vnctio. n. 19. ibid.
Et Sacramentum Ordinis, ac Matrimonij. ibid. p. 506.
Interdicti ſolùm ab ingreſſu Eccleſiæ, poſſunt extra recipere Sacramenta. n. 20. ibid.
Non poſſunt tamen ſepeliri in cœmeterio. n. 22. ibidem.
Prohibetur per Interdictum ſepultura eccleſiaſtica. n. 23. p. 507.
Clerici violantes Interdictum peccant mortaliter. n. 24. ibid.
Et incurrunt irregularitatem in certis caſibus. n. 25. ibid.
Religioſi qui non illud ſeruant, excommunicantur. n. 26. p. 508.
Sepelientes in loco interdicto excommunicantur. ibidem.
Et qui cogunt celebrare in loco interdicto. d. 59. n. 262. p. 469.
Interdicta generalia perſonalia à iure lata. d. 61. n. 27. p. 508.
Interdicta perſonalia ſpecialia. n. 28. p. 509.
Interdicta localia generalia. n. 31. ibid.
Interdicta localia particularia. n. 32. p. 510.

Index rerum præcipuarum.

Nati post matrimonium præsumptum legitimantur si bona fide, & in facie Ecclesiæ contractum fuit. n. 17. ibid.
An etiam lite mota super valore matrimonij, & adhuc pendente. n. 18. ibid.
Non requiritur consensus parentum, aut filiorum ad legitimationem per subsequens matrimonium. n. 20. p. 925.
Sufficit parentes caruisse impedimento dirimente tempore conceptionis. n. 21. ibid.
Sufficitne, vel tunc, vel tempore natiuitatis. n. 22. ibid.
Legitimatur etiam proles per rescriptum Principis. n. 23. ibid.
Pertinet hoc ius ad Principes supremos. n. 23. & 24. p. 926.
Differentia quoad hoc inter Principes Ecclesiasticos, & ciuiles. ibid.
Possunt aliis delegare hanc potestatem. n. 25. ibid.
Erga quos potest exerceri. n. 26. ibid.
Differentia inter legitimationem factam à Principe Ecclesiastico, & factam à Principe temporali. n. 27. p. 927.
Quænam requirantur vt Rescriptum sit validum. n. 28. ibid.
Alij modi legitimandi. n. 30. ibid.
Qui in domo mariti nascuntur ex coniuge simul habitante, censentur legitimi, nisi contrarium probetur. n. 31. p. 928.
Sintne habendi pro legitimis illi, quorum origo est ignota, vt infantes expositi. n. 32. ibid.
Effectus legitimationis quinam sint, & quàm latè pateant. n. 33. ibid.
Legitimatio per matrimonium subsequens plures habet effectus, quàm per Rescriptum. n. 34. p. 929.
Illegitimi sunt irregulares. d. 62. n. 50. p. 529.

Impedimentum.

Impedimentum dirimens superueniens sponsalibus ea dissoluit. d. 70. n. 96. p. 723.
Secus si prohibens tantùm. n. 97. ibid.
Impedimenta matrimonij. *Vide* Matrimonium.
Impedimentorum dispensatio. *Vide* Dispensatio.
Dubium de impedimento irritante quomodo impedit vsum matrimonij. d. 78. n. 12. & seqq. p. 890.

Impotentia.

Impotentia ad copulam dirimit matrimonium. d. 76. n. 15. & seqq. p. 855.
Quotuplex illa sit. n. 17. ibid.
Perpetua, & absoluta dirimit simpliciter matrimonium. n. 18. ibid.
Respectiua dirimit tantũ respectiuè. n. 20. p. 856.
Vnde oriatur prædicta impotentia. n. 21. ibid.
Quandonam matrimonium est dissoluendum propter impotentiam, & quomodo. n. 25. p. 857.
Quid si malè iudicatum fuit. n. 27. p. 858.
Impotentia ad generationem, vel ad partum non dirimit matrimonium. n. 29. ibid.
Quo iurè impotentia dirimit matrimonium. n. 31. ibid.
An iure solùm Ecclesiastico. n. 32. p. 759.
Quid si pars altera non eamnouit. n. 33. ibid.
Vel si ambo continentiam seruare intendant. n. 35. ibid.
Ostenditur perinde irritare. n. 36. p. 860.
Peccetne qui contrahit cum tali impedimento. n. 41. p. 861.
Quid faciendum in dubio de impotentia. n. 42. ibid.
Impotentia ex maleficio qualis, & quotuplex. n. 44. & seqq. p. 862.
Remedia contra illam. n. 46. & seqq. ibid.

Impubes.

Impuberum contractus de præsenti habet vim sponsalium. d. 70. n. 29. p. 706.
Parentes possunt contrahere pro illis sponsalia. n. 35. p. 707.
Atque etiam tutores, & curatores. n. 38. p. 708.
Sufficiatne impuberes tacere. n. 36. & 37. p. 707.
Si spondent ipsimet, debent expleuisse septennium. 42. p. 708.
Nisi malitia suppleat ætatem. n. 45. p. 709.

Incendiarii.

Incendiarij excommunicantur. d. 59. num. 251. p. 456.

Incestus.

Incestus est impedimentum prohibens matrimonium. d. 73. n. 53. p. 810.
Etiamsi incestuosus non sit coniugatus. n. 54. ibid.
Quæ conditiones requirantur ad incurrendum hoc impedimentum. n. 55. p. 811.
Incestus debet esse notorius. n. 56. ibid.
Vigeatne adhuc hoc impedimentum. n. 65. & 66. p. 813.

Indulgentia.

Indulgentiarum fundamentum quotuplex. d. 63. n. 1. p. 547.
Est in Ecclesia thesaurus Indulgentiarum. n. 27. & seqq. p. 553.
Thesaurus ille constat etiam satisfactionibus Sanctorum. n. 32. p. 555.
Ecclesia habet à Deo potestatem illum applicandi. n. 38. p. 556.
Satisfactiones Christi non egent satisfactionibus Sanctorum, vt thesaurus ille applicetur. ibid. p. 557.
Soluuntur hæreticorum argumenta in contrarium. n. 40. ibid.
Ecclesia potest dispensare hunc thesaurum per Indulgentias. n. 44. p. 558.
Vsus Indulgentiarum in antiqua Ecclesia. n. 50. p. 560.
Potestas illa primò, & præcipuè conuenit Summo Pontifici. n. 52. ibid.
Quomodo conuenit etiam Episcopis. n. 53. p. 561.
Quid requiratur ad illius vsum. ibid.
Possunt Indulgentiæ applicari defunctis. n. 55. ibidem.
Aliter tamen, quàm viuis, & per modum solutionis tantùm. n. 57. p. 562.
Non enim per modum absolutionis. n. 58. ibid.
Prosintne illis infallibiliter. ibid. p. 563.
Potestas concedendi Indulgentias non est iurisdictionis adæquatè. n. 59. ibid.
Ad valorem Indulgentiarum requiritur causa legitima. n. 63. p. 564.
Quæ causa sit proportionata. n. 66. p. 565.
Quænam ad illam requirantur. n. 67. ibid.
Causa debet esse pia. n. 69. p. 566.
Modus eas concedendi duplex, vnus absolutionis,

Digitized by Google

Index rerum præcipuarum.

alter ſolutionis, ſiue ſuffragij. n. 74. p. 567.
Ad lucrandas Indulgentias oportet eſſe in gratia. n. 75. ibid.
Et implere opus iniunctum. ibid.
Semperne iniungatur. n. 76. ibid.
Effectus Indulgentiarum liberatio à pœna. n. 78. ibid.
Ceſſetne per illas obligatio pœnitentiarum à Confeſſario impoſitarum. n. 79. p. 568.
Non ſatisfit per Indulgentiam plenariam pro Miſſis debitis pro defunctis. n. 84. p. 569.
Non omnis Indulgentia eſt plenaria. n. 85. ibid.
Earum multiplex varietas. ibid.

Indurare.

Quomodo Deus dicitur indurare peccatores. d. 44. n. 13. p. 41.

Infamia.

Infamia duplex. d. 62. n. 15. p. 518.
Irregularitas ex delicto infami, ex quali peccato oriatur. n. 16. p. 519.
Infamia debet eſſe canonica. d. 17. ibid.
Infamia iuris, & facti differunt. n. 18. ibid.

Infans.

Infantes ſunt capaces Sacramenti Ordinis. d. 67. n. 3. p. 626.
Ad quid teneatur infans ordinatus. n. 10. p. 628.
Teneaturne abſtinere à matrimonio poſt ætatem adultã contrahendo. d. 75. n. 22. p. 842.
Infantes domi nati ex coniuge habentur pro legitimis niſi contrarium probetur. d. 80. n. 31. p. 928.
Sitne idem ſentiendum de infantibus expoſitis. n. 32. ibid.

Infideles.

Deferentes arma infidelibus excommunicantur. d. 59. n. 228. p. 461.
Eorumque adiutores contra Chriſtianos. n. 230. p. 462.
An etiam mercatores Chriſtiani apud eos morantes, & arma illis vendentes. n. 231. ibid.

Ingratitudo.

Ingratitudo duplex, materialis, & formalis. d. 46. n. 27. p. 96.
Formalis non ineſt in omni peccato. n. 27. ibid.
Et eſt duplex. n. 29. p. 97.
Ingratitudo directa eſt ſpeciale peccatum. n. 30. ibidem.
Atque etiam obliqua. n. 31. ibid.
Peccata remiſſa non redeunt æquiualenter propter ingratitudinem. n. 38. p. 98.
Redeatne pœna damni. n. 39. p. 99.
Remiſſio peccatorum non eſt tota, & ſola cauſa ingratitudinis. n. 41. ibid.

Innocentia.

Eſtne maius beneficium innocentia, quàm remiſſio peccatorum. d. 46. n. 42. p. 99.
Non poteſt id vna regula generali definiri. n. 44. p. 100.
Innocentia non recuperatur per pœnitentiam. d. 47. n. 4. p. 101.

Integritas.

Integritas confeſſionis. *Vide* Confeſſio.

Inquiſitores.

Inquiſitores malè procedentes excommunicantur. d. 59. n. 256. p. 467.
Et incurrunt ſuſpenſionem. d. 60. n. 84. p. 497.

Intellectus.

Intellectus non conſentit falſitati cognitæ, vt neque voluntas malo, quod odit. d. 48. n. 23. p. 121.

Interdictum.

Quid ſit Interdictum. d. 61. n. 1. p. 501.
Diuiditur in locale, perſonale, & mixtum. n. 2. ibidem.
Itemque in generale, & particulare. ibid.
Populo ſolùm interdicto clerus non interdicitur; & vice verſa. n. 3. ibid.
Neque Regulares, ſi clerici tantùm. ibid.
Neque perſonæ, quando locus dumtaxat. n. 4. ibidem.
Interdictum generale comprehendit innocentes. ibidem.
Comprehendatne peregrinos, & infantes, & amentes. n. 5. ibid.
Interdictum vrbis comprehendit ſuburbia. n. 6. p. 502.
Sententia Interdicti non debet eſſe vaga. n. 7. ibid.
Interdictum aliud eſt à iure, aliud ab homine. n. 8. ibidem.
Notanda circa Interdictum pro regno Galliæ. ibidem.
Et pro Regularibus exemptis. n. 9. ibid.
Interdictum aliud eſt totale, aliud partiale. n. 10. p. 503.
Item aliud eſt cenſura, & aliud pœna. ibid.
Cauſa efficiens Interdicti n. 11. ibid.
Cauſa materialis proxima, & remota. num. 12. p. 504.
Cauſa formalis, ſeu modus ferendi. n. 13. ibid.
Per Interdictum prohibetur celebratio diuini Officij. n. 14. ibid.
Remittitur tamen in quibuſdam Feſtis ſolemnioribus. n. 15.
Prohibetur etiam vſus quorundam Sacramentorum. n. 16. p. 505.
Non tamen Baptiſmi, Confirmationis, & Pœnitentiæ. ibid. & n. 17.
Neque Euchariſtiæ per modum Viatici. n. 18. ibid.
Prohibetur Extrema-Vnctio. n. 19. ibid.
Et Sacramentum Ordinis, ac Matrimonij. ibid. p. 506.
Interdicti ſolùm ab ingreſſu Eccleſiæ, poſſunt extra recipere Sacramenta. n. 20. ibid.
Non poſſunt tamen ſepeliri in cœmeterio. n. 22. ibidem.
Prohibetur per Interdictum ſepultura eccleſiaſtica. n. 23. p. 507.
Clerici violantes Interdictum peccant mortaliter. n. 24. ibid.
Et incurrunt irregularitatem in certis caſibus. n. 25. ibid.
Religioſi qui non illud ſeruant, excommunicantur. n. 26. p. 508.
Sepelientes in loco interdicto excommunicantur. ibidem.
Et qui cogunt celebrare in loco interdicto. d. 59. n. 262. p. 469.
Interdicta generalia perſonalia à iure lata. d. 61. n. 27. p. 508.
Interdicta perſonalia ſpecialia. n. 28. p. 509.
Interdicta localia generalia. n. 31. ibid.
Interdicta localia particularia. n. 32. p. 510.

Digitized by Google

Index rerum præcipuarum.

Obligetne interdictum à iure ante denunciationem. n. 33. ibid.
Quomodo conueniant, aut differant interdictum, & cessatio à diuinis. n. 34. & seqq. ibid.
Interdictum quod est censura non desinit absque relaxatione. n. 44. p. 513.
A quonam tolli possit. n. 45. ibid.
Potest definere defectu subiecti. n. 46. ibid.
Locale non desinit per mutationem moralem loci. n. 48. p. 514.
Potestne tolli ad cautelam, vel suspendi ad tempus. n. 50. ibid.
Suspenditur per appellationem ante sententiam. n. 51. ibid.
Potest suspendi ad tempus ab eo qui tulit. nu. 52. ibid.
Tempore interdicti liceatne matrimonium contrahere. d. 73. n. 37. & seqq. p. 806.

S. Ioseph.

Quomodo Ioseph licitè voluit dimittere Beatam Virginem. d. 79. n. 23. p. 908.

Irregularitas.

Irregularitas est inhabilitas quædam. d. 62. nu. 1. p. 515.
Inducitur Iure canonico. n. 2. p. 516.
Et à solo iure prouenit. n. 3. ibid.
Non incurritur in dubio iuris, aut facti. n. 3. & 4. ibid.
Impedit susceptionem Ordinum. n. 5. ibid.
Etiam primæ tonsuræ. n. 6. p. 517.
Idque immediatè. n. 7. ibid.
Et consequenter vsum Ordinum susceptorum. nu. 8. ibid.
Vna est ex delicto, altera ex defectu. n. 9. ibid.
Item vna totalis, altera partialis. n. 10. ibid.
Irregularitas ex delicto est quadruplex. num. 11. ibid.
Non incurritur, nisi ob peccatum mortale. n. 12. p. 518.
Debeatne illud habere infamiam annexam. n. 13. & 14. ibid.
Irregularitas ex delicto infamis ex quali peccato contrahatur. n. 16. p. 519.
Infamia illa debet esse canonica. n. 17. ibid.
Irregularitas ex delicto homicidii, aut mutilationis. n. 19. & 20. ibid.
Irregularitas ex duplici Baptismo. n. 21. p. 520.
Imprudenter aut fictè rebaptizatus sit ne irregularis. n. 22. ibid.
Sæpius rebaptizatus fit toties irregularis. n. 23. p. 521.
Et baptizatus scienter ab hæretico. n. 24. ibid.
Et excommunicatus recipiens ordinem sacrum. n. 25. ibid.
Et exercens actum Ordinis sine Ordine. nu. 27. p. 522.
Vel excommunicatus, suspensus, aut interdictus, vel in loco interdicto. n. 28. ibid.
Quomodo differunt irregularitas ex homicidio & ex mutilatione. n. 29. ibid.
Homicidium casuale quomodo facit irregularem. n. 31. & seqq. p. 523.
Mandans, aut consulens homicidium, si mandatum, aut consilium reuocet, fiatne irregularis effectu secuto. n. 42. p. 525.
Sufficiatne ratihabitio post factum. n. 44. p. 527.
Quæ mutilatio inducat irregularitatem. num. 45. ibid.
Sufficit membri diminutio notabilis. n. 46. ibid.
Quæ causæ excusent ab irregularitate ex homicidio, vel mutilatione. n. 48. p. 528.
Irregularitas ex defectu natalium. n. 50. p. 529.
Quinam illegitimi sint irregulares. ibid.
Filii hæreticorum sunt irregulares. n. 52. ibid.
Irregularitas ex conditione seruili. n. 55. p. 530.
Et ex officio curiali, vel propter ratiocinia. n. 56. ibid.
Et ex defectu sexus. n. 58. p. 531.
Et ex defectu mentis. n. 59. ibid.
Ex defectu corporis. n. 61. p. 532.
Ex defectu ætatis. n. 62. ibid.
Ex bigamia vera. n. 64. & seqq. p. 533.
Et ex interpretatiua. n. 67. ibid.
Etiamsi Baptismum præcesserit. n. 68. p. 534.
Et ex similitudine Mariæ. n. 72. p. 535.
Quibus rebus priuet. n. 73. ibid.
Irregularitas ex defectu lenitatis. n. 74. ibid.
Quinam illam incurrant. ibid.
Vtrumne Inquisitores propter hæresim damnantes. n. 75. p. 536.
Vel legislatores pœnam mortis statuentes. nu. 76. ibid.
Vel accusatores in causa sanguinis. n. 77. ibid.
Vel denunciatores. n. 79. ibid.
Vel iudices, qui tenentur condemnare. nu. 80. p. 537.
Vel qui coguntur metu graui. n. 81. ibid.
Vel Clerici assistentes supplicio reorum. num. 82. p. 538.
Vel Medici, Chirurgi, & similes. n. 83. ibid.
Vel qui se defendunt in bello iusto. ibid.
Vel causæ non principales. n. 85. ibid.
Irregularitas ex defectu bonæ famæ. num. 86. p. 539.
Causa efficiens irregularitatis est ius canonicum. n. 87. ibid.
Quid eò nomine intelligendum. n. 89. ibid.
Causa finalis irregularitatis. n. 90. p. 540.
Quali ex peccato inducatur irregularitas. d. 62. n. 91. p. 540.
Causa subiectiua irregularitatis. n. 93. ibid.
Causa formalis, seu modus quo fertur. n. 94. ibid.
Regulæ, quibus cognosci possit. n. 95. p. 541.
Effectus irregularitatis. n. 100. p. 542.
A quibus, & quomodo tolli potest. num. 101. ibid.
Quædam irregularitates desinunt per seipsas. ibid.
Aliæ tolluntur per Baptismum. n. 102. p. 543.
Aliæ per ingressum Religionis. n. 103. ibid.
Omnes possunt tolli per dispensationem Papæ. n. 104. ibid.
Occultæ ex delicto prouenientes tolli possunt ab Episcopis, excepto homicidio voluntario. ibid.
Vtrumne ab omnibus. n. 105. ibid.
Episcopi possunt in illis dispensare per alium. nu. 108. p. 544.
Habent potestatem dispensandi omnes sibi subditos, etiam Regulares. n. 109. ibid.
Possunt dispensare in homicidio non voluntario, & mutilatione pura. n. 110. p. 545.
Et in defectu natalium ad minores Ordines. ibid.

Digitized by Google

Index rerum præcipuarum.

Et cum clerico reuertente ab hæresi. n. 111. ibid.
Exceptio homicidii voluntarii, vel homicidii simpliciter quid significet. n. 112. & 113. ibid.

Iudex.

Qui auocant causas à iudicibus ecclesiasticis excommunicantur. d. 59. n. 238. p. 463.
Et qui personas ecclesiasticas trahunt ad suum tribunal contra iuris Canonici dispositionem, nu. 239. p. 464.
Iudices ecclesiastici malè iudicantes propter sordes, aut gratiam, excommunicantur. d. 60. n. 64. p. 492.
Itemque iudices conseruatores, qui potestatem suam excedunt. n. 65. p. 493.

Iuramentum.

Iuramentum Sponsalibus appositum ad quid obliget. d. 70. n. 62. p. 714.
Iuramentum promissorium includit assertorium. n. 63. ibid.
Et sequitur naturam promissionis. n. 64. ibid.
Ius potest apponere conditiones iuramento promissorio, non autem assertorio. n. 68. p. 716.

Iurisdictio.

Iurisdictio est necessaria ad absoluendum à peccatis. d. 53. n. 5. p. 248.
Quid sit potestas iurisdictionis. n. 7. p. 249.
Quomodo differat à potestate Ordinis. ibid.
Quibusnam competit iurisdictio ordinaria. nu. 9. ibid.
Quibus conuenit delegata. n. 11. p. 250.
Notanda circa delegationem iurisdictionis. num. 13. ibid.
Sufficit vera iurisdictio, quamuis ignorata. n. 14. p. 252.
Qualis ratihabitio sufficit. ibid.
Solus Papa habet à Deo iurisdictionem ecclesiasticam, cæteri ab eo accipiunt. n. 18. p. 252.
Nemo absoluit in vllo casu sine iurisdictione. nu. 19. ibid.
Sacerdotes non accipiunt vi Ordinis potestatem iurisdictionis. n. 20. ibid.
Iurisdictio non est quæuis potestas iudicialis. nu. 29. p. 255.
Quomodo potest dari ab Ecclesia circa peccata. ibid.
Summus Pontifex dat confessario iurisdictionem circa seipsum. n. 31. ibid.
Potestas iurisdictionis datur à Christo immediatè summo Pontifici, aliis nonnisi per ipsum. d. 56. n. 42. p. 355.
Quibusnam potest committi. n. 45. p. 356.
An etiam fœminis. n. 46. ibid.
Potestas iurisdictionis est duplex. d. 57. nu. 31. p. 371.
Iurisdictio ecclesiastica, vel illius vsus aufertur per maiorem excommunicationem. d. 59. num. 101. & seqq. p. 427.
An etiam forensis, & ciuilis. n. 115. p. 430.
Excommunicantur qui impediunt iurisdictionem ecclesiasticam. n. 240. p. 464.

Iustitia.

Iustitia originalis quare non recuperatur per pœnitentiam. d. 47. n. 43. p. 110.

L.

Laborantes.

Laborantes seu Fossarii erant olim inter minores Ordines. d. 66. n. 24. p. 611.

Lectores.

Lectores olim fiebant de catechumenis. d. 66. nu. 22. p. 610.
Fiantne per ordinationem verè sacramentalem. ibid.
Sacrorum lectorum officia. d. 68. n. 12. p. 649.

Legatus.

Qui Legatos Apostolicos insequuntur hostiliter, excommunicantur. d. 59. n. 235. p. 463.

Legitimus, & legitimatio.

Quinam sint legitimi, vel illegitimi. d. 80. n. 1. & seqq. p. 921.
Legitimatio prolis quomodo fit per matrimonium. n. 13. & seqq. p. 923.
Quomodo per Rescriptum Principis. num. 23. p. 925.
A quibus fieri potest. ibid. & n. 24. & 25. p. 926.
Non potest fieri nisi circa subditos. n. 26. ibid.
Differentia inter legitimationem factam à Principe ecclesiastico, & factam à Principe temporali. n. 27. p. 927.
Quomodo obtinenda per rescriptum. n. 28. & 29. ibid.
Alii modi legitimandi. n. 30. & 31. ibid. & p. 928.
Qui nascuntur ex coniuge vbi maritus habitat, aut sæpe versatur, habentur pro legitimis, nisi contrarium probetur. n. 31. p. 928.
Sintne habendi pro legitimis quorum origo est ignota, vt infantes expositi. n. 32. ibid.
Effectus legitimationis quinam sint, & quàm latè pateant. n. 33. ibid.
Legitimatio per matrimonium subsequens plures habet effectus, quàm per rescriptũ. n. 34. p. 929.

Lenitas.

Defectus lenitatis facit irregularem. d. 62. n. 74. p. 535.
Quinam illam incurrant. ibid.
Vtrumne Inquisitores, crimen morte dignum qualificantes, & de illo damnantes. n. 75. p. 536.
Vel legislatores pœnam mortis statuentes. nu. 76. ibid.
Vel accusatores in causa sanguinis. n. 77. ibid.
Vel denunciatores. n. 79. ibid.
Vel iudices, qui tenentur condemnare. nu. 80. p. 537.
Vel qui coguntur metu graui. n. 81. ibid.
Vel clerici assistentes supplicio reorum. nu. 82. p. 538.
Vel Medici, Chirurgi, & similes. n. 83. ibid.
Vel qui se defendendo occidunt, aut mutilant in bello iusto. n. 83. ibid.
Vel causæ non principales. n. 85. ibid.

Lex.

Leges punientes exhæredatione liberos contrahentes matrimonium sine consensu parentum sintne iustæ, & seruandæ. d. 71. n. 117. p. 762.
Differentia inter legem naturalem, & positiuam, quoad casus particulares, in quibus obligant, vel cessant obligare. d. 72. n. 68. p. 786.

Ligamen.

Impedimentum ligaminis quomodo, & quo iure irritat matrimonium. d. 75. n. 28. p. 844.
Quomodo debet constare de morte coniugis, vt hoc impedimentum cessasse præsumatur. n. 29. ibid.

Index rerum præcipuarum.

Sufficiatne valde probabilis perſuaſio. num. 34. p. 845.
Quid faciendum errore detecto. n. 35. p. 846.

Literæ.

Literarum Apoſtolicarum falſarij excommunicantur. d. 59. n. 226. p. 461.
Et appellantes à literis Apoſtolicis ad poteſtatem laicam. n. 237. p. 463. *Vide* Reſcriptum.

Locus.

Circumſtantia loci ſacri non dat malitiam ſpecialem omnibus peccatis in eo factis. d. 50. n. 77. p. 196.

M

Machabæi.

Machabæorum libri ſunt canonici. d. 64. n. 4. & ſeqq. p. 572.

Machinatio.

Machinatio in mortem proprij coniugis, vel alieni dirimit matrimonium. d. 74. n. 56. p. 833.
Idque iure tantùm poſitiuo. n. 57. ibid.
Conditiones ad hoc requiſitæ. n. 59. p. 834.

Maleficium.

Maleficij impedimentum quodnam ſit, & quotuplex. d. 76. n. 44. & ſeqq. p. 862.
Remedia contra illud adhibenda. n. 46. & ſeqq. ibidem.
Cauenda ſuperſtitio in illis adhibendis. num. 53. p. 864.
Regulæ obſeruandæ, vt caueatur. n. 54. p. 865.

Manus.

Manuum impoſitio ſitne neceſſaria Sacramento Pœnitentiæ. d. 42. n. 28. p. 26.
Sacramentum Confirmationis vocatur ab antiquis Manus impoſitio. Append. n. 38. p. 930.

Maria Virgo.

Mariæ Virginis Conceptio, & excommunicatio illius occaſione lata. d. 59. n. 269. p. 470.
Maria Virgo quomodo potuit ſine peccato nubere poſt votum virginitatis. d. 71. n. 135. p. 766.

Matrimonium.

Matrimonium poſſitne contrahi ſub conditione de futuro. d. 52. n. 31. p. 243.
Matrimonium valet coram Parocho excommunicato non tolerato. d. 59. n. 29. p. 407.
Atque licet contrahentes ſint excommunicati. n. 30. ibid.
Parochus matrimonio iungens alienum, aut benedicens eius nuptias ſuſpenditur. d. 60. n. 66. p. 495.
Matrimonium eſt verum legis nouæ Sacramentum. d. 69. n. 1. & ſeqq. p. 673.
Antiqua veneratio huius Sacramenti. n. 5. p. 674.
Profanatur ab hæreticis. n. 6. ibid.
Cur Patres non adeo meminerunt huius Sacramenti. ibid.
Sacramentum Matrimonij probatur ex Scriptura. n. 7. p. 675.
Contrarius error Durandi, & hæreticorum. n. 10. p. 676.
Quæ matrimonia immunda, & ſacrilega. num. 14. ibidem.
An matrimonium repugnet Sacerdotio. num. 14. p. 677.
Copula coniugalis eſtne pars Sacramenti matrimonij. n. 15. ibid.
Error Gloſſæ circa hoc. n. 16. ibid.
Caluini figmentum circa hoc Sacramentum. n. 22. p. 678.
Matrimonium ſumitur pro contractu, & pro ſtatu. n. 23. p. 679.
Eſt Sacramentum vt eſt contractus. n. 24. ibid.
Tria in contractu conſideranda. n. 25. ibid.
Eſt Sacramentum latè, etiam quoad ſtatum & vſum. n. 26. ibid.
Quæ ſit illius materia, & forma. n. 27. p. 680.
Verba Sacerdotis non ſunt forma. ibid.
Nec verba Dei, aut Chriſti, Gen. 2. & Matth. 19. ibid. n. 28.
Neque ſigna poſterius exhibita. n. 29.
Neque conſenſus ſignis expreſſus. n. 30.
Corpora coniugum ſunt materia tantùm remota. n. 30. p. 681.
Traditio, & acceptatio non ſunt materia, & forma. n. 31. ibid.
Materia illius debet diſtingui à forma. num. 35. p. 682.
Mutuus conſenſus internus, eſt materia; ſigna verò, quibus exprimitur, ſunt forma. num. 37. p. 683.
Intentio differt à conſenſu qui eſt materia huius Sacramenti. n. 41. p. 684.
Quo ſenſu matrimonia dicantur ab Euariſto illegitima ſine benedictione ſacerdotali. num. 43. p. 685.
Sacramentum hoc non poteſt fieri, niſi per ipſos coniuges. n. 45. ibid.
Poſſet Deus illorum conſenſum ſupplere. ibid.
Atque externa ſigna. n. 46. ibid.
Coniuges ipſi ſunt illius miniſter, & ſubiectum. n. 47. p. 686.
Eſt vnum numero inter duos coniuges. n. 48. ibid.
Non poteſt effici cum non baptizato. ibid.
Quid in illo ſit Sacramentum tantùm, res tantùm, & res & Sacramentum. n. 49. ibid.
Debet fieri inter perſonas habiles. n. 50. ibid.
Requiratne perfectum debitum ad copulam. n. 51. ibidem.
Requiritur conſenſus de præſenti. n. 53. p. 687.
Non requiritur omnimoda inſolubilitas. ibid.
Poſſitne ratio Sacramenti ſeparari à ratione matrimonij. n. 54. ibid.
Matrimonium fidelium quomodo eſt Sacramentum. n. 57. p. 688.
Clandeſtinum matrimonium eratne Sacramentum. n. 58. p. 689.
Sitne liberum contrahere non ſacramentaliter. n. 59. ibid.
Quid ſi contrahitur per procuratorem. num. 60. ibidem.
Probatur etiam tunc Sacramentum eſſe. num. 61. ibidem.
Poſſitne matrimonium ciuiliter tantùm, ſed validè contractum inter fideles, aut infideles fieri poſtea Sacramentum. n. 64. p. 690.
Quomodo Baptiſmus perficit matrimonium anteà contractum. n. 67. p. 691.
Quomodo facit eſſe ratum. n. 69. p. 692.
Fiatne tunc matrimonium. n. 70. ibid.
Matrimonium eſt partim à iure naturali, & partim ab inſtitutione. n. 72. & ſeqq. ibid.
Quandonam inſtitutum in Sacramentum. n. 75. p. 693.

Index rerum præcipuarum.

Contractus ciuilis fuitne à Deo inſtitutus. nu. 76. ibid.
Non fuit duplex illius inſtitutio. n. 78. p. 694.
Matrim. eſt in præcepto naturali, atque etiam poſitiuo. d. 69. n. 79. p. 694.
Non tamen reſpectu ſingulorum. n. 80. p. 695.
Quinam obligentur, aut obligari poſſint. nu. 81. ibid.
Fuitne reuocatum hoc præceptum. n. 82. ibid.
Finis matrimonii. n. 84. p. 696.
Quomodo intendendus. ibid.
Quæ intentio neceſſaria in illius vſu. n. 85. ibid.
Poſſitne eſſe promiſſio matrim. ſine repromiſſione. d. 70. n. 12. p. 701.
Cur ætas diuerſa præſcribitur pro matrimon. non pro ſponſalibus. n. 48. p. 710.
Sitne peccatum contrahere matrim. ante ætatem. n. 51. p. 711.
Matrim. ſubſequens diſſoluit ſponſalia cum altero. n. 86. p. 720.
Extinguiturne tunc planè illorum obligatio. nu. 87. ibid.
Quænam prærequirantur ad contractum matrim. licitè, aut validè faciendum. n. 102. p. 724.
Prærequiritur Baptiſmus, vt fiat Sacramentum. n. 103. ibid.
Proclamationes quomodo requiſitæ. num. 104. p. 725.
Quanta earum obligatio. n. 105. ibid.
A quo, & vbi faciendæ. n. 106. ibid.
Diſpenſatio ab illis quibus permiſſa. nu. 107. p. 726.
Cauſæ diſpenſandi. n. 108. ibid.
Poſſitne contrahi licitè ſine diſpenſatione. n. 109.
Debeantne tunc præmitti ſaltem ante conſummationem matrim. n. 110. p. 727.
Qui norunt impedimentum, tenentur reuelare. n. 111. ibid.
Tenentur ipſi contrahentes detegere. n. 112. ibid.

Conſenſus & verba, vel alia ſigna matrim. neceſſaria.

Matrimonii contractus non poteſt effici ſine mutuo conſenſu coniugum. d. 71. n. 1. p. 730.
Affirmant aliqui idem de vinculo matrimonii. nu. 2. ibid.
Poteſt tamen fieri à Deo n. 3. ibid.
An etiam ab humana poteſtate. n. 6. p. 731.
Concluditur negatiuè. n. 7. ibid.
Soluuntur rationes oppoſitæ. n. 8. p. 732.
Conſenſus ad matrim. neceſſariò debet exprimi verbis, aut aliis ſignis æquiualentibus. nu. 12. ibid.
Signum conſenſus eſt de eſſentia matrim. n. 13. p. 733.
Sintne verba neceſſaria ex præcepto. n. 16. p. 734
Non ſunt neceſſaria ad valorem contractus. n. 17. ibid.
Neque ad valorem ſacramenti. n. 18. ibid.
Neque ex præcepto Eccleſiæ. n. 19. p. 135.
Conuenientiùs tamen adhibentur. n. 20. ibid.
Potuerunt ab Eccleſia præcipi, & fieri neceſſaria. n. 21. ibid.
Debent exprimere conſenſum de præſenti. n. 22. ibid.
Sufficiantne interdum verba futuri temporis. nu. 23. p. 736.
Quomodo iudicandum de dubio ſenſu verborum n. 24. ibid.
Quæ alia ſigna ſufficiant. n. 26. p. 737.
Taciturnitas interdum ſufficit. n. 27. ibid.
An etiam ſubarhatio, vel porrectio manuum, vel traductio in domum ſponſi. n. 28. ibid.
Conſenſus debet eſſe verus. n. 29. p. 738.
Fictus non impedit valorem ſecundi matrim. nu. 30. ibid.
Grauiter peccat fictè contrahens. n. 32. ibid.
Tenetur poſtea verè conſentire. n. 33. p. 739.
Exceptis nonnullis caſibus. n. 35. ibid.
Excuſetne diſpar conditio. n. 36. ibid.
Vel quòd non ſequatur damnum parti deceptæ. n. 37. ibid.
Eſt opus nouo ſigno externo, quando deceptor poſtea verè conſentit. n. 38. p. 740.
Requiraturne etiam nouus conſenſus partis deceptæ. n. 40. ibid.
Conſenſus occultus, ſeu clandeſtinus ſufficeret ex natura rei. n. 41. p. 741.
Semper tamen fuit prohibitus. n. 42. ibid.
Iuſtæ cauſæ prohibendi. n. 43. ibid.
Liceretne in quibuſdam caſibus. n. 44. p. 742.
Fuerintne olim clandeſtina matrim. irrita. nu. 45. ibid.
Probabilius eſt non fuiſſe. n. 47. ibid.
Irritantur à Tridentino. n. 47. p. 743.
Quænam ſint clandeſtina. n. 48. ibid.
Sintne interdum valida. ibid. & ſeqq.
Poſſintne clam contrahere, qui priùs contraxerunt publicè, ſed inualidè, ob impedimentum occultum. n. 49. ibid.
Quid ſi nullus ſit Parochus vbi contrahitur. n. 52. p. 744.
Ignorantia legis non impedit irritationem. n. 53. ibid.
Validéne contrahant hæretici ſine Parocho. num. 54. ibid.
Quid intelligendum per Parochum. n. 55. p. 745.
Sufficit Parochus non ſacerdos. n. 56. ibid.
Eius conſenſus non eſt neceſſarius. ibid.
Poteſt alterum delegare, ſed nonniſi ſacerdotem. n. 57. p. 746.
Qualis delegatio requiratur. ibid. & n. 58.
Quot, & qui teſtes neceſſarii. n. 59. ibid.
Sufficit eos intelligere quid agatur, etiam per interpretem. n. 60. ibid.
Clandeſtina matrimonia ſunt irrita etiam in foro interno. n. 61. p. 747.
Conſenſus debet eſſe liber à neceſſitate. n. 62. ibid.
Quanta libertas requiratur. n. 64. p. 748.
Metus grauis irritat matrimonium. n. 66. ibid.
At non reuerentialis. n. 67. ibid.
Cuius mali timor ſufficiat. n. 68. p. 749.
Debet eſſe iniuſtè incuſſus ad extorquendum matrimonium. n. 69. ibid.
Hæc irritatio eſt tantùm à iure poſitiuo. nu. 70. ibid.
Peccetne qui fictè contrahit iniuſtè coactus. ibid.
Putant aliqui metum irritare iure naturali. n. 72. p. 750.
Soluuntur eorum argumenta. n. 73. ibid.
Conſenſus metu extortus quomodo liber eſt. nu. 75. p. 751.
Ad quid teneatur iniuſtus coactor. n. 76. ibid.
Conſenſus in matrimonium debet eſſe abſolutus.

Index rerum præcipuarum.

vel transire in absolutum.n.80.p.752.
Positio conditionis debet innotescere contrahentibus.n.83.p.753.
Illâ positâ non est opus nouo consensu.ibid.& seq.
Quænam conditio perficit matrimonium. nu. 94. p.755.
Conditio impossibilis, aut repugnans illud impedit.n. 95.ibid.
Semperne impediat in foro externo.n.97.p.756.
Quomodo potest contrahi per procuratores. nu. 98.& seqq.ibid.
Oportet mandantem verè consensisse. nu. 103. p. 758.
Quid si consensum reuocauit.n. 104.ibid.
Matrimonium per procuratores vbique valet. nu. 105.ibid.
Valet etiam per literas.ibid.
Requiraturne consensus aliorum, quàm ipsorum contrahentium.n. 106.p.759.
Matrimonium valet sine consensu parentum. ibid.
Liceatne sine illo.n. 107.ibid.
Tale matrimon. non est irritum iure naturali.nu. 112.p.760.
Neque etiam iure ecclesiastico.n.113.p.761.
Leges punientes exhæredatione liberos ita contrahentes sintne iustæ. n.117.p.762.
Quodnam debeat esse obiectum consensus coniugalis.n.120.p.763.
Debet saltem implicitè ferri in copulam. nu.121. ibid.
Non est necesse vt explicitè. n.122.ibid.
Sententia contraria refellitur. n. 125. & seqq. p. 764.
Sitne consensus in copulam necessarius ex parte contrahentis.n.130.p.765.
Cur B. Virgo non peccauit nubendo post votum virginitatis.n.135.p.766.

Bona matrimonii.

An & quæ bona necessaria sint ad excusandum matrimonium.d.72.n.1.p.768.
Quomodo compensant incommoda matrim. n. 2. p.769.
Bona illa sunt intrinseca matrimonio.n. 3.ibid.
Quomodo sunt de ratione matrimonii.n.4.ibid.
Qui fines debeant intendi à contrahentibus. n. 6. p.770.
An, & quomodo potest intendi remedium concupiscentiæ.n.7.ibid.
Possintne intendi pulcritudo, aut diuitiæ. nu.9.p. 771.
An etiam delectatio.n.12.ibid.
Liceatne ad secundas nuptias conuolare. nu.13.p. 772.
Cur secundæ nuptiæ non benedicantur.nu.17.p. 773.
Cur pœna olim iuncta secundò contrahentibus. n.18.ibid.
Exponuntur Patres qui secundas nuptias improbare videntur.n.21.p.774.
Christiani non possunt licitè plures simul vxores habere.n.24.p.775.
Neque etiam validè.n.25.ibid.
Idem dicendum de infidelibus.n.27.p.776.
Licuit in lege naturæ, & Mosis.n.28.ibid.
Non tamen ante diluuium.n.30.p.777.
Causa huius differentiæ.n.31.ibid.
Possitne vir ducere aliam dimissa coniuge ob fornicationem.n.32.& seqq.ibid.
Olim pars adultera priuabatur secundis nuptiis. n. 36.p.778.
Matrimonium ex natura sua est insolubile aliquatenus.n.39.p.779.
Matrimonium infidelium soluitur per conuersionem alterius coniugum,etiamsi consummatum. n.42.p.780.
Matrimonium ratum fidelium soluitur per ingressum Religionis.n.44.ibid.
Et per auctoritatem summi Pontificis.n.45.ibid.
An etiam per subsequens matrimonium consummatum. n.47.p.781.
Aut per vota simplicia Societatis Iesv.n.48.ibid.
Vel etiam aliis de causis.n.49.p.782.
Et speciatim ob adulterium coniugis.n.50.ibid.
Exponitur locus Matthæi.n.51.& seqq.ibid.
Quo iure matrimon. fit necessariò vnius cum vna & inducat vinculum insolubile.n.58.p.784.
Prima sententia quòd sit de iure naturæ.ibid.
Secunda sententia id esse à iure positiuo diuino.n. 62.p.785.
Est aliquatenus à iure naturali, sed non omni modo.n.66.p.786.
Neque illi repugnat incompatibiliter.n.67.ibid.
Lapsus coniugis fidelis in hæresim non soluit matrimonium.n.72.p.788.
An soluatur si alter infidelium nolit conuerti. nu. 74.ibid.
Affirmatur id sufficere.n.76.p.789.
Quandonam dissoluatur hoc matrimonium. n. 78. ibid.
Quandonam potest fidelis,aut infidelis contrahere cum alia.n.80.p.790.
Soluaturne aliter matrimonium infidelium. n.82. ibid.
Non soluitur per susceptionem Ordinis sacri, aut professionem religiosam.n.83.p.791.
An & quomodo solueretur matrimonii vinculum inter Iudæos per Libellum Repudii.nu. 84.& seqq.p.791.
Cur repudiata diceretur polluta, & abominabilis. n.89.p.793.
Libellus ipse repudii soluebat matrimonium, nu. 90.ibid.
Fueritne repudium aliis licitum. n.94.p.794.
Quo iure soluitur matrimonium ratum christianorum in quibusdam casibus.n. 95.ibid.
Vera sententia solui iure tantùm Ecclesiastico.n. 98.p.795.
Idem censendum de aliis casibus, in quibus Papa dissoluit.n.101.p.796.
Quomodo probanda inualiditas matrimonii in foro interno.n.102.ibid.
Quomodo in foro externo.n.103.p.797.
Quæ probationes sufficiant. n.104.& 105.ibid.
Sufficiatne confessio vtriusque coniugis.n.106. ibid.

Impedimenta matrimonii.

Matrimonium potest impediri multipliciter.d. 73.n.2.p.799.
Et partim iure naturali, partim positiuo. n.3. ibid.
Cur iure positiuo.n.4.ibid.
Potestne ciuilis potestas apponere impedimenta matrimo-

matrimonij. n. 9. p. 800.
Impedimenta sunt ex parte potestatis, aut voluntatis. n. 11. ibid.
Possintne apponi sine iusta causa. n. 12. p. 801.
Possitne specialiter interdici alicui matrimonium. n. 13. ibid.
Sola prohibitio non irritat matrimonium. n. 14.
Sufficiatne clausula generalis irritans. num. 17. p. 802.
Episcopi non possunt apponere impedimenta irritantia. n. 19. ibid.
Leges ecclesiasticæ irritantes non ligant infideles. n. 20. p. 803.
Secus autem Christianos vbicunque existentes. n. 21. ibidem.
Consuetudo potest inducere, & tollere impedimenta matrim. n. 22. & seqq. ibid.
Quæ, quotue sint impedimenta prohibentia tantùm. n. 27. p. 804.
Possitne licitè contrahi cum excommunicato. nu. 30. p. 805.
Quo tempore prohibeatur solemnitas nuptiarum. n. 31. & seqq. ibid.
Quid tunc prohibeatur. n. 34. p. 806.
Hæc prohibitio est grauis. n. 35. ibid.
Traductio in domum sponsi sitne prohibita. ibid. n. 36.
Matrimonium cum Moniali est impedimentum prohibens. n. 64. p. 813.
Vigeatne adhuc obligatio impedimentorum prohibentium. n. 65. ibid.
Quæ, quotue sint impedimenta dirimentia. n. 67. p. 813.
Graue peccatum est cum illis contrahere. nu. 68. ibidem.
Et habet triplicem malitiam. n. 69. p. 814.
Cur non peccet contrahens inualidè ob grauem metum. n. 72. ibid.
Quomodo Ecclesiæ prohibitio inducit nouam peccati speciem. n. 75. p. 815.
Matrimonium irritatur per errorem circa personam d. 74. n. 31 & seqq. p. 818.
An etiam circa qualitatem personæ. numero 7. p. 820.
Vtrum error facti cum scientia iuris irritet. n. 15. p. 821.
Soluuntur variæ quæstiones circa huiusmodi errorem. n. 11. & seqq. ibid.
Quomodo peccet qui fallit in re graui circa matrimonium. n. 16. ibid.
An, & quomodo error circa conditionem seruilem irritet matrimonium. numero 17. & seqq. ibidem.
Quid faciendum errore detecto. numero 25. p. 824.
Serui possunt contrahere validè domino repugnante. n. 26. ibid.
Peccat dominus repugnans sine causa. num. 27. p. 825.
Peccentne serui sic contrahentes. n. 28. ibid.
Dominus consentiens ad quid tenetur. num. 30. ibidem.
Triplex votum dirimit matrimonium subsequens. n. 34. p. 826.
Iure tantùm positiuo. ibidem.
Non dirimit matrimonium antecedens. num. 37. p. 827.
Summus Pontifex potest in eo dispensare in voto etiam solemni. n. 41. p. 828.
Pœnæ contrahentium matrim. cum voto solemni. n. 44. p. 829.
Triplex cognatio dirimit matrimonium, carnalis, spiritalis, & legalis num. 45. & seqq. ibidem.
Duplex crimen irritat matrimonium. numero 56. p. 833.
Quæ conditiones ad hoc requirantur. num. 59. & 60. p. 834.
Non valet matrimonium baptizati cum non baptizata. d. 75. n. 1. & 2. p. 837.
Dicunt aliqui id esse à iure diuino. n. 3. ibid.
Et à iure naturali. n. 4. p. 838.
Probatur esse à iure tantùm ecclesiastico. num. 5. ibidem.
Matrimonium Catholici cum hæretica est illicitum. n. 6. ibid.
Est tamen validum. n. 8. p. 839.
Possitne aliquando excusari à peccato. n. 10. & seqq. ibid.
Liceatne cum periculo subuersionis. numero 13. p. 840.
Liceatne Parocho, & testibus assistere tali matrim. n. 16. p. 841.
Quomodo metus seu coactio irritat matrimonium. n. 17. ibid.
Minores Ordines non dirimunt matrimonium. n. 18. ibid.
Secus autem maiores. n. 19. ibid.
Mos diuersus Græcorum, & Latinorum Sacerdotum circa matrimonium anteà contractum. nu. 20. p. 842.
Ordo sacer irritat matrim. etiam ratione sui. n. 21. ibidem.
Hæc irritatio est à iure ecclesiastico. ibid.
Quid si infans ordinetur ante vsum rationis, vel ante pubertatem. n. 22. & 23. ibid.
Ordinatus per metum grauem, & iniustum non tenetur abstinere à matrimonio. numero 24. p. 843.
Ordo sacer non irritat matrimonium anteà contractum. n. 26. ibid.
Coactè ordinatus gaudeatne priuilegiis clericalibus. n. 27. p. 844.
Impedimentum ligaminis quomodo irritat matrim. & quo iure. n. 28. ibid.
Quomodo debet constare de morte coniugis. nu. 29. ibidem.
Non sufficit probabilitas. n. 30. ibid.
Quæ certitudo sufficiat. n. 32. p. 845.
Sola fama non sufficit. n. 33. ibid.
Sufficiatne valde probabilis persuasio. num. 34. ibidem.
Quid faciendum errore detecto. numero 35. p. 846.
Impedimentum publicæ honestatis quodnam sit. n. 36. ibid.
Quousque extendatur. n. 37. ibid.
Vnde nascatur. n. 38. ibid.
Non est nisi cum consanguineis in primo gradu. n. 39. p. 847.

Index rerum præcipuarum.

Et ſponſalia debent fuiſſe valida. n. 40. ibid.
Excuſat defectus etiam internus. numero 41. ibidem.
Non incurritur niſi à Chriſtianis. n. 43. ibid.
Hoc impedimentum eſt perpetuum. num. 44. p. 848.
Sponſalia poſteriora cum conſanguineis non illi derogant. n. 46. ibid.
Oritur etiam ex matrimonio rato. numero 47. p. 849.
Atque etiam irrito aliundè, quàm ex defectu conſenſus. n. 48. ibid.
Impotentia ad copulam dirimit matrimonium ſubſequens. diſput. 76. numero 15. & ſeqq. p. 855.
Perpetua, & abſoluta dirimit vniuerſaliter. n. 18. ibidem.
Reſpectiua tantùm reſpectiuè. n. 20. p. 856.
Vnde oriatur. n. 21. ibid.
Temporalis impotentia non dirimit matrimonium. n. 23. ibid.
Quandonam matrim. eſt diſſoluendum ob impotentiam, & quomodo. n. 25. p. 857.
Quid ſi malè iudicatum fuit. n. 27. p. 858.
Impotentia ad generationem, vel ad partum non dirimit matrim. n. 29. ibid.
Quomodo poſſunt contrahere Hermaphroditi. n. 30. ibid.
Quo iure impotentia dirimit matrimonium. n. 31. ibidem.
An iure ſolùm eccleſiaſtico. n. 32. p. 859.
Quid ſi pars altera non eam nouit. n. 33. ibid.
Vel ſi continentiam ſeruare intendant. num. 35. ibidem.
Oſtenditur perinde irritare. n. 36. p. 860.
Quid intelligendum per corporale periculum, ſine quo non poteſt tolli. n. 40. p. 861.
Peccetne contrahens cum tali impedimento. nu. 41. ibidem.
Quid faciendum in dubio de impotentia. n. 42. ibidem.
Quæ oritur ex maleficio multiplex eſt. num. 45. p. 861.
Remedia contra illam adhibenda. n. 46. & ſeqq. ibidem.
Matrimon. clandeſtinum eſt irritum. num. 55. p. 865.
Et inter raptorem, & raptam. n. 56. ibid.
Si rapta vi abducatur, & aliò tranſferatur, vbi ſit in raptoris poteſtate. n. 57. p. 866.
Et non ſit ſponſa raptoris. n. 58. ibid.
Valebat ante Tridentinum. n. 60. ibid.
Pœnæ contra raptores. n. 59. ibid.
Non excuſat à pœnis matrimonium ſubſequens. n. 61. ibid.
Sufficiatne parentes diſſentire. n. 62. p. 867.
Vel puellam importunitate, vel dolo abduci. n. 63. ibidem.
Vel virum à muliere rapi. n. 64. ibid.
Quid ſi rapta non ſit honeſta. n. 66. p. 868.
Impedimentorum diſpenſatio, Vide *Diſpenſatio*.
Qui fictè conſentit tenetur poſtea verè conſentire. d. 77. n. 44. p. 881.
Non eſt neceſſe vt vterque. n. 45. ibid.
Contrahendum iterum ſublato impedimento. n. 47. p. 882.
An etiam in facie Eccleſiæ. n. 48. ibid.
Saltem ſi clauſula diſpenſationis id ferat. n. 49. ibidem.
Oportet vtrumque conſentire iterum ſublato impedimento dirimente. n. 50. ibid.
Refutatur contraria ſententia. n. 51. p. 883.
Eſtne monendus alter de nullitate prioris contractus. n. 54. ibid.
Teneaturne confeſſarius monere pœnitentem de impedimento matrimonij bona fide contracti. n. 56. p. 884.
Debet monere & deferre antequam contrahatur. n. 61. p. 885.
Si tamen id poteſt ſine graui incommodo. nu. 62. p. 886.
Tenetur Parochus inquirere ſuper impedimentis. n. 63. ibid.
Et deferre ad Ordinarium, niſi nouerit tantùm per Sacramentum Confeſſionis. nu. 64. & 65. ibidem.
Quid ſi ſolus norit aliter, ſed probare nequit. n. 66. ibidem.
Affinitas dirimit matrimonium ſubſequens. d. 76. n. 1. & ſeqq. p. 852.
Superueniens impedit illius vſum. numero 11. p. 854.
Quid ſi occulta ſit. n. 12. ibid.
Non oritur niſi ex copula cum conſanguineis coniugis. n. 13. ibid.
Pœnæ contrahentium cum tali impedim. n. 14. ibidem.
Quid circa illud poſſit Summus Pontifex. n. 7. p. 853.
Conſtitutio Moſaica circa illud iam non obligat. n. 9. ibid.
Dirimatne iure naturali primus gradus affinitatis. ibidem.

Vſus Matrimonij.

Peccata coniugum in vſu matrimonij. d. 78. n. 17. p. 892.
Poſſunt peccare in modo. ibid.
Et ex parte finis. n. 19. ibid.
Et ratione damni imminentis. n. 20. p. 893.
Peccentne qui accedunt ad menſtruatam. n. 21. ibidem.
Vel ad prægnantem. n. 22. ibid.
Vel ſi copulam imperfectam exercent. num. 23. p. 894.
Tenentur coniuges ſimul habitare. n. 29. ibid.
Etiam dote non ſoluta. n. 25. ibid.
Neque morbus excuſat, niſi contagioſus. n. 26. ibidem.
Peccant ſi copulantur loco indebito. numero 27. ibidem.
Vel tempore diſconuenienti. n. 28. p. 895.
An etiam ſi die communionis. ibid.
Excommunicatio non reddit illicitum vſum matrimonij. n. 30. ibid.
Liceantne tactus, aſpectus, & colloquia, & cogitationes moroſæ inter coniuges. numero 31. p. 896
Peccant ſi agunt contra votum. n. 32. ibid.
Quomodo votum virginitatis impedit matrim. n. 33. ibidem.

Index rerum præcipuarum.

Et votum perpetuæ caſtitatis. n. 34. ibid.
Et votum ingrediendi Religionem. n. 35. ibid.
Et ſuſcipiendi ſacros Ordines. n. 36. ibid.
Quid ſi votum ingrediendi Religionem fiat poſt matrimonium. n. 37. ibid.
Aut votum caſtitatis ſine conſenſu coniugis. n. 38. ibidem.
Vel etiam cum illius conſenſu. n. 39. p. 898.
Poteſtne illi petenti debitum reddi. n. 40. ibid.
Si ambo mutuo conſenſu vouerunt, neuter poteſt petere, aut reddere. n. 41. ibid.
Niſi poſtea renuncient abdicationi iuris. num. 42. ibidem.
Non poſſunt ei renunciare poſt votum ſolemne. n. 43. p. 899.

Legitimatio per Matrimonium.

Matrimonium ſubſequens legitimat filios naturales. d. 80. n. 13. & ſeqq. p. 923.
Quocunque tempore ineatur. n. 14. ibid.
Etiamſi inualidum, ſed bona fide præſumptum, & contractum in facie Eccleſiæ. n. 15. & ſeqq. ibidem.
An etiam poſt dubium ſubortum de valore matrim. n. 18. p. 924.
Non requiritur ad hoc conſenſus parentum, aut filiorum. n. 20. p. 925.
Sufficit parentes caruiſſe impedimento dirimente tempore conceptionis. n. 21. ibid.
Sufficiatne vel tunc caruiſſe, vel tempore natiuitatis. n. 22. ibid.
Effectus legitimationis per matrimonium. n. 33. & 34. p. 928.
Irritatio matrimonij propter Ordines ſacros eſt iuris tantum eccleſiaſtici. d. 67. num. 25. p. 632.
Fueritne ſemper ab initio inualidum. num. 30. p. 633.
Quo ſenſu dicitur matrim. honorabile in omnibus, n. 37. p. 635.
Quæ doctrina dæmoniorum prohibet nuptias. n. 39. ibidem.
Matrimonium quomodo eſt iuris naturalis. n. 42. p. 636.

Mendacium.

Mendacium in confeſſione eſtne ſemper peccatum mortale. d. 50. n. 13. p. 181.

Mens.

Mentis defectus facit irregularem. d. 62. n. 59. p. 531.

Meritum.

Merita mortificata reuiuiſcunt per Pœnitentiam. d. 47. n. 8. p. 102.
Idque partim ex miſericordia, & partim ex iuſtitia. n. 16. & 17. p. 104.
Meritum de condigno eget Dei ordinatione. n. 19. p. 105.
Merita poſſent non reuiuiſcere. n. 21. ibid.
Neque reuiuiſcunt ſine aliquo Dei fauore. n. 23. p. 106.
Peccatum meretur vt non reuiuiſcant. n. 25. ibid.
Meritum non conſiſtit in ſola dignitate operis. ibid. p. 107.
Debeantne merita reuiuiſcere ex natura rei, poſita iuſtificatione. n. 27. ibid.
Merita perfectè reuiuiſcunt per Pœnitentiam. nu. 31. p. 108.
Sitne certum reuiuiſcere perfectè per quamcunque Pœnitentiam ſufficientem ad iuſtificationem. n. 45. p. 111.

Metus.

Metus grauis irritat matrimonium. d. 71. n. 66. p. 748.
At non reuerentialis. n. 67. ibid.
Cuius mali timor ſufficiat. n. 68. p. 749.
Debet eſſe iniuſtè incuſſus ad extorquendum matrimonium. n. 69. ibid.
Hæc irritatio eſt tantùm à iure poſitiuo. num. 70. ibidem.
Excuſatne metus ille contrahentem à peccato. n. 71. ibid.
Quomodo poteſt eſſe liber conſenſus metu extortus. n. 75. p. 751.
Metus grauis ſeu coactio quomodo irritat matrimonium. d. 75. n. 17. p. 841.
Ordinatus per metum grauem, & iniuſtum, non tenetur abſtinere à matrimonio. numero 24. p. 843.
Coniugatus coactè ordinatus, gaudeatne priuilegiis clericalibus. n. 27. p. 844.

Miſſio.

Miſſio Eccleſiæ miniſtrorum ad quem pertineat. d. 67. n. 65. p. 641.
Miſſio extraordinaria non caret ſignis ſufficientibus. n. 69. p. 642.
Mittendi poteſtas non eſt niſi in vera Eccleſia. n. 76. p. 644.

Monialis.

Turbantes electionem Monialium excommunicantur. d. 59. n. 286. p. 473.
Et cogentes fœminam ingredi Religionem Monialium. n. 298. p. 476.
Matrimonium cum Moniali eſt impedimentum prohibens. d. 73. n. 64. p. 813.

Monitorium.

Monitoria ad denunciandum. d. 59. num. 184. p. 449.
Non debent dari niſi pro re magni momenti. n. 185. p. 450.
An etiam pro cauſis criminalibus. n. 186. ibid.
Nec niſi ad inſtantiam partis. n. 190. p. 451.
Nec niſi ab Epiſcopo. n. 184. p. 449.
Cauſæ ab illo excuſantes. n. 192. p. 452.
Monitorij verba bene expendenda. n. 194. ibid.

Mors, & Mortui.

In articulo mortis quilibet Sacerdos poteſt abſoluere. d. 53. n. 15. p. 251.
Quid faciendum tunc abſoluto à reſeruatis. n. 17. p. 252. & d. 58. n. 72. p. 393.
Ordo tamen ſeruandus, ſi plures adſunt, qui poſſint, & velint abſoluere. ibid. n. 73. p. 390.
Abſolutio ab excommunicatione reſeruata tunc non datur niſi ad reincidentiam. n. 74. ibid.
Indulgentiæ poſſunt applicari mortuis. d. 63. n. 55. p. 561.
Aliter tamen quàm viuis, & per modum ſolutionis tantùm, & ſuffragii. n. 57. p. 562.
Non per modum abſolutionis. n. 58. ibid.
Profintne illis infallibiliter? ibid. p. 563.
Non ſatisfit per Indulgentiam plenariam obligationi Miſſarum debitarum pro defunctis. n. 84. p. 569.
Baptiſmus pro mortuis. d. 64. n. 16. p. 575.

Index rerum præcipuarum.

Opera pœnalia pro mortuis ſuſcepta. n. 17. ibid.
Cur antiqua Eccleſia orauerit pro mortuis. n. 27. p. 578.
Mortuis proſunt ſuffragia fidelium. d. 63. n. 9. p. 549.
Quomodo proſint illis ſatisfactiones alienæ. n. 18. p. 552.

Mulier, vide *Fœmina*.

Mutilatio.

Irregularitas ex mutilatione. d. 62. n. 19. p. 519.
Quis dicatur mutilare. n. 20. p. 520.
Quòmodo differunt irregularitas ex homicidio, & ex mutilatione. n. 29. p. 522.
Quæ mutilatio inducat irregularitatem. num. 45. p. 527.
Sufficit membri diminutio notabilis. n. 46. ibid.
Quæ cauſæ excuſent ab irregularitate ex mutilatione. n. 48. p. 528.

N

Naufragantium bona rapientes excommunicantur. d. 59. n. 222. p. 460.
Nectarius ſuſtulit publicam confeſſionem. d. 43. n. 10. p. 31.
Qui Nuncios Apoſtolicos inſequuntur, excommunicantur. d. 59. n. 235. p. 463.
Nuptiæ, *vide* Matrimonium.
Sintne licitæ ſecundæ nuptiæ. d. 72. n. 13. & ſeqq. p. 772.
Cur ſecundæ nuptiæ non benedicuntur. num. 17. p. 773.
Cur pœna olim iniuncta ſecundò nubentibus. n. 18. ibid.

O

Obedientia.

Obedientia & iuſtitia, quomodo differunt. d. 48. n. 32. p. 123.
Peccata ſintne tantùm contra obedientiam Deo debitam. ibid.

Opera.

Opera mortua non viuificantur per Pœnitentiam. d. 47. n. 5. p. 102.
Opera illa ſunt duplicia. n. 6. ibid.
Opera mortificata reuiuiſcunt per illam. n. 8. ibid. & n. 16. & ſeqq. p. 104.
Bona opera valent coniunctim ad merendum, & ſatisfaciendum. d. 63. n. 32. & 34. p. 555.

Oratio.

Oratio Dominica remittitne venialia. d. 45. n. 23. p. 78.
Oratio valet ad impetrandam remiſſionem pœnæ nobis, & aliis. d. 51. n. 12. p. 211.

Ordo, & Ordinare.

Poteſtas Ordinis datur immediatè à Chriſto. d. 56. n. 40. p. 355.
Ordinati ab Epiſcopo qui renunciauit Epiſcopatui ſunt ſuſpenſi. d. 60. n. 27. p. 484.
Et ordinati ab alieno ſine licentia proprij. n. 28. ibidem.
Et ordinati cum dimiſſoriis obtentis ſede vacante intra annum à die vacationis. n. 29. p. 485.
Et ordinati in aliena Diœceſi ſine licentia Diœceſani. n. 30. ibid.
Et ordinati ante legitimam ætatem. n. 31. ibid.
Et ordinati extra tempora. n. 32. ibid.
Vel ficto titulo. n. 33. ibid.
Vel non ſeruatis temporũ interſtitiis. n. 38. p. 486.
Poſſintne eodem die recipi Minores cum Subdiaconatu. n. 39. p. 487.
Promoti per ſaltum ſunt ſuſpenſi. n. 41. ibid.
Poſſitne Epiſcopus cum illis diſpentare. n. 43. ibid.
Itemque coniugati, qui ordinantur extra caſus permiſſos. n. 44. p. 488.
Et qui ordinantur in ſtatu maioris excommunicationis. n. 45. ibid.
Et qui ordinantur ab excommunicato, vel ſuſpenſo. n. 46. ibid.
Suſpenſio incurritur propter peccata externa, etiam occulta. n. 48. p. 489.
Fiantne irregulares qui malè Ordinem exercent in ipſa eius receptione. n. 49. ibid.
Aliæ ſuſpenſiones circa Ordines malè probatæ reiiciuntur. n. 50. p. 490.
Epiſcopus ſimoniacè ordinans, vel in Diœceſi aliena ſine licentia Ordinarij, incurrit ſuſpenſionem. n. 79. & 80. p. 496.
Qui exercet actum Ordinis ſine Ordine, fit irregularis. d. 62. n. 27. p. 522.
Et qui Ordinem acceptum exercet in ſtatu excommunicationis, ſuſpenſionis, aut interdicti, vel in loco interdicto. n. 28. ibid.
Ordo variè ſumitur. d. 66. n. 1. p. 606.
Sitne verè Sacramentum. n. 2. & ſeqq. ibid.
Ratio congrua inſtitutionis. n. 10. p. 608.
Septem ſunt Ordines eccleſiaſtici. n. 11. ibid.
Duplex eſt Ordo ſacerdotum. n. 12. ibid.
Presbyteratus eſt ordo verè ſacramentalis. n. 13. p. 609.
Itemque Epiſcopatus. n. 14. ibid.
Et ordinatio Diaconi. 17. ibid.
Dubitatur de Subdiaconatu. n. 19. p. 610.
Affirmatur vt probabile. n. 20. ibid.
Negatur de aliis inferioribus. n. 21. ibid.
Cantores ſiue Pſalmiſtæ, & Foſſarij, ſiue laborantes fuerunt olim inter ordines eccleſiaſticos. n. 23. & 24. ibid. p. 611.
Epiſcopatus eſt maior ſacerdotio iure diuino. n. 32. p. 612.
Hæreſis Aërij circa hoc. n. 35. p. 613.
Explicantur loca Patrum in cõtrarium. n. 37. ibid.
Ordo Epiſcopalis ſupponit ſacerdotium. num. 39. p. 614.
Subdiaconatus olim non erat inter ſacros Ordines. n. 40. ibid.
Quomodo ordinetur Epiſcopus in Latina Eccleſia. n. 41. ibid.
Quomodo in Græca. n. 42. p. 615.
Ordinatio ſacerdotis in Latina Eccleſia. n. 43. ibi.
Eiuſdem ordinatio in Eccleſia Græca. n. 44. ibid.
Græci tradunt in ordinatione Euchariſtiam loco Chriſmatis. ibid.
Diaconi ordinatio in Latina Eccleſia. n. 45. ibid.
Eiuſdem ordinatio in Græca. n. 46. p. 616.
Subdiaconi Ordinatio, & quatuor minorum Ordinum in Latina Eccleſia. n. 47. ibid.
Quomodo iidem ordinentur à Græcis. n. 48. ibid.
Ordinationes Græcorum ſunt validæ. n. 49. p. 617.
Quomodo ſeruentur eſſentialia in vtraque Eccleſia. n. 50. ibid.
Chriſtus non determinauit ſpecificè materiam, & formam ſacramenti Ordinis. n. 54. ibid.
Contactus materiæ, ſiue inſtrumentorum ſitne

essentialis. n. 59. & seqq. p. 619.
Primus effectus huius Sacramenti est character. n. 69. p. 721.
Secundus potestas Ordinis. n. 70. ibid.
Tertius gratia sanctificans. n. 71. ibid.
Quilibet Ordo sacramentalis imprimit suum characterem. n. 72. ibid.
Character sacerdotalis est duplex. n. 76. & 77. p. 622.
Duplex ordinatio partialis dat duplicem gratiam. n. 77. ibid.
Potestas collata per ordinem, vna est iuris, altera facti. n. 78. ibid.
Potestas ordinis est perpetua, & inuariabilis. ibid. p. 623.
Fœmina est incapax Sacramenti Ordinis. d. 67. n. 1. p. 625.
Infantes sintne illius capaces. n. 3. p. 626.
Possintne amentes ordinari validè. n. 7. p. 627.
Quid significent verba formæ, *Accipe potestatem*, &c. n. 9. ibid.
Infans ordinatus ad quid teneatur. n. 10. p. 628.
Ordinatio potest fieri per saltum. ibid.
Requisita in ordinandis. n. 11. ibid.
Nemo ad sacros Ordines promouendus sine titulo. n. 13. p. 629.
Minister ordinarius huius Sacramenti est Episcopus. n. 14. ibid.
An etiam excommunicatus, vel hæreticus, suspensus, vel degradatus. n. 15. ibid.
Solus Episcopus potest conferre Sacerdotium. n. 15. ibid.
Chorepiscopi ordinantes erant veri Episcopi. n. 17. p. 630.
Explicatur Canon Concilij Ancyrani de Chorepiscopis. n. 18. ibid.
Possitne Sacerdos dare alios Ordines inferiores. n. 20. p. 631.
Possitne Episcopus ab vno solo ordinari. n. 21. ibidem.
Requisita in ordinante licitè. n. 22. ibid.
De continentia seruanda ab illis, qui maioribus Ordinibus initiantur. n. 23. & seqq. p. 632.
Obligatio illa est iuris ecclesiastici. n. 24. ibid.
Sicut, & quòd non possint validè matrimonium contrahere. n. 25. ibid.
Est quoad aliquos ius Apostolicum. n. 26. ibid.
Probatur de Episcopis, Presbyteris, & Diaconis. n. 27. p. 633.
Fuitne ab initio matrimonium inualidum post sacros Ordines. n. 30. ibid.
Sacri Ordines obligant ad continentiam, tum ex voto, tum ex præcepto Ecclesiastico. num. 31. ibidem.
Quomodo potest continentia præcipi ab Ecclesia. n. 32. & seqq. p. 634.
Episcopus ad quid teneatur erga vxorem relictam. n. 41. p. 636.
Fabula de Paphnutio circa continentiam Clericorum. n. 42. ibid.
Ordinatio est nulla nisi fiat à veris Episcopis. d. 67. n. 67. p. 641.
Ordinis sacri susceptio dirimit sponsalia. d. 70. n. 84. p. 720.
Possitne licitè accipi post sponsalia. n. 85. ibid.
Ordinis sacri receptio non soluit matrimonium anteà contractum. d. 72. n. 83. p. 791.
Ordines minores non dirimunt matrimonium subsequens. d. 75. n. 18. p. 841.
Secus autem maiores. n. 19. ibid.
Mos diuersus Latinorum, & Græcorum Sacerdotum circa matrimonium anteà contractum. n. 20. p. 842.
Ordo sacer irritat matrimonium, etiam ratione sui. n. 21. ibid.
Hæc irritatio est à iure ecclesiastico. ibid.
Quid si infans ordinetur ante vsum rationis, vel ante pubertatem. n. 22. & 23. ibid. & p. 842.
Ordinatus per metum grauem, & iniustum non tenetur abstinere à matrimonio. n. 24. p. 843.
Ordo sacer non irritat matrimonium anteà contractum. n. 26. ibid.
Coniugatus coactè ordinatus gaudeatne priuilegiis clericalibus. n. 27. p. 844.

Ostiarius.

Ordinatio Ostiariorum sitne verè sacramentum. d. 66. n. 21. p. 610.
Sacrorum Ostiariorum officia. d. 68. n. 11. p. 649.

P.

Papa.

Papa solus habet à Christo iurisdictionem ecclesiasticam, cæteri habent ab ipso. d. 53. n. 18. p. 252.
Dat confessario iurisdictionem circa seipsum. nu. 31. p. 255.
Suprema potestas in Ecclesia Petro data, & successoribus. d. 56. n. 26. & seqq. p. 350.
Et quidem soli, etiam Paulo secluso. n. 33. & seqq. p. 353.
Appellantes à Papa ad futurum Concilium excommunicantur. d. 59. n. 217. p. 459.
An etiam qui dant consilium appellandi. nu. 218. ibid.
Papæ officiales accipientes munera excommunicantur. n. 271. p. 470.
Et Cardinales malè eligentes Pontificem. ibid.
Summus Pontifex potestne soluere matrimonium ratum christianorum. d. 72. n. 45. p. 780.
Papa potest dispensare in voto solemni. d. 74. nu. 41. p. 828.
Quid possit circa impedimentum affinitatis. d. 76. n. 7. p. 853.
In quibus aliis impedimentis dispensare possit. d. 77. n. 2. p. 869.
Papa est superior omnibus Episcopis iure diuino. d. 68. n. 43. & seqq. p. 658.
Continuus vsus appellandi ad ipsum vndique. nu. 48. p. 660.
Exercitium auctoritatis in alios Episcopos. n. 49. ibid.
Et ferendi leges omnibus Christianis. n. 50. ibid.
Et constituendi vbique vicarios. n. 51.
Et conuocandi, confirmandique Concilia generalia. n. 52. p. 661.
Et iudicandi de causis fidei. n. 53. ibid.
Vnitas Ecclesiæ id postulat. n. 54. p. 662.
Et similitudo cum lege veteri. n. 55. ibid.

Parasceue.

In die Parasceues Ecclesia orat pro excommunicatis, & quibuslibet aliis. d. 59. n. 40. p. 410.

Parochus.

Parochi licentia sitne necessaria Regularibus ad

Digitized by Google

Index rerum præcipuarum.

audiendas confeſſiones ſæcularium. d. 53. nu. 75. p. 268.
Parochus non toleratus poſſitne aſſiſtere matrimonio. d. 59. n. 29. & 30. p. 407.
Parochus iungens matrimonio alienum, aut benedicens nuptiis ſuſpenſionem incurrit. d. 61. n. 66. p. 493.
Præſentia Parochi quæ & qualis neceſſaria ad matrimonium. d. 71. n. 55. p. 745.
Sufficit Parochus non ſacerdos. n. 56. ibid.
Eius conſenſus non eſt neceſſarius. ibid.
Poteſt alterum delegare, & quomodo. num. 57. p. 746.
Parochus tenetur inquirere impedimenta matrimonii. d. 77. n. 63. p. 886.
Et deferre Ordinario. n. 64. ibid.
Niſi nouerit tantùm ex confeſſione. n. 65.
Quid, ſi ſolus nouit, & probare nequit. n. 66.
Aut ſi cogitur ab Epiſcopo aſſiſtere matrimonio. n. 67.

Parentes.

Parentum conſenſus non eſt neceſſarius ad valorem matrimonii. d. 71. n. 106. p. 759.
Liceatne ſine illo contrahere. n. 107. ibid.
Leges punientes exhæredatione liberos ea de cauſa ſintne iuſtæ, & ſeruandæ. n. 117. p. 762.
Parentes poſſunt contrahere ſponſalia pro impuberibus. d. 69. n. 35. p. 707.
Sufficiatne impuberes tacere. n. 36. & 37. ibid.

Partus.

Partus ſequitur ventrem. d. 74. n. 32. p. 826.
Niſi conſuetudo alicubi obſtet. n. 33. ibid.

Paſtor.

Veri paſtores vnde agnoſcendi. d. 67. num. 71. p. 642.

Pædagium.

Noua Pædagia imponentes excommunicantur. d. 59. n. 224. p. 460.

Penſio.

Penſio ſuper Beneficia poteſt eſſe multiplex. d. 59. n. 79. p. 421.
Poſſitne dari excommunicato. n. 80. ibid.

Peregrini.

Peregrini extranei quibus confiteri poſſint. d. 53. n. 12. p. 250.

Peccatum.

Non ſemper cum culpa peccati tota pœna remittitur. d. 41. n. 25. p. 9.
Peccata verè remittuntur à ſacerdotibus. nu. 20. p. 8.
Poteſtas ea remittendi eſt iudicialis, n. 22. ibid.
Peccata poſt Baptiſmum commiſſa non ſunt irremiſſibilia. n. 41. p. 14.
Peccatum poteſt magis remitti. d. 43. num. 26. p. 36.
Poſſitne dari peccatum irremiſſibile ex natura ſua. d. 44. n. 4. p. 39.
Quodlibet peccatum poteſtne ſubiici virtuti, aut ſacramento Pœnitentiæ per ſe loquendo. nu. 5. & 6. p. 40.
Peccata in Spiritum ſanctum quomodo irremiſſibilia. n. 8. ibid.
Peccatum ad mortem quodnam ſit. n. 10. p. 41.
Peccatores quomodo indurantur, & deſeruntur à Deo. n. 13. 14. & 15. ibid.
Peccata mortalia poſt Baptiſmum admiſſa non remittuntur ſine ſacramento Pœnitentiæ in re, vel in voto. n. 17. p. 43.
Contritio perfecta tollit peccatum mortale. n. 18. ibid.
Itemque dilectio Dei ex charitate. n. 19. ibid.
Secus autem fides, & aliæ virtutes ſine charitate. n. 20. ibid.
Sufficit alterutra ſola. n. 24. p. 44.
Sufficiatne dilectio in omni caſu. n. 31. p. 46.
Tollitur peccatum ſemper eodem inſtanti, quo eſt contritio, vel dilectio. n. 35. & ſeqq. p. 47.
Peccatum habituale poteſt abſolutè remitti ſine vlla pœnitentia. n. 42. p. 49.
Et ſine mutatione phyſica. n. 43. & 44. ibid.
Sed non ſine morali. n. 46. p. 50.
Quid ſit peccatum, & quotuplex. ibid. & n. 47.
Multa in peccato conſideranda. n. 48. p. 51.
Peccatum eſt offenſa Dei dupliciter. n. 49. ibid.
Remiſſio diuina non tollit omnes peccati conſiderationes. n. 50. ibid.
Retractatio peccati non tollit formaliter peccatum. n. 51. ibid.
Status peccati, & eius remiſſio poteſt dupliciter ſpectari. n. 53. p. 52.
Poſſitne tolli auerſio à Deo ſine conuerſione. num. 54. ibid.
Quomodo manet voluntas auerſa per peccatum. n. 55. p. 53.
Quomodo peccatum non retractatum manet in ratione voluntarii. n. 56. ibid.
Remiſſio diuina non ſemper tollit maculam apud homines. n. 57. ibid.
Peccatum mortale non eſt priuatio gratiæ. nu. 59. p. 54.
Poteſt abſolutè tolli ſine illius infuſione. num. 60. ibid.
Poteſt Deus ſine illa deponere odium peccatoris. n. 51. ibid.
Poteſt tolli peccatum ſine vllo actu vel habitu. n. 62. p. 55.
Et ſine omni mutatione phyſica. n. 63. ibid.
Non eſſe peccati eſt terminus condonationis. nu. 66. p. 56.
Peccatum non remittitur per falſam non-imputationem. n. 67. ibid.
Quid faciat pura condonatio peccati. n. 68. ibid.
Peccatum, & pœna quomodo ſunt connexa. nu. 70. p. 57.
Peccatum non tollitur per meram condonationem pœnæ. n. 71. p. 58.
Peccator non manet tantùm reus pœnæ. nu. 72. ib.
De potentia ordinaria non poteſt vnum mortale remitti ſine alio. n. 73. ibid.
Poteſt tamen de potentia abſoluta. n. 74. ibid.
Peccatum mortale non tollitur per contritionem ſine Dei acceptatione libera. d. 44. n. 77. p. 59.
Remiſſâ culpâ mortali, remittitur ordinariè reatus pœnæ æternæ. n. 80. p. 60.
Sed remanet ſæpe aliqua pœna temporalis. n. 82. ibid.
Quomodo in omni peccato mortali eſt auerſio & conuerſio. n. 87. p. 61.
Quomodo pœna vtrique reſpondet. n. 88. p. 62.
Pœna temporalis non debetur ſolùm ratione conuerſionis. n. 89. ibid.
Quomodo remanet pœna temporalis poſt remiſ-

Index rerum præcipuarum.

ſionem culpæ. n. 90. ibid.
Poteſt Deus abſolutè remittere pœnam retenta culpa. n. 96. p. 63.
Non remittit reatum culpæ mortalis ex parte. n. 99. p. 64.
Neq; peccatum veniale. n. 100. ibid.
Poteſt tamen abſolutè ſic remittere. n. 101. p. 65.
Potèſt abſolutè remittere culpam peccati mortalis retentâ pœnâ æternâ. n. 102. ibid.
Non foret illa pœna eadem quæ nunc eſt. n. 103. ibid.
Quomodo peccatum manet moraliter. n. 104. ib.
Deus habet duplex ius aduerſus peccatorem. n. 105. p. 66.
Condonatio vtrumque extinguit. n. 106. ibid.
Ceſſio iuris diuini circa peccatũ quid ſit. n. 107. ib.
Deus poteſt vni iuri cedere, non alteri. num. 108. p. 67.
Quomodo non manet moraliter peccatum retentâ pœnâ. n. 109. ibid.
Remiſſio peccati eſtne effectus primarius ſacramenti Pœnitentiæ. n. 116. p. 68.
Quomodo remiſſio peccati eſt effectus formalis gratiæ. n. 120. p. 70.
Peccata remiſſa non redeunt ſimpliciter per ſubſequens peccatum. d. 46. n. 3. p. 90.
Ne quidem quoad modum eſſendi moralem. n. 4. p. 91.
Peccata deſtruuntur abſolutè, & non ſub conditione. n. 8. p. 92.
Non redeunt quoad reatum culpæ, aut pœnæ. n. 9. ibid.
Redeunt tamen ſecundum quid. n. 12. p. 93.
Non redeunt quoad reatum culpæ, aut pœnæ. n. 9. ibid.
Redeunt tamen ſecundum quid. n. 12. p. 93.
Præcipuè per peccata magis oppoſita beneficio remiſſionis. n. 13. ibid.
Differentia inter vtrumque modum redeundi. n. 14. & 15. ibid.
Quomodo Deus recordetur peccatorum. nu. 20. p. 94.
Non poſſunt redire de potentia abſoluta remiſſa eo modo quo nunc. n. 21. p. 95.
Poſſet tamen aliter fieri. ibid.
Poſſet abſolutè reproduci idem actus peccati. n. 22. ibid.
Poſſet culpa condonari ſub conditione, ſimiliterque pœna. n. 23. ibid.
Poſſitne macula formalis ſuſpendi ad tempus. nu. 24. ibid.
Peccata remiſſa non redeunt æquiualenter propter ingratitudinem. n. 38. p. 98.
Non eſt eligibilius peccare, & reſurgere, quàm non peccare. d. 47. n. 44. p. 110.
Deteſtatio peccati eſtne actus conditionatus. d. 48. n. 24. p. 121.
Omne peccatum eſt contra ius Dei, ſaltem materialiter. ibid. n. 29. p. 122.
Non eſt tantùm contra obedientiam. n. 32. p. 123.
Peccatum quomodo ſuper omnia deteſtandum. ibid. n. 104. p. 140. & n. 116. p. 143.
Tenemur magis deteſtari veniale, quàm originale. n. 120. p. 144.
Peccatorum circumſtantiæ duplices. d. 50. nu. 45. p. 186.
Quomodo confitendæ. ibid.
Quot, & quæ ſint. num. 65. p. 192.

Peccata reſeruata. Vide *Reſeruatio.*

Peccatorum remiſſio quomodo Dei propria. d. 57. n. 23. p. 366.
Quæ poteſtas ad illam requiratur. ibid. n. 27. & ſeqq. p. 370.
Peccatum quomodo vnum, aut multiplex numero. d. 58. n. 36. p. 383.
Et ſpecificè. n. 38. ibid.
Multitudo præceptorum ſitne illius cauſa. n. 39. p. 384.
Peccatum, pro cuius pœna ſatisfit, debet eſſe remiſſum. d. 63. n. 23. p. 553.
Non poteſt ſatisfieri antecedenter pro culpa committenda. n. 25. ibid.
Perſeuerantia in peccato ſitne ſpeciale peccatum. d. 49. n. 93. p. 172.

Peccatum Originale.

Peccatum veniale coniunctum originali non remittitur ſine illo. d. 45. n. 55. p. 87.
Poteſt aliquis mori in peccato originali cum ſolis venialibus. ibid.
Ille puniretur in Limbo pro venialibus. n. 56. ibid.
Tenemur magis deteſtari peccatum veniale, quàm originale. d. 48. n. 120. p. 144.

Peccatum veniale.

Dantur aliqua peccata venialia iuſtorum. d. 64. n. 28. p. 578.
Peccata venialia remittuntur per ſacramentum Pœnitentiæ ex opere operato. d. 45. n. 1. p. 73.
Quo modo poteſt concipi propoſitum efficax vitandi omnia venialia. n. 2. ibid.
Differentia propoſiti circa mortalia, & venialia. n. 5. p. 74.
Minor dolor ſufficit in ſacramento, quàm extra ad delenda venialia. n. 8. p. 75.
Quælibet attritio hominis iuſti de omnibus venialibus non omnia tollit. n. 10. ibid.
Quomodo ſeruatur proportio in remiſſione venialium. ibid.
Peccata venialia non ſunt materia neceſſaria ſacramenti Pœnitentiæ. n. 15. p. 76.
Cætera ſacramenta habent vim ea remittendi. n. 16. ibid.
Non tamen ſine aliquo pio motu contra illa. n. 17. p. 77.
Sola infuſio gratiæ non illis repugnat. ibid.
Venialia cum mortali coniuncta non remittuntur poſt mortem. n. 28. p. 79.
Venialia iuſtorum remittuntur per actum pœnitentiæ. n. 29. ibid.
Saltem per contritionem. n. 30. p. 80.
De aliis actibus res eſt incerta. n. 31. ibid.
Venialia non coniuncta mortalibus remittuntur poſt mortem. n. 35. p. 81.
Poteſt aliquis decedere cum ſolis venialibus. nu. 36. p. 82.
Non remittuntur per mortem ſolam. n. 37. ibid.
Neque per ſolam ſatisfactionem. n. 39. p. 83.
Peccatum veniale non remittitur ſine gratia. nu. 43. p. 84.
Poteſt remitti ſine illius infuſione. n. 44. ibid.
Non tamen ſine beneficio gratuito. n. 45. ibid.
Oratio pro venialibus id probat. n. 46. p. 85.
Cur actus purè naturales non ſufficiunt. n. 47. ibid.

Digitized by Google

Index rerum præcipuarum.

Poſſintne iuſti ſatisfacere condignè pro venialibus. n. 50. p. 86.
In tali ſatisfactione eſt aliquod beneficium gratiæ. n. 51. ibid.
Veniale coniunctum mortali non remittitur ſine illo. n. 53. p. 87.
Poteſt tamen abſolutè ſine illo remitti. n. 54. ibid.
Poteſt aliquis mori in peccato originali cum ſolis venialibus. n. 55. ibid.
Vnum veniale poteſt remitti ſine alio. n. 57. p. 88.
Teneamurne liberari à venialibus ante mortem. d. 51. n. 6. p. 222.
Puniéturne pœna æterna in inferno. n. 91. p. 227.

Perſeuerantia.

Perſeuerantia in peccato ſitne ſpeciale peccatum. d. 49. n. 93. p. 172.

Piratæ.

Piraticam exercentes in mari eccleſiaſtico excommunicantur. d. 59. n. 219. p. 459.
Qui dicantur Piratæ. n. 220. ibid.
Quid ſi tantùm prædétur infideles. n. 221. p. 460.

Pœna.

Pœna damni quomodo creſcit. d. 46. n. 40. p. 99.
Pœnæ dupliciter mouere poſſunt ad attritionem. d. 48. n. 82. p. 135.
Metus ille non debet eſſe purè humanus. n. 83. ibi.
Qualis debeat eſſe metus pœnarum. n. 87. p. 136.
Quid faciendum in caſu, quo aliquis exiſtimaret incurrendas ſibi eſſe pœnas æternas niſi peccet mortaliter. n. 107. p. 141.
Valeatne metus pœnarum ad deteſtandum efficaciter omne peccatum. n. 112. p. 142.
Etiam committendum ad vitandum infernum. n. 113. ibidem.
Et in quocunque caſu imaginabili. n. 114. ibid.
Peccatum, & pœna quomodo ſunt connexa. d. 44. n. 70. p. 57.
Peccatum non tollitur per meram condonationem pœnæ. n. 71. p. 58.
Peccator non manet tantùm reus pœnæ. n. 72. ibi.
Remiſſa culpa mortali remittitur ordinariè reatus pœnæ æternæ. n. 80. p. 69.
Sed remanet ſæpè aliqua pœna tẽporalis. n. 81. ibi.
Quomodo pœna reſpondet peccato mortali n. 88. & 89. p. 62.
Quomodo remanet pœna temporalis poſt remiſſionem culpæ. n. 90. ibid.
Per Sacramentum Pœnitentiæ remittitur aliquid pœnæ temporalis. n. 93. p. 63.
Atque etiam per diſpoſitionem, quo maior eſt. n. 93. ibid.
Cur Sacramentum Pœnitentiæ non remittit totam pœnam ſaltem venialium. n. 94. ibid.
Poteſt Deus abſolutè remittere pœnam retentâ culpâ. n. 96. ibidem.
Et culpam peccati mortalis retentâ pœnâ æternâ. n. 102. p. 65.
Non foret illa pœna eadẽ quæ nunc eſt. n. 103. ibi.
Quomodò non manet moraliter peccatum retentâ pœnâ. n. 109. p. 67.
Deus non odit quemcunque punit. n. 112. p. 68.
Pœna poteſt aliter tolli, quàm per ſatisfactionem. d. 51. n. 12. p. 213.
Et ſpecialiter per orationem. ibid.
Tenemur non incurrere voluntariè pœnas. n. 62. p. 232.
Quomodo Sacerdos ligat ad pœnam. d. 57. n. 34. p. 372.
Pœna tota non ſemper remittitur cum culpa. d. 64. n. 30. p. 578.
Quia merita Chriſti non eo fine applicantur. nu. 31. p. 579.

Pœnitentiæ Sacramentum.

Error hæreticorum circa veram ſignificationem vocis Pœnitentiæ. d. 41. n. 1. p. 4.
Sex illius acceptiones. n. 8. p. 5.
Pœnitentia eſt verè Sacramentum. n. 29. & ſeqq. p. 10.
Differt à Baptiſmo. n. 52. p. 17.
Quæ ſit illius forma. d. 42. n. 1. p. 19.
Peccata ſunt remota illius materia, & actus pœnitentis ſunt materia proxima. n. 2.
Cuiuſmodi peccata ad hoc Sacramentum pertineant. n. 3.
Peccata, & actus pœnitentis diuerſimodè ad illud ſe habent. n. 4.
Cur actus dicuntur eſſe quaſi materia. n. 5. p. 20.
Satisfactio non eſt illi eſſentialis. n. 6. ibid.
Qua ratione ſunt pars Sacramenti. n. 8. p. 21.
Præteritio peccati eſtne de illius eſſentia. n. 9. ibid.
Tota ſignificatio, & efficacia non eſt in abſolutione n. 11. p. 22.
Pœnitens non eſt miniſter huius Sacramenti. nu. 12. ibid.
Iniũctio ſatisfactionis ſitne pars formę. n. 15. p. 23.
Abſolutio eſt pars eſſentialis. n. 23. p. 25.
Impoſitio manuum non eſt de neceſſitate huius Sacramenti. n. 28. p. 36.
Neque etiam de neceſſitate præcepti. n. 29. ibid.
Quid in hoc Sacramento eſt res tantùm, Sacramentum tantùm, & res, & Sacramentum. n. 33. p. 27.
Sacramentum Pœnitentiæ eſt neceſſarium ad ſalutem. d. 43. n. 1. p. 29.
Poteſt iterari circa noua peccata. n. 17. p. 33.
Etiam circa eadem. n. 19. p. 34.
Quomodo poſſit abſolutio dari validè circa eadem peccata. n. 23. p. 35.
Poteſt magis operari circa eadẽ peccata. n. 25. ibi.
Sacramentum Pœnitentiæ vim ſufficientem habet contra omnia peccata. d. 44. n. 3. p. 39.
Quodlibet peccatum poteſt illi ſubijci per ſe loquendo. n. 5. p. 40.
Remittit aliquid pœnæ temporalis. n. 92. p. 63.
Sitne remiſſio peccati primarius eius effectus. nu. 116. p. 68.
Remittit venial. ex opere operato. d. 45. n. 1. p. 73.
Minor dolor cum illo ſufficit ad ea delenda. nu. 8. p. 78.
Præceptum de Sacramento Pœnitentiæ. d. 49. n. 4. & ſeqq. p. 252. *vide* Confeſſio.
Primus actus pœnitentis in hoc Sacramento quis, & qualis eſſe debeat. d. 48. n. 33. & ſeqq. p. 223.
Requiritur aliquod propoſitum non peccandi. nu. 70. p. 132.
Virtuale ſufficit. ibid.
Non omnis dolor includit propoſitũ hoc. n. 71. ibi.
Qui confitetur de ſolis venialibus, debet dolere de aliquo. n. 74. p. 133.
Non tenetur dolere de omnibus. n. 75. ibid.
Qui peccauit venialiter ante abſolutionem debet-ne repetere actum doloris. n. 78. p. 134.

Quale

Index rerum præcipuarum.

Quale propoſitum requiratur circa venialia. n. 77. ibidem.
In Sacramento Pœnitentiæ requiritur propoſitum recipiendi abſolutionem. n. 80. ibid.
Peccatum veniale in eo commiſſum non obeſt eius v lori. n. 81. p. 135.
Sitne toties iteranda contritio, vel attritio, quoties abſolutio. n. 136. p. 147.
Partes materiales Sacramenti Pœnitentiæ, *Vide* Attritio, Contritio, Confeſſio, Satisfactio.
Forma eiuſdem, *vide* Abſolutio.
Miniſter, *vide* Sacerdos.

Pœnitentia ſolemnis, ſeu publica.

Quidnam eſſet. d. 41. n. 17. p. 7.
Erat tantùm inſtitutionis eccleſiaſticæ. d. 51. nu. 1 4. p. 230.
Quonam tempore dabatur abſolutio publicè pœnitentibus. n. 105. ibid.
Senſus SS. Patrum de pœnitentia in fine vitæ. nu. 110. p. 232.
Cur ſic abſoluti redigerentur ad ſtatum pœnitentium, & quomodo. n. 114. p. 233.
Quinam olim dicerentur Pœnitentes ſimpliciter. d. 55. n. 1. p. 319.
Pœnitentiæ nomine publica olim intelligebatur. ibidem.
Pœnitentes olim conſtituebant vnum ordinem in Eccleſia. n. 2. ibid.
Pœnitentiæ publicæ ritus non ſemper idem fuit. n. 3. ibid.
Qualis fuerit tertio, & quarto ſæculo, & quot illius gradus. n. 4. p. 320.
A quo, & quando, & quomodo imponebatur. n. 5. ibidem.
Exercebatur præcipuè in tertio gradu. n. 6. p. 321.
Semel tantùm concedebatur. n. 7. ibid.
Veſtitus Pœnitentium. n. 8. ibid.
Admitterenturne ad communionem. ibid.
Nuptiæ illis interdictæ, & quædã alia. n. 9. p. 322.
Erant irregulares. ibid. n. 10.
Fuitne ſolùm vſurpata publica pœnitentia vt ſatisfieret Eccleſiæ. n. 11. p. 323.
Vel vt reatus culpæ deleretur. n. 12. ibid.
Non fuit præcepta niſi pro peccatis grauibus, & ſcandaloſis. n. 20. & ſeqq. p. 326.
Fuit olim alia pœnitentia præter publicam, & ſolemnem. n. 30. p. 329.
Publica etiam fuit duplex: ſolemnis, & non ſolemnis. n. 33. p. 330.
Ceſſauit obligatio ad Pœnitentiam ſolemnem. n. 34. p. 331.
Non tamen ad aliquam publicam pro peccatis publicis, & ſcandaloſis. n. 35. ibid.
Priuata confeſſio, & abſolutio non accepit originem à publica pœnitentia. n. 36. ibid.
Exẽpla antiquæ pœnitentiæ priuatæ. n. 37. p. 332.
Amplior eius probatio. n. 38. ibid.
Potiùs illa præceſſit ſolemnem pœnitentiam. n. 39. ibidem.
Refutantur varij errores nouorum Dogmatiſtarum circa publicã pœnitentiã. n. 40. & ſeqq. ibi.
Pœnitentia ſolemnis eſt impedimentum prohibens matrimonium. d. 73. n. 63. p. 813.

Pœnitentiæ virtus.

Virtus Pœnitentiæ multiplex. d. 41. n. 9. p. 5.
Stricte ſumpta eſt ſpecies iuſtitiæ. n. 12. & 13. p. 6.
Pœnitentiæ virtus vim ſufficientem habet contrà omnia peccata. d. 44. n. 2. p. 39.
Per accidens non poſſunt aliqua ei ſubiici, per ſe verò omnia. n. 7. & 15. p. 40.
Virtutes amiſſæ non recuperantur per pœnitentiam. d. 47. n. 1. p. 101.
Hoc intellige de ſupernaturalibus. n. 2. ibid.
Non recuperatur quælibet dignitas amiſſa. n. 3. ib.
Quomodo non recuperantur innocentia, & virginitas. n. 4. ibid.
Opera mortua non viuificantur per pœnitentiam. n. 5. p. 102.
Opera mortificata reuiuiſcunt per illam. n. 8. idid.
Merita reuiuiſcunt per illam partim ex miſericordia, & partim ex iuſtitia. n. 16. & 17. p. 104.
Virtutes per illam integrè redeunt, & merita perfectè reuiuiſcunt. n. 30. & 31. p. 108.
Reſtituitur etiam perfectè gratia. n. 35. p. 109.
Etiam illa quæ acquiſita fuerat per ſacramenta. n. 36. ibid.
Gratia, & virtutes ſtatim reſtituuntur. n. 38. ibid.
Quare non recuperatur iuſtitia originalis. nu. 43. p. 110.
Pœnitentiæ virtus qualis iuxta doctrinam D. Thomæ. d. 48. n. 4. p. 116.
Eſt virtus ſpecialis. n. 5. p. 117.
Eſt ſpecies iuſtitiæ commutatiuæ. n. 6. ibid.
Eſt tantùm iuſtitia ſecundum quid. n. 7. ibid.
Eſt in voluntate. n. 8. ibid.
Quomodo infunditur à Deo. n. 9. ibid.
Eſt media inter virtutes theologicas, & morales. n. 10. ibid.
Pœnitentia eſt virtus multiplex. num. 11. & 12. p. 118.
Quàm latè pateat virtus ſpecialis pœnitentiæ. nu. 13. ibid.
Eius actus, & habitus. n. 14. p. 119.
Non habet in quolibet ſubiecto omnes actus. nu. 15. ibid.
Actus ſpecialis virtutis Pœnitentiæ non eſt determinatè neceſſarius ſacramento. n. 16. ibid.
Ordo & principia, quibus excitantur. nu. 17. ibid.
Poteſt concipi ſine actu charitatis. n. 18 p. 120.
Quomodo actus pœnitentiæ eſt bonus. nu. 20. ib.
Pœnitentiæ virtus eſt ſpecies iuſtitiæ ſimpliciter. n. 26. p. 121.
Teneamurne ad pœnitendum ſtatim poſt peccatum. d. 48. n. 30. p. 122.
Pœnitentia eſt per ſe in præcepto. d. 4 9n u. 90. p. 171.
Præceptum Pœnitentiæ non obligat pro ſemper. n. 94. p. 173. Eſt naturale. n. 95. ibid.
Obligat ex iuſtitia, & ex charitate. n. 96. ibid.
Qualis pœnitentia neceſſaria in articulo mortis. n. 98. p. 174. Obligat ad pœnitendum ſine mora vituperabili. n. 103. p. 175.
Hæc mora non eſt vſque ad articulum mortis. nu. 104. ibid. Sine mora vituperabilis ſpatium vnius anni. num. 112. n. 17.

Polygamia.

Polygamia eſt illicita, & irrita inter Chriſtianos. d. 72. n. 24. & ſeqq. p. 775.
Atque etiam inter infideles. n. 27. p. 776.
Secus tamen in lege Naturæ, & Moſis. num. 28. ibid.
Sed non ante diluuium. n. 30. p. 777.

Index rerum præcipuarum.

Poteſtas.

Poteſtas Ordinis eſt duplex, vna iuris, altera facti. d. 66. n. 78. p. 622.
Vtraque eſt perpetua, & inuariabilis. ibid. p. 623.
Poteſtas Iuriſdictionis eſt neceſſaria ad Sacramentum Pœnitentiæ. d. 53. n. 5. p. 248.
Quid ſit poteſtas iuriſdictionis, n. 7. p. 249.
Quomodo differt à poteſtate Ordinis. ibid.
Quibuſnam competit ordinaria, n. 9. ibid.
Quibuſnam conuenit delegata, n. 11. p. 250.
Solus Papa habet à Deo immediatè, cæteri ab illo accipiunt ſpiritualem iuriſdictionem, num. 18. p. 252.

Præcepta.

Præcepta obligant tantùm ad diligentiam moralem. d. 49. n. 100. p. 175.

Prælati.

Prælati defuncti bona occupantes ſuſpenſionem incurrunt. d. 60. n. 55. p. 491. *Vide* Epiſcopus.

Presbyter, & Presbyteratus.

Vide Sacerdos, & Sacerdotium.

Priuilegia.

Priuilegia Regularium non nocent Parochis. d. 53. n. 92. p. 276.
Regulares nõ poſſunt illis renũciare. n. 99. p. 278.
Pœnæ appoſitæ illa violantibus. n. 98. ibid.
Non poteſt abſque errore negari potuiſſe à Summo Pontifice concedi. n. 101. p. 279.
Exempla illorum antiquiſſima. n. 102. ibid.
Fuerunt recepta in Gallia. n. 91. p. 275.

Proclamationes.

Proclamationes quomodo requiſitæ ante matrimonium. d. 70. n. 104. p. 725.
Quanta earum obligatio. n. 105. ibid.
A quo, & vbi faciendæ. n. 106. ibid.
Quinam poſſint ab illis diſpenſare. n. 107. p. 726.
Quibus de cauſis. n. 108. ibid.
Poſſitne interdum contrahi licitè abſque diſpenſatione. n. 109. ibid.
Debeantne tunc præmitti ſaltem conſummationi matrimonij. n. 110. p. 727.
Ad quid obligent. n. 111. ibid.
Non ſunt neceſſariæ ad valorem matrimonij. d. 71. n. 61. p. 746.

Procurator.

Recipientes munera pro Eccleſiæ procuratione ſuſpenduntur. d. 60. n. 63. p. 492.
Procuratores poſſintne contrahere matrimonium pro abſentibus etiam ſacramentaliter. d. 69. n. 60. p. 689.
Quomodo poteſt contrahi per procuratores, & quales illi eſſe debeant. d. 71. num. 98. & ſeqq. p. 756.
Matrimonium per eos contractum vbique valet. n. 105. p. 758.
Dummodo mandans verè conſenſerit. n. 103. ibid.
Et mandatum non reuocauerit. n. 104. ibid. & n. 100. p. 757.
Conſenſus mandantis debet moraliter perſeuerare. n. 101. ibid.

Promiſſio.

Promiſſio non conſiſtit in ſolis verbis. d. 70. n. 21. p. 703.
Requiritur intentio ſe obligandi. n. 22. ibid.
Quid ſi quis velit promittere, & nolit obligari. nu. 23. p. 704.
Aut ſi ligetur per voluntatẽ contrariam. n. 24. ibi.

Propoſitum.

Propoſitum non peccandi quomodo requiritur in Sacramento Pœnitentiæ. d. 48. n. 70. p. 132.
Et in actu Contritionis. n. 72. p. 133.
Non omnis dolor includit propoſitum virtuale. n. 71. p. 132.
Quale propoſitum requiritur circa venialia. n. 77. p. 134.
Quomodo poteſt concipi propoſitum efficax vitandi omnia venialia. d. 45. n. 2. p. 73.
Differentia propoſiti circa mortalia, & venialia. ibid. n. 5. p. 74.

Pſalmiſtæ, ſeu Cantores.

Pſalmiſtæ erant olim inter minores Ordines. d. 66. n. 23. p. 610.

Purgatorium.

Purgatorium probatur. d. 64. n. 1. p. 571.
Animæ quæ purgantur poſſunt iuuari precibus, & ſuffragiis viuorum. n. 2. ibid.
Aliqua peccata remittuntur in vita futura, nimirum in Purgatorio. n. 10. & 11. p. 574.
Saluantur aliqui quaſi per ignem. n. 21. p. 576.
Purgatorium probatur ex veteri Teſtamento. n. 3. p. 572.
Et ex nouo. n. 10. & ſeqq. p. 573.
Et ex Patribus. n. 23. p. 577.
Cur orauit antiqua Eccleſia pro mortuis. nu. 27. p. 578.
Purgatorium probatur ratione theologica. n. 28. & ſeqq. ibid.
Soluuntur obiectiones hæreticorum. n. 36. p. 580.
In Purgatorio eſt tantùm ſat. ſpaſſio. n. 42. p. 582.
Locus Purgatorij. n. 43. ibid.
Genus, & qualitas pœnæ. n. 45. p. 583.
An per ignem. n. 46. ibid.
Torquenturne per dæmones. n. 48. ibid.
Quamdiu torqueantur. n. 49. ibid.

R

Raptus, & Raptores.

Raptores incurrunt ſuſpenſionem. d. 60. num. 77. p. 496.
Raptus ſponſæ alienæ eſt impedimentum prohibens matrimonium. d. 73. n. 57. p. 811.
Raptus ſimplex ſufficit. n. 58. ibid.
Rapta conſentiens incurrit hoc impedimentum. n. 59. p. 812.
Raptoris cum rapta matrimonium eſt irritum. d. 76. n. 56. & 57. p. 865.
Si non ſit ſponſa raptoris. n. 58. p. 866.
Pœnæ ſtatutæ contra raptores. n. 59. ibid.
Validum erat hoc matrimonium ante Tridentinum. n. 60. ibid.
Non excuſat à pœnis matrim. ſubſequens. n. 61. ibid.
Sufficiatne parentes diſſentire. num. 62. p. 867.
Vel puellam importunitate aut dolo abduci. ibid.
Vel virum à muliere rapi. n. 64. ibid.
Quid ſi rapta non eſt hõneſta. n. 66. p. 868.

Redemptor.

Solus Chriſtus eſt abſolutè Redemptor: alij tantùm ſecundum quid. d. 63. n. 42. p. 557.

Religio, & Religioſi.

Regulares tranſeuntes ad aliam Religionem, quàm Carthuſianorum, excommunicantur. d. 59. n. 266. p. 469.
Et ſi dant Sacramenta ſine facultate, aut ſolem-

Index rerum præcipuarum.

nizant matrimonia. n. 257. & seqq. p. 468.
Suspensiones latæ contra Regulares si in apostasia ordinentur. d. 60. n. 86. p. 498.
Si ante tempus admittant ad Professionem. n. 87. p. 499.
Si alienant bona Ecclesiæ. n. 88. ibid.
Si vsurpant Decimas. n. 89. ibid.
Si non gestant habitum. n. 90. ibid.
Si non obligant suos pœnitentes ad soluendas Decimas. n. 92. p. 500.
Ingressus Religionis tollit aliquas irregularitates. d. 62. n. 103. p. 543.
Dantes vel accipientes pecunias pro ingressu Religionis excommunicantur. d. 59. n. 63. p. 469.
Regulares quomodo ad Hierarchiam pertineant. d. 68. n. 64. p. 664.
Religiosi doctrina, & pietate illustres. n. 265. p. 665
Summi Pontifices ex Regularium Ordinibus assumpti. n. 67. ibid.
Regularium labores pro Ecclesia quàm vtiles. nu. 69. ibid.
Quid de illis senserint Summi Pontifices. n. 70. p. 666.
Et speciatim de Societate Iesu. n. 71. ibid.
Gregorij XIII. & XIV. de illa elogium. n. 72. ibi.
Alterum Pauli V. n. 73. p. 667.
Possintne committi Regularibus functiones Hierarchicæ sine præiudicio Ecclesiasticæ Hierarchiæ. n. 74. & seqq. ibid.
Facultas audiendi confessiones illis concessa. n. 76. ibid.
Et facultas concionandi. n. 77. p. 668.
An etiam contradicente Episcopo. n. 78. ibid.
Et potestas administrãdi Eucharistiã. n. 80. p. 669.
Etiam Viaticum interdum, & Extremam-Vnctionem. ibid.
Cur illæ facultates eis concessæ. n. 81. p. 670.
Non fit Parochis aut Episcopis præiudicium. ibid. & n. 82.
Priuilegia illa sunt in fauorem fidelium sæcularium. n. 83.
Debent à iudicibus non solùm ecclesiasticis, sed & sæcularibus protegi. ibid.
Religionis ingressus soluit sponsalia. d. 70. n. 79. p. 718.
Etiamne ante professionem. n. 81. p. 719.
Atque etiam si iurata sint. n. 83. ibid.
Professio religiosa soluit matrimonium ratum Christianorum. d. 72. n. 44. p. 780.
Idque ex priuilegio, & non nisi ante consummationem. n. 83. p. 791.
Et iure tantùm ecclesiastico. n. 95. & seqq. p. 794.

Remissio.

Remissio peccatorum non est tota, & solã causa ingratitudinis. d. 46. n. 41. p. 99.
Estne maius beneficiũ, quàm innocentia. n. 42. ibi.

Repudium.

Libellus repudij soluebat matrimonium inter Iudæos. d. 72. n. 85. p. 792. Cur repudiata diceretur polluta, & abominabilis. n. 89. p. 793.
Modus quo dabatur libellus repudij, & à quo scribendus. n. 91. ibid. Quare debebat scripto dari ipsi repudiatæ. n. 92. p. 794. Causa repudiandi. ibid. Debebatne in libello exprimi. n. 93. ibid.
Fuitne repudium aliis licitum. n. 94. ibi.

Rescriptum.

Rescripta impetrata irritantur per excommunicationem. d. 59. n. 93. p. 425.
Non alia quàm pontificia. n. 94. ibid.
Quid sentiendum de imperialibus & regiis. n. 96. ibidem.
Pertinet hæc pœna ad excommunicatos etiam occultos. n. 98. p. 426.
Non est amplius in vsu, exceptis certis casibus. n. 100. ibid.
Rescriptum Principis valet ad legitimandum, & quomodo. d. 80. n. 23. & seqq. p. 925.
Quomodo obtinendum. n. 28. & 29. p. 927.
Eius effectus. n. 27. ibid. & n. 33. & 34. p. 928. & 929.

Reseruatio.

Ignorantia reseruationis casuum non tollit debitum adeundi superiorem. d. 49. n. 62. p. 165.
Reseruatio peccatorum excusat ab integritate confessionis. d. 50. n. 115. p. 204.
Quomodo confitendum habenti reseruata. n. 117. p. 205.
Possitne dimidiari propter illa confessio sine necessitate. n. 118. ibid.
Teneaturne pœnitens confiteri inferiori de reseruatis. n. 120. ibid.
Superiores possunt casus aliquos sibi reseruare. d. 53. n. 126. p. 287.
Quænam peccata possint reseruari. nu. 127. ibid.
Reseruatio quomodo, & quando facienda. n. 128.
Absolutio à reseruatis potest dari dupliciter; directè, vel indirectè. n. 129. ibid.
Quis potest directè absoluere ab illis. n. 130. ibid.
Reseruatio potest tolli extra confessionem. n. 131. p. 288.
Episcopi possunt ab illis absolui per confessarium, quem eligunt. n. 132. ibid.
Et ab occultis Papæ reseruatis. n. 133. ibid.
Quomodo potest Episcopus absoluere ab hæresi occulta. n. 134. p. 289.
Et ab excommunicatione contra percussores clericorum. n. 135. ibid.
Peregrini, & viatores quomodo absoluendi à reseruatis. n. 136. ibid.
Quilibet Sacerdos potest ab illis absoluere in articulo mortis. n. 137. p. 290.
Regulares in itinere quomodo absoluendi. n. 138. ibidem.
Absolutio à reseruatis tempore Iubilæi. n. 140. ibi.
Non potest dari indirectè absolutio à reseruatis extra casum necessitatis. n. 142. p. 291.
Sitne valida, si datur extra necessitatem cum bona fide. n. 143. ibid.
Licitè datur in casu necessitatis. n. 144. ibid.
Etiamsi habeat annexam excommunicationem. n. 145. p. 292.
Absolutus indirectè tenetur se sistere Superiori. n. 146. ibid.
Teneaturne Superior dare facultatem absoluendi à reseruatis. n. 147. ibid.
Debet facilè dare. n. 149. p. 293.
Explicanda est iuxta intentionẽ dantis. n. 151. ibi.
Non potest absolui subditus sine illa, quamuis malè negata. n. 152. ibid.
Tollitur reseruatio per confessionem factam Superiori, etiam inualidam. n. 153. ibid.
Et non obstante obliuione casus reseruati. num.

Digitized by Google

Index rerum præcipuarum.

155. pag. 294.
Idque habet locum etiam in Iubilæis. n. 156. ibid.
Aut ſi iuſta de cauſa omiſit caſus reſeruatos. num. 157. ibid.

Reſurrectio.

Quæſtiones de reſurrectione, & de immortalitate animarum erant connexæ apud Iudæos. d. 64. n. 8. p. 573.

Retentio.

Retentio negatiua peccatorum quid ſit. d. 49. n. 20. p. 156.

Roma.

Impedientes victualia Romam aſportanda excommunicantur. d. 59. n. 232. p. 462.
Et vexantes Rom̃ipetas. n. 233. ibid.
Vel peregrinos ad almam vrbem. n. 234. p. 463.
Vel recurrentes ad Curiam Romanam. n. 236. ibi.
Et eligentes aliquem Senatorem, Capitaneum, Patricium, vel aliquod officium gubernationis vrbis Romæ. n. 253. p. 467.
Et ſubornantes in Curia Romana. n. 264. p. 469.

S

Sacerdos.

Sacerdotes habent poteſtatem remittendi peccata. d. 41. n. 20. p. 8.
Quomodo illa debet exerceri. n. 21. & ſeqq. ibid.
Solus Sacerdos eſt miniſter Sacramenti Pœnitentiæ. d. 53. n. 1. p. 277.
Iuriſdictio eſt illi neceſſaria. n. 5. p. 248.
Quilibet Sacerdos poteſt abſoluere in articulo mortis. d. 53. n. 15. p. 351.
Sacerdotium, ſeu Presbyteratus eſt verè Ordo ſacramentalis. d. 66. n. 13. p. 609.
Duplex Ordo Sacerdotum. ibid. n. 12. p. 608.
Ordinatio Sacerdotis in Latina Eccleſia quomodo fiat. n. 43. p. 615.
Quomodo in Græca. n. 44. ibid.
Poſſitne ſimplex Sacerdos dare ordines inferiores ſacerdotio. d. 67. n. 20. p. 631.
Sacerdotes vi ſuæ ordinationis non habẽt completam poteſtatem prædicandi. d. 67. n. 74. p. 643.
Occiſio Sacerdotis eſt impedimentum prohibens matrimonium. d. 73. n. 62. p. 812.

Sacramentum, & Sacramentalia.

Denturne validè, aut licitè Sacramenta ab excommunicatis. d. 59. n. 24. & ſeqq. p. 405.
Poſſuntne ab illis recipi. n. 15. p. 402.
Peccentne qui ab illis Sacramenta recipiunt. nũ. 38. p. 409.
Quo ſenſu non poteſt Eccleſia mutare ſubſtantiam Sacramentorum. d. 71. n. 7. p. 800.
Sacramentalia quænam dicantur. d. 45. n. 20. p. 77.
Non remittunt venialia ex opere operato. n. 22. p. 78.
Quam vim habeant ea remittendi. n. 27. p. 79.

ſatisfactio.

Satisfactio eſt pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ. d. 42. n. 6. & 7. p. 20. & 21.
Iniunctio ſatisfactionis ſitne pars formæ. n. 15. p. 23.
Propoſitum ſatisfaciendi includitur in Contritione. n. 22. p. 25.
Satisfactio quid ſit. d. 51. n. 1. p. 209.
Eſt duplex: ſacramentalis, & non ſacramentalis. n. 3. ibid.
Differt à ſatiſpaſſione. n. 4. ibid.
Non poteſt homo ſatisfacere Deo pro culpa mortali. n. 5. ibid.
Secùs pro reatu pœnæ temporalis. n. 6. ibid.
Satisfactio illa poteſt eſſe de cõdigno. n. 9. p. 210.
Poſſitne Deo ſatisfieri pro quacunque pœna. n. 10. p. 211.
Poſſumus aliter, quàm per ſatisfactionem liberari à pœna. n. 12. ibid.
Debeatne ſatisfaciẽs eſſe Deo gratus. n. 15. p. 213.
Affirmatur de ſatisfactione ex opere operantis. n. 16. ibid.
Secùs ex opere operato. n. 17. ibid.
Satisfactio debet eſſe opus voluntarium. nu. 22. p. 213.
Et opus bonum. n. 23. ibid.
Debeatne generaliter eſſe opus pœnale. num. 24. p. 214.
An etiam opus ſupererogationis. n. 25. ibid.
Poſſitne ſatisfieri per alium. n. 27. ibid.
Quibus operibus ſatisfieri poſſit. n. 29. p. 215.
Cur præcipuè oratione, ieiunio, & eleemoyna. n. 30. ibid.
Quæ conditiones requirantur ex parte Dei ad ſatisfactionem. n. 31. p. 216.
Requiritur Dei acceptatio. ibid.
Teneaturne Deus pœnas ſponte nobis inflictas acceptare. n. 34. ibid.
Multiplex neceſſitas ſatisfactionis. n. 41. p. 217.
Sacerdos habet ius eam iniungendi. n. 42. p. 218.
Tenetur ſeruare æquitatem. n. 44. ibid.
Habenda eſt ratio facultatis pœnitentiũ. n. 45. ibi.
Satisfactio minor non obeſt valori Sacramenti. n. 46. p. 219.
Tenetur pœnitens acceptare ſatisfactionem. n. 47. ibidem.
Satisfactio grauis obligat grauiter. n. 49. ibid.
Debet impleri ipſummet opus iniunctum. n. 52. p. 220.
Quomodo poteſt ab alio mutari. ibid. n. 53.
Poteſt relaxari, vt fit per Indulgẽtias. n. 55. p. 221.
Fuiſſetne iure naturali neceſſaria ſatisfactio, quamuis Sacramentum Pœnitentiæ non fuiſſet inſtitutum. n. 56. & ſeqq. p. 221.
Vnde oritur illa obligatio. n. 64. p. 222.
Satisfactio ſacramentalis non confert maiorem gratiam. n. 66. ibid.
Habet vim maiorem, quàm non ſacramentalis. n. 74. p. 224.
Satisfactio triplex hac in vita. n. 75. ibid.
Tollatne ſemper omnẽ reatum pœnæ. n. 77. ibid.
Quid ſi Cõfeſſario videatur æqualis. n. 79. p. 225.
Satisfactio plus operatur in meliùs diſpoſito. nu. 82. ibid.
Actus externus auget ſatisfactionem. n. 84. ibid.
Defectus ſatisfactionis poteſt ſuppleri per ſatiſpaſſionem. n. 87. p. 226.
Suppleatne ſatiſpaſſio perſonæ non gratæ. ibid.
Pœna quâ ſatiſpatimur, debet imponi à iudice. n. 93. p. 227.
Poteſt ſatisfieri iuſtitiæ non ſatisfaciendo amicitiæ. ibid. p. 228.
Debeatne ſatisfactio impleri neceſſariò ante abſolutionem. n. 97. & ſeqq. ibid.
Reſpõdetur argumentis affirmantiũ. n. 107. p. 231.
Satisfactio vnius poteſt aliis prodeſſe. d. 63. n. 2. p. 547.

Index rerum præcipuarum.

Sentiunt aliqui prodeſſe tantùm per modum impetrationis. n. 3. p. 548.
Oſtenditur prodeſſe per modum ſatisfactionis. n. 7. p. 549.
Proſunt etiam defunctis. n. 9. ibid.
Satisfactio pro altero oblata prodeſtne illi infalliblliter. n. 11. p. 150.
Poteſt eſſe de condigno. n. 12. ibid.
Tantũ pro alio valet, quantũ pro ſeipſo. n. 13. ibi.
Satisfaciens pro alio ex opere operantis debet eſſe in gratia. n. 14. p. 551.
Quid ſi tantùm ex opere operato. n. 15. ibid.
Proſintne Eccleſiæ ſuffragia per modum ſatisfactionis. n. 16. ibid.
Opus ſatisfactorium debet eſſe proportionatum debito. n. 18. p. 552.
Satisfactiones alienæ quomodo proſunt defunctis. ibidem.
Satisfaciens pro altero debet illi applicare ſuam intentionem. n. 20. ibid.
Is pro quo ſatisfit debet eſſe in gratia. n. 22. ibid.
Peccatum, pro cuius pœna ſatisfit, debet eſſe remiſſum. n. 23, p. 553.
Non poteſt antecedenter ſatisfieri pro culpa committenda. n. 25. ibid.
Sitne opus cõſentiu eius, pro quo ſatisfit. n. 26. ibi.
Vel vt ſit baptizatus. ibid.
Eſt in Eccleſia theſaurus ſuperabundantium ſatisfactionum Chriſti, & Sanctorum, diſpenſabilis per Indulgentias. n. 27. & ſeqq. ibid.
Bona opera valent ad merendum ſimul, & ad ſatisfaciendum. n. 32. & 34. p. 555.
Probatur Sanctos habuiſſe ſatisfactiones ſuperabundantes. n. 35. ibid.
Manent illæ in conſpectu Dei. n. 36. p. 556.
Sunt in theſauro bonorum communium Eccleſiæ. n. 37. ibid.
Viuorum ſatisfactiones ſuperabundantes ad theſaurum illum pertinent. n. 39. p. 557.

Scandalum.

Peccatum ſcandali multiplex. d. 50. n. 67. p. 193.
Ad quam ſpeciem pertinet, & quando ſpeciem diuerſam addit. ibid. & n. 24. p. 195.
Quid requiratur vt graue ſit, & neceſſariò confitendum. ibid.

Schiſmatici.

Schiſmatici iurati ſuſpenſionem incurrunt. d. 60. n. 76. p. 496.

Sepultura.

Sepultura eccleſiaſtica quomodo negatur excommunicatis. d. 59. n. 60. & ſeqq. p. 415.
Nundinantes ſepulturas excommunicantur. num. 261. p. 468.

Seruitus.

Seruilis conditio facit irregularem. d. 62. n. 55. p. 530.
Conditio ſeruilis ignorata dirimit matrimonium perſonæ liberæ cum ſerua. d. 74. n. 17. p. 821.
Neque ſufficit paulò poſt fieri liberã. n. 18. p. 822.
Hæc irritatio eſt iuris tantùm poſitiui. n. 19. ibid.
Quid faciendum errore detecto. n. 25. p. 824.
Serui poſſunt contrahere validè domino repugnante. n. 26. ibid.
Peccentne ita contrahentes. n. 28. p. 825.
Poſſitne vir, aut vxor ſe vendere in ſeruum altero inuito. n. 31. ibid.
Natus ex matre libera liber eſt, quamuis pater ſit ſeruus. n. 32. p. 826.
Niſi obſtet alicubi conſuetudo. n. 33. ibid.

Sexus.

Sexus defectus facit irregularẽ. d. 62. n. 58. p. 531.

Sigillum.

Sigillum confeſſionis non eſt violandum propter illius integritatem. d. 50. n. 114. p. 204.
Obligatio ſigilli confeſſionis vnde oriatur. d. 54. n. 3. p. 306.
Probatur oriri ex natura rei. n. 8. p. 307.
Pœnitens poteſt iure ſigilli cedere. n. 15. p. 309.
Poteſt confeſſarius licitè aliquid facere, vnde complices cognoſcant peccatum. n. 16. ibid.
Pœnitens non poteſt prodi etiam intra Sacramentum confeſſionis. n. 17. ibid.
Neque loquendo ipſi pœnitenti de eius peccatis extra confeſſionem. n. 18. ibid.
Ac neque in alia confeſſione ſine neceſſitate, vel conſenſu pœnitentis. ibid.
Confeſſarius poteſt negare aliis, quæ audiuit in confeſſione. n. 19. ibid.
Non peccat loquens de iis, quæ aliunde nouit. ibi.
Peccat interdum loquendo de peccatis in genere. n. 20. ibid.
Pœnæ contra violatores ſigilli. ibid.
Tenentur obligatione ſigilli alij, qui audiunt confitentem. n. 21. ibid.
Et quibus confeſſarius reuelauit. n. 22. p. 311.
Et conſultus ab illo. n. 23. ibid.
Et ſuperior, à quo petitur facultas circa reſeruata. ibidem.
Pœnitens non tenetur ſigillo. n. 24. ibid.
Quid ſi aliquis reperit peccata ſcripta à pœnitente. n. 25. ibid.
Interpres obligatur ad ſigillum. n. 26. ibid.
Et qui ſponte adhibentur à pœnitente, vt ſimul audiant eius confeſſionem. n. 28. p. 312.
Putant aliqui non teneri conſiliarium. n. 29. ibid.
Refelluntur eorum argumenta. n. 30. ibid.
Idem aliqui cenſent de ſuperiore. n. 31. ibid.
Refutatur eorum ſententia. n. 32. ibid.
Obligatio ſigilli oritur ex omni, & ſola confeſſione ſacramentali. n. 33. p. 313.
Quæ confeſſio dicatur ſacramentalis ad hunc effectum. n. 34. ibid.
Materia ſigilli quænam ſit. n. 37. p. 314.
Debent celari ea omnia propter quæ confeſſio redderetur odioſa. n. 38. ibid.
Quomodo loquendum confeſſario de pœnitente, quem non abſoluit. n. 39. p. 315.
Quomodo vſus notitiæ partæ per confeſſionem eſt illi licitus, aut illicitus. n. 40. & 41. ibid.
Poſſitne illâ vti ad damnum ſuum vitandum. num. 42. ibid.
Poteſt dicere talem ſibi eſſe ritè confeſſum. n. 44. p. 316.
Non poteſt vti notitiâ confeſſionis ad regimen oneroſum pœnitentis. n. 46. ibid.
Nemo tenetur vitare excommunicatum notum per confeſſionem tantùm. n. 48. p. 317.
Decretum Clementis VIII. contra regimen ex notitiâ per confeſſionem. n. 49. & 50. ibid.
Error nouorum dogmatiſtarum contra ſigillum confeſſionis. d. 55. n. 46. p. 334.

Index rerum præcipuarum.

Simoniaci.

Simoniaci in Ordine ſuſpenduntur. d. 60. n. 74. p. 495.

Simoniaci in ordinatione, vel in beneficio excommunicantur. d. 59. n. 207. p. 469.

Et Simoniaci Confidentiarij. n. 274. p. 471.

Sponſæ, & Sponſalia.

Sponſalia tripliciter accipiuntur. d. 70. n. 1. & 2. p. 698.

Nomen ſponſæ, & vxoris tripliciter quoque ſumitur. n. 3. p. 699.

Interdum etiam confunduntur. n. 4. ibid.

Sponſalium definitio. n. 5. ibid.

Debent eſſe promiſſio mutua. ibid.

Et vera, id eſt, cum intētione ſe obligandi. n. 6. ibi.

Et acceptata. n. 7. p. 700.

Et directè, atque immediatè de matrimonio ineundo. ibid.

Et circa perſonam determinatam. n. 8. ibid.

Poſſunt firmari arrhis, vel iuramento, aut multa pecuniaria. n. 9. ibid.

Sintne verba neceſſaria vt contrahantur. n. 10. ibi.

Qualia debent illa eſſe. n. 11.

Non eadem ſigna vbique ſufficiunt. ibid. p. 701.

Poſſintne eſſe ſine repromiſſione. n. 12. ibid.

Sufficitne verbis tantùm promittere, ſine animo promittendi, & intentione ſe obligandi. n. 17. & ſeqq. p. 702.

Quid ſi quis velit promittere, & nolit obligari. n. 23. p. 704.

Aut ſi ligetur per contrariā voluntatem. n. 24. ibi.

Sponſalia poſſunt validè contrahi priuatim. n. 25.

Atque etiam licitè. n. 26. p. 705.

Poſſunt interdum contrahi per verba de præſenti. n. 27. ibid.

Contractus impuberum de præſenti habet vim ſponſalium. n. 29. p. 706.

An etiam contractus clandeſtinus puberum, n. 30. ibidem.

Poſſunt contrahi abſolutè, vel conditionatè. n. 32. ibidem.

Atque etiam inter abſentes. n. 34. p. 707.

Et per parentes pro impuberibus. n. 35. ibid.

Sufficiatne impuberes tacere. n. 36. & 37. ibid.

An etiam per tutores, & curatores. n. 38. p. 708.

Spondentes debent poſſe implere id quod promiſerunt. n. 41. ibid.

Et expleuiſſe ſeptennium. n. 42. ibid.

Niſi malitia ſuppleat ætatem. n. 45. p. 709.

Sufficitne enim habere vſum rationis. n. 46. ibid.

Quantus ille eſſe debeat. n. 47. p. 710.

Cur ætas diuerſa præſcribitur maribus, & fœminis pro matrimonio, & non pro ſponſalibus. n. 48. ibidem.

Sitne peccatum contrahere ſponſalia ante ætatem. n. 49. ibid.

Sponſalia obligāt ad matrimonium. n. 52. p. 711.

Hęc obligatio eſt grauis. n. 53. ibid.

Debet in foro interno adhiberi coactio reſilientibus iniuſtè. n. 54. p. 712.

Atque etiam in foro externo per ſe loquendo. nu. 55. ibid.

Per accidens tamen interdū non expedit. n. 56. ibi.

Ad quid teneatur reſiliens iniuſtè. n. 57. p. 713.

Et ſpondentes pro illo. n. 59. ibid.

Poſſintne pœnæ apponi ſponſalibus. n. 60. ibid.

Iuramentum illis appoſitum ad quid obliget. num. 62. p. 714.

Sponſalia obligant ad non fornicandum cum altero. n. 69. p. 716.

Et alioqui committitur grauis iniuria exprimenda in confeſſione. n. 71. ibid.

Tranſeantne in matrimonium per copulam ſubſecutam. n. 74. p. 717.

Gignunt impedimentum publicæ honeſtatis. ibid.

Quibus modis diſſoluantur ſponſalia. num. 75. & ſeqq. ibid.

Diſſoluuntur primò per renunciationē. n. 75. ibid.

Etiam licitè. n. 76. p. 718.

Si tamen ſponſi ſunt puberes. n. 77. ibid.

Et renunciatio ſit mutua. n. 78. ibid.

Diſſoluuntur ſecundò per ingreſſum Religionis. n. 79. ibid.

Etiamne ante profeſſionem. n. 81. p. 719.

Atque etiam ſi iuramento firmata ſint. n. 83. ibid.

Diſſoluuntur tertiò per ſuſceptionem Ordinis ſacri. n. 84. p. 720.

Poſſitne licitè accipi poſt ſponſalia. n. 85. ibid.

Diſſoluuntur quartò per matrimonium ſubſequens. n. 86. ibid.

Extinguiturne tunc planè obligatio. n. 87. ibid.

Quintò, per ſponſalia poſteriora cum copula. nu. 91. p. 721.

Secunda ſponſalia ſola ſua vi non diſſoluunt prima. n. 92. p. 722.

Diſſoluuntur ſextò per mutationem domicilij. n. 93. ibidem.

Et per diſceſſum in terram longinquam. n. 94. ibid.

Et per lapſum temporis præfixi. n. 95. p. 723.

Et per ſuperueniens impedimentum dirimens. nu. 96. ibid.

Secus ſi prohibens tantùm. n. 97. ibid.

Et per quamcunque cauſam rationabilem ſubſequentem. n. 98. ibid.

Quid ſi copula ſecuta ſit. n. 99. p. 724.

Requiraturne iudicis auctoritas vt diſſoluantur. n. 100. ibid.

Quid ſi quis dubitat an verè promiſerit, aut ſi fictè promiſit. n. 101. ibid.

Sponſalia priùs inita cum alio ſunt impedimentum prohibens matrimonium. d. 73. n. 46. p. 808.

subdiaconus.

Subdiaconi ordinatio ſitne ſacramentalis. d. 66. n. 19. & 20. p. 610.

Non erat olim inter ſacros Ordines. n. 40. p. 614.

Quomodo fiat in Eccleſia Latina. n. 47. p. 616.

Quomodo in Græca. n. 48. ibid.

Subdiaconi officia. d. 68. n. 15. p. 650.

ſuffragia.

Fideles poſſunt ſe inuicem iuuare per ſuffragia. d. 63. n. 2. & ſeqq. p. 547.

Proſintne tantùm per modum impetrationis. n. 3. p. 548.

Poſſunt etiam viui iuuare mortuos. n. 6. p. 549.

Suffragia Eccleſiæ proſuntne per modum ſatisfactionis. d. 63. n. 16. p. 551.

Suſpenſio.

Suſpenſio eſt cenſura eccleſiaſtica. d. 60. num. 1. p. 478.

Solos clericos afficit. n. 2. ibid.

Priuat illos vſu poteſtatis eccleſiaſticæ. ibid.

Quomodo differt ab aliis cenſuris. n. 3. ibid.

Digitized by Google

Index rerum præcipuarum.

Vna eſt à iure, altera ab homine. n. 4. ibid.
Item vna eſt totalis, altera partialis. n. 5. ibid.
Modus eas dignoſcendi. n. 6. p. 479.
Item, vna eſt ad tempus determinatum, alia non. n. 7. ibid.
Non omnis ſuſpenſio eſt cenſura, ſed aliqua eſt purè pœnalis. n. 8. ibid.
Suſpenſio tam à iure, quàm ab homine eſt multiplex. n. 9. ibid.
Cauſa efficiens & ſubiectiua ſuſpenſionis. n. 10. p. 480.
Quale peccatũ ſit cauſa ob quam fertur. n. 11. ibid.
Forma, ſeu modus quo fertur. n. 12. ibid.
Effectus ſuſpenſionis. n. 13. ibid.
Quomodo tollatur. n. 15. p. 481.
An definat ſine abſolutione. n. 16. ibid.
Forma abſoluendi ab illa. n. 17. ibid.
Quomodo differt ſuſpenſio à depoſitione, & degradatione. n. 18. p. 482.
Suſpenſiones ab homine vnde dignoſcantur. n. 26. p. 484.
Diuiſio ſuſpenſionum à iure. n. 27.
Suſpenſiones latæ contra clericos propter malam ſuſceptionem Ordinum, vel malum eorum vſum. n. 26. p. 484.
Vel peccantes contra alias obligationes eorum proprias. n. 53. p. 490.
Vel contra obligationes ipſis communes cum laicis. n. 68. p. 493.
Contra Epiſcopos, & Capitula, & Conuentus. n. 79. p. 496.
Contra Regulares. n. 86. p. 498.
Contra infandum crimen Sodomiæ. n. 73. p. 495.

T

Tactus.

Tactus impudici liceantne inter coniuges. d. 78. n. 31. p. 896.

Teſtis.

Teſtes matrimonio contrahendo neceſſarij quot, & quales eſſe debeant. d. 71. n. 59. p. 746.
Sufficit eos intelligere quid agatur, etiam per interpretem. n. 60. ibid.
Non eſt neceſſarium eos conſentire matrimonio. ibidem.

Titulus.

Sine titulo nullus eſt maioribus Ordinibus initiandus. d. 67. n. 13. p. 629.

Tonſura.

Tonſuræ clericalis origo. d. 68. n. 1. p. 646.
Eiuſdem ratio, & ſignificatio. n. 2. ibid.
Refellitur circa illam hæreticorum mendacium. n. 4. p. 647.
Satisfit eorum argumentis. n. 5. ibid.
Obligatio eam ferendi. n. 8. p. 648.
Tonſura non eſt Ordo, ſed veluti baſis, & fundamentum Ordinum. n. 10. ibid.

Tranſgreſſio.

Tranſgreſſio, *vide* Peccatum.

V

Verecundia.

Verecundia ſitne virtus. d. 48. n. 2. p. 116.

Vinculum.

Vinculum matrimonij poſſitne fieri à Deo ſolo, ſine conſenſu coniugum. d. 71. n. 3. p. 730.
An etiam ab humana poteſtate. n. 6. p. 731.

Virginitas.

Quomodo non recuperatur per pœnitentiam. d. 47. n. 4. p. 101.
Circunſtantia virginitatis ſitne explicanda in confeſſione. d. 50. n. 68. p. 193.

Virtus.

Virtutis eiuſdem eſt amare bonum, & odiſſe malum oppoſitum. d. 41. n. 11. p. 6.
Virtutes ſupernaturales recuperantur per pœnitentiam. d. 47. n. 1. p. 101.
Probabilius eſt integrè recuperari. n. 30. p. 108. & n. 37. p. 109.

Viſitatores.

Viſitatores eccleſiaſtici recipientes munera pro viſitatione incurrunt ſuſpenſionem. d. 60. nu. 63. p. 492.

Vnctio.

Vnctio duplex curatiua, & ſacramentalis. d. 65. n. 8. p. 591.
Vnctio extrema, *vide* Extrema-Vnctio.

Voluntas.

Voluntas mali vitandi duplex eſt. d. 48. n. 67. p. 131.

Votum.

Circunſtantia voti quomodo explicanda in confeſſione. d. 50. n. 66. p. 193.
Votum ſimplex Religionis, aut caſtitatis, aut ſuſcipiendi Ordinem ſacrum, aut non ineundi matrimonium eſt impedimentum prohibens. d. 73. n. 47. p. 808.
Grauiter peccat vterque contrahens cum tali voto. n. 48. p. 809.
Exceptis nonnullis caſibus. n. 49. ibid.
Peccant etiam cooperantes eorum contractui. nu. 51. ibid.
Triplex votum dirimit matrimonium. d. 74. nu. 34. p. 826.
Idque iure tantùm poſitiuo. ibid.
Votum ſolemne ſubſequens matrimonium non illud dirimit. n. 37. p. 827.
Summus Pontifex poteſt diſpenſare in voto ſolemni. n. 41. p. 828.
Votum ſolemne caſtitatis non eſt traditio. nu. 43. p. 829.
Pœnæ contrahentiũ cum voto ſolemni. n. 44. ibi.
Votum virginitatis, aut caſtitatis quomodo impedit matrimonium. d. 78. n. 33. & 34. p. 896.
Et votum ingrediendi Religionem. n. 35. p. 897.
Aut ſuſcipiendi Ordines ſacros. n. 36. ibid.
Quid ſi votum ingrediendi Religionem fiat poſt matrimonium. n. 37. ibid.
Aut votũ caſtitatis ſine cõſenſu coniugis. n. 38. ib.
Vel etiam cum illius conſenſu. n. 39. p. 898.
Poteſtne illi petenti debitum reddi. n. 40. ibid.
Si ambo mutuo conſenſu vouerunt, neuter poteſt petere, aut reddere. n. 41. ibid.
Niſi poſtea renuncient abdicationi iuris. nu. 42. ibid.
Non poſſunt ei renunciare poſt votum ſolemne. n. 43. p. 899.
Poſſitne vnus coniugum irritare votum alterius. n. 44. ibid.
Poteſtas irritandi vota duplex eſt, directa, & indirecta. ibid.
Poteſt vxor indirectè irritare vota [illegible]. nu. 45. ibid.

Index rerum præcipuarum.

Et maritus vota vxoris.n.46.ibid.
Affirmant aliqui posse etiam directè.n.47.p.900.
Vera sententia non posse.n.48.ibid.
Non potest irritare votum vxoris de non petendo debito.n.54.p.901.
Neque de opere implendo post ipsius mortem. n. 55. ibid.
Neque vota quædam facta intra primum bimestre.n.56.ibid.
Aliud est irritare votum, & aliud suspendere. nu. 56.p.902.
Quomodo dignoscantur.ibid.
Quid requiratur ad irritandum.n.57.

Vsurarius.

Vsurariis externis domum locantes excommunicantur.d. 59.n.290.p.474.
Sepelientes vsurarium suspenduntur.d.60.nu.52. p.490.
Et fouentes vsurarios alienigenas.n.83.p.497.

Vxor.

Vxoris nomen tripliciter sumitur.d. 70.num.3.p. 699.
Vxoricidium est impedimentum prohibens.d.73. n.60.p.812.

FINIS.

ERRATA.

PAg. 14.col. 2. lin. penult. Neque, *adde*, ea restat, quam Christus obtulit: quippe quæ. Pag. 16. col. 2. lin. 50. Matthæi, c. Marci. p. 26. col. 2. lin. 42. aliquid, c. aliquod. Pag. 107.col. 2. lin. 31. Restituantur, *adde* per. Pag. 109. col. 2. lin. 51. illam, c. illa. Pag. 115. lin. 15. Tum, *adde*, vt. Pag. 124. col. 2. lin. 23. Omnino, c. fermè. Pag. 125. col. 2. lin. 7. Idem, c. item. Pag. 133. col. 2. lin. 10. Redit, c. reddit. Pag. 200. col. 1. lin. 18. Teneantur, c. tenentur. Pag. 222. col. 1. lin. 1. loquitur, c. loquimur. ibid. l. 37. Impœnitentiam. c. impatientiam. P. 248. col. 2. lin. 4. Accipe, c. Accipite. P. 268. col. 1. lin. 50. Nam, *adde*, illa reuocatio non fuit promulgata, vt dicemus inferiùs disp. 68. n. 78. Deinde. p. 269. col. 1. lin. 32. De lata, c. delata. pag. 307. col. 1. lin. 34. concepta, c. concepto. Pag. 309. col. 1. lin. 33. supradicto, c. superaddito. Pag. 313. col. 1. lin. 42. confitetur, *adde*, sua sponte. P. 352. col. 2. lin. 32. Est, c. esset. Pag. 355. col. 1. lin. 25. altiori, c. latiori. Pag. 375. col. 2. lin. 55. abcisissio, cor. abscissio. Pag. 387. col. 2. lin. 55. fieri. c. ferri. Pag. 396. lin. 6. Illorum, c. illarum. lin. vlt. alais, c. alias. Pag. 419. col. 1. lin. 18. Nato, c. Nota. Pag. 480. col. 1. lin. 45. Prouenit, c. peruenit. Ibid. lin. 55. ab, c. ad. Pag. 483. col. 2. lin. 42. capite proximè cit. c. capite 2. de pœnis supra cit. Pag. 524. col. 1. lin. 11. chriurgicam, c. chirurgicam. Ibid. col. 2. lin. 15. disp. c. dist. Pag. 529. col. 2. lin. 43. Assensus, c. accessus. Pag. 665. col. 2. lin. 44. Cæsarium, dele virgulam. Pag. 799. col. 2. lin. 64. ordinibus, ordinationibus. Pag. 802. col. 1. lin. 20. Promisso, cor. promissio. Ibid. lin. 22. res, *adde*, vni promissa, alteri. Pag. 815. col. 2. lin. 53. Peccat, c. peccati. Pag. 822. col. 1. lin. 48. Sed & quis, c. sed & si quis. Pag. 848. col. 2. lin. 6. Cardinalis, c. Cardinalium. Pag. 871. col. 1. lin. 56. Progrediatur, *adde*, nec ego progredi velim. Pag. 891. Inquisiton, c. Inquisitioni. Pag. 925. col. 2. lin. 33. correcta, c. correctæ. Alia quæ occurrent lector facilè corriget, præter ea quæ calamo correcta sunt.



Digitized by Google

Digitized by Google

Laboratorio di Restauro
Leandro Gottscher
Via del Boschetto, 97
Roma

Digitized by Google